JACOBI

CUJACII

JC. TOLOSATIS

OPERA

AD PARISIENSEM FABROTIANAM EDITIONEM

DILIGENTISSIME EXACTA

AUCTIORA ATQUE EMENDATIORA

IN TOMOS X. DISTRIBUTA

EDITIO ALTERA PRATENSIS

PARS QUARTA CONTINUATIO
ET RELIQUÆ QUATUOR PARTES

TOMUS OCTAVUS

PRATI

EX OFFICINA GIACHETTI, FILII ET C.

SUMPTIBUS SOCIETATIS CUI NOMEN

UNIO — TYPOGRAPHICA — TAURINENSIS

(OLIM POMBA)

MDCCCLXVIII

ELENCHUS EORUM

QUÆ OCTAVO HOC TOMO CONTINENTUR

JACOBI CUJACII J. C.

RECITATIONES IN LIB. IV.

PRIORES

CODICIS JUSTINIANI

AD TITULUM PRIMUM

DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA, ET UT NEMO DE EA PUBLICE CONTENDERE AUDEAT.

Primus titulus Libri 1. Cod. Justin. est de summa Trinitate, et fide Cathol. etc. quem solum hodie vobis explicabo, quod non licuerit mihi dare operam seq. tit. et ero brevis nihilominus. Jus sacrum, sive de religione Christiana, quod Theodosius contulerat in ultimum sui Codicis librum, Justinianus in hoc suo Codice honoris causa maluit ponere lib. 1. et ordiri statim a præcipua ejus parte de summa Trinitate, et fide Cathol. deque ea definire convenienter Synodis, id est, Judiciis auctoritate principis, et undique Gentium ad eas evocatis Christianis, et disceptationis futuræ cognitoribus, et arbitris: unum scilicet esse Deum omnipotentem, in tribus personis, Patre, Filio, et Spiritu Sancto per omnia æqualibus divinitate, æternitate, majestate, virtute, claritate, gloria, substantia. Christum esse singularem et unigenitum filium Dei omnipotentis, summæ Trinitatis personam unam, Deum de Deo, lumen de lumine, ut ait l. 2. hujus tituli; et assumpta carne humana in utero Virginis Mariæ Deum et hominem. Deum Patri ὁμοούσιον id est, substantia parem, et similiter hominem ὁμοούσιον per omnia nobis: certissimam salutem redemptionemque humani generis; ac inde Sacrosanctam Virginem Mariam non Christi, quasi hominis tantum, sed etiam Dei matrem nominari verissime, et hanc esse fidem Catholicam, quam et ipse Justin. latissime profitetur et laudat, l. 1. 5. 6. 7. 8. eod. tit. populo in testimonium advocato, et utriusque Romæ Archiepiscopis Johanne Archiepiscopo antiquæ Romæ, et Epiphanio Archiepiscopo novæ Romæ, id est, constantinopoleos, quorum uterque vehementer approbet Justiniani professionem pietatemque suam. Sunt et aliæ Catholicæ fidei capita. Sed cum in aliis congruerent eo tempore Christiani satis, in his mirum in modum inter se discrepabant: et qui a Catholicis, sive Orthodoxis seorsim sentiebant, Arriani, sive Porphyriani primum negabant, æternum esse ipsum Christum, et patri substantia parem, nescio an ex illo Zoroastri magico versu: seipsum Deus eripuit ab aliis omnibus, et dixit supra omnes: nec in sua potestate intellectiva altero a se Deo inclusit ignem suum, id est, suam dignitatem divinam. Verum hoc longe abhorret ab Apostolica et Evangelica doctrina breviter ut dicam, mera hæc est impietas, mera κακότης. Nestoriani, sive Simoniani dividebant Christum, ita ut non esset idem verbum Dei, et Christum ex Virgine Maria, et Spiritu Sancto natum vellent, neque eam matrem Dei nuncupari paterentur, ut Christum Deum post resurrectionem accessisse dicerent Trinitati summæ, quasi divinam personam quartam. Ante resurrectionem Christum non fuisse divinum. Hos Justinianus vocat in l. 6. et vocabat universa Ecclesia ἀνθρωπολάτρας, quod humanitatem tantum in Christo agnoscerent non divinitatem, quæ extra humanitatem esse non potest, Eutychiani, et Apollinariani sunt dicendi ex *l. 8. inf. de hæret.* ut Arriani potius dicendi sunt Porphyriani, et Nestoriani Simoniani ex l. 6. eodem tit. Eutichiani negabant ipsum Christum Dominum nostrum hominem esse natura parem esse ὁμοούσιον, quibus sunt proximi, qui dicebant Carnem Christi esse afflictionis, et corruptionis expertem. Macedoniani autem negabant Spiritus Sancti cum Patre æqualem esse divinitatem, quæ etiam secta condemnatur nominatim in costit. hujus tituli. De processione, et egressione Spiritus Sancti, quæ Græce dicitur ἐκπόρευσις ex illo Johannis loco c. 15. τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, quod dicitur in l. 2. hoc tit. cum se ex summo rerum parente et sperare et accipere, contra quem sentiat Ecclesia universalis, eorum opinioni accedere videtur, qui dicunt Spiritum Sanctum ex solo Patre procedere. Et Accursius ipse notavit hanc constitutionem his, qui in ea hæresi erant, favere admodum: neque vero ullum in hoc subest mendum, quod quidem confirmant Basilica, ex quibus etiam initio l. 2. velim vos reponere mysteriorum, pro ministeriorum, ut *l. 6. C. Theodos. de hæret.* Ceterum cum in trium personarum Trinitatis, et unitatis ratione constituenda inter se Christiani dissentirent illo tempore, hos Imperator in eodem tit. censet consentientes cum universa Ecclesia, et Sinodis Oecumenicis esse Christianos Catholicos, sive Orthodoxos, qui ita credunt; ut statim ab initio exposui, esse credendum. Ceteros qui ab aliis seorsum aberrant, non esse Christianos hæreticos, ac ne Christianos quidem, maxime Arrianos, et Nestorianos, *l. 6.* damnatos de hæreticis, etc. Imperatores *l.* 3. 5. 6. et 7. eod. tit. execrantur, et extra communionem fiunt quasi hostes Ecclesiæ Christi, quæ quidem execratio in Laicis appellatur ἀναθεματισμός, in clericis appellatur καθαίρεσις. Nescio vero, an jure liceat Imperatoribus uti fulmine execrationem: videtur hoc Pontificum potius esse, quam Regum. Fabius in Declam. exhæredationem ait esse fulmen paternum, et nos dicamus excommunicationem esse fulmen pontificium. Hoc, inquam, videtur esse Pontificum non Imperatorum, aut Regum. Et Marcellinus, cujus memoriam tota Gallia colit apud Severum historiæ sacræ scriptorem, non jus esse ait, causas Ecclesiæ judicari a seculari Judice. Et hac ratione auctor est Imperatori, ut sanguine hæreticorum abstineat, satis esse hæreticos judicatos Episcopali sententia extra communionem fieri, et tamen l. 1. hoc tit. et l. 8. quicumque, inf. de hæret censet animada esse supplicia: et hoc jure utimur. Verum quod attinet ad anathematismum, quem Justin. hæreticis infligit, si eum probasset Johannes Archiepisc. veteris Romæ, cujus in hoc tit. extat rescriptum notissimum ad Justinianum Imperatorem, si, inquam, eum anathematismum, quem Justinian. irrogat hæreticis, probasset, eum non retraciesset in Epist. Justin. quam quodammodo insertam suo rescripto ad Justin. remisit, vel potius ipse Justin. non retraxisset consulto data opera erubescens auctoritatem Romani Pontificis. Nam Romanum Pontificem ut ipse indicat in constit. 7. Justinianus reverebatur magis, quam Epiphanium Pontificem Constantinopoleos. Scribit ad Epiphanium idem quod ad Johannem: sed in Epistola ad Johannem non legitur ἀναθεματισμός. In Epist. ad Epiphanium legitur, non eruhuit eam inserere ad Epiphanium. Sequitur tertia pars hujus tit. ut nemo de ea publice audeat contendere: est in l. 4. sancta scilicet pœnalis, ut ne quis de fide superius exposita publice disputare audeat, ne, inquit, tumultus inde et perfidia Ecclesiæ nascatur. Perfidiæ nomine in Constitutionibus sæpe intelligimus hæresim. In illo etiam loco Basilica interpretantur cacodoxiam, cui opponitur Orthodoxia: et extat constitutio

l. 4 integrior in Chalcedon. Synodo sect. 3. et fuit edita utraque lingua Græca et Latina. Pertinet autem proprie ad Chalced. Synodum, quæ fuit facta adversus Eutychianos, sed porrigitur etiam ad cyclicam factam adversus Arrianos, et ad Ephesiam factam adversus Nestorianos, et ad Constantinopolitanam factam adversus Macedonianos. Et placet, quod rem concludit omnem hæc sententia, quæ in integriori constitutione Græca l. 4 exstat: extremæ esse dementiæ in medio et perspicuo die commentitium lumen accersere, soli lumen fœnerari. Inanes igitur et inutiles esse disputationes publicas de fidei articulis jam satis Synodis sacrosanctis Ecclesiæ definitis. Et hæc est summa brevis hujus tit. quæ maxime velim vos hodie esse contentos.

Ad Tit. II. De Sacrosanctis Ecclesiis, et de rebus, et privilegiis earum.

Secundus titulus est de sacrosanctis Ecclesiis, etc. Ecclesias vocat ædes Deo consecratas, sive Dominica, in quæ conventus agunt Christiani mysteriorum, vel, ut loquitur lex 5. cœlestium secretorum gratia. Quibus verbis nihil aliud potest significari quam Liturgia, et legimus nominatim in Actis Apostolorum, Apostolos fuisse deprehensos obeuntes omnia illa et sacra mysteria. Nunquam Ecclesia veris mysteriis caruit, et si qua caret, ea non est Ecclesia, nimirum detractis misteriis, vel ut lex ait, secretis cœlestibus atque divinis: et rursus in quas conventus etiam agunt Christiani publicarum orationum, horarum, sermonum, et concionum gratia. Pythag. ὁμακοεῖα simul, et eodem nomine significantur Collegia clericorum, vel ut Hieronymus et Johannes Rom. Episcopus loquuntur, sacerdotum senatus, qui in eis sunt, et ab Ecclesiis martyria separat l. 13. 16. et 17. quasi scilicet Ecclesiæ sint dicatæ cultui Dei omnipotentis, martyria honori, memoriæ, et sedi martyrum, et confessorum, *l. ult. C. Theod. de sepulcr. viol.* quæ et memoriæ D. Aug. qui Græce μάρτυρες, Latine dicuntur Confessores, quorum erat veneratio summa in Ecclesia prisca. Et de Ecclesiarum, et Martyriorum bonis in hoc tit. potissimum agitur: sic enim est inscriptus, de sacros. Ecclesiis, et de rebus, et privilegiis earum. Igitur tres sunt summæ partes: nam sunt multa plura de Ecclesiis, et rebus, earum, et privilegiis, de rebus, et bonis, de salariis sive annonis, quæ et Ecclesiis debentur etiam annua, quæ eis relicta sunt, ut integra et perpetua eis conserventur, quod singulare est: nam annuum si relinquatur certæ personæ, cum persona extinguitur, si relinquatur Ecclesiæ, nunquam extinguitur, *l. 24. hujus t.* Est etiam hic tit. de officiis quibusdam Ecclesiarum, veluti de Decanis, sive Collegiatis (sic appellantur in hoc tit.) destinatis ad diversa obsequia Ecclesiæ Constantinopoleos maxime, ut eorum officium paucis exponatur, ad justa funebria, ad deferenda funera. Cedrenus decanos interpretatur ῥαβδούχους, *bastonniers*, *Bedeaux*, qui non huic rei tantum dant operam, sed ad omnia obsequia, et munera Ecclesiæ præsto sunt, quorum erat in Ecclesia Constantinopolitana justus numerus. Et agitur de Oeconomis. Cum agatur de rebus Ecclesiarum consequens est, ut etiam agatur de Oeconomis: nam ii sunt administratores Ecclesiæ, et ut ait *l. Jubemus, eodem titul.* dispensatores pauperum: nec enim Episcopi administrabant, vel attingebant ullo modo res Ecclesiæ, qui toti erant in sacris literis, et mysteriis exercendis, et nunciando verbo Dei. Oeconomi res administrabant Ecclesiæ, atque pro viribus earum reditus pauperibus erogabant, et consequenter igitur de arcariis, quibus œconomi rationes reddunt, atque etiam reliqua persolvunt: nam rationes redduntur nisi reliqua persolvantur, quæ quidem reliqua arcarii referebant in arcam Ecclesiæ communem, cui ipsi erant præfecti præpositique. Hic etiam adjunguntur Chartularii, qui rationes, et acta Ecclesiæ conficiebant: adduntur etiam in hoc tit. ecclesiarum, et martyriorum privilegia quædam generalia, quæ est tertia pars hujus tit. puta ut ecclesiæ, et personæ, et res Ecclesiasticæ sint immunes a sordidis, extraordinariis, vel superinductis muneribus; et nominatim Decani, sive Collegiati, de quibus ante dixi, ut immunes sint a muneribus argentariorum, vel nummulariorum, *l. 9. h. t.* quæ sunt munera in civitatibus, et plerumque etiam invitis injunguntur, sunt enim Reip. maxime necessaria: et hæc immunitas tantum in ea *l. 9.* datur decanis ἐμπράκτοις, id est, qui reipsa munus Decanorum exercent, ut in *l. Generaliter. et tit. seq. de Episc. et Cleric.* et generaliter ita definitur, quod maxime velim vos adnotare, ne quis sub specie muneris quod minus exequatur alterius muneribus, et oneribus relevatur. Hoc potest esse usui in multis causis: exemplo uno utar. Doctoribus, Antecessoribus concessæ sunt merito immunitates quædam, quo fit, ut plerique ambiant Antecessorum nomen, et vel si nomen adepti fuerint, etiamsi nihil quicquam doceant, aut quod pejus est docere possint, tamen immunitate gaudent, quo fit ut opprimatur plebs, quæ sublevaretur si onus adnumerati illius Doctoris non transfunderetur in eam? quæso observemus hanc sententiam. Sunt etiam alia privilegia Ecclesiarum, ut immunes sint a lucrativorum descriptione, id est, certæ portionis prorogatione, quod declaro. Curialis, vel decurio, vel Senatus municipales Reipublicæ muneribus bonaque ejus omnia maxime obnoxia erant. Imo et progenies sive prosapia, ut veteri verbo utar Cicer. verbum vetus appellat de universitate, quod Asconius interpretatur. Iis curialibus, si qui non curiales conditione, et origine successerint ex causa lucrativa, ex titulo lucrativo, puta jure legati, vel jure institutionis non ferunt assem, non ferunt solidum quod eis relictum est, sed relinquunt Reip. portionem aliquam, quæ dicitur lucri descriptio, lucri onus, quod a curiali obvenit, non curiali. Ceterum Ecclesiæ a lucrativorum onere immunes sunt, si forte curialibus ex causa lucrativa successerint: et additur aliud privilegium, ut donationes in eas collatæ valeant etiam factæ μονομερῶς, id est, ex promissione sola offerentis, etiamsi Ecclesiarum nomine nemo eas donationes agnoverit, acceperit: nam jure communi donatio sine acceptione non valet: et interim dum non accipitur et agnoscitur, revocari potest. At in Ecclesiam collatæ donationes ex sola pollicitatione valent, imo et sine insinuatione seu confectione actorum, si modo, ut est in hoc tit. non excedant quingentos aureos: et addit aliud privilegium, ut ecclesiasticæ actiones non perimantur nisi præscriptione 100 annorum, quæ duo postrema privilegia, etiam civitatibus dantur, et aliud de quingentis aureis hodie abiit in jus commune, id est, secundum novas Constitutiones Rom. Impp. nam si jus, quo utimur, spectemus, omnes donationes insinuatione indigent. Sed ex constitutionibus Rom. Impp. hodie jus commune est, si non excedant quinguentos aureos valere, nisi non sint repositæ in acta vel monumenta. Id vero quod est de centum annorum præscriptione, ut Ecclesiæ, vel civitates si agant, ea tantum repelli possint, mutatum est Novellis in annos 40. pro 100. et hæc quidem sunt generalia privilegia Ecclesiarum, quæ proponuntur in hoc tit. Sunt etiam quædam specialia, veluti Ecclesiæ Thessalonicæ in l. 8. ut ea Ecclesia relevetur onere propriæ capitationis, id est, tributi capitalis: nam una quæque Ecclesia pro capite censebatur uno aut pluribus, ut princeps statueret, nec onus capitis quisquam olim poterat effugere, ordinarii et extraordinarii muneris immunitate gaudebant multi; sed non ordinarii, non propriæ capitationis, non Ecclesiæ, non præfecti prætorio et comites, ut est in Nazarii oratione quadam, etiam præfecti prætorio et comites tributa pendunt principi, sed hoc tantum privilegium datur Ecclesiæ Thessalonicæ, quæ sanctitate præcellebat eo tempore, ut relevetur onere propriæ capitationis, non tributo agrorum, et aliud speciale privilegium Ecclesiæ Constantinopoleos est in l. 14. 17., ut ejus Ecclesiæ prædia coloni sive rustici panes civiles, quos ferebat Ecclesia de publico, vasa sacra sive anathemata et donaria sacra, ut nullo modo alienentur vel pignorentur, ac ne dentur quidem jure παροικικῷ, quod vulgo hodie dicitur libellaria, ut exposui in Feudis tit. quibus modis feudum committatur, sed et locari vel in emphyteusim aut precarium dari, ut non possint nisi certa lege modoque, quæ lege exprimitur in constit. hoc tit. et in Novellis: hoc privilegium, ut dixi, primum datum fuit Ecclesiæ soli Constantinopolitanæ, sed est porrectum postea ad omnes Ecclesias, speciale quod erat, factum est generale, et abrogata est constitutio Anastasii Græce, quæ erat sub hoc tit. et permittebat aliarum Ecclesiarum bona alienari vel pignorari adhibito decreto, et confectis actorum monumentis apud magistrum census, ut sit constitutio Anastasii apud magistrum census, videlicet in urbe, id est utraque Roma, in provinciis apud præsides et defensores civitatum: nam hic soli jus habebant conficiendorum actorum, non omnibus erat jus, sed magistro tantum census in urbe, quem γενικὸν appellabant in *l. Sancimus. de donationibus*, et in Nov. et in seqq. tit. l. 6. duobus locis, sed de illa Ecclesia Constantinopolitana etiam speciale hoc invenisse in hoc tit. ejus Ecclesiæ Archiepiscopi eandem, quam et Romani habebant prærogativam in creatione Episcoporum, et in assidendo, aut procedendo, ut Constantinopolitanus uni cedat Romano: ut dicam breviter, primæ deferuntur Romano, in l. 6. hujus tit. l. ult. 8. tit. 4. etiam ab ipso Iustiniano primæ deferuntur in Novel. 131. et hoc privilegium creandi Episcopos, procedendi, præsidendique appellatur privilegium Patriarchicum in *l. 15. hujus tit.* et separatur a privilegio Metropolitano, recte nam ut paucissimis expediam, iidem sunt Patriarchæ, et Archiepiscopi. Patriarchæ sunt Archiepiscopi, sunt Pontifices, his inferiores sunt Metropolitani, qui non sunt Archiepiscopi et superiores Episcopis. Jam explicatus est tit. unum tantum observandum est ex *l. ult.* quod est singulare, finge: Testator legavit Titio, et duo sunt Titii amici testatoris, æqua charitate conjuncti, nec apparet de quo scripserit testator, cui debetur legatum? neutri invicem se impediunt, sive non debetur ei, cui dare noluit testator, non debetur etiam ei, cui dare voluit, quoniam quisnam sit incertum est et obscurum, in *l. 3. §. Si duobus. de adim. legatis. l. 11. Si ita fuerit legatum. de rebus dubiis.* Quibus perperam objicitur *l. Si quis servum. 8. § Si inter duos de leg. 2.* Si quis objiciat, non prorsus inutile esse legatum, ita poteris explicare eum locum, ut iste locus demonstrat, veluti si duo Titii inter se contendant de sententia testatoris, unus dicat de se sensisse testatorem, alter asserat idem, et pro se quisque afferat conjecturas, hæres autem paratus sit solvere ei, a quo defendatur, et servetur indemnis, eliget ipse hæres cui solvet, et gratificabitur cui volet, accepta cautione ab illo servabitur indemnis obtinente altero, verum eligere non cogetur, quia fieri potest ut nullus obtineat, ut nullius conjectura idonea videatur judici; atque ita si nihil liqueat, neutri debitur legatum. Sed lex illa ultima aliud statuit in pia causa, quod ego lubenter traxerim, suadente Jurisconsulto, ad omnem causam, vel me suadente et auctore jurisperito: nam ex l. ult. si quis legaverit Ecclesiæ Divi Stephani, et liqueat plures in ea civitate esse Ecclesias ejusdem nominis, neque liqueat perspicue de qua senserit testator, lex ait deberi legatum ei Ecclesiæ, in qua fuit frequentior testator et assiduior, in quam fuerit propensior: hoc jus etiam obtineat in omnibus causis: nam in exemplo si duo fuerint Titii, et unus fuerit arctiori necessitate cum testatore conjunctus, ei debetur legatum, nec fuerit dubitatio aliqua, quam quod fuerint ambo æqua necessitate conjuncti, ut ait *d. l. Si ita fuerit legatum,* nam si non fuerit par humanitas, et erga utrumque benevolentia, sane obtinebit legatum, qui se amiciorem probabit defuncto fuisse: at quid si non fuerit testator magis in unam Ecclesiam propensus quam in alteram, nec possit ex defuncti propensione elici certa conjectura: lex ait legatum deberi pauperiori Ecclesiæ. Cur non etiam liceret statuere legatum deberi pauperiori Titio?

Ad Tit. III. De Episcopis et Clericis, et Orphonotrophis, et Xenodochis, et brephotrophis, ptochotrophis, et ascetriis, et monochis, et privilegiis eorum, et Costrensi peculro, et de redimendis captivis, et de nuptiis clericorum vetitis seu permissis.

*Tit. 3. ita vulgo legitur, de Episcopis et Clericis, et orphanotrophiis etc. sed magis probarem de Episcopis et clericis et orphanotrophis etc. nam de orphanotrophiis et aliis omnibus venerabilibus locis, simul ac de Ecclesiis ed de Martyriis dictum est tit. sup. et l. 15. 17. 19. 21. 22. et 23. Hic titulus est de personis Ecclesiasticis, ille de locis religiosis et pietati dicatis. Sed tamen dum tractationes ita sunt conjunctæ et affines, ut vix possit quis tractare de personis, quin tractet etiam de locis, et contra: de personis igitur hic tit. potissimum est, videlicet de Episcopis et cleric. et orphanotrophis, et ceteris, quorum singulorum munus, ut et aliquantulum describatur, et differentia, quæ inter eos intervenerit: Episcopi sunt Antistites, qui clero et populo Christiano præsunt, veluti pastores, patres, et vicarii Domini nostri Jesu Christi, vel ut in *l. 6. tit. seq.* qui populum Christianæ religionis doctrinæ insinuatione moderantur. Optato Milevit. apices, et principes omnium, vetustioribus Primicerii Presbyteriorum, sive habeant nomen Episcopi, sive Archiepiscopi, seu Metropolitani: nam quod scribunt de Episcopis, et de iis, qui sunt supra Episcopos intelliguntur, et quæ in constitutionibus scribuntur de illustribus, scripta etiam examinare debemus de iis, qui sunt supra illustres, qui supra Episcopos, et ipsi Episcopi sunt. Clerici ut invenio in hoc tit. sunt ministri divini muneris, Catholicæ Ecclesiæ, Cristianæ legis, Orthodoxæ fidei, quandoquidem hæretici sunt potius abdicati, et exhæredati, vel facti extra hæreditatem cœlestem, et communionem Ecclesiæ, ut definit *l. 2. C. Theod. eodem tit.* clerici scilicet, sive generaliter potiores hæredes Dei, cohæredes Christi, qui divino cultui ministerio religionis impendunt, *l. 2. C. Theod.* presbyteri scilicet, qui inter clericos superiorem locum obtinent, ut ait *l. 8.* in illo loco, si forte presbyteri, qui sub nomine superioris loci testimonium dicere citra aliquam corporalem injuriam sunt præcepti, hoc ipso, quod nihil meruerunt, vere suppressarint etc. Gerunt igitur presbyteri sub nomine superioris inter clericos, nam et Apostolorum vice sunt, ut legimus ἐν διαταγαῖς eorumdem, in constitutionibus eorum, eisque non minus, quam et Christianis incumbit cura nuntiandi verbi Dei, nunciandæ, et formandæ salutis generis humani, nuntiandæ redemptionis, quæ functus Christus pro humano genere ut est in his Apostolorum constitutionibus, σύμβουλοι τοῦ Ἐπισκόπου καὶ ἐκκλησίας στέφανος i. Conciliatores sunt, et assessores Episcopi, et Ecclesiæ corona, et D. Paulo scribente de iisdem presbyteris κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, qui navant operam docendo, instruendo, commonendo, corrigendo populo Christiano: clerici et sunt, qui hos sequuntur, veluti Diaconi utriusque sexus, et hypodiaconi, id est, ut eleganter scriptum est in hoc tit. ministri sacræ mensæ, et totius ornatus Ecclesiastici, ut est in l. ult. tit. seq. levitæ, lectores, cantores, sive psaltæ, exorcistæ et ostiarii: sacerdotum nomen solet proprie tribui Episcopis, sed communicatur etiam clericis, Græce ἱερέων *l. 16. 19. 45 hoc tit. l. 8. inf. de hæret.* Imo communicatur Christianis omnibus: nam si communicatur clericis, clericorum nomen comprehendit universam Ecclesiam Christi. Eucherius: Sacerdos, inquit, ab eo nomen accepit, quod sacrum præbere ducatum minoribus debeat. Et adjicit: quo nomine utique censentur omnes, qui altitudine rectæ conversationis ac doctrinæ salutaris eminent, nec sibi ipsis tantummodo, sed pluribus prosunt: et alio loco: omnes sumus membra summi Sacerdotis Domini Jesu Christi: et Tertullianus: Christus sacerdos nos Deo et Patri fecit. Quod idem de Clericorum nomine scribunt. Orphanotrophi in h. t. ita definiuntur l. 31 qui parentibus atque substantiis destitutos minores, et orphanos, quod Gallica vox nomen retinet, sustentant, atque affectione proxima educant sumptibus Ecclesiæ, et ut ait lex 32. sunt quasi tutores pupillorum, et curatores adolescentium: ac similiter brephotrophi dicuntur alumni, et educatores infantium projectorum, vel expositorum, et ptochotrophi alumni pauperum et mendicorum: xenodochi autem sunt, qui exteros, aut advenas ægrotos, debiles, invalidos, vel ut dixit Epiphanius depotentes qui sibi necessarium victum quærunt, hospitio excipiunt *l. 45.* et 49. hoc tit. Xenodochi hospitales, quod nomen etiam vox Gallica obtinet: et quidem hospitale studium excipiendorum externorum nihil aliud est, quam xenon, aut xenodochium, qui locus proprie educandis puellis, pueris, sive infantibus destinatus est: improprie appellatur hospitalis, aut xenon. Verum ut persequar singulas partes hujus tit. ascetæ, vel ascetriæ sunt devotæ virgines, qui, quæve ita vitam instituerunt, ut toti sint sacris dediti meditationibus, precibus, assiduisque votis erga Deum pro humano genere: quod institutum philosophiam vocat Nov. Majoriani de sanctimonialibus, et viduis. Et notum est, atque adeo sane notandum, quod de asceta quoque scribit Macarius, qui et ipse fuit asceta homil. 27. suo familiari, et collegæ, quem sæpe viderat meditatione multa, et profunda, veluti sumptum, et ereptum ex rebus humanis, quem sæpe viderat gravi infirmitate laborantes liberasse indulgentia medicinarum suarum cœlestium, vel sola impositionem manuum, quem sæpe viderat etiam dæmones ejecisse, hunc tandem mente divisa ejecisse elatum superbia, et prolapsum in omne malitiæ genus, cui tamen Deus injecerat gratiam, et utitur hac præclarissima sententia: pura nitidaque mens, sive nitida natura non caret qualitate superbiæ: nulla est adeo nitida mens, quin depravari possit. Eam ob rem colendus est nobis semper Deus, ut semper admonemur, adhibito timore metuque.

Verum ut ad rem redeam, observandum in hoc t. ab ascetis separari monachos, et asceterium separari a monasterio similiter l. 54. Ascetas igitur separari a monachis, id est, qui quæve latebras captant, et vastas solitudines: ii sunt proprie monachi, l. quædam. inf. de decurionibus, lib. 10. quorum præfecti dicuntur Archimandritæ, quasi Latebrarum præsules. Et hæ quidem sunt personæ, quæ in hoc tit. numerantur. Sed præterea in constitutionibus hoc tit. fit etiam mentio νοσοκόμων, et γεροντοκόμων, quibus scilicet curæ erant valetudinarii, et senes: namque ætas senilis altera valetudo est. Denique certus erat locus, quo pietatem Ecclesiæ exercebant in senes, et certus, quo in valetudinarios cujuscunque ætatis, populares scilicet, et concives: nam, ut antea dixi, peregrinis erant constituta xenodochia. Fit etiam mentio parabolanorum medicorum, qui erant in Alexandria, quod se conjiciant in periculum, *un Medicin de la peste, qui se hazarde bien fort.* parabolani medici sunt audaces medici, qui adeunt omnia pericula curandorum ægrotorum gratia qui nihil extimescunt contagionem morborum: fit etiam mentio in constitut. hoc tit. ejus, qui dicitur ὁ ἐπὶ τῆς πτωχείας, qui erat quasi generalis quidam curator, et observator medicorum, diversus a ptochotropho. Et fit itidem mentio œconomorum, de quibus etiam multa tit. superiore, et defensorum Ecclesiæ: fit mentio ἀρχόντων, vel ἐξάρχων, qui sane, ut opinor, sunt chorepiscopi, ut Zonaras ait, χωρεπίσκοποι δὲ νῦν λεγόμενοι ἔξαρχοι, ruris, aut suburbii Episcopi aut Metropolitani, iidem, qui et Archidiaconi, vel Archipresbyteri fere, ut Leo ait, et ut est in Synodo Neocæsariensi, ὡς συλλειτουργοὶ εἰς τύπον τῶν ο. Sigibertus: *Archidiaconi, qui dicuntur Chorepiscopi*, qualem in antiquis monumentis legi nuper Lugduni, fuisse appellatum præfectum supercilio Lugdunensi, vel ut loquuntur, monti sacro duorum Irenæi, et Justi qui et veluti supercilium est hodie ei civitati, et iis hodie appellatur Abbas, olim Chorepiscopus proprius, quam Abbas. Fit etiam mentio eorum qui περιοδευταὶ dicuntur, διὰ τοῦ περιέρχεσθαι καὶ καταρτίζειν τοὺς πιστούς, ut Zonaras ait in Sardicensi Synodo, qui fideles commonefaciant, exponant alienatos a fide, vel errantes revocent in pristinum statum, quod obeant singulas Ecclesias, atque illustrent mandata Episcopi, aut Metropolitani, visitatores dicuntur in capite non debere 80. Fit etiam mentio aliorum, qui Paramonarii dicuntur, de genere eorum, qui res Ecclesiasticas administrantes, id est, villici, sive actores possessionum Ecclesiasticarum, ut possunt appellari satellites, adseculæ, buccellarii, certe Nicetæ παραμονὴ est πελεκυφόρος βάρβαρος: additur in hoc tit. enumeratis superioribus personis, et de privilegiis eorum, Episcoporum scilicet, et Clericorum, et ceterarum personarum, quorum præcipua quidem recenseamus: unum est, ut invitis Episcopis non denuncietur testimonium, et Presbyteri, qui secundum locum obtinent, citra injuriam capitalem, citra injuriam quæstionis testimonium dicant, ut et eis fides habeatur, etiam citra quæstionem. Item ut Clerici, Monachi, et Xenodochi, et Ptochotrophi, et similes personæ excusantur a sordidis, et extraordinariis muneribus, et parangariis, onere transvectionis aut evectionis indebitæ et injustæ sive extraordinariæ, ut excusentur a metatis, id est, ab onere recipiendi hospitii, transeunte forte comitatu principis vel exercitu, ut excusantur a lustralis auri collatione, sive quod idem est, ab auraria functione, si qui clericorum et orphanotrophorum vel similium personarum negotiationes exerceant: nam onus illud aurariæ functionis, onus erat negotiatorum, ut constet ex *l. 2. hoc tit.* ac præterea ut excusentur a tutelis et curationibus, et a personalibus muneribus sive corporalibus, sed ut est scriptum in *l. Generaliter. hoc tit.* ut hac immunitate tantum fruantur ii, qui muneri suo et functioni sanctæ non desunt: nam ut habuimus heri ex *l. 4. tit. sup.* nemo dicitur sub specie muneris quod minus exequitur, alterius muneris sarcina relevari. Igitur i 9 l. generaliter adjungi convenit, etc. præterea ut injuriarum crimen sit publicum, si facta sit injuria Episcopo vel Clerico: nam injuriarum crimen sane privatum est, aut extraordinarium, non publicum: et in l. 2. de origine juris male legebatur olim Cornelium instituisse quatuor prætores, id est, singulos prætores singulis quatuor quæstionibus publicis, quas instituerat, de falso, et parricidio, et sicariis, et de injuriis, nec ea verba habent Pandectæ Florent. nec loco eorum ulla alia *mais il y en faut mettre un autre*: et veneficiis. Ceterum de injuriis non fuit publicum crimen, nisi, ut dixi, ex iis constitutionibus, si facta sit injuria Episcopis, etiam additur aliud privilegium, ut sit actio popularis ex testam. si quid relictum sit Ecclesiis, *tout chacun peut demander cela pour l'Eglise*, vel Episcopis, vel Clericis, vel pauperibus condictione ex lege scilicet, quæ inficiatione crescat in duplum, et ex cujus causa, si forte indebitum solutum sit, non competat condictio indebiti, *l. 46. hoc tit. §. ult. Instit. de obligat. quæ quasi ex delicto nasc.* addam et aliud, ut irrita sit substitutio precaria per fideicommissum facta sub conditione si sine liberis hæres institutus decesserit, hærede postea transeunte in clerum aut monasterium, propterea quod uxorem ducere non potest; tamen non ideo substitutio locus est, et pari ratione ut transeunte in clerum vel monasterium remittatur conditio liberorum, suscipiendorum, id est, ut non amittat legatum, fideicommissum, vel hæreditatem, etiamsi seipsum fecerit extra spem suscipiendorum liberorum; et quod etiam inter privilegia numerari debet, additur in *hoc tit.* de castrensi peculio clericorum vel Episcoporum, ut si sint filiifamilias, quod acquisierint dum divino cultui darent operam, non acquirant patri, sed id habeant præcipuum quasi castrensi in peculio, et de eo possint libere testari, nec possit testamentum rescindi per querelam inofficiosi testamenti, *l. 34. ut d.*

l. 40. et de redimendis captivis, deque relictis in redemptionem captivorum, l. 28. 46. 49. ult. pars. tit. est de nuptiis clericorum vetitis aut etiam permissis, permissis scilicet lectoribus et cantoribus, lectoribus qui legebant sacras literas in Ecclesia præsente populo, vetitis ceteris clericis indistincte, et permissis primis nuptiis, vetitis secundis, et rursus permissis omnibus clericis indistincte, si coitæ fuerint ante clericatum, vetitis post clericatum, l. 19. et 44. nam neque leges, neque canones ulterius interdixere nuptias nisi post clericatum. Quinimo licebat pridie ejus diei quo quis transiret in clerum ducere uxorem, nec enim minus assumebatur in clerum, ut jure posset objici his qui post clericatum cupiunt ducere, cur non duxisti ante clericatum? et merito igitur est legitima interdictio, et liberi suscepti post clericatum iisdem constitutionibus censentur esse spurii, incesti, nefarii, non naturales liberi: nam naturalium liberorum nomen est honestum, spuriorum turpe: et in ea constitutione nescio quis, ut Dom. Antou. Contius interpres vertit, ita ut nec naturales, nec spurii, sic interpretatur nothos et physicos, id est, naturales et spurios; sed fallitur; et nothi sunt naturales suscepti ex concubinatu, qui erat permissus legibus, spurii non possunt naturales dici, quorum nomen est turpe.

Ad Tit. IV. De episcopali audientia, et diversis capitulis quæ ad jus curamque et reverentiam pertinent Pontificalem.

Quartus Tit. est de Episcopali audientia, etc. Episcopi jurisdictionem non habent, nam neque forum legibus habent, ut ait Nov. Valentiniani de Episcopali judicio, neque apparitionem, id est, nullos apparitores, viatores, executores, neque executionem habent, quod est summa sive extrema pars jurisdictionis, *l. 1. D. si quis jus dicenti non obtemp.* sed eorum sententias exsequuntur magistratus, l. 8. *hoc tit.* sicut judicum delegatorum sententias exsequuntur magistratus, qui delegant, l. *A divo Pio, D. de re judic.* qui etiam judices delegati notionem tantum habent, non jurisdictionem: hanc si haberent, et executionem haberent. Sozomenus lib. 8. merito igitur hic titulus inscriptus est de Episcopali aud. non de Episcopali jurisdictione, et male Accursius interpretatur audientiam, jurisdictionem: nusquam invenies jurisdictionem tribui Episcopis, notionem, cognitionem, judicium invenies passim, ut in hoc tit. de Episcop. audientia, ita in *l. 25. sup. tit. 3.* cum clericis, inquit in judicium vocatis patent Episcopalis audientia, quia auditorium quidem Episcopus habet, sed non jurisdictionem, aut tribunal, aut forum. Et similiter in dicta Nov. Valentiniani, clericus, inquit, si agat, sequatur forum rei, si adversarius ad Episcopi vel Presbyteri audientiam non præstat assensum. Quibus verbis apparet etiam Presbyteros habuisse audientiam, id est, notionem, atque judicium, qui quidem secundum locum obtinebant ab Episcopis, ut heri diximus, non eumdem locum, ut Arriani dicebant, qui connumerantur inter hæreticos: at hanc quidem audientiam sive notionem citra honorem jurisdictionis habuere tantum Episcopi vel Presbyteri in clericos et monachos in causa religionis, vel negotio Ecclesiastico, non in alios, nec in aliis causis, nisi inter consentientes; qui consensus jurisdictionem non tribuit, et hoc potissimum ostenditur in hoc tit. et est maxime notandum; nam ex mille vix reperies unum qui non tribuat Episcopis jurisdictionem, cum et Accursius audientiam, protinus ac temere accipiat pro jurisdictione: sed is tit. continet etiam diversa capitula ad jus curamque et reverentiam Episcopalem pertinentia; ad jus veluti ut nonnisi adhibitis et consultis Episcopis defensores civitatum creentur, qui quidem in singulis civitatibus habebantur instar tribunorum plebis, et erant præditi jurisdictione, ut explicabimus in tit. de defensoribus civitatum, ut etiam adhibitis Episcopis non aliter creentur sitonæ, id est, rei frumentariæ curatores quibus Resp. mandat curam coemendi frumenti, ut populo non desit annona. Itemque ut adhibitis Episcopis tutores vel curatores minorum aut furiosorum instituantur, ac prætorea querela non numeratæ pecuniæ, non numeratæ dotis, quæ exceptio dicitur, sed querela proprius quam exceptio: quandoquidem in judicium deducitur, etiam antequam agatur ex chirographo, ut, inquam, ea querela absente magistratu, et generaliter quælibet præscriptionis interruptio ac contestatio deficiente magistratu institui possit apud Episcopos, l. 21. 31. 32. *eod. tit.* Nunc exponamus quid sit ad curam. Ad curam Episcopalem pertinent pauperes, et, ut ait l. 1. verus cultus est Christiani Episcopi adjuvare pauperes et positos in necessitate. Et valde notandum quod est in l. 2. ut si clericus ante definitivam sententiam appellaverit frustrandi tantum causa, morandique judicii, quæ intempestiva appellatio est, ei multa irrogetur quinquaginta librarum aur. eaque multa non accedat commodo fisci, sed pauperibus erogetur etiam et populo. Ecce genus multæ, quod accedit pauperibus: vix invenies similem locum in jure: sed tamen est hodie frequens ut non tantum fisco, sed pauperibus accedant vel addicantur multæ. Pertinent etiam ad curam Episcopalem captivorum redemptio, itemque infantes expositi, et custodiæ, id est, qui carcere coercentur, et qui quæve a lenonibus detinentur: et inspectio operum publicorum rationumque civilium, ne quid de publico depereat, ut scilicet urgeat, et instet Episcopus, si negligi videat opera publica reditusve civiles. Sunt et alia pleraque officia pia, et sancta, quæ hic tit. ostendit pertinere ad curam Episcopalem, ne, ut hoc quoque adjiciam, alii advocati recipiantur in foro, quam Christiani, l. 15. ne alii legantur militiæ, quam Christiani, l. 10. 20. et cum in Alexandria essent Primates quidam Clerici quasi plebis defensores, qui in ea civitate proprio vocabulo, ut habuit ea urbs amplissima propria pleraque vocabula officiorum, tum munerum, vocabantur archigerontes, diœcetæ, id est, seniores, et administratores, vel curatores plebis: hi etiam ut non, nisi sint Christiani recipiantur, l. 6. *eod. tit.* in qua lege laborant quamplurimi propter hæc verba Archigerontes, et diœcetæ: satis intelligimus ex C. Th. Archigerontas, et diœcetas fuisse privatos, et defensores plebis Alexandrinæ, ut qui in aliis civitatibus dicebantur ἔκδικοι, vel defensores plebis, in urbe Alexandrina dicerentur archigerontes, et diœcetæ, quos etiam in ea urbe vult esse ex corpore Christianorum. Sed quid hoc sit ergas·tianorum nemo adhuc potuit explicare, et videtur fuisse vetus mendum, quod etiam insidet in C. Th. in quo longe aliter legitur, quam hoc loco, quo sic legitur, archigerontes, quod magnam movet conjecturam, ut sit reponendum, archigerontes diœcetæque, id est, defensores plebis Alexandrinæ ex Christianorum numero deligantur: alioquin manca esset oratio: ad curam quoque Episcopi nemo nescit pertinere disciplinam Ecclesiæ, disciplinam monachorum, et clericorum; quod multæ constitutiones docent in hoc tit. et illud inter cetera, ne clerici, vel monachi aleæ, vel spectaculis sint dediti: et in l. 7. ne per vim, aut usurpationem aliquam, quod bellum dicas esse potius, quam judicium aliquod non ineleganter, eripiant judicatos addictosque supplicio, quod certe usurpabant exemplo pontificum paganorum, ut Vestalium, quarum occursus servabat sæpe ductos ad supplicium. Ad reverentiam autem Episcopalem hoc maxime pertinet quod est tertium in hoc tit. ut ab eorum sententia non possit appellari, *l. 8. et 14. eod. tit.* nisi qui forte extra Episcopum judicem assumpserint, et optaverint, eum Episcopus compellere non potest, ut se subjiciat audientiæ suæ: sed si qui ultro se audientiæ suæ subjecerint, non possunt ab ejus sententia appellare a judice dato ex consensu partium citra compromissi vinculum, *l. Ex consensu. D. de appellationibus:* nam a sententia judicis compromissarii non licet appellare, *l. 1. C. de receptis.* A sententia editiii (qui sit judex editiius explicat Servius in Eglogam Virg. 3.) vel quem utriusque partis consensus optavit, non permanente vinculo compromissi, licet appellare, ut dixi, nisi fuerit Episcopus, in quem utraque pars consenserit: hoc plane deferri reverentiæ Episcopi: sed ex his, quæ velim in hoc tit. maxime vos adnotare, quod sint quotidiana, unum in l. 3. dum ait remissionem veniæ crimina nisi semel commissa non habere. Finge: Princeps perduellibus dedit veniam perduellionis: ex his postea quidam recidit in idem vitium, et rursus non est remittenda venia, vel is non potest ex quadam posteriore venia, quam princeps dederit similibus personis, sibi item vindicare veniam, et asserere: cur? quia *remissionem veniæ crimina nisi semel commissa non habent:* et adjicit eleganter: *nec in eos liberalitatis Augustæ referatur humanitas, qui impunitatem veteris admissi non emendationi potius, quam consuetudini deputaverint.* Etiam illud notandum est quod habetur in l. 27. officium curatoris esse, non prætermittere utilia, nec admittere inutilia: paucis descriptum est officium curatoris: duplex est culpa, culpa in faciendo, et culpa in non faciendo, *l. Si servum. de verb. oblig.* utramque tutor, aut curator præstare debet, et quod est notandum, in *l. 28.* si curator datus sit furioso habenti liberos; ut adhibito curatore, et iis, qui genere nobiliores erunt liberi nuptias contrahant si velint: dote, vel donatione propter nuptias constituta arbitrio curatorum, vel propinquorum, et in urbe præfecti urbi, in provinciis præsidum, vel Episcoporum, et ut ea constitutio dotis, vel donationis propter nuptias, et arbitrium in ea constituenda, quod requiritur, ut peragatur sine ullo damno id est, sine ullo sumptu, gratis: et placet ratio valde, quæ potest accommodari ad alia pleraque, *ne tale hominum infortunium etiam expensarum detrimento prægravetur.* cessabunt igitur sumptus judiciales propter infortunium hominum. Multæ sunt constitutiones Græcæ in hoc tit. ut in superioribus, et etiam in consequentibus, quas qui verterunt in latinum sermonem, uti possem ostendere multis argumentis, nisi res esset exigua, aberrarunt mirum in modum: unus est locus magni momenti, quem nesciunt latine vertere in l. 26. dum ait, ut curent Episcopi ea servare, quæ jam a se constituta sunt περὶ ἀπαργυρισμοῦ μετάτων: quod sic interpretantur, *de Metatorum exactione:* nunquam prohibuit metatorum exactionem Imperator, id est, exactionem oneris recipiendi milites, sed personæ quædam privilegiariæ ab hoc onere excusantur; non ergo vult constitutio homines relevare onere metatorum, sed ἀπαργυρισμοῦ, id est, adærationes, id est, ne pro metatis cogantur æra refundere, aut præstare militibus, ut non subeant onus metati: eo enim prætextu extorquebant ingentem sæpe pecuniam. Denique metatum est onus, quod non potest adærari. et ita etiam *l. 18. eod. tit.* prohibetur ἀπαργυρισμός, id est, adæratio annonarum militarium, ut scilicet, quod dicitur, provinciales pro annonis militaribus id conferant in speciebus ipsis, non in ære: et stultius etiam dum lex eadem ait, ut Episcopi curent observari in Republ. prohibitionem rapinarum, ut interpretantur, uno verbo non dicere possis nisi *exarmationem*: mittebant nonnunquam principes in provincias aphopliastas, qui exuerunt arma provinciales. Et genus quidem rapinæ erat ne auferrent arma provincialibus, et quid ab eis exprimerent pecuniarum, quod genus concussionis ait d. l. in fine esse cohibendum curante Episcopo secundum constitutionum sacrarum tenorem, quarum una est, quæ nostram constitutionem confirmat *l. ult. de metatis lib. XII. Cod.*

Ad Tit. V. De Hæreticis, et Manichæis, et Samaritis.

Tit. 5. est de hæreticis, etc. Et ne quis scilicet existimaret privilegia superioribus titulis concessa Ecclesiis, Episcopis, Monachis, ad alios, quam Christianos Catholicos pertinere: statim initio hujus tit. constituitur, ut ab iis privilegiis alieni sint hæretici, nam et eorum

Episcopos, vel Clericos hæc nomine sibi falso vindicare et conventus eorum, et conciliabula non esse Ecclesias, sed quasi Ecclesias, ut ait l. 3. non συνάξεις, sed παρασυνάξεις, non baptismata, sed parabaptismata *l.* 8. et 14. *eod. tit.* Nov. 32 existimari esse, sed non esse: privilegia igitur Ecclesiastica ad eos non pertinere. Et *l.* 1. *C. Th. de hæreticis*, addidit schismaticos recte: nam et schismatici continuo hæretici non sunt, qui divertunt a communionis unitate, et eorum dissidium, et schisma, quod dicitur etiam ἀχαλινοστομία id est, fræni dissolutio, aut effrænata licentia, licet hæresis non sit: nec enim schismatici opinionibus dissentiunt ab Ecclesia a qua divertunt, plerumque tamen schisma desinit in hæresim, ut de schismate Donatistarum ait *l.* 4. *C. Theod. ne sanctum baptisma iteretur*, *quæ*, inquit, *ne hæresis vocaretur*, *appellationem schismatis præferebat*: ita est legendum, et paulo post: *ex geminatione baptismatis contigisse*, *ut hæresis ex schismate nasceretur.* Et de iisdem Donatistis D. August. *In hæresim*, inquit, *schisma verterunt.* Definiuntur et hæretici in l. 2. h. t. qui, vel levi argumento deviant a judicio et tramite Catholicæ religionis, et quibus generaliter interdicuntur conventus omnes, et in l. 3. Litaniæ, id est, preces publicæ, et pœna etiam infligitur judicibus, qui eorum audaciam non compescuerint: pœna plectitur, ut ait l. 2 cohibentiæ judicum: nam in constitutionibus sic est semper accipienda cohibentia, non conniventia, et integra mansit in Codice Theodosiano: cohibentia nomen semper depravatum est in conniventiæ nomen, quo significatur dissimulatio, ut cohibentia, negligentia, et temperatio, aut vindicta, aut persecutiones. Et ita glossæ veteres rectissime interpretantur cohibentiæ nomen: hinc dicti hæretici, ut scimus omnes, a pertinaci spiritu, et opinione singulari dum frontis obstinato piaculo, ut eleganter ait Theodosius in *Nov. de Jud. Samaritanis, et hæret.* qua forma D. August. dixit eleganter, *frontem hæreticorum non esse frontem*, et mirari se dum videt hæreticos habentes originem in corpore, non erubescere, et prope esse, ut exclamet illud Persii, *frontem perisse.* Additur specialiter in hoc tit. de Manichæis quasi insignioribus hæreticis, quos l. 5. ait ad summam usque nequitiam pervenisse, et Nov. Valentiniani, de Manichæis, incesta perversitate religionis specie lupanaribus, quoque ignota vel pudenda committere: quæ narrare hujus loci non est: sed licet addiscere ex libro August. de hæresibus, et moribus Manichæorum, et Agathiæ histor. lib. 2 et Cyrilli Catech. 6. additur etiam h. t. de Samaritis propter constitutiones quasdam Græcas, quæ de iis sunt in h. t. sicut inter Novellas sunt duæ de Samaritanis, quorum secta mixta fuit ex Paganismo, et Judaismo. Manichæi sunt ex Christianismo secundum divisionem Epiphanii: verum licet constitutiones h. t. multa afficiant pœna tamen solemnia sepulturæ eis non denegant: quod notatur ex *l.* 9. *h. t.* aliorum criminum reis post condemnationem negatur sepulture, ut constat ex *tit. D. de cadaveribus*, sed præterea ita permissum hi dicuntur ii tantum, qui sunt jure subjecti Imper. Romano non fœderati, veluti Gothi nominatim excepti l. 12 quorum plerique fuerunt Arriani. Sed leges civiles pop. Rom. exteros non cogunt, etiamsi sint Romanis fœdere conjuncti, et cum Romanis militent.

Ad. Tit. VI. Ne sanctum Baptisma iteretur.

Hic tit. pars est, tit. superioris: nam iteratio baptismi per se hæresis est, et hæreticorum quorundam hi mores erant, ut Donatistarum, Novatianorum, Eunomianorum, ut a Catholicis baptizatos, rebaptizarent, id auferentes, sive polluentes, quod genuerant. Geminatio scilicet aufert, et polluit tinctionem, *l.* 9. *C. Theod. de hæretic.* Catholici tamen hæreticos ad se conversos, qui modo ab hæreticis essent baptizati in Trinitate, non rebaptizabant; et quod constitutionibus, et canonibus Apostolorum longe aliter cautum videtur de rebaptizandis hæreticis, id de iis acceperunt, qui essent baptizati, sed non in Trinitate, qui utique non sunt habendi pro baptizatis, si absit Trinitatis invocatio, imploratio, nominatio, vel adnominatio, nec probarunt Tertulliani, Cypriani, et Africanorum quorumdam opinionem de iis baptizandis, quos hæretici baptizassent: nihil enim refert, quo interrogante, quis baptizetur, modo baptizetur in Trinitate, et credat, D. August. de hæresibus: *Ecclesiæ Cathol. placuit, nec in ipsis hæreticis baptisma commune rescindere* Et Optatus Afer de Donatistis: *A Donatistis baptizatos, si ad nos veniunt, simpliciter excipimus: absit enim, ut jam lotum revocemus ad fontem, aut ut iteremus, quod simplum est, aut duplicemus, quod unum est*; nec ineleganter Imp. Honorius et Theod. in l. 38. C. *Theod. de hæret.* *In modum semel nati hominis baptisma semel a Deo concessit*, et *semel renasci ablutione* aquæ lavacri lacus, id est, baptisterii, et columbi sacri atque divini: nam quam vocant κολυμβήθραν ἱερὰν, θείαν, recte dixeris latine colymbum, vel columbum divinum, et sacrum baptisterium, sacrum lacum lavacrum, fontem, quam tinctionem initiationem vocant hoc modo, initiationem mysterii religionis Christianæ, *l.* 3. *eod. tit. l.* 6. *C. Theod.* ac proinde hic tit. sextus est de Anabaptistis genere hæreticorum, vel ob hoc solum quod iterent baptismum. Catabaptistæ alii sunt, qui censent infantes non esse initiandos, vel baptizandos.

Ad Tit. VII. De Apostatis.

His adjungamus etiam interpretationem tit. de Apostatis: dixi jam ex tit. sup. ex schismate nasci plerumque hæresim. Ita vero possum dicere ex hæresi nasci plerumque apostasim, ut Tertull. lib. de præscriptionibus, hæreses apostatas fecisse: hi sunt, qui penitus deviarunt a religione Christiana, puta qui ex Christianis facti sunt Judæi, aut Pagani, aut Samaritani, quos constitutiones h. t. capite minuunt, et redigunt ad peregrinitatem adempta civitate Romana, cujus ademptio adimit jura innumera, veluti commerciorum, et testamenti factionem, et nuptias, et pleraque alia, et jubet exemplo reorum majestatis, exemplo Manichæorum et Donatistarum, ut est in *l.* 4. *tit.* 7. jubent, inquam, apostatas damnari etiam post mortem intra quinquennium a morte numerandum, instituta accusatione, ut in l. 2. hujus tit. in vivos apostatas est perpetua publica accusatio l. 1. h. t. in mortuos est quinquennalis, ut querela inofficiosi testamenti est quinquennalis. Cujus exemplo utitur l. 2. *hujus tit.* l. *Si quis filium.* §. *ult.* *inf. de inoff. test.* videtur d. l. 2. pugnare cum l. pen. Sed hæc mea distinctio tollit omnem ambiguitatem, *l. pen.* nam est de vivis: in hoc est accusatio nullis circumscripta temporibus, l. 2 est de mortuis apostatis, in hos accusatio circumscribitur quinquennio. Est etiam hoc in apostatis proprium, ut eorum crimen non aboleat pœnitentia. *l.* 3. *eod. tit.* quod regulariter etiam obtinet in omnibus criminibus, crimina purgat pœna, non pœnitentia, *l. Palam. D. de ritu nupt.* non aboletur turpitudo, quæ intermittitur, *l. Quid sit fugitivus. D. de ædil. edic.* l. *Qui ea mente. D. de furt.* nemo pœnitentia nocens esse desinit, l. *pen. D. de vi bon. rapt.* Excipiuntur minora quædam crimina, ut si libertus patronum, aut filius patrem sine venia in jus vocaverit, et mox pœnituerit, remittitur pœna, l. *Quamvis. D. de in jus voc.* et qui plus petit in judicio, si pœnitentia ductus petitionem emendaverit, evitat pœnam plus petitionis, *l.* 1. et 2. *inf. de plus petition.* et *l. Qui falsam. D. ad l. Corn. de falsis* qui falsam monetam percusserit, et formare noluit, *suffragio*, inquit, *justæ pœnitentiæ absolvitur.* Regulariter pœnitentia non emendat crimen, quod est pœna, emendatio criminis; pœnitentia, quod ad jus civile attinet, non est emendatio criminis, quia regula etiam obtinet si quis rem alienam clam possidere cœperit, etiamsi postea dominum certiorem fecerit, *l. Si de fundo.* §. *pen. de acq. possess.* et secundum hanc regulam juris Apostatarum crimen non obliteratur pœnitentia, et tamen omnium hæreticorum crimen pœnitentia abolatur, quæ est altera exceptio regulæ superioris: hæreticis facile veniam damus si resipiscant, *l.* 4. et 5. *eod. tit. l.* 45. *C. Theod. de hæret.* Apostatis veniam non damus, et observandum est vobis diligenter in l. 3. vulgo esse ita scriptum. *Si qui sanctam fidem prodiderunt, qui l'sunt da tout rem se, et sanctum baptisma hæretica superstitione profanaverint.* hæc verba, *hæretica superstitione*: videntur hæreticos etiam cum apostatis confundere, cum tamen hæreticorum nomen tribuatur solis Christianis. Imperitus aliquis ista verba inseruit, quæ non sunt in Cod. Theod. unde dicta lex sumpta est, nec ut sint res ipsa fert, ut quis sit apostata et hæreticus, hoc enim perinde est, ac si diceret, aliquem esse Christianum, et non esse: idem etiam confirmant inferiora verba l. 3. et maxime illo loco, *in profana migraverunt*, prodentes mysterium, et baptismum. Is denique profanat sacrum baptisma, qui pollutus deficit a fide Christiana: et quod ait in fine, *perditis vero hoc est, sanctum baptisma profanantibus*, non hæretica superstitione: hoc adderet inscite, sed eleganter in illo, *lapsis et errantibus* esse subveniendum si resipiscant, hi sunt hæretici, perditis vero etiamsi resipiscant, hi sunt apostatæ. etiam illud est notandum, *l. ult. eod.* tit. esse fugitivariam, et non esse apte positam sub hoc tit. est enim de hæreticis non de apostatis: et ut hoc evidentius appareat, constat ex actis Synodi Chalcedonensis dictam *l. ult.* esse partem *l.* 8. *sup. de hæreticis*, sunt in tit. Cod. et D. ut quodam loco ostendi, multæ leges fugitivæ inconsulto non suo loco positæ. ex ita est *d. l. ult.* cum non sit de Apostatis, sed de hæreticis.

Ad Tit. VIII. Nemini licere signum Salvatoris humi, vel in silice, vel in marmore, aut insculpere, aut pingere.

Ut hæretici et apostatæ, de quibus dixit proximo tit. ita qui humi sculpunt, aut pingunt signum Salvatoris Christi, ergo religionem Christianam contumeliosi esse videntur: indignum est enim signum salutis nostræ pedibus fœdare, aut conculcare trophæum victoriæ Christi: idcirco inhibetur hæc res cum hoc tit. tum etiam Synodi habitæ, et perfectæ in palatio Imp. cap. 73 signum autem Salvatoris Christi, signum vocat Crucis, quod veris Christianis semper fuit sanctum et venerabile, *l. Decernimus.* 26. *sup. de Episc. et Cleric.* l. 11. *tit. seq.* de Judæis Nov. 5. Justiniani dixit, προσκυνητὸν καὶ τίμιον non quidem propter se, sed propter Christum, et Christi memoriam, qui pro nobis Cruci suffixus est: adeo vero sanctum fuit, ut in instrumentis, si quis testis, vel auctor testimonii nesciret literas, pro fide et subscriptione sederet, *l. ult.* §. *Subscriptionem. inf. de jure delib.* et Leonis Novel. 72. est, collocatione ejus signi profana loca expiari, et Deo consecrari solere. nec enim ullum locum fas erat Deo consecrare, aut certe nullus recte censebatur Deo consecratus, nisi signo isto venerabili in eo collocato, l. *ult. C. Theod. de paganorum sacrificiis*, et Nov. Justin. 5. et Nov. 67. et solebat etiam præferri in Litaniis publicis Novel. 123. et ut scribunt Tertul. Hieronym. August. solebant quoque Christiani omnes ad omnem actum, ad omnem incessum, et motum, et cubile, ad mensam, et ad lavacra eo signo frontem terere, et se quodammodo præmunire. Crucis quoque veneratione Constantinus Imper. quod erat frequens Crucis supplicium, exemit numero legitimarum pœnarum generali edicto, ne quis reus Cruci affigeretur. Denique censuit Crucem esse illegitimam pœnam, quæ fuit olim legitima et frequens. Sozomenus lib. 1. *Supplicium*, inquit, *Crucis, quod Romanis solenne erat et legitimum, Constantinus sustulit a judiciis, et foro.* Et August. in quæstionibus veteris testam. *Antea*, inquit, *Cruci homines figebantur, quod postea edicto prohibitum manet.* Edictaque Constantini permanere etiam videmus: hodie in Pandectis, et Cod. semper Tribon. mutavit crucem in furcam, eam scilicet, qua

hodie fures suspendi videmus: ubi prudentes Imperat. scripserant crucem pro supplicio, Tribon. semper accipsit furcam: ubi erat scriptum crucifigatur, reposuit, furcæ figatur: fuit infame supplicium, non minus infame, et ignominiosum est supplicium furcæ, quam crucis, vel quod cruci successerit, sicut deportationis, quæ succesit in locum ignis et aquæ interdictionis, non minor est pœna, quam ipsius interdictionis: nobilior est pœna gladii, si caput gladio auferatur, hæc est Gallorum opinio quæ etiam fuit Græcorum. Porro ne quis labatur hac in re, non fuit eadem furca cum illa, qua fures suspendebantur, vel aliorum criminum rei, in qua injecto collo damnati traducebantur ad supplicium, sed fuit ligneæ materiæ vinculum, quæ boja appellatur, *la bard*, quo nomine etiam significatur vinculum quo fasces virgultorum ligantur, quod fit ex virgultis ipsis Aurel. Victo: *Senatus sententia constitutum est, ut more majorum collo in furcam conjecto virgis ad cædem necaretur.* Et veterea glossæ de furciferis, qui deliquerant pro pœna in furcellam injecto collo traducebantur per urbem, et ii proprie dicebantur furciferi, quæ traductio dicebatur etiam pompa, et triumphus apud Harmenopulum lib. 6. sed ut est apud Zonaram, et hac de re etiam Josephus, quo more nos utimur etiam hodie, et moris tantum nostri confirmandi. Ego hoc vobis refero de reo quidem condemnato, et ducto ad supplicium.

Ad Tit. IX. De Judæis, et Cœlicolis.

Posteaquam dixit de Apostatis, qui scilicet prodita religione Christiana malo consilio defecerunt ad Judæos, vel Paganos: inde dicere instituit de Judæis, postea de Paganis, et Judæis jungit Cœlicolas. Judæorum secta non prohibetur constitutionibus Imperatorum, nec damnantur ea illo Judæi, quod tamen plerumque contigit Christianis principibus, ut eos exulare juberent, ut scilicet exulare juberent certissimum argumentum, et fontem religionis nostræ: quare plerisque etiam imperabatur exilium illud, condemnatio illa: constitutiones Roman. Imperatorum nulla pœna eos afficiunt, nec eorum sententiam probat *l. 9. Cod. Theod. eodem:* nam et circumcisionem filiorum suorum; imo etiam et aliorum eis committunt, *l. Circumcidere. D. ad leg. Cornel. de sicariis* et *l. 16. eod. tit.* et ea constitutionibus in ordine decurionum allegi possunt, qui honor est municipalis: decurio est senator municipalis, curia senatus municipalis, *l. 3. §. ult. D. de decur.* eos, qui Judaicam superstitionem sequuntur, id est, Judæos posse honorem suscipere, id est, decuriones fieri, de quibus est tit. non etiam possunt judicandi munere fungi, *l. ult. eod. tit.* quam nescit Accursius conciliare cum *d. l. ult.* quo imo tentat *d. l. 2. §. ult.* corrigi per *l. ult. eod. tit.* ac rursus tentat, quod demiror auctorem esse Alciatum, Judaicam superstitionem in *d. §. ult.* accipiendam esse non pro Judaismo, sed pro Christianismo: sed facilis est concordiæ ratio: *l. ult.* interdicit Judæis tantum judicandi, statuendi, pronunciandi potestatem, ne quid possint in Christianos. Imo etiam intercidit decurionatus potestatem, et dignitatem; quo qui funguntur judices non sunt, sed administratores Reipubl. et observandum quod ait *l. 3. §. ult.* Judæos etiam compelli obire necessitates, id est, munera civilis municipalis, quæ nostris injunguntur, quæ effugere non licet curialibus: non habere excusationem a tutelis, si quas possunt administrare illæsa sua superstitione non a munere sitoniæ, id est, cura frumenti coemendi publici, non a ceteris muneribus, quibus curiales obnoxii sunt, non a muneribus corporalibus, sive personalibus, et multo minus a provincialibus, quod firmat etiam *l. 5. D. de excus. tut.* et *lex 2.* quæ est Græca, et *lex Justin. hoc tit.* ergo Judæorum secta non prohibetur, quod notatur in *l. 12.* Qui fuerint cœlicolæ nemo docet, aut si quis tentat, frustra. Observandum est in *d. l. 12.* Imperat. Honorium et Theod. dicere cœlicolarum nomen inauditum fuisse. Igitur ea ætate novum sectæ genus, quod prodierat demum ætate Honorii et Theod. quod etiam subjungit dicens, et novum crimen superstitionis subjecit ex *leg. 43. Cod. Theod. de hæretic. orta est prius de la, Cœlicolas novi nescio cujus dogmatis,* inquit, *habuisse conventus:* nova igitur dogmata seruisse, imo congruentia fidei Catholicæ, quo fit, ut eo scilicet diligenter expenso putem cœlicolas manasse ex Judæis, vel sumpsisse nomen ex Judæis, qui, ut Juvenalis ait quadam satyra, *nihil præter nubes, et cœli numen adorant:* et Sophonias Propheta: inter eos quosdam adorare militiam cœli: horum namque non est nova superstitio, sed vetustissima, et quidem putem manasse eos ex Christianis, aut esse mistos esse ex Christianismo et Judaismo. Samaritæ sunt misti ex Judaismo et Paganismo et videtur fuisse Donatistarum genus: nam fuit Donatistarum secta dispertita in sectas plures. Donatistarum schisma discissum in schismata quædam, hoc quotiens in una secta contingit, certissimum est argumentum dogmatis pravi, et ex Donatistis arroganter legi sic quosdam alios appellasse Macarios, id est, beatos, contra quam dici solent, et vere dici neminem ante obitum esse beatum, sicut legi plerosque hæreticos arrogantiæ nomina sumpsisse: alios mundos, sive catharos, alios continentes, qui forte potius incontinentiæ auctores erant, opinionibus suis omnes fere speciosa indebant nomina, et profitebantur omnes se docere veritatem: et hoc nomen frequenter discipulis suis indebant Manichæi, ut lib. 9. Confessionum ait August. *hæc vox vestra, vanitas vestra me decepit.* Macarii igitur ex Donatistis fuerunt, et hi quoque arroganter se vocabant cœlicolas, quasi inquilinos et habitatores cœli, si profecti sunt e Donatistis, ex Christianismo igitur profecti sunt saltem ex parte: ejus rei argumentum quoque præbet *l. 12.* dum eos hæreticis adnumerat, qui novum dogma instituerunt suo arbitrio, contra sententiam universæ Ecclesiæ. hæretici sunt Christiani, qui non sunt Christiani, nequam appellantur hæretici: et quo magis hoc verissimum videtur, dicta *l. 12.* eos cohortatur ut revertantur ad Christi religionem, contra quam scilicet illud novum dogma instituerunt: Cœlicolarum enim ait fuisse novum dogma, et dogmatici etiam aliter non dicuntur, quam Christiani, qui secus dicant quicquam, quam docest Ecclesia Cath. Et invenio in Epist. Aug. 161. Majorem Cœlicolarum, id est, primatem, sive præsulem apud Donatistas novi baptismi institutorem instituisse, et multos illo sacrilegio seduxisse, si quinam quam baptismum retinebant, non possis dicere, non esse profectos Cœlicolas a Christiadis, sed non negaverim etiam ex Judaismo nos sumpsisse quædam, quia adeo eos Judæis jungi. Ille locus Augustini valde confirmat vulgarem scripturam, *l. 3. de Judæis, et cœlicolis, et majoribus eorum et Patriarchis,* ut exemplo Judæorum tribuantur proceres, qui majores dicuntur, etiam cœlicolis, ut in illa epistola August. fit mentio majoris cœlicolarum. Igitur a *l. 3.* non censeo detrahendam esse vocem cœlicolis, quamvis absit a Cod. Theod. et a quibusdam libris manu exaratis.

Ad Tit. X. Ne Cristianum manc. etc

Pars origine sua titulus hic fuit tit. sup. id est, de Judæis: tantum: nam Judæis tantum initio fuit interdicta possessio mancipii Christiani, sed ea constitutione Græca Justiniani, id est, ex *l. 2. eod. tit.* et ex *l. Deo nobis. de Episc. et Cler.* idem interdicitur hæreticis, et Paganis, ne Christiana mancipia habeant, aut possideant jure dominii habere scilicet est jure dominii habere, ut in illa stipulatione habere licet, *l. Stipulatio ista. D. de verbor. obligat.* Possidere est omni alio jure possidere, quam dominii, veluti jure fideicommissi, aut jure bonorum possessionis, quibus modis possessio quæritur, non dominium: possessio, inquam, tantum, quam prætor tuetur vice dominii, *l. 3. D. si ususfruct. pet. l. 1.* et *2. D. de bonor. possess.* et ita distinguendum est, quod sit hic tit. ne Judæis, ne Hæreticis, ne Paganis Christianum mancipium habere, vel possidere liceat, et Constit. hujus ratio redditur elegans in *l. ult. C. Theod. eod. tit.* quod nefas sit mancipia religiosissima impiissimorum dominio inquinari. Et similiter Euseb. 4. de vita Constantini, quod nefas sit, eos quos Salvator liberavit, servire, iis, qui et eum, et prophetas dederunt neci, id est, Judæis. Nam interdictum initio fuit solis Judæis, ἀθέμιτον εἶναι προφητοφόνοις καὶ κυριοκτόνοις τοὺς ὑπὸ τοῦ σωτῆρος ἐλευθερουμένους, ζυγῷ δουλείας ὑπάγεσθαι. Sed additur generaliter in constit. hujus tit. ne etiam Judæi, vel hæretici, vel Pagani, alterius quam suæ sectæ, et nationis hominum possideant, et capitale esse si eum hominem circumciderint: capitale, et non plectitur tantum ultimo supplicio, sed etiam omnium bonorum publicatione. Igitur si non hominem non circumciderint, multæ subjiciuntur 30. librarum auri, quod vel ausi sint eum comparare, qui alterius esset religionis: *l. 2. C. Theod. eod. tit.* servum autem circumcisum si rem detulerit, pro pretio perduci ad libertatem ipso jure, et hic casus addendus vobis est ad *tit. pro quibus causis servi pro præm. accip. libert.* Alioquin si rem non detulerint, fisco vindicari, ut in *l. 12. C. Theod.* et Sozomenus, et Cedrenus scribunt eum servum fieri publicum, vel redigi in publicas rationes: ex quo intelligitur servum publicum dici fiscalem, et nihil referre dicere servum publicum, an servum fiscalem fieri; neque vero tantum ad Christianos homines ex lege pertinent, qui scilicet baptizati sunt in Trinitate, et proprie fideles nuncupantur, sed pertinent etiam ad Catechumenos, ut ait *l. 2.* et *Nov. 43.* ne impune possideantur, vel circumcidantur ab his, qui longe abhorrent a professione Christianitatis. Cathecumeni sunt auditores baptismo designati. Solent veteres Theologi facere 4. ordines in Ecclesia, ut alii sint Catechumeni auditores sacrarum litterarum, alii fideles, alii pœnitentes, qui post baptismum lapsi sunt, et agunt pœnitentiam publicam et alii competentes, qui implorent gratiam Dei, qui perstant in Ecclesia supplices, donec intelligerint facinoribus suis gratiam indulsisse Deum omnipotentem.

Ad Tit. XI. De paganis sacrificiis, et templis.

Sequitur tit. de paganis etc. ita legendus est, sine copula hic tit. de tollendis sacrificiis, quæ a Paganis instituuntur, et celebrantur, et de claudendis fanis, delubris, templis Paganorum: nam etsi Imperatores velint tolli altaria mortali opera formata, et aras carentia, noluit tamen tolli ædificia templorum, et destrui ornamenta publicorum, operum, ut ait *l. 3. eodem tit.* Et sic etiam lata est *l. ult.* de tollendis annonis templorum, de tollendo reditu templorum: erat enim consequens ut templis sublatis, et rebus sacrificiis destinatis tollerentur annonæ, et salaria templorum, quæ l. 10. C. Theod. transfert ad milites, annonas facit militares, et ita vulgo legitur depravate in dicta l. 19. templorum detrahantur annonæ, et rem annonariam jubente expensis devotissimorum militum: sic est emendandum, *et rem annonariam juvent expensis:* transferuntur ergo a Paganis ad nobiles. Longe igitur est deterior conditio Paganorum, quam Judæorum: nam Judæorum secta legibus non est prohibita: longe deterior, quam hæreticorum, quibus omnibus non est propositum capitale supplicium. Paganis est propositum, non Pagano simpliciter: licet enim Pagano cuique, et perditissimo esse, sed Paganis vetitis sacrificia facientibus, et colentibus et simulacra, et dæmones, ut in *l. 3.* et *5. eod. tit.* et in Epistola August. 48. ubi etiam addit, quod ad hunc tit. valde pertinet, tam Catholicos, quam hæreticos laudare leges ab Imp. latas contra sacrificia Paganorum, et Pagani, ut dixi, sunt cultores dæmonum, qui et gentiles dicuntur in *l. 21. C. Theod. eod.* et *l. 46. C. Theod. de hæret.* et in *Nov. Theod. de Judæis.* Gentilium no-

men ductum est ex sacra scriptura, quod et solerent Judæi non Judæos appellare gentes. Paganorum nomen ductum est ex vulgo, quod aint, ut Orosius scribit initio historiæ suæ, velut ex agrestium locorum compitis, et pagis alieni a civitate Dei. In Digestis sunt, qui non sunt milites *comme vous scavez*: unde peculium aliud Paganum, aliud Castrense.

Ad Tit. XII. De his, qui ad Eccl. conf. etc.

Posteaquam dixit satis de iis, qui alieni sunt a privilegiis Ecclesiarum Catholicarum, puta de Hæreticis, Apostatis, Judæis, et Paganis, quanquam Judæis maneant adhuc privilegia quædam veluti ut retineant Synagogas suas, ut die Saturni, quo cultus sui reverentiam servant, non vocentur in jus, ut a Christianis injuria non afficiantur, ut alia pleraque. Posteaquam, inquam, dixit de iis, redit in h. t. ad Ecclesiarum Catholicarum privilegia, et exponit unum h. t. de confugis, sic appellantur *eod. tit.* et in *l. Si quis per calumniam, sup. de Episc. et cler.* ut scilicet confugis præsidium, et securitatem Ecclesiæ præstent confugientibus ad eas quasi in asylum, ita ut abduci inde nequeant, quam constitutionem cum ut abrogaret Imper. Arcadio aliquando suasisset Eutropius, is in seipso confugiens ad Ecclesiam, expertus est, quam id fecisset inconsulte: eamque inveatus eductus fuit ex Ecclesia ex lege sua, et postea id narrans, non male ait, sua sententia fuisse propinatum, non male, ut Comicus dixit, hunc vobis comedendum propino: quod male quidam emendare cupiunt: nam et Capitolinus in Marco ita loquitur: *venenatam partem fratri edendam propinans*: et quod adjicit in tit. *vel ibi exclamans*, pertinet etiam ad Ecclesiarum venerationem ex *l. 5. et ult.* ut nullus in Ecclesia tumultus videatur, nulla seditio, nulli clamores concitentur, suæ vel alienæ rei causa: hic est sensus illorum verborum.

Ad Tit. XIII. De his, qui in Eccles. manumitt.

Tit. 13 pertinet ad prærogativam, et venerationem Ecclesiar. qui est de iis, qui in Ecclesia manumittuntur, cum olim triplex erat libertas, alia Romana, seu justa, alia Latina, alia Dedititia: ad Romanam pervenire erat difficillimum: his tribus modis cives Romani fiebant, testamento, vindicta, et censu. Alio genere manumissionis dabant deteriorem libertatem: nunc meliorem, id est, civitatem Rom. et Sozomenus l. 1. c. 9 exponens sententiam constitutionum Constantini, quæ sunt in eod. tit. ait, eas fuisse a Constantino editas, cum scilicet civitatem Rom. adsequi, id est, manumissione civem Romanum fieri, esset rarum et difficile, Constantinum constituisse, ut manumissi in Ecclesiis teste populo, et signatore Episcopo quibuscumque verbis, directam, plenam, et justam libertatem obtinerent, et ut eandem libertatem manumissio clericorum tribuerent, quibuscumque verbis, et quocumque loco facta esset, etiam absente Episcopo. Igitur etiam manumissio, quæ non fit directis verbis, non testamento, sed codicillis facta ab intestato, ut si a clericis in clericos proficiscantur, tribuat civitatem Romanam.

Ad Tit. XIV. De legibus etc.

Sequitur tit. de legibus, et constitutionibus populi Rom. et edictis Principum: satis dictum est in supp. tit. de jure sacro parte juris publici, consequens est dicere de reliquo jure publico, quod scilicet consistit in populi, senatus, principis, magistratuum imperio et potestate, ex qua proficiscuntur leges et constitutiones, et aliæ partes juris civilis. Ac primum quidem in h. t. agitur de legibus publicis et generalibus, quæ sint antiqua jussa populi, vel plebis, ut lex Hortensia, Aquilia, Licinia, quales nullæ feruntur hodie populi potestate in principe translata lege regia, et consequenter nullæ sunt positæ leges de ambitu, quoniam nulli candidati circumveniunt populum: nam creatio magistratuum pertinet ad curam principis, *l. 1. D. ad l. Jul. de ambitu*, *l. Quidam. D. de re judic. l. 2. D. de albo scrib.* quare constitutiones principum hodie leges esse constat, *l. 1. D. de constit. principum*, quod principi placuit legem esse constat, scilicet post legem regiam, quæ omnem populi potestatem transfudit in principem, cujus placita propria leges dicebantur. Denique constitutiones principum leges esse constat, rescripta dico, subscriptiones, adnotationes, pragmaticas, decreta, mandata, interlocutiones, orationes, edicta, et decreta quidem rescriptaque, et interlocutiones sunt leges, si quid in aliquo negotio, litteve interlocuti sint, sunt leges, videlicet si ut ait Leo, animus fuerit principi τὸ ἀρέσκον πᾶσιν νομοθέτημα, si quod princeps decreverit, voluerit generaliter obtinere: alioqui quod princeps judicavit inter personas certas non valet inter alias, non magis quam aliorum judicium, secundum illam rationem, ut res inter alios judicata aliis neque noceat, neque prosit: sed si animus fuerit principi in cognitione causarum facere legem generalem, quod in causa una judicarit, utique erit lex generalis, vel si, ut ait *l. 3. eod.* tit princeps censuerit ea, quæ in certis negotiis statuta sunt, civilium quoque causarum fata componere: vel etiam si de iis orationem miserit ad senatum, ut quod sibi placeret firmaret senatus, et firmaverit: ejus generis multæ orationes referuntur in libris nostris, in l. 1. *C. Theod. de oratione, quæ scribitur ad senatum*: legendum est, *hac oratione*, non, *ordinatione*: ac vero ex in *l. 8.* constituunt Impp. ut princeps nullam generalem legem proferret inconsulto senatu; secundum eam si observaretur, leges omnes generales principum, orationes appellari possent: nam prius ex sententia ejus legis principes habere dicunt orationem in senatu per se, aut per alium, ut quod sibi fieri placet, exquirat, nec aliter id promulget, quam si suam consensionem senatus adhibuerit. Denique nulla est generalis lex principis sine Senatusconsulto. Sed non fuit observata semper ea lex 8. leges etiam principum generales sunt, ut ait *d. l. 3.* si eas principes edicti nomine nuncupaverint: nam hujus nominis vis hæc est, ut edicta, sive leges edicti nomine nuncupata per omnes populos divulgetur, promulgetur in celeberrimis locis: in foro, vel etiam in Ecclesia, vel ut in sacris scriptoribus legimus theopropia: in suggestu scilicet illo, vel pulpito, unde Christianis recitatur verbum Dei, quod est anteferri in *l. Rescriptum. C. Theod. de hæred.* Et sæpe invenies in constit. principum adnotatas fuisse leges illo, vel illo die: subscribitur scilicet non tantum quo die fuerit data, sed et quo die accepta a judicibus et populis, et quo die antelata, programmate scilicet proposito in celebrioribus locis: hæ leges sunt generales, hæ sunt de quibus h. t. agitur, quæ omnes populos tenent, *l. 3. §. Divus. de sepulc. viol.* generalia rescripta in eo loco vim obtinent. Igitur etiamsi in aliqua civitate mos hic sit, ut in civitate id servetur, quod velint rescripta, valeat in omnibus civitatibus, etiam in eis, in quibus mos invaluit contra rescripta generalia, antequam ea emitteret princeps, leges novissimæ emendant leges vetustiores, et si generales sint, ad omnes populos pertinent, non ad Paganos tantum sed et ad milites, *l. ult. D. de accusat.* et rescriptum, ut ubi crimen contraxit, ibi peragatur reus, etiamsi sit alterius provinciæ; obtinet etiam in militibus, quoniam generaliter ita rescriptum est, pertinent quoque ad homines domus Augustæ *l. 10. h. t.* quæ est Græca, imo et ad Augustum ipsum, et ad Augustam, *l. 4. sed. tit.* princeps vicem gerit populi; populus suis legibus tenetur et princeps igitur legibus teneatur oportet exemplo populi: omnes autem leges, quæ in corpus juris referuntur, fere generales sunt, paucæ speciales, sive personales, quæ ad personas, et corpora, et Collegia certa, vel officia, vel scrinia, vel civitates, curias, provincias scholas certas pertinent, quæ etsi non relatæ sint in corpus juris, nihilominus vim suam et robur obtinent, ut est in constitutione Justin. *de C. Just. confir.* tamen omnes non tenent, *l. 2. h. t.* ut hæc differentia legum, ut observetur sæpe monent juris auctores leges generales esse, leges edictales esse, quod idem est, generalia esse rescripta, *l. Pap. §. ult. D. de minor.* si hæres rogatus sit servum manumittere, et latitet ne manumittat, et evertendæ fiduciariæ libertatis gratia, jus patronatus amittit, quod sit generali rescripto esse constitutum, *d. l. Pap.* et *l. Quotiens. §. Sed si non in corpore. D. de hæred. instit.* si quis non arverit in corpore hæredis, sed in parte hæredis scripti, ut si is, quem dictavit hæredem scribi ex semisse, scriptus inveniatur ex quadrante, nihilominus erit ex quasi plus dictum sit, minus scriptum, quod ait generalibus rescriptis adjuvari: idem in *l. Divi. §. ult. ad leg. Falcid.* Si hæres, a quo legata relicta sunt frustationis causa, ut ait, id est, moræ contrahendæ causa, implorans auxilium legis, allegans locum esse legi Falcid. exhaustam scilicet esse, vel oneratam hæreditatem legatis, velit quadrantem Falcidianum præcipere, debentur usuræ ab eo tempore, quo abusus est nomine legis Falcidiæ, ut frustraretur, et differretur legatarius: nam est generaliter constitutum in actione legatorum, quamvis non sit bonæ fidei, usuras venire ex mora hæredis, *l. 2. C. de usuris legat.* Recte monent juris auctores quæ sunt generalia rescripta: nam pleraque sunt personalia, sed et his tit. ut dixi, et hi libri juris continent fere edictalia rescripta, et observandum est, in hoc tit. dari legibus ipsis præcepta quædam, et illud maxime notandum, quod antea retulit Theod. et Val. ut nullam edat leg. princeps inconsulto senatu, ut leges principis omnes generales sint. Jam dixi, leges posse nuncupari orationes ad senatum: item ut verba omnia sint perspicua et clara non ambigua, quæ est sententia l. 9. qua de re Demosthenes contra Timocratem. Item ut quæ contra leges, vel in fraudem legum fiunt, ipso jure nulla sint, etiam sacramenta, quæ est sententia *l. 5. eod. tit. l. Jubemus. §. Sane. inf. de sacros. Eccles.* ut item futuris negotiis leges formam statuant, non præteritis, ut ferantur in futurum, non in præteritum, *l. 7. eod. tit. l. 7. C. Theod. de hæret.* quare judex dicitur a lege distare: nam judex statuit de præteritis, lex de futuris. Plato in Theæt. ἐπὰν νομοθετώμεθα, etc. eas ferimus in sequens tempus. Idem Demosthenes contra Timocratem, et postremo *l. 6. hoc tit.* constituitur, ut leges pro quibusdam scriptæ contra eos non valeant, cujus rei exemplum habes *l. Generali. §. ult. inf. de secund. nupt.* et constitutum pro liberis prioris matrimonii, ut mater, quæ morte viri soluto matrimonio venit ad nuptias secundas, bona paterna, quæ ad eam pervenerant tit. lucrorum nuptialium, ea servetur liberis prioris matrimonii, quasi eorum liberorum propria, hæc constitutio non potest conferri in perniciem eorum liberorum, ita scilicet ut si repudiaverint hæreditatem paternam, ea bona, id est, bona nuptialia non possint obtinere, quia sunt paterna, et ipsi paterna repudiaverint, non utemur ita lege pro liberis lata contra liberos; imo repudiantibus liberis bona nuptialia, quæ a patre ad matrem eorum pervenerant, obtinebunt jam non quasi paterna, sed materna. Si hæreditatem matris non repudiaverint, obtinebunt quasi paterna, si hæreditatem patris adierint, obtinebunt quasi materna, si hæreditatem patris repudiaverint, et matris adierint, aut certe si parentibus utriusque hæreditatem repudiaverint, non obtinebunt. Ea fuit pia illa constitutio, ut pater, qui venit ad secundas nuptias, conjugis bona, quæ jure nuptialium instrumentorum consecutus, vel consecutus est, servet liberis prioris matrimonii: nam sæpe, quæ veniunt ad secundas nuptias, et novis maritis addicunt vitam prioris matrimonii liberis, omnemque affectum transferunt in liberos secundi matrimonii: quare eorum improbitas fuit legibus coercenda. Verum quod ita est pro liberis constitutum, non debet verti in eorum per-

eiciem, spectanda est misericordia, et providentia legis, et ita et scribit Æmilius Probus, cum Epaminondes legem Reip. causa istam videret ad perniciem civitatis tuluit convertere, et Quintil 271. Declam. *Lex quæ pro me scripta erat, non potest contra me valere* Quod ad multa negotia potest accommodari. Hæc sunt, quæ ex eodem tit. potissimum vos adnotare volui. Sequuntur in eius tit. aliæ partes juris civilis, vel species constitutionum principis, ut in tit. 15 de mandatis principum, et deinde de Senatusconsultis alia parte juris civilis in tit. 16. et de responsis prudentorum in titul. 17. de veteri jure enucl. quos explicabimus die crastina.

Dicimus principem quemque suis legibus obligari ex *l. Digna vox. eod. tit.* quod ne videatur pugnare cum *l. Princeps. D. de legibus*, ubi sit principem esse solutum legibus, quando hi heri prætermisimus, nunc paucis ostendam, ut ea lex accipienda sit. Certe omnes fere hujus legis sententia abutuntur; nec error est obscurus, nimirum si animadvertamus eandem desumptam esse ex lib. 13. Ulpiani ad l. Jul. et Pap. quæ dicuntur caducariæ, factæ in rem fisci, per se odiosæ, quarum caput hoc unum est, ut si post mortem testatoris legatarius moriatur antequam dies legati cedat, vel etiam si vivo testatore moriatur legatarius, ut nec ad hæredem transmittat legatum, nec remaneat apud hæredem, sed fisco cedat quasi caducum, fateor ita legibus solutum esse principem, non tamen solutum esse omnibus, ut in *l. Quod principi. D. de leg. 2.* si legatum relictum sit principi, et vita exeat antequam dies legati cedat, non fit legatum caducum, sed ad successorem pertinet, hoc est princeps ἀλύτος est legibus caducariis, non est etiam solutus lege Falcidia: nam si ei sit legatum relictum, patitur Falcidiam, *l. 4. C. ad l. g. Falcid. l. Pap. §. Si imp. de inoff. test.* non lege Voconia: qua de causa Augustus petit a Senatu veniam legis Voconiæ, apud Dionem, et ita etiam lex *Princeps* non dicit, principem solutum esse omnibus legibus, sed legibus iis scilicet, de quibus legem accipiendam esse docet inscriptio, ut est, Julia et Papia. Ne igitur deinceps, quod de certis legibus scriptum est, trahamus temere ad omnes. Similis fere error occupavit omnes, nescio an vere dicam interpretes juris ob verba, *l. 1. D. de leg. 1.* per omnia, accepta generaliter, exæquata sunt legata fideicomm. id est, nullam esse differentiam inter hæc duo, quod est ex Ulp. et tamen constat innumeras fuisse differentias tempore Ulpiani ac sequent. etiam usque ad Justinianum semper, ut sane etiam non dicit per omnia, et in omnibus, ut *l. 2. §. pen. D. de jure fisc. furiosus per omnia, et in omnibus absentis loco habetur*, ergo legata sunt exæquata fideicommissis per omnia, sed in quibusdam, non in omnibus, sed in Falcidia, de qua tractabat Ulpianus lib. 67. ad edict. unde ducta est *d. l. 1.* Igitur hæc est mens legis: in lege Falcid. et per omnia exæquata sunt legata fideicommissis: nam ea lex in utrisque locum habet. Et ut ego potefeci quodam loco, quæcumque imputantur in Falcidiam, quæ detrahitur ex fideicommissis, eadem imputantur in Falcid. quæ detrahitur ex legatis, et male tracta est causa imputationum differentia ex *l. 3. 4. ad leg. Falcid.* ac si non eadem sit habenda ratio imputationum in Falcidia fideicommissorum, maxime fiduciariæ hæreditatis, atque in Falcidia legatorum, quod est falsissimum: nam per omnia sunt exæquata fideicommissis, vide Obs. VIII. 4.

Ad Tit. XV. De mand. principum.

Ex constitutionibus specialibus principum sunt privilegia et decreta interposita in negotio aliquo, ita ut in exemplum non trahatur, *l. 2. sup. de legib.* e constitutionibus specialibus sunt etiam mandata principum, id est, præcepta sive monita, quæ certis personis dantur a principe, veluti legatis, et præsidibus, qui mittuntur in provincias, *ou leur baille, leur leçon*, ut hoc agant, illud prætermittant, nec proficiscitur legatis, vel præses sine mandatis, quæ sequi debent, nec in migrare solet temere, vel etiam sunt jussiones, quæ a principe dantur Consistorianis militibus, *l. 1. hoc tit.* quæ est de iis accipienda, vel de Tribunis, et Notariis executoribus imperialium jussionum, et jussiones, quæ dantur Referendariis sacri Palatii perferendæ ad præsides provinciarum, quæ nisi constent ex scripto, nullius momenti sunt, *d. l. 1.* mandata secreta principis non valent, *les secrets ne valent rien.* Excipitur unus casus in *l. 2. eod. tit.* quæ est Græca, si princeps det judicem certum in lite aliqua speciali, vel si judici adjungat collegam συνδικαστὴν, vel si velit acta quidem edi judicialia, ai nuntiet, ut lis aliqua celeriter finiatur: hæc enim mandata præsides accipiunt ex ore principis, vel ex relatione Quæstoris *le Chancelier*, aut Referendariorum sacri palatii, *des Maistres de Requestes*, et valere etiam nulla scriptura interveniente, ut in Nov. 124. quæ est sententia l. 2. quam exposui Observ. 12. 31. et est stultus, qui pro ea reposuit Justin. Novellam 17 de mandatis principum, quæ fuit emissa post editionem Codicis.

Ad Tit. XVI. De Senatusconsultis.

Sequitur alia pars juris civilis in titul. 16. Senatusconsulta, id est, jura quæ facit Senatus, sunt decreta amplissimi ordinis, quæ atque omnes tenent, perinde atque Constitutiones principum; recte igitur in *l. 2. D. ad Senatuscons. Velle. quod de ea re fieri placeret, et de ea re universi ita consuluerunt*, recte, cum et consulta Senatus dicantur, Tertullianus in Apolog. *Ita Senatusconsulit*, stulti sunt qui malunt, *censuerunt*. Denique consulere commune est verbum, eum consulit qui interrogat Senatum, unde illud *consul consule*, apud Trebellium Pollionem: et Senatus quoque consulit, id est, judicat, statuit, decernit, et idem est censere quod Festus interpretatur *decernere*, ut plane nihil interest dicas, *censuerunt*, vel *consuluerunt*, Novella Leonis 78. vetat ne in posterum Senatusconsulta fiant, ut Senatus jus non faciat scilicet quia omnis potestas Senatus erat translata in principem. antiqua Senatusconsulta manent, ut leges antiquæ, et ut hic ostenditur, contra ea elicita rescripta, velut contra Senatusconsultum Vellejanum, aut Tertull. non valent, imo si uteremur *l. 8. sup. tit. 14.* nulla lex generalis principis valeret sine Senatusconsulto.

Ad Tit. XVII. De vet. ju. enucl. etc.

Sequitur alia pars juris civilis, responsa, et interpretationes Jurisconsultorum veterum, qui ab imperatoribus scilicet potestatem acceperant condendi juris, respondendi, scribendi, cavendi, interpretandi. Hinc varia nomina Jurisconsultorum: nam conditores, et auctores juris, et interpretes legum, et consulti legum, aut juris dicuntur. Aliorum enim, qui eandem potestatem ab imperatoribus non acceperunt, nulla est auctoritas, nec eorum scriptis judices alligantur, cum tamen a supradictorum scriptis non possunt recedere, *§. Responsa. Inst. de jure nat.* quia sunt pars juris civilis, et eleganter Justin. *l. ult. sup. de legib.* dum sibi vindicat Jurisconsultis parem auctoritatem, nihil tamen se derogare eis ait, qui hanc facultatem consulendi juris olim ab imperiali majestate impetraverunt. Jubet autem Justin priori constitutione hujus tit. in Digestorum libros L. Tribonianum, et eos, quos sibi in opere conficiendo adjutores delegerit, antecessores scilicet id est, Doctores, professores juris, et togatos amplissimæ præfecturæ, et qui in foro præfectorum prætorio causas agitant: Tribonianum, in quam, horum ope fretum, quos ipse delegerit in conficiendis Pandectis necessaria quæque, et usu recepta illas libros conferre ex veterum illorum scriptis, atque ita, ut ipse loquitur, jus vetus purgare et emendare. Jus enim vetus vocat antiquam prudentiam Jurisconsultorum. De Institutionibus etiam conficiendis in priore constitutione aliquod aspergit posterior constitutio utraque lingua conscripta confecto jam opere Digestorum, enarrat quicque quaque parte Dig continentur Ob id omnia ejus prælectio est summopere studiosis necessaria, et utrique operi Digestorum, et Justin. porro atque Codicis constitutionibus vim tribuit, fidem, robur, et pondus: neque enim jam dicimus responsa prudentum vim legis obtinere, perlatæ scilicet ad populum, quod olim dicebatur, sed translata populi potestate in principem, et principe sibi soli vindicante auctoritatem condendi, et interpretandi juris, *l. 1. l. 9. l. pen. et ult. sup. de legib.* Dicimus jam responsa veterum Jurisconsultorum, ut Senatusconsulta vetera vigorem constitutionum obtinere, et quod ait in *hoc tit. de auct. jurisprudentium.* qui in Digestis referuntur, eo pertinet, quod præcipuo in priori constitutione continetur; ut omnium Jurisconsultorum veterum, ex quorum libris confectæ sunt Pandectæ eadem sit auctoritas, nec sit alter potior altero, nec Papiniano puta cedat Ulpianus abrogata *l. 1. C. Th. de responsis prudent.* quæ Papinianum præferebat ceteris, et abrogabat notas factas in corpus Papiniani ab Ulpiano, et Paulo, et si quando inveniebantur pares sententiæ Jurisconsult. puta ex una parte tres, et ex altera totidem ut ea pars vinceret, in qua esset Papinianus, qui ut subtilitate est. sicut singulos vincit, ita cedit duobus, id est, non vincitur nisi a duobus; hanc præeminentiam Papiniani, hoc privilegium ademit constitutione priori, ut omnium auctorum juris eadem esset auctoritas. et decrevit, ut ex notis ad Papinianum decerperentur etiam necessariæ, et usui futura.

Ad Tit. XVIII. De jur. et facti ignorantia.

Enarratis vero partibus juris civilis, subjicit generalem tit. de juris et facti ignorantia: juris enim nomen complectitur leges, constitutiones, et Senatusconsulta, et responsa prudentum, adeo ut in *C. Th. l. 1.* quæ hic est pen. sit posita sub tit. de constitutionibus principum, et edictis, et forte non male hic jus accipiemus specialiter pro constitutionibus principum, vel si quid constitutionum vigorem habet. Et summa tituli hæc est juris ignorantiam neminem excusare, et si nescieris liberis petendam esse bonorum possessionem intra annum, hæc ignorantia te non excusat: nam si cum esses ex liberis defuncti, non petieris bonorum possessionem, jus tuum amittis; et si pergas petere, obstabit præscriptio temporis: vel etiam si nescieris legata ex testamento non deberi, quod postea quam testator capite minutus est, irritum factum est: nam si ea legata ignarus solveris, non poteris repetere: ignorantia juris non præbet repetitionem indebiti, excusat tamen militem, et militem, qui sequitur signa, non dimissum militia, sed eum qui in strepitu belli jus civile audire non potest, vel reminisci: qui consulere de jure prudentes non potest. Item excusat minorem 25. annis, et mulierem in damnis amittendæ rei suæ, non in lucris, *l. 2. eod. tit.* Error facti, id est, ignorantia rei excusat honeste omnes, facile est jus nosse, leges, constitutiones principum, et licet consulere; facta incerta sunt, nec licet capessere cuivis rerum gestarum veritatem. Sed ut inanioter vobis legem aliquam ex hoc tit. explicatam relinquam, sumam *l. 5. Cum falsa.* velim vos eandem legem indistincte accipere de errore juris, et de errore facti, ut sive errans in jure, sive errans in facto dixeris paternum esse id quod erat in bonis materna et contra, ut is error qualis qualis tibi non noceat: nam et error juris nocet in damnis, ignorantia juris nomine in lucro efficit aut præmio, sed non afficit etiam damno. Igitur si vel juris, vel facti errore ductus, atque traductus dixeris paterna esse bona, quæ sunt materna, non oberit tibi, nec mirum: cum si sciens prudensque dixeris paterna esse, quæ sunt materna, nihil tibi præjudicas, nec mutas dominium bonorum maternorum, quod habes: non nudis pactis, sed traditionibus mutantur dominia, *l. Traditionibus. C. de pact.* et proprie *lex Cum bonis.*

de acquir. hæred. huc pertinet: ubi erat consilium abstinere a bonis paternis, et suscipere materna: dixisti quidem bona, quæ erant materna esse paterna, vel errans, vel sciens: hæc tibi oratio tua prudens inconsultave non præjudicat.

Ad Tit. XIX. De precibus Imperatori offerendis, et de quibus rebus supplicare liceat, vel non.

Hic tit. 19. persequitur eam partem juris civilis, qua præcipue hic liber constat, quæ conficitur ex principum constitutionibus; quarum species sunt edicta, mandata, rescripta, *l. 3. sup. de legibus*: nam de edictis quidem et mandatis habuimus proprios tit. sup. de rescriptis non item. De iis igitur tractare incipit ab hoc tit. nam preces sunt desideria supplicantium comprehensa libello principi dato, et rescripta sunt responsa principis ad preces. Preces igitur præcedunt rescripta, sequuntur subscriptiones, adnotationes, vel subnotationes principum. Et ideo de precibus prius agit: sed quicquid constituitur de precibus, idem obtinet in rescriptis: nam quod precibus oblatis postulari non debet, nec impetrari rescripto, aut etiam impetratum non valet: idemque e contrario, si quid postulari possit, et id impetrari rescripto possit, et hujus propositionis varia exempla hic proponuntur, ut exempli causa, creditor non potest postulare ne debitor adversus eum utatur exceptione peremptoria, quæ scilicet debitorem prorsus liberat vel ne utatur doli mali exceptione, quæ extinguit et civilem et naturalem obligationem, vel ne utatur rei judicatæ exceptione, qua sit absolutus debitor, neve utatur exceptione pacti conventi perpetui; id est, ne omnino petatur, *l. 2. h. t.* quoniam hæc sine gravi debitoris dispendio impetrari non possunt, ut v. g. exceptio peremptoria rescripto principis convelli non potest sine gravi dispendio debitoris, qui ea fretus se jure liberatum contendit: et hoc perinde est, ac si creditor postularet, ut sibi liceat petere, quod amplius non debetur igitur et hoc rescriptum si impetraverit, sane nullum est. Item reus condemnatus sententia præfecti prætorio, non potest iterum supplicare: nam præfecti prætorio gerunt, ut ajunt speciem omnium bonorum, sed licet supplicare principi oblato libello contra sententiam præfecti prætorio, et supplicare semel tantum, non iterum: nam si supplicavit quis semel contra sententiam præfecti prætorio, qui eum damnavit, et iterum condemnatus sit retractata causa per libellum principis, non admittitur iterum supplicans: semel igitur tantum supplicatio permittitur, semel ex rescripto principis iterari retractari judicium potest, *l. 1. inf. de sententiis præf. prœt. l. 1. Cod. Theod. de offic. præfect.* non est grave vel semel judicium retractare, *c. grave* 35. *q.* 9. unde ut sit in eo canone, his iterum agitata magis splendescit in jure, et qui reos deprehenditur, magis ostenditur esse dignus condemnatione, et quodam odio, fructus divinus est, inquiunt, iterare judicium. Item non possunt postulari per libellum a principe, quæ sunt fisco damnosa, vel quæ sunt juri publico contraria, quibus læditur alius, *l. 3.* nam quod prodest supplicando, et nocet, nemini, hoc facile impetratur, *l. pen. eod. tit. l. 2. § Quanquam. D. de aqua plu. arc.* quod lædit alterum postulare, aut impetrare non licet, non consentiente altero, ut libertus non postulat restitutionem natalium sine consensu patroni, *l. ult. D. de natal. rest.* adoptio non jure facta non confirmatur a principe, nisi sciscitatis iis, qui læderentur confirmatione adoptionis, *l. Nam ita. D. de adopt.* et hoc jure consequenter superioribus omnibus, hodie ut naturalis filius non fiat legitimus nisi vocatis, agnatis, quorum interest: ad ea igitur, quæ supplicare non licet, nec impetrata rescripta valebunt si quis temere supplicaverit: at e contrario postulare licet ne debitor utatur præscriptione dilatoria, sive temporali: hoc non male postulabit creditor, videlicet ne sibi suum prærequenti moram adferat, quia competit debitori exceptio dilatoria modici temporis forte. Finge: debitor habet exceptionem pacti temporarii, id est, ne intra annum, verbi gratia, ab eo petatur, quam pactionem sequi creditorem oportet, sive partus sit ipse, sive is cui hæres extitit, sed remitti potest rescripto principis: qui quandoque concedit creditoris favore, ut citius perveniat ad jus suum, *l. 2. eod. tit.* secundum quam est accipienda *l. 3. §. Si is pro quo. D. quod quisque juris*, fingit Jurisconsultus illo loco, creditorem impetrasse, ne debitor uteretur adversus se exceptione: locus ille est accipiendus de exceptione dilatoria, quia ne debitor utatur exceptione perpetua, hoc vero neque postulare, neque impetrare potest: et si impetratum sit, non valet. Igitur eo loco ita fingenda est species, ut impetraverit creditor, ne suo debitori, uti liceat adversus se exceptione dilatoria, nec ipse, nec fidejussor ejus, et oblata satisdatione debitor potest postulare, ut sibi prorogetur tempus solvendæ pecuniæ, ut si verbi gratia intra biduum solvere debeat, prorogetur illi tempus, quo conquirat pecuniam, et dissolvat, *in repet. ou quinquennal*: nam in quinquennium plerumque prorogatur exactio crediti, quod est ita proditum in *l. 4. h. t.* et harum induciarum est exemplum 2. variarum Cassiodori. Sæpe egestas debitorum, vel ruina fortuita, in quam debitor incidit, cogit principem ad concedendum veluti justitium quoddam, intra quod non possit exigi a creditore, et hæc rescripta sane valent: etiam additur in hoc tit. preces offerri posse per quemlibet hominem principi etiam patrone aditum servis ad principem per libellum, quod notandum. Et nomine alieno, vel suo nomine ex justa causa, veluti necis domini vindicandæ, *l. 1. et l. 6. hoc tit.* Item constituitur, exempla instrumentorum, de quibus agitur, non esse admodum necesse libello inseri, et vero ipsa exempla instrumentorum, quæ in disceptationem veniunt, plerumque præstat inseri, ut in *l. Ut responsum. inf. de transact. ut responsum congruum accipere possis, insere pacti exemplum*, quæ vox est frequens in ore Jurisconsultorum cum de jure consuluntur, *qu'on montre leur patentes*, sed *l. ult. eod. tit.* rectissime ait, non tam esse necessarium precibus inseri exempla, quam vim et mentem eorum ob ea verba, de quibus sæpe ambigitur, non integrum tenorem, sive contextum instrumenti, quæ omnia sane notanda sunt.

Ad Tit. XX. Quando libellus principi datus litis contestationem facit.

Tit. 20. est etiam de precibus, sive libello precum, ad quem rescripsit princeps. Ergo et de rescriptis: et hoc vult, libellum precum, *requeste*, principi datum pro litis contestatione haberi, si modo ad eum rescripserit princeps: nam inanis est libellus sine rescripto quis est effectus hujus rescripti? hic nempe, ut datione libelli, et rescriptione perinde atque litis contestatione actiones morte, aut tempore perituræ (sunt enim actiones quædam temporales, quæ non transeunt in hæredes) in tutum redigantur, ut ait *l. Ordinata. de liber. cau.* ut scilicet perpetuentur, atque adeo hæredi, et in hæredem dentur: litis contestatio perpetuat actionem temporariam, aut quæ morte rei erat peritura. Idem efficit libellus principi datus. Itaque libellus principi datus habet vim litis contestationis, quod non ita obtinet in libello dato præfecto prætorio, *l. 1. inf. de off. prætor. Orientis*, et multo minus libellis datis aliis magistratibus, vel judicibus inferioribus: et rursus de libello principi dato, quod diximus, ut pro litis contestatione habeatur, Just. in *l. 2. h. tit.* vult tantum obtinere in actionibus prætoriis annalibus, quales sunt prætoriæ fere omnes: nam et ipsius prætoris imperium erat annale. Quando igitur libellus principi oblatus pro litis contestatione habeatur si quæras, dicam quando est actio prætoria annalis, quam actor vult impetrare, non quando est civilis: nec offendor *l. 2. inf. de annali except.* quæ non loquitur de libello precum, sed de libello querelæ, et protestationis præsidi dato, qui tunc datur cum nemo est, qui conveniri et interpellari possit; hunc libellum querelæ, et protestationis, constat haberi pro litis contestatione, *l. 2. D. de nov. fen.* et ad summam, præscriptio temporis interrumpitur litis contestatione, libello principi dato, si actio fuerit prætoria annalis. Interrumpitur libello querelæ, et protestationis, si non extat qui conveniatur: imo interrumpitur etiam libello conventionis, quo quis vocatur in jus, conventione executoris, vel viatoris. *l. Sicut. l. Cum notissimi. de præscript. trig. annorum. l. ult. inf. de annali except. l. 2. ub. in rem actio exerc. deb.* Interrumpitur etiam præscriptio temporis interveniente pupillari ætate, ut si creditori succedat pupillus, *d. l. Sicut.* et *d. l. Cum notissimi.* Interrumpitur autem præscriptio adversus actionem hypothecariam, si creditor pignus teneat medio tempore. Interrumpitur detentione creditoris, *d. l. Cum notiss. inf. §. Imo*, interrumpitur etiam agnitione debiti, nova cautione, novo chirographo, novatione, *§. Sed et si quis, d. l. Cum notissimi*: interrumpitur et solutione partis debiti, *l. ult. inf. de duob. reis*, et datione fidejussoris, ut non male videtur sensisse Accurs. in *l. Cum quis. § pen. D. de solut.*

Ad Tit. XXI. Ut lite pendente, vel post provocationem, aut definitivam sententiam nulli liceat Imperatori supplicare.

Est etiam hic tit. de precibus, et de rescriptis: et satis fuisset meo judicio eum ita concipere: ut lite pendente, vel post definitivam sententiam nulli liceat Imperatori supplicare: nam satis prohibetur supplicare post provocationem interpositam, qui prohibetur supplicare lite pendente, et post provocationem omissam a condemnato acquiescente sententiæ, is satis prohibetur supplicare, dum prohibetur supplicare post definitivam sententiam: ut brevior summa hujus tit. hæc sit, ne lite pendente de re, qua de agitur, cuiquam liceat supplicare, ut in Nov. 62. et 113. sed ut expectetur sententia judicis, apud quem litigatur, et quod est altera pars hujus tit. ut definitiva sententia, quæ non est appellatione rescissa, rescripto non retractetur, etiamsi preces oblatæ fuerint principi ante definitivam sententiam: nam etsi quando appellare non possis, supplicare possis, veluti contra sententiam præfecti prætorio, non tamen ubi possis appellare, nec appellas intra tempora constituta, licet postea supplicare aut quod supplicavi ante, de eo rescriptum impetrare: docuit tit. 19. quæ non liceat supplicare, hic tit. docet, quo tempore non liceat.

Ad Tit. XXII. Si contra jus, vel utilitatem publicam, vel per mendacium fuerit aliquid postulatum, vel impetratum.

Sequitur alius titulus de rescriptis: si contra jus etc. in h. tit. repetitur l. *ult.* quod satis fuerat expositum tit. 19. l. 3. non valere scilicet preces, aut rescripta contraria juri, vel utilitati publicæ, quod et in multis aliis locis ostenditur, *l. 10. sup. de sacros. Eccles. l. ult. sup. de Senatusc. et Nov. Valent. in publicum damnum non valere rescripta, quæ sunt contraria juri vel auctoritati publicæ.* Et constat obreptitia rescripta inutilia esse: sed additur h. tit. ne etiam preces mendaces, aut per eas elicita rescripta recipiantur, quod est proximum crimen falso, *l. Si quis obrepserit. ad l. Cornel. de falsis.* Et recte Augustinus in Evang. Joannis: *jura esse forensia, ut si quis in precibus mentitus sit, non illi prosit quod impetravit.* Judex tamen ex

rescripto datus, quam quis elicuit oblatis precibus mendacibus et falsis, alique ex parte judex manet. ut ostenditur in *l.* 1. et 2. *h. t.* etiamsi veritatem dissimulaverit, id est, non est quidem hoc rescriptum per omnia inutile: nam ut judicis datio valet, impetratio non valet.

Ad Tit. XXIII. De diversis rescriptis, et pragmaticis sanctionibus.

De precibus supplicantium egit superioribus tit. 4 consequens erat agere de rescriptis ipsis principum, de quibus superioribus titulis pleraque definiuntur: ut si duo in communi causa preces obtulerunt principi, et in persona unius suum rescriptum conceperit princeps non in personam amborum, et tamen beneficium rescripti prosit utrique, quia causa est communis, quod obtinet, etiamsi ex duobus unius appellatio recepta fuerit, unusque egerit causam appellationis, *l.* 1. *si unus ex plurib. appel ar.* Constituitur etiam, ut rescripta, quæ ad jus pertinent, id est, quæ redduntur iis, qui de jure consuluerunt principem, rescripta, quæ jus faciunt, ut sint perpetua, nec anno finiantur, *l.* 2. *h. tit.* quod latius explicat *l.* 2. *Cod. Theod. eod. tit.* ut scilicet morte imperatoris rescriptum non extinguatur, ut possit allegari ab hæredibus, et pro hæredibus, nec extendatur temporibus, nec aboleatur eorum veluti morte impetrantis, jure veteri rescripta videntur fuisse annalia in singulorum rescriptis, et hoc jure utimur: nam rescriptum post annum non prodest, nec potest allegari: *il est suranné*. et *l.* 3. constituitur, ut ipsa rescripta authentica, id est, originalia, judicibus insinuentur, non exempla. non judices rescriptorum; et *l.* 4. ut non valeant rescripta sine die et consule, si sint beneficia personalia, quod etiam de ordinationibus Episcoporum cautum est Concilio Milevitano, ut non valeant sine die et consule: ut scilicet intelligatur, qui priores, qui posteriores ordinati sint, ut ex ordine, vel serie ordinationis inter Episcopos servetur dignitatis ordo ac prærogativa: ordinationes igitur Episcoporum, codicillos dignitatum, et beneficia quæcumque personalia non valere sine die et consule: generalia rescripta, maxime quæ in corpus juris relata sint, valent etiam sine die et consule, ut constat ex constitutione Justin. *de nov. Cod. fac.* et *de Justin. Cod. confirmando*, de quibus August. in coll. 3. diei cum Donatistis: *Ecclesiasticis constitutionibus definitum est, Imperialia constituta, etsi consules non adscriberentur, in dubium non vocari.* quod de generalibus est intelligendum non de personalibus in constitutionibus juris: privilegiis personalibus exactior cura observatur, quæ sunt extra ordinem juris publici, etiam de iisdem beneficiis precibus extortis agitur in *l.* 2. *h. t.* de beneficiis scilicet, quibus conceduntur administrationes, vel dignitates. erant quædam beneficia principum, quæ sic proprie dicebantur; alia quæ ultro ipse sua indulgentia impertiebatur. de quibus dicitur ea esse plenissime accipienda quæ ex spontanea benignitate principis accipiuntur, *l. pen. D. de constit. princ.* nos hic agimus de beneficiis, quæ supplicantibus conceduntur, veluti tribunatu militari, centurionatu, ut Sveton. ait in Claudio, *aux bénéficiers ou*, præpositura, aut præfectura alique militari, aut civili, quæ propria dicebantur beneficia, etiam apud Ciceronem in 5. et 7. Epist. de tribunatu nominatim, et centurionatu, et apud Lampridium in Alexandro Severo, et idem Cic. pro Archia poeta, ea beneficia deferri in ærarium principis, id est, inseri tabulario: Et Hyginus de limitibus constit. ait, adscribi beneficiorum libro: nam in ærario erat liber beneficiorum, de beneficiis d. lex 5. ait, ne a judicibus rejiciantur, se ne contemnantur, sacrilegii esse instar ea non admittere, nec promulgare velle. Et sequitur in l. 6. de rescriptis, quæ non sunt subscripta encausto sacro, ut ait, ut manu principis, ut etiam l. 3. ut hæc non valeant, et encaustum vocat picturam, vel colorem potius, quo solebat princeps sua manu suum pingere nomen, et conficiebatur purpura incocta *de teinture rouge, ou cinabre*: incocto murice, ut ait, tinctoque conchilio, et ardore, sive lumine purpuræ: ut *encausto* malo dicere, quam encausto; quod ita semper legi in omnibus libris scriptis, et in glossis encaustum, ἐγκαυματικόν, coctus murex, et ait hic tit. de diversis rescriptis: nam ex his, quæ recensui alia jus faciunt, alia non faciunt, alia rescribuntur ad jus, alia ad factum, alia sunt personalia, alia generalia, alia sunt temporalia, alia personalia: ut si comprehensum sit certum tempus intra quod debeant allegari, hoc finiuntur tempore, l. 2. alioqui sunt perpetua, alia valent, alia non valent, alia sunt adnotationes, vel subscriptiones ad libellum breves *l.* 1. *sup. de prec. Imper.* alia sunt Epistolæ, *l.* 12. *C. Theod. de Episc. et cler.* dum ita Imperator rescribit. Imper. ille L. Titio salutem, et subscribit data Epistola, aliæ sunt pragmaticæ sanctiones, sive jussiones. Dicuntur etiam pragmaticæ, hoc pragmatico constituimus. Pragmatica est tractatus, ut tractatus de subscriptionibus, *c'est un long discours*, et inde nomen accepere pragmaticæ sanctiones, quibus scilicet tractatu, et consilio adhibito princeps diligentius effusiusque respondet ad preces, vel relationes; vel suggestiones judicis, vel aliorum, quod licet cognoscere ex multis pragmaticis, quæ sunt in eodem Cod. atque in Novellis aliorum Impp. et in rescriptis quidem alias preces inseruntur, et subjicitur subscriptio brevis. In pragmaticis non solebant inseri preces, solebat tantum eorum precum vel relationum mentio fieri: nam plerumque pragmaticæ jussiones fiebant ad suggestionem et relationem magistratuum, vel etiam corporis alicujus, veluti corporis advocatorum. D. August. in suprad. collatione, *in pragmatico rescripto preces inseri non solere.* De omnibus rescriptis etiam illud generaliter constituitur *l. ult. eod. tit.* ut non valeant, nisi hæc eis injecta sit clausula, si qui rescriptum impetrarunt docuerint omnia vera esse, quæ contulerunt in preces, et ut judici, cui insinuatur rescriptum, hæc sit prima cura de veritate et fide precum: nam si quid Imperatori suppresserit aut celaverit callide, vel si quid mentitus sit, inutile est ei rescriptum: discutiendæ igitur imprimis sunt preces, an sint veræ, ut exigenda etiam probatio ab eo, qui rescriptum impetravit eorum, quæ deduxerit in preces. Imo ut vult lex ult. ea est clausula inferenda rescripto, si probaverit quod deduxerit in libellum. Non solet hodie inseri ea clausula, quia scilicet habetur pro inserta, quod generaliter legibus definitur, ut inseratur, paulatim pro inserto habetur, etiam si non fuerit insertum, quod solet fieri frequenter, tempore præcedente, paulatim pro facto habetur, ut solebant coloni pro mercede pignori obligare ibi nata, fructusque, qui ibi nascerentur: hæc hodie etiamsi non obligarint expresse, tacite intellecta videntur obligata pro mercede, quia quod solet fieri, tandem et pro facto, si sit omissum, habetur et specialiter in *d. l. ult.* additur ne fiant pragmaticæ jussiones ad preces singulorum in causis privatis, sed in publicis negotiis ad preces civitatum, vel provinciarum, vel officiorum, vel scriniorum, vel cujuscumque corporis aut universitatis sive collegii. Dixi ad preces, nam ad relationem et suggestionem judicum fiunt etiam pragmaticæ sæpissime.

Ad Tit. XXIV. De statuis et imaginibus.

Inter beneficia principum, quæ dantur rescriptis certis personis de Repub. vel de suo corpore aut collegio bene meritis ad postulationem civitatum vel corporum, sunt statuæ et imagines: nec enim licet unquam in Rep. statuam statuere sine rescripto, sine permissu principis. Et prudenter constituitur in *l. ult.* ut statua sumptibus ejus, cujus ad honorem erigitur, collocetur, non sumptibus publicis: ne inquam, sumptus *ex descriptione* colligantur, et ex descriptione populi, *d'une petite taille*, ut in *l.* 1. et *ult.* sed additur etiam in eod. tit. de statuis et imaginibus principum: nam et de iis ponendis in ornamentum Reip. necesse erat a principe concedi beneficium, *l.* 25. *sup. de Episc. audient.* et Nazianz. prima invectiva contra Julianum hoc ait esse proprium Rom. ut suis principibus affectent ponere statuas, putentque hoc ad decus suæ civitatis pertinere, si hoc eis princeps permiserit, sed ab his statuis principum cum ab hominibus olim adorarentur, ut 6. exam. ait Ambrosius, cum ducti vultus et ora ex marmore adorarentur, rectissime l. 2 aufert ab iis omne adorationis fastigium, *où il faut lire*, fastigio, *non pas*, fastidio.

Ad Tit. XXV. De his qui ad statuas confugiunt.

Pertinet etiam ad statuas principum tit. 25. nam statuæ principum perinde ac Ecclesiæ confugis suam securitatem præbent, nec inde extrahi possunt, quæ est sententia hujus legis, ut confugere Galli antiqui dicunt *fuir à garant*. et eleganter Theod. et Valentin. in quadam Græca sua constitutione βωμὸν σωτηρίας καὶ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀφιδρύμασιν ἡ ἀρχαιότης ἀνέθηκε, quod etiam de Ecclesiis *l. ult.* et hic, de iis qui ad Ecclesias confugiunt, ut in eis sit, ἰδίου βωμὸς et latine sit *ara salutis*, quoniam nihil interest dicatis aram salutis, an aram misericordiæ: habuerunt, ut scitis, Athenienses suam aram misericordiæ, de qua mentionem facit Theophilus de jure naturali, nobis quoque est ara misericordiæ Ecclesia, et statua principis.

Ad Tit. XXVI. De officio præfect. prætorio Orientis et Illyrici.

De rescriptis principum satis hactenus dictum est, vel de principibus ipsis, novus instituitur et paratur sermo nunc de magistratibus: nam cum ex partibus juris civilis restarent adhuc magistratuum edicta, formæ, dispositiones quæ non minorem obtinent legis auctoritatem, quam leges, edicta, responsa: ideo et hujus quoque partis juris civilis explicandæ gratia dicere institui de magistratibus omnibus urbanis, provincialibus et municipalibus: et erit utilissima hæc magistratuum omnium recensio, quæ traditur sigillatim: ex magistratibus sunt præfecti prætorio, qui summam obtinent et omnem judiciorum potestatem; omnium honorum apicem, ut ait Ammianus Marcell. inter mundanos apices sublimissimam potestatem, ut ait Leo in Epist. 64. ad Episcopum Thessalon. plenior licentia ad disciplinæ publicæ emendationem, *l.* 1. *D. de off. præf. præt.* præfecti prætorio summam esse potestatem secundam a principibus, et imperium plenissimum: nullum enim est pœnæ genus, quo non possit præfectus prætorio emendare disciplinam, vel continere publicam: ceteri magistratus ex mero imperio partes aliquas habent, non plenum imperium, ut jus gladii habent, non deportandi, ut præsides provinciarum: præfectus prætorio habet plenissimum etiam in Senatores, licet ante Constitutionem Alexandri ipsi præfecti prætorio non essent senatores, non senator de senatore judicabat, videlicet præfectus prætorio. Sed postea ex constitutione Alexandri sunt assumpti præfecti prætorio, non ex plebe, sed senatu quanquam animus semper magis fuit principibus evehere plebejos, quam senatores. Primæ igitur et summæ potestati primus datur titulus: Fuit sub ætate aut sub imperio Justiniani alius præfectus prætorio Orientis, in cujus cura et dispositione erant diœceses 5. Oriens, quæ proprie et specialiter dicebatur, Ægyptus, Asiana, Pontica et Thracia; et cujusque diœceseos provinciæ: nam diœcesis est quæ constat provinciis variis. Diœceses in provincias provinciæ in civitates dividuntur, sub dispositione præfecti prætorio sunt diœceses. Et hoc est quod in Epistola 104. ait Cassiodorus præfectum prætorio cunctarum provinciarum potestatem

maximam obtinere: nomen ut scilis, duxerunt ex eo quod initio instituti essent, et præessent prætorianis militibus, id est, aulicis militibus; qua de causa a Græcis passim dicuntur πρῶτοι τῶν δορυφόρων, et alii auctores, præfectos prætorio stipatos armatis militibus: ergo præfectum prætorio cum dicimus, prætorium accipimus pro militibus prætorianis: sed major est eorum potestas, quam præ se ferat nomen. Fuit etiam ætate Justiniani præfectus prætorio Illyrici, et sub ejus dispositione erant diœceses duæ Macedonia, et Dacia; et ad hos quidem duos præfectos prætorio referuntur omnes constitutiones hujus tit. quibus, ut decerpam ex eis aliquid, constituitur, ut formæ præfecti prætorio generales, quas vulgo dicimus ἐπαρχικά vim legis obtineant, *l. 2. h. t. l. Apertissimi. inf. de Judæis, l. 1. inf. de fidejussor.* Jam igitur incipit eam partem juris civilis, quæ reliqua erat a *l. 2. h. t.* demonstrare scilicet, formas, typos præfecti prætorio, *leurs ordonances ou provisions*, pro legibus esse, si modo non sint legibus antiquis, aut constitutionibus principum contrariæ: potest igitur præfectus jus commune facere, quod cum veteri non pugnet, et additur in *l. 3.* ut sub eorum cura et jurisdictione sint præsides provinciarum, ut in *l. Nec his. inf. de decurion.* quod adeo verum est, ut et præsides provinciarum permanere possint, *l. 9. inf. de advoc. divers. judic.* et removere ex causa, atque in locum eorum alios instituere, et de criminibus eorum cognoscere, *d. l. 5.* nam si diœceses sunt sub dispositione præfecti prætorio, et diœcesium provinciæ singulæ igitur: sicut sub cura præsidis provinciæ sunt singulæ civitates ejus provinciæ, in *l. pen. ad municipal. l. Cum onus. §. pen. de rebus auctor. judicum poss. l. 7. D. de int. et releg.*

Ad Tit. XXVII. De officio præfecti prætorio Africæ, et de omni ejusdem diœceseos statu.

Fuit etiam ætate Justiniani præfectus prætorio Africæ, quem ipse constituit post multos annos Africa a Vandalis recuperata, quæ gloria propria debetur Justiniano, quæ re peracta feliciter ipse constituit præfectum prætorio Africæ, et sub ejus dispositione provinciæ septem, ut licet cognoscere ex hoc tit. valuit provincia Zeugitana, Tripolis, Numidia, Mauritania, quæ proprie dicitur Africa, sive proconsularis, Carthago, Sardinia insula, et Bizacium, quæ corrupte dicitur a Sexto Rufo Byzacium. Putant plerique, et corrupte appellari Byzantium, quos tamen refutat Eustathius in Dionysium: ut duplex faciant Byzantium, unum in Thracia quæ est Constantinopolis, alterum in Africa. Igitur non temere semper mutari debet Bizacium in Bizantium. Septem has provincias temere quidam cogunt in sex, dum ex Zeugitana et Carthaginiensi unam faciunt, nescio quo loco Isidori moti. Constitutiones duæ palam faciunt, et singulis his septem suos rectores constituit Justinianus, id est consulares Tripoli, Zeugitanæ, Carthagini, et Bizacio, et est etiam scripta *l. 1. inf. de offic. comitis rer. princ. consulari Bizacii*, præsides in aliis provinciis, constituit etiam Justin. in his constitutionibus duces militares provinciis Tripoli Bizacio, Numidiæ, Mauritaniæ, Sardiniæ, simul ac definit quid hi omnes magistratus pro codicillis suæ dignitatis inferre debeant scriniis sacri laterculi, sive palatii: et rursus quid pro insinuatione codicillorum, qui erant insinuandi præfectis prætorio, *pour les verifer:* scriniis et officiis præfecti prætorio præsides provinciarum, et duces militares quid inferre debeant pro insinuatione codicillorum scriniis magistri militum: nam apud hunc insinuandæ erant administrationes militares. Definit etiam, quæ stipendia, et commoda ferant de publico ii omnes, vel præfecti prætorio, vel homines eorum, scriniarii, et cohortales; et constituit suam præfecto prætorio sedem, et cuique duci militum æque suam sedem, et pleraque alia de constituendis limitaneis militibus, et de disciplina militari. Denique de omni statu ejusdem Diœceseos divisæ sicut dixi. Invenio etiam ætate Justiniani fuisse constitutum quemdam præfectum prætorio Italiæ, in Nov. 69. constituebantur nonnunquam a principibus varii, ut præfecti prætorio Galliarum, et multarum aliarum diœceseon arbitrio principum.

Ad Tit. XXVIII. De officio præfecti urbi.

Sequitur tit. de officio præfecti urbi, et postremo tit. de officio magistri militum convenienter, quia hæ potestates præfecti urbi, et magistri militum sunt quodammodo præfectoriæ potestati pares, ut ait *l. 1. inf. de præfect. præt.* sive urbis sunt germanæ potestates, ut ait *l. Advocatos. inf. de advoc. div. jud.* licet in consessu senatus præfectus urbi ceteris omnibus antecellat, *l. 3. h. t.* quæ summa potestas est præf. præt. ut eum in senatu non considet superiore loco, sed præfectus urbi antecellat, aut in considendo, aut præcedendo: modo imperium præfecti urbi non ita late patet: ideoque in Nov. 62 ostenditur, imperium præfecti prætorio porrigi per universam diœcesim, imperium præfecti urbi circumscribitur urbe, et termino urbis, id est, centesimo miliari *l. 1. D. de offic. præfecti urbi*, et Cassiodorus in formula præfecturæ urbanæ: *ditioni tuæ non tantum Roma commissa est, sed et quicquid intra centesimum miliare*, qui terminus urbis est, *l. 3. Cod. Th. de Episc. et cler.* et confirmatur *l. 6. Cod. Theodos. de hæret.* ultra centum miliaria jurisdictio erat præfecti prætorio, quod et Ulp. Fragm. probant apud Licinium Rufinum tit. de plagiariis. Sed ut diligentius, quæ potestas fuerit præfecti urbi exponamus, fuit sub eis cura, et custodia urbis regiæ, proinde custos urbis dicitur a Papinio in Sotevils pro Rut. Gallico *quem penes intrepidæ mites custodia Romæ.* Item spectabat ad præfectum urbi cura annonæ: nam etsi huic negotio destinatus esset specialis præfectus annonæ, et cum eo tamen præfecto urbi eam curam communem habuit, *l. 1. hoc tit.* spectabat ad eum cura excubiarum, cura corporatorum, *leg. 4.* veluti pistorum, suariorum, boariorum, pecuariorum, qui in certum corpus erant coacti, et in corpori, quasi servitute quadam obnoxii in perpetuum, eorumque posteri. Pertinet quoque ad eum cura balneorum, cura spectaculorum, et popularium, *l. 4. eod. tit. l. 1. §. Quies. D. eodem.* et *l. 2. h. tit.* populares interpretamur homines seditionibus obnoxios, id est, factioni, quæ ex re etiam factionarii dicebantur *l. 1. Cod. Theod. de equ. curul.* ut in antiquis inscriptionibus, et in illo Gregorii Turonensis loco: *Factionarii operientes ad circum, etc.* erant Albati, Veneti, Russati, Prasini, qui multas sæpe in urbe commovebant seditiones.

Ad Tit. XXIX. De officio magistri militum.

Addemus etiam tit. de officio magistri militum, quæ potestas est præfecti prætorio in privatos, et in præsides provinciarum, eadem est etiam potestas magistri militum, sive peditum, sive equitum in milites, et in duces, vel comites singularum provinciarum militares, et jurisdictionem exercent in privatos actorem et reum militarem, non tantum inter duos milites, quoniam actor sequitur forum rei, *Nov. Martiani*, et *l. pen. inf. de jud. l. 1. inf. de jurisd. omnium jud.* et eadem ratione præfecti prætorio, vel alterius magistratus civilis est jurisdictio inter militem actorem, et privatum reum, ut prætoris urbani erat jurisdictio inter peregrinum actorem, et civem reum, et similiter prætoris peregrini jurisdictio inter civem actorem, et reum peregrinum, hoc est, actor sequitur forum rei.

Ad Tit. XXX. De officio Quæstoris.

Post tit. de officio magistri militum datur tit. de officio Quæstoris non inconsequenter: nam magisteriæ potestatis quæstura partem sibi vendicat: beneficia enim olim permittebantur arbitrio magistri militum, veluti tribunatus, et cetera modo sunt sub dispositione Quæstoris, et sub scrinio memoriæ, ut ait *l. 1.* ii qui militant militiam literatam sub memorialibus, ex quorum scrinio sunt et alii. Quæstor sumebat adjutores, quorum obsequio res peragebantur, *l. 5. tit. 20.* Male hic quidam adnotant, sibi videri legendum, *et ex scrinio*, quod est perquam vanum: nam ἀπὸ κοινοῦ est repetendum, et sunt etiam generaliter sub cura Quæstoris curæ minoris laterculi militares, et civiles adjecta subscriptione principis, l. 3. in qua conditiones, et officia, unde dicuntur officiales, et conditionales. Laterculum autem minus est liber, sive abacus, ut notitia dignitatum administrationumque minorum, vel quadratæ tabellæ quasi πλινθίς, aut πλίνθιον, unde sane ducitur nomen laterculi, quod in quadrata tabella digestæ essent administrationes. Laterculum minus est notitia majorum dignitatum, quod fuit sub cura viri spectabilis primicerii Notariorum, qualis est notitia, quam Andreas Alciatus, et pleniorem Rhenanus in lucem edidit, in qua sub primicerio Notariorum videre licet laterculum depictum, nempe codicem, sive librum administrationum, qui erat in Oriente, vel in Occidente sub Imp. Rom. et in eo tit. valde mihi placet, quod Galli nostri veteres, qui hunc Codicem verterunt, laterculum minus interpretantur, *le petit roule*, et majus *le grand.* Ex quo fit, ut laterculi nomen numerum, album, matriculam, quam, etiam dicero patricolam, trahantur ad alia, ut Tertull. adversus Valentinianos: *ex illo laterculo, et consules, et ceteros aliquos consueverunt*, id est, ex illo numero, et a Victorino atque Theophilo Alexandrino inscriptus etiam laterculus Paschalis, id est, index, quo adnotabatur singulis annis, quo die futura esset celebratio Paschæ: et apud Cedrinum invenies laterculum esse album decurionum atque legionum: quod non fuit præcipuum munus Quæstoris, id est, habere curam minoris laterculi, sed præcipuum fuit leges dictare, et precibus respondere: qua ex re a Symmacho dicitur precum arbiter: quod cum sit precibus respondendum, ipse arbiter sit, doceatque principem, legumque conditor. Et a Cassiodoro quæstura dignitas literarum lib. 1. Variarum, quod solis Jureconsultis deferatur. Et alio loco quæstor vocatus principis, et in Nov. Valent. de homic. ca facto justitiæ legumque custos, thesaurus famæ publicæ, armarium legum. Is postea μέγας λογοθέτης, et novissime Cancellarius dictus est, ut Nicetas scribit 7. Annal. magnus etiam ille Michael Hospitalis in suis scriptis se Quæstorem nuncupavit: neque ullum est officium in eo lib. descriptum, cui possit aliud, quo modo utamur, comparare melius, quam Quæstoris officium Cancellarii officio. Ejus enim officium est leges dictare, precibus respondere: et ut persequar, beneficia olim quidem Quæstoris permittebantur curæ: ita non est dubium beneficia quidem Cancellario permitti, qui, subscribente principe, concedit cui voluerit. Sed cur huic dignitati, aut quomodo inditum sit nomen, videamus; nam hoc sane ad eos pertinet, qui curant negotia publica. Res est scitu digna, nec in promptu omnibus. Dicebamus in tit. de off. præf. prætorio, amicum, et familiare esse principibus, ut mallent plebejos, quam nobiliores afficere dignitatibus, et præfectos prætorio sumpsisse ex plebe, donec Alexander Imp. decrevit, ut assumeretur ex ordine senatus. Sic etiam ex plebe principes assumebant homines litteratos, per quos recitarent in senatu orationes, Epistolas, libellos, placita sua, ut confirmarentur scilicet, quod videmus frequenter in Dig. oratione principis in senatu recitata, vel per se, vel per hominem alium litteratum. Princeps, inquam, hominem assumebat ex plebe, qui initio vocabatur candidatus Cæsaris, *l. 1. §. 2. D. de off. quæst.* sed cum non esset eis ingressus in senatum, utpote plebeii, donati sunt honore, et tit. quæstoris, licet pecuniam publicam non curarent, id est, facti sint honorarii quæstores, ut ingrederentur in senatum. Est enim quæstura, ut ait Ascon. et d. l. 1.

primus gradus in senatu: post vero crescente eorum auctoritate, jamque iis non recitantibus tantum, sed et componentibus leges, et rescripta vice principis, atque usurpantibus summam auctoritatem in palatio principis, idem nomen quæstoris retinuerunt. Et hæc est certissima hujus nominis origo. Solet Imperator Justin. quæstorem sacri palatii dicere: et Plinius significat se fuisse candidatum Cæsaris lib. 7. *Quæstores*, inquit, *Cæsaris fuimus:* candidati nomen retinuit Tertullius lib. ult. et hoc idem Quæstoris munus potest confirmari multis aliis locis. Svet. in Tiberio: *Orationem recitavit Quæstoris vice*. Spartianus in Adriano: *Quæsturam gessit, in qua cum, orationem Imperatoris paulo agrestius recitaret, derisus est:* et idem Sveton. in Augusto: *Libello per Quæstorem recitato, notum senatui fecit:* nam orationes principis dixit etiam libellos, et libros *d. l. 1. de offic. quæstoris, l. Item veniunt. 2. Præter D. de petit. hæredit.* quæ oratio de petitione hæreditatis alibi dicitur, et Plinius 5. Epist. *Pauci dies*, inquit, *et liber principis severus, et tamen moderatus.*

Ad Tit. XXXI. De officio Magistri Officiorum.

Sequitur tit. de officio Magistri Officiorum: hic videtur delibasse aliquid ex militari jurisdictione magistri militum, ut dicebimus: sed prius ostendemus proxime jungi eum quæstori rectissime: nec enim fuit magister officiorum quæstore minor: uterque est vir illustris, et ex quæstore fuit plerumque magister officiorum ut formulæ Cassiodori docent: nam officium quæstoris erat temporarium, et præstaret hodie sicut cætera officia, ita et Cancellarii temporarium esse. Post annum unum, quo deponebat dignitatem unam, statim aliam assumebat, nec unquam tota vita dignitate erat expers, et ubi omnibus dignitatibus functus erat, omnes iterabat, ut continuam præfecturam, aut quæsturam: plerumque, ut dixi, ex quæstore fiebat officiorum magister, aut etiam unus idemque utroque fungebatur honore. Est igitur proxima magistri officiorum dignitas propria Jureconsultorum: magistri officiorum Jureconsulti, et Philosophi. In magistro officiorum peritia desiderabatur juris, et philosophiæ: nam et quæstori aderat conditor legum, et disciplina morum ad eum pertinebat in palatio, quasi judici morum in palatio, ipsi enim sunt cubicularii, *l. 3. inf. de præp. præt. sacri pal.* et castrensiani, et ministeriani, et silentiarii, ut qui necubiae noctu agebant in palatio principis, *l. 4. inf. de silentiariis*, et Decani, *l. 2. inf. de Decanis*. qui omnes obsequio, et ministerio principis erant dicati, et omnes sub magistri officiorum jurisdictione. Denique magister officiorum est magister τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων, sic est legendum in Theod. Suda, vel ut Theodoritus ait, ἡγούμενος τῶν βασιλικῶν, et præfectus regiæ familiæ. Sed addenda sunt etiam alia quædam, magistrum officiorum in consistorio principis induxisse senatores: nam sine magistro officiorum non fiunt in id ingressus, ut eleganter eum vocat Cassiodorus, gloriosum donatorem aulici consistorii, quasi alterum Luciferum, ut ait: nam sicut ille venturum diem promittit, sic iste desiderantibus vultum regiæ serenitatis attribuit, quem scilicet principes homini exhibeant: sed et curam habuit cursus publici, ut indicat *l. 9. inf. de cur. publ.* qua de causa, et ipse curiosos constituebat, qui habebant curam cursus publici, nec a curiositate, sed a cura dicebantur: et in *l. 1. C. Theod. de curiosis*, dicuntur etiam vulgo fuisse appellati curagendarii: magister officiorum, ut dixi, curiosos constituit ex schola agentium in rebus, quorum fuit exiguus numerus: nam ita partiebantur officia, ut alii militarent in præsidiis littorum, velut scriniarii, memoriales, pragmaticarii, qui scribunt pragmaticas jussiones: alii autem militarent in rebus ipsis, in actu, et Rep. qui dicti sunt generali nomine agentes in rebus, et ex iisdem sumit sibi curiosos, et officiales, adeo ut ubi leges magisterianos, tibi liceat semper interpretari officiales, officiales magistri officiorum, vel agentes in rebus. Quod autem initio dixi, magistrum officiorum aliquid ex magistri militiæ officio decerpsisse, ex hoc tit. ostenditur, quod sunt sub magistro officiorum fabricæ armorum, et fabricenses, et limites et limitanei milites, et scholares omnes et supernumerarii milites, qui erant in xi scholis, si adnumeres fabricenses et agentes in rebus, *l. 2. inf. de loc.*

Ad Tit. XXXII. De officio Comitis sacrarum largitionum.

Ut eorum magistratuum, de quibus actum est sup. tit. veluti præfecti prætorio, præfecti urbi, magistri militum, quæstoris, magistri officiorum, illustres sunt dignitates, ita illustres sunt qui sequuntur, Comes sacrarum largitionum hoc tit. 32. Comes rerum privatarum tit. 33. et Comes sacri patrimonii tit. 34. ii soli sunt illustres judices sive magistratus: qui hos sequuntur sunt spectabiles vel clarissimi. Primus locus illustribus datur, medius spectabilibus, tertius clarissimis. Sed de primis hactenus. Comes sacrarum largitionum est is, qui gubernandi committuntur thesauri majestatis Imperatoriæ, quas largitiones et remunerationes dicimus, plausibili vocabulo et dignitatem ipsam Comitis Cassiodor. munerariam dignitatem, quasi largitionibus thesauri sint potissimum destinati, quamvis et in alios usus insinuantur et omnino etiam dispensantur, qui a Pepinio etiam his verbis demonstrantur: *Jam creditur uni sanctarum digestus opum partæque per omnes diritur populos magnique impendia regni:* et a Rutilio Numatiano, illo loco: *opum curam, quamvis sit magna sacrarum,* in *l. Senatus. D. de jure fisci*, ubi fit mentio præfecti ærarii, pro præfectis ærario Græci reponunt, Comes thesaurorum, id est Comes sacrarum largitionum. Præfecti nomen mutatum est in Comitis nomen, quod etiam Comitis nomen est datum omnibus magistratibus, qui sequerentur sacrum comitatum, vel qui ex sacro comitatu prodirent, et inde nomen, quod in sacro vel ex sacro essent comitatu. Postea porrectum est ad omnes, qui cui negotio præessent, etiam ad Navarchum apud Eustathium in Homerum, et Suda quoque auctore Comes generaliter definitur populi judex quilibet. Quo sensu in postremis auctoribus Comites, id est, judices ordinarii in libris feudorum et in legibus Germanorum. Porro in thesauris sive opibus imperii adnumeramus etiam vestiarium et ornamenta imperialia: qua de causa non tantum speciales quidam Comites largitionum diffusi per diœceses, et Comites metallorum et rationales summarum ut præpositi thesaurorum, et procuratores monetarum, quandoquidem et Comiti sacrarum largitionum curæ est, ut idem Papinianus ait, *quæ digna in cultus igni formanda inquescat Massa, quid Ausoniæ scriptum crepet igne monetæ*, non, inquam, tantum ii sunt sub dispositione viri illustris comitis sacrarum largitionum, sed et procuratores gynæceorum, id est, textrinorum sacrorum, et procuratores baphiorum, id est tincturarum pretiosi velleris, et procuratores lanificiorum, et præpositi barbaricariorum, id est, Phrygionum, ut licet agnoscere ex veteri illa notitia dignitatum omnium, ut apud Catullum, *Barbara, quæ horribili stridebat tibia cantu:* Barbara, id est, Phrygia, apud Horat. *Græcis barbaria lento commissa duello*, id est Phrygiæ, ex qua gente ars pingendi et tessendarum vestium pretiosarum manavit. Et apud Sophoclem in Ajace. Erat igitur vestiarium, erant ornamenta principis in parte thesaurorum, et qui ea conficiebant, qui eorum confectioni erant præpositi, omnes sub dispositione Comitis sacrarum largitionum erant, atque etiam præpositi bastagarum, id est, qui curabant sacris largitionibus perferri canones illationum debitarum: bastaga est onus transvectionis, sive transvectio et perlatio rerum ærario debitarum, quod fuit onus provinciarum *ils en devoient des convréer pour cela.*

Ad Tit. XXXIII. De officio Comitis rerum privatarum.

Uterque Comes sacrarum largitionum et rerum privatarum significatur ab Imp. *l. 3. inf. ubi senator. vel clariss.* his verbis: *cui nostra serenitas sacros* nostri numinis thesauros, aut res privatas nostræ pietatis gubernandas injunxit. Ille scilicet, qui gubernat thesauros, opesque fiscales, Comes est sacrarum largitionum, qui a Græcis dicitur Comes ὁ τῶν λαργιτιῶν, ἤτοι παροχῶν. Ille autem, qui gubernat propriam substantiam, sive patrimonium principis, comes est rerum privatarum, quæ honestantur etiam nomine largitionum, ut in *l. Properandum. §. Sin autem uterque. inf. de judiciis, l. ult. inf. de adsessoribus*. Bona igitur principis aut sunt fiscalia, aut patrimonialia: utraque propria, vel quasi propria et privata principis: nam ita est scriptum in *l. 2. D. ne quid in loco publ.* res fiscales quasi proprias, et privatas principis esse; ut quod vulgo dicitur, omnia esse principis, id interpretatur recte *l. 3. de quadr. præsc.* ut omnia, id est, tam fiscalia quam patrimonialia principis esse intelligantur: nam quæ tua sunt, principis non sunt propria, neque hoc unquam quisquam scripsit aut sensit, aut certe tua non sunt: quoniam dominium duorum in solidum esse non potest, *Si l. ut certo. commod.* et communiu quoque ea quæ tua sunt esse inter te, et principem nemo dixerit: et recte Seneca, quod uno loco ait, jure civili omnia principis esse, id est, etiam, quæ sibi, privatus quisque habet, et possidet, id alio loco interpretatur hoc modo, ut omnia princeps possideat imperio, regali dominio: unde sic statuas, universa, quæ alii possident esse in imperio principis: propria bona, quæ princeps sibi possidet esse in patrimonio principis: fiscalia quasi propria, revera non esse propria principis: quod sic demonstro: fiscalia non transeunt in hæredem principis, patrimonialia transeunt in hæredem, aut bonorum possessorem, etiamsi non successerit in imperio, *l. Quod princip. D. de leg. 2.* et fiscalium rerum est commercium. *l. 39. §. ult. de legat. 1.* Denique ex hac diversitate bonorum facti sunt duo Comites, unus, qui præesset fiscali substantiæ, alter, qui præesset propriæ substantiæ principis. Hic Comes rerum privatarum dicitur frequenter, ille Comes sacrarum largitionum: inde etiam facti sunt alii palatini largitionales, alii privatiani, qui scilicet huic, vel illi Comiti obsequuntur. Et hæc differentia, ut puto, satis vobis jam videtur esse clara. Sunt quoque in eod. tit. tres constitutiones, *l. Si quid. l. Ad palatinorum* et *l. Si quis judicum*, quemadmodum in eo loco perturbatus est ordo tit. id vos animadvertere consenti, et nullam Græcam desiderari: nam veluti obtorto collo traduxerunt in hunc tit. eam constitutionem Græcam, quæ a me prodita est in *l. 7. inf. de delator.* quam tamen ex Basilic. didicimus, ut sumus in eo loco demonstraturi, referendam esse in secundum locum *tit. de offic. divers. jud.* nam est etiam de præsidibus provinciarum: dices, etiam esse de urbanis magistratibus, et de acquisitione rei privatæ: verum non hoc loco fuit referenda; cum collocant Basilica quasi *l. ult. de offic. rectoris.*

Ad Tit. XXXIV. De officio Comitis sacri patrimonii.

Post tit. de officio Comitis rerum privatarum sequi debet titul. de officio Comitis sacri patrimonii, qui titulus exigit, ut statuamus duplex esse patrimonium principis, unum privatum, de quo actum est tit. sup. alterum, de quo hic tit. Et sane unum ab altero separatur in edicto Justin. 4. et 8. et in formulis Cassiodori, quod attente observandum est: nam juxta ea, quæ diximus t. sup. prima specie idem videretur esse Comes rerum privatarum, et Comes sacri patrimonii: res enim quæ dicuntur privatæ, in patrimonio sunt principis: sed duo sunt comites plane diversi. Comes rerum privatarum gubernat privatam substantiam principis per rationales, per procuratores præpositos, et speciales quosdam civiles. Comes autem sacri patrimonii est veluti procurator penus, qui regiæ, ut ait Cassiodo-

rus, epulas solicita ordinatione disponit, cuique in hoc princeps suum patrimonium commisit, et hoc uno separatur comes sacri patrimonii a comite rerum privatarum. Desideratur autem sub hoc tit. de officio comitis sacri patrimonii, quod constitutio Græca, quæ non extat, nulla fuit Latina sub hoc tit. Et hactenus explicatæ sunt dignitates omnes illustres: nam a tit. 35. de offic. procons. incipit tractare de spectabilibus.

Ad Tit. XXXV. De officio Proconsulis, et Legati.

Ex iis, qui honores gerunt alii sunt illustres, alii spectabiles, alii clarissimi, hæc est summa divisio, etiam si sint quidam inferiores, veluti equestres, perfectissimi, egregii, et qui superillustres dicuntur in §. *In summa. Instit. de injur.* et ipsi non alio tit. quam illustrium afficiuntur sed sunt priores illustres, et in unoquoque trium horum ordinum sunt gradus quidam, ii nimirum, quos series nostrorum titulorum indicat atque disponit. Licet autem iis sunt inferiores quidam, et supra hos dicuntur quidam, tamen qui supra hos sunt non alii, quam illustres dicuntur: hæc divisio est summarum dignitatum, et breviter summæ dignitates sunt, aut illustres, aut spectabiles, aut clarissimi. Et recte Justin. in *Novel.* 7. in fin. medium sit esse dignitatem spectabilium, nimirum inter illustres et clarissimos. Et hactenus quidem sup. tit. dictum est de illustribus. Omnes, de quibus ante dictum est, sunt illustres, post quos dantur spectabiles, ex quibus primi sunt proconsules, qui mittuntur in certas provincias gubernandi, et juris dicundi gratia, veluti in Asiam, Achajam, Africam, illam scilicet, cujus caput est Carthago, quæ per eminentiam dicitur Proconsularis provincia: et ubi nihil aliud additur, hæc intelligitur: fuit enim magna et ampla atque dives provincia, et mittuntur cum imperio consulari, et inde nomen. Adjungitur autem iis unus, si qui mittitur sit vir prætorius, vel adjunguntur ei legati tres, si sit consularis, electi e Senatu, ut Dio 53. et Capitol. in Gordiania, vel probati a principe. Iis legatis proconsules mandabant jurisdictionem suam, atque etiam criminum cognitionem extraordinariam: nam juris ordinatio non potest mandari, *l. Solet. D. eod. t.* de proconsulibus eleganter Salvianus de providentia Dei 7. *Quotidianus judex, et rector, quantum ad nomen quidem proconsul, vel quantum ad potentiam Consul:* male autem inter primam et secundam l. posuerunt de officio Comitis sacri palatii, qui titulus dicitur esse 36.

Ad Tit. XXXVI. De officio Comitis Orientis.

Sequitur tit. de officio comitis Orientis. Est etiam vir spectabilis, et latissimam jurisdictionem subit: namque ei totus Oriens regendus committebatur, qui conficiebatur ex provinciis 15. Syriis duabus (Optatus Milevitanus facit Syrias tres) Phœniciis duabus, Ciliciis duabus, Palæstinis tribus, Cypro, Euphratensi, Ofroena, Mesopotamia, Isauria, Arabia, hæ omnes provinciæ erant sub jurisdictione Comitis Orientis, ut patet ex notitia Orientis, ut eadem jurisdictio, quæ proconsulum, diversum nomen, quod esset amplior jurisdictio proconsuli una provincia mandabatur, huic plures.

Ad Tit. XXXVII. De officio Præfecti Augustalis.

Sequitur tit. de officio præfecti Augustalis, qui etiam est spectabilis, et sic dictus est, quod Ægypto in provinciam redacta, et regendæ ab Augusto sit constituta ex equestribus, non ex Senatoribus, ut Tacitus scripsit 12. et Dio et Arrianus 3. de expeditione Alexandri: noluit Augustus, noluerunt que postea principes mittere Senatores Præfectos, sed equestres: ne scilicet sub potentiore præfecto Ægyptii, ut sunt leves, et mobiles, semperque fuerunt, ad res novas impellerentur, qua eadem ratione etiam Romani Imperatores noluerunt in eam civitatem cives allegi: erant enim illic ingenia Ægyptiaca suspecta, invisa, ut et contra Appionem scribit Josephus. Augustalis ergo, quod fuerit ab Augusto constitutus, *l. 1. D. eod.* et apertius alibi dicitur præfectus Ægypti, *l. 35. D. ex quibus causis maj. l. Apud præfectum. D. de manumiss. vind. l. 1. D. de tutor. et cur. datis, l. 1. inf. de postul.* et cur præfectus dicitur, non proconsul, aut consularis? an quia non erat ei concessum consulare imperium? an quia proconsul non soleret mitti in provinciam nisi consularis, vel prætorius, qui semper eminoret fascibus, aut gestis suis gloriaretur? et hoc esse vetustius constitutione Augusti, qui Ægyptum redegit in provinciam, et ei regendæ præposuit præfectum intelligere licet ex eo, quod Trebellius Pollio refert ex Oratione Ciceronis in Gabinium, fasces consulares Alexandriam ingredi non licere quæ fuit sedes præfecti Augustalis. Fuere autem sub ejus cura et dispositione sex provinciæ, Lybiæ duæ, Ægyptus, Thebais, Arcadia, Augustamnica, et præsides earum provinciarum, *l. 2. h. tit.* quæ nobis est corrigenda: nam vulgo legitur, præfectus prætorio Augustali, *et prætorio ni eaut rien, il faut,* præfectus Augustalis: verba hæc *d. l. 2. examinandi flagitia etc.* hanc habent sententiam: *il a pouvoir d'informer, non pas de destituer ou punir.* Præsidem Daciæ legimus apud Spartianum in Adriano, ut major esset ejus dignitas, vocatum esse præfectum Augustalem.

Ad Tit. XXXVIII. De officio Vicarii.

Vicarius etiam dicitur vir spectabilis. Is est, qui pro præfectis, vel pro præfecto prætorio mittitur in tractum, vel diœcesim aliquam, aliquot in se provincias continentem: veluti Thraciarum diœcesim, quæ continet provincias sex, vel Ponticam, quæ continet 11. vel Asianam quæ etiam continet 11. ut et Theodoritus scribit lib. 5. Eccles. Histor. et constat ex notitia veteri dignitatum. Asiana diœcesis continebat ut dixi 11. provincias: sed ex illis notitia sub dispositione Vicarii fuerant tantum 8. fuit etiam in Illyrico Vicarius Macedoniæ, ex eo nomine Vicarii factum est nomen Gallicum *Viguier, l. 1. inf. de divers. off. et appar. judic. offic.* et sane aliquando etiam in Occidente fuit Vicarius Africæ, et sub eo quinque provinciæ, sicut sub Vicario Britanniarum erant provinciæ 5. adeo ut in inscriptione *l. 15. Cod. Theod. de Paganis,* ubi legitur Vicario quinque provinciarum, intelligere oportet Vicarium Africæ, vel Vicarium Britanniarum: et Vicarius 7. provinciarum in Galliis, et Vicarius Hispaniarum. Sulpitius Severus in historia sacra recte subjicit: nam jam proconsules habere desierant. Hi sunt præfecti præfecturæ prætorianæ pari potestate præditi atque præfecti prætorio, et in legibus sæpe dicuntur gerere vicem præfectorum prætorio, aut agere vicariam præfecturam, et in *l. 1. D. de leg.* 3. vice præfecti ex mandatis principis cognoscent, et in *l. 6. inf. de modo mul.* scripta ad præfectum prætorio. *quæ vice vestra,* sic est corrigenda, *administrationis gubernacula susceperint:* verum qui funguntur vice prætorum, aut præsidum non habent propriam jurisdictionem, non proprio jure, sed alieno beneficio: ex mandato prætorum, aut præsidum et morte eorum, qui mandaverunt finitur eorum Vicariorum potestas, *l. 5.* et 7. et *l. Solet. D. de jurisd.* qui autem vices agunt præfectorum prætorio propriam habent jurisdictionem, datam scilicet a principe, et vice sacra judicant sicut præfecti prætorio, et militari habitu, ut Cassiodorus ostendit in formula Vicarii urbis Romæ, nimirum ne videantur esse privati, et pagani.

Ad Tit. XXXIX. De officio Prætoris.

Ero admodum brevis: nam non licuit navare operam nisi officio prætoris, sed brevis utilia erunt tamen: quidam Codices habent *de officio prætorum,* ut in *D. eod.* nihil refert, hoc an illo modo legatur: nam ut proconsulis, et vicarii, ita prætoris nomen nihil vetat significari plures. Fuere vicarii præfecti prætorio, et tamen non de officio vicariorum, sed de officio vicarii titulus est inscriptus, quasi quod de uno dicitur, intelligatur dictum de omnibus. Adjungitur autem prætor interdum spectabilibus viris, sed clarissimis sæpius. Itaque lubentius ab hoc tit. facerem initium tertii ordinis, id est, clarissimorum: nam superioribus titulis habuimus illustres, deinde spectabiles: ab hoc tit. incipiunt clarissimi: nam hi tres tantum summarum dignitatum sunt ordines: perfectissimi, egregii, equestres minoribus dignitatibus funguntur, vel apertius: illæ tres dignitates sunt senatoriæ, ceteræ non sunt senatoriæ. Equestris sane dignitas non est senatoria, nec perfectissimatus etiam, aut egregia dignitas, et ut credo me jam admonuisse senatores, quod dicuntur in legibus esse supra illustres, §. *In summa. Inst. de injuriis.* et *l. Eos. sup. inf. de usuris, l. Quoniam. inf. de appell. l. 15. ex Gath. 16. de testib.* quæ est Græca, ii non constituunt quartum gradum: nam et ii sunt illustres, qui dicuntur supra illustres nimirum et patritii: nam superillustres sunt patricii, quos solos princeps patres suos appellare solet: hæc adjectio patriciorum facit, ut dicantur esse superillustres, quoniam illustri appellationi additur patricii appellatio, præfecti prætorio dicebantur patres imperii, et patres provinciarum apud Cassiodor. Præsides autem provinciarum, ut idem Cassiodorus in formula rectoris provinciæ solebat princeps patres suos appellare, patricios autem patres suos, nunc de præfectura. Fuit, ut scitis, prætoria olim vis magna; postea cœpit esse onus senatorum, ut eleganter dixerit Boetius in libro illo elegantissimo de consolatione, ubi male legitur præfecturæ: præturæ olim magna potestas, nunc inane nomen, et nomen potestatis sine re, et senatorum gravis sarcina, et ita in hoc tit. accipere oportet prætorem non pro fascibus illi summi imperii, sed pro munere, sive onere Reipubl. Licet magna vis prætorum olim solebant ludos scenicos, vel circenses, suis sumptibus populo exhibere, quod indicat *l. Si ut certo. §. Interdum. D. commod.* dum agit de prætore, cui commodatæ sunt scenicæ vestes ad munus edendum populo: hoc onere exhibendi muneris populo tandem solum constitit prætura: in edendis scilicet populo voluptatibus, adeo ut recte possem dicere, in hoc tit. prætorem parum differre ab editore muneris. Constitit denique prætura in his sumptibus, atque etiam ut ostendit *lex 13. C. Theod. de prætorib. et quæstoribus.* constitit. onus præturæ in fabricis, et operibus publicis: nam quod prætor non expendebat in voluptates populi, expendebat in opera publica suo ævo senator quisque per vices. Denique præturæ onus erat senatorum, atque etiam quæsturæ: nam in illo tit. *de prætoribus et quæstoribus,* etiam quæstores non oportet accipere pro iis, qui dictent leges, qui respondent precibus vice principis, qui dicuntur vox legum, sed pro candidatis cujusque ætatis, cum tamen amplissimæ quæsturæ non sufficeret minor ætas: adeo ut ad hanc quæsturam inanem vocerentur etiam adolescentes, aut qui nondum adolevérent ante annum 16. in *l. 1. C. Th.* et hos etiam intellexit Lampridius in Alexandro dum ait, quæstores candidatos de sua pecunia munera populo edere jussit. Ex his licet intelligere postremis temporibus præturam fuisse delatam plerumque invito, quod esset sumptuosa nimis et onerosa, atque etiam absentibus senatoribus, et minoribus 25. annis in *l. 1.* et *2. C. Theod. eod.* cum tamen non possint aspirare ad honores minores 25. annis ex *l. Ad Remp. D. de muner. et honorib.* sed hic honor quæsturæ est inanis onus patrimonii magis, quam honor verus quoniam deferebatur etiam quandoque fœminis in *l. 17. C. Theod. eod. tit.* nam si designatus diem obiisset antequam iniret præturam, et successisset filia masculorum, sobole nulla extante, filia quidem non suscipiebat latum clavum, ut

sit *d. l.* 47. non sumebat insignia senatoria, non legebatur in senatum, fœminis non est ingressus in senatum, non aditus ad honores officiave publica, *l.* 2. *D. de reg. jur.* sed pro modo substantiæ patris, in quam successerat, subibat ipsa oneratam præturam, atque ita fœmina quodam modo prætura fungebatur: denique prætura tantum retinuit paucissima ex jurisdictione, illa scilicet tantum, quæ referuntur in *l.* 1. *h. t.* ut cognoscat prætor de causa liberali, de causa status, si quis liber, aut servus, de statu servorum, et apud eum manumittuntur servi vindicta, et emancipantur filii, ut scilicet præsit judicio alieno, adhibeatque suum judicium, suam auctoritatem: possit etiam tutorem dare ex decreto, id est, causa cognita, et habita inquisitione morum dandi tutoris, et ut possit minores 25. annis restituere in integrum, quod etiam est magis imperii, quam jurisdictionis: adeo ut idem non habeant municipales magistratus, qui tamen habent jurisdictionem, *l. Ea quæ. D. ad municipalem*, quæ certissimum est non fuisse posteriori ætate concessa prætoribus. Igitur paucissima retinuerunt ex jurisdictione prisca: onus integrum, aut certe gravius sustinuerunt. Dixi secundum illum tit. *C. Theod. de prætoribus et quæstoribus*, ad quæsturam etiam vocari absentes senatores, qui degunt in provinciis: nam in urbe Roma hoc tantum mutatum fuit Nov. Valentin. et Marciani. Ita scilicet ne absentes ad præturam ante cives vocarentur, et qui non haberent in urbe domicilium: ei ideo in *l.* 2. *h. tit.* quæ pars est ejus Novel. constitutionis cavetur, ut tres prætores in urbe Constantinopolitana eligantur, qui in ea domicilium habeant, et ne accersantur ex provinciis, et domiciliis, quæ alibi constituta habuerunt: et evidentius ita definitur in *l.* 1. *de prætoribus*: eademque Novel. ut apparet ex l. 2. eod. tit. constituit, ne deinceps prætores allos sumptus faciant levitir, ut non conjiciantur in sumptus, atque ita ex l. 2. prætores retinent paucula quædam ex jurisdictione: onus nullum sustinent levitir, qui certe fiunt viliores: nam erat splendor aliquis, et gratia dare populo voluptates de sua pecunia. Et add. Nov. ut tres tantum designentur Senatusconsulto legitime celebrato, vel ut loquitur judicio senatus: primis temporibus in antiqua Roma fuerunt prætores xviii. quorum fuit amplissima jurisdictio, amplum imperium, quod plane ostenditur in *l.* 2. *de origine juris*, *lex* 2. *h. t.* pertinet ad urbem Constantinopolim, non ad antiquam Romam, sed novam, in qua de edendis præcipuis muneribus, et voluptatibus, fuerunt modo 3. prætores modo 8. ut constat ex illo tit. *C. Theod. de prætoribus*. Ex hac *l.* 2. tres tantum designati. Secundum quod etiam ita definitur in *l.* 12. 13. *in Cod. Theod.* ubi additur Senatusconsulto legitimo, altero loco, Senatusconsulto legitime celebrato, et vocat Senatusconsultum legitimum, quod scilicet legitime celebratum, loco, et numero competenti senatorum confectum. Desiderabantur autem in urbe 50. Senatores ad Senatusconsultum faciendum, *l.* 9. *C. Theod. eod. t.* Est elegans illa lex 9. quæ explicat hunc locum Lampridii in Alexandro, cujus sententia erat ambigua. Et verba Lampridii sunt hæc fere: *nullam constitutionem sacravit sine 20. jurisperitis, et doctissimis, ac sapientibus viris, iisdemque disertissimis non minus quam* 50. hoc vult Lamprid. Severum in facienda aliqua constitutiones adhibuisse 20. Jurisconsultos, et alios doctissimos viros, qui scilicet omnes ad summam non essent minus 50. computatis etiam 20. Jurisconsultis. Denique ut essent Jurisconsulti 20. et alii 30. ut quemadmodum Senatusconsultum exigit numerum 50. ita et constitutio principis tot habeat rectores, sive suffragantes. Est locus valde notandus conjuncta illa lege 8. et recte in *l.* 2. *h. t.* prætores designantur judicio Senatus, et Senatusconsulto, sublata scilicet consulibus potestate designandi prætores, ut in *l.* 12. *C. Theod. eod. tit.* nam pertinebat omnis nominatio prætoria ad consules, ad officium consulum, atque ita constituitur in *l.* 26. et 27. *C. Th.* ut a consulibus prætores deligantur, qui pro modo facultatum suarum voluptates populo exhibeant ex Senatorio ordine: nec erat hæc res aliena valde ab officio Consulum: nam eorum erat descriptio census, et facultatum cujusque, et venientem ad quæsturam necesse erat profiteri suas facultates, ut pro modo earum metiri liceret expensas ludorum. Cum igitur *l.* 2. constituit, ut prætorum designatio fiat Senatusconsulto, hoc jus adjungitur consulibus.

Ad Tit. XL. De officio Rectoris provinciæ.

Proconsul, Comes Orientis, præfectus Augustalis sane sunt Rectores provinciarum sed spectabiles. Hi de quibus agitur hoc tit. sunt clarissimi, et unius tantum provinciæ rectores. Illi fere plurium, et sunt quoque sub illorum cura atque dispositione: et hi rursus, de quibus agitur hoc tit. sunt ii, qui in libris nostris frequenter dicuntur ordinarii judices, Græce ἐνδήμους Nov. 20. et Nov. 112. interpretantur, qui non tantum exactionibus tributorum, et civilibus negotiis, sed etiam militaribus occupantur. Judicabant *l.* 2. §. *In bonorum. D. quis ordo in bon. posses.* appellantur etiam publici judices, *l. pen. sup. de pag. sacrificiis*: atque etiam in *l.* 2. § *ult. D. de judiciis.* Iis est jus multæ dicendæ, quibus publicum judicium est, id est, qui publici et ordinarii judices sunt, in Nov. quadam ἄρχοντας ἀρχόντων hi rectores provinciarum a principe fratres appellantur, ut præfecti prætorio, præfecti urbi, et maxime patritia dignitate præditi, qui erant quasi parentes principis, ut in multis constitutionibus ad eos scribens princeps, parens charissime Augustorum. Rectores autem provinciarum fratres appellabantur, ut Cassiodorus ait in formula Rectoris provinciæ ut *nobilitate pretiosi nominis affecti, ultione criminum abstinerent, et erubescerent, quos fratres suos princeps appellaret, in errata alia incidere*: et simili modo magister officiorum frater charissimus Augustorum in Nov. Theodos. *de princ. agentium in reb.* et in Novell. de metallis: et comes rerum privatarum in eisdem Nov. Theod. *l.* 3. *de tyron.* Sic etiam Cassiodorus sup. eod. loco, Rectorem provinciæ judicare etiam militem, lictorem, apparitorem, præfecti prætorio cum ipsius tamen conscientia, quod est omnino sumptum ex *l.* 4. *hoc tit.* Est autem in hoc tit. valde obscuræ sententiæ l. 6. ceteræ sunt planissimæ et facillimæ. Sed quæso, quid significat l. 6. dum ait, *Civitas Rhodiorum injuriam suam non tam decenter, quam sero conquesta est*, etc. *Il faut oster c'est, et apres periculosa*. Equidem puto neminem potuisse unquam explicare hanc leg. primum quænam est civitas illa Rhodiorum, in qua provincia, quam ei quæsieris etiam diligentissime, frustra fueris diligens, et fuerit tamen necesse est quædam celebris civitas, cujus allevandæ gratia hæc lex condita fuerit, ne scilicet hiemis tempore cives navigationem litium suarum causa, ut interpretor, instituere cogerentur, quoniam tempore hiemis, inquit, navigatio sæpe periculosa, est, propter fluctus maximos, atque etiam alio tempore, semper incerta ut sit quam ipsam rationem cum in causa Rhodiorum inveniam movisse Justinian. in Nov. 41. ne Rhodii tempestate non idonea, puta hiemis tempore litium suarum causa navigarent: cum, inquam hanc rationem, quæ refertur in hac lege inveniam movisse Justinian. in hac ipsa causa Rhodiorum, facile adducor cum sit inauditum nomen Phodiorum, ut credam esse legendum, Rhodiorum, quos, ut obiter moneam, communis error existimat appellari Colossenses in Epist. D. Pauli. In quo versantur etiam magni viri, Eustathius, Cedrinus, et Cyrus Prodromus: sed est gravissimus error, cum ipse Paulus scribat se scribere iis, qui sunt Colossis. Et refert Oecumenius Colossas esse civitatem Phrygiæ. Verum ad rem: ut ex Nov. Justin. 41. atque etiam 50. et ex alia Nov. Justin. Quæstori exercitus, cui præcipua cura incumbit erogandi stipendia militibus, subjectæ sunt 5. provinciæ, Scythia scilicet, Mysia, *qui est vers la Pologne*, in Ponto Euxino: et quamvis ab iis longe discitæ sint Caria, Cyprus et Rhodus. Et, inquam, ex eis Novel. ei subjectæ sunt hæ 5. provinciæ: ita putem easdem provincias ei quæstori exercitus subjectas fuisse ante Just. nam more antiquo, ut scribit Antecessor Julianus in Nov. 50. duplex fuit quæstorum magistratus, unus, qui agebat circa latus principis, de quo est tit. 31. et alter, qui exercitui annonas distribueret, et stipendia persolveret antiquo more. Igitur fuit uterque quæstor. Igitur ei fuit olim quæstor exercitus, videntur etiam honoris augendi gratia positæ fuisse 5. provinciæ sub cura ejus quasi præfecti prætorio, et ut definit Nov. 50. interposita appellatione ipsum quæstorem exercitus cognovisse: et ille quæstor exercitus potissimum agebat in Scythia, et Mysia, hoc est in limitibus Imperii, annonæ militaris procurandæ gratia, quod Justin. testatur in d. Novell. 41. illo igitur constituto, et agente potissimum in Scythia, et Mysia inferiore, perquam erat molestum Rhodiis interposita appellatione a sententiis sui præsidis, qui dicebatur præses, insularum quod sub eo essent Cyclades, et Sporades omnes, et Carpathus, *l.* 4. *inf. de Navicular.* lib. 11. Rhodiis, inquam: molestum erat interposita appellatione a sententia præsidis sui maxime hiemis tempore in Scythiam, et Mysiam navigare: *maxime hyemis tempore*: nam, ut ait *d. l.* 6. sæpe hyemis tempore navigatio est periculosa: alio autem tempore semper incerta; quamobrem de Mense Januario, recte Aratus, et M. Tullius, *hoc cave te Ponto studeas committere mense*. Et Festus Avienus: *Non tum mihi longe phaselis æquora tenentur, non tum fretis turbida plan quæ petat.* In gratiam igitur Rhodiorum, qui etiam permanat ad Cares, et Cyprios, sed rescribitur tantum Rhodiis, aut in rem Rhodiorum, quod ipsi soli de hac re querelam instituissent constituitur, ut judices, sub quorum cura sunt illæ 5. provinciæ, id est quæstores exercitus per vicos hybernent in illis urbibus 5. ut sit, qui potiores ceteris esse asseruntur, id est, in metropolibus earum provinciarum, urbs pro metropoli, *l.* 45. *D. de dam. infect. si municipium sit vicinum urbi.* Basilica μητροπόλεις, et Cicero 2. in Catil. urbes colonorum, et municipiorum, id est, metropoles, et quot sunt metropoles, tot sunt provinciæ. Denique constituitur, ut qui curam gerit harum provinciarum hybernet uno anno in Rhodo, ibique audiat appellationes earum, altero anno in Cypro, et sic deinceps in aliis provinciis: hæc mihi videtur esse sententia l. 6. sed de hac re aliter definit Nov. 41. vide Obs. xvi. 8.

Ad Tit. XLI. Ut nulli patriæ suæ administratio sine speciali permissu principis permittatur.

Hic titul. pars est superioris, nimirum de rectore provinciæ ut scilicet nemo fiat rector, aut præses in patria sua, ex qua originem ducit, vel in qua domicilium habet, Græca constitutione Anastasii Imp. cui similis est *lex ult. inf. de crimine sacrilegii*, et vetustior Antonini Imperator. apud Xiphilinum: μηδένα etc. *nullum præsidatus honore fungi in ea provincia unde initium seu originem sumpsit*. Additur una exceptio nisi is honor sibi a principe delatus sit ultro, non ambiente, ut legimus, Cassiodorum patriæ suæ Lucaniæ et Brutiorum rectorem fuisse, *lib.* 1. *variarum*, speciali beneficio principis: ac similiter nemo potest in patria sua officium fiscale administrare, non potest esse procurator fisci, non potest esse adsessor, sive consiliarius præsidis suæ provinciæ, nisi id ei permittatur spontaneo principis beneficio, *l.* 3. *D. de offic. adsessorum*, *l.* 38. *D. ex quibus causis majores*: rationem reddit Paulus *l.* 5. *Sentent. tit. de jure fisci*, ne aut gratiosus, aut calumniosus in suos esse videatur: quam rationem etiam attingit Cassiodorus in suprad. loco, gloriosum esse admodum in sua patria fungi officio præsidatus, ubi, inquit, necesse est, ut, aut gratiam parentela provocet, aut odium longæ contentiones exasperent. Dices cur prætores in urbe non fiunt, nisi qui in ea domicilium habent, nisi qui ejus sunt cives aut incolæ, *l.* 2. *sup. de offic.*

præt. facile est respondere, quia scilicet prætorum tum erat parva jurisdictio, et pene nulla, et prætura onus potius, quam honor, adeo ut plerique eam detractarent, ut ibi exposui: eadem est ratio magistratuum municipalium, qui ex patria sua sumebantur, sed honor etiam erat multa onera in se complectens, et jurisdictio submissa. Sequitur tit. 42. qui debet esse de officio præfecti annonæ.

Ad Tit. XLII. De officio Præfecti annonæ.

Tit. 42. est de officio præfecti annonæ, et sub eo constitutio Græca: præfectus ergo annonæ clarissimis adnumeratur, et sequenti tit. præfectus vigilum. Senatoriæ igitur dignitatis sunt, et sub Alexandro legimus Ulpianum et præfectum prætorio, et præfectum annonæ fuisse, *l. 4. inf. loc. l. 4. suf. de contrah. stipul.* non fuit igitur vilis dignitas, aut plebeja. Porro magistratus, de quibus actum est superiori tit. omnes sunt legitimi et ordinarii. Iti duo præfecti annonæ, et præfecti vigilum sunt extraordinarii, id est, pro tempore tantum, et necessitate exigente constituti, veluti præfectus annonæ tempore famis, aut caritatis, præfectos vigilum multis in urbe grassantibus furibus, effractoribus, incendiariis. Denique non sunt magistratus proprie, qui ordinarii non sunt, sed extraordinarii, magistratus nominari non possunt, *l. 2. § Capta. D. de orig. juris*, et ii sunt, qui extra ordinem jus dicere dicuntur in *l. Si in aliquem. D. de offic. proconsul.* præses, inquit, in provincia fungitur vice omnium magistratuum, qui sunt in urbe: atque etiam eorum vice qui extra ordinem jus dicunt, veluti præfecti annonæ, præfecti vigilum. Denique sunt extraordinariæ potestates, et tamen excusantur a tutelis et curationibus, quando ea potestate funguntur, *l. Administrantes. §. 1. D. de excus. tut.* Excusantur ergo perinde atque ii, qui ordinariam potestatem gerunt, §. *Et qui potestatem. Instit. eod. tit.* Ceterum præfectus annonæ, ut de eo primum specialiter tractemus, cognoscit non tantum civiliter, sed et criminaliter de iis, quæ ad utilitatem annonæ publicæ pertinent, et ad accusandum admittit etiam mulieres, si qui dicantur flagellasse annonam publicam, aut suppressisse, si qui allegentur dardanarii: sic enim appellantur, qui cogunt frumenta omnia caritatis excitandæ gratia: ut ea deinde summo pretio vendant populo: in causa annonæ publicæ admittuntur ad accusationem mulieres, *l. ult. §. ult. D. ad leg. Juliam de annon. l. Mulierem. D. de accusation.* Regulariter mulier non potest accusare, *l. Qui accusare. D. de accusat.* ac præterea præfectus annonæ, ut quantum possum officium ejus describam, per officia sua, per apparitorem suum exigit frumentariam pensionem debitam urbi Romæ, *l. 2. de appell. præf. annonæ, inf.* præfecti annonæ etiam apparitores habent, *l. 1. inf. de can. frum. urbis Romæ, lib.* xi. et generaliter curat rem annonariam etiam per milites suos, per centuriones; et elegans est in hanc rem species *l. ult. §. ult. D. de pignorat. act.* quæ potest esse hodie usui, quoniam videmus frequentes angariari naves, angariari vehicula militaria annonæ comportandæ gratia, proponitur in dicto § ult. hæc species. Debitor quidam culleos, qui sunt vasa frumentaria, creditori pignori obligavit; istos culleos in horreo suo creditor positos habebat; quidam centurio ex officio annonæ, ex officialibus præfecti annonæ eos culleos sustulit ad annonam comportandam, et ex ea re cullei aliquid detrimentum acceperunt: postea redditi sunt instantia creditoris: quæritur utrum intertrimenti damnum debeat agnoscere creditor an debitor? et ait damnum pertinere ad debitorem, et ad dominum culleorum, nec intertrimenti nomine creditorem debitori teneri pignoratitia, quod æquum est, quia intertritura non accidit culpa creditoris: et quod notandum est, sub cura præfecti annonæ erant mensores frumentarii, *des mesureurs*, quod indicat *l. Mensores. D. de excusat.* quæ dum ait, Imp. rescripsisse præfecto annonæ, mensores frumentarios excusari a tutela, indicio est mensores pertinuisse ad curam præfecti annonæ, de quibus intelligendus Lucilius apud Nonium: *frumentarius est*, inquit, *modium hic secum, ac rutellum unum habet:* vide Observ. st. 8. sub cura præfecti annonæ sunt navicularii, qui annonæ publicæ serviunt, quique ob eam rem excusantur etiam ab aliis muneribus civilibus, adeo ut navicularii, si qui sint, minores 25. annis, qui a principe postulant veniam ætatis, id est, qui ante justam ætatem velint sibi concedi rerum suarum administrationem, et se liberare curatoribus, debeant docere de suis moribus, et honestate apud præfectum annonæ, sub cujus cura sunt atque dispositione, quamque judicem tantum solent agnoscere. Navicularius, qui petit veniam ætatis debet probare mores suos, ut hoc ita ostenditur in *l. 1. C. Theod. de iis qui veniam ætat. imp.* et hæc naviculariorum cura efficit, ut opinor, ut exercitori, id est, nauclero exercenti navem, *c'est le maistre du navire*, detur extra ordinem actio in eos, qui contraxerunt cum magistro navis, quæ est quasi institutoria exercitoria, ex contractu scilicet magistri, quod est mirum, ut ex contractu liberi hominis mihi, qui non contraxi competat actio, et tamen dabitur extra ordinem: maxime si contractus ille nauticus pertineat ad conventionem annonæ publicæ, *l. 1. §. Est autem. D. de exerc. act.* unde pauletim moveor in id atque impellor, ut putem etiam sub cura præfecti annonæ fuisse negotiatores frumentarios, vel horrearios, qui annonam urbis adjuvant: nam invenio in privilegiis, et in immunitatibus negotiatores jungi navicularis, qui annonæ urbis serviunt, ut scilicet omnes pariter sint immunes a muneribus civilibus, *l. Semper. §. Negotiatores. D. de jure immunit.* Et rursus invenio etiam de pecunia debita ex negotiatione annonæ cognovisse, et pronuntiasse præfectum annonæ, *l. ult. D. quod cum eo, etc.* non est dubium sub ejus cura etiam fuisse pistores, et fundos dotales, sic appellabant pistorum emolumentis adscriptos, qui etiam nec poterant alienari, ut nec a marito fundi dotales accepti ab uxore: ii dicebantur dotales fundi pistorum, qui simul cum pistoribus pertinebant ad curam præfecti annonæ, *l. 12. et l. 15. et toto tit. C. Theod. de pistoribus:* at ita præfectus annonæ, ut Cassiodorus ait in formula præfecti annonæ discurrebat per officinas pistorum, et munditiam panis exigebat; eleganter: *sollicitus cura pensari panem, quo Quirites aluntur:* et quamvis jurisdictio præfecti annonæ videatur esse pars jurisdictionis præfecti urbi, et procul dubio sit præfectus annonæ sub dispositione præfecti urbi; tamen præfectus urbi nihil disponere potest de annona, ac vix etiam præfectus annonæ sine præfecto urbi, *l. 1. sup. de off. præfecti urbi, l. 1. C. Th. de conditis in publico horreis*, et a præfecto annonæ appellatur princeps, non præfectus urbi, *l. ult. D. quod cum eo:* licet, quemadmodum dixi, jurisdictio præfecti annonæ videatur esse pars jurisdictionis præfecti urbis: atque ita puto vobis satis abundeque explicatum esse munus præfecti annonæ: loco autem h. t. quidam ponunt t. de quadrimestribus brevibus, vel, ut in alia legi, de quadrimestribus tam militaribus, quam civilibus. Est enim de iis lex *ult. sup. de offic. magistri officiorum*, et *l. 1. sup. de officio comitis sacrarum largitionum;* est etiam inf. *l. 1. de apochis:* ut sufficiunt illæ leges de quadrimestribus brevibus, nec erat necessarius t. specialis, qualis non invenitur in C. Theod. qui fuerint si quæras, expediam breviter. Annonæ quoque collationes solebant solvere tribus pensionibus, *de quatre en quatre mois*, quantum singulis 4. mensibus a publico eis oporteret inferre, id erat scriptum in illis brevibus, in illa notitia tributorum quadrimestrium, ita dicta, quod annonæ tributa solverentur trina illatione.

Ad Tit. XLIII. De Officio Præfecti Vigilum.

Præfectus vigilum spectabilis appellatur in *l. 3. D. eod. tit.* et tamen ordo, qui instituitur in hoc tit. cum ponit inter clarissimos, et quidem novissimum omnium: nam, ut observavimus antea, priore loco vobis sunt expositi magistratus illustres, deinde spectabiles, tum clarissimi, quæ est summa divisio dignitatum senatoriarum: nam equestris, aut perfectissimatus, aut egregiatus dignitas, plebejæ dignitates sunt, non senatoriæ: et qui supra illustres esse dicuntur, ii non constituunt quartum gradum senatoriæ dignitatis: nam cum adjectione hi enim sunt patricii, et consules, et consulares, vel illustrissimi dicuntur: neque novum est ut idem censeatur modo spectabilis, modo clarissimus: exemplo sunt prætores, et silentiarii, qui nocturnas excubias agunt in palatio principis, et tribuni Notarii, *les Secretaires du Prince*, et plerique alii, quos modo clarissimos, modo spectabiles ibi invenias. Porro præfectus vigilum est custos urbis nocturnus, judex obscurus, arbiter silentiosus, ut ait Cassiodorus, indagator incendiariorum et furum, et elegantissime idem Cassiodorus, præfectus vigilum in furibus: furis, inquit, facis dum illos noctu circumvenis, et comprehendis arte quadam. Constantinopoli fuit appellatus prætor plebis, qui Romæ præfectus vigilum, ut constat ex Nov. 13. quæ et omne ejus officium latissimum exequitur, ex qua possis facile cognoscere quæ fuerit jurisdictio præfecti vigilum, et eundem esse præfectum vigilum, et prætorem plebis. Vigiles autem milites sunt, qui obsequuntur præfecto vigilum, *l. un. de bonor. possess. ex testam. mil.* et jure militari testari possunt, *l. Si maritus. §. Legis. D. ad leg. Jul. de adulter.* vigiles etiamsi sint præsentes in urbe, in vico, absentes Reip. causa esse dicuntur, adeo ut si dum navant operam custodiæ urbis, aliquod damnum pertulerint, restitui possint in integrum perinde ac alii, qui longius absunt Reip. causa, et hoc habuerunt consequenter, ut Cassiodorus refert ut momenti tempora eis dilatarentur, quod est maxime notandum: non possis enim alio loco probare quam *d. § Legis*, quod scilicet habeantur pro absentibus Reipub. causa, quibus scilicet momenti tempora non currunt, vel momentaneæ possessionis, id est, tempore interdicti cujuscunque, et possessionis, maxime interdicti unde vi, ei quia eorum possessionem invaserit: ex edicto autem huic rei debent occurrere intra annum, et hoc est momenti tempus, sed hæc præscriptio nihil officit Reip. causa absentibus, et consequenter nihil officit vigilibus. Ceterum de criminibus omnibus, quæ noctu admittuntur, non temere, aut promiscue pronunciabit præfectus vigilum: non de criminibus capitalibus, quæ desiderant graviorem animadversionem. Jus habuit virgarum et fustium, et flagellorum, *l. 3. §. ult. D. eod. tit.* jus gladii etiam habuit in servos fures, non in homines liberos, *l. pen. D. de condict. causa data*, cognitionem habuit in fures, *de leur faire leur procez*, condemnationem non habuit, si graviorem animadversionem furtum exigebat, et eadem ratione habuit animadversionem, et prehensionem, et coercitionem, et cognitionem in servos fugitivos, in *l. 12. de servis fugitivis, l. ult. D. eod. tit.* qui scilicet dicuntur sui ipsius fures, fugam quasi furtum esse, *l. 1. C. de servis fugitivis:* subtrahunt enim se suis dominis fuga: de criminibus ergo capitalibus præfectus vigilum cognitionem habet, sed non coercitionem. Verum eorum criminum reos remittebat ad præfectum urbi puniendos, *l. 3. §. ult. l. ult. D. eod. tit.* et hoc est, quod ait l. hæc unica, quæ scripta est ad præfectum urbi: notandum de capitalibus causis majorem potestatem debere cognoscere, et celsiorem sententiam de iis debere statuere: et similiter Cassiod. in formula præfecti vigilum: *et tibi*, inquit, *leges fures punire minime permittunt, tamen eis licentiam indagandi contulerunt.* Inquisitionem scilicet habent, ac cognitionem, non coercitionem furum atrociorem. Ita legatus proconsulis reos majorum criminum remittit ad proconsulem, *l. 1. sup. de offic. procons.* et similiter adfirmo, quanquam hoc nusquam invenietur scriptum, præfectum annonæ cognoscere quidem de crimine fraudatæ annonæ publicæ, sed non etiam pronunciare, verum remittere reos ad præfectum urbi, ut ipse eos vel condemnet, vel absol-

vat. Est enim uterque præfectus, id est, præfectus annonæ, et præfectus vigilum, ut ex Notitia dignitatum constat, sub dispositione præfecti urbi. Ergo uterque majorum criminum coercitionem transmittere debet ad præfectum urbi, nec sibi eam vindicare, vel reservare. Invenio etiam ut omne officium præfecti vigilum absolvam: equites Romanos petentes a principe veniam ætatis, sicut legibus est definitum, mores suos probare prius debuisse apud præfectum vigilum. Senatores probant apud præfectum urbi, qui nondum pervenerant ad ætatem, et se a curatoribus absolvi exoptabant principis beneficio: navicularii, et supra dixi, apud præfectum annonæ, equites Romani apud præfectum vigilum *l. 1. Cod. Theod. de his, qui veniam ætatis impetr.* Cur equites Romani remissi sunt ad præfectum vigilum? credo quia olim ipse præfectus vigilum creabatur ex equestri ordine, auctore Dione lib. 55. ex Senatorio ordine ex Novell. 13. de pectore plebis, ut non male Tribonianus in hoc tit. 6. posuerit præfectum vigilum inter senatorias dignitates, inter clarissimos.

Ad Tit. XLIV. De officio Civilium Judicum.

Tit. qui sequitur est de officio civilium judicum generaliter. Itaque hactenus est absoluta dignitas Senatoria. Sequentes tit. sunt generales, et pertinent ad disciplinam omnium judicum: tit. 44. est de offic. civilium judicum minorum: post speciales igitur tit. singulorum magistratuum, dantur generales tit. et quia magistratuum, sive judicum una divisio hæc est; alios esse civiles, alios militares. Quid sit proprium civilium ostenditur aliqua ex parte in hoc tit. 44. quid proprium militarium in tit. seq. et tit. 46 et 47. facta divisione alia militarium judicum, ut alii sint superiores, alii inferiores, id est alii illustres, vel spectabiles, alii clarissimi. Quid autem sit commune omnium judicum ostenditur tit. 48. Civiles autem judices sunt quibus est jurisdictio inter privatos, qui de statuunt, et pronuntiant de negotiis privatorum, apud quos causarum privatarum, ut est in *l. 1. hoc tit. merita, et facta panduntur*, quæ verba faciunt ut putem in *tit. de l. gib. l. 3.* ubi est, civilium causarum fata componere, ut adsolavi, alias scribi *facta*: facta potius scribendum, cum in eadem lege 1. ita inveniam scriptum, *merita vel facta*, et panduntur quidem facta contestatione litis: nam contestatio litis nihil aliud est, quam factorum narratio: ex utraque parte merita panduntur ex disceptationibus judicis, vel in ipso articulo litis contestationis, vel post litis contestationem, et ita in *l. 2. inf. si per vim, vel alio modo, etc. merita causarum partium adsertione panduntur*, id est, præsente utraque parte, vide Observat. lib. XVI. 9. Civiles igitur judices sunt, qui de causis privatorum cognoscunt disceptantque, nec se miscent unquam militaribus negotiis, cujusmodi sunt præfecti urbi et prætorio, et ceteri, de quibus inter cetera hoc constituitur in eodem tit. ut judices, quibus cura potissimum incumbit procurandorum, vel exigendarum per sua officia functionum publicarum, ut audiant allegationes eorum, qui asserunt se esse immunes a tributis, ne contemnant statim, nec cogant viribus imperii in *l. 2. hoc tit.* allegatio igitur immunitatis inhibet exactionem: nec enim est contemnenda: sed debet judex expendere et examinare. Et in l. 1. constituitur ut honorati, qui aliquam litem habent, non sedeant cum judice iis horis vel temporibus, quibus eorum lites disceptantur, ut descendant de subsellio judicis et partium conditionem ordinemque servent coram judice, interim dum eorum lis agitur vel contestatur: sed qui sunt honorati, satis est obscurum. Interpreti C. Theod. Aniano scilicet; honorati sunt curiales vel decuriones, qui sunt ex corpore curiæ: hoc est manifeste falsum, quia curiales non habent jus sedendi in secretario præsidis provinciæ: et sæpe curiales separantur ab honoratis, et in summa, in singulis civitatibus sunt 4. ordines, alii sunt Episcopi et Clerici, alii honorati, alii possessores, alii curiales, de quibus omnibus in Epistolis Cassiodori: possessores sunt exactores tributorum, et non tantum in Epistolis Cassiodori, sed et in *l. Jubemus. inf. ad l. Jul. repetun.* et in *l. 8. inf. de defensorib. civit.* et *l. ult. inf. de vendend. reb. civit. lib.* XI. non sunt igitur honorati confundendi, imo secernendi a curialibus, nec ii curiales: honorati sunt absoluti muneribus curiæ: falsum etiam quod hoc loco ait Accurs. honoratos esse advocatos: ut autem advocatis quoque non est considendi potestas cum judice, sed assidendi quasi consiliarii, *l. ult. inf. de adsessoribus*, non potest esse quis adsessor judicis ordinarii et advocatus: vel deponat advocati officium, et sufficiat adsessori, vel permaneat in officio advocati: non potest igitur advocatus considere in secretario judicis, et hoc l. 1. ostendit, honoratos habere consessum in secretario judicis præterquam si de eorum rebus agatur. Et præterea quamvis laudis forte captandæ gratia aliquando possint honorati gratuito causam aliquam agere, tamen non sunt ex corpore advocatorum, et gratuitam debent operam navare, quam tamen advocati non præbent gratuitam, quia non sunt honorati, quæ est sententia *l. Quisquis. inf. de postul.* ubi tamen recte Accurs. honoratos habere dignitatem sive administrationem, id est, donatos esse honoraria dignitate vel Comitis, vel Quæstoris, vel qua alia cujusmodi sunt principales civitatum iidem, qui honorati, id est, perfuncti sunt omnibus muneribus Reipub. per ordinem, ut ait *l. 75. C. Theod. de decurionibus*, *l. 7. C. Theod. de pistoribus*, et qui erant donati. ii sunt principales civitatum, et honorati, scilicet titulo comitis ac privilegio sive administratione, et est valde elegans in eam rem *d. l. 75.* et generaliter honoratos dicimus, qui honorariam adepti sunt dignitatem civilem vel militarem, ut ait *l. 1. de honor. vehic.* quæ etiam eis permittit in urbe Roma antiqua et nova uti carrucis, licet nulla administratione fungantur: honoratis igitur jus est datum currus sive quadrigæ, non in provinciis tantum, sed et in urbe regia jus est ingrediendi consistorium principis, et sedendi cum judice ordinario, cum præside provinciæ, in *l. ult. infra, de officio diversorum judicum: et honoratis*, inquit, *sedendi cum judice societas non denegatur*, sed l. 1. excipitur tempus, quo de eorum litibus disceptatur.

Ad Tit. XLV. De Officio Militarium Judicum.

Militares judices sunt, quibus inter milites, aut inter privatum actorem, et militem reum jurisdictio est, veluti comites et magistri equitum et peditum, sic appellantur in inscriptione l. 1. Comites et magistri utriusque militiæ, id est, equitum et peditum, de quibus habuimus tit. de officio magistri militum: horum, inquam, jurisdictio est inter milites, *l. pen. inf. de jurisd. omnium judicum*, vel inter privatum, et militem: nam actor sequitur forum rei: hujusmodi etiam sunt Duces et Comites rei militaris: hi habent jurisdictionem inter privatum actorem, et militem reum, non inter privatos sive paganos, non inter privatum reum, et militem actorem, eadem ratione, quia actor sequitur forum rei, *l. 2. eod. tit.* Civiles judices habent etiam suos judices, id est, lictores et apparitores, quorum tamen officio se immiscere non debent milites in numerum relati in causis privatorum tuendis et exequendis, *l. 1. eod. tit.* eorum scilicet militum, qui sunt sub cura, et dispositione magistri militum, vel ducis rei militaris. Itaque *l. 1.* nihil obstat *l. Qui restituere. D. de rei vindic.* et pleræque aliæ similes, quibus ostenditur, prætorem ad extremum exequi suam sententiam manu militari adversus non obsequentem: nam de manu prætoria intelligendum est, non de militibus, qui castra sequuntur, qui sunt in expeditione, sed de officialibus, de cohorte prætoria: magistri militum exequuntur suas sententias, ut prætor, quia habent suos apparitores.

Ad Tit. XLVI. De officio Tribuni et Comitis Militaris.

Ex militaribus judicibus alii sunt inferiores, alii sunt superiores. Superiores, veluti magistri militum, qui sunt illustres, et duces militum, qui sunt spectabiles, de quibus actum est tit. 45. et sunt ex majore laterculo. Laterculum jam docui esse librum, in quo digestæ sunt dignitates omnes, majores in majori laterculo, cujus cura pertinebat ad primicerium Notariorum, hi sunt a secretis principis: minores in minori laterculo, cujus cura erat quæstoris sacri palatii, *l. 1. sup. de officio quæstoris*, *hoc tit.* est de inferioribus militaribus judicibus, qui emittuntur de minore laterculo id est, de clarissimis: hi sunt tribuni et comites rei militaris, *c. est tout un*, tribuni et comites, *mais il s'appel' ni aussi comble*, et præterea tribuni numerorum, et cohortium, et præfecti castrorum honorati comitiva dignitate, de quorum officio erat sub hoc tit. constitutio Græca, quæ desideratur, sed pertinebat ad inferiores militares judices.

Ad Tit. XLVII. Ne comitibus rei militaris vel tribunis lavacra præstentur.

Est etiam constitutio Latina posita sub hoc tit. de militaribus judicibus inferioribus, id est, de tribunis et comitibus rei militaris viris clarissimis. In contextu ejusdem legis est legendum, aliorumve minorum comitum: in C. Theod. scriptum est, inferiorum, *l. 2. eod.* a t le summa, constituitur in hoc tit. ne inferiores judices militares a provincialibus, qui eos hospitio excipiunt exigant privata balnea, quæ licet exigere solis comitibus, et magistris utriusque militiæ. Et dicit privata balnea in hoc tit. lavacra, *l. 2. Cod. Th. de metatis.* Invenio simpliciter appellari privata, ne præbeantur privata, quod cum posset videri obscurum Tribonianus immutavit in *l. 6. inf. de metatis, lib.* XII. in Theodosiano, ne privata præbeant. Justin. ne privata balnea præbeant sive succendant, ut ita invenies apud Constantinum l. 2. privata simpliciter accipi pro balneo, quam vocem nostra lingua retinet, et consequenter in Basilicis ad *l. 8. de metatis*, additur, ne etiam provinciales cogantur militibus aut comitibus inferioribus præbere [illegible], quæ nihil aliud sunt quam lintea, quibus loti exsiccantur. Est frequens vox apud Theod. Priscianum, Apicium. *Sabana munda exterges.* et in colloquiis illis quotidianis antiquis, [illegible] et sæpe apud Absyrtum [illegible] et apud Marcellum Empiricum, quam vocem mulieres hujus provinciæ integram retinent, nam linteum, quo caput obnubunt vocant *un chabana*.

Ad Tit. XLVIII. De officio diversorum Judicum.

Sequitur tit. 48. de Offic. diversorum Judicum, sive magistratuum, qui sunt ex ordine Senatorio. Memini me dixisse alios esse illustres, alios spectabiles, alios clarissimos, de quibus diligenter hisce gradibus observatis actum est titul. superioribus: nunc quæ sunt communia omnium judicum, tam civilium, quam militarium hic tit. expedit. Item de iis, quæ sunt communia omnibus, vel diversis judicibus cujuscumque ordinis, vel illustribus scilicet, vel spectabilibus, vel clarissimis, hic tit. dat omnibus præcepta, etiam in Cod. Theod. scriptum est de officio omnium judicum: nam de diversis cum dicis, omnes dicis, et alius est titul. lib. 3. de jurisdictione omnium judicum. Denique sunt duo tituli separati, de officio omnium judicum, et de eorum jurisdictione. Unde quæri potest quid sit inter jurisdictionem, et officium discriminis: et sane officium judicis latius patet quam jurisdictio: officii significatio latior est, quam jurisdictionis, nam jurisdictio ea tantum complectitur, quæ proprio jure quasi innata magistratui ingenitaque pertinent ad notionem magistratus: officium

judicis complectitur ea, in quibus nulla jurisdictio est, et quæ non jure magistratus competunt, sed lege speciali dantur. Igitur modo magistratui, modo privato dantur. Igitur non ut magistratui tantum, sed etiam privato, cujusmodi est tutoris datio, *l. 1. de jur sdict. omnium jud.* jus dicentis officium latissimum est, latius est, quam sit jurisdictionis: quod ita declarat exemplis; nec enim recenset omnia, quæ pertinent ad officium judicis: nam, inquit, et bonorum possessionem dare potest, et in possessionem mittere, hæc non sunt jurisdictionis, et pupillis non habentibus tutores constituere, et judices dare: hæc non sunt jurisdictionis: judicem dare possunt more majorum propter vim ipsam imperii, seu magistratus quo funguntur in urbe, *l. Cum prætor. § 2. D. de judiciis*, et ita in *l. Imperium. D. de jurisdict.* omnium judicum, quæ pertinet ad urbanos magistratus, quantum indicat inscriptio de officio Quæstoris. Jurisdictio, inquit, est judicis dandi licentia: non est jurisdictionis definitio, sed hic est sensus, quam satis aperuit, vel articulus vel etiam jurisdictio mixta imperio proprio magistratus, vel retro, imperium mixtum jurisdictioni est proprium, magistratus non tantum consistit in danda bonorum possessione, et aliis quibusdam, sed etiam in dando judice speciali in singulis quibusque causis secundum mores, quibus ordinaria judicia Romæ exercebantur. nam extra ordinem ipsemet magistratus judicabat, nec judicis datio erat. Ergo in urbe judicem dare est jurisdictionis: namque omnes magistratus urbani cujuscumque ordinis, ut ait *l. ult. D. a quibus appell. non lic.* judicem dare possunt suo jure, etiamsi nulla lex hoc eis nominatim permiserit: hæc enim facultas dandi judices non est legis, sed jurisdictionis. Ceterum in provinciis, potestatibus, provincialibus hoc jus datur lege, non competit proprie, *d. l. Cum prætor. §. Aut:* atque ita in provinciis verum est, judicis dationem pertinere quidem ad officium judicis, sed non ad jurisdictionem, juris eam esse, non jurisdictionis, sed recte tamen pertinere ad officium ejus, qui imperium habet: non jurisdictionem, si nominatim hoc ei lex, vel princeps, vel senatus dederit licentiam dandi tutoris: quod lege specialiter datur, semper separandum est ab eo, quod competit magistratui suo jure, tacito jure, non dato nominatim lege aliqua. Denique tutoris datio non est jurisdictionis; tutorem namque dat, et qui jurisdictionem nullam habet, puta privatus quis dare potest, veluti impuberibus filiis, quos habet in potestate, quia lex 12. tabularum hoc ei dedit, *l. 1. de testam. tut.* eodem modo legatus proconsulis, qui non est magistratus, tutorem dare potest ex oratione D. Marci, *l. 3. D. de pat.* et *l. 3. §. Nam edicto. D. judicatum solvi*, ubi dicitur, jus esse agendi, jus exercendi actiones pupillares, vel excipiendi actiones, quæ intenduntur contra pupillum tutori, cui data est, et alio loco, cui tutela permissa est ab eo, cujus de ea re jurisdictio est. Ergo tutelæ datio jurisdictionis est, si non datur tutela ab omnibus, sed ab iis, quorum ea de re jurisdictio est, sed tutelæ nomen est amphibolon: tutela illo loco, est tutelæ administratio, ut recte Accursius interpretatur, non vis illa et potestas data in pupillum, et res omnes. Ita jus habet: quando plures tutores sunt dati pupillo testamento patris, ne tutela per multos spargatur, et ut facilius unus tutor exerceat actiones; eligatur unus ex pluribus, qui solus administret tutelam, aliis succedentibus in periculum tamen administrationis, nisi observarint administrationem, et ubi res exigit sui officii commonefecerint: eligatur, inquam, unus ex pluribus, vel a majore parte tutorum, vel etiam a prætore, ad quem hujus rei cura et jurisdictio pertinent, *l. 5. §. pen. et ult. D. de administr. tutor.* Electio unius tutoris jam electi constituta ue a prætore, qui administret, est jurisdictionis, quia modum facit administrationis cujusque, *l. Inter de administr. tutor.* Tutelæ datio non est jurisdictionis, et continetur tamen sub officio jurisdictionis, sive judicis, *d. l. 1. de jurisd et. omnium jud.* et ut addam aliud exemplum, et hoc quidem solum, judicii publici cognitio, quæstio, executio, et quod majus est, judicii executio publica, et animadversio criminum, non est jurisdictionis: et ob id imperium, quod in ea re consistit, dicitur non mixtum jurisdictioni, sed merum, sejunctum a jurisdictione. Est aliud imperium, quod jurisdictionem comitatur adhæretque, ac vicissim eidem imperio jurisdictio, sed est vicissim aliud quod non adhæret, et quod non jure magistratus, sive jurisdictionis competit, vel ut ait Hyeronimus, quod non est ἀκόλουθον ἐν τὴν ἀρχὴν, sed lege datur, etiam privato, *l. 1. de offic. ejus, cui mand. est jurisdict.* l. *Aliud §. u t de verb. signific.* pœnam irrogat is etiam, qui magistratus non est, disciplinam publicam emendat non magistratus tantum, si modo ei lege data sit criminum executio, ut legimus Pompejum, cum antea privatus esset, missum fuisse cum imperio contra Sertorium, Philippica 2. et æque privatum eundem cum consulari imperio, in oratione pro lege Manilia. Lege autem datur et cognitio publici criminis, et animadversio, quod est merum imperium, et cui ea obtigerit, *d. l. 1. de officio ejus, cui mand. est jurisd.* id autem est, cui sorte obvenerit quæstio, sicut in *l. 2. de bonis eorum, qui mort. sibi consciver.* scriptum est, judicium de reis Romæ sorte reddi, ubi vulgo perperam *forte* pro *sorte*, atque ita sorte publica quæstio obveniebat etiam privato, qui judex quæstionis, *l. 1. D. ad l. Cornel. de sicar. Qui magistratus*, inquit, *judexve quæstionis*, separetur a magistratu: ergo privatus et magistratum intelligit, id est, prætorem, qui legibus quærit de sicariis, et proconsules, apud quos etiam legimus reos publicorum judiciorum postulari, l. 3 *D. de accusation.* Et integrior lex Cornelia de sicariis hæc est, ut is prætor judexve quæstionis, cui sorte obvenerit quæstio de sicariis, ejus quod in urbe Roma propius mille passus factum erit, ut quærat cum judicibus, qui ei sorte obvenerint. Judici quæstionis adjungebantur judices, sive adsessores, et omnes quidem sortito sumpti, etiam judex ipse primarius. Judex quæstionis igitur judex est primarius, cui sorte quæstio publica ex lege, et secundum quod lege publici judicii præscriptum est obtigit, quoniam publicæ quæstioni præest, ut sit *l. 1. De sicar.* Judex qui præest quæstioni in *l. pen. o l. Corn. de fals.* Criminum ergo punitio atque cognitio legis est, quæ eam dat, etiam privato, cui sors dederit, jurisdictionis, non est: etsi obtigerit sors magistratui, dederitque cognitionem publici judicii, non eam dicemus ei competere propter jurisdictionem suam, ut jurisdictionis suæ sed legis beneficio, simul ac sortis ductæ ex lege: non negabis tamen et quod legis est, non jurisdictionis, esse sub officio magistratus: unde intelligitur quam merito l. 1. *de jurisd.* dicat, jus dicentis officium esse, quia scilicet comprehendit etiam ea, quæ non sunt jurisdictionis, et hinc etiam consequenter apparet, quam officium sit a jurisdictione diversum. Sed et quædam communia in hoc tit. proponuntur esse omnium judicum: proponuntur non omnia, sed quædam hæc sunt, ut ob publica tributa, functiones ullius judicis auctoritate, matresfamilias e domo extrahantur in forum, sed si nolint satisfacere publicis functionibus, cogantur captis ut distractis pignoribus, non etiam vi ipsa domo extrahantur, *quæ intra domum suam decato sexu simul contineant*, ut est in *d. l. 1.* juxta symbolum illud Veneris calcantis testudinem, non loquitur lex de muliere vulgata, sed de matrefamilias, quæ non temere prodit in publicum, et inde ἐξ ἀντιθέσεως intelligitur mares ea hac causa transire in publicum. Et est excipiendus a *l. 21. Sed etsi. D. de in jus voc.* ob publici debiti causam extrahi potest mas. Et mirum est, quod sanctio subjicitur, id est, pœna, ποινάλιον, ut judices, qui temere eduxerint mulieres a domo, habeantur inter maximos reos criminum capitalium; hos vocat maximos reos τοὺς ἐπὶ τῆς μεγίστης αἰτίας δεδημένους, ut ait Josephus in libris περὶ ἁλώσεως in *C. Theod. sub. eodem tit. l. 2.* agebatur etiam sollicite de viduis simul ac de pupillis, et de personis morbo, vel infirmata fatigatis, ut non suam provinciam excedere cogerentur suarum litium gratia, et ne evocarentur in comitatum principis ullius judicis jussione, quam constitutionem tamen Justin. maluit referre in *lib. 3. quan. Imper. inter pupil. et vid.* sed in *l. 3. ejusdem C. Theod.* quod maxime notandum est, nec relatum in eundem titulum, additur quod etiam commune est omnium judicum, ut judices provinciarum cujuscunque ordinis sint, ipsi sibi componant in provinciis prætorium, nec cogantur provinciales id eis præstare, sed ut ipsi suis sumptibus habitationem instruant sibi, ac præterea sint contenti annonis et cellariis, sic *d. l. 3.* id est, penu omni, quem ferunt ex publicis horreis, nec quicquam exigant a provincialibus annonarum nomine, nec exigant panes civiles, ut vocatur alibi: ac præterea nihil quicquam exigant cellariensium specierum nomine, ut salem, vinum, oleum, ligna: quod etiam invenitur constitutum in *l. 32. C. Th. de erogat. milit. ann.* et eodem modo locutus est Sulpitius Severus in sacra Historia: *quibus omnibus annonas et cellaria dari Imperator præceperat.* Igitur omnibus judicibus provincialibus rectissime præscriptum est, ut essent contenti annonis et cellariis, nec iis onerent provinciales: ut etiam sibi habitationem componant, non eis provinciales: ubi est habitatio judicis, ibi prætorium est. Etiam in eod. tit. id præcipitur omnibus judicibus ne confundant gradus dignitatum, puta l. 3. dico l. 3. quia adnotandum est, secundo loco deesse constitutionem Græcam, quam plerique existimant deperiisse: sed ego diligentius observato ordine legum et officio judicum provincialium, quo sunt ordine digestæ in Basilicis, quam legem existimabam esse locandam ultimo loco de officio Rectoris provinciæ, eam esse potius reponendam censeo sub h. t. et sit l. 2. ut ea est a me relata inf. in *l. ult. de delatorib.* cujus tenor plane demonstrat, eam proprius convenire eidem tit. quia generaliter interdicit comiti rerum privatarum, et judici cuilibet urbano, aut provinciali, quod argumentum est certissimum communem esse omnium judicum, atque adeo deberi proprie hoc tit. et interdicit igitur omnibus judicibus, ne quemquam audiant delatorem deferentem sive denuntiantem aliquem thesaurum invenisse, qua ex causa olim erat permissa denuntiatio, *l. 1. D. de jure fisci*, principibus sibi vindicantibus thesaurum, quem alius invenisset. auctor l. 1. videtur concessisse dominium inventori. Et sane de hac re cujus sit inventus thesaurus, principis, an inventoris, an domini possessionis, aut quota ex parte, jus certum nunquam fuit, sed pro arbitrio hac de re unusquisque constituit. Novitor videtur auctor l. 2. qui ex hac causa non admisit delatores, sed adjicit ut admitterentur delatores, qui enunciarent rem aliquam fiscalem ab alio possideri, quos tamen rursus non antea voluit audiri, quam dedissent fidejussores usque ad summam librarum auri 5. quam summam se fisco daturos promittunt si non probent. Et ad finem l. 2. definit, ut ne ante definitivam sententiam de ea re, quæ fisco denuntiata est quasi sua, ullus judex rei ab alio possessæ imprimat sigilla ulla, infigatve titulos, qui argumentum præbeant rem esse fiscalem, quia nondum videri potest rem esse fiscalem, antequam de eo pronuntiatum sit: sed ut cœperam docere, lex, quæ præcipit omnibus judicibus, ut inter se servent gradus dignitatum, puta, ne minor judex majorem in subscriptionibus appellet fratrem quasi parem: quod notandum maxime. Judex minor solet referre quoties aliqua litis emergit dubitatio ad majorem judicem, puta præfectus annonæ ad præfectum urbi legatus proconsulis ad proconsulem: sed illis relationibus est quædam subscriptio qualis in rescriptis principum, ut cum scribunt principes illustri viro atque patricio, solent in extremo epistolæ ponere, parens carissime Augusti: et quoties scribunt præsidi provinciæ, solent in fine F. C. id est frater carissime, ut ex Cassiodoro retuli: et ita etiam judex cum judici scribit, solet in fine suo honore suoque titulo significare, et major minorem quidem appellat fratrem, minor majorem nequaquam. Ergo in subscriptionibus sic est in extremo legendum, quod ita interpretantur Basilica ἀδελφότης etc. sed quis-

que vocet eum suo titulo, ut illustrem, clarissimum. Et ultimo loco hoc omnibus judicibus præcipitur, ut se in consessu mutuo honore prosequantur, ut non negetur facultas honorato sedendi in secretario judicis: honorati non sunt advocati, non curiales, ut ostendi alias, sed sunt principales civitatis, qui perfuncti omnibus Reipublicæ muneribus, tandem quiete et otio sunt donati, addita honoraria dignitate comitum, et generaliter, qui adepti sunt honorariam dignitatem etiam sine administratione: et ut ingredi possint consistorium principis: possunt igitur et in secretaria judicia considere, præterquam si de rebus eorum agatur, l. 1. *de officio civilium judicum*, l. 2. *inf. de proximis sacror. scrin. lit.* irrogata multa non tantum judicibus, qui eis denegaverint sedendi societatem, sed etiam apparitoribus eorum, quales sunt, qui nominantur *d. l. 1* et *l. ult. eod. tit.* principes, primates officiorum. Et ea apparitoribus multa, ex officialium gradibus multa recte hi nominantur primates officialium, consiliarii et principes, quia per hos patebat ingressus, et consessus in secretarium. Cassiodorus 7. de principe officiorum: *Sine his*, inquit, *non præstatur in secretariis consessus, nec oscula de pompa peragitur*. Per principem igitur officii patet accessus ad judices, et osculatio, qui mos erat veterum, ut honorati sese invicem oscularentur. Et ex eo intelligitur alios esse principes, alios primates officiorum: nam princeps officii unus erat, qui eo perveniebat in apparitione perfunctus omnibus gradibus militiæ, l. 5. *de offic. mag. officiorum*, et Sozimus Pontif. Romanus in Epist. ad Rodolphum, officia singularis principum locum non vestibulum, actionum ingressus, sed per plures gradus examinatus, officii jus definivit, et hic prælectus primi ordinis exibat. Primates autem officii erant plures, sicut in scholis erat unus magister et proximus, et comes dispositionum: erant plures primates officiorum, *l. 2. inf. de proximis sacr. scrinior.* sed absente principe: per hos etiam admittebantur, qui ingredi optabant secretarium principis, vel his absentibus per satellites et cornicularios, qui adsunt ex utroque latere principis, vel etiam judicis secretarium, ut indicat Cassiod. sicut in Ecclesia, qui in utroque cornu altaris stant clerici, sunt corniculari, cum sacerdos fungitur munere sacro: sic per cornicularios patebat aditus ad principia et judicis secretarium.

Ad Tit. XLIX. Ut omnes Judices tam civiles, quam militares post administrationem depositam quinquaginta dies in civitatibus vel certis locis permaneant.

Quod est in tit. 49. est etiam commune omnium judicum provincialium tam civilium, quam militarium, ut verba ipsa tituli aperte demonstrant. Est igitur hic tit. pars superioris, et aliquot etiam sequentes sunt communia omnium judicum. Porro in hoc tit. est constitutio una Zenonis, in qua cavetur, ut judices perfuncti administratione, dies 50. in certis locis permaneant. Judices cum dico, magistratus vos intelligere volo, et placet eorum definitio, quæ obiter proponitur in *l. 13. C. de adsessor.* magistratus est is, cui Resp. gerenda committitur: et judices cum dicimus in hoc tit. magistratus dicimus, non eos judices, qui cognitionem tantum habent, non jurisdictionem, vel imperium, qui tantum de rebus certis cognoscunt, et sententias suas non exequuntur. De magistratibus igitur hæc est constitutio Zenonis, et perfuncti administratione postquam successorem acceperint: nam omnes magistratus Romæ erant temporales, permanebant diebus 50. clarissimi in Metropoli provinciæ, speciales in majoribus et potioribus civitatibus administratæ diœceseos: nam spectabilibus committebantur diœceses, clarissimis singulæ provinciæ. In hac constitutione de illustribus judicibus nihil exprimitur, quia sunt aulicæ, non provinciales potestates. Constituitur etiam, ut in publica faciant sui copiam, ut cum eis sit civiliter experiendi facultas cuilibet de furtis, inquit, aut criminibus, de furtis, de pecuniis repetundis lege Julia repetundarum: de aliis criminibus, veluti ut est in *l. ult. inf. de modo mult.* de peculatibus aut manubiis, id est, deprædationibus, concussionibus, aliisque flagitiis, sive cum eis agatur jure ordinario ex legibus aut Senatusconsultis, sive extraordinario; et eam rem sive litem Zeno vult definiri intra dies 20. quo cœpta fuerit, et interim reum committi juratoriæ cautioni sive repromissioni, qui affirmet se permansurum in judicio usque ad exitum litis, *pour ester en jugement*, sic dicitur in *françois*. Confirmatur autem hæc præscriptio Nov. 128. 161. et 95. ut ex Novel. quidem 8. constat, in hac constitutione Zenonis, illo loco, *nec ultum ante præfinitum tempus*, certo esse legendum, *vel divina revocatoria*, non se excusat, quin minus permaneat per 50. dies propter divinam revocatoriam, qua se ostendat avocari a principe. Et in libris nostris evocatoria dicitur promiscue, et revocatoria. Quod autem quidam scribunt et adnotant in ora hujus constitutionis, idem omnino fuisse cautum *l. Julia repetund.* prolata auctoritate Cicer. falsum sane, aut vanum, aut fictum est. Nam quod ait Cic. 2. et 5. Epist. lege Julia cautum ne rectores provinciarum decederent, ante quam rationes pecuniæ publicæ confecissent, et deposuissent consolidatas, hoc non est de excipiendis actionibus eorum, qui eos de furto, vel de aliis criminibus accusare voluerunt, ut constat ex *l. Sacrilegi. §. ult. D. ad leg. Jul. pecul.* potius ad *l. Jul. de residuis*, quam ad *l. Jul. repetund.* cui obnoxius redditur, qui non consolidatas rationes reddiderit, quas alias dicimus consummatas, *l. Si plura. D. de ædil. edicto*, *l. 3. inf. de execut. rei judic.* porro hæc constitutio Zenonis locum habet non tantum in judicibus, sed etiam in assessoribus eorum, cancellariis, et domesticis, *l. 3* et *8. inf. de adsessor.* nam et ii 50. dies debent permanere in provincia, et duplum læso, et duplum fisco reddunt, si quid rapuerint: et ad judicum militarium etiam mancipularios, et ministros pertinet hæc lex, *l. 1. D. ad leg. Jul. repet.* qui gradus est infimus militarium judicum: et putem ex hac constitutione Zenonis in *l. 3. inf. de assessorib.* quæ prior fuit constitutione nostra, Tribonianum adscripsisse 50. dies: nam ante Zenonem longius videtur fuisse præscriptum tempus ad manendum. Certe ex Nov. Theod. et Valent. de tributis fiscalibus sunt præscripti 90. dies, sive tres menses, ut sane putem in l. *ult. C. Theod. de assessorib.* esse legendum *per continuos tres menses*, ut scilicet cancellarii judicum *les Secretaires*, et domestici per continuos tres menses permaneant post depositum officium, non ut vulgo legitur, *per continuum triennium*: nam quid hoc est? Et eadem Nov. hanc quoque harum constitutionum eleganter reddit causam, *ut eorum positi judices bene actæ rei laudibus fruantur*: aut certe, *Si direptionis alicujus conscii fuerint, discessus celeritate non se subtrahant*: alias enim in provinciam retrahentur, et ibi tunc si a fuga in provinciam retracti fuerint, remanere sex menses in provincia coguntur.

Ad Tit. L. De officio ejus, qui vicem alicujus judicis, vel præsidis obtinet.

Est etiam hic tit. communis omnibus judicibus de officio ejus, qui vicem alicujus judicis, vel præsidis, *il faut oster cela, vel præsidis*. Et hic etiam tit. est de quocunque judice, vel de eo, qui cujuscunque judicis locum tuetur. Et quisnam vero ille est? an vicarius præfecti urbi præfective prætorio? minime: nam hic magistratus est, qui propriam jurisdictionem habet, et ab eo nihil accipit juris: dicitur vicarius, sed lege ei data est jurisdictio omnis, qui jurisdictioni præest magistratus est, hic de quo in hoc tit. agitur, non est magistratus. Denique non est vicarius, non legatus, non is, cui præses mandavit suam jurisdictionem, sed ut est scriptum in *l. 1. D. de tutor. et curat. dat.* is est, qui moderamen provinciæ temporis causa obtinet, *par provision*, præside, puta, defuncto, aut in itinere lapso cum in provinciam iret: vel etiam cui alia ex causa provincia regenda commissa est ad tempus: atque ita nonnunquam procurator Cæsaris sive Catholicus, *le general*, fungebatur vice præsidis, *l. 1. inf. de pedan. judicib.* *l. 2. inf. de pœn.* *l. 3. ubi causa fisc.* ut Pontius Pilatus erat Procurator Cæsaris in Syria vice Cæsaris, ut etiam Quæstor ille, qui pecuniæ publicæ causa mittebatur in provinciam. Proconsul nunquam fungebatur vice Præsidis. Porro is, qui fungitur vice præsidis ea omnia potest, quæ præses ipse, et quæcumque pertinent ad jurisdictionem vel officium judicis seu præsidis. Judicis nomen est generale, *l. 4. de offic. præsidis*. Ergo ei qui vicem obtinebat alterius judicis, permissa erat ejus potestas, cujus vicem tuebatur, et erat apud eum legis actio, ut apud judicem ipsum, *l. 2. eod. tit.* Nam curatorem et tutorem dare poterat quod legis est, non jurisdictionis. Item poterat decreta interponere de alienandis vel rebus minorum vel decurionum, et decreti interpositionem constat esse legis, non jurisdictionis: nec enim alii licet decreta interponere, quam ei cui lex dedit nominatim: erat etiam apud eum legis actio. Nam ut ait *d. l. 2.* apud eum et emancipationes et manumissiones fieri poterant, quæ tamen omnia non temere competebant vel legato proconsulis, vel ei cui mandata erat jurisdictio, quæ ei quidem competebat, sed non officium ejus omne, verum huic generaliter omnia permittuntur, quæ ipsi judici, cujus locum tuetur.

Ad Tit. LI. De Adsessoribus, Domesticis, et Cancellariis Judicum.

Principi solus erat adsessor quæstor: adsessores sunt Jurisprudentes, qui consilio juvant judicem, *l. 1. C. Theod. de Comitibus, qui illustrib. agentib. adsident*, vel ut eo modo pene est scriptum *l. 7. eod. tit.* qui consiliis propriis juvant administratores civitatum. Et ita Macarius Homil. 15 ὅταν etc. Adsessores non sunt judices: nam nec libellis supplicibus possunt subscribere, *l. 2. eod. tit.* nec causas dirimere, sive judicare absente magistratu, quæ est constitutio Græca, quæ desideratur in hoc tit. l. 13. cujus fit mentio Nov. 60 cap. 2. ut sine magistratib. adsessores non præbeant audientiam litigatoribus, qua de re etiam Justin. idem profitetur constituisse. Igitur in hoc tit. desiderantur duæ constitutiones, Græca una Zenonis, altera Justiniani ejusdem substantiæ, nec quid agat adsessor sine judice, cui adsidet, et ob id utramque constitutionem auctores Basilicorum uno versu sunt complexi, μηδέποτε χωρὶς τῶν ἀρχόντων. etc. ne ullo modo sine magistratibus assessores judicent, magistratuum usurpantes nomina, et apponentes in sententiis, ac si a magistratibus manassent: non sunt igitur judices, sed habentur quodammodo in partem judicum, ut ait Cassiodorus lib. 11. Variarum scribens ad Ambrosium quemdam adsessorem suum in præfectura prætoriana, et eodem modo Imperatores in *l. Divus. C. Theod. de his qui a mun. st. trad. sunt*. quædam uniuscujusque judicis portio videtur adsessor, et ut constat ex *l. ult. eod. tit.* etiam chartis judicia quibuscumque, puta sententiis, adsessores sua signa imponunt. Jurisprudentes esse constat *l. 1. h. t.* et *l. 1. eod. tit. D.* Nam ab adsessoribus exigitur prudentia juris, quæ non exigitur in magistratu cui adsident: nam plerumque magistratus viri militares juris imperiti, quibus gratis princeps habita virtutis ratione non peritiæ dabat magistratum. M. Tullius pro Plancio: Popul. Rom. magistratuum virtute, et innocentia contentus est: quotus enim quisque disertus, quotus jurisperitus est. Denique magistratui dolus quidem, sed non imperitia imputatur, *l. 2. quod quisque juris.* Iidem etiam sæpe in jure dicuntur comites, et participes, comites scilicet sedendi, ut Cic. loquitur, et participes consiliorum vel consiliarii,

vel consiliatores, quod idem est. Dominum Jesum Christum, quem Sybilla appellat σύμβουλον, Lactantius interpretatur consiliatorem, et quem Homerus vocat βουληφόρον ἄνδρα, Fulgentius interpretatur *consiliatorem Deorum*. Sed quæri inspicique dignum est, quinam sint ii, qui adsessoribus junguntur, domestici scilicet, et cancellarii judicum, quod facile expediam. Cancellarii sunt, qui sunt judicibus a secretis, qui secreta secretarii judicum custodiunt, ut ait Cassiodorus, et Cancellarii appellantur, dantque operam scribendis, et expediendis Epistolis, jussionibus, edictis, responsis, sententiis, et aliis monimentis judicum loco quodam proximo consistorio judicis clauso reticulis, sive cancellis, unde eis nomen, ut fit hodie in curiis quibusdam, ut præ foribus curiæ sunt cancelli, et in eis dispositi cancellarii, qui expediunt judicum jussiones, et eleganter Cassiodorus eos tenere etiam jure patentia et cancellos, et lucidas fores, et fenestratas januas. Qui igitur sunt a secretis principis, Tribuni, et Notarii dicuntur, qui a secretis judicum, Cancellarii dicuntur. Cum idem Cassiodorus primiceriatum scribat multis locis in nobilissimo illo libro Variarum, sine quo innumeræ sunt constitutiones in Codice, quæ nunquam fuissent explicatæ: fuit enim juris peritissimus, et præfectus prætorio regi Gothorum, dum Galliam tenerent servato maxime ordine juris Rom. neque enim ulla natio barbara fuit civilior Gothis. Cum is: inquam, primiceriatum sæpe dicat domesticatum appellari, facile adducor ut credam, domesticos esse primicerios, et primicerios, ut a veteribus D. Petrus appellatus est primicerius Apostolorum, illud enim est tantum productio verbi, et dictio quædam, quæ nihil significat. Habemus primicerios Cancellariorum, et notariorum, et exceptorum, actuariorum, singulariorum, et cæterorum officialium judicum: facio differentiam inter Notarios, qui notis scribunt, *par chiffres*, non litteris, et singularios, qui scribuntur litteris singularis, ut scribimus quatuor litteris S. P. Q. R. horum omnium, qui judicibus obsequuntur primarii sunt domestici, non ministri, aut familiares: nam judex familiares sibi optat suo arbitratu, et periculo primatum officii, ex ipso officio, *l. 8. eod. tit.* ac præterea domesticis judicum præbentur annonæ, et salaria de publico, ut lib. 9. ostendit Cassiodorus, et communiter referuntur in laterculum, et inventarium principis. Servi autem, liberti, et mercenarii judicum sane non ferunt annonas de publico. Igitur nova est hæc domesticorum significatio. Quod diximus de domesticis judicum, necesse est retractare: invenio enim in *l. 4. de adsess.* arceri domesticos a publicis actibus, et se publicis necessitatibus immiscere non posse. Itaque verius esse opinor, domesticos judicum eandem militiam sustinere quam sustinent, qui dicuntur in aula principis domestici protectores, de quibus extat tit. lib. 12. qui et est in *l. 8 C. Theod. de domest. et protect.* et quantum indicio nominis apparet: principi familiarius militant, et sunt, ut veteres loquuntur, corporis custodes, atque ita etiam judicum domesticos interpretor corporis custodes, *la garde du Magistrat*, quam nos nostra lingua significavimus familiæ nomine, quod est domesticatus nomine, quod non discedant a latere judicis, quod judicem perpetuo protegant, supremus est militiæ gradus in *l. 1. inf. ad l. Juliam repetund.* confertur domesticus cum manipulario, quorum uterque est in officio ducis militaris, confertur scilicet primus militiæ gradus cum infimo, et illos quidem domesticos magistratus provinciales, sicut Cancellarios non secum ducebant in provinciam, ut est constitutum *l. 8. eod. tit.* sed Cancellarios, et milites electos ad secreta judicis, et domesticos protectores accipiebant ex corpore officialium electos periculo primatum officii. Denique ex officio, vel officiorum numero eligebantur domestici, cancellarii, ut in Basilicis est scriptum, ὡς πάντας τάξεως ὑπηρετοῦντας εἶναι, quod ideo refero ne quis in l. 8. existimet tollenda esse hæc verba, *ex eodem officio*, etiamsi non habeantur in C. Theod. nam sane ex suis officialibus debentur judici, quos haberet pro domesticis protectoribus, vel secretorum custodibus: et sicut cancellarii, et adsessores, ut mox dicetur tit. seq. ita etiam domestici ferebant de publico annonam, ut 9. Variarum indicat Cassiodorus.

Ad Tit. LII. De annonis, et Capitatione administrantium, et eorum adsessorum, aliorumve publicas sollicitudines gerentium, vel eorum, qui aliquam consecuti sunt dignitatem.

Quam sit etiam hic tit. communis omnium judicum verba ipsa hujus constitutionis, et *capita dignitati suæ debita, non pas, dignitatis.* Ergo hic tit. est de annonis: et capitis ergo ex eod. tit. omnibus judicibus de quibus sup. actum est, nec non adsessoribus domesticis, et cancellariis eorum aliisve omnibus, quibus curatio officii, ministeriumve aliquod publicum jungitur, veluti comiti commerciorum, cui cura est ne commercia illicite exerceantur, cuique soli a barbaris comparandi serici in usum principis jus potestasque est, *l. ult. inf. de commerc. et mercat. l. 2. quæ res venire non possunt*, et magistro lineæ vestis, et magistro æris, et comiti auri, qui omnes erant sub dispositione comitis sacrarum largitionum, et rationali utriusque ærarii, sive procuratori Cæsaris, et similibus omnibus de publico præbentur salaria, id est, annonæ et capita, et adsessoribus judicum ea instituisse Alexandrum Lampridius scribit, et confirmat *l. 4. de officio adsess.* annonæ sunt veluti panis, vinum, oleum, liquamen, id est, garum, laridum, etc. quibus vitam toleramus: capita autem, pabula equorum, camelorum, quibus vehimus nos, vel sarcinas nostras. Amm. Marcell. *l. 22. Pabula*, inquit, *jumentorum, quæ vulgo dictitant capita.* Igitur in *l. 2. inf. de cur. pub.* judicibus subministrari annonas, et alimenta pecorum, id est, capita: et similiter in *l. 9. infra, de jure fisci, in pabulis, vel sumptu familiæ ministrando*: hæc sunt capita, et sumptus familiæ, hæc sunt annonæ, dicitur et singulariter capitum, ut in *l. 2. sup. de offic. præfect. præt. Afr. Nov. Theod. de tribut. fiscal. annonas et capitum*, et Cassiod. l. 7. *ad equos definitum capitum, du foin, et de la paille, et de l'avoine*, et patrio casu capitu in eod. tit. inflexione Græca, præberi autem hæc solebant olim in speciebus ipsis: verum constitutione hujus tit. rediguntur ad pretia delinita in delegationibus, quæ in annos singulis officiis dantur. Delegationes quæ et delegatoriæ dicuntur, sunt notitiæ, quæ administrationibus singulis et officiis delegantur, quibus annonæ eis debitæ taxantur, et capita aut pretia earum, quæ sumant ex tributis illius, vel illius provinciæ, vel ex publicis horreis. Et hæc est sententia hujus tituli.

Ad Tit. LIII. De contractibus Judicum vel eorum, etc.

Constitutio Justiniani unica, quæ est in hoc tit. pertinet etiam ad omnes judices vel adsessores ac domesticos eorum, et in ea urbani magistratus separantur a provincialibus, ita scilicet, ut urbani magistratus ex pragmatico principis emere possint res mobiles aut immobiles, et proprias ædes ædificare, non etiam donationem suscipere tempore administrationis: nam ubi facti sunt privati, idem privatis licet, quod cæteris, emere possunt prædia ex permissu principis, si hoc impetraverint a principe, specialiter possunt ædes sibi novas extruere, donationes suscipere non possunt, et quæ tamen factæ fuerint interim, confirmari possunt post depositam administrationem vel ratihabitione donatoris, vel silentio quinquennii, provinciales autem, ne ex rescripto quidem principis per se, vel per aliam personam quidquam possunt, præter ea quæ victus sui quotidiani sunt, nec proprias ædes ædificare, nec navim, ut est in *l. Aufertur. §. Quod a præside. D. de jure fisci*, aut multo minus donatum suscipere possunt, et quæ forte facta fuerit eis donatio pendente ac manente administratione, ex hac constitutione nec ratihabitione confirmatur donatoris, nec silentio quinquennii, atque ita per hanc constitutionem abrogatur *l. Quicunque. C. Theod. de iis qui administr. vel off. publ. ger.* quæ lex inducit hac in re præscriptionem quinquennii etiam in provinciis: abrogatur etiam per constitutionem Justiniani Nov. Valentiniani, *de confirm. iis quæ administrat. vel public. offic.* de confirmandis venditionibus factis judicibus manente administratione, atque etiam donationibus si factæ sint palam in conspectu omnium, bonaque fide, quod longe distat a sententia constitutionis. itaque abrogatur etiam ea Nov. Valentiniani. Ratio autem differentiæ, quæ movet Justin. hæc est, quia in provincia major est præsidibus grassandi copia, si sua potestate abuti velint: ideo durioribus legum vinculis coercentur, ac similiter, ut dictum est 14. tit. in provincias mittuntur exteri et incogniti provincialibus, in urbe fere vel incolæ capessunt magistratum. Ait autem in tit. *vel eorum qui circa eos sunt.* ut in *l. 3. D. de reb. cred.* pro adsessoribus vel domesticis aliisque officiis. Et rursus secundum hanc constitutionem Justin. quod excipitur in *l. Non licet. D. de contrah. empt.* eum qui durante officio quid emerit, inutiliter emisse, nisi specialiter hoc quibusdam concessum sit. Hæc, inquam, exceptio locum tantum habet in urbe, non in provinciis secundum constitutionem Justin. et addenda est etiam huic constitutioni alia exceptio ex *l. Qui officii. D. de contrah. empt.* nisi bona paterna a fisco detrahantur, nam durante administratione et qui officium publicum gerit, jure est hæc empturus ut in *l. Milites. D. de re milit.* et *l. Princeps. C. Theod. de his qui adm. nistr. vel off. publ. Solas*, inquit, *res privatas memoratos mercari permittimus.*

Ad Tit. LIV. De modo multarum, quæ a judicibus infliguntur.

Hic tit. etiam pertinet ad omnes judices de modo multarum, quæ a judicibus infliguntur: nam omnes judices, de quibus actum est sup. multæ dictionem habent: omnes scilicet fere qui judicationem habent, et qui publice judicium exercent, qui publici et ordinarii sunt judices, omnes habent multæ dictionem, et pignoris captionem, qua tueantur suam jurisdictionem, et coerceant contumaces et inobedientes, *l. 2. § ult. D. de jud. l. A jud. §. ult. D. de verb. signific.* et nusquam tantum inveniuntur procuratores Cæsaris, et curator Reip. *l. 2. et 3. hoc tit.* et defensor plebis, *l. 5. tit. seq.* sed nec ad infinitum multam cuilibet judici dicere licet: modus quem quisque judex sequi debet in multa dicenda non finitur h. t. præfectus prætorio solus habet jus dicendæ supremæ multæ, *l. 4. eod. tit.* nimirum usque ad 50. libras auri: et ita Cassiod. in formula præfecti prætorio *magna quantitate multa errantes*, et plerumque omnis multa accedit fisco, nisi sententia judicis specialiter deputetur, vel publicis operibus, vel cursui publico, vel aliis necessariis causis, *l. 5. h. tit.* vel etiam pauperibus, ut in *l. 2. sup. de Episcop. aud.* quod fit in omnibus causis Ecclesiasticis, ut scilicet multa irrogetur pauperibus, *l. 21. C. Th. quorum appellat. non recip.* et ita Cassiod. 1. Variar. docet, multam 10. librarum, quæ irrogatur iis, qui clericos urbis Romæ vocarint ad peculiare judicium, deque ea re rescriptum impetrarint, censet quidem esse exigendam a palatinis sacrarum largitionum, verum erogandam pauperibus per manus antistitis Romæ: neque vero hoc est de multa omittendum, quod est in *l. 4. h. tit.* multæ irrogationem non infamare: nam prima facie possit aliud videri: at alias vidi quosdam hæsitantes, et idem etiam dicendum de cessione bonorum, *l. Debitores. de causis, ex quibus infamia alicui non irrog.* Quid vero vocas multam? est coercitio pecuniaria, ut pœna furti: pecuniaria igitur coercitio, quæ non lege definita, sed arbitrio judicis infligitur, *d. l. Aliud. de verb. signific.* nam etsi certum modum judex non possit

excedere, intra eum modum lentum sui arbitrii res est: et postquam multam irrogavit, eam remittere ex causa, et moderari potest, verbi gratia propter inopiam, *l. ult. in fine, h. t. l. Illicitas. §. pen.* et *ult. de offic. præsid.* et nec luit pœnam in corpore, cujus inopia elidit multam: videturque ille generalis regula hæc in re, ie qui non potest luere pecuniariam multam, luat pœnam corporalem, videtur quodammodo si non immutari, saltem inflecti, quod dicitur, judicem non posse immutare quod semel dixerit, vel judicaverit, multam igitur si judicarit: nam et judicare dicitur, etiam non posse remittere, et moderari judicium, non quidem ipsam multam omnino, sed ut recte ait *§. ult. d. l. Illicitas*, solutionis necessitate non contraria sententia, hoc fieri non potest. Denique dictam multam non abrogat, sed remittit tantum, et moderatur necessitate solutionis, reprehensa, ut ait, exactorum illicita avaritia: prudenter ait, *reprehensa*, non punita: minus est reprehendere, *l. 7. §. Ad tempus. D. de interd. et relegat.* quandoque reprehensas esse sententias eorum, qui ad tempus relegatis ademissent partem bonorum. M. Tull. pro Flacco: *non tantum reprehendendum, sed et condemnandum putas.* Porro multa, quæ semel irrogata est, contrario judicio remitti, moderari, abrogari potest a superiori judice, non ab eodem judice. Plinius 4. Epistolarum *Prætor*, inquit, *Senatori multam dixit, egit ipse causam suam in Senatu, sed deprecabatur, remissa est*, multa omnino remittitur, quam dixit prætor senatus auctoritate, majoris judicis, non ejusdem: nam quod judex semel decrevit, contrario judicio immutare non potest, *l. Quod jussit. de re jud.* multa sine decreto non irrogatur, non interlocutione, quam judex mutare potest, sed sententia, quam mutare non potest, irrogatur multa, et ab interlocutione appellari non potest, a multa dicta appellari potest. Ergo multæ dictionem idem judex abrogare non potest: omnes sciunt, quæ de multa ex veteribus scripserit Gellius lib. 11. cap. 1. quo ostendit non pecuniæ multam olim fuisse, sed pecoris, et armenti. Sed quæso quid est, quod illo loco inter cetera, *supremam multam fuisse in singulos dies duarum ovium, et 30 boves pro copia boum, et penuria ovium*, nam Italia abundat etiam armento magis quam pecore, sed quid illud est in singulos dies? *ce, dice, ne vaut rien, il faut lire, in singulos viros.*

Ad Tit. LV. De Defensoribus civitatum.

Ex lib. 1. residet tantum tituli 3. magistratus, de quibus sup. actum est, vel in urbe Roma veteri, aut nova Remp. administrant, vel in aula principis, vel in provinciis: et rursus ex iis alia provinciam regendæ committuntur, alia dioceses, id est, universitas, sive tractus quidem provinciarum, alia provinciæ singulas: hi, de quibus sunt tres postremi tituli, non urbis, non aulæ, non dioceseos, non provinciæ, sed singulorum civitatum judices, et potestates sunt, de quibus est hic tit. Defensores sunt similes tribunis plebis, qui et defensores dicuntur, et defensores locorum, et patroni, et parentes rusticorum suburbanorum tenuiorum, *l. 3.* et *4. h. t. l. 1. tit. ult.* hoc lib. *l. ult. inf. de principibus agent. in reb. lib.* 12. et prehensionem reorum habent, sicut in urbe tribuni plebis prehensionem habuerunt: quod ostendit *l. 22.* quæ est Græca, *sup. de Episcop. aud.* prehensionem, inquam, vel animadversionem habent: sed animadvertendos remittunt ad majorem potestatem, puta ad præsidem provinciæ *l. 7. h. t.* prehensionem etiam eos habere ostendit Justin. Novell. 15. in qua plenius scriptum de offic. et jurisdictione eorum, videte illum locum.

Ad Tit. LVI. De Magistratibus municipalibus.

In quibusdam civitatibus erant defensores plebis tantum, *l. In hac. inf. de donat.* In aliis, puta majoribus, erant non tantum defensores plebis, sed et magistratus municipales, plerumque Duumviri similes duobus Consulibus pop. Romani. Defensores similes veluti tribunis plebis, magistratus similes consulibus, et sumebantur quidem magistratus municipales ex ordine Decurionum, defensores ex plebe, *l. 2. sup. de defens. civitatum*, atque adeo ubi non erat ordo curiæ, ibi erant defensores tantum: nam magistratus sumebantur ex ordine curiæ ejusdem municipii. Curia autem erat instar Senatus: qua de causa in Novel. Majoriani Curiales dicuntur minores Senatores: utrique autem, id est, defensores, et magistratus creabantur decreto populi, decreto Episcoporum, et clericorum, qui primus est in populo gradus, et honoratorum, qui sunt in municipio, et possessorum, et curialium. Denique favore populi. *l. 8. sup. tit. prox. l. 1. ad legem Jul. de ambitu*, hodie cessant in urbe, quoniam non est locus captandæ popularis auræ, quando magistratus creantur auctoritate principis non populi, sed habet tantum locum in municipiis, si quis petierit magistratum municipalem scilicet, qui pertinet ad populi favorem, non ad curam principis, sicut etiam sacerdotium civitatis, ead. l. ostendit pertinuisse ad populi favorem, sicut constat in primaria Ecclesia id obtinuisse. Et hoc etiam demonstrat Nov. Leonis 46. et 47. quæ novissime constituit, ut defensores, et magistratus, quos vocat στρατηγοὺς quos non præfectos, ut interpres fere fecit, oportet interpretari, sed Duumviros, ut semper in libris nostris στρατηγοὶ sunt magistratus municipales. Ceterum in eis constituitur, ut eorum creatio pertineat ad curam principis, non ad favorem populi, quo jure utimur etiam hodie. Præterea utrique, id est, defensores, et στρατηγοὶ τῶν πόλεων habent jus conficiendorum actorum, *l. 1. inf. tit. prox.* et *l. 7. sup. tit. prox.* nam apud omnes possunt confici acta, quæ solent plerumque confici, ut de donatio, vel de testam. cum insinuantur apud acta, *au Greffe*, contestationes etiam sive protestationes fiunt apud acta. Et fiunt igitur recte apud defensorem plebis, vel magistratum municipalem: et ubi est curia, necesse erat præter magistratum in actis conficiendis, etiam adhibere præsentiam trium curialium, et exceptorem publicum, *le Greffier*, ut major veritati accederet auctoritas, *l. 15. C. Th. de decurionibus*, et *Nov. Theod. de trib. fisc.* Præterea utrisque datum est constitutionibus jus dandi tutoris defensore adhibito, et magistratu ex *l. 3. de tutor. et curator. datis, §. Nos autem. Inst. de Atil. tut.* Ceterum quam legis actionem invenio aliquando esse apud magistratum municipalem, videlicet ut apud eum mancipationes, et manumissiones fieri possint, adoptionesque, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ: alia enim est contentiosa, *l. 2. de officio proconsulis* et quam, scilicet voluntariam, non exercent, nisi ii, qui habent legis actionem, et apud quos actus legitimi et solemnes expediri possunt: non habebant legis actionem omnes omnium municipiorum magistratus, sed qui habebant, hæc apud eos expediri poterant, *l. ult. inf. de manumiss. vind. l. 4. D. de adopt.* quæ dicit, magistratum, apud quem legis actio est, posse apud se emancipare. Nam magistratum municipalem intelligere oportet, quia urbanus habuit sane legis actionem, non municipalis. Et ideo sub conditione ait, *si*, et ut hoc uno verbo admoneam, in his libris sæpe (sunt enim plures) est magistratus municipalis, ut *tit. de magistratib. conveniendis.* Idem ostendit Paulus 2. *Sentent. tit.* 25. Ceterum, ut cœpi dicere, quam invenio aliquam legis actionem esse apud magistratum municipalem, eam nunquam invenio esse apud defensorem plebis. Aliter videtur sentire glossa in *d. l. 4. de adoptionib.* Et rursus quam invenio multæ dictionem non esse apud defensorem plebis in *l. 5. sup. tit. proxim.* suspicor fuisse apud magistratum municipalem, quoniam omnis, qui publico judicium exercet, jus habet multam infligendæ, nisi sit specialiter exceptus. Ergo multæ dictionem habet: nam et pignoris capionem habet, *l. Quemadmodum. §. Magistratus. D. ad leg. Aquil. l. 4. §. 1. D. de damno infecto*: non potest quidem suam jurisdictionem tueri magistratus municipalis pœnali judicio, eo scilicet quod proponitur in *l. 1. D. si quis jus dicenti non obtemperaverit.* ubi excipiuntur nominatim Duumviri: sed aliud est pœnale judicium aliud dictio multæ. Et invenio etiam magistratus municipales habuisse modicam coercitionem, non in liberos homines, quos ad præsidem provinciæ remittebat, sed in servos, quos tamen capitales remittebat, *l. 12. D. de jurisdict. l. 15. §. Adjicitur. D. de injuriis, l. Si prætor. D. qui et a quib. manum.* ubi agit de servo quodam, qui se liberum esse dicebat falso, ne coerceretur a magistratibus municipalibus scilicet, non urbanis, aut provincialis etiam in liberum hominem habuit auctoritatem et coercitionem: et ita in illo loco in Basilicis τῶν στρατηγῶν, quæ omnia retuli, ut intelligeretis majorem fuisse potestatem magistratus, quam defensoris.

Ad Tit. LVII. De officio Juridici Alexandriæ.

Constitutio hujus tit. Juridici Alexandriæ dat jus conficiendorum actorum, et nihil præterea: ei datum est etiam constitutionibus jus dandi tutoris, data legis actio, *l. 1.* et *2. D. eod.* et *§. Nos autem. Instit. de Atil. tutore.* Is in Alexandria jure reddit, et inde juridici nomen, quod ei tantum, et proprie attributum erat, quamquam et alii plerique sunt, et appellari possunt juridici: sed tamen ita appellantur a nostris auctoribus, qui non confundunt temere nomina: hunc δικαιοδότην Strabo, æquidicum antiquæ inscriptiones vocant: fuit sub præfecto Augustali et ipse Augustalis, et Juridicus Alexandriæ pertinebat ad curam principis, uterque ab ipso Augusto constitutus. Ordo autem, sive curia in Alexandrina civitate initio nulla fuit, voluit quæ Augustus, ut uno juridico Alexandria contenta esset: Ægyptiorum ingenia Augusto semper fuere invisa atque suspecta: ut noluerit concedi curiam Alexandriæ, quæ est Ægypti, et ea ratione nullum Alexandrinum ex lege Augusti licebat cooptare in Senatum urbis. Sed postea Severus Imper. Alexandrinis etiam jus curiæ dedit, jus voluntarium, ut ait Spartianus: nam decuriones appellantur. Et eleganter interpres novi Testamenti βουλευταὶ interpretatur, decuriones: et ita semper est vertendum. Deinde Antoninus, ut Dio scribit lib. 51. eis dedit jus coeundi in Senatum, ut Senatores populi Romani fieri possent.

AD LIB. II. COD.

RECITATIONES

DOMINI CUJACII.

Ad Tit. I. De edendo.

Exposita lib. 1. Officiis diversorum Judicum, ordine suscepit tractandum, quo quisque de jure suo apud judices experitur, et initium facit a tit. de edendo. Prætore jubente actorem edere speciem actionis, qua acturus est, ut reo sit integrum dispicere utrum contendere debeat an cedere, vel transigere, et pacisci cum actore litis evitandæ gratia, fuit et idem tit. de edendo, ad editione instrumentorum litis: nam ea quoque profecto æquissimum est edi ei unde petitur, et similiter de editione, sive de edendis rationibus argentariorum, qui scilicet solebant conficere fere rationes contrahentium. Olim non solvebatur nisi ad mensam argentarii, ipso argentario nummos expensante, et expendente, et excipiente rationibus suis, quæ fidem publicam faciebant quid esset numeratum, quid solutum. Denique in tit. de edendo proposita sunt edicta de edendis rationibus, et edendis instrumentis litis, et edendis rationibus argentariorum,

actione etiam proposita in argentarios, si nollent reddere postulantibus, quorum res erant, quod plenius demonstratur in tit. *Pandect. de edendo:* nam in hoc tit. C. est una tantum lex, quæ proprie pertinet ad titulum: nimirum *l.* 3. reliquæ leges sunt quodammodo extra carceres hujus tit. affines tamen huic, et proximæ: veluti an reus cogatur edere rationes suas, quibus scilicet actor fundet, muniat, instituat actionem suam, quod facere non cogitur: nam ut ait *l. ult. hoc tit. non oportet originem actionis fundari ex instrumentis ejus, qui convenitur:* ex causa tamen quandoque judex jubet etiam reum edere rationes suas, ut in *l.* 1. *hoc tit.* Definitur etiam alia quæstio, an acta publica sint edenda cuilibet postulanti, quod est affine capiti de edendis rationibus argentariorum: nam et hæ erant publicæ, sed *l.* 2. *hoc tit.* quæ loquitur de actis publicis, loquitur de actis, quæ conficiuntur apud eos, quibus jus est conficiendorum monumentorum, actorum gestorum, veluti apud præsides in provinciis, vel apud duumviros, vel apud defensores, et in urbe apud magistrum census: et sane cum sint publica, videntur esse edenda cuilibet postulanti. Etiam alia definitur quæstio, an post litem contestatam reo actor cogatur edere rationes suas, vel alia instrumenta, quibus reus possit instruere defensionem suam, quod sane reo concedi æquissimum est: et magna est hac in re differentia inter actorem, et reum, petentem scilicet edi sibi rationes actoris, quod facile impetret, *l. ult. hoc tit.* In causis criminalibus illud est absolutum, ut si accusatori deficiant probationes, protinus reus absolvatur, ne temere judex ex propriis documentis, quæ reum edere coget, damnet reum, sed ex probationibus tantum, quas accusator protulerit, alioqnin quam accusationem accusator intentabat reo reflectitur in accusatorem. Et ait *l.* 4. *actore non probante:* est enim de accusationibus tantum, qui convenitur obtinebit. In *C. nos Christiani* 32. *q.* 6. *probatione cessante vindictæ ratio conquiescit.* Cassiodor 7. *Reus, qui dicit, si probatur.* Ceterum in causis civilibus actore non probante, non protinus reus absolvitur: nam ex causa jubet nonnunquam judex postulante actore reum edere rationes suas, ex quibus damnat reum, etiamsi nullas probationes attulerit actor: et rursus altero non probante defertur plerumque jusjurandum reo, vel etiam actori: non igitur protinus absolvitur reus, et in *d. l.* 4. actor significat accusatorem: nam lex ita incipit, *qui accusare voluit.* His de rebus non erant proprie edicta proposita sub *tit. de edendo*, sed de quibus dixi antea. Porro, ut initio diximus, initium facit Justinianus, ut video, ab editione actionis, ut etiam in libris ad edictum Ulp. et Paul. initium fecerunt a tit. de edendo, initium scilicet ordinis juris sui persequendi, ordinis moris que judiciorum, ut inde fiat verisimile, etiam ab editione actionis cœpisse edictum perpetuum, cujus utique ordo observatur in C. magis, quam in Pandect. at vero Pand. initium faciunt a *tit. de in jus voc. non a tit. de edendo:* et defendi possunt hac ratione, quod eodem fere tempore, et ederetur actio reo, et vocaretur reus in jus, quæ res efficit, ut omnium actionum initium proficisci dicatur a tit. de in jus vocando, in §. *ult. Inst. de pœna temere litig.* et similiter contra possum non falso dicere, omnium actionum instituendarum initium proficisci a tit. de edendo: nam facile constitui non potest vocatio editione, an editio vocatione prior fuerit: conjunctæ certe, aut affines fuisse videntur, atque contiguæ. Porro edere, est demonstrare speciem futuræ litis, *l.* 3. *h. tit.* exprimere speciem, et nomen actionis, in *l. ult. inf. de interdictis*, quam editionem ait *d. l.* 3. posse mutari, aut emendari, prout edicti perpetui monet auctoritas, id est, secundum quod edicto est definitum: eo scilicet edicto, quo jubetur edi actio, id est, eo definitum, ut ante litem contestatam, post editionem sit liberum actori eam emendare, vel immutare simul, ac eam, vel emendationem, vel mutationem patefacere reo. Sed adjicit *d. l.* 3. posse etiam eam mutari, vel emendare prout jus reddentis decernit æquitas: malim decernet, quam decernit, id est, etiam post litem contestatam ex causa, si ita judex decreverit mutare, vel emendare actionem licet ex edicto ante litem contestatam, licet etiam post litem ex decreto judicis in §. *Si quis agens. Inst. de action.* mutatur actio, cujus nomen mutetur, ut si pro actione ex stipulato reponatur actio ex testamento: emendatur ea actio, cujus nomine retento pars aliqua corrigitur; ut si pro Sticho, qui dicebatur deberi ex stipulatu, repositus sit Pamphilus. Et notandum etiam hic magnam esse differentiam inter editionem, et litem contestatam, quod ex *d. l.* 3. conjuncta *l.* 1. *inf. de litis contest.* est apertissimum: et vero est conjungenda utraque: utriusque enim est eadem inscriptio. Fuit una constitutio, quæ scissa est in partes: hæc pars *l.* 3. est de editione, illa, de litis contestatione, et definit non esse litem contestatam, que de re hodie etiam disceptatur frequenter, si simplex postulatio celebrata sit, quod ego interpretor secundum jus vetus, si petita sit, et impetrata actio ab eo, qui jurisdictioni præest: contestatio est initium litis, nondum lis, sed controversia: non est etiam lis contestata, inquit, si actionis species ante judicium reo cognita sit, id est, si edita sit actio nondum lis est contestata, sed tum demum lis dicitur contestata, cum judex per narrationem negotii ex utraque parte causam audire cœpit: multæ præcedunt sæpe volutationes, tergiversationes, et moræ, antequam pars velit inire contestationem litis, quia tum initur solemniter, cum narratur negotium utriusque exacte et diligenter. Editio igitur est præparatio, ac indicium litis, contestatio est initium litis proprie. Notandum autem maxime, hodie statim esse edendam actionem ipso limine judicii ruptis veteribus ambagibus, ut ait *d. l. ult. inf. de interdictis:* quænam sint illæ ambages, hoc declarat *l.* 6. et toto tit. *de denuntiatione, sive editione rescr. C. Th.* nam ante editionem, et litis contestationem præcedebat solemnis denunciatio, insinuatio, intimatio litis, non demonstratio, sed commonitio litis, quæ fiebat apud acta absente reo, aut non faciente sui copiam, vel si quis erat acturus ex rescripto, edendum erat rescriptum ipsum adversario antequam ederetur formula, libellus petitionis, et a denunciatione erant constituta tempora certa utrique parti ad actionem proponendam. Itaque non protinus actio edebatur, aut disceptabatur: ab illa solemni denunciatione data erant certa tempora ad instruendum eo, quod illo tit. C. Th. indicat etiam ab ea temporis præscriptione exceptas fuisse causas Ecclesiasticas, quas protinus agi oportebat remota denunciatione temporis, et observatione, scilicet causas modicas, id est, quæ non excedebant summam centum aureorum, et causas, quæ celeritatem desiderabant, veluti causam interdicti, et adipiscendæ, vel reciperandæ possessionis, quæ nobis est momenti causa, quod celeriter possessionem reformari oporteat: excepta etiam erat persecutio fideicommissi, et actio de inoff. testam. et actio tutelæ, et actio negotiorum gestorum, et actio ex chirographo, et alie si certum petetur de chirographis: ceterum hodie nullæ causæ excipiuntur: nam definitum est non esse amplius in ulla causa his ambagibus locum, sed statim, ut dictitent antiqui esse stimulandum equum ad carceres, apud Nazianzenum ἀπτεῖν ἵππον, hoc est, quod in Institutionibus legitur in §. *Appellamus. de act.* nullam esse hodie denuntiationem, sed rem incipere ab editione, et vocatione.

Ad Tit. II. De in jus vocando.

In jus vocare, quid est? an libellum contrarium dare principi, vel judici? minime, *l.* 15. *D. eod.* an judicem interpellare defensionis suæ audiendæ causa, ut se audiat defendere volentem: an vero interpellare actorem, ut veniat auditurus defensiones rei? minime, *l.* 14. *D. eod.* sed in jus vocare, est juris sui experiundi causa adversarium vocare ad judicem, non per viatorem, quod tantum novissime factum est, sed olim fiebat per seipsum: et si quem actor vocaverat sequi compellebatur, et dicto audiens esse, aut sane trahebatur, rapiebatur manu injecta, nisi satisdaret judicio sisti ad diem certum, vel nisi transigeret, *l.* 5. §. *Item. D. qui satisdare cogant. l. Neque. D. de in jus voc.* erat igitur in eo velut quædam ignominia rapi ab adversario invitum: quo de causa non licebat vocare patrem in cujus erat potestate, ut ostenditur in eod. tit. nec etiam patrem, qui emancipasset, nec matrem, cujus constat nullam esse potestatem in filios, nec patronum aut patronam, nec alias personas, quibus debebatur reverentia: non licet rapere invitum nisi scilicet venia impetrata a prætore, et ita venia est salva reverentia, veniæ petitio erat conservatio reverentiæ.

Ad Tit. III. De pactis.

Frustra adversarium in jus vocasti, et ab eodem frustra stipulatus es judicio sisti, si postea tecum de re transegerit, ante, vel post diem, in quem sisti promisit, nihil refert: nam etiamsi contemnat promissionem judicio sistendi causa factam, si fallat ad condictum diem, vel stipulatio non committitur, vel sane eliditur exceptione pacti, vel transactionis, vel doli mali, quoniam concurrit cum exceptione pacti semper. Et hæc est sententia *l.* 2. *Si quis caution.* Ideo in hoc judiciorum instituendorum exordio recte dedit tit. de pactis, et de transactionibus, quibus scilicet sæpe dirimuntur lites, atque definiuntur, et extinguuntur stipulationes judicio sisti extortæ ab adversariis in jus vocatis. Hi igitur duo tit. sunt veluti exceptiones superiorum, ut edatur actio: ut in jus vocetur adversarius, et sequatur vocantem, vel ut caveat judicio sisti promissa pœna nisi steterit, et ut conveniatur nisi venerit ad diem condictum, si deseruerit vadimonium, nisi scilicet de re pepigerint litigantes, et transegerint. Nihil autem refert pactum dicamus, an pactionem: nam juris auctores promiscue hic duobus nominibus utuntur, *l. Jurisgentium.* §. *Sed cum nulla. D. de pact.* nudam pactionem non parere actionem, et in sequentibus ex nudo pacto non nasci actionem; fateor constitui posse subtilem quandam differentiam ex eo quod *l.* 1. *D. de pact.* dicat, pactum dici a pactione, significans scilicet more Stoicorum denominatum nomen dici a denominante sicut eum dicunt liberum dici a libertate, testimonium a testatione, donum a donatione, ut Stoici hominem ab humanitate, claudum a claudiate, ut scilicet ita res omnes nomen accipiant a forma, vel idea. Et ita liceat nobis dicere, pactionem nudam esse formam, quæ per se intelligitur sine subjecto, pactum non esse sine subjecto, id est, sine re, de qua convenitur, pactionem esse vocem denominantem, et pactum denominatam, pactionem abstractum esse, pactum concretum. Sed juris auctores hanc differentiam unquam observant: ideo dicimus inter pactum, et pactionem nihil interesse, et stulti sunt illi, qui pactionis, vel pacti nomine comprehendunt etiam contractus: est gravissimus error: conventionis nomine fateor contineri pactum, et contractum. Conventionis nomen generale est, non pacti, nec contractus pactum dicitur usquam, nec retro pactum contractus. Imo magna est differentia. Ex pacto non est actio, sed exceptio tantum, vel replicatio, nisi lege confirmatum sit, vel nisi contractui bonæ fidei pactum adjectum sit ex continenti: nam pactum, quod apponitur contractui format actionem contractus, et dicitur lex, quia dat legem, et formam actioni ex contractu. Regulariter ergo ex pacto non est actio, non obligatio. Ex contractu est obligatio, et actio: ex pacto non est civilis obligatio, ex contractu est: et ut definitionibus res ostendatur, contractus est conventio, quæ habet nomen proprium, vel causam, causa est datio, vel factum. vel contractus est conventio, quæ nomen habet proprium, aut si non habet, ex datione, vel facto jam effectum sumpsit, ut emptio et venditio, quæ perficitur nudo consensu est contractus, quia

nomen proprium habet ex jure gentium, cui consensus omnium gentium ususque nomen indidit proprium, non inane, sed cum effectu. Cum rem do, ut des, est contractus, qui vacat nomine, non tamen vacat causa, cum jam datione sumpserit effectum vel facio, ut facias: heic etiam subest causa, scilicet factum, etiamsi nomen proprium non subsit: pactum autem est conventio, cujus neque nomen subest ullum, neque causa, ut dabo, ut des: dabo tibi togam, ut mihi dabis tunicam: hæc conventio caret nomine, caret etiam causa, quia nemo quisquam implevit conventionem pro sua parte: est nudum placitum, ex quo non est actio, est imperfecta conventio, quæ destituta est causa et nomine, vel etiam pactum est res, de qua convenit inter duos pluresve, quæ nomen non habet aliud, quam generale nomen pacti, nec ullum proprium quæque nondum ulla ex parte paciscentium sumpsit effectum. Denique nudum pactum, nudum scilicet et nomine et causa, nudum, et simplex et solum, aut per se solum, ut Plautus loquitur, et dicitur nudum κατ᾽ ἐξαίρετον, id est præcipuo quodam nomine, non πρὸς διαστολὴν, quasi sit aliud non nudum: omne pactum nudum est, et nunquam oportet dimoveri ab hac sententia, nec nos debet perturbare *l. Legem.* 40. *hoc tit.* dum ponit, quendam cum dotem daret pro alumna, adjecisse legem aliquam in danda dote, puta ea lege, conditione, et pactione dedisse, ut vicissim faceret aliquid, qui dotem accipiebat, et illam legem adjectam in danda dote non solum servari oportere, sed etiam datis actionibus compelli eum, qui dotem accepit pactionem ex eo contractu servare, qui formam ea lex dedit. Verum objicies, et ait *d. l.* ex pacto non nasci actionem, lex illa pactum est, ergo non nascitur actio ex eo. Respondeo id verum esse cum pactum nudum est, cum conventio pacti tantum nudi nomine censetur, ut est in *l. ult. inf. de rer. permut.* atqui hæc conventio contractus nomine potius censetur: ergo non mirum si ex ea detur actio; et hoc est quod ait *d. lex* 10. *alioquin cum pecunia datur*: et omne igitur pactum est nudum, est perpetuum epitheton pacti. Græci pactum ita definiunt, vel describunt potius. Pactum est, inquiunt, si nulla præcesserit datio, nullum factum sed convenerit simpliciter de dando, vel faciendo: vel ut ait *l. Si tibi. inf. de locato*: conventio, quæ placiti fide steterit: nam promissum accipitur generaliter, nec significatur stipulatio tantum, sed comprehendit, ut conventionem, et pactum, et dationem omnem: hoc genere nullum negotium contrahitur. Ceterum definitio illa non est plane perfecta, est gravida, sed nondum fœta: nam emptio, et venditio, et conventio nuda, quæ neque datione rei, neque pretii numeratione sumpsit effectum, perficitur etiam solo consensu, *l.* 1. §. *ult.* et *l.* 2. *de contrah. empt.* et tamen contractus est non pactum quia scilicet nomen proprium habet. Igitur in pacti definitione non est satis notare abesse ab ea conventione causam, sed oportet adjicere abesse nomen proprium, et omnino rectissima est definitio posita in *l.* 1. *D. de pactis.* Pactum est duorum, vel plurium in idem placitum consensus. Consensus id est, nihil aliud consensus: vulgo legitur, *placitum, et consensus.* Sed Pandectæ Florentinæ sine conjunctione, ut ita intelligatur, in idem placitum ἀρεστὸν, in idem placitum consensus: et ita in *l. Ex placito. C. de rerum permut.* id est, ex pacto: et est quædam allusio, *l. Divisionis placitum. D. de pactis.*

Ad Tit. IV. De transactionibus.

Transactio est species pacti. Transactio est pactum, quo lis, vel præsens vel etiam futura dirimitur inter partes, ut in *l.* 2. *h. tit.* vel est decisio litis, vel controversiæ facta consensu partium. Differentia est inter litem, et controversiam, *l.* 5. et 25. §. *Plane. de pet. hæred.* Controversia est causa litis futuræ, lis autem est controversia, quæ jam contestata est tabellis obsignatis, vel res in judicium deducta. Transigimus non tantum de lite, sed ante litem de controversia, de lite scilicet, quam veremur, ut in *d. l.* 2. pacti nomen latius patet, quam transactionis: nam pactum fit etiam de re certa et indubitata, puta donationis causa, ut pactum de non petendo debito, quod dicitur συγχωρητικὸν σύμφωνον. Transactio fit tantum de lite incerta, et nondum finita: nam finita lite, id est post rem judicatam, non valet transactio, neque potest appellari transactio, sed pactum, quod intervenerit inter partes: neque transactio est tantum de lite, sed etiam de re quacumque dubia, *l.* 1. *ff. eod.* veluti de incerto conditionis fideicommissi: si mihi relictum sit fideicommissum sub conditione, de eo potero transigere pendente conditione, ita ut remittam jus omne meum paululo accepta pecunia præsente, ut sit sæpe, et exemplo sunt in *l.* 1. et *l. Cum proponas. sup. de pactis*: nam et tit. de pactis habet de transactione pleraque, quandoquidem perficitur transactio pacto: et in *l. De fideicomm. eod. tit.* et secundum hæc videmus transactionem nusquam fieri gratuito, nusquam donationis causa, quandoquidem fit semper de re dubia et incerta, ut est in *l.* 38 *eod. tit.* aliquo dato, vel retento, vel promisso: pactum potest esse liberalitas, nulla est transactio liberalis, et ita separatur semper transactio a donatione diligenter, *l. Ex conducto.* 15. §. *Papin. D. loc.* est elegans species: locator remisit colono *au Fermier*, pensionem unius anni propter sterilitatem, quam remissionem dicimus *un rabais*: sequentibus annis contigit ubertas, definitur in ea l. dominum posse repetere integram pensionem, etiam ejus anni, quam remisit propter sterilitatem, remissionem nihil ei obesse, quia sequentibus annis contigit ubertas: quod si in remittendo usus sit donationis verbo, et dixerit se colono donare, non tam, inquit, est donatio, quam transactio, et non aliter statuitur, quam si et sequentibus annis non ita responderint fruges, ut possint sarcire damnum anni sterilis, et ita in *l. Quidam. D. de donationib.* donatio non valebat olim rei corporeæ nisi intervenisset emancipatio solemnis, et rei incorporeæ nisi intervenisset solemnis cessio in jure, veluti nominis, sive obligationis: donatio sua valebat nisi solemniter cederetur nomen apud prætorem Flago: in jure quidam est interrogatus, an deberet aliquid Titio, qui sane ei debebat aliquid. Ceterum in jure respondit, Titium nihil sibi debere: videtur amisisse actionem contra Titium. Imo non amisit, quia ea verba sunt donationis verba, et non fecit cessionem nominis solemnem. Verum ait, quod etsi non transactionem, sed donationem ea verba referre quis velit, tamen, qui in jure interrogatus ita respondit, suam confessionem non potest infirmare. Secus igitur si hoc dixisset extra jus: nam frequenter confessio extra jus nihil obest, et comparatur pacto nudo, ex quo nulla nascitur obligatio civilis: etiam separatur donatio a transactione in *l. Tutores.* §. *Ab eo qui. de administrat. tut.* Transactio igitur ad litem refertur, vel ad negotium aliquod ambiguum, nec fit unquam donationis causa, aut jam non est transactio.

Ad Tit. V. De errore calculi.

Quod est in tit. ff. est pars tit. de Transactionibus, ut intelligamus transactionem rescindi si erratum sit in computatione, nisi etiam de errore calculi nominatim transactum sit: sicut proditum est super. tit. propter doli, aut falsi causam rescindi transactionem, nisi et de ila specialiter transactum sit: res est apertissima.

Ad Tit. VI. De postulando.

Recta pacta, et transactiones sequitur tit. de postul. nam si rem partes inter se pacto non decidant, quid aliud superest, quam et partes sua desideria exponant apud judicem per se, vel per advocatum, quod est postulare. Igitur postulare est in jure postulare, et vero eodem ordine ita sunt præscripta in 12. Tab. *Rem ita ni pagunt in comitio, aut in foro ante meridiem causam conjicito*, id est, postulato, et agito. Postulat, qui causam agit et tuetur: nam vel alienum, quod fit, non tantum litis contestatione partibus præsentibus, sed et qualitercumque in jure apud judicem, etiam absente adversario, vel etiam nullo existente adversario: postulationis enim nomen latissime patet: fuit autem sub hoc tit. propositum edictum prætoris de his, qui apud judices postulare non possunt, edictum scilicet prohibitorium, et edictum de procuratoribus in *l. Mutus. D. de procurat.* dicitur esse prohibitorium, quia qui edicto non sunt prohibiti postulare, iis licet postulare: et possumus quoties edictum est prohibitorium, ita semper argumentari: non comprehendor edicto prohibitorio, ergo licet mihi, quod non licet edicto comprehensis et edictum hoc non proponitur quidem in h. t. sed latissime in Dig. explicatur: ergo sub hoc tit. erat propositum illud edictum prohibitorium, licet in h. tit. de eo edicto nulla fiat mentio, et constitutiones tantum alios addunt, quam qui comprehensi erant in edicto, qui prohibeantur postulare, ut in *l. ult.* prohibentur postulare, qui non sunt Christiani: iis interdicitur advocatione, et postulatione. Item qui pacti sunt partem aliquam litis, veluti pro honorario, quam tuendam susceperant, quæ est pactio turpissima, redemptio litis, fœda, et vetita multis legibus, *l. Sumptus. D. de pact. l.* 1. §. *Si cui cautum. D. de extraordinar. cognit. l. Litem. inf. de procurat. l.* 20. *inf. mand.* Ita in *l.* 6. *eod. tit.* pro alio postulare prohibetur, quem probatum est suscepisse tuendam causam clientis, vel suscepit sub pactione dimidiæ, 3. aut 4. partis litis: hi etiam l. 5 prohibentur postulare, qui sunt in numero judicum, quod necesse fuit constitui: nam invenio olim ex pluribus judicibus sæpe datum unum, qui susciperet patrocinium hujus, vel illius partis in Epist. Plinii lib. 3. et ut qui sedent modo stareat: nam judicis est sedere, advocati stare, ut intelligitur ex hac *d. l.* 5. nam stando ad tribunal causas agunt et peragunt. Additur in *d. l.* 6. de modestia advocatorum, ne in adversarium contumelias spargant, ut agant quod causa desiderat, temperent se ab injuria, nec sint adeo procaces, ut non ratione, sed probris putent esse certandum: hanc procacitatem notari infamia hæc lex sit, et eleganter in eodem proposito Cassiodorus: *Certaminibus ejus modestia semper adfuit, etc.* ex quo intelligitur, modestius esse contendere, quam litigare. Et adjecit, *cognitus est, ut probaretur vincere, nec contrarium lædere*, id est, adversarium, et pactiones, de quibus in l. 5. strictim, vetantur in l. 6. dum ait, ut advocatus nullam cum litigatore, quem in propriam recipit fidem, contractum ineat, nullam conferat pactionem, et addunt Græci illo loco περὶ τῆς δίκης δίκης, ἢ περὶ τῶν μισθῶν, *de parte litis, vel de honorario*, et notatur specialiter in *l.* 1. *C. Theod. de postul.* ne prius quam causam alienam agant habita pactione curent in se transferri præcipuum bonæ, præcipuum fundum, *la meilleure piece qu'ils ayent*, leges persequuntur atrociter, et allegantur extra cœtum honestorum virorum, id est, notantur infamia. Invenioque eos non posse postulare ex *l. pen. hoc tit.* qui dati advocati a judice non invenientes advocatum, pro eo postulare detrectarunt. Judex sæpe dat advocatum non habenti ex edicto prætoris, et advocatum non habent ego dabo, *l.* 1. *D. de postul. l.* 9. §. *Observare. D. de offic. procons.* et dat etiam aliis omnino non postulantibus, veluti plerumque fœminis, et pupillis, vel aliis debilibus, vel iis, qui suæ mentis non sunt, *l. Magis.* §. *Requirat. D. de rebus eorum, qui sub tut. l.* 3. §. *Sed si non l. tutel.* 15. *de susp. tut.* et ita dati a judice si hoc pro officio fungi detrectent, jam non nisi deinceps alii adesse poterunt, quasi indigni advocatorum nomine, et honore, qui in eo contumaces adversus judices fuerunt.

Ad Tit. VII. De Advocat. divers. judiciorum.

Sequitur tit. 7. in quo tractatur, remotis iis, qui postulare non possunt, de iis, quibus postulare licet pro se, vel pro aliis, ingenuis scilicet, et libertinis: nam et libertinis licebat causas agere, *l.* 2. *sup. de postul.* de his igitur, qui postulant in foro diversorum judiciorum, puta in foro præfecti urbi: horum sunt variæ appellationes, patroni, advocati, causidici, oratores, rhetores togati dicuntur, et scholastici, sicut in *l.* 2 *inf. de lucr. advoc.* Scholasticus est, qui se exercet in schola rhetorum declamando: quod cœperint, et obtinuerint nomen in schola rethorices, idem retinent in foro, et relati in advocatorum numerum etiam scholastici dicuntur, ut in Concilio Africano scholasticos, qui in actu sunt, vel numero defensorum causarum: sunt enim alii, qui nondum exierunt schola: et ita Macarius hom. 15. ὅταν γένηται σχολαστικὸς, ὅλων τῶν δικολόγων ἀρχάριος καὶ ἐσχατός ἐστι, id est, cum *fuit scholasticus, quand il est receu Advocat, omnium advocatorum est postremus, et urcarius*: fuit olim differentia intra advocatos, et patronos. Patroni agebant causas, alii advocabantur in concilium. M. Tull. pro Cluentio: *Quis enim non modo in patroni, sed in laudatoris, vel advocati loco viderat.* Et Asconius Pedianus: *Qui alium defendit in judicio, aut patronus est, si orator est, aut advocatus, si jus suggerit, aut præsentiam suum commodat amico;* nam litigatores in forum secum ducebant amicos suos omnes; consiliarios suos, isque comitatus dicebatur advocatio, et plerumque patronus non erat jurisperitus, advocatus jurisperitus. Sed hodie his nominibus abutimur, et advocamus patronum, qui litem nostram agat: invocamus judicem, qui jus reddat nobis: vocamus adversarium, evocamus testem, et ita hæc verba in jure sunt distinguenda. Porro in unoquoque foro certus fuit advocatorum numerus, certa matricula, in *l. ult. sup. de advocatorib.* certum corpus, collegium, consortium sub primiceriis, qui hoc tit. priores dicuntur, et primates, et qui intra eum numerum erant dicebantur statuti, qui supra numerum, supernumerarii, et quantum apparet ex constitutionibus hujus legis magna differentia inter ipsos. Statuti privilegiati sunt habentes certa quædam privilegia, et fori privilegium et immunitatem, et si filiifamilias sint, quod ex ea professione acquirunt, id omne sibi habent, et possident tamquam castrense peculium, nec acquirunt patri, in cujus sunt potestate, *l.* 4. *hoc tit.* nam et militare dicuntur advocati in *l.* 14. *h. t.* Manilius Poeta 3. Astronomic. *hoc quoque militiæ genus est civilibus actis compositum:* et Eumenius in orat. pro scholis restaur. *Magna diversitas est inter hanc aciem fori, et nostra illa secreta judiciorum exercitia: ibi armantur ingenia, hic præliantur, ibi prælusio, hic pugna committitur, hic plerumque velut sudib. et sacris, illic semper telis splendentibus dimicatur.* Et Cassiodorus. *Oratorum pugna civilis juris classicum canit.* Et ut percenseamus cetera statutorum privilegia, horum filii, si foro sunt idonei quoties in statutorum de mortuorum locum sufficiendi sunt, supernumerarii præferuntur ceteris supernumerariis etiam antiquioribus in advocationis officio, et nihil impendunt pro introitu, sed gratuito subrogantur in demortui patris locum: nam in omnibus corporibus et collegiis erant sub primiceriis, sub legibus, et ordine certo: novi semper sportulas aliquas erogabant collegis pro introitu, novi decuriones, novi advocati, sed filii statutorum advocatorum subrogantur sine ullo sumptu: habent et statuti pleraque alia privilegia concessa constitutionibus reverentia studiorum, ut ait l. 15. reverentia litterarum, et contemplatione litteratæ militiæ, ut ait. Valentin. in *Nov. de postulando.* Et hæc de statutis: supernumerarii non sunt privilegiati, ac præterea statuti suo foro nunquam excedunt, *c'est un office ferme.* Supernumerarii sequuntur forum quodcumque volunt, et ut libet ex uno in aliud migrant. Et præterea statuti habebant publica salaria, sive annonas, non supernumerarii: et cum canonibus esset interdictum clericis advocatione apud Photium, sive Balsamonem, Diaconus quidem subtiliter contendit clericis quidem non licere advocatis esse statutis, sed licere supernumerariis esse, aut certe talibus quales sunt hodie omnes nulli certo addicti foro, nulli salario. Hæc est summa brevis, h. tit. quem notandum est male distributum fuisse in duos tit. quod series constitutionum, et nomina Imperatorum disposita seriatim satis comprobant: nam satis in constitutionibus accurate servatur ordo Imperatorum, et quidam etiam in eo tit. adnotant perquam stulte, deesse hic duas constitutiones Græcas, et his quidem fuisse cautum ne quis in sua patria fungeretur advocatione, quod in jure nusquam proditum est, nec ulla ratio id prohibendi: non potest quis esse præses in sua patria, non adsessor ultra quatuor menses: quia adsessor est pars præsidis: non fisci patronus: nam horum est potestas magna. Ceterum privatorum advocatus esse potest: ut cum vetatur esse fisci advocatus satis intelligitur, posse esse advocatum ceterorum: sed duæ illæ constitutiones sententiam illam continebant, quam exposui 14. Observ. cap. 2.

Ad Tit. VIII. De Advocatis fisci.

Superiori tit. de advocatis diversorum judiciorum, mox recte conjungitur hic tit. de advoc. fisci, non quasi ille ait de his, qui privatorum, hic de his, qui fisci causas agunt, sed etiam quia ex corpore advocatorum qui in diversis foris causas defendunt, ex collegio, et consortio eorum de quibus actum est tit. sup. sumuntur advocati fisci, qui agunt causas fiscales, qui delatorum intentionem exequuntur, ut ait *l.* 5. §. *Advocatum. D. de his qui ut ind.* et quos deficiente alio accusatore reis princeps opponat accusatores, ut hodie fit: et legimus fecisse Maximum sive Maximinum Imper. apud Sulpitium Severum l. 2. hist. sacræ. Nulli hodie sunt accusatores, aut veri admodum, qui se inscribant in crimen, qui se subjiciant periculo calumniæ, nisi reum peregerint. Sed advocatus fisci omnibus reis opponitur accusator: hi vero fisci advocati multa habent privilegia, atque etiam liberi eorum, et ii potissimum, qui in amplissimo foro præfecti prætorio causas fisci agunt: quare privilegia habent communia in eodem foro cum advocatis 64. prioribus, et in foro præfecti urbi cum advocatis XV. prioribus, *l.* 15. *l.* 16. *sup. t. prox.* et *inde Nov. Theod. de postul. Curiales*, inquit, *qui post* 64. *priores advocatos in amplissimo foro postulant, per substitutum munia suæ civitatis agnoscere:* et hæc quidem privilegia omnia exponuntur tit. sup. h. tit. est de offic. advocat fisci, puta, ne procurator Cæsaris, sive fisci, qui jurisdictionem etiam inter fiscum et privatos habet, non disceptet causas fiscales, causas rei privatæ, vel sacri ærarii absentibus advocatis fisci, *l. ult. h. t.* rationales sunt procuratores Cæsaris: et additur in *l.* 1. *eod. tit.* ne advocati fisci, etiamsi nondum de publico salarium acceperint, alii cuiquam adsint, *l.* 1. imo et deposito officio, deposito patronatu fisci in eadem causa adesse non possent contra fiscum, quam cum erant advocati fisci egerant pro fisco, *leg.* 2. nisi scilicet suo, vel filiorum suorum, vel parentum nomine necessitudo eos excuset, vel etiam pupillorum suorum nomine, tutorio nomine, *l. pen.* et *ult. D. de postul.* Tutorem necessitas officii, et pietas excusat, in *l. Tutorem. D. de his quibus ut indign.* nam et eadem ratione adversus quem quis fuit advocatus, postea filio ejus tutor relictus non prohibetur in eadem causâ adesse pupillo. Denique non prohibetur defendere causam, quam oppugnavit initio, quod etiam ostenditur in *l. ult. D. de postul.* et confirmatur etiam auctoritate Masurii Sabini Jurisconsulti *l.* 3. juris civilis, apud Gellium l. 5. c. 13. et addit, ne advocati fisci supprimant jura fiscalia, occultent commoda fiscalia, sub nomine fisci falsas accusationes instituant, *l.* 3 *h. tit.* et eleganter advocationem seu patronatum fisci, *l. pen. sup. t. prox.* vocat patronatum ærarii, *c'est tout un*: et Philostratus in Cyrino linguam ærarii, et Basilius in Epist. ad Sophronium magistrum officiorum, quæ est de bonis Cæsarii fratris Gregorii Nasianzeni, συνήγορον τοῦ ταμείου, *advocatum ærarii*, qui scilicet interveniat pro fisco apud Comitem thesaurorum, et Comitem thesaurorum vocat comitem sacrarum largitionum, ut in *l.* 2 *ut dignitat. ordo serv. l.* 2. *inf. de pal. sacr. larg.* Igitur advocatus fisci in orbe intervenit pro fisco apud præfectum ærarii, et in aula apud comitem sacrarum largitionum, vel comitem rerum privatarum: in provinciis apud procuratorem Cæsaris, *l. Inter. D. ex quib. caus. major.* Quidam scribit, Marcum Antoninum primum instituisse advocatum fisci, et sic Capitolinum scribere: hæc vero non Capitolinus scripsit, neque a Marco Antonino institutus est: debuit scribere, Spartianum esse auctorem, et Adrianum primum advocatum fisci instituisse: et idem tila de patrono fisci scribit esse *l. ult. de jure fisci*, cum tamen illic non sit legendum, *patronus*, sed Patroninus: quoddam nomen proprium ejusdem Cæsaris procuratoris, ut ea lex apertissime indicat.

Ad Tit. IX. De err. advocat. etc.

De advocatis omnium, vel fisci, vel privatorum, hoc quoque proprio tit. adnotandum esse censuit Imp. advocatorum errorem non nocere litigatoribus absentibus, præsentibus nocere nisi contradixerint intra triduum, *l. ult. h. tit.* et addit libellionum errorem etiam non nocere litigatoribus, *l.* 2. separat libelliones ab advocatis: hi agunt, illi scribunt, et ita in *l. Moris. D. de pœnis:* alias advocatione interdicitur, alias libellorum conceptione: libelli, qui sunt epigrammata, Aristoteli in Rhetoricis sunt preces supplicantium, inscriptiones in crimen, acta, testationes, contestationes, appellationes; apostoli, id est, dimissoriæ litteræ: libellorum igitur nomen latius patet, quam precum.

Ad Tit. X. Ut quæ des. advoc. part. jud. suppl.

Hoc etiam conditor Codicis existimavit dignum esse, ut proximo tit. jungeretur, judicem posse supplere ea, quæ desunt advocatis, vel partibus, *il faut lire auss.* nam ita loquitur *lex un. h. t.* Hi qui negotiis assistunt sunt advocati: puta dicere, aut quærere ea, quæ dicto quæsitoque opus sunt ad implendam causam, etiamsi is cujus interest ea neque dicat, neque postulet, qua de re dubitabatur: et sumenda est ratio dubitandi ex Gellio l. 14. c. 2. cum tractat de offic. judicis, et inter cetera quærit, an possit ea judex supplere, quæ omittunt partes, vel advocati: et subjicit, si judex ea suppleret, jam patrocinari videbitur, sed nihilominus definitur, judicem posse supplere, quæ desunt reis, et quæ non lædunt partem adversam, quo possit ipse causa recte ordinata congruam imponere sententiam, et in *l. ult. inf. de appellat.* Judicem ait, absentis litigatoris partes adimplere, et sane ob eam rem puto hunc tit. ita esse emendandum, ut quæ desunt advocatis, vel partibus judex suppleat, quod etiam hæc constitutio manifesto demonstrat.

Ad Tit. XI. De caus. ex quib. infam. al. non irrog.

Ut ordinis ratio constet, quam nos solemus, si animadvertistis initio, semper exponere, quia infames advocati esse non possunt nisi pro exceptis quibusdam personis, *l.* 1. §. *Ait prætor. D. de postul.* nec volentibus adversariis, *l. Quos. D. eod.* et Paulus l. Sentent. tit. 2. quia scilicet hoc pertinet ad judicis dignitatem, ne apud illum postulent infames: ideo post titulos de advocatis, de iis scilicet, qui pro aliis possunt postulare, exponit causas, de quibus tantum ambigi poterat,

ea quibus infamia non irrogatur. Titulus Digestorum exponit edicta, et consequenter causas, ex quibus infamia irrogatur: hic tit. exponit causas, ex quibus videbatur irrogari infamia, nec tamen irrogatur: scilicet ne quis temere infamiam objiciat advocato, quæ etiam objici poterat procuratori, et cognitori. Procurator est actor absentis nomine: cognitor est actor præsentis nomine, quam differentiam exponunt Festus et Asconius, et hodie, ut scitis, est certum corpus procuratorum ad lites: certum numerum debuisset esse etiam advocatorum, sicut olim, aut non esse debuit procuratorum, sed nec hodie advocatorum certus numerus. Ceterum hodie, qui procuratores sunt in foro certo numero, sunt procuratores, et cognitores: nam interveniunt, et pro absentibus, et præsentibus. Ceterum procuratori potuit objici infamia, vel cognitori, non tantum ex sua persona, quasi non liceat infami esse procuratori, vel cognitori alienæ litis, sed etiam ex persona mandatoris, quasi infamem non liceat in foro habere procuratorem: nam certe honor est aliquem posse litigare per procuratorem, quo indignus est infamis. Igitur objiciebatur infamiæ exceptio procuratori, et ex persona litigatoris, et ex persona procuratoris, et est in Fortunatiani Rhetorica hæc exceptio: si negemus infamem agere posse, alieno scilicet nomine, vel per procuratorem: sed ut est in §. *ult. Inst. de except.* hæc exceptio hodie non frequentatur, non tollitur quidem penitus in dicto §. sed definitur, ut ne in eo hæreamus diutius relicta principali quæstione, ne de infamia mandatoris, vel mandatarii disputemus scrupulosius, ne inquit dum de apicibus juris disputatur, ut hoc *l. Si fidejussor. §. Quædam. D. mand.* quam ibi Græci λεπτολογίας vocant, negotii principalis quæstio protrahatur: et ideo in dicto §. *ult.* ait, exceptionem hanc hodie in judiciis non frequentari: exceptio propter reatum procuratoris recte opponitur: nam qui est in reatu non potest litem alienam suscipere, *l. Reum. tit. seq.* Igitur propter reatum proculdubio repellitur procurator, propter infamiam non temere, et aliud jus est in advocatis: nam in advocatis sane exceptio infamiæ hodie frequentatur. Advocatorum est major dignitas, quam procuratorum, vel quod advocatorum corpus dicitur esse seminarium dignitatum, in *Nov. Theod. de postul.* ex eorum enim numero patroni fisci sumuntur, et plerumque inde nominabantur quæstores, ut constat ex formulis Cassiodori, et nunc esset indecorum, ut infamis, qui famam suam nescierit tueri, alterius vellet in judicio defendere, et hoc ad majestatem judicis pertinet, ut qui apud eum causas orant sint illæsæ famæ: procuratores causas non agunt, sed assistunt negotiis, et litem alieno nomine persequuntur, ubi in foro alioquuntur: placet autem ita emendare tit. hunc, *de omnis, ex quibus infamia alicui non irrogatur*: nam, ut dixi in hoc tit. recensentur potius causæ, ex quibus infamia non irrogatur, quam causæ, ex quibus ipso jure irrogatur: et præter veteres libros, etiam in Basilicis ita concipitur, περὶ αἰτιῶν δι' ὧν ἀτιμία τινὶ οὐ προστίθεται: nam non recensentur illæ causæ, ex quibus infamia irrogatur, sed ex contrario intelliguntur: ut cum dicitur in *l. Nemo*, et *l. Debitores*, eum qui se abstinuit bonis paternis vel qui bonis suis cessit, non esse infamem, hoc dicitur ad differentiam ejus, cujus bona ex edicto distracta sunt, quem constat infamia notari, ut in §. *Sui autem. Inst. de hæredum qualitate et differ.* et §. 1. *qui et quib. ex causis, Inst. l. Paterfam. D. de bonis auctor. jud. possid.* et Cic. 7. Quintiana: et præterea cum dicitur, eum, qui nomine suo Reip. causam egit nec obtinuit, non esse infamem, in *l. Neminem. h. tit.* quod confirmat etiam *lex 4. inf. de delator.* et *l. 2. in princ. D. de jure fisci*: hoc dicitur πρὸς ἀντιδιαστολὴν ob differentiam delatorum, qui utique sunt infames, et execrabiles, ut ait dicta *l. 4.* magnaque est differentia inter delatorem et accusatorem; accusatores laudis studio ducebantur ad prensanda publicorum judiciorum munia palam et publice, nec prodibant nisi comperta essent crimina, et verissima: ex epistolis Plinii intelligimus, in foro judices solitos debitam etiam laudem reddere advocatis, vel civiliter, vel criminaliter agentibus causam alienam, et inde in *l. 3. in fine de malefic.* eum, qui crimen illud prodiderit, accusatorem potius esse, quam delatorem, et præmio potius dignum, delator enim calumniandi animo, et lucri captandi causa defert, in *l. 28. in fine sup. de Episc. et cleric.* eum, qui in publicum detulit legatum, aut fideicommissum, quod quis reliquit in redemptionem captivorum non debere formidare delatoris nomen quod fuit infame, et ut eleganter ait Hieronymus in lib. de optimo genere interpretandi, plerumque qui fisco clam detulerunt legibus puniri, et suscipere quidem leges delationem deinde delatorem, ut Augustus dicebat ἐγὼ τὴν προδοσίαν φιλῶ, κἂν προδόντας οὐκ ἐπαινῶ. Igitur in hoc tit. principaliter proponuntur causæ, ex quibus infamia non irrogatur, et per consequentiam ex quibus irrogatur: nam altero intellecto, et alterum sponte subsequitur. Quid autem est infamia? definias eam a contrario: est illæsæ dignitatis status probatus legibus, vel moribus, *l. pen. D. de extr. cogn.* ergo est infamia læsæ dignitatis status legibus, vel edictis comprobatus: nam nemo fit infamis sine lege, edicto, vel constitutione, vel infamia est macula existimationis, vel infamia, est damnum famæ, quæ et diffamia dicitur. Augustinus in quæstionibus vet. testamenti, *Senatoribus fœnus diffamia est*: quia scilicet non licebat Senatoribus fœnerari, id est, fœnori suas pecunias occupare, *l. 3. C. Theod. de usuris.* Theoph. autem noster in *tit. de except.* has refert esse pœnas infamiæ. Primum ut infamis non possit esse Senator, aut Decurio: generaliter ut ad nullum honorem possit admitti, *l. 1. ad. l. Juliam de vi priv. l. 2. de dignit lib. 12. l. Quisquis. §. Filii. inf. ad l. Jul. majest. l. 8. inf. de decurion.* Præterea ut infamis non possit miles legi, *l. 4. §. Ad tempus, inf. de re milit.* et ut non possit in judicio postulare, ut non possit esse procurator in judicio, quanquam hoc non admodum observatur hodie, non possit etiam habere procuratorem in judicio, ut per se causas suas agat, quia, honor est habere procuratorem, et has quidem recenset pœnas dicto loco Theophil. sed adde alias: infamis non potest esse judex, *l. Cum prætor. D. de judiciis, l. 4. D. ad leg. Jul. de vi priv.* non potest accusare *l. Qui accusare. D. de accusat.* non potest adsessoris officio fungi, *l. 2. D. de offic. adsess.* nam adsessor est portio quædam judicis, non potest agere populari actione, *l. 4. D. de popul. act.* et si quis deliquerit infamis severius punitur, quam homo integræ existimationis, *l. Capitalium. §. ult. D. de pœnis*: et vix etiam potest esse testis in aliena causa exceptis quibusdam casibus, ut *l. Ob carmen §. 1. D. de testibus.* Hæc sunt pœnæ infamis.

Ad Tit. XII. De procuratoribus.

Non tantum advocati, sed etiam procuratores defendunt alium in judicio, adsunt alii et adsistunt: nam adesse et adsistere sunt propria verba advocatorum officii, vel procuratorum, et superesse etiam in *l. Qui stipendia. hoc tit.* quod tamen verbum videtur improbari lib. 1. c. 22. apud Gell. et est elegans, quod ille loco quemdam advocatum non incelebrem apud prætorem postulasse, cumque extra causam diceret, et rem quæ agebatur non attingeret, tum prætor ei cujus res erat, dixit: tu igitur non habes advocatum, et cum is, qui verba faciebat reclamasset: ego tibi adsum vir clarissime: Prætor erat vir clarissimus festive respondisse prætorem, tu plane superes, non ades, quia scilicet postulas, ne rem, de qua agitur, attingas. Ceterum, ut cœpi dicere, et advocati, et procuratores defendunt alium in judicio, postulant pro alio in judicio. Imo advocatis rectissime juncti sunt procuratores: advocati sunt oratores, vel jurisperiti, qui alienis causis agendis adsunt: procuratores sunt, qui vice, et mandato ejus cujus res est, litem alienam persequendam et agendam suscipiunt perinde ac suam: et vel sunt procuratores in rem suam, id est, proprium lucrum, vel in rem omnino alienam: in rem suam, si donandi animo mandata eis sit actio; ita et rectius dicetur esse procuratorem, qui mandato et nomine alieno causam persequuntur, non qui alienam causam, nam in suam causam quandoque procurator constituitur, puta ei mandata et cessa actione donandi animo. In rem autem alienam constituitur, si non donandi animo mandata sit ei actio, sed ea mente, ut ex causa judicati emolumentum ad mandantem rediret: olim non videntur permissi fuisse procuratores, qui alieno nomine rem alienam agerent nisi ex certis causis, ut ostenditur in *tit. de his per quos ag. poss. Inst.* qui titulus est valde in plerisque singularis: et regula illa, est regula juris antiqui: nemo alieno nomine lege agere potest, et nemo potest esse procurator alterius nisi pro populo, pro libertate, pro tutela, ut ostenditur illo tit. Sed hodie litem alienam quamcumque licet persequi proprio nomine. Non est illud omittendum, procuratoris nomen etiam accomodari iis, qui alia, quam litium negotia gerenda suscipiunt, qui dicuntur a Græcis unviesimis, quod pauci intelligunt, προστάται, id est, mandatarii: nam ἐπιτροπὴ, et προτροπὴ, est mandatum: *ἐπιτροπικὸν* est etiam mandatum in *l. Creditor. §. Lucius. D. mand.* etiam addo aliud, ut verba superesse, adesse, assistere dixi communia esse advocatorum et procuratorum: ita idem posse constitui, de verbo suscipere. utrique suscipiunt, sed advocati personam suscipiunt, procuratores negotium: et inde advocato meo ego sum susceptus, vel cliens in *l. 1. inf. de princip. ag. in rebus*, susceptus, id est, cliens, et Augustinus in quæst. mixtis: *hoc est advocati officium, ut secundum ordinem juris suscepti causam peroret*: ut qui dedit, is dicitur mandator, vel dominus, procurator, mandatarius, et licet suscipiat procurator negotium administrandum, tamen mandatorem, et dominum non recte appellaverit susceptum, sicut advocatus clientem: nam cum advocato non contraho mandatum, sed do me in fidem et clientelam ejus quasi patroni.

Ad Tit. XIII. Nec lic. potent. patroc. etc.

Hic titulus est veluti pars quædam tit. de procuratoribus *contre les transporteurs*, mandatum actionis, un *transport*, non est omne legitimum, non omnis procuratio est legitima. Procurator est is cui mandatur actio modo in rem suam, modo in alienam, nam hic tit. vetat potentiores, id est, eos, qui gratia et opibus polleant, ad agendum procuratores fieri nomine alieno: puto potentiores causas orare posse pro quolibet, et adversus quemlibet, ex *l. Quisquis. sup. de postul.* sed non possunt etiam agere procuratorio nomine adversus mediocres et tenuiores, qui ut est in *l. 3. D. de alien. jud. mut. caus.* potentioribus pares esse non possunt, quod quidem dictum formam proverbii habet, et Pindarus: χαλεπὰ δ' ἔρις ἀνθρώποισι ὁ μάλευ κρεισσόνων, et patrocinii nomine significatur procuratio non advocatio: nec enim minus, imo majus patrocinium litiganti præstat procurator, qui rem suam agit, instat, imminet rei magis, quam advocatus. Denique patrocinari mihi magis videtur procurator quam advocatus: additur eodem tit. *vel actiones in se transferre*, quod eo pertinet ut intelligatur, neque potentiori recte mandari actionem, ut eam intendat procuratorio nomine, sicut diximus, neque ut eam intendat suo nomine, nimirum omni jure, et emolumento in se translato, quod a potentioribus acerbi creditores eliciunt sæpe non pretio tantum, sed pretio, aut pactione. Certe longe alia constitutio est Anastasii in *l. pen. inf mand.* ea enim est de redemptoribus actionum, quæ redemptiones non valent supra modum soluti pretii ex ea constitutione, et quasi odiosæ strictius accipiuntur. Constitutio autem D. Claudii, de qua agitur in hoc tit. est de his qui actionum suarum alios redimunt exactores, ut ait l. 2 et de redemptis actoribus: et rursus ut ajunt tit. differentia intelligatur hoc distat idem tit. a tit. *de alien. jud. mut. caus.* quod hic tit. est de lite, sive actione translata in potentiorem, edictum illud est de re mobili et immobili translata in potentiorem

ab eo qui videbatur ipse eo nomine judicium accipere. Punitur autem hoc tit. tam potentior, qui suscipit, quam creditor, qui, ei cessit actionem. Creditor jus crediti amittit ea hac causa, potentior autem extra ordinem coercetur, qui huic rei suam operam accommodavit, prout præsidi provinciæ visum fuerit: nam ex constitutione Claudii, quod notandum specialiter, hujus rei coercitio delegatur præsidibus provinciarum, in quibus hæc admittuntur. Casus est specialis, etsi senator fuerit, aut clarissimus is, qui alienam actionem suscepit exequendam suo vel procuratorio nomine: casus, inquit, est specialis: nam de senatorum, et clarissimorum delictis cognitio est principis jure veteri, vel præfecti prætorio, vel præfecti urbi, quod demonstratur lib. 3. tit. ult. hujus rei disceptatorem, et ultorem D. Claudius fecit, ut in *l. 1. h. t.*

Ad Tit. XIV. De his qui potent. no. tit. præd. etc.

Additur consequenter de potentioribus, ne rei, qui conveniuntur suo nomine contradictoriis libellis, *des reponses, et defenses*, defensionibus, inquam, suis inserant falsa nomina senatorum, vel aliorum potentum, ne prædiis, quorum nomine conveniuntur, ædibus, officiis, tabernis affigant falsos titulos potentiorum, qui prædia scilicet asserant potentioribus, quod plerumque faciebant possessores diffidentiæ suæ causa, vel adversarii perterrefaciendi gratia, dum scilicet negant suum esse prædium, et asserunt ejus esse, quem titulus commendat: qua de re Divus August. in Psal. 21. *Ne domum ipsius petat aliquis, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces, ipse vult esse possessor, et frontem domus suæ de alieno tit. munire, ut cum lectus fuerit titulus, conterritus quis potentia nominis abstineat a petitione*. Et similiter idem August. in sermonibus, quod facile a nobis hoc tempore usurpari potest: *Hæretici in ipsis depredationibus suis Christi titulum ponunt, ut prædia eorum quasi defendantur per titulum potentioris*; et adjicit; *quod hic agit Christus, evict prædones, titulum non deponit, et possidet domum qui invenit ibi titulum suum*. Solebant titulos prædiis affigere, quibus cujusque prædium esset significaretur, ut etiam in prostibulo puellarum, in controversiis Senecæ. *Meretrix*, inquit, *vocata es, in communi loco stetisti semper, positus est cellæ tuæ titulus, venientes recepisti*, ut etiam in sepulchris: unde in antiquis inscriptionibus illæ singulares litteræ T. F. id est, titulum fieri jussit, statuis, et imaginibus similiter, qui et indices dicebantur. Tiberius in Panegyr. Messalæ: *nec quæris, quod quamque index sub imagine dicat*, sic est legendum: nam vulgo legitur quicquam. Est etiam in eod. lib. alius locus valde depravatus: *ergo ubi præclaros posset tua facta triumphos*, veteres habent membranæ: *ergo ubi per claros ierunt tua facta*: et alio loco: *horrea secundis deficientia mensis, et fiant horrea secundas ad deficientia messes*, sed hæc nihil ad propositum. Porro non licet etiam eos titulo in litibus potentioris nomen ementiri, et prætendere, quod Græce est ἐπιφημίζειν: ergo non tantum tituli inhibentur, sed et nominum usurpationes in litibus nihil ad potentiores, quorum nomina prætenduntur pertinentibus, et potentior quidem ex hac constitutione, qui hoc fieri scit et patitur, ipso jure infamia notatur quasi redemptor calumniæ et vexationis. Ipso jure fit infamis, et αὐτοψήφως, ut Græci hoc loco dicunt ex his verbis legis, adficiendi sunt publicæ sententiæ nota: ex quo colligunt non esse condemnationem ipso jure necessariam: nam statim quasi ex publica sententia ipsos infames fieri quos etiam in fine ait, ob id admissum famæ damnum faciunt ipso jure. Is autem, qui potentioris nomine abutitur causa cadit, sicut in tit. sup. is quidem actionis suæ potentiorem facit actorem, et executorem, causa, inquam, cadit: et additur in hoc tit. si causam justam habuerit, et probabilem: quod si injustam causam habuerit plumbatis cæsus damnatur in metallum, id est, effectus plumbo, ut lex loquitur, *c'est où il y avait du plomb au bout.*

Ad Tit. XV. Ut nemo privatus tit. præd. su. vel al. etc.

De titulis hic etiam agitur, non jam potentiorum, ut tit. sup. sed principis nomine, vel sacrarum necessitudinum principis, ut additur in *Nov. Theod. et Val. de tribut. fisc.* puta nomine Augustæ domus, nomine principis, nobilissimorum, vel Cæsaris: modo liberos suos nobilissimorum, modo Cæsaris appellatione principes honestabant. Ne quis igitur titulos nomine Principis, aut necessitudinum sacrarum imponat prædiis suis, vel alienis sine judicis auctoritate, etsi sit injustus possessor, et prædo, qui ea detinet, vel etiamsi in ea causa sint prædia, ut fisco vindicari debeant, eum, qui propterea prædio imposuit tit. principis, prædium amittere, et titulo non deposito prædium fisco vindicari. Eum vero, qui titulum principis prædio alieno imposuerit, si plebejus sit, quasi ex causa extremi sceleris extremo supplicio, id est, morte affici. Recte Gregorius Pachimerius extrema supplicia in eos esse consumenda, qui extrema scelera commiserint. Sin autem honestus sit qui prædio alieno titulum regium imposuit (rex hoc loco ponitur pro Imperatore Rom. et tamen potest trahi ad quemlibet principem) honestiorem spoliari bonis suis omnibus, et libertate, et civitate. Denique plecti maxima capitis diminutione, plecti morte civili: tabulas autem titulo suo impositas rei alienæ donec a quolibet libero, vel servo quantumvis licet, inscriptas nomine principis, id fieri illæsa majestate. Prædia autem non publicari cum inscio domino alius titulos regios imposuit quod æquum non sit, ut innocens lædatur alieno facto. Denique judicium esse titulos affigere prædiis in fiscum redactis, ut fit etiam hodie, ut in *l. 3. sup. de bonis vac.* et in *l. 1. de aquæductu lib.* XI. hoc non esse privatorum: non licet etiam hoc procuratoribus, vel conductoribus prædiorum Imperatorum, ut est in *Nov. Tiberii de diviois domibus*. Porro idem constituitur de velis regiis, sive de imaginibus, et characteribus principis ut est in *d. Novel. Tiberii.* ne scilicet quis vela principis, vela, in quibus sit depictus princeps, vel depicta sint insignia principis, ne quis ea suspendat ædibus suis, vel alienis. Solebant enim foribus suspendi vela, ut recte Æschylus in χοηφόροις dixerit, βηλὸν ἑρμαῖον πυλῶν id est, *septum seu munimentum portarum*: est enim vox veli de Græco tracta. Et Stephanus de urbibus, βηλὸν, τὸν οὐδὸν τῆς θύρας, *limen portæ*: et Romanus utitur in eadem significatione, et inde audire causas velo levato in *l. pen. inf. de naufrag.* est aperta fere, *a huys ouverts.*

Ad Tit. XVI. Ut nemini lic. sine judic. auctor. sign. imp. etc.

Aliud quidem ostenditur hoc tit. quam sit comprehensum: sed quod tamen est conjunctum superioribus, ut antea 14. fuit de titulis potentiorum 15. de titulis principis, vel regis, hic vero est de titulis propriis: nec scilicet quis rei mobili immobilive quam alius detinet ipse suam forte, vel sibi debitam, vel obligatam suam esse contendit, ne per hanc causam, sive speciem sigillum suum ei rei imprimat ante sententiam, vel quod licet addere, ne ei rei titulos, vel tabulas sui nominis adfigat, nisi velint suis rebus omnibus quasi publicatis titulos fiscales imponi. *Nov.* 17. est etiam ultimum supplicium in *Nov.* 164. neminem sibi jus dicere posse ulla ratione, et ista ratione, multo minus: post sententiam si vicerit licet unicuique generaliter suæ rei suum titulum imponere, vel signum suum titulus præfert nomen domini: signum præfert characterem, quo dominus uti solet obsignandis rebus suis. Si quis ante definitivam sententiam tabellas, titulos suos fixerit rei, quam alius possidet, licet possessori refigere, deponere, detrahere impune, ut in *l. 1. hoc tit.* licet frangere in caput ejus etiam, ut est in Nov. qui eas tabulas affixerit, et in eam rem plurimum facit *l. ult.* §. *Si ad januam. D. quod vi aut clam*, cujus sententiam exponamus. Tu vi aut clam ad januas meas tabulas fixisti: ego mox eas refixi, et deposui clam, id est, priusquam tibi denunciarem: si tu mecum agas interdicto quod vi aut clam, quod ego clam refixerim tabulas, ego te repellam exceptione hujusmodi, si non et tu vi aut clam eas tabulas fixeris ad januam meam, sicut in specie legis *Si alius.* §. *Bellissime. eodem.* Si in meo fundo ædificaveris vi aut clam, et ego postea ædificium demolitus fuero vi aut clam, et tu interdicto quod vi aut clam ueris adversum me, quod deposuerim vi aut clam ædificium a te constructum, ego te repellam eadem exceptione, quod tu vi aut clam ædificaveris, atque ita mihi licere impune demoliri ædificium vi aut clam, quod alius vi vel clam posuit in meo solo: licet mihi refigere tabulas vi vel clam, quas alter fixit vi vel clam ad januam meam, et ita in *l. Quemadmodum.* §. 1. *D. ad leg. Aquil.* si quis aquæductum subterraneum trajecerit in domum meam, possum meo jure aquæductum intercidere, et si mecum agas actione legis Aquiliæ, ejusdem exceptionis æquitate te repellam, quod in meo non jure traduxeris aquæductum: fateor, quod etiam additur in *d.* §. *Bellissime.* melius esse, et tutius hoc facere per magistratum, ut etiam dicitur in aliis causis, in *l. Si stipulatus sum mihi, aut Titio. in fine, D. de solut. l. Si pupillorum.* §. *Si pupillus. de rebus eorum qui sub tut. l. 3. inf. de pign.* quod jure meo possum facere, facio honestius per judicem: sed tamen jure meo licet mihi, ut in specie *dicti* §. *Si ad januam*, refigere, reponere, deponere, et refigere tabulas, quas alter alteri vi aut clam fixit ad valvam meam, et si agat mecum interdicto quod vi aut clam quod refixerim, quod fixit ipse, prior eum repellam supradicta exceptione, vel utar etiam ipse interdicto quod vi aut clam etiam adversus eum, et si ultro citroque agamus quod vi aut clam. Sed ego, qui refixi, ero superior, eum, qui refixit condemnabo in id quod interest, nisi probet, quod refixi vi aut clam, id est, nisi remittat mihi ac absolvat interdicto, quo utitor in me. quæ est sententia *d.* §. *Si ad januam*: ergo ex ea intelligitur, jure meo me adfigere tabulas etiam, quod vi aut clam, quas alter ad meam januam adfixerat vi aut clam, quasi forte ædibus meis sibi pignoratis, quod possunt facere temerarii creditores, ut in *l. 2. eod. tit.* ponitur creditorem signum suum rei alienæ imposuisse, quasi sibi pignoratæ: nam solebat sua tabella, quam ad januam adfixit indicare pignoris obligationem, ædes esse pignori obligatas illi creditori, eamque tabellam Demosthenes et Menander vocant ὅρον, quæ demonstrat hypothecam, ut est in Etymologico veteri, ubi definit ὅρον esse σανίδιον ἐπιτιθέμενον ταῖς οἰκίαις καὶ τοῖς χωρίοις ἐπὶ τοῖς πηγνύμενον τοῖς ἐνεχυραζομένοις πρὸς ἃ ὀφείλουσιν οἱ δεσπόται: et ita etiam Harpocration in Lexico Rhetorico: qui locus est emendandus ex Suida: ὅρον etc. Sed tamen si creditor hoc, prætextu sine auctoritate judicis vi aut clam ædibus alienis tabulas infixeret, domino licet removere impune. Et ita explicatus est hic titulus.

Ad Tit. XVII. Ne Fiscus vel Respublica, etc.

Sententia tit. 17 est apertissima: nam quod dictum est de potentioribus in hoc tit 17. cavetur de fisco et Rep. ne procurationem litis alienæ in perniciem privatorum suscipiat, quod non fit jure: nec potentiores igitur, nec fiscus, nec resp. hujusmodi patrocinia possunt præstare litigatoribus, nec hoc prætextu, quod is cujus lis est debitor fisci, vel Reip. sit, vel etiam quod litigator litis partem fisco donarit, vel Reip. nam et hæc donatio prohibita est, *l. 2. hoc tit. l. Res.* §. *Lites. D. de jure fisci.* et Paulus in *Sent. tit. de jure fisci*: et mandatum quoque illud est prohibitum, ut debitor fisci mandet fisco, et cedat actionem suam adversus debitorem suum, *l. 3. h. t.*

Ad Tit. XVIII. De negotiis gestis.

Hic tit. est de procuratoribus voluntariis, qui sine mandato dominorum, sive eorum ad quos res pertinet, sua sponte litibus se, vel alienis negotiis offerunt: hi sunt, qui gestores dicuntur et procuratores voluntarii a Paulo in Sent. et M. Tullio in Bruto, et *l. Prætor. §. Præstat. D. de rebus auct. jud. possidend.* Voluntarium judicium agere, id est, esse voluntarium procuratorem. Procuratores, qui ex mandato dominorum constituuntur, de quibus actum est superius necessarii sunt, non voluntarii: nam etsi beneficii sit, et nudæ voluntatis mandatum suscipere, tamen necessitatis est consummare, *l. In commodato. §. Sicut. D. commod. §. Mandatum. Inst. de mandato:* necessitatis, inquam, est consummare et implere quod susceperit semel, etiamsi id nondum gerere cœperit, *l. Si remunerandi. §. 1. D. mand.* qui sine mandato ad alienum negotium accedit, non ante adstringitur ullo vinculo, ulla necessitate, quam gerere cœperit. Verum ubi cœperit, deferre quod inchoavit, quod cœpit, non potest, *d. §. Sicut.* Ceterum aliis quoque ejusdem amici negotiis gerendis non obstringitur, id est, quod unum negotium amicus gerere cœpit, non cogitur et alia ejusdem negotia administrare, sed satis est si id quod cœpit adimpleat. nam propria voluntas ei finem administrationis facit, *l. Tutori. h. l.* ut Græci interpretantur, ὅτι βούλεται ἀφιστᾶν, quia satis est et abunde ut ait *l. Tutori*, ut vel in una specie unove negotio amici labore consulatur, quæ verba sumpta sunt ex Papin. in *l. Tutorem. §. Qui se, de administr. tutor.* Ex iis sequitur, actionem negotiorum gestorum dari tantum voluntario procuratori, puta ad recipiendos sumptus, si quos fecit in negotium alienum, actionem contrariam scilicet negotiorum gestorum: nam directa negotiorum gestorum datur ex administratione negotii doli vel culpæ nomine, si quam admiserit gestor: actionem, inquam, contrariam ad sumptus reciperandos ut dixi dari gestori, additis iis exceptionibus, nisi negotiis alienis intervenerit, atque ita in sumptus se conjecerit donandi animo, pietatis causa, paterno vel materno affectu, affectione maritali vel domestica, *l. 4. §. 11. et. 12. et in fin. d. l. 12.* in Basilicis videtur legi cum negatione, *non potest*, οὐ δύναται, non potest scilicet agere ad sumptus reciperandos actione negotiorum gestorum contraria, quos fecit donandi animo. Idemque ostendit *l. 13. et l. 15. eod. tit. l. Nesennius. D. eod.* et eadem quoque pietatis causa excludit condictionem indebiti, *l. Cum te. §. pen. D. de condict. indeb.* ubi pro *mulier*, malim, *mater*, ut in suprad. legibus, ut sit hæc species: mater cum falso opinaretur se esse obligatam pro dote filiæ, atque ita per errorem eam solvit: quæro an possit condicere quasi indebitum? minime: quia etiam remota falsa opinione intervenit pietatis causa, condictionem indebiti excludit pietatis causa, erga filiam scilicet: pietas enim est erga liberos, et addenda etiam est alia exceptio, nisi gestor sumptus fecerit quasi libertus, officio scilicet et liberti obsequio fungens, puta petens tutorem filiis impuberibus, et alia ex *l. ult. hoc. tit.* ubi dominus denunciavit gestori ne gereret: nam post eam denunciationem cessat actio negotiorum gestorum contraria, nec si quid post eam prohibitionem impenderit, poterit recipere per actionem contrariam, quæ fuit sententia Juliani a Justiniano comprobata in *d. l. ult.* porro diximus contrariam actionem negotiorum gestorum directo tantum dari voluntario procuratori: nam utiliter datur etiam ei, quem necessitas muneris vel necessitatis suspicio compulit ad gerendum negotium, veluti curatori adolescentis, cui nulla alia actio datur, vel curatori furiosi, quam actio utilis negotiorum gestorum: et vicissim adolescenti vel furioso actio utilis negotiorum gestorum, *l. 6. §. Negotium, l. 3. §. pen. D. eod.* datur etiam ei et in eum, qui quasi servus meus cum putaret servum meum esse ex necessitate servili negotium male gessit cum esset liber, *l. 6. §. Si quis quasi servus. D. eod. tit.* ergo actio contraria negotiorum gestorum vel est directa vel utilis, directa datur ei, quem propria voluntas compulit ad administrationem negotiorum absentis amici: nam hanc plerumque amici amicis operam præbent: utilis autem ei etiam datur, quem necessitas officii vel opinio necessitatis impulit, ut curatori furioso, vel contra curatorem furiosi, *l. Si autem. D. de negot. gest.* nam ut actio mandati est mutua sive reciproca, directa, quæ mandatori datur, contraria, quæ mandatario sive procuratori: ita actio negot. gest. alia est directa, alia est contraria: directa datur in gestorem, contraria in dominum, etiam invitum et ignorantem, *l. 2. D. eod.* licet actio mandati non detur in invitum et ignorantem, *l. Qui fide. D. mand.* Sic ergo duplex est actio negot. gest. dir. et contraria, et rursus directa aut contraria modo est directa modo utilis. Verum non tantum hæ duæ actiones, scilicet mandati, et negotiorum gestorum dantur ex alieno gesto, sed etiam aliæ 5. actiones, videlicet tutelæ, quæ est etiam directa vel contraria et protutelæ, et de in rem verso, et actio funeraria, de qua in tit. de religiosis, et actio in factum, quæ datur ex edicto de rebus auctoritate jud. possid. Sunt etiam actiones, quæ dantur ex alieno negotio gesto, sed hæc sola de qua agitur in h. tit. sibi vindicat nomen negotiorum gestorum, et simpliciter in *l. fi. C. Theodos. de denunciat. rescr.* vocatur actio negotiorum, et ut ea, quæ dixi conferam in pauca: tenetur is qui nullo præcedente mandato, nulla cogente necessitate, vel etiam ea necessitate officii, quod invitus suscepit, veluti ea curatione, nam et hæc invito defertur, vel ea tutela, quæ est civile munus, vel quasi servili necessitate immiscuit se negotiis alienis etiam ei ad quem ea negotia pertinent: datur enim et hæc actio ultro citroque. Dicuntur quidem et omnes actiones aliæ, quæ sunt ex contractu, vel quasi ex contractu, esse ex negotio gesto: nam contractus omnis negotii contractio est, et contractus dicitur per defectionem: cum plena oratio est negotii contractus, et negotium contrahere: sed non sunt illæ actiones ex alieno negotio gesto, sunt ex negotio gesto, sed non ex alieno. Illæ tantum septem, quas enumeravimus, sunt ex negotio gesto.

Ad Tit. XIX. De his quæ vi met. cau. gesta sunt.

Negotia gesta videntur traxisse juris conditores ad negotia vi metusve causa gesta: illa prætor tuetur, ut ostenditur datis ultro citroque actionibus negotiorum gestorum, hæc vero ea, quæ vi metusve causa gesta sunt rescindit. Ex negotiis gestis in rem actio non est, sed in personam, *l. pen. sup. tit. prox.* atque ideo perpetua est actio, nec tollitur præscriptione longi temporis, *l. 8. eod.* qua tantum tollitur actio in rem. Per vim metusve re aliqua gesta, non tantum est actio quod metus causa in rem scripta vi ipsa in personam, quoniam qui ea agit non dicit, quod hic vi metusve causa gessit: nullam scilicet personam notat, qui hæc agit, sed dicit, quod vi metusve causa gestum est, hoc est loquitur in rem, et generaliter, nec personam, quæ vim aut metum intulit, exprimit, *l. 9. §. Animadvertendum.* et *§. ult. D. eod.* Verum ut cœpi dicere, non hujus rei emendandæ causa comparata tantum est ex edicto actio, quod metus causa in rem scripta, sed etiam in rem actio, id est, rei vindicatio: ut si quis vi aut metu coactus rem suam vendiderit, et tradiderit, atque ita alienarit, non tantum potest ex hoc edicto restitui in integrum, sed etiam potest rem ipsam vindicare quasi non alienatam, licet re vera sit alienata: ergo vim aut metum passo competit electio. ut agat actione, quod metus causa, quæ est restitutoria, vel rei vindicatione, ita tamen ut altera electa, altera consumatur, *d. l. 9. §. Volenti.* et *§. Licet. D. eod.* Et actio quidem, quod metus causa intra annum utilem datur in quadruplum adversus eum, qui vim aut metum intulit, scripta tamen in rem: nam scriptura est in rem, vi ipsa est in personam. Intra annum igitur utilem datur in quadruplum, si arbitrio judicis res non restituatur: nam prius arbitratur judex ex bono et æquo ut rem restituat in integrum qui vim aut metum intulit: et ob id numeratur hæc actio inter arbitrarias, et hic si pareat arbitrio, nihil damni sentit, sin minus, plectitur quadruplo intra annum utilem: post annum datur in simplum causa cognita, id est, si alia actio non sit, *l. 4. hoc tit.* quoniam hæc actio est extraordinaria, nec datur habenti ordinariam, sicut nec actio de dolo, quæ etiam datur sub hoc modo, si alia non sit actio. Ac præterea superior tit. est de negot. gestis, de iis qui alienam rem gerunt, bona, honesta, et utili ratione: hic autem tit. est de his qui sibi rem gerunt malo more, illata vi, terrore aliquo illato majore, extorquendo invitis forte alienationem, vel obligationem, vel transactionem, *l. 7. et ult. h. tit.* quod plerique potentiores faciunt per impressionem veluti quandam, et inde in *l. ult. hoc tit.* quæ per potentiam extorta sunt, et Esaiæ prophetæ cap. 58. secundum interpretationem 70. hujusmodi contractus per potentiam extortos vocat στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων, *strangulationes*, sed non est omittendum quod definitur in *l. Metum. h. t. metum non jactationibus, sed atrocitate facti probari convenit:* quæ lex est conjungenda cum *l. Dolum. tit. seq.* utriusque est eadem inscriptio, et subscriptio. In una ostenditur quomodo probare metum oporteat, in altera quomodo dolum: metum autem probare oportet non jactationibus non contestationibus, *il a tant crié apres moy que i'ay esté contraint de luy bailler*, sed ex atrocitate facti, τραχύτητι τῶν γενομένων. Dolum autem ex *insidiis, comme il faut lire, perspicuis, par aperts aguets, comme le François á tourné*, et Basil. ἀπὸ ἐπιβουλῶν προφανεστάτων, similiter in *l. 8. de rescind. vend.* dolum probari ex calliditate, et insidiis emptoris: nam indicia non sufficiunt, quod ita verum est, ut doli etiam nomine significentur insidiæ, ut illo loco, *dolus an virtus, quis in hoste requirat?* dolus sunt insidiæ, et valde notandum est, quod cavetur in *l. pen. hoc tit.* de qua forte nondum bene constat, et in una re pene singulari. quod in actione quod metus causa omnino restitutio in integrum fit ex utraque parte, alioqui non esset restitutio in integrum: ut qui coactus vendidit, et tradidit, recipit rem, et restituit pretium, *l. 3.* et *4. hoc tit.* sed casus *l. pen.* est singularis ut quis recipiat rem, et retineat pretium, et casus hic est, ut nos docuimus in *l. 1. de contract. jud.* præsides provinciarum, proconsules et officiales eorum, et apparitores, generaliter omnes, qui in provincia mediocri aliquo officio funguntur, et milites, qui in provincia morantur prohiberi emere prædia a provincialibus, quod ea plerumque a provincialibus extorqueant per vim, aut metum, terrorem, concussionem, impressionem, et prohiberi, vel per se, vel per interpositam personam, veluti ut in hac *l. penult.* per conjugem, vel per amicum provincialis igitur, qui impressionem passus est ab officiali, aget quod metus causa, in qua hoc erit singulare propter atrocitatem rei, sive delicti, ut venditor per eam actionem recipiat prædium, nec restituat pretium emptori, quod etiam est constitutum ad eumdem modum C. Th. *l. 2. de iis qui administrant officium publicum.* Sed videtur pugnare *l. 1. eod. tit.* imo et *l. Milites. D. de re militari.* quæ venditum prædium dicunt vindicari fisco, quod officialis comparavit contra prohibitionem legis, et *l. pen.* atque etiam *d. l. 2.* dicunt prædium confiscari. nec restitui venditori. Animadvertendum est, ita demum confiscari si venditor non conqueratur, vel quod nullam fiscandi justam causam habeat, puta re gesta, sine vi metuve, vel qua alia de causa: hoc casu ne prædium cedat emptori, qui id emit illicite, et mala ratione, confiscatur prædium: et hoc casu emptor, qui amittit prædium remittit pretium a venditore, ita ut venditio sit irrita ex parte venditoris, ut puniatur uterque, venditor, et emptor: venditor, emissione pretii, emptor emissione rei, argumento *l. Senatus. D. de contrah. empt. l. 1. C. Th. de iis qui administrant officium publ.* Quod dixi

de sententia *l. pen. hoc t.* mihi hodie emendatius enarrandum est, quoniam res est sane cognitu dignissima. Certissimum est, et hoc edicimus ex *l. 1. tit. de contract. jud.* principalibus constitutionibus cavari, ne qui, vel minimum, vel mediocre, ut ait *l. pen.* ut minimus, vel mediocris homo dicitur tenuis, angustus, et pauper, qui inquam, vel minimum officium gerit publicum in provincia, vel civitate aliqua, vel pago, vel loco ullam rem mobilem, vel immobilem, præter ea, quæ pertinent ad victum et vestitum privatim, vel publice, per se vel per interpositam personam emat ab hominibus ejus provinciæ, vel civitatis, vel pagi, vel loci, in quo officium publicum gerunt, quod plerumque extorqueant venditionem per vim, concussionem, officii aut potestate freti, et pœna constituitur ei, qui adversus constitutionem fecerit, id est, qui emerit cum esset in publico officio ab hominibus ejus loci, in quo officio publico fungebatur: ut scilicet, qui ita emerit illicite per actionem, quod metus causa cogatur venditori rem reddere, nec possit ab eo pretium repetere, quod ei dedit venditor: ergo per actionem quod metus causa, recipit rem male venditam per impressionem scilicet officialis, et nihilominus retinet pretium, quod in hac specie est valde singulare in *d. l. pen.* extra quam alias in actione, quod metus causa restitutio ita fit ut unusquisque jus suum recipiat, venditor rem cum fructibus, emptor pretium cum usuris, aut compensatis usuris cum fructibus, ut solet hodie semper fieri, ut *l. 3. et 4. eod.* ita apparet valde singularem esse constitutionem *l. pen.* et in ejus specie actionem quod metus causa degenerare e sua natura, a suo more, suovo ingenio. Sed ut dicebam nodius tertius potest opponi *d. l. pen. l. Milites. h. de re militari*, quæ fundum ita venditum, aut rem venditam contra constitutiones superiores addicit fisco: non redditur ergo venditori. Ita etiam accipiendum est, quod ait *l. Aufertur. § Quod a prævide. D. de jure fisci.* id quod ita comparatum est insinuato contractu vindicari, fisco scilicet non ergo restitui venditori: et ita etiam evidenter exprimitur in *l. 1. C. Th. de iis qui administrant offic. publ. fiscale officium administrantes, quidquid comparaverunt*, et eadem procuidubio est sententia *l. Non licet. D. de contrah. empt.* dum ait, eum qui emit rem in provincia cui præest, eam rem amittere, his verbis significatur, eam rem cadere in fiscum secundum inscriptionem l. quæ est ex lib. singulari Marciani de delatoribus, qui totus liber erat de jure fisci, et de iis qui deferunt jure fiscalia. Plus adjicit *d. §. Quod a prævide*, non tantum rem male emptam fisco vindicari, sed etiam pretium ejus fisco inferri: non ergo pretium retinet venditor: et adjicit etiam *d. l. Non licet*, pœnam tripli hoc amplius fisco inferri: at constitutio Severi et Antonini dicit emptorem damnari in quadruplum in illo scilicet quadruplo continetur simplum, id est, æstimatio rei, nam pœna est tripli, sed hæc mirum in modum pugnant cum nostra *l. pen.* et ut respondeamus, sane hæc non procedunt generaliter, sed duobus tantum casibus, qui sunt excipiendi a *l. pen.* vetum est, rem eam fisco vindicari uno casu, si post depositum ab emptore officium venditor integro quinquennio in repetitione rei cessaverit: nam et hoc casu res vindicatur fisco, quasi venditor jus amiserit repetendæ ejus rei præscriptione quinquennii: et ita definitur aperte in *l. 5. in fine, C. Th. de iis qui administrant*: est et aliud valde singulare jus in hac specie, ut actio quod metus causa, quæ est perpetua, vel rei vindicatio, quæ non tollitur nisi præscriptione 15. vel 20. annorum: rei vindicatio semper concurrit cum actione quod metus causa, ut, inquam, hæ dum actiones in hac specie jure singulari finiantur præscriptione quinquennii, et ratihabitione venditoris, licet non confirmetur venditio, ut est in *l. un. sup. de contract. jud.* quia scilicet fiscus vindicat rem male venditam statim atque venditor ratam habuit, vel exclusus est præscriptione quinquennii. Rursus quod dixi ex hac causa quadruplum inferri fisco in quo pretium inest, pretium rei, hoc velim accipi indistincte, sive emptor ille nondum solverit pretium venditori, sive etiam solverit venditori: hoc casu posteriori si solverit venditori præstito quadruplo per istoque in fiscum a venditore, pretium repetetur, quod ei pernumeravit ipse, vel hæres ejus. Et ita accipiende *l. 1. C. Th.* dum ait pretium a venditore repetere Claudiam et Agrippinam, hæredes scilicet ejus, qui impressione officii similem venditionem extorsit, et confirmatur hoc idem argumento *l. Senatus. D. de contrah. empt.*

Ad Tit. XX. De dolo malo.

Sequuntur gesta dolo malo, quo verbo doli scilicet comprehenduntur, et gesta vi metusve causa, et liberum est ei, qui vim metumve passus est agere, quod metus causa, vel de dolo malo, *l. Item si cum. §. Enim. D. de eo quod metus causa*, sed doli verbum complectitur et alia innumera, innumeras calliditates, fallacias, insidias, machinationes, technas, quæ omnia prætor rescindit dele actione famosa, id est, quæ condemnato irrogat infamiam, ut actio de dolo malo, eaque datur causa cognita, nec enim passim indulgetur, non ei alia actio sit ordinaria, *l. 2. h. t.* non adversus parentes vel patronos propter eorum verecundiam, sed in eos est actio in factum, quæ actio non infamat, neque doli mentionem habet, sed facti narratio simplex est et modesta. Verum detracta infamia, actio in factum eamdem vim habet, quam actio de dolo, *l. Si superstite. hoc tit.* et hæc actio de dolo malo, quæ olim dabatur intra annum utilem, hodie ex eo tempore, quo dolus admissus est, intra annum continuum, et ex die quo actio impetrata est, vel contestata, finiri debet intra biennium continuum, cum aliæ lites finiantur triennio, *l. ult. eod. tit.* actio famosa brevi tempore constringitur: diuturnior est actio quod metus causa, quæ modo est famosa, modo in quadruplum datur, et durat quadriennio continuo secundum generalem definitionem, *l. ult. inf. de temp. in integrum restit.* quæ generaliter annum utilem vertit in quadriennium continuum, et eadem actio quod metus causa etiam post quadriennium perpetuo durat in simplum. Verum sicut actio hæc dicebatur olim de eo, quod vi metusve causa, hodie autem de eo quod metus causa, propterea quod metui inest satis vis, et vi metus: ita etiam actio de dolo malo, quæ dicebatur de dolo malo et fraude, hodie dicitur simpliciter de dolo malo, quoniam dolo inest fraus, *l. Jusjurandum. §. Sed fraudandi. D. de pact.* et vim in his actionibus dolumque dicimus, quæ fit contra bonos mores: est vis, quæ fit moribus, vel fraus, quæ fit bona fide, et dolus bonus: hæc vis, hæc fraus nihil pertinet ad has actiones.

Ad Tit. XXI. De in integr. restit. minor.

Sequuntur, quæ gesta sunt cum minore, quam 25. annorum nato, quæ perinde ac gesta metus causa, aut dolo malo prætor rescindit causa cognita accersitis, et præsentibus his, qui læderentur rescissione rei gestæ, et in integrum restitutione minorum, vel absentibus, vel contumacibus, *l. In causæ. D. de minor.* Ita vero rescindit prætor jure veteri intra annum utilem, ex quo minor implevit 25. annum jure novo intra quadriennium continuum, ex *d. l. ult. inf. de temp. in integ. restit.* Ita ut minor possit hodie petere restitutionem in integrum intra 29. annum, id est, intra 25. vel post 25. intra quadriennium, et ex constitutionibus regum nostrorum intra 30. annum ætatis: sed ut detur restitutio minori, necesse est ut sit læsus, aut sit captus, circumscriptus sit sua facilitate et levitate, lubrico ætatis, ut est *l. Verum. §. Marcellus. D. de minor.* et Josephus l. antiq. c. 17. ὅτι τὸ τῆς ἡλικίας ἀτελές, et probanda est læsio petenti restitutionem in integrum, probanda fraus, quæ reipsa contingit, nec exigitur ut contigerit dolo adversarii *l. Minorib. h. tit.* probanda est etiam ætas, id est, rem gestam fuisse cum eo, qui nondum pervenerat ad justam ætatem, id est, 25. annum: ea enim est justa et legitima ætas: ita scilicet definita a legumlatoribus: necesse est etiam ut minor petat se restitui in integrum, id est in locum, et in eam causam reponat unde exciderit: quid est restitutio in integrum? redintegratio amissæ causæ, *l. 2. inf. in quibus caus. restit. in integr. non est necess.* et dicitur proprie restitutio in integrum de minoribus 25 annis et adolescentibus circumscriptis, quia auxilium hujus ætatis alio nomine non censetur: nec enim tribuitur beneficio actionis, sed cognitione prætoria, quæ ex causa metus, vel doli mali, vel absentiæ, vel capitis diminutionis, vel ex aliis causis dantur restitutiones in integrum, actionis rescissoriæ vel restitutoriæ nomen habent, et duxit quidem ordinem tit.: a negot. gestis pro alio ad gesta metus causa, gesta dolo malo, gesta cum adolescente: non male, sed confirmatur etiam hic ordo ex eo, quod in edicto sup. de postul. hæc inerant verba: quibus ex omnibus bis in integrum restitutus non erit, *l. 1. §. Deinde. D. de postul.* quæ verba quodammodo tractatum de restitutionibus in integrum postulabant. Item, quod in tit. de procurat. incidebat hæc quæstio, an per procuratores agi possit causa restitutionis in integrum, ut inf. tit. 48. Item quod cum esset actum de potentioribus sup. tit. 13. 14. ad quos lite translata constabat dari restitutionem in integrum, ex edicto de alienat. jud. mut. causa facta, quod inde nunquam probabilis numeretur occasio tractandi de causa restitutionis in integrum, et ad extremum, quod etiam fit mentio tit. 54. de restitutione in integrum quæ etiam minori læso datur ob alienationem mutandi jud. causa factam: his tantum addenda est explicatio *l. ult.* quod scilicet opinor eam nondum bene explicatam fuisse. Regula hæc est, *non videtur circumscriptus*, et lex est Zenonis scripta ad Ælianum P. P. Sciendum autem est unam esse constitutionem Zenonis, quæ scissa est in tres partes in hac *l. ult.* et *l. Mulier. inf. de jur. dot.* et *l. ult. inf. de magistrat. conven.* harum trium legum eadem inscriptio et subscriptio, eadem quæst. agitatur in omnibus. Denique fuit constitutio una, quæ dissiluit in tres partes: et subscriptio quidem, quoniam a plerisque depravata est, hæc est: *date Cal. Januar. Cons. Basilico V. P. Constans.* quidem in hac *l. ult.* male Basilio additur: nam is Basilius solus fuit Consul: male etiam addunt Armatum in *d. l. Mulier*: nam Armatus cum hoc Basilio non fuit Consul, sed cum alio, qui dicitur Basilius, cujus memoria damnata fuit ob affectatam tyrannidem, adeo ut nomen ejus non ponatur in subscriptione, sed Armati tantum. Species autem ejus constitutionis, et integra sententia hæc est: minor 25. annis consentiente curatore jure dato ex decreto prætoris, vel præsidis, et curatore generali vel speciali datæ dotis constituendæ causa, nihil interest, ut in *l. Si in constituendæ. D. de jure dotium.* Consentiente igitur curatore jure dato dotem dedit, marito vero promisit pro modo facultatum suarum et pro dignitate mariti, et pro dignitate suorum natalium: alioqui si dotem dedisset non servato hoc modo, puella in integrum restitueretur, et adversus dotem, *l. Si ex causa. §. In dotis. D. de minoribus.* Dos igitur rite data est vel promissa. Ceterum in conficiendo inventario bonorum puellæ quod initio administrator facere dicitur curante curatore, ac perinde ineunde bonorum puellæ æstimatione vitio scribæ publici, non vitio curatoris minoris æstimata sunt bona puellæ, puta quingentis, cum digna essent 600. atque ita secundum hanc æstimationem curator curavit puellæ in 500. aureos, dato fidejussore eos secundum 500. aureos salvos fore, cum tamen in bonis essent amplius quingentis. Verum in collocanda puella diligentius excussis facultatibus ejus curator dedit in dotem 600. totum patrimonium puellæ: majorem igitur quantitatem quam quæ cautione continetur, quo fit ut minor versetur in damno, cum non est cautum in integram quantitatem patrimonii ejus: quæritur an ideo possit in integrum restitui adversus dotem vel promissionem dotis? et di-

cimus non esse restitutioni locum, quia restitutio in integrum datur tantum minori capto aut circumscripto, et captus aut circumscriptus non videtur qui jure communi usus est, ut ait *d. l. ult.* quæ regula sumpta est ex Papiniano in *l. Inter. D. de admin. tutor. vel curator.* et usurpatur etiam ab Ulpiano in *l. Nihil.* §. 1. *de reg. juris:* his verbis non capitur, id est, non decipitur qui jus publicum sequitur. Jus commune et jus publicum idem est. Jure communi usa est mulier, quæ adhibito curatore recte constituto dotem dedit vel promisit secundum modum patrimonii sui; ergo non videtur capta, et consequenter non potest restitui adversus dotem vel promissionem dotis. Denique ut ait *d. l. Mulier.* recte dotem dedit vel promisit, et si promisit, exigi potest: nam in *d. l. Mulier*, legendum est, exigi, non exigere: exigi habent veteres libri etiam, atque etiam Basilica. καὶ ἐὰν ἐπαγγείληται διδόναι ἀπαιτεῖται *et si promisit dare, exigitur:* quia recte promisit, et recte datura est. Ceterum in scribam, cujus vitio perperam æstimata sunt bona puellæ, puella habet actionem ordinariam in eo quod interest, actione, id est, in factum ex Senatusconsulto apposito in tit. de magistr. conveni. Scriba tenetur in subsidium: nam actio illa Senatusconsulto prodita subsidiaria est, et tenetur scriba, quod non satis exegerit, quod non exegerit fidejussorem a curatore, rem scilicet salvam fore in omnem quantitatem bonorum, quod ea bona perperam æstimaverit, vel dolo malo, vel negligentia quadam: et scribam intelligimus scribam prætoris, vel præsidis, cujus non qualecumque fuit officium, non qualis qualis apparitio apud prætorem, vel præsidem, sed fuit in honore aliquo, cum clarissimus appelletur in Nov. Justiniani, ubi nominatim etiam scribit, ad curam et sollicitudinem clarissimi scribæ pertinere res minorum, quæ 25. annis natu: quod demonstrat etiam Nov. Constantini Porphyrogenetæ, περὶ τῶν συνηθειῶν τοῦ Σκρίβα, de sportulis scribæ, quas etiam Latini consuetudines vocant, qui, ut ait, non est τέλειος δικαστὴς proprie judex, sed subjicitur provincialibus judicibus, et paret, atque etiam tabulariis præsidum majoribus, et omnis ejus cura versatur in rebus minorum, quarum periculum etiam respicit ad eum ex magna negligentia, si quid scilicet in eo officio prætermiserit atque ita coactis in unum tribus illis legibus, altera alteri dedit præclarissimam lucem.

Ad. Tit. XXII. De filiofam. minore.

Post tit. generalem de in integrum restitutione minorum, sequuntur speciales quæstiones quæ pertinent ad hunc tractatum: ac prima quæstio hæc est, an filiofam. minori 25. annis datur restitutio in integrum si pater ejus sit major: nam si filiusfam. minor est restitutus in integrum, per consequentiam videris etiam restituere patrem, qui est major, ad quem jure potestatis redeunt commoda, et jure omnia filiifam. quod tamen est alienum a proposito prætoris, qui minoribus non majoribus auxilium pollicetur: et hæc est dubitandi ratio: sed removetur, quia restitutio in integrum soli filiofam. prodest, non etiam patri ex eadem causa suo nomine obligato, *l.* 3. §. *Sed utrum. D. de minor.* Suo, inquam nomine, non patre obligato nomine filii, nomine peculiari: sane prodest etiam restitutio filii, l. *Patri. in principio, D. de minor.* atqui filiusfam. minor restitui potest in integrum, ut in casu *l.* 1. *hoc tit.* quæ, ut obiter moneam in Basilicis est lex 2. si minor filiusfam. fidejusserit pro extraneo, vel etiam pro patre ipso etiam ignorante, ut in l. *Si dubitet.* §. *ult. de fidejussor.* nam si non sit obligatus suo nomine ut si ei pro quo fidejussit hæres extiterit, quo genere fidejussoria obligatio perimitur quoties in unam personam concurrit principalis obligatio, et fidejussoria; principalis perimit fidejussoriam, major tollit minorem, *l. Stichum.* §. *Quod vulgo. D. de solut.* quod etiam indicat *l.* 1. *h. t.* vel etiam si filiusfam. minor mutuam pecuniam acceperit contra Senatusconsult. Macedonianum, qua ex causa etiam obligatus non est: certe iis casibus, et similibus non est ei necessaria restitutio in integrum, l. 2. *h. t.* quæ ex similitudine inscriptionis, et subscriptionis conjungenda est cum l. 8. inf. ad Vellejan. utraque scripta est ad Triphonem militem: si obligatus sit filiusfam. restitui poterit in integrum si se captum probet. Imo uno casu etiamsi obligatus sit filiusfam. denegatur restitutio in integrum, *d. l.* 2. *hoc tit.* et *l.* §. *Sed utrum. D. de minor.* videlicet si jussu patris mutuam pecuniam acceperit, qui jussus efficit quo minus æstimetur mutuam pecuniam accepisse contra Senatusconsult. Macedonianum: et ut filiusfamil. conventus actione si certum petatur, non possit restitui in integrum. Et hæc est brevis definitio hujus quæstionis.

Ad Tit. XXIII. De fidejussor. minorum.

Didicimus ex supradicto tit. patri suo nomine obligato ex contractu restitutionem non prodesse. Idem hic tit. ostendit obtinere in fidejussore minoris 25. annis, lapsi lubrico ætatis. Itaque fidejussori non prodest, *l. Stichum.* §. *Quod vulgo. D. de solution.* nisi adversarius habet alium in quem obligationem transferre possit, vel nisi et salva sit actio in alium; sine translatione judicii: nam hoc casu restitutio minoris fidejussori prodest in l. *Minor. D. de procurat. l. Si pupill. se hæreditate. D. de acquir. hæred.* vel nisi fidejussor ignoraverit minorem eum esse pro quo intercessit: nam sæpe fallimur in æstimanda ætate hominum: hoc etiam casu restitutio minoris fidejussori prodest, qui non putavit eum esse minorem pro quo interveniebat, *l. Si Titius et Seja. D. de fidejussor.* et hoc didicimus de minore lapso lubrico juventæ, ut ejus restitutio non prosit fidejussori exceptis illis duobus casibus, si deceptus sit in re, non dolo adversarii: nam circumscripto dolo adversarii, quæ datur restitutio, sane fidejussori prodest, et ita eleganter hæc dictio comprobata est in *l.* 2. *in fine, D. de except.* et tractatur ea de re in *l. In causæ.* §. *D. de minor.* et observandum in dicta exceptione l. 7. verbum circumscribere accipi in malam partem, ita ut proprie circumscriptus sit, qui deceptus est dolo adversarii, et ita etiam Harmenopulus in l. Epitom. περιγραφὴν, interpretatur in legibus esse τὴν ἐξαπάτησιν τῆς ἐν συναλλάγματι γινομένην.

Ad Tit. XXIV. Si tutor, vel curator intervenerit.

Restitutio in integrum non datur, aut non podest patri ejus, qui beneficio ætatis in integrum restitutus est ex tit. 22. non prodest etiam fidejussori ejus, quod etiam heri didicimus ex tit. 23. adhibitis utrobique exceptionibus quibusdam: nunc docet h. t. 24. non prodesse etiam restitutionem minoris tutori, vel curatori, nec ideo minus rescindi gesta cum minore 25. annis quæ gesta sunt auctore tutore, vel curatore: posset quis dicere, non esse rescindenda, quæ cum minore gesta sunt auctoritate tutoris, vel curatoris, vel forte per ipsum tutorem nomine adolescentis, qui scilicet tutor, vel curator utique est semper major 25. annis, et posset tentare aliquis hac ratione, quod semper possit adolescens jus suum servare a tutore vel curatore, vel fidejussoribus eorum per actionem tutelæ, aut negotiorum gestorum, sed tamen non ideo minus restituitur adolescens, nam non ut ex 1. et 2. causa edicti de restitutionem in integrum, ex edicto quod metus causa, ex edicto quod dolo malo, cessat restitutio si alia sit actio, ita etiam ex causa ætatis, quæ est tertia edicti causa: nam etsi alia actio sit minor, postulat auxilium restitutionis in integrum, *l. In causæ.* §. *Pompon. D. de minor.* Dices auxilium restitutionis, quod conceditur beneficio ætatis esse extraordinarium: fateor: ergo non debet dari si suppetat actio ordinaria: diffiteor, quia favori ætatis et ordinarium, et extraordinarium suppetit: et regula illa ut cesset ordinarium si suppetat extraordinarium, vitiatur favore ætatis, ut huic ætati non desint extraordinaria auxilia: imo vero uno electo non consumitur aliud, veluti electa actione tutelæ, vel negotiorum gestorum, non consumitur jus petendæ restitutionis in integrum, et de hac restitutione valde singularis est *l. ult. hoc tit.* in illo loco: *nullo eis præjudicio per electionem generando*, ergo non cessat restitutio in integrum, si alia sit actio ordinaria, qua possit adolescens ad jus suum pervenire. Ceterum si adolescens ipso jure munitus sit, si contractus ipso jure non valeat, ut puta si sine tutoris auctoritate celebratus, sit ubi ea exigitur: si minor 25. annis servum manumiserit contra legem Æliam Sentiam, et causa non probata apud concilium, quæ manumissio etiam ipso jure nulla est. Evidentissimum est in his causis non esse necessariam restitutionem in integrum: et ita est accipienda *d. l. In causæ.* 2. *in princ. D. de minor.* et confirmatur *l. Sive gener. D. de jure dot.* et *l.* 6. *inf. si adversus rem jud.* et l. *pen. inf. si adversus.*

Ad Tit. XXV. Si in communi eademque causa in integrum restitutio postuletur.

Sequitur in tit. 25. in communi eademque causa non prodesse etiam restitutionem in integrum fratri consorti: nam quamvis res sit communis, patrimonium commune inter fratres, tamen commune non est restitutionis auxilium, et restitutio fratris minoris non prodest fratri majori, quod beneficium est ætatis; quam in rem est singularis *l. un. h. tit.* atque ita intelligimus quibus videbatur prodesse posse restitutio adolescenti, non tamen prodesse patri, non fidejussori; non tutori vel curatori, non fratri, et consorti, et cohæredi.

Ad Tit. XXVI. Si adversus rem judicatam restitutio postuletur.

Ab hoc tit. incipit explicare causas ex quibus minori 25. annis solet dari restitutio in integrum. Prima est, quæ sic proponitur: si contra minorem 25. annis litigante tutore, vel curatore auctore, vel etiam contra tutorem, vel curatorem ejus, vel procuratorem ejus nomine litigantem judicatum sit: nam si minor probaverit se esse læsum litem restaurari placet, et agi ex integro: quod est restitui minorem adversus sententiam et exceptum tantum invenio unum casum, et si res judicata sit pro libertate liberali judicio: hæc sententia appellatione rescindi potest, non restitutione in integrum: favor libertatis superat favorem ætatis, *l. ult. si adversus.*

Ad Tit. XXVII. Si adversus venditionem.

Secunda causa proponitur in tit. 27. Si quid minores 25. annis rei suæ vendiderint, vel si quid tutores, vel curatores eorum vendiderint commento, figmento tituloque venditionis potius, quam vera venditione, ita ut ex ea re contigerit lædi minorem: nam ut ait *l. u.* §. *hoc tit.* in integrum restitutio datur minoribus adversus commentitias venditiones, et tutorum seu curatorum insidias, id est, dolum malum. Et hæc dicimus de minoribus, qui rerum suarum aliquid vendiderunt injurati: nam si jurati corporaliter, puta tactis Sanctis Evangeliis, vel manu subiata venditionem fecerint, et juraverint se emptori nullam unquam controversiam facturos, vis possent hanc venditionem rescindere, quamvis læsi, et reipsa decepti sint. Et elegans in eam rem est *l.* 1. *h. t.* quod etiam confirmat constitutio Friderici, quæ solet in quibusdam Codicibus subjici huic constitutioni, et solet adduci in forum sæpissime, et quacumque ex causa.

Ceterum constitutio Friderici nihil novi constituit, quod tamen voluit Accursius, sed id solum restituit, quod cavetur l. 1. jusjurandum exigimus corporale: nam duo sunt genera dandi jurisjurandi: vel enim jurat quis corporaliter: puta manu sublata, aut tactis Sanctis Evangeliis, vel jurat ex scripto, dum refertur in litteras eum jurasse. Et inter hæc duo genera multum interest: nam ut apparet ex d. l. si venditio sit confirmata corporali jurejurando, non potest rescindi per restitutionem in integrum. si autem jurejurando scripto, potest rescindi per restitutionem. et ita etiam in l. 3. *inf. si min. se maj. dix.* Si minor in instrum. juraverit se esse majorem, in integrum restitui potest: si instrumentis postea docuerit se minorem fuisse, fides instrumentorum exigitur, nec sufficit fides testium: sed si corporaliter juraverit se majorem esse, nullo modo potest restitui, etiamsi instrumentis probarit se minorem fuisse. Et ita etiam Episcopi et clerici vetantur jurare corporaliter, sed non vetantur jurare ex scripto. Ea distinctio est Balsamonis Nomocanonis tit. 19. c. 17. Eaque adhibita in concordiam adducit *l. 25. Cum clericis. sup. de Episc. et cler.* cum l. 3. et l. 6. *sup. de his qui ad Ecclesias confug.* quæ exigunt jusjurandum a clerico, sed ut ille vult: scriptum, non corporale: atque ita videmus juris auctores magnam facere differentiam inter ea genera præstandi jurisjurandi.

Ad Tit. XXVIII. Si adversus venditionem pignorum.

Sequitur in tit. 28. tertia causa, si adversus venditionem pignorum: superior tit. est de venditione rerum minoris liberarum, id est, pignori non obnoxiarum: hic tit. est de venditione rerum pignori obligatarum. Et ostenditur in integrum restitui minorem si pignora sibi obligata ex contractu minoris, vel etiam capta ex re judicata, vendiderint, *l. 1. eod. tit. l. Si ex causa. in princ. D. de minorib. l. Si creditor. §. pen. D. de distract. pign. l. 1. inf. de minor.* Ex contractu, inquam, minoris, vel ex condemnatione minoris 25. annis: aliud est enim dicendum si creditor jure suo distraxerit pignora sibi obligata ex contractu hæredis puta ex contractu patris, vel extranei, cui adolescens hæres extitit: nam etsi ex ea distractione pignorum minor damno afficiatur, non potest rescindi restitutione, quia is contractus non est habitus cum minore, sed cum defuncto, cui minor successit, et cujus modo vicem sustinet, et commoda fere omnis defuncti, et incommoda, nec posse ex contractu ejus restitui, sicut nec potuit ipse restitui, *l. 2. sup. tit. proximo.*

Ad Tit. XXIX. Si adversus donationem.

Sequitur 4. causa in tit. 29. Causa hæc est improbabilis donationis enormitate, ut ait *l. 4. de inoff. don.* si minor 25. annis rerum mobilium immodicam donationem fecerit, tutore, vel curatore auctore, alioquin nihil ageret, non etiam si quid donaverit propter nuptias servato modo patrimonii sui: hæc enim datio rescindi non potest, l. 1. *h. t.* cum honestissima causa eam provocaverit, affinitatis, et complendi communis voti ratio, ut ait *l. 1. ejusd. tit. C. Greg. si adversus donationem sponsalitiam factam:* dixi rerum mobilium: nam donatio prædiorum ipso jure non valet ulla ex causa, nec si fiat propter nuptias, in l. *Prædia. inf. de prædiis minor.* quæ est conjungenda cum l. 1. *hoc tit.* utrobique est eadem inscriptio et subscriptio. Item datur restitutio minori adversus donationem a patre factam: ut puta si pater alicui donavit res mobiles jampridem filio emancipato donatas, et filius inconsulta facilitate ei donationi consensum accommodaverit, atque et ipse quodammodo donaverit: nam in eadem specie restituitur adversus donationem, vel quam ipse fecit, vel quam factam a patre, ipse ratam habuerit.

Ad Tit. XXX. Si adversus libertatem.

Sequitur 5. causa: si minor 25. annis servum suum manumiserit: nam etsi adversus libertatem non possit restitui in integrum a prætore, aut præside, quod etiam libertatis favor extorsit: princeps tamen magna ex causa adversus libertatem restituere minorem potest, *l. Si ex ea. §. ult.* et l. *Sæpe. de minorib.* ut puta si manumiserit actorem bonorum suorum, cujus damnum pertineat ad eversionem domus, ut in *l. Inter eum. D. de pœn. l. ult. D. de off. præsid.* hujus servi summum est pretium, cum ejus manumissio pertineat πρὸς τὴν ὅλου ἀνατροπὴν, ut est in 81. Canone Apostolorum.

Ad Tit. XXXI. Si adversus transactionem, vel divisionem in integrum minor restitui velit.

Addamus etiam 6. causam ex tit. 31. causa hæc est: si minor 25. annis cum adversario suo inconsulto transegit, tutore, vel curatore auctore, vel si cum collega, cum cohærede, et socio suo divisionem fecerit, ut in l. *pen. inf. communi dividundo*, et læsus fuerit: hoc enim semper exigitur. Denique in hoc t. sunt duæ causæ, transactio, et divisio, si hæc, vel illa sit facta in fraudem pupilli vel adolescentis. Et ait, *si adversus transactionem, vel divisionem*: transactioni subjicitur divisio, quasi generi species: est enim divisio species transactionis, quia plerumque fit divisio transigendi causa: nec fit semper exacte, ut in *l. Qui Romæ. §. ult. D. de verborum obligat. l. Cum putarem. in fine, D. famil. ercisc.* et Græci sane hoc loco verbo novo vocant ἀπαρτισμόν, id est, finem et consummationem negotii.

Ad Tit. XXXII. Si adversus solutionem a debitore, vel a se factam.

Heri diximus minori 25. annis dari restitutionem in integrum adversus donationem, et distractionem pignorum, imo et adversus rem judicatam, et quod amplius est, etiam adversus libertatem temere datam, ea tamen in specie opus esse restitutione principis. nec enim prætorem, aut præsidem id posse: magistratus olim solebant restituere in integrum minores, et principes solum ex certis causis, qui hodie restituunt, ex omnibus: et magistratus quidem urbani, et provinciales prætores, et præsides, qui non tantum jurisdictionem, sed et imperium habent: nam magistratus municipales, qui sunt sine imperio, non restituunt, *l. Eo quæ. § 1. ad munic pal.* Et ut persequamur alias causas in hoc tit. 32. ostenditur, etiam, minorem restitui adversus solutionem a se factam, vel sibi a debitore, et ut loquar de solutione ab ipso minore facta, si per errorem juris indebitum legatum solverit, restituitur in integrum, *l. 2. hoc tit.* puta existimans jure factum esse testamentum, in quo relictum est legatum, quod ipso jure nullum erat, ut in *l. 11. inf. de test. manumiss.* quæ est conjungenda omnino cum *d. l. 2.* utriusque eadem, est, et subscriptio et inscriptio. Et adjicit *d. l. 11.* nec libertates valere, ubi injustum est testamentum, si non sit testamento subjecta clausula codicillaris. Recte autem sup. in l. *pen. de in integr. restitut.* scriptum est, minoribus subveniri in his, quæ ignoraverunt, id est, minoribus ignorantibus jus: nam et ignorantibus factum majoribus succurritur, sed in minoribus hoc proprium esse, ut eis etiam jus ignorantibus succurratur, non etiam majoribus: et in *d. l. pen. C. th.* additur, *et mulieribus*, quia scilicet et mulieres ignorantia juris excusat, præbetque causam earum in integrum restituendarum, si ignorantia juris eis damnum attulerit. Minor autem restitutus adversus solutionem a se factam, condicet quod solvit. Item restituetur minor si ei a debitore recte pecunia soluta sit, et hanc perdiderit, ut l. 1. *hoc tit.* et restitutus ex hac causa agit cum debitore prisca actione, perinde ac si debitor non solvisset, nec ea propria est eis restitutio in integrum, quia debitor, qui solvit adolescenti: nam in pupillo aliud est, ut in *Instit. quibus alien. licet, vel non*, liberatur, etiamsi curator non intervenerit, et si intervenerit curator, vix potest minor restitui in integrum adversus solutionem, *l. Ait prætor. D. de minorib.* Igitur de solutione a minore facta minori, vel ejus curatori est lex 2. de solutione a debitore facta minori, vel curatori ejus, *l. 1. h. t.* et vulgo male conceptus est hic tit. *si adversus solutionem a tutore, vel a se factam:* eam de solutione facta, vel a se, vel a curatore nihil cavetur, et rectius veteres libri, et Basilica, *si adversus solutionem a debitore, vel a se factam*, et ex Basilicis in l. 1. legendum, *promissum*, non *permissum*, id est beneficium restitutionis, quod prætor promittit, non dat: petitur enim, id est, postulanda est, ut prætor promittit eam edicto, et incertus plerumque est ejus eventus, *l. Si Titius et Seja. D. de fidejussorib.* quia causa cognita datur, et in causæ cognitione innumera vertuntur. Observandum autem est in l. 1. minorem restitui adversus solutionem curatori factam, ut si tutor reliqua administrationis solverit curatori, qui tutori successerit, quod mirum videtur, præcipue cum *d. l. Ait prætor*, dicat non rescindi solutionem factam curatori adolescentis: nec quid respondeamus, habemus, nisi dicamus in *d. l. 1.* imperatorem non distincte affirmare, minorem restitui adversus solutionem factam curatori, non absoluto et præcise id affirmare, sed in eo casu sit restitutio in integrum tribuenda ex causæ cognitione æstimari posse, quod fiet quandoque ex magna causa, si hoc prætori æquitas suggesserit.

Ad Tit. XXXIII. Si adversus dotem.

Sed de solutione hactenus. Sequitur de dote in tit. 33. ex quo minor annis viginti quinque restituitur etiam adversus dotem, et consequenter etiam adversus donationem propter nuptias ut adversus dotem, *l. Si ex causa. §. In dote. D. de minor.* si ultra vires bonorum suorum dederit, aut promiserit in dotem, vel etiam si omnia bona, ut in *l. un. h. t.* cum qua est conjungenda l. 4. *inf. de jure dot.* quæ lex ostendit, mulierem omnia bona recte dare in dotem, nulla lege mulierem prohiberi id facere, et tamen *lex unic. hoc tit.* non videtur convenire cum *d. l. 4.* cum tamen illæ duæ legum partes in unam constitutionem cogi et redigi debeant, secundum quod monent inscriptiones et subscriptiones pares. Sed hoc conciliamus, an mulier possit omnia sua bona in dotem dare. Potest id quidem, sed ita, si legitimum modum non excedat: nam lege Papia erat constitutus dotibus modus; ut indicat *l. 2. C. Th. de inoff. dotib.* ut constitutionibus quoque sacratissimorum regum nostrorum dotibus est definitus modus, et qui circumscribitur in l. *Quæro. D. de jure dot.* et in *d. l. 4. inf. eod. tit.* legitimum modum dotis esse centum librarum auri, qui ut ait Nov. Justin. de nuptiis olim maximæ dotis modus fuit, et fortasse convenit ratio decies centum millium sestertiorum, quod indicat *l. Cum de in rem verso. D. de usuris.* Martialis: *Centena decies, quæ tibi dedit dotis.* Juven. *Et ritu decies centena dabuntur antiquo*, et alio loco: *Centena teste marito bis quingenta dedit.* Ergo etiamsi velit mulier dare omnia bona sua, debet servare legitimum modum, et quandoque videtur tacito jure bona sua omnia dedisse, puta si convenerit in manum viri. M. Tull. in Top. *Cum mulier viro convenit in manum, omnia, quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine*, et ita in glossa *l. Mulier bona. D. de jure dot.* legendum est, non, *si in matrimonium*, sed, *si in manum*: quod et Accursius ait Aristotelem scribere in Top.

credo quod M. Tullius dicat se scribere Topica Aristotelica. Invenio etiam in *l. Collegarum. de verb. signif.* citare Topica Arist. pro Topicis M. Tull. eadem ratione. Igitur certum est, mulierem recte dare bona sua omnia in dotem. Cur ergo restituitur si omnia bona sua in dotem dederit in *l. ult. h. t.* quia scilic. quandoque lædi potest ipsa, si hæres ejus dolo fallaciisque mariti effundens bona sua omnia in dotem, vel minoris æstimans res dotales dote æstimata data, qua etiam ex re majori subvenitur, *l. Jure. §. ult. l. Si res. §. 1. D. de jure dot.* Sed hæc est differentia, quod majori subvenitur judicio dotis, quod concipitur in bonum et æquum, *l. Eos. 8. D. de cap. min. l. 5. D. de dote præleg.* nam in formula hujus judicii inseruntur hæc verba, quod melius æquius, et bono et æquo conveniat, ut ait *l. Jure.* respiciens ad formulam actionis de dote, et ita majori deceptæ dolo mariti subvenitur, minori autem subvenitur non tantum judicio dotis, sed etiam restitutione in integrum: nam ut heri ostendi, etiamsi restitutio sit beneficium extraordinarium, nihilominus competit minori si suppetat ordinarium favore ætatis, non si ipso jure minor sit munitus: tunc enim opus est restitutione: et ita est accipienda *l. In causæ. 2. D. de minor.* Sed iis aliud addamus, minor restituitur etiam adversus dotem si pactione aliqua duriorem dotem fecerit, quam non faceret major et cautior, ut in *l. Minor. §. Nulla. D. de minor.* Item restituitur adversus dotem si pater dotem dederit pro ea, qui potuit quidem ex continenti stipulari sibi eam reddi soluto matrimonio, non ex intervallo, cum dos jam transiit in patrimonium filiæ, sed si forte ex intervallo stipulanti patri sibi dotem reddi filia lubrico ætatis lapsa temere consenserit, restituitur in integrum adversus eam conditionem dotis, *l. 3. §. Sed utrum. in fine, D. de minor.*

Ad Tit. XXXIV. Si adversus delictum suum.

Sequitur alia causa in tit. 44. delicta contrahuntur dedita opera, et sua sponte, aut per ignorantiam: In iis, quæ per ignorantiam, sane minori succurritur per restitutionem in integrum, *l. 2. h. t.* ut mater minor 25 annorum per errorem juris liberis impuberibus non petierit tutorem, quamobrem ex Senatusc. Tertyll. incidit in pœnam amittendæ liberorum successionis. Sed ut pœna liberetur, in quam incidit, restituitur in integrum adversus delictum, adversus culpam *contre toute faute*, quam admisit per ignorantiam juris, idemque erit ex *l. Si adulterium. §. Stuprum. D. ad leg. Jul. de adult.* si minor matrimonio contracto incestum jure civili commiserit per errorem juris eam ducens uxorem, quam fas non erat ducere, non si commiserit incestum jure gentium, ut cum sorore, minor nullo modo excusatur ab incesto jure gentium, jure civili excusatur in illis autem delictis, quæ contra legem dolo malo committuntur, veluti furto, aut adulterio, minoribus non succurritur, quia ut ait *l. 1.* malorum mores infirmitas non excusat: imo vero ex iis criminibus etiam impuberes coercentur, quandoquidem et ob furtum nominatim ex 12. tabul. impuberes verberantur doli capaces: is igitur dolus minoris coercetur, nec qui contra leges fecit dolo malo, leges potest invocare, vel edictum de restitutione in integrum, *l. Auxilium. de minor.* Ratio differentiæ inter illa delicta est, quia illa, quæ dolo fiunt, veniunt ex animo, illa, quæ ignorantibus accidunt, veniunt ex contractu, ut ait *l. 1.* id est, ex re ipsa: nam in ea *l. 1.* sic est legendum, quod et adnotant quidam, *sed ex contractu venit*, et ita est in Basilica, ἀλλὰ ὅτι ἁμάρτημα, etc. contractum igitur hoc loco accipimus pro reipsa, pro facto, et delicto, ut in *l. Si eam. D. rerum amot.* ex malo contractu: etiam delictum contractum est, sive συνάλλαγμα, quamvis sit involuntarius contractus, quædam sunt delicta involuntaria, quidam contractus involuntarii.

Ad Tit. XXXV. Si adversus usucapionem.

Quod est tit 35. apertissimum est, minorem restitui adversus usucapionem, puta si quis rem adolescentis usucepit, vel etiam rem pupilli ab eo bona fide possessam: nam res pupilli propria non potest usucapi, *l. Bonæ. D. de acqu. rer. dom.* Res aliena, quam bona fide pupillus possidet, potest usucapi, quæ tamen et res pupilli dicitur: bona fides dominio comparatur, et dominus sæpe pro bonæ fidei possessore accipitur. Rescinditur igitur usucapio per restitutionem in integrum, et minor dominium, vel possessionem recipit. Usucapio est acquisitio dominii per justam possessionem sine controversia possessam tempore legibus definito.

Ad Tit. XXXVI. Si adversus fiscum.

Tit. 36. dicit, minorem non tantum adversus privatos, sed etiam adversus fiscum restitui posse, puta rei sive venditionis a se factæ fisco, vel a fisco sibi, vel alterius contractus rescindendi gratia, si se captum esse dicat, et adversus privatum quidem, si postulet auxilium minor cognitione prætoris, aut præsidis, *l. 2. C. Theod.* adversus fiscum cognitio est procuratoris Cæsaris, qui et Catholicus dicitur, adhibito præside, *l. Nec quicquam. D. de offic. procons.* et advocato fisci, ut in *l. 9. infra, de jure fisci*: nam iis absentibus procuratori Cæsaris nulla est jurisdictio. Et ex *l. 3. D. eod. t.* notandum est, quod ibi notatur de edicto D. Marci et Commodi, ut addunt Basilica in *d. l. 3.* et noster Theoph. in *§. ult. Instit. de usucap.* Eo edicto indicta est præscriptio quinquennii in hoc casu: si fiscus vendidit rem alienam quasi suam, cum putaret esse suam, et emptor eam rem possederit quinquennio sine controversia, et interruptione, securus est emptor præscriptione quinquennii adversus dominum vindicantem rem post quinquennium d. *§. ult.* Excipitur ab edicto Marci minor 25. annis: nam hic etiam post quinquennium vindicat rem suam, quam fiscus vendidit ut suam. Et notat Accurs. quia si fiscus venderet, ut sibi obligatam, vel ut debitum majoris, aut minoris, emptor statim est securus, nec necessaria est præscriptio quinquennii, sed miror in eadem *l. 3* relictam esse mentionem quinquennii, quando in *tit. inf. de præscrip. quadrien.* apparet edictum D. Marci esse sublatum, et inductam novam præscriptionem quadrienii, ut si quis emeret a fisco qualemcumque rem, securus statim sit, ut dominus intra quadriennium possit cum fisco, qui rem suam vendidit, qua de causa Tribonianus in *l. Neque. inf. de restit. militum, etc.* cum esset scriptum quinquennii, ipse reposuit quadriennii, secundum jus novum, ut solet scripta veterum semper inflectere ad jus novum, ut mirer cur in eadem lege non reposuerit quadriennii vocem: alia erat præscriptio quinquennii, quæ dabatur pene in simili specie possessori, si quis possidet rem fiscalem quinquennio: nam securus erat adversus ipsum fiscum, et adversus competitorem, id est, eum, qui rem quasi fisco delatam, aut pertinentem ad fiscum a principe sibi donari petiit, et impetravit: nam si possessor quinquennii præscriptione excludit fiscum et competitorem igitur, *l. 2. de vectig. et comm. inf. l. Unica, C. Th. de quinquennii præscriptione.*

Ad Tit. XXXVII. Si adversus creditorem.

In hoc tit. creditor accipitur proprie pro eo, qui pecuniam credidit, id est, mutuam dedit, quem esse proprie creditorem Cajus ait in *l. Creditarem. 11. de verbor. significat.* et ostendit creditoris nomen aliquando largius accipi, et creditorum appellatione contineri non eos tantum, qui pecuniam crediderunt, sed et ceteros omnes, quibus ex aliqua causa debetur. Et similiter proprie debitor est, qui mutuam pecuniam accepit, ut in *l. Incendium. inf. si cert. pet. incendium ære alieno non liberat. debitorem*: hæc sententia vera est in debitore mutuæ pecuniæ, falsa in alio debitore. Debitor autem mutuæ pecuniæ si minor sit 25. annis, et paterfamilias, restituitur in integrum adversus creditorem bonæ fidei, rescissa cautione creditæ pecuniæ, rescisso chirographo, videlicet si ea pecunia in rem ejus versa non sit, si eam perdiderit, et male consumpsit. Dico paterfamilias: nam filiusfamilias, qui mutuam pecuniam accepit, ipso jure non obligatur ex Senatusconsulto Macedoniano. Et ita eleganter in *l. 3. §. 1. D. ad SC. Macedon.* credere filiofamilias perdere est, et quasi donare, ut in *l. 6. D. si quid in fraud. patr.* Rursus dixi adversus creditorem bonæ fidei ex *l. Stichum. §. Quod vulgo. D. de solut.* Quia qui sciens perdituro adolescenti, et protinus scorto daturo, verbi gratia, pecuniam crediderit, ei ipso jure nihil debetur, nec igitur adversus eum adolescenti est necessaria restitutio in *l. Quod si minor. §. pen. D. de minor. l. Si vero non remunerandi. § Si adolescens. D. mand.* quæ constitutio est sanctissima: merito enim plectitur creditor crediti jure, qui sciens perdituro credidit, et male consumpturo, quia non debuit venire in societatem turpis consilii. Seneca lib. 5. de Beneficiis. *Pecuniam non dabo, quam numeraturum adultero sciam, ne in societate turpis facti, aut consilii inveniar.* Denique tum demum necessaria est restitutio minori, qui pecuniam mutuam accepit, nec vertit in rem suam, cum ipse paterfamilias fuit, et creditor bona fide credidit.

Ad Tit. XXXVIII. Si ut se hæreditate abstineat.

In hoc tit. ostenditur restitui minorem abstinendi causa, id est, ut possit abstinere bonis vel hæreditate forte detrimentosa, cui se temere immiscuit, vel quam temere adivit. Item si temere se pro hærede gesserit, vel bonorum possessionem agnoverit, qua in re servanda est forma prodita a Justiniano in Nov. 119. πρὸς τούτοις, cujus sententia est sub hoc tit. inserta, atque etiam, quod laudo, a conditoribus Basilicon, ut scilicet dum postulet minor restitutionem abstinendi causa, qui jam se obligaverat hæreditati, solemnibus edictis vocet, et adhibeat creditores hæreditarios, qui læderentur abstentione et servatis aliis, quæ in hac causa proponit. d. Nov. 119. quæ confirmatur aliquatenus *l. Etsi. §. ult. D. de minor.* nam commune illud est omnium causarum, in quibus agitur de restitutione in integrum, ut detur restitutio causa cognita in consilio prætoris aut præsidis, et vocatis iis quorum interest non restitui adolescentem, qua de causa dicitur lis restitutionis in integrum in *l. Si infra. sup. de in integrum restit. min.* et aliis plerisque in locis: non est autem lis sine adversario: abstinendi autem verbum hoc tit. comprehendit repudiationem hæreditatis, ut *l. 35. et pen. D. de minor.* et *l. 2. h. tit.* quæ est communis, quod notandum est, hujus et tit. sequent. quandoquidem tractat tam de restitutione abstinendi causa, quam de restitutione acquirendi causa, de qua est tit. sequens.

Ad Tit. XXXIX. Si ut omissam hæreditatem vel bonorum possessionem, vel quid aliud acquirat.

Hoc tit. 39. ostenditur, minorem etiam restitui in integrum acquirendæ hæreditatis causa, si forte intra constituta tempora non adierit hæreditatem, vel non agnoverit bonorum possessionem. Omittere est tempore excludi, vel intra tempus constitutum non adire, ut *l. un. inf. quando petent. part. l. Quod si minor. §. Scævola. D. de minor. l. 1. §. ult. D. ut in possess. legat.* Sed trahimus hoc etiam ad hæreditatem, vel bonorum possessionem amissam quocumque modo, ut ad eam scilicet quam omisit vel amisit, capessendam et acquirendam adolescens possit pervenire beneficio restitutionis in integrum. Et adjicit in hac rubr. vel quid aliud, quanquam de eo nihil sit expressum in

constitutionibus sub ea positis: sed quod in eis est expressum de hæreditate et bonorum possessione facile trahitur ad legatum, et fideicommissum, vel quid aliud, ut possit restitui legati amplectendi causa, quod inconsulto repudiavit, vel repudiandi legati causa, quod agnovit inconsulto: nam et legati repudiandi nonnunquam subest causa, cum id scilicet onus, lucrum vero nullum legatario affert.

Ad Tit. XL. In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est.

Variæ jam antea causæ variis locis demonstratæ sunt, in quibus minori non est necessaria restitutio in integrum, quasi ipso jure munito satis: sine curatoris auctoritate facta venditio ipso jure nulla est, et non est redintegranda res adolescenti, quæ si salva permansit et integra, ipso jure restitutio est redintegratio rei amissæ vel causæ: ubi autem nulla est rei amissio vel causæ, in eo non opus est redintegratione. Si igitur rem mobilem adolescens vendiderit sine curatore, non est necessaria restitutio adversus venditorem, quia ipso jure nulla est, *l. 3. sup. de in integrum restit. minor.* Idem erit, si rem immobilem vendiderit tutore vel curatore auctore sine decreto prætoris: nam hæc quoque ipso jure nulla est, *l. 2. sup. si advers. donat.* Item si creditor curatoris fidem sequutus principaliter cum eo contraxerit ignorans eum curatorem esse, et rem alterius administrare, *l. pen. sup. si tut. vel curat. interv.* nam hæc nihil nocet minori, non lædit eum aut jus minoris. Igitur non pertinet ad causam restitutionis in integrum. Idem erit si contra minorem indefensum res judicata sit, quia ipso jure sententia nulla est, *l. pen. sup. si advers. rem. jud.* Item si minor 25. annis servum manumiserit contra legem Æliam Sentiam, aut causa non probata apud concilium prætoris vel præsidis: nam et hæc manumissio ipso jure nulla est, *l. ult. sup. si adversus libert.* hæ causæ demonstratæ sunt sup. sed quia restant multæ aliæ, ideo de iis visum est proponere titulum specialem, in quo præter causas, quas jam ante habuimus, numerantur etiam quatuor aut quinque. Prima est, si minor 25. annis, cum non defenderetur, puta cum non haberet curatorem, ultus non sit necem defuncti, cui hæres extitit: nam ob inultam necem defuncti majoris eripitur hæreditas quasi indigno, minori succurritur ipso jure, ne indefensus ob inultam cædem defuncti damnum faciat hæreditatis, quasi indignus, *l. 1. hoc tit. l. Minoribus. inf. de iis quibus ut indig.* Secunda hæc est, si minor 25. annis non interpellarit debitorem ex bonæ fidei contractu, vel ex legati aut fideicommissi causa, ut scilicet ex mora cederent ei et deberentur usuræ et fructus. Nam, ut dicam explicatius, mora proprie fit in personam, id est, interpellata persona debitoris: qui si non pareat interpellationi admonitus incidit in moram, et ex eo tempore debet usuras vel fructus si fuerit debitor ex bonæ fidei contractu, non si ex stricto: vel etiam si fuerit debitor ex testamento legati aut fideicommissi nomine: nam hæc actio legatorum aut fideicommissorum imitatur actionem bonæ fidei in hoc, ut ex mora usuræ veniant et debeantur, aut fructus, ut ostenditur in optimo illo tit. *de usuris ac fructibus legat.* hæc mora quæ facta est semel, durat perpetuo, neque finitur, ubi quis cœpit debere usuras vel fructus ex mora, id est, ex interpellatione, cujus proprie contemptus est mora in personam. Alia est mora, quæ fit in rem, id est, ipso jure etiam sine interpellatione ex procrastinatione sola, ex die solvendæ pecuniæ, vel ex tarditate solutionis. Minoribus 25. annis datum hoc est constitutione Severi, ut eis fiat mora ipso jure, id est, ex sola tarditate solutionis, videlicet usque ad legitimam ætatem, adeo ut ipso jure sine beneficio restitutionis eis debeantur usuræ et fructus usque ad ætatem legitimam: nam hæc est improprie mora, quæ non interveniente interpellatione, finitur tempore. Igitur post legitimam ætatem non currunt usuræ, non cedunt fructus, nisi interpellatio intervenerit: quæ omnia demonstrantur in *l. 26. Cum vero. §. Apparet. D. de fideicom. libert. l. Titia. 87. §. 1. de leg. 2. l. 3. hoc. tit.* conjuncta *l. 5. Curabit. inf. de act. empt.* sunt conjungendæ; quod verbum *pretii* in *d. l. 3. h. tit.* probat manifesto, sic minori, qui vendidit rem ipso jure emptorem non solventem pretium re ipsa moram facere, etiam sine interpellatione, et ex solo tempore tardæ pretii solutionis usuras minori deberi, quia emptio venditio contractus est bonæ fidei. Tertia causa est, si tutore dativo, nam testamentarius non satisdat, litigante, vel curatore pupilli nomine, qui scilicet non satisdedit rem pupilli salvam fore, res contra eum judicata sit: nam hoc nihil officit pupillo, vel adolescenti, quia tutor dativus qui non satisdat rem pupilli salvam fore, non est legitimus administrator rerum pupilli, *l. 4. hoc tit.* conjuncta *l. 3. inf. de tut. vel cur. qui non satis ded.* Quarta causa est, si minor 25. annis in proponenda querela inofficiosi testamenti, quæ ei competebat ob exhæredationem injustam quinquennio cessavit, quo tempore solet extingui hæc querela: sed hæc præscriptio quinquennii ipso jure non currit adversus minorem, *l. 2. h. tit.* nec dicas, currere, sed eis subveniri per restitutionem: quin potius dicas ipso jure non currere, et generaliter in *l. ult. h. tit.* Justinianus constituit ne ulla præscriptio currat minori 25. annis, ne ulla temporis præscriptione de jure suo cadat minor, ipso jure securum esse minorem, nec lædi posse temporum præscriptionibus, præterquam præscriptione 30. vel 40. annorum: hæc currit adversus minores, nec restitui possunt: alias ipso jure non currunt, nec restitutione opus est, et hoc nove constituit Justin. nihil enim jampridem constitutum fuerat generaliter de omnibus præscriptionibus, sed tantum de præscriptione quinquennii in causa inofficiosi testamenti, *d. l. 2. h. t.* non de præscriptione 10. aut 20. annorum, *l. 2. et 3. inf. quib. non objicitur longi temp. præscr.* non in omnibus præscriptionibus, ut patet ex *l. 1. inf. si sæpius in integ. restit. postul.* nam ea lex ostendit, minori currere præscriptionem temporis præscripti ad appellandum, vel ad persequendam appellationem si id temporis non observaverit, sed restitui posse: igitur in hac causa præscriptio temporis nocebat minori, quæ hodie non nocet: nova igitur est constitutio Justiniani quatenus generalis est, et nullam præscriptionem excipit, nisi temporis longissimi, puta 30. aut 40. annorum. Itaque non est dicendum, quod dicebat Placentinus, bibisse Justinianum, sive, peccasse per oblivionem, quod se id primum putaret constituisse, quod alii jam constituerant, et Accursius cum forte niteretur probare idem olim fuisse constitutum, quod vult Justinianus, forte, inquit, secundum Placentinum biberat hic Justinianus, nec recordabatur idem olim fuisse constitutum. Inde statim omnium observatur, vinum generare oblivionem, cum Placentinus dicat, biberat ex fonte lethæo.

Ad Tit. XLI. Qui, et adversus quos in integrum restitui non possunt.

Hactenus demonstratum est in quibus causis restitutio in integrum minori necessaria est, vel non: nunc incipit tractare, qui minores non possint restitui in integrum, vel adversus quos: et primum ostendit *l. 1.* non temere restitui in integrum minores, quos constat esse attentos diligentesque patresfamilias, et quos verisimile non est lapsos esse ætate, atque prætorem prudentissimum esse oportet, cujus est notio, ne quemlibet minorem pro majore habeat. Sunt enim prudentes quidam supra ætatem, et cauti, ut additur in *l. ult.* quæ est etiam Justiniani, et nova, ut non detur minori restitutio in integrum adversus parentes, vel patronos utriusque sexus, nec si lapsus sit lubrico ætatis citra fraudem parentum, aut patronorum. Denique non rem gestam cum parentibus, vel patronis rescindit, quod valde novum est: nam veteres, ut recenset Justinianus, variabant hac in re: alii dicebant non esse dandam restitutionem adversus eas personas si dolo earum minor circumscriptus esset, ne arguerentur de dolo propter verecundiam debitam his personis, nisi scilicet ex magna causa, vel ex gravi detrimento, vel etiam si forte turpis esset persona patris, vel patroni, histrio, mimus, scenica: facile etiam turpis parentis, aut patroni arguitur dolus, neque his exhibetur reverentia: qui locus obiter est notandus: nam vulgo accipitur male, *l. pen. D. de obseq. parentib. et patron. præst.* liberto semper sancta, et honesta videri debet patroni persona: ergo non turpis, quam etsi sit (*il faut s'arrester sur ce*) semper, id est, tam vivo, quam mortuo patrono: quod declarat *lex Apud, §. Adversus. D. de dolo except.* Sed si manifesta sit turpitudo patroni, sane tum liberto non erit honesta persona patroni, ut indicat eadem *lex ult.* in qua Accurs. errat. Alii dicebant, dandam adversus eos restitutionem si lapsus esset minor facilitate ætatis. Justinianus vult nullo modo eis dari restitutionem si sine fraude, sive lubrico ætatis lapsi sunt, quia ex quacumque causa detur restitutio, videtur quodammodo pudor ejus, adversus quem restitutio datur suggillari. Certe vetus illa actio de circumscriptione adolescentis ex lege Lætoria videtur fuisse famosa, *ubi ne propter te fraudemve tuam captus fraudatusve siem.* Ceterum Justinian. significat in fine, quod ego attingo propter Accursium, qui hic hæsitat, in has personas non facile cadere fraudis suspicionem fabrefactæ adversus pignora sua, liberos libertosque suos: quinimo eas personas cavere plerumque ne quid suæ opinioni contrarium faciant adversus liberos libertosque suos, opinioni, id est, pudori suo. Igitur generaliter definit ne minores adversus eas personas restituantur. Et in Novel. cxv. excipitur unus casus tantum, si matres secundas nuptias contraxerint: nam quasi abalienaverint animum a liberis, liberi facile restituuntur adversus matres, alioqui debent minores damnum, quod fecerint, boni consulere potius, quam retractare rem gestam cum parentibus, vel patronis.

Ad Tit. XLII. Si minor se majorem dixerit, vel probatus fuerit.

Didicimus ex tit. 41. minorem 25. annis nullo modo restitui adversus patronos, vel parentes: eos quoque minores non facile restitui, qui diligentes sunt patresfamilias, et qui etiam in Resp. administranda se industrios præbuerunt, ut non sit verisimile eos errare et labi per infirmitatem ætatis, sive consilii: hoc, inquam, habuimus in tit. 41. nunc in tit. 42. ostenditur, etiam eos minores non restitui in integrum: nam quinque titulis ordine exequitur eos minores, qui non possunt restitui in integrum 41. 42. 43. 44. 45. et in hoc ostendit eos minores non restitui in integrum, qui juraverunt, vel forte, ut pecunia eis crederetur, dolo malo se majores esse dixerunt, et persuaserunt, vel etiam, qui dolo malo scientes se esse minores præsidi, sive prætori imposuerunt, si falso probarunt se esse majores: quia in iis malitia supplet ætatem, ut eleganter ait *l. 3. h. tit.* ideo non restituuntur, scilicet adversus illos, quos deceperunt: idemque dicitur de minoribus, quod de mulieribus in *l. 2. §. pen. D. ad Senatusc. Vellej.* deceptis non decipientibus subveniri, *l. 2. C. Greg. si major fuerit probatus* et *l. 2. h. t.* nam si dolus minorum absit a malitia mala, ut si per errorem, vel per fraudem adversarii majores probati fuerint, non immerito postulant restitutionem in integrum, *l. 3. et 4. eod. tit.* et probare quidem convenit majorem ætatem perfectam. Eleganter Græci hoc loco vocant, πράττειν τὴν λεγομένην τελειότητα, quam probationem sequi solet decretum prætoris, aut præsidis, etiamsi revera non sint majores permittentes eis rerum

suarum administrationem: probatur autem ætas, vel testibus, vel instrumentis, *l. 2. inf. tit. 44.* veluti tabulis professionum, *l. 4. D. de excus. tut. l. 1. h. tit.* ubi non male Græci tabulas professionum interpretantur ἀπογραφὰς τοῦ πατρὸς, quod plerumque scilicet conficientur a patre natis filiis. Apul. 2. Apol. *Pater natum sibi filium more cæterorum professus est: tabulæ ejus partim tabulario publico, partim domi asservantur.* Sed confectæ etiam a matre, vel a patre fidem faciunt, *l. Etiam. D. de probat.* Probatur etiam ætas ex aspectu, ut ait l. 3. *h. t. l. Minor. 25. D. de minor.* et *l. 1. C. Greg.* et quantum opinor, maxime si de pubertate marium quæratur ex aspectu necessariæ partis, ut loquar cum Paulo in *l. 7. D. de ædilit. edict.* illo in loco ubi ait, *necessaria pars corporis et alvus.* Ibi videtur abundare particula tam. Nam Artemidorus est testis locuples τὸ αἰδοῖον τοῦ ἀνδρὸς vocari ἀναγκαῖον μόριον. Et ex aspectu ejus partis in mare, non etiam in fœminis pubertatem existimant. Aristophanes in Vespis: παίδων δοκιμ: etc. et Plato 11. de leg. cum etiam ex aspectu ostenditur æstimari debere nubilem ætatem, τὸν τῶν γάμων χρόνον etc. et Quintil. Declam. 279. *Postea filium nudari, et in conspectu judicum consistere coegit.* Idem in Institut. centumviralem esse quæstionem ait, ut pubertatis anni in corporis habitudine æstimentur: controversam igitur fuisse quæstionem inter Cassianos et Proculejanos, *l. ult. inf. quando tutor, vel cur. esse des.* eam Justin. definit, et sedavit omnem controversiam, constituens, ut et in mare, et in fœmina ætas æstimetur ex annis tantum, in maribus ex anno 14. in fœminis ex 12. quæ constitutio Justin. confirmatur etiam lege vetustiori, puta *l. 4. C. qui test. fac. possunt*, ubi aperte ait, eum, qui pervenit ad annum 14. posse testamentum facere quasi puberem, licet vigoris in eo nulla extent vestigia, id est, habitus, licet non videatur esse pubes: pubertatem igitur æstimari non ex habitudine, sed ex annis, secundum quod impubes est, qui nondum pervenit annum 14. etiamsi facies, vel quæ alia pars corporis pubertatem, aut majorem computet ætatem, ut facies, sicut ait Juvenal. *computat annos.*

Ad Tit. XLIII. Si sæpius in integrum restitutio postuletur.

In tit. 43. ostenditur alius casus, quo etiam minores non restituuntur in integrum puta in ea causa in qua jam ante petita restitutione in integrum repulsam passi sunt, nisi novas proferant defensiones: hoc, ne res semel judicata temere retractetur, ne causa, quæ semel transiit ad condemnationem, temere instauretur, et hoc est, quod ait Paulus lib. 1. Senten. Integri restitutionem plus quam semel non esse decernendam, aut disceptandam ex eadem causa ne bis eadem de re disceptetur.

Ad Tit. XLIV. De his qui veniam ætatis impetraverunt.

In hoc tit. etiam alius casus ponitur, quo minores non restituuntur etiamsi læsi sint, puta si a principe extra ordinem, ut ait *l. 3. D. de minor.* vel etiam hodie a magistratu ex Nov. Leon. Philos. veniam ætatis impetraverint. Hi non possunt restitui in his, quæ gesserunt post impetratam veniam ætatis, etiamsi nondum pervenissent ad ætatem perfectam, *l. 5. inf. de temp. in integr. restit.* et ratio in *l. 1. h. t.* hæc additur, ne qui cum eo contraxerunt post impetratam a principe veniam ætatis circumscripti videantur principali auctoritate: neque enim impetrant veniam ætatis, id est, jus legitimæ ætatis, et administrationis rerum suarum, nisi impleant mares 20. annum et fœminæ 18. celerior est cursus prudentiæ muliebris. Et hæc quidem ætas in mare 20. in fœmina 18. annorum a Constantino dicitur firmata ætas, et hoc proprio nomine donata est *l. 1. C. Th. eod. tit.* nec enim ætas 20 aut 25. annorum potest dici ætas perfecta nec legitima, et qui ætatem perfectam et legitimam dicit, non hanc dicit, sed justam ætatem 25. annorum ita definitam lege Lætoria, ut ait *l. 2. C. Th. de donat.* et inde nomen legitimæ ætatis. Igitur hæc ætas, qua licet impetrare veniam, ea dicatur perfecta, ne legitima, sed suo proprio nomine firmata. Exigitur autem, ut ii, qui impetraverunt a principe veniam ætatis, eam veniam insinuent apud competentem judicem, puta ex *l. 2. h. t.* si Senatores sint apud præfectum urbi, nam *l. 2.* est scripta ad Verinum præfectum urbi, non præfectum prætorio, quod Basilica confirmant. Et obiter ex eo intelligitur in Senatoribus numerari etiam minores 25. annis, quod Livius ostendit multis locis cum Senatores sint quicumque sunt ex stirpe Senatorum: et sufficit argumentum illius adolescentis Papirii: necesse est igitur, ut si senatores sint, insinuent veniam ætatis apud præfectum urbi, si plebeji apud prætorem, et in provinciis omnes apud præsidem: neque hoc satis est: nam et apud eos judices probare debent per se, non per procuratorem se esse ætatis ann. 20. et probent etiam testibus advocatis se bonis esse moribus præditos, ut possint sufficere suis negotiis, atque demereri veniam ætatis: et longior de moribus, ut hæc per se probent: nam fœminæ propter pudorem, et verecundiam sexus non coguntur prodire in publicum, ut in *l. 1. sup. de offic. divers. jud. l. 2. §. Sin autem. inf. de jurejur. propt. cal.* et satis est mulieres probare firmatam ætatem per procuratorem legitime constitutum, *l. 2. hoc. tit.* vis autem omnis hujus veniæ, quæ a solo principe concedi potest, ut est Nov. Leonis Philos. vis, inquam, hujus beneficii principalis hæc est, ut minores 25. annis curatione liberentur, et rerum suarum administrationem recipiant, et in omnibus pro majoribus habeantur, prætarquam si prædia sua velint alienare vel obligare sine decreto, in *l. pen. h. t. l. 2. inf. de appell. l. 15. inf. si major factus alien.* In hac re non habentur pro majoribus, namque indigent decreto prætoris, quasi minores, quo non indigerent, si in hac re haberentur pro majoribus, et ita hanc exceptionem in formula veniæ ætatis lib. 7. Varior. Cassiodor. adjecit, *Ita ut alienandis rusticis prædiis, et urbanæ constitutionum servetur auctoritas, ne dum opinioni parere volumus, auctoritatem publicam lædere videamur.*

Ad Tit. XLV. Si major factus ratum habuerit.

Ultimus casus quo minores non restituuntur in integrum proponitur in hoc tit. 45. videlicet si quæ minor gessit, postea major factus rata habuerit, et fecerit: nam per ratihabitionem videtur renunciare beneficio restitutionis in integrum, cui recte renuntiat post legitimam ætatem, intra quam si inconsulto renuntiaret, restitueretur ut adversus consensum quemlibet inconsultum: et nihil interest facto an silentio ratum habuerit, quod minor gessit. Ita Paulus lib. 1. Sentent. ubi malim facto, quam pacto, et silentio, cujus temporis? jure veteri silentio anni utilis, intra quem peti debet restitutio: jure autem novo silentii quadriennii continui, quod successit loco anni utilis ex constitutione Justiniani, *l. ult. inf. tit.* 52. Excipienda est alienatio prædiorum sicut e tit. sup. facta sine decreto, quia post legitimam ætatem ratihabitio non temere confirmatur etiam silentio quadriennii sed longioris temporis, ut ostendit *l. 1. tit. si major factus alien.* et hoc distat hic t. ab illo lib. 5. quod ille titul. lib. 5. est de alienatione ipso jure nulla: hic autem titul. noster est de alienatione ipso jure perfecta, vel de qua alia re non inutiliter gesta a minore, et hi sunt casus, quibus minores non restituuntur in integrum.

Ad Tit. XLVI. Ubi, et apud quem cognitio in integrum restitutionis agitanda sit.

Sequitur alia quæstio de restitutione in integrum tit. 46. ubi, et apud quem etc. Ubi, id est, in quo foro, et placet etiam cognitionem restitutionis in integrum, sive eam petat minor, sive major ex justa et legitima causa, agitari debere in foro rei, adversus quem petitur restitutio secundum regulam juris, *l. Juris. de jurisdict. omn. judic.* et non tantum agitari eam pro tribunali apud magistratum urbanum, vel provincialem, sed etiam apud judicem datum a principe, vel a magistratu ordinario specialiter in hanc ipsam rem, vel in aliam, in quam tamen incidit quæstio restitutionis, vel apud eum, cui mandata est jurisdictio omnis, vel hæc species. Est enim hæc cognitio jurisdictionis, et misti imperii: ideoque mandari cuilibet potest, quod ostendit optime *l. ult. hoc tit.* sed quibusdam casibus hæc causa restitutionis in integrum non agitatur in foro rei, sed in consistorio principis: ut si petatur restitutio adversus libertatem, *l. 10. D. de minor.* solius enim principis est restituere adversus libertatem: vel si petatur adversus rem judicatam a procuratore Cæsaris, vel ab eo, qui vice sacra judicat, veluti vicario, aut præfecto urbi, vel adversus rem judicatam a judice data a principe ipso, *l. 1. hoc tit. l. 3. sup. si adversus rem judicatam*, *l. Minor autem. §. pen. D. de minorib.* his casibus solus princeps restituit solusque cognoscit de causa restitut. alias cognitio est magistratus urbani, vel provincialis, vel judicis dati a principe in hanc causam, vel dati a magistratu in hanc causam, vel in aliam rem, in quam tamen incidat hæc quæstio: cognitio etiam dicitur ejus, cui mandavit jurisdictionem omnem, vel hanc partem magistratus urbanus aut provincialis. Ceterum cognitio non est magistratus municipalis suo jure, qui simplicem jurisdictionem habet, non mixtum imperium: nam hæc imperii magis sunt quam jurisdictionis. Suo ergo jure magistratus municipalis neque restituit in integrum, neque cognoscit hac de re sine mandato principis, *l. Ea quæ. D. ad municip.* non enim competit judici compromissario, non arbitro electo ex compromisso communi nudoque consensu partium, non arbitro dato a judice pedaneo, habente scilicet cognitionem tantum non jurisdictionem, quod indicat optime *d. l. ult. hoc tit.* Judex datus sive delegatus dat quandoque arbitrum, veluti fidejussoribus probandis, vel excutiendis rationibus, vel bonis æstimandis, nunquam judicem, et hi sunt, ad quos non pertinet cognitio restitutionis, et in *l. ult. hoc tit.* illo loco: *audiat esse trahendum*, notavi esse legendum, *audiat*, et sane rectissime.

Ad Tit. XLVII. De reputationibus, quæ fiunt in judicio in integrum restitutionis.

De reputationibus, περὶ ἀναλογιῶν, ut est in Basilicis, id est, de iis, quæ minori petenti restitutionem in integrum imputentur, ut scilicet vel ea reddat, vel compenset: ut si restitui adversus venditionem a se factam desideret, non tantum fundum venditum, et traditum reddi sibi, sed fructus etiam, quos emptor percepit, aut percipere potuit, cum fructibus compensare debet usuras pretii, quod accepit, vel pretium restituere emptori cum usuris: imo etiam ἀναλώματα, meliorationes, id est, sumptus meliorati fundi, debet restituere: nam restitutio in integrum fit ultro citroque, est reciproca. Denique ita fit ut unusquisque suum recipiat et minor, et qui cum minore contraxit, *l. Quod si minor. §. pen. D. de minor.* Et similiter minor restitutus adversus emptionem a se factam, recipit pretium, quod numeravit cum usuris medii temporis, et rem emptam restituit cum fructibus, vel ut fit plurimum, cum fructibus compensat usuras. Item restitutus adversus transactionem reddit quod accepit ex causa transactionis, et vicissim ei redditur quod dedit cum accessionibus, et omni causa. Item quod etiam dicitur *l. ua. hoc tit.* restitutus repudiandæ hæreditatis causa, quam temere adiit et aliquandiu

possedit, reddit id omne, quod ex hæreditate percepit, et ad quem hæreditas transit, post sequenti agnato. Et etiam, quod dolo malo fecit, quo minus percipere posset: nam ipse videtur percepisse, quod ipse data opera fecit ne perciperet: dolus enim pro perceptione est dolus pro possessione. Et eadem ratione minori restituto adversus expromissionem, puta cum novandæ obligationis gratia intercessit pro alio, atque ita eum liberavit, quod est proprie expromittere, hoc casu restituitur creditori vetus actio, quam novatio peremerat, in veterem debitorem restituto novo debitore. Et per restitutionem rescissa obligatione nova, restituitur obligatio vetus, ut utraque ex parte respondeant omnia, in pristinum statum: esset enim iniquissimum ex una tantum parte valere restitutionem in integrum: et idem etiam in intercessione mulierum, si novandi animo intercesserint contra Senatusconsultum. nam rescissa intercessione mulieris, creditori actio vetus restituitur, ut patet ex tit. ad Senatuscons. Velleianum.

Ad Tit. XLVIII. Etiam per procuratorem causam in integrum restitutionis agi posse.

Etiam illud quæri inspicique dignum erat, an per procuratorem posset postulari, et agi causa restitutionis in integrum. Dubitationis ratio hæc est, quod in judicio restitutionis in integrum probari ætatem conveniat, *l. 4. inf. de in integr. rest. minor. l. Cum te minorem. inf. de probat. l. Intra. D. de minor.* et ætas plerumque probatur ex aspectu et habitudine corporis: præsentem igitur oportet rogare restitutionem in integrum, et litem agere eandem, non mittere procuratorem: moveor igitur, quod mores per se insinuent veniam ætatis, ut heri diximus, ætatemque firmatam, et moram probitatem probant, non per procuratorem. Sed hæc nihil nos movere debent: nam et aliis modis quam ex aspectu ætas probatur, et insinuatio veniæ majorem diligentiam requirit, quam causa restitutionis in integrum. Per procuratorem igitur recte causa restitutionis agitur, cui scilicet idipsum nominatim mandatum sit: nec enim sufficit generale mandatum. Potest et per cognatum et affinem peti, et agi posse, etiamsi ei id nominatim mandatum non sit, si modo nec a minore petere prohibitus sit, quod confirmat *l. Papinianus. et l. Patri. D. de minor.*

Ad Tit. XLIX. In integrum restitutione postulata, ne quid novi fiat.

Quod majoribus præstat appellatio, hoc minores consequuntur beneficio restitutionis in integrum, si nolint appellare, *l. Præses. D. de minor.* At sive appellarint majores aut minores, sive pellerint minores restitutionem in integrum, medio tempore nihil novatur, ut in *tit. D. nihil novari pendente appellat.* sed omnia manent integra, quoad de appellationis, vel restitutionis causa pronuntiatum sit.

Ad Tit. L. De restitutionibus militum, et eorum qui Reip. causa absunt.

Sequuntur tit. quibus ostenditur, nonnunquam quibusdam ex causis etiam restitui majores 25. annis. Et primus hic est de restitutione militum majorum 25. annis, hæredumque eorum: nam omnis restitutio militum transmittitur in hæredem, et si nondum petita sit, sicut omnis actio etiamsi nondum sit contestata, exceptis quibusdam, *l. Non solum. D. de restit. in integr.* actionis nomine comprehenditur etiam cognitio prætoris restitutionis in integrum, quæ scilicet origine fuit prætoria: nam et hujus rei cognitio pertinet ad alios plerosque, ut sup. dixi majores igitur 25. annis, hæredesque ex eorum persona restituuntur in integrum, si cum essent in militia occupati, in castris, vel quod addendum esse censeo, in præsidiis, in hybernis, vel cum alio modo abessent Reip. causa sine dolo malo, si interim res eorum absentium usucapta sit, vel vendita a creditoribus ex causa debiti, vel si tempore amissæ sint actiones, quæ eis competebant, nec erant perpetuæ, vel si tempore amissa sit bonorum possessio hæreditasque eorum, qui peregre Reip. dant operam: justa est absentia: nemini justa absentia officere debet, quæ scilicet suscipitur Reip. causa. nec enim aliam absentiam habuero pro justa ratione. Et restituuntur quidem intra annum ex jure veteri postquam abesse desierunt Reip. causa, vel secundum jus novum intra quadriennium, et per restitutionem rescinditur usucapio, quæ eis absentibus completa est, rescinditur venditio bonorum facta a creditoribus, rescinditur distractio pignorum, et aboletur præscriptio temporis, et restituitur absenti dominium rerum suarum, restituitur bonorum possessio quæ exciderat, restituuntur amissæ actiones omnes, quod constitui hoc tit. demonstrare. Sed observandum est potissimum ex *l. 4.* bona absentis Reip. causa, et indefensi a creditoribus ex edicto possideri quidem, non etiam venire posse: ita ut ei reverso non suppetat auxilium restitutionis in integrum adversus venditionem. Et ita accipienda *l. 4. hoc tit.* et *l. In posses. §. 1. D. quibus ex causis in possess.* Quod autem apud Livium lib. 20. P. Sextius Cons. edicit, ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret aut venderet, id edicit singulariter in summa Reip. trepidatione, cum hostes prope ad portas adessent: et notant omnes ex *l. pen. hoc tit.* filium militem quasi privilegio militiæ sua non posse rescindere ea, quæ pater gessit, dum is filius erat in militia, cui postea filius hæres extitit, non posse adversus ea restitui, optima ratione, quia hoc privilegio utitur miles tantum in his, quæ ipse gessit militiæ tempore, vel prætermisit, vel ignoravit: nam in his, quæ pater vel alius, cui successit, gessit, et eo nomine non competit restitutio. Ex *l. ult. hoc tit.* observandum est, privilegium quod militibus datur ut testentur jure militari quoquomodo voluerint, non habere militem, qui agit in sedibus suis, *l. pen. inf. de testam. milit.* Et rectissime Basilica in eadem *l. ult.* sedes interpretantur ædes, id est, cum sedeat domi, ἐν τοῖς ἰδίοις οἴκοις, et ita etiam in *l. 2. C. Th. de domesticis*, in sedibus idem significat, *en sa maison.* Et quod Theop. in *§. 1. Instit. de milit. test.* sedes interpretatur σέδατα, falsum est: nam sedeta sive fossata, ut Suidas interpretatur, sunt castra sive stativa, ut in *l. 18. sup. de l'p scip. nu bent.* quæ est Græca, falsum est militem non uti suo privilegio cum est in stativis, ut falsum est non uti in castris, in expeditionibus. In stativis, vel in præsidiis poterit jure militari testari mea sententia: et tempora quæ fecerit in stativis aut præsidiis, ei proderunt ad restitutionem in integrum, et plane velim in *d. l. ult.* expeditionis nomine etiam intelligere stativa et præsidia.

Ad Tit. LI. De uxoribus militum, et eorum qui Reip. causa absunt.

In integrum restituuntur non tantum milites, et ii qui Reip. causa absunt, sed etiam uxores eorum si sequutæ viros interim per absentiam aliquid damni senserint: sequebantur pleræque viros in militiam ut cui officium publicum damno esse non debet propter absentiam: non sit etiam uxori ejus sequutæ virum.

Ad Tit. LII. De temporibus in integrum restitutionis tam minorum et aliarum personarum, qui restitui possunt, quam hæredum eorum.

Communis est hic tit. 52. minoribus et majoribus: et erat olim quidem ut hic de temporibus primum dicamus omnibus, jure prætorio constitutus annus utilis ad petendam restitutionem in integrum. Deinde lege Constantini fuit restitutionibus minorum contestandis finiendisque in urbe et intra centesimum miliarium urbis, et ut constat ex *l. 2. C. Th. de restit. in integr.* fere semper urbs quasi concluditur centesimo miliario, *l. 1. D. de offic. præfecti urb. l. 35. C. Theodos. de Episc. et cleric.* et *l. 62. C. Th. de hæreticis.* fuit, inquam, ea lege minoribus præstitutum quinquennium post completam legitimam ætatem in urbe, vel intra centesimum miliarium. In Italia autem quadriennium, in provincia triennium, ut non male in *C. Th. l. 5. eod. tit.* habeat juge tempus, quod est Constantini: nam voluit Constantinus quinquennium illud vel quadriennium, vel hoc triennium juge esse, id est, continuum, ut tamen vulgo heic legitur jure, et Bas. νομίμως, quia scilicet Justin. sibi vindicat definitionem continui temporis abrogata lege Constantini, constituens ut non observata locorum differentia nec ætatum, idem jus sit, eadem inspectio temporis in restitutione minorum et majorum, ut inquam, intra quadriennium continuum agatur et peragatur causa restitutionis in integrum, *l. ult. hoc tit. l. ult. inf. de repud. hæredit.* et quadriennium quidem istud continuum minoribus numeretur a die primo anni 26. in diem extremum anni 29. vel a die, qui veniam ætatis insinuaverunt in judicio competenti: *l. 5. hoc tit.* militibus ex die missionis, *l. 1. hoc tit.* et similiter aliis absentibus Reip. causa ex die reversionis. Et hoc de temporibus in integrum restitutionis. Altera quæstio in hoc tit. est longe difficilior de hæredibus harum personarum, quatenus in integrum restitui possunt. Et in ea quæstione adhibetur distinctio hæc. Aut minor minori hæres extitit, aut minor majori, aut major minori aut major majori. Primum si minor minori hæres extiterit, hæredi ex edicto, ut ait *l. Interdum. de min.* post completam ætatem quasi ex sua persona, quod et ipse sit minor datur totum quadriennium ad in integrum restitutionem, *l. Interdum. D. de minor.* et Paulus apertissime, *1. Sent. tit. de minorib. l. 5. §. 1. hoc tit.* Secundo autem casu si minor majori, qui nondum expleverat quadriennium petendæ restitutionis hæres extiterit, hæredi post legitimam ætatem completam non datur totum quadriennium, sed ex persona defuncti id duntaxat tempus datur, quod defuncto supererat, *d. l. Interdum. §. 1. d. l. 5. Quod si majoris, hoc tit.* Tertio, si major minori hæres extiterit hæredi statim ab adita hæreditate ex persona defuncti datur quadriennium ad petendam restitutionem nomine hæredis, *l. 4. l. 5. §. ult. hoc tit. l. Minor autem. §. ult. D. de minor. l. Non solum. D. de restit. in integr.* Quarto autem et ultimo casu si major majori hæres extiterit forte constituto intra quadriennium, vel ipse constitutus intra quadriennium, post completam legitimam ætatem recte Accursius in *d. l. 5.* et *d. l. Interdum.* rem esse exploratissimam, nimirum statim ab adita hæreditate id tempus dari quod defunctus habuit. Valde notanda est hæc distinctio, quæ satis obscure proponitur in *l. 6. hoc tit.* et secundum hanc distinctionem in *l. 2. eod. tit.* quæ est satis difficilis, si minor minori hæres extitisti, et militiæ nomen dedisti, majorque rediisti, ex die reversionis ad restitutionem in integrum habes quadriennium: post tamen completum 25. annum. Quod si majori nondum exacto quadriennio ipse minor vel intra quadriennium constitutus hæres extitisti, et militiæ nomen dedisti, reverso tibi cedet tempus, quod defuncto supererat statim si major rediisti: vel post completam legitimam ætatem si minor rediisti: Et ita vobis explicanda est species l. 2. quæ prima specie male afficit lectorem quemlibet. Etiam illud notandum est ex *l. 1. hoc tit.* minori circumscripto qui in militia exegit annum 29. vel 30. atque ita transegit restitutionis tempus, non computari tempus restitutionis nisi ex die missionis, et in *l. Semper. §. Si quis Reip. versic. Nam etsi. D. quod vi aut clam:* quia scilicet ipso jure propter militiam continuatur beneficium restitutionis in integrum, nec perimitur tempore

quandiu obitur militia, *l. 3. hoc tit.* et tamen, quod posset obstare huic sententiæ, si major, qui temporalem aliquam actionem habuit, militiæ nomen dedit, actionis tempus ei cedit in militia, sed reverso causa cognita remittitur præscriptio temporis per restitutionem in integrum. Et ita est accipienda prima pars *d. §. Si quis Reip. l. Semper.* sumpto scilicet exemplo et argumento ex *§. Qui procedit.* et hoc confirmatur *l. 4. sup. de restit. milit.* Ita est componenda cum *l. 1. hoc tit.* quæ videtur contraria, ut dicamus plus tribui in *l. 4. h. tit.* minori militiæ nomen danti, quam majori in *d. l. 1. de restit. milit.*

Ad Tit. LIII. Quibus ex causis majores in integrum restituuntur.

Hoc tit. ostenditur, non tantum majoribus, qui sine dolo malo abfuerunt Reip. causa, de quibus actum est sup. tit. subveniri per restitutionem in integrum, sed et aliis majoribus, veluti legatis civitatum missis ad principem, *l. 1. h. t. l. Legatis. D. ex quib. causis major.* si quid per absentiam interim ceperint damni vel lucri amiserint, etiam illis, qui sub custodia militari vel in vinculis vel in hostium potestate fuerint, *l. 2. et ult. h. tit.* et generaliter majoribus subveniri beneficio restitutionis ubicumque justa causa videtur subveniendi judici maxime addicto actioni bonæ fidei: notandum est, quod ait *l. 5. h. t.* nec abs re dicit, in contractibus bonæ fidei in his igitur etiam judex delegatus, judex pedaneus, cognoscit de causa restitutionis in integrum, quæ incidit in judicium, et introducitur in modum exceptionis vel contradictionis, non etiam introducitur principaliter, quod etiam ostenditur in *l. ult. sup. ubi, et apud quem cognit. restit. in integr.* si diligenter expendatur. Ergo si actio bonæ fidei sit de incidenti quæstione restitutionis judex delegatus eam admittet, et officio suo fretus subveniet ei cui subveniri æquum erit: illud additur hoc tit. civitatibus, aut rebuspublicis lapsis, aut circumscriptis subveniri per restitutionem in integr. exemplo minorum, *l. pen. h. t. l. Ergo. in fine. D. ex quibus causis maj. l. pen. inf. de jure Reip. lib. 11. l. 1. sup. de offic. ejus, qui vice alter. jud.*

Ad Tit. LIV. De alienatione judicii mutandi causa facta.

Postremus tit. de restit. in integr. est tit. 54. in quo ostenditur, etiam majoribus subveniri ex hac causa, si possessor, cum quo major 25. annis acturus erat in rem, dolo malo eam rem vendiderit, et tradiderit potentioris objiciendi, durioris et difficilioris adversarii gratia: nam hoc casu major, qui acturus erat in rem, potest etiam si velit agere in rem adversus eum, cui res est vendita et tradita, ut ait *l. un. h. tit.* sed si non audeat cum eo congredi, quod sit difficilis conventu, restituetur in integrum ex edicto intra annum utilem, vel hodie intra quadriennium continuum data in venditorem actione in factum quanti interest alium adversarium longe duriorem habere, cum quo par certatio non est, mutat judicium, quod futurum est de rei vindicatione in possessorem, cui vendita est et tradita ea res, nam in rem actio sequitur possessorem, *l. 1. inf. ubi in rem actio.* Sed datur etiam actio in rem in eum, qui dolo desiit possidere: quoniam dolus pro possessione est. Igitur in hoc casu contra venditorem est etiam actio in factum restitutoria ex hoc edicto, in rem actio, ut dixi, sequitur possessorem, hoc in constitutione hujus tit. exprimitur his verbis: cum in rem actionem possessio pariat adversario: nihil mutandum est, possessio scilicet ejus cum quo agitur, adversario, id est, actori, ut in *l. 17. D. de pignor.* pignoris possessio, sic videtur legendum, in rem actionem parit creditori, ita rei possessio in rem actionem parit actori, adversarii nomen commune est actoris et rei: qua de causa recte in *l. Non alias. §. 1. de judiciis,* in rem actionem esse ex possessione: mutato igitur possessore mutatur judicium, id est, directa actio in alium transfertur. Alienatio est dominii, vel possessionis in alium translatio. Fuit autem hoc edictum generale, atque ideo non reus tantum hoc edicto continetur, qui rem alienavit judicii mutandi causa, sed continetur etiam actor, qui alienavit actionem ut ageret alter non ipse in suum adversarium, et quidem si actionem vendiderit, donaverit, cesserit alteri, emptori, vel donatario denegatur actio, non priori domino, *l. 1. 19. D. hoc tit.* nisi scilicet ipse alienaverit etiam judicii forte vitandi duplicis causa, ut in specie *l. ult. D. eod. tit. ex tit. de alien. jud. mut.* Notandum et repetendum est in eum, qui dolo malo alienavit rem, quam possidebat, ut acturo de ea re opponeret molestum adversarium, ei qui de ea re acturus erat, ex hoc edicto dari actionem in factum quanti interest rem amisisse, si eam petere non possit ab eo, cui alienata est, ut puta, si eam usuceperit, *l. 4. in princ. D. eod.* vel si petere possit, quanti interest alium adversarium non habere, cum quo sit acturus incommoda et facturus forte majores impensas. Unus casus excipitur ab hoc edicto in *l. 3. §. ult. D. eod.* si is, qui dolo malo rem alienaverit, et desiit possidere translata in alium possessione, ultro paratus sit pati utilem actionem in rem, quasi possessor, hoc casu cessat in factum ex hoc edicto actio, ex quo intelligitur, eum, qui desiit possidere, invitum non teneri actione in rem, nisi ita ignoretur: nam si sit certus rei possessor, in rem actio solum possessorem tenet, ut heri diximus, non eum, qui dolo desiit possidere: invitum, inquam, non tenet, sed volens patitur actionem ex pacto nudo: quæ tamen nulla competit, l. *Nuda C. de contrah. stip.* et in hoc casu volens patitur actionem in rem qui dolo desiit possidere, quæ nulla competit existante ipso possessore: in hac lege constat legendum esse *edicto perpetuo promittitur*, non, *permittitur*, in Basilicis, ἐπήγγελται, *promittitur*, et *l. 3. §. ult. D. eod.* proconsul in integrum restituturum se pollicetur, qui frequens est error in libris nostris.

Ad Tit. LV. De receptis arbitris.

Si repetamus altius paulo, quod diximus, hucusque non perduxit ut ea uno alius nectatur sermo: institutus ille, qui est enarratus initio partis juris civilibus de Magistratibus, et ordinariis judicibus, et de ordine quo apud eos agi solet, nunc alius instituitur sermo de judicibus, qui ordinarii non sunt. Et primum de compromissariis, sive de receptis arbitris, *c'est tout un,* quos constat non esse ordinarios, *l. Non distinguemus. §. Item si quis. D. eod. l. pen. hoc tit.* hi enim sunt recepti arbitri seu judices compromissarii, qui ex partium compromisso sive constipulatione pœnali jure perfecta adeuntur, quod nonnunquam fit pacto nudo, ut *l. Litigatores. §. Interdum. D. eod.* compromisso etiam addita clausula doli mali, dolum malum abesse abfuturumque esse, ut indicat *l. 3. h. t.* receptum autem est compromissum, *l. Rem non novam. §. 1. de judiciis, inf.* et hi sunt arbitri sumpti ex compromisso, arbitri recepti. Sed agitur etiam hoc tit. de aliis arbitris. Alii sunt arbitri, qui adeuntur ex jurejurando, cum utraque pars juret se ejus sententiæ obtemperaturam, sine vinculo pœnæ: ex quorum sententia datur actio in factum, vel condictio ex lege Justiniani, *l. 4. h. t.* vel utilis in rem actio, prout negotii qualitas exegerit. Sed hoc arbitrorum genus postea sustulit Justinianus in Nov. 82. Alii sunt arbitri, qui adeuntur et eliguntur ex communi nudoque consensu partium, sine jurejurando, sine compromisso pœnæ, sine ullo vinculo: et de his est l. *pen. hoc tit.* et *l. ult. sup. ubi et apud quem in int.* et ab his, qui eliguntur nudo consensu partium licet appellare, *l. Ex consensu. D. de appellat.* ab illis, quia devincti compromisso, vel jurejurando adierunt partes, non licet appellare: alias committetur pœna compromissi, *l. 1. h. t.* ab his, qui nudo consensu adeuntur licet appellare impune, cum nullum intercesserit vinculum obligationis, sed si semel partes acquieverint, ex sententia est, quasi taciti pacti exceptio, et actio in factum, vel condictio seu petitio pœnæ, *l. ult. in fine h. tit.* quæ tractat de feminis arbitris receptis, quarum arbitrio est impune non stari, id est, non stantem nec incidere in pœnam, nec ei officere exceptionem pacti, quia mulieres non sunt idoneæ arbitræ, sicut nec idoneæ judices: quod tamen caput edicti de arbitris aliquatenus est immutatum: nam illustrioribus feminis licet suscipere arbitrium ex compromisso. Verum ut ex Nov. Justiniani, ut dixi, sublati sunt arbitri sumpti ex jurejurando: ita crediderim sublatos arbitros ex communi partium, nudoque consensu: quandoquidem ob hanc solam causam a Basilicis abest non tantum *l. 4.* quæ est de arbitris sumptis ex jurejurando sublatis Nov. Justiniani, sed etiam abest *l. pen.* quæ est de arbitris sumptis nudo consensu, hi tantum videntur approbari, qui adirentur ex compromisso. Sed alii etiam sunt non improbati arbitri, qui scilicet dantur a judicibus ad res certas, puta ad excutiendas rationes, ad æstimanda bona, ad comprobandos fidejussores, qui arbitri dantur jure a pedaneis etiam judicibus, licet non habeant judicis dandi licentiam. Judex delegatus non potest subdelegare: potest tantum talem arbitrum dare, *l. ult. sup. ubi et apud quem causæ restitut.* et hi significantur *d. l. Rem non novam:* his verbis: *qui arbitrium peragunt ex auctoritate sententiarum,* sic legendum, id est, judicum datorum: qui autem sumuntur nudo consensu partium, *d. l. Rem non novam,* significantur his verbis: *et partium consensu electi, et generaliter.* Ita legendum est.

Ad Tit. LVI. De satisdando.

Post receptos arbitros dicturus de judicibus, quibus auctoritate magistratum causarum cognitio delegatur, ea quæ priusquam apud eos judicia inchoarentur fieri necesse erat, nec admodum hodie necesse est, exequitur trib. tit. sequentibus. Primum opus erat interponi satisdationes de rato: si quis ageret alieno nomine, id est, ratam rem dominum habiturum, et de re defendenda, et de judicato solvendo, sine quibus nec actor, nec reus, qui eorum nomine agebat, vel defendebat rem æstimabatur idoneus: hodie neque actor, neque reus satisdat, qui agit per se: sed neque interpositus procurator satisdat de rato, si mandatum, aut voluntas domini insinuata sit apud acta, vel per libellum, *l. Nec satisdatio. D. rem ratam haberi,* vel per litteras scriptas adversario, *l. Si procuratorem. D. mand.* ex quo verba quædam constitutionis h. t. sumpta sunt. Ex hac igitur causa non satisdat de rato: sed si is, cum quo agitur procurator nomine alieno, et invicem ipse agat, id est, si sint mutuæ petitiones, actiones, conventiones, reconventiones, hoc casu in causa reconventionem satisdat de re defendenda, et judicato solvendo si damnatus fuerit, licet apud acta sit constitutus: nam non est idoneus procurator actoris, qui dominum non defendit, et non est idoneus defensor, qui non satisdat secundum veterem regulam juris. *§. ult. Inst. de satisd. l. 18. §. 1. D. de castr. pec. l. Qui proprio. §. Qui alium. D. de procurat. l. 3. §. ult. D. rerum amot.* Et hoc est quod ait Constitut. h. tit. litem procuratori mandatam sine satisdatione de re defendenda alterius non posse procedere, nam in contexto illo loco, *lis, quæ ei data est,* legendum est, *lis, quæ ei mandata est,* ut in Basilicis ἐνταλθεῖσα: litem mandat actor procuratori, non dat, litem dat judex apud Livium lib. 23. *Secundum eum litem judices dare,* et apud Valerium: *Secundum te litem do,* et M. Tullius pro Cornel. Balbo: *Provocabo, quo minus secundum eum lis detur, non recusamus.* Satisdare autem est fidejussores dare, qui participent obligationem, quæ cœpit a nobis quoque nos adhuc principaliter obligamus: nam fidejussoris datio nos non liberat, expromissoris datio nos liberat, quia fit novatio obligationis primæ expromissione, non per fidejussionem, id simpliciter dicitur dare in l. 6. *ut leg. nom. ca.* et *l. 45. §. Si procuratori. D. de procurat.* et quod etiam est infrequens, fidejussoribus satisdare, *l. Nec non. D. ex quibus causis majores.*

Ad Tit. LVII. De formulis et impetrationibus actionum sublatis.

Non tantum necesse erat initio inchoandæ litis satisdationem interponere, sed necesse erat etiam impetrare actionem priusquam judex adiretur: hodie nihil est necesse, sicut et satisdationes illæ non passim sunt necessariæ: hodie non est necesse postulari a magistratu actiones, nisi forte sint decretales, id est, quæ non dantur nisi causa cognita, ut actio de dolo, *l. 1. C. Th. de dolo:* eam et bonorum possessionem decretalem postulari necesse est, *§. ult. Instit. de bon. possess.* hodie igitur ex legibus et edictis nobis ipso jure competunt actiones, etiamsi non postulentur, etiamsi edictis tantum prætor polliceatur se eas daturum: nam perinde ac si eas dedisset nominatim, eis hodie licet experiri: at actionum, quæ postulabantur olim, erat solemnis formula, qua qui deerrabat vel syllaba, causa cadebat. Quamobrem earum observatores Jurisconsulti dicuntur a M. Tullio aucupes syllabarum: et simili forma in *l. 1. juris formulæ aucupatione syllabarum insidiantes cunctorum actibus, radicitus amputentur:* Religio quidem juris forsitan fuit superstitiosa et calumniosa nimia, sed est certe tolerabilior, quam agendi temeritas, et nullus ordo, qualis est hodie, omnibus actionibus conceptis in factum, nec constrictis ulla forma. Et fere jam in foro cogimur reverti ad formulas, ut absit confusio omnis e judiciis. Sed cum non postulentur actiones, sane consequens est eas proponi sine ullo præscripto formulæ pro arbitrio procuratoris: cœperant quidem ante constitutionem h. t. judicia extraordinaria frequentari, ubi conceptio formularum non observatur, ut ait *lex Actio. D. de negot. gestis*, id est, non callide advertitur, nec venit in disquisitionem nimiam, sed licebat adhuc ante constitutionem h. tit. solemniter, et ordine, solemnibusque verbis legum edictorumque experiri, si quis mallet: hac constitutione tollitur hic ordo, tolluntur formulæ juris non tantum in actibus, sed etiam in omnibus negotiis, tolluntur legis actiones.

Ad Tit. LVIII. De jurejurando propter calumniam dando.

Necessarius etiam erat priusquam lis inchoaretur actorem præstare cautionem decimæ partis litis, si vicisset, *§. Has autem. Instit. de pœna tem. litig.* Justinianus hanc cautionem decimæ sustulit in *l. 2. h. tit.* et pro ea introduxit jusjurandum calumniæ, quod scilicet juraret utraque pars initio litis fere hoc modo, se scientem, sciente animo suo, calumniæ causa non contestari litem, sed fretum bona conscientia, et fiducia causæ bonæ: est sanctissimum jusjurandum, quod veteres Græci dixerunt ἀντωμοσίαν, ut Harpocratio et Moschopulus scribunt, Plato in Theæteto. Postea idem seipsum retractans in Nov. 112. reducit cautionem decimæ partis litis, non abolito jurejurando calumniæ. Denique vult et jurare partes de calumnia, et cavere actorem nisi vicerit de decima parte litis: ac præterea, quod est in *l. 1. h. tit.* de præstando jurejurando ab eo, qui fidem litterarum aut instrumentorum in dubium revocat, hoc modo: non se id facere differendæ litis causa et vexandi adversarii, sed quod ita revera sentiat vera non esse instrumenta. Id quoque Justinianus ita mutat Nov. 49. ne id jusjurandum toties præstetur, quoties quis ab adversario probationes exigit, vel probatas ab eo probationes refellit, sed satis sit hac de re jurari semel initio litis hoc modo: non se tota lite differendæ ejus causa, et vexandi adversarii gratia frustra ullas probationes ab adversario petiturum. Estque sententia ejus Novel. æquissima. Itaque fere a Justiniano mutata sunt, quæ hoc tit. constituuntur: non est etiam hodie in usu vetus Senatusconsultum, quod refert Plin. lib. 5. Epist. quo qui quid negotii haberet jurare cogebatur, nihil se ob advocationem dedisse, promisisse, cavisse, et fere olim interponi jusjurandum necesse erat: posteriores noluerunt interponi, ne via perjuriis aperiatur, quod corrupta jam ætate hominum quilibet facile juraret, juxta illud Laberii, jusjurandum esse *emplastrum æris alieni*: et Pacuvii, esse mantile, quo quotidianæ noxiæ absterguntur.

JACOBI CUJACII J. C.

AD LIB. III. CODICIS

RECITATIONES SOLEMNES.

Ad Tit. I. De Judiciis.

Exposita iis, quæ antequam judicium inchoetur, vel tunc cum inchoatur, fieri necesse erat, aut necesse est etiam hodie, dat tit. de judiciis, et de officio judicum, quod versari debet in disceptatione causarum; de quo est proprius titulus de off. diversorum judicum lib. 1. Duo igitur sub tit. de officio judicis tractantur: de officio judicum, et secundum quod versatur in disceptatione causarum: et ita noster Theophilus de officio judicum: idem enim sunt judicia, et juris disceptationes, quæ fiunt ex parte actorum, et reorum, apud judices litium finiendarum gratia: etenim, ut recte ait M. Tullius in Topic. Judiciorum finis est jus: ex quo etiam nomen, inquit, et similiter judex est juris disceptator, aut vir bonus juri disceptando deditus, destinatusque. Et ita in *l. Rem non novam. hoc tit. Judices*, inquit, *Romani juris disceptatores.* Judex igitur est juris disceptator: quibus verbis non tantum comprehenditur judex datus, sed et receptus arbiter, qui et disceptator dicitur, *l. 1. §. ult. D. de recept. arbit.* Comprehenditur etiam magistratus, ut in legibus M. Tullii, *juris disceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, judex esto.* Et vero licet hic tit. sit de judiciis, sive cognitionibus judicum datorum a magistratu, vel a principe: tamen pleraque communia continet cum magistratu, *l. 12. 13. 15. h. tit.* et communia etiam cum receptis arbitris, ut *l. 14.* puta de jurejurando, et religione, qua obstringuntur Judices omnes, nec non Advocati, ut plane dicere liceat tit. ult. lib. 2. agi de jurejurando calumniæ, quod utraque pars in ipso limine inchoandi judicii, sive agatur apud judices ordinarios, sive compromissarios, *l. 2. §. Sed. eod. tit.* hoc autem tit. agi de jurejurando omnium judicum, et eorum, qui ex compromisso cognoscunt, et de jurejurando Advocatorum. Judices jurant in leges veteri instituto, ut inde Religionis judicantis frequens mentio in jure. Advocati jurant de causa perferenda fide casta et integritate.

Ad Tit. II. De sportulis, et sumptibus in diversis judiciis faciendis, et de executoribus litium.

Sportularum nominis origo prima ex prandio, et cœna est, quam in panariolis, vel sportellis patroni clientibus dabant, vice cœnæ rectæ: modo enim dabant cœnam rectam: *un parfait dîner*: modo in sportella, *dedans un petit panier*, dicta causa, et ad extremum dabant centum quadrantes: quæ summa etiam sportula dicta est ac deinde latius sportularum appellatio porrecta est ad salaria, diaria, congiaria, honoraria omnia, quæ vel sacerdotibus dabantur, ut in Epistolis Cypriani, vel a consulibus spargebantur in vulgus, ut cuilibet esset accipiendi potestas, Nov. 105. ut non male Suidas sportulas definierit δῶρα ἐπὶ πάντων διδόμενα παῤῥησίᾳ, id est, missilia. Nec male et Hesychius sportulas interpretatur usuras: nam et sub nomine sportularum nonnunquam exigebantur usuræ, non se usuras quidem exigere dicebant, sed sportulas, *l. Eos. inf. de usur.* eadem arte, qua apud Marcellinum, *aleatores se non esse, sed tesserarios.* Constat etiam eas, quas novi decuriones dant ordini pro introitu, in jure vocari sportulas, constat etiam δικαστικά, quæ dantur pedaneis judicibus *des Epices*, ita appellari, Nov. 82. nam magistratibus dabantur de publico salaria, sportulæ pedaneis, ut vilioribus. Hic autem tit. est specialiter de iis sportulis, quas conventus reus dat executoribus litium, id est, viatoribus conventionis nomine. Horum proprium munus est convenire reos, et reorum quoque onus proprium sportulas eis exsolvere, *pour leurs vacations*; ut Nov. 53. sed est etiam hic titulus de aliis, sive sportulis, sive sumptibus, quos in diversis judiciis utraque pars facit et erogat in viatores apparitores, officiales, judicum notarios exceptores, arbitros, advocatos, scriniarios, vel inducendarum, et excipiendarum cognitionum gratia, vel pro exceptione, de editione actorum, vel sententiæ, vel relationis, pro litis contestatione, pro recitatione sententiæ, vel instrumentorum, pro libello: unde executoribus datur rei conveniendi potestas, pro insinuatione rescripti, vel edicti principalis, et multis aliis ex causis. Et his quidem sportulis, seu sumptibus in hoc t. Justinianus modum imposuit certum constitutione Græca, cujus etiam fit mentio in Institutionibus, et cum qua videtur convenire, et congruere de sportulis constitutio Athalarici regis apud Cassiodorum lib. 9. Variar. sed ea constitutione excepit fiscum: lex fiscum absolvit ab onere præstandarum sportularum, si qua de re litigaret. Quod observatur et hodie: et refertur ex ea constitutione Justiniani ab antiquo interprete Juliano Antecessore in Nov. 47. et 21. fiscum gratis litigare. Idemque datur Episcopis, ut §. *Sportularum.* Nov. 123. Idemque datur tenuioribus personis, ultima scilicet exigente necessitate, in *Nov. de mand.* Et vicissim idem etiam datur iis, qui cum fisco, vel Episcopis, vel tenuioribus personis contendunt, *l. ult. inf. de fructibus litium*, ubi eleganter Bart. exprimens sententiam legis: victus, inquit, victori damnatur in expensas, quas victor fecit, non ergo victori ex privilegio remittuntur, quæ res forte indicat quid hic tit. qui est de sportulis, et sumptibus in div. jud. fact. distet ab illo titulo de fructibus et litium expensis. ille titul. de fructibus et litium expensis est de sumptibus litis, quos victus victori refundit: hic autem titulus est de sumptibus litis, quos utraque pars facit in persecutione juris sui, et præbitione sportularum.

Ad Tit. III. De pedaneis judicibus.

Titulus 3. de pedaneis judicibus recte subjicitur titulo de sportulis, etc. nam in hoc titulo fuit Græca constitutio Zenonis de sportulis pedaneorum judicum: cujus fit mentio in Nov. 8. titulus secundus est de sportulis executorum, et officialium, qui in judiciis litigatoribus operam præbent. Hic tit. est de sportulis pedaneorum judicum. Pedanei autem judices sunt speciales judices, quibus singulæ causæ delegantur a magistratibus cognoscendæ: nam cognitionem tantum habent, non jurisdictionem, *l. ult. sup. ubi et apud quem, etc.* et consequenter non habent executionem suæ sententiæ: nam executio est jurisdictionis, et eorum sententiam exequitur magistratus, qui eos dedit, et delegavit, *l. A Divo Pio. D. de re judic.* Denique judices pedanei non habent jurisdictionem, sed tantum cognitionem causarum sibi delegatarum, maxime humiliorum: idque in tit. ult. hoc tit. Pedaneos judices, inquit, hoc est, qui negotia humiliora disceptant. Quare etiam a Josepho 2. de bello Judaico dicuntur δικασταὶ εὐτελεστέρων διαφορῶν *humiliorum litium judices*, et dicti sunt pedanei, quasi planipedes, ut actores comœdiarum olim dicti sunt planipedes, qui non utebantur socco, et cothurno, vel pulpito: et ita pedanei judices, qui non judicant pro tribunali, sed

de plano stantes, vel sedentes imo quodam, fortuitoque subsellio scamno, cespite, ut *Nov.* 82. §. *Sedebunt.* et 71. Ac vero ne quis objiciat, non fuisse cur daretur hic tit. de ped. jud. quasi sufficienta tit. 1. hujus lib. qui proprie est de judicibus datis, delegatis, pedaneis, primum dicam, primum titulum fuisse de judiciis potius, quam de judicibus, fuisse de efficio judicum omnium, id est, de eo, quod in jure disceptando sequi, vel observare debent: hunc autem titulum esse specialiter de pedaneis judicibus, et eorum sportulis, et de pedan. jud. puta ne dentur a procuratore Cæsaris inter privatos, *l.* 1. *hoc tit.* qui procurator Cæsaris habet jurisdictionem inter fiscum et privatum, non inter privatos, et judicis pedanei dandi licentia est pars jurisdictionis, *l. Imperium. D. de jurisdict.* Et *l.* 2. *hujus tit.* quæ hodie est apertissima, olim explicatu difficilis, quia lex 2. facit judicia extraordinaria, dum constituit, ut præsides provinciarum judices pedaneos non dent: nam juris ordinarii erat præsides non judicare, aut prætorem: sed judicare jubere, date pedaneo judice: juris extraordinarii erat ipsum judicare magistratum, nec cognitionem alteri delegare posse, verum eo præsides dont judices pedaneos constituit l. 2. adjecto hoc modo, ne dent in causis, quæ eorum cognitioni legibus nominatim reservantur, id est, quæ propria dicuntur causæ, et cognitiones extraordinariæ, ut in *tit. D. de extraordin. cognit.* nec dent in causis ingenuitatis et ne dent etiam in ullis aliis causis, nisi multitudine negotiorum, et cognitionum obruantur, vel nisi ea causæ sit vilitas, ut tenuitas, ut non admodum requirat cognitionem præsidis. Et sane secundum hanc l. pedanei judices sunt, hodie causarum vilium judices. Et additur in *l.* 4. *h. tit.* ut in locum mortui pedanei judicis, nondum facto judicio, magistratus subsortiatur alium: nec vero de efficio pedanei judicis ulla est lex hoc tit. nisi forte l. 1. quæ invitum pedaneum judicem ad judicandum operam præbere compellit, et adimit facultatem remittendæ litis ad præsidem, vel prætorem, qui eum dedit. Et ex hoc apparet, in pedaneis judicibus judicandi necessitatem esse munus civile, ut in l. *ult.* §. *Judicandi. D. de muner. et honor.* omne enim munus ut efficiem civile defertur invito.

Ad Tit. IV. Qui pro sua jurisdictione judices dare, darive possint.

De pedaneis judicibus illud etiam in hoc tit. additur, ut is tantum pedaneum judicem dare possit, cujus ea de re, qua de agitur, inter eas personas ad quas ea res pertinet, jurisdictio est: quia scilicet judicem dare est jurisdictionis munus: id enim verba tit. indicant: *qui pro sua jurisdictione etc.* Ergo judex pro modo jurisdictionis, quæ cuique competit. Ex quo sequitur judicem pedaneum rite datum, alium judicem dare non posse: quia in ea re, in qua datus est notionem non jurisdictionem habet, nisi sit datus a principe: hic enim alium judicem in ea causa dare potest, id est, subdelegare, ut dicunt, *l. A judice sup. de judic.* et ut est in *l. un. hoc tit.* ab eo quem dederit judex delegatus a principe appellatur ipse, qui dedit, sive delegavit non princeps. Ex quo efficitur, judicem delegatum a principe habere jurisdictionem in ea re, in quam delegatus est: judicis enim dandi licentia pars est jurisdictionis, *l. Imperium. D. de jurisdict.* et *l.* 2. *sup. tit. prox.* Ergo habet etiam judex datus a principe executionem sum sententiæ, ut recte legitur in glos. *l. A Divo Pio, D. de re judic.* quam judex datus a magistratu non habet: ac præterea datus a principe habet adsessores, quasi præsit jurisdictioni. Novel. 60. Habet apparitionem propriam, *l. pen. inf. de fruct. et lit. expens.* est constitutio Græca, quod additur in hoc tit. *darive etc.* In id dicam judicem non recte dari eum, quem dat is qui jurisdictionem non habet ex const. 11. hujus tit. et insuper dicam ex tit. sequenti non jure dari etiam judicem in re propria

Ad Tit. V. Ne quis in sua causa judicet, vel jus dicat.

Nam titul. 5. hic est: ne quis in sua causa judicet: ergo judex dari nemo in re sua potest jure, nec fieri, ut in *l.* 17. *D. de judic.* si unus ex litigatoribus pendente lite moriatur, et eundem relinquat judicem, apud quem litigabat ex asse vel parte, qui jure hæreditario succedat in litem illam, alius judex sumendus est, quia iniquum est quemquam in sua re judicem fieri: ac multo minus jus dicere quisquam potest: plus enim est jus dicere, quam judicare. major est vis jurisdictionis, quam cognitionis nudæ, *l. Ex tat. D. de eo quod metus causa, l. pen. D. ut leg. causa, l. Qui jurisdict. de jurisdictione.* Judicat judex datus, vel arbiter receptus. Jus dicit magistratus: emnes igitur in re aliena judices esse possunt. Testimonium quoque dicit quisque in re aliena, non in propria, ne Cato quidem. Quod huic Constitutioni fuisse additum constabit, si adjungatur *l.* 10. *inf. de testibus.* Hodie receptum est ut in sua causa quis judicet, cum de sportulis judiciariis agitur: nam in hac causa idem est et judex et adversarius, et hoc jure utimur hodie.

Ad Tit. VI. Qui legitimam personam standi in judiciis habeant, vel non.

Quemadmodum non valet sententia, quam dixit is qui non jure datus est judex, ita non valet sententia, quæ data est in pupillum, absente tutore, vel in adolescentem, absente curatore, l. 1 et 2. *hoc tit. l.* 3. *sup. si advers. rem jud. l. Acta.* §. *ult. D. de re jud.* Nam ut judicem legitimum, ita et legitimum litigatorem esse oportet, et legitimus litigator non est minor indefensus, *l.* 1. *Cod. Th. de denuntiat. vel edi. resc.* propter quam ex *l.* 4. *eod.* additur, *inter justas legitimasque personas*, ut scilicet excludatur minor, cujus persona sine curatoris auctoritate non est justa et legitima ad litigandum. Idemque dicitur de republ. indefensa, quæ solet minori comparari, *l.* 1. *C. de jure Reip. lib.* 11. Et generaliter non est legitimus litigator, qui rem in judicium deducere non potest, et consequenter servi persona non est idonea ad litigandum, quia servus est ἀπρόσωπος *l. Servus. et seq. sup. de judic.* et in *Nov. Valentiniani de competitoribus*: servi, inquit, nec ab initio, quasi nec personam habentes in judicio admitti possunt: et hoc est quod sit regula juris, cum servis nullam esse actionem, et retro, servos nullam habere actionem, servos homines non posse causam orare, ut est in comœdis: imo, ut est in *l.* 1. *sup. de precib. Imp. off.* servus est etiam incapax precis offerendæ principi. Excipitur in *l. ult. hoc tit.* quæ exceptio confirmatur etiam in *l.* 1. *inf. si per vim, vel alio modo*, et *l.* 4. *unde vi.* Excipitur, inquam, causa momenti, id est, causa repetendæ, vel redintegrandæ vel constituendæ, et confirmandæ possessionis; hæc dicitur in jure momentaria causa, quia perturbata possessio celeriter reformari debet, et suo loco reponi, nec potest moram injicere compensatio, *l. ult. inf. de compensat.* nec appellatio quia nec potest appellari, si de momento judicatum sit. Item si judicatum sit possessionem ejus esse, aut illi redintegrari oportere, *l.* 1 *inf. si de mom. poss. appell. fuer.* Et in hac causa momenti admittitur servus, ut si domini possessio perturbata sit, servus admittitur, qui alioqui nec domini, nec suo, nec procuratorio nomine agere potest, *l. Servum. D. de procur.* sed perturbata domini possessione, absente forte domino, ipse potest agere interdicto constabiliendæ possessionis gratia. Nomine momenti intelligimus omne interdictum de confirmanda possessione, veluti interdictum unde vi, et uti possidetis, et utrubi, quorum bonorum, Salvianum, et de tabulis exhibend. et alia. Igitur in causa momenti admittemus etiam pupillum non habentem tutorem, vel saltem adolescentem, reservata tamen, ut fit, actione secunda proprietatis justis legitimisque personis, et legitimis procuratoribus, quæ causa proprietatis in *l. ult. hoc. tit.* significatur verbo petitionis. Petitio illo jure est proprietatis, quæstio secunda, quæ dicitur in l *ult. inf. quorum bonor.* Prima quæstio est de momentaria possessione, quæ agitur etiam per servum, vel per minorem indefensum, 2. causa non agitur, nisi per personas justas et legitimas.

Ad Tit. VII. Ut nemo invitus agere vel accusare cogatur.

Titulus 7 est regula juris: sed quomodo intelligenda? possent plerique abuti hac regula. Abutitur ea in Nov. 112. qui post litem contestatam contendit non debere se compelli ad litem persequendam: nam qui litem cœpit, eam peragere debet, nisi velit incidere in calumniam. Abuteris etiam ea si dixeris, non posse actorem agere cum eo quo agit, ut is agat cum alio sua actione: hoc etiam jure fit, et frequenter ago in Titium ut Titius, agat, in Sempronium, *l. Julianus.* §. *pen. D. de act.* l. *Cum in plures*, §. *Mensam. D. loc. l.* 2. *D. ad l. Rhod. de jactu, l. Si ne legatum.* §. *ult. D. de leg.* 1. sententia igitur hujus regulæ hæc est: non posse me compellere eum, cui in me, vel in alium actio est suo nomine, ut ea actione experiatur, si mea non interest eum alio agi, nec si mihi ulla actio eo nomine: cum invito quidem agi. nam, ut vulgo dicitur, judicium redditur in invitum, *l. Inter stipulantem. D. de verb. oblig.* Invitum autem non agere, sed non legitime agere. Nullos autem, addit hic tit. ut olim Athenis, constitui accusatores nisi voluntarios in causis capitalibus.

Ad Tit. VIII. De ordine judiciorum.

Quoties in judiciis plures quæstiones vertuntur, ut judicium ordinetur, necesse est constitui ordinem quo singulæ causæ dirimantur, et definiri utra quæstio prior definiri debeat, utra sit præjudicialis, *l. ult. hoc tit.* ait majorem quæstionem minori præferri: ut si de eadem re agatur civiliter, et criminaliter, criminalis quæstio prælertur civili, hic est ordo judiciorum. Item disceptatur prius causa momenti, quam proprietatis; item prius causa status personæ litigantis, quam hæreditatis, *l.* 1. et 2. *hoc tit.* l. 4. *sup. de judic. l. Liber. inf. de petit. hæred.* Hic est ordo judiciorum, qui exponitur in hoc tit. sed ei plerumque non obligatur judex; nam in arbitrio ejus est vel hunc ordinem sequi, vel utramque quæstionem commiscere, et una sententia terminare, ut l. *pen. hoc tit.* quæstionem civilem, et criminalem simul. Et quod hodie est certissimum ex Symmachi epistolis lib. 1. epist. 27. causam momenti, et proprietatis simul, quamquam vulgo præcedat possessorium judicium, sequatur petitorium: tamen utrumque simul potest finire judex. Hoc in constitutionibus cautum fuisse scribit Symmachus in hoc t. l. 1. facit negotium quibusdam: quia probat præsidem provinciæ non posse cognoscere de causa status principaliter, scilicet si in petitionem partis incidat causa status, ut fit, ut introducatur in modum contradictionis, vel exceptionis, hoc casu posse præsidem provinciæ de statu cognoscere incidenter, sed principaliter non posse. Hoc pugnat cum multis legibus, cum l. 2. *hoc. t.* cum *l.* 2. *sup. de pedan. jud.* cum l. *Si pater tuus. inf. ne de statu def.* sed hac in re oportet *l.* 1. apponere speciem convenientem, id est, quærere oportet casum specialem quo non cognoscat præses de causa status. Generaliter verum est, eum posse de causa status cognoscere: imo in ea causa posse delegare specialiter est falsum: sume exemplum ex *l. pen. ubi causa status*, si inter privatos, et fiscum sit quæstio de statu, cognitio non est præsidis provinciæ, sed procuratoris Cæsaris, et ita convenienter hoc casu ad *l.* 1. *hoc tit.* apposito ex alia speciali causa simili nihil obstabit *l.* 1.

Ad Tit. IX. De litis contestatione.

Dictum est tit. 1. hujus libri judicia constare ex judicibus, et litigatoribus, et ad ea judicia nos vocari per executores, quorum operam etiam nos remunerare, datis sportulis, tit. 2. post hæc conveniens erat dicere de ipso judiciorum initio, quod est litis contestatio scilicet ante litem contestatam constitui oportere personam actoris, et rei, et judicis idoneam, et legitimam quamobrem vulgo dici solet, ante litem contestatam opponi debere exceptionem fori, et procuratoriam, vel quam aliam dilatoriam, quæ modo ad personarum qualitatem respiciat, quibus judicia constant, *l. Exceptionem. inf. de except.* et recusari quoque judicem quasi suspectum non posse, nisi ante litem contestatam, *l.* 12. quæ est Græca, et *l. Apertissimi. sup. de judic.* propter hæc omnia, antequam darat hunc titul. exposuit, qui sint legitimi judices, qui legitimi litigatores tit. 3. 4. 5. 6. 7. et quoties concurrunt in eandem rem quæstiones plures, a qua inchoandum esset tit. 8 et jam tempus est igitur ut tandem dicam de exordio judiciorum, sive litium, id est, litis contestatione, quid est litis contestatio? Ejus rei de qua controversia est apud judicem, ex utraque parte facta narratio in foro publico, vel testibus præsentibus: ex quo etiam contestationis nomen, vel litis contestatio est, quæ fit apud judicem narratio actoris, et contradictio seu responsio rei, *l. Rem non novam. §. Patroni. sup. de judiciis, l.* 2. §. 1. et §. *Sin autem reus. sup. de jurejur.* Dixi ex utraque parte, quod uno verbo dicunt cognitionaliter, *l.* 1. *sup. de legib. l. ult. §. Illud. inf. de tempor. appell. l.* 3. *inf. de quæstion.* partibus scilicet coninus constitutis, utraque parte præsente, aut procuratoribus earum, nam simplex postulatio, quæ fit μονομερῶς, ex una tantum parte, non est litis contestatio, simplicem postulationem dicit constitutio h. tit. et *l. ult. inf. de sentr. pec. lib.* 12. eique merito conjungit appellationem: et nam et appellationis causa introduci potest ex una tantum parte, absente altera, *l. ult. D. de condit. et dem. l. ult. §. Illud. inf. de temp. appell.* Deinde simplex appellatio, et postulatio introducitur. Separatur etiam in constitutione, et contextu hujus tit. editio actionis a litis contestatione. Editio est futuri judicii indicium præparatioque, litis contestatio est initium, et ut alias ostendi, conjungenda est hæc constitutio cum *l. Edicta. sup. de edendo.*

Ad Tit. X. De plus petitionibus.

Narratio quæ fit in litis contestatione, petitio est, eam vero omni ex parte veram esse oportet: alioqui plus petitio, aut minus petitio est: de plus petitione, et minus petitione, et ejus periculo sunt in hoc tit. duæ constitutiones Græcæ, et a me alibi proditæ, et explicatæ: et hic earum sententiam non referam: sed explicabo sententiam *l.* 3. quæ est Latina, et hoc vult, ut licet superioribus constitutionibus Græcis sit sublatum jus vetus, durum et acerbum nimis, ut causa caderet qui plus peteret, tamen etiam hodie obtineat ea rigor juris uno casu: si quis dolo malo debitori cautionem extorserit majoris quantitatis, quam esset in debito, puta ducentorum aut ducentorum decem aureorum, cum essent tantum centum credita et ex ea cautione egerit, litemque contestatus fuerit, et majorem quantitatem petierit, hic jus crediti amittit, nec si eum pœniteat facti post contestatam litem, velitque corrigere petitionem suam, audietur. Denique causa cadet: ante litem contestatam datur venia, ut non amittat, quod si revera debetur, ut sæpe alias jure subvenitur in tempore pœnitentibus, *l. Qui falsam. D. de falsis l. Quamvis. D. de in jus voc. l. Manichæos. sup. de hæret.* Item ei parcitur, qui dolo malo eam cautionem extorsit, et ex ea egit, si ultro debitor nova, et iterata cautione se obstrinxerit in eandem quantitatem, hæc est via iteratæ cautionis, ut nihil ei possit objici, quæ scilicet iteratio non sit extorta dolo malo, sed sponte a debitore profecta aliqua ex causa: hæc sequam, est via iteratæ cautionis, ut in Senatusconsulto Vellejano, ne subveniatur mulieri, quæ pro alio intercesserit, si post biennium eandem intercessionem, et cautionem ejusdem rei nomine iteravit, *l.* 22. *inf. ad Vellejan. et Nov.* 61. item in præscriptionibus temporalibus, ne prosiet ei, qui iteravit cautionem, *l. Cum notissimi. §. Sed et si quis. inf. de præscriptione trig. vel quadrag. ann.*

Ad Tit. XI. De dilationibus.

Post litem contestatam, aut etiam in ipsa lite contestanda sæpe numero dantur a judice dilationes instrumentorum, vel testium exhibendorum gratia: et dantur dilationes non temere, non passim, sed causa cognita pro tribunali, non dantur de plano, vel in processu, in transitu judicis, per libellum id expediri non potest, *cela ne se peut vuider par Requeste, l. Nec quicquam. §.* 1. *de officio proconsul. D.* et rectissime, *l.* 4. *hoc t.* ut causæ cognitio in dandis dilationibus fiat, judice legitime considente, judex non sedet legitime, nisi pro tribunali, et si sedes legitima tribunal est: igitur causæ cognitio hac in re agitur, judice legitime considente, non *planario interpellatione.* Ita legendum est in *d. l.* 4. ut etiam Accursius adnotavit: et sic etiam legendum est in *l. pen. inf. de naufragiis.* dandæ sunt igitur dilationes pro tribunali, non decernendæ passim, et secundum modum præscriptum orationis D. Marci, sive Senatusconsulto, de quo in *l. Oratione. D. de feriis.* Et modus hic fere est, ut si petantur dilationes intra eam provinciam, vel ex ea provincia, ubi lis agitur, testium evocandorum, vel instrumentorum perquirendorum gratia, breviores sint, quam si petantur ex continentibus provinciis, et rursus ex continentibus provinciis breviores, quam ex transmarinis, *l.* 1. et *ult. h. t. Nov.* 69. *l.* 13. *C. Th. de jure fisci, l.* 27. *C. Th. de pet. et ultro dat. l.* 41. et 64. *C. Th. de appellat.* ubi fit semper hæc triplex locorum distinctio. Et nota maxime ex *l.* 5. *h. t.* in consistorio principis dilationes nunquam dari: quoniam nulla causa debet perferri ad principem, quæ indigeat instructione: non debent litigatores ad eum venire imparati ne sint ei molesti, *l.* 1. §. *Sed nec. inf. de relationib.* dilationes dantur impune instruendi causa: et ita apud Julianum Imperatorem, ut Suidas in Juliano scribit, dilationes nullæ erant, et suspecta ei erat diei procrastinatio, et petitio dilationis, ἀναβολὴ οὐκ ἔστιν ἐν ταῖς δίκαις. Est etiam alius casus, quo dilationes actori non dantur, reo quidem dantur, scilicet si actor reum trahat ad incongruum et incompetentem judicem, *l.* 2. *hoc tit.* ad extraordinarium judicem, ut sit, puta ex rescripto principis, *l.* 1. §. 10. *C. de relat.* Hinc multæ sunt dilationes rei instruendæ gratia. Reo dantur dilationes, quia fere semper eum actores deprehendunt imparatum.

Ad Tit. XII. De Feriis.

Ut intra tempora datæ dilationis cessant penitus judicia in ea re quam distulit judex, *l.* 3. *sup. de dilation.* ita et intra tempora feriarum: nam et feriæ nihil aliud sunt, quam dilationes judiciorum omnium, ut Cic. ait 2. de legibus: dies quieti e judiciis: quod et in feriis impetrandis olim nominatim adjiciebatur, ut jurgiis et litibus abstinerent, ut scribit Cicero 1. de divinat. Porro ex his feriis aliæ sunt solemnes, ut dies, qui sunt dedicati cultui divino, et menses atque vindemiæ, quibus *l.* 6. *hoc tit.* deputat duos menses æstivis fervoribus mitigandis: et autumni fœtibus decerpendis. Ita legendum est, ut in illo Asclepiadis versu.

. . . . Autumnali redolet vindemia fetu.

Et ait *d. l.* 6. (nam *l.* 2. *hujus tit.* est spuria penitus, itaque, quæ vulgo erat secunda, est sexta,) *indulgentior annus:* dixit indulgentiorem annum, quasi genialem, et pigrum, ut Papinius lib. 4. qui locus valde pertinet ad hunc tit.

Certe jam Latii non miscent jurgia lites,
Et pacem piger annus habet, messesque reversæ
Dimisere forum, nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, pacemque rogant, miste clientes!
Cessat centeni moderatrix judicis hasta.

Aliæ autem sunt feriæ repentinæ, ut ob res prospere gestas adversus hostem, vel in honorem Imperatoris, quæ a solo Imperatore indicebantur: et ob id imperiales in *l.* 3. *hoc tit.* dicuntur, mutato veteri nomine imperativarum, quæ a Prætoribus, aut Consulibus imperabantur, *l. Sed etsi. §. Si feriæ. sup. ex quibus caus. major.* Videntur etiam, quæ Senatui dantur feriæ, esse imperiales nam Theodosius Imperator in *Nov. ne decuriones ad Senatoriam dignitatem adspirent,* scribens ad Senatum: *Orio,* inquit, *feriatos quodam tempore patimur, ne labores videamur fatigati continuo.* Initio dixi, ferias esse dilationes judiciorum, et id non male: nam et d. lex 5. ait, jure differri, et veteres dicebant res proferri. Lucanus ad Pisonem.

. . . . si quando judice fesso
Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus.

Et Porphyrius in Horatium: *Solent principes civitatum, negotiorum dijudicatis juribus, vel prolatis rebus, otiosa mente urbem relinquere.* Horatius dixit, *omissis rebus.* Seneca de vitæ brevitate: *Dicitur talo foro patronus, quando res proferrantur?* Et hoc valde facit ad confirmandam vicinitatem horum titulorum de dilationibus et feriis: nam et feriæ dilationes sunt: scilicet dilationes omnium judiciorum litium, sive jurgiorum. Dilationes, de quibus superiori titulo agitur, sunt unius litis, unius judicii tantum: vicinitas horum titulorum confirmatur magis in Dig. ubi est idem titulus de feriis et dilationibus. Et confirmantur ea quæ habentur in *l.* 3. *sup. tit. prox.* ferias computari temporibus concessarum dilationum, quod est notandum: *les Festes sont comptez au terme de dilation:* idemque valet in appellationum temporibus, *l.* 1. *hoc tit.* Illud ad extremum admonendi estis, deesse huic tit. legem penultimam, non antepenultimam, ut quidam volunt et constitutionem eam, quæ deest, non esse Epitomen, ut Ant. Aug. et alii quidam putant, *l.* 3. *sup. de Episc. aud.* licet in ea lege idem prorsus contineatur, quod in hac l. penultima: nam lex pen. non est eorundem Imperatorum, quorum est *d. lex* 3. cum *l. Provinciarum.* sit Honorii et Theodosii: et diligenter in Cod. servatur series Imperatorum, prout regnarunt. Brevis autem est sententia utriusque legis, ut die Paschali Resurrectionis Domini nostri laxentur carceres, solvantur vincula reorum, etiam sine speciali mandato principis, excepto reo læsæ Majestatis, adultero, raptore, venefico, parricida, exceptis maximis reis, et infandis: qua de re etiam est indulgentia elegantissima in fine lib 11. Cassiodori, qua ipse nisi, cum esset præfectus prætorio, jubet solvi reorum vincula ipso sacratissimo die

Ad Tit. XIII. De jurisdictione omnium judicum, et foro competenti.

Quia ante litem contestatam, vel tempore litis contestandæ, est opponenda præscriptio fori, *l.* 4. *hoc tit. l. ult. inf. de exception.* ideo titulo de litis contestatione non longe subjicitur titulus de jurisdictione, eadem fini, qua de foro competenti, scilicet, ut sentur cujus

ait ea de re, de qua agitur, jurisdictio, id est, quis sit judex competens. Et longe alio fini, quam in Digest. in quibus tit. de jurisdict. non tractat hac de re, quis sit competens, vel incompetens judex, sed in eo hæc præcipue tractantur, quæ sint jurisdictionis, quæque possint mandata jurisdictione transire ad alterum: et quemadmodum contempta jurisdictio vindicetur edicto prætoris: et quod habuimus jam tit. sup. ne quis sibi jus dicat, et de modo ac finibus jurisdictionis, et aliquid etiam de officio judicis, *l. 1.* quod sane latius patet, quam jurisdictio, nam officium judicis complectitur etiam ea, in quibus nulla jurisdictio consistit: et quæ non sunt jurisdictionis, id est, quæ non competunt jure magistratus, sed lege specialiter dantur. De *foro* autem competenti in Dig. est secunda pars tituli de judiciis, ubi quisque agere, et convenire debeat, non tit. de jurisdictione. Porro jurisdictio, et forum est solius magistratus: judices enim dati nec forum, nec jurisdictionem habent. Jurisdictio igitur est notio, quæ jure magistratus competit. Notio comprehendit nudam cognitionem, quam solam habent judices dati in speciem alicujus litis, *l. Ait prætor. D. de re judic. l. Nominis appell. D. de verb. signif.* hæc autem est jurisdictionis ordinariæ definitio: nam extraordinariam jurisdictionem habent etiam, qui proprie non sunt magistratus qui scilicet extraordinaria jus dicunt, ut præfecti annonæ, et præfecti vigilum, *l. 2. §. Sane præfectus. D. de orig. juris, l. 7. in fin. D. de offic. procons.* Sed si velis comprehendere tam extraordinariam, quam ordinariam jurisdictionem, ita licet definire. Jurisdictio est notio quæ jure magistratus, vel ex mandato magistratus competit, vel extraordinem: forum autem est locus publicus in quo magistratus jus dicit, vel judicat. Itaque constitutione *l. 2. supra, de pedan. judic.* judicat hodie magistratus, et forum agit de omnibus causis, nec nisi perraro judices dat: nec etiam improbes, quod Isidorus dixit forum, definiens esse locum exercendarum litium. nam et Marius Victorinus: *forum*, inquit, *status tam in foro, quam in navi, et torculari:* et Lucilius apud Nonium, *Romanis ludis forum olim ornatus lucernis*, et Pomponius Atellanarius: *balneu, forus, macellus, fana, portus, porticus.* Competens autem forum, id est, congruum, ubi conveniri debet reus, cujus utique semper forum sequi debet actor, et in civili, et in criminali judicio, sive negotio, *l. 2.* et fi. *h. t.* et in actione in rem, et in personam, *l. ult. tu ubi in rem actio*, puta ubi reus domicilium habet. vel ubi tempore contractus habuit, *l. 2. hoc tit.* ubi est forum competens rei, quod sequi convenit actorem, etsi id actori non sit forum competens. Et huic contrarium est forum incompetens, vel incongruum et alienum: et similiter judex, vel est competens, vel incompetens, vel incongruus, *l. 1. hoc tit.* et in Novel. Martiani, *neminem exhiberi de provincia ad comitatum.* Et notandum, eum, qui est judex incompetens, aliquando fieri competentem litis contestatione, *l. 4. h. t.* vel ex consensu partium, si partes se subjiciant ejus jurisdictioni, et consentiant, *l. 1. h. tit. l. Est receptum. D. eod. l. 1. D. de jud. l. Ille a quo §. pen. D. ad Treb. l. Inter. ad municipalem.* Dico jurisdictioni: nam non habenti jurisditionem privato homini, qui se subjiciunt, nihil agunt, et ut ait *lex 3. h. t. privatorum consensus, judicem non facit eum, qui nulli præest judicio, nec quod is statuit, rei judicatæ continet auctoritatem*, id est, quod tunc statuit is, quem partes sumpserunt ex compromisso, nullam habet auctoritatem rei judicatæ: neque ex eo nascitur actio, vel exceptio judicati, *l. 2. D. de recept. arb.* sed metu pœnæ deductæ in compromissum, arbitro plerumque obtemperant, non autem judicanti. Fit etiam incompetens, competens ex rescripto principis, si judicare jubeatur extra ordinem inter aliquos, ut ait Paulus V. Sentent. Res judicatæ videntur etiam ab iis, qui a principe extra ordinem petuntur. Opus est peti a principe, ut ejus rescripto judicatum suscipere: alioqui, quod statuerit, ipso jure nullum est, quasi pronunciatum a judice non competente, *l. ult. inf. si a non compet. judic.* imo etiam si actor sine rescripto principis reum invitum pertraxerit ad forum incompetens, fretus fortasse executione militari, qua imminente litem cum reo sit contestatus, post quam contestationem non est jus revocandi forum, quia præscriptio fori sero opponitur post litem contestatam: hoc, inquam, casu actor causa cadit, et reus, si ad forum incompetens sine rescripto principis actorem compulerit, et ita accipienda *l. 5. hujus tit.* valde singularis, alioquin impune vocat quis reum in forum incompetens, si absit dolus malus, si vis, si metus, ignarus competentis fori, vel vocationem reus contemnere debet: etsi ad judicem incompetentem vocetur, sed sequi vocantem debet, ut vel opponat præscriptionem fori, de qua statuet is, ad quem vocatus fuerit, *l. 2. D. si quis in jus voc. non ierit*, quam i. consulatis rogo.

Ad Tit. XIV. Quando Imperator inter pupillos, vel viduas, vel alias miserabiles personas cognoscat, et ne exhibeantur.

In hoc tit. ponitur specialis casus, quo neque ex rescripto principis poteat quis trahi a foro competenti ad forum incompetens. Hoc constituitur in hoc tit. ut pupilli, viduæ, perpetuoque morbo laborantes ex rescripto principis ad comitatum non exhibeantur: et comitatus est in hac constitutione, ut alibi sæpe, ubi est princeps *l. 2. § Ignom. de iis, qui not. infa. l. Milites. §. Ignomin. D. de re milit.* sicut Herod. dixit Romam esse, ubi esset imperator, et miserabiles personas dicit non pupillos, non viduas, sed debiles, et eos, qui morbo sontico laborant, et miserabiles: nam miseros dicimus semper in malo, ut Græci dicunt, μιαρόν, et μιαρόν: et inde Hieronymus in Jovinianum: *miseræ potius, quam miserabiles.* Contra tamen ostenditur in hoc tit. iis personis licere adversarios suos impetrato rescripto evocare in aulam principis, licet ipsæ non possint evocari. De hac re invenies exemplum lib. 4. Var. Cassiod. et in Epistol. Innocenti. Et hoc quidem solo casu Imperator cognoscit inter eas personas, videlicet si hoc ipsæmet personæ impetraverint, non si quis id impetrarit adversus eas, rescripto scilicet elicito a principe: nam ex appellatione princeps indistincte cognoscit inter eas personas. Additur ex Nov. Martiani, neminem exhibere licere ex provincia, non dico pupillum, aut viduam, aut miserabilem personam, sed generaliter nemo de suo foro exhiberi potest ad comitatum. Quod observari esse æquissimum est, et non observari iniquissimum est, si quæ ætas ferat judices probos et religiosissimos juris, alioquin ultima necessitas, et infelicitas ætatis nos cogit a principe extraordinariam cognitionem poscere. Et sane quod hoc tit. excipiuntur tantum quædam personæ, ex eo apparet non probari Nov. Martiani: alias enim ex rescripto principis posse e suo foro perduci ad comitatum.

Ad Tit. XV. Ubi de criminibus agi oporteat.

Sunt etiam sequentes tit. usque ad 26. de foro competenti: nam per singulos causas sive species explicatur, quod in quaque causa sit *forum*, judiciumve competens. Ac primum hoc tit. si causa criminalis sit, ostenditur, forum esse competens ubi reus crimen commisit: et hoc est, quod dicitur ratione contractus nos sortiri forum, contractus nomine comprehenso, et delicto ex obligationis vi, juxta *l. Omnem. D. de jud.* Ergo reus criminis ibi potest conveniri ubi crimen admisit, et nominatim constituit, et id observatur in militibus, qui arguuntur fecisse superexactionem, vel concussionem, *l. 2. inf. tit. 23.* Item in clarissimis personis si rei criminis postulentur, *l. 1. tit. 24.* Item et in hominibus divinæ domus, puta actoribus, vel colonis, vel proceribus, et in Cæsarianis, *l. 8. 9. 10. tit. 26.* Cæsarianis, *Sergens.* In causa igitur criminali forum competens est locus ubi crimen admissum est. Potest esse forum competens pluribus locis: nam et in hac causa forum competens est ubi de crimine jam contestata lis est: nam post litem contestatam non est jus revocandi domum. Et hoc significat *l. 1. h. tit.* his verbis, *ubi commissa sunt, vel inchoantur*, non inchoantur, nisi post litis contestationem, ubi igitur sunt contestatæ eo peragendæ sunt: litis contestatio forum, quod erat incompetens facit competens. In hac etiam causa forum est competens, ubi reus domicilium habet, *v. tit. 23.*

Ad Tit. XVI. Ubi de possessione agi oportet.

Constitutio hujus tituli est etiam de causa criminali, et de causa possessionis, de causa momenti: nam si quis per vim dejectus est possessione prædii, erit et de vi actio, quæ erit criminalis ex lege Julia, ubi vis facta est, et ubi postulatur interdictum unde vi, id est, ubi postulatur momentanea rei possessio, ut loquitur *lex 8. inf. unde vi.* id est, momentaria reformatio possessionis, quam nec appellatio, nec contestatio revocare, aut inhibere possit. Item agitur de vi civiliter, aut criminaliter interdicto momenti ubi vis facta est, et consequenter ubi est res, quæ pervasa est.

Ad Tit. XVII. Ubi fideicommissum. etc.

Causa fideicommissi, videlicet si petetur res per fideicommissum relicta, vel si petatur cautio præstandi fideicommissi, ea causa disceptatur, ubi est hæreditas, aut ejus pars major, vel ubi hæres, vel ubi fiduciarius Trebellianus domicilium habet: etsi ibi non sit res debita ex fideicommisso, cujus restitutio, et cautio fiet secundum id quod est proditum in *l. 10.* et *l. seq. D. de rei vindic.* vel etiam disceptatur causa fideicommissi, ubi est res ea quæ relicta est per fideicommissum, vel ubi non habeat domicilium hæres. Et dici potest etiam de legato, quod de fideicommisso: nam et hoc loco legatum etiam intelligimus, et de credito hæreditario. Idem etiam dici potest, ut ibi petatur, ubi major est pars hæreditatis, vel ubi hæres domicilium habet.

Ad Tit. XVIII. Ubi conveniatur qui certo, etc.

Quod certo loco dari oportet, puta Romæ, non tantum recte petitur Romæ, sed etiam alio loco, citra periculum plus petitionis: non tamen pure potest peti, sed cum commemoratione, sive mentione ejus loci, in quo dari oportet, et ideo appellatur hæc actio arbitraria, quia in ea arbitrio judicis æstimatur quanti interest actoris suo loco pecuniam solvi, si per reum mora fuerit, quo minus suo loco pecuniam solveret, *l. Centum Capuæ*, et *l. ult. D. de eo quod certo loco:* vel etiam judex æstimat quanti intersit rei suo loco solvi pecuniam, non alio: si per reum mora non fuerit, vel si per actorem mora fuerit, quo minus suo loco oblatam pecuniam acciperet, *l. un. in princ. hoc tit.* et *l. 2. in princ.* et *§. ult. D. eod.* Denique, ut ait constitutio hujus tit. in ea actione venit æstimatio ejus, quod alterutrius interest, id est, actoris, aut rei, at vero raro in hoc judicium venire potest ut utriusque intersit. Recte igitur ait constitutio, *alterutrius*, non utriusque.

Ad Tit. XIX. Ubi in rem actio, etc.

Rei vindicatione agitur adversus possessorem in *l. 1. sup. de al. jud. mut.* Possessio, inquit, in rem actionem parit adversario, id est, actori, hoc est certissimum: sed quæritur, quod sit forum competens intendendæ rei vindicationis, ubi scilicet domicilium habet possessor, vel ubi sita est res, de qua agitur, *l. 10. D. de rei vindicat.* et

quod notandum est ex hujus tituli l. 2. forum possessoris sequitur dominus possessionis, ut si absit dominus, et insideat rei actor, vel procurator, vel colonus, hic sequitur forum domini sui, et latius *d. l. 2.* explicatur in Nov. 69. Auctor quoque, id est, *le garant,* sequitur forum emptoris, si velit evictionis nomine rem defendere: nam cum sit emptori controversia, cum ei movetur lis ejus rei nomine, solet laudare auctorem, et ei denuntiare, ut adsit rei defendendæ causa. Quid fiet si venditor dicat se habere fori privilegium, an poterit revocare ad suum judicem ab eo judice, apud quem lis incepta est inter extraneum, et emptorem? et definitur in *l. Venditor. D. de judic.* et l. 1. *hujus tit.* venditorem sequi forum emptoris: sed nostri circumforanei excipiunt unum casum non sine ratione, *si ce n'est d'autant, qu'on le tire hors du Royaume, comme si le procès est intenté en Espagne.*

Ad Tit. XX. Ubi de hæreditate agatur, vel ubi hæredes scripti in possessionem mitti postulare debeant.

Simili modo in hoc titulo ostenditur, petitione hæreditatis, quæ vindicatio est, non specialis in rem actio, sed universalis, agi adversus eum, qui possidet rem pro hærede, aut pro possessore ubi is possessor domicilium habet, *l. Si ususfr. §. ult. D. de inoffic. testam.* vel simili modo ubi sunt res hæreditariæ, de quibus agitur, si ibi reperiatur possessor, ut significat, *l. un. hujus tit.* nam et hac actione agitur in eum, qui unam rem hæreditariam possidet, licet minimam, l. *Licet. D. de petit. hæredit.* et eodem modo hæres scriptus, ut ostenditur hoc titulo, cum fit controversia hæreditatis, ibi se desiderat mitti in possessionem rerum hæreditariarum ex edicto D. Adriani, vel hodie ex edicto Justiniani in l. *ult. de edicto Divi Adriani:* hæres, inquam, hoc postulat ubi sunt res hæreditariæ, interim salva petitione hæreditatis, se mitti in possessionem ex tabulis, quas profert, dum agitur de petitione hæreditatis, et quæritur ad quem potius pertineat cognitio: igitur est ejusdem præsidis, qui regit provinciam, in qua sitæ sunt res hæreditariæ, aut major pars: nam etsi de possessione ipsa agatur, ex interdicto uti possidetis, ejus notio est, qui eam provinciam regit, in qua sunt res hæreditariæ, quoties disceptatur de possessione hæreditatis, et uterque contendit se esse possessorem, *l. 2. inf. de interdict.* quæ omnino conjungenda est cum constitutione hujus tituli, et ex illa legendum potius in inscriptione hujus constitutionis *Messiæ*, quam *Messalæ*.

Ad Tit. XXI. Ubi de ratiociniis tam publicis, quam privatis agi oporteat.

Actione tutelæ, et negotiorum gestorum, et mandati, et pro socio plerumque agendum, ut reddatur ratio administrationis: plerumque agendum de calculis: ubi igitur de ratiociniis agi oportet, id est, ubi agi oportet de actione mandati, vel negotiorum gestorum, vel tutelæ, vel pro socio, vel etiam actione in factum ex edicto de edendo in argentarium: nam in his omnibus actionibus plerumque agi solet de ratiociniis, et recte de actionibus tutelæ Fabius lib. 7. instit. *tutelæ, in quo judicio solet quæri, an alia de re, quam de calculis quæri oporteat:* et definitur hoc titulo, ibi reddendas esse rationes, ubi negotia gesta sunt: quod ibi scilicet facilius pateat instructio rei, pateant notiora testimonia, et veriora documenta, ubi administratio gesta est, l. 2. *in fi. h. tit.* idemque est si rationes militares desiderentur ab eo, qui, exempli gratia, fuerit Tribunus militum, vel quo alio numero militari in militia, ratiociniis obstrictus functus fuerit: nam hic etiam deposita militia, ejus quod gessit in militia rationem reddit apud judicem militarem, veluti apud magistrum militum. Et eleganter Theodosius in Nov. 2. veteres leges specialiter fori præscriptionibus, et contractus, et negotia gesta, et delicta subirahore, nec pati aliquem, qui quid in qualibet provincia criminale commiserit, vel qui alicubi contraxerit, vel qui in quodam loco negotia gesserit aliena eis se posse præscriptionibus defendere. Denique recte convenitur quis ubi contraxit ubi deliquit, ubi negotia gessit aliena, nec habet jus revocandi domicilium, nec habet privilegium fori, et pars ejus est in *l. 2. inf. tit.* 23.

Ad Tit. XXII. Ubi causa status agi, etc.

Status hominis est conditio libertatis, vel servitutis, et conditio libertatis, quæ et status capitis dicitur, vel libertinitatis, vel ingenuitatis: eæ autem de statu actiones præjudiciales sunt quasi majores, et quæ præjudicium afferant sequentibus, quas actor intendit in foro rei, id est, ubi reus domicilium habet, vel ubi consistit, et degit. Reus autem est in causa status is, qui ex libertate in servitutem, vel ex ingenuitate in libertinitatem petitur: idemque reus est dominus aut patronus, adversus quem proclamatio fit ex servitute in libertatem, vel ex libertinitate in ingenuitatem: et actor, ut dixi, sequitur forum rei, neque vero alius locus est, quo agi possit causa status, neque notio est aliorum, quam præsidum in provinciis, vel procuratorum Cæsaris si agatur de libertate, vel servitute inter fiscum, et privatos, ut *l. pen. hoc tit.* notio est prætorum, qui de liberalibus cognoscunt, vel etiam consulum in urbe: nam causa status exigit maximos judices, *l. ult. h. tit.* atque ideo non potest delegari, nec de ea etiam cum effectu arbiter adiri ex compromisso: imo nec olim præsides provinciarum potuerunt cognoscere de causa status, ut constat, ex Plinii Junioris Epistola ad Trajanum, de assertione ingenuorum: nisi haberent jus prætorium: quod præsidibus nominatim dabatur missis in provinciam cum jure prætorio, vel nisi haberent jus proconsulare: nam proconsules, qui sunt majores, quam præsides, nempe spectabiles, potuerunt de causa status cognoscere. Et ita secundum jus vetus in *l. 1. sup. de ord. judic.* quæ est Severi et Antonini, de statu cognitio non est præsidis, quam tamen constat hodie esse indistincte præsidis ex multis constitutionibus. Et ut congruant omnes constitutiones invicem, quæ mens fuit Justiniani, convenientem casum, *l. pen. hujus tit.* accommodanda est ad eam l. 1. ut ibidem dixi: non est omittendum in *l. ult. h. tit.* non servari præscriptionem quinquennii hodie, qua excludebatur cognitio status sine rescripto principis: nec enim post quinquennium quam judicatum esset de statu et manumissione ex Nov. Justiniani licet facere controversiam status sine speciali rescripto principis, sublata illa præscriptione quinquennii in l. *ult. hujus tit.*

Ad Tit. XXIII. Ubi quis de Curiali, etc.

Sunt etiam quasi præjudiciales, et quasi de statu actiones quibus quæritur decurio quis sit nec ne, an sit curiæ muneribus obligatus, an agricola censitus, in censibus descriptus, an sit ex cohorte Præsidis, aut ex corpore naviculariorum, aut pistorum, aut suariorum, aut ex alio corpore: et ad summam, an sit conditionarius, id est, adstrictus conditioni certæ, quæ omnes causæ pertinent ad cognitionem præsidis ejus provinciæ, in qua is qui curiæ vindicatur, aut cohorti, aut alii conditioni deprehensus fuerit: nam videtur esse fugitivus, sive refuga suæ conditionis, suique oneris, et ibi vindicatur ubi deprehenditur, *l. 1. hoc tit.* Hoc etiam de criminosis quibuslibet evidenter tentari potest ex *l. 1. sup. ubi de criminibus*, ut possit in reum criminis lege agi, ubi deprehenditur, etiamsi certum domicilium habeat, quo jure utimur: nisi scilicet malit actor eum remitti in eum locum unde quasi fugitivus recessit, l. 1. *sup. titulo ubi causa status:* neque vero sub specie alterius militiæ, quam armatæ, conditionario vel debitori publico licet revocare ad suum judicem, non sub specie apparitionis magistri militum supra numerum, id est, si sit supernumerarius apparitor, non poterit revocari ad forum magistri militum, ut ostenditur in Novella Theodosii 4. *de omnium tit. fori præscriptione:* et multo minus sub specie apparitionis magistri officiorum: qua de re tractatur proprio tit. 25. Dixi supra, ex cohorte præsidis, significans conditionem cohortalem: sunt enim cohortales in jure officia, sive apparitiones præsidum. Et erant certi homines cum progenie sua huic cohortali conditioni obnoxii, ut apparerent præsulibus provinciarum, quicunque mitterentur: nam erant perpetui in provincia, nec ducebantur a præside, ut Tullius ad Quintum fratrem: *quos ex necessariis cohortibus tecum esse voluisti*, qui quasi ex cohorte prætoria sunt.

Ad Tit. XXIV. Ubi Senatores vel Clarissimi etc.

Clarissimorum appellatio est latior, quam senatorum: nam et uxores et senatorum liberi sunt clarissimi: et senatores quidem sunt celsiores clarissimis, veluti illustres, aut spectabiles. Quæritur, ubi sunt hæ personæ conveniendæ? et hoc ostenditur, senatores et clarissimos in urbe esse conveniendos civiliter apud præfectum prætorio, vel præfectum urbi, vel magistrum officiorum, *l. 2. hoc t.* Fuit etiam alia quæstio Theodosii, ut Symmachus refert in epistolis, quæ senatorum controversias transferri e foro præfecturæ urbanæ ad peregrina vetaret. In provinciis autem civiliter conveniuntur jure communi apud præsides ejus provinciæ in qua domicilium habent, l. 3. et *l. ult. sup. ubi causa status.* Et recte Cassiodorus in formula Rectoris provinciæ: *Tu etiam senatorem ibidem residentem juberis audire:* et etiam hodie criminaliter conveniuntur apud præsidem hujus provinciæ in qua deliquerunt; qui tamen olim remittendi ad præfectum urbi ex *l. 3. C. Th. de accusat.* Excepto uno casu constitutione Claudii si senator vir clarissimus alienas susceperit actiones agendas quasi suas, in *l. 1. sup. ne liceat potent. patrocin.* illustres enim senatores hac in re separantur a clarissimis: nam illustres senatores, qui recensentur in *l. 1. hoc tit.* non possunt criminaliter conveniri, nisi in consistorio principis: Quod etiam omnibus aliis senatoribus quosdam Imperatores detulisse Dio scribit, atque etiam Spartianus.

Ad Tit. XXV. In quibus causis militantes, etc.

Militantes in hoc titulo non dicuntur armati milites, et tribuni numerorum: nam semper utuntur privilegio sui fori, et litem possunt revocare ad magistrum militum, *l. 2. sup. tit.* 23. dicuntur scholares, qui sunt sub magistro officiorum taxati in 11. scholas, ut ait *l. ult. inf. de loc.* supernumerarii milites de quibus est titulus *de privilegiis scholarium lib.* 12. veluti agentes in rebus, qui et dicuntur magisteriani, quod obsequuntur magistro officiorum, et domestici protectores: hi habent quidem privilegium fori, et suum proprium judicem: sed eo privilegio non utuntur casibus in hoc titulo propositis, id est, si conveniantur non apud magistrum officiorum, sed apud præsidem provinciæ, qui eorum alias non est judex competens ex causa debitorum, aut munerum publicorum: nam ex hac causa possunt a præside conveniri nec litem ad suum judicem possunt revocare. Idem erit si obnoxii dicantur curiæ, vel alii corpori, aut cohorti, si dicantur aliquid abstulisse per superexactionem, vel concussionem, *l. 1. et 2. sup. tit.* 23. quæ etiam poni potuissent sub hoc tit. nam casus exprimunt quosdam, quibus militantes non utuntur sui fori præscriptione: nam præscribunt judicio alieno, et plerumque judicio fori incompetenti, et sane etiam l. 2. *tit.* 23. in *C. Th.* ponitur

sob tit. *de amota militum fori præscriptione.* Item si sint condoctores prædiorum alienorum, quacumque ex causa conveniuntur recte apud publicum judicem, id est, præsidem provinciæ, nec possunt uti privilegio sui fori. Dico militantes de quibus agitur hoc tit. id est, scholares, qui conductores sunt alienorum prædiorum: nam soli armati milites conductores esse prohibentur, *l. Milites inf. de re milit.* possunt conveniri apud rectorem provinciæ, nec fori præscriptione potuerunt uti. Item amittunt milites scholares fori privilegium, si negotiationem exercenet in provincia: nam tunc eo privilegio militiæ sunt indigni. Et hoc utiquo verum est, etsi obtinuerint a principe negotiandi licentiam: ut in fi. l. ait: *militandi, vel negotiandi*, legendum est *et*, non *vel*, regulariter non potest quis esse miles et mercator, *l. 1. inf. lib. 12. negotiat. ne milit.* sed si quis forte ioveniatur negotiationem exercere, et se etiam militiæ dignitate afferre, licet ei negotiationem permiserit princeps, conventus etiam ex privato debito poterit apud præsidem provinciæ conveniri, nec potest revocare litem ad suum judicem: idemque erit si militantes suis compendiis, suisque privatis negotiis dent operam in provincia, sine commeatus beneficio, non utuntur privilegio fori. Et breviter hæ sunt causæ in quibus militantes non utuntur præscriptione fori. Notandum in contexto hujus Constitutionis, ibi, *et qui per provincias acciuntur*, esse legendum, *negotiantur*, non, *vocantur*, aut *utuntur*: nam tres casus notantur, qui student rerum suarum administrationi, et qui negotiantur, et qui conducunt aliena prædia: et ita perspicue ta Basilicis distinguuntur, et ad hos, qui negotiantur pertinet ultime pars constitutionis, dum ait: *cui meruerunt mercandi licentiam.*

Ad Tit. XXVI. Ubi causæ fiscales, vel divinæ domus, etc.

Causæ fiscales sunt in quibus agitur de bonis fisco delatis, id est, de caducis, vel de pœna pecuniaria inferenda fisco, vel de eo, quod debetur fisco ex contractu: videtur etiam quodam modo esse causa fiscalis in specie *l. 4. hoc tit.* qua is, qui emit a fisco mandatu Titii, cum Titio agit de pretio, et usuris, quæ fisco solvendæ sunt. Hæ causæ fiscales disceptantur apud Cæsaris procuratorem, vel rationalem rei privatæ Cæsaris, rationalem summæ rei, ut est in inscriptione *l. 7.* et in *l. 3. inf. si propter public. pensitat.* et apud Euseb. ὁ τοῦ μεγίστου πράγματος προστατεύων. Atque etiam in veteri inscriptione: *pi ssimo atque fortissimo fundatori pacis, ac publicæ libertatis auctori d. No. Flo. Valer. Constantino M. Cæsari, Valerius Honoratus vir perfectissimus rationalis summæ rei, devotus mihi Marius Messala p.* Et quidem causæ civiles apud hos disceptantur, non criminales: nam de criminibus non cognoscunt, sed de iis, quæ fisco competunt, et debentur, sed præses, qui habet merum imperium, id est, jus irrogandæ mortis, vel pœnæ: igitur non habent merum imperium, nisi fungantur vice præsidum. Et Pontius Pilatus erat procurator Cæsaris in Syria, cum jure præsidiali, *l. 3. hoc tit. l. 1. sup. de p dan. judicib. l. 2. inf. de pœnis, l. 3. inf. ad leg. Fab. de plag.* et *l. ult. D. de offic. procurat. Cæs.* procurator igitur non cognoscit de causa curiali, sed de criminibus, et pœnis. Igitur apud præsidem provinciæ, cui, ut ait *l. 1.* convictis pœnam irrogare licet, id est, quibus est merum imperium, quod scilicet est jus irrogandæ pœnæ criminibus, et jus dandæ pœnæ legitimæ: et comprehendit omne genus pœnæ legitimæ: non jus gladii tantum. Et verissimum est in *l. Imper. D. de jurisdict.* imperium, et jurisdictionem per exempla tantum definiri merum et mixtum jurisdictionis imperium: merum, id est, sine jurisdictione, quod non competit jure magistratus sed jure dato nominatim ad certum aliquem modum finemque: puta, ut sit irrogandæ illius pœnæ, et non illius: vel plenissime, ut jus sit irrogandæ omnis pœnæ. Denique in ea lege per exempla tantum definitur imperium, quod secretum separatumque est a jurisdictione, id est merum, et id etiam, quod inhæret immixtumque est jurisdictioni. Ergo præses tantum cognoscit de criminibus, et criminis pœnis: de bonis autem fisco vindicandis civiliter cognoscit procurator Cæsaris. Et evidens est in *l. 3. hoc tit.* sic esse legendum procurator Cæsaris *sicut exigere pœnam desertæ occupationis*, scilicet irrogatum a præside, *potest ita judicare*, ut ea *inferatur, sententia sua non potest.* Denique jus habet exigendæ pœnæ, quam præses irrogavit, non etiam judicandæ: et ideo in *l. 3.* legendum est, affirmative, *sicut exigere potest.* Quo in re laborat Accurs. Hæc de causis fiscalibus, verum titulus est etiam de causis divinæ domus: a fisco separatur divina domus, id est, principis quæ dicitur ratio Cæsaris in *l. 6. §. ult. D. de jure fisci: quod privilegium habet fiscus*, inquit, *idem habet ratio Cæsaris et Augustæ:* nam Augosta iisdem privilegiis utitur quibus Augustus, *l. Princeps. D. de legib.* Ratio Cæsaris, id est, ut Græci interpretentur domus Cæsaris: sicut domus divinæ, quæ pertinent ad rem privatam, vel sacrum patrimonium principis, et ad prædia Tamiaca, id est, quæ erant proprio deputata cubiculo, et cellario, et penui principis, et erant in Cappadocia, ut ostendit *l. 3. inf. de palatin. sacrar. largit.* et Græci explicant recte infra ad *l. t. D. ad leg. Juliam repetund.* et interpres Juliani Antecessoris in Nov. 30. quæ prædia erant sub cura comitis domorum, et potissimum sub cura præpositi sacri cubiculi. Et inde in notitia Romani imperii sub dispositione viri illustris præpositi sacri cubiculi ponitur domus divina per Cappadociam. Agitur autem causa domus divinæ apud procuratores, sive rationales proprios, ut indicat ejusdem tituli constitutio. Sequuntur causæ hominum divinæ domus: homines sunt coloni, inquilini, servi, conductores, procuratores: et ii quidem homines Tamiaci, destinati scilicet prædiis Tamiacis, conveniuntur apud præpositum sacri cubiculi, et comitem domorum in omnibus causis civilibus et criminalibus, *l. ult. hujus tit.* quæ est de Tamiacis. etiam servi ita nominantur, et pertinent ad prædia Tamiaca. Igitur Tamiaca destinata penui principis patrimonialis, aut privatæ rei homines in causis civilibus apud comitem rerum privatarum: in criminalibus apud vicarium: nam in inscriptione *l. 9. hujus tit.* ita legendum est: *ad Philippum vicarium*, non virum clarissimum, vel etiam in criminalibus conveniuntur apud præsidem provinciæ, in qua crimen admiserunt, adhibito procuratore domus Augustæ: et similiter apparitores, et officiales rationalis in causis civilibus conveniuntur apud ipsum rationalem: in criminalibus, cum non habeat rationalis merum imperium, id est, judicii criminalis executionem, conveniuntur apud præsidem provinciæ.

Ad Tit. XXVII. Quando liceat unicuique, etc.

In hoc tit. ostenditur illud, quod ante dictum est, neminem sibi jus dicere, et superioribus titulis omnibus adeundum esse judicem competentem, nec quicquam sine eo audendum, vel administrandum esse. Id in hoc tit. ostenditur aliquando non observari, et nonnunquam evenire, ut nos ipsi ulciscamur, et quodammodo nobis jus dicamus adversus obsessorem viarum, id est, latronem nobis insidiantem impune occidamus in *l. 1. h. tit.* Imo in agris tantum, non in urbe impune occidimus: quomadmodum furem nocturnum, sive paganus sit, sive miles, etiamsi se telo non defendat, et ei parcere possimus sine nostræ vitæ periculo: et in agris, et in urbe, quod est ex 12. tab. sicut, et ut fur nocturnus impune possit quodammodo occidi, *l. Si pignore. §. Furem. D. de furt. l. 4. D. ad l. Aquil.* sed ut auctor est Ulpian. ea lex desiit esse in usu, obtinuitque postea ut non alias liceret nocturnum furem occidere, aut diurnum, quem si se telo defenderit et si is cui furtum fiebat, parcere ei non potuit sine vitæ suæ periculo, *d. l. Si pignore. §. Furem. D. de furt.* Quod ita obtinet in urbe, sed non in agris: nam ex hac l. t. et ex l. 12. tab. in agris nocturnus fur quoquo modo potest occidi: quia in agris major est copia grassandi, et quo major est, eo rei gravioribus coastringuntur vinculis, data ei, cui fit furtum, licentia seipsum vindicandi, et occidendi etiam manus dantem, nec resistantem. Et elegans est ratio *l. 1. melius esse in tempore occurrere, quam post exitum vindicare.* Omnes hæ definitiones sunt plerumque falsæ: *et n'en faut abuser.* Et plerumque veræ in una re tantum, falsæ in omnibus aliis, et ideo, qua mente traditæ sint, et qua specie oportet semper animadvertere. Itaque facile est respondere argumentanti ex his sententiis aliisto incommodo, aut exceptione aliqua quod ait, *melius esse etc.* Et simile est, quod ponitur in *l. ult. in quibus non est nec. rest.* melius esse jura minorum integra servari, quam post vulnus inflictum remedia quærere, quod ex Artist. 3. Politicorum videtur sumptum: et ostenditur in *l. 2. hujus tit.* unumquemque posse desertorem militiæ obsidere, et prehendere, et si se telo defenderit, occidere, ut in *l. 2. inf. de deserta militia*, et hoc quidem modo, quod est in altera parte hujus tit. vindicabit læsam majestatem, et devotionem publicam, quam scilicet lædit miles, qui alias solet appellari devotissimus, dum ab ea devotione desciscit deserta militia: et ita occisor desertoris ultor est publicæ devotionis.

Ad Tit. XXVIII. De inofficioso testamento.

Diximus supra de jure sacro, deinde de jure publico, sive de partibus juris civilis, et magistratibus et de ordino, quo agit quisque apud eos, de Advocatis, et procuratoribus alienarum litium, de restitutionibus litium, sive de restitutione in integrum, de pedaneis judicibus, et de foro competenti: ab hoc tit. De inofficioso testamento incipit tractare de diversis actionibus, causis, et litigiis, qui tractatus jus omne fere complectitur. Et recte majores nostri monuerunt diligentem nobis operam impendendam esse titulo de actionibus: quia scilicet in ambitu suo complectitur omnes, quæstiones juris. Nec mirum igitur si in ea re, et Cod. et Dig. potissimum consumantur, id est, in explicandis actionibus variis, earumque natura explicande: summa autem actionum divisio hæc est, alias esse vindicationes, sive petitiones, alias condictiones in *l. Actionum genera. D. de oblig. et action.* actiones in personam esse de obligatione, de re aut pecunia debita actori id est actiones in rem esse de proprietate et possessione, quam actor suam esse asserit, vel, ut loquitur, suam esse petit: nam et de possessione est vindicatio per interdictum uti possidetis, vel utrubi. *l. 3. §. Pomponius. D. ad exhib.* et rursus vindicationes sive petitiones alias esse de universitate rerum, veluti de hæreditate, alias de rebus singulis, specialesque vindicationes appellantur, *l. 1. D. de rei vindic.* Orditur autem a vindicationibus quæ sunt de universitate, et ab ea præcipue, quæ dicitur querela inofficiosi testamenti, et de petitione hæreditatis de inofficioso testamento, sive ex causa inofficiosi testamenti, *l. Si quis filium. hoc tit. l. 20. D. eod. l. pen. de bonor. possess. contr. tab. l. 3. inf. de pet. hæred.* quæ actio datur liberis notatis exhæredatione et remotis, lege Glicia, ut indicat inscriptio, *l. 4. D. eod.* Est igitur hæc actio non legitima, non civilis. Nec obstat *l. Non putavit. D. de bon. possess. contr. tabul.* exhæredatis non dicitur dari bonorum possessio contra tabulas sed præteritis, id est, silentio omissis, nec scilicet institutis, nec exhæredatis ut oportet: etiamsi legitime sit eis relicta præteriti etiam sunt, qui non sunt lecti in numerum hæredum, vel qui hæredum numero moti sunt nominatim per exhæredationem, etsi sit eis aliquid adscriptum: sicut apud veteres; ut refert Festus, præteriti senatores erant, qui non lecti a consulibus, sed tacite loco moti. ergo bonorum possessio contra tabulas datur liberis præteritis, non exhæredatis, et adjicit Ulp. in *l. 8. D. de bon. possess. cont. tab.* etiam exhæredatos jure civili

non turbare testamentum. Quid hoc enim est? nempe ipso jure nullum non est testamentum, in quo filius exhæredatus est: imo valet ipso jure: sed ei liberum est per querelam inofficiosi testamentum rescindere, quasi impium et inofficiosum, si modo probaverit se immerito exhæredatum atque remotum. Summa hæc est: ipso jure non rescindi testamentum in quo filius est exhæredatus: sed per querelam de inofficioso testamento, sive petitionem hær. Non separo querelam a petitione hæreditatis, nec sunt imitandi doctores, qui aliud faciunt judicium rescindens, aliud rescissorium, et judicium rescindens vocant querelam inofficiosi testamenti, quod primum rescinditur testamentum, et rescissorium judicium vocant hæreditatis petitionem quasi subsequatur rescindens judicium. Nostri auctores non faciunt differentiam inter hæc nomina, nec a rescissione separant petitionem, uno scilicet eodemque judicio, una actione et rescinditur testamentum quasi inofficiosum, et petitur hæreditas ab intestato: vel ut aliter dicam, nova ratione rescisso testamento vindicatur hæreditas ab intestato. Dices quo jure vindicat hæreditatem, qui ab ea remotus est nominatim per exhæredationem, nec est ut muniat se prius jure aliquo aut ut colorem quemdam juris ledoat: nam si non sit ex suis hæredibus, ordinandi et excitandi judicii de inofficioso testamento gratia, necesse est prius eum, qui queritur vel acturus est de inofficioso testamento, veluti ab intestato sibi delatam hæreditatem adire, vel bonorum possessionem agnoscere ab intestato unde liberi, vel unde legitimi, vel unde cognati. *l. 6.* et 7. *l. Papinianus.* §. 2. *D. eod.* In suis hæredibus non est necessaria aditio, aut bonorum possessio, quoniam ipso jure hæredes sunt, *d. l. 7.* et *l. In suis. D. de suis et leg. l. pen. §. pen. D. de bonis lib.* sui igitur hæredes, qui exhæredati sunt, ipso jure filii, vel alii liberi, non hæredes facti aditione hæreditatis, vel bonorum possessione, perveniunt ad possessionem hæreditatis de inofficioso testamento, allegantes se immerito exhæredatos esse: quæ allegatio competit non tantum liberis, sed et parentibus exhæredatis, et fratribus germanis, si turpes personæ scriptæ sunt, veluti mimi, aut histriones, aut arenarii: alioqui frater non potest queri de inofficioso testamento fratris *l. Fratres. hoc tit.* Alii autem cognati nullo modo possunt queri, si sint exhæredati, vel quod idem est si sint præteriti: nam præteritio harum personarum censetur pro exhæredatione. Ii igitur quibus competit querela, ad eam perveniunt, eamque persequuntur, et si forte non vicerint querela, aditio illa, aut bonorum possessio quam petierunt et agnoverunt, sine re, sine effectu constituitur, et est etiam interim dum agitur querela sine re, et color potius, fictaque narratio, qua et in foro licere uti Fabius ait lib. 4. et color quidam, atve prætextus petendæ hæreditatis. Ex iis licet modo definire inofficiosum testamentum. Inofficiosum testamentum est, in quo liberi qui sunt in potestate, vel emancipati, aut parentes, aut fratres germani immerito exhæredati sunt, vel præteriti, vel instituti, ita ut pro exhæredatis habeantur, at præteritio avi materni, aut matris habetur pro exhæredatione, id est, harum personarum silentium, exhæredatio est: patris silentium non est exhæredatio; et ideo huic non datur querela inofficiosi testamenti, sed bonorum possessio contra tabulas: contra præterito a matre, aut avo materno, vel præterito a filio suo, vel præterito a fratre germano datur querela inofficiosi testamenti, non bonorum possessio contra tabulas, quia pro exhæredatis habentur: et institutus etiam quandoque habetur pro exhæredato, atque competit querela, ut in specie *l. Papinianus.* §. 4. *D. eod.* Regula est: quartam debitam filio non minuere libertates servis relictas testamento patris. Finge: pater habuit servos, et omnes manumisit: quarta non potest imminuere libertates: aget igitur querela ita institutus: nam inutilis est illa institutio, et est, ut habet formula hujus judicii, justa causa offensæ, *l. 20. 22.* et 23. *hoc. tit.* vel justam causam irascendi, ut est in Plinii junioris epistolis, patrem habuisse videri, qua sententia absolvitur scriptus hæres et penitus repellitur exhæredatus: vincit autem exhæredatus, si judex pronunciaverit justas causas offensæ patrem habuisse non videri.

Ad Tit. XXIX. De inofficiosis donationibus.

Exemplo querelæ inofficiosi testamenti comparata est querela inofficiosæ donationis, facta scilicet a parentibus in fraudem liberorum: vel a liberis in fraudem parentum, et comparata est constitutione Alexandri ad Claudium Julianum præfectum urbi in *l. Titia.* 87. §. *Imper. D. de leg.* 2. Et datur querela inofficiosæ donationis liberis, qui erant tempore donationis, sive in unum ex iis, sive in extraneum collata sit immodica et inofficiosa donatio: sed hoc interest, quod querela inofficiosi testamenti hoc jure rescindat totum testamentum, institutionem, legata, libertates, tutelas, tabulas, pupillares, quasi fuerit furiosus, atque ideo nullam habuerit testamenti factionem, qui pietatis nullam rationem habuit: ex Nov. Justin. querela inofficiosi testamenti rescindit tantum caput institutionis, cetera capita firma manent: querela autem inofficiosæ donationis id tantum rescindit et revocat, quo minuitur portio debita liberis, non etiam totam donationem revocat: ergo quadrantem, vel ex jure *Novellæ, de trien. et sem* quam sequimur trientem, vel semissem legitimæ portionis, id est, debitæ ab intestato pro numero liberorum, ut ita Nov. 92. quæ est de inofficiosis donationibus ostendit, hac actione liberos non revocare dotem donationemque, sed portionem tantum, quæ eis debetur, vulgo appellatam legitimam: ergo inofficiosa donatio est, quæ liberis portionem debitam aufert aut minuit ut donatio omnium bonorum, vel donatio sextantis, aut deuncis bonorum: nam donato sextante, vel deunce, quod residet non sufficit Falcidiæ, id est, debitæ portioni. Falcidia est nomen generale: omnis quadrans dicitur Falcidia: sunt autem quadrantem legitimorum multa genera: ita vero immensum donando pater excludit querelam inofficiosi testamenti: et hoc meditatur: dabo operam ne filius queratur de liberalitate mea, ne indicat materiam officiorum, ut lib. 7. *cap.* 4. appellat Fabius: nam certe materia querelæ inofficiosi testamenti est materia officiorum, an sit bene meritus filius vel male, *l. Filius. D. de inoffic. testam. l.* 3. §. *Si emancipatus. D. de bon. possess. contra tab.* dabo operam, inquit, ne queratur: nam queri potest tantum de testamento: non testor, sed dabo omnia mea: hoc genere igitur eluditur querela inofficiosi testamenti, sed supplet ex constitutione Alexandri querela inofficiosæ donationis, quam dari dicendum est non tantum liberis, sed et parentibus, ut in *l. 4. hoc tit.* et dari etiam ab intestato, id est, sive donator ille fecerit testamentum, sive intestatus decesserit, *l. 3. hoc. tit.* et rursus cum fortasse dari etiamsi intervenerit dæ vel eludendæ querelæ inofficiosi donatori non fuerit animus: nam consilium quidem absque eventu atque affectione non sufficit: *l. pen. hoc. tit.* si absumpta sit vel diminuta portio debita: quod tamen non videtur probasse Patricius Græcus interpres, qui dixit dictam *l.* 5. accipiendam esse quasi novam, ut scilicet tantum procedat in suo casu, cum liberi nati post donationem aliis liberis factam, eam revocant pro modo portionis sibi debitæ: factam extraneo liberi postea nati in solidum revocarent, *l. Si unquam. inf. de revoc. donat.* factam aliis liberis revocant tantum pro modo Falcidiæ. Et sufficit eventus, sufficit fraus quæ reipsa ipsis facta est, etsi adfuerit consilium fraudendi in *d. l.* 3. scilicet hoc jure utimur, ut trahatur etiam ad omnes alios casus, puta si liberi, qui tempore erant donationis, querantur de inofficiosa donatione. Etiam illud notandum, hanc actionem non dari post quinquennium, *l. ult. hoc tit.* quod obtinet et in querela inofficiosi testamenti, et de inofficiosa dote. Hæ tres querelæ finiuntur quinquennio. Item non dari querelam inofficiosæ donationis iis, qui judicium donationis agnoverunt, et probaverunt, *l. 6. hoc. tit.* quod obtinent etiam in querela inofficiosi testamenti: nam hæ querelæ sunt remedia subsidiaria, *l. 2.* et 3. *hoc tit.* et observandum est, non dari querelam inofficiosæ venditionis: nam pater vendet omnia bona sua, si vult: *l'argent en demeure.*

Ad Tit. XXX. De inofficiosis dotibus.

Inter donationes et dotes numerantur. Dos est species donationis, *l. Cum multæ. inf. de donat. ante nupt.* Et id quod dictum est de inofficiosis donationibus merito trahitur ad inofficiosas dotes a matre datas marito primo vel secundo, quia scilicet dodrantem maternorum bonorum excedunt, vel omnia bona consumunt, ita ut liberis non sit salva Falcidia, id est, debita portio in bonis maternis. Ceterum quia hæc actio de inofficiosa dote est subsidiaria, sicut duæ præcedentes hodie nullam constitutiones hujus tit. accipit de muliere, quæ iterum nubit habens liberos ex priore matrimonio, quia constat eam secundo marito non plus posse erogare dotis, vel alio nomine quam uni ex liberis prioris matrimonii, ipso jure securos esse: sed accipi potest constitutio tituli etiam hodie de ea, quæ primum nupsit, cum haberet naturales filios, vel spurios, vel de ea, quæ iterum nupsit non habens liberos ex priore matrimonio, sed spurios tantum: nam in bonis maternis Falcidia spuriis non minus, quam justis liberis debetur, *l. Si suspecta.* §. 1. *D. de inoff. testam.* sed erat quidem constitutio etiam de liberis prioris matrimonii, sed in eis hodie est supervacua propter dictam legem *hac edictali.* Et ita accipienda est lex hujus tit. vulgo dicitur a nostris auctoribus, leges legibus concordare promptum est, ex hoc loco *legibus concordare promptum est,* id est, jus est, et æquum.

Ad Tit. XXXI. De petitione hæreditatis.

Non caret ratione, quod priusquam proponeret generalem petitionem hæreditatis quam proponit hoc tit. proposuerit specialem de inofficioso testamento: nec enim idem jus est utriusque. Generalis petitio hæreditatis datur adversus possessorem juris, vel rei hæreditariæ, non hæredem justum, sive sciat se non esse hæredem, sive falso existimet se esse hæredem. Et hoc est, quod dicitur, eam petitionem hæreditatis dari tantum adversus eum, qui pro hærede possidet, cum non sit hæres, vel bona fide, scilicet existimans se esse hæredem, vel mala fide, et adversus eum, qui possidet pro possessore, id est adversus furem, vel raptorem, qui interrogatus, quo jure possideat, non habet quod respondeat, nisi quod possideat, non quasi hæredem, de hæreditate utique non contendit, videlicet non se asserit esse hæredem: et ideo hic etiam tenetur petitione hæreditatis, non alius, qui vero justoque titulo possidet, *l. Regulariter. et quatuor seqq. D. eod.* petitio autem hæreditatis de inofficioso testamento datur adversus verum hæredem et legitimum, qui ex inofficioso testamento juste hæreditatem adiit: neque enim ante aditam hæreditatem exhæredatus agit, et hoc distat querela inofficiosi testamenti a bonorum possessione contra tabulas: nam bonorum possessio contra tabulas est contra lignum, *l. Quod vulgo dicitur. ne bon. poss. contra tab.* idque etiamsi nondum hæres adierit: querela contra hæredem qui adiit. Idem querela inofficiosi testamenti datur adversus filium tantum, qui accepit cum re bonorum possessionem contra tabulas, *l. Filium. de bon. poss. cont. tab.* datur etiam adversus fideicommissarium, cum ex Senatusconsulto Trebelliano restituta est hæreditas. *L. 1. sup. de inoffic. testam.* adversus quos non datur generalis petitio hæreditatis: quia vero et justo possidet titulo et generalis tantum datur in eum, qui falso possidet pro hærede; vel qui impudenter possidet pro possessore, veluti pro eo, qui possessionis nullam habet justam causam. Objicies ex hac sententia, quod plerisque locis dicitur, generali petitione hæreditatis, id est, ex causa intestati,

vel ex causa injusti testamenti, aut irriti, aut rupti, aut falsi, vel ex alia quacunque causa, per quam inofficiosum testamentum dicitur, petitione hæreditatis teneri etiam hæredem scriptum in testamento, et fideicommissarium et Trebellianum in *l. Etiam.* § *Idem dicendum.* et §. *seq. l. Item veniunt.* § *Licet. D. eodem*: sed videamus ne eo circumscribamur: nam hoc duntaxat locum habet, scilicet, ut hæres scriptus, et fideicommissarius, et Trebellianus ex quacumque alia causa teneantur petitione hæreditatis, cum fideicommissum aut hæreditas eis relicta est, injuste aut inutili testamento: atque adeo cum fideicommissum aut hæreditas ad eos jure non pertinet. Et rursus potest etiam objici, quod dicitur in *d. l. Etiam.* §. 1. emptorem hæreditatis teneri utili petitione hæreditatis, qui eam bona fide emit ab hærede, qui possidebat eam pro domino: sed ut respondeam, id locum non habere, puto ut sit in emptorem petitio hæreditatis, nisi deficiente venditore, puta non extante, vel extante quidem, sed qui bona fide vendidit, non dico ære, sed asse Cajano, qui non tantum, nisi in quo locupletior factus est: ne videretur factus locupletior, aut sane immodici pretii non habetur ratio: eo casu deficiente venditore cum ab eo scilicet non possimus servare hæreditatem quam vendidit, quia vel non extat, vel modicum tulit ex venditione, in emptorem datur utilis petitio hæreditatis quasi in hæredem ejus, qui possidebat hæreditatem pro hærede. nam certum est hæreditatem posse peti non tantum ab eo, qui pro hærede possidet, vel possessore, sed ab hærede ejus, licet ignoraret defunctum ita possedisse eas res, et ipse eas nunc possideat quasi ex hæreditate sibi testamento vel lege delata, *l. Neratius. l. Etiam. in pr.* et §. *Hæredem. D. eod.* deficiente igitur venditore demum per utilem petitionem hæreditatis itur ad emptorem quasi ad hæredem possessoris, qui conveniri poterat. Emptor hæreditatis vicem hæredis obtinet, et in subsidium: vera igitur est ea differentia, quam exposuimus inter generalem petitionem hæreditatis, et illam specialem querelam de inofficioso testamento. Sunt et aliæ: petitio hæreditatis de inofficioso testamento non tam rem persequitur, quam ipsam vindictam injuriarum, sive notam exhæredationis, et agit causam doloris, sicut actio injuriarum, quod nomen querelæ etiam demonstrat: generalis petitio hæreditatis, id est, quæ ex alia causa instituitur, est patrimonii, sive rei vindicatio. Quamobrem pater filii nomine non agit querela inofficiosi testamenti, veluti filio exhæredato, aut præterito a matre, aut avo materno, invito filio, quia filii injuria est, et indignatio, *l. Papinianus. D. de inoffic. testam.* qui tamen ageret ex alia causa, et peteret etiam hæreditatem invito filio, sicut qualibet actione alia: quandoquidem omnes patri acquiruntur, invito filio, jure potestatis paternæ: et præterea querela inofficiosi testamenti tacita dissimulatione aboletur, sicut actio injuriarum, *l. 1. sup. de in integr. restit. min. l. Non solum.* §. 1. *de injur.* et silentio quoque quinquennii aboletur querela inofficiosi testamenti *l. Si quis filium. in fi. sup. de inoff. testam. l. 3. C. Theod. de Apostatis.* Ex alia autem causa petitio hæreditatis, non longi temporis præscriptione perimitur, sed tantum præscriptione 30. annorum, *l. Hæreditatis. hoc tit. l. pen. inf. ex quibus causis ces. lon. temp. præscript.* ubi elegantissime Accursius reddit rationem, cur petitio hæreditatis generalis non detur in eum, qui vero et justo titulo possidet, petitio hæreditatis dicitur etiam actio in hæreditatem, *l. Pater.* §. 1. *de capt. et postlimin. rev.* ut quæ proponitur in titulo sequenti, dicitur actio in rem: et de his, quæ veniunt in petitionem hæreditatis, sunt autem quam plurima, est Senatusconsultum diligenter explicatum a Jurisconsultis nostris, quod appellatur a Græcis Senatusconsultum Adrianum in *l. Quod si possessor. D. eod.* quia factum fuit auctoritate Adriani, *l. 1. k. 1.*

Ad Tit. XXXII. De rei vindicatione.

Res in hoc titulo non est hæreditas, sed certa species: hic igitur titulus est petitione specialis, qua qui speciem, corpusque certum suum esse asserit, hoc modo: fundus Tusculanus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur meus est: nam fundi nomen, et quo loci sit dicere oportet, *l. Si in rem. in fi. D. eod.* vel hoc modo: hanc ego rem ex jure Quiritium meam esse ajo. Superior autem titulus est de ea vindicatione, seu assertione, qua quis se universi juris defuncti successorem esse affirmat, non rei certæ, non corporis certi. Et in his judiciis in rem hoc est solemne, ut judex vindicias dicat interim, dum de proprietate disceptatur, ab eo, qui rem possidet, præstita satisdatione de ea re conservanda, et restituenda petitori, si secundum eum judicatum erit: imo et non præstita satisdatione interim vindiciæ dantur secundum possessorem, si petitor satisdare noluerit: nam in causa pari melior est causa possidentis: plus est in re, quam in persona: sed si petitor paratus est satisdare, nolente possessore satisdare, statim possessio, transfertur in petitorem, id est, vindiciæ dantur secundum petitorem. quod eleganter explicat Paulus 1. Sent. tit. 11. et confirmat *l. De bonis* §. *ult. D. de Carbon. edic. l. 5. sup. de petit. hæred.* nam hic ordo servatur in omnibus vindicationibus, et specialibus, et universalibus: etiam confirmat *l. 1. inf. uti possid.* constituitur possessio, vel apud possessorem ipsum, ut scilicet maneat possessor pendente lite, vel, quod est addendum, res ex causa sequestro deponitur, *l. 7.* §. 1. *D. qui satisd. cog.* vindicias appello possessionem, ut Titus Livius dicit, modo vindicias, modo possessionem promiscue, in antiquis legibus, quæ sunt in Bibliotheca Regia, *decernito et possessionem*, id est, vindicias dato, Gallice, *la jouyssance, la recreance*. Et videtur vindiciarum nomen ductum a vi quadam civili, ut explicat Gellius lib. 20. cap. 19. quæ ut est, verbo dicebatur. Et quoniam is auctor in eo capite multum depravatus est, explicabo, paucis quid sit in 12. tabulis manum conserere: et hoc dicam imprimis: manum dicimus inter se conserere partes in vindicationibus, dum vindicat: unus, et alter contra vindicat. nam erant mutuæ vindicationes, ut est in §. 1. *Inst. de act.* manum conserere non illata quadam vi bellica, aut cruenta, sed vi quadam civili, quæ verbis fiebat, ut vi festucaria, ut ait: et ita eleganter definit: *manum conserere esse quum de re disceptatur in re præsenti, sive ager, sive quid aliud est cum adversario manu prenderit in ea re civilibus verbis vindicare*: ea postea, quid sit vindicia explicat hoc modo: *vindicia est correptio manus*: ubi manus est carpus, *le poignet*: *in re atque in loco præsenti apud prætorem ex 12. tab. fiebat*. ac postea illam correptionem carpi, sive manus dicit esse vim civilem, quæ tamen dicebatur magis verbis, quam re, verbis directis, et solemnibus facta vindicatione in re præsenti. Et ex eo intelligitur, quod non tam quisquam enodavit, ita apud Festum esse legendum: *vindiciæ appellantur res eæ de quibus controversia est: quod potius dicitur vis, quæ fit inter eos, qui inter se contendunt*: vulgo male, *jus, quia fit*, etc. Ergo ut ad rem redeamus, possessio statim non aufertur possessori, initio litis, nisi cum non vult satisdare, et petitor offert satisdationem, alioqui si neuter velit satisdare, in pari causa, melior est causa possessoris: sed si reus rem vi possederit, ante omnia momentum redintegrari, id est reformari possessionem oportet, *l. Si quis liberum, D. de probat.* quæ fuit Zaleuci lex, ut Polybius scribit lib. 12. δεῖν κρατεῖν etc. Et ob hanc rationem in causis liberalibus vindiciæ dantur secundum libertatem ex 12. tabul. si probetur tempore litis ordinandæ in libertate fuisse is homo, quo de agitur, præstita scilicet satisdatione, adeo ut hic ordo servetur etiam in præjudicialibus actionibus, *l. Ordinata. D. de liber. causa, l. Lite. C. hoc tit. l. 2.* §. *Initium. D. de origine juris.* Quod si in possessione servitutis, id est, in servitute fuerit is homo de quo agitur, vindiciæ dantur secundum servitutem: nisi quis per vim liberum hominem rapuerit, et in servitute habuerit, namque is homo ante omnia reponitur, et restituitur in libertatis possessione, *l. Si quis liberum.* et *l. Fin. inf. de probat.*

Ad Tit. XXXIII. De usufructu, et habitatione.

Post vindicationem rerum corporalium de qua est titulus superior, dat hunc titulum et sequentem, qui sunt de vindicatione rerum incorporalium, veluti servitutum: servitutes non constant corpore, cerni, vel tangi non possunt: sed in jure tantum consistunt, vel intelligentia percipiuntur: denique non sunt, sed intelliguntur: et ex servitutibus aliæ sunt personarum, aliæ prædiorum, *l. 1. D. de servitut.* vel ut loquitur *l. Cajus. de annuis leg.* aliæ sunt in rem, aliæ in personam. De servitutibus prædiorum est titulus, qui sequitur: nam plerumque servitus dicta simpliciter, est servitus prædii: hic autem titulus est de servitutibus personarum: nam per usumfructum, et per habitationem, prædia, vel mancipia, vel aliæ res serviunt personis non rebus, *l. Dominus. D. eodem.* Item per ministerium, quo verbo significantur operæ servorum alienorum, quæ nobis sunt locatæ, vel cessæ, videtur quidem habitatio, et ministerium nihil differre ab usufructu: nempe habitatio nihil aliud videtur esse, quam ususfructus ædium, *l. 9. hoc tit.* et ministerium nihil aliud, quam ususfructus servilis, *l. 3.* et *4. D. de operis serv.* sed tamen longe distant inter se: nam propria quædam vis inest in habitationis, et ministerii verbo, quæ efficit ne facile quis hæc jura si quæsierit, amittat. Amitteret ea si quæsisset sub nomine ususfructus: quod ita declaro, ususfructus amittitur morte fructuarii, quia jus est in personam, quod sublata persona tolli est necesse, *l. 2. D. eod. tit.* Et eadem ratione amittitur capitis minutione fructuarii, quia persona commutatur per capitis diminutionem, et fit novus homo quidam, ut ex libero servus, ex cive peregrinus: amittitur etiam non utendo tanto tempore, quanto usucapio completur rei mobilis, vel immobilis. Ministerium autem servi, quamdiu is servus vivit, ita modis non amittitur: ministerium, vel operæ servi legatæ non amittuntur, si legatarius capite minuatur, quia capitis minutio appellatur mors civilis: non amittitur si per decennium usus non sit operis: habitatio quoque quamdiu ædes salvæ permanent, et is cui habitatio concessa est vivit, non amittitur capitis minutione, vel non utendo, quam etsi videatur aliquatenus is cui habitatio ædium, vel ministerium servi concessum est, usumfructum habere ædium, vel ministerium servi, tamen fructuarius non est dicendus, *l. 2. D. de usuf. leg.* et mors quidem ejus cui concessa est habitatio, habitationem extinguit, habitatio cessat, quia jam habitari non potest ab illo in cujus facto habitatio consistebat: verum capitis diminutio, vel habitandi incuria habitationem non extinguit, quia habitationis nomen non tam respicit ad personam ejus, qui habitat, quam ad rem ipsam, quæ inhabitatur. ut sæpe habitatio sumatur pro domo ipsa: et dubitatur an habitatione legata, proprietas legata sit, id est, domus, *l. Cum antiquitas. hoc tit.* Atque adeo satis est, ut consistat jus integrum habitandi ei cui datus est, si habitari domus ab eo possit, licet non inhabitetur. Habitari etiam potest post capitis diminutionem: ergo manet habitatio, etsi legatarius capite minutus sit. Idemque domus est exposita habitationi, etsi domum legatarius non habitaverit. Ministerium autem servi non extinguitur negligentia, non capitis diminutione, sicut nec habitatio. Imo nec mors ejus cui ministerium debetur, ministerium extinguit, cum tamen mors habitationem extinguat, ut supra diximus. Ratio est, quia ministerium servi in facto consistit ministratoris servi, vel sic. ministri nomen significat fructum ejus, qui hanc operam ministrat, et exhibet; et ideo quamdiu is servus, qui eam operam exhibet, vivit, tamdiu operæ debentur ei cui concessæ sunt, hæredive ejus: sed conferamus etiam usumfructum cum habitatione, et mini-

sterio: nam ministerium, et habitationem satis contulimus invicem. Usufructus est quidem jus utendi fruendi re aliena, quæ non sit in abusu, id est, quæ utendo non pereat: nam earum rerum, quæ utendo pereunt, ut vini, olei, frumenti usufructus non est, abusus est, non usus. Quod explicatur in *tit. de usuf. ear. rer. quæ usu consumuntur:* in quo ostenditur earum quoque rerum, quæ sunt in abusu, quasi usumfructum constitui ex Senatusconsulto, remedio cautionis: usufructus igitur est quidem jus principale, sed in facto fructuarii consistit: nam fructus is capit, *l. un. in pr. D. quando dies ususfr. ced.* Itaque usufructus videtur adsignificare factum ejus personæ, cui est jus utendi fruendi. Itaque ea persona non utente, tempore legibus præfinito, vel etiam ea persona mortua, vel mutante statum, id est persona mortua, vel capite minuta, usufructus cessat, et interit: quia non superest jam amplius illa, cui soli jus est facere, id est, uti frui; hujus factum usufructus nomen significat. Ergo usufructus finitur omni capitis minutione, quod jure veteri obtinuit, ex *l. pen. hoc tit.* non interit minima capitis minutione, veluti emancipatione, vel adrogatione: in qua etiam interveniebat emancipatio per æs et libram, adhibito libripende, et asse Cajano, id est, nummo uno dicis causa, id est, obtestationis gratia, quæ erat venditio quædam imaginaria, et redactio in servitutem, et commutatio: igitur transformatio personæ, aut regeneratio: sed merito hodie non interit usufructus in personam constitutus, nisi cum ea persona desinit esse persona: id est cum fit servus, aut peregrinus: peregrini personam non habent in civili jure. Ceterum minima capitis minutione ex Constitutione Imperatoria non finitur usufructus, quia legitimæ illæ emancipationes hodie sunt sublatæ: atque adeo, qui emancipetur, vel adrogatur, nec imagine redigitur in servitutem, denique fit sui juris, vel alieni juris sine permutatione status qui emancipatus, vel adrogatus fuit: fit quidem hodie capitis minor, sed non secundum morem veterum: ita nec fingitur prius transiisse ex libertate in servitutem, fit hodie emancipatio, vel adrogatio simpliciter, sublatis aliis actionibus, fit ex constitutione Anastasii hodie, vel ex Constitutione Justiniani in §. *Præterea. Inst. quibus modis jus patr. potestatis solvitur.*

Ad Tit. XXXIV. De servitutibus, et aqua.

Usufructus, habitatio, ministerium servorum jura sunt hominum, sive personarum, per quæ res liberis hominibus serviunt: servitutes autem in hoc titulo sunt jura prædiorum, per quæ prædia prædiis serviunt: illa, id est, usufructus, habitatio, ministerium cohærent personis: hæ vero servitutes, de quibus in hoc titulo agitur, cohærent prædiis urbanis, vel rusticis. Licet etiam nobis definire servitutes secundum Celsum in *l. Quid aliud. D. de verb. signific. l. Qui fundum. D. quemadmod. servit. amitt.* ex attributo, et subjecto, hoc modo: servitutes sunt prædia qualiter se habentia: quamvis res non sint corporales, ut cum medici definiunt morbos, esse corpora male affecta, et Stoici virtutem esse animum quodammodo se habentem: virtus est habitus, scilicet animi, qui significatur illo articulo, quodammodo, vel aliter, servitus est habitus, vel qualitas prædii, qualitas inhærens prædio. Quod subjicit in hoc titulo, *et de aqua.* non est de aqua simpliciter, ut in *tit. D. de aqua*, qui est de aqua pluvia, et aqua cadente e cœlo, de qua competit ex 12. tabulis actio in personam ejus aquæ arcendæ gratia: nam inter illos titulos est de aqua, et de aquæ arcendæ actione, legitima, scilicet, puta, ut unus coerceat, et cohibeat aquam pluviam, ne opere manufacto ex suo fundo manat in meum, meoque noceat: sed hic titulus est de servitute aquæductus, vel aquæ haustus, de qua est actio in rem confessoria, vel negatoria, sicut de ceteris omnibus servitutibus vel rerum vel personarum, est duplex actio in rem, confessoria, et negatoria. *l. 2. D. si servit. vindic.* aio jus mihi esse aquæ hauriendæ vel aquæ ducendæ e fundo tuo: hæc est confessoria; nego tibi jus aquæ hauriendæ, vel ducendæ ex fonte meo: hæc est negatoria: una asserit servitutem fundi, altera libertatem: est autem in hoc titulo πρωθύστερον: nam meo judicio sic intelligi debet de aqua, et aliis servitutibus, ut in *l. 3. aquæductus, vel aliæ servitutes,* sic etiam exaudias titulum de aqua, et aliis servitutibus, sicut alias ostendi *tit. 2. D. de reb. si cert. pet.* sic esse intelligendum quasi inversum, si certum petatur de rebus creditis, alias si certum petatur de chirographis, alias, si certum petatur de suffragiis; id autem dicit de aqua per eminentiam: quia nulla est alia servitus de qua tot sint constitutiones in hoc titulo, ut *lib. 6. tit. de impub. et aliis subst.* quia magna pars tituli est de impuberum substitutione, id est, pupillorum.

Ad Tit. XXXV. De Lege Aquilia.

Quæso, quis reddet rationem positi hoc loco tituli de lege Aquilia proxime post servitutes, et in medio tractatu vindicationum: nam potuisset hic tit. de lege Aquilia, id est, de legis Aquiliæ actione, commodius jungi lib. 9. actioni de bonis raptis, et injuriis: nam quatuor numerantur actiones civiles ex delictis, furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, et legis Aquiliæ. Sed hoc loco posita est, quod olim competeret actio ex secundo capite legis Aquiliæ, si quis non imposita servitute ædibus vicini; et non servata forma antiquorum ædificiorum, ut *l. Qui luminibus. D. de servit. urb. prædiorum,* vicini luminibus officeret, de qua re Zonaras in Theoph. refert egisse mulierem quamdam apud Imperatorem, quod scilicet Petronas frater Augustæ altius ædes tollendo, officeret luminibus ædium mulieris, et Imperatorem novo, atque extraordinario judicio, verberibus cæso publice Petrona, qui id fecisset, et ædes ademisse, easque addixisse mulieri. Quod judicium nec fuit sane actio negatoria, nec confessoria, sed quasi legis Aquiliæ actio. Item quod ex eodem capite competeret actio legis Aquiliæ, si contra servitutem jure constitutam aliquis extructo ædificio damnum injuria daret vicino, vel si injuria deduceret aquam alienam, vel si ædificio posito, inutilem redderet aream vicini, amittendo tritico, aut alii rei: quos omnes casus proposuit super tit. *l. 1. 4. 5. 6.* et 14. et illud de derivatione aquæ repetit in hoc tit. de lege Aquilia in l. 2. et adducit alium casum in *l. ult.* si non imposita servitute pecoris pascendi immiserit pecua in agrum alienum: nec enim deficit his casibus actio legis Aquiliæ. Atque ita titulus de servitutibus, et titulus de lege Aquilia recipiunt communes casus, quod scilicet liceret, cum quid contra servitutem fieret, aut non imposita servitute, non tantum agere in rem confessoria, vel negatoria, sed etiam lege Aquilia, id est, de actione damni injuria, quæ ex lege Aquilia competit, quam puto in plerisque congruere cum actione damni injuria ex l. 12. tabul. de qua est *l. Quæcumque. D. de oblig. et act.* et *l. pen. D. ad leg. Aquil.* et verbum rupsit, quod Festus interpretatur damnum dederit, et verbum sarcito, quod Festus interpretatur, præstato damnum, solvito: quo etiam utitur *l. 2. et 3. hoc tit.* sed ut quodam loco Macrobius ait eleganter: *quæritur sæpe nove legis auctoritas, ex desidente metu legis antiquioris, ut de ipsis XII. tabulis factum est*, inquit, *quorum ubi contemni antiquitas cœpit, eadem illa, quæ illis legibus cavebantur, in aliorum laterum nomina transierunt,* lib. Saturnal. cap. 17. Atque ita de damno injuria pleraque, quæ cavebantur legib. 12. tabul. transierunt in nomen Caji Aquilii tribuni plebis: est enim lex Aquilia plebiscitum.

Ad Tit. XXXVI. Familiæ erciscundæ.

Vindicatio rerum singularium, corporalium, aut incorporalium est in rem, non in personam, id est mere realis, petitio hæreditatis est mixta in rem, et in personam, *l. 7. sup. de petit. hæredit. l. Sed et si lege. §. pen. eodem*, quia de ea actione petens non tantum suam vocat hæreditatem, quod est agere in rem: sed etiam intendit sibi dari oportere, quæ est formula actionis in personam, id scilicet, quod possessor exigit a debitoribus hæreditariis, vel id quod redegit ex venditione rei hæreditariæ, licet id nunquam fuerit in bonis defuncti, atque adeo non continetur nomine hæreditatis: sunt etiam tria judicia divisionis ex 12. tabul. quæ sequuntur mixta in rem, et in personam: nempe familiæ erciscundæ, communi divid. finium regundorum: familiæ erciscundæ actio redditur inter cohæredes, sumpto magistratibus arbitro de rebus hæreditariis dividundis: familia enim significat res hæreditarias, *l. Pronunciatio. §. 1. D. de verb. signif.* non significat nomina, non hæreditatem, nam et nomina non veniunt in hanc actionem, quia ipso jure divisa sunt inter cohæredes, pro hæreditariis portionibus ex 12. tabulis, *l. 6. hoc tit.* et hæreditas dividi non potest, quia juris nomen est, hæreditas non est corpus sed jus, quod in bonis defuncti habemus, corporeum solum divisionem admittit: hæreditas igitur dividi non potest, *l. 8. de rei vind. l. 4. in princ. D. comm. divid.* nisi scilicet hæreditatem accipias pro rebus corporalibus, quæ in hæreditate continentur, ut in §. *Quædam. Inst. de act.* familiæ erciscundæ actionem esse de hæreditate dividenda, ut in *cap. Nunquid. 28. qu. 1.* fratres habere hæreditatis erciscundæ consortium. In glos. veterum rectissime fam. ercisc. διαιρετέας οὐσίας, et in eisdem, ercitus διαιρέσεως ὑπαρχόντων, divisio bonorum: verum non tantum de rebus hæreditariis dividendis est actio famil. ercisc. sed etiam de præstanda invicem indemnitate, quæ actiones personales sunt, ut si unus ex hæredibus bona fide fecerit sumptus in rem hæreditariam, hoc judicio intendit eos sumptus pro rata sibi reddi oportere, atque ita hoc judicium agit non in rem tantum, sed etiam in personam: vel si unus ex cohæredibus rem hæreditariam deteriorem fecerit, vel si ex ea solus fructus perceperit, in hoc judicio id ei cohæredes præstant, *l. Item Labeo. § Familiæ. D. eod.* Illæ de rebus hæreditariis dividendis actiones reales sunt, quia uterque se esse hæredem asserit, uterque hæreditatem petit, et uterque est actor, et reus, alio tamen genere, quam quo agitur petitione hæreditatis: nam qui agit petitione hæreditatis, hæredem se esse ait, adversarium autem esse hæredem negat, at in judicio famil. ercisc. adversarium fatetur esse hæredem, *l. 1. §. Et si possessor. si pars. hæred. pet.* et *l. Fundus, qui dotis. §. Si ego. eod. tit.* sicut in judicio communi dividundo fatemur adversarium esse socium, in finium regundorum adversarium esse affinem, id est, participem eorundem finium.

Ad Tit. XXXVII. Communi dividundo.

Hæc actio redditur dissolvendæ communionis gratia inter alios socios, quam cohæredes: imo et inter cohæredes, *l. Inter. in princ. D. famil. ercisc. l. Quib. D. pro soc.* sed plenior et uberior est actio fam. ercisc. quam comm. divid. quia in actione commun. divid. tantum veniunt res communes, in actione famil. ercisc. etiam veniunt res non communes, quæ non erant in bonis defuncti, sed ex bonis, veluti res depositæ, commodatæ, *d. l. Inter. in princip.* et actio fam. ercisc. non est de una re dividenda, sed de rebus universis, nec iterari potest, nisi ex magna causa: actione communi dividundo agi potest de una re dividenda: non de ceteris rebus communibus, et subinde agi potest communi dividundo, modo de hac re, modo de illa, per intervalla temporum: atque ita iteratur sæpius, *l. Si filio. §. Familiæ. l. Fundus mihi. D. famil. ercisc. l. 4. §. Hoc judicium. D. hoc tit.* Et hæ sunt differentiæ inter has actiones. Ceterum hoc habent commune, quod utraque habet mixtam causam, utraque est in rem, et in personam: nam et actioni communi dividundo inest actio pro socio, quæ est in personam ex contractu societatis, et quælibet alia præstatio personalis, *d. l. 4. § Sicut. D. hoc tit.* sed sunt et pleraque alia communia, quæ proponuntur in titulo sequenti

Ad Tit. XXXVIII. Comunia utriusquem judicii tam fam. ercisc. etc.

Et illud etiam est commune utriusque judicii, ut sit uterque bonæ fidei, *l. 3. hoc tit.* sicut petitio hæreditatis est bonæ fidei, *l. ult. in fine, sup. de petit. hæred.* Hujus verbi bonæ fidei magna vis est. Illud commune est utriusque judicii, ut per arbitrum, vel ex conventione divisione facta alter alteri teneatur evictionis nomine, actione præscriptis verbis, quasi ex empto vendito, vel ex permutatione. Igitur divisio instar obtinet emptionis, aut permutationis, *l. 1. h. t.* cum non possit fieri, nisi permutatis partibus: ergo factam divisionem ratam manere oportet, ita ut quodcumque obtigerit, id ei habere recte liceat, et alter alteri eo nomine teneatur: et utique tenetur etsi non intervenerit pactum, vel stipulatio de evictione ipso jure, *l. 14. sup. famil. ercisc.* excepto uno casu, quo non tenetur alter alteri de evictione, nisi ita convenerit nominatim, videlicet si cohæres, aut socius sciens rem, quæ sibi adjudicatur in ea causa esse, ut evinci possit, puta sciens eam esse pignori obligatam: nihilominus eam rem sibi adjudicatam acceperit, et possederit. Cur enim quando sciebat in ea re periculum evictionis esse, non sibi prospexit conventione, aut stipulatione ob evictionem: hæc est sententia legis 7. in fine hujus tituli. Item illud commune est, ut divisio facta ab arbitro non jure dato, veluti dato a procuratore Cæsaris inter privatos, ea divisio confirmetur ratihabitione, aut consensu sociorum, l. 4. *hoc tit.* Illud etiam commune est, ut res, quam emerit cohæres, vel socius sibi negotium gerens ex pecunia communi, non fiat communis, *l. 4. hujus tit.* item ut instrumenta communia apud eum deponantur, quem elegerit præses provinciæ, *l. 5. hujus tit.* velim addi vel quem elegerit arbiter divisionis, *l. 5. fam. ercisc.* secundum generalem definitionem *l. 2. sup. de pedan. judicib.* nam et hodie divisio bonorum vel per arbitrum fit specialiter datum, vel extra ordinem per præsidem provinciæ. Item illud commune est, ut corpora quæ desierunt esse communia forte conventione sociorum, vel ex destinatione defuncti, neutro in judicio veniant, *l. 9. h. t.* quamquam ea quæ nunquam fuerunt communia, constet venire in actionem famil. ercisc. ut res depositas aut commodatas: non etiam in actionem communi dividundo. Quia igitur numquam fuerunt communia, id est, quia non fuerunt in bonis defuncti mortis tempore, veniunt in actionem communi divid. sed quia post mortem defuncti desierunt esse communia, non veniunt in actionem communi dividundo. Sunt etiam pleraque alia communia in hoc titulo, utramque actionem esse duplicem, utramque legitimam utramque perpetuam, utramque quasi ex contractu, et alia quædam.

Ad Tit. XXXIX. Finium regundorum.

Inter judicia divisionis pono actionem de finibus, si forte confusi, obscurati, vel occupati sunt, dirigendis, dirimendis, distermimandis inter affines, sive vicinos, quam actionem veteres Galli interpretantur, *plaid de bonnes*, actionem arbitrariam, non bonæ fidei, sicut familiæ erciscundæ, et communi dividundo, et petitio hæreditatis: sed est arbitraria, sicut rei vindicatio: ex quo oriuntur multæ differentiæ inter hæc judicia, et dicere posses, actionem de finibus erciscundis, ut Apulejus in Metamorphosi dixit, vice erciscundæ, nec ambigitur quin actio finium regundorum sit mixta in rem et in personam, ut superiora judicia divisionia: est igitur quadriga mixtorum judiciorum petitio hæreditatis, famil. ercisc. communi divid. et finium regundorum, quas tamen existimandum est esse magis in rem, quam in personam, ut ait *l. Si quis. D. comm. divid. l. Furiosus. D. de oblig. et act.* id est, principaliter esse in rem; nec enim sunt ex contractu, vel obligatione, et hæreditatem potissimum vindicant, vel id quod cuique competit in hæreditate, aut re communi: vel etiam fines agrorum, ut *Nov. 69.* at l. 3. *hoc tit.* recte ait, actionem finium regundorum cohærere proprietatis controversiæ, id est, non tantum esse in personam, sed magis in rem: id est, pro rei vindicatione est, ut ait l. 1. *D. eod.* est in personam: nam admittit etiam rationem ejus, quod adfinem adfini dare facere oportet, in §. *Si finium. Instit. de officio judicis* et *l. 4. §. 1. D. hoc tit.* Denique est actio personalis et realis. Et quia est actio personalis, ut ceteræ, nec usucapio ei actioni obstat, nec præscriptio longi temporis decem annorum inter præsentes, et 20. inter absentes, quæ tamen alio respecto, qua realis est actio, magis videtur ei subjicienda: nam hoc est certissimum, realem actionem perimi exceptione 10. aut 20. annorum, personalem 30. aut 40. annorum, secundum distinctionem actionum: hæ enim reales, at personales nonnisi præscriptione longiore, id est, XXX. annis extinguuntur eo inspecto potius, quod personales sunt: at actio finium regundorum datur tantum si lis consistat intra quinque pedes. Igitur actio finium regundorum non tollitur præscriptione nisi 30. annorum. Si sit lis de ampliori terra, de loco, non de fine, cessat actio finium regundorum. estque actio in rem, quæ perimitur præscriptione longi temporis: quod ait lex ult. *C. Theodos. eod. tit.* quinque pedum præscriptionem esse summotam, hoc est de controversia quinque pedum, quæ est finis finium cognoscere arbitros tres ex 12. tab. vel arbitros singulos ex l. Mamilia, non observata præscriptione longi temporis: et repelli potest hac exceptione tantum: si veteribus finem cum signis limes inclusus congruum erudita arte prætulerit. Et ita etiam in Concilio Hispalensi 11. si veteribus signis limes præfixus monstraverit reo jus retentionis: et signis, ut Poeta ait, signare campum, et Arcadius Augustus apud auctores Gramaticos cum signis et sigillis terminos constituimus. Ergo ex l. 12. tabul. et l. Mamilia non erat usucapio intra quinque pedes: quoniam, ut Aggenus Urbicus ait, hanc latitudinem iter ad culturas accedentium occupet, vel potest cum prædio, *l. Si alienam. §. Hoc jure. de usucap.* iter limitare usucapi non potest, sed neque acquiri longi temporis præscriptione ex *l. pr. et ult. h. tit.* necessaria est præscripto 30. annorum.

Ad Tit. XL. De consortibus ejusdem litis.

Ut rei ita et litis est societas, sive communio quædam, quoties plures ejusdem rei nomine, vel agunt, vel conveniuntur, et breviter, consortes ejusdem litis sunt quorum communis est res in judicium deducta, Æschylo sunt συνδικοι, cujus interpres ait σύνδικοι λέγονται etc. quorum in eadem lite par causa est. Alias Pindaro σύνδικοι, sunt testes, qui testimonium perhibent illo loco: σύνδικος δὲ αὐτῷ ἰολάου τύμβος, quod veteres glossarum auctores non adnotant, alioqui ita ego non recitarem: nobis autem syndici sunt actores, sive defensores civitatum, aliorumve corporum, *l. Placet. sup. de Episcop.* qui procuratorum partibus funguntur, *l. 6. §. pen. D. quod cujusque universi.* sed ad rem. Consortes ut dixi, ejusdem litis sunt quorum communis est res in judicium deducta, quorum in eadem lite par causa est, de qua simul litem contestantur, vel unus eorum tantum: nam si unus tantum litem contestetur, non desinunt esse consortes, quod notandum. nam posset quis existimare consortes ejusdem litis esse tantum eos, qui litem contestati sunt simul: quod tamen est falsum: nam ante Constantini constitutionem unus ex sociis absentibus, et invocatis sociis litem agere, et contestari potuit, nec consorti uni agenti ceteris absentibus, potuit opponi exceptio, vel ipse potuit absentium consortium opponere exceptionem aliquam, quasi oporteat præsentes omnes adesse, omnes consortes litis ejusdem, ut ea res agatur recte. Verum si unus consortium litem contestetur suo nomine, et pro sua parte habeat, ex lege Constantini si agat, repelli potest exceptione hujusmodi, quod agat non adjuncta persona consortium, vel si conveniatur solus, ex eadem lege Constantini se tueri potest hac exceptione, quod habeat consortes, quos vocare oporteat prius, quam in illum agatur: et ita cavisse Constantinum constat ex *l. 1. Cod. Theod. de dominio rei quam posses.* Et inde Sidonius Apollinaris 4. Epistol. *Non est cur dicere incipias: habeo consortes, nec dum celebrata divisio est: quod malis creditoribus dicitur bene*: quasi velit dicere, bono creditori, qui remittit usuras, non esse has objiciendas exceptiones, sed benigne, et liberalissime esse ei addendum, has exceptiones servari in acerbos creditores. Et hoc, ut dixi, ex lege Constantini nova: nam ante Constantinum hoc non obtinuit, nec fuit huic præscriptioni locus, quia ante Constantinum cum quo consortium ei collibuisset, actor præteritis ceteris potuit experiri pro parte sua, vel si actor haberet consortes, sine voluntate eorum pro sua parte experiri potuit. Et potest etiam hodie ex Constitut. Juliani *l. 1. h. t.* restituto jure antiquo, et abrogata l. Constantini, potest pro sua parte quisque et pro sua persona agere, vel respondere, non expectatis consortibus, quod est verissimum indistincte, sive omnes consortes sint unius fori, sive diversi, et sive jam omnes simul litem contestati sint, vel defunctus eui hæredes extiterunt, ut *l. Si petitor.* et *l. Non idcirco. D. de jud.* sive nunc primum judicium dictet, vel accipiat unus eorum, pro parte, absentibus aliis consortibus. Denique sublata est exceptio Constantiniana quæ moram quandam inferebat liti. Et male Accursius *l. 1. hujus tit.* addit hæc verba: post litem contestatem ab aliis: nam etsi lis non sit contestata ab aliis consortibus, et ab uno nunc contestetur pro sua parte, cessat exceptio illa quam introduxerat lex Constantini, et est, ut dixi, l. 1. de consorte eo, qui solus agit pro sua parte, suaque persona, ut huic judicio moram non adferat mora consortium: qua de re dubitabatur maxime propter illam l. Constantini; nunc quærimus, quid sit dicendum si communi nomine unus agat: et hac de re est *l. 2. hoc tit.* potest communi nomine unus agere sine mandato consortium, oblata satisdatione de rato, vel defendere, oblata satisdatione judicatum solvi, *l. ult. hoc tit.* et hoc etiam indistincte, sive absentes litem contestati sint, sive ipse solus contestari velit: nam hæc verba *l. 2. post litem legitime ordinatam*, non significant, ut existimat Accursius, litis contestationem. Aliud est litem contestari: aliud ordinare. Contestari est apud judicem rem omnem narrare, et exponere utraque parte præsente, et respondente, præsentibus testibus, vel in foro, ut supra de litis contestatione: ordinare autem litem est præparare, et constituere, sive informare personam actoris, et rei, et judicis, ac se præmunire, ut antequam lis contestetur de inofficioso testamento, litis ordinandæ gratia præsumitur, aut cognoscitur bonorum possessio unde liberi, vel unde legitimi, vel unde cognati, *l. Papinian. §. 1. et 2. D. de inoff. testam.* et quod ordinabatur in *l. 20. D. de probat.* id est, lis præparabatur in eadem re in *l. Liberis. §. ult. D. de liber. causa*: ergo sententia *l. 2. hoc tit.* hæc est; consortem cavere de rato si solus agat communi nomine, absentibus et ignorantibus aliis, non etiam palam contradicentibus et vetantibus: vel etiam eum cavere de judicato solvendo, si solus defendat rem omnem statim post ordinatam litem, ac pene in ipso articulo ordinandæ litis, et ante litis contestationem, ut in *l. Pomponius. §. ult. D. de procurator.* ideoque dicitur satisdatio ratihabitionis exigi ab eo, qui agit alieno nomine ante litis contestationem, in præparatione judicii, aut mox a præparatione ipsa: nam semel lite contestata non compellitur satisdare de rato, vel de judicato solvendo: nam de se queri debet adversarius, sibique imputare, qui in tempore cautionem non exegit: non inficior tamen quin uno casu possit etiam post litem contestatem ab omnibus, vel adversus omnes exigi cautio ab uno ex consortibus, si alii abesse coeperint, et unus

communi nomine rem persequi velit, argumento *leg. Nihil. sup. de procur.* quæ ostendit, procuratorem recte dari post litem contestatam, qui persequatur litem quam nos inchoavimus. Et potest igitur quilibet quasi procurator litem contestatam ab alio persequi, et peragere: sed si non constet de mandato, vel si non sit ex his quibus agere licet sine mandato, cavebit de rato, vel de judicato. Denique hoc solo casu hæ cautiones interponuntur post litis contestationem, cum scilicet post litem contestatam a domino, vel dominis, intervenit unus, qui domini nomine, aut communi nomine rem exsequatur: alioqui hæ cautiones præstantur ante litem contestatam post litem ordinatam: nam lite ordinata, solemnibusque præparatis, nihil restat aliud, quam ut cautiones judiciales exigantur: et valde notandum est quod ait l. 2. consortem communi nomine agere, sine mandato consortium: sunt quædam personæ quibus licet agere sine mandato, etsi hi, quorum res est, palam contradicant et vetent: hoc enim casu non admittuntur, nec si offerant cautionem de rato, *l. Pomponius. §. ult. D. de procurat.* aliæ agere possunt aliena nomine sine mandato, veluti parentes, liberi, fratres, imo etiam affines, et liberti, alter pro altero, et maritus, *l. Sed et hæ personæ. D. de procur.* et *l. Maritus. sup. eod. tit.* His adjungamus ex *d. l.* 2 etiam consortem, ut cujus res est pro parte eam sine mandato sociorum possit totam in judicium deducere, oblata satisdatione de rato, atque præstita, vel satisdatione judicatum solvi.

Ad Tit. XLI. De noxalibus actionibus.

Noxales actiones sunt in personam, non in rem, quia sunt ex privatis delictis servorum, quæ sunt quatuor, furtum, bona rapta, damnum injuria datum, et injuria sive contumelia, seu convitium, quod scilicet servi commiserunt inscio domino, vel sciente domino et vetante, aut nequeunte vetare: et quod his actionibus agitur ut noxa emendetur quam fecit servus. Hoc principaliter agitur: nam his actionibus non principaliter agitur, ut dominus noxæ servum dedat, εἰς ἔκδοσιν, ut glossæ interpretantur, sed ut condemnetur dominus sarcire damnum, quod fecit servus ut ait lex 3. *in fine hoc tit.* nam actio noxalis pœnalis est, et pecuniaria, *l.* 10. §. *Quoties. D. de compensat.* ideoque ea lex ait, dominum, qui convenitur noxali judicio, quia pecuniaria convenitur, et pecuniaria locum tantum habet in causis pecuniariis, posse opponere compensationem: et elegantissime in l. 6. §. 1. *D. de re jud.* noxæ deditionis nullum judicium est, sed pecuniariam condemnationem præcedere, sequi noxæ deditionem, id est, dedendi servum in noxam facultatem, quod etiam indicat formula sententiæ, quæ solet interponi in noxali judicio, ut apparet ex *tit. de officio jud. Instit.* Publium Mævium Lucio Titio in decem aureos condemno, aut noxæ dedere, præcedit verbum condemno, quam sententiam facile sequitur potestas dedendi noxæ: denique in condemnatione est, æstimatio litis damni: in solutione noxæ deditio ex 12. tab. quia scilicet æquum est ut nequitia servi extra corpus ipsius servi domino non noceat. Igitur etsi sit condemnatus in litis æstimationem, tamen liberabitur ipso jure, si antequam conveniatur judicati, offerat servum noxæ dedere, id est alienare a se, et dare ei cui nocuit. Et nota quod dixi, antequam conveniatur judicati, puta in decem aureos, non est ei jus dedendi noxæ. Post actionem judicati sera est deditio noxæ, *l. Item veniunt. §. Idem recte. D. de petit. hæred.* ergo noxæ deditio, quæ fiat ante acceptum judicium ex causa judicati, licet liberet omnino a condemnatione, non tamen liberat si quid ad eum ex delicto servi pervenerit, nisi et id quod pervenit, restituat actori, quæ est sententia legis pen. hujus tit. Et recte supra dixi, actiones noxales dari ex privatis servorum delictis: nam legibus publicorum judiciorum, servi rei fieri possunt fere ex omnibus legibus: sed ex privatis cum servo nulla est actio. Ceterum ex causa publici criminis servus fieri reus potest, l. *Hos accusare. §. Omnib. D. de accusat.* Et ubi servos reos fieri non potest cessat actio noxalis. Lege Cornelia de veneficiis etiam servus reus fieri potest, quando, ut Cicero ratiocinatur pro Cluentio, generaliter concepta est hoc modo: qui venenum malum fecerit, dederitque: omnes, inquit, viri, liberi, mulieres, servi in judicium vocantur: leges publicæ quæ comprehendunt servos pleramque ita loquuntur: qui et quicunque non dicunt, qui cives Romani, ut in l. Falcidia sed qui et quicumque non notata rei conditione. Et ita in Ulp. fragm. tit. de officio proconsulis: lex Cornelia, inquit, eum qui hominem occidit, coercet, nec adjicit cujus conditionis sit, ut et ad servum, et ad peregrinum pertineat. Et ita Vopiscus in Aureliano; Aurelianum Imperatorem multos servos familia propria, qui peccaverant, judiciis publicis, legibus publicis, puniendos dedisse quia scilicet servi sunt capaces publicorum judiciorum. Præterea dixi, dari noxales actiones in dominum, si servus deliquisset inscio domino, aut vetante: nam si deliquerit sciente domino nec prohibente, cum prohibere potuit si jubente domino, si opem aut consilium dante domino, cessat actio noxalis, et tenetur dominus suo nomine in solidum, l. *ult. hoc tit.* quæ est etiam in hoc singularis, ut intelligas actionem furti ope, consilio tuo furtum factum esse, omnino esse in duplum: hoc tantum restat quod dixi supra de domino sciente, ut confirmat *l. pen. hoc tit.* restat etiam illud monendum: noxales actiones recte sequi rei vindicationes, quia actio ad exhibendum, quæ sequ. tit. proponitur, non datur tantum vindicaturo, sed etiam acturo noxali judicio: qui est acturus vindicatione, vel qui acturus est noxali actione, agit prius ad exhibendum, ut exhibeatur prius res quam vindicatione agatur, ut exhibeatur is homo, qui nocuit: communis actio utrique judicio fecit, ut vindicationi jungeretur noxalis actio.

Tom. 8.

Ad Tit. XLII. Ad exhibendum.

Post titulum de noxalibus actionibus datur titulus ad exhibendum, id est, de actione ad exhibendum, quæ et exhibitoria dicitur, quia hæc actio ad exhibendum, sive formula ad exhibendum, ut loquitur Plinius in epistolis, datur maxime propter vindicationes, de quibus actum est supr. quia vindicaturus maxime desiderat sibi exhiberi rem, quam vindicaturus est: propterea quod vindicationes fieri oportet in re præsenti, vel ex fundo, si fundus vindicatur, glebula allata in jus, id est, ad sellam prætoris, ut formula vindicationis demonstrat: hanc ergo rem præsentem esse oportet: sic acturus noxali actione, ut dixi, agit ad exhibendum, l. 3 §. *Si quis noxali. D. eod. tit.* Atque ideo, ut actio est communis, ac veluti præparatoria vindicationis, et noxalis actionis, sic interdictum de liberis exhibendis est præparatorium interdicti de liberis ducendis ut ait *l.* 3. §. 1. *D. de lib. exhib.* exhibitionem enim sequitur vindicatio, quæ est directa et principalis actio in *l.* 3. §. *Ibidem.* et l. *Si quis hominem. D. eod. tit.* nisi scilicet reus arbitrio judicis conventus actione ad exhibendum rem, ut fit plerumque, si velit effugere æstimationem litis, restituerit actori; nam exhibendi verbum etiam restituendi significationem recipit, *l. Julianus. §. Quantum. D. eod. l. ult. D. de verb. signific.* quæ breviter sic accipienda est, ut exhibere non sit simpliciter copiam rei facere, præsentem rem facere, sed efficacius accipiatur pro restituere sive facere potestatem vindicandæ rei, et asserendæ sibi: et ita in *l. Pacto. sup. de pactis*, exhibendis chirographis, et restituendis, quæ data fuerant ob rem, ut qui ea acciperet, æs alienum etiam omne susciperet: vel etiam exhibitionem sequitur noxæ deditio: noxæ autem deditio parit vindicationem quasi domino ei cui servus est noxæ deditus: nam deditio noxæ, translatio, sive mutatio domini est: dicitur autem actio ad exhibendum, actio incerti, *l. pen. D. depos.* quæ datur magis in id quod interest cujus æstimatio non est certa, sed arbitraria, quæ in rem datur. Et sane judice jubente exhiberi, is qui non paret arbitrio judicis: nam et jussum illud appellatur arbitrium, jussum, et præceptum in *l.* 7. *hoc tit.* ex quo intelligimus hanc actionem esse arbitrariam, qui, inquam, ut fit in aliis actionibus arbitrariis, arbitrio non paret, id est, qui jubenti rem exhiberi non obtemperat, condemnatur in id quod interest, l. *Julianus. §. ult. D. eod.* Ac proinde dicta est actio incerti in id quod interest: vindicatio est actio certi: nam aut fit in rem præsentem, aut quod pro rei præsentia signo fit: et sic dicitur actio exhibitoria, actio ad exhibendum, sicut actio redhibitoria, actio ad redhibendum in *l.* 28. *D. de ædil. edic.*

Ad Tit. XLIII. De aleæ lusu, et aleatoribus.

Sequitur titulus 43. de aleæ lusu, et aleatoribus, sub quo sunt duæ Constitutiones Græcæ: male ponebatur constitutio de alea ultimo loco tit. seq. et sequitur hic tit. recte quidem secundum ordinem edicti perpetui, cujus rationem reddidimus in Digestis: nam ut paucis id repetam, tractatui de lege Aquilia subjiciebatur proxima actio de servo corrupto, Aquiliæ de servo corpore corrupto actio servi corrupti, de moribus servi corruptis, qui tum pejores esse æstimantur pessimi, cum facti sunt fugitivi, sive aleatores: sunt hæc vitia summa servorum: et ideo in D. post titulum de servo corrupto, datur titulus de servis fugitivis, et deinde titul. de aleatoribus, et extat satis ratio ordinis in D. ac proinde is quidem titulorum ordo hic servatur, series autem illa rerum, quam exposui modo, non servatur; nec enim res alia præcedit, quæ cum conferri hic titulus possit, sed constat tamen ratio hujus ordinis ex integra ordinatione edicti perpetui, quod permansit in Dig. Aleæ autem nomen complectitur omnem fortunæ lusum, ex dum talorum, aut tesserarum jactarum e pyxide, ut fit etiamnum hodie in Italia: item ex fritillo, aut phimo, quam pyxidem opinor significari illo Juvenalis versu,

Partos gladio, vel pyxide nummos.

Nec tamen omnia alea legibus prohibetur. Excipiuntur constitutione prima hujus tituli (utraque est Justiniani) quinque ludi, qui hi suscipiuntur magis virtutis causa, quæ est etiam ratio l. 2. *D. ad leg. Aquil.* sunt autem nomina horum ludorum valde insolita et nova, si conferantur cum veterum lusibus legitimis ut scilicet ferebat ætas Justiniani desinens in barbariem. Ideo explicantur male, cum tamen non sit difficile ea explicare: imo vero substituuntur rejectis veris nominibus, alia peregrina et extranea. Primus ludus dicitur μονόβολον, id est, saltus singularis. Secundus dicitur κοντομονόβολον, id est saltus conto suffultus. Tertius est κυντὸς κόνζαξ χωρὶς τῆς πόρπης, id est, jaculatio hastæ, vel conti, vel pili sine cuspide, *pour ne blesser l'un l'autre.* Quæ, ut Balsamon docuit recte, lusio dicta est a Quintano quodam inventore, et hodie in Italia vocatur Quintana. Permittitur etiam πρασινή, colluctatio, permittitur et ἱππική, id est, Troja, ut dicebant veteres, sive Pyrricha, vel apertius curriculum equorum, cui ἱππική adjungi possunt quasi similes κανόνδρα, et τόρνα, ludi explicati a Nicephoro Gregora lib. 10. Histor. Hi igitur lusus, quia virtutis ergo instituuntur, legibus vetiti non sunt. Ceterum est alea legibus vetita, si non vescendi causa ludatur, ut ait l. *ult. in princ. D. eod.* quod in convivio vescendi causa ponitur, in eam rem familia ludere permittitur, id est famitiæ permittitur ludere in eam rem: est Græcus mos loquendi. Igitur interdicti sunt tantum lusus, si pecunia posita ludatur: et non tantum si ludatur pecunia posita, sed etiam, quod maxime notandum est ex *l.* 1. *hujus tit.* si ludatur positis lupinis, θέρμοις, *une espece de legume.* Lupinis

Insitant hodie etiam pueri in Italia. Plautus vocat argentum Comicum, nos *Argent de Bazoche*. Et ita illud intelligitur hodie apud Horatium:

Qui distent æra lupinis.

Non licet ludere postis lupinis nec alia re ludrica, *avec des marques*: scilicet ut postea solvenda sit victori pecunia: hac fraude aleatores conabantur eludere vim legum, quasi luderent jocandi gratia, ut pueri, non serio: sed hoc etiam districte inhibetur, si postea veri nummi sint persolvendi victori: et de iis est *l.* 2. 5. et *ult. sup. de Episcop. et cler.* fuit alea coercita multis legibus: olim fuit non leve crimen.

Sunt etiam scriptæ, quibus ut a ludeltur, artes
Hoc erat ad nostros non leve crimen avos.

Non est petitio hujus pecuniæ, quam quis alea vicit, nisi id appareat ex emissione lupinorum: quod ostendit *lex* 1. *h. t. l. pen. D. de naut. fæn.* non esse condictionem ejus, quod quis alea vicit: et si petatur obstet exceptio hæc: nisi in alea gestum fuerit, *l. In except. §. ult. de probat. l. ult. §. ult. D. quorum rer. actio non detur*: et si forte victus solverit sciens prudensque, quod novum est, ei competit condictio: regulariter, qui sciens solvit indebitum, non condicit, quia donasse videtur, et hoc sane est indebitum legibus, ac nihilominus odio aleatorum consultum est: nam qui sciens solvit, quod in alea amiet, id condicit postea quasi indebitum, vel si nolit condicere, id condicere potest civitas, vel defensor civitatis, vel præses provinciæ, vel in urbe præfectus urbi: ut id scilicet eroget in opera publica: quæ cura olim in urbe ad ædilem curulem pertinebat. Martialis lib. 5.

Et blando male perditus fritillo.
Arcana modo raptus in popina,
Ædilem rogat udus Aleator.

Et 13.

Nec timet Ædilem moto spectare fritillo.

Et Seneca in Declamationibus: *loca Ædilem metuentia*, vocat popinas in quibus luditur, et prostibula: in municipiis autem prætor civitatis, qui dicebatur, ut auctor est Ulpianus interpres Demosthenis, erat similis ædili plebis. In urbe olim etiam de alea fuit actio pœnalis in quadruplum ejus, quod ex alea tulisset victor, ut scripsit Asconius Pedianus. Hodie est in simplum, et ut opinor, actio famosa, quia in parentes, et patronos non datur, nisi utilis, id est, in factum, suppresso illo nomine turpi aleæ, ne infamentur illæ personæ, *l. ult. in fi. D. eod.* Aleatorum quoque nomen in jure censetur esse infame: ideoque et actio est infamis in *l.* 26. *D. de injur. l. Fugitivus. D. de verb. signific.* ea caussa, ut Ammianus Marcell. scribit 28. conterendæ rei caussa, se vocabant tesserarios, honestiori nomine, et honestissimo invento: nam et latrones scribit Aristoteles in Rhetoricis contegendæ rei suæ caussa se non vocare latrones, sed πορισταὶ, quasi dicant, se non prædari, sed victum quærere. Ita etiam in hac caussa valde nove constit. est ed. prætoris in *l.* 1. *D. eod.* ut impune furtum fiat e quocumque domi ubi alea luditur, et ita impune, ut neque possit agi actione speciali furti, nec condictione, aut vindicatione rei furto ablatæ: impune susceptori etiam aleatorum fieri injuriam, et damnum injuria dari, quia dignus est odio majore, quam aleatores ipsi susceptores aleatorum: atque ita habetis casum, quo impune furtum fit, et damnum injuria datur, *l.* 1. *D. eod.* et notandum etiam est, eum, qui cogit aliquem ad ludum, vel statim ab initio, vel victus domi retinet, victorem mulctari acerbissimo edicto prætoris, vel mulcta pecuniaria, quæ arbitraria est, vel duci in latomias, *en une grotte*, aut in vincula publica, quod malo more hominum liberum coegerit, *d. l.* 1. et 2. et odio hujus rei est constitutum in *d. l.* 1. ut repetitioni hujus, quod quis alea amisit, vel præstitit, nulla obstat præscriptio temporis, nisi 50. annorum, qui casus est singularis, in quo 50. annorum præscriptio exigitur, nec sufficit communis: in l. 2. etiam interdicuntur quasi equi ignobiles et sordidi, equi lignei, ξύλινα ἱππικά, quia et is ludus in aleæ speciem cadit, nec excipitur virtutis causa, ut superiores quinque, quibus permittitur ludere etiam in pecuniam, sed certam definitamque, *l.* 1. *hoc tit.* et permittitur etiam sponsionem facere, ut in *l.* 3. *D. eod. qui est un jeu de prix*, quod Græcis est συνδειπνίζειν, *mettre au prix*, et postremo arcana illa popina ubi alea luditur confiscatur *d. l.* 2.

Ad Tit. XLIV. De religiosis, et sumptibus funerum.

Potest hic titulus referri ad vindicationes de quibus agitur in h. lib. ut intelligamus scilicet, in eas non cadere res religiosas. Pro certo constabat sacras et sanctas res vindicari non posse quasi nostras, quia nullius in bonis sunt, et divini juris sunt potius, quam humani: non possunt etiam jure dominii quasi nostræ vindicari res, aut loca religiosa, veluti monumenta, et sepulchra, in quæ mortuus illatus est, *l.* 4. *h. tit. l. In rem. §.* 1. *l. Quæ religiosæ. D. de rei vindic.* non possunt etiam vindicari lapides, qui his adhærent, non possunt usucapi, non vendi, non pignorari specialiter: nam vendito prædio sequitur etiam monumentum, sive sepulchrum, quod est in eo prædio, nisi sit amplissimum quoddam sepulcrum, et religiosissimum, puta Mausoleum: nam modica tantum loca religiosa accedunt venditioni minoris prædii, *l.* 5. *D. de sepulc. viol. l. In modicis. D. de contrah. empt.* sicut simulachra accedunt ædibus, licet religionem aliquam in se habeant. Corn. Tacit. lib. 1. id accedere domibus. Et ita etiam Ambros. lib. 10. de Abraham cap 9. Sæpe, inquit, alienationibus possessionum venalium serviunt, quæ in eisdem locis sepulchra sunt, modo sint modica, *d. l. In modicis.* Et ita etiam, quæ non possunt specialiter, et per se, possunt universaliter emi, vel vendi: rei nostræ nulla emptio est, possum tamen et cum tota re partem meam emere, ut in *l. Quod si uno §. ult. D. de in diem. add.* et fundum dotalem, quem accepi ab uxore non possum vendere, cum universitate agrorum possum vendere, *l.* 3. et 4. *de fundo dotali.* Sequitur in tit. *et de sumptibus funerum.* Qui fecit sumptus funeris, qui explevit supremum officium defuncti, si non fuerit defuncti hæres et si alia actio ei non sit, puta ex contractu habito cum hærede defuncti, sæmperque pio officio functus est, ei datur funeraria actio adversus hæredem, vel bonorum possessorem, vel adversus patrem ad quem dos præmortuæ filiæ redit. Et hæc actio etiam est ante privilegia, id est, ante creditores privilegiarios, et competit etiam huic actio singularis atque extraordinaria, si quid quis consumpserit in morbum, et curationem defuncti: nam recuperat extra ordinem a defuncti hæredibus.

JACOBI CUJACII J. C.

AD LIB. IV. CODICIS

RECITATIONES SOLEMNES.

Ad Tit. I. De rebus creditis, et jurejurando.

Libri quarti titulus primus est de rebus creditis, et jurejurando, ut manifestius appareat, duas esse actiones, duasque tituli partes. Prior pars est de actione si certum petatur de rebus creditis: posterior est de jurejurando: posterior, inquam, si ordinem scripturæ spectes: nam certe est prior si religionis honorem spectes, et sanctitatem, et proximitatem tituli de relig. et sumpt. fun. Est enim jusjurandum affirmatio religiosa, quæ firmatur pleraque inter homines, Deo immortali interposito, tum judice, tum teste: nam ei soli debetur jusjurandum: et sic dicitur jusjurandum quasi jus sacratum, quod sit jusjurandum, Deo teste et judice. Et vero de jurejurando, et de jure sacrato prius etiam tractatur, rejecta parte de rebus creditis in tit. seq. ut apud Nævium lectum, *Jus sacratum Jovis jurandum sanguine*: et Virg. significantem jusjurandum:

Sat mihi Grajorum sacrata resolvere jura.

Sciendum autem est, ex jurejurando nullam esse actionem jure civili, sicut nec ex pacto, nisi uno casu introducto lege Julia et Papia: si libertus donum munus, vel operas se daturum patrono juraverit, præsente patrono: nam si absente patrono juret de operis nihil egit: sic qui in absentem pronunciat, nihil egit, *l.* 60. *D. de re judic.* Hæc tria paria sunt, jusjurandum, res judicata, et confessio, quæ nullius sunt si fiant μονομερῶς, id est, si absenti fiant. Et de hac obligatione jusjurandi etiam agitur in *l. Ut jurisjur. D. de operis libert.* et *l. Servum. D. de manum. testam. l. Et per jusjurandum. D. de accepilat. l.* 6. *§. Si quis absente. D. de confess. l. ult. D. de liber. caus.* De operis igitur, dono, vel munere liberti obligantur ex jurejurando. Atioquin nulla ex eo actio est. Sed ut peretamus in ea comparatione jurisjur. cum pacto, sicut pacto convento formatur actio ex ipso contractu, ita jurejurando: ut si quis pecuniam se credidisse juraverit, erit actio si cert. pet. de jurejur. sicut si juraverit se emisse, erit actio ex empto de jurejur. si se societatem fecisse juraverit, erit actio pro socio de jurejur. *l. Si duo. §. Si quis. D. de jurejur.* vel si jusjurandum sequatur sententiæ judicis, erit actio utilis judicati, quasi novatione facta, *l.* 8. *hoc tit.* erit actio in factum, ad exemplum judicati. Omnes in factum actiones sunt utiles, et omnes actiones utiles sunt in factum. Frequens est comparatio pacti cum jurejurando maxime delato ab adversario, veluti facta pactione quadam, ut res expediretur jurejurando, *l.* 2. *l. Tutor. D. de jurejur.* utroque modo tollitur ipso jure actio injuriarum, *l. Non solum. §.* 1. *D. de injur.* actio injuriarum tollitur pacto ex 12. tabul. tollitur, et jurejur. ex dissimulatione tollitur anno, nec ulla est actio in jure, quæ aboleatur facilius, utroque modo tollitur naturalis obligatio, quæ tamen parit exceptionem pacti, vel jurisjur. Ex pacto hodie certum est nasci obligationem naturalem, æque certum esse dicitur ex jurejurando nasci obligationem naturalem, et convenienter ex eo fidejussorem teneri. Nec huic sententiæ obstat *l. Si quis pro eo. D. de fidejussor.* quæ est, cum qui juraverit se operas præstaturum et satisdederit, nihil egisse: fidejussorem enim datum ab eo non obligari: quod si ita est, non obligatum fuisse naturaliter eum, qui fidejussorem dedit interposito jurejurando. Ergo non videtur oriri naturalis obligatio ex jurejurando, quæ si oriretur, fidejussor teneretur: sed animadvertendum est eam legem loqui de servo homine, qui de operis juraverit, non de liberto, quem solum libertum dicimus naturaliter, et civiliter obligari ex jurejurando, ita ut conveniri possit, et duci in jus invitus. Dico ergo in ea specie, non libertum, sed servum per errorem, cum putaret se esse libertum, qui juravit de operis alteri quasi patrono præstandis, hic error impedit omnem obligationem, adeo ut nec naturaliter obligetur, qui juravit de operis præstandis errans: et merito igitur fidejussorem non teneri dicitur: sed ut alio argumento ostendatur similitudo inter pactum et jusjurandum: qua de re pactum non servatur jusjurandum,

id est, non magis obligamur jurejurando servandæ rei, quam injusti cogemur servare, *l. Jurisgent. §. Et generaliter. D. de pact. l. Non dubium. sup. de legib.* quod tamen, ut puto, Pontifices mutarunt, voluntque quædam valere ex jurejurando, quæ non valent ex pacto, videntur esse perjuriorum auctores: est illicitum jusjurandum perjurio adsimile. Illud etiam observandum est relatis superiore libro actionibus in rem et mixtis, quæ tamen magis in rem sunt, actione, exhibitoria, quæ est præparatio actionis in rem, nunc ab hoc lib. 4 initium fieri actionum in personam, et in h. 1. t. proponitur actio si certum petetur ex jurejur.

Ad Tit. II. Si certum petetur.

In hoc titulo proponitur actio si certum petetur, videlicet de rebus creditis, quæ proprie datur ex mutuo, vel ex stipulatione, quæ præcedit, vel sequitur mutuum: nihil enim interest, *l. 7. §. ult. D. de transact.* Creditum dicimus tripliciter: communiter omnem obligationem, etiam eam, quæ non nascitur ex crediti causa, *l. Omnem. D. de judic.* et proprie obligationem ex contractu: et tertio ἰδιαίτατα obligationem ex mutuo, adeo ut proprie creditum nihil aliud sit, quam mutuum, et nihil aliud creditor, quam is, qui mutuam pecuniam dedit, ceteros enim habemus creditorum loco, *l. 18. et 11. D. de verb. signif.* debitor etiam maxime proprie, qui mutuam pecuniam accepit, *l. 4. §. Is quoque. D. de oblig. et act.* et *l. 11. hoc tit. Incendium*, inquit, *ære alieno non liberat debitorem.* Quæ sententia tantum vera est in debitore pecuniæ. Adde naufragium, ut in *l. ult. inf. de naut. fœn.* Et ita actio in personam quæ ei, qui mutuam pecuniam dedit, in debitorem competit, proprie dicitur certi condictio neque enim veniunt incerta in creditum: mutuum dicitur actio si certum petatur de rebus cred. Et tamen sicut creditoris, et crediti nomen minus proprie accommodatur ad omnes causas, quibus certum petitur, *l. Certi. D. eodem*, et ei adversa condictio incerti est etiam generalis. Sunt autem verba hæc si certum petatur verba edicti: omnes tituli juris sunt confecti ex verbis legum, vel edictorum, et ita verba illa accipienda sunt, si certum petat. id est, si certum pet. dari, id est, rem fieri petitoris, et dominium petitorem fieri: dare enim est dominium transferre, nec intelligitur recte solvere, qui solvit alienam pecuniam, qua de causa in solutionibus olim dicebant, *puri profani, sui auri*, quia male quis solvit de alieno, quia dominum non facit accipientem. Contra in tit. *D. si ususfr. petit. et si ager vectig. petet.* sic accipienda sunt illa verba, id est, si petetur restitui quasi suus, vel, si suus esse petetur: nam actiones eorum titulorum sunt vindicationes: actio si certum petatur, est condictio: intendit igitur dari oportere, nec quod debetur suum esse asserit. Neque vero nostri auctores tantum: sed alieni rem creditam referunt tantum ad mutui causam, ut Fabius lib. 4. cum rem certam creditam separat a locato, et conducto, et Seneca 3 de beneficiis: *Pars optima beneficii periit, si actio, velut certæ pecuniæ, aut ex locato, aut ex conducto datur.* Et apud Festum, lex de pecunia credita dicebatur pecosia fœnebris. Itaque hic titulus sic accipiendus est, si certa pecunia credita, id est, mutua petetur dari. Denique hic titulus est de mutuo: mutuum est obeositio pecuniæ quæ fit sub lege reddendæ quantitatis ejusdem: consistit enim in quantitatibus, ut numero, pondere, vel mensura, non in his, quæ corpore solo indicantur, in quibus consistit commodatum, depositum, pignus, precarium, sed non mutuum.

Ad Tit. III. De suffragio.

Jam habuimus unam actionem, si certum petatur, de reb. cred. fuit et alia actio si certum petetur de chirographis, cum quis ex chirographo convenitur, quasi mutuam pecuniam acceperit, licet non acceperit, quam tamen se caverit accepisse, de qua in *l. ult. tit. super. l. 1* et *l. 89. D. de solut.* Est etiam alia actio si certum petatur de suffragio, de qua hic titulus est, qui ita inscriptus est eidem Codici de suffragio, si certum petatur. Hac actione tenetur, qui honorem, vel privilegium impetravit a principe, suffragante aliquo, ut rem pecuniamve certam, quam pro suffragio, faventis, vel intercessione fidepromisit præstet. Igitur suffragii promissi nomine actio est, sive petitio, nec est illicita stipulatio ex constitutione hujus tituli, si quis aliquid stipulatur sibi dari pro suffragio erga principem: quin imo suffragium unicuique eblandiri licet in suis, et pecunia elicere, et suffragium licet vendere, dummodo non sit fumosum: sed serio intercedat suffragator et quod fide promisit is qui suffragatoris opera usus est, peti potest. Quod tamen postea sustulit Tiberius novissimus Nov. 161. Et ante constitutionem hujus tit. suffragatori non dabatur honesta, nec auliens accipiebat honeste; nec tamen erat soluti repetitio: nam ubi versatur turpitudo ab utraque parte cessat repetitio, et melior est conditio accipientis *l. 3. D. de condict. ob turp. caus.* non erat ergo repetitio soluti suffragii: non erit etiam petitio promissi suffragii ex constitutione, *l. 1. C. Theod. si certum petatur de suffrag.* Ammianus Marcellinus lib. 22. ait, hoc Julianum cavisse apud Ægyptios, qui in suffragatores plurimum querebantur: sed hac constitutione etiam suffragii promissi petitio est: atque ideo soluti non est repetitio.

Ad Tit. IV. De prohibita sequestratione pecuniæ.

Hic pecuniam accipit pro quantitate, non pro re omni, ut accipitur pro quantitate tantum in *tit. si cert. pet. de reb. credit.* petitur certa pecunia, id est, quantitas, non corpus certum. Et quamvis aliarum rerum, quæ deducuntur in judicium, sequestratio fieri possit ex causa, *l. 7. D. qui satisd. cog. l. Imperatores. §. ult. D. de appellation.* et in casis innumeris etiam liberarum personarum fit sequestratio, sive depositio, *l. 3 §. ult. de lib. exh. cap. Cum locum. de sponsalib. in 6.* licet igitur aliarum rerum, dum lis pendet ex causa sequestratio possit fieri, pecuniæ tamen sequestratio prohibita est hac lege: namque prius conveniri debet is a quo petitur, deinde compelli ad solutionem, nec ab initio statim cogi debet sequestro pecuniam deponere apud officium, vel apud virum bonum, quæ est sententia hujus constitutionis. Et differentia hæc est, quia aliæ res quæ certum corpus habent, facile intervertì possunt: idcirco rediguntur in tutum ex causa per sequestrationem: quantitatis nullum subest corpus, quantitatis perire non potest, pecunia valet quantitate, *l. 1. §. Non solum. D. ad legem Falcid.* Et videtur constitutionem hujus tituli abrogari in partem, *l. 1. Cod. Theod. si certum petatur, de chirogr.* quæ etsi in aliis causis petendæ pecuniæ certæ ex chirographo removet necessitatem sequestrationis, tamen permittit uno casu, scilicet si de falso chirographo lis agatur: nam interim dum agitur quæstio falsi, vult pecuniam deponi: sed ut puto hac constitutione tollitur omni casu sequestratio pecuniæ: sequestratio quid est? Est translatio possessionis rei litigiosæ in tertiam personam facta, vel consensu partium, vel auctoritate judicis, ea conditione ut qui in lite superior fuerit et vicerit ei ea res reddatur et restituatur. Aut brevius: sequestratio est depositio, quæ plerumque fit, translata possessione: neque enim transfertur nisi id actum sit, *l. Interesse. D. de acq. poss. l. Licet D. depos.* sub lege supradicta, et alio significatu in certamine aliquo in quo licet sponsionem facere, *l. 3. D. de aleator*, sequestratio est apud judicem sponsionis facta depositio pignoris utraque ex parte qui etiam sequester dicitur, et veteribus sculna, ut apud Macrobium lib. 3. cap. 17. *Sponsione contendit digno sculna Numatio Planco, qui tam honesti certaminis arbiter electus est*, at in hunc quidem sequestrum victori datur actio præscriptis verbis, ut reddatur pignus depositum quasi ex novo negotio, *l. 18. §. ult. D. de præscr. verb.* in illum autem apud quem deponitur res litigiosa, datur actio depositi, quia sequestratio nihil aliud est quam depositum, *l. Ei apud quem. §. 1.* et *l. Si in Asia. §. Cum sequester. D. depos.* Et aliquo casu actio præscriptis verbis, veluti in casu *l. Si quis. §. Labeo. D. de dolo malo.* Regulariter in hunc datur actio depositi, etsi auctore judice sequestratio facta sit, non ex conventione partium, quia sicut publica persona recte stipulatur alteri, eique parit actionem utilem, ita judex in deponenda ea re de qua lis est, paciscendo, vel legem dicendo ei secundum quem litem dederit, pronunciaverit, cavere potest, et parare actionem depositi sequestratoriam.

Ad Tit. V. De condictione indebiti.

Eadem actio datur ex mutuo, et ex promutuo nempe condictio, eadem actio est, ut sit *l. 4. §. Is quoque. D. de oblig. et act.* Indebiti solutio est promutuum: maxime si ea solvantur, quæ pondere, numero, et mensura constant, quibus solis in creditum abire solemus, quia id actum videtur, ut si forte appareat indebita pecunia quæ soluta est, eam habeat ut promutuam, qui eam accepit, qui contractus dicitur in *l. 13. in fine, D. commod.* mutuum est contractus, promutuum est quasi contractus, id est, quasi mutui datio: et ita condictio indebiti dicitur casu quasi ex contractu, id est, ex promutuo. Sciendum tamen est, aliarum etiam rerum indebitarum solutionem revocari per condictionem indebiti, imo omnium rerum, et corporum, quasi ex tacita obligatione, vel quasi ex contractu possessionis rei datæ, vel solutæ sub lege recipiendi, si indebita appareat, et eo nomine est vel condictio certi, vel incerti, quia non tantum corporis, vel quantitatis indebitæ condictio est, sed et possess. quam quis indeb cessit alteri, vel cautionis, vel juris cujuscumque, quæ est condictio incerti, quia res hujusmodi incertæ sunt et incorporales, obligatio, possessio, jus *l. Sed et si. §. 1. l. Is qui plus. D. de cond. indeb. l. 4. l. Si mulier. D. de condic. causa data.* Condictio igitur indebiti modo est certi, modo incerti, prout res quæ condicitur. est. Certi, si certum corpus vel quantitas repetatur: incerti, si possessio, liberatio, obligatio, acceptilatio, iter, actus repetantur: quæ omnia numerantur inter incerta, vel incorporalia, vel ea, quæ solo intellectu percipiuntur, quæ a nobis dicuntur in jure consistere, id est, significare jus, quod jus solo intellectu percipitur. At enim condictio indebiti datur ei, qui solvit indebitum, id est, quod nec naturaliter debuit: nam si vel naturaliter debuit, cessat condictio. Ei igitur, qui solvit indebitum naturali et civili jure per errorem facti: nam ignoranti jus non datur condictio indebiti, *l. Cum quis. sup. de juris et fact. ignor. l. pen. §. Si quis. D. eod. l. Error. inf. ad leg. Falcid.* nisi ex magna causa: nam ex causa etiam majori in jure erranti et solventi indebitum, datur condictio indebiti, *l. Illud. D. de minor. l. 1. D. ut in poss. leg.* datur benigne, inquit, quo verbo ostenditur, id non habendum esse in consequentiam, *l. Qui negotia. D. mand. l. Qui meo. ad Macedon.* Qui autem sciens solvit, etiamsi dixerit, solvo, non dono, donat various quem solvit, nec habet condictionem, quia condictio donati non est, *l. Cujus. D. de reg. jur.* Dubitans autem hac in re, habetur pro ignorante, et idcirco ei condictio datur, *l. ult. hoc tit. l. 2. D. quis ordo in bonor. possess.* Dubitans habetur pro ignorante, et idcirco condictio datur ei, qui rem solvit, non pœnam: nam pœnæ solutæ condictio non datur: etsi reciderit ad causam indebiti, *l. Pœnæ. D. eod.* et secundum hæc condictio indebiti non datur ei, qui solvit ex causa quæ crescit inficiatione: quod valde notandum est: quia ejus ratio ignoratur. In inficiantis in duplum crescit actio legis Aquiliæ: sunt et aliæ quædam similes, ut est actio qua petitur legatum damnationis, et relictum piis locis, ut actio ju-

dicati. Regula autem vera est, cessare condictionem indebiti, si quis ex eis causis solverit, quæ crescunt inficiatione, *l. 4. hoc tit. § ult. Inst. de obligat. quæ quasi ex contr. nasc.* actio judicati crescit inficiatione: proinde si quis solverit ex causa judicati, ignorans se non rite et ordine damnatum, vel falso crediderit se damnatum esse, cessat condictio indebiti. Cur solvendi ex causa falsa judicati non datur condictio indebiti? an quod civiliter obligatus fuerit? non sed quia solvit ex ea causa, quæ inficiatione crescit, ut Paulus 1. Sententiarum ait: crescit hæc actio in duplum: cum vero, qui sic solvit ex iis causis, dicimus scientem videri solvisse propter metum periculi, quod imminet inficiatori, argumento *l. Si non sortem. § Sed etsi non. D. eod.* quo de causa recte in *l. Eleganter. § ult. D. eod.* si *qua lex ab initio dupli, vel quadrupli statuit actionem solutum ex falsa ejus causa repeti posse.* Et ait recte, *ab initio*: nam si ea pœna veniat ex post facto, solutum ex ea falsa causa non condicitur, et pari modo ex iis causis confitentem per errorem puto habendum pro confesso et judicato, *l. 4. D. de confess.* quod videatur ultro progressus ad confessionem periculi, quod imminet subterfugiendi gratia, quod imminebat inficianti.

Ad Tit. VI. De condictione ob causam datorum.

Rectissime Stephanus Græcus ait, hic condictionem indebiti esse generalem multarum conditionum, multas scilicet condictionum species complecti, et ea posse condici data ob causam honestam, causa non sequuta, et data ob causam non honestam: nam et hæc indebita esse censentur: ergo in condictionem indebiti veniunt: sed sunt et aliæ speciales eorum nomine propositæ condictiones hoc tit. et tit. seq. Hujus igitur condictionis, qua repetimus data ob causam honestam, veluti ob matrimonium, matrimonio non sequuto, et ob manumissionem servi, servo non manumisso: nomen generale est condictio indebiti: speciale ob causam dati, causa non sequuta, et utimur speciali potius quam generali, quia specialiter dicimus causam ex qua dedimus: generali autem utimur, ubi nulla est causa dati, quæ sequi debeat, ut si indebitum solvimus quod esse debitum arbitrabamur, hoc casu proprie instituitur condictio indebiti nulla scilicet expressa causa propter quam dederimus, ut quid fieret, sed ut nos liberaremus: qua de causa idem Stephanus putat in D. anteponi speciales titul. de condictione causa data causa non secuta, et de condictione ob turpem causam, vel injustam causam, ut dicitur, non esse novum: aliud ut res specialiter quibusdam enumeratis generale subjiciat verbum, quo specialia complectatur, *l. Si servus. ft. ad l. Aquil.* Itaque probat magis ordinem Digestorum, quo speciales ponuntur tituli dati ob causam honestam, vel inhonestam, vel injustam: deinde subjicitur generalis condictio indebiti, contra quam fiat in hoc Cod. præcedit enim generalis condictio: et tamen uterque ordo probabilis est. Ceterum ex iis intelligimus, etsi specialiter condicamus data ob causam, si ea sequuta non sit: tamen condictionem indebiti ambitu suo etiam hanc speciem condictionis complecti. Causam autem hic non accipimus pro principio agente, sed pro fine, quæ res dicitur propria, *l. 1. D. eod.* et *l. Damus de cond. indeb.* Denique causam non accipimus pro præterita, sed pro futura causa. Hæc si fefellerit, id est, si finita, vel sequuta non fuerit, competit condictio datorum, nam doli ob præteritam causam vix condictio est, *l. Damus. l. In summa. § Id quoque. D. de cond. indeb.* Quod tamen ne decipiamur ita accipiendum est, ut si dedi ob falsam debiti causam, qua pridem jure civili obstrictum me credebam, tum sane mihi competat condictio indebiti, etsi ob præteritam causam dederim, quod falsam mihi affinxerim, persuaserimve: sed si liberaliter dedi remunerandi animo, quod tu rem meam administraveris probe, me absente, vel liberos meos institueris probe, licet hæc non feceris, mihi non competit doli condictio, quia dedi liberaliter, non vinculo constrictus: idemque erit generaliter, si dedi naturalis obligationis solvendæ gratia. Hoc enim casu mihi non datur condictio, licet erraverim, et causa præterita, quam arbitror præteritam, falsa sit, quia scilicet donare volui. Donat enim quis, quod nullo jure cogente, id est, nulla solvendi necessitate obstrictus solvit: idemque et solutio est simul, et donatio, *l. 10. § Si domini. D. de in rem verso.* Ergo sive vera sit, sive falsa causa naturalis, qua me, ut solverem dedi, cessat condictio indebiti: et ita accipienda est *lex Damus.* et *l. In summa. § Id quoque.* Qui scrupulus erat satis difficilis: ideoque secundum hanc interpretationem, si refero gratiam, et solvo ei a quo beneficium accepi, non competit condictio, quia natura debui referre gratiam: licet civiliter non debuerim. Et quia donavi, idem erit si falso crediderim me beneficium accepisse ob eo cui dedi, quia donavi, quod donavi volui: quæ ratio efficit, quod non volui solum dare, sed etiam dedi. Donatio enim olim non perficiebatur nuda voluntate, sed necessaria erat traditio: quo fere jure hodie utimur, non observata constitutione Justiniani: unde illud in idiotismo: *donner, et retenir ne vault.*

Ad Tit. VII. De condictione ob turpem causam.

Ex superiori titulo intellexistis condici data ob causam honestam, causa non secuta: ex hoc intelligitis non condici data ob turpem causam, id est, bonis moribus adversam, et non condici primum, si solius dantis turpis causa fuerit, ut si scorto mercedem dederis, turpiter dederis: illa vero non turpiter acceperit; nam ut ait Ulp. in *l. 4. D. eod.* illa turpiter facit quod sit meretrix, sed non accipit turpiter mercedem stupri hoc casu solius dantis turpitudo versatur, nec datur condictio indebiti. Idem erit si dantis et accipientis turpis causa fuerit, ut si mercede judicem quis corruperit, judex turpiter accepit, et dans turpiter egit, nec datur dati condictio, quia in pari causa melior est causa possidentis. In tertio vero casu competit condictio etiam causa sequuta, sive impleta: ut si solius accipientis causa turpis fuerit, ut si furi dederim pecuniam rei furtivæ repetendæ gratia, ego non turpiter dedi, quia incensus cupiditate rei meæ recipiendæ pecuniam dedi. Idemque erit si dedi, ut rem depositam reciperem: nam dati condictio competit, quia non est retentio ejus juste accepti, *l. 4. et pen. h. t.*

Ad Tit. VIII. De condictione furtiva.

Lex ult. tit. 7. fuit de condictione furtiva, et condictione ob turpem causam: de utraque simul: nam hæc illius species est: aliquem abegisse mea pecora, me abigeo dedisse pecuniam, ut redderet pecora: condicam quod dedi non turpiter, ille vero accepit turpiter, et condicam pecora, licet mortua, vel alio casu perierint: nam et rei furtivæ, perempta condictio est, quia semper post moram videntur perempta, quia fur est plusquam morator, plusquam debitor, et moram facit ipso jure, adeo ut non liberetur interitu rei furtivæ, *l. ult. D. de condict. furt. l. Merito. D. de vi et vi arm.* Igitur dicta lex ult. quæ est de condictione ob turpem causam, et de condictione furt. recte posita est in confinio utriusque tituli, et præbuit forsitan causam subjiciendi tituli de condictione furtiva statim: quæ tamen longissime distat ab aliis condictionibus: nam illis intendimus rem nobis dari oportere, id est, dominium rei transferri in nos oportere. Illa condicimus rem nostram contra regulas juris: nam regula juris hæc est neminem rem suam condicere, *l. ult. D. usufr. quemadm. cav.* quia natura non fert, ut intendam mihi dari rem meam, quod est condicere: ut scilicet fiam dominus ejus rei, cujus jam sum dominus. Dominium non recipit incrementum: et tamen receptum est, ut dominus furi condicat rem suam, agendo in hunc modum: Ajo te mihi eam rem dare oportere: superiores condictiones pertinent ad rei persecutionem: furtiva condictio pertinet quidem ad rei persecutionem: sed videtur quodammodo pertinere ad pœnam, quia odio furum comparata dicitur, *§ Si itaque discretis. Instit. de act.* si odio furum, et pœnæ causa igitur, *l. Qui exceptionem, D. de cond. indeb.* conjuncta *l. Sed et si. § ult. D. ad Maced.* ubi exceptio Senatusconsulti Macedoniani, quæ dicitur inducta in odium creditorum, qui filiisfam. credunt, alio loco inducta dicitur ob pœnam creditorum: quicquid fit ob odium, ob pœnam fit, et ut dicitur de actione in factum, quæ est ex edicto *de alien. jud. mut. causa facta, l. Quia pertinet.* ita condictio furtiva licet pertineat ad rei persecutionem, tamen ex delicto esse videtur, vel quod in se hoc genus pœnæ habeat, quod detur singulariter contra regulas juris: et eam ex delicto nasci ostendit, *l. 10. § Quoties. D. de compensat.* et *l. Si cum mulier. § Hæc actio. D. rerum amot.* quæ quod ait, de condictione rerum amotarum, eam nasci ex delicto, idem ait de condictione furtiva: nam hæ duæ affines sunt et geminæ: ideoque utrique condictioni videtur inesse vindicta, imo et infamia, ut est proditum nominatim de condictione rerum amotarum, *l. 2. inf. rer. amot.* Conjuges inter se non agunt actione pœnali, vel famosa constante matrimonio: ergo constante matrimonio non agunt rerum amotarum, quia ea actio est pœnalis, aut famosa, aut quasi pœnalis et famosa: nam revera quidem pendet ex causa famosa: sed ipsa non est jure famosa, nulla est condictio famosa, *l. Cessat. D. de obligation. et action.* quæ hoc nomine condictionis adsignatur: nam omnium condictionum hæc sunt solemnia verba: Ajo te mihi dare oportere, in quibus nulla atrocitas verbi, ideoque famosæ non sunt, sed quodammodo videntur. Et hæc et illa condictio, quæ pendet ex causa furti esse pœnalis et famosa, atque ob id in hæredem non datur, *l. 3. inf. rer. amot. l. 9. § ult.* et *l. 10. tit. de rat. distrah. D.* nec obstat *l. 9. D. de cond. furt.* quæ ait, hæredem in solidum teneri, etsi pars rei tantum ad eum pervenerit, quæ sic accipienda est, si lis fuerit contestata cum decreto, conjuncta *l. Si hominem. D. depos. l. 2. D. de prætor. stipul.* Demonstratur etiam alio modo, condictioni furtivæ pœnam inesse, cum insit odium, et ipso juris effectu demonstratur, nam pignore subrepto a debitore (hoc enim casu dominus facit furtum rei suæ, quo nomine tenetur creditori actione pœnali furti, et condictione furtiva) pignore, inquam, subrepto, eoque nomine debitore damnato, pœnam depensam creditor non imputat, et creditori est integra debiti petitio, *l. Si pignore. D. de pignor. act.* Atque ita quod consequimur condictione furtiva imitatur pœnam quæ pro furto dependitur: ex quo constat quam sit singulare jus condictionis furtivæ: alia differentia est: condictionibus superioribus utitur, qui dedit, vel tradidit, vel promisit: condictione furtiva: quo neque volente, neque tradente, res ablata est: nec condictio furtiva continetur sub condictione indebiti, ut superiores: domino autem ut jam supra dictum est, cui furtum factum est, datur ex hac causa condictio certi, *l. 1. D. eod. l. Duobus. § Item Pomponius. D. de jurejur. § Utique. Inst. de empt. et vendit.* Hæc fere sunt omnes actiones, quæ solis dominis dantur, condictio furtiva, actio ex l. Aquilia, aquæ pluviæ arcendæ, arborum furtim cæsarum, finium regundorum: et loquor de condictione certi: ex causa furtiva etiam non domino datur furtiva condictio possessionis, *d. l. Si pignore.* et *l. 2. D. de condict. furt. l. 35. D. de furt. l. Et ideo. § ult. de condict. furt.*

Ad Tit. IX. De condictione ex lege, et sine causa vel injusta causa.

Actiones in personam aut civiles sunt, aut prætoriæ, aut ex legibus vel constitutionibus: utitur hac divisione, *l. 2. inf. de quad. præ-*

script. Civiles sunt ex 12. tab. certæ et solemnes, ut ait l. 2. §. *Deinde. D. de origine jur.* Certæ referuntur ad numerum, solemnes ad verba. Prætoriæ autem sunt ex edicto prætorum, vel ædilium, vel Tribunorum plebis, vel proconsulum: ex legibus novis sunt, veluti ex lege Aquilia, quæ nomen usurpavit civilis actionis proditæ 12. tabul. de eadem re et data est damni injuria. Aliæ sunt actiones ex legibus novis, quæ ex jure antiquo translatitium nullum nomen habent, quæ dicuntur condictiones ex lege, veluti ex lege Julia, *l. Dotalem. l. Si vero.* et l. *seq. D. sol. matr.* et condictio ex l. Cincia, de qua *l.* 21. *de donat.* sicut etiam ex legibus talaria condictio ejus, quod in alea lusum esset de qua sup. lib. 3. ex constitutionibus sunt innumeræ condictiones. Constitutio vim legis habet, ut ex constitutione 1. hujus tit. debitori nostro condicimus pecuniam ante diem, qui causa singularis est, si non suppetat aliud unde fisco satisfaciamus cui sumus obnoxii ex causa primipili, id est, ex causa administrationis annonæ militaris, adeo ut hoc casu non sit locus exceptioni veteri, cujus pecuniæ dies fuisset: licet enim ante diem condicere ex constitutione *d. l. In casu supradicto.* Aliæ constitutiones de quibus superioribus titulis actum est, et quæ sequuntur hunc titulum, puta condictio sine causa, et ex injusta causa, inductæ sunt a prudentibus ex bono et æquo, non legibus, *l. In summa.* §. *Quod ob rem.* et *l. pen. D. de condict. indeb.* ut sunt inductæ exemplo civilis condictionis, quæ quidem ex mutui datione nascitur, et cui proprie adhæret condictionis nomen. Hæ condictiones imitantur condictionem ex mutuo, quia veluti ex causa mutui dantur, ut possimus dicere nos habuisse unam tantum actionem civilem ex 12. tabul. nempe condictionem ex mutuo: nam aliæ istius instar obtinent et imaginem. Semper excipio furtivam condictionem, quæ jure singulari recepta et comparata est in odium furum, §. *Sic itaque discretis. Instit. de act.* Sed videamus, quia et de his est titulus hic, quando sit locus condictioni sine causa et injusta causa. Si quid sit apud te sine causa, condictioni sine causa locus est: et exemplis fiet res illustrior: sine causa apud te est chirographum meum, si nihil credidisti mihi: si specie crediti tibi chirographum dedi, et mea spes frustrata est, vel si persolvero, quod credidisti, sine causa meum chirographum est apud te, et quod persolvi hac condictione possum repetere, l. 3. et 4. *hoc tit.* et sine causa etiam ad malæ fidei possessorem perveniunt fructus rei alienæ, *l.* 3. *hoc tit.* et his casibus proprie et specialiter competit condictio sine causa, condictio chirographi, condictio fructuum: et propria nulla alia sit actione existente in casu *l.* 2. *D. eod.* empti proprie competit condictio sine causa, sed existimandum est condictionem sine causa concurrere cum condictionibus superioribus quasi generaliorem, *l.* 1. *D. eod.* nam sine causa etiam id apud te est, quod indebitum, vel ob turpem causam accepisti, vel quod non ob turpem causam, causa non sequuta: vel quod tu mihi furto abstulisti, ex ejs causis licebit uti condictione sine causa, missa speciali condictione vel furtiva, vel ob rem dati et deinceps. Condictio autem ex injusta causa competit, si quis dederit ex pacto non juste facto, vel ex dolo malo, vel vi, vel contra jura publica, vel ex stipulatione vi extorta, *l.* 7. *D. de condict. ob turp. causam.* Injusta causa quæ et ipsa condictio dicitur juris gentium, *l.* 25. *D. rer. amot.* id est ex bono et æquo. Et breviter una est condictio civilis ex legibus 12. tabul. quæ nascitur ex mutuo, actio si cert. pet. de rebus cred. ceteræ condictiones instar illius obtinent, et dantur jure gentium, id est ex boni et æqui interpretatione: una pœnæ causa, nempe condictio furtiva, ut fures onerentur plurimis et gravissimis actionibus, quia gravior est condictio furtiva vindicatione, quia in condictione non distinguitur utrum fuerit res peritura apud actorem, an non: in actione in rem fur tenetur ut quilibet: condictione vero ut fur proprio et singulari nomine. Porro hic nullam invenies constitutionem de condictione ex injusta causa. Ex quo intelligimus solo hoc tit. judicari promiscuum esse usum condictionis sine causa, et condictionis ex injusta causa: nam quod sine causa habes, si ex non justa causa habes, et contra.

Ad Tit. X. De obligationibus et actionibus.

Post condictiones superiores transitum facit ad alias actiones in personam ex contractibus, vel obligationibus civilibus, ex quarum numero primam jam posuit condictionem ex mutuo. Actioni enim ex mutuo adhæret propria condictionis nomen, et ab illa perducta est ad alias condictiones, quæ descendunt ex obligationibus legibus novis introductis, non expresso nomine actionis, vel quæ dominis in fures dantur, quasi pœnæ causa constituto jure: nunc alias omnes examinaturus actiones in personam, quæ suum habent nomen et proprium longe alio ordine quam in D. ut supra præposuit generalem condictionem indebiti speciebus condictionum ob rem dati, causa non secuta, ob turpem causam, sine causa, sive ob injustam causam. Ita priusquam veniat ad species earum condictionum, quæ ex contractibus et obligationibus civilibus nascuntur, dat generalem titulum de obligationibus, et actionibus, præponit genus speciebus, quod propositur in digestis. Ex contractu est obligatio: ex qua obligatione nascitur actio in personam. Et hoc est, quod dicunt Doctores nostri, obligationem esse matrem actionis ex *l. Licet.* §. *Ea obligatio. D. de procur.* quod verbum usurpavit Theophilus titulo de obligationibus in Inst. matres actionum sunt obligationes. Obligatio est juris necessitas: actio est executio obligationis, vel intentio ejus qui alterum ad judicium provocat. Contractus est conventio, quæ proprium nomen habet vel quæ nomine vacat: sed datione et traditione, vel facto aliquo sumpsit effectum: hæc est perfecta definitio contractus.

Ad Tit. XI. Ut actiones ab hæredibus, et contra hæredes incipiant.

Titulus decimus est generalis, et sequentes usque ad decimum octavum sunt illius partes: et omnibus his titulis agitur ut generales definitiones ponantur de obligationibus et actionibus: et has quidam habuimus in superiori titulo proximo: ex alieno contractu neminem obligari, *l.* 3. et 11. *sup.* non nasci obligationem efficacem ex negotio contracto dolo malo, quod significat *l.* 4. *illo tit.* dum ait, bonam fidem in contractibus considerari æquum esse, id est dolum malum abesse: alioquin inefficax esset obligatio *l.* 5. Sequitur tertia definitio, voluntatis esse contrahere, necessitatis adimplere contractum, *l.* 5. *illo tit.* procuratori in rem suam ad agendum constituto mandatis actionibus nomine domini directam actionem dari, etiam mortuo domino relictis hæredibus; et hoc genus mandati non finiri morte: cum tamen alias finiatur morte mandatoris, et procuratori suo nomine semper dari utilem actionem rei persequendæ gratia, cum actio ei in rem suam mandata est. Non mandatis actionibus, nec debitore delegato mortuo domino procuratori in rem suam constituto ad accipiendam pecuniam a debitore domini, ad agendum adversus eum debitorem nullam superesse actionem: et hoc casu mandatum finiri morte etiam, quod in rem mandatarii factum est, *l.* 8. *eod. tit.* sunt autem aliæ definitiones, quæ sunt principia communia actionum. Cui mandata est actio principalis, et Servianam mandatam videri, *l.* 6. et 7. *illo tit.* Item in arbitrio esse creditoris, quod tamen mutavit Novel. Just. utra prius actione experiri velit, principali an Serviana, et alia aliam non consumi, *l.* 10. et 11. *illo tit.* et postremo legibus, et judiciis compellendos debitores ad solvendum non armis, non servitio corporis l. 9. et 12. *illo titul.* ob æs alienum servire liberos creditoribus jura compelli non patiuntur: nec jam igitur debitores posse necti, vel vinciri compedibus, ut nervo: contra 12. tab. his omnibus definitionibus tituli decimi additur alia definitio hoc proprio, et singulari tit. 11. cur proprio? quia est nova regula juris introducta a Justiniano, et scilicet obligatio, quæ non cœpit a defuncto, vel contra defunctum, a persona hæredis, vel contra hæredem possit incipere: quod erat olim absurdum, ut plus juris haberet hæres, quam defunctus habuisset. Et est ei juri regula juris antiqui penitus contraria, l. *ult. C. Theod. de divers. rescript.* et §. *Post mortem. Instit. de inst.* apud Theophilum: tollitur antiqua verborum differentia, cum moriar, cum mortuus fuero, post mortem dari, vel pridie, quam moriar, dari: nam quoquo modo sit conceptum negotium, ex eo nascitur obligatio, et potest incipere ab hærede, vel in hæredem, *l.* 11. *inf. de contr. stipul.*

Ad Tit. XII. Ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore, vel mater pro filio conveniatur.

Inter generales definitiones de obligationibus, et actionibus hanc posuimus, neminem obligari ex contractu alterius: quod his exponitur in *l. pen. hujus tit.* hoc est ex suo quemque contractu obligari, non ex alieno: et tantum abest ut unus pro alio obligetur, ut nec dominus pro colono possit obligari, l. 3. et 11. *sup. tit.* 10. Et ut etiam pro debitore pecuniæ creditæ non possit is conveniri ad quem ea pervenit, *l. pen. sup. tit. eod.* quod et memini me legere apud Senecam lib. 5. de beneficiis. Ait enim, *exigi ab eo debere quidque in quem confertur: sicut pecunia ab eo petitur cui credita est, quamvis ad me illa aliquo modo venerit,* non spectatur ad quem pervenerit, sed quis contraxerit. Id etiam adeo verum est, ut nec conjux pro conjuge, nec mater pro filio, nec quisquam omnino pro necessariis sibi personis conveniri possit, ut hic, et titulo sequenti ostenditur; quamobrem vix videtur ullus excipiendus ab ea regula: neminem obligari ex alterius contractu, *l. ult. hoc tit.* nam et pater pro filiofamilias, quamvis in plerisque casibus, et artificiis juris civilis idem videatur esse pater et filiusfamilias, tamen pater pro filiofamilias, vel dominus pro servo licet inter dominum, et servum eadem dicitur esse unio, capitis unius scilicet, civiliter non obligatur, nec jure prætorio in solidum, sed in peculium duntaxat, si peculiati sint filiusfamilias et servus: et quod in peculium tantum obligantur jure prætorio, ideo hic matri non junxit patrem, qui habet in sua potestate filium: sed dixit, ne mater pro filio, non dixit ne pater pro filio: quoniam pater pro filio obligatur ad modum aliquem jure prætorio actionibus honorariis de peculio, de in rem verso, quod jussu, et filium eum dicimus, plerumque filiumfam non emancipatum intelligimus in hoc titulo, et seq. Eadem ratione filio emancipato non junxit filiumfamilias, quia, vel de peculio pater tenetur pro filiofamilias.

Ad Tit. XIII. Ne filius pro patre: vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono, vel servus pro domino conveniatur.

Ad superiorem regulam, qua cavetur neminem obligari ex contractu alterius, additur in hoc tit. nec filium obligari pro patre, nec patrem pro emancipato filio, nec libertum pro patrono, nec servum pro domino, quod in servo est certissimum: cum ex contractu suo servus nullo jure conveniatur, cum nullam personam habeat, l. *Tutelas.* §. 1. *D. de capite min. l. ult. sup. de noxalib. action.* l. 7. et 8. *sup. de judic.* et quamvis hoc de servo legitur in *l. ult. hoc tit.* dum ait ex contractu domini servum conveniri non posse, tamen in ipso titulo

non fuit additum in manuscriptis, *vel servus pro domino*, nec in Basilicis. Et quidem in *d. l. ult.* id factum videtur obiter, patrono scilicet conjuncto dominum, et liberto servo. Ex novissimis constitutionibus est, mos, ut vicaeus pro convicano conveniretur, quod jus tantum exercetur in hostes, ut si quid mihi hostis eripuerit, id possim repetere a quolibet ex hostium numero: vulgo repressalias vocant, *represailles*.

Ad Tit. XIV. An servus ex suo facto post manumissionem teneatur.

Sequitur in hoc tit. alia regula generalis de obligationibus, et actionibus, quæ est hujusmodi: de eo quod quis contraxit, vel gessit in servitute, post libertatem, ei vel in eum nullam actionem esse, utputa si ei credita sit pecunia in servitute, condici eam libero facto non potest. Cujus regulæ ratio est, quia nec ab initio fuerit obligatus. *l. In personam l. Cum servo. D. de reg. jur.* nam etsi servus ex contractu suo naturaliter obligatur, *l. Servi. D. de oblig. et act.* tamen ea naturalis obligatio non parit actionem. Porro quæ ab initio non fuit actio, nec esse post libertatem potest. Excipitur unus casus, si id quod is gessit in servitute, sit connexum cum eo, quod gessit post libertatem, *l. Tutorem. D. de administr. tut. l. 7. D. de neg. gest.* hæc facit ratio connexi, ut quod geritur post libertatem trahat ad se gestum in servitute, ac si gereretur post libertatem potius, quam trahatur ad tempus servitutis, ut natura docet, facilius iri prorsum, quam retinere. Casu illo excepto, nulla est actio post libertatem, vel domino, vel estraneo, vel manumisso: quamobrem in tractatu de solutionibus, quo docemur, id quod debitor ex pluribus causis indistincte solvit non dicens in quam causam solvat, id cedere in antiquiorem contractum id solvere antiquiorem obligationem, *l. 5 et 24. D. de solutionibus.* recte dicitur, in manumisso non esse antiquiorem contractum eo, quem statim post libertatem habere solet cum patrono de præstandis operis, et dono, vel munere, dum promittit statim a libertate se daturum aliquid, vel id jurat quia scilicet contractus habiti in servitute pro nullis computantur, *l. In liberto. D. de solutionib.* ubi dicitur: *In liberto antiquior contractus operarum esse non potest, sine quo ei data libertas non esset*: hoc apertius Græci dicunt: *non potest contractus liberti vetustior esse, quam operarum*, scilicet post libertatem patrono promissarum: et hic factum interpretor contractum, vel quasi: nam actionem ex delictis venientium obligationes cum capite ambulant: nam et hæ in servitute incipiunt, *l. Tutelas. §. Injuriarum. D. de cap. min.* et vulgo dicitur, noxam caput sequi, quod scilicet nocuit, *l. 4. h. tit.*

Ad Tit. XV. Quando fiscus vel privatus debitoris sui debitores convenire possit, vel debeat.

Sequitur tit. 15. in quo legendum est, exigere, non convenire. Pendet hic titulus ex superiore regula, neminem ex alieno contractu, etc. at ait creditorem non posse convenire debitorem debitoris sui pro ea summa quam ei debet, ut possit conveniri actione in personam. Regula est de actione in personam: aliud dicemus de actione Serviana vel hypothecaria: potest enim creditor exigere debitorem sui debitoris actione Serviana, jure taciti pignoris vel manifesti, si debitor nomina, quæ habet pignori posuerit, specialiter, vel generaliter, vel si tacito jure intelligantur pignorata: hoc casu licebit creditori jure hypothecæ convenire debitorem debitoris, et licet titulus dicat, *fiscus, vel privatus*, distat tamen fiscus a privato, nam fiscus semper habet jus taciti pignoris, exceptis quibusdam privilegiariis creditoribus. Nec videntur nomina pignori esse obligata, nisi ita nominatim convenerit, *l. Nomen. inf. quæ res pign. obl. g. poss.* et præterea fiscus debet prius excutere principalem debitorem, quam debitorem debitoris jure hypothecæ, *l. pen. hoc tit. inf. de conven. fisci deb. l. Moschis. D. de jure fisci*: privatus autem habet arbitrium conveniendi quem velit si nomen sit ei pignoratum: principalem debitorem, aut principalis debitoris debitorem, *l. ult. sup. tit. 10.* plus habuit olim privatus, quam fiscus non habuit electionem: sed hodie ex Novel. 3. idem jus est in utroque. Et præterea hac in re distat pignus conventionale ab eo quod capitur judicati exequendi gratia: nam jure conventionis nomen pignori obligatum persequor, etsi debitor sit solvendo, ut dixi, si privatus sim, quia habeo jus electionis, nec tamen capio nomen ex causa judicati aliter quam si non sint alia bona, quæ pignori capi possint, *l. 2. hoc tit. l. A D. Pio. §. Sic quoque. D. de re jud.* Quod tamen audio non observari hodie: nam quilibet, vel nomen statim initio capi posse in causam judicati. Privatus igitur agit primum quando suet ei mandatæ et cessæ actiones: item quando capitur ex causa judicati deficientibus aliis facultatibus condemnati.

Ad Tit. XVI. De hæreditariis actionibus.

Hic titulus pertinet ad superiorem regulam, neminem obligari ex alterius contractu, ut scilicet intelligatur ab ea semper excipiendum esse hæredem, vel bonorum possessorem: nam hic proprius accedit ad personam defuncti, quam filius ad personam patris, vel quisquam alius ad conjunctam sibi personam, unde ita definiamus: actiones hæreditarias esse, quæ cœperunt ex persona vel in personam defuncti, et transierunt in ejus hæredem: nam quæ cœperunt ab hærede, vel in hæredem, ut actiones legatorum, quæ proculdubio incipiunt in hæredem, hæredis sunt, sive obligationes quibus eum oneravit defunctus: quia eum honorabat, potuit eum onerare: hæredis, inquam sunt, non hæreditariæ, vel hæreditariarum loco sunt. *l. Hæred. de obl. et act.* et præterea solæ actiones in personam sunt hæreditariæ: nam et de his solis agitur in hoc titulo, et his convenienter hæredes sunt creditores, et debitores hæreditarii divisis inter eos actionibus pro hæreditariis portionibus, *l. 2. hoc tit.* legatarii non sunt creditores aut debitores hæreditarii, nec etiam fideicommissarii sunt creditores hæreditarii, quia non sunt juris successores, et successio juris generalis est: hæreditas complectitur commoda et incommoda, *l. ult. hoc tit.* non sunt etiam ipsi debitores hæreditarii, id est, quorum nomine sunt in hæreditate: nam hi non sustinent onus æris alieni. Ex quo intelligitur, creditorem vel debitorem hæreditarium dici duobus modis: vel hæredem ipsum, vel debitorem ipsum, vel creditorem defuncti, qui post aditam hæreditatem fit creditor aut debitor hæredis.

Ad Tit. XVII. Ex delictis defunctorum in quantum hæredes conveniantur.

Sequitur tit. 17. qui pertinet etiam ad hæreditarias actiones, quæ a defuncto in hæredem transeunt, et inde nomen habent, quod transmittantur in hæredem quæ nascuntur ex contractibus, vel quasi contractibus defunctorum: hæ enim in hæredem transeunt in solidum, etiam lite non contestata cum defuncto: non sunt propriæ hæreditariæ actiones ex delicto, vel quasi delicto: nam quæ nascuntur ex delicto defunctorum, non transmittuntur, nisi lis contestata fuerit cum defuncto: cœptam enim litem cum defuncto hæres sustinere dicitur, lis a defuncto continuatur, seu transfertur in hæredem, vel si res fuerit judicata adversus defunctum, quia tunc actio ex delicto non transit in hæredem defuncti, sed actio judicati civilis, quæ cœpit a defuncto. Porro post litem contestatam vel condemnationem defuncti, hæres ex asse tenetur in solidum pro quo hæres est, et si res de qua agitur solida sit apud eum, *l. In conditione. 9. D. de cond. furt. l. 2. in fi. D. de prætor. stipulat.* Quod si lis non fuerit contestata, vel defunctus non fuerit condemnatus ex maleficii causa, sane hæres non tenetur ex delicto defuncti, nisi quatenus locupletior hæreditas ex ea re ad eum pervenerit, dolove malo ejus factum est quo minus perveniret, et in id quod pervenit hæres tenetur potius calculi nomine, quam maleficii, ut si reddat rationem ejus, quod continetur in hæreditate: nihil enim mali fecit hæres: igitur nomine maleficii nunquam tenetur nisi ad eum quid pervenerit, sed calculi tantum ratione, ne ex alieno damno, et ne ex alieno scelere locupletior fiat, *l. In hæredem. et l. Sabinus. D. de d. l. mal.* et ait hoc tit. *ne alieno scelere ditentur*, quæ ratio est accipienda generaliter, et adjungendum, moribus turpe esse lucrum, quod etiam ad innocentes ex alieno scelere pervenit. Nunc explicandum est quomodo hæc delicta intelligenda sint an publica crimina intelliguntur, de quibus sunt publica judicia? non: nam exceptis quibusdam, hæc crimina non transeunt ad hæredes, etiamsi lis contestata sit cum defuncto, modo non fuerit sequuta condemnatio: nam condemnatio, quæ ex causa publici judicii defunctum tenuit, tenet etiam hæredem: litis contestatio, quæ tenuit defunctum, non tenet hæredem, *l. Ex judiciorum. D. de accus.* ergo non dicamus delicta hic publica crimina, quandoquidem definitur, post litem contestatam ex delicto transire ad hæredes: quod in publicis criminibus falsum est: sed delictorum appellatione comprehendimus privata delicta, ex quibus dantur forenses vel civiles actiones, pœnales aut mixtæ, aut etiam rei persecutoriæ, nam hæ non dantur in hæredem nisi post litem contestatam, etiam ortæ ex delicto: et ut maximam partem earum recenseamus, hæ sunt actiones ex delicto, quæ non transeunt nisi post damnationem, vel litem contestatam cum defuncto, furti, injuriarum, vi bonorum raptorum, damni injuriæ ex lege Aquilia, condictio furtiva, quæ ut suo titulo ostendi, etsi rem persequitur, ex delicto videtur nasci, nec datur in hæredem in solidum. Item actio de dolo malo, quod metus causa, ad quam proprie hæc constitutio pertinet: nam ut ait Accursius, vis non est rapina, sed concussio, et in hac constitutione concussio est metus, terror. Igitur pertinet hæc quæstio ad actionem quod metus causa, sed porrigitur ad superiores enumeratas: immo et ad actionem in factum ex edicto de calumniatoribus, vel ex edicto de alien. jud. mut. causa facta, et ad actionem in factum ex edicto de edendo: nam hæ actiones veniunt ex delictis: et delictum igitur hic satis ample accipitur, cum non contineat tantum solemnia delicta privata: sed et alia dolum malum, concussionem, imo servi corruptionem: hujus enim actionem includimus hoc titulo, actionem arborum furtim cæsarum, et de incendio, ruina, naufragio, et actionem de eo, qui pro libero sciens veniit. Interim velim definitionem hujus tit. pertinere ad actiones quæ sunt ex quasi delictis quod ostendit *l. Julianus. D. de jud. l. ult. §. Hæc judicia. D. nautæ, caup. stab. l. 5. §. Hæc autem. de his qui dejec. vel effud.* Pertinet et aliquando ad actiones, quæ dantur ex contractibus, cum in eis quoque delictum versatur, *§. Aliquando. Instit. de perp. et temp. act.* Dico aliquando, cum in contractu defunctus lucrum captavit ex damno alieno; vel etiam cum lucrum alteri præstitit ex eo contractu per gratiam, *l. 1. C. de fid. tut.* vel etiam in eo litigatur ob negligentiam, quæ latæ culpæ comparari possit, hoc casu actione ex contractu, si in ea delictum versatur, hæres non tenetur nisi lite contestata, vel damnato defuncto. Et rursus dico aliquando, alioquin actiones ex contractibus defunctorum, vel quasi plane hæreditariæ sunt, et in solidum contractus nomine habiti cum defuncto.

Ad Tit. XVIII. De constituta pecunia.

A Titulo 10. animus fuit compilatoris Codicis tradere generalia præcepta de obligationibus et actionibus. Et postquam specialiter egit de hereditariis actionibus superioribus titulis, quibus omne genus actionum in personam includitur, voluit etiam de constituta pecunia ponere specialem titulum: tum etiam quod eo continetur etiam omne genus debitarum pecuniarum, omne debitum, *l. 1. §. Debitum. D. eodem*, tum etiam, quod dubitabatur an actio constitutæ pecuniæ quasi pœnalis, secundum tit. 18. non esset danda in hæredem, nisi lite contestata cum defuncto. Quod definitur *l. 1.* et 2. *hoc tit.* ut videtur in hæredem. Et aperte *l. 18. §. 1. re. D. eod.* videatur persequi rem non pœnam. Constituta pecunia est debita pecunia a se vel ab alio, quam certo die se curaturum quis recipit citra stipulationem: at id genus conventionis olim apud mensarios dicebatur receptum, et actio quæ ex ea reconipetebat actio receptitia quoties argentarii, qui solebant se negotiis omnium miscere: nomine contrahere volente, nisi ad mensam recipiebant se soluturos quod quis cavisset: ex quo civili negotio dabatur actio civilis et legitima: hodie appellatur constitutum, et est juris prætorii, nam actio de constituta pecunia est prætoria, non legitima: et fit constitum citra stipulationem, per epistolam, vel per nuntium: quo genere non fit stipulatio, *l. Qui autem. §. ult. l. Titius. l. Quidam. D. eod. l. Quidam, hoc tit.* hoc modo centum, quæ Titius accepit mutuo ex arca tua, vel non adjecta certa quantitate, ea salva ratione usurarum penes me habes: quod est constituere, etsi non sit adjecta dies certa ad solvendum in constituto, *l. Promissor. §. ult. l. Promissor. D. eod.* Est etiam genus constituti in epistola Pauli ad Philemonem: *Qua re laust te Philemon; aut quod is tibi debet, imputato mihi, ego Paulus manu mea scripsi, ego reddam.* Inter constitutum et fidejussionem nonnihil interest. Non fidejubeo pro meipso, *l. Hæres. §. ult. D. de fidejuss.* constituo etiam pro meipso. Et fidejussio intelligitur esse pura, sine die, nisi sit adjecta dies, qua caveat se pro alio soluturum. Constitutum etiam die non adjecta, ad diem fieri intelligitur, vel minimum ad decem dies, *d. l. Promissor.* Ea vis est verbi constituere. M. Tullius: *Si quid constitum cum podagra habes, etc.* Ac præterea fidejussor futuræ obligationis accipi potest, quod in recepto obtinuit apud mensam argentariorum. Constitutum non valeret, nisi pecunia debita, vel natura: sufficit deberi natura ut constitutum valeat, sicut fidejussio. Ac præterea ex constituto est actio Prætoria: ex aliis est actio civilis, et fit constitum quibuscumque verbis, non solemnibus, *l. 14. §. ult. D. eod.* actio constitutæ pecuniæ quasi in factum concipitur, nec habet formulam certam: cujus contractus non est solemnis formula, nec actionis est. Recepti erant solemnia verba ante Constantinum. Item ante Justin. in *l. 2. hoc*, non erat ex constituto actio, nisi earum rerum nomine, quarum datione iri solebat in creditum, in quibus rebus alia pleraque recepta sunt singularia, *l. Singularia. de rebus credit.* In quibus hæc velim numerari ut constitutum earum valeat sine stipulatione. Et præterea non erat actio perpetua ante *d. l. 2.* sed annalis tantum, ut videretur dari ex consensu mero, et quasi ex pacto nudo, sicut a prætore de pignore ex pacto mero datur actio, *l. Si tibi. §. De pignore. D. de pact.* Cave dixeris actionem constitutæ pecuniæ esse ex pacto nudo: nam constitutum est contractus, quia imitatur receptum, quod fuit contractus: precarium autem est contractus, quia simile est commodato, et ea ratione constitutum est contractus: fit quidem constitutum nudo consensu, sed non est is nudus consensus, et nudum pactum: nunquam invenies emptionem perfici nudo pacto, quod est nudus consensus, sed non omnis nudus consensus est pactum: et pactum est nudus consensus, quia non transit in proprium nomen contractus. Intelligitis actionem hanc fuisse annalem, dari singulariter ex nudo consensu, et non dari de omnibus rebus secundum jus vetus ante *d. l. 2.* eo factum est, ut plerisque videretur dari ex delicto, quod improbe fidem fefellisset, qui ad condictum diem dare fefellisset, quod ipse vel alius debeat: nudus consensus non est satis efficax ad perficiendam actionem, tamen ex mero consensu dabitur in te actio in odium tui, id est, propter perfidiam tuam: ac proinde quasi pœnalis ex parte rei non videbatur danda in hæredem rei: nec tamen obtinuit: nam et actio constitutoria datur in hæredem: sed verius hunc titulum fuisse applicatum superioribus duobus, ut intelligeretur, etiam actionem constitutæ pecuniæ esse hæreditariam.

Ad Tit. XIX. De probationibus.

Ut cohærentiæ titulorum ratio reddatur more majorum, actionum summa divisio hæc est, quod aliæ in rem sunt, aliæ in personam, aliæ mixtæ. Tertius liber dicatus est actionibus in rem et mixtis: hic autem liber quartus dicatus est actionibus in personam, quæ condictiones dicuntur communi nomine, sicut actiones in rem communi nomine vindicationes dicuntur: at jam initio hujus libri 4. proposita est actio ex mutuo, quæ condictionis commune nomen fecit suum: deinde propositæ sunt multæ condictiones, ut ex promutuo, ex æquo et bono, ex novis legibus, ex causa furtiva, quæ non aliud quam commune nomen habent: communi autem nomine explicato, alias actiones in personam executurus, quæ scilicet ex negotiis et obligationibus civilibus dantur, et quæ nomen suum habent proprium, quod nulli alii rei conveniat, et quasi deponunt commune, ut actio mandati, depositi, locati, pigneratitia, pro socio etc. A tit. 11. cœpit dare communia et generalia præcepta de obligationibus et actionibus, nec dum id peregit: nam hic titulus pertinet etiam ad generalia præcepta, vel ad ea, quæ sunt communia omnium actionum: nam inanes sunt actiones, nisi ut dicitur indubitata probationis fide apud competentem judicem liqueat vera esse, quæ in judicium deducuntur: hoc vero quis præstare debeat, actor an reus, in singulis actionibus quæri et disceptari solet; et per singulas quoque actiones itur hoc titulo hujus rei explorandæ gratia, sed non per omnes quidem actiones: esset enim res in mensi operis, sed certas quasdam, veluti in condictione si certum petatur, quæ ex mutuo est, probare debeat, *l. 1. hoc tit.* et in actione in rem, *l. 2.* et 4 *l. 12. Cum res.* et *l. 21 Ad probationem. hoc tit.* et in actione in factum, qua magistratus municipali convenitur ex facto collegæ, *l. 3.* et in causa restitutionis in integrum, cum de ætate quæritur, *l. 9.* et in actione præjudiciali, *l. 11.* et 14. et in petitione hæreditatis uter probare debeat, *l. 11.* et in causis criminalibus, *l. pen.* et *ult.* et hoc nomine soleo commendare titulum de probationibus, quod est per multas actiones: ita enim nulla est vel actio, quæ non indigeat probatione, probatio autem est intentionis suæ legitima fides quam facit judici actor, vel reus, vel uterque; probatio fit judici non adversario, quis hoc nescit? *l. Quingenta. 12. D. eod.* et quandoque exigitur ab utraque parte, prout religioni judicantis visum fuerit, ut in causis criminalibus, *l. ult. in fi. inf. de abolition.* item in quæstione generis, aut familiæ, *Nov. 36.* atque etiam in quæstione *l. pen. hoc tit.* quod ad eam quamdam suppleri velim, si scriptura, quæ profertur in judicium, suspecta dicatur ab eo adversus quem facere dicatur is, qui ea utitur, veram eam esse probare debet, alioquin tenetur falsi crimine: et ut eleganter ait *l. pen. tanquam reus nefariæ scripturæ* quicquid enim falsum, id et nefarium est, sed addamus ad *d. l. pen.* ex *l. 4. C. Theod. de fide testium*, etiam eum, qui dubitat, quique in dubium revocat scripturam, debere docere pro sua parte eam esse falsam: sic fiet et utraque pars impleat intentionis suæ probationes. Et in *leg. pen.* est reponenda vetus scriptura tam in hoc C. quam in C. Th. ut ita legatur illo loco: *cum quid in judicio promerint*, verbo formato ex præsenti, et in *l. 4. inf. de incest. nupt. si conjunctionem diremerint*, *l. 13. §. Si is qui hominem. de acceptilat. tollisse totam obligationem*, in quibusdam legitur *tulisse*: non sunt hæc errata, sed archaismi minime abolendi. Porro duæ sunt præcipuæ probationum species, instrumenta, et personæ, *l. 2. inf. de fide instr. l. 1. sup. de dilat.* Heliodorus, qui Æthiopica scripsit, lib. 10. *Omnis*, inquit, *his, omne judicium duas novit maximas probationes, scripturas, et testes:* sed adjungi possunt pro tertia specie argumenta, indicia, et signa, ut in *l. Ad probationem. hoc tit.* ait, inquit, *ad probationem domino non sufficiat instrumentum, non reprobari cetera probationis indicia*: et ita in *l. Indicia, sup. de rei vindic. dominium probari indiciis non minus, quam instrumentis*, indicia puta finium et terminorum, vel aliis modis, non quibuslibet, sed ut ait *l. Indicia, certis, quæ jure non respuuntur*, et *l. ult. hoc tit. indiciis indubitatis omni luce clarioribus*. Et Cicero pro Cœlio: *argumentis*, inquit, *agemus, et signis omni luce clarioribus crimina refellemus.* Levia et exilia argumenta spernit judex, et illegitima. Alia enim sunt legitima, alia illegitima; ut termini signa sunt legitima. Et recte Imperator Galba apud Suetonium, cum quæreretur de dominio jumenti, et uterque levibus argumentis, et testibus uteretur, ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit ut jumentum ad lacum ubi adaquari solebat, duceretur capite obvoluto, ibique capite revelato ejus esset ad quem sua sponte se a potu recepisset: hac arte cum deficerent idonea argumenta, invenit certissimum argumentum quo deprehenderet verum jumenti dominum. Et alia arte Salomon rectissimus Rex veram matrem, indicta sectione pueri deprehendit: et Claudius Imperator indicto matrimonio invenit, quem mater pro filio non agnoscebat: statim atque indictum fuit matrimonium mulieri, abhorrere cœpit ab eo, suadente lege naturæ. Et ad hæc pertinet *l. 1. §. Ad quæstionem. D. de quæst.* non esse facile credendum eam puellam suppositam esse, quam ambo parentes dicuntur charam filiam habuisse. Jam dicamus levia et mediocria argumenta non plane sufficere ad probationem, sed judicem tantum adducere ad suspicionem, *l. In lege Aquilia. D. ad leg. Aquil.* Qui locus est de argumentis et signis intelligendus, et notant Græci interpretes lib. 60 Basilic. tit. 3. c. 40. Quæstio est de eo, qui testibus nunc probare potest pecuniam sibi deberi sub conditione argumentis, vel testibus quos contendit superesse non posse tempore quo existet conditio: possunt utique hæc argumenta judicem adducere ad suspicionem, et efficere ut ea in testationem reducantur apud acta, ut fit hodie in æternam rei memoriam ex *d. l. In lege:* et *l. 3. §. Duo. D. de Carbon. edic.* Hæc vero fere sunt probationum solemnium et legitimarum genera, quæ dixi: et fere tria sunt genera non legitimarum: instrumenta, et scripturæ domesticæ: nam et domestici testes reprobantur: testationes privatæ, testationes patrisfam. non sunt legitimæ probationes in re patrisfamilias, nec in fraudem aliorum. Expensilationes privatæ non sunt etiam probationes legitimæ, *l. 5. 6* et *7. hoc tit.* Et his convenienter Siculus Flaccus lib. de limitibus agrorum ait, privatas formas agrorum non obligare, non facere fidem, et Cic. pro Roscio Comœdo: *suum Codicem testis loco recitare arrogantiæ est*: hisque probationem consuetis ac legitimis, veluti chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, testium intercessione, adjungit Gellius lib. 14. cap. 2. expensilationem, et mensæ rationem. Id non pertinet ad privatam expensilationem, sed ad eam, quæ fit ad mensam, tabulis argentarii, quorum est publica fides, *l. Argentarius. §. 1. D. de edendo*, etiam *lex 14. hoc tit.* non legitimis probationibus adjungit professionem natalium, ut si mihi eo die filium natum professus fuero publice privatimve: emendita hæc professio natalium, vel mea adseveratio, aut nominatio, ut si quis L. Titium filium suum nominaverit, vel affirmaverit, non ideo probatur, L. Titium filium ejus esse: vel si

defunctus in testamento dixerit, L. Titium sibi debere pecuniam certam, puta decem, *l. 6. h. t.* nudo defuncti dicto non creditur jusjurandum quoque nolim adnumerari inter solemnia et legitima probationum genera per se solum, *l. Eum qui. D. de jurejur.* fateor jusjurandum actorem exonerare probationis necessitate, et deferri deficientibus omnibus aliis probationibus, *l. Fateor. in princ. D. eod. l. 1. sup. de reb. cred.* Et rursus fateor esse jusjurandum adminiculum infirmarum probationum, veluti rationum privatarum, ut est in edicto Just. 7. nam hæc possunt fidem facere, adhibito jurejurando, quod detulerit judex, vel reus: sed nego per se solum jusjurandum esse legitimum probationis modum: alioquin reus cum quo agitur ex ea causa; quæ inficiatione crescit in duplum, qua damnaretur tantum in simplum si non inficiaretur, quasi reus negaret, cresceret in duplum actore jurante sibi deberi: hoc est, si jusjurandum legitima probatio esset, haberemus reum pro inficiatore, qui negaverat se debere, si jurejurando adversarii convinceretur: et tamen non habemus pro inficiatore aliter: quam si idoneis testibus convincatur, vel tabulis, quæ maximæ et legitimæ probationes sunt, *d. l. Eum qui. in princ.* Et recte in *d. leg. 4. ad leg. Aquil.* cum dicitur, actionem legis Aquiliæ dari debere in duplum contra negantem, si probetur damnum dedisse, recte Accurs. notat, probari hoc debere instrumentis, vel testibus, nec sufficere jusjurandum actoris, jusjurandum inficiatorem non facere, de suspicione non esse probationem legitimam non ambigitur: neque enim quis ex suspicione damnari debet, *l. Absentem. D. de pœnis.* Photius in Epistolis: *sicut implicita suspicionibus non satis condemnantur:* aliud enim sunt probationes, aliud suspiciones. Notat Rufinus in Hieronymum: *Nos quidem ex suspicionibus condemnat ipse, nec ex suis chirographis teneri vult, et suspicionibus:* addo argumenta, ex argumentis nascuntur suspiciones, *d. l. Is lege Aquilia:* nam neque his neque illis confirmatur fides ejus rei, de qua agitur, id est, non probant argumenta, nisi ut dixi, sint indubitata, et omni luce clariora: sed judicem tantum movent argumenta et suspiciones, et adversarium quandoque adigunt probare, ita ut sola confessio deesse videatur, *l. 1. §. 1. D. de quæstion.* Quamobrem sæpe ab argumentis et probationibus pervenitur ad jusjurandum, vel quæstionem, quasi adminicula argumentorum, quibus urgetur reus, non perurgetur, nec convincitur, quo adminiculo corroboratur probatio, et ita completur probatio, *l. 5. hoc tit.* confessio autem propria comparatur confessioni testium, *l. Servos inf. ad l. Jul. de vi pub. seu priv.*

Ad Tit. XX. De testibus.

A generali titulo de probationibus, quem heri exposuimus, transitum facit ad probationum species summas. Ac primum de fide testium agit, deinde titulo sequenti de fide instrumentorum: plures autem testes ad constituendam fidem ejus rei de qua agitur, exiguntur: unius testis nulla est fides, *l. 9. hoc tit.* et unius tamen instrumenti plena est fides: pessimi exempli est unius testimonio credi. Quod dictum tribuitur L. Scævolæ a Valerio Maximo lib. 4. cap. 1. Verumtamen Theophilus noster in testamento militari admittit testimonium unius testis jurati, et fide dignissimi, cui præscribi non possit. Etiam invenio Constantinum Imperatorem in constitutione quadam de Episcopali judicio, quam invenietis post C. Theod. unius Episcopi testimonium admittere, *Testimonium*, inquit, *ab uno licet Episcopo perhibitum omnes judices incunctanter accipiant.* quasi faciat fidem plenam, sed id postea adeo fuit mutatum ab aliis Imperatoribus Christianis, ut nec volentes, nec invitos Episcopos voluerint ad testimonium admitti, *l. Nec honore. sup. de Episc. et cler. Nec honore, nec legibus Episcopi ad testimonium dicendum flagitentur:* id est, neque volentes, neque inviti: legibus invitis testimonium nuntiatur: honor autem est volentem recipi in testimonium: sed existimat Theodosius in ea l. minui potius honorem Episcopi, si ad testimonium admittatur: sed ad rem: plures testes exiguntur, ut dixi, ad probationem constituendam, nec sufficit unus regulariter: nam legibus solet definiri numerus plurium testium in unoquoque negotio, ut testium decem in confarreatione, quod est, genus contrahendarum nuptiarum, Ulpianus *tit. 9. de his qui in manu sunt: farre*, inquit, *convenitur in manum certis verbis, et testibus decem præsentibus:* exiguntur septem testes in testamentis, quod est notissimum, et divortiis, *l. Nullum. D. de divort.* in Codicillis exiguntur quinque testes, *l. Hac consultissima. §. pen.* et *l. Cum antiquitas. §. 1. inf. de testam.* et *l. ult. inf. de Codicillis:* totidem etiam exiguntur, aut sufficiunt in testimonio rusticanorum, *l. Fi. inf. de testam.* et in nuda voluntate exiguntur tres ut declarat lex 27. *inf. de testam.* Invenio in causa repetundarum ex l. Servilia desiderari centum et viginti testes apud Valer. Max. lib. 8. cap. 5. quæ tamen effrænata multitudo testium postea constitutionibus coercita est, ut ait eleganter *l. 1. §. Quanquam. D. eod.* sed pendet hodie omnis ea res ex arbitrio judicis, ut quem putaverit dignum testium numerum in quacumque causa, eum vel admittat, vel requirat, ubi autem legibus non est definitus numerus testium, ut in furti conceptione, quæ ex 12. tabulis fit testibus præsentibus, non addito numero. Et similiter eadem lex 12. tab. in vindiciis sumendis, quas jubet superstitibus, id est, testibus præsentibus sumi, non addito numero, his casibus duo testes sufficiunt, *l. 12. Ubi numerus. D. de testib.* Et quod ait eadem lex, pluralem locutionem, cui non adjicitur numerus, nempe hanc, testibus præsentibus, duorum numero esse contentam, hoc est, quod dicimus in dubiis nos sequi minimum: lex 1. *hoc tit.* est Græca, necdum prodita est ejus sententia. ἀγγράφως μαρτυρία κατὰ ἐγγράφου μαρτυρίας ἰσχύειν οὐ δύναται, id est, adversus scripturam testes non admittuntur. Quod ex ipsa constitutione, ut opinor retulit Paulus lib. 5. Sentent. tit. de testib. *Testes*, inquit, *si de fide tabularum nihil dicitur*, id est, si non dicuntur falsæ tabulæ, *adversus scripturam interrogari non possunt.* Et quod Harmenopulus scribit lib. 1. tit. de testib. *Testes adversus scripturam nihil possunt valere*, est ex hac constitutione: atque ita evenit ut plus possint instrumenta, quam testes: quod accidit etiam in plerisque causis, ut eis fidem adhibere oporteat per instrumenta, non per testes: omnino necessaria est scriptura, ut in specie legis 15. *sup. si minor se major. dix.* et *l. Generaliter. inf. de non numer. pec. l. pen. inf. de contrah. stipul.* et *Nov.* 90. sane multum tribuitur in hac l. 1. instrumentis, dum eorum fidem dicitur testibus convelli non posse, si suspecta non dicantur: scriptum scripto contrario evertitur, non testibus: ut chirographum apocha abolet: quod tamen in Basilicis notatur ita esse accipiendum, ut non ea sententia passim abutamur: nam contra testimonia admitti testes ipsos quorum sunt testimonia, juxta verbum Adriani: testibus oportet, non testimoniis credere: nam testimonia in scriptum redacta nullius sunt momenti, nisi ei suffragetur vox testium ipsorum, quorum sunt testimonia, *l. 3. §. Idem divus. D. de testib.* et *Nov. 73. cap. 3.* Et recte Cornel. Tacitus lib. de orat. Testimonia, sit non per absentes, nec per tabellam dari debere, sed coram et præsentes, vel sane si per tabellam dederint, nihil agisse, nisi ea ipsimet confirment coram et præsentes, hoc est, quod dicitur, non testimoniis, sed testibus credendum: alias vero contra scripturam, cujus fides in dubitationem non vocatur, testes non rogantur, alioquin nullus esset finis probationum: hæc fuit sententia *l. 1. hoc tit.* nec fuit ut posset quis existimare ex Balsamone Nomocanonis tit. 9. sententiam legis fuisse hanc: rejiciendum esse a testimonio eum, qui tumultuosam petulantiam designasse judicatus erit. Et est Agylæus interpres valde suavis in hac re, quod ita proponat sententiam cap. 21. tit. 1. lib. 12. Basil. *Rejiciendus est a testimonio, etc.* nec minus suaviter Hervetus: *qui condemnatus est, quod seditiosas ac turbulentas aliquas ineptias fecerit.* Et neuter est assecutus Græci sermonis sententiam: nam in Græco ita est ut sit intestabilis, qui condemnatus est ob carmen, quod fecit. et caput illud Basil. omnino est sumptum ex *l. Ob carmen. D. eod.* tantum abest, ut ea sententia sit collocanda initio hujus tit. ut sit omnino referenda ad eam *leg. Ob carmen*, et exprimenda illis verbis: *ob carmen famosum*, non inepte superioribus, ut retuli.

Ad Tit. XXI. De fide instrumentorum, et amissione eorum, et Antapochis faciendis, et de his, quæ sine scriptura fieri possunt.

De instrumentis altera probationum specie eleganter dicitur in *l. 15. hoc tit.* in exercendis judiciis eandem vim obtinere tam fidem instrumentorum, quam depositiones, id est, interrogationem testium: et fidem instrumentorum accipe eam, quæ eis data sit, vel imposita per testes, vel per comparationem literarum in *l. Judices.* et *l. Cum quidam. hoc tit.* instrumenta omnia fidem non faciunt, non rationes privatæ, non expensilationes, non scripturæ domesticæ: sed instrumenta, quæ fidem faciunt, vel sunt privata, ut chirographum, syngrapha, ἰδιόχειρα, ut in *l. Scripturas. inf. qui potior. in pign. hab.* apochæ, antapochæ, et testimonia suffulta testium voce: hæc fidem faciunt, et obligant, et probant: vel sunt publica et forensia, ut ea quæ tabelliones conficiunt, ut in *Nov. de tabellion.* et monumenta census, aut professiones, aut tabulæ professionis: quorum tamen emissionem, vel corruptionem multis locis ostenditur in hoc titulo nihil nocere domino, vel possessori, vel creditori habentibus alias probationes, *l.* 2. 4. 5. 6. 7. 8. et in pragmatica sanctione Justiniani facta ad petitionem Vigilii Episcopi Romani, quam invenies post Nov. Just. Denique omnia scio valere sine scriptura venditiones, permutationes, divisiones, donationes, quæ insinuationem non desiderant, *l. 9.* 10. 13. 19. *hoc tit.* nisi scilicet id nominatim actum sit inter contrahentes, ut contractus redigeretur in scripturis: hoc enim casu contractus sine scriptura non valet. Emptio perficitur solo consensu, sine instrumentis, sed si convenerit ut instrumentum fieret, non erit perfecta emptio, nisi instrumentum fiat etsi convenerit de pretio ante instrumentum confectum, *l. Contractus. hoc tit.* Est etiam hoc tit. una constitutio de antapochis faciendis, *l. Plures.* quo nomine significatur professio debitoris facta creditori, vel domino, qua singulis annis fatetur de usuris quas pensitat creditori, vel de pensionibus, aut reditibus quos solvit domino. Et apochæ et antapochæ sunt professiones solutæ pecuniæ, sed apocha debitori a creditore: antapocha creditori a debitore datur, ut quandoque ea fretus creditor, cum erit commodum, ostendere possit solutione usurarum, vel redituum interruptam fuisse præscriptionem triginta annorum: si forte eam opponat debitor creditori eludendæ actionis causa: nam solutio usurarum, et redituum quam utique debitor probaturus est per antapocham, interrumpit præscriptionem triginta annorum, *l. pen. §. ult. de præscript. trig. annor.* ut recte Græci ad *d. l. Plures.* Est etiam pro antapocha exemplum apochæ subscriptum a debitore, et creditori datum: hoc enim exemplum tantum potest, quantum si ita debitor creditori cavisset: antapochæ formula hæc est: L. Titius fateor me C. Mævio, anno illo, die illo tot solvisse annui reditus nomine, quem ei debeo ob fundum, vel possessionem illam, vel tot usurarum nomine ob creditam mihi pecuniam: et hæc est formula antapochæ, scilicet pro antapocha exemplum apochæ, quam accepit debitor a creditore solutæ pecuniæ subscriptum ab ipso debitore, et redditum creditori. non male id dicetur antapocha

Ad Tit. XXII. Plus valere quod agitur, quam quod simulate concipitur.

Hic titulus est pars superioris: nam in eo hoc tantum ostenditur, plus valere veritatem rei gestæ, quam instrumento conficta et simulata. Et ex ea regula satis intelligitur, non minus valere rem quamcumque gestam, quod etiam habuimus tit. 21. etsi aliud intervenerit, quod instrumenta de ea re nulla intercesserint: neque enim instrumenta fiunt ut res valeat, sed ut res facilius probari possit, eitque ei fides diuturnior, *l.* 4. et 5. *D. de fide instrum. l. Multum. inf. si quis alteri vel sibi*: ad hanc regulam exemplum opponitur satis obscurum in emptione pignoris causa facta, *l.* 3 *hoc tit.* vulgo ita lex explicatur. Constitutione Constantini vetita est lex commissoria in pignoribus, quæ erat permissa ante Constantinum. Commissoria autem lex est, ut si ad diem pecunia non solvatur creditori, pignus committatur creditori, et transeat in dominium ejus, etsi plus sit in pretio pignoris, quam in credito, et merito aboletur lex commissoria in pignoribus, *l. ult. inf. de pact. pignor.* Quæ tamen æquissima est in venditionibus: nunc finge: creditor ut constitutioni Constantini fraudem faceret, rem quam accepit pignori, simulavit se emere sub conditione si ad diem pecunia ei non solvatur: hoc casu spectatur quod re vera actum est, non quod simulatum, nec fraudi erit locus. Et hoc est quod ait lex 3. *hujus tit. Emptione pignoris causa facta non quod scriptum, sed quod gestum est, inspicitur.* Et sane conveniret exemplum si ante Constantinum, id est, ætate Diocletiani et Maximiani vetita fuisset lex commissoria in pignoribus: at ea ætate permissa erat, et proprie dicebatur fiducia. Cum igitur permissa fuerit, verisimile est ad hanc legem tale exemplum non apponi, sed ne simus destituti exemplis, adnotetur tantum *l.* 5. §. *ult.* et *l.* 6. *D. de distr. pign.* Finge speciem: tres sunt creditores, qui uni seorsim diversis temporibus pecuniam crediderunt: hic decem ille quinque, alter viginti sub pignore eodem. In pignoria causa, et in actione hypothecaria prior creditor excludet ceteros, et divendet pignus. Igitur ut dicitur, prior tempore potior est in jure pignoris. Ceterum cum ita sunt creditores, secundus creditor jus habet offerendæ pecuniæ primo, id est, primus creditor cogitur invitus pecuniam sibi debitam accipere a secundo creditore, et dimittere ei pignus oblata pecunia. Primus dimisit pignus secundo, non ut pignus, id est, ut id scilicet haberet non jure pignoris, sed ut haberet jure emptionis et venditionis: denique secundus creditor accepit titulo emptionis: quæritur an tertius creditor habeat jus offerendæ pecuniæ secundo creditori ut ab eo auferat pignus: videtur non habere: quia emit a primo, et dominium acquisivit, non est tibi jus offerendi pretii, rei meæ, ut tibi cogar eam vendere, *l. Invitum. inf. de contrah. empt.* secundus creditor dominus est rei, quia emit, etsi a non domino: nam jure pignoris non dominus dominum facit: si dominus est, non vendet igitur invitus: imo vero auferturi a secundo oblata pecunia a tertio, etsi eam rem teneat emptionis jure, quia scilicet eam emit non tam dominii acquirendi, quam pignoris servandi causa, *l.* 2. *D. de distrah. pign.*

Ad Tit. XXIII. De commodato.

Expositis generalibus præceptis de obligationibus et actionibus, quæ cœpit exponere a tit. 11. et persolvit tit. 22. modo incipit de iis actionibus et obligationibus tractare per singulas species, ac primum de actione commodati quasi proxima et finitima actioni mutuæ pecuniæ, quam proposuit initio hujus libri: nam ut alias dixi, commodatum est mutuum ad usum, mutuum est commodatum ad abusum: re enim mutua abutimur, id est, eam consumimus, et verum mutuum consistit tantum in his rebus, quæ utendo consumuntur, quæ sunt in abusu, non in usu. Re autem commodata non licet abuti sed eam conservare oportet integram et illæsam, ut restituatur domino, qui eam commodavit: satis vicina sunt hæc duo negotia, mutuum et commodatum: et legimus etiam sub tit. *de rebus credit. si cert. pet.* id est de condictione quæ datur ex mutuo si cert. pet. sub illo titulo, qui non proprie est de mutuo, etiam prætorem edixisse de commodato et de pignore, *l.* 1. *D. de rebus credit.* Et nos de pignore agitur tit. seq. Duplex autem est actio commodati, directa et contraria. Directa est de re commodata restituenda domino, qui eam commodavit. Directa enim competit domino adversus commodatarium vel hæredem ejus: contraria autem actio commodati, id est quæ ex adverso commodatario in dominum est de recipiendis impensis in rem commodatam factis ob morbum hominis commodati, vel rationem aliam necessariam, non ob cibaria: nam æquum est ut commodatarius utatur re commodatoris suis impensis, id est, ex bibitis cibariis de suo, *l. In commodato.* §. 1. et §. *Sicut. l. In rebus.* §. *Possunt D. commod.* Igitur, cibariorum sumptus non repetit contraria actione sed sumptus valetudinis, vel quos alios necessarios: sed in hoc titulo, quatenus ejus conceptio indicat de commodato nihil adjicitur de actione contraria, sicut in tit. seq. de pign. actione vel contra, ut meliores Codices habent in hoc tit. non adjicitur vel contra, quia sub eo nulla est constitutio de contraria actione, omnes sunt de directa et principali. Commodatum est contractus, quo quis rem suam dat gratuito utendam alteri ad tempus, *l.* 2. *hoc tit.* temporalis ministerii causa, temporalis usus causa, et gratuito, id est sine mercede: alioquin locatio esset: nam commodatum est beneficium, quod proficiscitur ex amicitia utriusque, contrarium autem beneficio est merces, *l.* 1. § 1. *D. mand.* liberalis enim, et benigni hominis est beneficio non mercedem sequi, expleto usu in quem res commodata est. Ex ea conventione competit actio directa commodati. Utar exemplo *l.* 3 si rem meam tibi tradidero pignori obligandam creditori tuo et solveris postea creditori pecuniam omnem, pignoris obligatio extinguitur, ac proinde finitur usus in quem eam tibi commodaveram. Et ideo statim mihi competit de ea re recuperanda actio directa, et vicissim tibi contraria de recuperandis impensis, si quas necessarias feceris. Sunt igitur ex hoc contractu mutuæ actiones et obligationes ultro, citroque. Est autem valde singulare, quod ait lex ult. nec enim usquam alibi reperies similem textum: at plerisque videtur esse usque adeo novum, ut id tentent eludere et excusare quasi non sit plane verum, quod ait lex ult. nam sententia ejus hæc est: actioni commodati directæ non posse opponi compensationem, sed protinus domino rem esse restituendam, etsi ipse tantumdem debeat, aut plus commodatario, unde eam rem repetit, sit enim, prætextu debiti quod debetur commodatario ab actore, non probabiliter recusari restitutionem rei commodatæ: hoc quid aliud est, quam compensationi locum non esse in actione commodati? Et inde etiam nominatim hoc loco Græci non tantum in actione depositi, ut in *l. ult. inf. de compensat.* sed etiam in actione commodati cessare compensationem ajunt, et actori celeriter rem esse reddendam, locus est singularis, et ideo valde notandum. Verum obstat huic definitioni *l. In rebus.* 15. *ult. D. eod.* quod nominatim ait commodatarium, cum quo directo agitur jure compensationis posse consequi, quod consequeretur contraria actione commodati: ergo in actione commodati compensationi locus est: sed nihil est, quod tam facile expediri possit. Recte et hoc solum inter cetera Accursius in hac re retulit, compensari quidem a reo, cum quo agitur commodati, id quod ei debetur actione contraria: quia quasi pignoris jure res commodata ei tenetur in id quod venit in contrariam actionem, id est, eo nomine quasi ea res ei pignorata esset, quod in ea re impenderit: ideoque competit illi retentio ejus rei, quoad impensæ refusæ et redditæ sint, *l. Creditoris.* §. *ult. D. de furtis.* Ceterum non compensatur in actione commodati id quod reo debetur alio judicio. Et ita respondendum est ad dictam legem *In rebus.* §. *ult.* verum magis obstat §. *In bonæ fidei. Inst. de actionib.* in quo generaliter definitur, ex constitutione Justiniani, in omnibus actionibus compensationi locum esse, excepta sola depositi actione, et sola depositi, non debet ei adjungi commodati actio. Nec est quod possis respondere nisi simpliciter in eo §. esse respiciendum ad constitutionem Justiniani, de qua loquitur, excipi solam depositi causam quia eam solam excepit constitutio Justiniani, et omisit actionem commodati, quam tamen non ideo ab eodem jure excludimus. At nec propterea dicemus nullam esse differentiam in hac re inter actionem depositi, et commodati: ostendam enim superesse, ut longe majorem esse favorem actionis depositi: nam verissimam esse arbitror sententiam Joannis relatam ab Accursio in *l. pen. inf. depos.* In actione depositi ne compensari quidem id posse quod depositario debetur contraria actione: denique depositarium jure pensationis, vel pignoris non posse retinere rem depositam ob ea, quæ in eam impendit, sed debere eam persequi contraria actione, ut rem sine mora reddere: grave esse procrastinare et differre depositi restitutionem, fidem depositi id desiderare, et præcipua favore hujus contractus celerem restitutionem, quod invenio etiam favore dotis esse receptum in *l. Dote prælegata. D. de dote præleg.* Dotem, quam mulier petit ex legati causa non posse retineri, veluti pignoris jure, vel, quod idem est, compensationis jure ob donationes mulieri factas revocatas a marito, vel ob impensas non necessarias, quæ dotem ipso jure non minuunt, factas a marito in rem dotalem, sed incunctanter dotem illi esse restituendam, non admisso pensationis jure: non idem est favor commodati nam in actione commodati, saltem compensatur, quod venit in actionem contrariam: at similiter non est idem favor empti et venditi: nam venditor etiam post perfectam emptionem retinet rem venditam quasi jure pignoris quoad ei pretium solvatur. Et evenit hoc casu, ut res sua ei pignorata sit, cujus scilicet dominium nudum transtulit in emptorem, *l. Julianus.* §. *Offerri. D. de act. empt.* *l. Hæreditatis. D. de hæred. vend. l. Quod si nolit.* §. *Idem Marcellus. D. de ædil. edict.* et *Nov.* 136. Et sunt pleraque alia in quibus utique major est favor depositi, quam commodati. Ac primum testatio, vel denunciatio alterius non potest moram injicere restitutioni depositi, prohibitio alterius de ea re forsitan domino faciente controversiam, *Nov.* 88. et chirographis rerum depositarum non potest opponi exceptio non numeratæ pecuniæ, vel non traditæ rei *l. In contractibus. inf. de non numer. pecun.* Et actio depositi est famosa, commodati non est famosa: fateor bonam esse fidem depositum reddere, bonam esse fidem commodatum reddere, sed si hoc non feceris, non eris infamis. Turpe est depositum non reddere, et turpe est commodatum non reddere (quæ de re est problema Aristotelis) vel quod ei proximum est, mutuum. Hinc videmus, quam distet alia actio ab alia: ac præcipue etiam in jure pensationis.

Ad Tit. XXIV. De pignoratitia actione.

Sequitur alius contractus, quem pignus dicemus, et pignori acceptum, *l.* 23. *Contractus. D. de reg. jur. l.* 1. §. *ult. D. de pact.* Id scilicet est pignus, quod traditione constituitur, quod datur de manu in manum: nam hypotheca, quæ nudo pacto consistit, instituitur de jure prætorio, *l.* 17. *Si tibi.* §. *de pign. eod.* Hypotheca non est contractus, sed pactum: nam omne pactum est nudum: et longe aliud est pactum, aliud contractus: nec contractus pactum est, nec pactum contractus. Igitur pignus quod constituitur traditione, contractus est, hypotheca ea, quæ nudo pacto constituitur, non est contractus, quia scilicet traditione non sumpsit effectum, et omnes ci-

vile non habet, sed legitimum, sed prætorium: verum actiones, quæ sunt de pignore sunt communes pignoribus, et hypothecis tam in rem, quam in personam: nam actio hypothecaria competit ex utroque genere pignoris, sive quod constituitur traditione, sive quod nudo pacto, §. *Item Serviana. Instit. de actionibus.* hypoth. est persecutio pignoris, quæ actio est in rem, non in personam, *l. Pignoris, inf. de pignorib. l. 2. inf. si unus ex pluribus*, minime est quod invaluerit hæc opinio in foro, ut existiment et affirment omni asseveratione hypothecam esse personalem cum iis locis nominatim dicatur, non personam obligare, sed rem persequi: nec enim aliud est, quam vindicatio pignoris. Addamus alios duos errores, qui in forum irrepserunt: primus est donationem causa mortis eam esse, quæ fit ab ægrotante, ac si sanus non dicatur, donare causa mortis. Et illud stultius affirmant, actionem quamcumque de re mobili esse actionem realem ut damni infecti actio, pro socio, de pariete communi, quas certo certius est, esse in personam: verum ad rem. Satis dictum est de actione hypothecaria. Pignoratitia actio, de qua agitur in hoc titulo, est in personam, et bonæ fidei, non arbitraria. Et rursus est civilis, non prætoria, ut hypothecaria. Et pignoris civile nomen est, id est, ex l. 12. tab. Et tamen putem etiam ita hypothecarie id est, de pignore quod initio fuerat contractum nudo pacto, dari pignoratitiam si forte postea ad creditorem hypotheca pervenerit, et solvatur ei omnis pecunia: namque agetur confestim de hypotheca recipienda: atque ita actiones hoc titulo possunt esse communes, etiam hypothecæ, quæ casu aliquo post conventionem nudam pervenerint ad creditorem, et competit directa pignoratitia actio debitori, qui omnem pecuniam solvit de pignore recipiendo, ut in *l. 32. Fidejussor. D. de neg. g st. l. pen. D. eod.* pignoratitium judicium, ut loquitur *l. 78. Lucius. §. Rogatus. D. ad Trebell.* contraria actio pignoratitia competit creditori si quid impendit, vel si res aliena ei pignorata sit, *l. 16. Tutor. §. Contrariam. D. eod.* nam etsi non valeat pignus rei alienæ *l. 30. Servus quem. §. ult. D. de action. empti*, tamen ultro citroque est pignoratitia, ac si non sit omnino inutile pignus rei alienæ, *d. l. Tutor. l. 9. Si rem alienam. in princ.* et *l. 22. Si pignore. §. Si prædo. D. eod. l. 4. §. Si rem. D. de usur. et usucap.* nam facile potest convalescere pignus rei alienæ, ut dicitur in *l. 9. Qui balneum. §. Totum. D qui pot. in pign. hab.* et ad extremum pignus est contractus alterius fides, et accessio, et solvendæ rei vinculum, *l. Legata. §. ult. D. de supel. leg.* vel pignus est obligatio rei certæ in vicem crediti: vel est contractus, quo debitor rem suam deponit nectitque creditori, quo magis in tuto sit creditum suum §. *ult. Instit. quib. modis re contr. oblig.*

Ad Tit. XXV. De institoria, et exercitoria actione.

Post actionem commodati et pignoratitiam, directas et contrarias, quas, supra habuimus, et quæ ex contractibus nostris nobis, et in nos dantur, nunc proponuntur actiones, quæ ex iisdem, vel aliis contractibus aliorum hominum, veluti institorum, quos mercaturæ faciendæ, vel magistrorum, quos navi exercendæ et occupandæ præposuimus, etiamsi sui juris erat, non in nostra potestate: similiter nobis, et in nos dantur, duæ scilicet actiones exercitoria, et institoria: exercitoria ex contractu magistrorum quos navi præfecimus: institoria ex contracto vel contractibus institorum, quos mercaturæ, vel negotio alicui præposuimus: nam non sunt unius negotii, sed omnium negotiorum, et omnium contractuum: est actio ex empto institoria, vel exercitoria: est ex locato conducto institoria, vel exercitoria: est actio mutuæ pecuniæ exercitoria, vel institoria. hæc scilicet aptitudo quasi in omnes actiones cadit, *l. Quæcumque. §. Non tamen. l. Novissime. D. eod l. Si tamen. l. ult. §. Eadem. D. de exercit.* Et ita quæ proponuntur tit. seq. actiones, de peculio, quod jussu, et de in rem verso, appellationes sunt omnium actionum, vel agnominationes capaces omnium actionum, vel omnium negotiorum: non sunt unius negotii actiones, sed omnium, nec nomina actionum, sed appellationes ex contractibus eorum, sunt in nostra potestate, non etiam ut exercitoria, aut institoria ex contractibus eorum, qui sunt sui juris. Institor est, qui alieno nomine instat mercaturam, ut Nævius loquitur: *Instat mercaturam, credo rem faciat, frugi est homo*: et dicitur in *l. 3. D. de Instit.* institorem ex eo appellari, quod instat negotio gerendo, vel negotiationi alicui, non suo sed alieno nomine. Porro ex contractu institoris iis, qui cum eo contraxerint, ejus rei causa cui præpositus est institor, non etiam alterius cui præpositus non est, ut eleganter *l. 2. et 3. h. t.* iis inquam, in eum, qui præposuit institorem, jure Prætorio est actio in solidum, quæ appellatur institoria, introducta optima ratione, quia sicut is, qui præposuit institorem commoda sentit ex administratione institoris, ita æquum est etiam secundum naturam, ut est regula juris, ut incommoda sentiat, puta ut conveniatur ex ejus contractu, quia et is qui contraxit cum institore, non institoris, sed ejus, qui præposuit fidem sequitur, et propemodum cum eo contrahere arbitratur, ad quem actus, pensiones, et reditus omnes institoris pertinent: at cujus denique res agitur, non institoris. Et placet quod ait *l. 1. D. eod.* commoda eum sentire ex actu institoris. Ex quo intelligitur institorem nihil aliud esse, quam actorem rei ejus qui eum præposuit rebus suis certis, vel omnibus, institorem eum esse qui actum gerit alienum, ut non male in idiotismo dicatur *factor*: commoda autem sentit ex actu institoris, quia ad eum redeunt omnes quæstus negotiationis. Et quia quod admodum singulare est, si aliter rem suam servare non possit (ut si institor, qui est liber homo non sit solvendo) hoc casu ei, qui institorem præposuit in subsidium, defectis facultatibus institore datur actio utilis in eos, qui cum institore libero homine contraxerunt, *l. 1. in fi.* et *l. 2. D. eod. l. 5. D. de præt. stipul.* quod singulariter receptum est contra regulam juris, quæ vult, per liberam personam nobis non acquiri actionem, *l. 1. inf. per quas personas nob. acquir.* et *l. Solutum. §. Per liberum. D. de pignorat. act.* sed ea regula propter rei utilitatem vitiatur, et inflectitur, et in subsidium nobis datur actio ex contractu liberi hominis. Itemque per institorem liberum hominem nobis acquiritur actio utilis et subsidiaria in eos, qui cum eo contraxerunt dum is actum ageret nostrum, non suum: hæc de institoria. Exercitor autem est dominus, vel quasi dominus, navis, qui navem exercet, et qui percipit omnes reditus hujus navis. Is autem, qui ab eo præponitur navi, cuique tota cura navis exercendæ mandatur vocatur magister navis, Græce πιστικός, quod ei commissa sit navis. Et est igitur in ea re velut institor quidam navis exercendæ, qui instat nullam aliam rem, quam exercendam navim; et ita nominatim Manilius lib. 5.

Institor æquoreæ varia sub imagine mercis.

Nam actioni exercitoriæ locus est ex contractu magistri, non tantum si navem locaverit ad merces alienas vehendas, vel onus vehendum, vel si vectores conduxerit, vel si armamentorum quibus navis instruatur, emendorum causa navigaturus miserit: sed si fuerit præpositus mercibus emendis et vendendis, et maritimæ negotiationi. nam ex contractu ejus exercitor obligatur in solidum actione exercitoria ex edicto prætorio, *l. 1. §. Magistri. D. eod.* Quod si magister navis institor est, aut propriam speciem institoris facit atque constituit, et exercitoris: igitur actio exercitoria, et institoria est et retro institoria, et exercitoria est; nam is, qui institorem præponit, dicitur etiam exercere tabernam, et officinam, vel mensam, vel aliam negotiationem. Et exercitor igitur ipse est non minus, quam qui navem exercet. Sic uterque exercitor est, uterque institor est, *l. Habebat. §. Si duos* et *l. ult. D. eod.* sed quamvis hoc ita sit, tamen non debemus permiscere hæc vocabula, nec his abuti nostros auctores usquam inveni; quinimo accurate separari institorem a magistro navis etiam illo Horatii loco:

. . . . seu vocat institor;
Seu navis Hispanæ magister.

Et eadem accuratione separari utramque actionem videmus in eo, quod prætori præcipua fuit cura tam navigantium quam mercantium, seu negotiantium, ut his dederit proprium titulum, et propriam actionem, exercitoriam nempe: nam et hæc utilitas et necessitas navigantium facit, ut sint differentiæ inter hanc, et illam actionem, inter hunc, et illum institorem, quod ultimo loco explicabimus. Ceterum ad similitudinem actionis institoriæ, ut dicitur in l. 4. hujus tit. ex contractu magistri navis iis qui cum eo contraxerunt, ex causa cui præpositus est, datur in solidum jure prætorio actio in exercitorem, et vicissim exercitori datur in eos, qui cum magistro contraxerunt, *l. 1. §. Sed ex contrario. D. de exercitoria actio.* Atque ita evenit etiam hoc casu, si magister sui juris fuerit, ut per liberam personam nobis acquiratur actio contra regulas juris, scilicet actio utilis ordinaria, et subsidiaria, quæ scilicet exercitori est extremum rei suæ servandæ subsidium, quo non utitur nisi deficiente alio remedio, puta magistro egeno facultatibus, in quem est et actio ex locato, nomine eorum, quæ gessit, si mercede operas exhibebat, est in eum actio mandati quasi procuratorem, vel negotiorum gestorem; idemque est in institoria actione. Hoc igitur in his duabus actionibus est singulare, ut in subsidium dominus videatur acquisisse actionem per institorem, aut magistrum navi præpositum liberum hominem: et ad extremum diligenter sunt adnotandæ duæ differentiæ inter hanc, et illam actionem, quæ fecere ut distincti essent tituli earum actionum, distincta nomina, distinctæ actiones; et ut hoc de nominibus sciatur, eadem institoriam nomen habere ab eo, qui præpositus est negotiationi, vel mercaturæ: exercitoriam autem, nomen habere ab eo, qui præposuit, non a præposito; quia scilicet ex nomine magistri navis non potuit adfingi actioni nomen aptum, nisi fuisset dicta inelegenter magistraria; idcirco nomen accepit ab eo, qui præposuit magistrum navi: prima inter hæc duo negotia differentia hæc est: Dominus qui præposuit institorem, non tenetur ex contractu ejus, quem institor præposuit, et suo loco substituit: quia non eam legem dedit præpositioni ut institor subinstitorem haberet, et ut ipse ex utriusque facto obligaretur. Igitur non obligatur, nisi ex facto institoris, quem præposuit ipse, non ex facto ejus quem institor suo loco substituit. At exercitor tenetur etiam ex contractu ejus, quem magister præposuit, et in suum locum substituit, vel in sui muneris partem aliquam. Et quod mirum est, tenetur exercitor ex contractu ejus, quem magister præposuit, et si eum præponi noluerit: quod extorsit utilitas navigantium et necessitas, ut scilicet exercitor præstat omnia facta magistri, sive ex ejus voluntate, sive contra ejus voluntatem, alioquin navigationes essent incommodissimæ, quarum usus pertinet ad summam Reip. ut ait *l. 1. §. Si is qui navem. D. eod.* Et hæc differentia est, quod si filiusfam. voluntate patris navem peculiarem exerceat, sive cum eo contractum sit, sive cum magistro ejus, quem imposuit navi suæ, pater tenetur in solidum, cujus voluntate filius exercuit navem. At si filius exerceat merces peculiares voluntate patris, ex contractu filii, vel institoris ejus, pater non tenetur in solidum: sed in merces peculiarem tantum, et deducit etiam, quod filius sibi debet naturaliter, et una cum ceteris creditoribus peculiaribus, pater quasi creditor venit in tributum, id est, in æqualem distributionem mercium, quod fit per actionem tri-

butoriam, qui ex causa exercitionis navium tenetur in solidum, propter eandem utilitatem, et necessitatem navigantium, quod ostenditur in *l.* §. *Si is qui navem.* et §. *Quamquam. D. eod.* et *l.* 3. §. *Si filiusfam. D. naut. caup. stabul.* Et hic rursus observandum est maxime, prætorem dare actionem in solidum in patrem, si filius volente patre, navem exercuerit, volente, inquam, non etiam si sciente tantum nec volente; nam in edicto prætoris legitur, *volente:* non sufficit ergo scientia patris nuda, sed necessaria est voluntas, ut obligetur pater in solidum: alioquin si scientia intervenerit sola, pater tenebitur in peculium, vel veniet in tributum, id est, tenebitur, vel de peculio, vel de tributoria actione; actione tributoria non in solidum, qui scilicet in edicto de exercitoria actione ita nominatim scriptum est volente patre. Et longe alia est ratio edicti de tributoria actione, in quo scriptum est sciente patre: adeo ut si sciente patre nec volente, filius exercuerit merces peculiares, pater veniat in tributum. Idemque multo magis si sciente patre, ut veniat in tributum, nec obligetur in solidum: nam ut eleganter ait dictus §. *Si is qui navem,* in rebus dubiis, melius est verbis edicti inservire; et id de utriusque actionis scilicet exercitoriæ, et institoriæ edicto observandum est, quia scilicet custodire prætor in uno scientiæ, in altero voluntatis verbo usus est. Et notanda est valde hæc definitio, in dubiis rebus verbis inserviendum esse legum: nam quantum aberres ab eis, tantum aberras a jure nostro. Et ad extremum advertendum est, hoc tit. agi de actionibus provenientibus tam ex contractu eorum, qui sunt in nostra potestate, quam ex contractu eorum, qui sunt sui juris. At quæ præponuntur tit. sequenti, dantur tantum ex contractu eorum, qui sunt in nostra potestate.

Ad Tit. XXVI. Quod cum eo, qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicetur, vel de peculio, sive quid jussu, aut de in rem verso.

Expositis actionibus exercitoria et institoria titul. superiori, quæ ex contractu eorum, qui sunt in nostra potestate, vel aliorum, in nos datur in solidum, sive in assem inde transit ad alias actiones, quæ ex contractibus eorum, qui nostræ potestati subjecti sunt in nos minores sunt, nec dantur in solidum, sed pro certo constitutoque modo edictis prætorum. Et hac continuatione utitur Ulp. *l.* 1. *D. de peculio,* vel hac potius præfatione ad edictum illud, cujus prima verba proponuntur hoc titulo. Et sub eo edicto prætor proposuit tres potissimas actiones, unam quæ datur in peculium filiifamilias, aut servi, qui in nostra potestate est, alteram quæ datur in id quod versum est in rem nostram, quod reductum est in patrimonium nostrum, ex negotio gesto cum filio aut cum servo meo; et tertiam, quæ est de eo, quod jussu, vel mandatu nostro contractum est cum filio, aut servo nostro: quæ tres actiones non sunt unius negotii, sed accommodantur omnibus negotiis et contractibus, ut recte in §. *Actiones. Inst. de act.* dixerit plurativo numero, prætorem comparasse actiones de peculio, et nominatim de actione quod jussu in *l. Si dubitet.* §. *Filiusfam. D. de fidejuss.* actionem quod jussu referri ad omnes contractus, etiam ad stipulationes, et fidejussiones, atque adeo si fidejusserit filius jussu patris, patrem teneri, quod jussu: quod hæc actio suo ambitu complectatur omnes contractus, sicut et de peculio, et de in rem verso, et superiores de exercitoria et institoria: peculium est, quod quasi patrimonium servum, vel filium suum habere voluit: neque enim hæ personæ, quæ sunt alieni juris, quidquam habent suum, nisi permittente patre, vel domino, uno verbo, domini permissu habent veluti patrimonium quoddam suum, et in patrimonio etiam servos, quos vocant vicarios, quorum se esse dominos dicunt, id est, quasi dominos: sed semper meminisse oportet huic peculio deduci debere si quid domino debetur, vel patri naturaliter propter vinculum patria: nam jure civili non obligantur invicem propter vinculum potestatis. Igitur peculio semper deducitur, quod naturaliter ei debetur, qui concessit peculium. Et ejus ratio habetur etiam ante omnia privilegia creditorum, id est, præponitur omnibus privilegiariis, eique primo loco satisfit ex residuo peculii ceteris creditoribus, *l. Ex facto. D. de peculio.* Et hoc est, quod dicitur in *l. ult. in fin.* hujus tit. ita demum esse actionem de peculio utilem et efficacem ex contractu servi adversus dominum, si servus liber sit e rationibus domini, quas gessit, id est, si nihil debeat domino: nam si quod debet domino consumat peculium, jam nullum est peculium, nullaque actio de peculio ceteris creditoribus. Et dixi esse quasi patrimonium, ut in §. *Actiones.* et *l. Hinc quæritur.* §. *Pomponius. l. Peculium. l. Quoties.* §. *ult. D. de pec. l. Si decem hæredi. D. de statulib.* quasi patrimonium, inquam: nam quod in homine sui juris est patrimonium, in homine alieni juris est peculium non patrimonium, *l. ult. in fin. D. de inoff. testam.* quia patrimonium est nomen civile, et jure civili hæ personæ nihil habent: peculium autem est nomen naturale, et eorum, quæ sunt naturalia, hæ personæ non sunt expertes: et sic dictum est per diminutionem, sive ut est *l. Cogi. D. ad Trebell.* ὑπαρχισκός, id est, quasi pusilla pecunia, *l. Deposi ti.* §. *ult. D. de pecul.* Porro ex contractu harum personarum non est actio in solidum, nisi solido sufficiat peculium; sed est actio in peculium tantum, ut loquitur *lex In persona.* §. 1. *D. de pactis, l. pen. D. de cond. furt.* et *l.* 1. §. *Si is qui navem. D. de exerc. act.* in peculium, id est, pro viribus peculii, non ergo in solidum, extra causam scilicet exercitoriæ, aut institoriæ actionis, quæ competunt in solidum adversus dominum, vel patrem, quæ semper sunt excipiendæ. Et ita etiam actio de in rem verso non est in solidum, nisi in rem forte patris, vel domini versum est, fuerit solidum: sed est quatenus versum est in rem patris, vel domini: et maxime observandum est, actioni de peculio inesse actionem de in rem verso: actioni igitur inesse actionem, sicut actionem ex empto; et cuivis actioni bonæ fidei inest actio de dolo. At cedo, qui fiat, ut actioni de peculio insit actio de in rem verso? nempe quia si quis velit nosse vim actionis de in rem verso. Ita demum locus est actioni de in rem verso, si filius principaliter gerens negotium patris ea mente, ut eum sibi obligaret ex negotio gesto, aliquid in rem ejus vertit, ut puta agrum paternum colendo, vel domum paternam fulciendo, vel mancipia paterna vestiendo, vel creditoribus paternis solvendo, ut quibus omnibus pater obligatur filio naturaliter: nam eam obligationem, sive nomen imputat filius in peculium, quippe quod augeat ejus peculium, *l. Quam Tuberonis.* §. *In pecul. D. de pecul.* si auget peculium filii, quod scilicet filius vertit in rem patris: ergo qui agit de peculio agit etiam de in rem verso; quia qui agit de toto, agit etiam de parte. In toto inest pars, et actio de in rem verso est pars actionis de peculio; et si nihil præterea sit in peculio, quam quod filius gessit patri, quodque auxit rem patris, plane non erit actio de peculio, et actio de in rem verso; sed erit de in rem verso actio tantum, quia nihil est in peculio, *l.* 2. et *l. Filiusfam. D. de in rem verso,* et passim eo *tit. l.* 2. §. *Apud Julianum. D. de hæred. vend. l.* 2. *D. quando de pec. act. an. sit:* et manifestissime in §. *Licet. Inst. eod.* Quod autem diximus de actione de peculio, et de in rem verso eas plerumque non tribui in solidum: idem dici potest de actione quod jussu: nam etsi dicatur actio quod jussu dari in solidum, id tamen non obtinet: nisi id omne, quod contractum est jusserit ita contrahi pater vel dominus, quæ exceptione usi sumus in actione de peculio, et de in rem verso, et datur igitur actio quod jussu pro modo jussi, id est, quatenus jussit pater vel dominus contrahi cum filio vel servo: nam si jusserit filio vel servo numerari centum, et numerata sint centum et quinquaginta, tenetur hac actione in centum duntaxat *l.* 3. *D. quod jussu:* si jusserit pater credi pecuniam semissibus usuris, et credita sit centesimis, eatenus tenetur quatenus jussit: ergo in semisses, non in centesimas. Non est ergo actio quod jussu in id omne, et in solidum, quod gestum est. Et inveni in *l. Servus.* §. *pen. D. de in rem verso,* hanc fere esse formulam actionis quod jussu; quod jussu ejus credidi, in illo loco: *si quid jussu ejus credidissem, experirer.* Et ut absolvam formulam quod jussu: L. Titii Cajo Sejo filiofam. ejus credidi, in id Luc. Titium damnari mihi. Et ad hæc notandum est, huic actioni quod jussu locum esse si cum ipso servo, vel filiofam. contractum sit jussu patris, vel domini, puta si sit ei credita pecunia eo rogante, non patre: necesse est ut auctor contractus fuerit ipse filius, et jussu patris fuerit accessio; nam pro accessione accipitur in *l. Si servum.* §. *An filiusfam. D. de verb. obligat.* hoc casu erit actio quod jussu accessoria, sed quæ concurrit etiam cum principali, et directa condictione creditæ pecuniæ: nam in arbitrio ejus est qui jussu patris credidit filio, agere directa actione, idest condictione si certum petatur, tanquam si credidisset ipsi patri, vel agere generali in accessionem actione quod jussu, §. *ult. Inst. eod.* quod quanti sit momenti ita intelligemus facile. Si contractum sit cum extraneo jussu meo, an in me datur actio quod jussu? minime: sed ei competit tantum condictio creditæ pecuniæ. Actio quod jussu non pertinet ad extraneam personam, *l. ult. D. pro socio, l.* 2. §. *ult. D. quod jussu,* ut si pecunia sit credita servo alieno jussu meo, cessat actio quod jussu in me, etsi eum postea acquisiero: neque enim ejus acquisitione convalescit actio quod jussu, quæ fuit ab initio nulla, ut in *l. Generaliter.* §. *Si servus in metallum. D. de fideic. libert.* Et inde definit actionem, quæ ab initio cessat, ex post facto locum habere non posse, *l. Servi.* §. 1. *D. de furt.* Item si cum patre vel domino ipso contractum sit, si eis sit credita pecunia, cum ipse vel ille rogaret mutuam pecuniam, licet si usus ministerio servi vel filii in accipienda ea pecunia, ut jusserit eam pecuniam filio vel servo numerari quam ipse rogaverat: ultimo eo casu cessat actio quod jussu, licet jussus intervenerit, quia res non est gesta cum filio aut servo, et competit tantum in patrem actio directa, condictio, *l. ult. D. quod jussu,* et *l. Si filiusfam. D. de mortis causa donat.* Et in summa, ubi est actio quod jussu, est etiam actio directa ex contractu ipso: ubi autem directa est actio, non continuo etiam est quod jussu: licet jussus intervenerit. Id præterea observandum quod est in *l. ult. hujus tit.* commendationem quamlibet servi vel filii, non esse accipiendam pro jussu: puta si servum vel filium per epistolam commendaverit pater vel dominus, sed exigitur expressus eorum jussus. Aliud est commendare, aliud mandare. Commendatio non est jussus commendatoria, epistola non obligat, *d. l. ult.* Idem dicitur in *l. Si vero non remunerandi.* §. *Cum quidam. D. mand.* et *l.* 5. *C. Th. de pactis:* et recte Marc. Tull. 5. epist. *neque me humanitate litterarum mearum obligatum esse puto.* Sed in eo, multo magis est singulare quod dicit: si credatur pecunia servo, vel colono, vel actori, vel procuratori prædii, quæ sunt hominum genera quasi nobis subjectorum, et servos imitantium: si iis, inquam, credita sit pecunia injussu domini, idest, domino non jubente specialiter, nulla sit actio ex credito, et ut creditor amittat jus crediti, sciamus non esse crediti actionem, si quis filiofam. injussu patris credat ex Senatusconsulto Macedoniano. Sed hoc fortasse nesciebant idem esse in servo vel eo, qui quasi servi personam sustineat, et exigatur speciale jussum domini, ut consistat creditum. Addo ad eam constitutionem quod dicitur in *l.* 1. *D. quod jussu,* non referre quid jusserit dominus, sive specialiter in uno negotio, sive generaliter, verba quibusdam addita a Tribon. ex hac constitutione: nam sententia dictæ legis primæ hæc est; ut sit actio quod jussu, nihil referre, sive jusserit dominus specialiter in uno contractu, sive generaliter: nam generale jussum obligat in omnibus et per omnia, et si ita contestatus sit dominus cum eo. Quod voles cum Sticho servo meo

gerere, id omne geras meo periculo. Hæc contestatio non obligat in omnibus negotiis: verum addit Tribonianus, *nisi certa lex aliquid prohibet.* Quæ verba non potest assequi Accurs. quia non advertit esse emplastrum Triboniani, ut cum dicit: nisi certa lex aliquid prohibet, intelligat legem aliquam, veluti *l. ult. hujus tit.* quæ scilicet prohibet servo pecuniam credi sine speciali jussu domini, et hoc creditum esse a lege inutile. Ceterum tres sunt sub hoc edicto actiones, quæ dantur in patrem vel dominum; sed erit et quarta, quæ datur in filium factum sui juris de eo quod gessit antequam sui juris esset, et dabatur in filium post emancipationem non in solidum, sed in id quod facere poterat, de qua est, *l.* 2. et 9. *hoc tit.* Et id ne obrueretur statim novus paterfamilias: et ut in Basilicis habetur, ne inops fieri periclitetur novus paterfamilias, qui nondum idoneas facultates acquisivit.

Ad Tit. XXVII. Per quas personas nobis acquiritur.

Quemadmodum ex contractibus eorum, qui sunt in potestate nostra tit. 25. et 26. intellesimus prætorem varias in nos actiones dare: ita par erat his adnotare, quod hic titulus præstat, ex contractibus eorumdem etiam acquiri nobis obligationem et actionem: vis hæc est patriæ et dominicæ potestatis, ut quicquid acquirit filius vel servus, id confestim acquirat patri vel domino, sive hoc sit dominium, sive possessio, sive obligatio et actio, ut in puncto temporis et momento ab eo recedat, *l. Placet. D. de acq. hæredit.* adeo ut nec id ad eum pervenisse videatur, *l. Ubi. in princ. D. ad Trebell.* omne quicquid nobis acquiritur, vel est dominium, vel possessio, vel obligatio et actio: et id omne nobis acquiritur vel per eos, qui nostræ potestati subjecti sunt, vel non: et obligatio non tantum civilis, sed etiam naturalis, ut indicat *l. Frater a fratre. D. de cond. indeb.* in illo loco, *filio, eidemque creditori*, quæro an per eas personas, quæ sui juris sunt, aut quæ nostro juri subjectæ non sunt, nobis quidquam acquiratur? quod definitur hoc titulo. Et certum est, per liberam personam, quæ sui juris est non posse nobis acquiri ullam actionem, *l. 1. h. tit.* per liberam igitur personam nobis non acquiri vindicationem redintegratæ rei, id est, commissæ rei et reversæ in jus nostrum, puta venditione lege commissoria, ut Joannes proposuit non male, hanc legem commissoriam si dixerit libera persona meo nomine in venditione, non parit mihi vindicationem redintegratæ, idest, commissæ rei, quia nec dominium mihi per eam personam acquiri potest, ergo nec actio, quæ mihi jure domini competit, id est, vindicatio, quæ nihil aliud est, quam assertio dominii. Aliquando tamen in subsidium nobis acquiritur actio per liberam personam utilis et extraordinaria, ut per institorem et magistrum navis ex æquitate, ne res nobis pereat, quam alia ratione salvam habere non possumus. Et hac via uti possumus facile inflexo jure directo, et data actione utili: et eadem æquitate etiam per procuratorem acquirimus utilem actionem, *l. Julianus. §. Si procurator. D. de act. emp.* Idem receptum est jure singulari in mutua pecunia, in qua et pleraque alia singularia præcepta sunt, ut sit *l. Singularia. D. de reb. cred.* videlicet si eam numeraverit nostro nomine: neque enim id semper per nos possumus expedire: usus igitur rei hoc admittit, *l. Certi condictio. §. Si nummos. D. de reb. cred.* ergo jure singulari condictio mutuæ pecuniæ nobis acquiritur per liberam personam, quæ eam credidit nostro nomine. Et quod adjicit Just. in l. 2. ex ea causa, ex causa scilicet crediti, nobis acquiritur pignoris obligatio, et actio hypothecaria, si de ea convenerit cum eo, qui pecuniam credebat nostro nomine. Denique ex causa crediti per liberum hominem nobis acquiritur, et principalis actio, et accessoria ex constitutione Justiniani, ex qua, ut opinor Tribon. in *l. Solutum. §. Per liberam. D. de pignor. act.* et *l. Per procuratorem. D. de procur.* adjecit hæc verba, *non semper:* nempe pignoris obligationem non semper acquiri per liberam personam, quæ scilicet est sui juris, una tantum excepta, mutui scilicet, ex qua vult Justinianus etiam acquiri nobis pignoris obligationem per liberam personam eadem utilitatis ratione, et rerum expediendarum causa, quas non possumus expedire: tantum receptum est ut possessio possit acquiri nobis volentibus, aut ratum habentibus per liberam personam: possessio acquiritur animo et corpore. animo nostro tantum, corpore tam alieno, quam nostro, vel cujuscumque hominis, etsi sui juris sit, ut est receptum. Sic igitur dicamus: receptum est utilitatis gratia ut per liberam personam nobis acquiratur possessio, et deinde per possessionem dominium, videlicet si dominium a possessione separari non possit, ut si a domino res tradatur procuratori meo nomine alienandi animo, non potest in me transire possessio, quin transeat et simul dominium, quoniam idem est dominus et possessor, a quo res ad me transit. Quod si non dominus tradat procuratori meo, nomine meo, per possessionem mihi acquiritur occasio usucapionis: quod ostenditur in *l. 1. hujus tit.* dum excipit possessionis causam, dum ait, *excepta possessionis causa,* id est, possessione, ut dotis causa, id est, dos, *l. 11. D. solut. matr.* peculii causa: id est, peculium: ut et alii auctores loquuntur, *excepta,* inquit, *possessione nihil acquiri per liberam personam*, nec actionem, nec obligationem, nec dominium citra possessionem cui adhæreat dominium: nam si dominii possessio posset acquiri per procuratorem, et consequenter per eum acquireretur vindicatio, quæ est effectus, et finis, et exsecutio dominii: quod tamen negat lex prima.

Ad Tit. XXVIII. Ad Senatusconsultum Macedonianum.

Intelleximus ex constitutione Honorii et Theodosii *l. ult. tit.* 28. creditori nullam esse creditæ pecuniæ actionem, si pecuniam crediderit servo alieno, sine speciali jussu domini, quæ constitutio est valde nova: nam hoc obtinuit tantum in filiofamiliae ex Senatusconsulto Macedoniano; sed fuit æquum etiam porrigi ad servum, ne quia etiam servis necessariis in perniciem eorum crederet pecuniam, qua abuterentur, et forte in casum solvendi eam post mortem domini, tacita conventione: nam Senatusconsultum Macedonianum pertinet tantum ad filiosfamil. sic dictum ab eo qui causam dedit Senatusconsulto Macedoniano, non a Consule, qui consuluit, ut ceteris, a Macedone improbo fœneratore, qui facile pecuniam credebat filiisfamilias sub fœnore illicito, ea lege ut non eam redderent, nisi post mortem patris. Et ita de pueris impudicis tulit eam legem Aricius Tribunus plebis, ut qui adversi, vel præposteram, vel aversi, venerem exercuissent, vel qui alienam pudicitiam sollicitassent, aut suam ipsi prostituissent, pœna decem millium nummorum coercerentur. Juvenalis Satyr. 2. Sueton. in Domitiano. Sic Scantinius cum Marcelli viri illustris filium de impudicitia appellasset, damnatus est, ut Valerius lib. 4. cap. 1. testatur. Postea tamen huic sceleri pœna gladii a Christianis Imperatoribus constituta est. Quam pœnam auxerunt Constantinus et Constans, ut habetur in *l. Cum vir nubit in fœminam. inf. ad. l. Jul. de adult.* Et ita lex Scantinia dicitur sumpsisse nomen ab eo, qui et nomen dedit, non a consule, qui rogarit senatum. Igitur quia diximus tit. 26. ex contractu filii aliquatenus, vel in solidum dari actionem adversus patrem, hoc locum non habet in causa mutuæ pecuniæ ex Senatusconsulto Macedoniano: ex ea enim non tenetur pater pro filio, nisi specialiter jusserit ei pecuniam numerari, quo casu tenetur quod jussu, vel nisi ratam habuerit numerationem, ut *l. ult. hujus tituli:* nam ratihabitio jussui comparatur, et parit etiam actionem quod jussu adversus patrem, *l.* 1. *§. Si ratum. D. quod jussu.* Et quod etiam diximus in dicto titulo 25. in filiumfamilias ipsum ex contractu esse actionem in solidum quamdiu est in potestate patris, et postquam exiit e potestate patris, in quantum facere potest, ab eo jam excipienda est causa crediti: nam nec creditori ulla in filium actio est, nec petitio, id est, nec vindicatio est tamen si forte extat, nec consumpta est, *l. Sed si pater. §. Hoc Senatusconsulto. D. eod.*

Ad Tit. XXIX. Ad Senatusconsultum Vellejanum.

Senatusconsulto Macedoniano proximum est Senatusconsultum Vellejanum, quod a Consule nomen sumpsit: nam utroque Senatusconsulto tollitur exactio creditæ pecuniæ, utroque infirmatur creditum. Senatusconsulto Macedoniano si creditum sit filiofamilias, quod Imperatores produxere etiam ad servum. Senatusconsulto Vellejano, si creditum sit mulieri non in rem suam consumpturæ pecuniam, sed mox alii crediturae: vel si quis cum esset alii crediturus, intervenerit mulier cui credita fuit pecunia; quo casu mulier interponit se, et intercedit pro alio, et non minus quam si fidejuberet palam pro alio, et hæc fraus indicatur etiam hoc Senatusconsulto his verbis (*Mutui actiones*) quia fuit in personam mulieris, non in rem ejus, sed in rem alterius pro quo se immiscet huic negotio: nam generaliter hoc Senatusconsulto infirmantur omnes intercessiones mulierum, quibus scilicet recipiunt in se obligationem alienam veterem, vel novam, virorum est non mulierum pro aliis intervenire: possunt mulieres bona sua alienare, non possunt se, vel bona sua obligare pro aliis, quia faciles sunt captu, et facilius se obligant, quam donant. Consilium earum est lubricum et facile captu, ideo hoc Senatusconsulto succurritur illis: quamobrem etiam mulieres removentur ab officio argentariæ mensæ, *l. pen. D. de edendo*, quia scilicet pars hujus officii est intercedere pro aliis, *l. Si quis. §. Rationem. D. de eden. l. pen. sup. de const. pec.* et *Nov.* 136. et edicto Justiniani novo.

Ad Tit. XXX. De numerata pecunia.

Diximus titulo superiori jus crediti infirmari Senatusconsulto Macedoniano in odium creditorum facile credentium pecuniam liberis, qui sunt in potestate parentum, Senatusconsulto Vellejano in gratiam mulierum, quod fieri existimandum est non ipso jure, sed opposita exceptione hujus, vel illius Senatusconsulti: nam exceptione omissa, crediti exactio est, *l. Papinian. D. de Public. in rem act. l. Tamen. D. ad Maced.* nunc in hoc titulo proponitur tertium genus exceptionis, quæ etiam jus crediti perimitur in hac specie: si sperans mihi pecuniam mutuam datum iri chirographo cavero me eam accepisse, nec accepero, vel minus quam scripsi, accepero, *l. 2. hujus tit.* quo casu nihil ultra quam accepi restituam cum usuris in stipulatum deductis, et si mecum agatur ex chirographo, actionem infirmabo, opposita exceptione cautæ et non numeratæ pecuniæ, vel si mecum agatur habita contestatione exceptionis non numeratæ pecuniæ, me liberabo et absolvam ea obligatione: *l.* 8. 9. et 14. *§. pen. hoc tit.* et *l. ult. supra, de cond. ex lege.* contestari autem vel opponi debet hæc exceptio intra biennium, olim intra quinquennium: alioquin post biennium ex chirographo est efficacissima petitio crediti: et contra apocas privatorum opponi debet intra dies triginta, *l. In contractib. hoc tit.* Dico privatorum: nam contra apocas publicorum tributorum nunquam opponitur hæc exceptio, *l. ult. inf. de apochis publicis*, quæ est conjungenda cum *d. l. In contractibus:* est enim illius pars: et producitur exemplum hujus exceptionis ad omnia negotia, ut etsi non agatur de credita pecunia, sed ex aliis negotiis, opponi possit exceptio non datæ, non numeratæ pecuniæ, non solutæ, vel non debitæ rei cujuscunque, exceptis certis casibus, quibus huic exceptioni locus non est, ut si debitor fidem cautionis agnoverit, *l. 4. hoc tit.* si ita caverit transactionis causa, *l. 11. hoc tit.* si argentariis caverit, ex Nov. 37. si caverit se rem accepisse in causam depositi: nec enim

potest allegare se non accepisse depositum, qui vel semel scripsit se accepisse ex *d. l. In contractibus.* et aliis etiam casibus quos ex hoc titulo excerpere facile est.

Ad Tit. XXXI. De compensationibus.

In hoc tit. proponitur quartum genus exceptionis, quo etiam jus crediti perimitur, hoc nempe si pecunia pensata esse dicatur, *l. In exception. §. Sed etsi procuratoris. D. de probat.* nam compensatio olim in strictis judiciis, quale est condictio creditæ pecuniæ non fiebat ipso jure, sed per exceptionem doli mali, *§. In bonæ. fidei Inst. de actionib.* Compensatio est computatio vice mutua debitæ quantitatis, vel absumptio, vel delibatio ejus quod petitur: quam tandem placuit inter omnes juris auctores in omnibus judiciis ipso jure fieri, id est, id quod invicem debetur, ipso jure minuere, aut absumere id quod creditur, *l. Posteaquam. D. de compensat. l. 4. 6. et ult. hoc tit. l. Inter. D. de adm. tut.* si modo liqueat de eo quod invicem debetur: nam debiti incerti, dubii et obscuri non est compensatio, *d. l. ult. hujus tit.* et *l. Si debeas. D. eod. l. 3. D. de tut. et rat.* Hodie moribus nostris non opponitur compensatio, nisi ex rescripto principis, cujus impetratio est facillima: sed legibus nostris generaliter hodie ex *l. ult.* et sine permissu principis licet debitori cuilibet compensare id quod sibi invicem debetur: imo generaliter et compensatio, et retentio, et deductio omnis fit hodie ipso jure, et nihil differentiæ est inter deductionem et compensationem. Et admittitur compensatio non tantum in actionibus in personam, sed et in rem: olim non admittebatur in actionibus in rem, *l. Stichum aut Pamphilum. § Si creditor. D. de solut.* et possessori alienæ rei, vel alienæ hæreditatis invicem aliquid debeatur ab eo, qui agit in rem, non id sibi solvisse videtur aut compensasse, atque ita minuisse rem quæ petitur, sed debet seorsim agere de eo quod sibi debetur. Ergo in actione in rem non est jus compensationis, secundum jus vetus. Item erat olim magna differentia inter compensationem et deductionem. Compensatio, ut placuit omnibus, fiebat ipso jure, deductio per exceptionem, *l. Amplius. D. rem ratam haberi, l. Filium quem. supr. fam. ercisc.* Compensatio omnis est juris, deductio plerumque facti, quia fit per exceptionem. In compensatione jus versatur, in deductione factum, ut in *l. Quib.* et *l. Si in area. D. de cond. ind.* Et quibusdam casibus etiam jus, ut retentio dotis ob impensas fit ipso jure id est, necessariæ impensæ minuunt dotem ipso jure, et minuunt peculium, *l. Servus quem. D. de act. empt. l. Quod dicitur. D. de imp. in res dotal. fact. l. Dote prælegata. D. de dote præleg.* Deductio igitur et retentio alias est juris, alias facti; sed plerumque facti: verum hodie ex constitutione Justiniani nulla est differentia inter compensationem et deductionem: nam Falcidia, quæ olim deducebatur ab hærede ex legatis per exceptionem tantum, hodie veluti compensatio ipso jure minora efficit legata, ut cui legata sint duodecim, si Falcidia efficiat tria, non possit petere nisi novem, quia deductio Falcidiæ fit ipso jure ex constitutione Justiniani. Et præterea quod possessor justus sive bonæ fidei in rem actione conventus sibi debitum deducebat per exceptionem, tandem id velut compensationis jure minuit rem quæ petitur. Atque ita deductio illa versa est in compensationem: nam deductio, quæ fit ipso jure, nihil aliud possit esse quam compensatio: atque ita constat ex *l. ult.* compensationem etiam hodie obstare actioni in rem: et convenienter recte in definitione compensationis ex *l. 1. D. eod.* ut sit debiti et crediti inter se contributio: debitum autem deberi dicitur non tantum quod debetur actione in personam, quod solum proprie deberi dicitur, sed etiam quod asequi licet actione in rem, et in definitione actionis: placet etiam verbum *deberi* latissime accipi: alioquin esset definitio actionum in personam tantum, non in rem, ut in stipulatione emptæ hæreditatis, *l. Pecuniæ. §. ult. D de verb. signific.* sed etiam manet hodie, quod est maxime notandum, quod obtinuit olim in actione in rem, prædonem, vel malæ fidei possessorem non habere deductionem, vel compensationem sui crediti naturalis aut civilis, *l. Si quid possessor. §. Sed si ips. et §. seq. D. de petit. hæredit.* Et hoc est quod ait in fine legis ultimæ, *possessionem alienam perperam obtinentibus compensatio non datur:* et ita intelligi debet dicta lex ult. bonæ fidei possessor olim habuit deductionem sui crediti per exceptionem: hodie eam habet ipso jure, reputationem hodie fieri ipso tanquam compensationem, et in eo solo esse novam constitutionem legis ultimæ hujus tituli, non in ceteris: nam quod ait compensationem fieri ipso jure, hoc placuerat ante *d. l. Posteaquam.* quod ait compensationem fieri debiti certi, hoc etiam obtinuisse olim demonstravimus: quod ait compensationem non fieri actione depositi, hoc etiam obtinuisse olim constat ex Sententiis Pauli: quod ait malæ fidei possessori non dari compensationem vel deductionem, hoc etiam olim obtinuisse probavi. In iis igitur nova non est *l. ult.* sed in eo tantum quod vult in omnibus actionibus retentionem et deductionem fieri ipso jure. His adde, etiam in actione commodati non esse compensationi locum ex *l. ult. sup. commod.* non commemorabo alias causas quibus compensationi locus non est, ut si fiscus petat tributa, vel stipendia, vel annonas, vel pretium rei quam vendidit, non datur compensatio adversus eum, *l. Aufertur. §. Ut debitoribus. D. de jure fisci, l. 2.* et *pen. D. hoc tit.* vel etiam si respublica petat tributa aut vectigalia, vel pecuniam creditam ex arca destinatam calendario civitatis, id est, ut fœnori occuparetur, *l. 3. hoc tit.* Et similiter debitor ex ea pecunia, quæ oleo aut frumento publice emendo destinata est, sumptibus solemnibus civitatis, ut ad ludos introducendos, non utitur compensatione, *d. l. 3.* Ac neque is, qui debet civitati festum quod singulariter datum est civitati. Sunt et alii casus quibus non est compensationi locus, quos ex hoc titulo colligere facile erit, et ex *l. Ejus. 9.* nemo compensat quod sibi non debetur, sed alii, ut ex *l. 1. hoc tit.* fisco ex diversa statione non opponitur compensatio, et ex *l. 2.* quod solutum est ex causa judicati, sicut non condicitur, ita nec compensatur.

Ad Tit. XXXII. De usuris.

Et Ad Tit. XXXIII. De nautico fœnore.

Hujus tituli portio quædam est titulus de nautico fœnore: nam fœnebris pecunia solet dividi in nauticam sive trajectitiam, et in pedestrem: nam nautica pecunia navigat periculo creditoris, pedestris pecunia, aut ejus pecuniæ periculum pertinet ad debitorem, statim atque eam acceperit: et rursus suscepti periculi pensandi gratia, fœnus nauticæ pecuniæ nullum habet modum certum, nullum habuit olim: hodie enim habet quem præscripsit Justinianus in *l. Eos. hoc tit.* pedestri pecuniæ aut fœnori mediterraneo est impositus certus, modus, quique semper erit. Non probamus autem continuationem Accursii, vel alius cujusvis: et ita dicimus: hic liber quartus, qui est de contractibus, et de actionibus in personam, cœpit a contractu mutui, ut omnium maxime necessario in hac civili societate, prælata jurisjurandi religione honoris gratia. Ex qua sæpe quasi de credita pecunia certa datur actio, si quis delato jurejurando juraverit se pecuniam credidisse. Est igitur actio mutuæ pecuniæ, quod est condictionis nomen omnium in personam actionum commune, fecit suum: nam quæ ex mutuo datur actio, non habet aliud quam condictionis nomen: hic idem liber librive conditor mutuo quasi capiti negotiorum civilium adjunxit alia capita, ex quibus æque datur actio non alius nominis quam communis, id est, condictionis, quæ ex mutuo, vel ex promutuo datur, et condictio indebiti, et condictio ob rem dati, et similes, et propositis generalibus præceptis pertinentibus ad actionem pecuniæ creditæ, et exemplo ejus productis ad alias actiones, etiam huic negotio creditæ pecuniæ sive mutuatitiæ admisto commodato et pignore, sicut legimus in *l. 1. D. de rebus cred.* prætorem etiam edixisse de commodato, et de pignore: propterea quod commodatum mutuo adeo est proximum, ut et inter se permutent nomina, *l. Item legato. §. 1. D. de leg 3 l. Quæsitum §. Si quis fundum. D. de inst. et instrum. leg.* et quod pignus sit accessio crediti, vel obligatio in vicem crediti, expositisque actionibus, quæ ex debitis et creditis, et aliis contractibus filiorum aut servorum dantur in patres vel dominos etiam quasi accessiones, ut in *l. Si servum. §. An filiusfam. D. de verb. oblig.* Ac præterea redditis causis ex quibus jus crediti perimitur, tandem extremo clausula est de usuris, quæ nihil etiam aliud sunt quam actiones creditæ pecuniæ. Post has suo ordine progrediuntur omnes contractus, omnesque actiones in personam; nec ulla jam amplius ordinis interruptio erit, qualis fuisse videtur superioribus titulis, re ea quam præmostravi, non animadversa. Usura autem est reditus pecuniæ, qui debetur a tempore contractus, vel a tempore moræ in diem quo ea pecunia solvatur, vel quo is reditus æquaverit eam pecuniam. Dico reditus pecuniæ, ex *l. Titius D. de præscript. verbis,* et *l. Alumnæ. D. de adm. leg.* Dico a tempore contractus, vel moræ, quia usura vel infligitur ob fructum a die crediti, quod proprie fœnus dicitur, vel ob moram debitoris, a tempore moræ, *l. Cum quidam. §. Si pupillo. D. de usuris.* Dico in diem quo ea pecunia solvatur, ex *l. Lecta. D. de reb. cred.* Et addo, vel quo is reditus sortem æquaverit: sortem dicimus summam caput, et *capitarum æs*, apud Festum. Ubi autem usura æquavit sortem, quod postea connumeratur, deducitur de sorte, id est, in sortem imputatur, et hoc est quod dicitur, supra duplum usuram non deberi, id est, altero tanto amplius sorte, *l. Si cum sortem. §. 1. D. de cond. indeb. l. 4. §. Pro operis. D. de nautic. fœn.* nam ut hoc declarem exemplo; si sors fuerit centum, et ex usuris hodie constat te accepisse centum, nihil deinceps accipies usurarum nomine, quæ æquavere sortem: et si quid accipies id imputabis credito: et quantum accipies, tantum decedet credito, duplum enim est finis usuræ: sunt autem usuræ jure civili probatissimæ et receptissimæ, maxime quæ ob moram infliguntur; adeo ut etsi nihil de eis convenerit, veniant officio judicis, aut ipso jure in actione bonæ fidei, et in actione judicati, et in actione ex testamento legatorum nomine aut fideicommissorum, *l. 3 §. Nonnunquam. D. eod. l. 2. sup. in quibus causis rest. in int. necess. l. ult. §. Præterea. inf. de jure dot.* et *l. ult. inf. de usuris rei judic.* veniunt igitur vel ex conventione, vel arbitrio judicis, vel αὐτομάτως, ipso jure. Et veniunt, etiamsi nihil intersit creditoris, id quod interest, quod jus nostrum diri deterius factum est, et possit intendi non esse factum deterius, ut tamen non ideo minus debebuntur usuræ: id quod interest dicitur id quod per adversarium amisimus, vel habere non potuimus, *l. Generaliter. D. de regul. jur.* Et possumus interdum nihil amisisse vel prætermisisse, nec tamen ideo minus debebuntur usuræ, fœnoris quoque inflicti lucri solius gratia possit esse justa causa: nam etsi non probem id fœnus, quod longe superat eam utilitatem, quam ex credito debitor habet, quia natura mutui est, ut beneficio alliciat debitorem, qui accepit: et eo genere evenit, ut quis sub specie falsa dandi beneficii, creditor ipse potius accipiat beneficium: si tamen quod ex credito lucrum facit debitor, negotiator forte aliquis, amplius sit eo, quod creditori adfert usura, cur usuram non accipiat? nam beneficium quo afficitur debitor præstat amplius, et præponderat usuræ, prægravat usuram. Hæc est definitio certa qua possis dignoscere fœnus æquum ab iniquo: et quod proverbio fertur de donis et muneribus, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, id est, *neque omnia, neque omnino, neque ab omnibus,* ut ait lex *Solent. D. de officio procons.* ut xenia non accipiantur passim

a proconsule: sed modum adjiciat. Idem placet eadem ratione constitui de fœnore. Nec feram amplius ut quisquam dicat odiosas esse usuras justa ratione susceptas, quas leges probant, et odio usurarum pleraque esse introducta; et ita statuam, nihil in jure esse cautum odio usurarum, odio inquam usurarum, nempe ut pecuniæ creditæ usuræ non debeantur ex pacto, citra stipulationem, *l. 3. hoc tit. l. Idemque. §. Si quis 7rio. D. mand. l. 10. Sed utrum. D. de in rem verso.* Dico enim hoc non induxisse odium usurarum. Nam etsi de alia quacumque re pactum mutuo adjiciatur ex continenti, non parit actionem: hoc enim receptum tantum est in contractibus bonæ fidei, et ut pacta eis adjecta firment actionem, non in strictis, quale est mutuum, *l. 7. §. Quinimo. D. de pact. l. Lecta. D. de reb. cred.* Non sunt etiam usuræ existimandæ odiosæ, quod modum et finem, leges, legibus præscriptas habeant certas, alioquin et legata, et donationes, et dotes, et manumissiones erunt odiosæ; quæ modo constringuntur certo: nec enim licet in immensum donare vel legare, vel dotem constituere: nec lege Caninia totam familiam manumittere: et hæc tamen nemo dixerit esse odiosa. Porro usurarum modus est fere triplex, ut non debeantur centesimæ, nisi perraro: sed leviores usuræ ex contractibus, maxime ex mutuo, et quod exposui ante, non debeantur supra duplum, et ut usuræ usurarum nunquam admittantur, *l. Eos. et l. pen. et ult. hoc tit.* Usuræ centesimæ olim erant permissæ, atque adeo in libris nostris usura legitima idest centesima, quæ scilicet in centenos nummos reddit quotannis duodenos, vel ut in Gallis *au denier huit et un tiers*: hodie usura centesima non permittitur passim ex constitutione, *l. Eos.* et permittitur tantum in nauticis pecuniis, propter periculum quod suscepit creditor, quamvis sit exiguum, quamobrem non pudo servari hanc taxationem, et hodie etiam admitti in nautica pecunia infinitas usuras, duas, tertias centesimas, in quibus etiam licet duplum excedere: quamvis aliter sentiat Justinianus: nam qui taxationem imposuit usuræ nauticæ, ut ne excederet centesimam, et dupli finem imposuit usuræ: quæ taxationem habet, et duplo finitur: quæ non habet ut olim erat nautica usura, nec duplo finitur. Etiam Justinianus permisit centesimas in frugibus, veluti in frumento credendo, et oleo, vel vino: qua ratione etiam singulariter receptum est, ut frugum usuræ nudo pacto præstentur, *l. Frumenti. hoc tit.* Ex causa judicati etiam hodie veniunt centesimæ, et ex aliis quibusdam causis regulariter non veniunt: et in personis illustribus veluti senatoribus, ex *l. Eos:* servantur usuræ trientes: *au denier vingt cinq.* In negotiatoribus, mercatoribus, argentariis, servantur besses usuræ, *au denier douze et demi*, et in ceteris personis ex *l. Eos*, servantur usuræ semisses, *au denier seize et demi tiers. Au denier dix* est, usura dextans: *Au denier douze* est usura paulo amplior besse: *Au denier vingt*, est usura quincunx: *Au denier quinze*, est usura paulo major semisse: *Au denier trente*, est usura aliquanto major quadrante, *Trois et un tiers pour cent: Au denier trente trois et un tiers*, est usura quadrans, quæ reddit ternos scilicet in centenos nummos. Et quod ad tertium modum attinet, ut usurarum usuræ non debeantur, etiam hoc semper obtinuit in nauticis usuris, quæ sunt atrocissimæ usuræ, quæ vel quantumvis magnas facultates absorbere possunt; ut ecce si quis se constituerit mihi numeraturum hodie unum assem, cras duos, perendie quatuor; et sic deinceps duplicato numero; numero: nam trigesimo die futurum est, ut plus debeat, quam sit nummorum in toto orbe. Et similiter si convenerit inter nos, ut hodie inferas in horreum granum unum, cras duo, perendie quatuor, et sic consequenter duplicato numero die sexagesimo tertio, in tantum accreverit acervus, ut nec in hunc usque in diem verum sit tulisse tantum frumenti. Inde licet intelligere si usuris accedant usuræ, ac proinde succrescat usura usuræ, nulla esset tanta facultas, quæ non his usuris penitus absumeretur, et ideo eas merito prohiberi in omnibus negotiis.

Ad Tit. XXXIV. Depositi, vel contra.

Postquam egit de contractu pecuniæ creditæ, et de accessionibus ejus, et de iis, quæ is contractus habet communia cum aliis singulis contractibus, nunc incipit dare titulum, seu tractatum specialem, et de deposito quidem imprimis. Depositum est conventio, qua ita agitur, ut rem meam, vel alienam custodias, et mihi possideas non tibi, eamdemque mihi quandocumque reposcenti restituas, vel: depositum est conventio, qua res aliqua nostri, vel alieni juris penitus fidei ejus servanda committitur, qui eam officii causa custodiendam recepit. Dico rem nostram, vel alienam, rem nostri, vel alieni juris: nam et rei alienæ depositum contrahitur, *l. Si is apud quem. D. eod.* Et si is apud quem res deposita est, deinde eam deposuerit apud alterum, quo casu primo depositario in secundum est actio depositi directa, quam mihi, qui prior deposui, cogitur cedere primus depositarius, si quod in ea re secundus dolo malo fecerit, cogitur mihi cedere directam actionem depositi, quam non habeo jure civili, cum non ipse deposuerim, sed is apud quem deposui. Et addendum ei rei est ex fragmentis Ulpiani, sine cessione etiam mihi in secundum depositarium competere utilem actionem depositi: quod fere in omnibus articulis juris obtinet, ut ubi est cum cessione directa actio, sine cessione sit utilis. Dico præterea depositarium officii causa rem depositam custodiendam recipere: nam depositum beneficium est, quod datur deponenti: nec admittit mercedem custodiæ: nam si intervenial merces, locatio est et conductio, *l. 1. §. Si quis servum. D. eodem.* Et depositum numeratur inter eos contractus, qui ex amicitia originem ducunt, ut mutuum, commodatum, mandatum, precarium: iis igitur adde etiam depositum: sed ut mandatum facile recipit remunerationem, honorarium, salarium: ut ei, qui negotium meum gesserit mandatu meo, non male dabo honorem, non quasi mercedem operæ, et laboris, sed quasi honorem vice ἀντιδώρου. Mutuum quoque recipit modicam usuram, quæ non exuperet beneficium, quod mutuam pecuniam accipienti datur, sed exuperetur, quia beneficio adjuvari nos oportet, non opprimi, *l. In commodato. §. Sicut in fin. D. commod.* ergo levem usuram mutuum admittit, quæ scilicet non superet beneficium, quod collatum est in debitorem. Et ita vice remunerationis in deposito nequaquam venit pretium operæ, sive præmium quasi merces, *l. Si ut certo. §. Nunc videndum. D. comm. l. 2. §. Generaliter. D. vi bon. rapt.* Et in eo casu cum in deposito intervenit aliquid honoris vice, quia in eo tunc utriusque contrahentis utilitas vertitur, depositarius præstare debet in ea re servanda non tantum dolum, sed etiam culpam, quod supradictæ leges etiam docent: alioquin depositarius præstat tantum dolum, aut quod idem est, latam culpam, idest, magnam negligentiam, nisi aliud convenerit, quia scilicet sola deponentis versatur utilitas, quia nihil remunerationis vice confertur in depositarium, et ideo dolum tantum præstat, *l. 1. in hoc tit. et l. 1. D. Si convenit. et l. Quod Nerva. D. eod. l. Contractus. 23. D. de reg. jur.* Custodia enim in deposito non est plena custodia diligentissimi patrisfamilias, ut in *l. 2. §. 1. D. de peric. et comm. rei vend.* sed ea est custodia, quam depositarius adhibet suis rebus servandis, idest, non minus esse diligens debet in conservandis rebus depositis, quam in suis: alioquin dolo non caret. Sed si tam fuerit diligens in his, quam in illis: etsi non fuerit diligens ad modum diligentis patrisfamilias, non tenetur de dolo, *d. l. Quod Nerva*, etsi res perierit. Dixi præterea, rem depositam committi prorsus fidei depositarii, et idcirco in deposito quandoque reposcenti restituendo confestim major quædam fides exigitur, quam in aliis contractibus: et depositum sacrum dicimus, ut in Satyra

> . . . . . *Sacrum tibi, quod non reddat amicus,*
> *Depositum.*

Et depositi sacram fidem: et Plato definit depositum δῶρα μετὰ πίστεως: quod datur in fide, et fides est plerumque: etsi nulla testium, aut cautionum fides intervenerit, quæ res obligat magis fidem depositarii, Liv. *fides habita ipsam magis obligat fidem*, Ulp. *l. 1. D. eod.* non ineleganter observat in deposito particulam *de* augere depositum: et sic dici est depositum quasi valde commendatum, ut sane nefas sit quicquid apud aliquem valde ponitur, eum perfidiosum esse, et fallacem erga illum, qui ejus fidem potissimum elegit, et approbavit. Et ex eo multa sequuntur, ut actio depositi sit famosa, et quia depositi condemnatus sit suo nomine, *l. 10. hoc tit.* quia ex causa depositi nemo condemnatur, nisi propter dolum. Et actio de dolo omnis est famosa et turpis, sive per se agatur de dolo, sive insit actio de dolo alii actioni: inest autem actioni depositi, et cuicumque alii actioni bonæ fidei, quia bonæ fidei nihil est tam contrarium, quam dolus malus, ut qui de bona fide agat, sane agat etiam de mala. Item actio depositi ex 12. tab. fuit in duplum, in eum, qui non confestim reddit depositum, hodie in simplum tantum ex edicto prætoris: et ita legi in fragm. Sententiarum Pauli. Ex causa depositi leg. 12. tabul. in duplum actio datur, ex edicto prætoris in simplum: quo jure utimur: illo priore non utimur: nam actio depositi hodie non infamat, si quis damnetur depositi, sed datur etiam hodie in simplum tantum jure prætorio, ut fortiter possit defendi hodie actionem depositi esse prætoriam, non civilem. Lex 12. tabul. plectebat perfidiæ crimen duplione. Et perfidiam maxime ulciscimur in hoc contractu. Verum hodie uno tantum casu est in duplum, et quidem ex inficiatione, id est, si abnegaverit depositum, si dixerit apud se rem non fuisse depositam, *§. Sed furti. Inst. de act.* ubi dicitur, interdum actionem depositi ex inficiatione dari in duplum: quod ait, *interdum*, id est explicandum ex *§. In duplum.* et *§. Plane. eod.* et l. Rhodiæ cap. 14. ut si res deposita sit apud L. Titium in summa trepidatione naufragii, vel tumultus, vel incendii, vel ruinæ, et is L. Titius ad inficias ierit, conventus actione depositi, si actor probaverit intentionem suam, sequi condemnationem in duplum, quæ crescit perfidiæ causa, cum res deponitur imminente maximo periculo, et pene consternato animo deponentis: et ita Modestinus in libris differentiarum, dum tradit differentiam inter commodatum, et depositum, ait actionem commodati semper dari in simplum, depositi nonnunquam in duplum, videlicet jure prætorio, si naufragii, incendii, ruinæ, tumultus causa res deponatur: alioquin est in simplum, et sublata est actio civilis in duplum, scilicet ut una coerceatur duplo; altera, simplo, adhibitis tamen usuris atque fructibus ex mora officio judicis, quia in actione depositi, sicut in aliis omnibus actionibus bonæ fidei tantum valet officium judicis, quantum stipulatio usurarum in strictis judiciis, *l. Quia tantum. D. de neg. gest.* Ac præterea, ut intelligamus quanta fides in reddendo deposito sine mora a depositario exigatur: etiam adnotare oportet in actione depositi, non esse retentioni locum, neque compensationi, *l. ult. sup. de compensat.* Non esse locum exceptioni non numeratæ pecuniæ, vel non datæ rei, si de deposito ex scripto agatur, *l. In contractibus. sup. de non numer. pec.* et restitutionem depositi nihil morari posse denunciationem alterius, qui sua interesse dicat depositum confestim domino reddi. *l. pen. hoc tit.* et *Nov. 88.* Et præterea actio depositi est privilegiata, id est, satisfieri prius oportet iis, qui depositas pecunias habuerunt, et deinde ceteris creditoribus, *l. Si hominem. §. Quoties. D. eod.* Sed ut redeamus ad veriverbium, quod Ulpianus reddit in *l. 1. D. eod.* sic dici depositum, quasi valde positum, ut Festo dedita, valde data, decollare valde occultare et alia pleraque: Julio autem Paulo aliud veriverbium placuit comminisci, et dixit, dici depositum quasi diu positum servandum

sit quod ad breve tempus custodiendum datur: hæc ratio nominis continet in se elegantissimam sententiam, nempe hanc, dari depositum præsentis custodiæ causa, non perpetuæ, ut cum deponimus thesaurum: sed tamen perinde servandum esse, atque si diu positum esset, sive mandatum custodiæ perpetuæ. Et facit in hanc rem *l. pen. §. 1. D. de auro et arg. leg.* Ita legavi: aurum quod domi meæ erit, cum moriar illi do, lego, quæritur an legatum id videatur. quod alii commodavi, nec est domi meæ: an debeatur etiam aurum, quod apud alium deposui? Constituit differentiam inter depositum, et commodatum: aurum, quod alii commodavi, non videtur esse domi meæ, quia non possum id statim petere importune: nec est domi meæ nisi quod sit in manu mea, id est, in promptu: depositum vero repeto quandocumque. Igitur legato continebitur depositum, quasi videatur domi meæ esse, quod statim possum repetere: commodatum autem non est in legato. Nec est omittendum, quod tit. demonstrat depositi, vel contra, duplicem esse actionem depositi, et utramque esse bonæ fidei. Et stultum est dubitare, an contrariæ actiones dicantur etiam bonæ fidei, cum utriusque dicatur idem judex: et eadem in utrisque veniunt officio judicis, *l. Actionr. D. eod.* l. *Qui non cogitur. D. de jud.* Directa depositi actio datur reposcenti, quam rem deposuit, contraria depositario cibariorum nomine, puta si servus apud eum sit depositus, vel si equus, pabuli nomine: nec enim cibaria dicuntur nisi de hominibus, et ideo in d. l. adjectum est, servo constituto. Et observandum est, ejus legis actionem esse ex libris differentiarum Modestini. In eis enim hanc cum addidisse differentiam inter commodatum, et depositum, quod commodatarius contraria actione non repetat cibaria, quæ lege naturali ad eum pertinent, qui bodie utitur. Item commodatum utendum datur, et commodatarius utitur re commodata, l. *In rebus. §. Possunt. D. commod.* Depositarius non utitur: ergo non debet sustinere impensas cibariorum: sed eas repetit actione contraria, et omnes alias impensas necessarias factas in rem depositam. Etiam illud est maxime notandum, quod ait lex 3. hujus tituli, non immerito usuras eo gi ab eo, qui convenitur directa ex mora, scilicet officio judicis: cum inquit, sibi debeat gratulari, quia nempe non convenitur actione furti in duplum sed mitiori nempe depositi in simplum. Hoc est notandum, ut eodem sermone utamur deinceps in omnibus actionibus bonæ fidei, eum a quo petitus, si condemnatur in usuras ex mora, sibi debere gratulari, quod non fuerit conventus actione furti in duplum: nam actio furti cum omnibus bonæ fidei actionibus concurrit, l. *Rei communis.* et *arg. D. pro socio*: videlicet si depositarius rem depositam alienaverit, vel si eam reverterit in suos usus: nam sola inficiatio non facit furem, interversio possessionis facit furem: imo inficiando depositum nemo facit furtum *l. Inficiando.* 69 *D. de furtis*: nam inficiatio non est furtum, licet sit prope furtum, quod eleganter translatum est ex eo loco, et ita scriptum in consuetudinibus Normaniæ, quæ constitutio sic se habet: *Combien, que la negation ne soit pas un larcin, toutefois elle a quelque faveur avec iceluy larcin.* Et postremo observandum est quod eleganter definitur in *l. ult. hujus tit.* si depositor reliquerit duos, vel plures hæredes, qui deposuerat auri pondus apud amicum, et unus ex hæredibus eius fuerit diligentior, perceperit portionem hæreditariam contingentem depositi: deinde depositarius forte fortuna sine dolo malo amiserit reliquum pondus auri, an cohæredes possint venire in partem ejus, quod cohæres sibi præfestinavit dari non ultra portionem hæreditariam. Definit eleganter *d. l. ult.* nihil cohæredes posse sibi vindicare in parte quam exigit, qui fuit diligens, quia sibi vigilavit, et licet vigilare et consequendum suum, *l. Summa. D. de pec.* l. 6. §. *Sciendum.* et *l. Pupillus. D. quæ in fraud. cred.* imo non modo licet vigilare, sed etiam instare vincenti, et præcurrenti, *l. In judicati. D. de re jud.* Et jus civile (id est præcepta vivendi) scriptum est vigilantibus, non dormientibus, *d. l. Pupillus.* et Just. in *d. l. ult.* ait industriam, sive vigilantiam non debere persolvere pœnas desidiæ.

Ad Tit. XXXV. Mandati vel contra.

Depositum, de quo actum est titulo superiori, contrahitur re, idest datione, vel numeratione, sicut mutuum, commodatum, pignus, precarium: mandatum autem, de quo hoc titulo agitur, contrahitur nudo consensu, uno rogante, et altero recipiente se id, quod rogatur, daturum, facturumve. Et mandatum igitur est conventio, qua is, qui rogatur, procuratoris animo, et gratuito recipit daturum facturumve id, quod rogatur. Et hæc duo verba rogo, et recipio citra stipulationem perficiunt mandatum, l. 1. *D. eodem.* l. *Quidam. D. de hær. instit. l. 1. §. Exceptione. quarum rerum actio non detur*: Et l. *Si negotium. sup. de negot. gest.* et *l. Si sorer mei. ibidem.* Et recte Virgilius 6. Æneid.

Idem orans mandata dabat.

Oro, vel rogo verbum est mandati, nec modo aliud significat, quam rogo. Est enim verbum precarium, *l. 2. inf. commun. de leg. §. ult. Inst. de sing. reb. per fid. rel.* mandamus procuratori homini, rogantes; imperamus villicis nostris, et servis. Cicero in 1. de Orat. *Si mandandum aliquid procuratori, aut imperandum villico de agricultura.* Porro nihil interest rogaverit, aut præceperit, quis præsens, aut absens per epistolam. Rogamus per epistolam, præcipimus per epistolam, atque ita mandatum perficimus, epistola, quæ rogat, mandatum est, ac sæpe in auctoribus Epistola est mandatum Josephus 7. de captiv. Judæorum, ἐπιστολὴν ἐπιστολάς. Rectissime illud, et sequentia confirmant. *Quoniam,* inquit, *mandatis obtemperaverit, quæ*

vocant epistolas: sed non satis est mandare, si non suscipiatur mandatum: et ut dixi, suscipitur etiam per epistolam: *l. ult. in princ. D. eodem.* Cujus species est elegantissima, et ut intelligatur indiget adminiculo aliquo. Erat controversia de hæreditate inter hæredem scriptum, et legitimos hæredes; videlicet patruum, et amitas defuncti, id est patrui sorores. Patruus rogatur per epistolam a sororibus, ut communem causam ageret: rescripsit, et declaravit per epistolam, commune futurum esse, quod ex eventu litis hæreditariæ ad eum pervenisset: non potest procurator ex eventu litis alienæ sibi cavere certam partem, puta dimidiam, vel aliam: sed potest, et vero debet ex eventu litis, quod redegit præstare domino. Atque ita patruus, qui suam et sororum causam agebat recte rescripto cavit, commune futurum esse, etc. porro de ea re sine lite non est judicatum, sed transactum, pendente judicio inter hæredem scriptum, et patruum: ex ea transactione, non ex judicato, ad patruum prædia, et quædam alia pervenerunt: quæritur, an ea debeat communicare sororibus. Et eleganter lex ait: actione mandati compelli posse patruum ad communicanda ea omnia, quæ ex transactione ad eum pervenerunt: atque ita eventum litis cum dicimus, non tam judicatum, quam transactum dicimus, quia utroque jure finem accipit lis. Dixi in definitione mandati (procuratoris animo) non est procurator nisi qui procuratoris animo negotium suscipiat alienum. Hoc probatur ex *l. Idemque. §. Si quis ei. D. eod.* si dominus procuratori suo mandaverit, ut quæ is gereret, ita demum rata essent, si gesta essent interventu Sempronii. Is procurator domini pecuniam male credidit interveniente Sempronio, conciliante, quæritur an Sempronius teneatur actione mandati, qui nihil dolo fecit. Procurator enim præstat omnem culpam, et levissimam, *l. 9. 11. 13. hoc tit.* sed in Sempronius consiliarius fuit, non procurator. Consiliarius præstat dolum tantum, non culpam: etiam secundum regulas juris, consilii non fraudulenti nulla est obligatio, et ut eleganter lex ait, is Sempronius non procuratoris animo intervenit, sed amicalem affectionem promisit, et idcirco non tenetur mandati, nec ob dolum, nec ob culpam, sed ex dolo tenetur actione de dolo. Igitur in recipiente mandatum procuratoris animum exigimus. Præterea diximus *gratuito*, ut significaremus beneficii genus esse: cum enim, quis mandat, alter exequendum recipiat, unus beneficio afficitur, *l. 1. D. ult. l. ulta ut omnes, §. 1. §. Litem. supr. de procurat.* Denique mandatum est gratuitum, sicut depositum: honoris tamen, et remunerationis vice aliquando dari procuratori salarium, quod solet esse modicum. Omne honorarium est modicum: alioquin merces est, non honorarium, *l. 1. §. 1. D. si mensor falsum mod.* salarium, loquam, et obsonium et dari facile patimur, ejusque honorarii extra ordinem et petitionem damus, *l. 1. hujus tit. l. 7. D. eodem*: sed non ideo minus mandatum censetur esse gratuitum, nec ideo minus sunt ultro citroque actiones mandati, *l. Si remunerandi. D. eodem.* Et invenio etiam ex pollicitatione, et pactione peti posse extra ordinem judicio mandati: sed per Prætorem, aut Præsidem, non per judicem certum, si modo salarii fuerit quantitas certa, *l. 1. hujus tit.* Incertæ quantitatis honorarium peti non potest, *l. Qui mutuam. §. Salarium. D. eod. l. 17. hoc tit.* ut votum, quod est pollicitationis genus legimus apud Livium lib. 31. si fuerit incerta pecuniæ, non valere, nec obligare eum, qui vovit. Sed in hanc rem maxime notum est, quod monet Pap. l. 7. *D. eod.* judices diligenter considerandum esse quoties agitur de salario procuratoris, an dominus salarium constituerit laboris remunerandi gratia, an ex eventu litis incerto procurator pactus sit sibi dari certam quantitatem, vel certam partem litis, vel victoriæ, quæ plerumque longe majoris pecuniæ est, quam salarium, quod esset modicum, honor, non pretium: salarii petitio est: hæc autem pactio improbatur, si procurator paciscatur ex eventu futuræ litis, et ex emolumento sibi dari certam quantitatem, vel litis partem certam: nam hæc pactio est evidens deprædatio ejus, ad quem ea res pertinet, et redemptio rei, sive litis alienæ, id est societas futuræ victoriæ conventa inter dominum, et procuratorem, quæ turpis est. Et quod multum ad hanc rem pertinet, quia cessionibus actionum id est mandatis actionum, vel quia in faciendis procurationibus ad lites, et cedendis eis actionibus nostris, hæ plerumque tacitæ pactiones insunt de societate futuræ primæ, et si pecunia intervenerit, omnes præsumuntur esse tales, et prohibentur per *l. Per diversas. hoc tit.* Ex ea constitutione redemptor litis magis videtur esse, quam verus et legitimus procurator, qui pecunia data alienas susceperit actiones: ea cessio improbatur, quod non careat suspicione pactionis illicitæ, sive societatis improbæ: et nominatim propterea cavetur, ut is, qui pecunia data suscepit alienam actionem, ex actione cessa non plus consequatur, quam dedit ex nomine cesso, ut si nomen fuerit centum, et dederit decem, non poterit a debitore plus consequi quam decem: et reliquum cedet lucro debitoris, nec manebit in interdicto creditoris, qui cessit: nam cessio illa nominis interdicta fuit hac constitutione: si quis nomen centum emat, centum, quod vix unquam fit, sane valeret cessio: sed vix unquam ita fit, et ob id stricto accipitur ne procurator ex cessione plus ferat, quam dederit ipse: quæ lex per se satis prohibet cessionem: nam qui hac lege est suscepturus actionem alienam, dices spem illi esse propositam vindictæ, et ulciscendi adversarii: sed tantum abest, ut opprimatur, ut sublevetur quandoquidem reliquum debiti cedit debitori, *l. ult. hoc tit.* Igitur etsi pecunia data procurator susceperit alienam litem, inutilis cessio est: nec cessio facile est admittenda, exceptis tantum quatuor casibus quibus cessio admittitur. Primus casus est si, ut fit, cohæredes in familia erciscunda sibi invicem cedant actiones hæreditarias. Alter si creditori detur nomen in solutum cessa actione. Tertius, si possessori rem alienam inferenti domino æstimationem litis, vicissim dominus cedat

actionibus suis, rei persequendæ gratia, si forte ejus possessionem amiserit. Quartus, si hæres legatariis, aut fideicommissariis quibus nomen relictum est, aut res aliqua æque cedat actionibus: his quatuor casibus cessionibus actionum valent in solidum ex *d. l. Per diversas.* quam confirmat lex quæ sequitur, quæ est vulgo ultima, sed est penultima: nam in hoc titulo desideratur ultima constitutio, quæ fuit Justiniani Græca, ut nominatim in Basilicis notatur, ubi est explicata summaria, et κατὰ πλάτος, et ea leg. ult. quæ in hoc titulo desideratur, idem statuit in illis quatuor casibus exceptis in *l. Per div.* ut scilicet cessiones non valeant in solidum, ne illis quidem quatuor casibus: sed ut valeant tantum eatenus, quatenus is in quem factæ sunt, vicissim contulit de novo cohæredi, qui cessit actionem: et rursus ut valeat hactenus cessio, quatenus creditori, vel legatariis debitor, vel hæres, qui cessit actione, debuit: et præterea hactenus is, qui cessit actione, possessor rei alienæ persolvit pro æstimatione litis: ita ut nec illis quatuor casibus cessio valeat ea sese. Et certe uno tantum casu valet cessio nominis omni ex parte, si fiat donationis, et meræ liberalitatis gratia, citra ullam fictionem, quod etiam caverat lex antepenult. Non est omittendum inscriptionem tituli satis demonstrare duplicem esse actionem mandati, directam et contrariam: directa datur ei, qui mandavit adversus procuratorem, qui fidem fregit, sive quid in ea re culpa levi admissum est. contraria autem procuratori de sumptibus, quos fecit v. g. in rem domini de vecturis, ut si quid impenderit in vecturas dum per prædia excurrit, *l. Idemque. §. Idem Labeo. D. eod.* addita exceptione de eo, quod est de vecturis, nisi procurator salariatus fuerit, id est, cui constitutum fuerit salarium honoris ergo, et convenerit de salario: nam conventio, ut de suo impendat in itinere non valet, quasi inæquabilis. Et quamvis certum sit mandatum extingui morte alterius, si contigerit mors integro mandato, excepto casu *l. 1. sup. de obligat. et act.* tamen aliquando durat actio mandati, ut solutum sit mandatum, non soluta autem sit actio mandati: qua de re dubitabatur olim, an transiret in hæredem actio mandati, ut secundo ad Hern. legimus, M. Drusum reddidisse judicium, quod cum hærede mandati ageretur, Sextum Julium non reddidisse. Potuit uterque quadam niti ratione: nam invenio duos tantum esse casus quibus actio transit in hæredem, vel competit in mandatarium finito mandato morte mandatoris. Unus hic est, si ignorans mortem domini, mandatum explevit, *l. Inter. §. 1. D. eod. l. Ejus. D. de reb. credit.* Alter hic est, si tibi hæredi ex parte mandaverim ut mihi fundum hæreditarium emeres, qui tibi est communis cum aliis cohæredibus, et emeris acieos, post mortem meam durat actio, et mandati tenetur hæres meus, *l. Qui negotia. §. Cum hæres. D. eodem.*

Ad Tit. XXXVI. Si servus extero se emi mandaverit.

Superiori titulo inter cetera mandati genus exposuimus, quo malo more, ut ait *l. 1. §. Cum omnium. D. de extr. cognit.* quo, inquam, malo more actionem quis suscipit alienam sub lege participandi emolumenti, quodcumque eventus litis attulerit, omisi, mendum, insidere in *l. Per diversas.* in verbo *præparare*: in veteribus enim legitur recte, *reparare*, ut Basilic. ἀνασκευάζειν, et vetus etiam translatio Gallica, *appareiller*. Hoc vero titulo intelligimus aliud genus mandati, quo etiam malo more, malaque ratione, ut ait *l. Cum servus. D. mand.* servi se dominis suis offerunt. Atque ita conjunctim tradita erunt nobis duo genera mandati malo more contracti, malaque ratione: et *d. l. Cum servus.* veluti interpretatio quædam est constitutionis hujus tituli: finge speciem: servus vel ancilla domino ignorante, atque ideo malo more extraneo, puta L. Titio mandavit, ut se emeret a domino: non quod vellet mutare dominium, sed ut manumitteretur statim ab emptore: proinde mandavit ut si emeret post manumitteretur. Et ita Græci recte speciem ponunt. Id vero L. Titius se facturum recepit: quæritur an valeat mandatum, et an sit ultro citroque actio mandati ex hoc genere conventionis? Et si per se solum mandatum inspicias, proculdubio nullum est mandatum, *d. l. Cum servus.* Et ratio redditur in hac lege, quia si est mandatum, vel consistit ex persona servi, vel domini: neutrius autem persona consistere potest: ergo non est mandatum: non potest consistere ex persona servi: nam ea demum valent ex persona servi, quæ, si liber esset, ab eo, vel cum eo gesta valerent, *l. Debitor. §. Servo. D. de leg. 2. l. Etsi maxime. D. de arrest. leg. l. Non solum, §. ult. D. de pec.* At liber factus se emendum mandaret inutiliter, quia non potest idem esse emptor et venditor, et res quæ emitur et venditur, et eo casu esset emptor, qui et venditor quoque sui per procuratorem, quod natura non patitur: neque enim quis emit se ipsum a se ipso, nemo vendit se ipsum sibi ipsi, et consequenter liber homo se emere mandat inutiliter: et servus igitur: nam quod inutile est in libero, est etiam inutile in servo: et quicquid gerit servus, ita demum est utile, si et gestum a libero utile foret. Non potest etiam mandatum illud consistere ex persona domini: nam qui mandat, ut quis servum suum emat, hoc agit ut servum suum a seipso emat: nam qui emit per procuratorem, ipse emit: hoc modo fieri non potest, ut rem meam a meemam, *l. 1. D. de rer. perm.* alius est emptor, alius venditor, aliud merx, quæ venit. Et alia est ratio *l. Si mandavero. §. Si hi quorum. D. mand.* quam Accurs. hoc loco estet incongrue, quia in specie hujus paragraphi rem meam non emo a meipso, sed a creditore meo eam distrahente jure pignoris. Quod non ita est absurdum: regulariter rei meæ emptio non valet. Igitur cum tale mandatum neque consistere possit ex persona servi, neque domini, restat nullum esse. Et certe nullum est, nullaque actio mandati ex ea conventione, si impletum non fuerit mandatum, id est, L. Titius nondum meum servum emerit; sed et impletum fuerit mandatum, empto jam servo, quia ita agebatur inter servum, et emptorem, ut non ex ipso mandato nasceretur actio, sed ut propter mandatum nasceretur, actio ex alio contractu, id est, emptione venditione; ideo dominus servi ex suo contractu, perfecta venditione, habebit actionem ex vendito, ut emptor ex empto, impleto mandato, id est, perfecta emptione; quod fit consensu nudo; imo vero, ut infra demonstrabitur, actio mandati, quæ non fuit ab initio quæsita sibi per servum, videlicet si emptor eum servum non manumittat, ut convenit inter eum, et servum, *id est, emptionis venditionis*, etiam quæ sequuta est, non dabitur. Sed prius agamus de actione ex empto: ait constitutio hujus tituli, non id fuisse actum inter servum et extraneum ut ex ipso mandato nasceretur actio: sed propter mandatum nasceretur actio ex empto vendito. Observanda est articulorum differentia inter *ex* et *propter*, quæ servatur in multis juris articulis *ex* hæreditate, et *propter* hæreditatem; *ex re*, et *propter rem*, *l. Eo tempore. in fi. D. de pec. l. Venditor. D. de hæredit. ven.* Varro de re rustica, lib. 1. si quis propter agrum obveniat profectus, domino agriculturæ acceptum ferre non debet, sed si quid ex agro, et ex satione terræ natum sit ad fruendum: aliud est *ex* agro, aliud *propter* agrum: et ita subtiliter *lex pen. D. de sep. viol.* sic articuli *ex* et *per* differentiam maximam inducunt. Immiscet se hæreditati, qui quid *ex* hæreditate capit, non qui quid *per* hæreditatem capit: ut qui agit sepulchri violati: ex iis articulis oriuntur sæpe maximæ controversiæ, ut nominatim scribit Cyrillus, omnem controversiam, quæ est inter Latinos, et Græcos de processione Spiritus Sancti procedere ex his articulis, *ex* et *per*, ἐκ καὶ διὰ, Latinos ex filio procedere, Græcos per filium: quod etiam retulit Gregorius Pachymerius. Idem videmus observari in *d. l. pen.* et in hac l. nostra inter *ex* et *propter*. Sed ut in hac specie sit locus actioni ex empto et vendito, intelligemus, empto servo, atque ita impleto mandato, emptori est actio ex empto, ut servus ei tradatur, venditori est actio ex vendito pretii consequendi gratia, quæ in hac constitutione dicitur quidem actio empti, sed oportet intelligere empti et venditi, vel potius venditi empti: id vero pretium solvendo nihil agit emptor servi, nisi solvat de suo, veluti si solvat nummos peculiares, quos ei dominus permiserat; sed ut liberetur actione venditi, debet suos nummos solvere venditori: emptor enim cogitur nummos facere venditoris, quos solvit pretii loco, nec liberatur solvendo alienos. Et hoc distat a venditore: nam venditor non tenetur rem facere emptoris, et satis est si se obliget ad evictionem, et purget de dolo malo, *l. 1. D. de rer. permutat. l. Ex empto. §. 1. D. de act. empti, et d. l. Cum servus.* Et ratio differentiæ evidens est, quia est facile nummos suos adnumerare, facile conficere nummos, et redigere qui sui sint: at difficile est rem, quæ venditur, suam esse præstare, quia sæpe quam putemus esse nostram, non est nostra: et plerumque, quæ aliena sunt, bona fide possidemus, atque ideo satis est si præstemus emptori habere licere, et si præstemus nos scientes dolo malo non vendidisse rem alienam: alioqui nullus esset modus, aut difficilis, et pene impossibilis peractæ emptionis et venditionis. Igitur in specie proposita, emptor servi non liberatur actione ex empto vendito, si solvat nummos peculiares, servi, quia emptoris non sunt, sed domini potius, et cum res gesta sit ignorante domino, sane noluit servum redimi nummis peculiaribus: itaque emptor debuit inferre suos nummos ut liberaretur actione empti venditi. Nunc de actione mandati, quam initio diximus etiam stricto, et vi emptionis vend. post impletum mandatum hujusmodi domino acquiri actionem mandati servo non manumisso. Sane ita est: nam si servus traditus emptori, quem interposuerat servus ipse, eum servum non manumittet, domino competit actio mandati: quasi acquisita sibi per servum, videlicet si ejus intersit servum manumitti: nam actio mandati cessat, si nihil intersit actoris, *l. 8. §. Mandati. D. mand.* Et omnis omnino actio est in id quod interest, et non est si nihil interest: omnis enim manat ex utilitate, et damno cujuscumque: potest autem ejus interesse servum manumitti affectus ratione, ut ait *d. l. Cum servus*, ut puta si servus sit filius ejus naturalis, ex contubernio, id est, susceptus ex ancilla sua vel aliena, vel si sit frater naturalis, *l. 19. D. de manumiss. l. Si minor. D. de man. vind.* Ut puta si ambo sint suscepti in servitute ex eadem ancilla, et eodem contubernio. Servilis cognatio nulla est, fateor in successionibus ab intestato. In aliis partibus juris servatur, *l. Adoptivos. §. Serviles. D. de ritu nupt.* et in hac parte quam tractamus, dum habetur ratio affectionis, quod sit filius naturalis, vel frater quæsitus ex servitute, atque ita mea interest eum manumitti affectus mei pii et honesti ratione: nam in bonæ fidei judiciis ex *d. l. Cum servus*, non habetur tantum ratio ejus quod intersit peculiariter, sed etiam affectus, et agitur actione bonæ fidei, vel in hoc ut meæ affectioni satisfiat, etsi nihil decedat rei meæ. Et his igitur casibus dominus agit mandati, quod servum quem vendidit, non manumittet ob fidem quam dedit emptor servo, fore, ut eum confestim manumitteret. Et diligenter animadvertendum est quid, intendat dominus ex hac actione mandati: nam duo potest intendere, vel ut manumittat servum emptor secundum fidem mandati, vel ut reddat eum servum, quem non manumisit. Si agat dominus, idemque venditor, ut emptor servum manumittat actione mandati, cum ea potest concurrere actio ex vendito de pretio. Itaque sic agat venditor mandati, et ex vendito, nec enim sunt contrariæ actiones, una de servo manumittendo, altera de pretio solvendo. Sed si agat mand. ut emptor reddat eum servum quem non manumisit, cessat actio ex vendito de pretio: nec enim potest concurrere altera cum altera, quia in hac specie sunt omnino contrariæ, et contrariæ actiones non admittuntur pure, sed disjunctim, *l. 1. inf. de furt.* Et in hac specie *l. nn.* videamus quam sint contrariæ. Actio mand. rem inemptam fieri intendit, et reddi: actio ex empto reposcit

pretium rei quasi quæ empta permaneat. Sunt intentiones contrariæ. Igitur alia aliam excludit, et eligere alterutram dominus debet, si nolit persequi manumissionem servi. Et pone jam eum elegisse actionem mandati, et servum ei redditum fuisse, an aget emptor contraria mandati, puta ob pretium, quia jam numeravit de suo, et sit jus æquabile ut reddat pretium quod persolutum est. Non semper utimur jure æquabili, non certe in hac parte: nam etsi venditori sit actio mandati ad servum repetendum: tamen non erit emptori actio mandati de peculio ad pretium repetendum, quod prænumeravit, quia non datur actio de peculio ex eo contractu servi, quo se servus malo more domino subduxit: et prætor cum generaliter dedit actiones de peculio ex contractibus servorum, non videtur cogitasse de contractu, quo servi se dominis subducunt: et ita eleganter proponitur *l. Cum servus*: nec erit igitur actio mandati ultro citroque. Et confirmatur hoc *l. Ex tempore.* § *ult. D. de pecul.*

Ad Tit. XXXVII. Pro socio.

In hoc titulo tractatur de contractu societatis, et de actione quæ ex eo nascitur. Societas est conventio, qua inter duos pluresve re aut verbis, aut nudo consensu constituitur legitima communio omnium rerum, vel unius rei ad tempus, quoad vixerint, vel voluerint in ea communione permanere contrahentes. Postrema verba adjicio, quia nulla in æternum societatis coitio est, nulla societas porrigitur ultra mortem: nulla transit in hæredem socii. Eligimus enim nobis socios, nec quoscunque pro sociis habemus, nec quoscumque sociorum hæredes, qui tamen, si placeat, nobis cum iis quia non continuatur societas quæ fuit cum defuncto, renovanda est: quod multæ leges probant. Sed dixi per societatem constitui communionem. Societas non est communio sicut retro communio non est societas, cum possit esse communio citra societatem, ut si duobus eadem res sit legata conjunctim, eorum est citra societatis contractum, cum de eo nihil egerint inter se, ut in ea re socii et collegæ essent, *l. Ut sit. et seq. D. eod.* Communio igitur potest esse citra societatem. sed societas non potest esse citra communionem: nec tamen ipsa est communio, sed contractus, qui inducit communionem justam damni et lucri, *l. 1. §. Plane. de tut. et rat. distr.* dicitur etiam quodammodo inducere jus fraternitatis, *l. Verum. D. eod.* quamobrem receptum est ut humaniter socius socio non teneatur nisi in id quod facere potest: nam veluti fratres sunt, et frater cum fratre non agit in solidum ullo judicio, sed in id tantum, quod facere potest ne egeat victu quotidiano. Et ipsum fraternitatis nomen etiam communitatem significat illam, quam societas inducit, ut est in panegyr. Flaviantium: *Fratrum nomine*, inquit, *et communitas apparet, et æqualitas dignitatis*, et Fabius in declamat. 320. *Sacra res est societas, et quædam fraternitas animorum.* Unde recte in *l. 2 sup. de officio divers. jud.* non esse confundendos gradus dignitatum, qui tres sunt in jure, ut alii clarissimi, alii spectabiles, alii illustres, qui sunt omnes ex senatorio ordine. Sunt tantum hi tres gradus: nam et qui dicuntur esse illustres, vel spectabiles, vel clarissimi, non alio quam illustrium nomine nuncupantur, patricii a senatorio ordine, omnes alias dignitates non diffiteor: puta alios appellari egregios, alios perfectissimos, alios equites; sed ne confundantur hi tres gradus lex constituit, ut ne clarissimi judices, illustres judices in subscriptionibus relationum suarum se nuncupent fratres, quia eo nomine æqualitas significatur, quæ nulla est inter clarissimos et illustres. Diximus, hoc genere contractus induci communionem justam lucri, solius damni non est legitima societas: solius lucri, inquam, nisi uno conferente pecuniam, alter conferat operam, alter industriam, quæ sit pretiosa, ut æquum non sit eum venire in partem damni ut si peritior sit ceteris in ea re, cujus societas coita est, si solus naviget, solus peregrinetur, solus subeat pericula, et omne societatis subeat onus, *l. Si non fuerint. §. 1. D. eod.* eamque constat ita contrahi posse societatem, ut unus conferat pecuniam, alter operam, non pecuniam, quia opera, vel ejus pretium potest superare, aut æquare pecuniam, *l. 1. hujus tit. §. Nam et ita. Instit. eod.* M. Tullius pro Roscio Comœdo: *non esse captiosam, aut iniquam societatem, nisi alter corpus, alter disciplinam in societatem adfert.* Et recte jam olim legi in *l. Cum duob. §. Si in coeunda. D. eod.* pretium operæ, vel artificii esse levamentum, id est, æquamentum, in idiotismo, *contrepoids.* Varro 2. Plautinarum quæstionum, *amicis esse æquabile levamentum.* Idem etiam dicitur ascoma et examen: Sic recte Festus, *examen esse æquamentum*: Sic recte Festus, *examen esse æquamentum*: ac heic rursus diligenter observandum est ex §. *De illa. Instit. eod.* si convenerit ut unus ex sociis, qui forte est omnibus ceteris industrior, veniat in partem lucri, non damni, tunc ei prodesse hanc conventionem, cum plus damni factum est, quam lucri: nec enim ipse ejus damni quod superat, est consors seu particeps. Sed si lucrum præponderet, pro concurrente quantitate damni et lucri compensatio fiet; et residui quicquid erit lucri communicabitur: ut si in lucro sint trecenta, in damno centum, ducenta tantum venient in communionem. Id quoque certissimum est, non valere societatem, si convenerit ut uni cederet lucrum in solidum, et alteri damnum in solidum: hanc enim societatem Cassius solebat appellare leoninam, *d. l. Si non fuerint.* § 1 et leoninam non ex eo apologo, quem omnes adferunt de societate leonis, asini, lupi, et vulpis: sed ex eo apologo qui residet apud Gabriam in tetrasticho de vulpe et leone venatum profectis, ac deinde divisa præda in tres partes, quarum unam sibi quasi rex leo adrogavit, alteram quasi possessor, et tertiam dixit ejus fore, qui ausus fuerit eam attingere: quo in genere manet apud alium lucrum, apud alterum labor omnis. Et placet quod dicitur etiam, et quod Azo notavit, eam societatem esse injustam, et convenerit ut unus lucri nullam partem ferret, et veniret in partem damni: et ut ex tit. Inst. de societate intelligitur. Quintus Mucius dicebat pactionem factam contra naturam societatis, non valere, quod notandum est, et accommodandum ceteris contractibus, ut contra naturam precarii non valere pactionem *l. Cum precario. D. de precar.* Quod de precario legimus, idem dictum putemus de omnibus contractibus. In definitione societatis ego non dixi communionem induci pro indiviso, sicut Asconius non male dixit socium esse eum, qui indivise agit: Recte, quod et communionis verbum satis demonstrat: quia non est communio, nisi sit pro indivisione: Divisione dissociamur, et a communione discedimus: et ita recte Aggenus Urbicus de limitibus agrorum: *Compascua*, id est, loca in quibus licet cuilibet compascere, alios vocare communia, alios communalia, alios pro indiviso. Etiam adjeci societatem contrahi aut re, aut verbis, aut nudo consensu, *ex l. 4. D. pro socio*, re, id est, traditis invicem rebus, et in possessione collatis, quæ tamen traditio non est necessaria, nec mancipatio, quæ etsi non intervenerit, tacite creditur intervenisse, *l. 2 D. eod.* Et dominium igitur rerum communicatur ipso jure, sine traditione et mancipatione, quæ fingitur intervenisse, quæ res fecit ut dubitaretur olim an societas possit fieri sub conditione, *l. pen. hoc tit.* quia scilicet mancipatio non potest fieri sub conditione, *l. Actus. D. de reg. jur.* sed alia est conditio et ratio expressæ, alia non expressæ, tacitæ mancipationis, quæ fit tacita mancipatio recipit diem, vel conditionem, addit *d. l. 4.* societatem contrahi verbis nudis scilicet, citra stipulationem. Mandatum suo loco diximus perfici nudis verbis: Rogo, Recipio, vel etiam per stipulationem, cur non licebit nobis de societate convenire beneficio stipulationis: sed neque traditio est necessaria, neque verborum solemnitas: societas non desiderat rerum traditionem, et aut *l. 2. D. de oblig. et act.* non desiderat scripturam, aut verborum proprietatem, *d. l. 2.* id est, non desiderat propriam formulam verborum, sed qualiacumque verba sufficiunt, quia nudo consensu perficitur societas, etiam inter absentes per epistolam. Præterea dixi omnium rerum, vel unius, quod idem dicitur, in *l. 5. D. eod.* et unius rei dicimus vel unius artificii, et in *l. Duo societatem. D. eod.* unius vectigalis, unius frumenti, vel unius negotiationis, ut olei coemendi, vel gari conficiendi: nam inde in auctoribus puto appellari *garum sociorum*, et lemma illud Martialis, quod habet garum sociorum, ita emendandum esse, *garum sociorum*: sed nec prætermittamus actionem, quæ ex hoc contractu nascitur, quæ est ultro citroque directa, non ex uno latere directa, ex altero contraria, ut in commod. pig. mand. deposito: quia sociorum omnium par est conditio, nec alius alii assistet. Utraque est principalis: utrique igitur datur principalis actio, nempe directa. Sed in superioribus negotiis dominus rei assistat, et est principalis auctor contractus, cum ad eum principaliter res spectet: et ideo ei datur actio directa, adversario contraria. Et datur actio pro socio ex verbis formulæ, quæ fere fuit ejusmodi, ut indicat lex *Actione. §. Si post. D. pro socio*; *quod pro socio communiter negotium gessit, ejus rationem reddi oportere*: nam in illa oratione pro socio, dicitur adigi arbitrum pro socio, et condemnare arbitrum pro socio, qui ex ea actione arbitrioque condemnatur, qua ex causa notatur infamia. Est enim hæc actio famosa, ut in actione depositi. Et ita rectissime loquitur Cornelius Tacitus lib. 3. *Ut Pontifex maximi arbitrio plus, quam bonorum abesset.* Qua de re Alciat. recte scribit in tit. Pro socio. Arbiter solet, inquit, prospicere cautionibus in furto, damno vel lucro, pendente societate, sicut fit in omnibus actionibus bonæ fidei, *l. In omnibus. D. de Jud.* nam judices, vel arbitri bonæ fidei prospiciunt partibus in futurum tempus, et in futuro lucro vel damno, nec de eo tantum statuunt, quod in præsenti est: quod non possunt judices additi, vel addicti strictis actionibus: et ostendit *d. lex. Pro socio.* eam esse generalem, quæ complectitur scilicet præsentia et futura et quæcumque pertinent ad societatem lucri vel damni: et ita judicium tutelæ, sit esse generale, et negotiorum gestorum, commodati, mandati, depositi sunt specialia. Et hoc maxime notandum est in *d. l. Pro socio.*

Ad Tit. XXXVIII. De contrahenda emptione et venditione.

Cum post mutui contractum, qui ex uno latere actionem parit, id est, ex parte creditoris, post inquam, qui non parit, id est, ex parte creditoris, cum sed ex una tantum parte, proposuisset alios contractus ex quibus nascitur actio ultro citroque directa, ut societatem tit. 37. et in hoc tit. 38. emptionem venditionem, cujus diffusiorem prolixioremque tractatum dispertitur in plures titulos, et ult. hujus lib. tit. locationem et conductionem: nam et hic contractus, quam parit actionem ultro citroque, ea est directa, non directa et contraria, quia non major habetur ratio unius partis, quam alterius. Igitur ex emptione et venditione utrimque est actio directa. Venditori est actio, quæ dicitur actio pretii, *l. 8. et 10. hujus tit.* quod scilicet per eam petatur pretium rei venditæ, non etiam repetatur res vendita et tradita ob non solutum pretium: nam actione ex vendito non resolvitur emptio, sed adimplentur cetera venditionis: et quod hoc nomine agitur in *l. un. supra tit. 2. si a reo cæt. se emi mandav.* Ut res vendita et tradita restituatur, hoc agitur actione mandati, non ex vendito: hac actione petitur ut emptor impleat venditionem, non ut resolvat, nec si in mora sit emptor, nec si venditorem pœniteat. Imo, ut eleganter ait *l. 12* licet incontinenti facta pœnitentiæ contestatio non resolvit actu hanc venditionem, etsi incontinenti dicat venditor se mutare factum. Et in hanc rem est elegans d. lex 12. dum ait ingressum in possessionem rei venditæ consensu venditoris pro traditione cedere, non esse necessarium traditionem solemniter fieri, aut in rem venditam emptorem manu duci ipsum, si ingressus

sit in possessionem rei venditæ consensu venditoris, recte videri apprehendisse possessionem, nec traditione, nec mancipatione solenni hodie opus esse, et hoc de venditione: emptori autem competit actio ex empto ut cetera venditionis præstentur, id est, ut res tradatur, et ut caveatur de evictione, de dolo malo: nam hoc emptori debet venditor emptori, *l. Magis. §. Si pupillus. D. de rebus eorum qui sub tut. vel cur. sunt,* et *l. Si duo. §. Si quis juraverit. D. de jurejur.* Venditionem perficit consensus solus, post perfectam venditionem implentur cetera venditionis, sicut litem perficit contestatio, post sequuntur cetera litis, ut cautiones, et probationes, et recusationes, secundum jus quo utimur: nam olim post contestationem non admittebatur recusatio judicis: et ita cetera litis sunt accipienda in *l. ult. tuf. de admin. tut.* Emptio est contractus, quo id agitur, ut dato certo pretio sumat quis ab alio corpus, vel jus, quod vindicet sibi: vel conventio habendæ rei alienæ, jurisve alieni certo pretio: vel est mutatio pretii cum merce: nam auctores sæpe mutandi et permutandi verbo utuntur in emptione: pretii, quia sine pretio venditio nulla est. Et recte in *l. Pacta. D. eod.* venditionis substantiam ex pretio consistere, id est, venditionis naturam: nam nec est differentia inter naturam, et substantiam emptionis contra interpretes. Denique emptor est qui pretio emit, ut ait *l. Sciendum. §. pen. D. de ædil. ed ct.* non qui merce emit mercem, sed qui pretio. Et similiter venditor, qui pretio vendit mercem: et inde uterque dicitur pretium facere, *l. Arbor. §. De vestibulo. D. comm. divid. l. Cum in venditione. D. eod.* Dixi *ut sumat quis ab alio corpus*: nam veteres, ut auctor est Festus, emere dicebant pro sumere et contra sumere pro emere. Marcus Tullius: *Quanti ego non æstimo, tanti sumpsisti.* Et Herat.

Quæ parvo sumi nequeunt obsonia captat.

Et adjeci, *quod vindicet sibi*: nam nulla est emptio si hoc agatur, ne emptor vindicet sibi quasi suam rem emptam et traditam, *l. pen. §. ult. ff. eod.* Quæro ad hæc: cum in hoc libro multi sint tituli pertinentes ad hoc genus contractus, quid in hoc titulo tractetur? et invenio in eo poni regulas juris, quæ proprie pertinent ad hoc genus contractus: ponit principia, quæ sunt fusa per tractatum, et quorum usus est frequens: veluti emptionem venditionem consensu contrahi, *l. 2.* non re, non verbis, non litteris: perfectam esse emptionem, si convenerit de pretio et de merce: etsi nondum intervenerit numeratio pretii, traditio mercis, vel arræ, *l. Quod sæpe. D. eod.* Hæc res non desiderat verba solemnia, ac ne verba quidem, ulla quia contrahi potest inter absentes, non scripturam, non satisdationem ullam, *l. 11. hoc tit.* et *l. 2. D. de oblig. et act. Et l. 35. §. ult. D. de verb. oblig.* quia quæ ex causa ejus contractus interveniunt cautiones, sunt nudæ repromissiones, non satisdationes, nisi aliud convenerit, *d. l. Pacta conventa.* et *l. 2. de hæred. vend. l. Contractus. sup. de fide instrument.* Etiam illud hoc titulo attenditur, emptionem contrahi quocumque loco, nec necesse esse contrahentibus in rem præsentem venire, *l. 1* hujus tit. Ac præterea non recte contrahi simulatam emptionem: puta quæ fiat nummo uno, quæ fiat asse Cajano, quæ fiat donationis causa, l. 3. 6. 8. et 10. hujus tituli. Quod dicitur etiam de omnibus fere contractibus, ut puta, non recte contrahi societatem, conductionem donationis causa; *l. 5. §. ult. D. pro socio*, *l. Si quis conduxerit. D. loc.* contractam venditionem valere quidem, ut donationem, si inter contrahentes consistere possit donatio: si ut mariti, neutram valebit, sed si inter eos donatio possit consistere, tit. venditionis donatio facta valet ut donatio, non venditio, licet prætextum sit venditionis nomen: non omnis qui dicit vendo, vendit; ut non omnis qui dicit dono, donat, *l. Ex conducto. §. Si uno anno. D. loc.* Ut si remittu pensionem hujus anni propter sterilitatem, etiamsi usus sum verbo, dono, nihilominus secuta ubertate repetam quam hoc anno remisi mercedem: non quo verbo utantur contrahentes spectandum est, sed quid agant, *l. Cum quid. D. de reb. cred.* Id quod agitur, haberi pro expresso. Igitur res ita gesta valet in quantum potest, ut donatio, non ut venditio. In Scholiis Græcorum ad *l. 3* et *8. hujus tituli:* quod est in ea Synopsi βασιλικῶν, quæ nuper edita est sic habetur: donationem, quæ præsefert titulum venditionis, non parere ex venditio actionem. Etiam hoc in hoc titulo ponitur, rei suæ emptionem non valere: at possessionis rei suæ valere, *l. Si in emptione. §. Res. D. eod.* sed rei alienæ, juris alieni, l. 4. et 10. quod est fere commune omnium contractuum: nam neque pignus, neque commodatum, depositum, precarium, neque conductio rei suæ valet, *l. Qui rem. ff. depos. l. Neque pignus. D. de regul. jur.* Et postremo in l. 11. ponitur, quod est etiam omnium contractuum commune: est hæc regula, invitum neque emere, neque vendere, est enim omnium contractuum voluntarium initium, *l. Sicut. sup. de obligat. et action. l. In commodato est. §. Sicut. ff. commod.* Et fere quæ de uno contractu ponuntur principia, habent locum in omnibus, quoniam sunt summa principia et naturalia. Verum qualia qualia sunt, vitiantur semper: nam ea est conditio rerum humanarum, ut de his nihil in perpetuum statui possit certo et definiri. Interpretes notant varios casus in l. 12. hujus tituli, quibus inviti vendunt et emunt. Sed his addam alios casus *ex l. Ita ut. §. ult. D. mand.* Cum fundus quidam veniret in partes: mandavi tibi ut emeres omnes partes a diversis sociis, me nolle teneri nisi totum fundum emeres: non emisti totum, sed certas partes, eas in gratiis tibi retinebis jure empti, atque ita videris invitus emisse eas partes, nec me potes compellere ut eas recipiam, quia non servasti mandatum: habemus alium ex *l. Is qui ex causa. ff. de fideic. libert.* Debeo servo libertatem ex causa fideicommissi, in diem vel conditionem certam. Interim eum vendo alii, ut eum manumittat: feci deteriorem conditionem statuliberi, quia ejus interest a me potius manumitti quam ab emptore, ut si senex sit venditor, emptor juvenis: interest potius manumitti a sene quam a juvene. Et ideo ne deterior fiat conditio statuliberi, cogar eum emere, et manumittere. Et multi mores eorum corrupte quandoque in provinciis similes casus inducunt, quibus cogimur emere aut vendere, neque habemus liberum arbitrium probandi et eligendi emptorem, ut memini me legere in vita Joannis Chrysostomi Constantinopoli hunc morem fuisse, ut admonuit Simeon Paraphrastes, ut si Augusta racemum excerpsisset a vite, vitis ex qua excerptus fuisset racemus ad fiscum deferretur. Et ob id Eudoxia Arcadii uxor Augusta, reprehensa fuit a Joanne Chrysost. Episcopo. Alius est casus jure veteri de quo est celebratissima lex *Dudum. hoc tit.* Si quis velet rem suam vendere invitus cogitur socios suos præferre extraneo: sed hoc jus tollit *l. Dudum*, vultque ut suo arbitratu quis possit probare emptorem; sed additur exceptio nisi lex specialiter prohibeat quasdam personas hoc facere: quæ verba addita sunt a Triboniano cum non essent in *l. un. tuf. non licere habitatoribus, lib. 11.* quæ lex pertinet tantum ad viros majores: nam metrocomia est major vicus, sicut metropolis est major orbs: vicani si possessionem suam velint vendere, debent præferre convicanos suos extraneis. Et hoc casu non est liberum vicanis arbitrium quærendi emptorem: alias ex *l. Dudum*, cuilibet est libera potestas probandi emptoris, nisi ex conventione aliud convenerit, complacuerit, ut *l. Qui Romæ. §. Cohæredes. ff. de verbor. obligat.* præterquam in auctione bonorum, quæ fit sub hasta, in *l. Cum bona. D. de reb. auctor. jud. possid.* et *l. Imperator. D. de pact.* nam in auctionibus præfertur propinquus extraneo, id est, in distractionibus. sunt enim distractiones proprie, quæ fiunt sub hasta, ut in Quintiana, *bona distraherentur.* Verum nos utimur jure veteri in his provinciis, non in omnibus, et *lex pen. h. t.* eum qui fundum venalem habet noluit præferre propinquum extraneo, quod etiam probavit Nov. Romani senioris, et constitutio quædam Friderici Imperatoris: et Nov. Romani idem obtinuit in emphyteusi, et locatione et conductione, ut etiam in illis contractibus esset propinquis jus prælationis: nam ea Novella tantum usu recepta est in venditione, nec enim audio juri prælationis locum esse apud nos in emphyteusi et locatione. Et ut etiam hoc tantum addam, jus προτιμήσεως dari etiam domino feudi, vel emphyteuseos, *l. 2. et ult. tuf. de jure emphyt.* Sed si concurrat dominus feudi cum agnato vel propinquo quis præfertur? quia uterque habet jus prælationis, et est definitum, agnatum præferri domino feudi, lib. 2. Feud tit. 9. §. ult.

Ad Tit. XXXIX. De hæreditate, vel actione vendita.

Quod dixi in definienda emptione, non tantum corporis emptionem esse, sed etiam juris, quæ res est incorporalis, id patefacit hic titulus: hæreditatis enim et actionis appellatione jus significatur, non corpus hæreditatis, scilicet jus successionis universæ, non corpora hæreditaria, *l. 1. D. de rer. divis.* et *l. Hæreditas. D. de petit. hæredit.* et *l. Bonorum. D. de verbor. signific.* et inde illa, *hæreditatem non usucapi*, apud Senecam, et hæreditatem non dividi, vel non possideri pro diviso, *l. 8. D. de rei vind.* quia jus significat non corpus: non est igitur nobis hæreditas (quod aliis auctoribus placuit) pecunia, vel res; sed jus successionis, in quo sunt res tam corporales, quam incorporales. Actionis etiam nomine constat significari jus persequendi in judicio quod sibi debetur. Ceterum actio proprie est actio in personam, quæ et nomen, et cautio dicitur, *l. Actio. ff. de obligat. et action.* Actio infertur in personam, petitio in rem proprie, *l. Verum. §. Actionis. D. de verb. signific.* In hoc titulo generaliter accipiendum est, ut etiam actionem in rem contineat, et vero constabat olim utramque actionem vendi posse, et comparari: sed non æque constabat, ac sicut emptori nominis ex constitutionibus datur actio utilis suo nomine persequendi nominis gratia, etsi venditor ei non cessent suam directam actionem, qua emptor quoque, si cessa esset directa experietur ex cessione, sicut venditor, *l. ult. hujus tit.* Sed et sine cessione ex sua persona emptori nominis constitutiones dederant utilem actionem. Verum dubitabatur an ante cessionem factam a venditore actionis in rem, emptori actionis daretur utilis actio in rem citra cessionem: propria actio in rem non nisi domino competit, et dominus actionis emptor non est ante cessionem, sicut nec rei ante traditionem. Verum hunc scrupulum sustulit Justinianus, *l. ult. hujus tituli*, data emptori utili actione tam in rem quam in personam ante cessionem venditoris. Et ita etiam emptori hæreditatis ex constitutione *D. Pii* dantur utiles actiones in debitores hæreditarios, *l. 5. hujus tit.* et in *l. Si cum emptore. D. de pact.* constitutione opus fuit, ut supplerentur utiles actiones emptione hæreditatis vacantis, sine cessione venditoris, alioquin ita hærent actiones cujusque generis maxime in personam ei cui competunt; ut ab eo non possint discedere sine cessione; nec discedunt etiam directæ sine cessione: utiles ultro dantur ex constitutionibus, non expectata cessione venditoris. Quod tamen non ita invenitur constitutum in societatem nominum, *l. 3. D. pro socio:* nam si coita sit societas nominum, vel societas bonorum, in quibus sunt et corpora et nomina; corporum quidem dominium communicatur statim, etsi traditio non intervenerit, nomina non communicantur, donec invicem cedantur, quia deficit constitutio quæ sociis sine cessione dederit utiles actiones: et similiter deficit constitutio in concessione peculii, quod consistit in nominibus, *l. Qui ergo. D. de pecul.* Denique his et aliis plerisque casibus quia non idem constitutiones admiserunt quod in emptione actionis vel hæreditatis, ideo nec nos possumus inducere. Et observanda hæc est differentia inter emptorem corporis et emptorem juris: nam emptori juris datur actio utilis etiam ante cessionem, et in rem si empta sit actio in

rem, ex *l. ult.* Emptori autem rei vel corporis ante traditionem non datur actio illa, quia deficit constitutio quæ socia sine cessione dederit utiles actiones. Nec Jureconsulti possunt interpretationibus suis semper producere constituta legum, præsertim cum constitutiones refragantur summo juri: observandum etiam est, in hoc proposito emptori actionis vel hæreditatis, non tantum dari utilem actionem sine cessione, vel directam ex cessione in rem principalem; sed etiam in accessiones, ut puta dari utilem actionem constitutæ pecuniæ ex stipulatu in fidejussorem, et utilem hypothecariam in *l. Emptori.* et *l. Venditor. D. eod.* et *l. pen. h. t.* Et emptori quoque hæreditatis similiter: sed animadvertendum est, quod solum locum habere potest in emptore hæreditatis, quod quamvis emptor hæreditatis habeat utiles in debitores hæreditarios: tamen e contrario creditores hæreditarii in eum non habent utiles actiones, etsi ea lege emerit ut satisfaceret: quæ lex alii datur quam contrahenti, alii non proficit: et ideo creditores hæreditarii ibant ad venditorem, ad emptorem invitum non ibant, etsi se ei legi subjecerit. Et hoc ostenditur in *l. 1. hujus tit.* et *l. 2 sup. de pactis.* Videndum est cum ab hac sententia excipiatur fiscus, qui vendit hæreditatem, *l. 1. hujus tit. l. Eum qui bona. D. de jure fisci:* nam is, qui emit hæreditatem a fisco ea lege ut subiret omnia onera hæreditaria, ut satisfaceret creditoribus, cogitur excipere actiones, quæ contra defunctum, vel contra fiscum competebant. Fisci est publicum jus, aut quasi publica persona: conventio fisci alii prodesse potest, conventio privati non potest: nemo enim paciscitur alii, sed sibi: et quam alii actionem paciscitur, inutilis est: sed fisco paciscenti alii fuit cur admitteretur publicæ personæ conventio alii facta: nam et certum est per servum publicum alii sæpe fieri stipulationem, *l. 2. D. rem rat. hab.* Summa ergo sit, conventionem fisci prodesse alii, non etiam privati. Et convenientior eum, qui emit hæreditatem a fisco, obtinere vicem hæredis, quia fert commoda omnia et incommoda: non etiam qui emit a privato. Et ad hæc observandum est, quod in hoc tractatu fit sæpe mentio nominis, hoc verbo non tantum significari cautionem, qua id quod debetur ex mutuo, vel ex alia quacumque causa novationis genere transfertur in litterarum obligationem, secundum id quod recte exposuit Theophilus, *tit. de litterarum obligationibus, Inst.* et confirmat *l. 6. Cod. Theod. de denunciatione, vel editione Rescripti;* quod tamen genus hodie desiit esse in usu, quæ proprie dicebatur obligatio nominum, quæ fiebant ad mensam argentarii publica fide, et non hanc cautionem tantum nomen significat, sed omnem cautionem, omnem actionem, sive obligationem personalem: et dicimus nomen active id quod nobis debetur, non passive id quod nos debemus aliis, ut nomen Titii, recte dixeris, et id quod Titio debetur, et id quod ipse debet: dicimus nomina ipso jure dividi inter cohæredes pro portionibus hæreditariis, *l. 6. sup. famil. ercisc.* id est, nomina activa et passiva. Et ita in *l. Qui filiifam. D. eod.* filiifamilias nomine, id quod filiusfam. debet. In hoc autem titulo nomen accipitur active pro eo quod nobis debetur, quia nemo vendit nomen passivum, sicut nemo legat nomen passivum, sed activum. Et ideo qui legat decem, quæ Titio debet his verbis: *lego illi decem, quæ Titio debeo,* adjecta illa demonstratione quantitatem legat, non nomen; alioquin esset ridiculum legatum: et ideo legatario debentur decem: etsi sit falsa demonstratio, quia quantitatem legavit, non nomen, et contra qui legat decem quæ sibi Titius debet, nomen legat, non quantitatem: et si nihil ei Titius debeat, nihil est in legato. Quæ omnia demonstrantur in *l. 1. Si sic legatum. §. Si mihi. D. de leg. 1.* Addamus superiori differentiæ alteram: hæreditatis appellatio continet etiam damnosam, quia nomen est juris, quo nomine non significatur lucrum tantum, sed etiam damnum, *l. Hæreditatis appellatio. D. de verb. signific.* Et similiter actionis nomen continet etiam inanes, forte propter inopiam creditoris: quare is, qui vendit hæreditatem aut actionem, satis est si præstet hæreditatem esse vel actionem quamlibet, nec necesse est ut præstet locupletem, *l. 4.* et *l. Cum hæreditatem. D. eod.* Et consequenter etiam non cavet de evictione, nec tenetur de evictione, evicto forte corpore quodam hæreditario, quia jus vendit, non corpus, *l. 2. D. eod.* longe secus est in venditore corporis: nam venditor corporis omni modo præstare debet emptori rem habere licere, nec evictum iri cavere debet de evictione per repromissionem, non per satisdationem, nisi aliud convenerit: et in his, quæ dicuntur cetera venditionis, hæc sunt, ut emptor pretium det, venditor rem tradat, et ut caveat de dolo malo, et de evictione. Hæc sunt quæ post impletam venditionem nudo consensu implenda sunt ultro citroque.

Ad Tit XL. Quæ res venire non possunt, et qui vendere, vel emere vetantur.

Melius ita habetur conceptio hujus tituli, ut a veteribus Gallis (qui omne jus nostrum transtulerunt in linguam Gallicam, cum glossis Acc.) est animadversum, quam (qui vendere, vel emere vetantur) ut in archetypo Florentino habetur: quod patebit si summam titulorum complectamur. Summa igitur hæc est, purpuram, sericum, annonam militarem, frumentum publici canonis, id est, quod infertur in publicum, neminem emere posse. At qui intercidit omnibus emptionem harum rerum, non dicit, qui vetentur emere et vendere, ideoque rectius Galli, et qui emere, vel vendere vetentur, quod ita vertitur in Gallica versione juris nostri, quæ habetur in Bibliotheca Regia, teriturque etiam quorumdam privatorum illustrium manibus: *Quelles choses ne peuvent estre vendues et lesquelles sont defendues à vendre, et à acheter,* et expositio latior constitutionum hoc ita esse liquido demonstrat: l. prima primum vetat purpuram vendi a privatis hominibus, non vetat emi: nam emere licet de ærario publico, in quod inferebatur pretiosum illud vellus: et constituit ne illum vendant privati, vel in lana, vel in serico, quod ibi Græci interpretantur μετάξας. Ne quis igitur privatus, vel in serico, vel in lana purpuram vendat, præter comitem sacrorum commerciorum, et adjicit, quam blatta, vel oxyblatta, vel hyacintina, subintelligendum est, quam purpura, non lana, et blatta, id est, Indica. Is est color, quem vocamus *le gay violet,* et oxyblatta *sur gay violet,* et hyacintina dicitur ab ea herba, quæ ὑάκινθος dicitur, *pensée.* Et dicitur eleganter a Vopisco in Carino, purpura Hyacintina, quod ea Tyro advecta sit. Et in secunda constitutione vetatur ne quis emat sericum a barbaris, id est, Indis, et Persis, præter comitem commerciorum, qui serica comparabat domui Augustæ. Quod obtinuit antequam Romani addiscerent rationem conficiendi serici, quam discere cœperunt ætate Justiniani. Sed antequam scirent Romani rationem conficiendi serici, hæc lex obtinuit ne quis alius præter comitem, sericum a barbaris emeret: vendebatur sericum contra aurum, ut est apud Vopiscum in Aureliano: libra auri libra serici erat. Et l. Rhodia non prohibet venditionem: nam frustra prohiberet barbaros vendere, sed prohibet tantum emptionem: nec hoc est perpetuum, si faciat inquam rem emptor, et agat etiam venditor, ut regulariter se habet, *l. 1. C. de cupressis, l. 20. inf. de cursu publico;* sed plerumque non licet emere, quod licet vendere: et contra non vendere licet quod licet emere. Et hoc in *l. pen.* et *ult.* habetur, frumentum canonis debiti fisco nec licet emere, nec vendere, ut annonam militarem, frumentum publicum. Ceteras constitutiones facile erit cuilibet per se adsequi.

Ad Tit. XLI. Quæ res exportari non debeant.

Ad tit. superiorem pertinent tres tituli sequentes 41. 42. 43. Et sunt ejus veluti portiones quædam. In titulo superiori demonstratum est, a barbaris neminem sericum emere posse, quam Comitem commerciorum: hoc tit. 41. ostenditur, quæ non possunt vendi barbaris. Et ut hoc explicem, barbari sunt externi, qui sunt extra fines jurisdictionis Romanæ, et hostes populi Romani. Et sane qui in his libris dicuntur barbari, Leo Imperator Nov. 63. vocat hostes πολεμίους, l. 2. hujus tituli ostendit venientibus forte in alienum solum ex legationis causa, vel alia, induciarum forte tempore, non posse vendi ferrum factum, vel infectum, non posse vendi arma, quæ pervehant ad suos. Et additur in *l. Cotem. D. de public.* eis etiam non posse vendi cotem ferro subigendo necessariam, nec frumentum, nec sales, ut est Florent. scriptum in l. *Si quis inf. de vectig. et comm.* quæ Græci dixerunt ἅλας. Isaacius Imperator apud Nicetam dum cœnat, jubet sibi adferri ἅλας, ἐνέγκε μοι ἅλας; *Apportez moy du sel.* Et Germanus interpres, qui Nicetam fecit Latinum, est non minus facetus, dum scribit Imperatorem jussisse sibi adferri alia, quam minus quidem, qui tum cœnanti Imperatori adorat: qui cum audisset Imperatorem jubere sibi adferri ἅλας, sciens quod is Imperator luxuriæ minime deditus esset, rogavit an posceret alias puellas, quasi non sufficerent, quibus illo cœnabat, præsentibus. Et certum est non posse aurum factum, vel infectum impune exportari ad barbaros, *l. 2. inf. de commerc. et merc.* Marcus Tullius pro Flacco. *exportari non oportere aurum senatus judicavit:* exportare est transvehere ad barbaros extra fines Imperii Romani: etiam additur in *l. 1.* hujus tituli, barbaris non recte vendi vinum, oleum, liquamen: et tantum abest, ut vendi eis ii liquores possint, ut nec possint ad eos transferri; vel gustus causa, ne scilicet horum liquorum dulcedine illecti promptius invadant fines Romanorum: qua ratione plerique historici narrant Gotthos fuisse allectos in Italiam, transmissis ad eos pomis, et aliis fructibus quos fert Italia præstantissimos. Vide Liv. 5. de Gallis. Gustus horum liquorum est irritamentum ad bellum: et liquaminis nomine, procuidubio per eminentiam significatur garum, quod facile est conficere ex scombris. Id vocat Ausonius, *liquorum Sociorum,* et *l. Qui penum D. de penu. leg.* concludit ex Proculi sententia, penu legata contineri etiam garum, gallice, *sauce;* quamvis esse garum non soleamus, sed esse per garum.

Ad Tit. XLII. De Eunuchis.

In hoc titulo ostenditur etiam Romanos Eunuchos factos non esse in commercio hominum, non emi, non vendi jure posse, *l. 1.* ubi eadem pœna proponitur emptori et venditori Eunuchi, eadem tabellioni, qui instrumentum fecerit, ut in specie l. 1. *inf. ut nemo ad suum patrocin.* et *l. Jubemus. §. his tabellionibus. sup. de sacros. eccles.* Eadem est quoque pœna publicanorum, qui quasi mercis Eunuchi venditi octavam exegerunt: nam octava erat promercalium vectigal, l. 7. et 8. *infr. de vectigal. et comm.* et l. 7. *inf. de hoc* hæc de Romanis Eunuchis; nam barbarorum Eunuchorum constat esse commercium, qui scilicet facti sunt Eunuchi in barbarico solo, et significat *d. l. 2.* quia in orbe Romano capitale est Eunuchum quemquam facere seu servum, seu liberum; qua de re sunt leges multæ in *tit. D. ad l. Cornel. de sicar.* et Nov. Justiniani 142. Nervæ, Adriani, Domitiani constitutiones: fit quidem plerumque pretiosior servus castratione: sed etiamsi ei excisa sit virilitas, excisusve vir producat pretium servi, non idem domino, vel alii cuiquam licet virum excindere l. *Si servus. §. Et si puerum. D. ad leg. Aquil.* Virum dixere eam partem corporis. Catullus: *membra relicta sine viro:* et Arnobius: *excindit ei virum:* et vetus poeta apud D. Hieronymum:

Infelix ferro truncata juventus,
Atque excisa virum.

Ad Tit. XLIII. De patribus, qui filios suos distraxerunt.

Hoc titulo editur, parentes liberos suos non posse in alium transferre quocumque titulo, non vendere, non donare, non pignori obligare: et addit l. 1. nec sub prætextu ignorantiæ accipientis: quod notandum, quia regulariter liberi hominis emptio contrahitur si ab ignorante ematur: *l. Et liberi.* et *l. Liberi. D. de contrah. empt.* Excipiendus est filius, quem vendit pater: non vendente patre: non contrahitur emptio filii, qui liber homo est, etsi ignorans emat, *l. 1. hoc tit.* una tantum proponitur causa in *l. 2.* propter nimiam paupertatem, egestatemque victus causa: plus est egestas, quam paupertas, est enim egestas est nimia paupertas. Et hæc legis verba sic sunt accipienda; ac si dixisset, propter nimiam paupertatem, id est, egestatem: egestas est si desit victus et vestitus: si nihil habeas non est paupertas: Eurip. in Helena: quia egestas non est paupertas 'Ελενα χῆρα. Egestas paupertas est, etsi victus vestitusque suppetat. Et in *l. In condemnatione. D. de regul. juris,* et similibus locis, cum demonstrantur ii, qui tenentur in id duntaxat, quod facere possunt, veluti parentes, aut patroni, et socii, semper deducantur ne egeant: deinde in residuo quantum sit æstimetur unde satisfieri possit creditoribus, deducto ne egeant, id est, ne desit victus vestitusque, ut *l. 6. D. de cessione bonor.* et *l. 42. D. de operis liber.* Seneca quodam loco: *non est, quod paupertas nos a Philosophia revocet, ne egestas quidem:* Ovidius.

Nempe quod alter eges, altera pauper erat.

Aliud igitur est egestas, aliud paupertas. Et quod ait, filii venditionem permitti patri victus causa, ea vel sic caperis, victus sui, vel victus pueri causa, quem ipse educare non potest, quemque qui educere velit, nullus est. Et hæc lex est stricte accipienda de venditione pueri, scilicet sanguinolenti, id est, recenter nati, et ut est apud Ælianum lib. 2. cap. 7. dum hac ipsa de re tradit legem quandam Thebanorum, statim a materno partu, et est certissimum, non esse legendum, *sanguinolentus*, sed sanguinolentos pueros, id est, recens eductos ex ventre matris, qui ægre sunt toleraturi vitam propter egestatem propriam, ne projiciantur et exponantur, patri eorum venditionem permitti, alimentorum et vestitus causa, ne fame pereant: et exigitur, ut desit educator, qui eum puerum pietatis causa educere velit: nam si adsit tam pius vir, non est permissa venditio patri: nam ut est in Basilic. etiamsi egenus sit pater, si tamen habeat pueri educatorem, qui pietatis causa eum alere paratus sit, non permittetur venditio patri. Et evidens hic est sensus horum verborum. Quem tamen locum germanus interpres alio modo interpretatur: quamvis enim pater sit pauper, tamen si habeat alium, qui ex causa pia alat, non recte eum vendet: et proinde si pueri fuerit educator, venditio non est permissa. Et illud notandum est hoc casu facile posse rescindi hanc venditionem sanguinolenti pueri permissam, patri victus causa vestitusque, ut huic legi non sine ratione junctus fit titulus de rescindenda venditione, quo enumerantur plures etiam probabiles causæ rescindendæ venditionis: hæc, ut dixi, de filio sanguinolento facile rescinditur, vel ipso filio, vel patre, qui vendidit, vel alio quolibet eum adserente in ingenuitatem: quilibet enim quasi in publica causa adsertor ingenuitatis pueri admittitur, dummodo reddat pretium emptori quanti nunc est puer, non quanti emit; nam pretia non constituuntur ex præterita emptione, sed præsenti æstimatione, quæ vel major possit esse, vel minor, *l. 9. §. Dieus.* et *l. Ad rescindendam. tit. seq.* Igitur cum quis revocat puerum in ingenuitatem ex servitute ille coacte et extorte, oportet invito patre emptori pretium reddere quanti nunc est infans, vel pretio mancipium simile. Hic velim addi, quæ adnotentur initio 5. Sententiarum Pauli.

Ad Tit. XLIV. De rescindenda venditione.

In hoc titulo ostenditur, quæ sint causæ probabiles, vel improbabiles rescindendæ venditionis. Improbabiles sunt multæ, probabiles admodum paucæ. Difficilis enim est rescissio contractus, habiti bona fide. Et priusquam de iis dicamus sciendum est rescindendi verbum esse duplex: nam non tantum rescindi dicitur venditio, quæ jure imperfecta revocatur aliqua ex causa per restitutionem in integrum, vel per restitutoriam actionem, vel rescissoriam, ut ex empto vendito. Interdum etiam agitur ad rescindendam venditionem, *l. Ex empto. §. Redhibitionem.* et *§. Si quis virgin.* et *§. seq. D. de act. emp. l. 10. hoc tit.* sed et dicitur rescindi venditio, quæ ipso jure nulla est, ut rescindi libertas quæ lege Ælia Sentia non consistit. *l. 5. D. qui et a quibus man. lib. non f.* et rescindi sententia, quæ ipso jure nulla est in titulo Digestorum, quæ sententiæ sine appellatione rescindantur, id est, quæ rescindantur ipso jure, *l. Si liber. D. de jure patron.* et rumpi testamentum ipso jure, *l. Inter cetera. D. de lib. et post.* Non est igitur per omnia verum id quod vulgo dicitur, id quod nullum est, rumpi non posse, l. 3. §. 1. *D. de inju. rup.* Sic enim id intelligi debet, ut rumpi rescindique non possit, quod jam ipso jure ruptum rescissumque est. Et ita venditio, nempe ea cui dolus dedit causam et initium, rumpi non potest. Ea igitur venditio, cum sit jure ipso rescissa amplius rumpi non potest: cetera venditionis, ei jam secuta sint, ut traditio rei, numeratio pretii, cautiones de dolo, et de evictione, ea rescindi possunt et debent, *l. 2. 5* et *8. hujus tituli.* Hoc titulo demonstratur, quæ sint improbabiles causæ rescindendæ venditionis. Non rescinditur venditio, si quis impetraverit ea de re rescriptum a principe: rescriptis a principe contra jus publicum non est obsequendum, ergo ex rescripto non potest rescindi venditio. Quod nec favor militiæ admittit, nec favor fisci, ut elicito rescripto a principe, eoque fretus, quis possit rescindere venditionem, et *l. 3* et *7. hujus tit.* non est etiam idonea causa rescindendæ venditionis, si dicatur res olim magno pretio venisse, longe majori scilicet, quam nunc vendita est: quia pretia non constituimus ex præteritis sed ex præsentibus venditionibus et æstimationibus, *l. 4. hujus tit.* Non est etiam idonea causa rescindendæ venditionis, si venditor emptori duplum pretii offeret, *l. 6. h. t.* Non est etiam probabilis, sive idonea causa rescindendæ venditionis, si pretium dicatur non consistere in pecunia numerata, ut dicitur in emptione, pretium debere consistere in nummis, *§. Item pretium. Instit. de empt. et vend.* Quod ita verum est, ut ab initio conveniri oporteat de certa quantitate nummorum pro pretio, ita ut dicatur tot nummis esse emptam rem palam inter emptorem et venditorem. Sed postea possunt aliæ res dari in solutum consentienti venditori, nec inde poterit idonea captari occasio rescindendæ venditionis, quod non intervenerint nummi, quia aliis rebus contentus fuit venditor, *l. Pretii. hoc tit. l. 3. sup. de contrah. empt.* Hæc conditio, sive pactio ut aleretur venditor ab emptore, quod Græci notant, est loco pretii volenti creditori. Addamus non esse causam probabilem rescindendæ venditionis, si quis dicat se vendidisse urgente ære alieno coactum, vel urgente munere aliquo publico, quod sumptum exegerit, *l. 12. hoc tit.* Item non est probabilis causa, si quis dicatur emisse contra denunciationem factam ab altero, cujus intererat rem non alienari, *l. 13. hoc tit.* Item non est idonea causa si emptor dicatur nondum pretium solvisse, *l. 8. sup. de contr. empt.* nam est agendum de pretio, vel si alii conventioni, pactioni emptor dicatur nondum satisfecisse, ut in *l. 14. hujus tit.* nec enim levi ex causa rescinditur contractus ullus, nec alia ex magna. Ac postremo nec hæc quidem causa rescindendæ venditionis est probabilis si paulo minore pretio res venierit, *l. 8. 10. 15. hujus tituli*: nam illud certum est, quod vulgo jactatur, in venditione, locatione, conductione, permutatione naturaliter licere contrahentibus se circumscribere, *l. 16. §. pen. D. de minor. l. Item si pretio. in fi.* et l. *seq. D. loc.* et *Novell.* 97. Potest quis, quod pluris est, minoris emere, et quod minoris est pluris vendere, nec prætexto majoris, aut minoris pretii rescindi venditio potest, nisi intervenerit dolus adversarii in faciendo pretio: nam quod dicitur, licere se circumscribere, hoc intelligitur relpsa, non dolo malo, et per insidias quasdam decepto emptore, vel venditore. Circumscriptio admittitur, quia dolo caret. Et hoc naturaliter fit: id est, ex natura emptionis et venditionis. Quod eleganter *l. 8. hujus tituli* explicat, dum ait, hujus contractus hanc esse substantiam, id est, naturam, ut emptor votum gerat emendi minoris, et venditor pluris vendendi. Et ita quod dicitur, in actionem ex empto venire ea, quæ naturaliter insunt judicii potestate, id est ex natura hujus negotii, *l. Ex empto. §. 1. D. de actio. emp. l. Si in venditione. D. de evict. l. ult. inf. de advers. toll.* Ergo generalis definitio hæc est, non ideo rescindi venditionem, quod paulo viliori pretio res venierit. Cui addatur tantum hæc exceptio, nisi pretium minus sit quam dimidia pars justi pretii: quia licet se circumscribere usque ad finem dimidii pretii. Ideo et circumscriptioni datus est hic modus, ne excederet dimidium justi pretii: ideo si res digna decem, venierit quinque, nullus est rescissioni locus. Sed si eadem res, quæ est digna decem, venierit quatuor, est recissioni locus, *l. 2.* et *8. hujus tit. l. 2. inf. si major factus vendit. rat. hab.* Quæ est explicanda secundum id, quod Accur. primo loco exposuit in *d. l. 2.* et *cap. 3.* et *cap. pen. ext. de empt. et vend.* et in *Novella Romani senioris de rescindenda venditione.* Verum si, ut dixi, res digna decem, venierit quatuor: quomodo aget venditor adversus emptorem, et jus suum obtineat? quid fiet si agatur ad rescissionem venditionis? Ex ea causa dabitur electio emptori judicio convento eo nomine, utrum malit a re empta discedere, pretio recepto, quod est rescindere penitus venditionem, id est, restituere rem emptam cum fructibus, et recipere pretium cum usuris, aut compensare fructus cum usuris, ut in *l. 2.* et *l. Patri, §. Item ex diverso. D. de minor.* et *l. Res æstimata. §. 1. D. de jur. dot.* Denique hæc optio debitur emptori, ut rem reddat, et pretium recipiat; et ita fit emptio irrita et infecta, an velit supplere justum pretium, id est, decem, cum solverit tantum quatuor, an velit adnumerare sex, quæ desunt justo pretio, atque ita rem retinebit. Hæc optio, quæ datur emptori facit ut non omnino rescindi videatur venditio ex hac causa: quia suppleto justo pretio venditio remanet in suo statu. Igitur non ex hac quidem causa omnino rescinditur venditio, *l. 1. §. Si quis in fraudem. D. si quid in fr. patron.* actio Faviana, omnino non est rescissoria, quæ revocet alienata a liberto in fraudem patroni, ut ait ille §. quia eadem optio defertur emptori, ut vel penitus discedat ab emptione in integrum restitutis omnibus, vel suppleat quod deest justo pretio. Puto autem jus, quod receptum est, quoque utimur, fuisse vetustius, quam sit lex 2. hujus tit: nam in D. nullum invenies exemplum, quo emptor minoris emit dimidio justi pretii, sed invenies ad finem dimidii, ut plane videatur hic modus constituendi, faciendique pretii, jam olim fuisse constitutus in *l. Si duos. D. de evict.* Homo dignus decem venit quinque, quæ frans tolleretur, nusquam invenies hominem dignum decem venisse quatuor: nec enim Jurisconsulti utuntur exemplis illicitæ venditionis. Porro considerandum est, nos tantum egisse hactenus de venditore fraudato supra dimidium justi pretii, ut qui rem dignam decem, vendidit quatuor. Et vero omnes leges loquuntur de venditore fraudato, nulla de emptore fraudato verum obtinuit quod tamen miror, ut sint producendæ omnes illæ leges ad emptorem, quæ de venditore loquuntur. Verum ut intelligatur quanto errore id fiat, animadvertendum est, aliam esse conditionem emptoris, aliam venditoris: venditor enim plerumque coactus rei familiaris necessitate, rem suam vendit viliori pretio, *l. 2.* et *10. h. tit.* quia coactus, non

sponte sua vendidit: itaque æquissimum est ei subveniri, ut fraudato supra dimidium justi pretii. Emptor ultro accedit ad emptionem rei immobilis: nam hæc constitutio non pertinet ad res mobiles: non est autem æquum et succurri, qui ultro accedit ad emptionem, qui ultro emit rem immenso pretio et immodico, ut est in *l.* 1. §. *Sed si rem. D. si quid in fraud. patr.* vel affectione opportunitatis, (*pour la bienséance*) vel affectione vicinitatis vel cœli, quod fundus sit situs optimo cœlo, vel quod ibi parentes sepulti sint, vel ut est in *l. Si in empt. D. de minor.* quod ea res majorum ejus fuerint. Incensi his affectionibus emptores projiciunt magna et ingentia pretia, pretia facientes ex suo affectu et calore. Id calorem emendi vocat *l. Locatio. D. de publican.* et alii auctores insaniam: M. Tullius ad Attic. *Othonem vincas volo, nec tamen insaniturum eum esse puto*, id est, non facturum immensum pretium. Et ita Virgil. Ecl. 3.

Insanire tibi quantumlibet.

Emptori igitur ultro accedenti ad emptionem, insanienti, incalescenti sæpe numero in faciendo pretio non est æquum subveniri, cum nulla necessitas eum impulerit ad totum emendum: et ideo, ut dixi, leges omnes dant rescissoriam venditori fraudato supra dimidium justi pretii, nulla opitulatur emptori majori vigintiquinque annis, qui rem emit immenso pretio. Fateor quidem minori vigintiquinque annis in integrum restitutione subveniri, *l. Patri.* §. *Prædium. D. de minor.* Nego subveniri majori, qui supra verum pretium fundi eam emit altero tanto amplius: et qui fundum dignum quatuor, emit decem, vel novem: nam et fraus est ex parte venditoris, quod maxime notandum est, cum rem dignam decem vendit quatuor, quia neque dimidiam partem veræ æstimationis rei consequitur: et similis igitur e contrario fraus est ex parte emptoris, si rem dignam quatuor tantum emerit decem, vel novem, quia nec dimidiam partem pecuniæ suæ fert ex re vendita. Et pari ratione si rem dignam decem, emerit viginti et uno, et retro, fraus est venditoris, et intollerabilis, si rem dignam vigintiuno vendat decem tantum. Et quidem ex Novella Romani senioris, quæ hac de re prodita est, dum de venditore fraudato loquitur, dimidium justi pretii vocat duplum, εἰς τὸ διπλοῦν ὑπερβεβηκότων id est, auctionem in duplum, duplum vocat, id quod plus est in re vendita, ejusque rei vero pretio, quam in pretio convento. Ita si de emptore fraudato agatur, dimidia pars justi pretii erit duplum, sed in emptore, est duplum ubi pretii in venditore est duplum pretii conventi; et quod excedit bene duplum, est fraus, quæ corrigitur in venditore per rescissionem, non in emptore, ut dixi. Et error communis tamen obtinet, ut idem sit in emptore, quod est iniquissimum. Et huic errori est agnatus alius, ut emptor intelligatur esse fraudatus, quod probat *l.* 2. *hujus tit.* si rem dignam decem, emerit sexdecim, cum tamen eo non plus, quam dimidiam partem suæ pecuniæ habeat nempe decem. Non igitur, qui rem dignam decem, emit sexdecim, sed qui emit viginti et uno. Quam rationem notavit. Acc. nec tamen probavit. Et hunc communem errorem adnotavit Carolus Molineus in libro de usuris, eamque attigerat Panorm. in *cap.* 3. *tit. de empt. et vend. extra.* Verum nemo judicavit unquam æquissimum esse, beneficium l. 2. producere ad emptorem majorem vigintiquinque annis, deficiente lege, quem non necessitas, sed affectio impulit ad emendum. Et velim notari etiam legem 2. esse intelligendam de rebus soli, non de mobilibus: nec omittendum est, quod hodie definitum est superiori. Nov. Romani senioris de rescindenda venditione. Ex hac causa agendum ex vendito intra quadriennium, quod est species restitutionis in integrum: et restitutio in integrum finitur quadriennio, *l. ult. D. de in integ. restit.* Inde egregia moveri heic potest quæstio: quid fiet, si fundus emptus, venditore fraudato supra dimidium justi pretii, chasmate perierit intra quadriennium, emptore convento a venditore, ut suppleat justum pretium ex beneficio l. 2. cum fundus non supersit, non poterit cogere emptorem, ut suppleat justum pretium. Hoc idem non est legibus decisum: sed certissimum est cogi non posse. quia cum fundus emptori perierit, æquum non est eum etiam pecuniæ damnum facere, si nullus dolus ejus probetur, ut ait *l. Si res æstimata. D. de jure dot.* in qua æstimatio dotis nihil est aliud, quam venditio. Jam exposita est a nobis causa, ex qua rescindi potest venditio, ne in grandi damno versetur venditor, qui forte momentaria necessitate coactus rem suam distraxit vilissimo pretio, fraudatusque est supra dimidiam justi pretii, nisi scilicet emptor malit supplere, quod justo pretio deest cum usuris, hoc enim si suppleat, stabilis erit et firma emptio venditio, nec rescindetur. Sequitur alia causa rescindendæ venditionis in *l. pen. h. t.* si curialis, id est, decurio alicujus municipii, vitans munera civilia, quæ sunt valde onerosa, relicta propria furtim, id est, sine decreto curiæ, et exquisitis correntis, divenditis suis bonis alio se contulit, ne obiret munera publica: nam et ipse e fuga revocatur, et bona, quæ vendidit, ei restituuntur, quorum ope sustineat munera publica et civilia, nec tamen emptori redditur pretium, qui non ignarus fugæ ab eo emit. Et hæc est sententia *legis penult. h. tit.* et *legis* 1. *inf. de prædiis decurion. lib.* Hoc igitur casu venditor recepit bona, quæ vendidit, nec tamen emptor recipit pretium, qui fuit conscius fugæ: pretium autem cedit lucro fisci, non lucro venditoris. Denique decurio recipit bona, quæ vendiderat, sed fiscus habet pretium, quod evenit etiam in specie *l. pen. sup. de his quæ vi met. causa*: si is, qui administrationem, vel officium publicum gerit in provincia, vel in civitate, aut vico emerit rem mobilem, aut immobilem ab hominibus hujus provinciæ, vel loci, vel civitatis in qua officio publico fungitur, quod leges interdixere, quia officii publici potestate freti sæpe extorquent ab incolis venditiones hujusmodi: si secus fecerint, venditori restituunt rem; nec tamen venditor eis restituit pretium: atque ita habet sibi et rem et pretium, ut deliquisse videatur emptor, non venditor. Atque ita his quibus casibus fit, ut restitutio in integrum, et rescissio venditionis procedat, quæ tamen alias solet esse reciproca, et utrique parti restituere jus pristinum, emptori pretium, venditori rem, *l. Quod si minor.* §. *Restitutio. D. de minorib. l.* 3 et 4. *sup. de his quæ vi met. cau.* Est etiam alia causa probabilis rescindendæ venditionis, quæ proponitur in *l. ult. huj. tit.* Si palatini, id est qui præsunt administrationi rerum principis in palatio privatarum, sub comite rerum privatarum, et thesaurorum principis, qui eis præest, et universæ rei privatæ principis: si ii, inquam, aliquid emerint ex rebus privatis principis, quarum sunt administratores: nam ea quoque venditio rescinditur: et hoc casu etiam pretium non datur emptori, nec est reciproca restitutio in integrum, *d. l. ult.* quod ita excipitur in *l. pen. huj. tit.* si emerit furtim: nam palatini etiam res privatas principis recte emunt palam, ex auctione fiscali, *l. ult.* quæ est constitutio Græca, sed edita est inf. *de fide et jure hastæ fisc. lib.* 10. Et ita etiam tutor, qui non potest emere rem pupilli, vel curator adolescentis, vel furiosi, vel prodigi in *l. Si in emptione.* §. *ult. D. de contrah. empt.* Potest tamen eam emere palam constituta auctione hastæ, *l.* 4. *sup. de contr. empt.* et *l.* 2. §. *Tutor. D. pro empt.*

Ad Tit. XLV. Quando liceat ab emptione discedere.

Proponitur etiam in hoc titulo alia causa rescindendæ venditionis legitime, quæ jure recepta est: et hi tres tituli, qui sequuntur 45. 46. 47. sunt partes generalis tituli de rescindenda vendit. nam in unoquoque titulo proponitur specialis causa rescindendæ venditionis, quæ jure recepta est. Et hic est hujus tituli casus: pactum, et mutuus consensus contrahentium, si res sit integra. Quod multis locis in jure est expressum, *l.* 7. §. *Adeo.* et *l. Ab emptione. D. de pact. l.* 6. §. *ult. D. de cont. empt.* §. *ult. Inst. quibus mod. obligat. toll.* Et hoc secundum regulas juris, quæ dictant, prout quidque contractum est, ita et resolvi, sive rescindi, *l. Prout. D. de solut.* Nudo consensu contrahitur emptio: ergo contrario dissensu dissolvitur, non alterutro invito, *l.* 3. et 4. *sup. tit.* 44. At nec ex continenti facta pœnitentiæ protestatio a venditore, rescindit emptionem perfectam, *l.* 12. *sup. de contr. empt.* at mutuo consensu constat dissolvi emptionem, si res integra fuerit et res integra est, si neque pretium numeratum, aut pretii pars, aut nondum tradita res sit, si cetera venditionis secuta non sint, licet dederit emptor fidejussorem, vel etiamsi venditor acceperit arram, *l.* 2. *hujus tit. l.* 3. *D. de rescind. vend.* Datio arræ, vel fidejussoris non facit rem minus integram, sed traditio rei, vel numeratio pretii in solidum, vel in partem: et ita si re integra, id est, priusquam aliquid ex alterutro parte solveretur, convenerit, ut discedatur ab emptione, statim ipso jure finitur emptio, et uterque liberatur in totum, sublata obligatione tam naturali, quam civili. Et convenienter fidejussor eo nomine acceptus liberatur, quia tota solvitur obligatio, id est, tam naturalis, quam civilis, ut in *l. Stichum aut Pamphilum.* §. *ult. D. de solut.* et arra si forte data sit, repetitur statim per actionem ex empto, *l. Ex empto.* §. *Is qui. D. de act. empt.* Atque ita evenit, ut pactum ipso jure perimat obligationem, et ut formet actionem ex empto, arræ repetendæ gratia, etiamsi factum sit ex intervallo, quod admisit interpretatio prudentum, et ut ait *d. l. Ab empt.* interpretatio bonæ fidei, ad quam omnia rediguntur, quæ incidunt in causam empti et venditi: interpres doli mali est judex, ut Jurisconsulti notant in *l. Si servus communis.* §. *Circa commodatum. D. de furt.* Et similiter est interpres bonæ fidei, id est, quod bona fides desiderat ipsius interpretationem, et bona fides exigit hanc pactionem quasi legitimam admitti etiam factam ex intervallo, ut perimat ipso jure obligationem, et formet actionem ex empto ad distrahendam penitus emptionem, et argumento emptionis dissolvenda, quanta præbet arræ datio. Sed si res non sit integra, pacto nudo non rescinditur venditio, nisi rescindantur cetera venditionis, quæ secuta sunt, et restituantur in integrum. Nec ex eo pacto est repetitio pretii, vel rei traditæ: quamvis convenerit, ut resolveretur emptio. Sed necesse est reipsa redintegrari rem, quæ non est integra, *l.* 1. et 2. *huj. tit.* Et ita quod vulgo dicitur et verissimum est, ipso jure nullam esse venditionem, vel alium quemlibet contractum bonæ fidei, cui dolus dedit initium, et causam, *l. Et eleganter. D. de dolo malo, l.* 3. *D. pro soc. l. In causæ.* 2. §. 1. *D. de minor. l.* 4. *sup. de hæred. vend.* Hoc verum est, si res integra sit, si intra verba primumque placitum steterit: nam si res secuta sit, non rescinditur, nisi rescindantur cetera, quæ secuta sunt, *l.* 1. et 8. *sup. tit. prox.* in hac provincia, ed sine finitimis nulla est venditio ipso jure nulla, nullus actus ipso jure nullus: sed quacumque ex causa opus est rescissione officio judicis, vel remedio actionis rescissoriæ, vel restitutoriæ.

Ad Tit. XLVI. Si propter publicas pensitationes venditio fuerit celebrata.

Proponitur etiam alia causa probabilis rescindendæ venditionis in hoc titulo: si propter publica tributa venditio fuerit celebrata rerum debitoris publici. Verum si ea venditio sub hasta facta fuerit ab officialibus fisci per ambitionem, et gratiam minus vero, et justo pretio in fraudem debitoris publici, nequicquam coit, et rescindi poterit, si modo fisco debitor solvat integrum, quod debuit: qui casus fuit etiam expressus in titulo generali *l.* 16. sed nihilominus ei datur titulus

specialis. Et quia hoc casu emptor emit bona fide a fisco distrahente jure pignoris hypothecæve ob cessationem publicorum tributorum, ideo non perdit pretium emptor, et redditur pretium debitori, qui satisfecit de suo fisco in solidum. Atque ita restitutio in integrum non est necessaria, quod ostenditur in *l. pen. D. de rescind. vend.* et *l. 2. hujus tit. l. 3. infr. de jure fisci lib. 10.*

Ad Tit. XLVII. Sine censu, vel reliquis fundum comparari non posse.

Ultima causa rescindendæ venditionis proponitur in hoc titulo 47. Fundi privatorum omnes debent censum fisco, vel reip. vel ærario publico: nulla sunt libere prædia, quæ non dicare oporteat in censum, et subsignare apud censorem: nam et hæc sola prædia sunt in commercio hominum, emi vendique jure civili possunt, quæ dicata sunt in censum: et ita Festus, *Censui censendo agri proprie appellantur, etc.* Ex quo loco intelligi potest illud Ciceronis pro Flacco: *Illud quæro,* inquit, *sintne illa prædia censui censendo.* id est, an sint deferenda in censum, et an pensitent censum. Quod si quis emat vel vendat sine censu fundum debentem censum, aut reliqua census, *arreragia*, fisco scilicet, vel reip. emptio rescinditur ex hac causa, puta emente emptore ea lege ne ipse agnoscat censum, alius ipse possideat fundum, alius fundi pensitat censum. Hæc lex addita emptioni causa est rescindendæ venditioni, adeo ut venditor amittat rem, et emptor pretium, qui emit sine censu in fraudem fisci, vel reip. ut vindicet fiscus utrumque, *l. 2. Cod. Theod. de contrah. empt.* Censum vocat tributa, vectigalia, publicas pensitationes, *l. ult.* quod est onus agrorum, non personarum: et ideo sequitur quemlibet possessorem agrorum, transit scilicet a venditore in emptorem, eumdemque possessorem, nec mutari hoc jus potest conventione contrahentium, quia jus est agrorum non personarum, *l. Imperatores. D. de public. in.* et *Nov. Theodosii, neque domum publicum, neque Ecclesiam publico munere esse vacatandam.* Et Cassiodor. lib. 4. Variarum. *Inde et varia tributa,* inquit, *quia non est agrorum una fæcunditas, ubi potest census ad loca ubi cultura profecerit.* Et ita etiam definitum est *l. ult. inf. de fundis rei priv. lib. 11.* quæ ut magis intelligatur pertinere ad hanc rem, sumpta est ex Novella Theodosii *de rescindenda venditione.* Et ea lege cavetur, ne quis dempto canone, dempto censu, ad emptionem rei dominicæ accedat, id est, rei pertinentis ad patrimonium privatum principis, alioqui rescinditur venditio.

Ad Tit. XLVIII. De periculo et commodo rei venditæ.

Sequitur nova inspectio in hoc titulo, in quo periculi nomine significatur omne incommodum, et omnis casus, qui rem venditam contingere potest; si homo venditus moriatur, si fugiat, si mutiletur aliqua sui corporis parte, et deterior fiat ac vilior, si fundus venditus, vel pars ejus pereat terræ fragore, vel quo alio casu: si vinum venditum effundatur, vasis contuxis: si acescat: si mucescat, quibus præcipue duobus modis vinum corrumpitur et mutatur. Et inde in hoc titulo fit frequens mentio periculi acoris, et mucoris. Etiam re vendita manente integra, periculum evictionis sæpe contingit: quod est aliud genus periculi, quod dicitur evictio, ut si alter jure judicioque evincat rem emptori, vel venditori: ergo periculi nomine etiam continetur evictio, quæ fit re illæsa. Quæritur autem hæc pericula cujus sint: et ut res facile intelligatur, distinguendum est hoc modo: aut hæc pericula contingunt post venditionem et traditionem rei, aut ante. Si post traditionem, constat periculum esse emptoris, rem perire emptori, etiam periculum evictionis, si ex nova causa res evincatur emptori, ut si fundum princeps assignaverit veteranis, ut accidit fundo Virgiliano: hoc casu periculum evictionis respicit emptorem: nec enim futuri casus evictionis pertinent ad venditorem, *l. Lucius Titius. de evict.* Sicut dicitur, ad magistratum municipalem, qui curavit tutorem dari pupillo non pertinere futuros casus, veluti pupilli rem salvam fore, eique cavere, *l. 1. §. Si magistratus. D. de magistrat. conven.* ergo futuri casus evictionis non ad venditorem, sed ad emptorem pertinent. Præteriti casus evictionis pertinent ad venditorem, id est, qui originem ducunt ex causa vetustiore ipsa venditione, ut ait l. 1. quia ex præcedente tempore causam evictionis perimunt, quod etiam, ut eadem l. 1. indicat, et *l. 8. infra, de evict.* non est verum simpliciter, ut periculum evictionis, quod ex præcedenti tempore originem trahit, respiciat venditorem, sed est verum cum his exceptionibus, puta si non laudatus et denunciatus venditor fuerit, si non ei denuntiatum sit, ut causæ agendæ adesset, id est, ut causam defenderet et assisteret: nam illaudatus venditor non præstat periculum evictionis. Item si non contradictorio judicio, id est, utraque parte præsente: sed ob absentiam et contumaciam emptoris res evicta sit, quia judicio adesse noluit: hoc igitur casu etiam venditor non præstat periculum evictionis, licet oriatur evictio ex causa antiquiore ipsa venditione. Quod dixi de periculo evictionis, idem obtinet in periculo mortis: nam ut hoc respicit ad emptorem etiam ante traditionem post venditionem perfectam, nisi ex præterito vitio servus venditus moriatur, quod dolo malo sciens retinuerit venditor, *l. ult. hujus tit.* vel si non dixerit, ut sciverit servum non diutius victurum, vel ob præsumptum venenum, vel ob occultam labem aliquam corporis, quam nescierit emptor. Hoc casu periculum mortis respicit venditorem. Sicut periculum evictionis ducentis causam ex novissimo tempore, omnino pertinet ad emptorem: adeo ut si nondum solverit pretium, id solvere compellatur, vel si solverit, id non possit repetere. Idem in periculo fugæ, quod celavit venditor, vel quod venditor servo non inesse affirmavit, *l. 3. inf. de ædilit. act.* Idem in periculo acoris et mucoris, nam et hoc respicit ad emptorem, statim post prægustationem vini et mensuram, nisi venditor sciens vinum corruptum iri quamprimum, hoc celaverit emptori, vel nisi duraturum affirmaverit, *l. Si vina. D. eod.* Idem in quocunque periculo dicemus, si ante traditionem, et post perfectam venditionem periculum contigerit. Priore casu jam dixi respicere emptorem, adeo ut et pretium amittat, nec repetat si solverit, et solvere cogatur si non solverit. An idem est si periculum contigerit ante traditionem? sic videtur: sicut enim commodum est emptoris statim post perfectam emptionem venditionem, etsi nondum res tradita sit, ita et incommodum omne, *l. Id quod. D. eod. l. 12. tit. seq. inf.* nam hoc naturæ æquum est, ut cujus est commodum, ejus etiam sit incommodum, id est periculum. Et sane si summo jure agamus, quo utimur etiam hodie, nihil interest periculum contigerit post traditionem, an ante: nam etsi ante contigerit, emptor pretii damnum facit, id est, pretium cogitur solvere, aut solutum non potest repetere, *§. Cum autem. Inst. de emp. et vend.* Sed tamen æquius est, ut emptor, cui res perit, id est, quam petere a debitore non potest, pecuniæ etiam suæ damnum non faciat: et invalesceret hæc opinio, si introduceretur facillime: nam summa æquitate nititur, summaque auctoritate: ut scilicet si rei venditæ contingat periculum post perfectam venditionem, et ante traditionem res quidem pereat emptori, perinde ac si ei tradita esset, quod ad rem ipsam attinet, ut in *l. Cum emptor. §. ult. D. de rescind. vend.* ut scilicet non possit agere in quantum interest sibi rem tradi, aut non possit agere de re, quæ ei periit actione ex empto, sed tamen ut possit pretium repetere, quod solvit, vel non inferre, quod non intulit, ne et rei et pretii damnum faciat, ut scriptum est manifeste in *l. Si fundus. D. loc. l. Quod si neque. D. de peric. et comm. rei vend. l. 39. in fi. D. de solut. l. ult. D. de cond. sine caus.* Quod ad pretium igitur attinet, periculum est venditoris, quia non habebit pretium, sicut etiam emptor non est habiturus rem, aut æstimationem, vel id quod interest. Et hoc sane verius est, cum hac exceptione tamen, si non per emptorem steterit, si in mora fuerit quo minus ei res traderetur: nam si oblatam opportune rem venditam noluerit emptor accipere, et in accipiendo moram adhibuerit, ex eo tempore rei periculum omnimodo pertinet ad emptorem: adeo ut venditori competat actio pretii indistincte. Et Acc. recte in *l. ult. h. tit.* sive res erat peritura apud emptorem, sive non. Et hoc probatur in *l. Lectos. D. eod. tit. l. 2. h. tit.* et ita accipienda est lex ult. hujus tit. et *l. 15. D. de jure dot.* et *l. Si in emptione. §. pen. D. de contrah. empt.* Illud etiam, quod dixi ante rem peremptam post perfectam venditionem, et ante traditionem, emptori non esse actionem ex empto in quantum interest rem tradi, quia ei perisse intelligitur: verum est cum hac exceptione, si modo venditor moram adhibuerit in re tradenda, *l. 4. et ult. hujus tit.* Nam hoc casu rei venditæ periculum pertinet ad venditorem, ut teneatur emptori in id quod interest rem tradi. Quod maxime notandum est, si res non erat peritura apud emptorem, ut si eam confestim erat distracturus, sin secus, id est, si omnimodo erat peritura etiam apud emptorem, hoc casu potius emptori perit, quam venditori, id est, non potest agere in id quod interest rem tradi, quæ utique periisset etiam apud eum; quæ est verissima distinctio Martini, ut ostendit *l. 23. D. de verb. obligat.* et *l. Si servus legatus. §. Si servus. D. de leg. 1.* Altera exceptio est hæc, si non ex præteriti vitio res perierit, quod scierit venditor, nescierit emptor ob reticentiam venditoris: nam et hoc casu in venditorem emptori est salva actio ex empto in id quod interest ob dolum malum venditoris, id est ob reticentiam subdolam *l. ult. h. tit.* Postrema exceptio hæc est, si ob culpa aut dolo venditoris res perierit, ut si servum venditum occiderit, si ægrum non curaverit, hoc etiam casu æquum est, venditori rem perire, et eum teneri in id quod interest: nam venditor ante traditionem debet rem venditam custodire emptori diligentissime. Et convenienter non tantum dolum, sed etiam culpam debet præstare, *l. 2. et 3. et l. Si vendita. D. eod. tit.* Duobus tantum casibus venditor præstat dolum tantum ante traditionem, quod ad custodiam rei attinet; unus est si postea emptor moram adhibuerit in re accipienda: posterior mora detrimentosa est, et emendat priorem, et spectatur sola. Alius casus est, si res vendita necdum tradita ex causa venditionis fuerit apud emptorem ex alia causa, puta precarii, aut locationis, et ibi perierit: nam his duobus casibus periculum pertinet ad emptorem, nisi dolus venditoris intervenerit: solus dolus excipitur venditoris, non culpa, *l. Si per emptorem.* et *l. Servi emptor. et seq. D. eod. tit.* Et ad hos duos casus proprie pertinet regula *l. 3. hoc tit.* dolum auctoris bonæ fidei emptori non nocere: nam hæc regula pertinet ad hos duos casus, quibus venditor dolum tantum præstat: alioquin poni posset alia regula, in culpa maxime: sed ut oportet regulam coangustemus ad propositum hujus tituli, quanquam latius ostendi possit ad aliam quamcunque causam, ut dolus venditoris non noceat emptori evidenti ratione, quia dolus ei tantum nocere debet, qui eum admisit, *l. Qui a debitore. D. quæ in fraud. cred.* et delictum auctori tantum noceat, *l. Sancimus. inf. de pœnis,* et dolus est delictum. Res absoluta est, nisi quod nondum exposuimus quando intelligatur venditio esse perfecta. Sic igitur statue: venditio perficitur nudo consensu, statim atque convenerit de re certa et pretio certo, pure, et sine scriptis. Ideo pure: nam si sit conditionalis venditio, non intelligitur esse perfecta, quia nondum certum est eam esse contractam, antequam extiterit conditio: intelligitur si defecerit, non esse contracta, si extiterit, retrotrahetur venditio: et in præteritum intelligitur contracta, re extante: quæ si interim deterior facta fuerit, aut minor, damnum erit emptoris, retroacta venditione, ac si pure venisset, sed si interim res interierit, nulla est emptio: quia extante

conditione, nulla extat res, quæ venisse intelligatur, *l. 3. h. t.* et *l. Necessario. hoc tit.* Dixi, et sine scriptis, quia venditio, quam placuit redigi in scriptum, non est perfecta ante completam scripturam, *l. Contractus. sup. C. de fid. instr.* Dixi præterea, statim atque convenerit de re certa: nam si vinum ita venit, ut degustaretur, quod vix est, at ita non veneat semper nondum plane videtur convenisse de re ipsa: gustus enim rem vel probabit, vel improbabit; et ideo ante degustationem periculum pertinet ad venditorem, quia ante degustationem minus perfecta venditio est, nec periculum emptorem spectat, nisi post perfectam venditionem, *l. Si in emptione. §. Alia. D. de contr. empt.* Dixi præterea de re certa: nam si vinum venit ad certam mensuram puta in singulas amphoras, vinum diffunditur ex dolio, ex majore vase in amphoras. Igitur si vinum venit ad mensuram, res nondum est certa ante mensuram, nam certa res est si appareat quæ, quanta, et qualis sit ejus substantia, in *l. Certum. D. de rebus credit. d. l. Necessario*: nondum autem certum est quantum vinum vendatur. Hoc mensura demonstrabit, ante mensuram est incertum: ergo incerta res est quæ venit. Quapropter si interim pereat res, quasi minus perfecta venditione, periculum pertinebit ad venditorem, non ad emptorem, *l. Quod sæpe. §. In his. D. de contrah. empt.* et *d. l. Si in emptione. §. Alia. D. eod. tit.* et hæc dixi si vinum veneat ad mensuram: nam facienda est mensura, antequam periculum ad emptorem pertineat: nec enim si vinum veneat uno pretio, omne scilicet vinum, quod est in horreo vinali, in cella vinaria, si veneat, ut dicunt, aversione: si veneat in aggere, ut loquitur *Nov. Valent. de relevatis possessionibus*: quam aversionem, ut existimo, significat Horatius hoc versu.

Nec satis est chara pisces avertere mensa.

Nam et veteres glossæ interpretantur avertere, emere scilicet aversione, omnes pisces pretio uno, non singulos pisces dicto pretio. Ita vero si veneat, tum periculum non pertinet ad venditorem, sed ad emptorem, l. 2. hujus tit. sed hæc satis.

Ad Tit. XLIX. De actionibus empti et venditi.

Ex contractu emptionis et venditionis contrahentes invicem obligantur de eo, quod alterum alteri ex æquo et bono præstare oportet: emptor tenetur venditori actione venditi, venditor emptori actione empti, nomen unaquæque actio habet ab eo cui competit, et utraque est personalis atque directa. Et quæ emptori datur perfecta oratione dicitur etiam actio empti venditi, vel ex empto et vendito, ut *l. Et si uno pretio. D. eod.* Et contra quæ competit venditori, integra oratione dicitur actio venditi empti, vel ex vendito empto: quo fit, ut nonnunquam imperfecta oratione dicatur actio empti, quæ est actio venditi empti, non empti venditi, ut in *l. 1. sup. si servus extero se emi mand.* Et e contrario, ut quæ est actio empti venditi, dicatur venditi, omisso verbo empti, quod præcedere debet, aut omissum subaudiri. Quæ autem in hac actione veniant hic titulus demonstrat: neque enim aliud agit hic titulus, quam ut ostendatur, quid veniat in actione empti, et quid in actione venditi, actio venditi, dicitur, actio pretii, *l. 7. hujus tit.* et *l. 8. et 9. sup. de contr. empt.* quia scilicet de pretio recipiendo quanti res venit potissimum instituitur. Quo atque emptor non liberatur nisi solverit de suis nummis: nam nummos dicitur facere venditoris. Non ergo liberatur solvendo alienos, et si servum emerit, non liberatur solvendo particulares, sive peculiares nummos ejus servi, *l. 7. hujus tit. l. unica, sup. si servus extero*, quia si nummi sunt alieni, nec sequuntur emptorem. Peculium non sequitur emptorem servi, nisi ita nominatim convenerit, *l. Quoties. D. de cont. empt. l. 3. D. de evict.* ergo in actione venditi imprimis venit pretium, quod de suo solvet emptor, non de alieno, veniunt etiam officio judicis usuræ pretii ex mora, ut in ceteris bonæ fidei judiciis solent venire usuræ ex mora officio judicis. Et hoc ita proditum est de usuris pretii debitis ex mora, *l. 13. hujus tit.* Et mora propria fit ex persona, ut ait *lex Mora. D. de usur.* id est, ex interpellatione emptoris, si ei non pareat, id est si admonitus et interpellatus non solvat pretium. Et vel una sufficit interpellatio: nec usquam invenies exigi plures, ut frustra videantur quidam oratores exigere plures. Interdum tamen mora fit ex re ipsa, sine interpellatione: ex re ipsa, id est ex solo tempore tardæ pretii solutionis, ut si venierit res minoris vigintiquinque annis, *l. 3. sup. in quibus causis rest. in integ. non est necess.* quæ est conjungenda cum *l. 5. hujus tit.* sicut cum l. 8. *hujus tituli* est conjungenda *lex. 3. de comm. rer. alienat.* una enim erat constitutio, quæ scissa est in duas partes, quas licet nobis coadunare, ut altera ex altera lucem capiat: et ut est in *l. Gallus. D. de lib. et posth.* optima est interpretatio, quæ fit commixtis legis capitulis. Hoc autem datum est minoribus vigintiquinque annis, favore ætatis, ut eis fiat mora re ipsa a debitoribus ex constitutione Severi, *l. 26. Cum vero. §. Apparet. D. de fideicom. lib.* Fit etiam mora reipsa in solvendo pretio post traditionem rei. Et ideo ex die traditionis statim currunt usuræ pretii: nam cum re emptor fruatur, æquissimum est, eum usuras pretii dependere, *l. 13. Julianus. §. Ex vendito. D. eod. l. 5. hujus tit. l. 12. sup. de usuris.* Sed reliqua videamus: veniunt et in actione venditi sumptus, quos post perfectam emptionem ante traditionem venditor fecit in re vendita, ut si in re vendita, ut si in refectionem domus venditæ aliquid erogaverit ante traditionem, hos sumptus reputabit emptori, ad quem post perfectam venditionem redit omne commodum rei venditæ, *d. l. Julianus. §. Præterea.* et *l. pen. hujus tit.* Item in actione venditi veniunt fructus, quos ante venditionem perfectam emptor mala fide percepit ex re, quæ postea ei vendita est in *l. 2. hujus tit.* quia licet hi fructus non contineantur venditione, negotioque contracto, tamen in his judiciis veniunt etiam, et accersuntur quædam extrinsecus: et venit breviter quicquid contra bonam fidem fit, *l. 1. §. 1. D. eod.* Et præterea hi fructus venditione non continentur: tamen quasi inessent venditioni, emptoris fiunt ob auctore præsumpti mala fide: nam et ita licet peculium non sequatur servum venditum, tamen quod ex peculio ejus servi pervenit ad emptorem venit in actione ex vendito, quasi videatur ab emptore usurpari, ut venditione comprehensum, *l. Quotiens* et *l. seq. D. de contr. empt.* Atque ita insunt actioni venditi nonnunquam quædam, quæ non insunt venditioni. Notandum etiam est agi nonnunquam actione venditi ad distrahendam et rescindendam venditionem: quod eleganter *l. 6. hujus tituli*, ait, non facile admitti debere actionem venditi ad rescindendam venditionem, sed ad pretium exigendum: nam hic est præcipuus finis actionis venditi: enimvero actio pretii non facile datur ad alium finem, non ad rescindendam venditionem, *d. l. 6.* notanda sunt illa verba, non facile, quia comparata est actio venditi confirmandæ venditionis gratia, non infirmandæ: nulla igitur causa danda est actio venditi ad rescindendam venditionem, qui non sit comprehensa constitutione quadam, aut lege. Constitutione opus est, ut liceat agere venditi ad resolvendam venditionem, ut in specie *legis 2. sup. de rescind. vend.* si venditor sit deceptus supra dimidium justi pretii, aget ex ea constitutione actione venditi, ut rescindatur venditio omni modo, vel ut suppleatur quod deest justo pretio. Et similiter in specie *legis 10. eod.* agit venditor deceptus dolo emptoris aliquo in re actione venditi, ut venditio rescindatur. Quod ibi notat alt. glossa. Acc. quæ est verissima. Et solet corrupte ubique ab Acc. appellari actio ad decipiendum, Glossa in *l. Et eleganter. D. de dolo*, et in *l. 3. sup. commun. utriusq. jud.* actio vend. ad decipiendum. Sic est legendum: actio ad decipiendum: quo scilicet tollatur fraus et deceptio. Quod non potest fieri, nisi rescisso contractu. Et ita ex constitutione Severi et Antonini agitur actione venditi resolvendæ venditionis gratia: in specie *l. 4. D. de leg. commis.* et in specie *l. 2. de pact. inter emptor. et vendit.* constitutione opus est: quia absurdum videtur si quis agat actione venditi, ut res fiat inempta et invendita. Nec agendum de actione empti, quæ datur emptori. In actione empti venit res empta, ut scilicet eam tradat venditor emptori: et quantum in eo erit, eum faciat dominum rei: quod tamen ab eo non districte exigitur. Et est hæc in re differentia inter emptorem et venditorem. Cujus ratio redditur in *d. l. Si servus extero.* Ita actione igitur empti venit res vendita, needum tradita: videlicet ei pretium solutum, vel si offeratur: nam emptori, qui neque pretium solvit, neque offert, non est actio empti, ut in l. *Julianus. § Offerri. D. eod. tit.* venit, inquam, res in actione empti, vel id quod interest, quod plerumque egreditur pretium rei in *l. 1. D. eod.* Venit autem id quod interest, si suo tempore rem non tradiderit venditor, nec jam sit curæ emptori eam rem habere, ac desideret tantum sibi præstari quantum interest eo die rem traditam fuisse, *l. 10. hujus tit.* veniet etiam id quod interest si forte venditor servum venditum manumiserit ante traditionem, quia jam rei traditio non est in integro: nec semel data libertas ex alia causa revocari potest. Et hic est casus *l. 11. hoc tit.* Est etiam alius casus in *l. 4. hujus tit.* si venditor pergat, et obduret in re non tradenda: ita ut nec arbitrio judicis res vix possit ab eo extorqueri, procacia venditoris facit ut nonnunquam arbitretur judex id quod interest præstari emptori, aut rem tradi ob nimiam pertinaciam venditoris. Quod est notandum: nam non est dubium quin possit judex præcise eum cogere ad rem tradendam, cujus traditionis potestatem habet. In arbitrio judicis est, vel hoc, vel illud statuere, ut rem omnino tradat, vel ut præstet id quod interest pro qualitate rei et personarum: hoc pendet ex arbitrio et prudentia judicis, qui tamen non improbe faciet, incivititer si præcise venditorem cogat ad tradendum: nam et donator hodie præcise cogitur tradere rem donatam, donatione perfecta, nudo consensu exemplo emptoris: quod primus Just. produxit ad donationem, *§ Perficiuntur. Inst. de donat. Donatio*, inquit, *necessitatem traditionis habeat*: et similiter hæres rem legatam præcise cogitur tradere, nec liberatur præstando id quod interest, nisi ex justa causa, *l. Si Domus. §. Qui confitetur.* et *§. seq. D. de leg. 1.* Ergo idem admittere etiam debemus in venditore, ut omnimodo cogatur rem tradere, si ita judici visum fuerit. Nec incivile esse jussum tale judicis et arbitri. Quæ fuit vetus opinio Martini. Et confirmatur primo Sententiarum Pauli *tit. 13.* si *id quod emptum est, neque traditur, neque mancipetur, cogi potest venditor, ut tradat, vel mancipet.* Et addendum iis, arram etiam venire in actione empti, quod probat aperte *l. Ex empto. §. Is qui vina. D. eod.* Et hic nobis explicanda est lex 3. hujus tituli, ex arrali pacto personalis duntaxat actio paciscentibus paratur: in cujus interpretatione multi laborant. Dico idem, esse, quod ait *l. 2. sup. quando liceat ab empt. disc.* si quid arræ nomine datum sit, posse id repeti secundum placiti arralis fidem. Utriusque versus idem est sensus: sed indiget latiori explanatione. In d. l. ostenditur perfectam venditionem, re integra pacto rescindi posse, id est, si nondum sit res tradita, aut pretium numeratum, est pacta pretii, pactum re integra, rescindit venditionem: sed si res non sit integra, pactum non rescindit venditionem, nec ex eo pacto est repetitio rei jam traditæ, aut pretii jam numerati, sed ut ait *d. lex. 2.* si quid datum sit arræ nomine, hanc arram tantum emptor potest repetere, juxta fidem pacti arralis. Igitur ex pacto arrali soluto pretio, est repetitio arræ, quia convenit scilicet, ut soluto pretio, arra emptori redderetur. dabatur enim plerumque anulus arræ nomine. Est autem repetitio arræ ex eo pacto per actionem ex empto: ergo ex eo pacto, ut ait *l. 3.* est duntaxat actio personalis; id est, ex empto, quia non

est vindicatio pretii, sicut venditori est actio pretii, non repetitio, aut vindicatio rei traditæ, *l. 1. hujus tit. l. 8. sup. de contrah. empt.* Et ita actio ex empto ex arrali pacto præparatur, id est, formatur, quia arrale pactum non parit propriam actionem, quæ arræ repetantur completa emptione, sed actionem ex ipso contractu, id est, ex empto: non parit igitur novam, sed præparat et format actionem ipsam contractus, ut in *l. Jurisgentium. 7. §. Quinimo. D. de pact.* Et ut breve faciam, arræ datio est contractus, *l. Contractus sup. de fide instrum.* quia adjicitur emptioni venditioni, et præbet argumentum imperfectæ necdum completæ venditionis: perficitur nudo consensu, completur traditione et numeratione. Ex quo datur actio ex empto non proprie, atque etiam ex parte arrali, quod ei contractui insertum est, vel injunctum, ut ita quod maxime notandum est, liceat statuere, non tantum pacta, sed etiam contractus formare, præparare, dare legem et formam actioni, quæ nascitur ex contractu principali: ergo ei, quod vulgo dicitur pactum formare actionem ipsius contractus, addo contractum etiam firmare alterum, ejusque actionem, contractum scilicet, qui principali contractui accedit quasi appendix. Et postremo addendum, sicut in actionem venditi, ita in actionem empti quandoque venire et redhibitionem, et rescissionem totius venditionis, *d. l. Ex empto. §. Redhibitionem.* et *§. Si quis virginem.* et *§. seq. eod. tit.* vel partis ejus, ut in specie *l. 9. hujus tit.* si venditor dixerit minorem esse capitationem fundi, id est, censum fundi, et inveniatur major, aget emptor, ut pars pretii minuatur: atque ita ut pro parte rescindatur emptio nimirum aget quanto minoris rem emisset, si scisset majorem esse censum. Et veniunt etiam in actionem empti usuræ quandoque, ut si rei venditæ per se nullus sit fructus. Finge venditum esse vinum, oleum, frumentum, et similia, aut venisse nummos peregrinos, qui solebant esse mercis loco, ut Volusius Mæcianus scribit, scilicet ex mora venditoris, vel ex pacto debentur usuræ rei venditæ: eam hæres usuram etiam admittunt. Et hæc est sententia legis 13. *hujus tituli*, ut in actionem empti veniant usuræ ex mora venditoris. Etiam illud summe notandum est, agi ex empto ut venditor caveat de re tradenda in *l. 14.* quando nondum emptori ea re opus est ut interim caveat venditor de re tradenda: nam invenio fidejussorem de re tradenda a venditore datum fuisse, *l. 12. sup. de contrah. empt. l. 3. D. de rescind. vend.* Hi tamen loci ita sunt intelligendi, ut det fidejussorem venditor, non de evictione, sed re tradenda: hodie tamen sufficit nuda cautio, si repromittat solus ipse se rem traditurum ipso die, in *d. l. 14.* quæ etiam addit, actione empti cogi venditorem cavere de iis, quæ continentur edicto ædilium, puta sanum esse servum, qui venit, et noxa furtoque solutum, erronem non esse, nec fugitivum: res peracta est. Adde etiam actione empti agi de evictione in id quod interest, re evicta emptori, etiamsi venditor non se nominatim obligaverit ob evictionem: nam naturaliter hoc inest potestati hujus judicii, ut præstetur evictio emptori, re evicta, sed jure judicioque: nam evincere est judicio vincere, et rem auferre: si quis enim emptori rem vi eripiat, si emptorem vi expellat de possessione fundi empti, non aget de evictione, hoc non præstat venditor: sed habebit interdictum unde vi in eum qui vim fecit, quique eum vi expulerit de fundo, *l. ult. hujus tit.* vel vice interdicti est actio in factum permissa constitutione: nam interdicta desiere esse in usu, et his successere actiones in factum. Et corrigendum in d. l. ultima *actionis prom ssæ*, non permissæ.

Ad Tit. L. Si quis alteri, vel sibi sub alterius nomine, vel aliena pecunia emerit.

Pertinet hic titulus ad actionem empti, ut indicat aperte *l. 6.* et *pen.* et ejus sunt tres partes. Prima, si quis emerit alteri. Secunda, si quis emerit sibi sub alterius nomine. Tertia, si quis sibi emerit pecunia aliena, quæ in unum colliguntur in *l. 6.* De prima parte dicamus, si quis emerit alteri, nihil egit, quia neque sibi acquisivit actionem empti, quia noluit, cum non emerit sibi, sed alteri, neque eam acquisivit alteri, quia non potuit per liberam personam alteri actio acquiri, *l. 1. sup. per quas pers. nob. oblig. acquir.* ergo qui emit alteri, neque acquisivit sibi actionem empti, quia noluit, neque alteri quia non potuit, *l. 6. §. ult. hujus tit.* alteri emimus inutiliter, *l. Ex pecunia. inf. de jur. dot. l. Funius. D. de contrah. empt.* qua de causa procurator, qui mandato nostro emit, non nobis emit, sed sibi: alioquin nihil ageret. Et ita est proditum in *l. 7. in fi. D. eod.* quod maxime velim vos notare: nam vix invenietis unum, quem si rogetis quo nomine emat procurator mandatu alterius, qui non respondeat eum emere nomine mandatoris, quod est falsum, alioqui nulla esset emptio. Igitur et si mandatum alienum exequatur, tamen emit sibi procurator, non mandatori. Et longe alia ratio est procuratoris, alia nuntii, quod procurator mandato meo emit, non mihi, suo nomine, non meo: quod nuntius meus emit, ego emo, meo nomine: fungitur enim nuntius vice epistolæ, ut eleganter ait Acc. in *l. Et hoc. D. de const. pec.* Et similis glos. in *l. Cum mancipium. D. de ædil. edict.* Sunt in glossis elegantissimæ sententiæ. Epictetus Philosophus interroganti Adriano quid esset epistola, respondit, epistolam esse tacitum nuntium: at contra ergo dicamus nuntium esse epistolam loquentem. Epistola autem sive muta, sive loquens non emit: sed is qui eam emisit. Et ita recte per nuntium emimus: per procuratorem non item ementem nobis, cum quo nos mandatum contrahimus. Atque ita cernitis, quam distet procurator a nuntio: procurator ergo, qui mandatu meo sibi emit, non nobis emit, sed sibi: alioquin nihil ageret: sed si uti oportet, emerit sibi, actione mandati ab eo consequemur ut nobis cedat actionem empti, quam sibi acquisivit, vel ei cui voluerimus, *d. l. 7. hujus tit.* Ac præterea si ea mens fuerit procuratoris ementis, sibi, et venditoris ea mens fuerit, ut res vendita et tradita procuratori, acquireretur mandatori, proculdubio ex mente utriusque contrahentis dominium ejus rei acquiretur mandatori: imo vero sufficit sola voluntas venditoris, si procuratori licet sibi emerit, ea mente tradat rem, ut ea acquiratur domino. Sola voluntas procuratori tradentis venditoris, dominum facit mandatorem, etsi non eadem mens fuerit procuratori. Et hoc belle probat *l. ult. hujus tit.* et *l. Qui mihi. D. de donat.* sola igitur sufficit voluntas cui congruit mens mandatoris, cum mandato ejus res empta sit. Nunc de secunda parte dicamus. Si quis sibi sua pecunia emerit sub alterius nomine, tabulis emptionis, et instrumento inscripto, hoc casu is qui emit acquirit sibi tam actionem empti, quam dominium proprietatis, si venditor dominus fuerit, vel possessionis si venditor non dominus fuerit: nam triplex est dominium, proprietatis, possessionis, et ususfructus. Nec idem est dominium et proprietas. Dominium, inquam, acquirit is, qui ita emit: si possessio ei tradita sit, non autem ei cujus nomen inscriptum est tabulis. Traditio dominium facit, non inscriptio nominis sola, *l. 4. 5. 6. hoc tit. l. Si filio. inf. de donat. inter vir. et ux. l. 1.* et *2. Cod. Gregor. si sub alterius nomine res empta erit*: frequens autem erit inscribere tabulis emptionis alienum nomen. Sunt enim etiam possint, qui nolunt inscribere suum nomen negotio, quod gerunt, sed malunt inscribere alienum, puta amici, cujus eligunt fidem, dum scilicet nolunt negotia sua innotescere aliis. Et hoc plerumque faciunt honestiores, *l. Pupillus. §. Sane. D. de auctor. tut. l. pen. inf. de contrah. stipul.* et in edicto Jul. 7. dum inquit. *Qui nolunt contractus publicari, publiceque innotescere, alienum nomen supponunt*: et re ita gesta nominis inscriptio nihil tribuit ei, cujus est nomen inscriptum: nam actio empti ante traditionem, et post traditionem dominium ei acquiritur, qui sibi emit sua pecunia, licet alieno sit hodie nomine alieno. Sequitur tertia pars: si quis sibi emerit aliena pecunia suo nomine in suum nomen, ut loquitur *l. 2. D. quando ex facto tut. vel curat.* quo modo in idiotismo, *acheter en son nom*, aliena pecunia in hoc tit. et l. pen. hoc tit. quid significat? an etiam ex eo, alienam pecuniam recte solvi posse pro pretio? non: at posset quis dicere disputandi gratia: sed tamon non est hic sensus horum verborum (vel aliena pecunia) sed ita intelligenda sunt, ac si diceres: altero pecuniam suam numerante, quia non liberatur emptor enumerando alienam pecuniam, sed necesse est vel ut ipse suam numeret, vel alius pro eo æque suam: nam utroque modo nummi fiunt venditoris, quod utique præstare debet emptor venditori, *l. Ex empto. §. Emptor. D. de act. empti l. 1. D. de rerum permut. l. Cum servus. D. mand.* Hoc vero casu si quis aliena pecunia, id est, alio numerante suam pecuniam altero, emerit sibi in suum nomen, sibi acquirit tam actionem empti, quam dominium, si possessio rei ei tradita fuerit, traditio dominium facit, non enumeratio pecuniæ, *l. 21. sup. de probat. l. 2. 3. 4. 6. et hoc tit.* Et Paulus 2. Sentent. *fundus*, inquit, *ejus esse videtur, cujus nomine comparatus est, non ejus a quo pecunia numeratur, si tamen fundus comparatori est traditus.* Ceterum is qui pecuniam numeravit pro emptore, nisi eam donandi animo numeraverit, et donatio rata fuerit, eam pecuniam ab eo repetet actione mandati, si mandatu ejus numeraverit, vel actione negotiorum gestorum, vel actione si certum petatur, si animo credendi eam pecuniam pro eo numeravit, vel condictione sine causa, si donandi animo numeraverit, ut donatio irrita fuerit, *l. 1. 6* et *ult. hujus tit.* Tradita autem res videtur emptori, dominiumque in eum translatum, etsi non emptoris pecunia, sed aliena numerata sit a domino ejus pecuniæ, non tantum si emptor eam acceperit a manu venditoris: sed etiam si voluntate venditoris in rei possessionem ingressus sit, *l. 2. hoc tit. l. 12. sup. de contrah. empt.* voluntate venditoris, hoc est, sine vitio, *l. 1. §. ult. D. de except. rei vend.* Vitium est et deprædatio, si ipse ingrediatur emptor possessionem rei emptæ sine voluntate venditoris, *l. Si ex stipul.* et *l. Fundi. in princ. D. de acquir. possess.* Ad hæc restat ut adnotemus extremum usum *leg. 6. hujus tituli*, in quo interpretando laborant. In quæstione dominii ille potior habetur, cui possessio a domino tradita est, nimirum illum versum non referri ad omnes illas tres partes, quæ proponuntur in hoc tit. nam extremus versus *l. 6.* pertinet tantum ad primam et secundam partem hujus tit. quæ in hac lege est prima et secunda pars: nam ut utramque complectamur, sive quis emerit sibi aliena pecunia, *in quæstione dominii*, ut est dictus versus *l. 6.* ille est potior qui sibi emit, si a domino ei possessio tradita sit, non is a quo pecunia numerata est, non is cujus nomen emptioni præscriptum est. Non potest autem postremus ille versus pertinere ad primam partem hujus tituli, quæ in ea lege 6. est tertia pars, *si quis alteri emerit*: nam hoc casu, id est, si quis alteri emerit, neque ei, qui emit per traditionem, dominium acquiritur, quia in ejus persona nuda traditio est, id est sine titulo, cum non emerit sibi, sed alii, et nuda traditio, id est, quæ vacat titulo et causa, dominium non transfert, *l. Nunquam. D. de acquir. rer. dom.* Sicut nuda ratio, id est, quæ caret causa, debitorem non facit, *l. Nec servus. D. de pec.* Non acquiritur per traditionem alteri cui emit ille, si venditor alteri tradat eadem ratione, quia nuda est traditio, cum emptio alteri facta non valeat: falsum est enim, quod tentat Acc. ex inutili contractu dominium acquiri per traditionem: nam et inutilis est contractus, ergo et nuda traditio. Ergo ita definiamus, et rem fingamus: si emisti mihi, et res tibi tradita sit tuo nomine, vel mihi meo nomine, neutri dominium acquiritur, sed si emisti tibi negotium meum gerens, et tibi tradita sit res meo nomine accipienti, etiam tibi meo nomine, vel etsi duntaxat tibi tradita sit meo nomine, non accipienti etiam

meo nomine, dominium mihi acquiritur, *l. ult. hujus tit.* et *l. Qui mihi. D. de donat.* Sed si emisti tibi, et tibi tradita sit tuo nomine non meo, dominium mihi non acquiritur: antequam tu eam rem mihi tradideris: quod te facere compellam actione mandati. Et ita accipienda est *l. Res. D. de acquir. rer. domin.* quia alioquin pugnare videtur cum *d. l.* 6. et *ult. hujus tit.* Non est emittendum quod teniat Accursius l. 6. hoc tit. cujus ultima glossa penitus delenda est, ex inutili contractu dominium sequi per traditionem, *l. Et eleganter. in princ. D. de dolo*, in qua non fuit inutilis contract. non fuit inutilis venditio servi, cujus consilio venditor minor vigintiquinque annis circumscriptus convenit eum vendi, cum emptor sit dominus, et jure servum manumittit quasi dominus. Dolus enim emptoris faceret quidem inutilem contractum, sed dolus rei venditæ est in minore vigintiquinque annis, non in emptore: nego igitur in ea specie contractum esse inutilem. Non juvatur etiam Accurs. eo quod tractat ex Bulgaro in l. *Contractus. sup. de fide instrum.* si placuerit ut venditio ex scripto fieret, et res tradita fuerit ante completum scriptum, licet nondum perfecta fuerit emptio, tamen dominium acquiritur emptori, cui res tradita est. Quod facile concedo: sed inde non infero, ex inutili contractu dominium sequi, sed ex incerto minusque perfecto, voluntate contrahentium, quorum voluntate etiam re tradita intelligitur remissa illa pactio de emptione in scriptum redigenda, vel si non sit remissa, nihil interest compleatur scriptum ante traditionem, vel post traditionem, nihil interest sequatur traditio aut præcedat causam, ut dicamus traditionem non fuisse nudam et inefficacem, quam titulus secutus est. Nec enim videtur esse nuda, si sequuta sit causa, ut ad plenum perfecta sit venditio, completo scripto post traditionem: quod optime probat *l. Sive. §. 1. D. de public. in rem actione.*

Ad Tit. LI. De rebus alienis non alienandis, et de prohibita rerum alienatione, vel hypotheca.

Ad Tit. LII. De communium rerum alienatione.

Nova est quæstio de venditione rei alienæ, an ex ea causa sequi alienatio possit. Et sunt duæ partes hujus tituli, una de rebus alienis non alienandis; altera de prohibita alienatione, vel hypotheca. Potest addi tertia ex tit. sequenti de communium rerum alienatione, quoniam idem est tractatus. Hæ tres partes ordine sunt explicandæ. Et ut ad primam accedamus, sciendum est, aliud esse vendere, aliud alienare: vendere est consentire ut commutetur merx cum pecunia, alienare est dominium transferre, *l. 1. inf. de fund. dot.* vel, rem tradere alteri nexu, id est, per æs et libram solemniter, vel eam in jure cedere, id est, ad sellam præsidis, vel prætoris, ut Marcus Tullius in Topicis definiens abalienationem. His enim generibus, scilicet nexu et cessione in jure dominium transfertur, dominium mutatur: vendere simpliciter non est alienare, sed vendere et tradere, si venditor sit dominus rei: nam si non sit dominus, nec venditio, nec traditio est, quia tradendo nemo plus juris in alium transferre potest quam ipse habet, *l. Traditio. D. de acquir. rer. dom.* Et ita Seneca lib. 5. de Beneficiis cum ait, venditionem esse alienationem, et rei suæ jurisque sui in alium translationem, intelligi debet de venditione facta a domino vel possessore certi juris, veluti emphyteuticario, aut superficiario, quam etiam traditio sequuta sit: nam venditio per se alienatio nondum est, sed obligatio tantum empti et venditi. Ac rursus ut melius intelligatur quantum differat alienatio a venditione, vendere licet rem alienam, *l. Rem alienam. D. de contrah. empt.* quia scilicet emptio et venditio est, et obligatio utrinque contrahitur, maxime si ignorans emat, vel etsi sciens emat rem immobilem, quæ non sit vi possessa a venditore vel alio: nam rei vi possessæ aut furtivæ inter scientes commercium non est, id est, jus emendi, vendendique: *l. Si in emptione. § Item si emptor. D. de contrah. empt.* Et ita oportet intelligere, quod dicit *d. l. Rem alienam.* Rem alienam licere vendere; ut contra tamen in *l. 1. tit. seq.* dicitur, satis illicitam esse venditionem rei alienæ, quia scilicet ea domino nihil nocere potest, dominus enim emptori rem auferre potest per vindicationem, et non oblato pretio, *l. 3. sup. de rei vindic.* Et hoc si eam rem emptor nondum usuceperit possessione legitimi temporis: nam si usuceperit, dominus, qui fuit ante, dominium amittit per usucapionem; et ideo in emptorem bonæ fidei nullam actionem habet, quia usucapio bonæ fidei emptori plenissimum jus tribuit, *l. 27. in fi. D. de rei vind.* et securitatem ei præstat, ut ait *l. 1. tit. seq.* quæ omnia demonstrant quanta sit vis usucapionis, aut longæ possessionis. Sed dominus cujus rem usucepit, emptor habet semper salvam actionem in venditorem, nomine rei suæ, vel negotiorum gestorum, si probet factum, vel famil. ercisc. vel communi divid. Ut si socius rem communem vendiderit totam, id est tam suam quam alienam partem, vel actionem convenientem negotio, *l. 1. hujus tit. l. 1. inf. tit. 1.* Sic igitur juxta hanc distinctionem nominis licet duas quodammodo inter se contrarias sententias statuere, et affirmare utramque esse veram hoc modo. Rem alienam licet vendere, rem alienam non licet vendere, videntur esse contrariæ, sed ambæ non sunt contrariæ, quia non in eadem specie distant invicem: sed suus cuique aptatur casus, suaque ratio propria, non eadem utrique, et ita hoc non possis statuere: rem alienam jure non possum vendere, et ita scriptum in *l. 3. supra, de rei vind.* et rem alienam jure possum vendere. superior distinctio utramque explicat: potest etiam uti hac distinctione ex jure veteri: venditio rei alienæ non valet per mancipationem, quia mancipatione id agebatur ut dominium transiret in accipientem: venditio rei alienæ per traditionem valet, quia traditione naturali id tantum agitur, ut vacua possessio rei transeat in accipientem. Quo genere dicitur etiam valere emptio rei suæ, videlicet cum id agitur ut possessionem emat quam habuit venditor, et ut emptor sit potior in lite possessionis, ut *l. Si in emptione. §. Rei suæ. de cont. empt.* Plerumque enim, qui est dominus, et qui in petitorio judicio potior futurus est, non est potior in possessorio, *l. Ad probationem, inf. loc.* Et ut sit potior in possessione, eam plerumque redimit a certiore possessore, non etiam dominium, quod ab eo nunquam discessit. Sic igitur venditio rei alienæ per traditionem valet, quia id agitur plerumque ut in emptorem transeat possessio vacua, et non impedita ab alio, et si res sit aliena, id est dominium ejus rei, tamen possessio est venditoris, cum eam tradat emptori, et ob id traditione interveniente promittitur evictionis nomine dupla pretii, vel simpla: quia certum non est rem fieri emptoris. Et hoc etiam significat Varro 2. de re rustica: *si mancipio non datur,* id est, si res traditur, non mancipatur, dupla promitti debet, vel si ita pacti, simpla, Plautus in Curcul. *Egone*, inquit, *a lenone quicquam mancipio accipiam?* Hæc fuit vetus differentia, quæ fuit etiam adhibita in pignore, nam rei alienæ fiducia, quæ est species pignoris, non valebat, quia contrahebatur per mancipationem pignus rei alienæ. Quod per traditionem contrahebatur, valebat: quod vero per mancipationem, non valebat, quasi id ageretur, ut possessio rei pignoris tantum esset, quam haberetur venditor. Sed hodie id absolutum est, non valere pignus rei alienæ, *l. Servus, quem. §. ult. D. de action. empti*, quia in dando pignore id solum agitur, et potest agi ut res obligetur creditori: non potest autem res mea mihi obligari, alienam rem non potest debitor obligare. In tradenda re vendita non hoc agitur, ut res fiat emptoris: traditur res, non datur: traditio est datio possessionis: datio est alienatio, sive translatio dominii. Igitur in tradenda re vendita non hoc agitur ut res detur, ut res fiat emptoris, sed non agitur etiam ut non fiat emptoris, alioquin non esset emptio, sed alius contractus, veluti locatio, commodatum, depositum, *l. pen. §. ult. D. de contrah. empt.* Denique sic concludamus: rei alienæ venditionem valere, sed auferri a domino emptori posse ante usucapionem, vel post usucapionem venditori auferri posse æstimationem rei. Et hæc de venditione rei alienæ dicta sint. De alienatione autem idem non dicam: nam rem alienam nemo alienare potest: et hoc est, quod agit prima pars hujus tit. de rebus alienis, non alienandis, non dicit, vendendis: vendi possunt res alienæ, alienari a non dominis non possunt. Quod tamen est verum cum his exceptionibus, si non vendantur res alieno jure pignoris, *l. pen. hujus tit.* Item si non volente aut ratum habente domino, *l. 5. hujus tit.* quæ est de re aliena data in solutum, non vendita, nec extra propositum: nam datio in solutum obtinet vicem venditionis, *l. 4. inf. de evict.* Et interim notandum est, non quemlibet actum domini, cum rem suam vendit alius, temere accipiendum esse pro consensu, voluntate, ratihabitione. Quod si per imprudentiam signaverit suo sigillo, ut testis instrumentum venditionis rei suæ, suum ei signum nihil nocet, nec signum illud accipimus pro consensu, cum circumscriptus forsitan sit a venditore fraude conquisita, *l. 2. hujus tituli*, et *l. 2. Cod. Theod. de contrah. empt.* exquisitis cuniculis dum scilicet domino persuadet instrumentum illud esse alienæ de re, quam cujus ipse dominus est. Denique erranti sua signa non nocent, vel subscriptiones. Alia exceptio hæc est, si non tutor ex officio suo vendiderit rem pupilli: nam valet venditio rei alienæ, imo necesse est tutori sæpe vendere res pupillares, nisi velit argui culpæ: ut si res sit ejus conditionis, ut non possit servari. Item si curator adolescentis rem vendiderit, necessitate officii sui, *l. pen. hujus tit. l. Quod si nolit. §. Quod si procurator. D. de edil. edict.* Addamus ultimam exceptionem: si non venditori rei alienæ dominus ipse hæres extiterit, vel contra domino venditor hæres extiterit: nam his casibus omnimodo convalescit venditio rei alienæ, *l. 3. et 5. hujus tit.* Sicut verum est etiam pignus rei alienæ convalescere acquisitione dominii, *l. 1. l. Si Titio. D. de pign.* et in venditione, ut eo modo convalescat, idem ostenditur in *l. Si quis alienam. D. de action. emp. l. Cum a matre. sup. de rei vindic.* quo casu datur emptori duarum rerum optio, ut sive vindicet rem venditor qui domino successerit, sive dominus, qui venditori successit: emptor eum repellat exceptione doli mali, quasi faciat improbe, qui non impleat fidem venditionis a defuncto contractæ, vel a se: vel etiam ut rem faciat sibi evinci emptor, ac deinde agat stipulatione duplæ ob evictionem. Secunda pars hujus tituli est de prohibitione alienationis, vel hypothecæ, de qua est tantum lex *ultim. hujus tituli*, quæ breviter hoc definit, *prohibita alienatione*, ut lex Julia, prohibita alienatione fundi dotalis, vel prohibita alienatione a testatore, vel a contrahentibus, alienationis nomen esse latissime accipiendum, ita ut non tantum comprehendat omnem translationem dominii, sed etiam manumissionem, si sit servus vel hypothecam, vel pignus, et donationem usufruct. vel emphyteusim, et impositionem servitutum. Denique ut prohibitus alienare intelligatur prohibitus ne facto suo ei rei, vel ejus rei juri quicquam decedat, nisi scilicet latitudo hujus verbi constringatur verbis legis, ut constitutio *de prædiis curialium sine decreto non alien.* titulo proprio, alienandi verbum non ita latissime patet: nam donari possunt, non etiam vendi: ut in *Nov. de rebus Ecclesiasticis non alienandis*, non continetur Emphyteusis omnimodo: igitur nisi lex, vel testamentum, vel contractus coarctat significationem verbi, semper accipiemus prohibitam alienationem latissime ex constitutione *l. ult.* Tertia pars proponitur in tit. seq. in qua id animadvertendum est, id quod de tota re communi diximus, esse etiam intelligendum in parte, ut si rei, pars sit mea, pars aliena, partem socii non possum alienare. Et in ea parte locum habent ea omnia, quæ supra diximus in tota re. Et excipitur tantummodo fiscus, ut si habeat fiscus rem communem cum alio, ven-

dere eam in solidum possit æquo pretio, et socio reddita parte pretii. Hoc datum est fisco, ut facilius emptorem inveniret, et ne maneret in communione cum privatis, ut rem communem vendat in solidum, *l. 1. inf. tit. 2.* et *l. 2. inf. de vend. rer. cum fisco comm. l. 10.* Et hoc ita si fiscus ipse vendat rem quam habet cum aliquo communem, non si alius vendat, licet ejus rei pretium pervenerit ad fiscum, quod dicitur in *d. l. 2.* Neque vero mirum est si fiscus vendat rem communem in solidum: nam et rem alienam recte vendit securitate præstita statim emptori ac ei usu cœpisset ex constitutione Zenonis, et dato tantum regressu adversus fiscum in quadriennium, qua de re est tit. *inf. de quadr. præscr.* Etiam additur in tit. 52. posse sociam cuilibet partem suam alienare, non socii, nec cogi præferre socium in alienatione partis suæ: non est socio jus prælationis. *Il n'y a droit de retenue*, vel si socius partem suam tantum vendiderit, socium non posse eam retrahere ab emptore, nec favore quidem militiæ, *l. 3.* et *4. hujus tituli.* Igitur inter socios non est jus προτιμήσεως, vel jus retractus. Et eo jure etiam hodie utimur: ei addamus esse tantum jus προτιμήσεως inter consanguineos et propinquos, *retrait lignager.*

Ad Tit. LIII. Rem alienam gerentibus non interdici rerum suarum alienationem.

Docuerunt nos duo tituli superiores, rei suæ alienationem esse, non rei alienæ, exceptis certis casibus, quos ibi exposuimus: at nunc his titulus docet, rei suæ alienationem esse demum etiam administranti rem alienam, cujus administrationis ratione, bona omnia ejus tacito pignori teneantur ei, cujus res est quæ administratur: exempli gratia, tutori, et curatori, in cujus bonis pupillus vel adolescens habet tacitam hypothecam, *l. un. § 1. inf. de rei ux. act.* nihilominus tutor vel curator rem suam poterit alienare, etiamsi ex eo titulo, id est ex causa administrationis judicati debitor constitutus sit: nam et post condemnationem, res suas, quantumvis licet pignori nexas pupillo, vel adolescenti, liberum ei erit alienare. Hoc ergo titulo ostenditur, rei suæ alienationem esse, etiamsi ea res expressim vel tacite alii sit pignori obligata: atque etiam si debitor ipse condemnatus sit creditori pignoratitio, vel hypothecario: sed alienatio illa fiet cum sua causa, id est, cum onere, seu pignoris vel hypothecæ, illæso jure creditoris, ut in *l. Alienatio. D. de contrah. empt.* et hoc exposito infert *l. unic. hujus tituli*, quod si rem meam alii pignoratam possum alienare, et pignorare, igitur alii eam possum: cujus rei alienatio, et pignoratio est, ut ostendit. *l. unic. hujus tit.* Nihil interest, tutor vel curator rem suam jam pupillo vel adolescenti pignori nexam pignori obligaverit, fisco an privato: nam in hypothecis neuter, id est neque fiscus, nec privatus præfertur antiquiori creditori hypothecario, *l. Res. § 1. D. de jure fisci:* ergo etsi ea res sit obligata fisco, tamen in prosecutione pignoris semper erit potior causa pupilli vel minoris, quasi vetustioris creditoris hypothecarii. Et pignorata sit res fisco cum causa pignoris antiquioris. Id vero consultius esset tutori vel curatori, si rem suam fisco nominatim pignoraverit, cum suo onere, ne in fraude versetur, id est, ne incidat in crimen et pœnam legum; quod maxime timendum est. nam si dixerit tutor obligans rem suam fisco vel privato, eam esse liberam, et nemini obligatam, et hoc dixerit feceritque vivo pupillo nam defuncto pupillo hæres ejus non habet tacitam hypothecam, privilegium tacitæ hypothecæ, quod est personale: si inquam vivo pupillo mentitus sit, tenetur crimine falsi, *l. 1. §. Tutores. D. ad l. Cornel. de fals.* Si obrepserit, inquam, præfectis ærarii, vel privatis creditoribus, vel etsi tutor nihil dixerit, sed dissimulaverit obligationem taciti pignoris cujus non erat ignarus hoc casu cessat crimen falsi et superest crimen subsidiarium, Stellionatus nempe crimen, *l. 3. D. de crimine stellion. l. Tutor. §. Contrarium. l. Si quis. §. ult. D. de pignorat. act. l. 2. inf. de crim. stellion.* Verum ad rem redeamus. Quia jam expositum est jus omne, quod pertinet ad *l. C. uni. hujus tit.* censeo observandum esse argumentum quo utitur *d. l. un.* ab alienatione ad pignorationem, ut si tutori licet alienare rem suam tacito intellectu obligatam pupillo, et possit eam alteri pignorare: nam plus est alienare, quam pignorare. Scilicet, quod minus est probabile, licet etiam, quod magis est probabile, *l. Non debet. D. de regul. jur.* quod vulgo vocant argumentum a majori ad minus, cum dici debeat a minore ad majus, id est, a minus probabili ad majus probabile hoc modo: si tenetur pupillo ex causa tutelæ, una cum bonis suis omnibus, rem suam potest alienare, et pignorare igitur, et ita in *l. 9. §. 1. D. de pignor.* quod emptionem venditionemque recipit, multo magis pignorationem. Eodem argumento utitur *l. 11. §. Ususfr. D. de minor.* Vendere possumus usumfructum quem habemus in re aliena invito proprietario, et pignorare: igitur valet argumentum ad affirmandum: philosophi dicunt non valere ad negandum: nam si non licet, quod est minus probabile, non ideo etiam licet, quod probabilius est, hoc modo: non possum vendere, nec pignorare igitur, *l. In quorum. D. de pignor.* In quorum fundi finibus quis emere prohibetur, ut non possit ita pignus accipere non prohibetur argumentari: ille non potest emere in illis finibus rem ullam, nec igitur pignori accipere: non est igitur idonea consequentia, et omnino contra quam Acc. existimet in *d. l. In quorum.* adhibita, *l. Qui offic. de contr. empt.* Et confirmandæ rei gratia etiam addita *l. Solet. §. ult. D. de officio Procons.* poni debet species in præside, vel alio, qui gerat publicum officium in provincia, vel civitate, vel vico: nam mandatis principum continetur ut is præter ea, quæ victus quotidiani sunt, nihil possit emere, vel mobile, vel immobile in finibus ejus provinciæ, vel civitatis, vel vici, vel pagi: cujus significatio latissima potest, sed non prohibetur pignus accipere. Et ita accipienda est lex *In quorum:* contra omnino explicanda est *lex unica.* Ex qua liquet, quod possit a minori ad majus non valere argumentum ad negandum contra a majori ad minus, id est, a magis probabili ad minus probabile valet argumentum ad negandum, hoc modo: non possum pignorare, nec vendere igitur: non tamen ad affirmandum hoc modo possum pignorare, et emere igitur, hoc est falsum, *d. l. In quorum.* Et hæc ita se habent secundum artem: sed observandum in jure hæc argumenta esse infirmissima, ut quo hæc lex utitur a minori ad majus: ut si tutor possit alienare, possit etiam pignorare, argumentum hoc deficit in re aliena, quæ vendi potest et pignorari non potest, *l. Servus quem. §. ult. D. de act. empt.* Deficit etiam in servitute rustici, vel urbani prædii, quæ vendi potest, *l. Cum manu. §. 1. D. de contrah. empt. l. 3. §. Si inter.* et *l. Tenetur. §. Si tibi. D. de action. empt.* et pignorari tamen non potest *l. 12. D. de pig.* Deficit etiam in præside provinciæ, qui habet quidem jus gladii, *l. Illicitas. §. Qui universas. D. de officio præs.* nec tamen habet jus deportandi, *l. 1. sup. l. Deportatus. D. de leg. 3.* non habet jus confiscandi bona reorum, *l. un. inf. ne sine jussu principis cer. jud. lic. confisc.* quia hæ pœnæ sunt meri imperii, et merum imperium lege datur, nec nisi quatenus lege datur, cuiquam competit. Et sæpe lex, quod plus est, dat, et competit, si cetera non dederit, non competunt cetera per consequentias: nam argumentis fretus non potest quis plus sibi arrogare, quam dederit lex. Et rursus argumenta a minori ad majus, quæ non dicuntur valere ad negandum in jure, et ad negandum sæpe valent, ut in servitute urbani prædii, quæ pignori dari et tradi non potest, cum sit res incorporalis: ac ne hypothecæ quidem conventioni subjici potest. Et ita argumentatur *l. 11. §. ult. D. de pignor.* et quod non potest pignori dari per traditionem, de eo non possit conveniri, ut hypotheca sit: et ita argumentum a minori ad majus valet etiam ad negandum in fundo dotali, quem lege Julia, ut non licet vendere, nec pignorare igitur, *l. 3. D. de fundo dot.* Et in prædio minorum, quod ut non potest vendi, ita nec obligari sine decreto, *l. 1. D. De reb. eor. qui sub tut. vel cu. sunt*, ex oratione Severi. Et in re cujus commercium non est; quam et non possum emere, ita nec pignori accipere, *l. 1. §. Eam rem. D. quæ res pignori, etc.* et in *d. l. In quorum*, rei, de qua agitur, erat commercium inter ceteros omnes præterquam in præside, quod ei soli interdicitur quandiu officio fungitur in iis finibus, valet etiam in re litigiosa: nam ut eam non possum vendere, nec obligare igitur, *l. 1. §. ult.* et in filiofam. quem pater nec vendere, nec pignorare potest, *l. 1.* et *2. sup. de patrib. qui fil. suos distrax.* Et generaliter prohibita alienatione, vel testamento, vel contractu, etiam intelligitur prohibita pignoratio. *l. ult. sup. tit. de rebus alienis non alienan.* Et similiter, quod non possum donare, id si quis alius donet, non possum etiam consentire donationi, *l. Cum quis. D. de regul. juris:* atque ita his modis valet etiam ad negandum argumentum a minori ad majus. Et rursus argumentum a majori, quod dicitur valere ad negandum, in jure dicitur non valere ad negationem. Nec enim si præses non habet jus deportandi, ideo non habet jus gladii, id est, vitæ et necis, nec si rem alienam pignori obligare, ideo non possum etiam eam vendere: hujusmodi igitur argumenta in jure nihil valent. Restat tantum, ut qua tractavi ante de servitutibus, an possint pignorari, et frequenter usus sum *l. 11.* et *12. D. de pignoribus*, in quibus ostenditur hac in re esse differentiam inter servitutes urb. et rustici prædii, et ostendam quanta sit ea differentia, an sit, et quæ sit ejus ratio. Vulgo plerique contra sententiam *l. 11.* et *12. D. de pign.* nihil volunt esse differentiæ inter eas; cum tamen evidenter constituatur, ut servitus rustici prædii possit obligari a domino prædii, vel ab eo, cui debetur ea servitus *l. 12.* Et quod ait *l. Videamus. D. de usur.* petita servitute rustici prædii per actionem confessoriam in fructibus numerari omne commodum, quod actor habiturus esset, si non fuisset prohibitus ire agere, puto id posse aptari ad pignorationem, ut dicamus etiam rei incorporalis, ut servitutis rusticæ fructum esse, vel pignori dare licere ex *l. ult. D. de usur.* At servitus urbani prædii, nec pignori, nec hypothecæ subjici potest, ut est proditum in *d. l. 11. in fin.* nec a domino prædii, qui debet, nec ab eo cui debeatur illa servitus, nihil refert. Et hanc differentiam veram esse apparebit si reddatur ratio diversitatis inter utramque. Et primum sic statuo: ut sit utile pignus servitutis, non tantum necesse est creditorem cui pignoratur servitus habere prædium vicinum, *l. 1. D. commun. præd.* sed etiam ut hujusmodi pignus alii vicino vendi possit, quia inutile est pignus, quod alii distrahi non potest sui consequendi causa, ut in *l. 4. D. de pignor. act. l. Mulier. infr. de distr. pign.* At qui creditori habenti ædes vicinas, cui pignori concessum est jus tigni immittendi, vel stillicidii, vel protegendi, vel projiciendi, non est alius vicinus cui ea servitus usui esse potest; nam quod ex ædibus suis vicinus tignum immittat in ædes debitoris, non æque alii vicino immittendi ullus est usus et utilitas: ac consequenter jus illud alius vicinus non est empturus, et alius emeret frustra: ergo ejus servitutis nullus est usus, et inutile est pignus, cum non possit invenire emptorem. At contra servitus prædii rustici alii vicino vendi potest, forsitan magno emptore, cum possit uno itinere pluribus patere aditus in suos fundos: quia igitur pignus servitutis rusticæ distrahi potest, et quandoque magno, non erit inutile si vel dominus prædii, vel is cui debetur servitus, ita pignoraverit iter creditori suo: ergo explodenda est eorum opinio, qui contra leges manifestissimas calumniantur, et asserunt nullam esse differentiam. Nec moveri debemus eo, quod in precario inter hanc et illam servitutem differentia nulla est, quia utraque precario dari potest, *l. 3.* et *l. Et habet. §. Precario. D. de precar. l. Si quis, 12. D. de religios.* non alia est ratio pignoris alia precarii, precarium

possessionis, vel quasi possessionis utilitas consistit in usu, et ad libitum ejus, qui concessit, et ad modicum quandoque tempus, pro libidine ejus, qui concessit. Hunc usum admittit utraque servitus. Igitur non videtur precarium esse inutile in hac vel illa. In pignore est inutile, quia utilitas pignoris consistit in distrahendo, et servitus urbani prædii non est inventura alium emptorem: quod satis diximus ante.

Ad Tit. LIV. De pactis inter emptorem et venditorem compositis.

Hic titulus est de pactis, quæ adjiciuntur emptioni venditioni ex continenti, id est tempore contractus, ut sit *lex pen.* initio contractus, ut sit *lex* 3. vel traditionis tempore, *l. In traditionib. D. de pact.* omnis traditio ex causa non nuda facta, contractus est: emptio venditio contractus principalis, cui et alii accedunt contractus, veluti arræ datio, et traditio rei venditæ: ex quibus non alia actio datur, quam quæ nascitur ex principali contractu, veluti empti venditi, vel alia ex pactis, quæ ei accedunt, veluti ex pacto arræ. Hæc vero pacta, ut veris sunt, ita efficiunt, ut ejusdem contractus varia sit forma, ut si quis roget me, quæ sit forma emptionis venditionis, vel locationis conductionis, vel mandati, vel depositi: recte dicam, nullam esse certam formam: sed eam esse, quam fecerint pactiones, quæ ei in initio adjiciuntur, pactiones enim contractum formant, et actionem ex iis, *l. 7. §. Quinimo. D. de pact.* legem dant contractos, *d. l. 7. §. Idem Marcellus. l. 1. §. Si convenit. D. depos. l. Contractus. D. de reg. jur.* atque ideo hæ pactiones dicuntur leges, et conditiones in omnibus fere constitutionibus hoc tit. et passim in jure leges emptionis et venditionis, id est pactiones. Et est suavissimus, qui libro edito de legibus populi Rom. veluti Falcidia, Ælia Sentia, Aquilia, inter eas numeret legem commissoriam, quod est pactum emptionis venditionis de re restituenda. Nec enim ea lex est populi Rom. sed privatorum contrahentium emptionem venditionem. Imo et hæ pactiones, sive leges venditionis dicuntur venditiones, ut in *l. 4. hujus titul.* Commissoria venditio, id est, venditio facta sub pacto commissorio: imo tanta earum pactionum vis est, ut ejusdem contractus appellationes varient pro varietate formæ, quam ei imponunt. Ut exempli gratia pignus scindatur in hypothecam, pignus, fiduciam, et antichresim: et similiter locationem dividam in tabellariam, et precariam: quæ igitur est forma cujuscumque contractus, eam esse dicam, quam fecerunt contrahentes secundum leges: nam improbæ pactiones rejiciuntur. At videam, quæ in hoc titulo ponuntur: pacta sive leges venditionis, et traditionis proponuntur in l. 5. et omnes justæ, et ratæ, et quibus datur actio, ex vendito: quia scilicet adjectæ sunt venditioni ex continenti, id est in ingressu contractus, in ipso exordio et contextu contractus: nam quæ adjiciuntur pactiones ex intervallo, non valent, non proficiunt ad agendum. Ac primum proponitur lex commissoria, qua scilicet id agitur in tradenda re vendita, ut si intra certum tempus pretium, vel pretii pars reliqua non solvatur, si ita venditor velit ut res sit inempta, ut ei commissa, id est, ut ad venditorem recurrat, etiam arris non redditis emptori, *l. 1. hujus tit. l. 2. l. ult. D. de lege commiss. l. ult. D. de rescind. vend.* Et hæc est, quæ dicitur pœna commissi in *l. Trajectitiæ. D. de oblig. et act.* pœna commissæ venditionis: committit emptor in venditionem qui in ejus legem peccat, etiam non interpellatus si sua die pretium non offerat, *d. l. Traject.* et *l. 4. §. ult. D. de lege commiss.* Committit autem venditori, nimirum ei restituit re vend. vel per rei vindicationem, vel per actionem ex vendito. Quod adhibita distinctione explicandum est, ut intelligatur quando exerceat venditor legem commissoriam per rei vindicationem, et quando per actionem ex vendito. Per vindicationem exercet legem commissoriam ad diem pretio non soluto, si rem emptori tradiderit precarii, aut locationis nomine, donec pretium solverit, non emptionis nomine, quia non videtur dominium ab emptore recessisse, id est, quia ea traditio non facit dominum emptorem, in *l. Servi emptor. D. de peric. et comm. rei vend.* Salvum itaque dominium mansit venditori: consequenter mansit ei integra vindicatio, quæ jure dominii competit. Per actionem ex vendito venditor legem commissoriam exercet, si emptori rem tradiderit emptionis jure fide habita de pretio in diem certum: nam ita ipse si dominus fuit, dominum facit emptorem traditione, ut jam lege commissoria non possit habere vindicationem, sed habeat actionem ex vendito: et l. 4. quæ dat vindicationem, ita est adducenda in concordiam: nimirum addita superiori distinctione, quæ et verissima est, si dixeris venditionem faciam lege commissoria esse puram, id est, non contrahi sub conditione, sed pure contractum resolvi sub conditione, si pretium non solvatur ad diem. Quæ sententia locum obtinuit, *l. 2. D. de leg. commiss.* nam si dixeris eam esse conditionalem, quæ fuit sententia Sabini in *l. Pro emptore. §. Sabinus. D. pro empt.* etiam re tradita ex causa venditionis, et lege commissa venditori competit vindicatio, quia traditio fuit inefficax atque venditio: nec fuit igitur translatum dominium in emptorem. Sed verius est, non esse conditionalem, et locum habere superiorem distinctionem inter vindicationem et actionem ex vendito. Eadem lex commissoria olim valuit in pignoribus, puta ut si ad diem pecunia debita non solveretur, pignus fieret creditoris: sed merito in pignore displicuit Constantino, *l. ult. in fi. de pact. pign.* et commissoria lex Antonino Imperatori displicuit in venditionibus, *l. Æmilius. D. de minorib.* sed non antiquata, rescissa, improbata. Et est ratio differentiæ inter pignora, et venditionem: nam in pignoribus lex commissoria plerumque est in fraudem constitutionum, quæ usuris modum imposuerunt: maxime notandum est, etsi, ut solent, pretiosiora sint pignora: plus enim ita consequeretur creditor ex lege pignorum, si ea lege committerentur, id est, si pignora in ejus dominium caderent ob pecuniam non solutam, quam ex legitimis usuris: in venditionibus lex commissoria nullam habet speciem fœnoris improbi et illiciti. Et in hanc rem est *l. Julianus. §. Idem Papinian. D. de action. empt.* Sequitur aliud genus pactionis, sive legis venditionis in *l. 2. et 7. hujus tit.* Si conveniat, ut quandoque pretio oblato a venditore, ut res, quam vendidit, sit inempta, et revendatur. Lex est commissoria, lex est redemptionis, quam possit facere venditor quandocumque, nullo finito tempore, vel intra certum tempus. Ex ea pactione etiam formatur actio ex vendito in emptorem, si post venditionis interpellationem, denunciationem, oblationem pretii, et non tantum oblationem, sed etiam obsignationem et depositionem; hæc enim omnia sunt necessaria. *d. l. 7.* emptor legi dictæ non paruit, atque etiam hoc casu datur actio ex vendito, rescindendæ venditionis causa: nec erit necessaria actio præscriptis verbis: nam etsi *l. 2. hujus tit.* dicat initio dari actionem præscriptis verbis ad rescindendam venditionem ex lege redimendæ rei: tamen in eo non perstat, et se corrigit, dum adjicit, *vel ex vendito dari.* Et similis est correctio in *l. Labeo scribit. D. de contrah. empt.* nunquam enim actio præscriptis verbis concurrit cum actione legitima. Et præscriptis verbis actio est subsidiaria in factum actio, cum deficit alia actio civilis. Et illud est animadvertendum, interpellandum esse emptorem, oblato pretio: alioquin non peccat emptor in hanc emptionem: nam et hic nulla pœna est: sed cum priori generi pactionis est pœna commissi; et ideo non est necessaria interpellatio ad diem; quia dies illum appellat satis, cum est pœnalis causa: quod in *d. l. Trajectitiæ.* ostendi esse verum. Sequitur tertium genus pactionis in l. 5. si conveniat, ut emptor usuras pretii, quod statim non solvit, præstet ex tempore venditionis, quæ alias non solent præstari, nisi ex mora, interposita stipulatione, et usurarum exactio fit per actionem ex vendito: nam hæ pactiones non propriam perimunt actionem, sed ipsam contractus formant. Et constat, in bonæ fidei judiciis deberi usuras, non tantum ex mora, sed etiam ex pacto, *l. 15. sup. de actionib. emp. l. Qui negotia. D. mand. l. Titius. D. de præscript. verb. l. Cum quidam. §. Ex locato. D. de usur. l. Publia, §. 1. l. Lucius. in fi. D. depos.* In judiciis strictis non debentur ex pacto sine stipulatione, *l. Quamvis. sup. de usur.* Est et aliud genus pactionis in *l. 6. hujus tit.* Si venierit res exiguo pretio, habita inter emptorem et venditorem certæ rei contemplatione, quæ exiguum pretium faceret, Finge convenisse, ut rem dignam centum emeret quinquaginta, vel sexaginta, ea lege, ut venditorem aleret per annum, aut biennium in vicem pretii, ut *l. 3. sup. de contrah. empt.* Ea contemplatio alimentorum, vel alterius rei certæ, facit, ut venditor sit contentus exiguiore pretio, qui non esset eo pretio rem venditurus citra ejus rei contemplationem: ergo id agitur, ut nisi ea lex atque conditio emptionis impleatur, res sit inempta per actionem ex empto, quæ hic etiam dabitur ad rescindendam venditionem, reddito pretio emptori. Postrema pactio proponitur in *l. ult. hujus tituli:* si vendidero tibi certum locum fundi mei ea lege, ut ne eum dedices in sacrum, vel ne eum facias religiosum illato mortuo; hæc lex recta est, ut ex ea causa detur actio ex vendito in id quod interest venditori servari legem, vel potius erit actio ex vendito, et resolvatur venditio, quasi non fuerit venditor alias venditurus, et quasi ea pactio cesserit in partem pretii, effeceritque ut res minoris veniret, *l. 6. supr.* et *l. 5. in fi. D. de servis export.* Implenda igitur est ea lex, quæ cedit in partem pretii: et quia sine ea non erat venditurus eam rem, eumve locum; et quia interest ejus legem servari, ut docet l. 10. quia non tantum noluit religionis causa alium vicinum sibi adjungi, sed etiam specialiter interdixit, ne sibi vendenti locum fundi, non totum fundum, vel ne sibi vendenti fundum, et habenti locum in confinio loco, vel fundo, venditio injecta religione fieret inutilis, et ingratiis sibi vicinus adjungeretur: vicinitatis enim ratio habetur in æstimando eo quod interest, *l. 1. §. Sed si rem. D. quæ in fraud. patron. l. Quod sæpe. §. ult. D. de contrah. empt.* Unde abiit in proverbium: Marcus Syrius vir justus, cujus vicinitas confines fundos chariores efficiebat. Verum huic legi ultimæ vulgo opponitur *lex ultima. D. de pact.* quæ præscribit, neminem paciscendo efficere posse, ne quis mortuum inferat in locum suum venditum: vel ne eum consecret: et tamen *lex ult. hujus tituli*, ratam facit hanc pactionem ne mortuus inferatur in locum venditum. Dico id non posse fieri pacto ex intervallo, sine stipulatione; quod pactum factum ex intervallo, non prodest ad agendum. Et ita explicatur species, quod probat *lex ult.* et Acc. placuit. Et hoc confirmatur vehementer *l. Quod si locus. D. de relig.* Si evenerit, ut locus monumenti, id est cœnotaphium, non fiat religiosus, ne mortuus in eum inferatur, pactum non sufficere adhibitum, sed stipulationem esse necessariam. At lex ult. loquitur de pacto addito ex continenti, quod proficit ad actionem ex vend. nec desideret stipulationem. Dicitur officium judicis tantum posse in actionibus bonæ fidei, quantum stipulatio in strictis, *l. Quia tantumdem. D. de negot. gest.* Idem dici potest de pacto adjecto ex continenti, ut tantum possit quantum stipulatio.

Ad Tit. LV. Si servus exportandus veneat.

Diximus heri de pactis inter emptorem et venditorem, sequuntur tres tituli, in quibus totidem aut certe quatuor pactiones exponentur, quæ in venditionibus mancipiorum addi solent: prima est in tit. Si servus exportandus veneat, id est, si servus ea lege et pacto veneat, ut exportetur. Exportare est transferre ad barbaros in *tit. 41. sup. quæ res export. deb.* In hoc titulo exportare est servum transferre in

aliam civitatem, vel provinciam, ne in ea emptiae civitate moretur, ubi venumdatur: quam pactionem venditores addere solent, vel quod ipsi eadem lege servos emerunt, ut exportarent, et stipulanti venditori pœnam promiserunt, nisi exportarent, *l. 7. D. de serv. export.* vel etiam addunt eam legem odio servorum, quod eorum conspectum ferre non possint: nam et citra venditionem etiam legimus sæpe a dominis pœnæ causa servos ex urbe in villam exportari ablegari, *l. Ex facto. §. pen. D. de hæredib. inst.* quod memini me etiam probare observatione decima, cap. 33. ex lege vendere, ut emptor emptum servum exportet; et id confirmabo his exemplis: Demosthenes in Timocrate, et Ælianus in epist. rust. et Dio. 54. Huic legi, ut emptor servum venditum exportet, addi solet, ut in non exportatum venditori liceat manus injicere quasi suum, ac si non vendidisset. Quod etiam pactioni tit. seq. addi solet, ne ancilla prostituatur, vel ut venditori in prostitutam sit manus injectio. Qua de causa de manus injectione in hoc titulo et sequenti satis multa. Manus injectio est patri in filios, domino in servos, et aliquando creditori in debitores, maxime fugientes ex 12. tabulis: nam et verbum injectionis manus est legitimum: *si calvitur, pedemve struit, manum endo jacito:* ubi interprete Servio Jurisconsulto, pedem struere, est fugere: et sententia est legis ult. si calvitur, id est, si moretur, si frustretur, veluti si fugiat, ut in eum creditori sit manus injectio; quod confirmat etiam alia lex 12. tabul. *æris confessi, rebusque jure judicatis, triginta dies justi sunto, post deinde manus injectio esto, in jus ducito.* Itaque quod est in *l. Ait prætor. §. Si debitorem. D. quæ in fraud. creditor.* creditores debitorem fugientem, et pecuniam suam exportantem, veluti manu injecta abstulisse et apprehendisse ei, quod debebatur: quod, ut quidem volunt, non est interpretandum, ut abstulerit jure judicioque sine vi, sed manu injecta, sine auctoritate judicis ex l. 12. tabul. nam permittunt 12. tabulæ manus injectionem in eum, qui pedem struit. Licet etiam sine judice manum injicere creditori in debitorem duobus illis casibus, et venditori in servum venditum, si legi venditionis non pareat emptor, ex conventione, qua venditor exceperit sibi injectionem manus, si non exportetur servus, vel si prostituatur serva contra legem venditionis: optimum quidem est id facere per magistratum, ut ait lex *Si stipulatus. in fi. D. de solut.* Sed sine magistratu factum non improbatur, quia lex 12. tabul. vel lex conventionis manus injectionem dedit. Et ita *l. 1. tit. seq.* manus injectio fit auctore præside: quod est tutius, sed non admodum necessarium. Porro hæc lex venditionis, ut servus exportetur, non tam emptori datur, quam ipsi servo, ut scilicet omni modo peregre abeat, quod oculi venditoris eum ferre non possint, ut sequentes pactiones propositæ tit. seq. omnes dicuntur servæ, puta ne prostituatur ancilla: et tit. 57. ut manumittatur, vel contra, quæ nominatim dicitur cohærere personæ servi, nec tam emptori, quam servo imponuntur. Igitur si venierit ea lege, ut exportetur, nec ibi morari potest, nec manumitti, unde exportari jubetur, vel si ibi manumittatur servus fiet fisci, cum alii potest manumitti, nec lex vetat, ut manumittatur, *l. 3. h. tit.* Sed rursus si alibi manumittatur, et post manumissionem redeat unde exportatus est, quia tunc nulla est manus injectio in manumissum, nulla in emptorem actio competit, qui manumisit eum servum: ideo constitutum est, quia per eum servum fit post manumissionem, quo minus voluntati venditoris satisfiat, ut veniat in perpetuam servitutem fisci, rescissa libertate sub eadem lege ne ibi moretur ubi venit, aut ut priori domino sit in eum manus injectio, si fiscus eum non exportaverit, *l. 1. hujus tit. l. pen. D. de servis export.* Aliquando venditor non excipit manus injectionem, sed pœnam stipulatur, si servum non exportaverit emptor, et hoc casu servo non exportato, id est, neglecta lege venditionis, venditori committitur pœna tantum: servus autem committitur fisco ablatus emptori, *l. 2. hujus tituli.*

Ad Tit. LVI. Si mancipium ita venierit ne prostituatur.

Sequitur alia pactio in tit. 56. si mancipium ita venierit ne prostituatur: cui conventioni additur aliquando, vel ut prostituta confestim libera fiat, ne habeatur in turpi quæstu. Quæ piissima lex est, et favore libertatis et pudicitiæ valet proficitque ad libertatem, etsi facta sit ex intervallo, id est, non sit inserta venditioni, venditionis tempore: quod notandum est ex *l. 2. hujus tit.* Et ostendit etiam tum *lex 1.* tum *l. 2. hujus tit.* hujus rei cognitionem pertinere ad præfectum urbi: recte: hoc enim est quod ait lex 1. § *Hoc quoque. D. de officio præfecti urbi*, a Severo Imperatore præfecto urbi dari, ut mancipia tueatur, ne prostituantur. Et hoc genere si ancilla perducta fuerit ad libertatem, patronum habebit venditorem, *l. 7. D. de jure patron.* Aliquando venditor non paciscitur ut libera fiat, si non obtemperet emptor conventioni, sed ut in eam prostitutam statim sibi competat injectio manus quasi suam, nec venditam, aut traditam: et tamen si venditor remittat manus injectionem, eique prostituat ancillam, hoc casu remittente venditore manus injectionem, statim ancilla fit libera ex constitutione Adriani, Severi et Antonini; et est sine patrono: nam venditor sane nullum habebit honorem, quia remisit manus injectionem: quæ omnia probantur *l. 1. hujus tit.* ut *l. 7. D. qui sine manumis. ad libertatem*, et *l. Sed si. §. 1. D. de in jus voc.*

Ad Tit. LVII. Si mancipium ita fuerit alienatum, ut manumittatur, vel contra.

Sequitur tertia pactio in tit. 57. si servus veneat ea lege, ut manumittatur intra certum tempus, cujus legis ea vis est, quam efficit favor libertatis, voluntasque venditoris, ut si ei non pareat emptor, et servum emptum eo die non manumittat, statim ex constitutione Marci et Antonini scripta in Semestribus, id est, in libris constitutionum Marci, *l. 2. hujus tit.* Marcus Philosophus dabat operam juri dicundo sex mensibus quotannis exemplo Augusti, Tiberii, et aliorum: et ita Semestria dicta sunt libri in quibus sunt scripta ea, quæ constituit D. Marcus sex mensibus quotannis: ex quibus in jure varia referuntur constitutiones, ut excusetur a tutela, qui administret res fisci, *§. Item qui reip. Inst. de excus. tut.* et ut voluntate testatoris possit remitti cautio legatorum, vel fideicommissorum, *l. Pactum. D. de pact.* Et ut pupillis non sit necesse restitui in integrum ex contractu avito, si pater eorum non agnoverit avitam hæreditatem, *l. 12. D. de acquir. hæred.* Et præterea hæc constitutio, de qua hactenus, sæpe in jure refertur, ut servus emptus ea lege ut manumittatur, statim post diem quo manumitti debuit, ipso jure fiet liber: et ideo si huic conventioni adjecta sit stipulatio pœnalis, si emptor non manumiserit, ea nunquam committitur et nullius est momenti, cum futurum sit ut servus manumittatur ipso jure repræsentante factum emptoris: et ita est legendum in fine leg. *ult. hujus tit.* conditionis potestate manumittentis factum repræsentari. Et hoc Græci probant: quia, inquiunt, *potestas facti imponit libertatem, quam debet emptor præstare.* Hoc est, pactionis potestate repræsentantur factum emptoris ac si manumisisset. Et ita etiam veteres Galli non legunt post, sed ita: *Que la puissance de la condition soit reputée au fait de celui qui la doit franchir, et accomplir.* Potestas pactionis habetur pro facto manumissionis, ubi dies venerit quo servus vel ancilla manumitti debuit. Pertinebat autem propterea constitutio ad servos ea lege venditos, ut manumitterentur, non autem ad servos donatos ea lege. Et aliquando eo jure usi sunt, ut non idem esset in donatis, *l. Qui Romæ. §. Flavius. D. de verb. oblig.* Sed postea aliis constitutionibus etiam porrecta est ad contractum do ut facias, ut si quis det pecuniam domino quasi pro pretio, ut servum suum manumittat: nam accepta pecunia si non manumittet, ipso jure fit liber, *l. 4. hujus tituli*, *l. Paulus. §. 1. D. de liber. causa.* Et additur in hoc titulo quarta conventio, ut servus non manumittatur, cum ita scilicet servus venditur, ut nunquam possit ad libertatem perduci, in *l. Servus hac lig. D. de manumiss. l. 3. §. Is quoque. D. ad Senatusc. Sylian.* Quod adeo verum est, ut si huic conventionis sit subjecta stipulatio pœnalis, hoc modo: tot dari si manumiseris, nullius est momenti manumissio: nam etsi non manumiserit, manumissio futura est, et in ea stipulatione videtur intelligendum de effectu manumissionis, non de nudo actu manumissionis, sive effectu; et cum inanis sit manumissio, inanis etiam erit stipulatio pœnalis, *l. pen. h. tit. l. 6. D. de serv. export.* quæ sola est de hac conventione, quod etiam in quæstione 3. pactionis obtinuit, *l. ult. hujus tit.* ut ipso jure nulla sit stipulatio pœnalis: nam ex ea pactione futurum est ut fiat liber servus; quem ut manumitteret emptor, creditum est ex tempore contractus; et idem obtinuit in quarta pactione. Et ut minori negotio intelligi possint, quæ supra de manus injectione diximus, hæc subjiciuntur ex *l. Ait prætor. § Si debitorem. D. quæ in fraud. cred.* ait creditorem persequentem debitorem fugientem, et pecuniam secum ferentem auferre ei pecuniam sibi debitam, utitur his verbis, *ferre* et *auferre*, *persequi* et *fugere*, fugit debitor, persequitur creditor, fert pecuniam debitor, aufert creditor si fiat illico: nemo est qui hoc legens non intelligat illico, id est, in ipso articulo et momento temporis, sine jure, sine judicio, manu injecta fugienti debitori, quia nec juris nec ordinis spatium ullum relinquat creditori, pecuniam debitam auferre; ergo cum ea res sit fraudi creditori, recte statuunt licere fugienti debitori, et pecuniam secum ferenti, illico auctoritate sua pecuniam auferre: sic sane: nam, quod plus est, etiam in debitorem fugientem, 12 tabulæ dant manus injectionem: *si calvitur*, etc. Dant primum in eum qui calvitur id est, in moratorem, ut alio capite, in judicatum, qui moratur et frustratur, nec judicatum facit. Deinde dant etiam in fugientem debitorem. In civilis quidem hodie est hæc vis, et extraordinaria, fateor, sed in civile quoque est, si non probaveris quod creditor fecit, dum sibi vigilat, suum ut servet, qui in ejus emittendi summo periculo versabatur, *l. ult. §. ult. D. quod metus causa*, ponit creditorem exegisse per vim debitam pecuniam sine cognitione judicis, etiam a non fugiente debitore, interventu apparitoris, qui interventus non excusat vim, non habita cognitione judicis, et non facit ut creditor, qui vim fecit, eam non videatur fecisse: et tamen, quod ita extorsit creditor auctoritate sua, interventu apparitoris, ut superiori etiam casu, æquum est eum excusari ob præcipitem fugam debitoris. Non omnis vis improbatur: dicimus creditorem vim fecisse necessario magis quam libenter, coacte magis, quam civiliter, ut Titus Livius 38. magis pie quam civiliter vim fecisse Africanum, quia a corpore fratris, qui in vinculo ducebatur, repulit viatorem. Et adde, melius id facere per magistratum, si quis possit, *l. Si stipulatus sum. in fi. D. de solut.* Sed fuga debitoris non dat spatium adeundi magistratus: igitur tolerabile illud est. Addam manus injectionem fieri in ancillam, prostitutam, contra legem venditionis, auctore magistratu, *l. 1. sup. t. 56.* Sed etsi sine magistratu facta fuerit ex lege conventionis, id est, prout lex conventionis permittit, eam revocari incivile est.

Ad Tit. LVIII. De Ædilitiis actionibus.

Actiones empti venditi vel sunt civiles, de quibus actum est supra, vel honorariæ sive ædilitiæ, de quibus agitur in hoc titulo: nam et hæ actiones, quæ dantur ex edicto Ædilium curulium, quibus maxime erant curæ venalia, dantur ex contractu emptionis ven-

tipiens, *l. Cum autem. §. Jubent. D. de Ædil. edicto.* Et proxime igitur sunt actioni empti, et sunt duæ, Redhibitoria, et Æstimatoria, quæ proprie pertinent ad venditionem mancipiorum, si species verba Ædilitii edicti: est enim de venditione mancipiorum, sed trahitur ad venditionem ceterarum rerum *l. Sciendum. D. de ædilit. edict.* etiam ad venditionem prædiorum, *l. Etiam. D. eod.* ut si fundus emptus sit pestilens, redhiberi potest venditori, omnibus restitutis in pristinum statum: et ideo in *l. pen. hujus tit.* ubi vulgo male ita legitur: *si pestibiles fundus, id est pestibiles herbas vel letiferas habens:* adserenda nobis est vetus scriptura: omnes libri manuscripti sic habent: *pestibilis fundus, id est pestibulas, vel herbam letiferam habens,* definitio est pestibilis, aut pestilenti fundi recta: nam ut incitabilem dicimus in quo sunt incitabula virtutis et ingenii, et fundum pestilentem, in quo sunt pestibula, vel herbæ letiferæ: et pestibularem nomine significari opinor natrices, viperas, colubros, serpentes, quas etiam auctores vocant pestes, earumque odorem ajunt esse nocentissimum, *l. 2. §. Idem ait. D. ne quid in loco publ. odore solo locum fieri pestilentiorem,* ut Florent. habent, non *odore soli.* Nec novum videri debet hoc verbum *pestibulas*, cum et veteres dixerint eodem sensu, *pestas in fundo lustrando* apud Festum. Et ita Columella l. 1. cap. 5. *Antricum serpentiumque pestes:* et lib. 8. cap. 5. *Curandum est ne pulli gallinæ afflentur a serpentibus. Id vitatur incenso cervino cornu, et capillo muliebri.* Et ita Virgilius: *graves nidore chelydros*, quod sumptum est ex Nicandro qui eos dixit, βαρυόδμους. Ergo restituatur vetus lectio: sic igitur actio redhibitoria, et æstimatoria, licet in edicto fiat tantum mancipiorum mentio, referuntur etiam ad res ceteras. Trahuntur etiam ad fundos. Redhibitoria actio est, qua emptor agit ad resolvendam venditionem, ob vitium morbumve latens rei venditæ, quod nesciebat emptor, vel ob dictum promissumve venditoris, ut scilicet eam rem recipiat venditor, et pretium reddat emptori: qui agit redhibitoria, debet rem exhibere venditori, offerre, præstare, ut ait *l. ult. hujus tit.* quod non est probare, ut quidam putant, vitium rei, ut probare servum fugitivum esse, ex veteri vitio: sed est restituere, offerre, præstare, quoniam ibi agitur de redhibendo servo fugitivo: sed ibi redhiberi, est restituere, et verbo exhibendi semper inest significatio restituendi, *l. Julianus. §. Quantum. D. ad exhib.* Et ita in *l. Pact. supr. de pact. exhibitis*, id est restitutis. Ergo hæc est sententia legis ultimæ, eum qui agit redhibitoria, debere rem exhibere venditori, id est, restituere: et ideo recte in contrarium adfertur *l. Redhibere. §. ult. et l. seq. D. de ædil. edict.* quo agitur etiam de servo fugitivo in causa redhibitionis, et qui etiam nunc est in fuga, sine culpa emptoris: et tamen non exigit Jurisconsultus ut omnimodo servum exhibeat: sed habeat satis venditori cavere de eo servo persequendo, et restituendo ubi venerit in potestatem suam, neque per se, neque per hæredem suum fieri quo minus habeat venditor. Non est igitur necessarium ut exhibeat, cum sufficiat ea cautio: et græci, ut hoc inter se componant, sequuntur quod Accurs. retulit in *l. ult. hoc tit.* ut ignoranti venditori, qui bona fide vendiderit citra fraudem, et simpliciter, id est, qui ignoravit vitium servi venditi, omni modo is servus sit exhibendus, et redhibendus, ab emptore, qui eum dicit esse fugitivum ex veteri vitio: nam si sit ex novo, cessat redhibitoria in *l. 3. hoc tit.* futura enim vitia non præstat venditor, *l. 1. sup. de peric. et comm. rei vend.* Sic igitur statue: Ignoranti venditori omni modo restituendum servum ab emptore agente redhibitoria, ut pretium consequatur distracta omni venditione: scienti autem venditori vitium servi, satis sit caveri de eo persequendo, et restituendo, si sit in fuga sine culpa emptoris. Hanc distinctionem facile admitterem, quoniam summa æquitate nititur, et similis est in specie *l. ult.* Si venditor sciens vitium aut morbum vendiderit, actione redhibitoria non tantum cogitur reddere, sed etiam omne damnum emptori præstare debet, ut si quid servus ille per fugam abstulerit emptori, vel si alios servos emptori sollicitaverit, et corruperit, *l. Quæro. in princ. D. de ædil. edict.* Ignorans autem venditor pretium tantum reddit emptori, non omne damnum. Et ita sæpe in tractatu de venditione et emptione, sciens emptor et venditor separatur ab ignorante. Sed ex verbis legum, quæ inter se committuntur, id est, *l. ult. hujus tit. et d. l. Redhibere*, non apparet nescisse venditorem in *l. ult.* Et scisse in specie *l. Redhibere*, igitur melius ita conciliari possunt: emptorem qui agit redhibitoria, debere rem restituere venditori: et hanc esse naturam actionis redhibitoriæ, ut omnia reponantur in pristinum statum ex utraque parte: sed officio judicis contineri, ut si rei restituendæ copiam non habeat emptor, et si servus sit in fuga sine culpa ejus, interponatur cautio de eo persequendo, et restituendo venditori, aut ut emptor actionibus suis cedat venditori ad eum servum persequendum: quæ cessio erit pro justa exhibitione, justa regulam juris in *l. Quod debetur. D. de pecul.* Et hoc observatur in aliis plerimis actionibus, *l. Servo legato. §. ult. D. de leg. 1. l. Si cum exceptione. §. Quotiens. quod metus causa, l. Si filio. §. pen. D. sol. matrim.* Et hæc de actione redhibitoria ædilitia. Alia est actio redhibitoria civilis, de qua est pars *l. hujus tit.* Si convenerit inter emptorem et venditorem, ut si intra certum tempus res displiceat emptori, inempta fieret: quo nomine Sabinus dicebat, emptori actionem esse ex empto redhibitoriam. Paulus existimabat, tutius esse ex ea conventione agere in factum præscriptis verbis, *l. Si convenit. D. de rescind. vend.* Et absurdum videtur agi ex empto ad rescindendam venditionem. Et hoc casu deficit constitutio, quæ det actionem empti ad rescindendam venditionem. Tollendi igitur dubii causa, tutius esse agere in factum, non ex empto. Sed etsi quis hodie egerit ex empto ea de re, non male egerit, cum Sabinus senserit empti judicio et redhibitoriam contineri, comprehendi posse, et ei adsentiatur Labeo, licet fuerit diversæ sectæ, ut Ulpianus noster in *l. Ex empto. §. Redhibitionem. D. de act. empt.* Multum autem distat actio redhibitoria civilis ab ædilitia; nam civilis est perpetua in *l. Si dictum. D. de evict.* Ædilitia est temporalis, id est, semestris, *l. huj. tit.* Et præterea civilis rem nudam continet, et persequitur; Ædilitia est pœnalis, quia si venditor non pareat arbitrio judicis, est enim arbitraria actio, crescit in duplum, et ob id dicitur esse pœnalis, *l. Cum autem. §. Si servus. l. Redhibere. D. de ædil. edict.* Et eo respiciens Horat. dixit venditorem esse pœnæ securum, quia non celavit vitium servi emptorem, sed eum vendendo excepit fugam, lib. Epistolarum 2. Epist. 2. his verbis:

> *Des nummos, excepta nihil te si fuga cædat:*
> *Ille ferat pretium, pœnæ securus opinor.*

Pœnæ securus est, qui non timet actionem redhibitoriam ædilitiam, quæ est in duplum pœnalis. Actio æstimatoria, quæ dicitur quasi minoris, quanto minoris emisset emptor, si id vitium cognovisset, ut *l. 5. sup. de action. empt.* agit emptor, ut scilicet in id damnetur venditor. Item actione æstimatoria in tantum aget, in quantum si scisset emptor ab initio, minus dedisset pretii, ut id sibi restituat venditor. Denique æstimatoria rescindit venditionem pro parte pretii redhibendi, et est temporalis, nempe annalis, *l. 2. hujus tit.* omnes fere honorariæ sunt temporales: nam et magistratuum erant temporalia edicta, et in *Inst. de perpet. et temporalibus action.* ex quibus sunt hæ actiones. Et excipiuntur paucæ actiones honorariæ quæ sunt perpetuæ.

Ad Tit. LIX. De monopoliis, et conventu negotiatorum illicito, vel artificum ergolaborumque, nec non balneatorum prohibitis, illicitisque pactionibus.

Hic titulus est mirum in modum depravatus, et omnino, secundum quod habent veteres libri, ita est restituendus, de monopoliis, et efficientorum, vel artificum, ergolaborumque prohibitis, illicitisque pactionibus. Sunt enim tres partes tituli. Una est de monopoliis. Utitur voce Græca, quod desit Latina ut Suetonius refert Tiberium Imperatorem in senatu abstinuisse græco sermone, ita ut Monopolium nominaturus, cum non haberet proprium, veniam rogarit, quod sibi esset græco verbo utendum. Monopolium est vendendæ certæ mercis jus, quod unus solus sibi vindicat, vel permissu Principis, vel auctoritate sua. Hoc vero constitutio hujus tituli damnat omnino, adeo ut nec si permissus Principis intervenerit, cuiquam cujuscumque mercis monopolium exercere liceat in eum, qui exercuerit, proposita pœna deportationis, et inter species quarum monopolium exerceri solebat, constitutio numerat vestes, et pisces, et pectines, quibus scilicet comuntur capilli, καλλυντρα capillorum, et Echinos, id est, Erinaceos, quorum cute vestes expoliuntur, in quibus fraus, vel monopolium fit, et scribit Plinius lib. 8. cap. 37. Magnam fraus, et ibi lucrum Monopolium invenit, de nulla re celebrioribus Senatusconsultis, et nullo non principe adito querimoniis provincialium. Et ita si quis velit pectines vendere pectendis capillis quantum hoc esset lucrum illi? Generaliter his enumeratis speciebus constitutio cujuscumque rei monopolia interdicit: vulgus Monopolium etiam accipit pro pactionib. illicitis, quas inter se habent negotiatores et artifices in perniciem populi: quid sit monopolium exposui vere. Et natus inde error est, quod sub hoc titulo tractetur etiam de hujusmodi pactionibus, sed non certis quasi Monopoliis, et omnino ex tribus partibus hujus tituli una tantum est de monopoliis, ceteræ sunt de pactionibus negotiatorum, et artificum illicitis, olim ante hanc constitutionem injussu Principis licebat Monopolium certæ mercis exercere sub onere conferendæ in fiscum siliquaticæ pensionis, id est, certarum siliquarum in aureos singulos, quod significat Cassiodorus lib. variar. 2. in epist. ad Faustum plerumque in eo auctore, id est, onus siliquaticæ, et onus monopolii, id est onus collationis præstandæ fisco pro monopolio permisso certæ mercis, quod quis solus sibi vindicat. Atque ita recte dixero, monopolium domino præstare jus vendendæ certæ mercis, et onus, quod pro eo permisso infertur in ærarium, nunquam admittam, monopolium accipi pro conspiratione aut pactione illicita mercatorum: sed constitutio hujus tituli nec ex permissu quidem Principis Monopolium exercere permittit. Et hæc de prima parte. Secunda pars est de conventu negotiatorum illicito, id est, de conventione, qua inter se paciscuntur, quasi conspiratione facta, ne ulli minoris vendant species certas, quas ipsi inter se constituerint et taxaverint, quod fit sæpissime ex pacto negotiatorum, ut si adjecoris singulas tabernas, idem sis apud omnes pretium inventurus, quam compactio hoc titulo penitus abrogatur. Tertia pars est de artificiis, id est, de artificum, fabrorum, efficientorum, ergolaborum, id est, qui redimunt opus faciendum, habito contractu locationis conductionis redemptorum operum, et balneatorum etiam inter se pactionibus prohibitis, quas ineunt in populi fraudem suique compendium, puta, ut eo quis opus, quod inchoaverit, alter absolvat, ut locator omnino compellatur uti opera ejus cum quo egit primum de opere faciendo, quæ iniquitas est magna et summa, idcirco improbatur hæc pactio, qua de re est *l. pen. §. ult. infr. de ædif. privat.* His omnibus, qui hujusmodi pactiones inter se composuerunt in fraudem plebis, constitutio hujus tituli imposuit multam pecuniariam, *d. lex pen.* ei qui opus redemit, vel ei qui opus inchoatum dereliquit, vel ei, qui derelictum ab alio absolvere recusat, ut præstet omne damnum operis, vel luat in corpore, si sit inops, justa regulam *l. 1. §. ult. D.*

de pœnis, et *l. Si quis id quod. D. de jurisdict.* Quod et Græcorum proverbium confirmat τα θεῖν ἢ ἀποτίνειν, *aut corpore male affici, aut mulctam persolvere*, et in *d. l. pen. §. ult.* quod hactenus delituit, Græcum verbum sic est restituendum, ἀποτελεσθῆναι, ut damnum præstet operis, qui opus dereliquit: et apud Harmenopulum 3 epitom. refertur edictum præfecti prætorio: quod solet appellari ἐπαρχικόν, id est, forma præfecti prætorio: qua quidem cavetur, ut artifex derelicto opere inchoato, non possit aliud aggredi, antequam id quod ante instituit, absolverit, nisi si doceat per locatorem stare, forte non suppeditantem sumptus, aut materiam. Et observandum est etiam ex *l. pen. inf. de ædificiis priv.* quod et hic titulus confirmat, differentiam esse inter ergolabos et artifices et architectos: nam architectus est vir doctus, qui instituit opus, et arbitratur, qui servat divisiones, mensuras et præcisiones partium, ut ait *lex 3. Cod. Theod. de excusat. artific.* qui servat mensuras, id est, Symmetrias, ut Vitruvius dicit lib. 6. gloriam esse artificum, si opus perfectum habuerit auctoritatem sui artificio. Et ita *lex 1. eodem tit. de excusat. artific.* exigit in architecto peritiam artium liberalium: et Vitruvius etiam lib. 1. ut noverit responsa Jurisconsultorum: propterea quod in faciendo opere sæpe incidunt quæstiones de servitutibus, aqua, et stillicidiis. Redemptor autem operis est is qui suas operas conducit locatori, et recipit se curaturum, ut opus fiat per se, vel per alios fabros, si ipse non sit: potest non artifices esse ergolabus, sive redemptor operis. Artifices sunt, qui exstruunt. Igitur hæc nomina non sunt confundenda. Distinguuntur in *l. 1. §. pen. hoc tit.* Etiam non fero, quod quidam *l. 1. §. ult. D. de pollic.* referunt ad ergolabos et redemptores, cum manifestum sit hunc §. non loqui de locatore et conductore, de ergolabo, sed de eo, qui ductus benevolentia erga patriam suam promisit patriæ se opus publicum facturum, et vero perfecit opus sua pecunia, et assignavit patriæ, quæ assignatio pro traditione est in *l. Quod si neque. D. de peric. et comm. rei vendit.* Ubi agitur de trabibus emptis et assignatis: quæ assignatio fuit pro traditione, id est, signi impressio facta ab emptore, at vero is qui ita perficit opus reip. non teneatur si opus postea forte perierit, non vitio operis, quod et in artificio obtinet ex *l. 7. inf. de oper. public.* Sed locus ille non est de artifice, vel ergolabo, sed de donatore, cujus alia est conditio, et melior, quam ergolabi, vel artificis: quia illi si non perficiant opus, aut perfici non curent, tenentur in solidum, et si solvendo non sint, torquentur in corpus. Ceterum qui reip. tenetur ob certum opus, quod promiserat, si id derelinquat, non semper damnatur in solidum, sed in quintam patrimonii tantum hæres ejus extraneus; hæres autem suus in decimam secundum distinctionem *l. Ex pollicitatione. D. de pollicitat.*

Ad Tit. LX. De nundinis, et mercatibus.

Heic etiam inest mendum, et est certissimum, legendum esse, *de nundinis, et mercatibus.* Quod ostendit hæc constitutio: nam in duobus locis tantum nundinæ sunt panegyres, et celebriores mercatus, qui habentur certis temporibus maximo conventu negotiatorum in his locis, quibus jus est eos habendi, vel longa consuetudine, vel permissu principis, *l. 1. D. de nundinis*, quæ etiam addit jus nundinarum exercendarum amitti decennii tempore non utendo. Quod autem Festus scribit nundinarum diem esse feriatum, nec eo tempore licuisse agere cum populo, ne nundinatores interpellarentur, id cum esset intermissum, imo abrogatum lege Hortensia, Macrob. lib. 1. cap. 16. constitutio hujus tituli id renovat, definiens, ut nundinæ sint feriæ: primum quidem, ut ne qui ibi conveniunt nundinandi gratia, interpellentur privati debiti causa. Et non desunt, qui trahant nundinarum nomen ex hebræo, et sjunt ea lingua significari quietem negotiorum et nos quoque in idiotismo appellamus ferias, id est, quietos dies. Et quod magis addit constitutio hujus tituli, ut ex mercibus, vel venalibus, vel ex quæstu temporali locorum, in quibus negotiatores exercent nundinas, ne quicquam exigatur. Ea ita quod Constantinus dedit tantum veteranis, *l. 1. inf. de veterib. lib. 12.* hæc constitutio dat omnibus negotiatoribus, qua de causa ea Græci vocant nundinas, ἀτελείας, id est, immunitates, *franchises.* Nundinæ enim non sunt munificæ; nec alio tempore exigitur rerum venalium quinquagesima, vel centesima, ut a Dione lib. 54. et a Tacito lib. 1. et Demosthene in oratione contra præscriptionem Lacriti: eorum quicquam non exigitur nundinarum tempore: observandum in constitutione hujus tituli separari merces a venalibus: nam omnes libri habent *venalibus*, non *venalitiis*, et apud Plautum, *mercaturam an venales habui?* Nam venales sunt homines servi, et homo non est in merce; hoc tribuitur dignitati hominis, etiamsi servus sit: ut ne scilicet homo, quisquis sit, habeatur in merce: quod jure naturali omnes simul æquales, qua de causa mangones servorum dicuntur, venalitiarii, non mercatores, *l. Mercis. de verb. sign. l. 1. §. 1. D. de tribut. act.* etiam notandum, quod tribuitur dignitati etiam hominis servi, quam ei natura dedit, *l. Justissime, D. de ædilit. edic. ædiles noluisse, ut homo accederet, rei quæ minoris esset, ne qua fraus*, inquit, *aut edicto, aut juri civili fieret propter dignitatem hominis.* Et subjicit: *alioquin eandem rationem fuisse et in ceteris rebus: ridiculum namque esse tunicæ fundum accedere.* Quod ita explico: venditioni hominis potest accedere homo cujuscumque pretii, ut venditioni ordinarii servi potest accedere peculiaris, licet longe pluris sit, quam ordinarius, et ita venditioni servi recte accedit homo, *d. l. Justissime. §. 1. l. Linque. eodem tit. l. Si in emptione. D. de contr. empt.* At venditioni rei, quæ minoris sit, id est, rei modicæ homo non accedit: non dico hominem magni pretii non accedere rei parvi pretii: nam id dici potest de omnibus rebus: quandoquidem non minus ridiculum est, tunicæ, vel pileo accedere fundum, quam hominem cujuscumque pretii, propter dignitatem servi, cum natura sit ceteris æqualis, quam iam sacræ, quam prophanæ scripturæ vocant imaginem Dei: ne eo modo fraude quæsita, et titulo accessionis, homo, qui in causa redhibitionis, non redhibeatur, id est, ne in vendendo homine titulo accessionis minimæ rei is homo, qui forte est in causa redhibitionis, postea non redhibeatur vitio comperto, aut morbo, quia accessionis non est redhibitio sine re principali, *l. Proinde. §. ult. D. de ædil. edic.* et si accessio evincatur, non res principalis, venditor in duplam non tenetur, *l. Ex empto. §. Si quis rem. D. de action. empt.* Et ita quoque rei modicæ non est redhibitio, etsi vitiosa sit, *l. Si tamen. §. ult. D. de ædil. edic.* dum ait: simpliciarum venditionum non esse redhibitionem, id est, rerum modicarum, quæ si evincantur, non tenetur earum nomine venditor, nisi in simplum, non in duplam: ob rem modicam non fit rescissio venditionis, *l. Rem bona fide. de contrah. empt.* Vide igitur et in ea lege *justissime*, deferri dignitati conditionis, et naturæ etiam hominis servi, quomodo ei defertur legibus, dum non habetur in merce. Venales etiam dicuntur venalitii: sed venalitii nomen ambiguum est: nam significat non tantum venalem, sed etiam venalitium, *l. ult. D. de ædil. edic. ubi ex venalitio.* Græci interpretantur recte παρὰ τοῦ πρατηρίου, id est, ex loco in quo venduntur servi. Et ita Tullius pro Cornelio: *Multi mercatores venalitii.* quod et Svetonius de claris Rhet. *venalitii cum gregem venalium e navi educerent.* Et quia igitur est ambiguum nomen, magis probo in hac constitutione venalibus, quam venalitiis. Et notandum separari mercatus a nundinis: mercatus sunt parvæ nundinæ, et immunes non munifices, mercatus sunt unius civitatis, nundinæ totius provinciæ, et universi imperii.

Ad Tit. LXI. De vectigalibus, et commissis.

Etiam hic titulus pertinet ad negotium emptionis et venditionis, de quo ausi sumus dicere a tit. 38. Nam vectigalia sunt portoria, quæ debentur fisco ex mercibus, aut venalitiis, quæ huic oneri subjiciuntur, et quæ importantur, vel exportantur quacumque transeunt, præterquam si quo loco nundinæ exercentur, et quamdiu exercentur. Et male ea vocat commercia Cedrenus duobus locis, sunt onera mercium, quæ importantur, vel exportantur, Justinianus in edicto de Alexandrinis ἐξαγωγικὸν vocat, quia dantur pro exportatione. Contra quæ dantur pro invectione, dicuntur εἰσαγωγικά. Et inde Strabo lib. ultimo, in urbe Alexandria, alia vectigalia facit, ἐξαγώγιμα, alia εἰσαγώγιμα quæ in urbe octavæ mercium appellantur, *l. 7. et 8. hujus tit. et l. 7. inf. de loc.* Et constat etiam ex *l. 5. hujus tit.* ea exigi per stationarios et urbanos milites, qui scilicet portitoribus adsunt feruntque suppetias. Dio. 54. quos non male vocat superstationarios, ut in secunda parte *l. Miles. D. ex quibus causis maj.* Ex quibus intelligimus stationarium militem, qui domi suæ agit: nam ea lex ponit duo genera militum, qui non videatur abesse reip. causa. id est, militem, qui accepto commeatu domi suæ agit, non abesse reip. causa. Secunda, ait, eum militem scilicet stationarium, non abesse reip. causa, qui operas in publico vectigalium causa dat. Dixi initio, vectigalia esse portoria, quæ debentur fisco, aut reipub. ex mercibus, aut venalitiis, quæ huic oneri subjiciuntur, quia jure civili non ex omni genere mercium vectigal accipitur, non ex oleo oleribus, et quæ enumerantur species in *l. ult. §. Species. D. de publican.* non solæ sunt species, quæ vectigal debent, sed solæ ex iis de quibus dubitabatur, an essent ex onere. Est enim hoc onus non mercatorum, sed mercium: nam qui mercatores non sunt, vectigal pro iis, quæ sunt in merce, quam vehunt, debent. Et eadem est ratio vectigalis mercium, et census prædiorum, quod et vectigal dicitur improprie. Et retro vectigal mercium improprie, census, utcunque vectigal, utcunque census, rerum non personarum est *l. Imperatores. D. de public. et Nov. Theod. Neque Ecclesiam divinam etc.* Et idem, omnino jus fraudati census et vectigalis fraudati, licet res non sit eadem, fraudati vectigalis crimen est, si quis, quæ transfert, non profiteatur ad publicanos, *l. Fraudati. D. de public.* et vocatur a Græcis κλεπτοτελώνημα, id est, furtum vectigalium. Fraudati census crimen est, si quis non subsignet ad ærarium, et profiteatur omnia, quæ habet in bonis, *l. Vix. D. de judic. l. 4. inf. de quæstion.* Dixi in definitione vectigalium, præterquam si quo loco nundinæ habeantur: nam nundinas jam dixi esse immunes et quietas. Quod confirmat *l. 3. §. ult. D. de feriis*, dum ait, omni tempore, etiam nundinarum tempore, quod scilicet feriatum est, jus dici adversus eum, qui nundinarum nomine aliquid exegerit adversus communem utilitatem, et adversus immunitatem nundinis concessam, alioquin circumvectiones mercium munifices sunt, et debet portoria etiam transiti pontis, *l. Cum in plures. §. pen. D. loc.* Seneca lib. 2. de tranquillitate vitæ. *Cogitans*, inquit, *et in pontibus pro transitu dari.* Et § *ult.* idem ostendit, pro sola rheda minimum pendere portorium, sive vectigal pro mercibus conductoris rhedæ, et mularum etiam causa, quod, rhedæ jungerentur mulæ: unde mulæ rhedariæ. Recte igitur dixerim, etiam pro navicella deberi portorium ex quo quæstum facit navigator, vel navicularius, dum alii navim locat: hoc tamen eis fuisse concessum a Nerone Svetonius ait: ne inquam, pro navibus portorium penderetur, constitutum est. Et hæc satis de vectigalibus, modo memineris injustam esse censura, et hunc titulum pertinere ad merces, vel indice titulo, et feriæ, quæ spectat ad commercia, id est, emptiones venditionesque. Nunc definiamus commissum, quia hic titulus est de vectigalibus et commissis. Commissum igitur est mercium casus quæ ad publicanum non sunt professæ, vel pœna omissæ professionis, publicatio scilicet mercium, aut venalium improfessorum: et nomen ex eo habet, quod in legem Censoriam, quæ locatione vectigalium, portitoribus indicitur, committit is qui professionem omittit. Varro 2. de re rustica: *Ad publicanum profitentur*,

ne legem Censoriam committant. Legis Censoriæ pactiones sunt habitæ a Censore cum portitoribus, sive redemptoribus vectigalium, qui quidem fisco addicunt merces improfessas. Et merito, qui merces supprimit, nec profitetur ad publicanum, illicitas merces habere præsumitur, aut fraudandi vectigalis animum habere. Et si non constituerentur pœnæ, facile esset fraudare vectigalia. Qua de causa pœna commissi etiam pœna vectigalis dicitur, *l. ult. §. Licet D. de public.* quæ, quod summe notandum, est, transit in hæredem si merces fisco commissas possideat, vel dolo desierit possidere: etiamsi non sit lis contestata cum defuncto, qui commisit in legem Censoriam, quia statim ipso jure post omissam professionem mercium commissarum dominium fisco acquiritur. Et hoc probatur *l. Fraudati.* et *l. Commissa. D. de public.* Neque obstat *l. ult. §. pen. D. hoc tit.* quæ ait etiam in vectigalibus, ut in ceteris pœnis, pœnam non transire in hæredes, nisi lite contestata, quoniam loquitur ibi de pœna tripli, qua tenetur publicanus, qui exigit illicite, *l. 1. l. Si multi. l. Locatio. §. Quod illicite. D. eod.* non loquitur de pœna commissi, non de pœna fraudati vectigalis. Ad hæc sciendum est crimen fraudati vectigalis, quod trahendum etiam est ad crimen fraudati census, finiri quinquennio, si non sit lis contestata: nam perpetuat crimen, *l. 2. huj. tit.* finiri etiam interitu rei professæ si interierit sine culpa, aut dolo ejus, qui commisit in legem Censoriam: finiri morte servi improfessi atque manumissione, *l. 1. et 2. hujus tit.* manumissio similis est morti, *l. Si mihi alienum. D. de solut.* quia demum is moritur et desinit esse homo, qui fuit ante: nec in illum est manus injectio, nec ullum caput habet, *§. Servus. Inst. de cap. minut.* effectu tamen habetur pro capite diminuto, si sit manumissus, sicut in causa ususfructus constat manumissum haberi pro capite minuto, *l. ult. D. de usuf.* Sciendum etiam hoc est, eum incidere in criminis pœnam fraudati vectigalis, qui non debet vectigal, et quicquid convehit in usum suum, incidit in commissum, si non profiteatur, et vectigal tamen is nullum debet, *l. 5. hujus tit. l. ult. §. Quotiens. l. Dominus. D. de public.* Nec etiam ea, quæ quis victus sui causa portat usuris, vectigal debent, *l. In leg. D. de verbor. signif.* quibus adjiciuntur, quæ advehit ruris exercendi gratia, *l. 5.* Et victus nomine intelligitur cultus corporis, et vestiarium, et habitatio, quoniam sine his non possumus vivere, *l. ult. D. de aliment. leg.* Et tamen Acc. putat in *l. 5.* ea etiam pendere vectigal, quæ convehuntur faciendi ædificii causa. Refert Guido Paps conc. 39. sed vellem adhiberi distinctionem ædificiorum, nempe eorum quæ sunt refectioni eorum necessaria, et eorum, quæ sunt minus necessaria, et sumptuosa. Ceterum *d. l. In lege. D. de verb. signif.* etiam lege Censoria ostendit id nominatim solere caveri, ne quicquam pensitent usuaris: lege Censoria, id est, conventione adjecta locationi vectigaliorum: qualis lex est dicta a Cæsare Augusto, dum censuram gereret, et locaret Cretæ insulam, *l. Cæsar. D. de public.* quoniam in ea est male avehito, pro evehito, ut in fine lex ait: *evecta cotes:* verba legis sunt: *ne quis præter redemptorem post idus Martias cotem ex insula Creta:* Creta evehito, fodito, neve eximito. Et quod dicitur apud Trebellium Pollionem, Valeriano Cæsari: *tibi legum scribendarum auctoritas dabit,* de legibus locationum intelligendum est, ut Vitruvius in Architecto desiderat prudentiam, ut possit caveri locatori, vel conductori. Ad censorem pleræque leges pertinent Pandectarum, ut *l. Censere. D. de verb. signific.* et *l. Subsignatum D. eod.* Nam portorium, prædia, et bona cujusque subsignabantur apud Censorem, ut ait Cic. in orat. pro Flacco. Et conveniunt in *d. l. Subsignatum,* definiuntur etiam bona, et quid sit detestatio: nam absente publicano detestatio vice possessionis est, sicut vice interpellationis haberi detestatio solet, *l. Labeo, D. de nautico fœn.* et *l. Liber. D. de verbor. oblig.* Ac postremo quis sit incertus possessor. Quod si incertus mandat commisso, ut incertus agat, apud Varronem 4. de lingua latina: verum veniamus ad rem: onus vel ruris excludendi gratia quod verbis profiteri debes apud Publicanum, nisi committas. Ceterum vectigal non debes, ut naviculari, si non rem sibi geri probaverint, portorium non pensitant, et si quod debent non profiteantur, committunt legem Censoriam, *l. 6. hoc tit. l. 13. et 14. C. Th. de vectigal. et naviculariis.* Idemque statuendum est in legatis gentium peregrinorum in his, quæ exportant: nam eorum tantum, quæ important, portorium debent constitutione 8 hujus tituli: contra sunt alii, qui vectigal debent, nec tamen incidunt in commissum, ob omissam professionem, ut milites, *l. 3. hujus tit* et minores, *l. ult. § Dominus D. de public. l. Si ex causa, §. pen. D. de minor.* Excusatur ignorantia juris, quæ non excusat alios, ut *l. ult. § Licet.* Rursus sunt alii qui neque portorium pensitant, neque vectigal, neque committunt: ut res fiscales ab omni præstatione, et periculo immunes sint. Itemque res exercitui paratæ, *l. Locatio. §. Res.* et *§. ult. D. de Publicanis.*

Ad Tit. LXII. Vectigalia nova institui non posse.

Hic titulus pars est tituli superioris relata in *D. sub. eodem tit. l. Vectigalia. D. de public. et vectig. et comm.* ut potuerint poni constitutiones hujus tit. sub titulo primo sup. quia omnes eo spectant, ut neque auctoritate præsidis provinciæ, neque procuratoris Cæsaris, neque decreto curiæ nova vectigalia instituantur, sine præcepto principis. Nova sunt, quæ abhorrent a prisca consuetudine, *l. 1. hujus tit. l. Locatio. §. Eorum, l. 4. §. ult. D. de public.* In vectigalibus diligenter observanda est consuetudo, ne quid præter eam fiat, ne quid exigatur pro iis rebus quæ nunquam vectigales fuerant, sufficere vectigalia constituta a majoribus, non esse alia introducenda. Et constat ex *l. 1. D. ad leg. Jul. de amb.* ex Senatusconsulto teneri lege Julia de ambitu, qui novum vectigal instituit, dum scilicet captat favorem populi. quæ ambitio est, augendo publicos reditus. et dum auctor est augendæ rei suæ, excogitatis novis vectigalibus. Aliud est instituere vectigal, aliud exigere, *l. 3. hujus. tit.* et in eum, qui instituit novum vectigal, est pœna pecuniaria lege Julia de ambitu, in publicanum autem, qui novum vectigal exercet, et exigit, pœna est gravior, nempe legis Juliæ de vi publica, cujus pœna est exilium, quasi reum imminutæ libertatis communis, *l. ult. D. ad leg. Jul. de vi publ.* Atque ita ut æquum est, gravius plectitur exactio, sive institutio, gravius effectus, sive executio, quam latio legis novæ et iniquæ, ut ait *d. l. ult. D. ad leg. Jul. de vi pub.* Simpliciter ait ea lex, eum teneri, qui novum vectigal exercet, id est, publicanum, sive portitorem. Sed ego putabam id effectum eodem Senatusconsulto, quod lex *l. 1. D. ad leg. Jul. de ambitu,* effectum ait, qui instituerent novum vectigal, ambitus tenerentur. Denique eodem Senatusconsulto puniretur, et qui instituerent novum vectigal lege Julia, et de ambitu, et qui exercent l. Julia, de vi publica, non ut præ se fert inscriptio *l. ult.* Senatusconsulto Turpilliano: nam Turpillianum fuit tantum de pœna tergiversatorum, id est, qui desistunt ab accusationibus quas instituerunt, et tandem coguntur deserere. Et omnino puto mendosam esse inscriptionem tam dictæ legis ultimæ, quam legis *Qui duobus. D. ad leg. Corn. de falsis,* et *l. ult. D. de ritu nupt.* quæ tres inscribuntur Pauli libro singulari de Senatusconsulto Turpilliano: nec enim ut hujus libri ulla fit mentio in indice Jurisconsultorum posito a Justiniano: sed libri singularis de Senatusconsultis, ex quo est, quod lex *Omnibus. D. ad Treb.* de Senatusc. Aproniano, ut omnibus civitatibus, quæ sunt sub imperio Romano fiduciaria hæreditas restitui possit, et putem eo libro esse *d. leg. ult. D. ad leg. Jul. de vi publ.* et de alio Senatusconsulto, quam Turpilliano, coerceantur lege Publica, qui novum vectigal instituunt vel exercent: ita etiam argumento *d. l. 1. D. ad leg. Jul. de ambitu:* putem ex eodem libro esse quod refertur in *d. l. Qui duobus. D. ad l. Corn. de falsis* nam quod ibi proponitur, ut falsi teneatur, qui duobus in solidum eandem rem vendidit diversis temporibus, dicitur id D. Adrianus constituisse, qui numquam quicquam egit sine adsensu Senatus. Et aliud etiam ibi Senatusconsultum proponitur, quod consequutum fuerat orationem Adriani, ut Senatusconsultum de pet. hæred. Erat aliud Senatusconsultum in *d. l. ult. D. de ritu nupt.* jure gentium incestum committi inter ascendentes et descendentes, qui tenent directam lineam. jure autem civili incestum committi inter eos, qui veniunt ex latere, si quis duxerit cognatam, quam ducere vetatur, vel affinem, quam impeditur. In qua re videndum est, utrum palam deliquerit, an clam: nam qui palam duxit, levius coercetur: qui clam, gravius, quæ est Sententia Senatusconsulti. Et subjicitur ratio differentiæ, quia palam delinquentes et errantes, majore pœna excusantur. Verisimile enim est, in jure errare eos, qui palam illicitas nuptias contrahunt. Scientia juris coercet istam audaciam. Unde præsumitur error in jure, ideo non excusatur omnino: nam ignorantia juris non excusat omnino: sed excusantur majore pœna clam convenientes, delinquentes et contumaces gravius plectuntur. Hoc puto, vel potius præsumo Senatusconsulto fuisse cautum, tum quod eadem de re, puta fratris filiæ sacris nuptialibus Senatus retulit Corn. Tacit. lib. 12. tum etiam, quod hanc distinctionem inter palam et clam tribuit Seneca Senatui lib. 15. Epist. In illis igitur locis tria, aut quatuor opponuntur diversa Senatusconsulta si adjungas l. *Omnibus,* non unum Senatusconsultum Turpil. imo ne ad Senatuscons. Turpil. quicquam: nam ea referre ad Senatuscons. Turpil. stultitia est maxima, quod constent tantum fuisse de pœnis tergiversatorum. Ergo ut ad rem redeam, ex Senatusconsulto *l. Jul. de vi publica* damnatur publicanus, qui novum vectigal exigit, cujus legis pœna est deportatio. Quod confirmat *l. Locatio. §. Quod illicite. D. de public.* dum publicanus quicquam exigit illicite, ut novum vectigal contra morem majorum, ait extra ordinem puniri, videlicet lege Jul. de vi publica, ut ceterarum legum dictarum pœna ordinaria hodie versa est in extraordinariam, *l. Hod e. D. de pœn.*

Ad Tit. LXIII. De commerciis et mercatoribus.

Commercium est jus emendi, vendendique, quod et promercium dicitur, et male, quod dixi tit. superiori, Cedrino commercium esse portorium, et ajo commercium esse onus, quod tam mercatores sustineant, quam alii, qui merces convehunt: hoc tit. opponitur ei onus, quod soli mercatores sustinent, quod commercium appellatur quasi pendatur pro facultate libere exercendi commercium. Portorium penditur pro importandis, et exportandis mercibus. Et commercium hoc titulo dicimus esse emendi, vendendique jus, *ut l. 3. hujus tit.* scilicet aurariam functionem seu præstationem, et lustrale aurum, et argentum, quod singulo lustro penderetur a mercatoribus in fiscum, etiam si mercatores pertinerent ad domum principis. Et excipiuntur tantum *l. penult. hujus tituli* conjuncta *l. 4. sup. de sacros. Eccles.* collegiati, vel corporati, id est certum corpus, certumque numerum negotiatorum, qui in urbe serviunt utilitatibus majoris Ecclesiæ. Hi huic oneri non subjiciuntur. Hoc onus est mercatorum non mercium. Portorium est mercium non mercatorum, *l. Imperatores D. de public. l. 3. inf. de ann. et tribut.* et *sup. tit. sine censu et reliq.* Sed mercatores qui sint videamus: mercatores non sunt nobiliores, qui sunt aut honoribus, aut facultatibus præstantiores ceteris, quos mercaturam facere non est indecorum, sed illicitum, quod plebi eam ita difficilis sit commercium, difficiliusque exactio, *l. 3. hujus tit.* sed mercatores sunt non illaudati homines, neque reip. inutiles: imo per quam utiles, qui tabernam vel negotiationem exercent amplam plerumque per institores, non ementes vel vendentes, per cotulas vel lagenas, quod græci κοτυλίζειν dicunt, sed quasi aversione mercium magnam copiam, *qui vendent en gros.* Et ita in *l. 4. §. Item si quis. D. de penu.*

leg. mercatores separantur ab iis, qui cellam vini, et olei habent, et vendunt minutatim, et mercatores sunt, qui dicuntur *Grossern:* et lex ultima hujus tituli ostendit eos fuisse sub jurisdictione comitis commerciorum. Is vero erat comes cui mandata erat cura commerciorum, ne illicita exercerentur commercia, ne quid in commerciis contra leges admitteretur, et cui etiam soli *lex* 2. *sup. quæ res vendi non possunt*, permittit jus comperendi serici a barbaris, in usum scilicet Principis. Et ita in *d. l. ult.* cavetur ne sine comite commerciorum mercatores ulli negotientur cum barbaris ultra fines legibus constitutos, id est ultra certa loca definita legibus, ut *l.* 4. *hujus tit.* ne ultra ea loca negotientur cum Persis. Et constat hunc comitem esse sub dispositione comitis sacrarum largitionum, *d. l. ult.* unde recte Cassiodorus in formula comitis sacrarum largitionum: Negotiatores, inquit, quos constet humanæ vitæ necessarios huic esse subjectos: nam si sint subjecti comiti commerciorum; ergo et comiti sacrarum largitionum: sed quod definitur *d. l. ult.* ne mercatores cum barbaris, veluti cum Persis negotientur ultra fines legibus constitutos. Ab ea lege sunt excipiendi Legati barbarorum, qui ad Imperatorem proficiscuntur, qui non servant eos fines *ex l.* 4. *hoc tit.* et *l.* 8. *sup. de vectig.* quæ loquuntur de eo tempore, quo Persæ colebant Romanum Imperium, mittendo legatos, et tributa, ut Latinus Pacatus in Panegyr. Theodosii: *Rex Persarum*, inquit, *te colit legatis, gemmis, sericoque præbendo, et triumphalibus belluis in tua esseda suggerendis.* Et ita etiam Paulus Diaconus in Gratiano: *Parti*, inquit, *ultro misere Constantinopoli legatum, quod cum eis est fœdus.* qua de causa in *d. l.* 8. hæ peregrinæ gentes sive Persæ, dicuntur devotæ Majestati sive Imperatori, mitiore verbo, ne palam dicantur tributarii, et omnis publica collatio in legibus nostris dicitur devotio, leviore verbo, *l.* 1. *hujus tit.* nam eo verbo significatur citra nexum mancipiumque propensio liberalis, καθοσίωσις sincera mentis non vis, non coactio. Et ideo passim in constitutionibus milites vocantur devotissimi ab Imperatore. Et quod legitur sæpe in libris, et inscriptionibus antiquis, Senatum esse devotum numini Imperatoris, vel populos, vel singulos esse devotos Imperatori, ut Dio scribit 57. solemne esse quoniam, ut ait, tibi devoti sumus. Id vere est species libertatis; minus est devotum esse, quam tributarium, ut si quis sit vectigalis, ex tristitia minuitur legibus.

Ad Tit. LXIV. De rerum permutatione, et præscriptis verbis.

Absoluto tractatu de emptionis venditionis contractu, dantur contractus, qui emptioni venditioni proximi, et similes sunt, permutatio, locatio, emphyteusis, et permutatio in primis, ex qua originem duxit emptio venditio, ut ait Paulus *l.* 1. *D. de contrah. empt.* Atque adeo permutatio dicitur vicem emptionis obtinere, l. 2. *h. tit.* si modo bona fide contracta sit: neque enim satis est jure vel nomine contractum aliquem esse bonæ fidei, nisi et reipsa bona fide contrahatur: nam qui dolo malo contrahitur, nullus est contractus, maxime si in hoc ipso alter alterum circumscripsit dolo malo ut contraheret, *l. Et eleganter. D. de dolo*, *l.* 3. §. *ult. D. pro socio*, *l.* 4. *sup. de hær. vend.* Et hoc est, quod ait *l.* 2. *hoc tit.* permutationem, utpote, re ipsa bonæ fidei constitutam, id est, permutationem, utpote sicut allegas, reipsa bona fide constitutam sine dolo malo, nec habentem inane, et nudum nomen bonæ fidei contractus, sed reipsa existentem bonæ fidei contractum, hanc vicem emptionis obtinere, dolo malo contractam nullam esse penitus. Et ita in *l.* 2. *D. eod.* dicitur permutationem vicinam esse emptioni, et instar illius obtinere, *Nov. Valent. de confirm. ns qui admin. etc.* Et ita etiam actio præscriptis verbis, de qua fit mentio *hoc tit.* quæ scilicet datur ex permutatione est similis, et finitima empti venditi actioni. Actio præscriptis verbis non tantum datur ex permutatione similis actioni empti venditi, sed etiam ex omnibus aliis negotiis, quæ proxime sunt contractibus civilibus, quæ nomen suum habent, ut locationi, mandato, deposito, commodato; quod constat satis ex titulo *D. de præscript. verb.* Sed in hoc titulo de actione præscriptis verbis agitur tantum, quæ datur ex permutatione, et quæ est similis actioni empti, *l.* 4. et 6. et *ult. hoc tit.* Et *l.* 6 vocat eam incertam, et Græci ἄγραφον, quia datur in id quod interest fidem placiti impleri sive impleri ex una parte quam jam adimplevit altera: ut si ego tantum dedero, agam præscriptis verbis in quantum intersit, et te mihi vicissim dare, quod cum mea re permutari placuit. Incerta igitur dicitur, quod detur in id quod interest, cujus incerta est atque arbitraria æstimatio: pendet enim ex facto proposito, non ex jure ullo certo, modo plus interest, modo, minus *l. ult. D. de præt. stip. l. Quatenus. D. de regul. jur.* et *d. l.* 6. vocat etiam eam civilem quæ datur ex negotio civili proximo atque simili, id est ex permutatione, quæ imitatur emptionem venditionem, et dicitur præscriptis verbis actio, quia datur ex conventione secundum quod præscripta est, et quæ aliud proprium nomen habet. Si negotii non sit proprium nomen nec possit esse actio, quæ ex eo negotio datur, nec aliter ea actio possit demonstrari, quam dicendo agi secundum quod conventione præscriptum est, vel secundum quod præscripsere verba contrahentium, et permutationis nomen constat non esse proprium, sed commune, ut commercii, id quod Acc. recte notavit in hanc rubricam. Idem enim est permutatio, quod συνάλλαγμα sive commercium, generalis nomine et communis: nam et emptio, et societas, et locatio, et dos, est permutatio. Permutationis igitur nomen commune est, non proprium. Denique, ut loquuntur, permutatio est contractus innominatus. Recte autem dicitur similis emptioni, quia habet multa communia cum emptione, et venditione: nec si ei non esset efficax actio, ulla ex permutatione daretur actio: nam ex negotio, quod nomine vacat, non datur actio civilis nisi affinis sit negotio habenti proprium nomen, quod tota *l. Naturalis. D. de præscript. verb.* indicat sed et multam differentiam permutatio habet cum emptione, quam Paulus explicat in *l.* 1. *D. de rer. permut.* et nos in hoc loco explicare debemus diligenter. Permutatio fit rebus, et ideo dicitur rerum permutatio, emptio non fit rebus, ut loquitur lex 1. *hujus tituli*; sed re ex una parte, et pretio ex altera interveniente. Emptio est mutatio rei cum pretio; permutatio est datio rei pro re, idest corporis pro corpore, speciei pro specie, imo et aliquando datur pecunia pro re alia, si permutationis non emptionis contrahendæ animus fuerit, uno dante pecuniam, altero dante rem, *ut l. ult. D. de cond. cau. dat.* quam explico: si tibi dedi pecuniam ut mihi Stichum dares, et faceres meum, permutatio est, ut Græci illo loco dicunt, non emptio: etsi posteaquam dedi pecuniam moriatur Stichus apud te ante traditionem sine culpa tua, mihi repetitio pecuniæ competit, id est, condictio ob rem dati causa non secuta. Quod id etiam in emptione observatur in *l. Si fundus. D. loc.* cui permutatio est similis, ut dixi. Ergo competit mihi condictio pecuniæ, sive repetitio, quam dedi, non etiam actio præscriptis verbis, in quantum mea interest Stichum dari, *l. Naturalis.* §. 1. *D. de præscript. ver.* quæ ita est conciliando cum *d. l. ult.* §. 1. quia etsi mihi pecunia non pereat, quam possum condicere, Stichus tamen periit mihi, ut non possim eum petere, vel ejus vice, quod interest, cum perierit sine culpa tua. Et sic igitur unus est casus, ex his qui proponuntur *in d. l. ult. de condict. cau. da* quibus datur una tantum actio, scilicet condictio dati, non præscriptis verbis, ut in eadem specie: si dedi pecuniam ut mihi Stichum dares, et tradideris Stichum, qui erat alienus, quem tradidisti, non dedisti: quia dominum me non fecisti, nec facere quivisti: dabitur mihi condictio pecuniæ, sed non actio præscriptis verbis, quia rei alienæ permutatio non est, et actio præscriptis verbis datur ex permutatione. Tertius casus hic est; si dedi pecuniam ut mihi Stichum dares, et dederis tuum Stichum, nec tamen promittere mihi velis de evictione, non agam præscriptis verbis, cum mihi tradideris Stichum, et dominum me feceris, quia traditione expleveris fidem contractus: sed dabitur tantum condictio pecuniæ, quia non cavere vis de evictione. Itaque lex illa proponit casus tres, quibus habita permutatione cum Sticho, nulla alia actio est quam condictio pecuniæ, non præscriptis verbis. Evicto tamen Sticho, utramque actionem competere, id est, est mihi electio agendi ex utraque *l.* 1. *hujus tit. l. Si permutationis. inf. de evict.* et recte dum hæ actiones invicem concurrunt, *l.* 4. *h. tit.* Interim vero apparet ex *d. l. ult.* permutationem esse si pecunia detur ut invicem res detur. Non omnis ergo pecunia pro pretio accipitur, alioquin esset emptio, ut cum quis domino servi dat pecuniam, ut servum suum manumittat: alias ea pecunia datur pro pretio servi, et tunc locus est constitutioni D. Marci ad Aufidium Vict. ut servus ille ipso jure fiat liber, *l. Paulus.* §. 1. *D. de liber. caus.* Alias datur ea pecunia, quasi fœnoris loco, et cessat ea constitutio D. Marci, *l. Naturalis.* §. *At cum. D. eod.* et *l.* 7. *de præscript. verb.* Et e contrario etiam emptio potest esse mutatio rei cum re: nec enim omnis res accipitur pro re, quia dari possit et accipi pro pretio, l. *Pretii. sup. de rescind. vend. l.* 1. *hujus tit.* Et ita permutatio rerum erit emptio, sicut mutatio pecuniæ et rei potest esse permutatio, non emptio. Et ut et aliam pergamus differentiam inter emptionem et permutationem: non est permutatio, nisi ex utraque parte fiat dominii translatio, nisi dederis mihi rem tuam, et ego tibi dedero rem meam: et breviter, permutatio nihil aliud est quam *do ut des*, *d. l. Naturalis.* §. 1. et dare est dominium transferre. Et falsum est, quod tentat Accur. in *l.* 1. *h. t.* esse aliquam differentiam inter permutationem, et *do ut des*. Ergo in permutatione utrumque dari oportet, in emptione secus: nam emptor quidem debet dare pretium, dare de suo, ut liberetur, venditori satis est tradere vacuam possessionem, nec debet dare rem, *d. l.* 1. *de rerum permut.* Et convenienter est venditio rei alienæ, permutatio rei alienæ non est. Et ideo qui dedit rem alienam ex causa permutationis, non potest agere præscriptis verbis, quæ competit ex permutatione, ut detur invicem sibi, quia nulla est permutatio re aliena interveniente, sed ex bono et æquo datur ei condictio ejus quod dedit ultro: quæ est sententia *d. leg.* 1. §. *ult. D. de rerum permut.* Neque tamen idem dicemus si quis rem suam dederit, et acceperit alienam. nam evicta re aliena quam accepit, qui dederat rem suam, aget præscriptis verbis in quantum interest, rem, quam accepit, suam esse factam, vel si mavult, condicere poterit rem quam dedit. Et hæc distinctio valde notanda. Restat differentia alia inter emptionem, et permutationem, quia emptio perficitur nudo consensu, permutatio re, id est, rei datione. Aliud est permutatio, aliud placitum permutationis, et ex placito solo tanquam ex nudo pacto, non est actio quoniam res nondum intervenit: ex permutatione est actio, quia si est permutatio, res intervenit ex aliqua parte, *l.* 3. *h. l.* Et ita aliud est divisio bonorum, quæ fit genere permutationis *l. Cum pater.* §. *Hær. D. de leg.* 2. Aliud placitum divisionis. Ex divisione est actio, ex placito nulla actio, est, quod scilicet datione non sumpsit effectum, *l. Divis. D. de pact.* et *l. Divis. sup. de pact.* Divisio est quæ datione sumpsit effectum, permutatio, quæ datione sumpsit effectum ex una parte, vel utraque. *Dabo ut des*, placitum est permutationis, *do ut des*, permutatio est, perficitur ergo re: nam ut nudo consensu contractus perficiatur, ut ait eleganter *l.* 1. *D. eod.* hoc tantum receptum est in his contractibus, qui habent proprium nomen, non omnibus: sed certis quibusdam, ut emptione, locatione, societate, mandato: permutatio autem non habet proprium nomen. Igitur in ea non habet locum. Hæc postrema differentia proponitur in *l.* 1. *hujus tit.* Species hæc est: cum tu fundum venalem haberes, eum emi de te: fuit utrique animus contrahendæ emptionis, non permutationis, quia tu venalem fundum

proscripseras, et ego proscriptionem sequebar. Ceterum ergo non dixi pretium certum, quod tamen requiritur in emptione, id est, ut taxetur quantitas pretii, §. *Item pretium. Inst. de empt.* et l. *Hæc venditio.* §. *Hujusmodi emp. D. eod.* Ego igitur non dixi pretium certum, sed vice pretii dedi alium fundum, ut in *l. Pretii. sup. de rescind. vend.* Denique tu mihi dedisti fundum, et ego alium pretii loco: ea emptio est permutatio rei, non pecuniæ: et rei nimirum et corporis: evenit postea ut is quem tu mihi vendidisti, et tradidisti mihi, evinceretur ratione juris, ut ait *l. 1. hujus tit.* non injuria judicis, non culpa mea: nam si injuria judicis, cessaret actio de evictione, injuria quæ fit emptori non debet contingere venditorem: et æquius est, injuriam quæ tibi facta est, apud te remanere et residere, quam ad alium transferri et transfundi, l. *Exceptione. D. de fidejuss.* et *l. Si per imprudentiam. D. de evict.* Alio etiam casu cessat actio de evictione, si culpa mea fundus evictus sit mihi, quem tu mihi vendideras, et tradideras, veluti ob meam contumaciam, quia non adfui judicio, *l. 1. sup. de peric. et comm. rei vend.* l. *Si ideo. D. de evict.* vel ob temporis præscriptionem, quæ jam cœperat a judice, quia non appellavi intra tempora constituta, *l. Herennius.* §. *ult. D. de evict. l. Fere.* §. *ult. D. de præscript. verb.* Dum igitur causæ notantur in hac l. 1. quæ non dant actionem de evictione. Si evicta sit res injuria judicis, vel culpa emptoris, alterutra sufficit, *l. 1.* et 8. *inf. de evict.* ut semper existimant interpretes in *d. l. Exceptione. D. de fidejuss.* dum dicitur, emptor damnatus injuria judicis: pessimi interpretis est, quod additur in extremo l. scilicet, *si culpa ejus iniquæ condemnationi causam præbuerit*, nec necesse utramque causam concurrere, cum altera sufficiat: fundus igitur, quem tu mihi vendidisti: mihi evictus est, ratione juris, non mea culpa, non injuria judicis: ex eo sequitur, te mihi teneri evictionis nomine actione ex empto in id quod interest: nec enim mihi datur condictio fundi, quem dedi pro pretio: nam hoc verum est in contractibus nominatis, non esse locum condictioni, sed actioni tantum in id quod interest, *l. 8. sup. de contrah. empt.* l. 2. *sup. quando liceat ab empt. disced. l. 1. sup. de act. empt.* ergo non erit condictio fundi evicto mihi eo, quem tu mihi dedisti, sed tantum actio ex empto in id quod interest, et non directa; quia fuit pretium non certum, sed ex empto utilis, quia tu rem venalem habuisti, eo proinde fuit nobis animus contrahendæ emptionis. At si tu fundum, quem dedisti, venalem non habuisti, cum rogavi ut mihi dares, et aliam acciperes, hoc casu erit mihi electio, evicto fundo, quem tu vendidisti utrum velim agere præscriptis verbis in id quod interest, an condicere fundum ob rem datum, causa non secuta, l. 4. *hujus tit.* In emptione non datur hæc electio, sed actio tantum in id quod interest.

Ad Tit. LXV. De locato et conducto.

Locationis et conductionis contractus est similis emptioni et venditioni, ut permutatio, *l. 2. D. eod.* eisdemque juris regulis consistit quod demonstro: sine pretio nulla venditio est, nec etiam locatio, sed pretium in locatione est pretium usus, vel fructus, vel operæ usus, in domo, fructus, in fundo operæ, in homine, quod pretium dicitur, merces et pensio. In emptione pretium, est pretium rei seu corporis, et utrumque in utroque contractu certum esse oportet, et nummorum. Emptio perficitur nudo consensu, itemque locatio. Emptio recte contrahitur sub conditione, etiam rei suæ, et locatio recte contrahitur sub conditione, *l. Sicut. D. eod.* Et invenio sicut in emptione, ita in locatione errare intervenire. Quod nomen Jurisconsulti retinuerunt ex Syria et Arabia, et sicut venditori prædii circumscripto supra dimidium justi pretii: succurritur, non etiam emptori, *l. 2. sup. de rescind. vend.* ita manifesto apud Harmenop. libro 3 Epitom. tit. 8. extat forma præfecti prætorio, quæ ex ea causa dat rescissionem contractus locatori, non conductori: et sicut evenit aliquando ut contractus emptionis claudicet, ut emptor obligatur, non venditor: si pupillus vendiderit sine tutoris auctoritate, l. *Julianus.* §. *Si quis a pupillo. D. de act. empt.* eo casu ex una tantum parte contractus est, non ultro citroque, quia venditor non obligatur, sed emptor. Sic evenit ut claudicet locatio: ut in specie quæ proponitur in l. *Sicut.* §. *ult. l. Cum venderem.* et *l. Item si pretio. in pr. D. eod.* Interdum evenit ut locator non obligetur, conductor obligetur; vendidi tibi fundum ea lege, ut si intra certum diem mihi pretium non solveres, fundus esset inemptus, quæ est lex commissoria: et interim tradidi tibi eum fundum ex conductionis causa certa mercede donec pretium solveres: non solvis pretium intra præstitutam diem, committis in legem venditionis: sic fiat ut tantum tenearis mihi ex locato, mercedis nomine pro rata ejus temporis, quo pretium numeratum non est, quod tibi reliqueram ad conquirendam, et conficiendam pecuniam: ego autem tibi omnino non teneor ex conducto, ut frui tibi liceat hoc fundo, quia finita conductio est, et simul emptio illa. Et ita est ponenda species, quam vulgo nesciunt ponere, quoniam non vident in *d. l. Sicut.* §. *ultimo*, ex Pauli 34. ad edict. proposita ea sententia, fieri, ut claudicet obligatio conductionis, et inchoata specie, ac deinde interjecta aliarum contraria sententia Javoleni, quæ pertineat ad eandem speciem, subjici l. *Item si pretio*, ex eod. lib. Pauli, quæ debeat statim coaptari fini *legi Sicut.* quare manifestum fit, legi debere in *d. l. Item si pretio*, id est, *si pretio non soluto inempta res facta sit*: qui error est frequens in libris juris, et a me multis in locis restitutus est: ut ita est manifesta species. Sunt multa alia similia inter hos contractus, quæ exponuntur Inst. tit. eod. *de loc. et cond.* suntque differentiæ multæ, ex quibus explicabo: quædam servitus prædialis vendi potest, *l. Cum manu. D. de contrah. empt. l. 3.* §. *Si iter. l. Tenetur.* §. *Si tibi iter. D. de action. empt.* servitus prædialis locari non potest, *l. Locare servitutem nemo potest. D. loc.* quia ut breve faciam, omnis locatio fit ad tempus, servitus non potest constitui ad tempus, *l. 4. sup. de servit.* est enim prorsus individua, etiam tempore. Item traditio ex causa venditionis, si fiat a domino, dominium mutat, locatio et traditio dominium non mutat, *l. Non solet. D. loc.* quia usus, vel fructus transfertur, tantum in conductorem, non res. Emptio est mutatio rei cum pretio; locatio est mutatio usus, vel operæ, vel fructus cum pretio. Et rursus observanda est differentia inter hæc duo genera locationum: nam qui dat utendum aliquid, pretium accipit: qui dat faciendum aliquid, locata opera artificis, pretium dat. Et uterque tamen locator dicitur, qui dat utendum, et qui dat faciendum: conductor autem est, qui accipit utendum vel faciendum, et hæc est distinctio locatoris et conductoris. Sed aliæ sunt differentiæ inter locationem et emptionem. Actio redhibitoria ex edicto Ædilium habet locum in emptionibus, non in locationibus, *l. Sciendum. D. de ædilit. edict.* Sed mutatur aliquid per leg. penult. hujus tituli, quæ est græca. Nova est constitutio valde æquissima tamen, ut etiamsi conduxero ædes in quinquennium certo pretio, liceat mihi recedere ab eo contractu inter annum, et quasi redhibitoria agere, ut tu recipias tuas ædes, et ego tibi mercedis nomine non debeam nisi pro rata temporis, forte quia eas deprehendi esse insalubres. Cur non mihi liceat agere redhibitoria? Quot sunt quibus quotidie imponitur locatis ædibus male genitalis: quod si conductor scisset non conduxisset. Igitur intra annum est redhibitio, cum tamen in emptione (quæ est alia differentia) sit redhibitio intra sex menses. Item quidam sunt, qui fundos alienos conducere prohibentur, nec tamen emere, ut milites, et decuriones, l. *Curiales, l. Milites. hoc tit. l. Si ignorans. D. eod.* quia et hæ personæ non possunt esse procuratores alienorum negotiorum ex iisdem legibus, et conductio est procurationis species, ut ait Theodos. in Novel. *ne curialis prædia al. conduc. qui est fermier. est quasi un procureur.* Addam nunc tantum differentiam: pro pretio emptionis, quod nondum intulit emptor, nihil est pignori nisi res vendita, *l. Julianus.* §. *Offerri. D. de act. empt.* at pro pretio locationis in prædio urbano tacite pignori obligata sunt invecta et illata in prædium urbanum a conductore, et si locator nesciat, quæ ea sint. In prædio autem rustico pro pretio locationis tacite pignori tenentur ibi nata, fructus ibi nati, atque etiam invecta importata, si modo sciente et volente domino ea invecta inducta sint, *l. 5. & 4. l.* id est, si volente et sciente domino inducta sint quasi pignore, ut *l. 5.* §. 1. *D. in quibus causis pign. vel hyp. tac. contr.* Et ita in *l. 5. hujus titul.* scientiam, ut voluntatem locatoris accipere oportet qui scit, et vult inferri in prædium rusticum quædam quasi pignore, ut obligentur pro pretio locationis, quo genere plane contrahitur pignus expressum: denique ibi nata tacite pignori sunt, invecta non nisi conventum sit expressa, ut esset pro pignore, id est, voluntate domini quasi pignore inducta. Et observandum est hujus, vel illius pignoris executionem non esse nisi post cessationem biennii, nisi conductor cessaverit biennium in solvenda pensione, *l. Cum domum. D. eod.* nam et ob non solutam pensionem non potest conductor expelli ante tempus, quam convenit, nisi biennio integro cessaverit in pensitanda merce, *l. 54. Quæro.* §. *Inter locatorem D. eodem.* Et illud quod dixi, pignoris persecutionem non esse ex hac causa, nisi post cessationem biennii, indicat Martial. lib. 12. *vidi vocaret sarcinas tuas, vidi, quas non retentas pensiones pro bima portabat uxor.* Nam non erat retentio pignorum, nisi post biennium: post cessationem biennii licebat conductori relinquere sarcinas, locatori licebat recludere ædes, *d. l. Quæro.* §. *Inter.* et *l. Cum domum. eod.*

Ad Tit. LXVI. De Jure Emphyteutico

Emphyteusis est contractus, licet cum Zeno voluerit esse proprium contractum, *l. 1. hujus tit.* id est separatum a locatione, tamen similis est emptioni et venditioni, vel locationi et conductioni, §. *Adeo autem, Inst. de loc.* ut non abs re dixerim, post tractatum de venditione dari tres tractatus affines vel similes, nempe permutationem, locationem, et emphyteusim: et hac ratione societatis istius, sive affinitatis potes videtur emphyteusim adscribere jurigentium, et dicere esse contractum jurisgentium, sicut emptio et locatio. Et est verum: quicquid est simile negotio jurisgentium, convenienter et ipsum est jurisgentium quasi derivatum ex eo, exemplumque ejus. Est autem vox græca, qua significatur insitio surculi in arbore, vel stolonis, non plantatio surculi in terra: hoc enim Aristoteli est ἀποφυτεία, vel ἀποφύτευσις: illud ἐμφύτευσις. Et recte Michael Ephesius in libro de juventute et senectute exposuit: et invenio etiam latine insitionis nomine hunc contractum significari, ut in Novel. Valent. *de prædiis publ.* dum ait, ut ea prædia deputantur Afris sub nomine et modo insitionis, id est, ἐμφυτεύσεως, a parte nobilissima agriculturæ, insitione, inoculatione, implastatione significatur universa agricultura, cujus præcipue gratia hoc negotium contrahitur inter dominum et emphyteuticarium. Et est hic contractus quasi medius inter emptionem et locationem. Emptio dominium mutat, si fiat a domino, locatio non mutat. quod ostendi ante, ἐμφύτευσιν nescio plane an dicere debeam mutare, an non: nam ἐμφύτευσις quidem dominium non mutat: remanet enim proprietas fundi emphyteuticarii apud eum, qui dedit in emphyteusim: sed tamen quasi dominium tribuit emphyteusis: nam et fundi emphyteuticarii, vel servitutis debitæ vindicationem habet, *l. 1. D. si ager vectig.* Et mancipia rustica manumittere potest emphyteuticarius, *l. 12. de fundo patrim. inf.* et fundum emphyteuticarium potest pignori obligare, *l. Tutor.* §. *ult. D. de pign. act.* Potest etiam vendere alteri cum sua causa commissa prælato

domino, si eum dominus emere voluerit, cui denuntiare debet emphyteuta se eum fundum velle vendere, an velit sibi addici eodem pretio; et expectandus est dominus post duos menses a denunciatione, qui si post noluerit emere eodem pretio, cogitur recipere emptorem novum emphyteuticarium, si modo ei præstetur quinquagesima pars pretii, *pour les ventes*, *l. ultim. hujus tit.* Et observandum est, fundum emphyteuticarium ad dominum redire posse duplici jure commissi, si non solvatur pensio intra tempora constituta, fundus redit ad dominum fundi, et finitur emphyteusis. Item redit ad eum jure προτιμήσεως, id est prælationis, si vendidit eum fundum emphyteuticarius cuidam extraneo, et ipse se velit præferri in ejus fundi comparatione, quo genere finitur emphyteusis: nam rei meæ non est emphyteusis, sicut emptio et locatio. Et inter hæc duo jura, quorum vi res emphyteuticaria redit ad proprietarium, magna est differentia: nam si jure commissi res redeat ad proprietarium, quam forte emphyteuta pignori dederat, finitur pignus, l. 31. §. *Lex. D. de pignorib.* quæ loquitur de jure commissi ob non solutam pensionem. Et abutuntur ea lege, qui eam trahunt ad jus προτιμήσεως, ut finiatur fundi emphyteusis si res redeat ad proprietarium jure προτιμήσεως. Hoc vero est falsum: nam in jure commissi imputatur creditori, cur non solverit vectigal pro debitore, ne finiretur hypotheca eo jure commissi: quod significat *d. l.* 31. nihil vero in jure prælationis creditori imputatur: ac præterea vi, sive jure prælationis res redit ad proprietarium, dato eodem pretio, quod offerebat extraneus: igitur videmus quantum intersit inter hæc jura. Emphyteusis est contractus, quo dominus in perpetuum, vel in plures annos fundi sui deserti et squalidi usumfructum concedit alteri ea lege, ut inserendo, plantando, et colendo meliorem eum fundum et fructuosiorem faciat, constituto vectigali, annuo canone sive pensione certa, qua etiam ex re fundus emphyteuticarius, dicitur, in jure passim ager vectigalis.

FINIS RECITATIONUM D. JAC. CUJACII IN LIBROS IV. CODICIS JUSTINIANI

JACOBI CUJACII J. C.

AD TRES POSTREMOS LIBROS

CODICIS JUSTINIANI

COMMENTARII

TITULI POSTREMORUM LIBRORUM III.

CODICIS JUSTINIANEI

LIBER X.

LIBER XI.

LIBER XII.

ILLUSTRISSIMÆ ET OPTIMÆ PRINCIPI

MARGARITÆ VALESIÆ

DUCI SABAUDIÆ ET BITURIGUM

JACOBUS CUJACIUS S.

Quod reliquis disciplinis, idem et nostræ accidit olim, OPTIMA ET ILLUSTRISSIMA PRINCEPS, *ut traderetur et tractaretur male ab omnibus. Tum quæ lux ceteris extitit, eadem et huic affulsit nostræ. At non idem vindex. Ceteris Franciscus rex parens tuus, nunquam laudatus satis, nostra parum abfuit ut vindice careret, nisi quod supererat opere paterno, ei explendo te Deus reservasset. Nam certissimum hoc et compertissimum est, principem extitisse adhuc nullum, qui puræ Jurisprudentiæ professores foverit ut tu facis. Qua ex re (dicam quod sentio, et mecum sentiunt sani omnes, fremant licet obstipæ mentes quædam) nulla etiam adhuc schola huic tuæ similis, in qua omnes jus docent caste, pure, cordatæ, sine fuco, sine fallaciis: aut si quis tentet sequius, non sedilia, non solia, non, ut paucis omnia complectar, genius scholæ ferat; transferat potius statim mutetque illum, quisquis sit, in meliorem formam. Genius hic proprie tuus est; quamobrem merito etiam ad te omnia referuntur quæcunque hæc schola parit. Sua tibi Baro, sua Duarenus, sine exemplo Jurisprudentiæ maximi duces. Mea et ipse pessimus sim, si alii quam tibi: non omnia tamen, quia non omnia te digna, sed hoc novum in tres postremos Constitutionum Codicis opus expectatum et expetitum nimis, quod non te indignum forsitan homines judicaturi sint, vel quod perfecerit nondum simile alius quisquam, vel quod totum sit de rebus ad principes pertinentibus. Qua maxime ratione, ut arbitror, veteres Franci, qui principum suorum valde amantes fuerunt, missis novem aliis libris, hos tres duntaxat Francos fecerunt, quos equidem amici beneficio habui in manibus semper dum huic operi operam dabam, sed usui profecto fuere non multum, nec minus tamen ideo eos legebam libenter. Juvabat satis veterum Francorum studium et diligentia et principum cura. Eos quibus sum usus potissimum, illustrissimæ et potentissimæ Reginæ, Catherinæ Mediceæ locupletissima bibliotheca mihi suppeditavit. Tu obsonia: illa, instrumenta dedit, nec viris plane jam hoc debetur opus. Te igitur primum adeo, quia prima abs te fero, altera ratione quod illi repensetur brevi curaturus. Vale, Biturigis* VI. *Id. Jul.* M. D. LXII.

CODICIS JUSTINIANI

LIBER DECIMUS

TIT. I. *De jure Fisci.*

Jus fisci cum dicimus, etiam privilegium fisci comprehendimus, *l. Æliunus. D. de munumis. l. 2. sup. de priv. fis.* et ideo dubitari potest quid hic tit. *de jur. fis.* distat a titulo de privilegio fisci: quod quæri etiam potest de titulo de jure dotium, et titulo de privilegio dotis. Ego animadverti in tit. *de priv. fisc.* de eo tantum privilegio tractari, quo fiscus tacitam hypothecam habet, et præfertur cæteris creditoribus chirographariis, vel hypothecariis. Prefertur vero omnibus etiam privilegiariis: et chirographariis quidem etiamsi antiquiores sint; hypothecariis vero non aliter quam si antiquiores non sint, quo etiam jure fit, si alii creditores priores egerint, et pecuniam acceperint, ut eam fiscus eis omnimodo pecuniam auferre possit. Cætera fisci jura et privilegia in hoc titulo et in proximis titulis explicantur. Fiscum interpretatur esse cophinum sive sportam: et inde auffiscum Festo, eoque distare principem a fisco, quo aut cujusque loculi distant a seipso, recte. Et consequenter Græci interpretes ita; φίσκος κόφινος ἦν ᾧ τὰ τῶν δημοσιωμένων ἐτίθετο χρήματα, μετὰ ταῦτα δὲ ταμεῖον γέγονε Καίσαρος ἐν ᾧ παρεφυλάττετο τὰ βασιλικὰ χρήματα, καὶ ἐγένοντο ταμιακὰ ἅτινα τὸ παλαιὸν ὄντα τοῦ δήμου μετηνέχθησαν ἐν τῇ τοῦ βασιλέως οὐσίᾳ. Quapropter existimo fisci appellatione non tantum sacrum ærarium contineri, id est, sacras largitiones sive thesauros, de quibus tamen proprie fiscus dicitur, *l. 3. supr. de quadr. præscr. l. 6. C. Th. quor. ap. non rec.* Sed et privatum, id est, res sive largitiones privatas Augusti vel Augustæ, *l. 1. inf. de loc. præd. civil. l. 1. inf. de collat. fun. fisc.* ideoque *l. 9. inf. hoc titulo*, quæ loquitur de rerum dumtaxat privatarum susceptoribus, non male sub hoc titulo posita est. Continetur etiam fisci appellatione arca præfectoria, *l. 6. inf. de exact. trib.* Eodem nomine et pleraque alia significantur, veluti princeps, procurator fiscalis, officium fiscale, statio fiscalis. Habet et plura synonyma, ærarium, ταμεῖον, δημόσιον, publicæ rationes, publicum: quanquam initio publicum sive ærarium ad aliquid separatum fuerit, ut dicemus in *l. 2. infra, de petit. bon. sup.*

I. *Impp. Severius et Antoninus aa. Attico et Severo.* Si prius quam fisci rationibus pater vester obligaretur, perfectam prædiorum donationem fecisse fuerit probatus: quod citra fraudem creditorum gestum est, non rescinditur.

Ait, *Si prius quam*, ex contractu scilicet vel ex administratione. *Perfectam donationem*) Perficitur vulgo traditione vel mancipatione, collata in filios, ut in specie proposita, etiam nuda voluntate ex constitutione D. Pii, *l. 4. C. Th. de donat.* At hic insuper fingamus secutam traditionem, et dominium a patre recessisse, quo genere ea etiam donatio, quæ ex nuda voluntate consistit, perfici dicitur exemplo venditionis, *l. Titius. D. de resc. vend. l. Contractus. sup. de fide instrum.* *Fuerit probatus*) Donaverat pater filiis emancipatis: hi si donationem obligatione priorem esse probaverint, non tenebuntur actione Pauliana. *Non rescinditur*) Quia dicit, rescinditur, manifestum est Imperatorem loqui de Pauliana, non de hypothecaria, quæ rescissoria non est. Ad hæc fraudationem creditorum si tollas, ideo recte Paulianam quoque actionem tollas, hypothecariam non item. Non loquitur etiam de actione in factum, qua fraudator vexatur ita quibusdam bonis dissipatis, ut nusquam appareat. Nam hæc etiam rescissoria non est.

II. *Imp. Gordianus a. Sereno.* Instar rei judicatæ obtinere minime potest computatio a tabulariis facta, nisi sententia procuratoris fuerit comprobata.

Tabularii eorum quæ publico inferuntur et debentur rationes conficiunt, *l. 1.* et *l. Missi. inf. de exact. trib. l. 2. inf. de numer. l. 1. inf. de immu nem. conc. l. 1. inf. de censib.* Sidonius. IIII. Habes procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, tabularium in tributis. At quia ob errorem calculi retractari computatio non potest, si res ita judicata fuerit errore in sententia non expresso, ne non tam computatio quam res judicata retractari videatur, *l. 2. sup. de re jud. l. 1. sup. de er. calc.* ideo dubitari potest an computatio a tabulariis civitatum vel provinciarum facta, rei judicatæ instar habeat, idest, an retractari non possit. Imp. ait, non habere, idest retractari posse nisi comprobata fuerit sententia Rationalis. Et generaliter, nisi res judicata, vel transacta sit, etiam post longum tempus error calculi retractari potest, id quod de Reip. rationibus tractans Modestinus tradit in l. *Calculi. D. de admi. rer. ad civ. per.* Hæc tamen verba subjungit: *Sed si gratiose expunctæ dicentur non retractabuntur:* ubi existimo legendum, sed si rationes expunctæ: hoc scilicet sensu, ut dispunctæ rationes ob errorem calculi retractari possint etiam post longum tempus, expunctæ non item, *l. In omnibus. §. Reip. D. de div. temp. præsc.* Non est legendum Gratiose: nam quodcunque fit gratiose in perniciem Reip. nullius momenti est, *l. Præses. C. de transac.* denique nisi sic legas, non est quo verbum, Expunctæ, referri possit.

III. *Idem a. Atticæ.* Si minore pretio, quam res est, aperta fraude emptoris vel gratia quæ obligata sunt fisco venerunt: aditus procurator meus debitam quantitatem inferenti restitui ea prædia jubebit.

Ait, *Fraude*) Collusione. *Vel gratia*) Sive fraude emptoris. *Quæ obligata sunt*) Sunt autem tacito jure obligata. *Fisco*) Omnes vet. lib. a fisco venierunt. A fisco idest a procuratore, aut officio ejus. *Procurator meus*) Non is qui vendidit, sed is qui nunc est procurator meus *l. ult. C. si advers. fisc.* *Procurator meus*) Imo præses, *l. pen. D. de resc. vend.* Non facio differentiam inter proconsulares et præsidales provincias, quæ ab Augusto diu non steterunt. Sed in quibus non fuerit procurator Cæsaris, in eis dico adeundum esse præsidem quoties de fiscali causa agitur. Errat Alciat. in lib. de magistratib. dum in Proconsulares maxime procuratores missos scribit. Imo indifferenter εἰς τὰ ἑαυτοῦ καὶ τὰ τοῦ δήμου, auctore Dione LIII. In eodem sunt et hæc falsa: tria genera provinciarum Augustum fecisse. Non easdem populo et Senatui provincias attribuisse, procuratorem privatæ rationis Ægyptium magistratum esse. *Debitam quantitatem*) Non dicit pretium, sed debitam quantitatem. Infert igitur fisco debitor, debitam quantitatem non pretium emptori. Fiscus venditionem resolvit et emptori pretium restituit. Quid fiet si privatus creditor æque dolo malo aut gratiose pignora minoris vendiderit? Et placet in eo idem observari, ut scilicet offerenti debitori debitam pecuniam is in hoc teneatur, ut rem vel id quod interest præstet, nisi et is solvendo non sit, quo casu oblato pretio res ab emptore revocatur, *l. 1. et 3. C. si vend. pig.* quod in fisco dici non potest qui semper est solvendo.

IV. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Mucatraulo* Certa forma super metœcis data est, qui jussu principis in aliam civitatem translati sunt. Nam prædia eorum, quæ antequam demigrarent, habuerunt, si ab eis distracta non sunt, fisci rationibus vindicari jampridem decretum est: nisi aliud speciali præcepto augusta majestas decreverit. Ut igitur a principibus salubriter statutum est: ita salvis his quæ utiliter placuerunt, parentibus hæredes eos existere non oportere, nulla legis sanctione statutum est.

Mucatraulo) Antea Malo, Nicoli. Est et in eodem nomine erratum in *l. 10. sup. qui ac. non pos. l. 7. sup. de resc. vend. l. 15. sup. de post. et redemp. ab host. l. 8. sup. de pact.*

Metœcis) Μέτοικοι sunt coloni qui ex una civitate in aliam migrant, quod non fit nisi jussu principis, *l. Idem Ulp. §. ult. D. de exc. tut.* Auctor Panegyrici Flaviensium ad Constantinum Imperatorem: Divus pater tuus Flaviam civitatem Heduorum voluit erigere metœcis undique transferendis. Apollonius Tyanous in Epist. ἅπαντες ἄρχειν καὶ

ο ἐμέτοικοι. Alii enim sunt in eadem civitate originarii, alii μέτοικοι, qui et *incolæ*, dicuntur. Posterior ætas advenas quoque eos appellasse videtur, unde vox Gallica orta est, *Aubains*, et in Basilicis Gallicis, *aubage*. Sed non ita Latini, quibus advena is est, qui in aliena civitate moratur ad tempus, *l. Hæres.* § *Proinde. D. de jud. l. Pupillus. D. de verb. sig.* Constituitur autem in hac lege, ut τῶν μετοίκων prædia in fiscum redigantur, quæ ab eis distracta non fuerint, nisi specialiter id eis princeps concesserit, ut ea sibi retinerent, ut tamen non arceantur a successione parentum in ea civitate relictorum ea quo migrarunt. Igitur postea sibi ex successione in eadem civitate bona acquirere possunt. Ex alia causa forsitan non æque, arg. *l. Milites. D. de re milit.* Hoc vero jus Nicephorum Imp. exercuisse adversus Christianos Cedrinus auctor est.

V. *Exemplum sacrarum literarum eorundem aa. ad Flaccum.* Prohibitum est cujuscunque bona, qui fisco locum fecisse existimabitur, capi prius, quam a nobis forma fuerit data. Et ut omni provisionis genere occursum sit Cæsarianis: sancimus, licere universis quorum interest, objicere manus his, qui ad capienda bona alicujus venerint, qui succubuerit legibus: ut etiam si officiales ausi fuerint a tenore datæ legis desistere, ipsis privatis resistentibus, a facienda injuria arceantur. Tunc enim is cujus interest bona alicujus non interpellari, officialibus volentibus ea capere, debet acquiescere: cum literis nostris cognoverit, non ex arbitrio suo Cæsarianos ad capiendas easdem venisse facultates; sed justitiæ vigorem id fieri statuisse.

Cæsariani bona caduca occupare non possunt sine auctoritate principis. Occupantes manu et viribus eorum quorum interest propulsantur impune: quod et aliis casibus fit jure licito, *l. pen. inf. de exec. l. Devotum. inf. de metalr., l. ult. inf. de decur.* Huc pertinet quod Paul. scribit v. Sent. tit. de jur. fisc. Quotiens sine auctoritate judicali officiales alicujus bona occupant vel describant, etc. Cæsariani sunt officiales procuratoris Cæsaris, qui et Catholiciani dicuntur in *l. pen. § ult. sup. de bon. pros.* et ab auctore Paratitl., quem librum habet P. Faber vir divinarum largitionum dote locupletissimus, ad *l. 4. sup. de episc. et cleric.* Ἐὰν οἱ ταξεῶται ἢ οἱ καθολικιανοί, etc. Sicut et procurator ipse Catholicus sæpissime in lib. βασιλικῶν appellatur, et hoc ipso loco: εἰ δὲ καὶ οἱ ὀφφικιάλιοι τοῦ καθολικοῦ ἐπιχειρήσουσι παραβῆναι τὸν νόμον, et in *l. 2. sup.* εἰ μὴ ὁ καθολικὸς αὐτὸν βεβαιώσει, et in *l. 9.* κινδύνῳ τῶν καθολικῶν. Alii quidam sunt speciales, veluti vicesimæ hæreditatum, metallorum, caducorum. Provinciales sunt catholici. Ideoque in constit. quadam Constantini apud Euseb. lib. x. καθολικὸν Africæ procuratorem interpretari oportet, non præf. præt. et similiter lib. iv. de vita Constantini, τῶν τῆς διοικήσεως καθολικῶν Theodor. Hermopolites ad *l. ult. sup. si a non comp. jud.* Ὁ καθολικὸς ἤγουν ὁ πραγματευτὴς καὶ φροντίζων τῶν δημοσιακῶν πραγμάτων. Idem Euseb. viri. τῆς μαγιστρότητος καὶ καθολικότητος nomine procurationem fisci proculdubio intelligit: nam magistri etiam dicebantur, *l. 5. sup. ubi caus. sta. l. Dudum. C. Theod. de dec. l. 2. C. Theod. de jur. fis.* et in *l. 1. sup. de anno. et cap.* magister æris, id est, rationalis sive procurator thesaurorum. *Qui succubuerit*) Vet. lib. *qui succubuerint.* Unde suspicor legendum, *quæ succuberint*, id est, quæ ceciderint in casum.

VI. *Imp. Constantinus a. ad provinciales.* Jussi etiam et quæ locum habent fisci actiones præcipimus concremari ob hoc solum, quod suis temporibus prolatæ non sunt: ut jam calumniæ privatorum eo saltem arceantur exemplo, quo justas fisci lites silere præcipimus. *Dat.* III. *Kal.* *Jul. Constantino a. v. et Licinio Cæs. Coss.*

Pertinet hæc lex ad eas actiones quæ moventur post tempus legitimum, non ad eas quæ moventur ante tempus. Ut igitur privatorum actiones in rem præscriptione longi temporis excluduntur, ita et fiscales. Quod ut accipiendum sit ostendimus in πραγματείᾳ de legitimis temporibus. Et actio redhibitoria, ut in causa privatorum sex mensibus, æstimatoria anno finitur, ita et in causa fisci, cum quid emit fiscus. *Ut jam*) Legendum, *Jam*. Sententia hæc est: Si aboleantur justæ fisci lites præscriptione temporis, quid fiet de injustis et calumniosis privatorum litibus?

VII. *Idem a. ad Volusianum p. v.* Defensionis facultas danda est quibus aliquam inquietudinem fiscus infert, cum facultates eorumdem, adhuc controversia pendente, inquietari describique fas non sit. Ubi ergo controversia extiterit fisco alicujus patrimonium vindicanto, apud cum omnibus facultatibus constitutis cognitio ventiletur: ut cum rei exitus debere eas vindicari probaverit, tum demum ros persequi liceat, et super modo facultatum ac rerum interrogationem haberi quæ per conditionales servos investiganda est: ut si quid subtractum fuerit, exigatur, et extrinsecus integrum tantum aliud multæ nomine, quantum fuerat per fraudem ablatum. Sane in hujuscemodi quæstione si Cæsariani nomen inciderit, ad usurpationem constitutionis istius non debebit accedere, siquidem consuetudo fraudum, quibus prædicti omnia temerare consueverunt, exceptionem eorumdem meruerit. *Dat. prid. Kal. Jan. Sirmio. Costantino a. VII. et Constantio coes. Coss.*

Bona quæ sibi possessor defendit, et ad fiscum minime pertinere contendit, fiscus possidere, vel distrahere vel describere non potest, antequam re disceptata locum esse fisco probatum et pronunciatum fuerit. Pendente igitur lite, apud possessorem bona remanent. Si quid tamen postea re secundum fiscum judicata interversum fuisse latarum apparuerit, id a possessore in duplum repetitur. Excipiuntur Catholiciani, quorum bonis si fiscus moveat controversiam, a fisco statim bona possidentur, vel describuntur: quia consuetudo fraudum male fide possessionis præsumptionem inducit. *Defensionis facultas*) Reclamandi copia, *l. ult. inf. de bo. vac.* *Ventiletur*) Apud rationalem. *Conditionales*) Hi sunt tabularii huic condicioni addicti et mancipati, adeo ut non possint ad aliam adspirare militiam vel dignitatem, *l. Scripturas. sup. qui pot. in pig. hab.* l. 3. 5. 7. 8. *C. Th. de num. vet.* quo forma adscriptitii etiam coloni, et capite censiti, et alii quilibet certæ condicioni addicti condicionales dici possunt. *Si Cæsariani nomen inciderit*) Si Cæsariano fiscus moveat controversiam bonorum. *Fraudum*) Cæsariani fraudibus sunt et rapinis infames, atque ideo pendente lite non temere bona, quibus de agitur, eis permittuntur, *l. 2. C. Th. de bo. vac.* quinimo κατὰ πρόληψιν ea male fide possident. Ex hac Cæsarianorum appellatione certo deducta est vox gallica, *Sergent*, et Germanica, *Scharienthen*, quo et Anna Alexii utitur lib. 13. φυλαττόμενοι ὑπὸ σεργεντίων ἑκατόν.

VIII. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Dracontium vic. Africæ.* Qui in contractibus scelestis, ac fisco perniciosis interversorum maculosis se fraudibus implicuerint, quadrupli redhibitione teneantur. *Dat. XV. Kal. Dec. Adrumeto Valentiniano, et Valente aa. Coss.*

Interversores sunt administratores, qui dolo malo dilapidant rem pecuniamve fiscalem. Eversores in *l. 2. inf. de palat. sac. larg.* l. 4. *C. Th. de suscept.* eadem ratione qua et in schola Rhetorum quidam olim Eversores dicebantur auctore Augustino III. Confessionum c. III. et l. v. c. XII. Decoctores in *l. Quib. inf. de decur. l. Si aliquid inf. de suscep.* Hi in quadruplum tenentur, *l. 1. inf. de iis qui ex pub. rat. l. 1. inf. pr. fis cred. præf.* l. *In fraudem. § pen. D. de ju. fis.* Imo in duplum *l. prox. sup.* l. *Aufertur. § 1. D. eod.* in iis scilicet quæ fisco nondum acquisita sunt. In acquisitis locus est actioni in quadruplum. *Implicuerint*) Cassiodorus IX. Variarum. Qui se quoquo modo scelestis contractibus miscuerunt, *l. 3. C. Th. de cont. emp. l. 9. D. de conf. tut.*

IX. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Patricio c. r. p.* Super creandis susceptoribus periculo procuratorum rei dominicæ dispositionem tuæ sublimitatis firmam esse præcipimus: ita ut omni ambitione cessante, quæ statuta sunt, quæque antiqua consuetudine commendantur in pabulis vel sumptu familiæ ministrando intemerata permaneant: super Irenarcha et Optione omni antiqua consuetudine observanda. *Dat. III. Kal. Jan. cp. Theodosio a. VIIII. et Constantino II. Coss.*

Susceptores rei privatæ creantur ex dispositione Comitis rerum privatarum, et periculo procuratorum rei privatæ, ideoque si solvendo susceptores non sint, omne damnum spectat ad procuratorem rei privatæ, qui in susceptoribus creandis attentior esse debuit. Comes rerum privatarum, sive privati ærarii, per procuratorum curam gubernat privatam substantiam principis. Theodoritus III. cap. XII. Ἐπιτρόπος τῶν ἰδίων τοῦ βασιλέως χρημάτων τε καὶ κτημάτων τὴν ἡγεμονίαν πεπιστευμένος· κόμητα δὲ περὶ βάτων τὸν τοιοῦτον προσαγορεύειν εἰώθασι Ῥωμαῖοι. Græci VI. βασιλικῶν τὸν κόμητα τῆς ἰδικῆς περιουσίας, τουτέστι τὸν φροντίζοντα τῶν πραγμάτων τῶν ἀφωρισμένων εἰς τὰς ἰδίας χρείας τοῦ βασιλέως. Fuit et alius Comes sacri ærarii, sive sacrarum largitionum, sive thesaurorum, *l. 1. inf. de quæstor l. 2. inf. ut dig. or. ser. l. 2. inf. de pal. sac. larg.* l. 3. *sup. ubi senat. vel. clar.* qui et ταμίας et præpositus regalium thesaurorum dicitur ab aliis auctoribus: quam dignitatem Rutilius Numatianus intelligit, dum ait:

> *Num neque opum curam, quamvis sit magna sacrarum,*
> *Nec jus quæsturæ grata fuisse magis.*

Idem qui in *l. Senatus. D. de ju. fis.* Præfectus ærarii in græca metaphrasi Comes Thesaurorum, uterque Comes est illustris. *Rei dominicæ*) rei privatæ. *Ambitione*) Gratia. *In pabulis*) Pabula sunt animalium. Annonæ, familiæ dominicæ sumptus. Et pabula quidem etiam capita vocantur in tit. de annonis et capitu, et alibi sæpe. Marcellinus XXII. *Pabula jumentorum quæ vulgo dicitant capitu.* Cassiodor. VII. *Ad equos capitum definitum.* Hesych. καπετόν, παράβλημα ἀλόγων. Ait igitur lex nostra in capitibus et annonis præstandis familiæ dominicæ et rei

privatæ susceptoribus creandis, dispositionem Comitis rerum privatarum, et priscam consuetudinem servandam esse. Eandem quoque servari in Irenarcha et Optione creando. Creantur Irenarchæ periculo decurionum, et ex dispositione præsidum, *l. 1. inf. de Irenarchis*: et ad *l. Divus D. de cust. reor.* ita definiuntur: εἰρηνάρχαι οἱ τῆς τοῦ δήμου εὐταξίας ἐπιστατοῦντες. Adjici possunt quæ de eis scripsimus Obs. 1. cap. 33. non tamen quod altas nobis docentibus excidit, præpositos pacis eosdem dici in *l. 46. C. Th. de decur. l. 1. C. Th. de pag.* ubi legendum pagis, et apud Eusebium lib IX. cap. 1. et l. 2. *inf. de susc. l. 1. C. Th. de erog. mil. an.* qui in No. de Alexandrinis, παγάρχαι. Optio est erogator annonæ militaris, de quo dicemus in *l. 7. inf. de exact. trib.*

X. *Idem aa. Palladio pp. or.* Forum patrimonia mortuorum, qui vitæ suæ tempore diversis conscientiam suam dicuntur polluisse criminibus, fisci rationibus nequaquam competere, vel ab eo aliensri censemus: nisi post publicam accusationem eos constiterit fuisse convictos. *Dat. VIII. id. Jul. Ravennæ Eustathio, et Agricola Coss.*

Hujus constitutionis partes aliæ sunt in *l. 4. inf. de bon. vac. l. pen. C. Th. de bon. proscr. l. 30. C. Th. de petit. et ultro da.* Hujus hæc sententia. Mortuorum ante condemnationem bona fisco non vindicari: quod utique verum est, etiamsi post accusationem decesserint: pœna enim publicationis bonorum in hæredem non transit, excepto crimine perduellionis. At certe convictorum et condemnatorum ex publicis judiciis bona fisco vindicantur. An et si post appellationem decesserint? quod aperte *l. ult. sup. si reus vel accus. mor. fuer.* explicat. Verum etsi mortuus fuerit reus ante accusationem vel condemnationem, bonorum scelere quæsitorum quæstio morte non solvetur, *l. Si quis cum. l. Cum falsi. D. ad l. Corn. de fal. l. Lucius. D. de jur. fisc.* atque ideo repetundarum, peculatus, de residuis actio morte non finitur *l. ult. D. ad leg. Jul. pec.* nec adulterii crimen ubi dotis quæstio est, *l. ult. sup. ad leg. Jul. de adult.* eademque ratio est suppositi partus, *l. 2. D. de Carb. edic.* *Convictos*) Id est, condemnatos: nec enim ante convicti videntur quam condemnati fuerint, quemadmodum nec ante probatum videtur quam pronuntiatum fuerit: quamobrem hæc verba, Si probatum fuerit, in libris nostris ita sæpe accipiuntur, Si pronuntiatum fuerit. Porro desideratur hoc loco ultima constitutio, cujus sententiam proponam ex LVII. Βασιλικῶν.

XI. ΠΑ͂ΣΑ δημοσία δίκη ἐντὸς ἓξ μηνῶν μετὰ τὴν προκάταρξιν περατουμένων πληρούσθω, εἰ μὴ ἄρα συμβῇ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον, ἢ πρόσωπα, ἢ δικαιώματα τινὰ ἕτερα ἐξ ἐπαρχιῶν ἀχθῆναι κατὰ τὴν βασιλίδα πόλιν, ἢ αὐτοὶ οἱ ἐναγόμενοι τὴν αἰτίαν ὑπερθέσεως παράσχωσιν ὡς ἀπαρέσκοντες.

Fit hujus mentio in libro Eustathii περὶ χρονικῶν διαστημάτων tit. de mensibus sex, his verbis, Πᾶσα φισκαλία δίκη ἤτοι τοῦ δημοσίου ταμείου ἐντὸς ἓξ μηνῶν μετὰ τὴν προκάταρξιν περαιούσθω, εἰ μὴ ὑπερθέσεως ἀναγκαία ἐστιν, ὡς β'. ἰ. τοῦ κώδ. τ'. ά. δ'. ιά. Ergo in *l. Properandum. sup. de judic.* merito excipiuntur causæ fiscales, quoniam eæ intra sex menses a lite contestata finiendæ sunt ex hac constitutione (olim intra annum, *l. 4. C. Th. eod.*) nisi rei necessitas exegerit personarum aut instrumentorum causa, longius proferri litem, vel reus in mora fuerit. Causæ autem pertinentes ad publica munera, quæ in eadem lege excipiuntur, finiendæ sunt intra tres menses, *l. Generali. infra, de decur.* quod Græci ad *l. Properandum.* notant his verbis: αἱ γὰρ τοῦ δημοσίου δίκαι ἐντὸς ἓξ μηνῶν τελειοῦνται· αἱ δὲ περὶ δημοσίων λειτουργιῶν ὑποθέσεις ἐντὸς τριῶν μηνῶν τέμνονται· δημοσία δὲ λειτουργία ἐστιν ὡς τὸ γίνεσθαι τινὰ σιτώνην ἐπὶ τῷ ἀγοράσαι σῖτον τῷ στρατοπέδῳ.

TIT. II. *De conveniendis fisci debitoribus.*

I. *Imp. Gordianus a. Saturnino et aliis.* Non injusta ratione desideratis, repromissa fisco indemnitate eos priore loco conveniri qui reliqua contraxerunt: mox ad vos perveniri, qui ab his quædam mercati estis.

Ex Novella Justiniani primum conveniendus est reus; tum intercessor, deinde possessor hypothecarum. At jure antiquo creditor eligere potuit cum quo mallet experiri, *l. ult. sup. de obl. et act.* Fiscus tamen hanc electionem sibi non adrogabat: reum namque prius exigebat quam fidejussorem aut possessorem hypothecarum, *l. Moschis. D. de jur. fisc.* *Repromissa*) Utrum repromissa a principalibus personis? An a vobis? et hoc Græcis placet magis. Si igitur vobis relictis fiscum voltis agere cum principali, cavere ei debetis de indemnitate. *Eos*) Principales debitores. *Priore.*) Emendatiores Codices, principali, ut et in *l. 3. inf.* *Perveniri*) Per actionem hypothecariam. *Mercati estis*) Si posteaquam illi cum fisco contraxerunt, mercati estis, *l. Si debitor. sup. de privil. fisc.*

II. *Impp. Valerianus et Gallienus aa. et Valer. cæs. Patrophilo.* Fisco quidem contra te manet actio, quamvis argentum quod inferre debebas, rationibus fuerit relatum, si cautionem, quæ tibi super en exposita est, tabularius non subnotaverit. Æquum tamen est, ut prius de bonis ejus qui exactor fuit, si solvendo est, et conveniendi ejus facultas datur, indemnitati fisci satisfiat: tunc si servari hic modus non possit, reposcatur a te.

Quamvis in rationes publicas relatum sit te solvisse, non tamen liberaris nisi apochis tabularius subnotaverit. Ceterum prius exactorem quam te conveniri æquum est. Alias vero amissa apocha illationis fides ex polyptychis, id est, publicis rationib. sumitur, *l. 2. inf. de discus. l. Illatæ. sup. de fid. instr.* in quibus etiam apochæ referendæ vel regerendæ sunt cum subnotatione tabulariorum. *Cautionem*) Vet. cautioni. Est autem exposita cautio ab exactore. *Exactor fuit*) Nunc desiit esse. Exactor dat apocham, Tabularius subnotat et subscribit, *l. 1. inf. de cau. larg. tit.*

III. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. et cc. Januario et aliis.* Quoniam Agerio ac filio ejus ad exigenda reliqua consortes vos atque consocios esse dicitis, eisque certorum dumtaxat nominum exactionem mandatam, nec inter eum et ceteros qui exactores fuerant nominati, confusæ exactionis mutuum periculum constitutum, sed separato muneris obsequio discretam sollicitudinis rationem fuisse adseveratis: a jure non discrepat, ut prius ex bonis exactorum, qui principali loco ad exactionem fuerant destinati, indemnitati fiscali satisfiat: postque eos, si solidum debitum exsolutum non sit, nominatores conveniri. Rationalis igitur noster juris ordinem sequetur, excussisque exactorum facultatibus, nec non etiam nominatorum, si fiscus in universi debiti quantitate securitatem indemnitatis consecutus non fuerit, etiam vos ad restituenda fiscalia debita adstringet.

Plures nominati et creati sunt exactores fiscalium. Multum interest utrum exactio divisim eis mandata sit, an pro indiviso: hoc enim casu etiamsi postea inter se administrationem diviserint prius convenitur collega, quam nominator. Illo casu nominator prius quam collega. Utroque casu is qui exegit prius quam vel collega vel nominator sive creator: quæ omnia fusius demonstrabuntur in *tit. quo quisque ord. con.* *Certorum*) Alii, ceterorum, male, ut et in P. Flor. *l. Si emancipato. de leg. præst.* *Inter eum*) Quidam codices, Inter vos: quod rectum est, ut in fine, Etiam vos. *Confusæ*) pro indiviso.

IV. *Impp. Valentinianus, Valens et Gratianus aaa. ad Archelaum com. or.* Hi qui fisco nostræ mansuetudinis obnoxii sunt omissa frustratione teneantur: ut quod suis nominibus debeot, de suis facultatibus cogantur exsolvere: servatis, cum compleverint, allegationibus propriis, si quas adversus quoscunque ex suis contractibus debitores competere sibi ex jure crediderint: ita ut adversus eos, quos sibi obnoxios adseverant, legibus ex judiciis experiendum esse cognoscant. Dat. *III. no. Jul. Novioduno, Valentiniano nb. p. et Victore Coss.*

Fiscus utiles actiones habet in debitores debitoris, *l. 3. et 4. sup. quan. fisc. vel priv. deb. sui deb. conv. l. 3. §. Multo D. de jur. fisc.* maxime si ex ratione fiscali debitor fisci alia nomina fecerit. Eas vero fiscus omittere potest, imo debet ex *Nov. 128.* nec differtur actio fiscalis quoad ipse debitor fisci suos debitores exegerit. *Frustratione*) ἀναπερθέτως. Frustrari est trahere moram et tergiversari. *Compleverint*) Solverint. Olim mos creditorem adimplere pro solvere creditori, *l. Cum post. §. ult. D. de admin. tut. l. ult. sup. de testam. man.* et *l.* Βασιλικῶν tit. IIII. καὶ πληρώσας σε, id est, tibi soluta pecunia, et hoc loco μεθ᾽ ὃ πληρώσουσι τὸ δημόσιον.

V. *Imppp. Valens, Gratianus, et Valentinianus aaa. Fortunatiano com. r. p.* Inter chartulas confiscati brevis quidam adseveratur inventus, qui nomina continebat debitorum seu contractuum, cum tamen neque testibus credita pecunia probaretur, neque cautionibus ea quæ brevi inserta sunt, ostenderentur, iniquum esse perspeximus, ut sub propriæ adnotationis manu unusquisque faciat debitorem. Occasionis igitur hujusmodi calumniam præsenti volumus jussione cohiberi, ut brevis vanitate rejecta nullus ad redhibitionem de his, quorum nomina conscripta sunt, urgeatur, quod et in aliis similibus causis observandum esse censemus. *Dat. prid. non. Jul. hierap. Gratiano a. IIII. et Merobaude Coss.*

Confiscati) In Cod. Th. *Deportati.* Tribonianus ut opinor, maluit

scribere Confiscati: quoniam latius pertinet confiscati quam deportati nomen. Omnes enim deportati et confiscati sunt, *l. Deportatorum. sup. de pœn.* non omnes tamen confiscati, deportati. *Brevis)* Breves, Brevia, Breviculа, chartulæ sunt sive libelli breves. Zonaras in Carth. concilio: βρέβιον ἡ ἐπιτομὴ λέγεται καὶ σύντομος γραφή. Anne Alexiade VI. καὶ τὰ βρέβια εἰς μέσον τηνικαῦτα προὐτίθετο, βρέβια ταῦτα ἡ συνήθεια οἶδε καλεῖν ἐν οἷς ἀναγράφεται τὰ ἐν ἑκάστῳ ταμείῳ ὄντα κειμήλια; Eandem vocem Julianus retinuit in Epistolis Græcis ad commune Judæorum: τὰ βρέβια τὰ καθ' ὑμῶν φυλαττόμενα, et paulo post: πυρὶ παρέδωκα τὰ βρέβια τὰ καθ' ὑμῶν ἐν τοῖς ἐμοῖς σκρινίοις ἀποκείμενα, et est frequens in libris βασιλικῶν, dum rationes, volumina, vel corpora rationum significantur, quæ quidem per se sola fidem non faciunt, *l. Instrumenta l. Exempla. sup. de probat.* et ideo non potest fiscus ex breviariis confiscati rationibus quamquam convenire quasi confiscati debitorem: et hoc lex lata constituit. Alias vero brevitas chirographi non minuit fidem, *l. Si aliquid. sup. de donation.* *In aliis similibus)* Ut si privatus alii successerit, et brevia hujusmodi invenerit.

TIT. III. *De fide et jure hastæ fiscalis, et de adjectionibus.*

Antea perperam legebatur *De fide instrumentorum et de addictionibus.* Hoc titulo ostenditur quanta sit fides, quantum et quale sit jus hastæ fiscalis, id est auctionis quæ fit a fisco de bonis caducis, vel commissis, vel obligatis, cujus signum est hasta in foro posita, atque ideo quæ ita veneunt, sub hasta venire dicuntur, ut sub corona captivi, quod eorum venalium signum esset corona capiti imposita. Festus: *Hastæ subjiciebantur ea quæ publice venundabant, quia signum præcipuum est hasta.* Tertullian. in Apol. *Sub eadem voce præconis, sub eadem annotatione quæstoris divinitas addicta conducitur.* Adjectiones autem sunt licitationes sive promissiones offerentium majus pretium, ut in *l. 1. inf. de vend. reb. civ. l. 2. inf. de loc. præd. civ. l. pen. inf. de om. agro des.* Addictiones sunt penes eos qui pluris licitati sunt rerum subjectarum voci præconis collationes, has προσκυρώσεις, illas ὑπερθεματισμοὺς vocant.

I. *Imp. Antoninus a. Curtiæ.* Quod in libellum contulisti, procuratori meo, ad cujus officium desiderium tuum pertinet, allega: cui si probaveris, non auctore procuratore, vel eo, cui vendendi fuit facultas, neque habitis hastis, neque omni ordine peracto, venditas res esse, et id quod ex causa judicati debes, exsolveris: rescissa venditione mala fide facta, easdem res recipies cum fructibus quos ad emptorem mala fide pervenisse, vel pervenire debere constiterit. *pp. Non. Jan. Antonino A. IIII. et Balbino Coss.*

Fiscus pignora cepit ex causa judicati, et distraxit hastarum solemnitatibus prætermissis. Lex ait, venditionem rescindi, et debitori offerenti debitam quantitatem pignora restitui cum fructibus mala fide perceptis aut percipiendis, quod et in *l. 3. sup. tit. 1.* traditum est de eo qui minore pretio a fisco emerat per fraudem vel gratiam. Adde venisse non videri quod sine hasta venit M. Tul. 12. Philip. *Fundum quis venisse dicit? quis hastam illius venditionis vidit? quis vocem præconis audivit?* *Non auctore procuratore)* Illius anni, vel illius rei. *Habitis hastis)* Ut *l. 1. C. Th. de dom. ad rem pr. pert.* Decursis hastis in *l. ult. inf. hoc tit. l. 1. C. Th. de fis. deb.* et similiter decursis solemnibus, *l. 2. sup. de his qui in Ecc. man.* *Vel pervenire)* Malæ fidei possessor de percipiendis fructibus semper tenetur: neque obstat *l. Si fundum. C. de rei vind.* Lex ait, malæ fidei emptorem de fructibus perceptis teneri: ergo de percipiendis non tenetur: vitiosa est collectio.

II. *Imp. Gordianus a. Heracleoni.* Duplex ratio desiderium tuum juvat: et quod prætermissa hastarum solemnitate possessiones tuas ex officio distractas suggeris, et quod pretii vilitate ob exiguum debitum gratiosam emptionem in fraudem tuam utilitatemque rationum mearum adversorium commentum fuisse dicis. Quapropter illicita ista redargue, tam indemnitati fisci consulturus quam tuæ securitati opem laturus. *Dat. V. Kal.* * *Gordiano a. et Aviola Coss.*

Desiderium) Desideria sunt preces quæ libello continentur. *Ex officio)* Ab exactore vel officiali. *Gratiosam) l. Si quis. sup. de resc. vend.* *Utilitatemque)* Legendum, inutilitatemque: ut sit una dictio, inutilitas, *l. ult. in fi. sup. de ser. et aqua,* et ita legendum opinor in *l. 1. §. Hæc autem. D. de pœn.* *Indemnitati)* Oblato integro debito. *Securitati)* Receptis possessionibus.

III. *Idem a. Crispo.* Etsi instrumenta emptionis non extent, quibuscunque tamen probationibus uxor tua ostenderit ad se eam domum pertinere, quam a fisco ejus nomine dicis comparatam, pretiumque ab eo exsolutum, et in eam dominium translatum, frustra fiscum ex persona matris ejus referre quæstionem procurator meus non sinet. *pp. V. Kal. Nov. Gordiano a. V. et aviola Coss.*

Emptio fiscalis non exigit instrumenta, ἄγραφα. Itaque si uxor tua testibus vel aliis probationibus legitimis docere possit se a fisco auctionante emisse, temere non rescindetur emptio, licet instrumenta emptionis nulla supersint. Docere autem id debet procuratorem Cæsaris. *Matris)* Cui fiscus successit publicationis jure.

IV. *Impp. Diocletianus, et Maximianus aa. et cc. Marcellinæ.* Si tempora quæ in fiscalibus auctionibus vel hastis statuta sunt, patiuntur cum etiam augmentum te facturam esse profitearis: adi rationalem nostrum, ut justam uberioris pretii oblationem admittat. *pp. III. Id. Jan. Sirmii ipsis IIII. aa. Coss.*

Post addictionem factam a fisco adjicere licet intra certa tempora, *l. 1. inf. de vend. reb. civ. l. ult. D. jur. fisc.* quod in Rep. non obtinet, ut ostendi Obs. 2. Melior est conditio fisci quam reip. *l. 1. §. Illud. D. de ædil. edic.* *Auctionibus vel)* Hæc non sunt in veter. libris.

V. *Impp. Valentinianus, Valens, et Gratianus aaa. ad Viventium pp. Galliarum.* Quæcumque pro reliquis prodigorum in annonario titulo ceterisque fiscalibus debitis in quibuscunque corporibus sub auctione licitanda sunt, fisco auctore vendantur: ut perpetuo penes eos sint jure dominii, quibus res hujuscemodi sub hastæ solemnis arbitrio fiscus addixerit, et si quidem unquam, ut a fisco facta venditio possit infringi, auctoritate rescripti fuerit impetratum, nullus obtemperet: cum etiam minoribus, si quando aliquid ex rebus eorum pro fiscalibus debitis addicatur emptoribus, repetitionis facultas in omnem intercipiatur ætatem. *Dat. III. Id. Mar. Ravennæ, Valentiniano nb. p. et Victore Coss.*

Prodigorum) Prodiga sunt annonæ, τρώξιμα, quibus opponuntur corpora. *Fisco auctore)* Procuratore fisci, *l. 1. sup.* *Ut perpetuo)* Hæc est vis et fides hastæ fiscalis, *l. Si hypothecas. sup. de remis. pig.* nam si rite facta sit, nec rescripto principis, nec beneficio ætatis, nec alia ulla ratione convelli potest, nisi minor fuerit indefensus, *l. ult. sup. si prop. pub. pens.* *Cum etiam minoribus)* In hoc proposito fiscus quasi creditor vendidit. At si rem alienam quasi suam fiscus vendidit, a minore etiam post quinquennium revocari venditio potest. A majore non nisi intra quinquennium ex edicto Marci et Commodi, *l. ult. sup. si adv. fis. l. Neque. sup. de test. mil.* Ex constitutione autem Zenonis non revocatur venditio, sed domino intra quadriennium jus est experiundi cum fisco. Dat. III Id. Sic vet. libri. Aliter Cod. Th.

VI. *Iidem. aaa ad Felicem Com. Sac. Larg.* Si qui proscribente ac distrahente fisco, debitorum fiscalium emerint facultates pro earum rerum tantum pretio obnoxii sint, quas eos patuerit decursis hastis et proscriptione habita comparasse. Nam ita eos munimus, ut nullius conventionis reliquorum fiscalium nomine patiamur extrinsecus subire jacturam. *Dat. IIII. Id. Novemb. Marcianopoli Valentiniano nb. p. et Victore Coss.*

Proscribente) Proscriptio fit de futura auctione propositis libellis in celeberrimis locis, ut Cicero ait pro Quintio. Theophilus, ἐν τοῖς περιφανέσι τῆς πόλεως μέρεσι, et Imp. in *l. ult. de delat. et l. pen. sup. de defens. civit.* quod in alienationibus Ecclesiarum fit per dies xx. scripto proposito, No. 120. Multa ergo exiguntur in auctione fiscali, Proscriptio, Auctoritas procuratoris, Hasta, Præco, Quæstor, Addictio quæ fiat justo pretio

Nam ita eos munimus) Fisco auctionante is qui emit, ad pretium quanti licitatus est, tenetur, non ad reliqua fisco debita, *l. 2. in fi. inf. de fun. rei pr. l. ult. in prin. inf. de censib.* Obstat *l. Impp. D. de publican.* verum non de venditione fiscali ea lex loquitur, sed de venditione a privato facta, quo casu reliqua omnimodo emptorem sequuntur, ut est in titulo *sine cen. vel rel. fun. comp. non pos.* Plus obstat *l. Prædia. D. de ju. fisc.* Lex ait: *Placuit:* at vero id aliquandiu obtinuit. Sed cum id plerique refugientes nollent a fisco emere, facilius inveniendi emptoris causa ab Imperatoribus Valentiniano et Valente remissum est, *l. 1. C. Th. de fis. deb. Dat. IIII. Id. Sic vet. lib. Aliter. C. Th.* Deest autem ultima Constitutio Zenonis quam subjiciam.

VII. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ Ζήνων τῷ Δομνίνῳ. * Ἐὰν δημευθέντος τινὸς ἡ οὐσία πιπράσκηται, ἔξεστι καὶ τῷ κόμητι τῶν ἰδικτήτων τοῦ βασιλέως καὶ τῇ σχολῇ τῶν παλατίνων, καὶ τῷ τοῦ δημοσίου συνηγόρῳ ἀγοράζειν τινὰ πράγματα ἐκ ταύτης τῆς οὐσίας, μηδενὸς διαβάλλοντος τὸ συνάλλαγμα. *pp. III. Kalend. August. post. cons.*

Ergo ex hac constitutione sicut tutor ex pupilli auctione emere potest, *l. 2. §. Tutor. D. pro empt.* ita et Comes patrimonii sive rerum privatarum, et Palatini, et patronus fisci ex auctione fiscali, non aliter, *l. ult. sup. de resc. vendit.* Quæ publicantur res privatæ quæruntur,

l. 3. C. Th. unde vi, et ideo ad curam pertinent Comitis rerum privatarum et procuratorem provincialium, qui sunt sub ejus dispositione. Palatinos etiam vere Julian interpres ait Novel. 30. pertinere ad Comitem patrimonii, vel rerum privatarum, vel thesaurorum: de quibus suo titulo inferius.

TIT. IV. *De venditione rerum fiscalium cum privatis communium.*

I. *Imp. Alexander a. Epicteto.* Forma est quoties ad fiscum vel minima portio rei pertinet, ut universa a procuratoribus meis distrahantur, sed pretium partis tantum in fiscum redigatur, reliquum dominis partium restituatur. Emptorem igitur prædiorum, de quibus libellum dedisti, apud suum judicem conveni, usurum defensionibus, si quæ sibi competunt. *pp. VII. Kal. Octob. Fusco, et Dextro Coss.*

Potest fiscus solidum vendere invito socio, sed pars pretii socio reservanda est, *l. 2. sup. de com. rer. al. e.* Sic enim facilius inveniet emptorem. *Forma)* Lex, ut in *l. Divi. D. de adm. tut.* *Vel minima)* Nam si major portio, idem licet privato: Plautus Pœnulo: Impurissime tibi quidem hercle vendere hasce ædes licet · majorem partem minore habitas mea. *Emptorem)* Qui emit solidum a fisco, a socio utili actione convenietur, ut ei pretii partem exsolvat. Res autem ab emptore nullo modo revocari potest. Est utilis actio ex vendito, quasi et ipse videatur vendidisse partem suam fisco solidum distrahente.

TIT. V. *Ne Fiscus rem quam vendidit evincat.*

I. *Pars epistolæ Alexandri a. ad Rationalem.* Gravissimum verecundia mea duxit, ut cujus rei pretium, cum bona fide esset addicta, semel fiscus acceperit, ejus controversiam referat. Non solum ergo emptorem ab eadem statione, sed ne ab alia quidem quæstionem pati debere æquum est: cum etiam in his venditionibus, emptore non inquietato, officia inter se possint experiri. *Dat. XV. Kal. Maii, Modesto et Probo Coss.*

Ne fiscus quod bona fide addixerit retrahat, et ut ei una statio addixerit, ne alia retrahat. Stationes sunt mansiones in quibus officia fiscalia consistunt, *l. 1. s. p. de compens. l. 2. sup. de solut.* ubi pro rationibus, legendum, stationibus, ut et Accursius legit, qui tamen male fingit fiscum in ea specie debitori suo eidemque creditori successisse, cum sit ponendum, duobus fiscum successisse, debitori et creditori, ex diversis tamen stationibus. Et in Nov. 91. duo fiscalia debita sic accipiuntur, duarum fisci stationum debita. Ad *d. l. 1.* Græci ita rectissime, O' δημόσιος ἐν διαφόροις ἐπαρχίαις ἔχει τοὺς προνοοῦντας τῶν αὐτοῦ πραγμάτων, καὶ λέγεται ἑκάστη φροντὶς στατίων. *Bona fide)* Non per fraudem aut gratiam, *l. 3. sup. de jure fisci.* *Statione)* Quæ vendidit. *Cum etiam)* Venditionibus factis non ex usu fisci, officiales ipsi sive stationarii puta novi cum præteritis, aut unius stationis cum alterius stationis hominibus, qui perperam vendiderint emptore non inquietato invicem experiri possunt.

II. *Imp. Martianus a Palladio pp. or.* Retractare fiscum quod semel vendidit æquitatis honestatisque ratio non patitur. *Dat. V. Kal. Jan. cp. Martiano a. et adelphio. Coss.*

Alibi dicunt retrahere, *l. 1. inf. de fun. rei pri. l. 5. inf. de locat. præd. civ.* Huic autem constitutioni locus non est, si bonorum actores vaniericet, *l. Bonorum. ff. de jur. fisc.* nam cum ii evertant omnia quæ ad bonorum rationem spectant, evertitur plane et perturbatur ratio omnis eorum distractione. Eleganter in *l. ult. D. de off. præs.* actoris amissionem ad totius domus eversionem pertinere. Zonaras in Clem. c. 82. εἰς οἴκου ἀνατροπήν. Addatur. *l. Interdum. D. de publicanis.*

TIT. VI. *De iis qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperint.*

I. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad probum pp.* Si quis ab exactoribus, tabulariis, arcariis, officiisque rationum fœnebrem pecuniam sumpserit, detectus in eodem, ad quadrupli pœnam ex hac auctoritate teneatur. *Dat. IIII. Id. Mart. Trever. Valentin. et Valente aa. Coss.*

Ut in quadruplum teneatur qui ex publicis rationibus fœnebrem pecuniam sumpserit: quod pertinet ad *l. 8. sup. de jur. fisc.* De arcariis dicemus in tit. de susceptoribus.

II. *Impp. Gratianus, Valentinianus, et Theodosius aaa. Palladio com. sac. larg.* Sciant omnes accipiendi mutuo ex sacris largitionibus auri non patere cuiquam facultatem. Quod si quis aurum ex nostro ærario, privatis commodis profuturum, occulte aut cautionis aut sponsionis fide ut debitor redditurus, sine nostra auctoritate acceperit, ablatis bonis omnibus perpetuæ deportationis subdetur exilio. Is etiam, qui ex memoratis thesauris sub specie publici creditoris aurum cuiquam commodaverit ac dederit, capitali sententiæ subjugetur. *Dat. XII. Kal. Aug. Heracleæ Eucherio, et Syagrio Coss.*

Lex superior pertinet ad præfectoriam arcam, atque ideo ad præf. prætorio scripta est. Hæc ad comitem thesaurorum scripta est, et ad thesauros duntaxat pertinet: καὶ οὕτως συμβιβάζονται τὰ ἐναντιοφανῆ. Corrigitur quidem in *Cod. Th. l. 1. a l. 2.* sed hoc Tribonianus ut e suo Codice removeret ex l. 1. verba idem statuentia in thesauris merito sustulit. *Privatis)* Quod tamen publicis destinatum est. *Cautionis)* Tacito vel palam chirographo aut fidejussore dato.

TIT. VII. *Pœnis Fiscalibus creditores præferri.*

I. *Imp. Alex. a Marcello.* Rem suam persequentibus pœnæ exactio postponitur. Sicut itaque in sortis quantitate fisci persecutio potior est, ita in triplo, quod pœnæ nomine adjectum est, propria forma servanda est. *pp. Kal. Jul. Juliano et Crispino Coss.*

Fiscus in actionibus personalibus rei persecutoriis πρωτοπραξίαν habet. In pœnalib. non item. Pœnæ enim fiscalis persecutio creditoribus postponitur, *l. In summa. l. Quod placuit. l. Statius. §. ult. D. de jur. fisc.* *In triplo)* Exemplum sumatur ex *l. 1. sup. tit. prox.* in ea enim specie quadruplo simplum inesse crediderim. *Servanda)* Vel. ferenda.

TIT. VIII. *De Fiscalibus usuris.*

I. *Imp. Antoninus a. Antiocho.* Ejus summæ quam tibi pœnæ nomine inflictam probaturus es, usuræ exigentur: nec enim multam tibi procurator meus irrogavit ultra quam placitum est, sed pœnam te jussit inferre. *pp. XV. Kal. Dec. Sabino et Anullino Coss.*

Pœnarum usuræ non debentur, *l. ult. D. de mag. con.* usura enim pœna veluti quædam est. Iniquum autem est pœnæ pœnam adjici: quo fit ut et usuræ usura non sit. At multæ deberi possunt usuræ, videlicet si intra tempora judicati non solvatur. *Nec enim)* Corrigit Imp. errorem proponenti in libello multam pro pœna. *Ultra quam)* Contra quam placitum est: nec enim procuratori Cæsaris multæ dictio est, *l. 2. sup. de mo. mult.* cum tamen pœnam infligat legibus definitam.

II. *Imp. Alexander a Victorino.* Si sub pignore creditum fuit, etiam fiscum qui successit in locum debitoris usuras præstare oportet, si eas dependi saltem pacto placuit. *pp. III. non. Sept. Juliano et Crispino Coss.*

Fiscus ex contractibus usuras accipit, non dat, sicut edictum ædilium exercet non patitur. Sed cum fiscus in privati debitoris locum succedit, etiam usuras dat, modo si privatus ille debitor usuras debuit. Privati autem ex stipulatione usuras debent, non ex pacto, quanquam si in eas usuras, quæ pacto conditæ sunt, acceptum sit pignus, retentione pignoris servari possint, idest, per exceptionem doli, *l. Per retentionem. l. Pignoribus. sup. de usur.* Igitur si sub pignore fœnori pecunia occupata sit, et fiscus debitori successerit, usuræ a fisco servabuntur per pignoris retentionem, etiamsi pacto nudo promissæ sint, et hæc est sententia hujus constitutionis.

III. *Imp. Justinianus Mennæ pp.* Fiscum etiam nostrum parere sanctioni nostri numinis jubemus, per quam usque ad dimidiam centesimæ usuras stipulari creditoribus, exceptis certis personis, permisimus. ut ipse etiam fiscus ultra dimidiam centesimæ partem a debitoribus suis minime exigat, sive principaliter ei promiserunt, sive a prioribus suis creditoribus actiones ad eum quocunque modo devolutæ sunt. *Dat. VIII. Id. apr. c. p. Dec. V. c. Cos.*

Usuræ majores semissibus privatis non debentur ex constitutione Justiniani, quæ edita est ipso II. Cos. Sed neque fisco ex hac constitutione. Semisses Justiniano et civiles et moderatæ visæ sunt. Ex hac constitutione semisses forsitan Tribonianus subscripsit in *l. 4. sup. de iis quib. ut indign.* et *l. Cum quidam. §. Si debitores. D. de usur.* *Exceptis)* Si agricolis, trientes: olim senatoribus semisses ex constitutione Alexandri, ut Lampridius scribit, et *l. 4. C. Th. de usur.* Illustribus non nisi trientes, ergasteriis besses; vel si Ecclesiis crediderint, quadrantes. *Devolutæ sunt)* Et hoc casu fisco ex quo debi-

torem convenerit semisses debentur, etiamsi ei cui successit, leviores debitæ fuerint, quod et Accursius notat recte.

TIT. IX. *De Sententiis adversus fiscum latis retractandis.*

I. *Imp. Antoninus a Aristæo.* Causas in quibus contra fiscum judicatum est, intra triennium retractari posse, et post id tempus, si prævaricatio arguatur, vel manifesta fraus probetur, notum est. *Dat. non. Jul. duobus aspris Coss.*

Res judicatæ facile non retractantur, nec ulla est satis probabilis retractationis species: in re tamen fiscali ex causa retractantur intra triennium, et post triennium si prævaricatio vel manifesta fraus arguatur, *l. 1. D. de jur. fis.* Item prævaricator si reperta sint nova instrumenta, *l. Impp. D. de re jud.*

TIT. X. *De Bonis vacantibus, et de incorporatione.*

I. *Impp. Dioclet. et Maximian. aa. et cc. Siriuni rationali.* Scire debet gravitas tua intestatorum res, qui sine legitimo hærede decesserint, fisci nostri rationibus vindicandas, nec civitates audiendas, quæ sibi earum vindicandorum jus veluti ex permissu vindicare nituntur, et deinceps quæcunque intestatorum bona civitatibus obtentu privilegiorum suorum occupata esse compereris, ad officium nostrum eadem revocare non dubites. *Dat. prid. id. Apr. Annibaliano, et Asclepiodoto Coss.*

Intestatorum res) Hæc sunt bona vacantia, nempe ἀκληρονόμητα, quæ ad fiscum pertinent, *l. pen. inf. de prop. sac. cub.* ex lege Julia, *l. Quidam. §. Quotiens. D. de leg. 1.* *Veluti ex permissu)* Ex privilegio, ut Nicenses qui ab Augusto se hoc privilegio donatos Trajani temporibus contendebant, auctore Plinio lib. X. Epistol. Hæc vero lex ejus generis privilegia omnia infirmat. *Ad officium)* Quidam Cod. ad fiscum, quod valde probo.

II. *Imp. Constantinus a. ad Æmilium rationalem rei privatæ.* Si quando adnotationes nostræ contineant, possessionem sive domum, quam donaverimus, integro statu donatam; hoc verbo ea vis continebitur, quam ante conscribebamus, cum adjacentibus, et mancipiis, et pecoribus, et fructibus, et omni jure suo, ut ea quæ ad instructum possessionis vel domus pertinent, tradendo sint. *Dat. vi. id. mart. Mediolani, constantino a. III. et Licinio Coss.*

Domum) Vacantem, alioquin nihil hæc lex facit ad titulum. *Donaverimus)* Ex liberalitate, ut in *l. 1. inf. si lib. imp. sac.* *Integro statu)* ὁλοκλήρως. Hujus verbi eadem vis est, ac si dixisset, sicuti instructa est, puta cum adjacentibus, et mancipiis, et pecoribus et fructibus et omni jure suo. Instructum latius patet quam instrumentum. Adjacentia dicimus veluti hortum aut insulam domui adjacentem.

III. *Impp. Valentinianus, Valens; et Gratianus aaa. ad Florentium com. r. p.* Si quando aut alicujus publicatione aut ratione juris aliquid rei nostræ addendum est rite atque solemniter per comitem rerum privatarum, deinde per rationales in singulis quibuscunque provinciis commorantes, incorporatio impleatur, et diligens stylus sigillatim omnia scribat: tituli vero, quorum adjectione prædia nostris sunt consecranda substantiis, nonnisi pubblicata testificatione proponantur: gravissimis statim subdendis suppliciis, qui hujusmodi aliquid propria usurpatio ne tentaverint. *Dat. IV. Kal. Apr. Valentiniano nb. p. et Victore Coss.*

Ratione juris) Ut puta ex legibus caducis, quæ quales sint exposui in fragmento Ulpiani, et commentario de usucapion. emendata *l. 4. D. de fideicom. liber.* ubi mendose legitur, caducis legionis: quem errorem interpretes Græci retinuerunt, quippe eum forsitan tale nobis mendum conflasset Tribonianus ipse, qui et quodam loco, cujus indicium debeo Petro Pithœo viro doctissimo, et genuissimo, pro Pontifex Maximus pater patriæ, scripsit Princeps maximus proposuit: et alia pleraque deformia. Iidem Græci ea verba perperam applicant ex *l. 6. D. de inj. rup. irrit. testam.* ut si legio intestato militi successerit, libertates competant. Certum enim est existente ab intestato hærede, libertates non competere. Tum etiam verba eam interpretationem non ferunt. *Addendum est)* Addere rei privatæ est ea quæ fisco delata sunt capere et incorporare, id est quasi in corpus fisci redigere, Marcellinus XVI. accorporare dixit, quod fit solemniter ex dispositione comitis privatarum et cura Catholicorum summa cura descriptis omnibus bonis, et titulis publice edfixis, *l. Si quis infra. sup. de bo. pros. l. 2. inf. de aqued.* Theodoricus rex apud Cassiodorum: *Casas ejus appositis titulis fisci nostri juribus vindicabis,* et alio loco: *Fiscus titulis publico debes applicare.* Solius fisci est titulos alienis prædiis imponere, nec licet privato vel suis rebus potentiorum alienisve proprius aut publicos imponere titulos, imprimere signa, σήμαντρα, σφραγῖδας, suspendere regis vela, sive ut Ambrosius loquitur in Epistola 33 lib. 5. cortinas regias: qua de re extant multi loci in Novellis, et in hoc constitutionum Codice. Quinetiam Ecclesiæ titulorum impositio intercidit Synodo a Gregorio Maurici Augusti tempore habita. A fisco igitur solo jure imponuntur, videlicet testato publicis personis præsentibus, et solemni juris ordine servato. Athalaricus apud Cassiodorum: Si quis legum ordine prætermisso nomine publicos titulos præsumpserit affigere, etc. Gregorius quoque ad Constantiam Augustam lib. IV Epist. queritur de Stephano quodam chartulario, quod nomine fisci loca singulorum invaderet et titulos imponeret in dicta causa. Libet etiam hoc loco de iis qui titulos potentiorum suis prædiis adfigunt hæc Augustini verba adscribere e Psalmo XXI. Ne domum, inquit, ipsius invadat aliquis potens, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces: ipse vult esse possessor, et frontem domus suæ de titulo alieno muniri, et cum titulos lectus ferit, conterritus quis potentis nominis abstineat se ab invasione. *Qui hujusmodi)* id est, qui hoc ordine prætermisso alienis prædiis titulos imposuerint, qua de re et in *l. ult. inf. tit. prox.*

IV. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Palladio pp.* Vacantia mortuorum bona tunc ad fiscum jubemus transferri, si nullum ex qualibet sanguinis linea vel juris titulo, legitimum reliquerit intestatus hæredem. *Dat. VIII. Id. Jul. Ravennæ Eustachio et Agricola Coss.*

Jus sanguinis est jus cognationis, non agnationis, *l. Qui in adoptionem. D. de adoption. l. Jura. D. de divers. reg. jur.* Ut tamen cognatio quandoque generaliter accipitur, ita et sanguis. Ex qualibet igitur sanguinis linea, id est, supra vel infra, vel ex latere agnatum aut cognatum. *Vel juris titulo)* Veluti conjugem, consortem, patronum. Hi si deficiant, fiscus hæres est ab intestato, et ob id eo casu ab eo fideicommissum relinqui potest, *l. Filiusfam. §. 1. D. de leg. 1.*

V. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Hermocrati Com. r. p.* Si vacantia vel alio modo bona delata legibus ad ærarium perhibeantur, certi palatini electi et jurejurando obstricti mittantur, ut eorum instantia præses provinciæ præsente fisci patrono, diligenter inquirat, cujus vacans cadensque fuerit patrimonium, quantumque vel quale videatur: ut cum data reclamandi copia nullum id jure possidere vel vindicare, locumque ærario factum esse, tam ipsius relatione, quam publicorum monumentorum fide constiterit, rerum nobis notitia intimetur, ut jussu nostro vacantia vel aliæ res nomine occupentur ærarii. Quæ forma etiam in parte bonorum, vel in una alterave re seu actione una vel etiam pluribus servetur: nam si quid per fraudem in dispendium ærarii fuerit admissum, missi quidem executores non evitabunt indignationem, præses autem facultatum parte dimidia multabitur; fisci vero patronus detrimentum, quod pro vitio ejus fisco ingeritur, resarcire urgebitur. *Dat. VII. Id. Oct. cp. Theodosio XV. et Valentiniano IV. aa. Coss.*

Ut publicata, ita et caduca et vacantia bona et commissa, rei privatæ principis addicuntur, et ideo pertinent ad curam Comitis rerum privatarum, qui per scholam Palatinorum sive executorum suorum, urgere debet præsides provinciarum, ut ea diligenter inquirant et describant, præsente patrono fisci: quo peracto auctoritate Comitis incorporatio fit. Et hoc quidem ita fit in provinciis quæ catholicum non habent, *l. 3. sup.* pertinet ad provincias quæ catholicum habent. *Mittantur)* Ut in *l. 2. inf. de calorg. tit.* *Vacans cadensque)* Cicero de Oratore: *Possessio quasi caduca et vacua.* *Notitia)* Inventarium, ἀναγραφή.

TIT. XI. *De delatoribus.*

Delator is est qui rem ad fiscum pertinentem et ultro præmii causa denunciat, ut puta qui crimina publica, bona caduca, ereptitia, vacantia, commissa, tacita fideicommissa, vaga mancipia, thesauri inventionem nuntiat. Idem etiam accusator dicitur, *l. Senatus. l. Defferr. §. Idem decreverunt. D. de ju. fis.* maxime si crimen publicum deferat. Quidam alios defert, quidam seipsum. Quidam sua sponte defert, quidam ex alieno mandato, quidam ex officio veluti Palatinus.

I. *Imp. Alexander a. Basso.* Si ei qui capere potest tacitum fideicommissum relictum est, cessat delatio. His enim prohibetur tacite relinqui, qui palam relictum

capere non possunt. *pp. XIII. Kal. Maii Maximo II. et Æliano Coss.*

Non omnia tacita fideicommissa fisco deferuntur. Quid enim si capaci tacite relinquentur? quo quidem casu legi fraus nulla fit. Tunc vero fraus legi fit cum tacita fide interposita fideicommissum incapaci relinquitur. Quod igitur palam possum relinquere, possum et tacite. Quid item si quod tacite rogavi, idem rogavero palam! *l.* 3. §. *Si quis palam. D. de jur. fis.* Possunt ergo esse tacita fideicommissa sine fraude, sicut *et tacite pecunia credi potest* sine fraude. At plerumque tacita cum dicimus, fraudes dicimus, ut tacitum mutuum apud Gellium lib. XII. et tacita pactio in *l. pen.* §. 2. *D. de bon. lib.* et apud Plinium initio V. Epist.

II. *Imp. Gordianus a. Eutichemo.* Monente officii sollicitudine, quinimo jussu procuratoris, ut causam ab alio delatam convenienti diligentia instrueres, non ipsum voluntarium delatoris munus suscepisse te, actorum lectio, quæ precibus intexta sunt, manifeste declarat. Ea propter ne quid in persona tua, quod est sectæ temporum meorum alienum, attentetur: præses provinciæ vir clarissimus ad solicitudinem suam revocabit. *pp. VIII. Id. Sept. Pio et Pontiano Coss.*

Delatorem probare oportet ea quæ intendit. Si probavit, præmio adficitur, quod plurimum videtur olim fuisse quarta eorum, quæ delata essent, et inde quadruplatorum nomen, atque ideo cum ingentia essent tacitorum fideicommissorum et caducorum, id est, legis Papiæ delatorum præmia, ea Svetonius auctor est Neronem ad quartas, utpote vulgares reduxisse. Si nec probaverit delator nec obtinuerit, inter infames et improbos aliis quibusdam pœnis affectus numeretur. His pœnis non adficitur Cæsarianus, qui jussu procuratoris causam ab alio delatam instruxit; idemque est in advocato fisci, *l. Post legatum.* §. *Advocatum. D. de iis, quæ ut ind.* nam neque delator est, neque sua sponte ad causam instruendam accedit. His etiam adjunge servos fiscales ex Paulo V. Sent. tit. de legatoribus. *Jussu procuratoris*) Lib. LVI. βασιλικῶν tit. VII. κατὰ κέλευσιν τοῦ καραλικοῦ sed legendum, καθολικοῦ. *Actorum*) Acta inserebant precibus et relationibus.

III. *Idem a. Cæcilio.* Nulla macula vel criminis delatoris aspergitur is, qui cum ab officialibus fundum seu domum fisci possidere contenderetur, non se, sed alium ejus rei possessorem esse monstraverit. *pp. prid. Kal. Jul. Gordiano a. II. et Pompeiano Coss.*

Non est etiam delator qui quasi possessor fundi fiscalis, cum a Cæsarianis conveniretur, alium possessorem esse affirmavit, quoniam id non tam fisci quam sui causa, ut scilicet dimitteretur, fecit, *l. Delator. D. de jur. fisc.* ideoque ea ex causa non timet infamiam, etiamsi eum quem dixit possessorem, non fuisse postea liqueat.

IV. *Impp. Carus, Carinus, et Numerianus aaa. Candido.* Ex varia statutum diversitate ad id decursum est, ut hi qui Reipublicæ causas defendunt, delatorum criminibus non teneantur, cum omnibus notissimum sit, eos solos exsecrabiles nunciatores esse, qui fisco deferunt. *pp. III. Kal. Sep. Carino et Numeriano aa. Coss.*

Ut qui propriam, ita qui patriæ suæ causam agit, quæ nobis omnibus carior esse debet quam nosmetipsi, delatorum numero non habetur: et ideo si non obtinuerit, infamia non notatur, *l.* 2. *in princ. D. de jur. fisc. l. Nemmem. sup. ex quib. cau. inf. irrog.* At qui fisci causam agit et nunciat non nisi præmii consequendi causa, is vere delator est, atque adeo exsecrandus et detestandus: nihil enim est in Rep. tam pestiferum, quam delator aut sycophanta curiosus. *Statutorum*) constitutionum, *d. l.* 2.

V. *Imp. Constantinus a. ad Provinciales.* Omnes judices invigilare præcipimus, delatores sine fisci advocato denunciantes pœnis afficere, apertissimi enim juris est, ut quod ex cujusque patrimonio ceciderit in casum, et legibus et recto juris ordine, fisci advocatis agentibus, vindicetur. Sed quia nonnulli præcipites secundum jus possessa patrimonia deferre non cessant, damus omnibus licentiam, qui se læsos existimant, contra delatores severitatem judicum implorare ferro districtam. *Dat. XI. Kal. Apr. cp. Constantio et Albino Coss.*

Ferro puniuntur qui sine fisci advocato deferunt bona caduca. Evellendam linguam esse ex Cod. Th. Accurs. tradit, quod auditione didicerat, non lectione, neque enim legendi ejus studiosus fuit: cui similes sunt stupidi hodie complures. Vero tamen id Accursio perlatum est, *l.* 2. *C. Th. de petit. et ultro da.* Hoc etiam in eodem Codice invenitur constitutum in odium delatorum, ut si idem delator etiam in bonis causa tertio fuerit inventus, capite puniatur, *l.* 12. 13. 28. *C. Th. eod. tit.* quod scilicet jam deferendi studium quasi artem exercere videatur. *Ceciderit in casum*) et inde caduca. Simili forma cadere in commissum dicimus. Strabo XVII. πίπτειν εἰς κάταγμα.

Præcipites) Sine advocato fisci, sine quo ne a præside quidem recte fit bonorum vacantium perquisitio, *l. ult. sup. tit. prox.* nec a catholico vel comite privati ærarii, qui judices sunt causarum fiscalium, *l. ult. sup. de adv. fisc. l. ult. inf. hoc. tit.* Hunc primus instituit Adrianus, non M. Antoninus. Procuratores Augustus, ut Dio scribit, quos, ἐπιτρόπους vocat lib. LIII.

VI. *Impp. Gratianus, Valentinianus, et Theodosius aaa. Panhelienio consulari Lidiæ.* Servum domini delatorem jubemus in exemplum omnium proditorum severissimæ sententiæ subjugari, etiamsi objecta probaverit, excepto crimine majestatis. *Dat. VII. Kal. Novemb. cp. Antonio et Syagrio Coss.*

Servus deferens dominum proditor est potius quam delator: ideoque ut illius exemplo ceteri terreantur, gravissima ei pœna, veluti igne consumendus est, etiamsi vera detulerit, *l. ult. inf.* *Excepto*) *l. pen. sup. qui acc. non pos.* At Tacitus Imperator ne in causa majestatis quidem servos in dominorum capita audiendos censuit auctore Vopisco, nec Trajanus auctore Plinio. Desunt hoc loco duæ constitutiones Græcæ. Primæ sententia ex libris βασιλικῶν hæc est.

VII. Οὔτε οἰκέτῃ, οὔτε ἐλευθέρῳ ἔξεστι καταμηνύειν· ὅθεν μηδεὶς εὐλαβείσθω, μήτε θάνατον, μήτε οὐσίας ἀφαίρεσιν· εἰ δέ τις ἢ ἄλλως πῶς καταμηνύσει τινά, ἢ ὡς εὑρόντα θησαυρὸν διαβάλλει, οἰκέτης μὲν ὢν παραχρῆμα διδόσθω πυρί, καὶ μάλιστα εἰ τοῦ δεσπότου κατηγορεῖ· ἐλεύθερος δὲ ὑπάρχων καὶ τῆς οὐσίας ἐκπίπτων καὶ τῆς πολιτείας ἔξω τῶν ὅρων τῆς βασιλικῆς γινέσθω βασιλείας.

Neque servo, neque libero licet deferre: unde vitæ vel bonorum amissionem nemo pertimescat. Quod si quis alia quavis ratione quem deferat, puta quod thesaurum invenerit, servus quidem confestim tradatur igni, præsertim si dominum deferat, liber bonis ademptis deportetur.

Valde sunt hac constitutione recisæ delationum causæ, quæ recensentur in l. 1. *D.* de jure fisc. et est huic similis quædam lib. VI. βασιλικῶν tit. 1. cap. LIX. quæ desideratur lib. 1. Ea porro cautum est, ut ne Comes rerum privatarum, vel alius quivis magistratus urbanus vel provincialis quenquam admittat deferentem alium quendam thesaurum invenisse. Ut tamen eum admittat qui rem vel hæreditatem ad fiscum pertinentem ab alio detineri nuntiet dato fidejussore ad summam V. librarum auri, qui caveat se rem executurum et probaturum. Et ut ne ante sententiam ex scripto latam sigilla rebus delatis imprimantur vel aliud quicquam innovetur. Eam proponam συνοπτικῶς, ut est in eo libro. Μήτε ὁ κόμης τῆς ἰδικῆς περιουσίας, μή τέ τις ἕτερος τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει, ἢ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις ἀρχόντων τὸν περὶ θησαυροῦ καταμηνύοντα προσδεχέσθω· εἰ δὲ περί τινος ἑτέρου φισκαλίου προσαγγέλλει, ὑπὸ ἐγγύην εὐθὺς οὐχ' ἧττον ε. λιτρῶν γινέσθω, καὶ μήτις σφραγὶς ἀνάγραφος, ἢ καινισμὸς ὁ τυχὼν ἐπὶ τοῖς προσαγγελθεῖσι προσερχέσθω πράγμασι πρὸ διακρίσεως ἐγγράφου. Sequuntur alterius Constitutionis, quæ in hoc titulo desideratur, verba.

VIII. Μὴ ἐξέστω τοῖς τοῦ δημοσίου συνηγόροις λέγειν ὡς περιεχήθησαν τινὰ κατέχειν δημόσια, καὶ διὰ ταύτης τῆς ἀφανοῦς κατηγορίας ἐπιβουλεύειν ἑτέροις, ἀλλὰ καὶ ὁ καταμηνυτὴς παρέστω καὶ ἡ ποιότης αὐτοῦ σκοπείσθω, καὶ μηδὲ υἱὸς πατέρα ἢ μητέρα, ἢ ἀπελεύθερος πάτρωνα ἐπὶ δημοσίοις καταμηνυέτω, μηδὲ ὁ ἐξορίας ὑπομείνας, ἢ ἐπὶ συκοφαντίᾳ κατακριθεὶς, ἢ πληγὰς παρὰ τοῦ ἄρχοντος δεξάμενος· μηδὲ ἕτερον πρόσωπον ἀπὸ νόμου εἰργόμενον ἀκουέσθω. Οἰκέτης δὲ ἢ ἐπὶ δημοσίᾳ αἰτίᾳ, ἢ ἐπὶ ἄλλῃ τινὶ τοῦ δεσπότου κατηγορῶν ἐν αὐτῷ τῷ φθέγγεσθαι τὴν κατηγορίαν ἀποτεμνέσθω, εἰ καὶ ἀληθεύει κατὰ τοῦ δεσπότου· τῶν ἡ σχολὴ δὲ τῶν παλατίνων ἐὰν καταμηνυσῇ τινὸς (μόνη γὰρ αὕτη καὶ δύναται καταμηνύειν, καὶ ἀναγκάζεται), ἢ καὶ ἕτερος ὁ ἐκ τοῦ νόμου συγχωρούμενος μνημονευέτω τῶν καταμηνύοντος ὁ τοῦ δημοσίου πρακτῶς. καὶ εἰ μὲν ἐπὶ τῆς βασιλίδος πόλεως ἐστιν ὁ καταμηνυθεὶς ἐν παλατίῳ· τοῦ κόμητος τῶν ἰδικῶν ὑπομιμνησκέσθω, καὶ μηδὲν πλέον πάσῃ τῇ τῶν παλατίνων σχολῇ καὶ τῷ κατὰ καιρὸν πριμικηρίῳ, καὶ τοῖς τοῦ δημοσίου συνηγόροις διδότω τῶν τεσσάρων N' N μήτε ὑπὲρ τῆς ὑπομνήσεως, μήτε ὑπὲρ προβολῆς τοῦ ἐντολέως· καθ' ἑκάστην δὲ διάγνωσιν τὰ νενομισμένα δαπανήματα ἐν τῷ εἰρημένῳ δικαστηρίῳ παρεχέτω, καὶ ὑπὲρ τῆς διαγνώσεως αὐτῆς, καὶ ὑπὲρ τῆς τῶν πουραγμένων ἐκλήψεως, καὶ ἀνεύθυνος μὲν ὢν ἀπαλλαττέσθω τῆς δίκης· εἰ δὲ ὑπεύθυνος φανείη μὴ αὐτὰ μόνα ἅπερ ἔχων εὑρίσκεται πράγματα, ἢ τὸ χρέος ὅπερ ἐχρεώστει ἀποδιδότω, ἀλλὰ καὶ τὰ συμβάντα τῷ ταμείῳ δαπανήματα ἐν διπλασίων διδότω ὑπὲρ ᾧ μάτην ἐδικάσατο. Ἐὰν δὲ πράγματα μόνα καταμηνύεται ὡς διαφέροντα τῷ ἱερωτάτῳ ταμείῳ, ἀγνοεῖται δὲ ὁ ταῦτα διακρατῶν, καὶ ἐν τῇ βασιλίδι πόλει τὰ πράγματα, ἢ ὑπὸ τὴν αὐτῆς ἐνορίαν ἢ ἀκινήτοις μὲν οὖσιν αὐτοῖς μὴ ἐμβαλλέτω τίτλους, ἡ σχολὴ τῶν παλατίνων, μήτε ἐμβαινέτω αὐτοῖς ἀλλὰ προγράμματα προτιθέτω ὁ κόμης τῶν ἰδικῶν τῶν τοῦ βασιλέως ἐν τοῖς ἐπισήμοις τόποις τῆς βασιλίδος, καὶ ἐν οἷς τὰ πράγματα διάκειται, ἐπιτρέπων ἑκάστῳ ἀντιποιουμένῳ τούτων τῶν πραγμάτων εἴσω τριάκοντα ἡμερῶν καταλαμβάνειν τὸ αὐτοῦ δικαστήριον, καὶ συνίστασθαι τοῖς ἑαυτοῦ δικαίοις ἐπὶ ταῖς εἰρημέναις δαπάναις, εἴτε αὐτὸς ὁ κατέχων τὰ πράγματα βούλεται ἀπαντῆσαι,

εἴτε φίλος αὐτοῦ, εἴτε οἰκέτης, εἴτε ἀπελεύθερος, ὅταν ἄπεστιν ὁ τῇ ἀληθείᾳ ταῦτα κατέχων πληρουμένων, καὶ ἐπὶ αὐτῷ πάντων ὅσα περὶ τοῦ φύλακος τῆς νομῆς νενομοθέτηται. Ἐὰν δὲ μήτε αὐτὸς ὁ τῆς ὑποθέσεως κύριος, μήτε ἐντολεὺς αὐτοῦ νεμόμενος, μήτε φύλαξ τῆς νομῆς φανείη εἴσω τριάκοντα ἡμερῶν, καὶ τοῦτο αὐτὸ γένηται δῆλον ἐν ὑπομνήμασι γενέσθω μὲν ἐπὶ νομῆς τῶν πραγμάτων τὸ ταμεῖον, μηδενὸς προκρίματος ἐπαγομένου τῷ κυρίῳ τῶν πραγμάτων ἐν ταῖς ἁρμοζούσαις αὐτῷ περὶ τούτων δικαιολογίαις, εἰ δὲ κινητὰ ἢ αὐτοκίνητα εἴη τὰ καταγγελθέντα πράγματα, μηδὲ ταῦτα κατεχέτω τις προπετῶς, ἀλλ' ἀναζητείσθω ὁ ταῦτα νεμόμενος, καὶ ὑπομνησθεὶς ἀγωνιζέσθω τὴν δίκην ἐπὶ τοῖς εἰρημένοις δαπανήμασι, καὶ ὅροις. Διὰ δὲ πάντων τῶν ἐννόμων τρόπων, καὶ ἀποδείξεων ἐγγράφων, ἢ καὶ ἀγράφων ἀνερευνάσθω τὰ πράγματα, καὶ διὰ τῶν δυναμένων εἰδέναι τὸ ἀληθὲς προσώπων εἰδότος τοῦ ἐναγομένου, ὡς ἐὰν ἡττηθῇ οὐ μόνον τὰ περὶ τὴν δίκην γινόμενα δαπανήματα ἀπαιτηθήσεται, ἀλλὰ καὶ αὐτὰ τὰ πράγματα παρ' αὐτῷ φανέντα, καὶ τὴν τούτων διατίμησιν. ταῦτα καθόλου περὶ τῶν δημοσίων πραγμάτων ἡ διάταξις νομοθετήσασα ἐπιφέρει λοιπὸν ἰδικὴν νομοθεσίαν περὶ τῶν διὰ τυραννίδα δημευομένων λέγουσα τὸν ἐπὶ τούτοις καταμηνύοντα μηδὲ μὴν τὴν καλεῖσθαι, ἀλλὰ ἑτοίμως προσδέχεσθαι, καὶ εἰ μὲν συκοφαντήσωσιν οἱ προσαγγείλαντες ὁμοίως τοῖς ἄλλοις μηνυταῖς αὐτοὺς τιμωρεῖσθαι. Ἐὰν δὲ διελέγξωσι τὰ μηνυθέντα, μὴ μόνον ἀπαλλάττεσθαι τῆς τιμωρίας, ἀλλὰ καὶ ὀγδόην μοῖραν τῶν προσαγγελθέντων πραγμάτων αὐτοὺς κομίσασθαι, τοὺς δὲ καταγγελθέντας ἐὰν μὲν τὰ παρ' αὐτῶν κατεχόμενα πράγματα, ἤτοι ἡ οὐσία πᾶσα ἐλάττων ᾖ τῶν πεντήκοντα τοῦ χρυσίου λιτρῶν πρὸς τὴν διατίμησιν αὐτῶν τὰς ἐγγύας διδόναι· εἰ δὲ ὑπερβαίνει τὰς πεντήκοντα λίτρας ἄχρι μὲν τῶν πεντήκοντα παρέχειν, καὶ αὐτοὺς τὰς ἐγγύας, ἐπὶ δὲ τῇ λοιπῇ ποσότητι διομνύσθαι προστιθέντας ἐν τῇ ἐξωμοσίᾳ ὡς προσεδρεύσωσι τῷ δικαστηρίῳ αὐτοί, ἢ οἱ τούτων ἐντολεῖς, καὶ οὐκ ἀπολειφθήσονται τοῦ δικαστηρίου τῶν θείων ἰδικῶν τοῦ βασιλέως. Ἐὰν δὲ μετὰ τὴν ἐξωμοσίαν ἀπολειφθέντες τρίτον κληθεῖεν ἑκάστης κλήσεως ὑπὲρ δέκα ἡμέρας γενομένης, γένηται δὲ καὶ τρία κατ' αὐτῶν κηρύγματα, καὶ μήτε οὕτως φανεῖεν αὐτοί, ἢ οἱ ἐντολεῖς αὐτῶν, ἢ ὁ ἐκδικητής (ἐπιβαινέτω μὲν τοῖς πράγμασι τὸ ἱερώτατον ταμεῖον, φυλάττεσθαι δὲ τὸ ἀπόκριτον τοῖς ἀπολιμπανομένοις· εἰ δὲ τὰ προσαγγελθέντα πράγματα ἐν ἐπαρχίᾳ διάκειται, καὶ ἢ καθ' ἑαυτοῦ κινούμενος ὁ τῆς ἐπαρχίας ἄρχων, ἢ ἐκ προστάξεως τοῦ κόμητος τῶν ἰδικῶν τοῦ βασιλέως ἐξετάζει τὴν ὑπόθεσιν, μηδὲν ταραχῶδες, μηδὲ βίαιον γενέσθω, ἀλλὰ τὰ μὲν δαπανήματα τῆς δίκης εἰς τὸ τρίτον μέρος τῶν ἐν τῇ βασιλίδι πόλει γινομένων παρεχέσθω. Ἕκαστος δὲ προσαγγέλλων, ἢ τῷ κόμητι τῶν θείων ἰδικῶν τοῦ βασιλέως ἢ τῇ σχολῇ τῶν παλατίνων, ἢ τοῖς λαμπροτάτοις τοῦ δημοσίου συνηγόροις, ἢ τοῖς λαμπροτάτοις ἄρχουσι τῶν ἐπαρχιῶν γινωσκέτω, ὡς εἴτε ἐπιμείνας τῇ δίκῃ φανείη συκοφάντης, εἴτε ἀποστῇ τῆς κατηγορίας καὶ ἀφανὴς γένοιτο σύμμετρον μὲν ἔχων περιουσίαν, καὶ μὴ δεδιὼς τὴν ἐν αὐτῇ τιμωρίαν, καὶ πληγὰς βαρυτάτας ὑπομένει, καὶ διηνεκῶς ἐξορίζεται· ἐὰν δὲ στρατείαν ἔχῃ, ἢ σεμνὸν ἐπιτήδευμα, ἢ περιουσίαν ἁρμόζουσαν, ἐκπίπτει καὶ τῆς στρατείας, καὶ τῆς οὐσίας, καὶ οὐδὲ τὴν βασιλίδα πόλιν, οὐδὲ τὴν ἐπαρχίαν οἰκῆσαι συγχωρεῖται. παραφυλαττόντων τὸν νόμον τοῦτον κόμητος τῶν ἰδικῶν τοῦ βασιλέως, καὶ τῆς πειθομένης αὐτῷ σχολῆς, καὶ τοῦ παραβαίνοντος αὐτὸν ἐφ' ἑκάστῳ κεφαλαίῳ πεντήκοντα χρυσίου λίτρας πρόστιμον ἀπαιτουμένου· εἰ δὲ ἐν ἐπαρχίᾳ παραβαθείη τι τούτων ἐφ' ἑκάστῃ αἰτίᾳ ἀνὰ τριάκοντα χρυσίου λιτρῶν καὶ οἱ τῶν ἐπαρχιῶν ἄρχοντες, καὶ αἱ πειθόμεναι τάξεις αὐτοῖς ἀπαιτείσθωσαν· ἵνα δὲ τὰ τῶν προστίμων τούτων μὴ λανθάνῃ, ἔξεστι καὶ αὐτοῖς τοῖς ἠδικημένοις καταμηνύειν τὸν παραβάντα τὸν νόμον, καὶ προσαγγέλλειν τῷ εὐσεβεστάτῳ βασιλεῖ, ἢ τῷ ἐνδοξοτάτῳ μαγίστρῳ ἀξιῶν ἵνα ταῦτα δι' αὐτοῦ μανθάνων ὁ βασιλεὺς αὐτῷ τῷ μαγίστρῳ τὴν τῶν προστίμων εἰς πρᾶξιν ἐπιτρέψῃ.

INTERPRETATIO LATINA.

Ne liceat fisci patronis dicere ad se perlatum quemdam detinere bona fiscalia, atque ita non apparente accusatore alios insidiis appetere: sed delator exhibeatur et ejus qualitas spectetur: neque filius patrem aut matrem, aut libertus patronum ex causa bonorum fiscalium deferat, neque exul vel calumniæ causa damnatus vel fustibus a præside cæsus, vel alius quilibet jure prohibitus audiatur. Servo autem vel in fiscali causa vel in alia qualibet dominum accusanti in ipso loquendi conatu vox interdicatur, etiamsi vera deferat. Schola palatinorum si quem detulerit (hæc enim sola deferre potest et cogitur) vel etiam alius cui id jure conceditur: meminerit deferentis fisci præpositus, et si quidem est in regio urbe is qui delatus est, ex interlocutione Comitis privatorum conveniatur, nec amplius quam solidos quatuor det Palatinorum scholæ, et pro tempore primicerio, et fisci patronis pro conventione vel productione procuratoris. In singulam vero cognitionem solemnes sumptus supradicto judicio, et pro cognitione ipsa præbeat, et pro actorum exceptione, et si quidem obnoxius non sit, absolvatur: obnoxius vero non solum res quas debet reddat, sed et sumptus a fisco factos in duplum cum quo frustra litigavit. Sed si res solæ deferantur quasi pertinentes ad sacratissimum ærarium, nec sciatur qui eas detineat, sintque in hac regia urbe vel continentibus et immobiles, ne eis schola Palatinorum titulos imponat, nec eas occupet, sed edicta proponat Comes rerum privatarum in celeberrimis locis urbis, et in quibus res consistunt, permittens adversario cuilibet iis de rebus apud se judicium suscipere intra dies XXX. et sub jam dictis sumptibus de suo jure contendere, sive ipse possessor voluerit judicio occurrere, sive eo revera absente amicus ejus vel servus vel libertus, impletis etiam hac in re omnibus, quæ de custode possessionis lege cauta sunt. Quod si neque ipse dominus litis neque procurator ejus possidens neque possessionis custos compareat intra dies. XXX. idque actis fiat manifestum, mittatur fiscus in possessionem rerum, nullo præjudicio domino inferendo quantum pertinet ad allegationes sibi competentes. At si res illæ mobiles vel moventes sint, non occupentur etiam temere, sed requiratur earum possessor, et admonitus causam suam agat sumptibus et legibus supradictis. Omnibus autem legitimis modis et probationibus scriptis vel non scriptis perscrutari res oportet, et ab iis personis qui veritatem scire possint, sciente reo si succubuerit, non modo litis sumptus a se exactum iri, sed et res quas habere eum patuerit et æstimationem earum, id est, duplum. His summatim de fiscalibus rebus constitutione comprehensis, subjicit postea legem specialem de his, quæ ob crimen majestatis confiscata sunt, ut eorum nunciator, delator non vocetur, sed prompto suscipiatur, si calumniatus fuerit, ut perinde puniatur ac ceteri delatores, si objecta probaverit, non solum pœna liberetur, sed et octavam partem bonorum quæ denunciavit ferat, et eorum qui denunciati sunt si substantia omnis minor sit L. librarum auri, ut de æstimatione ejus fidejussores dent, si major, ut etiam usque ad eam summam L. librarum fidejussores dent: in reliquam quantitatem juri jurando committantur, adjicentes se vel procuratores suos adfuturos in judicio Comitis privatarum, neque id deserturos. Id post juratoriam cautionem deserentes, trinis edictis vocari decem dierum spatio intermisso, ac tum si nec ipsi nec procuratores vel defensores eorum adfuerint, bona fiscum occupare, reservata absentibus defensionis facultate. Ceterum si res in provincia constitutæ sint, itemque Præses provinciæ ultro, vel ex præcepto Comitis privatarum disceptet, nihil turbide nihil violenter fieri oportere sumptus qui fiunt in regia urbe pro tertia parte in litem præberi. Quisquis vero defert Comiti privatarum, vel scholæ Palatinorum, vel clarissimis fisci patronis, vel clarissimis presidibus provinciarum, ut sciat sive in lite perseverans calumniator apparuerit, sive destiterit et latitaverit, modicres quidem facultates habentem, nec de earum amissione sollicitum, gravissimis verberibus subitum se perpetuo relegatum iri. Sin vero militiam vel honestum aliquod vitæ institutum, vel idoneas facultates habuerit, ei militia et bonis ablatis, regia urbe vel provincia interdictum iri. Ut hanc legem conservet Comes privatarum, et quæ ei obsequitur schola. In singula capita quæ quis violaverit multam esse L. librarum auri, in provincia autem si quid horum neglectum fuerit, in singulas causas XXX. auri libras præsides provinciarum, et eorum officia sigillatim exigi. Hanc multam ne quis effugiat, licere injuria affectis legis violatores ad possimum

principem deferre, vel ad gloriosissimum magistrum sine damno, ut hac re cognita, princeps magistro multæ exactionem committat.

Quod initio proponitur apprime notandum est, ne cuiquam fisci patronus quasi possessori rerum fiscalium molestiam inferat non exhibito delatore. Patronus fisci; et delatoris quodammodo est patronus, l. 5. §. *Advocatum. D. de iis quæ ut ind. auf.* sine delatore si agat, ipse delator est potius, quam fisci patronus. De eo scribentes citant *l. ult. D. de jur. fisc.* quæ est de procuratore Patronio non de patrono. Quod de iis qui deferre non possunt, congruit cum *l. Deferre. D. de jur. fisc.* et aliis quibusdam: quibus adjiciendi sunt conductores, procuratores, actores prædiorum fiscalium, *l. 1. inf. de conduc. et proc.* Quod de servo, cum l. *pen. sup. qui acc. non pos.* Quod de xxx. diebus, idem relatum est in Eustathii libro de temporibus, adducta hac lege, iis verbis; διὰ λ' ἡμερῶν ὀφείλει παριστᾶσθαι ὁ διακατέχων φισκάλια ἄκινητα πράγματα, ὡς β'. ι. τοῦ κωδ. τ. ια. δτ. τελευταία. Quod de octavæ partis præmio, idem ea hac lege Harmenop. scripsit lib. I. Epit. tit. v. Quod de a. dierum intervallo, congruit cum l. *Per intervallum. D. de judic. l. Properandum. sup. eod.* Est tamen Nov. immutatum. Quod de custode possessionis, pertinere videtur ad *l. ult. sup. de neg. gest.* l. *Meminerint. sup. unde vi. l. 1. sup. si per vim vel alio modo.* In fine puto magistrum officiorum significari.

TIT. XII. *De petitionibus bonorum sublatis*

Veteres libri, De petitis, non male, nam et petita dixere pro petitionibus, sicut indicta et æstimata et nota Sudas, πετιτα ῥωμαϊκὴ λέξις σημαίνει δὲ γνώρισμα αἰτήσεως·

I. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodos. aaa. Eutropio pp.* Quisquis, in crimine majestatis deprehensus fuerit et punitus, bonaque ejus (sicut plectendi consuetudo criminis habet) fiscus invaserit: nullus eadem sub specie munificentiæ principalis audeat proprio juri poscere: qui contra legem id ausus fuerit sperare quod non licet, reus violatæ legis habeatur. Sed quoniam plerumque ita in non nullis inverecunda potentium inhiatione constringimur, ut etiam non concedenda tribuamus: ne rescripto quidem nostro adversus formam latæ legis loci aliquid relinquatur. Si quid autem ex bonis talibus nostro judicio, nullo tamen desiderante atque poscente, concedi cuiquam voluerimus, hujusmodi tantum valeat liberalitas. *Dat. XVI. Kal. Decembr. Thessalonicæ Gratiano V. et Theod. aa. Coss.*

Proscriptorum bona peti non posse, ultro dari posse. Tantum igitur abest, ut viventium qui nondum damnati sunt bona peti possint, ut nec mortuorum et damnatorum bona honeste petantur. *Sub specie*) legendum, sub spe: et ideo mox, *Qui contra legem* inquit; *id ausus fuerit sperare. Violatæ legis*) Sacrilegii, *l. 1. inf. ut dig. ordo ser. l. 13. inf. de erog. mil. an.*

II. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Florentio pp.* Omne semen alienas appetendi fortunas stirpitus eruere cupientes, nulli deinceps volumus petitionis rerum esse licentiam. Et si intestatus quisquam quædamve, ac nullis ex numero propinquorum existentibus, vel uxore vel marito, fati munus impleverit, cujuscunque sit condicionis aut sectæ, seu quolibet titulo res fuerit fiscalis: nemo audeat ad petitionem rerum defuncti defunctæve, cujuscunque fortunæ aut sectæ sit, si fisco nostro locus pateat aspirare: cum ne illis quidem, quorum actu atque officio petitionum procedebat effectus, impune liceat sanctionibus nostris adversari. Sed vir illustris quidem cujuscunque temporis quæstor, si oblatæ petitioni subscripserit, vel etiam responsum dederit, virque illustris comes rerum privatarum, si vel instrui permiserit, vel petitionem, si qua insinuatur, admiserit, indignationem nostri numinis sustinebit, ceterisque fiet vindictæ et temeritatis exemplum. Memoriales vero qui excipienda hujusmodi rescripta vel implenda curaverint: et Palatinos qui instruxerint vel gesta admissæ petitionis ediderint, bonorum proscriptione puniri decernimus. Pari forma res etiam civiles, ad jus publicum pertinentes ab omni petitione muniendas esse censemus: scilicet, nec pragmatica jussione vel sacra adnotatione, vel quolibet oraculo divino, seu mandatis (si qua contra hanc sanctionem nostram fuerint impetrata) quodcunque roboris habere valituris. *Dat. XI. Kal. Maii. Theodosio a. XVIII. et Albino. Coss.*

Hæc est constitutio Valentiniani de competitionibus, qua definitur, vacantia bona et generaliter res fisci aut reipubl. peti non posse. Puniri quæstorem, comitem rerum privatarum, memoriales, palatinos, quorum interventu vel opera tales petitiones admissæ et instructæ fuerint. Quæstor sacri palatii petitionibus subscribebat, vel etiam responsa reddebat, et, ut hoc loco omne ejus officium paucis exequar, leges dictabat, precesque ac responsa subnotabat, ut constat ex Novella Hom. imp. et *No.* 53. et 114. *l. ult. sup. de div. res.* Symmachus ad Ausonium. *Quæstor es, memini: consilii regalis particeps, scio: precum arbiter, legum conditor, recognosco*: et alio loco: *Te magis quæsturæ honos et condendarum sanctionum usus exercent* Procop. 1. de bel. Pers. τῇ μὲν πρῶτος ἀνῆλθεν· ὡς βασιλεῖ τότε παρήδρευε τὴν τοῦ καλουμένου κοιαίστωρος ἀρχὴν ἔχων αὐτὸ δίκαιος, διὸ δὴ οὔτε ἄμου τινὰ εἴπετο ἔγραφεν. et alio loco. Τριβουνιανὸς βασιλεῖ παρήδρευε, κοιαίστωρα τοῦτον καλοῦσι Ῥωμαῖοι, et alio Φιλίλιος δὲ Ἀ... παρήδρευε, κοιαίστωρα δὲ τὴν ἀρχὴν ταύτην καλοῦσι Ῥωμαῖοι. Ita vero de causis Quæstor justitiæ et legum custos appellatur, et thesaurus famæ publicæ, et armarium legum in *Nov. Valentin. de homic. cas. fac.* et a Cassiodoro duobus aut tribus locis: denique is plane est Quæstor quem in aula Cancellarium appellamus: quod iis si jungatur, quæ ad l. *ult. inf. de discus.* reperimus, liquido constabit. Ita porro verbis Quæstor rescriptis et constitutionibus subscribebat, QUÆSTOR LEGI addita die, ut in Constitutionibus Justini et Tiberii de adscriptitiis. Præcedebat subscriptio principis addita etiam die, quod iis verbis significatur in Nov. Valentiniani de homic. cas. fac. ET MANU DIVINA. DIVINITAS TE SERVET PER MULTOS ANNOS; et Nov. *de ind. reliq.* quod tamen deest in impressis. ET MANU DIVINA. OPTAMUS TOS FELICISSIME, etc. Addebatur etiam dies quo is ad quem dirigeretur constitutio, eam accepisset, et quo fuisset antelata, id est, programmate proposita, *l. 27. Cod. Th. de iis qui super rel. cont.* ideoque in una eademque et eadem Constitutione quatuor dies iis verbis subnotatos invenias, Data, Subscripta, Accepta, Antelata, vel Lecta, vel Allegata. Etiam illud adjiciam, eundem morem posteriores imperatores retinuisse, ut et ipsi subscriberent constitutionibus et cartularius cubiculi, quem vocarunt τὸν ἐπὶ κανικλείου. Habemus sane constitutionem quamdam Manuelis hac subscriptione. εἶχε τὸ συνήθες κανίκλειον καὶ τοῦ βασιλέως ταύτην Μανουὴλ ἐν Χῷ τῷ θεῷ πιστὸς βασιλεὺς πορφυρογέννητος, καὶ αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων ὁ Κομνηνὸς, καὶ κάτωθεν ἀπῃωρημένην βοῦλλαν χρυσὴν διὰ μετάξης ἐξέμου καὶ ἔξωθεν τὸ διὰ τοῦ ἐπὶ κανικλείου καὶ δικαιοδότου Θεοδώρου τοῦ Σμπασιώτου. Sed ad rem. Ad Quæstorem pertinebant memoriales, id est, ut Græci interpretantur hoc loco, οἱ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι, et ad *l. Eos. inf. de exc. mun.* οἱ τῶν ὑπομνημάτων πάντων, et ad *l. b. inf. qui mil. pos.* τῶν κελευσέων φύλακες, qui leges et rescripta excipiebant et implebant, id est, perscribebant aut perscribi curabant. Eorum obsequio res quæstoria agi dicitur in *l. ult. inf. de prox. sac. scr.* recte: erant namque adjutores quæsturis, et ex diversis scriniis assumebantur, ut in eo titulo fusius demonstraturi sumus. Comes rerum privatarum judex erat, et gubernator privatæ substantiæ principis, ad quem spectabantur vacantia, caduca, et iis similia, *l. ult. sup. tit. prox. l. 3. l. ult. sup. de bon. vac. l. ult. sup. de fide hastæ fisc.* Ejus apparitores Palatini appellantur, quorum interventu competitiones instruebantur et insinuabantur comiti: quod hæc lex in posterum fieri vetat. *Quisquam quædamve*) Vat. quisquam quæquamve. *Res etiam civiles*) Res civiles sunt quæ ad Rempubl. vel civitatem pertinent, veluti opera publica, *l. Si aliquando sup. de op. pub.* secundum quam est apud Cassiodorum lib. VII. formula de Competitoribus. Earum vero rerum arbitrium Imperatores sibi vindicabant, atque ideo petebantur ab imperatore priusquam hæc Novella competitiones sustulisset, et ita cum olim fuisset ærarium divisum a fisco, quæ ex causa Frontinus de aquæductibus, commoda publicæ familiæ ex ærario, Cæsaris ex fisco dari ait, ærario tamen et primus omnium Imp. Augustus abutebatur, atque ut Dio scribit, lib. LIII. λόγῳ ἀπαντ hæc duo distincta, non ἔργῳ. *Pragmatica*) Pragmatica fit de consilii sententia solemniter suggestione aliena precibusve, *l. ult. inf. de prox. sac. scr.* Adnotatio ad libellum breviter annotato nomine principis, ut in Nov. Valenti de hom. cas. fac. in qua illud singulare est quod ait, sine adnotatione principis eodem casu vel sui tuendi causa factum non purgari, quod confirmatur hoc Philonis loco l. de vita Mosis: ὁ κτείνων ἄνθρωπον εἰ καὶ δικαίως, καὶ ἀμυνόμενος καὶ βιασθεὶς, ὑπαίτιος εἶναι δοκεῖ διὰ τὴν ἀνωτάτω καὶ κοινὴν συγγένειαν. Sic vero judex alias per adnotationem, alias cognitionaliter lites disceptat, Nov. 88. Adnotationem ita definit Theodorus: παρασημείωσις ἐστιν ἢ τὰ κυριωτέρα τῶν λαλουμένων περιλαμβάνουσα καὶ γράφουσα ταῦτα ὡς ἐν συνόψει δι' ὀλίγων, ὁποῖα εἴδομεν ὄντα πολλὰ βασιλικὰ σημειώματα. *Oraculo divino*) Simplici jussione principis subnotata a quæstore solo vel magistro scriniorum. *Mandatis* hæc citra suggestionem aut libellum dantur, *l. ult. inf. de colla don.* et quidem si ultro recte *l. 1. sup.* si tacita alterius competitione, non recte.

TIT. XIII. *De iis qui se deferunt*

I. *Imp. Constantinus a. Rationali Hispaniarum.* Is cujus tacite fidei commissa fuerit hæreditas, statim officio gravitatis tuæ nunciet, et gesta prodat, et continuo quod actum fuerit renunciet: et post hanc fi-

dem, tertiam ex omnibus defuncti bonis percipiat portionem. Quod si ab uxore defuncti istud ad officium devotionis tuæ fuerit revelatum: ipsa etiam quam defunctus esse voluit hæredem (si gesta apparuerint) tali præmio mancipetur, ut ex omni patrimonio medium consequatur, et cum fisco nostro celebret divisionem, id etiam habitura privilegium ut prior eligat optionem, et tunc occultator ille gestorum fisci et mulieris pariter inimicus, exutus omni patrimonio suo, ac fisco vindicato, in insulam deportetur. *Dat. id. Mart. Gallicano et Basso Coss*

Delatores aut alios deferant aut seipsos. Si alios deferant neque calumniatur, pro præmio eorum quæ denunciarunt certam partem ferunt, veluti quartam aut octavam. Si seipsos deferunt, ut si is cui tacite fideicommissaria hæreditas relicta est profiteatur se capere non posse, si datur pro præmio dimidia pars ex edicto Trajani, vel assis si nondum quicquam restitutum sit vel dodrantis, si restitutus sit dodrans: quam distinctionem comprobat *l. Edicto.* et *l. Cum tacitum. D. de jur. fisc.* Quod si hæres, a quo tacite incapaci relicta est fideicommissaria hæreditas, pœnitentia actus se detulerit, tertiam portem assis habet pro præmio. Majus est præmium eorum qui se, quam qui alios deferunt: quo enim difficilius quisque seipsum defert, eo majore præmio invitandus est: qua ratione etiam fideicommissario plus tribuitur præmii quam hæredi. *Statim*] Post apertas tabulas, *l. Edicto. §. Cum ante. D. de ju. fisc.* *Post hanc fidem*] Quam fisco præstitit. *Ab uxore*] Dixit de hærede, nunc dicit de uxore fideicommissaria. Uxor vero est incapax ex lege Papia decimaria, ideoque tacitum fideicommissum ei perperam relinquitur: quod etiam indicat *l. ult. in prin. D. de his quæ ut ind.* At certa ex constitutione *l. 2. sup. de infirm. pœn. cælib.* non est incapax. *Ad officium*] Vel, officio, ut sup. *Ipsa etiam quam defunctus esse voluit*] Per interpositionem taciæ fidei. *Apparuerint*] Vel, *apparuerit:* hoc est, si seipsam detulerit. Non potest mulier nisi seipsam deferre, *l. Aut. D. de ju. fis.*

Ex omni] Ex asse. Imo non nisi ex dodrante, si dodrans uxori jam restitutus sit. Quadrans autem deductus ab hærede, in fiscum redigitur. *Occultator*] Hæres administer secreti fideicommissi.

TIT. XIV. *Si liberalitatis imperialis socius sine hærede decesserit.*

In Cod. Th. sic titulus conceptus est, Si petitionis socius. At quia petitiones postea sublatæ sunt, non liberalitates, ita eum invertit Tribonianus, Si liberalitatis imperialis socius: quod idem eadem ratione fecit in *l. pen. sup. de ju. fis.* et *l. pen. sup. de bon. vac.* quemadmodum constat ex *l. 30. C. Th. de petitionib.* et multis aliis.

I. *Imp. Constantius a. Orioni Com. r. p.* Jubemus ut si quis forte ex his quibus communiter a nobis aliquid donatum sit nullo hærede relicto decesserit: ad consortem potius solatium, quam ad personam aliam pars decedentis perveniat. *Dat. XV. Kal. Jul. Mediolani Philippo et Salia Coss.*

Consors consorti in eo quod donatum est, sine competitione succedit excluso fisco: quod etiam in navicularlis, decurionibus, cohortalibus, militibus fabricensibus, clericis locum obtinet, *tit. d. hær. dec. l. Si quis presbyter. sup. de episc. et cler.*

TIT. XV. *De thesauris.*

I. *Impp. Leo et Zeno aa. Epinico Consulari.* Nemo in posterum super requirendo in suo vel alieno loco thesauro, vel super invento ab alio vel a se, effusis precibus pietatis nostræ benignas aures audeat molestare. Nam in suis quidem locis unicuique, dummodo sine sceleratis ac puniendis sacrificiis, aut alia qualibet arte legibus odiosa, thesaurum (id est condita ab ignotis dominis tempore vetustiore mobilia) quærere, et invento uti, liberam tribuimus facultatem, ne ulterius Dei beneficium invidiosa calumnia persequatur: cum superfluum sit hoc precibus postulare, quod jam lege permissum est, et postulanda imperatoriæ majestatis videatur prævenire liberalitas. In alienis vero terrulis nemo audeat invitis, imo non volentibus vel ignorantibus dominis, opes abditas suo nomine perscrutari. Quod si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut præter hujus legis tenorem in alieno loco thesaurum scrutatus invenerit: totum hoc locorum domino reddere compellatur, et velut temerator legis saluberrimæ puniatur. Quod si forte vel arando, vel alias terram colendo, vel quocunque casu, non studio perscrutandi in alienis locis thesaurum invenerit: id quod repertum fuerit dimidia retenta, altera dimidia data cum locorum domino partiantur: ita enim eveniet, ut unusquisque suis fruatur, et non inhiet alienis. *Dat. VI. Id. Octob. Leone iuniore a. Cos.*

Id est condita] Cassiodorus VI. thesaurum definit depositivam pecuniam, quæ longa vetustate competentes dominos amisit. *Mobilia*] Legendum *monilia*, ut in l. 2. *C. Th. de thesaur.* *Dei beneficium*] Fortunæ donum in *l. Si is qui §. 1. D. de acqu. rer. dom.* *Calumnia*] Fisci: nam inventos thesauros sibi fiscus vindicabat, nisi inventor eorum retinendorum facultatem impetrasset a fisco. *Imo non*] Quidam Cod. Id est non: quod probo. Sic enim tollitur ambiguitas verbi, invitis. Nam inviti sunt qui nolunt, vel qui non volunt.

Altera dimidia] Quid opus fuit hac constitutione, cum jam id esset ab Adriano clare constitutum? nempe quod deinde post Adrianum dimidiam loci domino concessam, ad quartam imppp. Gratianus, Valent. et Theod. redegissent d. l. 2. Est et hac de re Leonis Nov. LI.

TIT. XVI. *De annonis et tributis.*

Annonæ in speciebus consistunt veluti frumento, vino, oleo, pane, carne, sale. Tributa in corporibus, veluti auro, argento, ære, equis, vestibus, quæ et intributiones et contributiones dicuntur. et sunt duplicia soli et capitis, *l. ult. D. de cens.* Capitis sunt qui stipendia vocant Tertul. in Apologet. *Si agri tributo onustiores, hominum capita stipendio censa ignobiliora.* Conferunt autem et annonam et tributa possessores, id est, domini prædiorum provincialium quotannis vel ipsi prædiorum conductores, *l. Sine hærede. §. Lucius. D. de adm. tut.* per causam tuendi exercitus *l. 2. inf. de exact. trib.* Exulabat autem hujus tituli prima Constitutio, ut et ceteræ, quod Græca esset, quam ex lib. LVI. *Βασιλικῶν* restituimus.

I. Αἱ σχολάζουσαι τὸ λοιπὸν ἀννῶναι καὶ αἱ κεφαλιτίωναι τῷ δημοσίῳ ἐκδικείσθωσαν, καὶ μὴ διαιρείσθωσαν παρὰ τῶν ἀρχόντων ἑτέροις; ἢ εἰς δημόσια ἔργα δίχα θείου τύπου, καὶ τὴν δόσιν, καὶ τὸν τρόπον τοῦ δαπανήματος διορίζοντος, ἀλλὰ μηδὲ ἐκ τοῦ δημοσίου κάνονος εἰς ἰδιωτικὸν, ἢ δημόσιον ἔργον ὕλαι μεταφερέσθωσαν, ἢ εἰς ἀγορασμὸν ὑλῶν χρήματα διδόσθωσαν ἄνευ θείου τύπου, τοῦ παραβαίνοντος οἴκοθεν τὸ δημόσιον πληροῦντος, καὶ τοῦ προσφόρου σκρινίου βαρυτάτοις ἐπιτιμίοις ὑποκειμένου.

Capita vocat veluti fœnum, paleas ut dixiums in *l. 9. sup. tit. 1.* quæ una cum annonis, magistratibus diversisque officiis præstantur, *l. 2. inf. de cur. publ. l. 1. et 2. sup. de off. præf. præt. Afr. Nov. 27.* et sequentibus. Vacantes autem, quod fit illis sine successore defunctis, ut cetera bona ad fiscum legibus caducis redeunt, *l. 1. Cod. Th. de anno. etc.* nec sine sacra forma a præsidibus impendi in opera publica possunt. Sed neque ex fiscali canone materiæ vel pecuniæ in eadem opera a judice transferri queunt, vel si temere transferantur de suo cogetur fisco satisfacere, competens etiam scrinium quod ea transferri concesserit, gravissimis pœnis subjicietur. Longe alia est ratio multarum, *l. pen. sup. de mod. mult.*

II. *Impp. Valerianus et Gallienus aa. et Valerianus Cæsar, Antiocho.* Æs quidem alienum pro portione, ex qua quisque defuncto hæres extiterit, præstari oportet: annonas autem is solvere debet, qui possessiones tenet et fructus percipit. *pp.* * *Seculare et Donato Coss.*

Si plures defuncto hæredes extiterint, æs alienum præstabunt pro hæreditariis portionibus ex XII. tab. Species annonarias is præstabit, qui possidet prædia et percipit fructus. Sunt enim hæc prædiorum onera non personarum. Prædiorum obligatio inter hæredes non dividitur. Personalis obligatio dividitur.

III. *Imp. Decius a. Citicio.* Indictiones non personis, sed rebus indici solent: et ideo ne ultra modum earundem possessionum, quas possides, conveniaris, præses provinciæ prospiciet. *Dat. XVII. Kal. Nov. Æmiliano et Aquilino Coss.*

Indictionis nomine continetur annonaria et tributaria functio. Plinius ad Trajanum: *Nec novis indictionibus pressi ad vetera tributa deficiunt.* Onera hæc sunt possessionum non personarum et ideo eorum nomine quæ non possideo, ea non agnosco, *Nov. 128. l. Impp. D. de public. et vectig.*

IV. *Imp. Constantinus a. ad Proclianum.* Omnes pensitare debebunt, quæ manus nostræ delegationibus adscribuntur: nihil amplius exigendi vel remittendi potestatem esse: nam si quis vicarius aut rector provinciæ: aliquid jam cuiquam crediderit remittendum, quod alii remiserit, de propriis dare facultatibus compelletur. *Dat. XV. Kal. Jul. cp. Constantino a. IV. et Licinio IV. Coss.*

Alt, *Delegationibus*] Suidas, δηλεγατίων κατὰ Ῥωμαίοις ἡ ἐνταγὴ

τοῦ μιτοπορικίου, καὶ ἡ ἀννόνων μεταπομπή. Delegationes igitur descriptiones sunt quibus exigendorum tributorum et annonarum modus continetur, quæ et delegatoriæ dicuntur, quod delegari mittique in provincias soleat, διατυπώσεις, ὑπομνήματα, ἀπογραφαί. Manant autem a principe, nec quicquam a vicariis aut præsidibus amplius exigendum est quam eis continetur. Sed neque remittendum ex eis quicquam. *Vel remittendi potestatem esse)* Hæc absunt a vet. lib. et C. Th. quod sequor proboque. *Nam si quis vicarius)* Vicarii sunt præf. præt. vicarii viri spectabiles, qui ex mandato principis in diœcesam aliquam sive tractum mittuntur multas habentem provincias *l. 1. inf. de prox. sac. sc. l. 1. sup. de off. vic. l. 1. sup. ut omn. jud. l. 1. §. A præfecto. D. de leg.* 3. Propriam igitur jurisdictionem habent non a præfecto mandatam, quod et de legatis proconsulum vere possim affirmare, et si, quod opto, erit otium quandoque comprobabo. Quot fuerint vicarii cum in Oriente, tum in Occidente, Notitia Romani Imperii indicabit. Præsides sunt clarissimi, et sub eorum cura una tantum provincia est, et proprie ii sunt, qui ordinarii, et ἐμβαθμοὶ dicuntur, *l. ult. sup. de mo. mul. l. Omnes. sup. de episc. et cleric. l. 2. inf. de prox. sac. scri. Nov.* 20. 31. 103. 112. quasi infimi ordinis, ut ordinarii milites, hoc est, gregales et manipulares.

V. *Imp. Constantinus a. ad Uranium* Omnes omnino ad obligationem functionum pubblicarum oportet urgeri: lege enim nostra signatum est, nec esse extraordinaria nec vocari, quæ solemniter a provincialibus devotissimis conferenda sunt. *Dat. III. non. Feb. Constantio a. II. et Constante Coss.*

Canon proprie est pensio, quæ ex emphyteuticariis prædiis redigitur. Sed et obligatio, et indictio pro canonicis et ordinariis habentur: et ideo ab eis nemo excusatur. Ab extraordinariis plerique excusantur.

VI. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Dracontium Vic. Africæ.* Pro locis ac proximitate possessionum annonam ad limites transvehi præcipimus. *Dat. XV. Kal. Jul. Mediolani Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Ut transvehendæ ad limites et conferendæ annonæ militaris opus proximis possessoribus imponatur, l. 4. *inf. de erog. mil. an.*

VII. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodos. aaa. ad Principium pp.* In fraudem annonariæ rei, ac devotionis publicæ elicitum damnabili subreptione rescriptum, manifestum est jure non posse vires sortiri: circa omnes igitur par atque æqualis illationis forma teneatur. *Dat. VIII. Kal. Octb. Aquil. Arcad. a. I. et Bautone Coss.*

Ne ex rescripto quidem principis potest quisquam canonicas illationes subterfugere, quam sit contra utilitatem publicam. Unius enim immunitas onerat alios.

VIII. *Imppp. Valentin. Theodos. et Arcad. aaa. Cynegio pp.* Nemo possessorum ad instruendas mansiones vel conferendas species longius delegetur: sed omnes itineris ac necessitatis habita ratione delegentur. *Dat. X. Kal. Jan. cp. Arcadio a. i. et Bautone Coss.*

Mansiones vocant ἀλλαγὰς sive diversoria, in quæ se recipiunt milites expeditionis tempore, vel etiam sacer comitatus. Posteriores dixere Mansus: utrumque a manendo; at inde mansales in Historia Helmodii, et Gallis, *Maisons*. Villæ sic possunt appellari, συνήματα Clementi in Petro, ὡρισθέντων κατὰ δύο συνήματα. Separantur a civitatibus et oppidis in *l. 9. C. Th. eod. tit. l. 2. inf. de cond. in publ. hor. l. Medios. inf. de suscep. l. 2. inf. de luc. adv. l. Claudiopolis. C. Th. de decur.* Eæ annonis et pabulis instruuntur ex collatione vicinorum, non ex collatione eorum qui procul disjuncti sunt.

IX. *Iidem aaa. Cynegio pp.* Mediterraneæ civitates antea maritimis et maritimæ mediterraneis onerabantur expensis ut plus haberet dispendii translatio, quam devotionis illatio: hoc non solum in præsenti verum etiam in posterum prohibemus ea lege, ut se ultimo noverint supplicio puniendos, qui ista commiserint. *Dat. III. non. Sept. Valentiæ Honorio nb. p. et Evodio Coss.*

Ad limites ut ad mansiones annonarum transvectio finitimorum est, quia et collatio. Quorum igitur est collatio, eorum est etiam transvectio, nec quae contulerint, mediterranei, transvehent maritimi, vel contra. Alii sunt maritimi, alii ripenses, alii mediterranei, id est, a mari fluminibusve remoti. Cicero de suppliciis: *Veniunt nos homines maxime mediterraneos.*

X. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Minervio comiti r. p.* Obsistere commodis publicis et statutis necessitatibus non possunt privilegia dignitatum. Unde ut quisque de prædiis emolumentum consequitur, si non is evoluto anni spatio, intra sex menses omnem, cui esse constrictus dicitur, reliquorum intulerit cumulum, ad ipsos, qui sunt domini prædii, exactionem volumus pertinere. *pp. Romæ Honorio a. IIII. et Eutychiano Coss.*

Dignitates ab extraordinariis muneribus excusantur, ab statutis, id est, canonicis, non item: et ideo si coloni vel emphyteuticarii eorum, qui in dignitate positi sunt, annonarum, et tributorum onera non præstant, uti oportet, eis eorum præstatio incumbit. Deficiente colono, dominus convenitur, etiam si dignitate aliqua præditus sit, non quidem statim, sed post sex menses ab anno cujus indictiones colonus debet.

XI. *Iidem aa. Adriano pp.* Judices, quos circa profliganda ærarii nostri compendia negligentes ac desides fuisse constiterit, omnia, quæ in administratione positi perceperunt emolumenta, reddere compellantur. *Dat. XIII. Kal. Mar. Mediolan. Vincentio et Fravitta Coss.*

Judices, id est præsides, quorum munus est tributorum exactioni incumbere, l. *In fiscalibus. inf. de exac. tri. Nov.* 161. Cassiodorus in formula rectoris provinciæ: *Tibi fiscalium tributorum credita monstratur exactio.* Idem et Catholicorum munus est, et ex Constitutione Augusti jam ab initio Proconsulum. Dio LIII. τοὺς φόρους οἱ ἀνθύπατοι παρ' ὧν ἄρχουσιν ἐκπράττουσιν. *Circa profliganda)* Græci vertunt. εἰς ἐπαιτησίαν. *Emolumenta)* Annonas, capita, *l. Peræquatores. inf. de annonis.*

XII. *Imp. Theodosius a. Isidoro. pp. Illyrici.* Id ab unaquaque provincia censuimus expetendum quod ab iisdem nuper esse promissum tua sublimitas indicavit: ut nullus vero de cetero ad possessiones eorum (quod maxime formidant) inspector accedat. Macedonum reliqui exemplum secuti, mediæ quantitatis ut obtulisse noscuntur, tributa suscipiant. Sed hi, qui protestati sunt nihil a se ultra tertiam partem posse conferri, illud exsolvant, ad quod se indubitanter fore idoneos pollicentur. Quos dispositio in perpetuum observabitur, sacro-sancta Thessalonicensis civitatis ecclesia excepta: ita tamen ut aperte sciat, propriæ tantummodo capitationis modum beneficio nostri numinis sublevandum, nec extraneorum gravamine tributorum rempublicam ecclesiastici nominis abusione lædendam. *Dat VI. id. Octob. cp. Victore v. c. Cos.*

Duplex fuit Illiricum, Orientale et Occidentale, quod Beatus Rhenanus observavit ad librum de Notitia Romani Imperii. Hæc lex pertinet ad Illiricum Orientale, cujus duæ sunt diœceses, Dacia, et Macedonia. Daciæ provinciæ quinque, Dacia mediterranea, Dacia ripensis, Mœsia prima, Dardania, Prævalitana, et pars Macedoniæ Salutaris. Macedonia sex, Achaja, Macedonia, Creta, etc. Id vero constituitur hac lege, ut singulæ provinciæ Illyrici ea conferant quæ obtulerunt et promiserunt tantum, ut ne augendi tributi causa quisquam inspector vel peræquatuor provincialium possessiones accedat, id est, dimidiam canonis partem. Soli Achæi præstant tertiam partem, quod testati sint se amplius facere non posse: legendum in hac lege, ut in Vet. et Theod. pro, *Sed hi, Achæi.* Excipitur etiam Thessalonicensis ecclesia, quod et ante fuit propositum, l. *Sacrosancta. de sacrosanct. eccl.* Huic remittitur capitatio. Ceteris ecclesiis non item. Non licet abuti nomine ecclesiæ evitandorum canonum causa, *l. Placet. l. Omne. sup. de sacro. eccles.* ne gravetur Respub. quæ quo pluribus datur immunitas, eo certe majora tributa pendit, *l. 4. inf. de exact. trib. l. 1. inf. de colleg. l. 2. inf. de pr. do. Aug. Nov.* 43. Quid sit capitatio, mox dicam. Sequitur ultimo Constitutio quæ hactenus defuit.

XIII Αὐτοκράτωρ Ἀναστάσιος Ἀνθεμίῳ ἐπάρχῳ τῶν πραιτωρίων. Ἐὰν μὲν αἰτήσῃ ἐπαρχία ἢ πόλις κουφισμὸν λαβεῖν τυχικῆς συντελείας, ἢ ἐπόπτην, ἢ ἐξισωτὴν πεμφθῆναι, ἀναφερέσθω μὲν ἡ δέησις αὐτῶν εἰς βασιλέα, καὶ ἐξ ἐπιλογῆς αὐτοῦ ὁ ἐπιτήδειος πρὸς τοῦτο πεμπέσθω, ὅρκον πρότερον δεδωκώς, καὶ ἐάν τι μηνύσῃ οὗτος τοῖς ἐπάρχοις, μηδεὶς τύπος δεδόσθω ἐπὶ τὴν μήνυσιν αὐτοῦ, εἰ μὴ αὐτοὶ οἱ ἔπαρχοι ἀναδιδάξωσι βασιλέα πάντα τὰ παρ' αὐτοῦ ἀναδιδαχθέντα καὶ ζητηθέντα, καὶ οὕτως θεῖος ἐκφωνηθῇ τύπος ὀφείλων πᾶσι τούτοις παραφυλάττεσθαι· ὁ δὲ καθ' εἷς ἄνθρωπος δεήσεις περὶ τοιούτων ἐννοιῶν, μὴ ἐπιδιδότω· μήτε δὲ κουφισμὸς ἢ μείωσις ὁλικῶς, ἢ πρόσκαιρος, μήτε ἐποψία, μήτε ἐξίσωσις γινέσθω, χωρὶς βασιλικῆς ἐγγράφου κελεύσεως. ἀλλὰ μήτε ἐκταγὰς ποιείτωσαν οἱ ἔπαρχοι ὑπὲρ χρόνων προλαμβανόντων τὴν αὐτῶν ἀρχήν, μήτε σιτηρέσια τινὰ ἀφοριζέτωσαν, ἢ ἄλλως πως χρήματα, ἢ μὴ παρεχόμενα τὴν ἀρχήν, ἢ παρεχόμενα μὲν, διὰ δὲ τὴν ἔλλειψιν τῶν ταῦτα κομιζομένων σωμάτων ἀργήσαντα, ἢ διὰ τὸ παυθῆναι τὴν αἰτίαν σχολάσαι δι' ἣν παρείχοντο τὴν ἀρχήν, ἀλλὰ ταῦτα πάντα ἐκ βασιλικῆς μόνης αὐθεντίας γινέσθω κατὰ τὸν θεῖον ἔγγραφον τύπον. Οἱ δὲ μὴ τοῦτο παραφυλάττοντες καὶ τὸ διδόμενον οἴκοθεν ἀποδιδότωσαν, καὶ πᾶσαν

ἄλλην ζημίαν, ἣν ἂν ὑποστῇ τὸ δημόσιον μήτε δὲ ὑπερθέσεις, ἢ προθεσμίας ἐπὶ τούτοις ὀφειλομένοις δημοσίοις ἐνδιδότω τις, ἢ τὰς νενομισμένας προθεσμίας χωρὶς ἐγγράφου θείας κελεύσεως. Ὁ δὲ τοῦτο κατὰ αὐθεντίαν οἰκείαν ποιῶν οἴκοθεν καταβαλλέτω τὰ κεχρεωστημένα τῷ δημοσίῳ, μήτε δὲ τὰ πολιτικὰ χρήματα ὅσα, ἢ τῷ δημοσίῳ εἰσφέρεται, ἢ ταῖς πόλεσιν ἀφώρισται εἰς ἑτέρας μεταφερέσθω χρείας, ἢ προσώποις τισὶν ἀφοριζέσθω χωρὶς θείας κελεύσεως. Καὶ ἡ τάξις δὲ τῶν ἐπάρχων εἰ μὴ πάντα τὰ περιεχόμενα τῇ διατάξει ταῦτα παραφυλάξει καὶ διδάξει τοὺς ἐπάρχους, καὶ οἱ ἄρχοντες, τῶν ἐπαρχιῶν, καὶ αἱ πειθόμεναι τάξεις αὐτοῖς, καὶ οἱ λοιποὶ δημοσιεύοντες ἐν ταῖς τοιαύταις κελεύσεσιν ὑπουργήσωσιν, οἴκοθεν διδότωσαν τὴν συμβαίνουσαν τῷ δημοσίῳ βλάβην, καὶ ὡς τοῦ νόμου καταφρονήσαντες πεντήκοντα χρυσοῦ λίτρας προστιμάσθωσαν. Τριμερῶς δὲ πάντα τὰ δημόσια εἰσφερέσθω τάτε ἄλλα καὶ τὰ λεγόμενα ἀρμενιακά, τουτέστι καλάνδαις Γανουαρίαις, καὶ καλάνδαις Μαΐαις, καὶ πρὸς τῷ τέλει τῆς ἐπινεμήσεως ἐξ ἴσων τριῶν μερῶν διαιρουμένων τῶν δημοσίων, καὶ μηδεμιᾶς καινοτομίας ἐν τῷ μέσῳ γινομένης κατὰ τῶν συντελῶν. Ἐπειδὴ δὲ τὰ ἀρμενιακὰ τελέσματα ἐν δύο καταβολαῖς συνετελεῖτο ἔξεστι τοῖς ταῦτα συντελοῦσιν, εἰ βούλονται τὴν προτέραν συνήθειαν προτιμᾶν, καὶ ἐν δύο καταβολαῖς ἀνὰ ἥμισυ καταβάλλειν, καὶ τὸ ἕτερον ἥμισυ ἐν τῷ Σεπτεμβρίῳ τῆς μελλούσης ἐπινεμήσεως καταβάλλειν. Εἰ δὲ καὶ τριμερῶς βούλονται τὰ ἀρμενιακὰ δημόσια καταβάλλειν, ἐχέτωσαν τὸν Σεπτέμβριον μῆνα τοῖς μελλούσης ἐπινεμήσεως πρὸς ὑπέρθεσιν αὐτοῖς διδομένον· τὸ δὲ προεπεσταλμένον κατὰ σύνθεσιν εἰσφερέσθω ἐν τῷ προνομίῳ ἑκάστης ἐπινεμήσεως, ἐπειδὴ τοῦτο δηλοῖ, καὶ ἡ προσηγορία αὐτοῦ. *Dat. Kal. April. Paulo v. c. Cos.*

INTERPRETATIO LATINA.

Si provincia vel civitas revelationem petat animalis functionis, vel inspectorem, aut peræquatorem, referatur petitio ad principem, ejusque arbitrio idoneus mittatur prius jurejurando præstito: ex cujus tamen relatione facta præfectis prætorio non aliter forma ulla detur, quam si præfecti ea omnia quæ ab eo didicerunt et quæsierunt principem edocuerint, atque ita sacra proferatur forma modis omnibus observanda. Privati autem iis de rebus preces ne porrigant. Nec relevatio nec diminutio perpetuo, vel ad tempus, nec inspectio, nec peræquatio fiat aliter, quam ex scriptis jussione principis. Sed neque præfecti delegationes faciant pro tempore præcedenti, neque annonas vel pecunias quibusdam seorsim addicant, non præstitas initio, vel postea defectas causæ præstationis accipientiumve corporum defectu: verum hæc omnia fiant ex sola auctoritate principis scripto comprehensa; quod qui non observarint, et data et omne damnum quod fiscus senserit, ei de suo resarcient. Is etiam qui debitoribus fisci dederit dilationes, præscripseritve terminos alios quam legitimos sua auctoritate sine jussione principis, quæ debentur fisco de suis facultatibus exsolvat. Sed neque pecunias civiles fisco inferendas, vel civitatibus deputandas, in alios usus transferat, vel quibusdam personis deputet sine auctoritate principis. Et officium præfectorum nisi omnia, quæ constitutione continentur, observaverit, instruxeritque præfectos, et præsides provinciarum obsequentiaque illis officia, et ceteri qui res fiscales tractant, nisi iis jussionibus paruerint, fisco contingens damnum de suis facultatibus præstabunt, et legis contemptores L. libris auri multabuntur. Tripertito autem omnia fiscalia inferantur, ea etiam quæ Armeniaca vocant, videlicet Kal. Januariis, et Kal. Maiis, et ad finem indictionis in tres æquas partes divisa, nulla in medio collatoribus innovatione facienda. Quia vero Armeniacorum tributorum præstatio duabus pensionibus dividitur, liceat collatoribus, si velint, priorem consuetudinem huic Constitutioni præferre, et duabus pensionibus solvere, et aliud dimidium Septembri futuræ indictionis. Quod si velint tripertito solvere, habeant ad dilationem totum Septembrem mensem futuræ indictionis. Antemissum vero ut conveniat inferant in exordio cujusque indictionis: nam et hoc ejus significat appellatio.

Pro τυχικῆς lego ψυχικῆς, nam et ad l. *ult. D. de mun. et hon.* pecunias pro capitibus animadverti Græcos interpretari ψυχικὰ δημόσια *Animales functiones* in l. *Cum salit. in fi. inf. de agric. et cens.* l. *Forum. C. Th. de cel. dom. pom.* Census capitum alibi, et capita et capitationes, quæ vetustissimæ indictiones sunt Plutarch. περὶ παίδων ἀγωγῆς καὶ τῶν ἐθνῶν κατὰ κεφαλὴν εἰσφερόντων ἄργυρον. At videntur etiam capitationes de prædiis dici, *l. Si minor. sup. de act. emp. l. ult. C. Th. sine cens. vel reliq.* et Sidonio dum a Majoriano Imperatore terras suas relevari postulat scribenti: *Hic capita ut vivam in mihi tolle tria.* Sed hoc ideo, quia colonorum, mancipiorum, quæ in prædiis sunt, nomine præstantur. Privatorum autem postulationes ejusmodi hæc Constitutio non admittit. Reip. vel provinciæ admittit. Reservat ea quoque sibi Princeps hæc omnia, relevationis formam, inspectoria vel peræquatoria missionem in rem, Annonarum vel pecuniarum largitionem et alienationem, Dilationem solutionem. Quo in loco scriptum est: ἐν ταῖς τοιαύταις, lego εἰ μή. Κατατάξεις delegationes sive dispositiones præf. prætorio interpretor, ut in *Nov.* 157. et *l. ult. inf. de execl. trib. Suidas: Delegatio*, ἡ ἐκταγή.

TIT. XVII. *De Indictionibus.*

Indictiones nihil aliud sunt, quam annonæ vel tributa, *l. 3. sup. tit. prox.* Quid igitur hic titulus distat a superiore? Superior est de iis quæ indicuntur. Hic de indictionum ratione et forma. Porro indictiones cum essent anniversariæ, inde cœperunt anni per indictiones numerari, quas vocant ἐπινεμήσεις, ita ut eorum numerus non excederet XV. sed idem semper revolveretur. Cœpit hic mos Theodosii magni temporibus, ut Cedrinus scribit, vel Constantini potius, ut ex fastis quibusdam Græcis Onuphrius vir doctus et diligens prodidit, in quibus sub Cos. Constantini II. et Licinii II. ita est. Ἰνδικτιόνων Κωνσταντινιανῶν ἐντεῦθεν ἀρχή. Eas vero incipere mense Septembri indicat *l. ult. sup. tit. prox.* et *l. 1. inf. de mil. veste*, et *Nov.* 128. et species, quam Græci ponunt ad *l. 13. D. de jurisd. omn. jud.* de Gajo magno Drungario, cui princeps Titium successorem dedit, ut ab initio mensis Septembris sexta indictione magistratum inchoaret: non posse Gajum Sempronium jubere judicare post mensem Augustum quintæ indictionis: si tamen jussus judicare mense Aprili quintæ indictionis cœperit, necdum veniente Septembri pronunciaverit, judicium non solvi. Hæc tria sunt paria, Anno quinto, Indictione quinta, Fusione quinta, *l. 6. C. Th. de indul. deb.* ex quo apparet ratio nominis. Onuphrii etymologia non placet. Sed neque Georgii Cedrini, qui in Theodosio ab Actiaca pugna eam deducit.

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Palladio pp.* Omnes omnino, quocunque titulo possidentes, quod delegatio super indictione videbitur amplexa velut canones cogantur inferre: et ut ne qua sit dubietas, hac aperta definitione decernimus, ut id potius canonis vocabulo postuletur. Nulla igitur domus vel sacri patrimonii vel emphyteutici juris vel hominum privatorum (etiamsi privilegium aliquod habere doceatur) ab hac necessitate sejuncta sit, quæ jam non extraordinarium (ut hactenus) sed ipsis facientibus canonicum nomen accepit. *Dat. VII. id Jan. Ravennæ Theod. a. VII et Pallad. Coss.*

Malo *Superindictione*: legendum, *Superindicti nomine.* Græci ὀνόματι ὑπὲρ τὸν κανόνα. Superindictio ergo pro indictione canonica habetur, ideoque ab ea nullus excusatur. Imo vero ecclesia excusatur patrimonium rerum privatarum principis et viri illustres, atque alii quidam in dignitate positi. Quamobrem puto hanc legem de speciali quodam superindicto accipiendam esse, quod imperaverint Honorius et Theodosius, non de quolibet.

II. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Dario pp.* Particulari delegationum notitia ante indictionis exordium singulis transmissa provinciis, collationis modum a possessoribus multo ante prospectum devotionis solitæ, non subitis calumniis tua sublimitas faciat imputari. ut et provincialibus subeundi dispendii necessitas auferatur, et officiis inferendi damna licentia denegetur. *Dat. V. Kal. Sept. Apamiæ Isidoro et Senatore Coss.*

Devotionis) Legendum, *devotioni* τῇ καθοσιώσει.
Calumniis) Calumniæ species quædam est subito exigere provinciales nec præmonere. Est igitur præmittenda delegationis formula ante indictionis tempus, quod et Justinianus constituit *in Nov.* 128.
Dispendii) Propter improvisam exactionem.

TIT. XVIII. *De superindicto.*

I. *Imppp. Gratianus, Valent. et Theodos aaa. ad Procoss. Vicarios et omnes Rectores.* Nihil superindictorum nomine ad solas præfecturæ literas quis-

quam provincialis exsolvat, neque ullius omnino indictionis titulus etiam solemnis immineat: nisi cum nostro confirmata judicio, et imperialibus nexa præceptis sedis amplissimæ deposcat indictio, et cogat exactio. *Dat. VII. Kal. Jun. Med. Antonio et Syagrio Coss.*

Superindictum est augmentum indictionis, *l. 3. C. Th. de col. fun. pa. Augmenti*, inquit, *et Superindicta*. Marcellin. XXVII. *Indictionalis augmentum*. Athalaricus Rex IX. *Quod a nobis augmenti nomine quærebatur, illustrem virum Comitem patrimonii nostri nunc jussimus removere*: et alio loco: *Quicquid supra consuetudinarium functionum augmenti nomine petebatur*. Est autem munus extraordinarium a quo excusantur plerique, ut diximus *in l. 1. sup. tit. prox.* Porro constituitur in hac lege, ne quid præf. prætorio injussu principis indicat vel superindicat. Princeps emittit delegationem, tum ea insinuatur apud acta præf. præt deinde mittitur præsidibus ut exigant. Aor. 128

TIT. XIX. *De Exactionibus tributorum.*

I. *Imp. Constantinus a. ad Ælianum Proconsulem Africæ.* Ducenarii et centenarii sive sexagenarii non prius debent aliquem ex debitoribus convenire, quam a tabulario civitatis nominatim breves accipiant debitorum: quam quidem exactionem sine omni fieri concussione oportet. *Dat. Kal. Novemb. Trev. Constantino a. IIII. et Licinio IIII Coss.*

Ducena et Centena dignitates sunt in schola agentium in rebus et in officio sacrarum largitionum, *l. 1. C. Th. de Cursor. l. 1. C. Th. de mur leg. l. 5. C. Th. de decur. l. 3. C. Th. de cohor. princ. cor. l. 3.* et *4. inf. de agent. in reb. l. 5. inf. de pe nc. ag. in reb. l. 1. sup de offic. mag. offic. l. 1. inf. de luc. ad.* Eusebius V. I de Samosateno: καὶ ὑπαρξάντων κατὰ ἀξιώματα, ὑποδεξάμενος καὶ δουκηνάριος μᾶλλον ἢ ἐπίσκοπος θέλων καλεῖσθαι. Procuratores ducenarii dicuntur a Cypriano in Epistola: *Ac a*, inquit, *publice habitis apud procuratorem ducenarium*. Et a Svetonio in Claudio cap. 24. An igitur sic videntur appellati ducenarii et centenarii, itemque sexagenarii (de quibus alterum dumtaxat locum observavi in *l. 2. C. Th. de anno. et trib.* quam huic esse conjungendam inscriptiones et subscriptiones probant satis) a numero pecuniarum eis commissarum, qua ratione procuratoribus Cæsaris indita fuisse nomina Dio scribit lib. LIII. καὶ τοῖς γε ἐπιτρόποις καὶ αὐτὸ τοῦτο ἀξιώματος ὄνομα ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν διδομένων αὐτοῖς χρημάτων προσγίγνεται. Exegisse eos fiscales pecunias hæc lex ostendit, non tamen nisi ex brevi debitorum a tabulario confecto.

II. *Idem a. ad Populum.* Nemo carcerem plumbatarumque verbera aut pondera, aliaque ab insolentia judicum reperta supplicia in debitorum solutionibus, vel a perversis vel ab iratis judicibus expavescat: carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum est et officialium, et cum denotatione eorum judicium, quorum de officio certiores esse debebunt qui contra hanc legem admiserint. Securi juxta præsidem transeant solutores: vel certe si quis tam alienus ab humano sensu est, ut hac indulgentia ad contumaciam abutatur, contineatur aperta et libera et in usu hominum instituta custodia militari. Si quis in obdurata nequitia permanebit, ad res ejus omnemque substantiam exactor accedat, solutionis obsequio cum substantiæ proprietate suscepto, qua facultate præbita exactori, omnes fore credimus proniores ad solvenda ea quæ ad nostri usus exercitus pro communi salute poscuntur. *Dat. Kal. Februar. Const. a. VI. et Con. Cæs. Coss.*

Plumbatarum) Nemo melius hoc genus verberum expressit quam Prud. περὶ στεφάνων *de coronis*:

Tundatur tergum crebris ictibus,
Plumboque cervix verberata extuberet.
Pulsatus ergo martyr illa grandine,
Postquam inter ictus dixit hymnum plumbeos.

Ambrosius de passione Gervasii. *Jussit eum plumbatis contundi*, *l. 1. inf. de his qui pot. nom. l. Quilibet. inf. de decur. l. 2. C. Th. de quæst. l. 7. C. Th. de exact.* *Pondera*) Ammianus Marcellinus XXIX. *Expediuntur pondera plumbea cum fidiculis et verberibus*. Victor de pers. Vand. *Ingentia pondera pedibus colligantes*. *Carcer*) * Locus est valde depravatus eum si qua ratione restituere possem sæpius frustra tentavi. Sententia hæc fuit: Carcerem esse propositum noxiis, non debitoribus: Puniri judices et officiales qui contra hanc legem admiserint. *Juxta præsidem*) Melius in C. Th. *juxta eam solutores*, id est, collatores. *Indulgentia*) Summa hæc indulgentia est: nam ob debita privata carcerem patimur, l. 1. *sup. qui bo. ced. poss.* *Exactor*) Vel, *Exactor ejus*, melius C. Th. *Cives ejus accedant*, nam et paulo post a vet abest vox, *Exactori*, et cives admitti probat *l. pen. inf. hoc tit.* et bona eis addicuntur cum onere illationum debitarum.

* Hanc legem admodum juvenis tentavi restituere, neque hilum profeci, stromate 1. l. s. 25. imo *lex 6. ff. de action. emp.* quam volebam emendare operarum culpa omissa est: quo factum est, ut Pandectis Florentinis adscriberetur quod minime debuit. Delenda igitur sunt quæ præter mentem meam irrepserunt, et ita reponendum inductis omnibus quæ ibi leguntur, exceptis his quæ de plumbatis inseruntur. Non occurrit igitur emendatio dictæ legis *Nemo*, quæ animum meum expleat. Apponam tantum versionem Gallicam, quæ feliciori conjectori poterit esse subsidio. Hanc debeo (et plerique alii multa ei se debere profitentur ingenue) Nobiliss causarum patrono cum humanitate singulari prædito, tum elegantiori doctrina perpolito, qui libros tres posteriores Codicis in linguam Latinam conversos utendos mihi dedit. Sic igitur habet vetus versio Gallica. *Car chartre* (prison) *appartient as ma fecteurs et a ceulx qui ont de servir peine, et li officiaux qui metteront contre ceste loy devront suffrir tel peine, qui s'en sont mis hors de leur office.*

Ex Constantini igitur indulgentia debitores tributorum carcerem non patiuntur, cum tamen ob debita privata debitores in carcerem detruduntur: carcer enim pœnalium, carcer hominum noxiorum est, de quibus dici potest Lucretii illud IV. - - - *Scelerisque luela, carcer.* Illud autem non videtur semper obtinuisse Rufinus Aquilejensis de Vitis Patr. l. 16. *Nihi enim infelix est maritus, qui debiti fiscal a gratia sæpe suspensus, et flagellatus, ac pœnis omnibus cruciatus servatur in carcere, nec ullam ob causam producitur nisi ut tormenta patiatur. Tres autem nobis filii fuerunt, qui jam pro ejusd. m debiti necessitate distracti sunt. Ego quoque nunc ... quia ad similes pœnas inquirunt, de loco ad locum fugitans inedia miseriaque confecta per hæc nunc latitans aberro loco.* Vide Palladium Lausiacæ cap. LXIII.

Quod attinet ad l. 6. *de act. em.* sic legitur Florentiæ, *etiamsi ignoraverit*. Alii habent, *quia averit*. Puto legendum, *ignoraret*. A. Gellius libro I. 3. *Hoc profecto nemo ignorat*. Sic legitur in MSS. quibusdam: vetus Onomasticon, *ignoro*, ἀπογινώσκω, videtur legendum, ἀπογινώσκω, quod est, non agnosco. C. A. FABROTUS.

III. *Imp. Constan. a. Nemesiano Com. Sac. Lar.* Quoties quis et privati debitor invenitur et fisci, et abreptus ab uno officio tenetur: ad universi debiti solutionem qui eum abstulit coerceatur: ac totius summæ exactionem in se suscipiat, qui eundem avellendum subtrahendumque crediderit. *Dat. IIII. Id. Mai. Niz. Aman. et Albi. Coss.*

Debitor privati ærarii fisci ab uno officio abreptus et custodiæ militari traditus est. Ab uno officio, hoc est a largitionalibus vel a privationis. Lex sit ei utriusque debiti exactionem incumbere. Pro *coerceatur*, legendum *coarctetur*, ut in *l. 3. inf. de ope. publ. l. pen. in fin. inf. de agr. et cens.*

IV. *Iidem aa. ad Eustachium pp.* Actores ceterique rei privatæ nostræ ad solutionem specierum solemnium debiti vigoris auctoritate cogantur, ne provinciales rei privatæ nostræ fatiget immanitas. *Dat. VIII. Id. Mart. Romæ Limenio et Catulino Coss.*

Actores, procuratores, conductores rei privatæ ad solutionem canonum compelli possunt manu militari aut missione in possessionem. l. *Missi. l. pen. inf.* ne horum immunitas ceteros gravet. Græci. ἵνα μὴ ἡ τοῦ βασιλέως ἀτέλεια ἐπιβλαβὴς γίνηται ταῖς ἐπαρχίαις. Itaque vulgo male legitur *immanitas*.

V. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius aaa. Rufino pp.* Apparitores quicunque in collationem auri præcepti fuerint officii sui adhibere servitium, titulorum debita et collationum summas relationis suæ fide et adnotatione perscribant: atque ex officialis instructione officium conscium, quid exactum, quidve prælatum esse videatur: ne longinqui itineris diversitate susceptor abductus, et curiæ suæ desit, et rei familiaris detrimenta sustineat. *Dat. Prid. id. Apr. cp. Theodosio a. IV. et Abundancio Coss.*

Si quod jubeantur præfectioni aurariæ functionis exactioni operam dare, necesse est eos acceptorum et reliquorum rationem principali susceptori reddere, ut eorum instructione et relatione susceptor intelligat, quid solutum quidque reliquum sit. Pro, *prælatum*, legendum, *prolatum*, id est, dilatum. Græci: τί μὲν ἀπῄτησε, τί δὲ ἔτι λοιπάζεται. Sic in *l. 3. inf. de execut. et exact. quod exactum fuerit, quive in debitis habetur*. *Curiæ suæ*) Creatur enim susceptor aurarius ex curialibus, *l. 1. inf. de apoch. publ.*

VI. *Impp. Arcadius. et Honorius aa. Theodoro pp.* In fiscalibus debitis, hoc est annonariis, ceterisque titulis, qui ad arcam eminentissimæ pertinent præfe-

cturæ, nec non in iis debitis, quæ rationale usurpat officium: rectores provinciarum constringantur, et ad eos necessitas maneat exigendi. a quibus expectatur auctoritas. *Dat. Kal. Junii Mediol. Honorio a. IV. et Eutychiano Coss.*

Canones aut ærario inferuntur, aut arcæ sive mensæ præfect. prætor. ex qua emolumenta solemnia et pensiones præbentur. Fit hujus arcæ mentio in *l. 9. C. Th. de indul. deb. l. Duos. inf. de suscep. l. ult. inf. de app. præf. præt. l. pen. inf. de eur. pub.* Fuit et arca quæstoria quædam. Symmachus in Epist. *Ex arca quæstoria, itemque ex formarum conditis.* Et arca theatralis præf. urbi, auctore Juliano in *Nov.* LXIII. Varii autem sunt illationum tituli, veluti annonarum, tributorum, vestium, quibus omnibus exigendis præsides provinciarum vim et auctoritatem suam interponere debent, *l. 11. sup. de an. et trib. l. prox. in fi.* *Rationale*) Rationalis sacrarum largitionum aut rerum privatarum, et rationalium officiales.

VII. *Iidem aa. Adriano pp.* Missi opinatores cum delegatoriis, judicibus, eorumque officiis insistant, ut intra anni metas id quod debetur, accipiant: nihil his sit cum possessore commune, cui non militem, sed exactorem, si sit obnoxius, convenit imminere. Judices itaque qui provinciales passi fuerint opinatoribus ilelegari, ejusdem quantitatis duplex pœna retinebit, et apparitores ex quolibet officio sententiam deportationis excipient, si per semet exigendos voluerint delegare militibus: et curiales temporale manebit exilium, si eos quos solemniter exigere consueverunt, opinatoribus putaverint esse tradendos, cum judicem oporteat inquirere debitores, tabularios fideliter providere nomina debitorum, et apparitorum, et apparitores sive curiales consuetudine servata regionum convictis debitoribus imminere, ut perceptis congruis emolumentis, opinatores impleto anno ad proprios numeros valeant remeare. Qui si ultra annum protracti fuerint, judices et officia absque ulla mora de proprio enguntur exsolvere militibus, quod debetur, ipsis adversus obnoxios repetitione servata. Quod si ad nos aliqua de retentis ab opinatoribus querela pervenerit, in duplum ab his protinus exigetur, ut partem debitam miles, reliquam fiscus accipiat: judicibus quoque eorumque officiis eatenus subveniemus, ut in contumaces debitores cujuslibet dignitatis auctoritatem suam exerant: sic si impudenter solutio differatur, actores procuratoresque, eorumque prædia persequantur, de eorum quoque nominibus ad nostram scientiam relaturi. *Dat. III. Id. Jul. Med. Vincentio et Fravitta Coss.*

Opinatores sunt milites, qui in provincias mittuntur petendæ militaris annonæ causa *l. 11 et 14. inf. de erga. mil. an.* etc, ut opinor, dicti, quod exigant opinionem, id est censum agri. Glossæ Philoxeni. *Opinator*, ὁ τῆς στρατιωτικῆς ἀννώνης ἀπαιτητής. Male Haloander legit hoc loco, Optiones Hi sunt qui annonam militibus dividunt, *l. 9. inf. eod. tit. l. 3. inf. de apoch. pub.* et *Nov. Martiani de indulg rel. Nov. Justiniani* 129 et ideo recte ad *l. 1. D. de mun. et hon* Græci lib 54. βασιλικῶν, annonæ divisionem interpretantur optionem militum. Procopius 111. de bel. Vand. δς ἐπεμέλετο τὸ τῆς περὶ τὴν δίαιταν δαπάνης ὀπτίωνα τοῦτον καλοῦσι. Nominis ratio hæc, quod duces eos sibi optent dividendæ annonæ causa quasi adjutores, quo facilius cætera munia militaria obeant: qua ratione auxilia fœderatorum Optiones etiam dicuntur. *l. ult. sup. de loc. Nov.* 116. et 117. Duces illorum proprio nomine Phylarchi nam in *Nov.* 102. rectissime Julianus φύλαρχον interpretatur Saracenorum ducem, quos ex fœderatis fuisse constat. Procopius 1 de bell. Pers. οὐδεὶς δὲ οὔτε Ῥωμαίων στρατιωτῶν ἄρχων οὓς δοῦκας καλοῦσιν οὔτε Σαρακηνῶν τῶν Ῥωμαίοις ενσπόνδων ἡγούμενος οἱ φύλαρχοι ἐπικαλοῦνται, ubi Volaterranus perperam legit Chiliarchi. Idem paulopost. καὶ αὐτὸν βασιλεὺς φυλαρχόντων ἐν παλαιστίνῃ Σαρακηνῶν κατεστήσατο. Theodorus Anagnostes 2. Ἀλαμουνδάρου τοῦ φυλάρχου Σαρακηνῶν. Verum ut ad opinatores redeamus quibus de agitur in hac lege, missi in provincias non fungentur exactorum officio sed instabunt præsidibus et officiis eorum et curialibus tantum, quibus titulorum fiscalium exactio competit, ut intra anni spatium annonas accipiant, *l. 11. inf. de erog. mil. ann.* idemque de palatinis constituitur in *l. 2. inf. de can. larg. tit.* et *l. ult. inf.* et in *l. Nullum, sup. de off. rec pro* ad quam ita Theodorus, ἐπιτρέπει τούτοις ἐγκλεῖν καὶ κατεπείγειν τοὺς ἄρχοντας εἰς ἀπαίτησιν τῶν δημοσίων μᾶλλον δὲ καὶ συμπονεῖν τοῖς τούτων ταξεώταις εἰς τὴν συναγωγὴν τῶν τελῶν. Præsides potentiores exigunt Curiales sui ordinis viros, *l. 12. C. Th. de excul. trib.* et interdum omnes possessores secundum consuetudinem regionum. *Exactorem*) Lenior est appellatio exactoris quam militis. *Judices*) Præses qui provincialem patitur exigi ab opinatoribus, in duplum damnatur, officialis deportatur, curialis exulat ad tempus In duplum etiam damnatur præses qui opinatorem ultra annum protrahit, sorte opinatori, pœna fisco relicta. Debet itaque omnimodo intra annum, vel de suo annonas quæ efflagitantur, opinatori præstare, ne fiat longior mora, ac deinde a provincialibus eas repetere. Præstituitur et palatinis, præfectianisque annus in *l. 3. inf. de exsecut.* *Delegari*) Exigendos tradi. *Congruis emolumentis*) Competentibus annonis. *Nominibus*) Interest principis nomina eorum nosse, qui indevoti et inobedientes sunt.

VIII. *Impp. Leo, et Anthemius aa. Nicostrato pp.* Si divina domus aut quælibet alia, cujuscumque dignitatis atque fortunæ, revera fundos extra metrocomias, non patrocinii gratia, sed emptionis jure, vel qualibet alio titulo legitimo possederit, et non impositas Reipublicæ functiones agnoverit, quemadmodum prior dominus dependebat: omnibus modis possessionis eorum publico vindicentur, et curiæ ejusdem civitatis, sub qua vici sunt adsignentur, ut publicis commoditatibus circa tributarias functiones undique nostra provisione videatur esse consultum. *Dat. Kal. Sept. Anthemio A. II. Cos.*

Coloni capitationem præstant, *l. 1. inf. ne rustic. ad ul. obs. dev.* exceptis Thracensibus et Illyricanis, *l. 1. inf. de col. Tra.* et colonis Ecclesiæ Thessalonicensis, *l. 13. sup. de annon. et trib.* plebs urbana non item, *l. 1. inf. de capit. civ. cens. exim.* Sed neque μητροκωμῆται Qualis est metropolis inter urbes, talis est metrocomia inter vicos. Metropolis, caput materve provinciæ. vel ut Solinus, Florus, Marcellinusque loquuntur, mater urbium. Metrocomia, mater vicorum. Ut urbes a capitatione immunes sunt, ita et metrocomiæ, non etiam reliqui vici. Huic vero legi conjungenda est *l. 1. inf.* non *l. Hab.* et *l. 1. inf. ut nemo ad suum pat.* quæ eandem inscriptionem et subscriptionem habent. *Si divina*) Private principis domus: idem in ecclesia, *l. 5. et 6. sup. de sacros. eccles.* *Extra metrocomias*) Extra muros, *l. 1. inf. ne rustic. ad ul. obs.* *Non patrocinii*) Quod patrocinii gratia possidetur, vere non possidetur, *d. l. 1. inf. ut nemo ad suum pat.* *Et curiæ*) Possessores igitur cujuscomque dignitatis atque fortunæ si non solvant debitas capitationes, dominio prædiorum excidunt, eaque cum capitationes onere curiæ urbis, sub qua vici sunt, adsignantur: male volgo legitur, *Sub qua vincti sunt.* Sequitur Constitutio Græca, quæ deerat.

IX. Αὐτοκράτωρ Ἀναστάσιος Ἀνθεμίῳ ἐπάρχῳ τῶν πραιτωρίων. Ἵνα μὴ πολλῶν ἀπαιτούντων τὰ δημόσια, καὶ οἱ συντελεῖς βλάπτωνται, καὶ αὐτὸς ὁ δημόσιος λόγος εἷς μόνος κανονικάριος εἰς ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐκ τοῦ προσήκοντος πεμπέσθω σκρινίου, ὀφείλων κατεπείγειν τὴν εἴσπραξιν τῶν κεχρεωστημένων τίτλων τῷ ἰδίῳ σκρινίῳ· ἐξπελευστὴς μέν τοι μὴ πεμπέσθω εἰ μὴ μετὰ παραδρομὴν τῆς ὡρισμένης προθεσμίας, καὶ ἑτέρου μηνός· τούτου δὲ τοῦ χρόνου διατρέχοντος πεμπέσθω ὁ ἐξπελευστὴς προστιμωμένου καὶ τοῦ ἄρχοντος, καὶ τῆς τάξεως αὐτοῦ, καὶ τοῦ κανονικαρίου πρὸς τὸν οἶκον τῶν μὴ ἀπαιτηθέντων χρημάτων, καὶ πρὸς τὴν τῆς ῥᾳθυμίας ποσότητα, ὥστε τὸν αὐτὸν ἐξπελευστὴν, καὶ τὰ λοιπαζόμενα δημόσια, καὶ τὸ πρόστιμον εἰσπράξειν· μόνῳ δὲ τῷ ἄρχοντι, καὶ τῇ τάξει, καὶ τῷ κανονικαρίῳ ὁ ἐξπελευστὴς ἐπικείσθω ἀφοριζομένης αὐτῷ παραμυθίας, καὶ πρὸς τὴν ἐπαρχίαν τὴν χρεωστοῦσαν, καὶ πρὸς τὰ διαστήματα· τὴν δὲ παραμυθίαν ταύτην ὁ ἄρχων ἐπιγινωσκέτω καὶ ἡ τάξις αὐτοῦ· καὶ ὁ κανονικάριος ὡς αἴτιοι γενόμενοι τοῦ πεμφθῆναι τὸν ἐξπελευστὴν. ἐξπελευστὴς δὲ ἕτερος μηδέποτε πεμπέσθω μὴ δὲ ἄλλος τις μετὰ τὸν ἐξπελευστήν· ἐὰν δὲ νομίσωσιν οἱ ἔπαρχοι χρειώδες εἶναι τὸ καὶ ἕτερον ἐκπέμψαι μετὰ τὸν ἐξπελευστὴν, τὰ αὐτὰ καὶ ἐπὶ τούτῳ κρατείτω, καὶ τὴν ὁριζομένην αὐτῷ παραμυθίαν ὁ αἴτιος τοῦ πεμφθῆναι αὐτὸν παρεχέτω, τουτέστιν ὁ τῆς ἐπαρχίας ἄρχων, καὶ ἡ τάξις αὐτοῦ, καὶ ὁ κανονικάριος, καὶ ὁ ἐξπελευστής· ἡ γὰρ ἀφορισθεῖσα τῷ κανονικαρίῳ παραμυθία πᾶσι τοῖς μετ' αὐτῶν πεμπομένοις ἀπαιτηταῖς ἀρκεῖ, καὶ μηδὲν περαιτέρω, μήτε τὰ συστήματα τῶν πόλεων, μήτε οἱ συντελεῖς ἀναπειθέσθωσαν, εἰ καὶ πλείονες πρὸς ἀπαίτησιν ἐκπεμφθείησαν προστιμωμένων ἑκάστοτε πάντων τῶν εκπεμπομένων, καὶ μὴ ἀνυόντων τὰ δημόσια· καὶ ὅσαι δὲ γίνονται ἐκταγαὶ τῷ κανονικαρίῳ πεμπέσθωσαν, ὥστε δι' αὐτοῦ καὶ ταύτας ἀνύεσθαι, μὴ αὐξάνεσθαι δὲ διὰ τοῦτο τὴν ἀφορισμένην αὐτῷ παραμυθίαν· ἐνδοματικὰ δὲ μηδεὶς λαμβανέτω, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ ὄνομα παντελῶς ἀπαλειφέσθω· εἰ δὲ κατά τι παραβαθείη τὰ νομοθετηθέντα, πεντήκοντα χρυσίου λιτρῶν ἐπιτίμιον ἔστω, καὶ κατὰ τῆς τάξεως τῶν ἐπάρχων, καὶ κατὰ τῶν ἀρχόντων τῶν ἐπαρχιῶν, καὶ τῶν τάξεων αὐτῶν, καὶ κατὰ τῶν λοιπῶν δημοσιευόντων τῶν προσώπων. *Dat. XII. Kal. Aug. cp. Paulo v. c. Cos.*

INTERPRETATIO LATINA.

Ne exactorum multitudo cum fisci rationibus tum collatoribus damnum inferat, unus tantum in singulas provincias ex competenti scrinio canonicarius mittatur, qui eorum, quæ proprio scrinio debentur, exactionem urgeat: Compulsor plane non mittatur,

nisi post diem quo solvi debuit, et hoc amplius mensem alterum. At eo tempore elapso compulsor mittatur, qui non tantum reliqua fiscalia, sed et pro modo culpæ multam a præside et officio ejus et a canonicario exigat. Soli autem præsidi et officio et canonicario compulsor immineat, et pro ratione provinciæ atque itineris spatio solatium ab eis ferat, per quos factum est ut mitteretur. Verum alius compulsor nequaquam mittatur, nec alius quisquam. Si tamen præfecti ex usu esse existimaverint alium compulsorem mitti, eadem in eo serventur, et definitum solatium ei is præstet, qui mittendi causam præstiterit hoc est, præses provinciæ et officium ejus et canonicarius et compulsor. Constitutum namque canonicario solatium omnibus exactoribus post eum missis sufficit, nec eo amplius quicquam corpora civitatum vel collatorés præstare coguntur, etiamsi plures mittantur, iis qui missi sunt sigillatim multandis, nisi publica tributa expedierint. Quæcumque autem fiunt delegationes canonicario mittantur, ut eas per se expediat, nec ob eas augeatur canonicarii solatium. Ἐνδοματικὰ nullus accipiat, sed et nomen illud penitus aboleatur. Quod si qua ex parte quis legem trasgrediatur, et adversus officia præfectorum, et adversus præsides provinciarum et officiales eorum, ceterorumque publica tractantium personas, L. librarum auri pœna constituta esto.

Huic Constitutioni derogat *Nov.* 128. quæ vetat post canonicarium, compulsorem mitti. Mittitur autem ex hac Constitutione post mensem, quam solvi debuit: quod ita ex hac lege in libro ῥοπῶν Eustathius magister urbis Romæ notavit. Μετὰ μῆνα τῆς ὡρισμένης προθεσμίας πέμπεται ὁ ἐξπελευτής. Et canonicario quidem quod detur salarium, a collatoribus præstatur: Compulsori et aliis qui post compulsorem mittuntur, a præside et officio ejus, et canonicario et primo compulsore, qui in expediendis fiscalibus debitis negligenter versati sunt. De canonicariis memini me scripsisse aliquid Obs. 111. Græci ad *l. Nullum. sup. de off. rec. prov.* palatinos, canonicarios vocant. Illi sunt palatini qui mittuntur ex scrinio canonum: et ideo recte iidem ad *l.* 10 *inf. de murileg.* Ὁ κανὼν ὁ διδόμενος ἀπὸ σηρικοβλάτου καὶ μετάξης καθαρὸς εἰσαγέσθω κ'. λίτρας παρεχόντων τῶν κανονικαρίων, etc. De iis Majorianus. *Nov. de ind. rel.* Ἐνδοματικὰ sunt quæ dat collator exactori in hoc ut aliquid de exigendi severitate instantiaque remittat. Justinianus in *edicto de Alexandrinis*: καὶ τισι μεντῶν ὑπευθήνων ἐνδιδόναι καὶ τὰ καλούμενα ἐνδοματικὰ κομίζεσθαι.

TIT. XX. *De superexactionibus.*

I. *Impp. Arcadius et Honorius AA. Apolodoro Procons. Africæ.* Quicquid ultra debitum fuerit elicitum a curialibus vel cohortalibus vel aliis exactoribus, in duplum eruatur, quod provincialibus restitui protinus oportebit. Si quis autem exactorum superexactionis crimine fuerit confutatus, capitali periculo cupiditas ejus amovenda atque prohibenda est, si in iisdem sceleribus perseveret. *Dat. Prid. Id. Mor. Med. Stilicone et Aureliano Coss.*

Superexactores provincialibus tenentur in duplum. Obstat l. *Perœquatores. inf. de cens.* quæ quadruplum statuit, in peræquatores scilicet aut discussores, qui pecunia corrupti demunt uni quod transferant in alium, vel etiam pecunia redempti abstinent ab injuriis, ut l. *ult. inf. de discus.* De superexactoribus non loquitur. Obstat l. *Placet. inf. de exc. mu.* quæ de eo loquitur, qui quid exigit extra ordinem ex descriptione præf. prætorio, non de superexactore, cui non dupli tantum hac lege, sed et si perseveraverit, capitis pœna proposita est: quod tamen mutavit *Nov. Leonis* 61.

TIT. XXI. *De Capiendis et distrahendis pignoribus tributorum causa.*

I. *Imp. Constantinus a. ad Afros provinciales.* Res eorum qui fiscalibus debitis per contumaciam satisfacere differunt, distrahantur: comparatoribus data perpetua firmitate possidendi. *Dat. XV. Kal. Jun. Serdicæ, Constantino V. et Maximo Coss.*

Tributorum non solutorum causa pignora capiuntur et distrahuntur, *l.* 8. *sup. de fert.* Imo curiæ adsignentur, *l.* 2. *pen. sup. de exact. trib.* quod equidem fieri existimo non invento emptore. Vel utrumque est indifferens, ut aut bona contumacium distrahantur sine reliquorum onere, aut curiæ addicantur cum reliquorum onere. Non male Accursium adjecisse, post duos menses a die capionis, probat l. 1. *C. Th. de dist. p g. qui trib. cau. ten.* Emptorum securitatem, *tit. si prop. publ. pensit. sup.*

II. *Impp. Constantius et Constans aa. Restituto Præsidi Sardiniæ.* Satis sit debitorem annonarum ad solvendi necessitatem capione pignorum conveniri. *Dat. VIII. Id. Dec. Thessalonicæ Constantio VI. et Constante III. aa. Coss.*

Sufficit pignorum capio, nec vincula, aut tormenta adhibenda sunt

TIT. XXII. *De Apochis publicis, et descriptionibus curialibus.*

Apocha est professio solutæ pecuniæ. Antapocha est exemplum apochæ subscriptum a debitore et creditori datum: et hanc esse veram definitionem antapochæ probat *l. Plures. sup. de fide instr.* si modo, ut auctores sunt libri scripti, deleantur hæc verba, *vel antapocham suscipere*, quam Jacobus et Fulgosius sequuntur. Apocha debitor probat se solvisse, ut creditoris actionem excludat. Antapocha creditor probat sibi redditus, pensiones, usuras solutas fuisse, ut præscriptionem temporis summoveat, vel ut repellat colonum sese in libertatem asserentem. Apochæ securitas etiam dicitur, ἀμεριμνία, et ἀπόδειξις sæpissime in Novellis, et in libris βασιλικῶν. Petronius Arbiter in Satyrico: *Reddi mihi apocham defunctoriam*, id est, remissionem senilis ætatis Cassiodorus xi. *Merito testimonium solutionis securitas dicitur, de qua non solum animus, sed substantia communitur.* Sidonius. v. *Contra tributa securitatibus consule.* Dicuntur et Recauta in *Nov.* 130. ubi Græci vertunt ἐντρεπομένα non minus male, quam delegatores μενετὰ August. de cura pro mortuis: *Ubi esset recautum quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit.* Posteriores dixere Evacuatoriam in formulis Marculphi, ab evacuanda obligatione, ut quandoque Græci. ἀκυρωτικόν. Hic titulus est de apochis publicis, id est, de securitatibus, quibus functionibus publicis satisfactum esse comprobatur. Sequitur, *Et descriptionibus curialibus.* Descriptio fit adscripto singulorum collatorum nomine et collationis modo, de qua est *l.* 1. Vellem additum fuisset, *Et de quadrimenstruis brevibus*, quod forsitan addi etiam oportet, de quibus agitur in eadem. l. 1. Sunt autem quadrimenstrui breves, qui de singulis pensionibus conficiuntur a chartulariis, et ad officium palatinum, aut præfectum prætorio transmittuntur, *l.* 2. *inf.* Constat enim tribus pensionibus anni cujusque indictiones solvi, *l. ult. sup. de annon. et tribut. l.* 15. *et* 16. *Cod. Theod. eod. tit.* Cassiodorus: *Ut trina*, inquit, *illatione devotus possessor suam compleat functionem.* Et inde singularum pensionum breves quadrimenstrui sunt. Idem Cassiodorus XII. *Expensarum fidelem notitiam quaternis mensibus comprehensam, ad scrinia nostra dirigere maturabis, ut totius erroris caligine detersa, rationibus publicis veritas eluceat*: quæ Cassiodori verba Accursius usurpavit in *l.* 1. Majoranus *Nov. de ind. rel. Quadrimenstruis illationibus annuæ functionis celebretur exactio.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Anthemio pp.* Ad inferiorum curialium relevandas fortunas, et impressionem potentium itidem curialium cohibendam, placuit, ut descriptiones (si quæ per singulos ordines cogentibus diversis negotiis agitentur) non sumant ante principium, quam apud acta provinciarum rectoribus intimentur, et ex eorum fuerint receptæ sententiis. Sed et aurum quod ex hujusmodi contributione redigitur, ita debet susceptori aurario consignari, ut securitatibus nomen inferentis, dies, consul, mensis, causa et summa comprehendantur, quo et descriptionis æquitas illustretur, et descriptio documentis evidentibus fulciatur: hoc etiam observandum, ut quadrimenstruis quoque brevibus, qui ad excellentiæ tuæ officium solemniter diriguntur, celebratæ descriptionis dispositio societur: ut omnes vestræ potestatis scientiam formidantes, nihil ad relevationem locupletum atque inopum perniciem audeant pertentare. Quod et tunc optimum est custodiri, cum lucrativæ facultates ex bonis curialium curiæ obvenerint, ut et inopes et locupletes fructu provisionis simillimæ potiantur: quam dispositionem si quis judicum, numerariorum vel curialium mutilandam esse crediderit, interminationi, quam vestra sedes statuerit, sub jacebit. *Dat. VII. Kal. Sept. ep. Verona Cos.*

Descriptiones, sive ἀπογραφαὶ Curialium, non ante effectum habent, quam insinuatæ fuerint et receptæ a præsidibus provinciarum. Ita vero fieri debent servata proportione Geometrica, ut tenuiores decuriones a potentioribus subleventur, non onerentur. Puto legem

accipiendam esse de collatione auri coronarii, quod curialium menus esse constat. *Per singulos ordines)* Decurionum, per singulas civitates. *Et descriptio,* Legendum, *et descriptus,* id est, decurio qui aurum intulit. *Quod si hoc)* Res ipsa exigit, ut sicuti est in C. Th. absit hac parte verbum *Curiæ:* nam vel auri vel lucrativarum descriptionem curiales faciunt. De auri descriptione dictum est supra. Nunc dicit de lucrativarum descriptione quam sustinent non curiales, quibus curialium bona obvenerunt ex causa lucrativa, et constat ex tit. *de imp. luc. desc.* In utraque servari debet proportio Geometrica. *Judicum numerariorum)* Judices præsides sunt. Numerarii, officiales qui numeros agunt, proximi tabulariis, de quibus in *tit. de susceptor. infr.*

II. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Celeri Procons. Africæ.* Semel securitatem de refusione munerum emissam ab alio judice non liceat refricari: et ideo spectabilitas tua, saluberrimæ ac justissimæ præceptionis formam secuta, prohibebit in posterum eos ad discussionem transacti muneris constringi, quos claruit accepta securitatis prosperitate lætari. *Dat. V. Kal. Maii, Ravennæ post cons. Felicis et Tauri vv. cc.*

Non esse retractandam ejus illationis rationem, de cujus fide satis ex apocha constat. Quia ad proconsulem scribit, ait, *Spectabilitas tua.* Omnes proconsules sunt spectabiles.

III. *Imp. Marsianus a. Constantino pp.* Quicunque de provincialibus et collatoribus, decurso posthac quantolibet annorum numero, cum probatio aliqua ab eo tributariæ solutionis exposcitur, si trium cohærentium sibi annorum apochas securitatesque protulerit, superiorum temporum apochas non cogatur ostendere, neque de præterito ad illationem functionis tributariæ coarctetur: nisi forte aut curialis, aut quicunque apparitor, vel optio, vel actuarius, vel quilibet publici debiti exactor sive compulsor possessorum vel collatorum habuerit cautionem, aut id quod reposcit, deberi sibi manifesta gestorum adsertione patefecerit. *Dat. XV. Kal. Aug. Varrone et Joanne Coss.*

Qui prolatis apochis ostendit se proximis tribus annis solvisse, præsumitur etiam solvisse superioribus, itaque exactori incumbit onus probandi, quod et ad emphyteuticarium trahitur vulgo: *Quicumque apparitor)* Ex quolibet officio, *l. Miss. sup. de exact. trib.* Optio est erogator militaris annonæ. Optioni jungitur actuarius, et *Nov. Martiani de ind. deb.* et *l. Excellentiam,* et *l. ult. inf. de erog. mil. an.* qui Subscribendarius in *l. 1. C. Th. eod. tit.* Et annonario in *l. 3. C. Th. de numerar.* Zonaras in Acta Apostolorum c. 83 differentiam facit inter ὑπηρεσίαν στρατιωτικῶν διανομῶν, et τροφὴν στρατιωταῖς χορηγουμένην, ὑποδοχὴν et στρατολογίαν. Sed de his in *tit. de erog. mil. an.*

IV. *Imp. Justinianus a. Mennæ pp.* Securitatibus quæ publicarum functionum gratia, sive in solidum, sive ex parte solutæ esse conscribuntur, nullam exceptionem non numeratæ pecuniæ penitus opponi concedimus. *Dat. Kal. Jun. cp. dn. Justiniano. a. II Coss.*

Contra chirographa intra biennium opponitur exceptio non numeratæ pecuniæ. Contra apochas privatorum intra dies xxx. Contra apochas publicas, nunquam. Hæc lex pars est *l. In contractibus. sup. de non num. pec.* ex qua hanc sic emendo, *Securitatibus publicarum functionum stor, etc.*

TIT. XXIII. *De canone largitionalium titulorum.*

Canon largitionalium titulorum est, qui ex more infertur thesauris, vel privato ærario, ex quo princeps dona, et largitiones publice privatimve facit, necessaria comparat, *l. 2. inf. de capres. l. 1. inf. de sert'a'.* vel exequitur, *l. ult. inf. de pri. dom. Aug.* atque ideo idem dicitur Comes thesaurorum, sacrarum largitionum, sacrorum remunerationum vel munerationum, *l. 2. inf. de commer. l. Palatinos inf. de palat. sacr. larg. l. 41. C. Th. de appel.* et interdum παροχῶν a Græcis, quem Cassiodorus lib. VI. ait, præsidere donis imperialibus, et per eum erigi supplicum fortunas, et Kal. Januariis affatim largitiones fieri, qui dies largitionum etiam notatur in *l. Laudabile. sup. de adv. div. jud.* et a Nicephoro lib. x. cap. xxiii. Est et alius Comes privatarum largitionum.

I. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Loliano.* Omnem summam auri vel argenti, et reliquarum specierum quæ sacris largitionibus ex more penduntur, statim ut exactio fuerit celebrata, ad thesauros uniuscujusque provinciæ, vel ad proximos referri sub obsignatione tabularii ceterorumque, quos sollicitos esse debere præcedentia jussa decreverunt, et thesaurorum præpositis consignari præcipimus, ut ex inde ad sacrum comitatum integer omnium titulorum numerus dirigatur. *Dat. XII. Kal. Aug. Merobaude II et Saturnino Coss.*

Constituitur in hac lege, ut statim canon largitionum inferatur thesauris provinciæ, aut proximis thesauris, ac diu sit penes susceptores, *l. Dat. inf. de suscep.* et ut inferatur sub obsignatione tabulariorum ceterorumque, quos hujus rei cura attingit, et obsignatus tradatur præpositis thesaurorum cujusmodi multos fuisse sub dispositione Comitis sacrarum largitionum indicat Notitia Romani imperii, *l. 14. inf. de muril.* non nisi saltadato promoveri. *Ad sacrum comitatum)* Græci vertunt, ad urbem regiam. Porro ibi est et urbs regia et sacer comitatus, ubi opum dominus Imperator. Herodianus t. ἐκεῖ ἡ Ῥώμη ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ. Aliter Sicelos: ὅπου ἂν ὁ βασιλεὺς, ἐκεῖ καὶ πάσης τῆς τύχης οἶκος.

II. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Anthemio pp.* Neque sacrarum vel privatarum largitionum palatina officia, ex quacunque causa, vel ex quocunque titulo fiscalis debiti, cum ad provinciam mittuntur, possessores per se audeant convenire: sive id ex præterito reliquum trahatur, seu præsentis temporis tributa solvi conveniat: sed rectores provinciarum frequenter adeundo commoneant, eorumque officiis incumbant. Quod si rector provinciæ imminentem sibi memoratorum declinare molestiam quærens, vel qualibet alia ratione palatinis usdem propria auctoritate publicæ exactionis permiserit curam: tam ipse, quam officium ejus vicena auri pondo fisco dependant. *Dat. VII. Id. Dec. cp. Basso, et Philippo Coss.*

Palatinos jam sæpe diximus supra largitionales sive privatianos esse, qui pertinent ad Comitem sacrarum vel privatarum largitionum, et quod hac lege constituitur in *l. 7. sup. de exact. trib.* non provincialibus eos, sed præsidibus imminere, et hi maturent exactionem per se suave officia, non etiam delegatis his ipsis palatinis: quos si forte delegaverint, ex hac lege puniuntur, lenius tamen, quam si opinatores delegassent, ex *d. l. 7.* *Mittuntur)* A Comitibus, *l. 4. inf. de pal. sac. larg.* et inde Mittendarii dicti.

III. *Impp. Leo et Anthemius aa. Heliodoro Com. s. l.* Præcepit nostra serenitas, neque veloci cursui, neque alii præter inveteratam consuetudinem gravamini subjacere chartularios, qui de cohortalibus officiis uniuscujusque provinciæ largitionales titulos retractare constituuntur: cum et idem amplissima præfectura disposuisse perhibeatur, ut his necessitatibus liberati, fideliter largitionales titulos valeant retractare. Quod si aliquo tempore, nostra jussio temerario ausu ex aliqua fuerit parte violata: tam rector provinciæ, quam apparitor ejus triginta librarum auri condemnatione plectentur. Insuper virum spectabilem Comitem Orientis, ejusque officium licentiam habere conatus nefarios inhibendi tam moderatorum, quam cohortalis officii, cum de ea re admoniti fuerint a palatinis: et eandem pœnam formidantibus, si non omnibus modis pietatis nostræ decreta congruum mereantur effectum. Illud etiam generali forma sancimus, ut in omnibus provinciis tam nominatio specialium susceptorum largitionalium titulorum, quam defensio tractatorum, non tantum per viros clarissimos moderatores provinciarum, sed etiam per viros spectabiles proconsules, et præfectum Augustalem, ac laudabiles vicarios, una cum eorum officiis, admonentibus semper nec non imminentibus platinis, procuretur: providentibus: ut post nominationem etiam specialium susceptorum largitionalium titulorum, nulla minuendæ exactionis ad sacrum pertinentis ærarium, aut transferendi ad arcarios, aut quoslibet alios extraneos titulos, rectoribus provinciarum, aut eorum officiis, vel etiam curialibus licentia permittatur: quadrimenstruis brevibus per idoneum tractatorem eorundem titulorum, super commendan-

dis ratiociniis publicis, periculo rectorum provinciarum, ad sacratissimam urbem transmittendis: nam quacumque ex parte, quam jussit nostra tranquillitas, si minus fuerit procuratum: pœna superius designata tam ipsi judices quam eorum officia se noverint esse plectenda. *Dat. VII. Kal. Aug. cp. Anthemio. a. II. Cos.*

In singulis provinciis sunt perpetui præsidum apparitores qui Cohortales dicuntur, ac plurimum eis primipili necessitas aut exhibitio cursus injungitur, ut non male Patricius definierit Cohortalinos esse Beneficiarios habentes curam mansionum equorum, referente Thalelæo lib. 45. Βασιλικῶν, tit. 1. cujus verba subjiciam, quod in eis et legendis et intelligendis cæcutierit Hervetus ὁ ἀοίδιμος Πατρίκιος τοὺς κοορταλίνους καλεῖ μὲν Beneficiarios, λέγει δὲ φροντίζειν αὐτοὺς τῶν ἀλλαγῶν τῶν ἵππων, quod confirmatur *l.* 14. *inf. de cur. pub.* item *l.* 7. *C. Th. de cohor.* ea quæ est *l. Officiales. sup. de episc. et cler. Beneficiarii*, inquit, *vel officiales rationales si exhibitione cursus seu primipili necessitate neglecta*. Ex hoc cohortalium grege plerumque assumuntur qui tabulas vel chartas fiscalium debitorum tractent, agant, administrent, *l.* 10. *inf. de cohort.* Qui chartas tractant Chartularii dicuntur eadem ratione qua et chartularii divinarum domuum, magistrorum equitum et peditum, vel numerorum, sacri cubiculi, defensorum civitatum, fabricensium, Ecclesiarum. Et illis quidem id hac lege datur, ut ne sicut ceteri cohortales veredariæ necessitati, sive exhibitioni cursus obligentur, si ad tractandas chartas largitionalium titulorum ex eo corpore assumpti fuerint: pœna proposita in rectores provinciarum et eorum officia, si quem ex chartulariis ad ea munera adegerint, quos defendere potius et servare immunes debent, et hoc est quod paulo post ait, defensionem tractatorum eis incumbere. Tractatores enim et chartularios pro iisdem dici arbitror, et in *l. Nulli. inf. de numerar. l. ult. inf. de execut. Novell.* 23. 30. 128. 129. 147. nam et supra dixit, chartularios retractare largitionales titulos. Itaque vere possis dicere e chartulariis confici quadrimenstruos breves, de quibus in fine legis. *Comitem Orientis*) Sub Comite Orientis sunt xv. provinciæ Orientis, quarum præsides aut correctores si quid conentur illicite, coercitio Comitis erit, ut Zosimus scribit lib. 5. Palatinorum autem qui sunt sub Comite sacrarum largitionum partes eæ sunt, urgere, instare, monere, ne quid tale adversus chartularios attentetur. Videtur hoc in provinciis tantum Orientis ita constitui, verum porrigitur mos generaliter ad ceteras omnes. *Tam nominatio*) Ad nominatores periculum susceptionis spectat. *Præfectum Augustalem*) Qui in Ægypti provinciam mittitur proconsulari potestate, specialiter dictus est præfectus Augustalis, *l.* 1. *D. de offic. præf. Aug.* Eum habere Strabo τὴν τοῦ βασιλέως τάξιν scribit, Tacitus regis loco esse. Ammianus Marcellinus ait. *Ægyptus quæ jam inde ut Romano imperio juncta est, regitur a præfectis.* Sub eo sunt sex provinciæ Ægypti, Lybia superior, Lybia inferior, Thebais, Ægyptus, Arcadia, et Augustamnica, in cujus postremæ provinciæ nomine, ut hoc obiter dicam, error est in *l.* 9. *sup. de vectig. et com.* sicut et inscriptione, *l.* 3. *C. Th. de decur.* *Nulla minuenda*) nec minuendi sunt tituli, nec permutandi sive confundendi ut puta quod ærario debetur, arcæ præfectorum inferendum non est, quamquam sint revera omnes tituli fiscales: nec largitionalium susceptores rationes arcæ attingere debent, *l. Duos. inf. de suscept.*

Seu etiam) Omnes lib. vet. *Sed etiam*, ut in *l. Verba. sup. ad l. Jul. de adult. l. Intra. D. de div. temp. præsc.* Ait autem, *Sed etiam curialibus*, quod eos quoque tangat exactio et susceptorum nominatio.

VI. Iidem aa. Heliodoro Comiti S. L. Præcipimus, ut si forte delegatio quæ ab amplissima præfectura in diversas provincias ex more quotannis emittitur, minus contineat omnes largitionales titulos, aut quomodo exactio eorum debet procedere: nihilominus competentem exactionem eorum a viris spectabilibus tam proconsulibus quam vicariis et viro spectabili Comite orientis et præfecto Augustali, nec non rectoribus provinciarum eorumque officiis et curialibus procurari: vicenarum librarum auri condemnationem præ oculis habentibus, si quid minus exactum vel illatum fuerit sacro ærario, quam prisca et inveterata consuetudo sacris largitionibus inferri constituit. *Dat. Kal. Jul. CP. Anthemio a. II. Coss.*

Delegatio manat a principe, insinuatur apud acta præf. præt. ac deinde ab eo mittitur in singulas provincias. Solus ipse delegationes vel indictiones non facit, *l.* 1. *sup. de superind. etc.* Constituitur autem hac lege, ut solemnes canones præsidum et curialium cura exigantur, etiamsi per non curantiam forte omnes in delegatione comprehensi non sint: et igitur suppleant præsides quod delegationi deest.

TIT. XXIV. *Ne operæ a collatoribus exigantur.*

I. *Imppp. Valentinianus Valens et Gratianus aaa. ad Viventium pp.* Operarum præbitionem, quæ illicite a provincialibus hactenus expetita est, synceritas tua

Tom. 8.

cessare præcipiat. *Dat. X. Kal. Mar. Trev. Valentiniano nb. p. et Victore Coss.*

Cessare præcipit operarum præbitionem, eam tantum quæ exigitur illicite, non omnem, *l. Ad portus. sup. de oper. pub.* veluti equorum prosecutionem, *l.* 1. *inf. de rustic. ad ali. obs. don.* non tamen equorum prosecutoribus ministerium, *l.* 1. *inf. de fruct. et stat.* Operæ sunt quæ e Gallis dicuntur, *Corvées*, quasi operæ corporales, unde et Lugdunensibus *Vœé*, operam significat. Sunt igitur veluti angariæ quædam. At angariarum nomen latius patet, et separantur ab operis in *l. penult. inf. de agend. l.* 7. *C. Th. de extr. mun.*

TIT. XXV. *De immunitate nemini concedenda.*

I. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. ad Populum.* His nostræ serenitatis edictis civitatum tabulariis erit flamma supplicium, si cujuspiam fraude, ambitu, potestate, injusta cujusquam proliteretur immunitas; ac non secundum præcedentem definitionem omnes omnino, abolita specialium immunitatum gratia necessitas tributariæ functionis, firmata censitorum, peræquatorum, provincialium judicum peræquatione constrinxerit. *Dat. III. Non. Mart. Mediolano. Merobaude II. et Saturnino Coss*

Tabularii civitatum qui rationes tributorum tractent, si inique cujusquam immunitatis professionem admittant, vivi exurantur. Tollit hæc lex immunitates e quibusdam perperam impetratas, et *l. Immunitates. inf. de agr. et cens.* quæ huic conjungenda est, et revocantur omnes ad pristinam rationem census, censitorum, peræquatorum et præsidum judicio confirmatam.

II. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Anthemio pp.* Per Bithyniam ceterasque provincias possessores in reparatione publici aggeris, et ceteris hujusmodi muneribus, pro jugorum numero vel capitum, quæ possidere noscuntur, adstringi cogantur. *Dat. VII. Kal. Nov. cp. Honorio VIII. et Theodosio V. aa. Coss.*

Ait, *Ceterasque provincias*, videlicet Ponticæ diœceseos, veluti Galatiam, Cappadociam, Armeniam. Ait, *adstringi cogantur*, abolitis scilicet immunitatibus, *l.* 1. *sup. de oper. publ.* Sic emendavi ex Cod. Th. et ex vel (nec enim solus Codex Theodosianus sufficeret) et ex Græcis qui sic verterunt: ἀναγκαζέσθωσαν. Antea legebatur, *Dare cogantur*.

TIT. XXVI. *De conditis in publicis horreis.*

I. *Impp. Valentinianus et Valens. aa. ad Volusianum p. V.* Omnia quæ in horreis habentur, expendi volumus: ita ut non prius ad frumentum extendatur expensio, quod sub præfectura tua urbis horreis infertur, quam vetera condita fuerint erogata, et si forte vetustate species ita corrupta est, ut per semet erogari sine querela non possit: eidem ex nova portione misceatur, cujus adjectione corruptio velata damnum fisco non faciat: Ad istud autem negotium arbitratu ac judicio tuo nobis prudens, fidelis, optime sibi conscius pro integritate mentis apponatur custos ac mensor, qui vel frumenta modio metiatur, vel justis æstimationibus colligat, quanta habeantur in condito. *Dat. VI. Id. Apr. Divo Joviano et Varroniano Coss.*

Populo cura præf. urbi et præfecti annonæ in dies præbentur annonæ, et panes qui gradiles dicuntur, quod e gradibus qui in unaquaque regione urbis erant ad plebem, ut constat ex descriptione antiqua urbis, præbentur. Inde in *C. Th.* tit. *de annonis civicis et pane gradili.* Prudentius adversus Symmachum: *Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.* Cassiodorus xi. *Ut sive in gradu, sive in aliis locis frumentorum condita potuerint invenire.* Dantur frumenta pistoribus ex publicis horreis, iam deinde populo panes. Cavetur autem hac lege ut expendantur vetera primum, deinde nova: et si forte vetera corrupta sint, ut novorum admistione id vitium corrigatur. Item ut custodiendis, admetiendis, æstimandis conditis arbitrio præf. urbi idonei custodes et mensores præponantur. Hi vacationem habent munerum personalium, *l. His omnibus. §.* 1. *D. de vac. mun. l. Mensores. D. de excus.* Fuere in portubus Tyberinis horrea, et in his annonæ urbicæ rausa mensores portuenses, quibus junguntur caudicarii, id est, nautici frumentarii, *l.* 1. *C. Th. de can. frum. urbi Rom. l.* 9. *C. Th. de suar.* Et Romæ in veteri inscriptione ita: *Hinc etiam factum est, ut mensores, nos portuenses quibus certus fuit cum caudicariis diuturnumque luctamen, voti compotes abiremus, et utrumque corpus et beneficio se et victoria gratularetur affectum.*

II. *Iidem aa. Anthemio Præsidi.* Cum ad quamlibet urbem nlansiooemve accesseris, protinus horrea te inspicere volumus, ut devotissimis militibus depuratæ et incorruptæ species præbeantur: nam si per incuriam officii gravitatis tuæ sartorum tectorum neglecta procuratione, aliqua pluviis infecta perierint, ad damnum tuum referantur. *Dat. VII. Kal. Sept. Arelati Divo Joviano et Varroniano Coss.*

Sunt aliæ in provinciis, horrea, ex quibus militibus erogantur annonæ: ea præses provinciæ inspicere debet, an sarta tectaque sint, *l. Si in aliquam. D. de of. procons.* ne horrearim species corrumpantur.

Depuratæ) Omnes libr. vel. *Defloratæ*. Græci, ἄνθηρά καὶ ἀδιάφθορα εἰ ἔη.

III. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Anatolio pp. per Illyricum.* Nulli posthac horreaticas species contingendi copia præbeatur: si vero quisquam temerator horreorum extiterit, qui sibi ex prædictis aliquid audeat usurpare: hanc pœnam sciat nostro arbitrio definitam, ut deportationis pœnæ subjectus, totius substantiæ cogatur subire jacturam. *Dat. VII. Id. Jul. cp. Cæsario et Attico Coss.*

In insulam deportari eos qui horreaticas species præsumpserit. Deportationi juncta semper est publicatio bonorum omnium. Huc pertinet *l. 2. inf. de iis quæ ex pub. col. il. sunt non usurp.*

TIT. XXVII. *Ut nemini liceat in coemptione specierum se excusare, et de munere sitoniæ.*

Ostendi Observationum I. legendum esse, *Coemptione*, et quid sit coemptio, quam Græci συνωνὴν, male interpres *Nov. Tiberii de divinis domibus*, contributionem, vel onus. Coemit autem undique fiscus a provincialibus etiam invitis species annonarias usui publico, vel exercitui necessarias, Boetius I. de consolatione. *Cum acerbæ famis tempore gravis, atque inexplicabilis indicta coemptio profligatura inopia Campaniam videretur, certamen adversum præf. prætorii communis commodi ratione suscepi, rege cognoscente contendi, et ne coemptio exigeretur, evici.* Cura autem coemendi frumenti sitonia vel sitonicum appellatur: itaque hoc tit. sitoniæ, an sitonici legas, nihil refert.

I. *Imp. Anastasius a. Matroniano pp.* Quoties urgente necessitate comparationes frumenti vel hordei, aliarumque specierum quibuslibet provinciis indicuntur: nulli penitus possidentium sese sub cujuscunque privilegii occasione excusandi tribui facultatem censemus: omnique cuicumque possidentium, quocunque modo, quocunque tempore per sacros apices, vel etiam Pragmaticam sanctionem, aut judicialem forte dispositionem hujusmodi excusatio data est, vel postea data fuerit, licentia minime unquam contra tenorem nostræ legis saluberrimæ valitura. Adeo namque hujusmodi oners cnnctis, pro qua singulos portinne contigerit, volumus irrogari, ut ab iisdem comparationibus nec sacratissimam nostræ pietatis, nec serenissimæ nostræ conjugis domum pateremur subtrahere. *Dat. III. Kal. Aug. cp. Olibrio V. c. Cos.*

Non nisi urgente aliqua necessitate συνώνησις indicitur, velnti exercitus, aut urbis inopiæ sublevandæ causa, ac tum ab eo onere nemo excusatur, sed coguntur omnes species fisco vendere. *Hordei)* Forte, *olei* ut in *l. 2. inf. de can. frum. urb. Rom.* Curator frumenti, σιτώνης, Olei, ἐλαιώνης appellator, *l. ult. §. 3. D. de mun. et hon.* *Sacros apices)* Sacras adnotationes, quæ quidem fiunt consulto, de quo in *l. Sacri. sup. de divin. rescript.* Græci dixere σεβάσμια κεραία, et σεβασμίας καὶ θεοειδεῖς κεραίας. *Nec sacratissimam)* Indicto syonento actores etiam et procuratores divinarum domuum species annonarias fisco distrahere coguntur. Desiderantur sub hoc titulo aliæ duæ constitutiones Græcæ, quarum sententiam proponam ex lib. LVII βασιλικῶν.

II. Οἱ τὰς πόλεις οἰκοῦντες, ἢ ἐν αὐταῖς κεκτημένοι μὴ ἀναγκαζέσθωσαν εἰς ἑτέραν πόλιν, ἢ εἰς τὴν μητρόπολιν εἴδη χορηγεῖν· εἰ δὲ καί τις ἀπαραίτητος αἰτία καταναγκάσῃ τοῦτο γενέσθαι τοῖς δικαίοις τιμήμασι τοῖς ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει κρατοῦσιν ἐξ ὧν τὰ εἴδη παρέχεται πιπρασκέτωσαν ἐκείνων ταῦτα μεταπωλούντων τῶν δεομένων τῶν εἰδῶν· ὑπολογιζέσθω δὲ τοῖς πιπράσκουσι τὰ τιμήματα τῶν εἰδῶν εἰς τὰ συντελούμενα ἐν χρυσῷ παρ' αὐτῶν δημόσια· οὐδὲ γὰρ δίκαιον νῦν μὲν ἀπαιτεῖσθαι τινὰ παρέχειν εἴδη, μετὰ χρόνον δὲ αὐτῷ τὰ τιμήματα λογίζεσθαι, οὕτως εὐθύνης γενομένης, τοῦ λαμπροτάτου ἄρχοντος ἑκάστης ἐπαρχίας ἐγκελευομένου εἰς τὸ καταλογίζεσθαι τὰ τῶν εἰδῶν τιμήματα κατὰ τὰς ὡρισμένας προθεσμίας ὑπὲρ αὐτῶν ἐκπίπτεσθαι· μηδεὶς δὲ ἀναγκαζέσθω πιπράσκειν πᾶσαν χρείαν αὐτοῦ, ἀλλὰ τὰ ἐκπερισσεύοντα εἴδη· ἀσεβὲς γάρ ἐστιν ἀποστερεῖσθαι τινα οἰκείων, καὶ ἑτέροις ταῦτα χορηγεῖν ρ. χρυσίου λίτρας ὡρισμένου ζημίαν, καὶ κινδυνεύοντος εἰς τὴν ἀξίαν, καὶ τὴν ζώνην αὐτοῦ τοῦ παραβαίνοντος τὸν νόμον, ἢ συγχωροῦντος αὐτὸν παραβαθῆναι· μηδεὶς ποτὲ χωρὶς μεγάλης ἀνάγκης ἐπιταττέσθω τοῖς κτήτορσιν συνωνήν, καὶ ὅτε δὲ γίνεται κατὰ θείαν μόνον κέλευσιν γινέσθω ἐφ' ᾧ τε τῷ τῆς συνωνῆς χρυσίον ἐκ τῆς συντελουμένης παρὰ τῶν κτητόρων ἐν χρυσῷ συντελείας παρακατέχεσθαι, ἐὰν ὅλως τὰ τῆς οἰκείας αὐτῶν συντελείας ἀρκῇ πρὸς τὴν συνωνήν· ἐὰν δὲ μὴ χρεωστῶσι δημόσια οἱ τὴν συνωνὴν ἐπιταγέντες, ἢ μέρος χρεωστῶσιν, ἐν νομίσμασιν εὐσταθμοις πρότερον τὸ χρυσίον λαμβανέτωσαν, καὶ οὕτως τὸ εἶδος ἀπαιτείσθωσαν μηδενὸς τολμῶντος, ἢ περαστᾶμα δοθῆναι τὰ νομίσματα, ἢ ἐλλιπῶς ταῦτα καταβαλεῖν, ἢ ἄλλως τίνας ζημιῶσαι τοὺς ὑποτελεῖς, ἀλλὰ καὶ τὸ τετραπλάσιον παντὸς τοῦ παρ' ἀλλήλου, καὶ τῆς ζημίας ἀπαιτουμένου, καὶ τοῦ ἐλλιπῶς καταβάλλοντος. Εἰ δὲ καί τις συνωνὴν ἐπιτάξαι τολμήσῃ, ἢ τὴν ἐπιταγεῖσαν παρανόμως ἐνβιβάσει πεντήκοντα χρυσίου λίτρας προστιμάσθω, καὶ τῆς στρατείας καὶ τῆς ἀξίας ἐκπιπτέτω, ὑποκείμενος καὶ μείζονι κινήσει· καὶ ὅτε δὲ κατὰ θείαν κέλευσιν γένηται ἐπιταγὴ συνωνῆς, ἕκαστος τῶν κτητόρων πρὸς τὴν ἀναλογίαν τῶν ζευγῶν, ἤτοι ζευγοκεφαλῶν ὑποκείσθω τῇ συνωνῇ, μηδενὸς αὐτῆς αὐτῆς ἐξαιρουμένου. Ὁ δὲ ὑπὲρ ταύτην τὴν ἀναλογίαν ἀπαιτῶν τινὰ τῶν συντελειῶν προφάσει τῆς συνωνῆς, καὶ ζημίᾳ τῶν πεντήκοντα τοῦ χρυσίου λιτρῶν ὑποκείσθω, καὶ ζώνης καὶ ἀξίας ἐκπιπτέτω, καὶ ἑτέραν μείζονα προσδοκάτω κίνησιν. Ἀλλὰ ταῦτα χωρὶς τῆς Θρᾳκικῆς διοικήσεως νενομοθέτηται· ἐν Θρᾴκῃ γὰρ ἐπειδὴ οὐκ εἰς ὁλόκληρον εἰσφέρεται τὰ δημόσια διὰ τὸ προφάσει τῶν βαρβαρικῶν ἐφόδων ἐλαττωθῆναι τοὺς γεωργούς, καὶ μὴ ἀρκεῖν τὴν ἐν εἴδεσι συντέλειαν τοῖς κατ' αὐτὴν ἱδρυμένοις στρατιώταις, καὶ πάντων μᾶλλον ἀποστρέφεσθαι εἰς αὐτὴν στρατιωτικὰ τάγματα, ἀνάγκη ἐστὶ συνεχῆς πάνυ γίνεσθαι, ἐπειδὴ μὴ ἐνδέχεται δίχα συνωνῆς ἀποτρέφεσθαι τοὺς ἐν αὐτῇ στρατιώτας. Ἐν ἐκείνῃ τοίνυν τῇ διοικήσει ἡ μέχρι σήμερον κρατείτω συνήθεια, ὑποκειμένων καὶ τῶν ἐμπόρων τῇ συνηθείᾳ, πρότερον μέντοι καὶ τοῖς συντελεσταῖς, καὶ τοῖς ἐμπόροις καταβαλλομένου τοῦ τῆς συνωνῆς χρυσίου ἐν εὐσταθμοις νομίσμασι, καὶ ὀβρύζοις, καὶ οὕτως αὐτῶν ἀπαιτουμένων ἀδιαστρόφως, καὶ ἀζημίως τὸ εἶδος εἰσφέρειν, τοῦ δὲ ταῦτα παραβαίνοντος τοῖς αὐτοῖς ἐπιτιμίοις ὑποκειμένου. Βέλτιον γὰρ ἀντὶ τῆς ἰδιωτικῆς ἐμπορείας μᾶλλον τοῖς στρατιώταις, καὶ τοὺς ἐμπόρους χορηγεῖν τὰς ἀναγκαίας αὐτῶν ἀποτροφάς. Ἐὰν δὲ ποτε διά τινας πόλεις μὴ ἔχουσας σιτωνικὰ χρήματα, οὔτε ἑτέρωθεν εὐπορούσας ἀνάγκη γένοιτο συνωνὴν ποιήσασθαι, ἐξέστω μὲν τοῖς ἄρχουσι ταύτην ποιεῖν, ἐν μόνῃ δὲ τῇ ἐνορίᾳ τῆς πόλεως τῆς τοῦ σίτου δεομένης, καὶ ἐν τοῖς αὐτῆς ὁρίοις, καὶ κατὰ τὰ ἐν τοῖς τόποις κρατοῦντα κατὰ καιρὸν τιμήματα· τοῦτο δὲ παραφυλαττέτωσαν, καὶ οἱ πατέρες τῶν πόλεων, καὶ πᾶς ἕτερος, τῆς συνωνῆς προνοούμενος. Εἰ δὲ καὶ ἀνάγκη γένηται πολιτικὴν γενέσθαι συνωνὴν ὡς ἐπιζητουμένων εἰδῶν ἐν τῇ βασιλίδι πόλει, καὶ ἐν ταύτῃ κατὰ θείαν μόνην κέλευσιν προβαινέτω, τοῦ χρυσίου πρότερον κατὰ τὰ ἐπ' ἀγορᾶς ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις ὤνια παρεχομένου ἀδιαστρόφως καὶ ἀζημίως μετὰ τοῦ καὶ τὰ ναῦλα ἐκ τοῦ δημοσίου παρέχεσθαι ὥστε τὸν συντελεστὴν πιπράσκειν μόνον τὸ ἐπιζητούμενον εἶδος, καὶ πληρωθῆναι τοῖς δεομένοις τὴν χρείαν. Μηδὲν δὲ ἐκ ταύτης τῆς διατάξεως καινιζέσθω τὰ ἐπὶ τῇ συνωνῇ τῆς Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως διατετυπωμένα· ἀλλὰ κρατείτω καὶ ὁ θεῖος τύπος ὁ διατυπώσας τὰ περὶ τῶν ἐπεισάκτων στρατιωτῶν ἀποτροφῆς ὑποκείσθω δὲ τῷ προστίμῳ τῶν πεντήκοντα τοῦ χρυσίου λιτρῶν, καὶ τὸν εἰς ζώνην καὶ ἀξίαν ὑπομενέτω κίνδυνον. Ἥ τε μεγίστη τάξις τῶν ἐνδοξοτάτων ἐπάρχων, καὶ οἱ λαμπρότατοι τῶν ἐπαρχιῶν ἄρχοντες μετὰ τῶν πειθομένων αὐτοῖς τάξεων, καὶ οἱ κατὰ τόπον ἔκδικοι, καὶ ἄλλοι οἱ δημοσιεύοντες παραβαίνοντες αὐτοὶ τὸν νόμον, ἢ παραβαθῆναι συγχωροῦντες, ἢ μὴ μηνύοντες ἀνυπερθέτως, καὶ ἀληθῶς κατὰ τῶν παραβαινόντων αὐτόν.

INTERPRETATIO LATINA.

Civitatum incolæ, vel qui in eis aliquid possident, non cogantur in aliam civitatem, vel metropolim species conferre. Sed et si inevitabilis quædam causa id fieri exigat, justis pretiis, quæ in ea civitate obtinent, ex qua præbentur species, eas indigentibus vendant. Compensentur autem venditoribus pretia cum aoraria collatione: nec enim æquum est qui nunc præbuit species, et annonæ copiam attulit, ei postea pretia computari: et hoc fiat cura et solertia præsidis cujusque provinciæ. Nullus vero cogatur vendere omne id quod sui usus gratia comparavit, sed superflua tantum, quandoquidem satis impium est suis quemque defraudari, eaque in alios transferri, præside, qui legem violarive concesserit, c. lib. auri multando, et dignitate propria cinguloque spoliando. Nulla unquam citra ingentem necessitatem jussionemque principis possessoribus coemptio indicatur, nec aliter quam ut coemptionis aurum ex auri collatione possessoribus debita, si quidem ea omnimodo ad coemptionem sufficiat, retineatur. Quod si nihil fisco debeant ii quibus coemptio indicitur, aut partem tantum, prius in nummis ponderis probi aurum accipiant, quam ab eis

species exigantur, nemine audente vel injusti penderia, vel ex parte tantum nummos exsolvere, vel qua alia ratione collatoribus damnum dare, damni quadruplo et eo quod pretio deest ab eo qui secus fecerit exigendo. Sed et si quis coemptionem indicere ausus ait, vel indictam illicite exegerit, L. libris auri multabitur, et militiam ac dignitatem amittet, majori etiam commotioni subdendus. At cum ex mandato principis coemptio indicitur, unusquisque pro rata jugorum et capitum quæ possidet, coemptioni subjiciatur, nemine excepto, eo qui in exigendo hanc rationem non servaverit, L. librarum auri multam subituro, et dignitatem ac cingulum amissurn, et majorem aliam commotionem expectaturo Excipimus ab hac lege Thraciæ diœcesin. In Thracia enim quia tributa fiscalia in solidum non inferuntur, barbarorum incursibus colonis attritis, nec sufficiente specierum collatione ad alendos milites in ea consistente, quod omnium maxime interest, nec tamen sine coemptione præstari poteat, ideo eam frequentissime fieri longe necessarium est. In ea igitur diœcesi, quæ hactenus obtineat, consuetudo servetur, ei subjectis etiam eegntiatoribus, ut collatoribus et negotiatoribus coemptionis aurum primum solvatur in nummis obryzis et debiti ponderis, tum ab eis sine refragatione et damno ullo conferantur species: illo qui hæc non servaverit, eisdem subdendo pœnis. Melius enim est instar privatæ negotiationis militibus etiam negotiatores alimonia conferre. Quod si quandoque ob civitates aliquas inopes necesse sit coemptionem fieri, liceat præsidibus eam facere in territorio duntaxat ejus civitatis, quæ frumento indiget, et in confiniis ejus, et eo pretio quod ie locis pro tempore obtinebit: quod et patres civitatum observabunt, et quilibet alius coemptionis curam gerens. At si necessitas exigat civilem coemptionem fieri ie urbe regia deficientibus annonis, ea vero procedat ex sacra jussione, auro prius aiee dameo et dilatione præstito, ut in foro rerum venalium distrahuntur species, ita ut et naula ex publico præbeantur, et collator vendat solummodo suppeditetque egeetibus necessarias species. Nihil vero hac constitutione innovatur eorum quæ de coemptione magnæ Alexandrinorum civitatis disposita sunt sacra forma de annona militum evocatorum. Subjiciantur multæ L. librarum auri et periculo dignitatis ac cinguli, tam maximi apparitores gloriosissimorum præfectorum prætorio, quam clarissimi præsides provinciarum, ut eis obsequentia officia, et locorum defensores, et alii publicorum tractatores, si hanc legem violaverint, aut violari concesserint, aut confestim et vero ejus violatores minime detulerint.

Præcipua constitutionis capita hæc sunt: non fieri coemptionem sine auctoritate principis, nisi si quo municipia enormi caritate laborent: Reputari pretia specierum venditarum in collationem fisco inferendam, sicut et de sumptibus factis in transitu militum constituitur *Nov.* 129. vel etiam statim adnumerari. Coemptionem, exigi pro numero jugorum et capitum. Ait, πρὸς τὴν ἀναλογίαν τῶν ζευγῶν, ἤτοι ζυγοκεφάλων, ut in *Nov.* 17. et ad *l.* 2 *inf. de veste mil.* Græci ζυγοκέφαλα. Sunt qui jugationem tantum præstant. Sunt qui ζυγοκέφαλα, id est, jugationem et capitationem. Ex eadem *Nov.* 17. in *Nov.* 128. lego ἰουγάλων, pro ὀύλων, in Basilicis ἰουλίων. Alii metiuntur jugis, alii jugeris, ut Varro scribit Aliud ergo jugatio, aliud jugeratio. Legitur pragmaticum Justiniani ad petitionem Vigilii, cap. 26 *pro comparatione specierum collatores graventur.*

III. Ὅταν ἔν τινι πόλει σιτώνου γίνηται χρεία, κατὰ δοκιμασίαν καὶ ἐπιλογὴν καθεκάστην πόλιν ἐπισκόπου, καὶ τῶν ἐν τοῖς κτήτορσι πρωτευόντων γινέσθω ἡ ἐπὶ αὐτῷ προβολὴ οὐ κατὰ τὸ δοκοῦν τοῖς προβαλλομένοις, οὐδὲ ἐφ' οἷς ἂν βουληθείησαν προσώποις, ἀλλὰ μόνων τῶν ἐπὶ τῆς χώρας ἐκείνης ταξεωτῶν τῶν στρατευομένων, καὶ τῶν ἀποθεμένων τὴν τάξιν διὰ τῶν εἰρημένων προσώπων πρὸς τὴν σιτωνίαν προβαλλομένων ἐπειδὴ εὐχερέστερον οὗτοι ταῖς δημοσίαις χρείαις ἐντετριμμένοι ἐκ μακρῶν χρόνων τὸ τῆς σιτωνίας διανύουσι βάρος πάσης δὲ ζημίας ἀπαλλαττέσθωσαν οἱ σιτωνοῦντες καὶ πληροῦντες τὴν εἰρημένην χρείαν, κατὰ τὸ δίκαιον λογοθετείσθωσαν· οὐ γὰρ δίκαιον αὐτοὺς ἀντὶ τοσούτων κόπων καὶ ζημιοῦσθαι· χορηγείτωσαν δὲ τὸν σῖτον κατὰ τὰ ἐπ' ἀγορᾶς ὤνια, καὶ μηδὲν πλεονεκτείτω. Ὁ δὲ παραβαίνων ἢ παραβαθῆναι συγχωρῶν τὸν νόμον, λ. χρυσίου λίτρας ἐπιτίμιον καταβαλλέτω.

INTERPRETATIO LATINA.

Cum in civitate aliqua frumenti comparandi curatore opus est, ejus creatio fiat arbitrio et electione episcopi et primorum civitatis, non ut videbitur creatoribus, neque ex quibus voluerint personis, sed soli ex regione illa officiales militantes et dimissi ad munus illud sitoniæ ab eis promoveantur. Hi namque qui in publicis negotiis diu sunt exercitati, facilius sitoniæ munus expedient. At omni damno liberentur qui eam necessitudinem curamque sustinuerint, et secundum leges discutiantur, quandoquidem æquum non est ut ex tot laboribus damnum ferant, frumentum autem præbeant non majore pretio quam in foro distrahatur. Qui violarit legem aut violari concesserit, triginta librarum auri multam sustineto.

Fit ex hac constitutione sitonæ creatio arbitrio possessorum civitatis et episcopi, non ex quibuslibet, sed ex cohortalibus. Et indemnes sitonæ serventur, ut ex *l. ult. §. Item rescripserunt sitonas. D. de adm. rer. ad civ. pert.*

TIT. XXVIII. *De collatione donatorum vel relevatorum aut translatorum, seu adæratorum.*

I. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Hermocrati pp.* Dispositionem amplissimæ recordationis Antiochi, qui certam quantitatem ante se relevatis possessionibus nomine canonis indixit, non imminui decernimus: id enim, quoniam in canonem cecidit, et anniversaria debet pensitatione persolvi, nec in præteritum nec in posterum patimur esse concessum: indulgentiam vero memoratæ descriptionis, et in anteactum, et in posterum tempus, non solum in relevatis, verum etiam in donatis, adæratis, translatisque, seu quodcunque aliud nomen novæ descriptionis excogitatum est, volumus observari: nullamque super his unquam exactionis molestiam formidari, quibus non tantum reliqua præteriti temporis relaxamus, sed nec in posterum quicquam innovationis aut oneris adjiciendum esse censemus, nullique licere deinceps contra divalia statuta relevare suas possessiones: noverit tamen amplissimæ tuæ sedis officium, quod si aliquando nobis suggestio huic nostræ sanctioni contraria porrigatur, vel si sacris mandatis (si qua forte citra suggestionem his piis dispositionibus adversa manaverint) obsequatur, et alios tanquam debitores ex hujusmodi titulo crediderit exponendos: ducentarum librarum auri se condemnatione multandum. *Dat. XII. Kal. Dec. cp. Theodosio a. XVIII. et Albino v. c. Coss.*

Beneficio principum hæc sunt, donare possessiones dempto canone: relevare possessiones tributis, transferre possessiones in aliud jus aliamve functionem, veluti ex patrimoniali jure in privatum, vel ex una præstatione in aliam. Adærare, id est, æstimare et taxare pecunia, quod in annonis inferebatur Cum hujusmodi pleraque principes contulisset, necessitate urgente postea eis derogatum est sæpe, et remissæ possessionibus quantitatis pars alia atque alia, descriptionibus indicta et imposita est *l.* 15. *C. Th. de ind. deb. Nov. Marc. de ind. rel.* quæ omnes hac Theodosii Novella tolluntur, et si quæ sunt ex eis reliqua remittuntur, deincepsque constituitur ut in talibus prædiis ea tantum descriptio locum habeat quam Antiochus præf. prætorio ordinavit, cujus definitio exstat in *l. ult. Cod. Th. eod. tit.* (fuerat is præf. prætorio ante Hermocratem, ad quem hæc lex scripta est) et ut ei descriptioni post hac nihil adjiciatur, sicut ex *l. pen. inf. de om. agro des.* quam huic esse conjungendam ex integra Theodosii Novella, quam habemus, didicimus: at quæ de fundis patrimonialibus steriles sub certo canone susceperit, nullam etiam adjectione onerari potest Ad hæc, ut in posterum relevationem possessionum suarum ex liberalitate principis nemo petat, petitave fruatur: atque adeo ut ne ex hujusmodi titulo, relevatorum scilicet possessionum posthac a præfectianis alii quam qui ante hanc No

vellam fuerint quasi debitores exponentur. Legendum hoc loco pro. *Et aliquos, et alios, tanquam debitores*, etc.

TIT. XXIX. *De collatione æris.*

I. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Hilario pp.* Æris pretia, quæ a provincialibus postulantur, ita exigi volumus, ut pro viginti libris æris unus auri solidus a possessore reddatur. *Dat. V. Kal. Jun. Med. Arcadio IIII. et Honorio IIII. aa. Coss.*

Sunt quædam provinciæ quæ æs fisco inferunt veluti Cyprus, quam veteres ærosam dixerunt: quo exemplo utuntur Græci hoc loco, eodemque ad *l. 1. inf. de arg. pretio*, et Thessalonicos metallorum. Cyprus itaque æs et argentum inferi. Pro utroque si malit aurum inferre, id hac ratione faciat, ut pro singulis libris argenti, inferat quinos solidos, et pro vicenis libris æris, singulos solidos.

TIT. XXX. *De discussoribus.*

Discussores sunt veluti cognitores et disceptatores rationum fiscalium ab aliis tractatarum, *l. Cum post. sup. de appell. l. pen. sup. quor. ap. non rec.* quæ duæ leges conjungendæ sunt, vel etiam rationum publicarum, *l. ult. inf. hoc tit. l. 1. sup. de ratioc. op. pub.* Simmachus in epist. *Video basilicæ pontisque rationem recte quidem Bonoso præsidiali viro esse mandatam, cui et vigilantia superest ad illuminandas publicæ rationis ambages, et fides ad persequenda quæ examen invenerit. Sed vereor ne ludificationibus res injuncta frigescat obluctante eo quem socium discussionis accepit.* Hoc vero non quæratur in editis: multo certe plures restant non editæ quam editæ.

I. *Imppp. Valentinianus, Valens et Gratianus aaa. ad Arthemium Vic. Hispaniarum.* Quoties in disceptatione constiterit, inique discussionem fuisse confectam, et fidem facti non poterit adprobare discussor: ipse in eodem titulo et in eodem modo ad solvendum protinus urgeatur, in quo alterum perperam fecerit debitorem. *Dat. Prid. Id. Maii Valentiniano nb. p. et Victore Coss.*

Iniquus discussor sive λογοθέτης tanti damnetur quanti provincialem fisco debere constiterit. *In eodem titulo*) puta in auro vel argento, et in eodem modo, id est, eodem quantitate.

II. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Messalæ pp.* Ne diutius casu amissa securitate publica quædam præda nascatur collatoribus: decernimus ut quando securitates a discussoribus seu apparitoribus expositæ ratiociniis publicis continentur, rursus per injuriam non petantur. *Dat. V. Kal. Dec. cp. Stilicone et Aureliano Coss.*

Novella Valentiniani de indulg. reliq. valde pertinet ad hanc legem: quæ discussores refert in provinciis plerumque proficisci ambitione et suffragio potius, quam merito vel electione certa, et ingressos statim expetere cohortales atque statim etiam scholares: vulgo male legitur, *scalares*, sicut et in vita Martini a Sulpitio Severo composita, *scalares alur et stipatos multiplici satellitio proferre jussiones sacras, expetere securitates annorum serie et vetustate consumptas, et eis non extantibus inde prædæ occasionem captare, extantium acceptilationem divendere, denique apud improbum rei arbitrium nocere chartulam cum perit, nihil proficere cum extat, ex quo sequuntur innumeræ clades* etc. Hac lege constituitur, nihil nocere securitatum amissionem, servari illationum fidem posse ex rationibus et regestis publicis, ut dictum est in *l. 2. sup. de con. fisc. deb. l. 2. §. ult. sup. de quadr. præsc.* vel ea arca præf. prætorio, *Nov. 49.* sicut ex creditorum rationibus in privatis debitis, *l. 5. et 6. sup. de edendo. Ratiociniis*) Vide nostrorum Observ. IV. cap. 27.

III. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Apollonio pp.* Per singulas provincias vel civitates, honoratis usque ad comitivam consistorianam, nec non etiam militantibus, et suis obsequiis non adhærentibus, advocatis quin etiam fori provincialis, mandari discussionis jugorum sollicitudinem decernimus. *Dat. V. Kal. Janua. Eudoxio et Dioscoro Coss.*

Discussionis onus injungi posse non honorariis tantum Comitibus consistorianis, sed etiam in actu positis, si suis obsequiis non adhæreant, arg. *l. 1. inf. de colleg.* Item advocatis fori provincialis, quod cum *l. 6. sup. de adv. div. jud.* videtur pugnare, nisi eam ad illustrium et spectabilium judicum duntaxat advocationem referas, non ordinariorum judicum, quæ non nisi impleto hujusmodi munere, immunitate fruitur, *l. 1. inf. quib. mun. exc.* Sequitur l. 4. ex lib. 56. βασιλικῶν quæ exulabat.

IV. Μηδεὶς γινέσθω λογοθέτης χωρὶς βασιλικῆς κελεύσεως ἰδικῶς μεμνημένης τῆς αὐτοῦ τοῦ λογοθέτου προσηγορίας, μήτε κατὰ κέλευσιν τῶν ἐπάρχων, μήτε ἐκ προστάξεως ἄλλου οἱουδήποτε δικαστηρίου γινέσθω τις λογοθέτης ἐν ταῖς ἐπαρχίαις, ἢ πολιτικῶν ἔργων ἢ σιτωνικῶν χρημάτων, ἢ λιμενητικῶν, ἢ τῶν περὶ τοὺς δημοσίους ὁλκοὺς τῶν πόλεων δαπανωμένων, ἢ περὶ τειχοποιΐαν, ἢ περὶ ὑδροφορίαν, ἢ γεφυρῶν, ἢ μύλων κατασκευήν, ἀλλ' οὐδὲ τῶν λουτρωνικῶν χρημάτων, ἢ ἄλλως ὁπωσοῦν εἰς πολιτικὴν ζήτησιν ἀνασπωμένων χωρὶς βασιλικοῦ τύπου· αὐτὸς γὰρ ὁ βασιλεὺς εἴτε ἐκ δημοσίου χρήματα ἐκπέμψῃ πρὸς τειχοποιΐαν, ἢ ἑτέρου παντὸς ἔργου κατασκευήν, εἴτε εὕρῃ παρ' ἑτέρου καταλελειμμένα χρήματα πόλεσι πρὸς ἅπαξ, ἢ καὶ διηνεκῶς ὅτε ἂν αὐτῷ παραστῇ, πέμπει τὸν λογοθέτην καὶ τὸ ἔργον ὀφείλοντα μετρῆσαι, καὶ ἀκριβεῖς λογισμοὺς ποιήσασθαι, καὶ εἰς τὸ θεῖον αὐτοῦ κράτος ἀναγαγεῖν, ἐφ' ᾧ τε γενομένης ὀρθῶς τῆς δαπάνης θείαν γενέσθαι παρ' αὐτοῦ τοῖς δεδαπανηκόσιν ἀμεριμνίαν, καὶ μηκέτι δευτέραν ζήτησιν αὐτοὺς ὑπομένειν, ἢ κληρονόμους αὐτῶν, ἢ διαδόχους· εἰ δὲ καὶ ὁ λογοθέτης πεμπόμενος ἐπιτραπείη ποιῆσαι ἀμεριμνίαν τοῖς ὀρθῶς δεδαπανηκόσι τὰ χρήματα, καὶ μετὰ τῆς τῶν λόγων ἐρεύνης ἔχηται αὐτῶν ἀμεριμνίαν τοῖς ὀρθῶς δεδαπανηκόσιν ἔστω καὶ αὕτη κυρία, ὡς μήτε θείας ἀμεριμνίας δεῖσθαι τὸ λοιπὸν, μηδὲ ἑτέρας ἀσφαλείας τὸν δαπανήσαντα, ἢ τοὺς κληρονόμους αὐτοῦ, ἢ διαδόχους, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι τῇ τοῦ λογοθέτου ἀσφαλείᾳ. Ἐπαγγελλέτω δὲ καὶ δαπάνας διδόναι τοῖς λογοθέταις ἡ διάταξις ἐφ' ᾧ τε ἀζημίως αὐτοὺς ποιεῖσθαι τὴν λογοθεσίαν· ὁ δὲ οἴκοθεν δαπανῶν, ἢ περὶ ἔργα τῆς πόλεως, ἢ περὶ ἄλλην κοινωφελῆ χρείαν μηδενὶ ὑποκείσθω λογοθεσίῳ μηδὲ αὐτὸς μηδὲ κληρονόμος, μηδὲ διάδοχος αὐτοῦ· μηδὲ ἐπὶ ζητήσει δημοσίων λογισμῶν, οἷον ἐπὶ κερδῶν, ἢ τῶν λεγομένων ἀγωγικῶν, ἤτοι παραπομπικῶν, ἢ τῶν δαπανωμένων περὶ τοὺς δημοσίους ὄνους, ἢ ὀνηλάτας, ἢ τῶν διαγραμματικῶν, καὶ τῶν ἄλλων ἃ γενικῷ ὀνόματι καλεῖται *Solemnia*. Μηδεὶς δὲ τῶν ἀρχόντων πεμπέτω λογοθέτην, ἀλλὰ ἀναφερέτω πρὸς βασιλέα ἐφ' ᾧ τε παρ' αὐτοῦ πέμπεσθαι τὸν ἐπὶ τούτοις λογοθέτην, μηδὲ ἄχρις ἑνὸς ὀβολοῦ ὀφείλοντα κερδᾶναι, ἀλλὰ τῷ τε δημοσίῳ λόγῳ, καὶ τοῖς ὑποτελέσι φυλάττειν τὸ δίκαιον· ἐὰν οὖν εὕρῃ παρά τισι χρήματα δημόσια ὁ λογοθέτης ἀνύσῃ αὐτὰ, καὶ εἰς τὸ θεῖον ornamentum εἰσκομίσῃ, ἔξεστιν αὐτῷ καθεκάστην λίτραν ἓξ νομίσματα ὑπὲρ θεραπείας παρακατασχεῖν. Εἰ δὲ παρὰ τῶν ὄντων ἐν ἐπαρχίαις, ἢ ἑκόντων, ἢ ἀκόντων ἄχρις ἑνὸς ὀβολοῦ λάβῃ, αὐτὸς μὲν τὸ λαμβανόμενον ἀποδιδότω τετραπλάσιον ὀφείλων εἰσκομισθῆναι τοῖς δημοσίοις, καὶ ποινὰς βασιλικὰς πειράσθω ὡς τὸ δημόσιον προδεδωκὼς, ἢ τοὺς συντελεστὰς ἀδικήσας. ὁ δὲ ἀνασχόμενος παρασχεῖν ὡς διὰ τοῦτο καθομολογῶν ὑπεύθυνον αὐτὸν εἶναι τοῖς δημοσίοις, ἀπαιτηθήσεται πάλιν τὰ περὶ ὅσων ὑπέμεινε ζήτησιν ὀφείλοντα εἰσκομισθῆναι τῷ δημοσίῳ λόγῳ, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ τῶν *Solemnium* ζητήσει ὁ βασιλεὺς μανθάνων τὸ γενόμενον λογοθέσιον, θείαν ἀμεριμνίαν ἐκτίθεται τοῖς λογοθετήσασι μηκέτι δεύτερον εὐλαβουμένοις λογοθεσίαν, αὐτῷ τῷ λογοθετοῦντι ἐπιτρέπων τοῖς λογοθετουμένοις ποιεῖν ἀμεριμνίαν ἐφ' ᾧ τε τοὺς ταύτην λαμβάνοντας μηκέτι δευτέραν μένειν λογοθεσίαν· μήτε δὲ ὑπὲρ τῆς γενομένης ἀμεριμνίας λαμβανέτω τι παντελῶς ὁ λογοθέτης, ἀλλ' ἐὰν ὅλως ἐπιχειρήσῃ τι λαβεῖν ἄδειαν ἐχέτωσαν οἱ κτήτορες, καὶ πολῖται, καὶ ἀποθέσθαι τὸν ἐκβιβασμὸν αὐτοῦ, καὶ δεήσεις ἐπιδιδόναι τῷ κατὰ καιρὸν βασιλεῖ, ὥστε πεμφθῆναί τινα κατὰ χώραν τὸν ὀφείλοντα ποινὴν εἰσπράξαι τὸν ἐπιχειροῦντα τι ἀπαιτῆσαι. Εἰ δὲ καί τις ἄρχων μετὰ τὸν παρόντα νόμον χωρὶς θείας ἐγγράφου κελεύσεως πρὸς αὐτὸν πεμπομένης ἀποστείλῃ λογοθέτην ἐπὶ οἱονδήποτε τῶν εἰρημένων ἔτι αὐτὸς μὲν ὁ ἄρχων εἴκοσι χρυσίου λίτρας πρόστιμον ὑποστήσεται, ἡ δὲ τάξις αὐτοῦ, πέντε καὶ δέκα· μήτε προφάσει ἀνακαθάρσεως ὀχετῶν, ἢ τῶν πρὸς τοῖς τείχεσιν οἰκοδομημάτων, καὶ τῆς αὐτῶν καταλύσεως, ἢ τῶν ἐν ταῖς δημοσίαις στοαῖς γινομένων τῶν καλουμένων προβουλείων καὶ ἐργαστηρίων, ἢ τῶν ἐν τοῖς μεσοστύλοις τῆς πόλεως οἰκοδομουμένων ὡς ὀφειλόντων ἀνατραπῆναι, ἢ περὶ εἰκόνων, ἤτοι αὐτοπροσώπων ὅλως ἱππικῶν, ἢ πολιτικῶν ζητήσεων ποιείσθω τινὰς προστάξεις. Εἰ δὲ καὶ ποιήσει ἄδειαν ἐχέτωσαν οἱ ἐν ταῖς πόλεσι τὸν ἐντεῦθεν ἐκβιβασμὸν ἀπωθεῖσθαι, καὶ μηδεμίαν ἀπόκρισιν ποιεῖν ἐν τῶν τοιαύταις * πράξεσι· μετὰ τοῦ καὶ τοὺς ἄρχοντας τῶν ἐπαρχιῶν, εἰ τοῦτο τὸ γινόμενον σιωπήσουσιν· καὶ πᾶσαν πολιτικὴν, καὶ δημοσίαν βοήθειαν τοῖς αὐτοῖς ὑποκεῖσθαι ἐπιτιμίοις, ἐξουσίαν ἐχόντων τῶν βουλομένων δεήσεις ἐπιδιδόναι βασιλεῖ, καὶ δι' αὐτῶν διδάσκειν τὰ γινόμενα ὡς ἂν ἐκ βασιλικῆς ἀγανακτήσεως ἐπακολουθήσῃ διόρθωσις, πρὸς τὸ καὶ τοὺς προστάξαντας ἄρχοντας γενέσθαι τι τοιοῦτο εἴκοσι χρυσίου λίτρας προστιμᾶσθαι, καὶ μείζονα προσθήκην βασιλικὴν ἀγανάκτησιν· τὰς δὲ πειθομένας αὐτοῖς τάξεις μετὰ τοῦ προστίμου τοῦ πέντε καὶ δέκα τοῦ χρυσίου λιτρῶν, καὶ τὴν ἐν σώματι τιμωρίαν ὑπομένειν· μόνον γὰρ ἔξεστι τῷ βασιλεῖ, καὶ τὴν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ἐποψίαν ἐπιτρέπειν ἀνδρὶ καθαρῷ, καὶ τὴν ἀλήθειαν, καὶ πρὸς ὠφέλειαν τῶν πόλεων τὰ τοιαῦτα ζητοῦντι, καὶ μηδὲν παντελῶς ὑπὲρ αὐτῶν κομιζομένῳ· προνοείτωσαν δὲ οἱ τῶν πόλεων πατέρες, καὶ οἱ τῶν κτητόρων εὐπόληπτοι, ὥστε μηδένα πολιτικὸν τόπον, ἢ δημόσιον, ἢ πρὸς τὰ τείχη, ἢ ἐν ταῖς δημοσίαις στοαῖς, ἢ λατρείας, ἢ ὁπουδήποτε κείμενον ὑπό τινων ἀλόγως κατέχεσθαι, καὶ μὴ ἐκδίδοσθαι τόπον πολιτικὸν χωρὶς θείου τύπου, τὰ γὰρ παρ' αὐτῶν μὴ ὀρθῶς ἐκδιδόμενα ἀνατρέπεσθαι, καὶ ζημιοῦνται οἱ ἐξειληφότες· προνοείτωσαν δὲ οἱ αὐτοὶ ὥστε τοὺς ἐκ τύπου θείου ἔχοντας νομὴν ὕδατος μὴ πλεονεκτεῖν τοὺς ἑτέρους. καὶ τὸν μὲν πλέον, τὸν δὲ ἔλαττον λαμβάνειν, ἔργον δὲ ἔστω τοῦ μεγαλοπρεπεστάτου κόμητος τῶν θείων ἰδικῶν τοῦ βασιλέως, καὶ τῶν ὑπηρετουμένων αὐτῷ παλατινῶν διερευνᾶν ταῦτα, καὶ προσαγγέλλειν, καὶ τὴν τῶν ἐπικειμένων προστίμων εἴσπραξιν ποιεῖσθαι, ἢ ἐὰν ῥᾳθυμήσειεν εἴκοσι χρυσίου λίτρας προστιμᾶσθαι, τὴν δὲ τάξιν αὐτοῦ πέντε καὶ δέκα.

* (forte προστάξεσι vel εἰσπράξεσι. Sic in edit. Op. Cujac. Paris. 1577.

INTERPRETATIO LATINA.

Nemo fiat discussor aliter quam ex jussione principis specialiter discussoris faciente mentionem, non præfectorum jussu, non ex præcepto alterius cujusquam judicis, non civilium operum vel pecuniarum frumento comparando destinatarum, vel portuum, vel eorum quæ impenduntur in aquæductus murorumve constructiones, vel ad vias sternendas, vel ad pontium et aggerum instructionem, sed neque pecuniarum ad lavacra destinatarum, vel alio quocunque modo ad civilem rationem pertinentium. At princeps sive ex ærario pecunias miserit ad mœnium, vel alterius operis constructionem, sive ab alio relictas civitatibus pecunias invenerit, semel vel etiam sæpius cum ei sederit animo mittat discussorem qui opus admetiatur, et rationes putet exacte, et ad se referat; ut si recte sumptus facti sunt, iis qui fecerunt sacra securitas conficiatur, qua freti nullam ii postea vel hæredes eorum, aut bonorum possessores quæstionem patiantur. Valeat et ab discussore post rationum discussionem emissa securitas, nec sacra apocha, nec alia qualibet cautione indigens. Sumptus autem discussoribus pollicetur constitutio, ut sine damno ratiocinia tractent. Eos vero qui de suo impendunt in opera civitatis, vel alias publicas necessitates, hæredesve eorum, nullam vult discussionem sustinere, vel lucrorum vel eorum quæ dicuntur ἀγγικὰ aut παραπεμπτικὰ, vel sumptuum qui fiunt circa mulos fiscales, aut muliones, vel prosecutionum ratione, vel eorum quæ generali nomine vocantur, solemnia. Ceterum præsidum nemo discussorem mittat, sed referat ad principem in hoc ut ab eo mittatur qui hæc discutiat, ac ne unum quidem obolum inde corradat, sed tam fisco quam collatoribus jus suum conservet: et si inventas apud aliquos pecunias fiscales exegerit, et sacro ornamento intulerit, licito jure sibi in singulas libras sex solidos pro solatio retineat. Quod si vel obolum invitis aut volentibus provincialibus acceperit, is quidem quod accepit reddat, quadruplum fisco inferens, et criminaliter coerceatur, quasi proditor fisci collatorumque concussor: Qui autem dedit quasi hoc ipso confessus se fisci rationibus obnoxium, rursus discutiatur et exigatur: Discussione autem solemnium facta et ad principem perlata, discussis sacra securitas detur: dari etiam ea potest a discussoribus, ita ut utroque casu nullam illi postea discussionem patiantur: neque vero ob securitatem a se expositam discussor quicquam accipere potest, vel si quid exigat, possessoribus et municipibus eum propulsandi jus est, referendi etiam ad principem ut mittat aliquem qui hoc genus concussionis coerceat. Præses qui post hanc legem non accepta ex scripto jussione principis, discussorem quemcumque ex causa miserit, xx. lib. auri, et officium ejus xv. pœnæ subjiciatur, qui nec occasione repurgationis cloacarum vel ædificiorum muris adjunctorum, vel ruinæ eorum, vel ob factas in publicis porticibus προσθολεὶς ut vocantur, et areas, vel eorum quæ in civitatis intercolumniis ædificata sunt, quasi destruenda sint, vel de imaginibus aliisve a se excogitatis modis, aut civilibus quæstionibus ullas jussiones facere potest. Sed si fecerit, liceat civibus executioni earum obsistere, minimeque eis satisfacere, præsidibus provinciarum hoc silentio trasmittentibus, et omni civili publicoque auxilio eisdem subdendo pœnis, facultatem quoque habentibus iis qui voluerint preces principi offerre, et gesta perdecere, ut principali indignationis correctio consequatur: præsidibus item talia jubentibus xx. lib. auri multandis, majoremque principis commotionem expectantibus: officio autem obsecundante præter multam xv. lib. auri in corpus castigondo. Soli enim principi liceat horum inspectionem viro integro et fideliter atque ex usu civitatum hæc indaganti, nihilque protinus ob id accipienti mandare. Provideant autem patres civitatum possessorumque potiores, ne quis eisdem vel publicum ullum locum in muris vel in publicis porticibus, vel obsequiis, vel alicubi injusta ex causa deli neat, et ne cuiquam detur quicquam ex publico sine sacra forma. Quæ enim fuerint ab eis tradita, non recte rescindentur, et in damno versabuntur qui acceperint. Iidem provideant ne qui ex sacra forma habent possessionem aquæ, quid usurpent præter ceteros, et hic quidem plus, ille minus accipiat. Hæc autem magnificus Comes privatarum, et ei obsequentes Palatini perscrutari et deferre debent, impositasque pœnas exigere, vel si neglexerint, xx. lib. auri multantur, officium vero xv.

Præcipua legis capita hæc sunt, Non mitti in provincias discussorem sine auctoritate principis: discussis apocham sacram vel a discussore dari: Sumptus solatiaque discussorem habere ex publico: nihil capere a collatoribus. De iis qui vocantur παραπομπὰ meminit Justinianus *Nov.* 128 Notandum quod sacrum ærarium, ornamentum vocat, vestiarium Græci appellant ad *l.* 2. *sup ne fi. vel Resp.* et Nicetas vestiarium τῆς βασιλείας βασιλικὸν ταμεῖον, ἢ χρυσῶνα, Discussorem autem semel inspectorem vocat, ut in *Nov. Valent. de fed. rel.* et frequentius λογοθέτην. Procop. II. de bel Goth. ἦν δέ Ἀλέξανδρός τις ἐν βυζαντίῳ τοῖς δημοσίοις ἐφεστὼς λογισμοῖς, λογοθέτην δ' ἤν ζοντες τὴν τιμὴν ταύτην καλοῦσι Ῥωμαῖοι: quæ interpres omisit Sed fortasse Catholicum potius intelligi quam discussorem: nam et eodem nomine cœpit Catholicus appellari teste Harmenopulo. Novissime etiam Quæstor. Sic enim legimus scriptum in Notitia officiorum Constantinopoleos: μέγας λογοθέτης διατάττει τὰ παρὰ τοῦ βασιλέως ἀποστελλόμενα προστάγματα τε καὶ χρυσόβουλα πρός τε ῥῆγας, σουλτάνους, καὶ τοῦτο μὲν ἴδιον τοῦ μεγάλου λογοθέτου ὑπηρέτημα, quæ functio Quæstoris est. Mutavere etiam Latini Quæstoris nomen in cancellarii Nic lib. vii. τὸν εἰκεῖον ὡς ἡ λατίνων βούλεται φωνὴ καγκελλάριον, ὡς δ' ἕλληνες εἴποιεν, λογοθέτην, quo de officio sup. tit. 42.

TIT. XXXI. *De Decurionibus et filiis eorum. et qui decuriones habentur quibus modis a fortuna curiali liberentur.*

Curia Senatum significat: duplex autem est Senatus, antiquæ Romæ, et Constantinopolitanæ Romæ, qui dicitur maximus, *l. ult. inf. hoc tit.* In aliis civitatibus est curia, ergo et senatus. Sed hic minor senatus dicitur, et qui in eum conscripti sunt consilii publici causa curiales sive decuriones, quodammodo senatores sunt, *l. Omnes judices. inf. hoc tit. Nov.* 38. Evagrius lib. III ἑκάστης πόλεως τοὺς ἐν τοῖς βουλευτηρίοις ἀντὶ συγκλήτου τινὸς ἐχούσης τε καὶ ὁριζομένης. Majoranus in *Nov. de Curialibus. Curiales*, inquit, *servos esse Resp. ac viscera civitatum nullus ignorat, quorum cœtum recte appellatum minorem senatum*: ubi pro *Servos* legendum *nervos*. Cassiodor. ix Non inaniter appellavit minorem senatum, nervos quoque vocitans ac viscera civitatum. Intelligit autem Cassiodorus Novellam illam Majoriani Hic titulus non est in Basilicis, quod Leonis auctoritate *Nov.* 46. sublati jam essent ordines decurionum.

1. *Impp. Valerianus et Gallienus aa. et Valerianus Cæsar. Carlerio.* Si cum te pater decurionem esse voluisset, et illo in rebus humanis agente, honor tibi iste delatus est: tenentur quidem etiam hæredes ejus reipub. nam in hac parte vice fidejussoris pater accipitur: sed non ante, nisi tuis propriis rebus excussis. *pp V. Kal. Dec. Æmilio et Basso Coss.*

Si filiusfamilias voluntate patris et patre superstite decurio factus sit, lex ait hæredes patris Respublicæ teneri, patrem cum vice fidejussoris accipi: excuti vero prius filium oportere, *l. Libertus.* §. *Filium. Ad mun.* Ut igitur fiscus, ita Respublica electionem non habet. Sed neque privati ex Novella Justiniani. At si filiusfamilias a patre decurio factus, post mortem patris honores vel munera quædam civilia susceperit, vel si voluerit eum pater decurionem fieri, eique decurionatus honor delatus sit post mortem patris, hæredes patris eo nomine Reip. non tenentur, *l. Lucius.* §. *Hoc responsum. D. ad municip. l.* 3. §. *ult. l. Et si filium. D. de mun. et hon.* Nec obstat *l. Si filius.* §. *Neratius. D. fam. erc.* quoniam ibi vivo patre filio delata est ἐγγύησις atque ideo pater eum filium suscepturum professus est: quamobrem merito hæredes tenentur, etiamsi filius non nisi post mortem patris eo munere functus sit, *l.* 1. *inf. de per. suc. par.*

II. *Exemplum Sacrarum Literarum Diocletiani et Maximiani aa* Observare oportebit magistratus, ut decurionibus solemniter in curiam convocatis, nominationem ad certa munera faciant: eamque statim in notitiam ejus qui fuerit nominatus, per officialem publicum perferri curent: habituro appellandi, si voluerit, atque agendi facultatem apud præsidem causam suam jure consueto: quem si constiterit nominari minime debuisse, sumptum litis eidem a nominatore restitui oportebit. *Sine Die et Consule.*

Duumviri nominationem ad munera civilia faciunt ex more vel lege municipali convocata curia. *Ab ea nominatione est appellatio, *l. Si ad scribatum. l. Is qui ad curias. l. Cives, sup. de appel.* vel querela potius quam appellatio, *l. Si nominatus. C. Th. eod. tit.* sine observatione dierum fatalium, *l. 1. sup. de temp. ap.* Confirmari nominationem oportet judicio præsidum, *l. 59. i. f.* qui et nominationibus interesse solent, *l. 1. §. Sed et si præses. D. quan. ap. sit.* Edita est hæc Constitutio sine die et consule, ut et pleræque aliæ, quæ res vitii nihil adfert. Augustin. in Breviculo Collat. III. *Legitur interlocutus est, evidentissime legibus definitum, imperiali Constituta, etiamsi Coss. non legerentur, in dubium non vocari.* Personalia certe beneficia sine die et consule non valent, *l. Si quis. sup. de dic. rescr.*

III. *Iidem aa. Julio.* Cum decurionatus honorem sponte susceperis, ab albo eximi, licet annosum te esse dicas, non potes. *pp. Id. Nov. Diocletiano a. II. et Aristobulo. Coss.*

Constitutionibus cautum est, invitos ad decurionatus honorem non vocari eos, qui majores sunt annis 55. Qui tamen sua sponte susceperint decurionatum licet excesserint annos LXX. non eximentur decurionum albo.

IV. *Iidem aa. Cassiano.* Cum adoptivum ex adoptantis dignitate decurionis filium effici nulla dubitatio fit, pro atrocibus injuriis eum, quem ad vicem naturalis pignoris tibi adscribebas a præside provinciæ illicitis corporis cruciatibus affici non oportuit, hocque congruenti pœna coercebitur. *pp. XI. Kal. Dec. Diocletiano a. II. et Aristobulo Coss.*

Decuriones plebejorum pœnis tormentisve non adficiuntur. Sed nec filii eorum naturales aut adoptivi: quam in rem pœna definitur in *l. Omnes judices. inf.* Filios pignora vocat. Sunt enim ἐνέχυρα βίου, ut Theophylactus scolasticus ait in epistolis, et Theophilus in Institutione prima. *Pignora præs*, Seneca.

V. *Iidem aa. Alexandro.* Filios in potestate patris positos ad munera, seu honores non posse devocari falso tibi persuasum est. Sane si ad nominationem filii consensum non accommodaveris, ob administrationem ipsius minime conveniri poteris. *pp. VI. Id. * Maximo II. et Aquilino Coss.*

Filiusfa. civilia munera et honores suscipere potest, nec pro eo pater invitus obligatur, nisi prætoriis actionibus, *l. 3. sup. Ne filius pro pat.*

VI. *Iidem aa. Leontio.* Expertes literarum decurionis munera peragere non prohibent jura. *Dat. VIII. Kal. Mai. aa. Coss.*

In decurionibus facultates magis spectamus, quam eruditionem literarum.

VII. *Iidem aa. Diogeniano.* Licet indivisa bona fratres habent, nihilominus tamen singuli suo nomine civilibus tenentur muneribus. *Dat. IV. Id. Mai. Paulino Ipsis aa. Coss.*

Qui munere aliquo functus est, certi temporis vacationem habet. At propter fratrem qui munere functus est, frater vacationem non habet qui munere functus non est, licet hæreditatem paternam possideant pro indiviso: nec enim ut indivisa sunt bona, ita et munera civilia: indivisa sunt munera inter patrem et filiumfam. at inter fratres qui sunt sub patria potestate, qua omnes simul munus vice funguntur atque ideo nonnunquam unus vacat propter alium.

VIII. *Iidem aa. Platoniano.* Infamia quæ tibi abominanda est, non etiam amissionis oculorum casus quæsitum tibi infimit honorem. *Dat. XVI. Kal. Feb. Nicomediæ cc. Coss.*

Infamia et nota quælibet adimit decurionatus honorem, cæcitas non item: quinimo cæcus et senator, et decurio, et judex fieri potest, non tamen magistratus: nam in magistratu majestatem ampliorem exigimus. Persæ ne cochitem quidem ad regni principatum aliamve dignitatem admittebant, auctore Procopio.

IX. *Iidem aa.* * In albo decurionum describendo, patrem non habenti filios anteferri constituit.

Pro *describendo*, quidam Codices habent, *præscriptio*. Puto legendum, *prascribendo*, ut in *l. Herennius. ff. eod.* Præfertur in albo proscribendo is qui liberos habet non habenti, et ita ex septimo capite legis Juliæ ex Coss. et qui liberos habet in potestate aut bello amisit, prior fasces sumendi potestas fit, auctore Gellio lib. 2. qui liberos habent, plus sunt de rep. soliciti, quam qui non habent. Addatur *l. Spurii, §. ultim. D. eod.*

X. *Iidem aa. Aurelio.* Si ultra septuagesimum ætatis annum patrem tuum esse præses provinciæ perspexerit, cum personalium munerum vacatione perfrui providebit.

A personalibus muneribus excusat ætas LXX. annorum, nec tamen decurionatu solvit.

XI. *Iidem aa. ad Maximum.* Uxorem pro marito decurione conveniri non posse procul dubio est.

Dos tamen tenetur ob civile munus vel honorem mariti, nec speciale hoc est in primipilatu. Parapherna non tenentur, *l. 3. sup. Ne uxor pro mar.*

XII. *Iidem aa. Zotico.* Nec infames immunitatem habere, cum hæc privilegii, non notæ sit, convenit. *Dat. V. Kal. Dec. aa Coss.*

Infamia repellit ab honoribus. Immunitatem et vacationem munerum, quæ ex privilegio tantum datur, non tribuit, *l. 1. inf. de iis, qui non imp.*

XIII. *Iidem aa* * A muneribus decurionatus nec sententia præsidis in perpetuum, nec anni quinquaginta, nec podagræ valetudo præstat excusationem.

In perpetuum decurionatu prohibitus non excusatur a muneribus civilibus. Sed neque podagricus, chiragricus, ischiadicus, nam ii morbi cessationem et intervalla habent. Pro L. mallem LV. Tot anni excusant a decurionatu, non a munerib. Eustathius tamen περὶ χρόνων legit L.

XIV. *Imp. Constantinus a. ad Evagrium.* Nemo judex aliquem suo arbitrio de curia liberet, nam si quis fuerit hujusmodi infortunio depravatus ut debeat sublevari, de ejus nomine ad nostram scientiam referri oportet ut certo temporis spatio civilium munerum ei vacatio porrigatur. *pp. Id. Mart. Constantino a. III. et Licinio III. Coss.*

Præses provinciæ tribuere munerum vacationem non potest, etiamsi justa videatur datæ vacationis causa subesse, veluti paupertas, aut eversio bonorum, aut morbus sonticus. Sed impetranda est a principe, *l. 1. inf. de iis, qui a prin. vac. acc.*

XV. *Iidem a. Hilariano Correctori Lucaniæ et Bruttiorum.* Universos decuriones volumus a tabelliorum officiis temperare. *Dat. III. Kal. Feb. Sabino et Ruffino Coss.*

Decuriones tabellionum officio pro dignitate fungi non possunt. Tabelliones tamen ad decurionatum vocari possunt, *l. Si quis decurio. sup. ad l. Corn. de fals.* cui hanc esse conjungendam inscriptiones et subscriptiones suadent. Tabelliones sunt publici contractuum scriptores l. 1. *inf. ut nemo ad suum pat. l. 2. sup. de eunuchis, l. Contractus. sup. de fid. instru.* vel testamentorum, *l. Ambiguitates. sup. de testam.* Instrumenta, ab eis conscripta [illegible] dicuntur, *Nov. 73. 52. 49. 117. 142.* et *edicto 7.* Forensia sive publica, *l. Comparationes. sup. de fide instr.* De eis specialis est *Nov. 44.* περὶ συμβολαιογράφων, ex qua intelligitur, habere eos stationes suas, quas et gradus et scamna Græci vocant, et ministros sive discipulos, itemque adjutorem sive substitutum confirmatum apud acta magistri census. Et Leonis *Nov.* περὶ πολιτικῶν [illegible] ex qua intelligitur, fuisse certum tabellionum corpus sub primicerio, a quo ex collegii sententia tabelliones quoque creabantur, non nisi homines fidei probatæ et scribendi loquendique peritissimi, nec non et jurisperiti, qui tenerent libros LX. [illegible], et haberent [illegible], ut ad XL. titulos Enchiridii, de quibus Harmenopulus in præfatione. Adjicitur, creationem eorum insinuandum esse præfect. urbi, creatoribus jurantibus se nec ambitione nec gratia alia, sed sola virtutis conscientia ad novi tabellionis electionem adductos, atque ita in secretario præf. urbi annuli signatorii oblatione, ejus promotionem fieri. Duci autem eum ad præf. urbi indutum ephestride, ac deinde promotione facta ad templum, ceteris tabellionibus eadem indumenta gerentibus, ibique pro ephestride ei a sacerdote dari album [illegible] superdicta preco. Adjicit et inepta quædam alia, et ad extremum, licere [illegible] κατὰ τῶν [illegible] quæ omnia in Doctoribus creandis plerique nunc observant diligenter. At in ea Nov. Tabularii appellantur. Posterior ætas multa mutavit vocabula. Tabularii in libris nostris sunt qui civitatum aut provinciarum chartas et rationes tractant atque supputant, qui præsunt tabulario civitatum, in quo

pleraque publica et privatorum recondantur, veluti debitorum obsignatæ pecuniæ, quod ex multis locis liquet, qui sunt infra supraque. In rebus tamen privatorum plerumque adhibebantur, vel ut pro imperitia literarum scriberent aut subscriberent, vel ut pro stipulari nequeuntibus stipularentur quasi personæ publicæ: qua de re sunt multi loci, quos nolo notare: eamus porro.

XVI. *Idem a. ad Hilarianum proc. Africæ.* Si quis decurio vel propriæ rei causa vel reipublicæ, cogatur nostrum adire comitatum, is non ante discedat, quam insinuato judici desiderio proficiscendi licentiam consequatur: quod si pro sua audacia parvi aliquis hanc fecerit jussionem, indignationem competentem sortiatur. *pp. VII. Id. Jul. Carthag. Crispo III. et Constantino a. VII. et Constantio cæs. Coss.*

Ne decuriones suæ vel publicæ rei causa ad sacrum comitatum veniant sine commeatu præsidis. Obstare videtur *l. pen. inf. de legation.* Respondeas, præsidi decretum et causam legationis non insinuari, commeatum tamen sive ἀπολυτικὸν ab eo postulari.

XVII. *Idem a. ad Evagrium pp.* Qui derelicta curia militaverit revocetur ad curiam, *Dat. XVI. Kal. Jun. Constantino a. VII. et Constantio. c. Coss.*

Qui militaverit in exercitu vel officio magistratuum.

XVIII. *Idem a.** Si ad magistratum nominati aufugerint, requirantur: et si pertinaci eos animo latere patuerit, his ipsorum bona permittantur, qui præsenti tempore in locum eorum ad duumviratus munera vocabuntur: ita ut si postea reperti fuerint, biennio integro onera duumviratus cogantur agnoscere: omnes enim qui obsequia publicorum munerum tentaverint declinare, simili conditioni teneri oportet. *Dat. III. Kal. Octob. Serdicæ Constantino A. VII. et Constantino IV. Coss.*

Duumviri sunt magistratus municipales annui, refugæ biennales: fuere in aliis municipiis Quatuorviri, *l. 1. inf. de sol. et lib. deb. civ.* In aliis Ædiles, *l. 2. inf. tit. prox. l. Qui insulam. §. Ædiles. D. loc.* Juvenalis, Sat. III.

Sufficiunt tunicæ summis ædilibus albæ.

Arpinum habuit Ædiles. Cicero XIII. Epistol. *Ædilem filium meum fieri volui. Is enim magistratus in nostro municipio nec ullus creari solet*, et XV. ad Attic. *Nummos Arpinatium a L. Fabio Ædilis petit.* Lanuvium Dictatores, in Orat. pro Milone Capua Prætores II. Agr. Fundi, Horatio teste, nisi prætorem pro duumviro dixit, ut Acro interpretatur more Græcorum, qui Duumviros στρατηγοὺς vocant. Inde Spartianus in Adriano: *Per latina oppida Dictator et Ædilis et Duumvir fuit.* Alexandriæ Hypomnematographos, *l. 59. inf.* Qui absolvunt Duumviratu, Duumviralitii dicuntur. August. de cur. pro mortuis: *Curialis pauper vix illius loci Duumviralitius* Dicuntur et Duumvirales et Duumvirali.

XIX. *Idem a. ad Lucretium.* Vacuatis rescriptis, per quæ munerum civilium nonnullis est vacatio præstita, omnes civilibus necessitatibus aggregentur, ita ut nec consensu civium vel curiæ præstita cuiquam immunitas valeat, sed omnes ad munerum societatem conveniantur. *Dat. VIII. Kal. Nov. Heracleæ Constantino a. VII. et Constantio IV. Coss.*

Non valent rescripta quibus nonnullis civilium munerum vacatio conceditur, etiamsi adsit consensus curiæ vel civium, *l. Nemo. sup. hoc tit.* et *l. 1. inf. de iis qui a princ. vac. accep.* de temporaria vacatione loquuntur.

XX. *Impp. Constantius et Constans aa. ordini Civitatis Ædesenæ.* Circensium magistratus desertores ad eam gravitas tua faciat necessitatem conditionis urgeri, ut quascunque pro his expensas civitas prorogaverit, refundere protinus, ac repræsentare cogantur. *Dat. XIV. Kal. Feb. Naissi Acindino et Proculo Coss.*

Sic reposui inscriptionem, ut erat in vetustissimo libro, quem habemus. At Cod. Th. habet *Constantiæ.* Hæc urbs est Phœniciæ, Edessa Osroenæ. Scripta etiam videtur hæc lex fuisse ad præsidem Osroenæ: quoniam ait, *ad eam gravitas tua.* Sententia legis hæc est, Duumviros non edentes ludos Circenses, protinus Imp. reddere compelli ea quæ in eam rem Resp. prorogaverit. Similis est de prætoribus lex ejusdem Constantii lib. VI. C. Th. his verbis: *Pro eo, quem absentem tempus editionis invenerit, erogationem debitam fiscus expendat, post adventum cuncta quæ prerogata fuerint soluturo.*

XXI. *Iidem aa. Nemesiano Com. Largitionum.* Curiales omnium civitatum nullam pro re privata nostra debent inquietudinem sustinere: nec hujusmodi oneribus velut extraordinariis occupari, quoniam satis est si civitatum munera per eos congrue compleantur. *Dat. Prid. Id. Aug. Bessæ Acindino et Proculo Coss.*

Curiales pro Rep. subeunt munera, non pro re privata principis, et generaliter aliena, humilioribus, extraordinariis muneribus Reip. subducendi non sunt *l. pen. inf de suscep. l. 17. §. Exigendi. D. ad munic.*

XXII. *Imp. Julianus a. Juliano Comiti Orientis.* Eos indulserunt veteres principes ex materno genere curialibus Antiochenis adscribi, quos patris conditio nullius vindicaret juri civitatis. *Dat. V. Kal. Sept. Antiochiæ Mamertino et Nevitta Coss.*

Partem patris nullam ducimus ex matre, licet ita Virgilius scripserit VIII. *Gnatum exhortarer ut mistus matre Sabella, Hinc partem patriæ traheret.* Ideoque patre non curiali natus, etiamsi mater sit ex curiali genere, non obligatur curiæ maternæ civitatis, *l. Nullus. 2. inf. hoc tit.* Excipitur hac lege curia Antiochena, quæ sibi vindicat etiam eos, qui nascantur patre libero, matre decurionis filia, *l. 62. inf. hoc tit.* cujus privilegii gratiam Imp. Leo facit certis personis comprehensis, *l. 61. inf. hoc tit.* at hanc Juliani legem invenies a Zosimo relatam lib. 5. Est igitur hoc unum privilegium Antiochenæ civitatis, quam Am. Marcellinus XX. Orientis pulchrum apicem, Herodianus IIII. οὐ πολύ τι τῆς Ῥώμης μεγέθει ἀπολειπούσαν. Procopius 1. de bell. Pers. πλούτῳ τε καὶ μεγέθει καὶ πολυανθρωπίᾳ πόλεων πασῶν ἁπασῶν τῶν ἐν τοῖς ἕῴοις. Dissimilia aliquantum sunt ea privilegia quæ Iliensibus et Delphis et Ponticis concessa sunt, *l. 1. D. ad municip.* Nec enim id eis datum est, ut editus matre curiali et patre non curiali, curiam maternam sequatur, sed ut editus utroque parente curiali, matris Iliensis aut Delphicæ aut Ponticæ potius curiam sequatur. Iliensibus id datum est propter inclitam nobilitatem civitatis et originem civitatis Romanæ: qua ratione Claudii temporibus soluti etiam sunt omni publico munere, *l. Non tantum. §. Iliensibus. D. de exc. tut.* ut Tacitus ait et Strabo XIII. et Svetonius in Claudio. Delphis idem datum est propter religionem. Ponticis cur, nescio, qua lege scio, nempe Pompeja, auctore Plinio X. Epist. Illa qua lege nescio. Dum sit quod scias, si quid ad hæc sit quod nescias, lucri est, quam hac sola ex parte capio. Ex altera sibi pergant sumere qui corpernat. Undique enim sibi quisque vindicat nostra Video, nec invideo: et malo ut aliis bene sit de meo, quam mihi male de alieno.

XXIII. *Idem a. Juliano Comiti Orientis.* Providendum est eorum novitati decurionum, qui nuper nomen curiis addiderunt, ne præteritis debitis susceptorum onerentur: sed convenientis propter hæc debita his, qui ea præcedentibus delegationibus contraxerunt, nullam eos molestiam pro sarcina nominationis alienæ sustinere patiaris. *pp. Byritho Kal. Nov. Mamertino et Nevitta Coss.*

Susceptores publicorum tributorum a decurionibus creantur, *l. 3. sup. de exact. trib. l. 8. inf. de suscep.* quod tamen eis ademit Anastasius constitutis vindicibus. At novi decuriones non onerantur præteritis debitis susceptorum, quos ipsi non nominaverunt. Ait, *delegationibus*, quod susceptoris officio nemo fungatur sine delegationibus.

XXIV. *Idem a. Leontio Consulari Palestinæ.* Si quis decurio pater sit duodecim liberorum, honestissima munerum quiete donetur. *Dat Kal. Mart. Antiochiæ, Juliano a. IV. et Salustio Coss.*

Pro XII. C. Th. et libri scripti habent XIII. quod duobus II. mutatis in V. conjecturam facit esse legendum XVI. Tot enim desiderantur in *l. Semper. 2. de jur. immun.*

XXV. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Provinciales Bizacenos.* Curiales ultra terminos propriæ civitatis non jubeantur a moderatoribus provinciarum exhibere sui præsentiam, nisi publica necessitas exegerit. *Dat. Prid. Id. Sep. Aquil. Divo Joviano et Varroniano Coss.*

No. 43 inter alia decurionum privilegia hoc refertur, ne in aliam regionem pertrahantur, debent enim curiæ suæ assiduam et constantem operam.

XXVI. *Iidem aa. ad Modestum pp.* Quidam ignaviæ sectatores, desertis civitatum muneribus captant solitudines ac secreta, et sub specie religionis cum cœtibus monazonton congregantur: hos igitur atque in hujusmodi deprehensos erui latebris, consulta præceptione mandamus; atque ad munia patriarum su-

beunda revocari, aut pro tenore nostræ sanctionis familiarum rerum carere illecebris, quas per eos censuimus vindicandas, qui publicarum essent subituri munera functionum. *pp. Byritho Kal. Jan. Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Pertinet hæc lex ad monachos Ægypti (quibus fuit Valens pertinaciter infensus) *l. 63. C. Th. de decur.* nec tamen ad omnes, sed ad eos tantum qui curia relicta Ægypti solitudines quæsiissent: qua ex re capite minuti non censebantur, bona namque propria et testamenti factionem retinebant, *l. Generaliter. sup. de episc. et cleric.* At ex ea vita non redeuntibus ad communem militatem, hæc constitutio adimit bona, quæ addicit iis qui eorum vice civilia munera gesserint, ut *l. 18. sup.* De monachis est locus singularis apud Hieronymum in Philone. Idem Valens dicitur legem dedisse, ut monachi inviti militiæ nomen darent. *Ignaviæ sectatores) L. Cum de indebito. De probat.* Valerius Maximus: *qui per religionis simulationem alimenta inertiæ quærunt.*

XXVII. *Iidem aa. Mauris Sitifensibus.* Privilegio militiæ paternæ se non vindicet, quem assuetua curiæ nexus adstringit, quod si militari avo et patre decurione nascetur paternæ erit succedaneus functionis. *Dat. IX. Kal. Mai. Trever. Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Qui natus est avo decurione, patre milite, avi conditionem sequitur. Qui patre decurione, avo milite, patris. denique curiæ causa est potior. Pro *assuetus*, veteres habent, *habitus*, quod significat ævitus, ut jam ante indicavi iii. *Sent. Pauli tit.* iv. Sic apud Hieronymum de vig. ser. *Probe nunc habitus eremu lare dicitur pro innocens*, et Tacitus 13. *Per luxum habitus provinciarum dominabantur.*

XXVIII. *Iidem aa. ad Voluzianum p. v.* Nullus qualibet prærogativa fultus, a debitis muneribus habeatur immunis. *Dat. IV. Kal. Jul. Med. Valent. et Valente aa. Coss.*

Nullus decurio. *Prærogativa*, id est, dignitate aut militia

XXIX. *Iidem aa. Germano pp. Galliarum.* Nati ex inquilinarum nostræ domus matrimonio et patre decuriane, non patrum suorum, verum matrum conditionem sequantur. *Dat. III. Id. Oct. Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Plures sunt casus, quibus qui nascuntur ex justis nuptiis, matris non patris originem sequuntur. Unum habemus supra de Iliensibus, Delphicis, Ponticis, Antiochenis. Aristoteles iii. Polit. ἐ ἐκ πολιτίδος ἐν τισι δημοκρατίαις πολίτης ἐστι. Est hic alius si qui nascuntur ex inquilina vel colona dominica et patre curiali: hi namque colonam vel inquilinatum sequuntur potius, quam curiam, quod videtur abrogatum *Nov.* 38.

XXX. *Iidem aa. ad Modestum pp.* Procuratores reipublicæ actionibus publicis debere uti non venit in dubium.

Idem est procurator et curator Reip. Is judex est et censor rerum ad civitatem pertinentium, et ideo λογιστὴς appellatur, id est, ut Gr. interpretantur κριτὴς, δοκιμαστὴς, *l. 3. sup. de mo. mul. l. 2. sup. de sen. quæ sine cer. quant. l. ult. D. de off. adv.* Et est ex decurionibus. Prædia publica et vectigalia locat, pecuniam publicam tractat, opera et loca publica curat, *l. Ad curatores. D. de dam. inf. l. 3. §. Pœnæ. l. 3. §. Idem ait. et §. Hæc verba. D. quod vi aut clam. l. 2. et 3. D. de adm. rer. ad civit. pert.* et ut est in hac lege causas Reip. agit apud præsidem aut principem. Dices, idem est procurator et curator Reip. Cur ergo cum scriptum esset in *l. pen. sup. ne desin. def. procuratorem vel curatorem Reip.* atque ita legerint Græci, emendasti, *procuratorem rei privatæ?* nimirum quia de servo fisci eo in loco agitur non civitatis, idque de procuratore rei privatæ traditum est in *l. 2. et 5. sup. ubi cau. stat.*

XXXI. *Iidem aa. et Gratianus a. ad Modestum pp.* Ex omnibus domibus producti, qui origine sunt curiales, ad subeundam publicorum munerum functionem protrahantur. quippe cum occultatoribus talium, præter jacturam existimationis, etiam rerum discrimen incumbat, si ulterius progressi, utilitatem publicam privatis custodiis et patrociniis postponant. *Dat. III. id. Jul. Ancyræ Gratiano a. II. et Probo Coss.*

Ne decuriones se ullius domus patrocinio tueantur, cujuscunque illa dignitatis sit vel fortunæ, *l. 39. inf.* patronos et occultatores coerceri.

XXXII. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theod. aaa. ad Neotherium pp.* Fabricenses ordinibus restituantur, qui originem curialem et propriæ munera declinaverint civitatis: reliqui ne levi quidem inquietudine pulsentur. *Dat. XVI. Kal. Apr. Thessal. Gratiano v. et Theodosio aa. Coss.*

Fabricenses sunt qui arma fabricant in publicis officinis. In eorum corpus curiales assumi non possunt *l. 4. inf. de fabr.* assumpti retrahuntur in curiam: idem de militibus et monachis dictum est sup. At fabricenses qui curiæ obnoxii non sunt, ne ad leve quidem munus publicum vocari possunt.

XXXIII. *Iidem aaa. Eutropio pp.* Omnes judices provinciarumque rectores a consuetudine temerariæ usurpationis abstineant. sciantque neminem omnino principalium aut decurionum sub qualibet culpæ aut erroris offensa cruciatibus esse subdendum. Quod si quis forte judicum in hanc pertinaciam illiciti furoris eruperit, quod audeat principalem aut decurionem, et suæ curiæ (si sic dici oportet) senatorem tormentis subdere: viginti librarum auri illatione multatus, et perpetua infamia inustus, ne speciali quidem rescripto notam eruere mereatur: et officium quinquaginta librarum auri multam fisco nostro cogatur inferre: quoniam iis pertinaciæ judicis sui resistat, liberam eidem contradicendi permittimus facultatem. *Dat. XII. Kal. Aug. Heracleæ Euckerio et Syagrio Coss.*

Hæc lex pœnam statuit in præsides, et officia, qui principales et decuriones pœnis aut tormentis plebejorum, veluti eculeo, ungulis, fidiculis subjecerint. In C. Th. de plumbatis hac lege nominatim cautum est: quod removit Tribonianus propter *l. Quisquis. inf.* In constitutione Constantini et Licinii, quæ estat in Augustini epistola 68. et lib. iii. contra Cresconium, ita legitur: *Figentium perrexidimus ideo minime tortum, quod se decurionem Ziguensium civitatis esse asseveravit.* *Principalium)* Principales sunt decurionum primi, a quibus distributionum omnium forma procedit, ut est in *C. Th. tit. de iis quæ admi. vel off. publ. ger.* non tamen extraordinariorum ex *l. 4. C. Th. de ext. mun.* Hos intellexit Tertullianus de corona militis, dum ait *Coronatur et vulgus nunc ex principalium propriorum exultatione.* Hi vel. x. erant, vel v. vel xx. pro curiarum amplitudine et numero. Inde decemprimi Curiales, *l. 2. C. Th. de quæst. l. 44. conjuncta l. 42. C. Th. de iis qui super rel. cont. l. 39. C. Th. de epis. et cler.* Ut autem in schola domesticorum vel notariorum est primicerius caput scholæ, quem sequuntur decemprimi, ita in curia est summo loco primus curiæ, *l. Alexandrinis inf. l. 127. C. Th. eod. tit.* ut in Senatu princeps senatus. qui primus sententiam rogatur, et inde ab eo sunt quinque aut decem aut viginti primi. Primo curiæ similis est qui a Gregorio major populi appellatur, Germanis *Meier*, Gallis, *Mere.* qui et *Vimere* dicunt, pro vi majore, et *Mermoutier*, pro majori monasterio. Principalibus, qui Scabini antiqua satis appellatione, vel Consules, vel Jurati, vel Capitolini, vel Pares. Reliquis, qui prætor eos consilii publici causa evocari solent in curiam. *Aut erroris)* Quidam Codices, *onteriores.* *Quoniam ut pertinaciæ)* Tertullianus de anima: *Gravior invidia est in præsidem cum officio pulsantur, plus cæditur qui jubet, quando nec qui obsequitur excusatur.*

XXXIV. *Iidem aaa. Floro pp.* Si quis procurationem facultatum suarum curiali crediderit esse mandandam, totius dignitatis exceptione depulsa, gravissima pœna plectatur: ille vero qui immemor libertatis et generis, infamissimam suscipiens vilitatem, existimationem suam servili obsecundatione damnaverit, tradatur exilio. *Dat. X. Kal. Nov. cp. Antonio et Syagrio Coss.*

Ut indignum est decurione tabellionis officium, quod diximus sup. ita et alienarum facultatum procuratio: ergo et conductio, *l. Curiales. sup. de loc.* nam conductio est procurationis species, *Nov. Th. ne cur. alt. præd. cond.* Sed nec publicorum vectigalium aut prædiorum conductor esse poteat, *l. Spurio. §. Decurio. D. eod. tit. l. 97. Cod. Theo. eod. l. 2. §. 1. D. de admin. rerum ad civ. pertin.* quod Adrianum constituisse Xiphilinus scribit. Idemque obtinuit in Senatoribus. Asconius contra Antonium: *Præterea Antonius*, inquit, *redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem Senatori habere licet per legem.*

XXXV. *Iidem aaa. Postumiano pp.* In filiis decurionum retinendis priorum præceptorum decreta sublimitas tua custodiat. Eos quoque, qui advocationis obtentu curialia onera declinant, agere universa compellat, quæ et si necessitas non exigit, tamen patria non remittit. Quin ipsos etiam filios magistrorum, qui ex curiali stirpe descendunt, simili modo obnaxios esse decernat. *Dat. VIII. Id. Apr. cp. Merobaude II. et Saturnino Coss.*

Tria in hac lege eaque diversa proponuntur: Ut in filiis decurionum in curia retinendis præf. prætorio anteriores leges sequatur et

custodiat: Ut ne quis decurio per causam advocationis civilia munera detrectet. Potest decurio fungi advocationis officio, *l. Falso. §. 1. D. ad leg. Cor. de fal. l. 56. 57. inf. hoc tit.* nec tamen ideo, etiam si alii complures existant decuriones gerendis muneribus idonei, ipse ob eis excusatur. Ut filii magistrorum, id est, professorum artium liberalium ex curiali genere descendentium, a civilibus muneribus non excusentur, ut patres.

XXXVI. *Iidem aaa. ad Basilium Com. s. l.* Exemple senatorii ordinis patris originem unusquisque sequatur, nec valeant specialiter delata rescripta, si quis se, matris origine defensa, a majore curia ad minorem transferri fortasse promeruerit: neque ulla pro more provinciæ referri senator exceptio. *Dat. XVI. Kal. Jul. Romæ Merobaude II. et Saturnino Coss.*

Editus utroque parente curiali, regulariter patris curiam sequitur, nec auditur si opposita matris origine, a patris majore civitate ad maternam, quæ minor est, ut scilicet minoribus oneribus subjiciatur, transire velit. Excipiuntur civitates aut provinciæ, quibus contraria huic regulæ privilegia data sunt, de quibus diximus supra. Privilegia civitatibus aut provinciis hac de re concessa valent. Beneficia specialiter uni personæ delata non valent. Consuetudo etiam contraria non valet.

XXXVII. *Iidem aaa. Postumiano pp.* Quotiescunque se ex rescriptis nostris aliquid impetrasse contendunt hi, quos obnoxios curiæ vel origo fecerit, vel latum inter partes judicium designaverit: nullam prorsus spem curiam declinandi ex colore sacræ jussionis accipiant. *Dat. XIV. Kal. Aug. cp. Merobaudæ II. et Saturnino Coss.*

Curiæ subjicit eos origo vel res judicata vel incolatus vel possidendi condicio. Improbat autem hæc lex specialia rescripta in fraudem curiarum impetrata, ut *l. 19. sup.*

XXXVIII. *Iidem aaa. Cynegio pp.* Ne quis officialium pœnæ specie atque æstimatione curiæ dedatur, nisi si quis forte curiam defugiens, ob hoc cœperit militare, ne ingenitis fungatur officiis. Omnes itaque omnes judices tuæ censuræ subditos admonebis, ne quis eorum æstimet curiæ loco supplicii quemquam deputandum, cum utique unumquemque criminosum nec dignitas debeat sed pœna comitari. *Dat. VIII. Id. Nov. cp. Ricomere et Clearcho Coss.*

Officiales præsidum pœnæ specie in curiam non damnantur, alioquin pœna dignitatem tribueret. Pœna deteriorem non meliorem ejus qui punitur, condicionem facit, ideoque Urbaniciani recte damnantur in corpus pistorum, *l. 2. inf. de app. præf. ur.* monachi abjecta stola sive tribonio, vel clerici deserto ordine ecclesiastico in curiam vel in cohortem, quasi videantur a meliore condicione in deteriorem transferri, *Nov.* 5. et 6. Officiales in curiam non item. Sed neque anarii in corpus pistorum, *l. Ne quis. sup. de pœnis*. quia hoc genere pœnæ rei condicio deterior non fit. *Ingenitis*) Originalibus. Hic vero non tam datur, quam redditur curiæ. *Censuræ*) Præsides subjecti sunt præf. prætorio, *l. Quilibet. inf.* Cassiodorus in Psal. 104. *Quæ potestas hodie retinetur a præfectis, qui et vice sacra judicant, et cunctarum provinciarum potestatem maximam habere noscuntur.*

XXXIX. *Iidem aaa. Evagrio pp.* Curiales, qui se privilegio domus nostræ defendi posse crediderint, ad curiam retrahantur, et propriis functionibus mancipentur, et publica damna sarciant. *Dat. VIII. Kal. Jan. Honorio Nb. p. et Evodio Coss.*

Ut curiales ex domo principis non secus atque ex domibus privatorum in curiam retrahantur.

XL. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. Cyne. pp.* Quilibet principalium vel decurionum, si vel decoctor pecuniæ publicæ, vel fraudulentus in adscriptionibus illicitis, vel immoderatus in exactione fuerit inventus: juxta pristinam consuetudinem non solum a vobis, quibus propter loci dignitatem rerum summa commissa est, verum et a judicibus ordinariis plumbatarum ictibus subjiciatur. *Dat. Die Kal. Apr. cp. Valentiniano a. III. et Eutropio Coss.*

Id primum moribus obtinuit, ut plumbatis castigari curiales possent, postea fuit mutatum *l. 85. C. Th. de decur.* quod attigimus sup. *l. 33.* Nunc hac lege reducitur, maxime ex iis causis, si eversores pecuniæ publicæ, si iniqui descriptionum arbitri, si superexactores vel concussores fuerint. Quod in corona Romani decurionis Prudentius expressit eleganter, qui cum non posset fidiculis subjici, plumbatis subjectus est, ne virum clarum ut est, plebeja pœna demutaret. Gradu reorum formam tormentis dari. Eversorem dixi, quem lex decoctorem, qui ita definitur a Græcis, ὁ χρεωστῶν τινὶ καὶ διά τινος μηχανῆς παρασκευάσας ἐκστῆναι τὸ χρέος καὶ μὴ καταβληθῆναι τῷ δανειστῇ. Igitur decoctor est, qui quasi mutatus sit contra S. C. cum tamen sit paterf. non solvit, vel qui quasi inops, cum sit dives, utitur novis tabulis, vel cedit bonis. Tertullianus in Apol. *Temporum vectigalia quotidie decoquunt.* *Rerum summa*) Marcellinus XVII. loquens de præf. præto. *Cui Augustus summam commiserit rerum. Constantinus A. ad Ablavium PP. Apud vos qui judiciorum summam tenetis.* Evagrius lib. III. c. XLII. Μαρίνου τὴν κορυφαίαν διέποντος τῶν ἀρχῶν ὃν οἱ πάλαι ὕπαρχον τῆς αὐλῆς ἐκάλουν. quod Latine sic reddi debuit, *Marinus summam judiciorum tenentis, quem olim præf. prætorio vocabant.* Procopius male ὃν πραίτωρα καλοῦσι, lib. 3. Bel. Vand. non enim *prætorem* vocant, sed *prætorii præfectum.*

XLI. *Iidem aaa. Cynegio pp.* Decuriæ fortunam quam nascendo meruit, suffragiis atque ambitione non mutet: et si vacare per senectutem potuerit, propter ordinationem, quæ per plurimos cito definiri solet, curiam non relinquat. *Dat. Prid. Non. Jul. cp. Valentiniano a. III. et Eutropio Coss.*

Ne quis emendicatis decurionum suffragiis segreget se e curia, veluti senex, qui decurio non fit invitus, si post decurionatum ad eam ætatem pervenerit, curia non solvitur ne ceterorum quidem consensu et emendicato decreto, quod fieri solet, et facile.

XLII. *Imppp. Theodosius, Arcadius, et Honorius aaa. Abundantio comiti et magistro utriusque militiæ.* Militaribus viris nihil sit commune cum curiis, nihilque sibi licitum sciant, quod suæ non subjectum est potestati: nullum injuria, nullum verbere, nullum gravi pulsatione tribunus, duxve, aut comes curialem principalemve contingat. Si quis posthac temerario et inconsiderato ausu ullum ex principalibus viris usurpata attrectaverit injuria: sciat se decem libris auri esse multandum. *Dat. Prid. Kal. Aug. cp. Arcadio a. et Rufino Coss.*

In principales vel decuriones civilium magistratuum jurisdictio est, *l. 47. inf.* non militarium veluti tribunorum. Ait, *Duxve, aut Comes.* Veteres libri consentientes cum Theodosiano, *Dux ille aut Comes sit:* quomodo plerique latini auctores loqui solent.

XLIII. *Iidem aaa. Rufino pp.* Omnes qui curiali abstricti sanguine, diversis se officiorum privilegiis, et actuum præjudiciis aggregaverunt, reddendos muniis esse non ambiges: sed nec rescripta aut adnotationes ad munerum fugam prodesse permittimus. *Dat. Prid. Id. April. cp. Theodosio a. III. et Abundantio Coss.*

Quod de officiorum privilegiis et actuum præjudiciis, congruit cum 17. 28. 32. 35. 39. Quod de rescriptis, cum *l.* 19. 36. 37.

XLIV. *Iidem aaa. Rufino pp.* Nullus solius materni sanguinis vinculis illigetur: quia mulieris infirmitas nunquam hujusmodi functionibus reddit obnoxios, a quibus ipsa habetur immunis. *Dat. V. Id. Aug. cp. Theodosio a. III. et Abundantio Coss.*

Dixi hac de re in *l.* 22. et 29.

XLV. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Ennoio Proc. Africæ.* Nominationum forma vacillare non debet, si omnes qui albo curiæ detinentur, adesse non possunt: ne paucorum absentia sive necessaria, sive fortuita debilitet, quod a majore parte ordinis salubriter fuerit constitutum: cum duæ partes ordinis in urbe positæ totius curiæ instar exhibeant. *Dat. XVII. Kal. Jun. Med. Olybrio et Probino Coss.*

Huic legi conjungenda est *l. Nominationes. sup. de appell.* quæ eandem inscriptionem et subscriptionem habet. Non possunt fieri nominationes sive creationes ad munera civilia citra consilium decretumque publicum, præsentibus omnibus decurionibus, aut saltem duabus tertiis totius ordinis, *l. 3. D. de dec. ab ord. fac. l. Nulli. D. quod cujusque univers.*

XLVI. *Iidem aa. Theodoro pp.* Ad subeunda patriæ munera dignissimi meritis et facultatibus curiales eligantur, ne tales forte nominentur, qui functiones publicas implere non possint. *Dat. IV. Kal. Oct. Med. Olybrio et Probino Coss.*

Ad munera, veluti ad sacerdotium provinciæ, nominentur potiores, id est, locupletes, et de Repub. bene meriti: et hoc est quod ait *l. Honores. D. eod. tit. honores, et munera non ordinationi, sed po-*

neribus injungi, hoc est, non tam vires spectari quam vires: quod de tutelis Paulus scripsit 2. recep. Sentent.

XLVII. *Iidem aa. Cæsario pp.* Curiales qui honorariam adepti sunt comitivam dignitatem, formidare debent eos, quorum moderationi sunt commissi; nec se existimare ideo meruisse dignitatem, ut judicum præcepta despiciat. Quod si in eadem culpa perseverent, quinque librarum auri mulctæ obnoxii subjugentur, honore quoque quem prodiderint, spoliandi. *Dat. IV. Kal. Jul. cp. Olybrio et Probino Coss.*

Curiales sunt sub jurisdictione præsidis, etiamsi honorati sint titulo comitis consistoriani, vel ordinis primi aut secundi. Honorem prodit qui eo abutitur ad judicum contemptionem.

XLVIII. *Iidem aa. Florentino p. v.* In successione curialium decernimus, ut etiam si patres decesserint teneatur adgnatio. *Dat. XII. Kal. Jan. Med. Cæsario et Attico Coss.*

Agnasci dicuntur posthumi. Hic igitur est legis sensus, non tantum natos, sed et posthumos sequi curialem fortunam patris. Quia enim lex ait, *Patres*, de aliis quam de filiis accipienda non est. De agnatis certe haudquaquam, quandoquidem decurionum agnati, etiam si eis hæredes existant, eorum conditionem non sequuntur.

XLIX. *Iidem aa. Theodoro pp.* Omnes qui quolibet curiæ jure debentur, cujuscunque superstitionis sint, ad implenda munera teneantur. *Dat. Id. Feb. Med. Honorio a. IV. et Eutychiano Coss.*

Quolibet jure, puta genere, actu, re judicata. *Cujuscunque superstitionis*, puta Judæi aut Hæretici. Theodosius ait cujuscunque sectæ in *l. Curiales. sup. de hæret.*

L. *Iidem aa. Eutychiano pp.* Omnes omnino curiales in originalibus ac debitis perpetuo curiis perseverent, et qui ex his ad provinciarum regimen atque administrationem qualibet fraude atque ambitione pervenerint, sciant se non solum in sua curia remansuros, sed etiam cunctis rursus ab exordio muneribus servituros. *Dat. VIII. Kal. Nov. cp. Honorio a. IV. et Eutychiano Coss.*

Qui fraude vel ambitione facti sunt rectores provinciarum, revocantur in curiam, ita ut omnia curialia munera, et si jampridem ex eis quædam obierint, ex integro obire et repetere cogantur. Ait, *Originalibus*, genere: *Debitis*, quolibet alio jure.

LI. *Iidem aa. Messalæ pp.* Quamvis provisum fuerat congruæ emendationis occursu, quemadmodum curiales, militiæ nomine et honore suspenso, officiis redderentur: tamen quia hoc callido consilio repererunt, ut evitatis provinciæ suæ finibus, tanquam his eorum tantum interdictus fuisset accessus, peregrinos expeterent commeatus: ne diutius in perniciem curiarum latitandi spes et solatium eos impunitatis exacuat: horum cupiditatibus obviamus, ut ex eorum bonis, qui se vel prosecutioni vel muniis civitatum, interdictæ dudum ambitione militiæ, vel qualibet fraude subtrahere conati fuerint: curiis quas deseruerant, consulatur. Itaque si vocati edictis intra anni metas (hi tamen qui manifestis curiæ nexibus illigantur) latere potius, quam redire maluerint: sciant post emensum annum, interpellatis provinciarum moderatoribus, ex facultatibus suis curiis, quas destituerunt, esse consulendum neque enim de immaturo præjudicio temporis possunt brevitatem causari. *Dat. XVII. Kal. Sept. Theodoro v. c. Cos.*

Qui relicta curia militiæ nomen dederunt, aut revocantur, aut post annum bona eorum addicuntur curiæ, vel etiam iis qui eorum vice munere subeunt, ut demonstratum est sup. Et non tantum in patria, sed et in peregrino solo decuriones militare prohibentur. Prosecutioni ait eos se subtrahere, qui longissime absunt. Huic conjungenda est *l. pen. sup. de resc. vend.*

LII. *Iidem aa. Probino Proc. Africæ.* Quis tam inveniri iniquus arbiter rerum potest, qui in urbibus magnifico statu præditis, ac votiva curialium numerositate locupletibus, ad iterationem quempiam transacti oneris compellat: ut cum alii necdum pene initiati curiæ sacris fuerint, alios et continuatio et repetitæ sæpe functiones adficiant? *Dat. XVI. Kalend. Apr. Mediol. Cæsario et Attico Coss.*

Nemo cogitur munera civilia iterare vel continuare: æquum enim non est, aliis idoneis existentibus, qui nondum munus ullius curiæ attigerunt, eos qui attigerint iterum prægravari. Si civium sit inopia, aliud dicendum est, *l. 3. inf. quemad. civ. mun. ind.*

LIII. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Euchario Proc. Africæ.* Duumvirum impune non liceat extollere potestatem fascium, extra metas territorii propriæ civitatis. *Dat. VI. Id. Mart. Raven. Honorio IX. et Theodosio v. aa. Coss.*

Duumviri imperium non habent, *l. Ea quæ. D. ad municip.* Jurisdictionem habent usque ad certam quantitatem, ut v. Sentent. Pauli diximus, quam tamen defendere pœnali judicio nequeunt, *l. 1. D. si quis jus dic. non obt.* Pignoris capionem, *l. 29. §. Magistratus. D. ad l. Aquil.* Legis actionem, ut in 2. Senteat. diximus. In servos castigationem, *l. 12. D. de jurisd. l. Si privatus. D. qui et a quib. man.* Tutoris et curatoris dationem, *l. 3. D. de tut. et cur. dat.* quin et ordo ipse ipsum magistratum, id est, Duumvirum jure tutorem dat, *l. Decreto. D. qui pet. tut.* Præfert fasces sive bacillos, ut in 2. Agraria. Potestate sua non utitur extra territorium, sicut nec urbani magistratus. Territorium a terra malo deducere, quam a terrendo: nam et pro fundo accipitur sæpe, *l. 3. sup. de natur. lib. l. Nulli. sup. de episc. et cler.*

LIV. *Iidem aa. Palladio pp.* Generali lege sancimus, ut si quis suum decurionem curiæ vindicare maluerit, si præsidis desit copia, in eundem manus injectione concessa, sciat ad examen cognitoris resultantem esse deducendum: ita ut moderator provinciæ (si quæstio fortasse fiducia defensionis ulla generatur) nisi intra tres menses causam originis competenti disceptatione cognoverit, atque convictum cum pœna restituerit debitis muneribus, vel liberum ab inquietudine pronunciaverit: decem librarum auri multam cogatur exsolvere: ejus etiam officium pari damni irrogatione teneatur. *Dat. V. Non. Maii Raven. dn. Theodosio a. VII. et Palladio Coss.*

Ordini in decurionem manus injectio est, si præsidis desit copia. Curialis conditionis quæstio apud præsidem agitur et peragitur intra tres menses: quod etiam tradidimus in *l. ult. sup. de jur. fisc.* Ait, *Ejus etiam.* Eustathius: καὶ ἡ τάξις αὐτοῦ ζημιοῦται.

LV. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Isidoro pp.* Si quis decurio, aut subjectus curiæ ausus fuerit ullam affectare militiam: nulla præscriptione temporis muniatur, sed ad condictionem propriam retrahatur, nec ipse, vel ejus liberi post talem ipsius statum procreati, quod patriæ debetur, valeant declinare. *Dat. III. Non. Apr. cp. Isidoro et Senatore Coss.*

Filius decurionis subjectus est curiæ, nec dum decurio. Neque autem decurio, neque subjectus curiæ XXX. vel XL. annorum præscriptione tueri se a curiæ vindicatione potest, *l. Præscriptionem. sup. de præs. 30. ann.* Obstat, *l. Si cohortalis. inf. de cohort.* quæ eandem inscriptionem et subscriptionem habet, eadem verba, nisi quod hæc de curialibus, illa de cohortalibus loquitur. At in cohortalibus idem prorsus nullo tempore excepto Theodosium constituisse constat ex *l. ult. Cod. The. de cohortal.* Verum Tribonianus ex Anastasii Constitutione, id est, ex *l. 4. sup. de præscr. 30. ann.* addit in *d. l. Si cohortalis.* hæc verba *præter eum scilicet quæ ex* XL. *annis colligitur* (sic enim auctoribus libris scriptis legendum est) quoniam a sua Constitutione Anastasius postea solos curiales excepit in *d. l. Præscriptionem.*

LVI. *Iidem aa. Isidoro pp.* Alexandrinis principalibus etsi advocatione fungantur, nihilominus onus peregrinationis incumbat: nec publica cura, nisi in sua tantum civitate, committatur: et primus curiæ, cum muneribus universis expletis ad summum pervenerit gradum, comitivæ primi ordinis fruatur post biennium dignitate præstita, in curialibus tamen permaneat. *Dat. Prid. Non. Jun. cp. Isidoro et Senatore Coss.*

Hæc lex et tres quæ sequuntur et *l. 4. inf. de Alex. princ.* pertinent ad curiam Alexandrinam, et sumptæ sunt omnes ex una eademque Nov. Theodosii. Hæc curia instituta est a Severo. Spartianus: *Alexandrinis, inquit, jus Buleutarum dedit, qui sine publico consilio, ita ut sub regibus ante vivebant uno judice contenti, quem Cæsar dedisset.* Is vero judex quo Spartianus ait Alexandrinos fuisse contentos, Juridicus est Alexandriæ ὁ τῶν πολλῶν κρείττων κύριος, ut Strabo ait XVII. de quo habemus specialem titulum. Datur autem primum hac lege Alexandrinis principalibus, etsi advocatione fungantur, quos tamen

magis decere videbatur legatio, ut minime (sic accipio *nihilominus* nec sine exemplis) legationis munus obire aliave qua procuratione vel cura extra suam civitatem fungi cogantur. Non dicit munus, sed cura. Principales expletis muneribus omnibus suscipiunt curas. Datur deinde aliud Primo curiæ, ut post biennium comitiva prima ordinis ornatus exeat, non quidem e curia, sed ex primicerio. De Primo curiæ diximus supra. De bienno, de primiceriis, de comitibus primi ordinis dicemus lib. XII. Nihil inexplicatum reliquimus. Uno loco si quid desideres, noli queri, tibi altero satisfiet: itaque male his utetur, imo nihil plane percipiet, nisi qui omnia legerit.

LVII. *Iidem aa. Isidoro pp.* Quinque summates ordinis Alexandrini corporalibus injuriis immunes esse censemus, ut voce libera commoditates patriæ defendant: cum possint, si quid egerint criminose, pecuniariis coerceri dispendiis: æstimabuntur autem præsente curia viri spectabilis Augustalis judicio. *Dat. Prid. Non. Jun. cp. Isidoro et Senatore Coss.*

Datur et aliud hoc capite Alexandrinis principalibus qui pro patriæ advocatione funguntur, ut ne ad libidinem præfecti Augustalis corporalibus afficiantur injuriis, quod et principalibus Vulsinensium in Hetruria datur, *l. Urbis. C. Th. eod. tit.* de præfecto Augustali dixi in tit. *de com. larg. tit.* Alt, *Quinque summates* ut in l. 4. *inf. de naucul.* et Symmachus, *Summates Aricinæ urbis.*

LVIII. *Iidem aa. Isidoro pp.* Eum qui triginta annis in Alexandrina civitate civilibus inhæserit muneribus, corporalibus muniis non pecuniariis excusari convenit, habita consideratione videlicet meritorum: ut hoc bene cogniti privilegium consequantur, nec eo passim fruantur indigni. *Dat. Prid. Non. Jun. cp. Isidoro et Senatore Coss.*

Datur et aliud beneficium quasi pro emerito curialibus Alexandriæ, qui per XXX. annos functi in ea sunt civilibus muneribus, ut deinceps vacent a corporalibus, non etiam a patrimonialibus. sed hoc ita, si strenue ut serio per tot annos in ea versati sint, non negligenter, non scelerate, non defunctorie.

LIX. *Iidem aa. Isidoro pp.* Si quos spontaneos hypomnematographi munificos suis exhortationibus ad publicas nominaverint functiones, jubemus non expectandum esse consensum pro tempore viri spectabilis Augustalis, qui fit plerunque venalis, sed utriusque partis sufficere voluntatem, ut incipiat functio, quam nullus incusat: tunc ad memoratum judicem tam nominati, quam etiam creatoris consona relatione currente: quam si suscipere vel confirmare distulerit, sciat se vigintiquinque librarum auri condemnatione plectendum. *Dat. Prid. Non. Jun. cp. Isidoro et Senatore Coss.*

A Strabone inter magistratus civitatis Alexandriæ numeratur ὑπομνηματογράφος, lib. XVII. qui Latine dici potest *Commentariensis.* Videntur duo fuisse, ut in aliis civitatibus Duumviri, qui nominationes ad munera civilia facerent, quas ratas esse cavetur hoc capite, etiamsi sine consensu factæ sint præfecti Augustalis, qui et invitus eas confirmare cogitur, videlicet utriusque partis, id est, nominantis et nominati concurrente consensu. Nominatorem creatorem vocat, ut in *l. 2. inf. quo quisque ord. con. l. 2. § Si eo tempore. D. de adm. rer. ad civ. pert.* Addatur *l. ult. sup. de hered. decur.* ubi vulgo male, *creditores,* pro *creatores,* lib. 45. βασιλικῶν, χειροτονηταί.

LX. *Iidem aa. Thomæ pp.* Nullus qui nexu generis curiæ tenetur obnoxius, per substitutam quamcunque personam curiales impleat functiones, sed ipse per se debitum patriæ munus exsolvat, et si spectabili dignitate decoratus sit: nisi hoc ei speciali beneficio sit concessum: hi vero qui honorario titulo illustrem dignitatem consecuti sunt, per substitutos periculo suarum facultatum curiæ muneribus satisfacere non vetentur. *Dat. V. Kal. Mart. cp. Eudoxio et Dioscoro Coss.*

Ut is qui origine est curialis, etiamsi spectabili dignitate veluti Comitiva primi ordinis decoratus sit, per se non per substitutum munera civilia obeat, nisi hoc ei princeps specialiter concesserit. Ut is quis illustri dignitate honestatus est, veluti magisteria, eam per substitutum obire possit suo periculo: ut hæc postrema legis verba repetita sunt in *l. Ad similitudinem. sup. de episc. et cler.* in qua idem significatur datum episcopis, presbyteris, diaconis. Alii clerici, ut puta hypodiaconi, lectores, cantores, exorcistæ, ostiarii retracti in curiam per se munera obeunt, *l. Si quis curialis. sup. de episc. et cler.* nec obstat *Nov.* 123. quæ quod in præteritum indulget, in futurum vetet.

LXI. *Imp. Leo a. Juliano pp.* Neque Dorotheum virum illustrem, et totam ejus substantiam, neque Irenæum virum spectabilem tribunum et notarium, et si ante paternas illustres dignitates natus est, ullam inquietudinem pro curiali genere et conditione sustinere decrevimus. Liberos quoque eorum vel qui jam sunt, vel futuri sunt, eorumque posteros, quotiescunque continuata temporum et successionum perpetuitate nascentur, a conditione curiali, et functione esse liberos: lege divæ memoriæ Juliani, quæ de materno curialium Antiochenæ civitatis genere promulgata est, nihil in persona viri illustris Dorothei, vel viri spectabilis Irenæi, vel adversus facultates eorum, vel adversus liberos eorundem, vel qui jam nati sunt, vel postmodum quoquo tempore nascentur, vel adversus substantias eorum robora vel juris habitura: circa alias sane universas personas de materno genere ad memoratæ Antiochenæ civitatis tantummodo curiam pertinentes, eandem legem præcipimus obtinere propriam firmitatem.

A generali constitutione, ut liberi ante illustratum patrie suscepti curie retineantur, de qua dicemus *inf.* et a privilegio *l. 22. sup.* hæc lex familiam excipit Dorothei viri illustris, et filii ejus Irenæi viri spectabilis.

LXII. *Idem a. Constantino pp.* Si ille qui ex filia decurionis Antiochenæ splendidissimæ civitatis, et patre, qui nullius alterius civitatis muniis debeatur, procreatus est, sub examine provincialis judicis, vel sponte confessus, vel certo convictus, quod ex filia sit curialis progenitus, et albo decurionum adscriptus fuerit: nullam sibi superesse facultatem negandæ vel evitandæ conditionis existimet, et curialem non aspernari fortunam avi materni sui pertentet, nec dubitet se muneribus curialibus subjacere. Quod si quem curia, de qua præsens sanctio loquitur, natum ex filia curialis minime secundum præstitutam ordinationem sibi sociandum curaverit, prolem ejus pulsare nullo modo penitus poterit: nec enim patimur conventionem ejusmodi prætermisso filio, quem curialis filia ediderat, a nepote vel pronepote, vel ulterius incipere.

Confirmatur. *l. 22 sup.* hoc addito, ut a filio hujusmodi conventio incipiat, non a ceteris liberis. Filius igitur si non fuerit curiæ Antiochenæ vindicatus, non vindicabitur etiam nepos.

LXIII. *Idem a. ad Senatum.* Doctitii viri clarissimi jubemus fortunam super curiali conditione nullo modo esse inquietandam, nec facultatibus ejus, sed eo, qui hujusmodi conamen inierit, sacrilegii pœnam luituro: omnes qui post peractam illustrem administrationem, vel adhuc in ea posito patre suo gignuntur, a curialium intentione defendantur una cum paternis sine dubio substantiis, quas cum persona patris a curiali nexu liberas esse nemo dissimulet.

De senatore ad senatum scribit, ne Doctitio vel facultatibus ejus ulla moveatur de curiali conditione controversia, legendum in contextu, *nec facultates ejus scilicet eo qui hujusmodi conamen inierit, sacrilegii pœnam luituro.* Quod sequitur, *Omnes,* initium est alterius sententiæ, quæ nihil commune habet cum re Doctitii. Ut nati ex illustribus vel administrantibus vel administratione perfunctis, curiæ non teneantur. Ergo antea nati teneentur, idque innuit *l. 61. sup. l. prox. l. pen. l. ult. inf.* Proinde illustris filius non est, qui natus est ante illustrem dignitatem patris, quæ ratione fortiter defendi potest, filium regis non esse eum qui natus est antequam pater regno potiretur: qua Xerxes obtinuit adversus Darium fratrem natu majorem. At secus est tamen in decurionum et senatorum filiis, ut dicemus in *l. 11. inf. de dign.* et in filiis patruorum fisci, ut in *l. ult. inf.*

LXIV. *Imp. Zeno a. Sebastiano pp.* Neminem ex his, qui obnoxii curiæ constituti, ab initio felicissimi nostræ pietatis imperii Comitum privatarum rerum nostræ vel piissimæ Augustæ partis, seu Comitis sacrarum largitionum, vel Comitis domesticorum, Quæstoris vel magistri officiorum ad actum administrationis gerendum provecti sunt, vel in posterum provehentur,

ob hoc curialium munerum laqueos volumus cvitare: sed obligatos cum liberis suis quandocunque progenitis, et facultatibus suis, post administrationem depositam curiæ commoditatibus inservire: nisi forte aliis privilegiis super hoc legibus cognitis muniantur: nam aliis universa legitima, vel ex constitutionibus data privilegia, integra volumus illibataque servari. Ne tamen indulti honoris inane nomen retinere videantur, dignitatum titulis potiantur, et per substitutos suarum periculo facultatum curialibus muneribus respondentes, habeant integra illibataque privilegia dignitatis. Eos vero, qui præfatas dignitates ante initium nostri imperii consecuti sunt, cum facultatibus suis, et post eam dignitatem progenitis filiis, a curialibus nexibus vel honore decrevimus liberari. Illos autem qui quocumque tempore patricii, vel consules, aut consulares facti sunt, aut in posterum fuerint, aut magistri militum, vel præfecti prætorio Orientis, vel Illyrici, vel urbis administrationem in actu positi quandocunque gessere, aut postea gesserint: omni modo cum facultatibus suis, et post eam dignitatem progenitis filiis a curiarum nexibus vel honore decernimus liberari.

In contextu legendum, *Comites privatarum nostræ vel piissimæ Augustæ partis, sive comites largitionum, vel comites domesticorum, quæstores, vel magistri officiorum licet ad actum, etc.* quam lectionem confirmat *l. prox.* Hæ autem omnes, quæ hac lege recensentur initio, dignitates illustres sunt, et ea ea, qui eas ante Zenonis imperium administraverunt, curia liberantur una cum liberis post eas dignitates susceptis. Ante suscepti in curia retinentur. At post Zenonis imperium, qui eas dignitates administraverunt per se, vel per substitutum, curiæ satisfacere coguntur, sicut et honorarii illustres, *l. 60. sup.* et liberi eorum quandocunque suscepti. Recensentur in extremo aliæ dignitates æque illustres, quæ tamen curia absolvunt, etiamsi post Zenonis imperium administratæ sint, exceptis liberis ante eas dignitates susceptis. Loquitur de præfectis tantum prætorio Orientis et Illyrici, quoniam hæc lex tantum pertinet ad Orientale imperium.

LXV. *Imp. Anastasius a. Polycarpo pp.* Divæ memoriæ Zenonis sacratissimam constitutionem, quæ de curialibus post certas excelsas administrationes seu dignitates conditionis nexu liberandis lata est, in hac parte tantummodo duximus corrigendam, qua cavetur eos etiam qui ante eandem constitutionem (ab initio tamen ejusdem divæ recordationis Zenonis imperii) Comites privatarum nostræ vel piissimæ Augustæ partis, seu Comites sacrarum largitionum, vel Comites domesticorum, Quæstores, aut magistri officiorum, licet ad actum administrationis gerendum provecti sunt, minime curialium munerum laqueos ob hoc evitare, sed obligatos cum liberis suis quandocunque progenitis et facultatibus suis, post administrationem depositam curiæ commoditatibus inservire: nisi forte aliis privilegiis super hoc legibus cognitis muniantur: his etenim qui memoratas administrationes, vel unam ex his peregerunt, nec non liberis et rebus eorum beneficium, quod ante per illustrem administrationem peractam eis acquisitum est, intactum illibatumque jubemus servari, ut relaxatione conditionis et munerum curialium per anteriores principales dispositiones sibi concessa, tam ipsi quem liberi eorum post hujusmodi administrationem adeptam procreati, una cum propriis substantiis potiantur, et si contigerit eos post divæ memoriæ Zenonis constitutionem, sive per se sive per substitutos suos, curiæ competentia munera subiisse. Eadem videlicet constitutione divæ memoriæ Zenonis ex die quo promulgata est, suas vires obtinente: cum conveniat leges futuris regulas imponere, non præteritis calumnias excitare.

In hoc Justiniani Codice ponuntur sæpe leges, quibus superioribus derogatur, vix quibus superioribus abrogetur. In Codice Theodosii non ita. Hæc lex derogat proximæ, in qua Zeno curiæ obligat eos, qui ab imperii sui auspiciis facti essent comites privatarum. Comites largitionum, Comites domesticorum, Quæstores, Magistri officiorum. In hac Anastasius solvit, modo et ante constitutionem illam Zenonis eas gessissent dignitates, nec vult sibi easdem quicquam præjudicasse, quod aliquandiu paruerint Constitutioni Zenonis, idque merito. Debuit enim Zeno in futurum legem ferre, non in præteritum, adempta libertate iis qui jam ad eam jure pervenerant, ex *l. 63.* et aliis plerisque constitutionibus.

LXVI. *Imp. Justinianus a. Demostheni pp.* Curialibus consortiis consulentes, censemus ut nemo sibi blandiatur, et non certis modis sese liberum esse existimet, sed pro nostra forma tantummodo sciet posse libertatem sibi curialis competere condicionis: omnibus anterioribus modis, quos non comprehendit præsens sanctio, ex præsenti die antiquandis. Si quis igitur vel summum patriciatus honorem fuerit consecutus, sive insulis consulatus honorarii aut ordinarii fuerit ampliatus, ut vel consul, vel consularis efficiatur, seu præfectorum prætorio insolas susceperit gubernandas, vel urbicariam (in ipso tamen actu) meruerit præfecturam, nec non magistri militum officium gerendum susceperit: is gaudeat se hujusmodi condicionis esse exsortem et liberum cum suis facultatibus, suaque posteritate quam postquam meruit dignitatem, vel actum gessit, ediderit: anterioribus filiis in condicione pristina remensuris. Sed et tam prælaturæ quæstoris quam viri eloquentissimi fisci patroni tam præfecturæ, quæ Orientalibus et Illyricianis præsidet sedibus, quam urbicariæ, cum ad fisci patronatum pervenerint, nexibus curiæ liberantur, una cum substantiis et liberis suis, quos vel ante hebuerint, vel postquam ad eundem gradum provecti sunt. Viri etiam clarissimi principes agentium in rebus curiæ libertatem ex antiquis legibus consecuti sunt, et viri spectabiles proximi sacri scrinii nostræ memoriæ, et sacrarum epistolarum, nec non sacri scrinii libellorum, sacrarumque cognitionum et dispositionum, cum substantiis et liberis suis, quos per emerita stipendia susceperint: hoc etiam nos corroborantes intuitu laborum, quos multo, longo, prolixoque tempore pertulerunt, intactum illibatumque conservamus: ut hi omnes fortuna curiali liberentur cum sua substantia suaque sobole secundum ea quæ prædiximus. Ex ævo autem sequente progenitos antea nullius futuri fisci patroni liberos concedimus liberandos, ut ne quod sommis ap cibus dignitatum non est concessum, hoc alii sibi audeant vindicare: sed progeniti filii ante quam ad fisci patronatum pervenerint, in condicione pristina remaneant. Aliis autem modis quam bis, quos singulatim enumeravimus, sive legibus antiquis comprehensi sunt (qualis erat is quem ex tribus meribus concessum ante fuerat patri maximo senatui sociare) sive comprehensi anterioribus scitis non fuerant, liberationem competere cuidam curialis fortunæ nullo patimur modo: sed sive pragmatica sanctio super hoc processit, sive sententia eminentissimæ præfecturæ, sive alius modus (quicunque excogitatus est) omnia ea penitus vacuari, et pro infectis haberi, et curialia corpora suis reddi civitatibus, et substantias eorum subjacere, nulla excusatione eis penitus competente.

Hodie Comitiva privatarum, vel largitionum, vel domesticorum, vel quæstura, vel magisterium officiorum curia non solvit. Patriciatus, Consulatus, Consularitas, Magisterium militum, Præfectura prætoriana vel urbicaria, Patronatus fisci, Principatus agentium in rebus, Proximatus sacrorum scriniorum curia solvit. Patriciatus et Consularitas solo titulo honoris. Reliquæ non nisi administrationis merito, *Nov.* 70. et 81. Ait, *Sed et tam prælaturæ*. Locus est corruptissimus. Affirmo legendum, *Sed et viri eloquentissimi fori patroni, tam præfecturæ, quæ Orientalibus et Illyricianis præsidet sedibus, quam urbicariæ*. Fuit certus advocatorum numerus in foro præfecturæ prætorianæ et urbicariæ, qui Statuti dicebantur, sicut in quaque militia et collegio certi statuti sunt, alii supernumerarii dicuntur, et fuit sub primicerio, ut Balsamon scribit Nomocanonis 8. c. 13. Ex eis

duo fisci patroni quotannis prodibant: qui ex re curiali et cohortali fortuna liberabantur cum liberis omnibus quandocunque susceptis quod tamen illustres non habuerunt: nam liberi eis ante illustratum nati, non sunt illustres. Sed Justinianus hac lege idem statuit in fisci patronis, ut in posterum ii tantum cum patribus curia liberentur, qui fuerint post patronatum fisci procreati. Juris antiqui vestigium est in *l. 8. sup. de adv. div. jud.* ubi quod erat expressum de curiali conditione propter hanc legem Tribonianus immutavit. Ad extremum Justinianus abrogat omnes alios modos solvendi curialis vinculi, abrogat, *l. 132. C. Th. de decur.* Abrogat et alibi quartam Sabinianam datam adoptato ex tribus maribus, *§. Sed ea omnia. Instit. de hær. quæ ab int. def.* Alciatus male censet legendum, *Tribus manibus*: quam ob id quidam alii aliam notarunt, sed rem non explicarunt. Erant hæc tres liberos mares habentium jura. Uni dato senatui, curiæ liberatio contingebat: Uni in adoptionem dato: quarta omnium bonorum adoptatoris ex S. C. Sabiniano deferebatur, sicut impuberi arrogato ex Constitutione Antonini. De principibus agentium in rebus quod hac lege continetur, non caret difficultate quam discutiemus in *l. 7. inf. de pri. ag. in reb.*

TIT. XXXII. *Si servus aut libertus ad decurionatum aspiraverit.*

I. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. et cc. Saturnino.* Si libertus vel jus aureorum annulorum adeptus non est, vel natalibus suis non est restitutus, præses provinciæ non tantum curiæ participare non permittet, sed juxta legis severitatem congruenti pœna ulciscetur.

Liberti in decurionum ordinem conscribi non possunt: libertinorum filii possunt, quia ingenui sunt: idque etiam in senatu maximo obtinet, *l. 9. inf. de dignit.* quod tamen turpe et invidiosum fuit, et Imperatori Claudio vitio vertitur, quod latum clavum tribuerit libertini filio: et Appio Claudio, quod in censura inquinarit senatum lectis libertinorum nepotibus. At impetrato jure annulorum aureorum vel restitutione natalium, libertini in curiam admittuntur. Annulo utebantur ingenui: idcirco annulus libertinis datur, ut quasi ingenui vivant. Scribit Dio Musam medicum ab Augusto accepisse annulum aureum, et subjicit, *Erat enim libertinus.* Meliore autem conditione sunt natalibus restituti, quam annulo donati: hi honore augentur, conditionem non mutant, jure tantum et mortis, dum vivunt, ingenuitatis habent, *Nov. 78. l. Falsa. D. de cond. et dem. l. Etiam. D. de bon. lib. l. 2. sup. de ju. au. an.* ubi pro *libertinitatis.* legendum *libertinis.* Illi conditionem mutant, quippe cum eis natalibus restituantur, in quibus homines fuerunt, nondum neque naturali neque civili jure descripto, *l. 2. D. de nat. rest.* ergo vero sunt ingenui, *l. ult. sup. de bon. lib.* At ex *Nov. Justinian. 78.* ipso jure omnes liberti natalibus restituuntur, et jus habent annulorum, salvo jure patronatus. Possunt igitur omnes hodie in curiam admitti, et cessant pœnæ legis Viselliæ, quam intelligunt hoc loco Imperatores, dum ajunt *juxta legis severitatem.*

II. *Iidem aa. Oricinæ.* Præses provinciæ si eum qui ædilitate fungitur, servum tuum esse cognoverit, si quidem non ignarum conditionis suæ ad ædilitatem aspirasse prospexerit, ob violatam servili macula curiæ dignitatem, congruenti pœna afficiet. Si vero cum opinione publica mater ejus pro libera haberetur, ex decurione procreatus, ad capessendum honorem errore lapsus processit: dominio tuo eum subjugabit.

Servus si sciens aspiraverit ad honorem curiæ, gravissima pœna afficitur: si ignorans, illæsus domino redditur. An et scienti domino? quod videtur: nam nec sciente domino decurio fit: etiamsi ea fini manumittatur. Sed magis est ut addicatur fisco, arg. *l. Generali. inf. de tabul.* Cur enim eo passus est dominus inquinari curiam? Præterea hæc lex ostendit, communem opinionem libertatem non tribuere servo ædilitatem gerenti potius, quam ædili: arbitror et gesta per eum ipso jure nulla esse, utilitatis tamen causa sustineri, *l. Barbarius. D. de off. præt.*

TIT. XXXIII. *De prædiis curialium sine decreto non alienandis.*

I. *Imppp. Valentinianus, Theod. et Arc. aaa. Cynegio pp.* Si quis decurionum vel rustica prædia, vel urbana venditor necessitate coactus addicit, interpellet judicem competentem, omnesque causas sigillatim, quibus strangulatur, exponat: et ita demum distrahendæ possessionis facultatem accipiat, si alienationis necessitatem probaverit. Infirma enim venditio erit, si hæc fuerit forma neglecta: ita enim fiet, ut nec immoderatus venditor, nec emptor (cujuscunque sit conditionis) inveniatur injustus. Denique nihil erit postmodum, quo venditor vel circumventum se insidiis, vel oppressum potentia comparatoris queri debeat: quandoquidem sub fide actorum, et de necessitate distrahentis, et de voluntate patuerit comparantis. Quod si quis contra vetitum occultis molitionibus per supposititas fraude personas cujuslibet loci; quem tamen ei decurio distrahat, comparator extiterit, sciat se pretio quod dedit, esse privandum: et locum quem comparavit, eum fructibus esse restituendum. *Dat. VIII. Kal. Decemb. cp. Honorio nb. pp. et Evodio Coss.*

Non valere venditionem prædiorum curialium, nisi fiat causa probata apud acta præsidis, *l. 2. sup. de off. ejus qui vic. al. jud. obt.* vel præfecti prætorio ex *Nov.* Majoriani de curialibus, quam sequitur Cassiodorus lib. VII. formula ultima ad præf. prætorio non ad præpositum: idemque lib. IX. consequenter huic constitutioni: *Prædia*, inquit, *curialium, unde maxime mediocribus parantur insidiæ, nullus illicita emptione pervadat, quia contractus dici non potest nisi qui de legibus venit. Cujuscunque sit conditionis*) Sive collega sive non, *l. 2. Cod. Th. eod. tit.* *Sciat se pretio*). Qui prædium curiale emit sine decreto, curiali venditori restituit prædium cum fructibus, nec tamen ab eo pretium recipit vel meliorationes: idemque fit si quis emerit capite censitos sine terra, *l. 7. inf. de agr. et cens.* nam et hoc casu Reip. interest, ut censiti terræ suæ adhæreant, ut illo ut curiales sua teneant, ne patrimonii dissipatione ad munera civilia minus reddantur idonei. Utroque item casum æquum est, ut qui sciens (nec enim causari juris ignorantiam potest) ad eam emptionem accessit, pretium amittat et sumptus. Idem quoque observatur, si quis dempto canone, quod fit illicite, prædium dominicum emerit, *l. ult. inf. de fun. rei priv.* nam et domino rerum privata conservari publice interest, at temerario emptori pretium reddi rationis non est. Non idem observatur si non vicanus vicani prædium emerit. Hic enim pretii deductionem habet, *l. 1. inf. non lic. habit. met.* adversus quam ex superioribus juris speciebus, quæ diversæ sunt, et in quibus emptorem majus damnum mereri visum est, non argumentamur recte. An igitur superioribus speciebus venditoris lucro pretium cedet? Minime vero cum sit etiam ipse in vendendo mala fide versatus. Assentior Accursio, qui id multarum legum argumento ærario inferendum censet in *d. l. 7.* et in *l. pen. sup. de resc. vend.*

II. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Florentio pp.* Nec venditio rei hæreditariæ curiæ acquisitæ, aut debitoris hæreditarii qui solverit, liberatio aliter admittenda est: nisi apud acta totius, vel majoris partis ordinis intercedente decreto, ineundi contractus, vel dissolvendæ obligationis causa probetur. Ita enim et id quod ex eo redigitur, ad prædiorum jubemus comparationem expendi: quorum reditus omnes (sicut dictum est) ejusdem curiæ publicis muneribus, quæ solatio egere constiterit, justissime servabuntur: ex consensu omnium, maxime ditiorum, vel idonea fidejussione oblata, conductoribus eligendis. *Dat. V. Id. Jun. cp. Felice et Tauro Coss.*

Lex prima est de prædiis decurionum. Hæc de rebus mobilibus, vel nominibus curiæ hæreditario jure acquisitis. Res hæreditaria jure non venditur, debitor hæreditarius solvendo non liberatur, nisi venditio aut dissolutio obligationis ex ordinis decreto fiat. Ea pecunia inde confecta prædia comparantur, quorum reditus curiæ oneribus serviant. Reditus plerunque sunt pecuniæ, quæ ex locatione prædiorum rediguntur, *l. Liberto. l. Fundi. D. de usuf. leg.* Conductores autem idonei eligendi sunt. Quod ait, *sicut dictum est,* indicio est hanc legem partem esse amplioris cujusdam Theodosii Constitutionis, cujus et alia pars est in *l. 1. inf. lit. prox. et l. 1. C. Th. de imp. luc. des.*

III. *Imp. Zeno a Sebastiano pp.* Curiales vendere quidem res immobiles, vel mancipia rustica prohibemus sine interpositione decreti; donationes vero vel permutationes, vel quaslibet alios etiam sine decreto permittimus celebrare contractus: quoniam et sacræ constitutiones, quæ super hoc a retro principibus latæ sunt, in plurimis suis partibus de pretio non redhibendo locutæ sunt: ut ex hoc apertissime detur intelligi, solum emptionis decurionibus sine decreto interdictum fuisse contractum: cum tamen venditio intercedente (ut dictum est) decreto agitur, nullum eos vel qui ab his comparant, dispendium cujuscunque personæ vel causæ vel theatralis liberalitatis nomine (quod

frequentor fieri dicitur) substinere decernimus: nec ex tabella decretum recitari, sed curialium, vel majoris partis curiæ relatione currente, sine ulla malignitate referentium vel damno contrahentium, sd confirmandam emptionem competentis judicis proferri sententiam.

Ait, *Mancipia, rustica.* Olim quælibet, *l. 1. C. Th. eod. tit.* hodie merito sola rustica, arg *l. lex, sup. de admin. tut.* Ait, *Donationes.* Sola venditio inhibetur, et ideo in rubrica, *Alienandis*, id est, vendendis, ut in *l. 1. sup. de jur. emph.* donatio vel permutatio non inhibetur: quam legem mirabilem Justinianus vocat *Nov.* 38. Sed causa ejus hæc est, quod facilius quisquam vendat quam donet: cujus etiam ratione S. C. obligatæ mulieri succurrit, non donanti: lex Julia inhibet hypothecam fundi dotalis, non alienationem: Caninia familiæ manumissionem testamentariam, non inter vivos: mores Parisiorum largitionem omnium bonorum testamentariam, non inter vivos. At hæc causa Justinianum non movit, quominus idem ipse jus in donatione, quod in venditione constitueret, neutram valere sine decreto, ut ipse refert *Nov.* 38. et hanc ejus constitutionem sub hoc titulo desiderari: quodque in quibusdam veteribus Codicibus ad finem tituli de decur. in aliis ad finem tituli proximi, adnotatum est, deesse constitutionem Græcam, hujus tituli extremo adnotari debuisse puto. Quin et postea Justinianus *Nov.* 87. nec cum decreto donationem permisit. Decretum autem fieri hac lege constituit Zeno, consensu curiæ et scoteotis competentis judicis viva voce, non ex periculo sive tabella recitata, ne quid pro scriptura exceptoribus dare contrahentes necesse sit. Omnino enim vult decretum fieri sine damno, sine impendio ullo, adeout nominatim etiam caveat, ne quod frequenter fieri iis venditionibus solet, quicquam theatralium nomine contrahentes præstent. *De pretio*) Unus tantum est contractus in quo intervenit pretium, is est emptio venditio. Dicitur et merces locationis pretium, sed καταχρηστικῶς. *Relatione*) Sic *sup. de decur. l. 59. consona relatione currente.*

TIT. XXXIV. *Quando et quibus quarta pars debetur ex bonis decurionum, et de modo distributionis eorum.*

I. *Impp. Thæodosius et Valentinianus aa. Florentio pp.* Si decurionum consortio sit alienus qui curiali successit, competentis eidem juris (sive ex asse, sive ex parte hæres sit bonorumve possessor) partem quartam jure optimo a curis peti decernimus. *Dat. V. Id. Jun. cp. Felice et Tauro Coss.*

Si non curialis curiali successerit ex asse, quarta pars bonorum curiæ debetur, cum onere tamen æris alieni, *l. 2. §. Æque diverso.* Si plures non curiales ei successerint ex partibus, singuli pro rata conferunt ad quartam curiæ debitam. *Eidem*) Successori.

II. *Iidem aa. Apollonio pp.* Meminimus nuper emissa lege divali, portionem quartam de facultatibus curialium fati munus implentium, quæ ex qualibet novissima voluntate vel ab intestato etiam, ad quemcunque (præterquam si ad filios curiales) deferantur, curiarum deputasse corporibus: sed multi tanquam corrumpendi totius patrimonii occasione captata, uniuscujusque rei sibi particulam vindicando, adeo totas dilacerant facultates, ut dum participibus relictarum opum nocere cupiunt, sua quoque jura præcipitent. Quorum nimium licentiam provida dispositione refrenantes, ipsis quidem curialibus occupandi sua auctoritate res mortui copiam denegamus. Hæres autem ad quem ab intestato, vel ex postrema voluntate directis vel fideicommissariis verbis decurrit hæreditas, omne patrimonium quod relictum est, in partes quatuor dividi procuret: ut rebus totis in sortium casum deductis, vel curiæ quadrantis vel hæredi aut fideicommissario per universitatem dodrantis electio ex sortis felicitate contingat: ita scilicet et præfati successores, et curia promiscui rerum dominii liberabuntur incommodo. Naturale quippo vitium est negligi, quod communiter possidetur: utque se habere nihil, qui non totum habeat, arbitretur: denique suam quoque partem corrumpi patiatur, dum invidet alienæ. Sed ubi quarta pars bonorum mortui curiæ debet offerri; immobiles quidem res, quæ nec latere facile possunt, nec cuiquam (si divulgentur) officiunt, sub aspectu etiam curialium æstimari dividique concedimus: mobiles autem res vel se moventes, vel instrumenta, vel si quid aliud in hujusmodi jure consistat, in medium proferri divulgarique non patimur, sed juratis successoribus cum apud se diligenter æstimaverint, quæ quantique sint pretii facultates, credi oportere decernimus: quid enim tam durum, tamque inhumanum est, quam publicatione pompaque rerum, familiarum, et paupertatis detegi vilitatem, et invidiæ patere divitias? In exigendis vero debitis, si pretium quod pro quarta parte actionum curiæ competit, successores præstare noluerint, cautionibus juxta fide prolatis in medium, unusquisque a debitoribus convenientem sibi exigat portionem, æque diverso æs alienum, si cui defunctus fuerat obligatus, tam iidem successores, quam curia pro sua sorte restituere compellantur. Quod si sæpe dicti successores sacramentum sibi crediderint excusandum, tunc vero ad similitudinem rerum immobilium diligentior curialibus omnium rerum indago præbebitur: scilicet ut universa mortui facultatibus in aperto propositis vel æstimatio rerum vel divisio sub præsentia curialium celebretur. In omnibus autem casibus, ubi quarta pars curiæ competit, transactiones interpositas firmas illibatasque manere decernimus. Ad filiorum vero curialium, vel nepotum ac pronepotum scilicet decurionum similitudinem, ad quos integras opes pervenire censuimus; filiam, quin etiam neptem, pronepteinve principali ejusdem civitatis, unde pater, avus, vel proavus oritur, nuptam: rerum vel ab intestato vel dispositione ultimæ voluntatis quæsitarum, integrum nullaque parte minutum dominium habere sancimus. Quod si post parentum obitum inveniantur innuptæ vel viduæ, impuberibus quidem, post transactam pubertatem: in his vero quæ pubertatem excesserint: vel etiam in viduis, post mortem parentis triennium duntaxat volumus exspectari: ut interim quarta portio suspensa, aut apud eam, si in matrimonio curialis ejusdem civitatis fuerit collocata, perpetuo jure permaneat: vel si intra id tempus alienum eadem curia sortiatur maritum, penitusve nupta non fuerit, memorata pars totius substantiæ curiæ cum triennii tom urbanorum, quam rusticorum prædiorum duntaxat fructibus addicatur; ita tamen ut et optionis conditio in offerendis rebus quartæ partis, vel dodrantis, et sacramenti tam de quantitate, quam de æstimatione rerum mobilium, deque actionibus inferendis, vel excipiendis (sicut in extraneis personis dictum est) ratio conservetur. Sed et si mater mortui, vel avia tempore quo filius nepose moritur, in conjugio ejusdem civitatis curialis inventa fuerit: ne ipsas quidem patimur quartæ portionis subire jacturam. Extraneum quin etiam hæredem propinquitatis quidem jure discretum: tamen curiæ ejusdem civitatis obnoxium, supradictæ portionis dispendio liberamus. *Dat. VII. Id. Mart. cp. Dioscoro et Eudoxio Coss.*

Ait, *Lege divali*, id est, l. 1. *sup.* Ait, *Præter quam si ad filios curiales*, Ex Nov. Theodosii si filius, nepos, pronepos, pater, avus, proavus non curialis curiali successerit, quarta curiæ non debetur: Ex constitutione Justiniani, id est, ex l. *prox. inf.* debetur. Hoc igitur loco non addiderat Theodosius *Curiales*, sed Tribonianus addidit, ut hæc lex congrueret cum Justiniani lege. Quibus autem casibus debetur quarta ex universo ea sumitur, non ex singulis rebus: quamobrem hæres bona dividit in partes quatuor, et is eligit cui sors dederit. Forsitan et fratres in divisione hæreditatis, vel hæres et fideicommissarius jure Romano sorti totam rem committunt, ut in multis aliis casibus fit, vel inter fratres potius, ut solet hodie, major dividit, minor eligit: qualem legem Sulpitius Victor in Inst. Orat. ponit, ut commune patrimonium dividat qui est major ex fratribus, eligat minor, et Seneca Declamationum vi. *Sortium casum*) Vel, *Sortitum carumque.* *Promiscui*) Communis est promiscuum rerum dominium. *Sed ubi quarta*) Rerum immobilium æstimatio et divisio fit præsentibus videntibusque curialibus: reliquorum æstimatio fit jurejurando

successorum, vel si adeo superstitiosi sint ut jurare nolint, omnes proferantur in medium. Cautionibus item prolatis si nolint successores pretium nominum curiæ præstare pro quadrante, nomina inter curiam et successores pro dodrante et quadrante dividentur, e contrario pro quadrante curia agnoscet æs alienum defuncti. *Vel dimisso*) Ex Nov. Theodosii, prout successor elegerit: nam in arbitrio successoris est dividere, vel quadrantis æstimationem præstare. Ex sententia Justiniani prout inter ipsos convenerit.

Ad filiorum vero) Hoc etiam loco Tribonianus addidit, *Curalium*, et *Scilicet decurionum*. Ex Triboniani igitur sive Justiniani sententia si filius, nepos, pronepos curialis curiali, successerit, curiæ nihil debetur: idemque est si filia, neptis, proneptis curiali nupta, patri, avo, proavo curiali succedat. Idem si pater, avus, proavus curialis, aut mater vel avia nupta curiali. *Principali*) Principalis pro curiali quolibet, et sic quasi generali vocabulo. D. Augustinus Areopagitas principales Atheniensium vocat. *Quod si post*) Si moriente curiali filia, ejus neptis vel proneptis virgo sit aut vidua, expectatur triennium quoad nubat, et si curiali nubat, assem obtinebit: si non curiali, vel omnino non nubat, quartam curiæ restituet cum fructibus prædiorum tantum. (Hæc quæ paulopost sunt verba) *et optionis conditio in offerendis rebus quartæ partis vel dodrantis et*) absunt ab omnibus libris scriptis, et quantum ego suspicor, ab Haloandro invecta sunt ex integra Nov. Theodosii, quod jamdiu ostendi in Notis ad lib. III. Institut. tit. 1. *Vel avia*) Idem proaviæ datum non est.

III. *Imp. Justinianus a Mennæ pp.* Si quis curialibus muniis obnoxius, uno forte vel pluribus filiis vel filiabus derelictis, filio quidem vel filiis suæ substantiæ partem minimam dereliquit (eam tamen, quæ excludere eos ab inofficiosi querela potest) aliis autem suam substantiam dereliquit, ut ex hac patrimonii distributione apud filium quidem vel filios curiales minima pars substantiæ remaneat, totum autem curiale munus masculis immineat, sivo filii sint, sine nepotes, vel pronepotes, curiali tamen conditioni obnoxii: sancimus hujusmodi iniquitatem resecari, et non minus quarta portione in masculos posse testatorem transmittere, sive unus est filius sive plures, nulla diminutione ex permistione sororum eis facienda: ut non solum corporibus, sed etiam substantiis laborantes possint curiale habere consortium. Ad hoc sancimus, si quis curialis filiabus pluribus derelictis ab hac luce fuerit subtractus, quorum una curiali ejusdem nupserit civitatis, aliis filiabus, quæ ad hujusmodi vota non migraverint, vel extraneis in reliquam partem hæredibus derelictis: non videri curiæ ex sententia legis Theodosianæ ad Apollonium scriptæ, satisfieri, sed omnino quartam partem patrimonii curia consequatur, sive uni filiæ, quæ curialibus nuptiis copulata sit, deputanda, sive ex aliis hæredibus colligenda: filis proculdubio quæ curiali nupserit immuni ab hujusmodi quarta datione servanda: cum per maritum ejus, quantum ad ipsus personam, curiæ sit satisfactum. Et hoc observari non solum si ultimo elogio condito testator curialis decesserit, sed etiam si intestato suum diem obierit: sed si quid minus fuerit vel minime derelictum: hoc modis omnibus filio curiali, vel filiæ, quæ nupta est ejusdem civitatis decurioni, ex substantia patris curialis vel deputari vel adimpleri: nullo obstaculo curiæ opponendo, si secundum, prædictam legem filius, nepos, pronepos, pater, avus, proavus, curiali morienti fuerint derelicti, qui nexibus curialibus ex quacunque vel dignitate vel occasione fuerint absoluti: in hoc etenim Theodosianæ legi apertissime volumus esse derogatum. Et generaliter definimus ex omni causa, neque masculos liberos neque filias copulatas matrimonio curialis minus quarta parentis substantiæ habere: vel non extantibus filii vel filiabus, sed aliis hæredibus, ipsam curiam secundum anteriores leges quartæ curialis morientis habere solatium. *Dat. Kal. Jul. cp. dn. Justiniano II. Cos.*

Constituitur hac lege, ut si curialis filium vel filios, nepotes aut pronepotes habeat curiæ obnoxios, filias item, neptes, aut pronepotes, masculis omnimodo relinquat quartam partem bonorum omnium, nec satis sit eis relinqui sortem partemve eam, quæ inofficiosi testamenti querelam excludit: ea est jure antiquo quadrans legitimæ partis. ex Nov. Justiniani triens vel semis legitimæ partis. Unus igitur si filius sit et una filia, sescuncia jure antiquo, vel ex Nov. Justin. sextans bonorum omnium singulis relinquendus est querelæ excludendæ causa. Ceterum in casu proposito quadrans bonorum omnium filio relinquendus erit. *Ut non solum corporibus*) Personalia et patrimonialia munera obeuntes. *Ad hoc sancimus*) Si curialis habeat tantum filias, et ex his aliæ curialibus nuptæ sint, aliæ plebeis, vel etiam innuptæ, exemplo filiorum iis quæ curialibus nuptæ sunt, omnimodo quadrantem bonorum omnium relinqui necesse est, nec satis est si eis, aliis filiabus vel extraneis hæredibus institutis, relinquatur minima illa portio, quæ querelam inofficiosi testamenti excludit: quod sit esse ex sententia l. 2. quæ filiabus non curialibus nuptis negat integras opes deberi sine quartæ diminutione. *Deputanda*) Imputetur filiæ quarta si tantum si relictum sit judicio defuncti. Colligitur ex aliis hæredibus, si filia nihil aut minus habeat quarta. Ipsa filia quæ curiali nupta est, nihil confert filio curiali ad quartam conficiendam. *Secundum prædictam legem*) Ex prædicta Nov. Theodosii si filius, nepos, pronepos, pater, avus, proavus non curialis curiali successerit, curiæ nihil debetur: qua in parte Justinianus nominatim ait, se Novellæ Theodosii derogare: quamobrem inscienter Tribonianus Theodosianæ legis verba accomodat ad Justiniani Constitutionem: nam Theod. legis verbis ita conceptis, et sane nihil derogatur. Ad hæc ineptum fuit in filiis id et ceteris adscribere, quod Tribonianus adscripsit, cum in extremo legis idem generaliter constituatur in omnibus extraneis. Illud prætermittendum non est ex Justiniani *Nov.* 38. 18. 89. quadrantem debitum curiæ versum esse in dodrantem, et ideo liberis curialibus hodie omnimodo relinquendum esse dodrantem, nec sufficere trientem vel semissem legitimæ portionis.

TIT. XXXV. *De imponenda lucrativis descriptione.*

Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Apollonio pp. Descriptionis onore aliquarum qualuer, quas ex lucrativis jugationibus tantum, non humanis vel animalium censibus, neque mobilibus rebus jubemus indici, et si curiales non sint, majores ac posteros liberamus, ut si pater, avus, proavus filio, nepoti, pronepoti, vel filiæ, nepti, proneptivo (nec interest nuptæ sint curialibus, necne) in postrema voluntate vel inter vivos etiam donatione quicquam de suis opibus largiatur: memoratæ descriptionis cessat indictio. Eque diverso, ut si posteri ad majores predicta sibi consanguinitate devinctos præfatis titulis suas conferant facultates, nullius accessione gravaminis hujusmodi liberalitas oneretur: in tam enim necessariis sibi conjunctisque personis sub liberalitatis appellatione debitum naturale persolvitur: cujus auctoritatem juris pariter valere sancimus, et si ab intestato succedant præfati sibi generis ordine sociati: ex his enim successionibus maxime debiti potius solutio, quam muneris oblatio comprobatur, quæ non largientibus etiam dominis, ipsa propinquitatis serie deferuntur. Ceteri vero, licet quadam inter se cognatione jungantur, nunquam tamen curiale prædium sine prædicto onore lucrabuntur: nisi forte is, cui lucre res cesserit, ejusdem civitatis ordini sit obstrictus: qui licet inter extraneos numeretur, vacuum tamen ea functione, quod datum est, consequatur: nam cum personæ condicio non mutetur, ne rei quidem statum convenit immutari. Lucrativas vero res eas tantum volumus appellari, et prædictæ descriptionis gravamen excipere, quæ hæreditatis, legati, fideicommissi jure, mortis causa donatione, vel cujuslibet postremæ voluntatis arbitrio ad quempiam delabuntur. Inter vivos etiam donatio simplici liberalitate confecta, lucrativæ merebitur et nomen et sarcinam. Si vero vel socer futurus filii, vel nepotis, vel pronepotis sponsæ adfinitatis coeundæ causa donaverit, vel parens etiam filiam vel neptem vel proneptem curiali seu extraneo nubentem donaverit, licet casus eventu, res ejus, cui data est, vertatur ad lucrum: nec inter lucrativas numerabitur, nec descriptionis oneri subjacebit. Nec enim juris optimi est matrimonium, cum tot tantisque suis difficultatibus opprimatur, adventiciis etiam cumulare ponderibus.

Res vero, quæ memoratis causis lucrativæ semel nomen exordiumque sortita est, licet ab eo, qui susceperat, ad alterum emptionis vel cujuscunque contractus jure migraverit: cum prædicto descriptionis gravamine proculdubio transferetur, ut vel sciens sibi imputet qui accepit oneratam, vel si ignoraverit, quod intereat consequatur. Contraque si cujuslibet contractus exordio lucrativæ nomen evaserit, et si postea lucri titulo in dominium alicujus ceciderit: sarcinam memoratæ descriptionis effugiet: nulla enim in hujuscemodi causis confusionis intercedit occasio, si ad primordium tituli posterior quoque formetur eventus: nisi forte res decurionis, quæ ad eum cujuslibet mercimonii jure pervenerit, ad alterum fuerit postrema ejus voluntate, vel ab intestato, vel inter vivos donatione translata: tunc enim, quia semel in personam cecidit principalis, veterum titulorum nequaquam ratione perspecta, conditionem et onus merebitur lucrativæ. *Dat. VII. Id. Mart. cp. Dioscoro et Eudoxio vv. cc. Coss.*

Si non curialis curiali hæres extiterit, curiæ debetur quadrans, hæres retinet dodrantem cum hoc onere, ut in jugationes singulas quotannis curiæ inferat siliquas quatuor, id est, sextam partem solidi, dimidiam tremissis, quam descriptionem præter hæredem patitur et quivis alius non curialis, ad quem ex alia causa lucrativa bona curialis pervenerunt: et de hac descriptione tractatur hoc loco, et l. 1. *sup. de apo. publ.* et l. 16. *C. Th. de agen. in reb.* Ceterum hæc siliquatica, ut dixi, debetur in singulas jugationes, non ex capitibus vel rebus mobilibus, quæ in re derogatur l. 1. *C. Th. eod. tit.* Rursus ut ex Nov. Theodosii, liberi et parentes masculi non curiales quadrantem curiæ non debent, ita nec siliquatica. At ex Constitutione Justiniani quadrantem debent, non siliquatica: nam quod ad siliquatica attinet, Justinianus Nov. Theodosii non derogavit: ac similiter ex eadem Nov. filia, neptis, proneptis, cœlebs nuptave non curiali, quadrantem debet, siliquatica non debet: denique liberi et parentes cujuscunque sexus siliquatica non debent, est enim hoc lucrativorum usus; parentes autem et liberi non tam lucra, quam debita videntur percipere: qua ratione et olim vicesimam non præstabant, nec ex hæredibus institutis ullo caduca debent. Ceteri etiam cognati non curiales siliquatica debent. Plane curiales etiam extranei ea non debent, sicuti nec quadrantem. Æque loca pietati et Deo dedicata ejusmodi descriptione immunia sunt, l. *pen. sup. de sacros. eccles. Nov.* 131. *Consanguinitate)* Consanguinitas est fraternitas. Hoc loco cognatio, cui vix alium similem invenias. Ad majores igitur prædicta sibi consanguinitate devinctos, id est, ad patrem, avum proavum. *Lucrativas)* Lucrativi tituli ii sunt, Hæreditas, Legatum, Fideicommissum, Donatio causa mortis, Donatio inter vivos Dos, Donatio propter nuptias. Emptio, Permutatio non sunt tituli lucrativi: *Licet casus eventu)* Haloander addidit, *mortis vel divortii:* quæ interpretis verba sunt, non auctoris.

TIT. XXXVI. *De præbendo salario.*

I. *Impp. Constantius et Constans aa. ad Marcellinum Comit. Orientis.* Nulli salarium tribuatur ex viribus Reipublicæ, nisi ei qui jubentibus nobis specialiter fuerit consecutus. *Dat. V. Non. Octob. cp. Limenio et Catullino Coss.*

Series titulorum docet hanc legem sic esse accipiendam, ut non possint decuriones cuiquam salarium constituere injussu principis: excipiuntur tamen casus quidam, *l. 4. D. de dec. ab ord. fac.* Salaria interpretamur τὰ διδόμενα εἰς τροφὴν, sive ut plurimum Græci vertere solent, σιτηρέσια, et ὀψώνια. Sudas: ἀλλαριοις, σιτηρεσιοις, προσαλλαριοις. An igitur ratio nominis hæc, quod salaria percipientes inde se alant? Quæ salaria in *l. 6. inf. de profess. et med.* annonaria commoda in *l. 9.*

TIT. XXXVII. *Si curialis relicta civitate rus habitare maluerit.*

I. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Eutychiano pp.* Curiales omnes jubemus interminatione moneri ne civitates fugiant, aut deserant rus habitandi causa: fundum quem civitati prætulerint, scientes fisco esse sociandum, eoque ruro se cariturus, cujus causa impios se patriam vitando demonstraverint. *Dat. XVIII. Kal. Jan. cp. Arcadio IV. et Honorio III. aa. Coss.*

Curialibus interdicitur ne ruri habitent, sicut in tit. de decurionibus, ne captent solitudines, lauras, secreta. Rus fisco vindicari. Impios esse eos qui patriam vitant, *l. pen. sup. de vesci. vend.*

TIT. XXXVIII. *De municipibus et originariis.*

Tria sunt quæ municipes faciunt, Nativitas, Manumissio, Adoptio. *l. Cives. inf. tit. seq. l. 1. D. ad mun.* quæ originis nomine continentur, *l. Privilegio. inf. tit. sequ.* nam originales sive originarii sunt non nati tantum, sed etiam manumissi et adoptati, *l. Cum neque. inf. tit. sequ.* quoniam et ii pro natis habentur, et alienæ originis jure censentur. Quamobrem non male sic quidam Codicis habent, *de municipibus originariis.* Alii sunt municipes voluntarii, l. 3. *inf. de iis qui spon. mun. susc.* quos facit adlectio vel incolatus, *l. Cives. tit. sequ. l. Filii. §. Municipes. D. ad municipales.*

I. *Imp. Antoninus a. Silvano.* Cum te Biblium origine, incolam autem apud Berytios esse proponis: merito apud utrasque civitates muneribus fungi compelleris.

Biblus urbs est Phœniciæ Beryto finitima. Qui ortu est Biblius, incolatu Berytius, in utraque civitate munera facere cogitur. Proinde ad munera vocamur vel ut originarii, vel ut incolæ.

II. *Imp. Gordianus a. Frontoni.* Si ut proponis, ea quæ ex causa fideicommissi te manumisit, ab ea libertatem justam fuerit consecuta, quæ originem ex provincia Aquitania ducebat: tu quoque jus conditionis ejusque civitatis jus obtinea, unde quæ te manumisit, fuit: eorum enim conditionem sequi ex causa fideicommissi manumissos pridem placuit, qui libertatem præstiterint, non qui rogaverint.

Libertus sequitur originem patroni. Patronus etiam is est, qui ex causa fideicommissi manumisit, l. *Libertus. §. Ex causa. D. ad municip.* Manumissus ergo originem ejus sequitur: itemque manumissi filius, l. *Filii.* l. *Assumptio. §. ult. D. eod.* Fuit autem olim Aquitania duplex, ut ex Itinerario Antonini constat: Prima, cujus metropolis Biturigæ: Secunda cujus metropolis Burdegala: quam divisionem etiam diœceses episcopales observant. *Libertatem justam)* Testamento hæres scripta cum libertate.

III. *Imp. Philippus a. Patroclo.* Filios apud originem patris, non in materna civitate, et si ibi nati sunt (si modo non domicilio retineantur) ad honores seu munera posse compelli explorati juris est.

Filii sequuntur originem patris, non matris. Domicilium patris non sequuntur, videlicet si alibi domicilium sibi constituerint, *l. Libertus. §. Patris. D. ad municip.* quod et in libertis locum obtinet, l. *Ejus qui. D. eod.* alioquin patris aut patroni domicilium sequuntur: denique domicilium proprium sequuntur, originem propriam non sequuntur: atque ita qui Tusculi natus est, nisi et pater ibi natus sit, vel domicilium habuerit, Tusculanus non est, sed et patris originem domiciliumve sequitur.

IV. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Secundo.* Origine propria neminem posse voluntate sua eximi manifestum est.

Jus incolatus mutatur mutato domicilio. Jus originis non mutatur, quia naturale est, nec igitur translatione domicilii mutatur, nec adoptione: proinde is qui adoptatur duarum civitatum est municeps: in patria sua, jure naturali: in patria adoptatoris, jure civili. Naturalis patria non amittitur. Civilis amittitur soluta adoptione. Hoc Græci significant, qui lib. LIV. βασιλικῶν ad hanc constitutionem hanc rationem adjiciunt: καὶ εἰκότως· οὐδὲ γὰρ αἴτησις ποιεῖ τὴν ἀρχιτογονίαν, ἀλλὰ τὸ ἀπὸ τόπου τινὸς ὁρμᾶσθαι· ὅθεν καὶ μὴ βουλόμενος τὶς ἐκ τῆς ἀρχαιογονίας τῆς ἰδίας ἐστιν. τὴν μὲν τοι κατοίκησιν, ἐπειδὴ ἐκ τῆς οικήσεως τῆς ἢ μετέρας δείκνυται, ἔξεστιν ἡμῖν ὅτε βουλόμεθα αὐτὴν ἐναλλάσσειν.

V. *Imp. Constantinus a. ad Maximum Vic. Urbis.* Si quis cum ex majore vel ex minore civitate originem ducit, eandem evitare studens ad alienam se civitatem incolatus occasione contulerit, et super hoc vel preces dare tentaverit, vel qualibet fraude niti, ut originem propriæ civitatis eludat: duarum civitatum decurionatus onera sustineat, in una voluntatis, in una originis gratia. *pp. VIII. Kal. Jan. Paulino et Juliano Coss.*

Hæc lex ostendit jure incolatus non perimi jus originis. Nec precibus id aliave qua fraude obtineri posse.

TIT. XXXIX. *De incolis, et ubi quis domicilium habere videtur, et de iis qui studiorum causa in alia civitate degunt.*

Incolas domicilium facit, non domus, non possessio sola. Interdum incola pro inquilino, qui proprie οἰκήτωρ dicitur, incola μέτοικος, vel πάροικος, ut in *l. 1. sup. de fals. mon.* et apud Sophoclem, μέτοικος

ἀντὶ τοῦ ἐνοικος, ut Demetrius notavit. Dorotheus ad *l. 27. §. Proculus. D. ad l. Aquil.* τὰ αὐτὰ καὶ ἐπὶ τῶν παροικούντων τῷ οἴκῳ. Et alius: εἰ οἱ οἰκέται τοῦ κολωνοῦ ἢ παροικου. Arnobius 1. *An in mundum venerits alienis ex regionibus inquilini.*

I *Imp. Antoninus a. Paulo.* Non tibi obest si cum incola esses, aliquod munus suscepisti modo si anto quam ad alios honores vocareris, domicilium transtulisti.

Incolatui renunciari potest, Origini non item: quod his verbis notarunt Græci hoc loco: τὸ γὰρ μεταστῆσαι τινὰ τὴν οἴκησιν, τὴν μὲν ἀρχαιογονίαν αὐτοῦ οὐκ ἐναλλάσσει, τὸ δὲ μετοίκιον ἐναλλάσσεται. *Suscepisti*, id est, implevisti: nam qui susceptum munus nondum implevit, renunciare incolatui non potest, *l. Incola jam D. eodem.*

II. *Imp. Alexander a. Crispo.* Nec ipsi qui studiorum causa aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur nisi decem annis transactis eo loci sedes sibi constituerint secundum epistolam Divi Adriani: nec pater qui propter filium studentem frequentius ad eum commeat. Sed si aliis rationibus domicilium in splendidissima civitate Laodicenorum habere probatus fueris: mendacium, quo minus muneribus fungaris, non proderit.

Non sunt incolæ qui aliquo loci studiorum causa commorantur. Post decennium tamen si ibidem permanserint, ex epistola Adriani incolæ censentur. Quod ait, *mendacium*, id est, si falso adseras te in ea civitate studiorum causa commorari.

III. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Alexandro.* Est verum eos qui in territorio alicujus civitatis commorantur, velut incolas ad subeunda munera, vel ad capiendos honores non adstringi.

Qui in territorio et finibus alicujus civitatis sedes posuit, licet in civitate non moretur, incola est ejus civitatis, *l. Pupillus. §. Incola. D. de verb. signif.* nec obstat *l. εἴδεναι, D. ad municip.* Loquitur enim de eo qui agrum tantummodo possidet, et *l. prox. inf.* nec civitatis præcipuis utitur, id est, foro, balneo, templo, spectaculis. Hæc etiam non obstabit si affirmate legatur, quemadmodum Græci legunt [illegible] βασιλικῶν, quorum verba subjicimus. Ἀληθές ἐστιν ὅτι οἱ οἰκοῦντες ἐν ἐνορίᾳ πόλεώς τινός, ὡς μέτοικοι λειτουργοῦσι, καὶ τὰς τιμὰς πράττουσιν· ἆρα οὖν ὁ μὴ οἰκῶν ἐν αὐτῇ τῇ πόλει ἀλλ' ἐν τῇ ἐνορίᾳ αὐτῆς οὕτως λειτουργεῖ. ὡς ὁ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει οἰκῶν. Sic igitur consentiat hæc lex cum *d. §. Incola* et in sequenti, quæ ad eundem scripta est, continebitur exceptio, secundum quem *l. εἴδεναι* esse accipiendam reor.

IV. *Iidem aa. et cc. Alexandro.* Cum neque originales, neque incolas vos esse memoratis, ob solam domus vel possessionis, licet ex substantia decurionis acquisita sit, causam, publici juris auctoritas muneribus subjugari vos non sinet.

Sola domus vel agri causa sine laris collocatione incolam non facit, *l. 53. Th. de decur. l. Libertus. §. Sola ratio.* et *§. Sola domus. D. ad municip.*

V. *Iidem aa. et cc. Maximo.* Si in patria uxoris tuæ, vel qualibet alia domicilium defixisti, incolatus jure te ultro ejusdem civitatis muneribus obligasti.

Incolatus jus est arbitrii cujusque: eo se quis sua voluntate obligat vel liberat, domicilio mutato.

VI. *Iidem aa. et cc. Marcellino.* Privilegio speciali civitatis non interveniente, tantum originis ratione, ac domicilii voluntate, ad munera civilia quemque vocari certissimum est.

Nisi specialiter privilegium civitati datum sit, ut ob solam possessionis causam quis ejusdem civitatis muneribus obligetur, ut *l. Libertus §. Sola ratio. D ad municip.* originis tantummodo vel domicilii causa muneribus publicis obligamur, *l. 4. sup.* Hic malo antea legebatur *tamen.*

VII. *Iidem aa. et cc. Aurelio.* Cives quidem origo, manumissio: allectio, vel adoptio: incolas vero (sicut et Divus Adrianus edicto suo manifestissime declaravit) domicilium facit. Et in eo loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet, unde cum profectus est, peregrinari videtur: quod si rediit, peregrinari jam destitit.

Cives sunt qui et municipes et municipales dicuntur. Origo municipes facit, ut ortus ex patre Campano, Campanus est municeps, nec emancipatione vel datione in adoptionem Campanus esse desinit. Sed et nepotes ex eo quandoque suscepti, Campani sunt: et hæc originis causa omnibus anteponitur, *l. Libertus. §. Præscriptio. D. ad municip.* Originem hoc loco accipimus stricte pro nativitate. Municipes etiam manumissio facit, veluti manumissus a Campano, Campanus est. Et adoptio, ut si quis adoptetur a Campano, quo tamen jure soluto, Campanus esse desinit. Item allectio, ut si quis in civitatem aliquam receptus sit. Quidam codices habent, *allectio, id est, adoptio.* Placet tamen magis, *Allectio vel adoptio*, et ita Græci, τὸ ἐναπογραφῆναι τοῖς πολίταις, τὸ εἰς θέσιν ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει ληφθῆναι. A municipibus separantur incolæ, qui domicilii jure municipii commodis et præcipuis fruuntur. Ut autem quis plurium civitatum potest esse municeps, *l. 7. l. Ejus qui. D. eod.* ita et incola, *l. Labeo, l. Assumptio. § Vires. D. eod.* Ut sine civitate, qualis est is qui dedititiorum numero est, ita et sine domicilio, *l. Ejus qui. §. Celsus. eod. tit.* Ait, *Et in eo loco*, Vet. *Et in eodem loco:* forsitan, *Et in eo demum loco:* quod pertinet ad illam rubricæ partem, *Ubi quis domicilium habere videtur*, qua de re quæri solet non solum ut sciatur ubi quis munera faciat, verum etiam ubi convenitur. *Summam*, id est, τὴν ὁμάδα.

VIII. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Archadius aaa. ad Senatum.* Senatores in sacratissima urbe domicilium dignitatis habere videntur *Dat. Kal. Mart. Valentiniano a. et Neoterio Coss.*

Senatores in antiqua et Constantinopolitana Roma domicilium habent ratione dignitatis senatoriæ: quod eo pertinet ut intelligamus eos in urbe conveniri posse, quod indicat *l. 2. sup. ubi sen. vel clar.* quæ huic conjungenda est. Possunt et in originali patria, *l. pen. D. de senat.* cum in ea etiam honores retineant, *l. Filio. §. Senatores.* et *l. seq. D. ad municip.* et in qua domicilium collocaverunt, *d. l. 2.* in eo *§. Senatores*, sic lego, *Senatores et eorum filii filiæque quoquo tempore nati natæve, itemque nepotes et neptes ex filio origini eximuntur.*

IX. *Iidem aaa. Martiano Comiti Orientis.* Mulieres honore maritorum erigimus, et genere nobilitamus, et forum ex eorum persona statuimus: sin autem minoris ordinis virum postea sortitæ fuerint priore dignitate privatæ, posterioris mariti sequantur conditionem, et domicilia mutamus. *Dat. IV. Kal. Febr. cp. Arcadio II. et Rufino Coss*

Ubi domicilium habet maritus, habet et mulier ratione matrimonii, quod et vidua retinet. Convenitur ergo ibidem, et munera personalia facit, *l. 12. C. Th. de navic.* Origini autem eximitur quantum ad munera, *l. 1. inf. de mul. in quo lo. mun. l. ult. D. ad municip.* Domicilium matrimonii dicitur in *l. Mulierem. D. de rit. nupt.* et lar matrimonii in *l. 1 §. Domum D. de lib. agnosc.* Eadem ratione matrimonii dignitatem mariti adipiscitur et vidua retinet, *l. Feminæ. sup. de senat. Nov. de Consul. l. Mulieres. inf. de dignit.* ex qua in hac lege hæc postrema verba, *et domicilia mutamus*, priori parti applicanda videntur.

TIT. XL. *De honoribus et muneribus non continuandis inter patrem et filium, et de intervallis.*

I. *Impp. Severus et Antoninus aa. Septimio Zenoni.* Sicut et honores et munera, cum pater et filius decuriones sunt, in eadem domo continuari non oportet: ita vacationum concessa tempora non aliis providesse possunt, quam his qui ad eosdem, vel alios honores, eademque vel alia munera denuo vocantur. Pro infante vero filio, quem decurionem esse voluisti, quamquam fidem tuam in posterum adstrinxeris, tamen interim onera sustinere non cogeris: cum ad ea quæ mandari possunt, voluntatem dedisse videaris.

Nec honores nec munera quisquam continuare, repetere, iterare debet, nisi alii idonei non existant, qui honoribus muneribusve fungantur, *l. Honor. §. pen. et ult. D. de mun. et hon.* Sed et inter patrem et filium continuari honores ac munera non debent, quia unius personæ vice funguntur, ideoque si hoc anno pater Duumviratu functus sit, eodem sequenti anno filius non fungetur. De filiofam. loquor: in emancipato secus est, arg. *l. 3. inf. de filiisfam. et quemad. pat. pro iis ten.* *Decuriones)* Ex quorum ordine sumuntur qui honores et munera gerunt. Curia est seminarium honorum et munerum. *Vacationum)* Vacationum tempora sunt quæ in rubrica, intervalla dicuntur, et in *l. Divus. D. ad municip. l. Filio. D. de legat. l. ult. inf. hoc. tit.* Propter honorem aut munus quo defunctus sum ipse, certi temporis vacationem habeo: filius meus non habet propter me, in iis scilicet honoribus qui sumptu carent, vel in muneribus personalibus. *Pro infante)* Hæc rescripti pars relata est in *l. Lucius. §. Impp. D. ad municip.* Infans adscribi in ordinem potest ex causa, quod forte ab egregia indole vel clara stirpe progressum annorum expectari non oporteat. Huic si consenserit pater, non cogitur interim, id est quandiu infans est, pro eo onera sustinere: quia ad ea quæ ei mandari possunt, videtur consensum accommodasse et fidem suam adstrinxisse: porro infanti mandari nihil potest. *In posterum)* id est, post infantiam.

II. *Imp. Gordianus a Cyrillo.* Ab honoribus ad honores eosdem quinquennii datur vacatio: triennii vero ad alios, legatione autem perfunctis biennii vacatio concessa est.

Hæc lex præscribit intervalla, quæ eadem magis est ut dicamus non honoribus tantum, verum etiam oneribus esse præscripta, l. *Navicularii. D. de mun. et hon.* Sunt autem quinquennii ad eosdem honores eademve munera, triennii ad alia: fuit et quinquennium lege Augusti a magistratu urbano ad provincialem. Dio LIII. μηδένα πρὸ πέντε ἐτῶν μετὰ τὸ ἐν τῇ πόλει ἄρξαι κληροῦσθαι · fuit et olim lex, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, auctore Livio VII. et X. Inde Cicero hanc legem condit, EUNDEM MAGISTRATUM NI INTERFUERINT X. ANNI NE QUIS CAPITO. De legatione dicemus in *l. 3. inf. de legat.*

III. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. et* cc. *Critiæ.* Intervalla temporum, quæ in unius personam locum habent, fratribus (licet communia possideant bona) minime prodesse frequenter constitutum est. Sane his qui necdum functi muneribus ad hoc idonei constituti vocari debent, vos si ad obsequium civilium munerum repererit patuisse: ne interim interpellemini præses provinciæ providebit.

Propter fratrem qui bonore aut munere functus est, frater non vacat, licet hæreditatem paternam pro indiviso possideant, *l. 7. sup. de decur.* Dimissis autem idoneis qui nullo adhuc munere functi sunt, qui semel functi sunt, iterum fungi non coguntur. Pro *ne interim*, perspicue legendum est, *Ne iterum*: quod et vet. lib. confirmant, *l. 52. sup. de decur. l. 3. inf. quemad. civ. mun. indic.*

TIT. XLI. *De muneribus patrimoniorum.*

Munus est officium privati hominis, ex quo commodum ad singulos universosque cives remque eorum imperio magistratus extraordinario pervenit. Ait, *privati hominis:* quod munus obeatur sine ullo honoris dignitatisve gradu, nec honorem gerenti indicatur, *l. Honorem. D. de mun. et hon.* Ait, *imperio magistratus extraordinario*, quod extra ordinem jure suæ potestatis id magistratus injungat. alias ex lege aut more, alias præter morem. Id est, alias ordinarium, alias extraordinarium: rursusque alias patrimonio cum sumptu vel periculo, alias personæ solo ministerio sine sumptu. Ad hæc patrimonialia vel possessoribus vel personis, hoc solis municipibus vel incolis: illud etiam possessoribus qui nec cives sunt nec incolæ. Est et mistum tam patrimonii quam personæ.

I. *Imp. Antoninus a. Filio Philino.* Civilia munera per ordinem pro modo fortunarum sustinenda sunt.

Per ordinem, id est, ut suo quisque ordine munera sustineat, *l. Fisus. l. Vicarius. D. de legat.* et per vices, *l. 3. §. Eos.* et §. *Præses. D. de mun. et hon.* nec tamen ultra modum facultatum, *l. ult. inf. tit. prox.* Et non omnia, sed patrimonialia, ut ex tit. apparet et illis verbis, *pro modo fortunarum.*

II. *Idem a. Materno.* Munera quæ patrimoniis publicæ utilitatis gratia inducuntur, ab omnibus subeunda sunt.

Munera quæ patrimoniis publicæ utilitatis gratia, ex quo publicorum nomen acceperunt, indicuntur, ab omnibus etiam eis qui immunitatem meruerunt, velalio privilegio consecutur, subeunda sunt.

III. *Imp. Alexander a. Attilio.* Qui immunitatem munerum publicorum consecuti sunt, onera patrimoniorum substinere debent: in quibus causis et hospites recipiendi sunt.

Immunitate legibus concessa corporalia munera remittuntur non pecuniaria, ex quibus est metatum, sive militis domum suscipiendi munus. Sed neque corporalia omnia: nam tutelæ remissæ non censentur, *l. σπάδοντα, §. ὅλαβον. D. de exc. tut.* quod eas necesse sit nominatim remitti, *l. Non tantum. §. Eos.* et §. *sequ. D. eod. l. Legato in fi. D. de vac. et exc. mun. l. In honoribus. §. 1. eod.* Capitolinus in Gordianis: *Familiæ Gordiani hoc Senatus decrevit, ut a tutelis atque legationibus et a publicis necessitatibus, nisi si vellent posteri ejus semper vacarent.* Eodem modo pecuniaria munera nominatim remitti oportet.

IV. *Impp. Valerianus et Gallienus aa. Zenoni.* Non videtur abhorrere ratione sententia, qua præses provinciæ equos curiales alere, non personarum, sed patrimonii esse decrevit: et tamen si iniqua esset, omisso a te appellationis auxilio, necessario permanet.

Legendum in textu, *equos curules*, non *curiales* ut in *l. pen. inf. de spect. l. 7. inf. de num. act.* et *C. Th. tit. de equis curulibus.* Apulejus IV. *Equum curulem nimia velocitate refectum.* Circenses dicuntur in *l. 1. D. de mun. et hon.* Munus ergo alendorum equorum curulium patrimoniale est non personale, ut agasonis. Decretum sententiave iniqua valet, nisi provocationis remedio extinguatur.

V. *Imppp. Carus, Carinus, et Numerianus, aaa. Pisla.* Neque tempore ætatis, neque numero liberorum a muneribus, quæ patrimoniorum sunt, excusationem quis habere potest.

Annus LXX. vel numerus quinque liberorum, non excusat a muneribus patrimonialibus.

VI. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Polinestro.* Professio, et desiderium tuum inter se discrepant: nam cum philosophum te esse proponas, vinceris avaritia et rapacitate, et onera quæ patrimonio tuo injunguntur, solus recusare conaris, quod frustra te facere ceterorum exemplo poteris edoceri.

Philosophia non excusat a muneribus patrimonialibus, *l. In honoribus. § pen. D. de vac. mun. Pro avaritia et rapacitate*, vet. habent *avaritiæ cæcitate*, quod placet, *l. ult. inf. de vet. num. pot.* Cic. *At quam cæca avaritia est.*

VII. *Iidem aa. et cc. Alexandro.* Etiam minorea ætate patrimoniorum muneribus subjugari solent. Unde intelligis te frustra plenam immunitatem desiderare, cum munera quæ impensas exigunt, subire te necesse sit.

Minor ætas non excusat a muneribus patrimonialibus. Plena immunitas est omnino munerum immunitas, personalium et patrimonialium.

VIII. *Iidem aa. et cc. Longino.* Nec protostasiæ, vel sacerdotii, vel decaprotiæ munera corporalia sunt, sed tantum patrimonii esse non ambigitur.

Hoc loco et *l. 3. inf. de filiisfam. et quemad. pa.* πρωτοστασίας, principalitates interpretor, quas et πρωτοτυπίας vocant, *l. 3. C. Th. de privil. eor. qui in sac. pal. mil. l. 2. C. Th. de protostas.* Inde principales πεντάπρωτοι, δεκάπρωτοι, εἰκοσάπρωτοι, de quibus *sup. de decurion. l. 33.* quæ sunt munera patrimonialia, quoniam eorum periculo exactiones et distributiones censuum fiunt, *l. 1. l. 3. §. Decaprotos. D. de mun. et hon. l. 7. C. Th. de tyron.* Modestinus et Charisius mista esse dixerunt, quod et corporale ministerium gerant, et pro oneribus defectorum (sic lego in *l. ult. D. eod.* etsi Florent. *omnibus* legatur, non *oneribus*, Græci ὑπὲρ τῶν ἀπόρων) fiscalia detrimenta resarciunt. At certe quia magis patrimonii sunt, si quis vacationem munerum impetraverit, non excusabitur a protostasia vel decaprotia, vel icosaprotia. Malo autem hoc loco ita legere, ut est in Basilicis, *Nec protostasiæ, vel decaprotiæ vel sacerdotii.* Sacerdotium autem interpretor veluti Alytarchiam, Asiarchiam, Syriarchiam, Phœniciarchiam, quo qui funguntur, ludis præsunt in honorem Deorum institutis cum sumptu aliquo. In Basilicis, ἡ ἱερωσύνη, τουτέστιν τὸ ἐπιτελεῖν τὰ κυνήγια. Ait, *Sed tantum* ἀλλὰ μόνον χρηματικὰ quod pugnat cum Modestino et Charisio. Quidam Codices habent, *Sed tamen.*

IX. *Iidem aa. et cc. Marciæ.* Patrimoniorum munera mulieres etiam sustinere debent.

Sexus non excusat a patrimonialibus. At a personalibus excusat: alioquin frustra admonemur non excusari eum a patrimonialibus, qua de re alio loco dicetur inf.

X. *Exemplum sacrarum literarum eorundem aa. et cc. ad præsides provinciarum.* Quantum ad extraordinarias indictiones pertinet, præsidibus significamus, ut omnes possessores ceterosque sciant convenire debere: quandoquidem ea patrimonii munera esse constet, meritoque ab omnibus agnosci debeant, quo facilius obsequiis publicis pareatur.

Extraordinariæ indictiones sunt, quæ ad tempus ex improviso præter morem indicuntur, veluti angariæ belli tempore, aut equi, muli, veredi. His parere omnes possessores debent, etiam ecclesiæ. *l. Neminem. sup. de sacros. eccles.* et ceteri municipes vel incolæ, *l. ult. §. Patrimoniorum. D. de mun. et hon.*

TIT. XLII. *Quemadmodum civilia munera indicuntur.*

I. *Imppp. Carus, Carinus et Numerianus aaa. Feliciano.* Cum te curatorem ad cogendas angarias creatum, appellationem interposuisse proponas: præses provinciæ si alterius curiæ te esse animadverterit, ad alieni corporis munera vocari non sinet: quia ejus patriæ oneribus respondere debes, cui te attributum esse commemoras.

Munus cogendarum, id est, compellendarum et adigendarum angariarum, sive exhibendarum, ut in *l. 1. inf. samp. injun. mun.* quod personale est, ut dicemus in *l. 2. inf. de præp. sac. cub.* si quis detrectet et appellaverit præsidem eo nomine, vincet, si se non jure creatum et ad nominationem alterius corporis pertinere docuerit. Pro

Curiæ, vet. libri habent, *Creaturæ*, quod est nominationis, et pro, *Patriæ*, partis, quæ placent satis.

II. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Dionysio.* Majoribus honoribus functos ad minores devocari non oportere rationis est.

Quidem Codices, *Majoribus oneribus.* Quod rectum non est: nam paulo post sequitur, *ad minores* Frequens est eorum verborum commutatio, quod ut honoribus, ita oneribus solerent veteres scribere, auctore Gellio lib. 2 c. 3. At honoribus munera plerumque cohærent, l. 2. §. 1. *D. de vac. mun.* et ideo alienus hæc lex a titulo non est. Sationem Constitutionis Græci notarunt, *quum videntur injuria affici:* δοκοῦσι γὰρ ὑβρίζεσθαι.

III. *Iidem aa. Eutichiano.* Cum te omnibus muneribus functum esse adseveres: ad eadem munera, si aliorum civium copia est, qui obsequiis civilibus fungi possunt, præses provinciæ devocari te non permittet.

Eadem est sententia *l. 52. sup. de decurion.*

IV. *Iidem aa. et* cc. *Regino.* Ultra modum sumptuum te muneribus civilibus gravari, levatis aliis, præses provinciæ non patietur: sed æquabilitatem, tam juris, quam censuræ memor, circa ordinem custodiet.

Ultra modum sumptuum, id est, nulla sumptuum habita ratione aut fortunarum modo, quod est æquabilitati contrarium, quam in muneribus indicendis præses tam juris quam censuræ memor, custodire debet. *Circa ordinem* id est, κατὰ τάξιν. Censuram disciplinam et judicationem publicam vocat, ut in l. 3. *sup. de cond. ob tur. cau. l. 1. inf. sum. injun. mun. l. 3. sup. de off. rect. prov.*

TIT. XLIII. *De iis qui sponte munera susceperunt.*

I. *Imp. Alexander a. Feliciano.* Veterani, qui cum possent se tueri immunitate his concessa, decuriones se fieri in patria sua maluerunt, redire ad excusationem quam reliquerunt, non possunt, nisi certa lege et pacto servandæ immunitatis, vel partem ejus honoris agnoverint.

Veterani munerum personalium immunitatem habent: ut dicetur in titulo de veteranis: quæ labefactatur decurionatu sponte suscepto, servandæ immunitatis conditione non addita, non etiam si munus tantum aliquod municipale honoremve susceperint, *l. 2 l. ult. D. de priv. vet. l. 1. D. de jur. immun.* Valde illud notandum est, in ingressu curiæ dictam conditionem servari oportere, ut si quis se det curiæ ea lege ne corporalia munera subeat.

II. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Valerio.* Qui publici muneris vacationem habet, si aliquem honorem, excepto decurionatu, sponte susceperit, ob id quod patriæ suæ utilitatibus cesserit, vel gloriæ cupiditate paulisper jus publicum relaxaverit, competens privilegium non amittit.

Qui decurionatum agnovit, immunitatem amittit, *l. pen. §. ult. D. de jur. immun.* Qui partem decurionatus, veluti honorem aliquem municipalem, non item, l. 1. *hoc tit.* Jus publicum dicit, quo est concessa immunitas.

III. *Imp. Leo a. Puseo pp.* Qui conditioni non obnoxius curiali, quemlibet honorem vel munus voluntate propria in quacunque gesserit civitate, nullum præjudicium circa fortunam suam statumque sustineat; sed tam ipse, quam liberi ejus, et qui ex his in posterum procreandi sunt, ab omni hujusmodi nexu cum suis facultatibus liberi alienique permaneant: ita tamen ut si aliqua functio volentibus eis fuerit injuncta, ex qua necesse sit eos aliquid accipere: quod ex data sibi pecunia in reliquis apud eos mansisse constiterit, solventes, sine ulla molestia vel conditionis suæ formidine discedant. Si quis vero ex his omnia decurionum munera, vel functiones, vel honores nulla imminente necessitate, sed sua sponte peregerit: eum pro sua liberalitate patrem civitatis, in qua voluntarius municeps apparebit, si hoc ei libuerit, fieri constituique hac lege decernimus. *Dat. V. Id. Nov. cp. Basilisco et Armerico Coss.*

Possessor qui neque in municipio ortus est, neque in eo habitat, si sua sponte munera quædam civilia cœperit, non ideo vel se vel posteros obligat curiæ, rationibus tamen reddendis obligatur. Quod si sua sponte omnibus honoribus et muneribus civilibus perfunctus sit, fiet pronuntiabiturque, si velit, pater civitatis. Is est quasi pater patriæ, discussor pecuniæ publicæ operumque publicorum, *l. 1. sup. de rat. op. publ. l. ult. sup. de inf. exp. l. 1. sup. de aleat. l. 1. inf. quib. mun. exc. l. 2. inf. de deb. civ. Nov.* 17. 85. 128. 160., Græci, ad l. *Ad curatores. D. de damn. inf.* et l. 1. *inf. de solut.* ut lib. curatorem Reipublicæ patrem civitatis interpretantur. Ὁ πατὴρ τῆς πόλεως ἀναγκάζει τοὺς δεσπότας τῶν καταπεσόντων οἴκων ἀνανεοῦν αὐτούς.

IV. *Imp. Justinianus a. Mennæ pp.* Eos qui curiali fortuna liberi constituti, postea se curiæ cujuscunque civitatis obtulerint considerare volumus, quod posteritas eorum non solum jam procreata, sed etiam post talem deditionem procreanda, hujusmodi fortuna libera remanebit: sive specialiter sub hac lege curiæ se obtulerint, ut ab his descendentes tali fortuna liberi permaneant, sive nullam hujusmodi fecerint mentionem, nullo audente dicere, quod nati vel concepti post talem deditionem paternam conditionem sequi debeant: hoc enim speciali beneficio alacriores omnes ad conferendam civitatibus hujusmodi opitulationem constituere properavimus: ita tamen ut nec occasione quartæ portionis bonorum hujusmodi decurionis, quicunque successores ejus aliquam inquietudinem patiantur, utpote libera ejus substantia omni curiali gravamine conservanda: et si quid defunctus, vel ex administratione curialium munerum, vel ex quarta portione ad eandem curiam semel vel sæpius devoluta, vel ex alia quacunque causa eidem curiæ debuisse probetur, hoc idem successores curialibus reddere minime dubitent, illis scilicet quæ super naturalibus filiis, quos naturalis pater sub hac lege curiæ dedit, vel postea dederit, ut legitimos tam ex testamento, quam ab intestato successores habeat, non solum veteribus legibus, sed etiam nostris sanctionibus disposita sunt, præsenti lege excipiendis: ut non ipsi tantum filii naturales, sed etiam ex his procreandi mares paternam sequantur fortunam, vel maribus liberis minime subsistentibus, quarta pars substantiæ mortui curiæ deputetur.

Qui se sua sponte curiæ obtulit, atque ita decurio factus est, obligatur quidem ipse, liberi autem ejus vel bona non obligantur: ideoque quadrans sive dodrans hæreditatis ejus curiæ non debetur. Si tamen ipse curiali hæres extiterit, puta Mævio, hæreditatis Mævii quadrans, vel hodie dodrans curiæ debetur, nisi liberi ejus eandem curiam sequantur. Aliud dicendum est si quis filium naturalem curiæ obtulerit γνησιότητος adipiscendæ causa. Hæc enim deditio personalis non est, sed et rem et posteritatem tenet. Idemque esse puto, si se filius naturalis post obitum patris non extantibus legitimis curiæ offerat legitimæ successionis obtinendæ causa. Quod ait, *vel maribus*, recte Accorsius supplet, *Vel feminis curialibus nuptis.*

TIT. XLIV. *De iis qui a Principe vacationem acceperunt.*

I. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius aaa. Rufino pp.* Nullus vacationem temporariam curialis accipiat, nisi id forte veris ac probatis causis adnutatio nostra concesserit. *Dat. Prid. Non. Jun. cp. Theodosio a. III. et Abundantio Coss.*

Curiali vacatio ad tempus recte conceditur ex veris et approbatis causis, puta ob morbum vel egestatem, rescripto principis, non in perpetuum, *l. 16. et 19. sup. de decur.* Legibus autem promissæ immunitates ratæ sunt.

TIT. XLV. *De vacatione publici muneris.*

I. *Imp. Gordianus a. Januario.* Muneris publici vacationem ea continere, quæ non lege, non senatusconsultis, non constitutionibus principum injunguntur, merito responsum est: ad quam formam juris pertinens si cœperis ad munera extraordinaria a magistratibus devocari, appellatione interposita poteris apud præsidem juris rationibus protegi.

Rescripto si conceditur immunitas, ea tantum videntur remissa, quæ ad tempus extra ordinem indicuntur; nam quantum ad ordinarie

munera pertinet, inane rescriptum est, *l. Cui muneris. D. de mun. et hon.* *Responsum est)* Intelligit *l. In honoribus. §. Qui muneris. D. de vac. mun.*

TIT. XLVI. *De Decretis decurionum super immunitate quibusdam concedenda.*

I. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Ursino.* Exceptis qui liberalium studiorum antistites sunt, et qui medendi cura funguntur, decreto decurionum immunitas nemini tribui potest.

Magistris liberalium artium et medicis decreto decurionum datur immunitas, et hoc est quod dicitur probari eos decreto in *l. 2. inf. de profess. et med.* Alios autem decuriones immunes facere non possunt.

II. *Iidem aa. et cc. Cassio.* Ordinis ambitiosa decreta sacris constitutionibus reprobantur.

Ambitiosa, id est, gratiosa, ut si per gratiam professori aut medico immunitatem aut salarium constituerint, *l. 4. D. de decr. ab ord. fac.* αἱ πολιτικαὶ ψῆφοι: qua forma et ambitiosas correctiones dixit Cicero ad Atticum, et ambitiosas sententias Svetonius in Domitiano.

TIT. XLVII. *De excusationibus munerum.*

I. *Imppp. Carus, Carinus, et Numerianus aaa. Demetrio.* Etiam hi qui nostra procurasse monstrantur, muneribus civilibus, quæ dignitati eorum congruunt, fungi debent.

Pertinere videtur hæc lex ad eos qui procuratores patrimonii Cæsaris fuerunt. Hi muneribus, quæ dignitati eorum congruunt, fungi debent, non sordidis, ut puta capsarii vel pistoris, quo exemplo Græci lib. LIV. utuntur in hunc locum, et *l. 9. inf.* et tractantes de immunitate ecclesiarum lib. V. Qui autem nunc sunt procuratores ab omnibus muneribus excusantur.

II. *Pars Actorum Diocletiani, et Maximiani aa. et cc. Id. Febr. inductis Firmino et Apollinario et ceteris Principalibus Antiochensium adstantibus Sabinus Dixit.* * Et cetera *Diocletianus Dixit.* Certis dignitatibus data a nobis indulgentia est munerum civilium et personalium, id est, his qui aut ex protectoribus sunt, aut ex præpositis: hi ergo ad munera personalia aut civilia non vocabuntur.

Hæc acta habita sunt in consistorio. Inductis igitur in consistorium. Ammianus XVI. *Inductis quadam solemni die agentibus in consistorium.* Sabinus advocatus dixit græce quædam, quæ eruere ex libris manuscriptis non potuimus, nec fuere unquam integra, quoniam subjicitur, *Et cetera.* Sententia autem Imperatoris hæc est: Curiales qui honorarias dignitates ex protectoribus, vel ex præpositis adepti sunt, vacationem habere personalium munerum: quod tamen Arcadius et Honorius non admiserunt, *l. 153. Cod. Th. de decur.* Protectores qui sint dicetur in *tit. de dom. et protect.* Præpositorum appellatio generalis est. Videntur tamen hoc loco significari præpositi laborum, qui erant ex protectoribus, *l. 1. C. Th. de præp. lab.* in qua sic est. *Qui ex devotissimis domesticorum scholis præpositi laborum nostro judicio et stipendiorum sudoribus promoventur.*

III. *Iidem aa. et cc. Mariano.* Tutelæ sollicitudo a muneribus civilibus non excusat, utpote cum nec tres simul injunctæ diversarum domuum hujusmodi beneficium præstent.

Etsi tres tutelæ excusent a quarta tutela, non tamen excusant ab alio munere civili. *Domuum*, id est, patrimoniorum, in Græca metaphrasi, ὑποστάσεων.

IV. *Iidem aa. et cc.* * Hydraulæ munerum civilium immunitatem sibi jure concessam probare minime possunt.

Hydraulas Græci ita definierunt: Ὑδραῦλαι εἰσιν οἱ αὐλοῦντες ἐν τοῖς ὀργάνοις τοῖς οὐκ ἀπὸ ἀσκῶν, ἀλλ' ἀπὸ ὕδατος κατά τινα μηχανὴν τὸ πνεῦμα δεχομένοις: de quibus et Athenæus et Plinius et Vitruvius et Hero quidam Alexandrinus. In Glossis dicuntur organarii. Et his quidem imperatores negant hoc loco datam esse immunitatem, licet profiteri videantur artem liberalem. Ajunt, *Probare.* Nota; ei qui se immunem dicit, proferendæ legis, quæ immunitatem tribuat, onus incumbere, ut et in specie *l. 5. D. de probat.*

V. *Iidem aa. et cc. Marcellino.* Procuratores absentium reipublicæ causa munerum civilium vacationem non habent:

Qui absunt Reipublicæ causa vacationem habent, *l. 1. inf. de profes. et med.* Procuratores eorum non item.

VI. *Iidem aa. et cc. Gaio.* Venatoribus immunitas ob hanc professionem solam nullo jure concessa probari potest.

Obstat l. *ult. D. de jur. immun.* Pertinent ea lex ad milites qui a militiæ gravioribus muneribus excusantur: sumpta enim est ex libro Militarium Tarruntenι Paterni, quem Vegetius diligentissimum vocat assertorem juris militaris; et non Tarruntenus, sed. T. Arruntenus forsitan appellari debet, præf. præt. sub Antoninis. Itaque fatemur milites venatores non esse munificos: ceterum alii venatores qui feris provincias purgant, non ideo a civilibus muneribus excusantur.

VII. *Imp. Constantinus a. ad Catullinum Vicarium.* Negotiatores vestiarios, linteones, purpurarios, et parthicarios, qui devotioni nostræ deserviunt, visum est secundum veterem consuetudinem ab omni munere immunes esse.

Vestiarii et lintearii et purpurarii et parthicarii negotiatores Imperatori deservientes a muneribus excusantur. Lintearios malo quam linteones. Sic vet. libri, sic *l. 5. §. 1. D. de instit. act.* Linteones negotiatores non sunt. Parthicarios item quam parthiarios, qui pellium Parthicarum negotiatores, sunt ex quibus fiebant Zanchæ, de quibus *l. 2. et 3. C. Th. de hab. qui intra urb.* Trebellius in Claudio, *Zanchas de nostris parthicis.* Græci ita vertunt, Οἱ πραγματευόμενοι τὴν ἐσθῆτα ἢ τὴν ὀθόνην, ἢ τὴν πορφύραν, ἢ τὰ παρθικὰ δέρματα.

VIII. *Idem a. et Julianus c. ad Taurum pp.* Placet nullum omnino judicem de cetero provincialibus inferendum aliquid indicere, ut ea tantum sedulo cunctorum studio pensitentur quæ canonis instituti forma complectitur, vel nostra clementia decrevit inferenda vel delegatione solemniter sanciente, vel epistolis præcedentibus. Sed si quid urgere forsitan cœperit, referri ad celsitudinem tuam statuimus, et auctore te fieri, et eo persoluta: referri ad scientiam nostram, ut nobis jubentibus roboretur. Si quis autem usurpatoria temeritate amplius aliquid fuerit conatus exigere, obnoxius quadrupli repetitione teneatur, quæ severitas jussionis ad ordinariorum judicum officiorumque terrorem debebit excurrere: ut si eorum vel gratiosa conniventia, vel ignobili dissimulatione temeritas admiserit curialis, eos quoque damni simplicis pœna castiget. *Dat. Kal. Apr. Mediol. Constantio a. IX. et Juliano c. II. Coss.*

Ne quid præses extra ordinem provincialibus indicat sine principis et præf. prætorio auctoritate: Et canones duntaxat pensitentur ex delegatione principali, vel epistolis, quæ canonicariæ dicuntur in formula Curiæ epistolarum. *Persoluta)* Peracto, absoluto. *Si quis autem)* Hæc pars sumpta est ex *l. 11.* superior ex *l. 8. Cod. Th. de extr. mun.* ubi in fine rectius, *Simplis*, quam *Simplicis*, arg. *l. pen. hoc tit.* De pœna quadrupli jam ante satis diximus.

IX. Valentinianus et Valens aa. ad Claudium Proc. Africæ Illud convenit præcaveri, ne quis hanc, quæ personalis est functio, pretio putet esse taxandam. *Dat. Kal. Dec. Trev. Valent. et Valente aa. Coss.*

Munus personale non licet adærare, *l. Æstimationem. D. de mun. et hon.* non tamen obstitum est promissum pretium exigi etiam cum Accursio dicemus, et in *l. In privatis, D. de pollicit.* sic legemus, *Cum quidam ne honoribus fungeretur opus promisisset, honores subire cogendum, quam operis instructionem*, id est, potius quam. Pertinebat propria hæc lex ad pistorum functionem, ut constat ex *l. 12. C. Th. de pistorib.*

X. Imppp. Gratianus, Valentinianus, et Theod. aaa. ad Hypatium pp. Privatæ rei nostræ privilegiis permanentibus, nihil extra ordinem prædia jure perpetuo consignata sustineant, neque adjectis sæpius, ac præter primum delegationis canonem postulatis adficiantur impendiis: quandoquidem neque aurario canoni sub privilegiis æstimato aliquid ex ea jubentibus nobis prælationum diversitate decurritur: et pari cum ceteris æstimari sorte non convenit, quos præter annonarias functiones æstimata perpetuo pensitationum prærogativa nexuerunt: *pp. Karth. Id. Apr. post Consulatum Syagrii et Eucherii.*

Pertinet hæc lex ad fundos rei privatæ principis, qui plerumque in alios jure perpetuo transferuntur, et præter annonarias functiones etiam aurariam pensitant, ex qua nihil unquam demitur quacumque ex causa. Privilegium autem hoc habent, quod hac lege confirmatur,

at ne ulle aliis monera egnoscant sordida vel extraordinaria, etiamsi ea ceteris indicantur. Nec enim sunt pari condictione ac ceteri, cum plue etiam canonie titulo infereot quam ceteri, *l. 2. inf. de col. fun. pat. et tit. de privil. dom. Aug.* nempe tasales perpetuo pensionee aurarias, e quibue ceteri immunes sunt. Pro *adjectis*, malim, *Abjectis*, id est, sordidie, ut in Codice Theodosii, *l. pen. inf.*

XI. *Iidem. aaa. ad Syagrium pp.* Eos, qui cum honore comitum nomine magistrorum memoriæ præfuere, vel epistolis, vel libellis, item eos, qui ibidem per agendis signandisque responsis nostiæ mansuetudini obsecundant, omnium civilium munerum fieri jubemus extortes. Igitur qui ex eo gradu palatio nostro abscesserint, adesse sibi competentia privilegia glorientur: qui vero superioribus dignitatibus creverint, nihilominus ejus loci privilegia præsto sibi fuisse lætentur. *Lecta III. Kal. Sept. Capuæ Antonio et Syagrio Coss.*

Magistri scriniorum et memoriales, de quibus eius titulie libro XII. tractaturi somus, escusationem habent civilium, id est, personalium munerum, non patrimonialium, nisi extraordinaria sint vel sordida: idemque detur ex magistris et esprosimis, etiamsi ampliorem dignitatem consequatur, ut si senatores fiant, aurum glebale non conferant, *l. 1. de mag. scr. l. 1. et 2. inf. de priv. eorum qui in sac. pal.*

XII. *Iidem aaa. ad Hypatium pp.* Maximarum culmina dignitatum, consistoriani quoque comites, notarii etiam nostri, et cubicularii omnes, atque ex cubiculariis ab omnibus sordidis muneribus vindicentur: ceteros autem palatina vel militari intra palatium prærogativa munitos, ita demum privilegium simile contineat, si prioribus statutiase ad hujusmodi exceptionem docuerint pertinere: ut non singulis indulta personis, sed in commune dignitati vel corpori hujusmodi beneficia doceantur fuisse concessa: circa Rhetores atque Grammaticos eruditionis utriusque vetosto more durante. Sordidorum vero munerum talis exceptio sit, ut patrimoniis dignitatum superius digestarum, nec conficiendi pollinis cura mandetur, aut panis excoctio, aut obsequium pistrini, nec paraveredorum hujusmodi viris, aut parangariarum præbitio mandetur: exceptis his, quibus ex more Rheticus limes includitur, vel expeditionis Illyricæ pro necessitate vel tempore utilitas adjuvatur: operarum quoque artificum diversorum, excoquendæ etiam calcis obsequia nulla detalibus adjumenta poscantur: materiam lignorum atque tabulata exceptorum virorum patrimonia non præbeant: carbonis quoque, nisi eum quem moneta solemoiter vel fabricatio secundum veterem morem poscit armorum, ab hujusmodi viris præbitio desistat: publicis vel sacris ædibus construendis atque reparandis, capituli atque temonis necessitas nulla mandetur: legatis atque allectis sumptus possessio hujusmodi privilegiis munita non conferat, hoc tamen his patrimoniis prosit, quæ dignitatem proprio videntur nomine possidere: eos etiam qui simili honore functi sunt, generali prærogativa a præbitione sordidorum munerum vindicamus. *Dat. V. Id. Dec. Antonio et Syagrio Coss.*

Culmina) Illustres senatores, *l. ult. hoc tit.* De Comitibus consistorianis, et de qui sequuntur, lib. XII. commodius tractabitur. *Palatina)* Veluti apparitores comitum rerum privatarum. *Militari)* Veluti agentes in rebus sive magisteriani. *Eruditionis utriusque)* Græcæ et Latinæ, qui etiam e sordidis muneribue excusantur. *Superius digestarum)* Illustrium, comitum consistorii, notariorum, cubiculariorum. *Pollinis cura)* Ne fiant γυρευταὶ ἀρτοποιοί, trie pane-Soli onere sordida facit. *Panis)* Popularis vel militarie vel palatini.

Obsequium pistrini) Quod Græci interpretantur προστομαζεῖν τοῖς ἀρτοκόποις τυχὸν ἀλήθειν, id est, molere. *Paraveredorum)* De paraveredis et parangariis dicetur *tit. de cur. pub.* Nihil vero hic de veredis et angariis dicitur, a quibus tamen excusandi esse videntur arg. *l. 3. inf. de silent.* et *l. 2. inf. de præp. sac. cub.* et sane eorum munerum promiscua conditio est: et paulopost nominatim escipit operas. Excipiuntur autem hac lege paraveredi et parangariæ quæ intra Rheticum limitem præbendæ sunt, ut in *l. ult. C. Th. de colla. fun. pat. onera Rhetica.* August. 18. de civitate Dei c. 18 *Annonam inter alia jumenta bajulasse militibus, quæ dicitur Rhetica, quoniam ad Rhetias* (sic legendum ex vet.) *deportatur.* Excipiuntur etiam onera Illyricana, et in *l. 1. inf. tit. prox.* *Vel tempore)* Tempora solemni, ut in *d. l. 1.* *Operarum)* Malo, *Operarum atque artificum.* ut in l. 15. et 18. *C. Th. de ext. mun.* Sensus est, exceptas dignitates, operas atque artifices non conferre, excoquendæ calcis onera non sustinere. *Materiam)* Recte in C. Theod. *materiam, lignum*, diversa enim hæc sunt, *l. Lign. D. de leg.* 3. Ligna præbentur lavacris publicis, Materiæ operibus. *Vel fabricatio)* Vegetius lib. 4. c. 8. *Ad arma facienda ferrum atriusque temperaturæ, et carbones servantur in condita.* Superiores ergo dignitates non nisi monetariis et fabricensibus carbones præbent. *Capituli)* Capituli atque temonis necessitas. Dicitur et functio, et onus, et injuria, et cura, et obsequium, l. 2. *inf. de privil. cor. qui in sac. pal. l. 4. inf. de prox. sac. scrin. l. 1. inf. de pal. sac. larg. l.* 14. et 18. C. *Th. de ext. mun.* et est patrimoniale munus, ut ea hac lege constat, quæ onera tantum patrimonialia recenset. Capitulum Græci interpretantur κεφαλικὰς συντελείας, de quo ac de temone plenius alio loco *inf.* *Allecti)* τοῖς ὑπὸ βασιλέως καλουμένοις. Allecti igitur sunt qui evocantur e principe publici negotii causa. Legati qui mittuntur ad principem. Aliter allecti susceptorum genus est, *l.* 11. 12. 13. C. *Th. de suscept.* Sidonius lib. 5. Epist. *Incident arcarius pondera, mensuras allectus.* Anianus ad *l. 1. C. Th. de episc. et cler. Clericos nec exactores nec allectos facere.* Aliter in *l. 11. inf. de præp. lib.* *Possessio hujusmodi)* Patrimonium illustrium et spectabilium comitum primi ordinis, et notariorum et ceterorum. *Proprio videntur nomine)* Recte proprio nomine, ut intelligamus eorum patrimoniis hæc privilegia non dari: uxores enim non proprio, sed mariti nomine possident dignitatem. *Functi sunt)* Ante hanc constitutionem. *Simili*, eodem

XIII. *Iidem aaa. et Arcadius a. ad Neotherium pp.* Sordidorum munerum excusatio delata personis ad hæredem successoremve transire non potest: neque enim potest esse perpetuum, quod non rebus, sed personis contemplatione dignitatis atque militiæ indulsisse nos constat. *Dat. XVIII. Kal. Mai. Med. Arc. a. I. et Baulone Coss.*

Privilegia concessa dignitatibus non transeunt ad successores: licet enim earum patrimoniis concedantur, personis tamen ipsis cohærent, non patrimoniis. Quod Accursius nolet, ne ad suos hæredes transire, defendi potest non legibus quas citat, sed *l. 1. et 2. inf. de privil. cor. qui in sac. pal. mil.* Privilegium item concessum certæ dignitatis certive corporis homini, non extenditur ad eos omnes qui eadem dignitate præditi, vel ex eodem corpore sunt, *l. prox. sup.*

XIV. *Imppp. Valentinianus, Theod. et Arcad. aaa. Tatiano pp. or.* Eam legem quam de extraordinariis sordidisque muneribus expressis vocabulis functionum, et insignibus dignitatum sine ulla ambage præscripsimus, ita circa eos, in quos nostra munera redundarunt, esse præcipimus servandam, ut iisdem beneficiis, non quamdiu militaverint, sed quandiu vixerint, perfruantur. *Dat. XI. Kal. Apr. Mediol. Tatiano et Symmacho Coss.*

Confirmat *l. 18. C. Th. de ex. mun.* illæ autem dignitates ex ea lege, et *l. 15. eod. tit.* non vindicantur ab extraordinariis, sed e sordidis muneribus tantum eadem lege comprehensis. Ceterum partem eam de extraordinariis omisit Tribonianus in *l. 12. sup. hoc tit.* quod extraordinariorum etiam excusatio data casei postea, *l. ult. hoc tit.* *Non quandiu)* Hoc fuit omissum in *d. l. 18.* non in *l. 15. C. Th.* sive *l. 12. hoc. tit.* Ergo dum ait, *Eam legem*, non 15. sed 18. intelligit.

XV. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Messiano Com. R. P.* Evidenter atque absolute jubemus, ne fundi ad patrimonium nostrum pertinentes seu conductionis titulo, seu perpetuo jure teneantur, aliquid præter ordinem superindicti, vel pretii nomine, vel de sordidis quibuscunque muneribus agnoscant. Nam et hoc a divis principibus impetratum est, et a nostra serenitate reparatum. Quisquis igitur judicum contra fecerit, quinque pondo auri de facultatibus suis, alia de officiis suis, totidem et de curialibus, qui exsequi male jussa festinant, noverit eruenda. *Dat. XVII. Kal. Jul. Med. Olybrio et Probino Coss.*

Conductionis) Temporalis, perpetuo autem jure, id est, emphyteutico, ut Græci interpretantur. Sic in *l. 3. inf. de fun. rei. priv.* *Præter ordinem)* Extra ordinem. In *l. 10. sup.* præter canonem, et Græci hoc loco, ὑπὲρ τὸν κανόνα. *Pretii)* Græci legunt *petiti.* In C. Th. est utrumque, pretii petiti. Sensus hic est, ut ne quid pretii nomine ab eis quibus jure perpetuo ex liberalitate principis fundi patrimoniales concessi sunt, exigatur, *l. Possessores. inf. de fun. pat.* *Impetratum)* αἰτηθέν.

XVI. *Iidem aa. et Theod. a. Melitio pp.* Ab illustribus personis sordida munera, et extraordinariæ necessita-

tis damma removemus. *Dat. XV. Kal. Mart. Rav. dd. nn. Honorio IX. et Theod. V. aa. Coss.*

L. 12. illustres vindicantur a sordidis muneribus, Hac etiam ab extraordinariis.

TIT. XLVIII. *De quibus muneribus vel præstationibus nemini liceat se excusare.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Herculio pp. Illyrici.* Comparationi transvectionique specierum universi sine ullo privilegio coartentur ad necessitates Illyricianas, nam in his duntaxat titulis nullum sub quopiam cessare privilegii velamento censemus: sed sub hac condicione, cum tempus exegerit, hujusmodi collationi succumbant, ut non tantum requiratur idoneus, verum universi pro portione suæ possessionis jugationisque ad hæc munia coartentur, et a summis sarcina ad infimos usque decurrat. *Dat. III. Id. Apr. cp. Basso et Philippo Coss.*

Neminem a comparatione et transvectione specierum quæ militibus Illyricanis conferuntur tempore solemni excusari. Comparatio est quod συνώνητον diximus in *tit. ut nem. lib. in coem.* nam et Græci ita vertunt. Εἰς συνωνὴν εἰδῶν καὶ εἰς παραπέμψιν. Transvectionis autem verbo intelliguntur angariæ, parangariæ, paraveredi, *l. 12. sup. tit. prox.* Patrimonii onera hæc sunt.

II. *Impp. Theodosius et Valentin. aa. ad Taurum pp.* Cum ad felicissimam expeditionem numinis nostri omnium provincialium per loca, qua iter arripimus, debeant nobis solita ministeria exhiberi: neminem penitus ab angariis vel parangariis, vel plaustris, vel quolibet munere excusari præcipimus: sed omnes, sive ad divinam nostram domum, sive ad venerabilis augustæ vel ad Sacrosanctas Ecclesias, vel quaslibet illustros domos pertinent, nec lege pragmatica, nec divina adnotatione, sacrove oraculo excusatos, indictionibus magnificæ tuæ sedis tempore nostræ expeditionis obedire decernimus. *Dat. XIII. Kal. Mar. cp. Valentiniano a. VI. et Nonio Coss.*

Neminem expeditionis tempore excusari ab angariis, parangariis, plaustris. Putem et a coemptione tuum neminem excusari, ne domum quidem Augusti vel Augustæ ex Nov. Tiberii *de divinis domibus*, §. *ult.* et hoc est quod sit hoc loco, *vel quolibet munere*, puta coemptione. Repetita est pars hujus legis in *tit. de sac. eccles. sup.*

III. *Imp. Leo a. Dioscoro pp.* Hac providentissima lege statuimus, omni excusatione cessante, nullaque persona vel dignitate penitus excepta, in quibuscunque locis administrationi sublimitatis tuæ commissi opus exegerit murorum constructionem seu comparationem frumenti, aliarumque specierum sine ullo impedimento, prout commodum atque necessarium magnitudo tua prospexerit, fieri.

Comparationis verbo hoc etiam loco συνώνητον significatur: inde Græci recte, ἡ συνωνὴς, ἡ ἄλλων εἰδῶν.

TIT. XLIX. *Qui ætate se excusant.*

I. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Severino et ceteris Scholaribus Arabiæ.* Cum vos adfirmetis liberalibus studiis operam dare, maxime circa juris professionem, consistendo in civitate Berytiorum provinciæ Phœnicæ, providendo utilitati publicæ et spei vestræ, decernimus, ut singuli usque ad vicesimum quintum annum ætatis suæ studiis non avocentur.

Minores xxv. annis in curiam conscribi non possunt, *l. Non tantum. D. de decur.* et ex lege Pompeja quæ Bithynis data est, auctore Plin. minores xxx. Sed neque ad munera civilia vel honores admittuntur, *l. Ad Remp. D. de mun. et hon.* l. 8. §. 1, *D. de vac. mun.* nisi ex causa, ut si urgeat necessitas penuriæ hominum, *l. 2. hoc tit. l. 1. sup. qui si adr. quos in mil. rest.* et beneficio liberorum *l. 2. D. de minor.* et beneficio principis, quod plerumque non est sine utilitate, cum sit aliquando melius, ut Plinius ait, honestorum hominum liberos quam e plebe in curiam admitti. Valet et hac in re longa consuetudo nonnihil, *d. l. Non tantum, in fin.* Sed an minores xxv. annis judices fieri possint, quæritur? Et probo quod scriptum vii. Βασιλικῶν tit. v. non posse: nec obstat *l. Cum lege. D. de rec. qui arb. rec.* quæ non ita definit minorem xxv. annis judicare posse, sed si evenerit, ut minor xxv. annis judex aditus vel electus sit consensu partium, vel datus, vel si quacunque alia ratione id acciderit, ex lege Julia judiciaria eum si fuerit intra annum xx. judicare non cogi. Item non obstat *l. Quidam. D. de re jud.* quæ id etiam generaliter non definit, sed si forte aliqua ex causa evenerit, ut minor judicet, tuendam ejus sententiam esse, modo si plena pubertate fuerit, quæ ætas decurionibus etiam definita est, *l. 19. C. Th. de decur.* Item non obstat *l. Cum prætor. D. de judic.* quæ solum impuberem judicare vetat: nam impubes plane prohibetur judex esse. Pubes judex esse potest ex consensu partium, sed excusatur si minor sit annis xx. et ita impubes testis esse vetatur, *l. 3. §. Lege. D. de testib.* minor xx. annis excusatur, *l. In testimonium. D. eod.* Constituitur autem hac lege prima, ut minores xxv. annis ab studio juris civilis ob publica munera non avocentur quod merito constitutum est: nam et si studiis dediti non sint, vix minores xxv. annis ad munera civilia admitti jam ante demonstravimus.

Berytiorum] Hanc civitatem Justinianus nutricem legum appellat.

II. *Iidem aa. et cc. Theodoro.* Cum filios tuos patria potestate liberatos, adhuc minores legitima ætate esse dicas, merito postulas, ut liberalibus studiis non avocentur. Et ideo muneribus personalibus, quæ ad patrimonium non pertinent, non adstringentur, si civium, inopia non est.

Filios patria potestate liberatos ponit ex facto, non quod idem non sit si in potestate fuerint. Et superior quidem constitutio est de studiis juris civilis, hæc de liberalibus et ingenuis, veluti Rethorices, Musices, Grammatices, Geometriæ, a quibus etiam minores xxv. annis non avocantur ob civilia munera, nisi sit penuria civium.

III. *Idem aa. et cc. Plautiano.* Manifesti juris est, majores quinquaginta quinque annis invitos ad munera personalia vocari non posse: cum itaque septuagenario majorem te esse profitearis, si a nominatione facta appellationis auxilium interposuisti, tueri te notione præsidis provinciæ potes concesso jure.

Puto pro lv. vel ut in libris Βασιλικῶν l., licet Eustathius lv. lib. de temporibus, legendum lxx. quod verba sequentia indicant: cum itaque septuagenario, atque ita in libris scriptis adnotatum inveni. Ætas enim lv. excusat a decurionatu, *l. 2. §. ult. l. Non tantum. D. de decur.* non a muneribus civilibus, sed lxx. *l. 3. D. de jur. immun. l. 3. § Quinque. §. Cura, D. de mun. et hon. l. 2. §. Numerus D. de vac. mun. l. Si ultra. sup. de decur.* nec sufficiunt lxv. et tres liberi, quoniam utraque species excusationis imperfecta est, cum vel lxx. anni vel v. liberi exigantur, *l. 1. §. ult. D. de vac. mun. l. 1. sup. qui num. lib. se exc.* Olim in urbe lx. sufficiebant. Plin. iv. Epist. *Extrema tempora nobis impertire debemus, ut ipsæ leges monent, quæ majorem annis lxx. otio reddunt.* Varro iii. de vita P. Romani. *Cum in quintum gradum pervenerant atque habebant lx. annos tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi:* ideo in proverbium quidam putant venisse, ut diceretur, sexagenarios de ponte dejici oportere, id est, quod suffragium non ferant.

TIT. L. *Qui morbo.*

I. *Imp. Gordianus a. Cassiano.* Si ea cæcitate pater tuus oppressus est, ut utriusque oculi aciem prorsus amiserit, levamentum personalium munerum sentiet.

Cæcitas morbus est qui excusat a personalibus muneribus.

II. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Juliano.* Cum articulari morbo debilitatum te esse dicas, juxta juris publici auctoritatem a personalibus muneribus vacationem habebis.

Morbus articularis excusat a muneribus personalibus. Podagricus non item, *l. prox. inf. l. 13. sup. de decur.* Vehementior longiorque est articularis morbus, quam podagricus.

III. *Iidem aa. et cc. Celæ.* Podagræ quidem valetudo, nec ad personalium munerum excusationem prodest: verum cum ita te valetudine pedum afflictum dicas, ut rebus propriis intercessum commodare non possis: rector provinciæ, si allegationibus tuis fidem adesse perspexerit, ad personalia munera te vocari non patietur.

Podagræ valetudo et pedum valetudo idem, et hæc sententia, podagram non excusare a corporalibus muneribus, nisi talis sit, ut propter eam ne suis quidem negotiis interesse possit.

IV. *Iidem aa. et cc. Regino.* Casus corporis patris munerum personalium filio jure non præstat excusationem.

Morbus, aut debilitas patris filio non dat excusationem personalium munerum.

TIT. LI. *De iis qui numero liberorum, vel paupertate excusationem meruerunt.*

I. *Imp. Alexander a. Verecundo.* Numerus liberorum ab oneribus non excusat.

Intelligatur numerus quinque liberorum, ut in *l. 2. §. Numerus. D. de vac. mun.* et pro *Oneribus*, substituatur *Honoribus*, ex eadem lege, et veteribus, et Græcis. Ab oneribus numerus quinque liberorum excusat, et interdum tres liberi, *l. 1. inf. de Agyptiis.* ut et apud Laconas teste Æliano VI. var. histor. numerus trium excusat: ἀπὸ τῆς φρουρᾶς: numerus quinque ab omnibus. Sed et quinque numerus non excusat ab oneribus quæ honoribus cohærent, *d. l. 2.* At numerus XVI. plenissimam excusationem tribuit, *l. 24. sup. de decur. l. Semper, §. Demonstratur. D. de jur. immun.* ubi notandum, quod ait varie nec abscise definitum fuisse numerum liberorum.

II. *Imp. Philippus a. et Philippus Cæs. Severo.* Filium ab hostibus captum, ac necdum reversum, ad excusationem munerum personalium patri proficere non posse magis placuit.

Ut filius defunctus, ita captus ab hostibus necdum postliminio reversus patri non prodest ad excusationem munerum personalium, quia et incolumem et civem esse eum oportet.

III. *Idem a. Nomo.* Nepotes in locum parentum succedentes vice eorum prodesse consueverunt; ideoque si quinque numerus liberorum ex amissorum filiorum nepotibus suppletur, a muneribus personalibus is, quem patrem tuum esse dicis, juxta constituta excusatur.

Nepotes ex filio defuncto ejus locum supplent avo, et licet plures sint, unius loco habentur habita stirpis ratione, ut fit in hæreditatibus et bonorum possessionibus ab intestato, et in bonorum possessione contra tabulas. Nepotes ex filia defuncta, avo non prosunt, quia avi familiam non sequuntur.

IV. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Domno.* Cum facultates tuas omnes in filium tuum contulisse te, nec quicquam habere proponas, respectu ejus patrimonii, quod tuum esse desiit, muneribus civilibus non adstringeris.

Non sunt adstricti civilibus muneribus, qui omne suum patrimonium in filium emancipatum contulerunt donationis causa: quod jure ante constitutionem Justiniani non fiebat, nisi rebus singulis nominatim designatis, cum tamen in venditione bonorum omnium secus esset, qua de re ex Codice Hermogeniano duas habemus Diocletiani constitutiones. Strictius semper donationes habitæ sunt, et merito. Hoc igitur hæc lex ostendit, paupertatem excusare a muneribus civilibus.

V. *Iidem aa. et cc. Martinæ.* De personalibus muneribus, quæ feminis pro sexus condicione indicuntur, exemplo marium quinque superstitum numero liberorum eas excusari, divi parentes nostri constituerunt.

Mulieres personalia quædam munera subire coguntur, *l. 1. inf. de mul. in quo lo.* Sed excusantur numero quinque liberorum.

VI. *Imp. Constantinus a. Dalmatio.* Eos qui cujuscunque sexus liberos quinque habent, impetrata semel vacatione potiri convenit: ita ut si in hoc numero ætatis legitimæ filius inveniatur, obeundis statim pro suo patre muneribus applicetur: patribus qui filios vel filias V. habuerint, promissa legibus immunitate servanda. Quod si quis propter censum tenuiorem vacationem meruerit, atque hoc probaverit, beneficio potiatur, nec propter rerum angustias ad personalia vocetur obsequia. *Dat. XIV. Kal. Feb. Sirmio Crispo et Constantino Coss.*

Notandum ex hac lege vacationem promissam legibus, impetrari a principe. Numerum quinque liberorum excusare a muneribus civilibus, et pro patre filios majores XXV. ea subire. Paupertatem quoque extremam idem præstare, *l. Paupertas, D. de exc. mun. l. Cura. §. Inopes. D. de mun. et hon.* *Si propter)* Si cum non possunt patrimonio, corpori indicantur obsequia, et ad hunc etiam modum in *l. 4.* hæc verba accipienda sunt. *Respectu patrimonii)* nec enim de patrimonialibus, sed de personalibus muneribus loquitur.

TIT. LII. *De Professoribus et Medicis.*

I. *Imp. Antoninus a. Numisio.* Cum te medicum legionis secundæ adjutricis esse dicas, munera civilia, quandiu Reipublicæ causa abfueris suscipere non cogeris. Cum autem abesse desieris, post finitam eo jure vacationem, si in eorum numero es, qui ad beneficia medicis concessa pertinent, ea immunitate uteris.

Medici militum Reip. causa absunt, *l. Inter eos. §. ult. D. ex quib. caus. maj.* et quandiu absunt, et post annum quam abesse desierint, immunitatem habent: postea vero ita demum, si ex statutorum numero sint. Extat inter Græcas epistolas Juliani lex de medicis, quæ medicis vacationem tribuit curialium munerum, et eadem Latine reddita extat in *l. 4. C. Th. de med. et profes.* *Secundæ adjutricis)* Spartianus in Adriano: *Tribunus secundæ adjutricis legionis creatus.* Primæ fit mentio in *l. ult. inf. de cas. pec. l. ult. inf. de app. præf. prætor.* utraque fuit in Pannonia inferiori, una a Galba, altera a Vespasiano, ut Dio scribit LV.

II. *Imp. Gordianus a. Aureliano.* Grammaticos seu oratores decreto ordinis probatos, si non se utiles studentibus præbeant, denuo ab eodem ordine reprobari posse incognitum non est.

Grammatici et Rhetores decreto probati, et immunes facti, contrario decreto ex causa improbari possunt.

III. *Imp. Philippus a. Ulpiano.* Poetæ nulla immunitatis prærogativa juvantur.

Poetæ immunitatem non habent, non quod non sint ea dignissimi, sed quia lex deficit.

*Impp. Diocletianus et Maximianus aa. et cc.** Oratione divi Pii liberalium studiorum professores, non etiam calculatores continentur.

Intelligit, ni fallor, epistolam D. Pii ad commune Asiæ, de qua in *l. ἐὰν δύο. D. de exc. tut.* qua Grammatici, Rhetores, Medici, Philosophi continentur: non calculatores, qui ψηφισταί, et διαψηφισταί vocantur, ut ait *l. σπένδοντα, D. eod. tit.* τουτέστιν οἱ ψηφίζειν ἡμᾶς ἐκδιδάσκοντες, ut scriptum est LIII. Βασιλικῶν.

V. *Iidem aa. et cc. Finidemo.* Nec intra numerum præstitutum ordine invito medicos immunitatem habere sæpe constitutum est, cum oporteat eis decreto decurionum immunitatem tribui.

Duo exigimus ut medicis competat immunitas, ut sint intra statutum numerum, et ut decreto ordinis probati sint: idemque in professoribus dicendum est. Numerum definivit epistola D. Pii, qui in urbibus Roma et Constantinopoli, in ceteris non idem est.

VI. *Imp. Constantinus a. ad Volusianum.* Medicos et maxime Archiatros, vel ex Archiatris, Grammaticos, et professores alios literarum, et doctores legum una cum uxoribus et filiis, nec non et rebus, quas in civitatibus suis possident, ab omni functione et ab omnibus muneribus civilibus vel publicis immunes esse præcipimus: et neque in provinciis hospites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad judicium deduci, vel exhiberi, vel injuriam pati: ut si quis eos vexaverit, pœna arbitrio judicis plectatur: mercedes etiam eorum et salaria reddi jubemus, quo facilius liberalibus studiis et memoratis artibus multos instituant. *pp. Kal. Aug. Sirmio Crispo, et Constantino Coss.*

Archiatri sunt qui in comitatu principis medendi cura funguntur, ut omnium optime probat *l. 2. supra. quib. non ob. long. temp. præsc.* si modo ex vet. libris ita ejus legis inscriptio restituatur, IMPP. DIOCL. ET MAXIM. AA. ET CC. AURELIO ARCHIATRO Ex Archiatris sunt qui dimissi sunt e palatio sive comitatu. His adduntur Grammatici et professores alii liberalium literarum, et doctores. Græci non agnoscunt, legum, qui sic vertunt, καὶ οἱ παιδευταί, καὶ οἱ ἄλλοι διδάσκαλοι τῶν γραμμάτων, quod placet: nam et in *l. prox.* *Magistros* loquit, *studiorum doctoresque.* Hi vacationem personalium munerum habent, et patrimonialium sordidorum, *l. Maximarum. sup. de exc. mun.* et metatorum, *l. Archiatros. inf. de metat. l. ult. § ult. D. de mun. et hon. l. Ab his. §. Angariarum. D. de exc. mun.* Et in jus vocari vel exhiberi non possunt, sed per procuratores causas suas agunt. Gravissima pœna in eum proposita fuit, qui injuriam illis intulerit, *l. 1. C. Th. de med. et profes.* quam Tribonianus mutavit in arbitrariam: itaque nihil hac in parte illi præcipuum habent: nam et cuilibet illata injuria arbitrio judicis coercetur. *Filiis)* Excipiuntur filii professorum, qui ex curiali stirpe descendunt, *l. 35. sup. de decur.*

VII. *Imp. Julianus a.* Magistros studiorum doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia: sed quia singulis civitatibus adesse ipse non possum: jubeo, quisquis docere vult, non repente nec

temere prosiliat ad hoc munus, sed judicio ordinis probatus, decretum curialium mereatur, optimorum consensu conspirante. *Dat. XV. Kal. Jul. Accep. IV. Kal. Aug. Spoletio Mamertino et Nevitta Coss.*

Ut magistri decreto ordinis constituantur, qui bonis moribus præditi sint. Rectissime Justinianus, prius animæ, et postea linguæ eruditas fieri oportere Galenus I. Meth. λέγειν οὐκ ἐφεῖται πᾶσι δημοσίᾳ, ἐν οὐδεμιᾷ τῶν εὐνομουμένων πόλεων, ἀλλ' εἴ τις ἐπίσημος ἐστι καὶ γένος ἔχει καὶ ἀνατροφὴν δεῖξαι, καὶ παιδείαν ἀξίαν τοῦ δημηγορεῖν, τούτοις συγχωροῦσιν ἀγορεύειν οἱ νόμοι.

VIII. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad. Probum pp.* Reddatur unusquisque patriæ suæ, qui habitum philosophiæ indebite et insolenter usurpare cognoscitur; exceptis his qui a probatissimis approbati, ab hac debent collusione secerni: turpe enim est, ut patriæ functiones ferre non possit: qui etiam fortunæ vim se ferre profitetur. *Dat. XIV. Kal. Febr. Sirmio Valentiniano n. p. et Victore Coss.*

Philosophi vacationem non habent, nec Phavorinus ea de re ausus est agere apud Adrianum, ut Dio scribit. Excipiuntur illi qui decreto ordinis approbati sunt. Pro *Collusione*, legendum, *Colluvione*, id est, fece Philosophorum, quos πωγωνοτροφίαι, et τριβωνοφορίαι solæ Philosophos non faciunt.

IX *Iidem aa. et Gratianus a. ad Pretextatum p. v.* Archiatri scientes annonaria sibi commoda a populi commodis ministrari, honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter servire divitibus, quos tantum ea patimur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea quæ periclitantes pro salute promittunt. *Dat. III. Kal. Feb. Trev. Valentiniano et Valente III. aa. Coss.*

Pertinet hæc lex ad Archiatros urbium regiarum, in quibus et comitatus consistit, ut pauperibus et divitibus pariter obsequantur, et accipiant jure licito quod qui e morbis evasere obtulerint, nec cum ægrotis paciscantur, quæ pactio nec jure valent nec jurijurando Hippocratis congruit, *l. 3. de ext. cognit.*

X. *Iidem aaa. ad Olybrium p. v.* Si quis in Archiatri defuncti locum promotionis meritis aggregandus est, non ante eorum particeps fiat quam primis, qui in ordine reperientur, septem vel amplius judicantibus idoneus approbetur. Ita tamen ut quicunque fuerit admissus, non in priorum numerum statim veniat, sed eum ordinem consequatur qui ceteris ad priora subvectis ultimus poterit inveniri. *Dat. VI. Id. Mar. Valentiniano et Valente III. aa. Coss.*

In Archiatri defuncti *locum* qui substituitur probandus est ante omnia judicio septem, vel eo amplius primorum ejus ordinis atque collegii. Ut autem ultimus quisque probatus fuerit, ita et ultimum in eo ordine gradum obtinebit, nec sibi eum quem defunctus habuit, vindicabit: quod et si quis loco suo alteri cesserit, cur non ita plerique hodie censeant, miror. De hac autem lege Symmachus in epistolis: *Inter alia, inquit, quæ bonum publicum contulit, etiam medendi professoribus dedit ordinem successionis si locum quempiam decedentis fortuna nudasset: qua lege cautum est, ut primi artis ejusdem de novorum scientia judicarent.* *Statim*) Non statim, sed paulatim prioribus decedentibus

XI. Impp Honorius et Theodosius aa. Monachio pp. Grammaticos, oratores, atque philosophiæ præceptores, nec non etiam medicos, præter hæc, quæ retro latarum sanctionum auctoritate consecuti sunt privilegia immunitatesque, frui hac prærogativa præcipimus: ut universi qui in sacro palatio inter Archiatros militarunt, cum comitivam primi ordinis vel secundi adepti fuerint, aut in majoris gradum dignitatis ascenderint: nulla municipali, nulla curialium conventione vexentur, seu indepta administratione, seu accepta testimoniali meruerint missionem: sint ab omni functione omnibusque muneribus publicis immunes, nec eorum domus ubicumque positæ militem seu judicem suscipiant hospitandum: quæ omnia in filiis etiam eorum et conjugibus illibata præcipimus custodiri: hæc autem et professoribus memoratis eorumque liberis deferenda mandamus. *Dat. Prid. Kal. Dec. cp. Constantio et Constante Coss.*

Addiderant Imperatores in hac lege, *Nulla senatoria vel glebali collatione*, *l. 16. C. Th. eod. tit.* Sed hæc verba detraxit Tribonianus, quod jam senatoria et glebalis collatio sublata esset, *l. 2. inf. de prætor.* neque animadvertit, iis verbis detractis, falsum reddi quod initio Impp. edicunt, præter ea quæ a retro principibus medicis et professoribus privilegia data sunt, nova quædam se eis hac Constitutione deferre: nam quæ reliquit Tribonianus in hac lege, ea tribuuntur in *l. 6. sup.* Et id duntaxat hac constitutione Impp. introduxerant nove, ut quemadmodum comitibus et archiatris remissa fuerat senatoria collatio *l. 2. et 15. C. Th. eod. tit.* ita et liberalium literarum professoribus eadem comitiva ornatis remitteretur. *Seu indepta*) Sive archiatri gesta administratione, sive accepta testimoniali non acta administratione cum honore comitum dimissi sint. Testimoniales sunt missionis honorariæ epistolæ, *d. l. 15. l. pen. C. Th. de veteranis, et tit. de testim. exhib. nd. et prof. l. ult. C. Th. de honor. cod. l. 156. Cod. Th. de decur.* Vegetius. II. *Contubernalibus completis stipendiis per testimoniales ex more dimissis*: et hæc sunt instrumenta de quibus in *l. Si solemnibus. sup. de fide instr.* Epistolæ dicuntur in *l. 1. inf. de vet. l. Laudabile. l. Restituendæ sup. de adv. div. jud. l. 85. C. Th. de decur.* Si quid præterea est in hac lege, quod desideret diligentiam nostram, id ait. liber expediet.

TIT. LIII. *De Athletis.*

I. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. et cc. Hermeti.* Athletis ita demum, si per omnem ætatem certasse, corona quoque non minus tribus certaminis sacri, in quibus vel semel Romæ, seu antiquæ Græciæ, merito coronati, non æmulis corruptis ac redemptis, probentur: civilium munerum tribui solet vacatio.

Athletæ pro præmio coronantur, *l. Spem. sup. quæ res pig. obl. l. Commodis. D. de re jud. l. εἰκοσι, §. Athletæ. D. de exc. tut.* Si ter vicerint et coronati fuerint, et in iis vicibus semel Romæ seu antiquæ Græciæ, civilium munerum immunitatem habent. Antiquam Græciam magnam sive majorem Græciam vocare videtur, id est, Italiam, et Varro, dum ait, antiquam Græciam tauros vocasse ἰταλοὺς Græciam exoticam. Id etiam exigit ut merito indipiscantur coronas, non corruptis æmulis, id est, antagonistis. Ad hæc facit quod Svetonius scribit, Augustum athletis conservasse privilegia et ampliasse: et Arnobius iv. Exoletis et irrisoribus omnium dona instituuntur et munera, ob officia otium publicis, immunitas et vacatio cum coronis.

TIT. LIV. *De iis qui non impletis stipendiis sacramento soluti sunt.*

I. *Imp. Antoninus a. Vanno.* Ignominiæ causa sacramento liberati, honoribus abstinere debent: a muneribus autem civilibus excusati non sunt.

Triplex est missio, honesta, causaria, ignominiosa. Ignominiosa excludit honoribus, non excusat oneribus, *l. 3. inf. de re mil.*

II. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Caro.* Cum ob provectæ ætatis senium sis dimissus, honestam missionem consecutum te esse ambigi non potest: habebis itaque a civilibus muneribus necnon etiam honoribus vacationem, non tamen privilegia ea quæ his competunt, qui pleno stipendiorum numero funguntur, usurpare te jus permittit, quando non perfecto statuto militiæ tempore, nec omnibus stipendiis decursis, sacramento solutum te esse etiam ipse confitearis.

Causaria missio honesta est, *l. οἱ πάλαι. D. de exc. tut. l. Causaria. inf. de re mil.* ut si quis ob prolixam ætatem sacramento solvatur, puta anno XLVI vel. L. quo plerumque finiebatur ætas militaris, qua ex causa dimisso immunitas datur, etiamsi nondum emeritus sit. Cetera emeritorum privilegia ei non dantur, in pœnis puta vel in testamentis. Quod igitur ait *l. 3.* de causaria missione, ad hanc missionis causam non pertinet. Et quod de LXX. annis tradit Accursius, consistere nequit, cum et ignominioso ea ætas eandem immunitatem largiatur.

III. *Iidem aa. et cc. Philopatori.* Veteranis ita demum honorum et munerum personalium vacatio jure conceditur, si post vicesimum annum militiæ, quam in legione vel vexillatione militaverint, honestam vel causariam missionem consecuti esse ostendantur. Unde cum te in cohorte militasse commemoras, intelligis supervacuo vacationem tibi velle flagitare.

Hæc lex ostendit pro justo tempore militiæ viginti annos haberi, et *l. Veteranis, sup. quand. prov. non est neces.* quæ hujus mentionem facit, et *l. 1. sup. de excus. veteran. l. οἱ πάλαι. D. eod. tit.* Tacitus lib. 1. *Tiberius edixit imparem oneri Rempubl. nisi XX. militiæ anno veterani dimitterentur: ita proximæ seditionis male consulta, quibus XVI. stipendiorum finem expresserant, abolita in posterum.* Sudas: βετεράνος παρὰ Ῥωμαίοις ὁ ἀπολυθεὶς τῆς στρατείας· ἐπὶ εἰκοσαετίαν δὲ οὗτοι ἐδούλευον. *In legione*) Pro *vexillatione*, Græci habent, *Numera*, et

in *l. Contra. inf. de re milit.* A legionibus separantur numeri, id est, vexillationis. At contra a vexillationibus numeri, id est, legiones, *l. 8. inf. de erog. mil. an.* Numerorum appellatio generalis esse videtur, quæ Græci vocant τάγματα apud Sozomenum lib. 1 cap. 9 corrupte πράγματα, at apud Josephum v. ἁλώσεως cap. 31. Hæc vero lege his tantum qui xx. annos in legione militaverint immunitas datur, non si in cohorte. Item in vexillatione: ergo non si in cuneo: quod pugnat cum Constantini *l. 4. Cod. Theod. de coh. princ. etc.*

TIT. LV. *Quibus muneribus excusantur hi, qui post impletam militiam vel advocationem per provincias suis commodis vacantes commorantur, et de privilegiis eorum.*

Deest sub hoc titulo Constitutio Græca, cujus sententia iis verbis espressa est libro LIV. βασιλικῶν tit. 7.

Οἱ πληρώσαντες στρατείαν ἢ συνηγορίαν πρὸς τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῖς προνομίοις, μήτε σιτωνίαν, ἢ ἐλαιωνίαν, ἢ ἐποψίαν ἔργων, ἢ λογοθέσιον ἢ ἐκδικίαν ἢ πατερίαν, ἢ λογιστείαν, ἢ ἀγορανομίαν ποιείτωσαν, ἀλλ' ἔνθα ἂν οἰκῆσαι βουληθῶσι, μήτε ὑπαντᾷν ἀναγκαζέσθωσαν τοῖς ἄρχουσι περαιτέρω πυλῶν· μὴ δὲ εἰς συλλόγους ἀπιόντες καλείσθωσαν, μήτε ὀνομαζέσθωσαν, ἢ ὀνομαζέτωσαν, μήτε διαγραφὰς παρεχέτωσαν πραιδάσει συνηθειῶν, ἢ θεωρητικῶν, ἐχέτωσαν δὲ καὶ μίαν οἰκίαν ἐλευθέραν μιτάτων τῶν ἐπιδημούντων στρατιωτῶν, καὶ τῶν ἐν τοῖς τόποις διατριβόντων, δηλονότι, τῶν ἐχόντων ἀξίας τινὰς τὴν ἰδίαν ἀτέλειαν κεκτημένων· ἡ γὰρ διάταξις αὕτη προστίθησι ταῖς προτέραις εὐεργεσίαις καὶ οὐδὲ ἀφαιρεῖται ἐξ αὐτῶν· παρεχέτωσαν δὲ τὰ δημόσια, καὶ τιμάτωσαν τοὺς ἄρχοντας, καὶ τιμάσθωσαν παρ' αὐτῶν. Ὁ δέ τι τῶν ἐν τῇ διατάξει παραβαίνων, ἢ παραβαθῆναι συγχωρῶν, πεντήκοντα λίτρας χρυσοῦ προστιμηθήσεται.

Interpretatio Latina.

Qui militiam vel advocationem impleverunt, præter ea privilegia quæ jam adepti sunt, nec frumenti aut olei comparandi curam vel inspectionem operum, vel ratiocinium, vel defensionem civitatis, vel patris civitatis munus, vel curationem Reipublicæ vel curationem annonæ exerceant, sed et habitent ubi voluerint, nec præsidibus ultra portas occurrere cogantur, nec ad curias sive collegia vocentur inviti, vel nominentur, vel nominent, nec descriptiones præbeant consuetudinum vel spectaculorum nomine. Unam quoque domum habeant liberam onere suscipiendorum militum supervenientium, iis qui in locis versantur dignitate aliqua prælitis suam immunitatem obtinentibus. Hæc enim Constitutio priora beneficia auget, non minuit. At fiscalia tamen præbeant, et honorent præsides, et vicissim honorentur ab eis. Qui hanc constitutionem violarit aut violari permiserit, L. librarum auri multam sustineto.

Pro ἀπιόντες, lego, ἄκοντες. Superior titulus est de iis qui non impleverunt militiam, hic de iis qui impleverunt militiam vel advocationem, et nominatim exprimuntur munera quorum vacatio jure conceditur, quæ etiam non impleta advocatione datur advocatis illustrium vel spectabilium judicum, *l. 6. sup. de adv. div. jud.* de qua diximus in *l. pen. sup. de decur.* Fiscalia vocant solemnes indictiones.

TIT. LVI. *De conductoribus vectigalium fisci.*

I. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. et cc. Provinciæ.* * Non alios a muneribus et honoribus vacationem habere, quam qui mancipatum suo nomine vectigalia fisca conducunt, certum est. Quare eos, qui ab his quædam exercenda accipiunt, nullis privilegiis esse munitos haud dubii juris est.

Sumptum videtur initium hujus constitutionis ex *l. In honoribus, §. Non alios. D. de vac. mun.* in quo pro *præsentes*, lego *per se*, δι' ἑαυτῶν LIV. βασιλικῶν. Per se autem, id est, quod suo nomine in hac Constitutione.

TIT. LVII. *De Libertinis.*

I. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. et cc. Bucilla.* Conditio libertinitatis de muneribus civilibus tribuere non potest excusationem, ne in ea quidem civitate, ubi domicilium libertinus habet.

Libertinus propter patronum non excusatur a muneribus civilibus, *l. Libertus. in princ. D. ad munic.* ne in ea quidem civitate in qua domicilium habet, id est, quod conditio libertinitatis eum obstringat muneribus patronalis patriæ, non ideo eximitur muneribus civitatis, in qua sedes posuit ac domicilium constituit.

TIT. LVIII. *De Infamibus.*

I. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa.* * Infames personæ, licet nullis honoribus, qui integræ dignitatis hominibus deferri solent, uti possunt: curialium tamen vel civilium munerum vacationem non habent, sed solemnibus indictionibus ob tutelam publicam eos satisfacere necesse est.

Infamia a muneribus vacationem non tribuit, idem traditum fuit in *l. 12. sup. de decur.* Quod ait, *Licet nullis honoribus* et cetera, hæc sumpserunt ex Constitutione Antonini, *l. 3. inf. de rer. milit.* Paulo post ea legendum, *Sed et solemnibus indictionibus:* quibus verbis significantur munera patrimonialia quæ tutelæ sive utilitatis publicæ gratia indicuntur, *l. 2. sup. de man. pat.* Ergo nec a personalibus nec a patrimonialibus infamia vacationem præbet.

TIT. LIX. *De reis postulatis.*

I. *Imp. Alexander a. Martiana.* Reos criminis postulatos novos honores appetere non debere, antequam purgarent innocentiam suam, et a divis parentibus nostris, et a me sæpe rescriptum est. *Dat. VI. Kal. Mar. Maximo II. et Æliano Coss.*

Rei delati novos honores petere non possunt, *l. Reor. D. de mun. et hon.* ut Catilina auctore Salustio, consulatum petere prohibitus est: pristinos interim retinent, *l. Libertus. §. In quæstionibus. D. ad municip.*

TIT. LX. *De iis qui in exilium dati vel ordine moti sunt.*

I. *Pars Edicti Imp. Antonini a. pp. Romæ V. Id. Jul. duabus Aspris Coss.* Quibus posthac ordine suo, vel advocationibus ad tempus interdicetur, post impletum temporis spatium non prorogabitur infamia.

De hoc edicto agitur nominatim in *l. 3. D. de decur.* In hac autem quæstione jus hoc est, ad tempus ordine motum vel relegatum, vel in opus publicum datum ex crimine non famoso, post tempus honore vel officio pristino fungi posse, at in specie *l. Falsi. D. ad l. Corn. de fals.* in qua ob recitationem falsi ordine motum, infamem non censet, et ideo post reditum recipi illa verba indicant, *quoniam in Corneliam non inciderit*, id est, quia non est damnatus judicio publico ex lege Cornelia, quandoquidem ea tenentur qui fecerunt non qui recitarunt. Ad tempus vero ordine vel advocationis officio motus vel relegatus vel in opus publicum datus ex crimine famoso sive hæc pœna ex lege fuerit, sive gravior lege cum esset, eam ad eum modum judex mitigarit, etiam post tempus infamis manet, *l. 5. D. de decur. l. 8. sup. ex quib. caus. inf. ir. l. 4. §. Ad tempus. D. de re milit.* Sed si levior cum esset pœna ex lege, graviorem judex inflixerit, ad tempus relegando vel semovendo, licet crimen sit famosum, damnatione tamen ejusmodi non fit infamis, quod quasi transigi videatur de infamia, et ideo post tempus recipit honorem et functiones pristinas, *d. l. 5. l. Ordine. D. ad municip. l. In servorum. §. ult. D. de pœnis, l. Quod ergo §. Pœna. D. de iis qui not. inf. d. l. 4. §. Ad tempus, l. 5. sup. ex quib. caus. inf. irr.* in qua pro *relegatum*, *relegandum*: et pro *damnandum*, *damnatum*, legendum censeo: et ideo adjectum, *Si sententiam non excessisse probaveris*, quod eorum qui sententiam excedunt, soleat augeri pœna. Et ita quidem jus est, Separatur juris auctoritas a Constitutionibus sæpe, *l. 4. §. Contra. D. de do. exc. l. Falsa. D. de cond. et dem.* Sane hac in re Constitutiones juris auctoritati refragantur et quidem varie. Adrianus relegatum post tempus inter infames non habuit. Pius advocationis officio motum, *l. Imp. D. de postul.* quæ ex eodem est auctore et libro, quo *l. 5. D. de decur.* et tamen pugnant inter se, nisi in una jus exponi, in altera Constitutiones distinxeris. Severus et Antoninus ordine motum, *l. 3. sup. ex quib. cau. infam. irr.* Omnes indistincte, sive levius sive gravius crimen fuerit. Tandem Antoninus Caracalla, cum de re nondum liqueret satis, edicto proposito ita constituit, ut ordine vel advocationibus moti ad tempus quocumque crimine, completo tempore non haberentur inter infames, *d. l. 3. D. de decur.* et ideo in hac parte edicti, *Post hac*, inquit, nimirum quia etsi jam ante prodiissent Pii et Severi et Antonini similes Constitutiones, nondum tamen contra jus id ita invaluerat indistincte. Edictum non loquitur de relegatis. Ideoque in relegatis distinctione utemur, *l. 3. D. de decur.* et jus sequemur, insuperhabito rescripto Adriani, quasi nec recepto nec probato Antonini edicto.

II. *Imp. Gordianus a. Ulpio.* Ad tempus exulare decurio jussus, et impleto tempore regressus, pristinam quidem recipit dignitatem: ad novos vero honores non admittitur, nisi tanto tempore his abstinuerit, quanto per fugam abfuit.

Decurio relegatus ad tempus non redit in ordinem indistincte, ut ostendimus supra. Quo tamen casu redit in ordinem, non statim etiam ad novos honores admittetur nisi tanto tempore post reditum in curia

fuerit, quanto abfuit, *l. Ordinar. D. ad municip.* nam honores municipales ratione temporis, quo quis in curia fuerit, deferuntur. Fugam hoc loco accepit pro exilio, quod et in aliis auctoribus cum Græcis tum Latinis frequentissimum est.

TIT. LXI. *De Filiisfamilias et quemadmodum pater pro his teneatur.*

I. *Impp. Severus et Antoninus aa.* * *pp.* Patrem emancipato filio consentientem: ad decurionatum non teneri, dubii juris non est: tunc enim consentiendo pater ad decurionatum obligatur, si filium in potestate habeat: consentire autem etiam is videtur, qui non testificatur dissentire nominationi.

Titulus recte concipitur de filiisfamilias. nam pro emancipatis pater non tenetur. Taciturnitas autem hac in re consensum imitatur, alias dissensum. Igitur si filiofam. ad decurionatum nominato pater taceat et patiatur, Reipub. obligatur velut fidejussor pro filio in solidum, non aliis: qua de re diximus aliquid in *l.* 1. et 5. *sup. de decur.*

II. *Imp. Antoninus a. Aspasio.* Cum appellasse te dicas, ostendis causam ad te pertinere: potueras enim nominato filio tantum contestari, et non consentire honori ei delato.

Obstat *l. Spurii.* §. *Pater. D. de decur.* Si filiusfam. ad decurionatum nominatus sit, satis est patrem ne pro filio obligetur, contrariam voluntatem contestari, nec appellare etiam necesse habet, *l. ult. hoc tit.* Quod si tamen appellaverit, hoc facto in munerum civilium periculum incidit quasi fidejussor pro filio, si appellationis sententiam pertulerit, et hæc est sententia hujus legis. At si præscriptione temporis exclusus sit, solemnibus appellationis intra constituta tempora minime impletis, quia et appellare necesse non habuit, perinde omnia servantur, atque si non provocasset: et ideo si contestatus jam ante fuerat contrariam voluntatem, huic contestationi omissa appellatio nihil derogabit, *d.* §. *Pater.*

III. *Imp. Diocletianus et Maximianus aa. et cc.* * Si ii, qui cum patre ad protostasiæ munus vocati sunt, etiam nunc in patria potestate constituti sunt, ab hujusmodi necessitatibus liberentur: cum ex eadem familia ac domo duos ad ista obsequia destinari periniquum videatur. Sane eos, quos emancipatos esse, atque ex familia exisse manifestum est, sine cunctatione retinere debebis.

Duo ex eadem domo ad idem munus non vocantur, puta pater et filiusfamilias. At pater et filius emancipatus simul ad idem munus vocantur recte. Domum et familiam hoc loco dicimus pro corpore quod est sub unius potestate, ut in *l.* 1. *sup. de hon. et mun. non cont.* et ut quodam alio loco domum Theophilus accepit. De protostasiæ munere diximus in tit. *de mun. pat.*

IV. *Iidem aa. et cc. Alexandro.* Sine periculo tuo magistratus filium tuum curatorem constituit, nec appellandi tibi necessitas incumbebat: sane nominator, qui filium in potestate positum non consentiente patre ad munus devocavit, si tamen ex voluntate tua antea filius decurio factus non erat, detrimento muneris obligabitur.

Filiusfam. periculo nominatoris creatur curator operum vel Calendarii, non periculo patris si non consentiat pater, vel si voluntate ejus decurio factus non sit, *l. Honor.* §. *Pleben. D. de mun. et hon.* nec dissentienti patri necessaria est appellatio.

TIT. LXII. *De periculo successorum parentis.*

I. *Imp. Alexander a. Claudiano.* Si de proprio suo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus repromisit, ideoque etiam sacerdotem te creari impetravit: onus erogationis commune omnium hæredum ejus esse, præses provinciæ non ignorabit.

Sacerdotium provinciæ munus patrimoniale est, veluti Asiarchia: nam qui eo fungitur, sumptu ejus eduntur certamina et ludi in honorem Deorum, ut diximus in *l.* 8. *sup. de mun. pat.* et Observat. 2. cap. 13. quibus addi volumus, in Actis Apostolorum cap. 19 τινὲς δὲ καὶ τῶν Ἀσιαρχῶν παρεκάλουν μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον. Sed et quidam sacerdotum Asiæ provinciæ, esse vertendum, qui scilicet præerant ludis theatralibus, quod hic Eusebii locus confirmat lib. 4. cap. 15. καὶ ἠρώτων τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα· ὁ δὲ ἔφη, μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ, ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια. Rufinus interpretatur munerarium, recte: quo modo et illo D. Lucæ loco possis vertere. Sed et quidam munerariorum. Ut autem si patris voluntate filius decurio fiat, non tantum ipse pater, sed et hæredes ejus pro filio civilibus muneribus teneantur, *l.* 1. *sup. de decur.* Ita si patris voluntate filius Asiarches fiat, et de suo pater se ludos editurum promittat, ex hac promissione non tantum filius obligatur qui sacerdotium meruit, sed et omnes hæredes patris, *l.* 1. §. *Nec castrense. D. de collat.* Illud etiam adjiciam, sacerdotes istos provinciarum ab honoribus et muneribus civilibus excusationem habuisse, ut hæc vetus inscriptio demonstrat. VACATIO A P. PAL. *Qui cum privilegio sacerdotii Cruseruas munitus potuisset ab honoribus et muneribus excusari, præposito honore patriæ honorem ædilitatis laudabiliter administraret.* Cicero in Lucullo: *cum sacerdotes Deorum vacationem habeant.*

TIT. LXIII. *De mulieribus in quo loco munera sexui congruentia et honores agnoscant.*

I. *Imp. Philippus a. Marthæ.* Eam quæ aliunde oriunda alibi nupta est, si non in urbe Roma maritus ejus consistat, non apud originem suam, sed apud incolatum mariti ad honores seu munera, quæ personis cohærent, quorumque is sexus capax esse potest, compelli posse sæpe rescriptum est. Patrimonii vero munera necesse est mulieres in his locis, in quibus possident, sustinere.

A patrimonialibus muneribus mulieres non excusantur, *l. pen. sup. de mun. pat.* Sed ea agnoscunt apud originem propriam, *l.* 12. *C. Th. de naric.* non apud domicilium mariti. A personalibus excusantur, imo interdicuntur, exceptis quibusdam, quæ sexui earum congruunt, *l. pen. sup. de his qui num. lib.* quæ tamen non apud originem suam obeunt, sed ubi est domicilium matrimonii, *l. ult. sup. de incol.* Si *non in urbe Roma.* An quia si in urbe Roma sit domicilium mariti certissimum est vel quasi in communi patria eas ibi congrua munera subituras? Fuit olim Roma communis patria Romanorum et Italicorum ex lege Julia: hodie est omnium qui ditioni Romanæ subjecti sunt ex Constitutione Antonini: et ideo eleganter Sidonius, in ea totius orbis civitate unica solos barbaros et servos peregrinari: et Rutilius Numatianus de Roma:

Fecisti patriam diversis gentibus unam.
Profuit injustis te dominante capi.
Dumque offers victis proprii consortia juris,
Urbem fecisti quod prius orbis erat.

TIT. LXIV. *De legationibus.*

I. *Impp. Valerianus et Gallienus aa. Chilino pp.* Pater trium incolumium liberorum legationibus publicis liberatur.

A legationis munere, quod personale est, quia viaticum et legativum de publico datur, tres liberi excusant, quod exposui in *l.* 1. *sup. de his qui num. lib.*

II. *Iidem aa. Marco.* Cum vos proprio nomine sumptus ob defensionem publicam susceperitis, id quod ad proprias erogationes collega vester acceperat, non vobis reddere hæredes ejus oportet, sed si in ea causa est, ut restitui omnino oporteat, reipublicæ debent potius inferre. Sane si honorariis advocatorum erat ea quantitas destinata, restitui illud vobis, qui hæc præstaturis estis, non injuria postulatis: eum autem collegam vestrum, quem defensione patriæ destitisse dicitis, apud provinciæ præsidem desertæ legationis arguere potestis.

Legati a civitate ad principem missi publicæ causæ defendendæ gratia, non communi sed suo quisque nomine separatim sumptus et viatica de publico acceperunt: unus ex eis mortuus est: hæredes ejus sumptus defuncto datos collegis non restituunt, quos etsi restituere oporteret, quod tamen vix oportet *l.* 10 *D. eod. tit.* Reipublicæ potius restituerent quam collegis. At si quæ alia pecunia defuncto data sit in honoraria advocatorum qui causam publicam agerent apud principem, hanc restitui collegis oportet, patronis causæ erogandam. Quod sequitur, *Eum autem*, alius est casus libello comprehensus, cujus definitio hæc est, ut collega qui deseruit legationem, accusetur extra ordinem desertæ allegationis (sic habent vet.) id est, defensionis, ut in *l.* 1. §. *His igitur personis. D. de postul.* Hanc legem Græci non intellexerunt 54. βασιλικῶν tit. περὶ πρεσβειῶν.

III. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Mutiano.* Transmarina legatione apud nos perfunctos constitutum est biennii vacationem munerum civilium et honorum habere, non eos, qui de proximo obsequium reipublicæ videntur exhibuisse.

Legatione perfunctis biennii vacatio datur, *l.* 2. *sup. de hon. et mun. non cont.* quod hæc lex ita distinguit, si transmarina, non si proxima legatio fuerit.

IV. *Impp. Constantius et Constans aa. ad Titianum.* Universi omnino ex comitibus vel ex præsidibus, qui suffragio perceperint dignitates, civilibus oneribus muneribusque teneantur adstricti, ne commoda publica cum umbratili suffragiorum pactione lacerentur: eos tamen a predictis oneribus excipi oportebit, qui in legationibus publicis versati sunt. *Dat. Prid. Zal. Jul. Trev. Placido et Romylo Coss.*

Qui honorarias dignitates ex comitibus vel ex præsidibus pretio non meritis adepti sunt, munerum vacationem non habeat, *l. 24. 25. 26. 27. 41. 75. 86. C. Th. de decur.* nisi in officium legationis electi sint. Ocatæ legationi hæ dignitates adjunctæ vacationem munerum civilium præstant, *d. l. 2. Alt.* *Cum umbratil.*) Rectius C. Th. *sub umbratili*: ut Livius, *sub umbra fœderis*. Sententia hæc est: Ne sub specio et umbra harum dignitatum pretio non meritis coemptarum, commoda publicia officiator.

V. *Imppp. Theodosius. Arcad. et Honor. aaa. Apodemio pp. Illyrici.* Si quod extraordinarium consilium postulatur, cum vel ad nos est mittenda legatio, vel vestræ sedi aliquid intimandum: id quod inter omnes communi consilio tractatuque convenerit, minime in examen cognitoris ordinarii referatur: provincialium enim desideria, quibus necessaria sæpe fortuitis remedia deposcuntur, vobis agnoscere, atque explorare permittimus: ut sit examinis tui, quæ ex his auxilio tuo protinus implenda sint, et quæ clementiæ nostræ auribus intimanda videantur: in loco autem publico de communi utilitate provincialium sententia proferatur, atque id, quod majoris partis probaverit assensus, solemnis firmet auctoritas. *Dat. V. Kal. Aug. cp. Arcad. a. II. et Rufino Coss.*

Decreta legationum fiunt publico consilio: nec præsidibus provinciarum insinuanda sunt. Præf. prætorio insinuantur, ut is vel desideriis provincialium satisfaciat vel ad principem legationis causam probet.

VI. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Monaxio pp.* Quoties ab Alexandrina civitate legatio destinatur, universos curiales præcipimus, qui intra urbem consistunt, si non ægritudine vel alia inexcusabili necessitate impediuntur, in locum curiæ convenire, et decreta sua propria subscriptione firmata viro spectabili præfecto Augustali insinuare: ut ejus relatione comitati, tuis virtutibus suas petitiones intiment, et sub examine tuo perpensa legatione res ordinetur. *Dat. III. Non. Oct. cp. dn. Theod. a. VII. et Palladio v. c. Coss.*

Ut superior, ita hæc est de decretis legationum. Sed illa ad præf. prætorio Illyrici, hæc ad præf. prætorio Orientis de Alexandrina civitate, ut ejus civitatis decreta præfecto Augustali insinuentur, quæ tamen in Illyrico præsidibus non insinuantur. Major est præf. Augustalis quam præsidum auctoritas. Sub ejus dispositione sunt Ægypti provinciæ sex, ut diximus in *titul. de sac. larg. tit.* quod tamen Justin. edicto 13. mutavit.

TIT. LXV. *De excusationibus artificum.*

I. *Imp. Constantinus a. ad Maximum.* Artifices artium brevi subdito comprehensarum per singulas civitates morantes ab universis muneribus vacare præcipimus: si quidem in discendis artibus otium est accomodandum, quo magis cupiant et ipsi peritiores fieri, et suos filios erudire. *Dat. IV. Non. Aug. Feliciano et Titiano Coss.* Et est notitia ista. Architecti, medici, pictores, statuarii, marmorarii, lectarii seu laccarii, clavicarii, quadrigarii vel quadratarii, quos Græco vocabulo λιθοξόους appellant: structores, id est, ædificatores, sculptores ligni, musarii, deauratores, albini, quos Græci κονιάτας appellant, argentarii, barbaricarii, diatretarii, ærarii, fusores, signarii, fabri, bracarii, aquæ libratores, figuli, qui Græce dicuntur κεραμεῖς, aurifices, vitriarii, plumarii, specularii, eborarii, pelliones fullones, carpentarii, scultores, dealbatores, cusores linarii, tignarii, bractearii, id est, πεταλουργοί.

Artificibus notitia comprehensis, quia artes eas sine otio tractare non possunt, hæc constitutio otium dat et vacationem a personalibus muneribus. *Et est notitia ista.*) Vat. *Est notitia sic* Basilica, καὶ ἔστι ἡ γνῶσις οὕτως. Notitia et breve idem. *Medici*) Accurs. legit, *mulomedici*. Utrumque retinendum censeo, *medici mulomedici*. Sic Basilica, ἰατροί, ἱππιατροί. Medici sunt Chirurgi, Mulomedici, veterinarii. *Pictores*) *L. Archiatros. inf. de metal.* *Statuarii*) ἀνδριαντοπλάσται. *Lectarii seu laccarii*) Sic emendavi ex vet. Lectarii sunt qui fabricant lectos. κραββατοποιοί. Laccarii, qui fossas vel puteos fodiunt, οἱ τὰ λάκκους ποιοῦντες, ut Græci interpretantur 54. *tit.* 6. *Clavicarii*) Quidam codices clavicularii, Basilica Græca, καρδαράριοι, Gallica, *Le serrurier*. Alias clavicarii sive clavicularii dicuntur janitores carceribus præpositi, a clavibus gerendis. Græci ad *l. Carceri. D. de cust. reor.* Ὁ δεσμοφύλαξ, ὃν λέγομεν νῦν καὶ κλαβικλάριον. Eundem et κομικλάριον vocant, et ad *l. 4. sup. de cust. reor.* recte vilem hominem, in quem custodia amissa culpam Commentariensis confert, interpretantur Clavicularium: et ita omnino Clavicularios accipere oportet apud Julium Firmicum 3. Mathesios cap. 6. *Erunt cornicularii, aut Commentarienses, quibus damnatorum cura committitur, seu clavicularii, vel carcerum custodes, et quibus publicarum catenarum cura mandatur.* Commentariensem ὑπομνηματογράφον vocant. Hesychius. Κομενταρήσιος τὰς ἐγγραφὰς τῶν ἐγκλημάτων δεχόμενος, quæ commentaria a Gallis in foro vocantur, *l'escroue*, παρὰ, τὸ ἐσκροῦειν, quod est contrudere, et conjicere in carcerem. Ciceroni lib. de Suppliciis ratio carceris, quæ diligentissime conficitur, quo quisque die datus in custodiam sit. Valentinianus VIII. C. Th. *Qui commentariensium nomine excommuneris claustra custodiant.* Sed ad rem. Complures codices hoc loco habent *Candarii*, quod forsitan rectius est. Inveni idem vocabulum lib. 56. βασιλικῶν ad *l. 12. inf. de cohort.* Ἐὰν δὲ ἀποθηκάριος, ἢ τραπεζίτης, ἢ καδδάριος ἢ ἀργυρον, ἢ ἐσθῆτα πιπράσκων ἐπιχειρήσῃ ταξεώτης γενέσθαι, ἐκβαλλέσθω. Invenitur etiam in veterum Glossis *Quadrigarii*) ἁρματοποιοί. *Quos Græco vocabulo*) Reposui ex eodem βασιλικῶν libro λιθοξόους. Horum ars est lapides expolire, quod et his verbis in eo libro significatur, οἱ τοὺς διαφανεῖς λίθους ἀκονοῦντες. Cassiodorus in Psalm. CXXV. *De structoribus cementorum, aut saxorum quadratariis.* *Structores*) οἱ κοδόμοι. *Sculptores ligni*) γλύπται ξύλων. Scribimus græce ex libris βασιλικῶν, ne quis de latinis postea addubitet. *Musarii*) μουσωταί, qui μούσωσις. et Musivarii. Significatio nota. Apud Firmicum in 8. c. 4. lib. 3. legendum ex veteribus, *Aut innaratores, aut musivarios*: quod et antequam veteres inspexissem, me docuerat Petrus Pithœus vir eruditissimus. *Albini*) λευκάνται, τουτέστιν κονιαταί. Idem dicuntur Albarii, et in *l. Si servus. §. ult. D. ad leg. Aquil.* tectores, quem locum Græci ita vertunt, ἐὰν οἶνον πλήρη λάκκον μισθώσω κονιατῇ, et laccum, cisternam interpretantur. Inde Tertullianus de Idol. *Scit albarius tectar, et tecta sarcire, et tectoria inducere, et cisternam liare.*

Argentarii) ἀργυροκόποι, *l. pen. D. de aur. et arg. leg. l. ult. D. de oblig. et action.* *Barbaricarii*) Donatus Æn. XI. *Barbaricarii dicuntur, quia ex auro coloratis filis exprimant hominum formas, et animalium, et aliarum specierum imitatam subtilitate veritatem.* Idem cassides et buculas auro vel argento tegunt, *l. 1. C. Th. de fabric.* Palæmon in glossis: *Barbarica, ornamenta ex auro.* *Diatretarii*) Hi perforant margaritas, οἱ τιτρῶντες τοὺς μαργαρίτας. In *l. Si servus. §. Si calicem. D. ad l. Aquil.* *Diatretum faciendum*, id est, calicem ex lapillo vel gemma perforandum. Dorotheus vertit, ἐπὶ τῷ τρυπῆσαι. *Fusores*) Veluti plumbarii, et si qui sunt alii. οἷον μολιβδουργοὶ καὶ ὅσοι τοιοῦτοι. *Signarii fabri, bracarii*) γλύπται, τέκτονες, βρακάριοι. *Aquæ libratores*) Sic emendavi ex *C. Th.* et *l. prox.* quamquam Græci simpliciter vertunt ζυγοστάται. Frontinus de aquæductibus. *Procuratorem oportet calicem ejus moduli, qui fuerit impetratus, adhibitis libratoribus signare.* *Aurifices*) Alii sunt deauratores, alii aurifices, χρυσωταί, et χρυσοχόοι. *Vitriarii*) ὑελουργοί. Græcam βασιλικῶν appellationem, ut hoc iterum testificer, singulis artibus apponi necessarium esse duxi. *Plumarii*) Sic Græci atque etiam veteres libri, non plumbarii. Plumarii sunt qui vestimenta ex plumis avium conficiunt: quo genere prisca luxuria delectata est. Prudentius in Hamartigenia. *Avium quoque versicolorum indumenta novis texentem plumea telis.* Vel qui acu pingentes exprimunt animalium vel hominum figuras. Hieronymus in Chronicis: *Macedonius artis plumariæ*: et in versione Exodi sæpe. Firmicus 3. c. 13. *Facient linteones, aut tunicarum textores plumarios*, et cap. 10. *Qui erunt etiam linteones aut plumarii*: eodem usi sunt Varro, Vitruvius, Vopiscus. *Specularii*) σπεκλοποιοί, vel σπεκλοποιοί. *Eborarii*) ἐλεφαντουργοί. *Pelliones*) σκυτοτόμοι. *Carpentarii*) In Basilicis, σαγματοποιοί ad *l. ult. D. de jur. immun.* οἱ τὰ σάγματα τῶν καμήλων. Igitur lego, σαγματοποιοί. * Hi faciunt clitellas camelorum, quæ carpenta latine dici non ambigo: earum enim forma eadem fere, quæ carpentorum quibus gestamur.

Sculptores) γλύπται. Hoc nomine græco et sculptores lignorum significantur, et qui signa faciunt sive signarii, et alii quilibet sculptores cælatoresque. *Dealbatores*) Albini parietes dealbant, hi alia quælibet. *Cusores linarii*) τῶν λινταρίων κνῆσται, qui cudunt lina. *Tignarii*) Hi sunt qui ligna dolant, *l. Fieri. D. de verb. signif.* Græci generali vocabulo utuntur, τέκτονες, ut in ea lege τέκτονος ξύλων. *Bractearii*) Qui dicantur Budæus exposuit recte. Bracteatores a Firmico dicuntur.

* Nihil mutandum censeo. Theophanes ἐκάθισαν αὐτὸν ἐπὶ ὄνῳ σαγματομένῳ. Sic enim habebat Codex Peirescianus: quod miror non notatum in variis ad Theophanem: dixere enim σάγμα et σάγμα vide Glossarium nostrum in Nicetam. Fabrotus.

II. *Impp. Constantius et Constans aa. ad Leontium*

pp. Mechanicos et geometras et architectos, qui divisiones partium omnium incisionesque servant, mensurisque et institutis operam fabricationibus stringunt, et eos qui aquarum ductus inventos et modos docili libratione ostendunt, in par studium docendi atque discendi nostro sermone perpellimus: itaque immunitatibus gaudeant, et suscipiant docendos qui docere sufficiunt. *Dat. Prid. Non. Jul. Leontio et Sallustio Coss.*

Specialiter mechanicos videtur accipere pro iis quorum ingenio et institutione fiunt organa mechanica, pneumatica, automatopoetica. Dat autem vacationem personalium munerum ideo tamen tutelæ remissam non censentur, ut ostendi in *l. 3. sup. de mun. pat.* itaque nihil obstat *l. Geometræ. D. de exc. tut.*

TIT. LXVI. *De potioribus ad munera nominandis.*

I. *Imp. Antonius a. Basilidi.* Si ipse vocatus ad munera civilia, potiorem alium nominandum putaveris, age causam tuam.

Ad munera personalia potiores nominandi sunt, et qui nominatus est, si alium se potiorem indicaverit, in eum transfertur onus: qua de re diximus aliquid in *l. 46. sup. de decur.* et Pauli Sentent. *lib. 2. tit. de potioribus nominandis:* et hoc re integra, *l. pen. sup. qui da. t. l.*

TIT. LXVII. *Si propter inimicitias creatio facta sit.*

I. *Imp. Alexander a. Aniceto.* Si propter inimicitias ad munera civilia creatus es, hanc tibi nominationem non nocere præsidis æquitas faciet: cum et publicæ utilitatis intersit, non ex inimicitia creationes fieri debere, sed examinatione vera et commodo Reipublicæ.

Excusatur ab injuncto munere qui se propter inimicitias nominatum præsidi provinciæ probat, ut eo onere nequaquam vexetur, *l. 6. §. pen. D. de exc. tut.* l. 14. *sup. eod.* l. 1. §. *D. de vac. mun.* *Examinatione*) Malo *æstimationem*, ut in veteribus.

TIT. LXVIII. *De sumptuum recuperatione.*

I. *Imp. Gordianus a. Dionysio.* Muneribus civilibus non fungeris, quæ personis mandantur, si quinque filios incolumes habes: at si contra id privilegium ad munus fatigandi tui causa quidam te devocaverint, tuque appellatione interposita securitatem reportaveris: a nominatoribus sumptus, quos in litem feceris, recuperabis.

Si qui numero liberorum a publico munere excusabatur, nominatus sit, et appellaverit, excusatione probata et admissa, sumptus a nominatore in justo recipiet in eam litem factos, l. 2. *sup. de decur. l. Severiter. sup. de exc. tut.*

TIT. LXIX. *Si post creationem quis decesserit.*

I. *Imp. Gordianus a. Astitico.* Si ante diem subeundi honoris atque muneris pater tuus defunctus est, conveniri eo nomine hæredes ejus non oportere, præses provinciæ minime ambiget.

Qui decessit post nominationem antequam honorem vel munus subiret, nullam eo nomine obligationem in hæredes suos transmittit: at ita si pater decesserit post allectionem filii in curiam antequam munera civilia susciperet, nullam in hæredes suos obligationem transfert; ut diximus in *l. 1. sup. de decur.*

TIT. LXX. *De tabulariis, scribis, logographis et censualibus.*

Tabularii, scribæ, logographi, censuales, conditionales sunt, et ideo quoties res exigit, tormentis subjiciuntur, *l. 1. et 2. hoc. tit l. 7. sup. de jur. fisc. l. 1. C. Th. ne col. per eg. crl.* De tabulariis diximus in *l. 2. et 7. sup. de jur. fisc l. 15. sup. de decur.* et dicemus in *l. 13 tit. seq.* Scribæ sunt curiarum sive magistratuum municipalium scribæ: et generaliter horum omnium munera personalia et municipalia sunt, *l. 1. hoc tit. l. pen. sup. de def. civ.* l. *ult.* §. *In quoque.* et §. *Mastigophori. D. de mun. et hon.* Nihil hic de prætoris scriba de quo *l. ult. sup. de mag. con.* Nihil de clariss. scriba, qui in provincia est quasi prætor tutelaris quidam, de quo *Nov. 94.* et cujus officium ejus definit aperte Constantini Nov. περὶ συνδέσμων τοῦ σκρίβα· cujus initium, Ἐπειδὴ ὁ σκρίβας οὐκ ἔστι τέλειος δικαστὴς, ἀλλὰ καὶ τῶν δημοσίων κριτῶν καὶ αὐτῶν τῶν ἀντιγραφέων υποδέδεκται, καὶ σχεδὸν ἡ πᾶσα φροντὶς τῶν ἀσθενῶν, καὶ ὁ περὶ τῶν πραγμάτων αὐτῶν κίνδυνος ἐκ μεγάλης ἀμελείας εἰς αὐτὸν ἀφορᾷ, etc. Tabulariis similes sunt logographi: nam et hi tributorum rationibus scribendis occupantur, *Nov. 128.* Sed ejusdem muneris pro varietate locorum variæ appellationes sunt, *l. ult. inf.* Et huic titulo non convenit Sudæ definitio: λογογράφος ὁ δίκας ἢ τοὺς δικανικοὺς γράφων. Censuales sunt qui operam suam accommodant magistro census in urbe, et actus Senatus conficiunt, *l. 1. C. Th. de stud. lib. l. Consulta. l. Testamenta. sup. de testam. l. 2. et 4. inf. de priv. ag. in reb.* et in provincia census et patrimonia describunt, quos in *l. 1. D. de mun. et hon.* iis verbis puto notari, *Ad census accipiendos, vel patrimonium scribatus,* sic lego, ut *l. 4. sup. de appel.* aurum oblatitium a senatoribus exigunt: Prætores et Quæstores nominant, ut ex Codicis Theodosiani sexto didici, de quibus et in l. 1. *C. Th. de privileg. dom. Aug.* et *Nov.* 17. et Simmachus in epistolis: *Argenti pallet ratio quod censualibus editores munerum contulerant.* His etiam junguntur subscribendarii, actuarii, diurnarii, regerendarii, *l. 8. C. Th. de cohort. prin.* et alii in *l. ult. hoc. tit.*

I. *Impp. Constantius et Constans aa. ad Catullinum pp.* Nullus omnino ex tabulariis, vel scribis, vel logographis, eorumque filiis in quocunque officio militet: sed ex omnibus officiis, necnon etiam si intra nostrum palatium militant, necdum impleto quinquennio reperti et retracti, protinus officiis municipalibus reddantur. *Dat. VIII. Kal. Jul. Lanriaco Marcellino et Probino Coss.*

Conditionales illos esse ex eo etiam apparet, quod illorum filios eodem munera sequantur. At ab ea conditione eos quinquennalis militia liberat, *l. 38. C. Th. de decur.* quod in eo Codice etiam de decurionibus ita præscriptum. Tribonianus in suum non retulit, propterea quod tandem obtinuerat, ne longam quidem militiam curia quemquam liberare.

II. *Imppp. Gratianus, Valentinia. et Theodosius aaa. Neutrio.* Quicunque decurionum sponte se censuali ministerio mancipaverit, conditionem habeat, quam ipse delegit, depositurus sui ordinis penitus dignitatem, si eum necessitas quæstioni subdendum invenerit. *Dat. XV. Kal. Octob. ep. Ricomere et Clearcho Coss.*

Curiales tormentis non subjiciuntur, *l. 33. sup. de decur.* Curiales censuales effecti tormentis subjiciuntur quasi conditionales.

III. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Adriano pp.* Generali lege sancimus, ut sive solidis provinciis, sive singulis civitatibus necessarii fuerint tabularii: liberi homines ordinentur, neque ulli deinceps ad hoc officium patescat aditus, qui sit obnoxius servituti. Sed et si quis dominorum servum suum, sive colonum chartas publicas agere permiserit (consensum enim non ignorantiam volumus obligari) ipsum quidem, in quantum interfuerit publicæ utilitatis, pro ratiociniis, quæ servo sive colono agente tractata sunt, obnoxium attineri servum autem competentibus affectum verberibus fisco addici: dominorum enim interfuit ab initio providere, ne publicis actibus privata servitia immiscerentur. *Dat. VIII. Cal. Apr. Med. Vincentio et Fravitta Coss.*

Tabularii erant olim servi publici: Capitolinus in Gordianis *Non scribæ non servi publici, non censuales illis actibus interessent.* Servos publicos, tabularios vocat. Inde *l. ult. sup. de ser. Reip. man.* tabularii actus argumentum est servitutis. At hac Constitutione cavetur, ne in posterum servi tabulario præficiantur: sed liberi. Et ut si servus, vel adscriptitius sciente domino tabulariam administraverit, ipse quidem servus flagellis cæsus fisco addicatur, dominus ex administratione servi in solidum teneatur.

IV. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Cyro pp.* Boethos logistarum, demogrammateos, logographos, diastoleos, quæ vocabulis publicis dicuntur subjacere necessitatibus, sive quolibet alio nomine nuncupentur; non honore, aut alicujus privilegii colore subnixos, pro definitione legum inexorabilium suam fortunam subire compelli, quatenus nec publicis quicquam noceatur, aut minuatur utilitatibus, et suis corporibus illi reddantur, quos vel patris, vel majorum obligatio, vel sua constringit.

Sic emendavi: *Boethos logistarum, demogrammateos,* ex LIV. Βασιλικῶν, in quo ita est, Οἱ βοηθοὶ τῶν λογιστῶν, καὶ οἱ δημογραμματεῖς, καὶ οἱ λογογράφοι, καὶ οἱ διαστολεῖς. Logistæ sunt curatores Reip. ut dixi in *l. 30. sup. de decur.* Adjutores igitur curatorum Reip. et plebis scribæ, et logographi, et dispunctores, et nec honore nec privilegio

ulla his conditionibus liberantur: idem statuendum de subscribendariis, diurnariis, auctuariis, regerendariis, notariis, librariis, et si qui sint ejusdem conditionis qui aliis nominibus nuncupentur: διαστολεῖς interpretor dispunctores rationum sive instrumentorum, qui scio διαστέλλειν διαστολεῖν dispungere idem esse, conferre scilicet accepta et expensa. Dicimus et æra dispungere. Apulejus de Deo Socratis: *Igitur quotid una eorum æra dispungas, interutes rationibus multa prodige profusa, et in semet nihil* qui locus vulgo misere depravatus est: Igitur enim, ora dicere, pro æra dispungere, et vel, pro nihil, ut paulo ante, *decurritant*, pro *detrectant*.

TIT. LXXI. *De susceptoribus, præpositis, et arcariis.*

Susceptores sunt qui annonis et tributis utriusque ærarii recipiendis præpositi sunt, *l. Cum possessor* in *ff. D. de censib.* Præpositi, qui horrea, in quibus species fiscales deponuntur, *l. 2. hoc tit.* vel pagis, de quibus dixi in l. 9. *sup. de jur. fisc.* Arcarii, qui his quæ in arcam præf. prætorio inferuntur suscipiendis præpositi sunt l. 1. sup. *de iis qui ex pub. ratio mut. acc. l. 3. sup. de can. larg. tit. l. ult. hoc tit. et Justin. edic.* 13. Arcarii præfectorum a Cassiodoro dicuntur lib. 1. Arcam præfecti prætorio etiam τράπεζαν, sive mensam vocant, de qua in *l. 8. sup. de exact. tribut.* et ideo non male Sidonius arcariis deputat pondera, quæ simul ac mensuræ susceptoribus omnibus attribuuntur; *l. pen. sup. de defens. civit.* Majorianus ad Basilium PP. *de indul. rel. Sancimus vel rectorum fiscalium tituli tum vel ad arcam magni ficentiæ tuæ, vel ad utrumque ærarium pertinentium reliqua a possessoribus non petenda.* Et ita in illo quoque edicto Justiniani ærarii, sive largitionum tituli ab arcariis separantur.

I. *Imp. Constantinus a. ad Eufrasium rationalem trium provinciarum.* Susceptores publicos absque omni mora aurum censemus suscipere, ne quis per hanc occasionem sumptus facere compellatur. Nam si solvere volens a suscipiente fuerit contemptus: testibus adhibitis contestationem debebit proponere, ut hoc probato, et ipse securitatem debitam, commissi nexu liberatus, cum emolumentis accipiat: et qui suscipere neglexerit, ejus ponderis quod debebatur, duplum fisci rationibus per vigorem officii præsidis inferre cogatur. Quod autem susceptores judice cujus interest negligent violaverint: ex ipsius judicis facultatibus sarcietur. *Dat. XIV. Kal. Aug. Paulino et Juliano Coss.*

Scripta est ad rationalem trium provinciarum, id est, Siciliæ Sardiniæ, et Corsicæ, ut constat ex Notitia imperii, et *l. 1. C. Th. eod.* Id vero ea continetur, ut aurum quod infertur, susceptores confestim recipiant, vel si per eos mora fiat, ut de eo publice contestationem collator faciat, ut in *l. 4. inf. de col. fun. pat.* cujus hæc erunt effecta: collator non incidet in commissum, quia per eum non stat quo minus fisco fundorum suorum nomine aurum exsolvat: collator liberabitur: collatori dabitur apocha perinde ac si revera solvisset, et damnum fisco susceptor resarciet in duplum judice imminente, vel ipse judex si in susceptore exigendo negligens fuerit. Oblatio igitur sola collatorem liberat: quod non ita fit in privatorum causis, nisi oblationem oblatæ pecuniæ peremptio sequatur. His de auri ponderatione adjectum fuit quod est relatum in *l. 1. tit. seq.* quæ eandem inscriptionem, ut subscriptionem habet.

II. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Secundum pp.* Juxta inveteratas leges nominatores susceptorum, et eorum qui ad præposituram horreorum et pagorum creantur, obnoxii teneantur, si minus idonei sunt qui ab eisdem fuerint nominati: nec quicquam ex eorum substantia, celebrata per interpositam personam emptione, mercentur. *Dat. III. Kal. Aug. cp Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Susceptores annonum, et præpositi horreorum creantur fide et periculo nominatorum: quod jus vetustissimum est, *l. 8 inf.* Nominator ex nominati bonis emere nihil potest per se vel per alium, quod quasi singulare notandum. Nemo dicet fidejussorem, quem inexcusso principali convenire licet, nihil posse emere ex principalis bonis. At nominatorem, quem inexcusso nominato convenire non licet, dicemus hac lege ex ejus bonis emere nihil posse, ne scilicet qui idoneum eum esse præstare debet, cum eo contrahendo quo minus sit idoneus, efficiat.

III. *Iidem aa. ad Mamertinum pp.* Susceptores novi non modo præsentis anni debita, verum etiam species quas ex reliquis inferunt, quia novæ sunt accrescentes, suscipiant. *Dat. Prid. Kal. Novemb. Romæ Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Susceptorum munus annonum est, *l. 4.* Susceptores annonarum novi non tantum hoc anno debita recipiunt, sed etiam reliqua anni præteriti, quandoquidem ea implentur ex horum novis speciebus, atque ita novi susceptores nova suscipiunt sive ex præsenti, sive ex præterito debeantur. Pro *accrescentes*, rectius in C. Th. *ac recentes*.

IV. *Iidem aa. ad Florentium c. s. l.* Neminem susceptionis munera fuuctum, ad idem munus adstringi, nisi se prius vinculo sollicitudinis superioris absolverit. Nam neque eos qui placuerint, gravare justi est: neque eos qui displicuerint, tenere prudentis est. Integro igitur singuli anniversario anno transcurso cogantur exponere, quibus titulis suscepta dispersserint: ut facilius, si quis in furto fuerit deprehensus, recentem queat redintegrare jacturam. Non perpetui autem exactores teneantur in continuata vexandorum provincialium potestate velut concussionum dominatione, sed per annos singulos judiciaria sedulitate mutentur, nisi aut consuetudo civitatis, aut raritas ordinis eos per biennium esse compellat. *Dat. xv. Kal. Octob. Mantebri Gratiano nb. p. et Dagalaifo Coss.*

Hæc lex conflata est ex *l. 11. et 22. C. Th. eod tit.* quæ sunt diversorum Imperatorum. At Tribonianus primæ inscriptionem et subscriptionem retinuit, non secundæ: quod nesciens Haloander, male inscriptione assumpta secundæ, hanc fecit octavam. Id autem est ex prima, id est, ex *l. 11.* ut anno finito susceptionis rationem reddant, nec ad idem munus ante vocentur, quam rationem reddiderint. Ex secunda, id est, ex l. 22. ut singulis annis susceptores mutentur, nisi more civitatis soleant fieri in biennium, vel nisi raritas hominum, sic legendum, non *auctoritas*, græce τὸ σπάνιον, eos in biennium creari cogat.

V. *Iidem aa. ad Germanianum c. s. l.* Quotiescunque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, et auri massa transmittitur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepta. *Dat. VI. Id. Jan. Romæ Lupicino et Jovino Coss.*

Constitutum fuit ut solidi ex quocunque titulo fiscali collecti in massam auri redigerentur, atque ita pro solidis massa ad comitatum transmitteretur, l. 12 et 13. *C. Th. eod.* et inde in aula, fieri massæ auri massæ: proinde interest scire quanti libra auri æstimetur, ut sciatur illata massa, quot solidi illati sint. Et lex libram auri LXXII. solidis sive aureis æstimat, et ideo centesimæ nauræ definitio cum hæc primum fuisset, quæ in centenos aureos quotannis reddit duodenos: deinde, quæ in centenos reddit duodenos, semis, ut Justiniani et Leonis Novellæ docent: ad extremum hæc obtinuit, quæ in centenos reddit XVI. semis et quatuor siliquas: nam in libram, quæ est solidorum LXXII. XII. reddit auctore Harmenopulo: quod et Zonar. significat in Nicæni Conc. c. 17. his verbis: ὥσπερ τοῖς νῦν αἱ λίτραι μέχρι τῶν ἑβδομήκοντα δύο ἀριθμοῦνται, οὕτως τοῖς παλαιοῖς αἱ ἑκατοντάδες ἦσαν, καὶ ἦν ὁ τόκος τῶν ἑκατὸν νομισμάτων νομίσματα δώδεκα. διὸ καὶ ἑκατοστιαῖος ἐλέγετο, ὡς ἐπὶ τοῖς ἑκατὸν ἀπαιτούμενος. Sed de his in *tit. seq.* alia quædam.

VI. *Imppp. Valentinianus, Valens et Gratianus aaa. ad Chilonem.* Frumenta quæ horreis inferuntur, pro illationis modo illico apocharum cautionibus adnotentur, non autem oportet in horreis fiscalibus nisi fiscalia frumenta constitui. *Dat. V. Id. Apr. Trev. post Consulatum Gratiani a. III. et Equitii v. c.*

Ut apochis frumenti horreis illati quantitas adnotetur: ut in horreis fiscalibus nonnisi frumenta fiscalia reponantur. Pertinet hæc lex ad præpositos horreorum.

VII. *Imppp Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Have Hypati K. N.* Diu minimo penes ipsos susceptores maneat facta collatio, sed statim quodcunque a provincialibus fuerit exsolutum, sacris thesauris inferatur. *Dat. III. Kal. Mai cp. post Consulatum Autonii et Syagri.*

Dixi in *l. 1. sup. de can. larg. tit.*

VIII. *Iidem aaa. Cynegio pp.* Exactores vel susceptores in celeberrimo cœtu curiæ consensu et judicio omnium, sub actorum testificatione firmentur: provinciarumque rectoribus eorum nomina, qui ad publici munus officii editi atque obligati fuerint, innotescant: et animadvertant quicunque nominaverint, ad discrimen suum universa quæ illi gesserint, redundare. *Dat. VI. Kal. Nov. cp. Honor. n. p. et Evodio VI. Coss.*

Ordo curiæ exactores vel susceptores creat suo periculo, creationem insinuat præsidi: excipiendi sunt susceptores rei privatæ, quorum creatio ad curiam non pertinet, l. 9. *sup. de jur. fisc.* et susceptores vestium, quorum creatio pertinet ad proconsulare officium, *l. pen. hoc. tit. l. 4. C. Th. eod.*

IX. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. Cynegio pp.* Modios æneos vel lapideos cum sextariis atque ponderibus per mansiones singulasque civitates jussimus collocari: ut unusquisque tributarius, sub oculis constitutis rerum omnium modiis, sciat quid debeat susceptoribus dare: ita ut si quis susceptorum conditorum modiorum sextariorumque, vel ponderum normam putaverit excedendam, pœnam se sciat competentem esse subiturum, et submotis quæ contra utilitatem populorum haetenus gesta sunt, frumenti quinquagesimas, hordei quadragesimas, vini et lardi vicesimas susceptoribus dari præcipimus. Huinsnitatis autem necessitate commoti, susceptoribus in Armeniæ susceptionibus longinquitatis causa frumenti et hordei quadragesimas, vini et lardi quintasdecimas, dari præcipimus. *Dat. IV. Kal. Dec. cp. Honorio N. P. et Evodio V. C. Coss.*

Hæc constitutio jubet ut singulis stationibus et civitatibus mensuræ ac pondera publice collocentur; ne quid supra modum debitum a collatoribus exigatur, et ut susceptores puniantur, qui ultra modum exegerint: qua de re, et in *l. pen. sup. de defens. civit.* et Nov. 128. Et ut susceptoribus ἐπίμετρον detur, sic vocatur aptissime in *l. 5. C. Th. eod.* frumenti quinquagesima, hordei quadragesima, vini et lardi vicesima, amplius in Armenia, frumenti puta et hordei quadragesima, vini et lardi quintadecima: id ut Mantisam veteres vocasse videntur. Quidam, Superpondium.

X. *Iidem aaa. Cynegio pp.* Susceptores præsentibus defensoribus, et modum jugationis possessorum, et species singulas, vel earum numerum quantitatemque præscribant. *Dat. IV. Kal. Dec. cp. Timasio et Promoto Coss.*

Ut præsentibus defensoribus civitatum, qui quasi quidam Tribuni plebis sunt, susceptores præscribant modum jugationis cujusque, et species singulas quas fisco inferri oportet, ut earum quantitatem.

XI. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Benigno Vic. Urb. Romæ.* Securitates semel publicatas et gestis lectas, vini susceptoribus imputari: et cœptam arcæ discussionem volumus in apertum quæsita ratione deduci, et omnes publicas securitates, quæ gestis tenentur, a susceptoribus accepto fieri. *Dat. VI Id. Iun. Med. Stilicone et Aureliano Coss.*

Ut apochæ apud acta publicatæ omnimodo vini susceptoribus imputentur, et ut cœpta arcæ vinariæ discussio rationisque redditio perficiatur et publicetur. Arca hoc loco vinariam significat, de qua et in *l. 3. C. Th. de cal. coct.*

XII. *Iidem aa. Pompeiano pc. Africæ.* Si aliquid a susceptore vel a tabulario fraudis admissum esse possessor deprehendat: nemo eorum semel interversione convictus, id rursus officium gerat, in quo ante decoxit, et si rescriptum nostrum elicitum clandestina supplicatione detulerit. *Dat. Prid. Kal. Ian. Med. Stilicone et Aureliano Coss.*

Ne tabularii vel susceptores in eo munere aliquid evertisse et decoxisse convicti, idem postea repetere possint. Huic legi conjungenda est *l. 1. sup. ad l. Jul. de amb.* quæ eandem inscriptionem et subscriptionem habet. At non de iis muneribus loquitur, sed de officiis quæ operam suam accomodant viro spectabili proconsuli Africæ, ut ne princeps officii vel numerarius, vel commentariensis, vel ducenarius, vel primiscrinius ea officia repetant. Munera possunt repeti, nisi quis in eis decoxisse convictus fuerit. Illa officia nullo modo: quod et ad eundem modum constituitur de officiis ducis Lybiæ in *l. pen. C. Th. de numerar.* *Clandestina)* Clandestina hoc est, obreptitia. At rescriptum præf. prætor insinuatum valere puto, arg. *l. Si quis. inf. de cohort. priv. l. 2.* et 5. *inf. de div. offic.*

XIII. *Iidem aa. et Theodosius a. Lucio Com. S. L.* Duos tabularios, seu numerarios, et susceptores totidem per universas provincias oportere constitui clementia nostra præcepit: scire autem volumus prætorianam amplissimam præfecturam, eos qui aurum largitionale susceperint, nihil cum arcæ ratiociniis habere commune: judices autem provinciarum quinque libris auri multandos, et primates officiorum capitali pœna plectendos si hoc non fuerit custoditum. *Dat. VI. Kal. Febr. Basso et Philippo Coss.*

Ut in singulis provinciis duo sint tabularii et duo susceptores, quorum unus scilicet largitionales titulos tractet, alter arcæ præfectorum prætorio rationem, et ut ne horum officia confundantur, largitionalium puta et arcariorum: quod habuimus etiam *sup. de can. larg. tit. l. 3* et repetimus in *l. 4. inf. de numerariis.* Cur autem ut in hac lege Tribonianus adjecit *Seu numerarios*, ita in *d. l. 4. Numerarii qui et*, quæ non erant in Codice Theodosii, operæ pretium est ostendere. Et animadverti in officio magistratuum eodem prorsus munere fungi numerarios, quo et tabularios in civitatibus et curiis. Tabularii chartas publicas administrare dicuntur, *l. pen. sup. tit. prox.* Et numerarii in *l. 6. C. Th. de numer.* Tabularii rationes supputant, *l. 2. sup. de jur. fisc. l. ult. ff. si men. fal. mod. dix.* Seneca 12. Epist. *Non esse feliciorem cujus patrimonium tabularios lassat.* Numerarii item, quod nomen ipsum notat satis. A numerando enim dicti sunt numerarii. August. 2 de liber arbit. *Multos novi numerarios, aut numeratores, vel si quo alio nomine vocandi sunt, qui summe atque mirabiliter computant.* Valentinianus, *Nov. de off. et num. præf. Penes numerarios prætorianæ sedis publicarum rationum notitia consistit.* At tabularii conditionales sunt. Numerarii non item. Excipiuntur numerarii præsidum et consularium, quibus et ob eam rem conditionale tabulariorum nomen imponitur: *l. 2. inf. de num.* cui consequenter in Notitia Romani Imperii consulari Campaniæ, correptori Apuliæ et Calabriæ, præsidi Dalmatiæ pro numerario tabularii duo tribuuntur. Ut igitur intelligeretur in hac lege, et in *d. l. 4.* non de tabulariis civitatum, sed de tabulariis rectorum provinciarum agi, qui olim numerarii dicebantur, ideo illa quæ notavimus adjicienda esse, meo quidem judicio, Tribonianus censuit.

XIV. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Euchario.* Humilioribus officiis aut extraordinariis oneribus occupari curiales non patimur, ne publica vacillet utilitas. Susceptionem itaque vestium æquius est ab officio proconsulari, vel ab his, qui in eodem meruerunt, solemniter procurari. Horum namque interest hujusmodi explorare rationem, et quærere qualitatem eorum, quorum ad constituendum commodior cura est. Neque enim æquum est, ut ad officium lucra, ad curialem susceptionis tantum damna pertineant: hanc igitur ab ordinibus injuriam submovemus: exceptis his si qui curialium in officio memorato aut militasse, aut militare fuerint deprehensi. *Dat. Prid. Kal. Mar. Rav. Honorio IX. et Theodosio V. aa. Coss.*

De hac lege scripsimus Obser. 2. c. 8. Quod ait, *Solemniter*, significat solere officia proconsularia hanc susceptionem procurare, *l. 4. C. Th. eod. tit.*

XV. *Impp. Theodosius Valentinianus aa. Volusiano pp.* Aurum sive argentum quodcunque a possessore confertur, arcarius vel susceptor accipiat, ita ut provinciæ moderator, ejusque officium ad crimen suum noverit pertinere, si possessoribus ullum fuerit ex aliqua ponderum iniquitate illatum dispendium, et quicquid ex provinciis ad nostrum dirigetur ærarium, id ad illustres viros ærarii nostri comites relatione deferatur. *Dat. III. Kal. Mart. Rav. post Consulatum Felicis et Tauri vv. cc.*

Ut cura præsidum et officialium eorum a susceptoribus vel arcariis provinciales iniquis ponderibus non lædantur: et ut quod ad comitatum transmittitur, ad Comites largitionum privatarum referatur. Probo, quod adjicitur in Codice Theodosii, *Et ad eminentiam tuam*, id est, præf. prætorio, propter ante habitam de arcariis mentionem.

TIT. LXXII. *De ponderatoribus et auri illatione.*

1. *Imp. Constantinus a. ad Eufrasium Rationalem Trium Provinciarum.* Aurum quod infertur a collatoribus, si quis vel solidos voluerit, vel materiam adpendere, æqua lance, et libramentis paribus suscipiatur. *pp. XIV. Kal. Aug. Paulino et Juliano Coss.*

Constituitur hac lege, ut aurum quod fisco infertur a provincialibus, sive in solidis consistat, sive in massa obryzæ, æqua lance et libramentis paribus appendatur et suscipiatur: quæ verba Græci male accipienda censent, secundum *l. 5. sup. tit. prox.* et rectius in *C. Th. eod. tit.* ea ad stateram referuntur, quæ unam tantum habet lancem non duas, sicut libra, ut dum aurum appenditur, æqua sit ea lanx, æqua momenta, æquum examinis libramentum. Quinimo, quod amplius est in eodem titulo non consentit cum *l. 5. tit. prox.* secundum quam solidus est sexta pars unciæ. At secundum eam quæ est in illo tit. *C. Th. de ponderat.* Constantini legem, solidus est septima pars unciæ: libra igitur solidorum LXXXII. quam *l. 5.* facit LXXII. Consentit utraque in hoc, unciam esse duodecimam partem libræ: solidum constare scriptulis quatuor. Sed unciam una constituit ex scriptulis XXIV. quæ vulgaris est definitio, altera ex scriptulis XXVIII.

II. *Imp. Julianus a. ad Mamertinum pp.* Quoties de qualitate solidorum orta fuerit dubitatio, placet, quem sermo græcus appellat zygostatem, per singulas civitates constitutum, qui pro sua fide atque industria, neque fallat, neque fallatur, contentionem dirimere. *Dat. IX. Kal. Mai. Salonæ Juliano a. IV. et Salustio Coss.*

Ut in singulis civitatibus sint ponderatores, sive ζυγοστάται, quorum judicio nummi probentur, ac, ut fieri solere Justin. indicat edicto xi, signa etiam ponderum ab eis nummis imprimantur. Inde Synesius Asclepiodoro: ὡς ἀπεβίβασαν, ὡς ἐζυγοστάτησαν, ὡς κατεσημαίνοντο τῇ δημοσίᾳ σφραγῖδι τὸ χρυσίον· ex quo apparet quanta in explorandis probandisve nummis olim diligentia fuerit adhibita, quam in Queruli Comœdia Pseudoplautus nolans, *Quid*, ait, *tam simile quam solidus solido? Etiam hic distantia quæritur in auro, vultus, ætas et color, nobilitas, literatura, patria, gravitas atque ad scripulos quæritur in auro plus quam in homine.*

TIT. LXXIII. *De auri publici prosecutoribus.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Anthemio pp.* Auri prosecutores partim nulla præmissa (ut assolet) prosecutoria aurum præsumunt, partim diutius retentant, quod statim fuerat adsignandum. Ideoque censemus ne quis absque præcepto viri illustris Comitis sacrarum largitionum vel coquendum aurum sumat, vel capiat deinceps retinendum. *Dat. XIII. Kal. Aug. Honorio VIII. et Theod. III. aa. Coss.*

In transmissionem auri sacrarum largitionum prosecutores constituuntur, sed non sine prosecutoria, id est, præcepto Comitis largitionum. *Coquendum*, id est, consumendum, intervertendum. Aurum publicum dicitur, quod ærario publico, id est thesauris et largitionibus infertur. Sic vero prosecutores frumentorum Cassiodorus dixit lib. iv. Prosecutores equorum *l.* 1. *inf. de tractor. et stat.* Prosecutores publicarum functionum, *l.* 9. *inf. de curs. pub.* Prosecutores reorum, *l. Solent. D. de cust. reor.*

TIT. LXXIV. *De iis quæ ex publica collatione illata sunt non usurpandis.*

I. *Imp. Constantinus a.* Nullus judicum id, quod a Republica ex collatione susceperit, mutui interventione opposita vel invadat, vel conetur invadere. *Dat. Prid. non. Mart. Trev. Paulino et Juliano Coss.*

De iis qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam accipiunt, est tit. vi. hujus libri. Hæc de præsidibus qui mutuam dant. Sequens generaliter de omnibus qui mutuam eam dant, vel alio quovis modo usurpant.

II. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Have Lampadi K. n.* Nullus penitus ex eo, quod refertur in conditis, vel in arca continetur, ad quemlibet titulum usurpet: nisi forte præsumendi facultatem sublimium potestatum jussione perceperit. *Dat. III. Id. Apr. cp. Antonio et Syagrio Coss.*

Conditis) Horrea, *l. ult. sup. de cond. in pub. hor.*

III. *Impp. Archadius et Honorius aa. Messalæ pp.* Sciant judices, nihil sibi ex privatæ rei canone, vel ex eo, quod ex iisdem titulis exegerint, ad necessitates alias transferre licere, nisi malint gravissima severitate suam licentiam coerceri. *Dat. XVI. Kal. Jun. Med. Theodoro Cos.*

Superiores sunt de iis quæ inferuntur largitionibus, vel arcæ præfectorum. Hæc de iis quæ inferuntur ærario privato, ut ex Privatiano canone, sicut Græci loquuntur hoc loco, præsides nihil usurpent, et repetita est *l. ult. inf. de collat. fun. patr.* ex qua intelligitur hæc verba, *Ex iisdem titulis*, ad patrimoniales et emphyteuticarios fundos referri.

TIT. LXXV. *De auro coronario.*

1. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Cynegio pp.* Ad collationem auri coronarii placuit neminem absque consuetudine esse cogendum. *Dat XV. Kal. Feb. cp. Ricomere et Clearcho Coss.*

Aurum coronarium in aliis auctoribus sunt aureæ coronæ, quæ triumphantibus offeruntur, sicut æs coronarium, æneæ coronæ histrionum apud Plinium lib. 33 c. 9. et lib. 34. c. 8. In constitutionibus nostris aurum coronarium est quod in coronis aureis decuriones principi offerunt, amore proprio ut ait *l.* 4. *C. Th. de aur. cor.* vel indulgentiarum lætitia, vel rebus prospere gestis, vel alia ea causa. Pio oblatum adoptionis suæ causa fuisse Capitolinus scribit. Item Satrapæ, *l. ult. C. Th. de aur. cor.* Et Judæi, *l. pen. sup. de Judæis* Solebant id olim Judæi quotannis conferre Patriarchis Hierosolimitanis. Cicero pro Flacco: *Cum aurum Judæorum nomine quotannis ex Italia et ex omnibus vestris provinciis Hierosolymam exportari soleret.* Verum Imperatores Romani id aurum Judaicum postea sibi vindicarunt, quod his verbis hoc loco Græci explicant recte. Ἐπειδὴ οἱ Ἰουδαῖοι παρεῖχον ὑπὲρ τοῦ γενέσθαι στέφανον τῷ οἰκείῳ ἱερεῖ καθ' ἕκαστον ἔτος ῥητὴν ποσότητα χρυσίου, σήμερον ὁ τοῦ τοιούτου στεφάνου χρυσὸς εἰς δημοσίαν καταβολὴν μετενέχθη, καὶ περὶ αὐτοῦ διαλέγεται, ὁ τίτλος. Idem ad *l. pen.* id vocant στεφανωτικὸν κανόνα.

TIT. LXXVI. *De Irenarchis.*

1. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Anthemio pp.* Irenarchæ qui ad provinciarum tutelam quietis ac pacis per singula territoria faciunt stare concordiam, a decurionibus judicio præsidum provinciarum idonei nominentur. *Dat. VIII. Kal. Ian. cp. Honorio VIII. et Theodosio III. aa. Coss.*

De Irenarchis diximus in *l.* 9. *sup. de jur. fisc.* et Observat lib. 1. Hos sustulerant Impp. Honorius et Theodosius, sed cum Justiniano probarentur, illorum Constitutionem Tribon. in Justiniani sententiam detorsit

TIT. LXXVII. *De argenti pretio quod thesauris infertur.*

1. *Imppp. Arcadius et Honorius aa. Eutychiano pp.* Jubemus ut pro argenti summa, quam quis thesauris fuerat illaturus, inferendi auri accipiat facultatem: ita ut pro singulis libris argenti quinos solidos inferat. *Dat. XI. Kal. Mar. cp. Cæsario et Attico Coss.*

Diximus de hac lege in *l.* 1. *sup. de coll. æris.* Pro argento sacris largitionibus inferri aurum potest. Argenti libra æstimatur argenteis LX. *l.* 1. *C. Th. de exp. lud.* aureis quinque.

CODICIS JUSTINIANI

LIBER UNDECIMUS

TIT. I. *De lustrali auri collatione*

Lustrale aurum χρυσάργυρον dicebatur: cujus oneris Zosimus magnum Constantinum auctorem facit. Id Evagrius et Zonaras describunt eleganter, et quarto quoque anno pendi solitum narrant, id est, singulo lustro. Onus erat negotiatorum et mercatorum (et ob id aurum negotiatorium a Lampridio dicitur in Alexandro) quorum appellatione etiam tenuiores continebantur, qui quid corrogata stipe sibi comparabant, meritoriæ puellæ et lenones, et feneratores, non tamen qui vernacula distrahebant, vel qui manu sibi victum acquirebant, veluti figuli et fabri, non veterani, clerici, copiatæ intra certum pecuniarum modum. Erant et res quædam huic muneri obnoxiæ ex lege testatoria vel fisci, ut constat ex *l. ult. C. Th. de lustral. collat.* et ex Constitutione Anastasii, cujus sententiam exponam *inf.* Erant et propria quædam ejus pensitationis seriam. De ea accipienda est *l. 3. sup. de episc. et cler.* et *l. 1. sup. de com. et merc.* quæ sumpta est ex l. 5. *C. Th. de lustr. collat.* sicut et *l. 1. sup. de episc. aud.* Sed hæc ita a Triboniano composita et concinnata est, ut ad aurariam pensionem referri nullo modo possit: hocque duntaxat exprimat, Christianos, videlicet episcopos, curare debere ne in mercando negotiatores modum excedant, etiamsi ad domum principis pertineant, ut si conductores sint domorum divinarum. Sunt et alia mercatorum onera, veluti siliquaticum et monopolium: et ideo hæc tria bis verbis Cassiodorus ita recte conjunxit lib. XI. *Qui sic commercium negotiationis exercet, quatenus nec Monopolio, nec Siliquatici, nec aurariæ aliquid pensionis impendat.* Siliquaticum in nundinis exigitur ob venditionem proponendam, ut idem auctor significat lib. IV. quod Græci κερατισμὸν appellant. Monopolium ab eo exigitur, qui monopolium beneficio principis exercet, quo tamen uti hodie non licet ex *l. 1. C. de monop.* ubi quod de ceboi monopolio, bellissima explicabitur ex Plinii lib. VIII. cap. XXXVII. Sed ut aurariam collationem redeamus, hanc Anastasium imperatorem sustulisse Evagrius et Zonaras, et multi alii auctores sunt. Itaque duas Constitutiones Græcas, quæ sub hoc titulo desiderantur, arbitror Anastasii fuisse. Prioris sententia exstat lib. LVI. βασιλικῶν, tit. XII. his verbis:

I. Συγχωρεῖ πᾶσιν εἰς τέλειον τὴν συντέλειαν τὴν τοῦ χρυσαργύρου, ἐξῃρημένων τῶν πόλεων, ἢ κωμῶν τῶν λαμβανόντων τι κατὰ τελευταίαν βούλησιν ὑπὲρ τοῦ συντελεῖν τοῦτο ἔχουν ἐὰν ἀπὸ τοῦ δημοσίου δίδοται τι ὑπὲρ τοῦ συντελεῖν τοῦτο. οἱ δὲ τὸ τέλος τοῦτο παρέχοντες ἄδειαν ἐχέτωσαν, εἴτε ἐν Κωνσταντινουπόλει, εἴτε ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καταβαλεῖν αὐτό, εἴτε τὸν τέταρτον κατ' ἐνιαυτόν, εἴτε ὑπὲρ τετραετίαν δίχα μέντοι ζημίας καὶ διαστροφῆς. Εἰ δέ τι ἐκ περιττοῦ εἴη μετὰ τὸ τοιοῦτο τέλος ἀναλισκέσθω εἰς ἀναγκαίας χρείας τῆς πόλεως οἷον ἔργα, ἢ σιτωνίαν, ἢ φῶτα, ἢ τὰ ὅμοια, ἑκατὸν δὲ λίτρας ὁρίζει πρόστιμον τῇ σχολῇ τῶν παλατινῶν καὶ τοῖς ἄρχουσι, καὶ τῇ τάξει, καὶ τοῖς πολιτευομένοις, εἰ ταῦτα παραβαίνειν ποτέ.

INTERPRETATIO LATINA.

Remittit omnibus prorsus collationem auri, argenti, exceptis civitatibus aut vicis, qui quid ultima voluntate sub hoc collationis onere acceperunt, vel si quid a fisco eadem lege datum sit. Qui vero tale onus agnoscunt, in eorum arbitrio sit id solvere Constantinopoli vel in provincia, sive quarto quoque anno, sive ultra quadriennium, sine damno et perversitate ulla. Ac si quid eo illato supersit, id in alias civitatis necessitates impendatur, veluti opera, aut frumenti coemptionem, aut lumina, aut similia. Constituit autem pœnam c. librarum scholæ palatinorum et præsidibus, et cohorti, et municipalibus, si hæc quandoque non observaverint.

Quod ait, *lumina*, balneorum intelligit, ut in *l. Quia plurimæ. sup. de oper. pub.* Lampridius in Severo: *Addidit oleum luminibus thermarum.* Posterioris Constitutionis σύνοψις hæc est.

II. Μηδεὶς ἀπογραφέσθω εἰς θεωρητικὰ, ἢ ἄλλα τινὰ προφάσει τοῦ κουφισθῆναι τὴν συντέλειαν τοῦ χρυσαργύρου, ἐπεὶ ἡ προειρημένη ποινὴ ἐπικείσεται.

Ne quis, quod sit relevatus auri atque argenti collatione, describatur in spectacula vel alia quædam, alioquin supradicta pœna imminebit.

Θεωρητικὰ vertο spectacula, ut in Constitutione *quib. mun. exc. ii qui post imp. mil.*

TIT. II. *De navicularιis seu naucleris publicas species transportantibus.*

I. *Imp. Constantius a. et Julianus Cæsar Olybrio p. V.* Nullam vim oportet naucleros sustinere, delegatas species annonarias transferentes, nec concussiones perpeti, nec aliquod genus incommodi, sed venientes ac remeantes omni securitate potiri: decem librarum auri multa proponenda his, qui eos inquietare tentaverint. *Dat. Kal. Jun. Romæ, Constantio IX. et Juliano Cæs. II. Coss.*

Certum fuit in urbe naviculariorum corpus, *l. 1. §. 1. D. quod cujusque univ. no. l. 5. Licet* et *§ ult. D. de jur. immun. l. 1. inf. de hæred. dec.* ex quibus alii annonæ urbis serviebant, alii lignis ad lavacra, alii aliis necessitatibus publicis. De lignariis in *l. 10. Cod. Theod. eod. tit.* et Symmachus I. Epist. *Navicularios lignorum obnoxios functioni.* Fuit et in provinciis, ut Zonaras indicat in Nicephoro ἀπὸ γενικῶν. Hi immunitatem habent ceterorum munerum, et huic duntaxat functioni navicularim obnoxii sunt tam ipsi, quam prædia eorum. Et annonam urbis transvehentes, nec detineri ulla ratione, nec exactionem ullam pati possunt, ut hac lege constituitur, quæ huic facinori indicit multam librarum auri, fisco scilicet inferendam: quo spectat etiam *l. 1. inf. de lit. et itin. cust. l. 5.* et 17. *Cod. Theod. de navicul.*

II. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Eusebio pp.* Comperimus naucleros susceptas species in negotiationis emolumenta convertere. Ideoque decernimus, ut intra annum quas susceperint species inferant, et securitates reportent, quæ etiam diem illationis edoceant, ut intra alterum annum eis reddantur, a quibus species præstitæ sunt: *Dat. X. Kal. Jan. Med. Arcad. IV. et Honor. III. aa. Coss.*

Navicularii suscepta annona publica transvehenda, ex ea negotiari vetantur, et intra annum susceptam eam publico inferre jubentur acceptis securitatibus, id est, apochis (Relatoriæ dicuntur in *l. 8. C. Th. eod.*) quas intra alterum annum referre iis debent, a quibus annonam susceperunt, ut apud eos constet suscepti oneris ratio et naviculariorum fides ac diligentia

III. *Iidem aa. Flaviano p. v.* Ab iis qui in naucleros prædas egerunt, volumus eorum commodis satisfieri: et ideo ne crescat in posterum eorum audacia, sancimus ut quicunque in rapinis fuerit deprehensus, pœna quadrupli teneatur. *pp. Romæ in foro Apronin ni IX. Kal. Febr. Stilicone et Aureliano Coss.*

Ii qui quid naviculariis diripuerint, rem eis et indemnitatem præstent, et extra rem pœnam quadrupli: itaque hæc actio non est vi bonorum raptorum, in qua non extra rem quadruplum est, sed propria quædam actio in eos qui rapinam naviculariis faciunt. Huic legi forsitan conjungenda est l. *pen. sup. de excus. tut.* quæ eandem inscriptionem habet et eosdem Coss. diem et locum diversum, quia hæc propositæ, illa datæ legis.

IV. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Anthemio pp.* Cum navarchorum cœtus circa provincias Orientis inopia navium titubaret, et investigandæ classis obtentu insularum secessus obiret, et navigandi opportunitate transacta judiciorum indignatio sine transvectionis expectaretur effectu: merito celsitudo tua præfecto augustali et insularum præside conventis, Alexandrinæ, et Carpatiæ classis suminates, et nonnullos alios naucleros eo professionis adduxit, ut onus frumentarii commeatus, quod per Orientales navarchos ex Alexandrinæ civitatis conditis consueverat ad sacratissimam urbem transferri, in suam fidem susceptum ad eadem augustissimæ urbis horrea comportarent: solatiis pro mercedula præstitis ex tributariæ pensitationis immunitate, et eo quod vocatur χάλκον, nec non etiam aliis, quæ cognitionis tuæ limavit examen. *Dat. XIV. Kal. Feb. Honorio VIII. et Theod. III. aa. Coss.*

Laudat factum Anthemii pp. Orientis, qui cum cerneret navicularios diœceseos Orientis plus nimis occupatos in conquirendis navibus, nec suo tempore ex Alexandria, ut solebant, annonam allaturos, per præf. Augustalem, sub quo erat Ægypti diœcesis, a naviculariis Alexandrinæ urbis et per præsidem insularum, Cycladum scilicet et Sporadum, quæ sunt in Asiana diœcesi a naviculariis Carpathiæ insulæ eam transvehi procuravit, pro mercede eis data tributorum immunitate, et eo quod dicitur χάλκον, id est, *aes cale*, quod datur amice, et hoc, si quid simile contigerit, ad eundem modum observari oportere existimandum est deficientibus naviculariis Orientis, ut annonæ urbis serviant Ægypti et Asianæ diœceseos navicularii, quem vocant præsidem insularum, Græci LIII. βασιλικῶν vocant Comitem, quod sic eo tempore vocaretur civili, ut verisimile est, et militari potestate permista.

V. *Impp. Theodosius et Valentin. aa. Anthemio pp.* Qui fiscales species suscepit deportandas, si recta navigatione contempta littora devia sectatus, eas avertendo distraxerit, capitali pœna plectetur. *Dat. XIV. Kal. Aug. cp. Honorio VIII. et Theod. III. aa. Coss.*

Capite damnatur navicularius, qui annonam urbis alio avertendo distrahit. Græci non capite, sed quadruplo scripserunt propter Novellam Leonis LXII. In causa privatorum est proprie actio oneris aversi in duplum.

VI. *Iidem aa. Faustino pp.* Judices, qui in portubus suæ diœceseos onusta navigia, cum prosperior flatus invitat, sub prætextu hiemis immorari permiserint: una cum municipibus et corporatis ejusdem loci fortunarum propriarum feriantur dispendiis naucleri præterea pœnam deportationis excipiant si aliquid fraudis eos admisisse fuerit revelatum. *Dat. XVIII. Kal. Sep. Rav. Varana V. c. Cos.*

Ne si fit ναυάγια, quo verbo Græci utuntur in hanc legem, prætextu hiemis navicularii in portubus immorentur, et ut confiscentur tam judices quam municipes et corporati qui id fieri permiserint: navicularii autem deportentur. Corporatos vocat, veluti suarios, boarios, pecuarios, et alios negotiatores.

TIT. III. *De prædiis et omnibus rebus naviculariorum.*

I. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Aurelianum pf. Annonæ* Domum etiam mansuetudinis nostræ in his, quæ naviculario nomine obnoxia sunt, agnoscere præcipimus debitam functionem. *Dat. III. Kal. Oct. Lupicino et Jovino Coss.*

Prædia naviculariæ functioni obnoxia, etiamsi ad sacram domum pervenerint, eo onere non solvuntur: ergo etiam domus sacra pro rata prædiorum navarchicas pensiones præstat.

II. *Iidem aa. et Gratianus a. Chiloni Procons. Africæ.* In his quæ navicularii vendunt (quoniam intercipere contractum emendi vendendique fas prohibet) emptor naviculariæ functionem pro modo portionis comparatæ subeat: res enim oneri addita est, non personæ mercatoris. Neque navicularium jubemus fieri eum, qui aliquid comparavit, sed eam partem, quæ empta est, pro suo modo ac ratione esse munificam: nec enim totum patrimonium ad functionem naviculariam occupandum erit, quod habuerit qui rei exiguæ mercator accessit: sed illa portio, quæ ab initio naviculariæ fuit, ad pensionem hujusmodi functionis sola tenenda est: residuo patrimonio, quod ab hoc vinculo liberum est, otioso et immuni servando. Domus vero quarum cultu decus urbium potius, quam fructus acquiritur, ubi a naviculariis veneunt; pro tanto modo ad hanc pensionem obligari placet, quantum habebant emolumentum, cum pecunia mutuaretur. Ubi vero spatium loci et exiguitas nullam habuit pensionem, aut, extructio, cujus est ardua difficilisque molitio, aut decus sumptuosum, aut (ut est plerumque liberale institutum) habitationem quis suam urbis ornamento adjecit, nolumus munificentiam, quæ postea addita est, improbam licitationem æstimationis accipere, sed vetusta potius loci species et pensio cogitetur, quam cultus hodiernus, qui per industriam hominis animosi accessit. *Dat. III. Non. Aug. Post Consulatum Gratiani a. III. et Equitii v. c.*

Qui emit fundum navicularii juris, non ideo fit navicularius, sed canonem naviculariorum agnoscit pro modo fundi comparati: et vendere quidem atque emere ejus generis fundos licet, nec debet hic contractus inhiberi aut impediri, sed onus illud fundis cohæret et emptorem sequitur, nec fieri potest emptio sine onere. Qui autem domos emit ejusdem conditionis, tantum præstat canonis navarchici nomine, quantum illæ solebant locari venditionis tempore: quod his verbis demonstratur in hac lege, *Cum pecunia mutuaretur*: sic enim lego, nec habetur ratio temporis postea secuti, quo forte pluris locari et æstimari cœperunt.

III. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Messalæ pp.* Hi qui fundos naviculariæ functioni adscriptos a naviculariis acceperunt quolibet ad se titulo transeuntes, secundum agri opinionem, quæ antiquitus habetur adscripta, naviculariam functionem suscipere cogantur: neque eas conditiones sibi existiment profuturas, quas venditor minus idoneus in se recepit imponentis arbitrio: hac tamen pactione servata, ut si ad minus idoneum fuerit translata possessio, etiam auctores transcripti prædii teneantur obnoxii: sitque hoc in promptu, ut damnis fiscalibus primitus ab idoneis consulatur. *Dat. XIV. Kal. Mar. Med. Theodoro v. c. Cos.*

Ut qui emptione vel donatione vel quolibet alio titulo fundos navicularios nacti sunt, veterem fundi opinionem, id est, censum et professionem agnoscat, ut in *l. ult. inf. de col. fun. fisc.* et ut huic juri non derogetur pactionibus habitis inter emptorem et venditorem, puta si inter eos convenerit ut venditor, non emptor, functionem naviculariam agnoscat, et ut prædium in emptorem transeat sine onere, arg. *l. 1. sup. sine cens. vel rel.* Ait, *imponentis arbitrio*: legendum ut in veteribus, *impositas ementis arbitrio*. Sed si emptor non sit solvendo, tum onus navicularium ad venditorem recurrit, sive ita convenerit, sive non.

TIT. IV. *De navibus non excusandis.*

I. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Longeniano pp.* Multis naves suas diversorum nominibus et titulis tuentur, cui fraudi obviantes præcipimus ut si quis ad evitationem publicæ necessitatis titulum crediderit apponendum, sciat navem esse fisco sociandam: omnino ut privatos quoque non prohibemus habere navigia, ita fraudi locum esse non sinimus: cum omnes in commune, si necessitas exegerit, conveniat utilitatibus

publicis obedito, et subvectionem sine dignitatis privilegio celebrare. *Dat. III. Id. Jun. Rav. Arcad. a VII. et Probo Coss.*

Privatis naves maritimas habere licet, quæ exigente necessitate transvehendæ annonæ publicæ causa angariari possunt, et si quæ afflxis potentiorum titulis se excusaverint, confiscantur. De navibus veteranorum nominatim rescriptum est eas non excusari, *l. pen. de veteranis.*

II. *Impp. Theodos. et Valentin. aa. Florentio pp.* Jubemus nullam navem ultra duorum milium modiorum capacem ante felicem embolam, vel publicarum specierum transvectionem privilegio dignitatis, aut religionis intuitu, aut prærogativa personæ publicis utilitatibus excusari posse subtractam: nec si cœleste contra proferatur oraculum (sive adnotatio sit, sive divina pragmatica) providentissimæ legis regulas oppugnare debebit. Quod etiam in omnibus causis cupimus observari, ut generaliter, si quid ejusmodi contra jus vel utilitatem publicam in quolibet negotio proferatur, non valeat: quicquid enim in fraudem istius legis quolibet modo fuerit attentatum, id navigii quod excusatur, publicatione corrigimus. *Dat. IX. Id. April. Theodosio XVII. et Festo Coss.*

Quid felicem embolam vocet, verba quæ sequuntur indicant, *vel publicarum specierum transvectione*; nihil enim, vel est, ἐμβολικόν. Sententia igitur legis hæc est, neque ecclesiarum neque personarum in dignitate positarum naves ampliores duorum milium modiorum excusari a transvectione annonæ publicæ, et publicari eas quæ ab eo onere subductæ aliqua ratione fuerint. Contra hanc constitutionem nihil valere rescripta. Subjicitur et generalis clausula, quam miror non fuisse translatam in *tit. si contra jus vel util. pub.* nullius momenti esse rescripta, quæ pugnant cum utilitate et jure publico: est igitur alia functio navicularia, quam præstant navicularii vel qui prædia navicularia possident, de qua *tit.* 2. et 3. aliud onus τῆς ἐμβολῆς, quod ab omnibus exigitur, de quo in hoc titulo. Hæc vero constitutio una est ex Novellis Theodosii, de navibus ultra duorum milium modiorum capacitatem non excusandis.

TIT. V. *Ne quid oneri publico imponatur.*

I. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Rufino pp.* Oneri publico sarcinam privatam ne quis imponat, nec audeat portitores frumenti ad suscipiendum onus aliqua necessitate compellere: hoc enim facto, atque commisso non in dispendium solum atque naufragii damnum obligatus, verum etiam publicæ coercitionis experietur vigorem. *Dat. V. Id. Ian. C. P. Olybrio et Probino Coss.*

Qui navi annona publica onustæ privatum onus imponit, non tantum indemnitatem fisco præstat, si ea re navis annonave perierit, sed et publice coercetur, id est, et civiliter et criminaliter tenetur.

TIT. VI. *De naufragiis.*

I. *Imp. Antoninus a. Maximo.* Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad litus, vel si quando reliquam terram attigerit, ad dominos pertineat, fiscus meus sese non interponat, quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur?

Poeta ait, *Res fisci est ubicumque natat.* Hoc Antonino non probatur, *l. ult. D. de inc. ruin. et nauf.* ne ex aliena calamitate fiscus lucrum ferat.

II. *Imppp. Valentin. Valens et Gratianus aaa. ad Modestum pp.* Si quis navicularius naufragium sustinuisse affirmat: provinciæ judicem, ejus videlicet in qua res agitur, adire festinet, ac probet apud eum testibus eventum, relatioque etiam ad sublimissimam referatur præfecturam: ita ut intra anni spatium veritate revelata, competens dispositio procedat. Quod si per negligentiam præfinitum anni spatium fortasse claudatur: supervacuas serasque interpellationes emenso anno placuit non admitti. *Dat. pp. Bersti Non. Iun. Modesto et Arintheo Coss.*

Navicularius, qui publicas species vehit, naufragii casum non præstat, si modo eum contestetur apud præsidem provinciæ, in qua naufragium contigit, intra annum, et probet, et res omnis ad præfectum prætorio referatur. Inde Isidorus Pelusiotes ad Isidorum præfectum prætorio scribens: Βένας ὁ ναύκληρος σῖτον ἔφη τῷ δημοσίῳ λεηλατεῖσθαι ἐν ἀνέμοις, καὶ καταιγίσι, καὶ λαίλαπι κατὰ θάλασσαν ἐμερίσαντο· ἤτοι νῦν τῷ σάλῳ τῆς θαλάσσης ἐπιτιμήσατε δικαιοσύνῃ κυβερνήσαντες τὰ πράγματα, ἢ σχοῖς ἂν ἁμαρτάνομεν τοῖς πεπτώμασι συγγνώσκετε: qua de re etiam scribit ad Sozomenum domesticum præfecti. At pro anno biennium præscribitur in *l. pen.* quod exponemus lib. de tempor. cap. de ann. *Competens dispositio*, id est, absolutio, vel condemnatio.

III. *Imppp. Gratian., Valen. et Theod. aaa. Navicularis Afris S.* Quotiens obruta vel submersa fluctibus navi examen adhibetur competentis judicis, duorum vel trium nautarum quæstione habita, ceteri ab hujusmodi nexu liberentur: quid est enim quod non abunde intra præfinitum numerum solers quæsitor inveniat? circa magistros navium; quibus est scientia plenior, immoretur: qui si fatali sorte defuerint, in alios inquisitio transferatur. Sane si universos violentia tempestatis obruerit, ne veritas lateat, a liberis nautarum sive magistrorum intra judicia constitutis, super eorum quæratur interitu, quos navicularius naufragio periisse contendit. Susceptionis autem necessitas ex Kalendis Aprilis in diem Kalendarum Octobris mansura servabitur. *Dat. VIII. Id. Febr. trev. Gratiano V. et Theod. I. aa. Coss.*

Navicularii, naucleri, navarchi, exercitores navium idem sunt. Vegetius IV. *Singulæ liburnæ singulos navarchos, id est, quasi naviculares habent.* Diversi sunt magistri, ut ex hac lege constat, et *l. pen. C. Th. de navic.* et ex tit. *de exercit. act.* qui a Græcis dicuntur κυβερνῆται, gubernatores hoc loco: diversi nautæ, qui navis navigandæ causa in navi sunt: aliquando tamen nautæ pro naucleris accipiuntur, ut in tit. *nau. caup. stab.* Hoc cognito, legis sententiam exponamus. Cum de naufragio quæritur apud præfect. urbi et præf. annonæ vel præsidem, in quæstionem adduci oportet dimidium nautarum numerum *ex l. 2. C. Th. de naufrag.* quod hac lege abrogatur, quæ duos vel tres existimat sufficere, et magistros navium, quos censet diligentius esse interrogandos quam ceteros. Nautis magistrisque deficientibus et omnibus naufragio peremptis, inquisitio transit ad alios, puta ad nautarum magistrorumque liberos, ut ii de parentum interitu quid habeant, exponant: atque ita nauclerus naufragium judicibus probet. In extremo lex opportunæ navigationis tempus definit a Kal. Aprilis in Kal. Octobris, quia æstatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur: æstate igitur suscipi annonam et subvehi oportet, hieme non item, nisi ventis valde secundis, *l. ult. sup. de navicul.*

IV. *Impp. Valentin. Theod. et Arc. aaa. Tatiano pp.* Pro iis quæ semel a collatoribus illata naufragiis perierunt nolumus nobis aliquam cum possessoribus (sive senatores sive privati sint) esse communionem, vel aliquid periculi ad eos redundare. *Dat. XV. Kal. Agust. cp. Tatiano et Symmacho Coss.*

Ut periculum naufragii fiscus solus agnoscat, non possessores, qui semel suo munere functi sunt annona collata, et in navem imposita.

V. *Impp. Honorius et Theod. aa. naviculariis per Africam.* De submersis navibus decernimus, ut levato velo istæ causæ cognoscantur: et si quisquam de talibus negotiis aliquid accepisse detegitur, judex apud quem constiterit, his conquerentibus qui nudantur, pro qualitatibus personarum multandi, removendi, proscribendi habeat potestatem. Si vero causarum talium cognitores libelli datione, vel plenaria interpellatione commoniti, intra biennium has causas audire neglexerint, et hoc fuerit tempus elapsum: præjudicium noceat eatenus cognitori, ut naviculario propter vitium judicis absoluto, mediam oneris ejus partem, propter cujus probandam ammissionem legitimo duntaxat tempore cognitio petebatur, judex cogatur inferre, residuam vero officium ejus exsolvat. *Dat. XVI. Kal. Apr. Rav. Honorio IX. et Theodosio V. aa. Coss.*

Hoc primum lege cavetur, ut de naufragio levato velo cognoscatur. Lampridius in Alexandro dixit, patente velo, id est, aperta fore. Prætendebantur foribus vela. August. 1. Confes. *Vela pendent in liminibus grammaticarum scholarum.* In Comœdia Querulo, *isti sunt qui in fauces et sacellis obverrant vela.* Tum ut judex eos coerceat, qui ex naufragio quid decipuerint, pro personarum qualitatibus, inquit, ut

l. 4. §. *pen. D. de inc. rui. nauf.* Deinde ut quæstio de naufragio intra biennium finiatur: quod si per judicem steterit quo minus finem intra biennium accipiat, ut e naviculario periculum transferatur ad judicem et officium ejus ex partibus æquis. Ait, *vel plenaria*, malim, *planaria*, ut in *l.* 4 *sup. de dilat.* Hoc autem est, si per libellum vel de pleno interpellati judices intra biennium de naufragio non cognoverint. Sic *planarii conflictus* apud Ammian. Marcellin. lib. 19. Ait, *Propter vitium judicis*, id est, præscriptione biennii:

VI. *Iidem aa. Anteoiio pp.* Super naufragiorum, quæ, contingerint, casibus usitato more habita quæstione, si quis calculus modiationis dicatur tempestate maris deperiisse, sub tuæ sedis auditione nequaquam feratur acceptus: sed hæc dispendii jactura in nomine naucleriorum concilium pro rata scilicet contingentis muneris deferatur. *Dat. XIV. Kal. Febr. Honor. VIII. et Theod. III. aa. Coss.*

Conjuncta *l.* 4. *sup.* de navicul. intelligitur hanc legem pertinere ad navicularios Orientis, ut si eorum culpa, navigandi opportunitate transacta, ex annona publica aliquid tempestate maris deperierit, periculum ad omne naviculariorum corpus pertineat pro rata portione, non ad fiscum, non ad collatores. Ait, *Si quis calculus modiationis*, id est, si qui modii frumenti: sic dicitur modiatio, et hoc loco, et *l.* 4. *inf. de annon. trib.* et aliis multis, ut ponderatio in *l. Si o'ei. sup. de loc.* Cassiodorus lib. 4. *Modiationem tritici, quam sub hac sorte periisse probaverint, prosecutoribus sine aliqua faciat cunctatione reputari:* qui locus maxime pertineat ad hanc legem, ut intelligatur, quod naufragio periit sine navicularii culpa a fisco accepto ferri nec navicularii periculo cedere. Male quidam modiationem pensitationem esse frumenti. Rursus male hanc pensitationem esse quinquagesimam ex *l.* 9. *sup. de suscept.* cum ait modiatio, mensura: quinquagesima illa, ἐπιμετρον. Male alii modiationem ad æstimationem numerariam referunt, in lege Rhodia: εἶναι τὴν χολιάδα τοῦ μοδισμοῦ χρυσίνων πεντήκοντα, quæ manifesto navem capacem modiorum mille æstimat aureis L.

TIT. VII. *De metallariis et metallis, et procuratoribus metallorum.*

I. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Cresconium com. metallorum.* Perpensa deliberatione duximus sanciendum, ut quicunque metallorum exercitium vellet affluere, is labore proprio et sibi et rei pub. commoda comparet. Itaque si qui sponte confluxerint, eos laudabilitas tua octonos scrupulos in balluca, quæ Græce χρύσαμμος appellatur, cogat exsolvere: quicquid autem amplius colligere potuerint, fisco potissimum distrahant, a quo competentia ex largitionibus nostris pretia suscipiant. *Dat. IV. Id. Dec. Parisiis. Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Scripta est ad Comitem metallorum, quem fuisse in Illyrico Notitia Romani imperii declarat. Sub eo erant procuratores metallorum, de quibus in *l.* 4. nam quæ in ea recensentur, provinciæ, Illyrici sunt provinciæ; unde apparet frequens in Illyrico metallorum fuisse commercium; quod et *l.* 7. et *S. C. Th. eod. tit.* indicant. Constituitur autem hac lege, ut liber cuilibet effodiendi auri pateat aditus, ita tamen ut fisco inferat octo scrupulos in balluca, et reliquum quod collegerit fisco potissimum distrahat. Balluca est χρύσαμμος, ut Tribonianus exposuit, quæ nuper effossa est in terra. Sic et ad 2. Græci 56. βασιλικῶν tit 11. ll. συντέλεια τῆς χρυσάμμου ψιλῆς, etc Pollux, τὴν χρυσῖτιν ψάμμον vocat. Veteres glossæ, Balluca, ἀχώνευτος γῆ, ἢ χρυσῖτις, et alio loco, γάλλον χρυσοῦ ἀκαθάριστον. Opponitur huic legi *l.* 2. et 3. et 5. quod earum explicatio, quam apposui singulis, expediet. Ait *Octonos.* Sic accipio octonos, ut in *l.* 5. *Septenos*, in singulos auri legulos, non cum Accursio, in singulas uncias.

II. *Iidem. aa. ad Germanium C. S. L.* Ob metallicum canonem, in quo propria consuetudo retinenda est, quatuordecim uncias ballucæ pro singulis libris constat inferri. *Dat. VI. Id. Ian. Romæ. Lupicino et Ioviano Coss.*

Inscriptio et subscriptio indicat huic esse conjungendam *l.* 5. *sup. de suscept.* quæ est de libra obryzæ. Hæc autem de libra ballucæ. Obryzæ sit. unciis constat, Ballucæ XIV. Metallicus canon non definitur hac lege, qui pro locorum consuetudinem diversus est, alius puta in Macedoniæ et Daciæ diœcesibus, de quo *l.* 4 alius in Pontica et Asiana, de quo *l.* 5. Sed quot unciis libra ballucæ æstimetur, hoc tantum hac lege definitur. Cur vero pluris quam obryzæ Græci explicant adjicientes, ἐπειδὴ πολλὴν μιξιν ἔχει.

III. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Floro pp.* Cuncti qui per privatorum loca saxorum venam laboriosis effussionibus persequuntur, decimas fisco; decimas etiam domino repræsentent: cetero modo propriis suis desideriis vindicando. *Dat. IIII. Kal Sept. cp. Autonio et Syagrio Coss.*

L. 4. et 2 sunt de auri metallo. Hæc est de lapidis sive marmoris metallo, quod eruitur e privatorum locis, hac lege, ut decima fisco, decima locorum domino præstetur: reliquum sibi habeat fossor ὑπὲρ αὑτοῦ, quod etiam confirmat *l.* 11 *C. Th. eod. tit.*

IV. *Iidem aaa. Eusinio pp.* Cum procuratores metallorum intra Macedoniam, Daciam mediterraneam, Mœsiam, seu Dardaniam, soliti et curialibus ordinari, per quos solemnis profligatur exactio, simulato hostili metu, huic se necessitati subtraxerint, ad implendum munus retrahantur, et nulli deinceps licentia laxetur, prius indebitas expetere dignitates, quam subeundam procurationem fideli solertique exactione compleverint.

Canon metallicus periculo curialium exigitur in Illyrico: pertinet namque ad eos creatio procuratoria metallorum, qui obtentu hostilis metus, vel indeptæ dignitatis huic se muneri subtrahere nullo modo potest. Macedonia quam memorat, diœcesis est una Illyrici. Altera est Dacia, in qua sunt provinciæ quinque, Dacia mediterranea, Dacia Ripesis, Mœsia prima, Dardania, Prævalitana, et pars Macedoniæ salutaris. Sed tres tantum quæ metalla proferent.

V. *Imppp Valentinianus, Theodosius et Arcad. aaa. Romulo com. S. L.* Per annos singulos septeni per hominem scrupuli largitionibus inferantur ab aurilegulis, non solum in Pontica diœcesi, verum etiam in Asiana. *Dat. XI. Kal. Mart. cp. Arcadio a. II. et Rufino Coss*

L. 1. pertinet ad Illyrici diœcesim: hæc vero ad Ponticam et Asianam, ut diximus in *l.* 2. Diversus est canon pro diversitate diœcesium.

VI. *Iidem aaa. Paterno.* Quosdam operta humo esse saxa dicentes id agere cognovimus, ut defossis in altum cuniculis, alienarum ædium fundamenta labefactent. Qua de re si quando hujusmodi marmora sub ædificiis latere dicantur, perquirendi eadem copia denegetur. *Dat. XVII. Kal. Apr. cp. Theod. a III. et Abundant. Coss.*

Licet in alieno loco marmor effodere, loci præstito solatio, *l.* 3. *supra*, non tamen sub ædificiis, ut hac lege constituitur, ne forte actis cuniculis cadant.

VII. *Imp. Theodosius a. Maximino com. s. l.* Metallarii sive metallariæ, qui quæve ea regione deserta, ex qua videntur oriundi vel oriundæ, ad externa migraverint: indubitanter sine ulla temporis præscriptione ad propriæ originis stirpem laremque una cum sua sobole revocentur, etiamsi quos domus nostræ, et secreta retinent. Scient autem nullum exinde præjudicium fisco esse generandum, etiamsi quis ex his quem metallicum esse constiterit, privatis censibus suum nomen indiderit. *Dat. V. Id. Iul. cp. Victore V. c. Cos.*

Alii sunt sponte sua metallarii, *l.* 1. *sup.* Alii conditione, qui præscriptione temporis non liberentur, nisi forte, ut censeo, annorum 40. ex *l.* 4. *sup. de præscript. 30. ann.* a qua soli curiales excepti sunt, non alii conditionarii. Et pertinent ad fiscum, eique restituuntur, cum sua progenie, etiamsi privatorum facti sint adscriptitii coloni. Ait, *Et secreta*) Lauras intelligit, ut in *l.* 26 *sup. de decur.*

TIT. VIII. *De murilegulis et gynecioriis, et procuratoribus gynecii, et de monetariis, et bastagariis.*

I. *Imp. Constantinus a. ad Bithynos.* Monetarios in sua semper condicione durare oportet, nec dignitatis cujuscunque privilegio ab hujusmodi condicione liberari. *Dat. XII. Kal. August. Gallicano et Basso Coss.*

Monetarii sunt qui monetam cudunt χαράκται. Falsi monetarii παραχαράκται, *l.* 8. *C. Th. de fal. mon.* Suidas, καὶ νῦν εἰώθασιν λέγειν παραχαράκτας τοὺς παρακόπτοντας. et alio loco, παραχαράκτης ὁ παραποιῶν. Hesychius μονητάριος τὸ κέρμα ἐργαζόμενος. Hi imperante Aureliano vitiata moneta, et procuratore sive rationali monetarum Felicissimo interfecto, adversus Imperatorem sese extulerunt: quo Vopiscus, Victor, Eutropius, Suidas scribunt. Est vero eorum condicio certa, quam dignitate mutare non possunt, quia nec patet eis aditus ad honores, *l.* 6. *inf. de d gnit.* In inscriptione pro, ad Bithynos, quidam habent, Abbieno.

II. *Idem a. ad Felicem.* Procuratores rei privatæ, et bahpii, et gynecii, per quos et privata nostra substantia teoutur, et species gynecii confecte corrumpuntur, in baphiis etiam admista temeratio vim adducit inquinatæ alluvionis, suffragiis abstineant, per quæ memoratas administrationes adipiscuntur: vel si contra hoc fecerint, gladio feriantur.

Sic restitui hanc constitutionem partim ex libris manuscriptis, partim ex libris βασιλικῶν, in quibus ita est: Ἐπειδὴ οἱ καθολικοὶ τῶν ἡ μετέρων πραγμάτων ἐπ μὴν, καὶ οἱ βαφεῖς καὶ οἱ γυναικιάριοι, quanquam non probo posteriora, maloque Baphii et Gynecii: tria namque constitutio proposit procuratorum genera: Rei privatæ, *per quos*, inquit, *privata nostra substantia tenuatur*: Gynecii per quos species Gynecii confectæ corrumpuntur, *Species*, id est, vestes, ut l. 5 *inf. tit. seq. l. ult. inf. de m lit. vest.* Baphii, per quos Baphiis, admista temeratio vim adducit inquinatæ alluvionis. Et hos omnes censet suffragiis, id est, pretio vel patrocinio non esse creandos: recte, pecunia namque comparata administratio vix unquam sordibus caret. Idem de Baphiis et Gyneciariis dici non poteat, quorum nulla est administratio, sed conditio vel servitus publica. Constantinus apud Eusebium lib. II. ὥστε καὶ ἡ γυναικείοις ἢ λινοϋφείοις ἐμβληθέντες ἀπηνῆ καὶ ἄβλιον ὑπομένειν κότον, ἢ οἰκέταις νομίζεσθαι τοῦ ταμείου. Gyneciarii addicti sunt contexendis conficiendisque vestibus imperialibus et ministeriorum imperialium. Baphis tingendæ purpuræ imperatorum propriæ. De procuratore Baphii idem Eusebius lib. 7. c. 32. καὶ τιμᾶσθαι γε ἐπιτροπῇ τῆς κατὰ τυρον ἁλουργοῦ βαφῆς.

III. *Impp. Valentin et Valens aa. ad Germanum Consularem.* Ingenuæ mulieres quæ se gynecariis sociaverunt, si conventæ denunciatione solenini, splendorem generis contuberniorum vilitati præferre voluerint, suorum maritorum condicione teneantur. *Dat. IIII. Kal: Iul. Med. Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Exemplo S. C. Claudiani, si ingenuæ, quæ se ad Gyneciarum applicavit, denunciaverit fiscus ut ea conjunctione abstineat, nec paruerit, Gyneciara efficitur. Senatuscons. Claudiani vestigium certissimum est in *l. Lucius. 2. D. depos.*

IV. *Iidem aa. ad Auxonium pp.* Quod ad præsens remedium pertinet, quintum animal bastagariis pro reparatione præbeatur. *Dat. Idib. Dec. Marcianop. Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Bastagarii serviunt vecturæ rerum ad sacrum ærarium pertinentium, quam propriis jumentis faciunt excepta parte quinta, quæ de fisco reparatur. Sic. *l. 7. inf. de cur. pub.* quartam partem veredorum reparari ait.

V. *Iidem aa. et Gratianus a. ad Filematium Com. s. l.* Qui aliquem ex familiis gynecii in latebris habere comperti sunt, quinque librarum auri damno subjiciantur. *Dat. XII. Kal. Sept. Ciliciæ Modesto et Arintheo Coss.*

Occultator Gynaciarii multatur auri libris quinque

VI. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. ad Eucherium.* Qui textrini nostri mancipia occultatione celaverit, ternis libris ouri pro singulorum hominum suppressione plectetur. *pp. Karthag. III. Kal. Mar. post Consulatum Auxonii et Olybri.*

Occultator textrinæ deputati servi multatur auri libris tribus: hæc derogat superiori: vel illa pollos de vestiario, hæc de linifice.

VII. *Iidem aaa. ad Hesperium pp.* Edicimus ne qua mulier splendidoris gradus monetarii adhærens consortio, decus nativæ libertatis amittat. Quod si quam ab hac præceptione statutum nostræ perennitatis abduxerit: ea vel legitima admonita conventione discedat, vel si complexui monetarii putaverit inhærendum, non ambigat se sibi et liberis præjudicatoram, et ejus condicioni esse nectendam. Si qua vero originaria seu colonaria possessionis alienæ ignaro domino seu sciente, monetario associabatur; hi conventi mox juri agrorum debitas personas retrahere festinent, vel de cetero sciant repetendi facultatem silentii sui conniventia perdidisse. Sed ut monetario nullam extraneam necti volumus: ita et ex monetario patre susceptaa prohibemus extraneis copulari. *Dat. Prid. Id. Mar. Aquil. post. Consulatum Auxonii et Olybri.*

Tria hoc edicto constituuntur. Primum ne ingenua copuletur monetario, et quæ se illi copulaverit, si post fisci denuntiationem in ea conjunctione perseveraverit, ut monetaria fiat cum sua sobole: quod et de ea quæ se junxit Gyneciario constitutum est *l. 3.* Tum ut adscriptitiæ colonæ junctæ monetariis, monetariæ fiant, nisi domini earum admoniti eas quamprimom revocaverint. Deinde ut monetariorum filiæ non copulentur ingenuis: copulatæ retrahantur, ut arbitror, cum sobole.

VIII. *Iidem aaa. Trifolio Com. s. l.* Æternam fiximus legem, ne unquam bastagariis militiam suam deserere liceat, vel aliam, antequam eam impleverint, subreptiva impotratione tentare. *Dat. IX. Kalen. Aug. Heracliæ Ricomere et Clearcho Coss.*

Ne bastagariis deet nomen militiæ armatæ antequam bastagæ munus impleverint.

IX. *Iidem aaa. ad Principium pp.* Si quis naviculam functioni muricis, et legendis conchyliis deputatam ausus fuerit usurpare: duarum librarum auri illatione teneatur. *Dat. VI. Kal. Oct. Aquil. Aug. et Bautone Coss.*

Duabus libris auri multari eum qui naviculam lectioni conchyliorum deputatam usurpaverit. Conchyliorum varia sunt nomina, purpura, murex, buccinum, cerix, υἱὸς πορφύρας, ut Archippus ait, quorum sanguine inficiuntur lanæ sacris usibus deputatæ. Loquor ut nostri auctores, sacris, divis, divinis. Sentio ut Socrates Christianus, qui Imperatores δεσπότους καὶ θεσπότας vocari non tulit æquo animo: ut Tiberius qui occupationes suas non est passus vocari sacras

X. *Imppp. Arcadius, Honorius et Theodosius aaa. Filometri com. s. l.* Lotas in posterum sericoblattæ et metaxæ hujusmodi species inferri præcipimus, viginti librarum auri condemnatione proposita his, qui scrinium canonum tractant: prioribus etiam cujuscunque officii, si statuta cœlestia a quopiam passi fuerint temerari. *Dat V. Kal. Jul. cp. Arcad. a VII. et Probo Coss.*

Metaxam lini dixit Lucilius apud Festum, quo modo etiam Vascones Pyrenæi loquuntur: At de serico dicitur frequentius. Moschopulus, σῦν, ὁ σκώληξ, ὁ τὴν μετάξαν ἐργαζόμενος ἀφ' οὗ σηρικὰ ἱμάτια τὰ μεταξωτά. Zonaras in Niceta 2 ἐκ μετάξης ἐσθῆτας πεποιημένας αὗται γὰρ αἱ σηρικαί, quod et alii auctores comprobant multi: sed error in eo est, quod sericum quodvis eo nomine plerique significari putant. Rude est sericum et ἄβαφος, nondum neque tinctum neque in fila deductum, et ideo separatur a nemato serico, *l. ult. h de public.* et hoc loco a sericoblatta, id est, a serico in purpureum colorem converso. Has autem species olotas, mundas et puras sacris largitionibus inferri ad vestes principi conficiendas hac lege præcipitur, multa proposita canonicariis et primoribus officiorum. Blatta purpura est, *l. 1. sup. quæ res ven. non pos. Purpura*, inquit, *quæ blatta vel oxyblatta atque ianthina dicitur.*

XI. *Imp. Theod. a. Valentinianus Cæs. Maximino com. s. l.* Murileguli, qui relicto atque despecto propriæ condicionis officio, vetitis se infulis dignitatum et cingulis penitus denegatis munisse dicuntur: ad propriæ artis et originis vincula revocentur: ab illis autem qui rebus eorum videntur inhiasse, quos in sua origine permanere, et solemnibus ministeriis inservire manifestum est: omnia quæcumque constiterit ex quocunque titulo possessa, antiquis possessoribus restituantur. Quod si alienigenæ detentores oneribus condicionis extraneæ maluerint subjacere, quam restituere facultates: et futura deinceps agnoscant munia sibi esse subeunda, et de præterito si qua ipsis possidentibus reliqua colliguntur, a semetipsis sciant sine aliqua excusatione solvenda. *Dat. XVII. Kal. Nov. Victore Cos.*

Murileguli sive conchyliolegoli sunt conchyliorum piscatores, huic muneri addicti originis et condicionis jure, adeo ut non possint ad dignitatem ullam vel militiam aspirare: vel si ad eam aspiraverint revocantur, redditis, bonis si qua ejusdem originis et conditionis homines aliquo titulo possideant. Quod si ea ceteri possideant, malinque eidem se condicioni subjicere, quam ea bona restituere, audiatur, ita ut in futurum sint murileguli, et in præteritum reliqua publici canonis fisco persolvant.

XII. *Iidem a. et Cæs. Maximino Com s. l.* Hi qui ex filiabus murilegulorum et alienæ originis patribus sunt vel fuerint procreati, jura maternæ condicionis agnoscant. *Dat. VIII. Kal. Jul. Theod. a. XI. et Valentiniano Cæs. Coss.*

Ut qui ex monetaria et ingenuo nascitur matris conditionem sequitur, l. 7. sup. ita qui ex murilegula et ingenuo, non tamen qui ex murilegula et curiali, Nov. 38.

XIII. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Acacio Com. s. l.* Si quis ex corpore gynec̄iariorum vel linteariorum, vel linifariorum, monetariorum, vel murilegulorum, vel aliorum similium ad divinas largitiones nexu sanguinis pertinentium, voluerit posthac de suo collegio liberari: non quoscunque, nec facile in locum proprium, freti dextræ triumphalis absolutione, substituant: sed eos quos omnibus idoneos modis sub ipsis quodammodo amplissimæ tuæ sedis obtutibus adprobaverint. Ita tamen ut is qui ab hujusmodi conditione juxta formam cælitus datam beneficio principali fuerit absolutus, universi sui generis prosapiam in functione memorati corporis permanentem, cum omnibus ejus qui absolvitur rebus obnoxiam largitionibus sacris futuram esse, non dubitet. *Dat. VII. Cal. Mar. cp. dd. nn. Theod. XII. et Valentiniano II. aa. Coss.*

Miror Alciatum scripsisse monetarios in hoc titulo non esse qui monetam cuderent: nihil enim cusores monetæ ad hunc til. pertinere, quasi scilicet titulus sit de vestium sacrarum duntaxat confectoribus et tinctoribus: quod est falsum: nam et de bastagariis est, quos perperam ille eadem ratione ad baphia condemnat. Qui et hanc legem et Notitiam Imperii Romani legerat, intelligere debebat, murilegulos, monetarios, bapheos, gynec̄iarios, bastagarios, thesaurenses, licet diversæ functionis, ad sacras largitiones pertinuisse, et sub dispositione Comitis largitionum fuisse, idcirco conjunctim sub eodem titulo proponi, idcirco et sacras largitiones thesauros dici, et ornamentum et vestiarium, ut lib. x. retulimus. Multa in Alciato sunt reprehendenda, quæ, ut Platonem Aristoteles, ut ceterorum, nos tacite malumus reprehendere, quam passim, testaque lutoque. Ait igitur hæc lex vestiarios et ceteros qui originis suæ jure ad sacras largitiones pertinent, beneficio principis per substitutum judicio Comitis largitionum approbatum huic conditioni parere posse, ita tamen ut et liberi eorum, ut bona in eadem conditione permaneant. Lintearii sunt artifices lineæ vestis: linifarii, linifices: sic emendavi ex C. Th. et libris scriptis, cum antea male legeretur, *Limphoriorum*, et ita Græci ad legem quæ sequitur, τῶν βαφέων καὶ τῶν λινυφάρων, et paulo post etiam, *dextræ triumphalis*, ex eisdem libris, ut in *l. pen. C. Th. de nav. emic. Qui*, inquit, *triumphalis dexteræ nostræ confirmationem est consecutus*: quibus verbis adnotatio significatur Eusebius 2. de vita constantini: τῆς αὐτοῦ δεξιᾶς ἐγγράφῳ ὑποσημειώσεως.

XIV. *Iidem aa.* * *com. s. l.* Privatæ vel linteæ vestis magistri, thesaurorum præpositi, vel baphiorum ac textrinorum procuratores, ceterique quibus hujusmodi sollicitudo committitur, non ante ad rem sacri ærarii procurandam permittantur accedere, quam satisdationibus dignis eorum administratio roboretur: scituri nec prosecutorias quidem sacras posthac sibimet postulandas.

In Notitia Orientis sub Comite sacrarum largitionum ponuntur magistri lineæ vestis, magistri privatæ, quod hujus legis scripturam valde confirmat, id est, procuratores sive Catholici, ut Græci vertunt, et præpositi thesaurorum, et baphiorum, ac linificiorum procuratores, qui omnes rem sacri ærarii, id est, sacrarum largitionum procurant. Hos jam traditum est *sup. l. 2.* suffragiis non esse promovendos. Additur hac lege, nec nisi datis idoneis fidejussoribus, rem sacri ærarii salvam fore, et quo minus ita satisdent frustra eos petere sacras prosecutorias quibus scilicet laudentur et approbentur, ut l. 7. C. *Th. de privil. eor. qui in sac. pal.* Apparet autem ex hac lege, et *l. 2.* non debuisse huic titulo adjici, *et procuratoribus Gynecii*, quod etsi habeant Basilici, Codex Theodosii non habuit, cum de procuratoribus rei privatæ, et de procuratoribus baphiorum ac linificiorum in ea agatur. Ait, *Satisdationibus dignis*, id est, idoneis: sic Plutarchus, βεβαιοῦν τὴν ἀξίαν.

XV. *Iidem aa. Valerio com. s. l.* Qui aut patre conchylilegulo geniti probabuntur aut matre, memoratæ adscriptioni obnoxios se esse non ambigant. *Dat. X. Kal. Apr. cp. Hierio et Ardabure Coss.*

Ex alterutro parente murilegulo natus deterioris parentis conditionem sequitur: quod et de nato ex alterutro peregrino lege Mensia similiter cautum fuisse Ulp. in titulis auctor est. Sequitur synopsis ultimæ legis.

XVI. Μηδεὶς δὲ ἔτυχεν τοῖς δημοσίοις σωματείοις ἐγγραφέσθω, εἰ μὴ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον, καὶ ἐκ γένους ὢν τοιούτου καὶ ἡλικίᾳ, καὶ τέχνης ἐστὶν ἐπιτήδειος, πράξεως γινομένης ἐπὶ τούτῳ παρὰ τῷ ἄρχοντι τῆς ἐπαρχίας καὶ κατατιθεμένου τοῦ σωματείου ὅτι ἐπιτήδειός ἐστι, καὶ τὰ πραττόμενα εἰς ἡμᾶς ἀναφερέσθω, ὥστε ἡμᾶς πάλιν ἐπικυρῶσαι διὰ θείου συνθήματος τάξιν προβατορίας λαμβανούσης. εἰ δὲ παραβαίνοι ταῦτα τίς, οὔτε τῆς παραμυθίας ἀπολαύσεται τῆς ἐντεῦθεν, οὔτε κοινωνήσει τῷ σωματείῳ, ἀλλὰ βασανισθεὶς ἐξορισθήσεται διηνεκῶς ἐκ τῆς ἐπαρχίας καὶ πᾶς δὲ συνεργήσας τοῖς αὐτοῖς ἐπιτιμίοις ὑποκείσεται, καὶ μάλιστα ὁ πραιπόσιτος.

INTERPRETATIO LATINA

Ne quis, ut fit, publicis corporibus adscribatur nisi urgente necessitate, vel nisi sit ex eo genere, et tam arte quam ætate habilis atque idoneus actis apud præsidem provinciæ factis, et esse illum idoneum corpore deponente, rursusque gestis ad nos delatis, ut confirmentur divino oraculo nostro vice probatoriæ. Qui vero hæc non servaverit, neque solatia inde ulla percipiet, nec ullum cum collegio commercium habebit, sed gravissime coercitus exilio perpetuo damnabitur extra provinciam: eisdem pœnis subjicitur qui ei opem tulerit hac in re, et maxime præpositus.

L. 2 et 14. sunt de procuratorib. creandis. Hæc de ipsis Gynec̄iariis vel monetariis, vel murilegulis, vel aliis, ut ne in ea corpora conscribantur sine sacra probatoria, quæ et in aliis plerisque exigitur, *l. Probatorias. inf. de div. off.* et edicto Justiniani 8. et 13. solatia indicat eos habuisse de fisco, id est, annonas, et non tantum puniri eos qui sine probatoria sia se collegiis immiscuerint, sed et suffragatores, et maxime præpositos: alii sunt præpositi gynecii, *l. 5. sup. ad leg. Jul. repet.* qui alias procuratores dicuntur: alii thesauris, *l. 14. sup.* et baphiis, *l. 3. C. Th. de ind. deb.* alii gregibus et stabulis, alii bastagis, alii barbaricariis sive argentariis, ut Notitia docet, quæ omnia ad sacrum vel privatum ærarium pertinebant.

TIT. IX. *De vestibus holoveris et aurotis, et de tinctione sacri muricis.*

I. *Impp. Valentinian. et Valens aa. Archelao com. s. l.* Auratas, ac sericas paragaudas auro intextas viriles privatis usibus contexere conficereque prohibemus, et a gynec̄iariis tantum nostris fieri præcipimus. *Dat. V. Non. Jul. Nebiodumi. Acc. XV. Kal. Aug. Mar. Valentiniano n. p. et Victore Coss.*

Interdicit privatis hominibus usu paragaudarum, et nos si quæramus quales sint, lex docet satis, auratæ nimirum vel sericæ auro intextæ phrygio sive barbarico opere, quod etiam ex Vopisco intelligere licet in Aureliano, qui alias monolores, alias dilores, alias trilores et pentelores facit pro numero intextorum filorum aureorum, quæ videntur lora appellasse, vel intexturam ipsam potius, ut non male in donatione Constantini ad Sylvestrum, lorum vetus interpres phrygium reddiderit. Nicetas: βλαττία διβέλλωνα, τριβέλια νήματα χρυσουργῆ. Mulieribus earum usu non interdicitur: et ideo ait *viriles*, et in *l. seq. vir*, et in *l. 4. viriles*, non servata scriptura Codicis Theodosiani, quoniam Justinianus eas matronis indulgebat.

II. *Imppp. Gratianus, Valentinian. et Theodosius aaa. Floro pp.* Nemo vir auratas habeat aut in tunicis, aut in lineis, paragaudas: nisi hi tantummodo, quibus hoc propter imperiale ministerium concessum est: non enim levi animadversione plectetur quisquis vetito se et indebito non abdicaverit indumento. *Dat. III. Kal. Apr. cp Antonio et Syagrio Coss*

Idem repetitur hac lege, ne viri utantur paragaudis vel in tunicis vel in lineis. Linearum est frequens usus in Oriente propter fervorem æstus. Sed interdicitur hac lege et tunicis et lineis paragaudis. Lex superior a gynec̄iariis tantum eas confici permittit. Hæc quoque, quod tantum valet, usum earum Imperatoris tantum ministeriis concedit.

III. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius aaa.* * Vellera adulterino colore fucata in speciem sacri muricis tingere non sinimus, nec tinctum cum Rhodino prius serico alio postea colore fucari: cum de albo, omnium colorum tingendi copia non negetur: nam capitalem pœnam illicita tentantes suscipiant.

Vetat vellera adulterino colore tincta rursus murice tingi ad conficiendam speciem, sive vestem principalem. Vetat tinctum prius sericum Rhodino colore, cui nomen a rosa principe florum, alio postea inquinari licere, crudum nativumque vellus quolibet colore inficere. Pro *serico*, lego, *sericum*, ex tribus libris manuscriptis. Crustas vocabant quibus alio admistus colori puri rubor muricis mardescit, *l. 11. C. Th. de scenicis.* Fucare est tingere et colorare, *l. 1. sup. quæ res vendi non pos. l. ult. C. Th. de murileg.*

IV. *Imp. Theodosius a. Maximino c. s. l.* Temperent universi, cujuscunque sint sexus, dignitatis, artis,

professionis, et generis, ab hujusmodi speciei possessione, quæ soli principi ejusque domui dedicatur, nec pallia tunicasque domi quis sericas contextat aut faciat, quæ tincta conchylio nullius alterius permistione contexta sint, proferantur ex ædibus, tradanturque tunicæ, aut pallia ex omni parte texturæ cruore infecta: conchilii nulla stamina subtexantur tincta conchylio, nec ejusdem infectionis arguto pectine solidanda fila decurrant: reddenda ærario holovera vestimenta virilia protinus offerantur: nec est ut quisquam de abjurato pretio conqueratur, quia sufficit calcatæ legis impunitas: ne quis vero nunc hujusmodi suppressione in laqueos novæ constitutionis incurrat: alioquin ad similitudinem læsæ majestatis periculum sustinebit. *Dat. XVII. Kal. Feb. c. p. Victore. v. c. Cos.*

Interdicit tam mulieribus quam viris usu vestium sericarum purpurearum: fuit etiam ante purpuræ tinctura atque commercium privatis interdictum, *l. 1. sup. quæ res vendi non pos.* et a Nerone, ut Svetonius scribit cap. xxxii. Crustis non interdicit, quibus est purpureo alius admistus color, quas in usum sacræ domus fieri vetuit. *l. 3.* Prætexta videtur interdicere, quæ nominatim permittuntur Nov. Leonis LXXX. At viris etiam interdicit holoveras vestes, id est, holosericas, quod et tacitum fecisse Vopiscus scribit. Serica veteres dixere βήρους, ut nunc Galli, *Verures*, Zonaras et Balsamon in xii. can. Gangrensi βήρους, interpretatur esse σηρικὰ ὑφάσματα, et idem Balsamon, ad formulam imaginariæ donationis Constantini, Pontificem illum uti variis vestimentis et vero holochalino. Vopiscus in Carino: *Donati ub Atrebaticis birri petiti, Donati birri Canusini*: forte pro birri, sive biri, ut Trebellius veri lumen. Hieronymus 2 adversus Jovinianum: *Nunc tineis et sericis vestibus et Atrebatum ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis.* Subsericis vestibus non interdicit: sed neque holoveras sive holosericas matronis invidet: sicut nec auratas vel auro intextas paragandas, l. 1. et 2. *sup.* quæ pluris non sunt quam holoveræ. Libra enim auri tunc libra serici erat, ut Vopiscus scribit in Aureliano, et in lege Rhodia: ὁ λευκὸς ὅμοιος τῷ χρυσῷ. Ornatus et cultus mulierum proprius et non virorum, et ideo ornamentorum usu non eadem lege coercentur quæ viri. Purpura tamen quæ serico pretiosior semper fuit, usu utrisque pariter interdicitur. Id non est omittendum, hac lege caveri, ut privati purpuram quam habeant, sacris thesauris reddant minime recepto pretio, et ut in posterum si habuerint, lege majestatis teneantur. Ait, *Arguto pectine.* Lucas Penna errorum et ineptiarum emassarius ingens, hoc loco apposite imitationem Virgilii notat:

Arguto conjunx percurrit pectine telas

V. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Apolonio com s. l.* Purpuræ nundinas, licet innumeris sint constitutionibus prohibitæ, recenti quoque interminatione vetamus. Et ideo septimum de scrinio exceptorum, sextum de scrinio canonum, quintum de scrinio tabulariorum, ad bapheja Phœnices per certum tempus mitti præcipimus: ut omnis fraus eorum prohibeatur solertia timentium, ne quæsitis longo sudore stipendiis careant, etiam viginti librarum auri condemnatione proposita. *Dat. VIII. Id. Mart. cp. Isidoro et Senatore Coss.*

Pertinet hæc lex ad baphia Phœnices, a quibus Synesio περὶ βασιλείας de regno φοινικοβαφὴς χιτών. In quibus etiam privatis usibus et fiscalibus pariter purpura tingebatur, et constituitur ob eam rem ut quotannis ad ea mittatur ex scrinio exceptorum septimus, ex scrinio canonum sextus, ex scrinio tabulariorum quintus, quorum interventu fraudes hujusmodi submoveantur. De his scriniis ceterisque largitionum dicetur in l. 7. *inf. de pal. sacr. larg.* Addidit Haloander, *quartum de scrinio scholariorum*, quod veteribus libris abest, nec deest.

TIT. X. *De fabricensibus.*

I. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. Tatiano pp.* Omnibus fabricensibus non pecunias pro speciebus, sed ipsas species sine dilatione inferri præcipimus, ut venæ nobilis, et quæ facile deducatur ignibus, seu liquescat ferri materies præbeatur, quo promptius adempta fraudibus facultate, commodo publico consulatur. *Dat. XV. Kal. Nov. Theodosio a. II. et Cynegio Coss*

Fabricensium fuit certum corpus, qui in publicis fabricis faciebant arma, hastas, sagittas, loricas, arcus, spatas, ballistas, scuta, clibanos, deputati etiam dicebantur, *l. ult. sup. de serv. fugit. Nov.* 85. Sistuta a Juliano in eadem Novella. Hic hæc lex pusaei ferri speciem fabricandi causa præstari jubet, non adæram, ne ea pecunia sibi forte vilium vitiatumque ferrum compararent. Ait, *venæ nobilis*, ut Cassiodorus: *Seculis suis producit nobilis vena primarios.* Græci, ἁπαλὸν καὶ κατακτὸν ταχεῖαν, λυόμενον τῷ πυρὶ καὶ χωρούμενον.

II. *Iidem aaa. Rufino magistro officiorum* Primicerium fabricæ post biennium non solum vacatione, verum etiam honore donari præcipimus: ita ut inter protectores ejusdem fabricæ post biennium adoraturus æternitatem nostram suo quisque tempore dirigatur. *Dat. VIII. Id. Mart. Valentiniano a. IV. et Neotherio Coss.*

Scripta est ad magistrum officiorum, ut 3. 6. 7. quoniam sub ejus dispositione fuerunt fabricæ et fabricenses, qui et primicerios habuerunt, ut collegia et corpora fereomnia non condicionalia, non perpetuos, sed alia annales, alia triennales, hæc biennales, qui post biennium pro præmio et immunitatem adipiscebantur et honorem inter protectores quasi veterani, atque ideo jus adorandæ purpuræ sacræ, qui honor maximus censebatur. Et horum si probatio exigatur, legantur quæ adnotavimus lib xii. *tit.* 7. et l. 2. *tit.* 2. et *tit.* 17. *l.* 1. Hæc verba, *Ejusdem fabricæ per biennium*, auctore Codice Theodosiano delenda censeo.

III. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Osio Magistro officiorum.* Stigmata, hoc est nota publica fabricensium brachiis ad imitationem tyronum infligantur, ut hoc modo saltem possint latitantes agnosci, his qui eos susceperint, vel eorum liberos sine dubio fabricæ vindicandis, et qui subreptione quadam declinandi operis ad publicæ cujuslibet sacramenta militiæ transierunt *Dat. XVIII. Kal. Jan cp. Honorio a. IV. et Eutychiano Coss.*

Fabricensium est militia quædam, l. 4 et 6. numeri, *l.* 5. at *Nov.* 85. Dimissi fabricensium primicerii honorantur ut veterani, sicut dictum est lege superiori. Recepti compunguntur notis publicis ut tyrones. Ætius Amidenus lib. 8. cap. 12. Στίγματα καλοῦσι τὰ ἐπὶ τοῦ προσώπου, ἢ ἄλλου τινὸς μέρους τοῦ σώματος ἐπιγραφόμενα, οἷα ἔστι τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσί. Vegetius. *Punctis signorum scribendus tyro*, et alio loco: *victuris in cute punctis milites scripti.* Apud Gregorium 2 epist. fit mentio constitutionis cujusdam Mauricii Augusti, ne quis manu signatus ante expletam militiam ad monasteria migret quam dicit priorem tulisse Julianum Parabatam: et sic manu etiam signari aquarios ostendit *l. pen. inf. de aquæd.* Additur in hac l. ut fugitivorum fabricensium manu brachiove signatorum, vel liberorum eorum susceptores, fabricæ vindicentur, et relicta fabrica qui ad aliam militiam obrepserint, ut fabricæ restituantur: idem si ad curiam, l. 32. *sp. de decur.*

IV. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Anthemio pp.* Si quis consortium fabricensium crediderit eligendum in ea urbe, qua natus est, vel in qua domicilium collocavit: his quorum interest convocatis, primitus acta conficiat, sese doceat non avo, non patre curiali progenitum, nihil ordini civitatis debere, nulli se civico muneri obnoxium: atque ita demum gestis confectis vel apud moderatorem provinciæ, vel (si is absit) apud defensorem civitatis ad militiam, quam optaverit, suscipiatur. Quod si absque hac cautione quispiam ad fabricensium consortium obrepserit: sciat se ad ordinis, cui debetur, patriæque suæ munera esse deducendum: ita ut nulla eum nec temporis, nec stipendiorum prærogativa defendat. *Dat. XV. Kal. Jun. cp. Honor. IX. et Theod. V. aa. Coss.*

Ut ne quis fabricensium collegio coopletur antequam publice actis habitis apud præsidem provinciæ vel defensorem civitatis docuerit se curiali condicione liberum, nullique civili muneri subjacere: alioquin hoc non observato, fabricis allectum retrahi in curiam nulla obstante præscriptione temporis, ne xl. quidem, ut ostendimus in *l.* 55. *sup. de decur.*

V. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Aureliano com. rerum privatorum* Jure provisum est, fabricenses artibus propriis inservire, ut exhaustis laboribus immorentur cum sobole professioni, cui nati sunt: denique quod ab uno committitur, id totius delinquitur periculo numeri, ut constricti nominationibus suis, sociorum actibus quandam speculam gerant, et unius damnum ad omnium transit dispendium: universi itaque veluti in corpore unius formæ, unius decoctionis (si ita res tulerit) respondere cogentur. *Dat. Prid. Non. Nov. cp. Theodo. a XVI. et Fausto Coss.*

Pars est Nov. Theodosii de bonis fabricensium, ut exhausto labore

militiæ liberi eorum eidem condicioni adstringantur: Ut unius delictum teneat omnes, cum et qui suscipitur in eam militiam, totius corporis nominatione suscipiatur, atque ita debeant actus suos invicem speculari et custodire: quæ res non mediocrem fisco utilitatem adferit. Ait, *unius decoctionis*, Forte *decoctioni*, id est, si quid unus eorum decoxerit et interceperit, ut *l. 12. sup. de incrpt. l. 9. C. Th. eod. tit.* vel potius decoctionis, quasi universi videantur decoxisse quod unus decoxit, et hoc est quod ait *l. ult. sup. de hæred. decur.* quæ hujus pars altera est, fisco omnes pro intercepto respondere cogi: ex quo apparet male quosdam hic legere, *cogitationis*, et *rependere*.

VI. *Impp. Leo et Anthemius aa. Eufemio Magistro officiorum.* Eos qui inter fabricenses sacræ fabricæ sociati sunt, vel eorum uxores aut filios, qui itidem inter fabricenses militare dicuntur, non alibi pulsare volentibus respondere præcipimus, nisi in judicio tuæ sublimitatis, ad cujus jurisdictionem potestatemque pertinent: nec eos post stipendiorum finem militiæ super civilibus muneribus vel curialibus, quibus nullo modo subjacere demonstrantur, a variis clarissimis rectoribus provinciarum vel eorum officiis præter licitum inquietari.

Fabricensium et uxorum filiorumque eorundem judex est magister officiorum, de quo dicturi sumus in *l. 3. inf. de præpos. sac. cub.* Soluti militia, quod fit expleto primiceriatu, vacatione donantur, ut ait *l. 2. sup.* quod quid sit, hæc explicat, ne ad ulla munera curialia vel civilia a præsidibus provinciarum officiisve eorum devocentur.

VII. *Iidem aaa. Eufemio magistro officiorum.* Nullus fabricensium conductioni vel administrationi, vel agriculturæ Asianarum rerum se posthac immiscere conetur: dominis quidem, si qui contra hæc statuta nicæ pietatis venire ausi fuerint, res vel prædia, quæ (scientes, quod fabricenses sunt) iisdem fabricensibus ministranda commiserint, amissuris, fabricensibus vero gravissime coercitis, post facultatum suarum amissionem, perpetua exilii pœna et animadversione retinendis. Quoties sane in traslatione armorum angariæ necessariæ fuerint: sublimitas tua literas ad eminentissimam jubeat dirigi præfecturam, et numerum ei armorum, et ex quo loco transferenda sunt, indicare: ut continuo super præbendis angariis pro numero eorum, quæ tranferuntur armorum, præceptione sua viros clarissimos moderatores provinciæ conveniat, ut secundum missam a sublimitate tua notitiam naves vel angariæ confestim de publico præbeantur. Quod si aliqua traditas vel negligentia post datas a sublimitate tua ad eminentissimam præfecturam literas in destinandis auctoritatibus amplissimæ sedis intercesserit, et ex hoc armorum transvectio fuerit impedita: quinquaginta libris auri tam numerarium pro tempore officii ejusdem amplissimæ sedis, quam alios quorum interest, condemnari præcipimus, eamque auri quantitatem protinus exactam fisci viribus aggregari: multa præterea triginta librarum auri proposita tam viris clarissimis, qui provincias regunt, quam eorum apparitoribus, si conniventibus his armorum transvectio tarditate aliqua fuerit præpedita.

Idem Leo qui militibus interdixit alienarum rerum conductione et procuratione, *l. Milites sup. de loc.* eadem fabricensibus interdicit hac constitutione, quod et in militibus antea fuerat constitutum, *l. Si milite. sup. de condic. ob cau. dat.* et in fabricensibus, *l. C. Th. eod. tit.* quo militum quasi numero fecimus, *l. 3. hujus. tit.* Putem et fidejussione interdicendum pro alienarum rerum conductoribus aut procuratoribus exemplo militum, d. *l. Milites*, ut clericorum, *Nov. 123 cet. 20. Clement.* Pœna partis hujus apertissima est. Subjicitur de transvectione armorum, ut fiat præstitis angariis de publico auctoritate præf. prætorio, posteaquam magistri officiorum literis numerum armorum, et locum ex quo transvectio facienda est, perdidicerit. Angariæ sunt jumentorum vel plaustrorum præstationes. Separantur hac lege a navibus, quamquam et naves ipsæ angariari dicantur, *l. pen. D. de priv. vel.* Gregorius VIII. Epistol. cap. LIV. *Navem ab omni angaria excusare festines*. Separantur et quandoque ab operis, licet et has angariarum appellatio contineat, ut dixi lib. X. tit. 24. Separantur et plaustra in *l. 2. sup. de quib. mun.* quæ tamen non est dubium angariarum appellatione contineri, ut in formula cessionis in Oratorium collatæ apud Marculphum *Nullas functiones vel exactiones neque caballorum partus, aut paraveredos, aut carrarum angarias.* Hujus vero partis pœna etiam apertissima est.

TIT. XI. *De veteris numismatis potestate.*

I. *Impp. Valentinianus et Valens aa. Germono pp.* Solidos veterum principum veneratione formatos ita tradi ac suscipi ab ementibus et distrahentibus jubemus, ut nihil omnino refragationis oriatur: modo ut debiti ponderis sint, et speciei probæ: scituris universis, qui aliter fecerint, haud leviter in se vindicandum.

Ut in contractu emptionis et venditionis non reprobetur vultu veterum principum signata moneta, dummodo sit ponderis debiti et speciei probæ, id est, non adulterina, sive ut Leo ait Nov. 52. ἀπαραποίητον τὴν μορφὴν ἔχον καὶ τὴν ὕλην ἀκριβῆ καὶ τὴν ὁλκὴν τέλειον. Venditor qui reprobaverit lege Cornelia tenetur, auctore Paulo 5. Sententiarum. Arrianus ad Epictetum lib. III. τὸ τοῦ Καίσαρος νόμισμα οὐκ ἔξεστιν ἀποδοκιμάσαι τῷ τραπεζίτῃ, οὐδὲ τῷ λαχανοπώλῃ, ἀλλ' ἂν δείξῃς θέλει οὐ θέλει προέσθαι αὐτὸν δεῖ τὸ ἀντ' αὐτοῦ πωλούμενον. Legatur et pragmatica sanctio Justiniani ad petitionem Vigilii cap. de mutatione solidorum.

II. *Iidem aa. et Gratianus a. ad Julianum pp.* Pro imminutione, quæ in æstimatione solidi forte tractatur, omnium, quoque pretia specierum decrescere oportet.

Si venierit res XX. aureis, et ante numerationem pretii imminuta fuerit aureorum æstimatio, imminuetur et rei venditæ pretium: nam XX. aureos præstando emptor liberabitur, etiamsi non tanti sint solutionis tempore, quanti contractus: eadem est contrariorum potestas, ut Aristoteles ait: igitur si ante numerationem aucta fuerit æstimatio solidorum, augebitur et pretium rei venditæ, quod summe notandum censeo: potest esse usus in mutuo, ut ostendimus in *l. 59. D. de verb. obl.* et in locatione et in taxatione rerum sive mancipiorum legibus definita.

III. *Impp. Gratianus, Valentin. et Theodosius aaa. Arintheo pp.* Universos auctoritas tua proposito edicto commoneat, obryzatorum omnium solidorum uniforme pretium postulare: scilicet capitali supplicio puniendo, qui vel jussa nostræ majestatis avaritiæ cæcitate contempserit, vel æternales vultus, dum fraudibus studet, duxerit viliores.

Idem hac lege caveri existimo quod prima, ut solidorum veterum et recentiorum eadem sit potestas, æstimatio, pretium, dignitas: quam his verbis expressit Zonaras in Nicephoro Phoca: στατῆρα πάντα βασιλικὸν ἐκτύπωμα φέροντα ἰσότιμον εἶναι τῷ ἄρτι κοπτομένῳ. In fine pro, *violare* emendavi *viliores* ex veteribus, et ex libris βασιλικῶν, in quibus ita est redditus: κεφαλικῶς τιμωρηθήσεται ὅστις τὰ παλαιὰ ὄβρυζα ὄντα εὐτελεστέρας διατιμᾶται, id est, *capitaliter punitur, qui vetera numismata obryza duxerit viliora.* Obryza, id est, solidos aureos, ut in *l. 2. sup. ut nem. lic. in coem. spec.* et *l. 1. inf. de oblat. vot.* et quidem auri meri et purissime cocti. Coctum pro obryzo in *l. 1. C. Th. de ponderat.* Merum, ut ex eo possit inauratio fieri in lege quadam Caroli magni. Aurum ad obrussam, Svetonius in Nerone c. 44. ut est scriptum in vet. libris. Si qui solvuntur vel publice inferuntur solidi non sint ex auro ejus modi, pro eo aliquid amplius superexigitur, id est, pro obryzæ incremento, *l. 4. C. Th. de auro coron.* et Justiniani edictu XI. qui prætextus ne obtenderetur illationi solidorum qui sunt speciei probæ, eo edicto prospicitur.

TIT. XII. *Nulli licere in frenis, equestribus sellis, et in balteis margaritas et smaragdos et hyacinthos aptare, et de artificibus palatinis.*

I. *Imp. Leo a. Leontico.* Nulli prorsus liceat in frenis et equestribus sellis, vel in balteis suis margaritas et smaragdos, et hyacinthos aptare posthac vel inserere. Aliis autem gemmis frena et equestres sellas, et balteos suos privatos exornare permittimus: de cucurniis vero omnem prorsus qualiumcunque gemmarum habitum præcipimus submoveri: fibulis quoque in chlamydibus his utuntur, quæ solo auro et arte pretiosæ sunt. Si quis autem contra interdictum pietatis meæ fecerit, sciat se continuo quinquaginta libris auri esse mulctandum. Nulli præterea privatorum liceat (exceptis scilicet ornamentis matronalibus, et tam muliebrium, quam virilium annulorum habitu) aliquid ex auro et gemmis, quod ad cultum et ornatum imperatorium pertinet, facere: neque illud sub colore et prætextu præparare, quod velit clementiæ principali velut aliquod munus offerre: pietas enim mea hujus-

modi dona non expetit, neque rogium sibi offerri a privatis cultum requirit. Sane si quis posthac aliquid contra vetitum hujusmodi sanctionis effecerit, et offerenda clementiæ meæ ornamenta, quæ iis bus regiis deputata sunt, auroque et gemmis decorata ausus fuerit preparare, centum librarum auri condemnatione sciat se esse feriendum, capitali quoque subdendum esse supplicio: ornamenta enim regia intra aulam meam fieri a palatinis artificibus debent, non passim in privatis domibus vel officiis parari. Unde summa severitate sancimus, ut quod in cultu ornatuque nostro sacrum et adorabile est, id facere temeritas privata non audeat. Si quis sane contra vetitum tranquillitatis meæ aliquid fecerit, definitam superius multam ab eis per officia palatinorum exigi, et sacris largitionibus nostris jubemus inferri.

Margaritas tantum, et smaragdos, et hyacintos vetat frenis, sellis et baltheis, non alias gemmas imponere. Adjicit *de circinnis* (sic habent omnes vet. libri) ut nullæ his omnino inserantur. Sed eo nomine quid significentur non scio liquido. Idem de fibulis, ut de Adriano Spartianus scribit, eum sine gemmis fibulas strinxisse, aliter quam Pollio de Gallieno eum chlamyde purpurea gemmatisque fibulis usum. Aureæ ergo fibulæ permittuntur privatis non gemmatæ. Recte autem clamydibus fibulæ junguntur: ex una enim tantum parte induebantur. Sic et Svetonius in Tiberio chlamydam, cum fibula jungit. Tum exceptis ornamentis muliebribus et annulis, ut ne quis privatus ex auro vel gemmis conficiat regia ornamenta, quæ solis palatinis artificibus, veluti gynecariis, barbaricariis et argentariis conficere jus est. Aureis vasis sacris vel aliis quibusdam, quæ maxime ad regium cultum accedunt, id est, eorum confectione privatis aperte non interdicit, et ita hanc legem alter Leo interpretatus est Nov. LXXXI. dederat tamen jam ante hanc facultatem Aurelianus, ut aureis qui vellent et vasis uterentur, et poculis, auctore Vopisco. Ait, *In privatis domibus vel officiis*. Sic emendavi ex veteribus: officiis pro officinis, ut in *l. 1. sup. exercit. et instit. act.* Ait *per officia palatinorum*: officiales Comitis sacrarum largitionum exigunt multas sacro ærario inferendas, *Nov. 117. l. ult. sup. de decur. l. Properandum. §. 1 b. sup. de judic.*

TIT. XIII. *De Classicis.*

1 *Impp. Valentinianus et Valens aa. Auxonio pp Orientis.* Classem Seleucenam, aliasque universas ad officium, quod magnitudini tuæ obsequitur, volumus pertinere: ut classicorum numerus ex incensitis vel adcrescentibus compleatur, et Seleucena ad auxilium purgandi Orientis aliasque necessitates Comiti Orientis deputetur. *Data Indictione XII.*

Classici milites sunt deputati navibus amnicis purgandorum fluminum et aliarum necessitatum gratia. Inde classis Ararica, Istrica, Rhodani, Padi in Occidente. Fuere et in Oriente, plures ad quas hæc lex pertinet, qua cavetur eas omnes pertinere ad præfectianos, ut eorum cura, sicut interpretor, classicorum numerus ex incensitis suppleatur, id est, colonariæ conditioni minime adscriptis, ut de tyronibus constituitur, *l. 1. inf. de tyronib. Vel* inquit, *adcrescentibus*, ut in *l. Si-culo. C. Th. de censu, vel ads. l. 6. C. Th. de tyronib.* et in *eod. tit. l. 7. Ex incensibus atque adcrescentibus*: ut lego *Incensitis*. Adcrescentes vocat qui ex classicis nascuntur. Classis Seleucena Orontis, qui amnis est Syriæ Seleuciam affluens, Comiti Orientis deputatur: nec mirum, cum sub ejus dispositione Syriam fuisse certissimum sit.

TIT. XIV. *De Decurialibus urbis Romæ.*

1. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcad. aaa. Tripholio pp.* Si quis decurialem de auferendis privilegiis putaverit lite pulsandum, intelligat se decuriæ interpellare debere judicem. *Dat. XIV. Kal. Feb. Medio timosio et promoto Coss.*

L. 1. C. Th. eod. tit. et Theodorici apud Cassiod. lib. V. epist. ad Capuanum rectorem decuriarum, et de eodem ad senatum, indicat collegium decurialium in urbe Roma fuisse, qui s. c. acta, auctoritates senatus excipiebant, perscribebant, complebant, scrinia senatus servabant, viri scribendi, dicendique periti, quibus præfuit rector, quem hæc lex judicem appellat, et Cassiodorus ad Capuanum rectorem decuriarum: *Judex*, inquit, *nunc exhibe quod te volebas apud alios obtinere*. Judicabat enim inter decuriales et alios: et ideo lex ait, eum qui velit cum decuriali agere de auferendo privilegio ei jure veteri concesso, judicem decuriæ adire debere: et hoc vero sensu decuriam accipiendam puto in *l. 3. §. 1 municipibus D. de bon. pos. l. Mortem, D. de fidejus. l. Si quis in his bona §. 1 D. de acquir. hæred.*

II. *Imppp. Arcad. Honor. et Theod. aaa. Esuperantio. Julio et ceteris Decurialibus.* Leges tam a superioribus principibus, quam a Divo parente nostro conditas nostra auctoritate firmamus. Singulos itaque judices scire volumus, ne quis huic collegio injuriis corporalibus tentet notam atterere, neque ab his commodis, quæ rationibus approbantur audeat separare. Huic enim collegio volumus antiquam privilegiorum prærogativam servari. *Dat. VIII Id. Jul. Romæ, Honor. a. VI. Aristeneto. Coss.*

Confirmat privilegia decurialibus concessa, ne qua ex causa corporalibus adficiantur injuriis, et si quæ sunt alia.

TIT. XV. *De privilegiis corporatorum urbis Romæ*

1. *Imppp. Valentinianus, Teodosius et Arcadius aaa. ad Alypium p. v.* Nulli sit liberum, nulli permissum, ut novum aliquid urbis incolæ in urbe sustineant: sed in honorem æternæ urbis corporatis indulta suffragia valere præcipimus: cura autem rectorum provinciarum corporati urbis Romæ, qui in peregrina transgressi sunt, redire cogantur, ut servire possint functionibus, quas imposuit antiqua solemnitas. *Dat. Prid. Id. Jul. Aquileiæ Tatiano et Symmacho Coss.*

Corporati urbis Romæ sunt, de quibus sequentibus titulis sigillatim tractatur, veluti pistores suarii, boarii, pecuarii, caupones, lignorum, lumenti, olei portitores calcis coctores, populi Romani usibus et necessitatibus destinati, quos si in provincias transierint, cura præsidum urbi restitui hac lege præcipitur, et ne nova onera eis indicantur. Confirmatur et immunitates et privilegia eis concessa. Extat epistola Symmachi ad Valentinianum, ut indicta eis nova equorum collatio in usum exercitus remittatur, et conveniens et rescriptum ad eumdem Symmacum *l. 1. C. Theod. eod. tit.* Fuere et in aliis urbibus corporati, *l. ult. sup. de navicul. Novell. Valentin. de episcop. jud.* sed non privilegiarii.

TIT. XVI. *De Pistoribus.*

1. *Imp. Leo a. Viviano pp.* Quicunque ex mancipibus Comitis horreorum dignitatem et officium vel ambitione, vel gratia, vel pecunia, seu quolibet alio modo posthac fuerit adsecutus: exutus dignitate, quam contra interdictum nostræ serenitatis adeptus est, multatus viginti etiam libris auri, ad mancipum denuo consortium collegiumque revocetur: omne etiam speciale beneficium, quocumque modo contra hanc sanctionem fuerit impetratum, penitus conquiescat.

Fuit in urbe certum corpus pistorum, qui pani civili conficiendo obnoxii erant. Hos *l. 1. et 2. inf. de frumen. urb. Constantinopol.* et *l. 18. Theod. de pistor.* et *l. 4. C. Theod. de exs. et exact.* mancipes vocant, et hæc Constitutio Leonis duobus locis, ut emendavimus, et legerat jam ante Lucas Penna. Quæ de his diximus libro singulari de temporibus cap. 13. in hunc locum transferri velim. Ad eamdem vero formam, et mancipem carceris Prudentius dixit, pro commentariensi. Augustinus et Ambrosius optionem carceris: mancipem salinæ Plinius: mancipem divinitatis Tertullianus: mancipes pro publicanis, multi. Symmachus 2. Epist. *Urceorum transvectionem cupiditas mancipum subtrahit*: ubi legendum, *mancipum* Constituitur autem hac l. ut mancipes sive pistores, qui Comitis horreorum dignitatem adepti fuerint, pistrino reddantur. Non licere pistoribus ad hanc dignitatem aspirare.

TIT. XVII. *De suariis et susceptoribus vini, et ceteris corporatis.*

Susceptores vini caupones vocat, et ideo Græci ita vertunt περὶ χοιρεμπόρων καὶ καπήλων, qui scilicet suscipiebant vina fiscalia et populo enim Romano oleum, panis, porcina gratuita præbebantur, vinum non nisi perraro, ut Vopiscus scribit in Aureliano. At de his sub hoc titulo nihil continetur, nec de aliis, quam suariis quicquam. Credo tamen de suariis constituta, ad ceteros esse porrigenda.

1. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. ad Albinum p. v.* Porcinarii urbis æternæ, cum pervigilem laborem populi Romani commodis exhibeant, sordidis semper muneribus liberentur. *Dat. VIII. Kal. Sept. Romæ Timasio et Promoto Coss.*

Suaria functio Reipublicæ maxime utilis, ac necessaria excusat a ceteris functionibus sordidis.

II. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Florentio pp.* Quicunque ex corporibus suariorum, sive excipiendæ necessitate litis adstrictus, seu inferendæ voluntate spontanea provocatus, judicium voluerit experiri: fori urbani adjutorium præstoletur.

Ut suarii exciperent inferrentque actiones apud præfectum urbi, sub cujus dispositione legimus in Notitia fuisse etiam tribunum fori suarii, de quo in antiqua inscriptione in hunc modum. *Fl. Uranius* v. p. *tribunus cohortium urbanarum* x. xi. *et* xii. *et fori suarii*. Fuisse etiam arbitror quendam tribunum campi pecuarii, eumque significari in auctoritate illa vulgari Aproniani præfecti urbi, qua præcipitur, submota micandi consuetudine, pecora sub exagio vendi, ita tamen ut lanio caput, pedes, et sevum lactane, et subgulare cedant: reliqua caro cum pelle et loleraneis publico appendatur, et a venditore emptori præstetur. Cui simile est quod a præfecto quodam urbi institutum refertur in *l.* 4. *Cod. Theodos. de suar.* nescio an eodem Aproniano ut pondus porcorum trutine examine, non oculorum libertate quæratur. Exagium enim et trutinam significat, vel certæ ponderationis genus. Theodosius in *Nov. de pra. sol. De ponderibus ut fraus penitus amputetur, a nobis aguntur exagia, quæ sine fraude debeant custodiri*. In glossis exagios est ἄρτου ἐντυπή, et pensatio. Zonaras in Nicephoro Phoca: παντὸς νομίσματος ἐξάγιου σταθμὸν ἔλαττον; qui locus ostendit, solidum exagium pendere: exagium porro constare siliquis xxiv. ad Nicandrum ita adnotatum est, τὸ ἐξάγιον κεράτια κδ. sic legendum: sic et apud Actuarium lib. v. Methodi. De solido non est dubium eum constare siliquis xxiv. *Nov.* 130. Additur in ea auctoritate Aproniani, commoda omnia prædamque damnari, quam tribunus, officium, cancellarios, scriba de pecuariis capere consueverat. Tribunum campi pecuarii, ut existimo, et ejus officiales intelligit. De suariis, boariis, pecuariis habeo Nov. Valentiniani et Martiani, sed nihil pertinet ad constitutionem hujus tituli.

TIT. XVIII. *De collegiatis, et chartopratis, et nummulariis.*

1. *Impp. Theodosius et Valentinianus. aa. Cyro p. v.* Qui sub prætextu decanorum seu collegiatorum, cum id munus non impleant, aliis se muneribus conantur subtrahere: eorum fraudibus credidimus obviandum: ne quis sub specie muneris, quod minus exsequitur, alterius muneris oneribus relevetur: ne argentariorum vel nummulariorum munera declinentur ab his, qui dici tantummodo collegiati vel decani festinant. Ideoque si quis eorum sub nudæ appellationis velamine collegiatum seu decanum se appellat; sciat pro se alium subrogandum, qui prædicto muneri sufficiens adprobetur: subrogatione videlicet memoratorum vel eorum qui moriuntur, primatum ejus qui subrogatur, admissa judicio. Quod autem supra numerum, qui in caulis brevibus continetur, nemo se quolibet patrocinio, vel cujus libet assumpta potenti debeat excusare: hoc nostræ est serenitatis censere, et tuæ sublimitatis, tuique officii cautius observare: hoc inter omnes æqua lance servari præcipimus, nullo divinæ domus patrocinio, nullo sacrosanctarum ecclesiarum reverentia, nullo qualibet vel cujuslibet potentia se excusante. Sed ne tantum circa munera relevanda supplicibus consuluisse noscamur, illud etiam dicendum observandum quæ esse censemus, ut chartæ venditio, quæ de provinciis ad corporatos supplicum per innovationem translata est, primæ constitutionis terminis concludatur: hoc est, quod in initio dispositionis constitum est, id in posterum nulla addita novatione servetur. *Dat. X. Kal. Apr. Theod. XVII. et Festo Coss.*

Ex corporatis orbis videntur etiam esse qui collegiati vel συγματικοί dicuntur. Hi, ut est scriptum in descriptione antiqua Constantinopoleos, e diversis corporibus ordinati incendiorum solent casibus subvenire: et ideo in epistola Symmachi de corporatis ad Valentinianum, hoc significari puto, dum ait, *Per alios fortuita arcentur incendia*. Et ex diversis corporibus fuisse ostendit *l. pen. sup. de comm. et merc.* dum in locum defunctorum alios esse substituendos ait ex eodem corpore quo defuncti fuerant. Eadem cum sit sub *tit. de comm. et merc.* ostendit ex corporibus eos fuisse negotiatorum, et hæc Græcorum interpretatio ad eam legem, οἱ προϊστάμενοι ἐν τῷ σωματίῳ πραγματείας χάριν. Sed et alias operas quaslibet pro ratione imminentis necessitatis Reipubl. præstabant, sicut *Novel. Majoriani de curialibus*, collegiatos aliarum civitatum scriptum est operas patriæ alternis vicibus pro curialium dispositione præbere. Corporatis etiam adjungo decanos, lecticarios, copiatas, sive vispelliones, tot enim appellationibus iidem nuncupantur, *Nov.* 43. et 59. *l.* 4. *sup. de sac. eccl. l. Si quo. sup. de episc. et cler. l.* 15. *Cod. Theod. eod. l.* 1. *Cod. Theodos. de lus. col.* qui definiuntur ab Epiphanio ad finem lib. 3. sive tomi 7. contra hæreses: οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κεκοιμημένων. Horum vero et illorum certum numerum fuisse ostendit *d. l. pen.* et *l.* 4. *sup. de sacr. eccl.* quæ illi conjungenda est, supra quem nemo ab aliis muneribus, quasi sit ex decanorum vel collegiatorum corpore, vacationem obtinere potest, nec si ei suffragetur ecclesia, vel principis domus, vel quælibet alia potestas sive dignitas. Ait, *Supra numerum qui in caulis brevibus continetur*, malim *encaulus*, ut *l. Immunitates. inf. de agr. et cens. l.* 4. *Cod. Theod. s. de excus. mun.* Statuti autem decani vel collegiati huic muneri vacantes a ceteris muneribus immunes sunt. Duo exigimus ut sint statuti, et ut in actu positi, id est, non otiosi et imaginarii. Supernumerarii ab aliis muneribus non excusantur, statuti quoque copiatarum vel collegiatorum munus non exercentes non excusantur, sed in copiatæ gradum, quem titulo tenus usurpant idoneo substituto, ad propria corporis munera devocantur. Hanc constitutionem extorsisse videtur argentariorum supplicatio, quorum muneribus plerique se subducebant decanorum titulo: qua ex re augebantur onera ceterorum, *l.* 4. *sup. de exaction. tribut. Novel.* 43. nunc relevantur singulis pristino munere restitutis, et albo decanorum erasis. Ait, *Primatum ejus qui subrogatur*. Hic locus ostendit eos ex diversis corporibus eligi primatum cujusque corporis judicio. In extremo additur de chartopratis, ut chartarum venditio, quæ ex provinciis in urbem transmittuntur, fiat secundum antiquam formam, id est, ut chartas fiscales suscipiant et vendant qui solebant, non argentarii, ad quos novissime translata chartæ venditio fuerat. Quia lex scripta est ad præfect. urbi, videtur chartarum dispositio et cura ad eum pertinuisse, *Nov.* 44. videtur ad Comitem sacrarum largitionum referri. Chartariæ fuere ut Romæ, ita Constantinopoli quarta regione, quæ a Zonara in Valentiniano, et a Cedreno vocatur Calcopratia, eodem errore quo et hunc titulum Græci inscripserant, περὶ συγματικῶν καὶ χαλκοπρατῶν. Chartopratia enim dicere debuerant. Ait, *dicendum*, malo *edicendum*.

TIT. XIX. *De studiis liberalibus urbis Romæ et Constantinopolitanæ.*

1. *Impp. Theodosius a. et Valentinianus Cæs. Theophilo p. v.* Universos, qui usurpantes sibi nomina magistrorum in publicis magistrationibus cellulisque collectos undecunque discipulos circumferre consueverunt, ab ostentatione vulgari præcipimus amoveri: ita ut si quis eorum post omissos divinæ sanctionis affatus, quæ prohibemus atque damnamus: iterum forte tentaverit: non solum ejus, quam meretur, infamiæ notam subeat, verum etiam pellendum se ex ipsa, ubi versatur illicite, urbe cognoscat. Illos vero qui intra plurimorum domos eadem exercere privatim studia consueverunt: si ipsis tantummodo discipulis vacare maluerint, quos intra parietes domesticos docent, nulla hujusmodi interminatione prohibemus. Sin autem ex eorum numero fuerint, qui videntur intra Capitolii auditorium constituti hi omnibus modis privatarum ædium studia sibi interdicta esse cognoscant: sciturі, quod si adversus cœlestia statuta facientes, deprehensi fuerint: nihil penitus ex illis privilegiis consequentur, quæ his qui in Capitolio tantummodo docere præcepti sunt, merito deferuntur. Habeat igitur auditorium specialiter nostrum in his primum, quos Romanæ eloquentiæ doctrina commendat, oratores tres numero, decem vero grammaticos: in his etiam qui facundia græcitatis pollere noscuntur, quinque numero sint sophistæ, et grammatici æque decem. Et quoniam non in his artibus tantum adolescentiam gloriosam optamus institui, profundioris quoque scientiæ atque doctrinæ memorantis magistris sociamus auctores. Unum igitur adjungi ceteris volumus, qui philosophiæ arcana rimetur: duos quoque, qui juris, ac legum voluntates pandant: ita ut unicuique loca specialiter deputata adsignari faciat tua sublimitas, ne discipuli sibi invicem possint obstrepere vel magistri, neve linguarum confusio permista vel vocum aures quorundam, aut mentes a studio literarum avertat. *Dat. III. Kal. Mar. cp. Theod. A. XI. et Valentiniano Coss.*

Constitutio eos professores notat infamia, eisque interdicit orbe, qui sibi usurpant publice docendi auctoritatem. Privatam disciplinam probat: publice probatis receptisque professoribus ut doceant in Capitolio, ne et privatim doceant, interdicit. Publicorum professorum

numerum constituit. Conjungenda est cum *l. 1. inf. de professorib. qui in urbe Constantinop.*

TIT. XX. *De honoratorum vehiculis.*

I. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Nebridio p. v.* Omnes honorati, seu civilium, seu militarium dignitatum vehiculis dignitatis suæ, id est, carruchis intra urbem sacratissimi nominis semper utantur. *Dat. III. Kal. Febr. cp. Honorio n. p. et Evodio Coss.*

Carrucarum usum in urbe permittit civili militarive dignitate præditis, veluti præf. urbi, magistro militum, et similibus: quem et Senatoribus omnibus permisisse Severum, et privatis Aurelianum legimus.

TIT. XXI. *De privilegiis urbis Constantinopolitanæ.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Philippo pp. Illyrici.* Urbs Constantinopolitana non solum juris Italici, sed etiam ipsius Romæ veteris prærogativa lætetur. *Dat. Prid. Id. Iul. Eustathio et Agricola Coss.*

Sumpta est ex *l. 6. sup. de sac. eccl.* et juri Italico quod dederat *l. 1. Cod. Theod. de jure Ital. urb. Const.* adjicit privilegia et prærogativam veteris Romæ. Legatur Chalcedonensis Synodi cap. 28. legatur et Justiniani pragmatica sanctio ad petitionem Vigilii *cap. ut fabricæ publicæ serventur.*

TIT. XXII. *De Metropoli Beryto.*

I. *Impp. Theodosius et Valentinian. aa. Hormisdæ pp.* Propter multas justasque causas metropolitano nomine ac dignitate Berytum decernimus exornandam jam suis virtutibus coronatam: igitur hæc quoque metropolitanam habeat dignitatem. Tyro nihil de jure suo derogatur: sit illa mater provinciæ, nostrorum majorum beneficio, hæc nostro et utraque dignitate simili perfruatur.

Provincia Syriæ Phœnices duas habet metropoles, Tyrum et Berytum. Sic Pontica, Amasiam, et Neocæsaream, *Nov. 28.* et Cappadocia Cæsaream, et Tyanam: quam tamen divisionem, si quando princeps duas metropoles fecerit ex una, nec contra veterem consuetudinem ecclesiæ esse sequendam Basilius contendit apud Greg. Nazianzenum, et Innocentius probat in epist. ad Alexandrum.

TIT. XXIII. *De canone frumentario urbis Romæ.*

I. *Imppp. Valentinianus, Valens et Gratianus aaa. ad Iulianum pf. annonæ.* Nautici apud præsidum vel magistratuum acta confiteantur incorruptas species suscepisse, eorumque apud quos deponitur ista testatio, præsens aspectus probet, nihil in his esse vitii: quod eo tempore, quo ad sacræ urbis portum pervenit, præfecturam jugiter observare præceptum est. *Dat. XVIII. Kal. Iul. Remis Gratiano a. i. et Dagalaifo Coss.*

Populo alendo conferebant provinciales frumentum, oleum, porcinam, bubulam, et hic est qui dicitur canon et commeatus populi Romani, quem curante præfecto urbi et præfecto annonæ advehebant navicularii sive nautici et caudicarii, inspectum prius a præsidibus provinciarum vel duumviris, apud quos etiam navicularios testari oportebat de suscepti commeatus integritate. Inspectionem quoque præf. annonæ hæc constitutio exigit, navi appulsa Romam. Idem etiam officinas pistorum discurrebat, ut Cassiodorus ait, pensumque et munditiam panis exigebat.

II. *Impp. Arcadius et Honorius aa. ad Senatum et populum.* Si quid frumenti vel olei urbicarii canonis remissione indultum est: speciali beneficio contra commodum publicum elicita non valeant. *Dat. XVI. Kal. Mai Med. Cæsario et Attico Coss.*

Non valere rescripta quibus inferendi canonis P. Romani immunitas sive remissio conceditur, *l. 2. sup. de navib. non excu.*

III. *Iidem aa. Messalæ pp.* Neminem patimur in mutando canone urbis Romæ nostræ clementiæ beneficium postulare: sed ea rescripta, quæ quoquo modo potuerint impetrari, suscipi non sinimus: eos vero, qui contra hæc fecerint, in duplum retinendos esse decernimus: vicarios quin etiam ceterosque judices, nisi deinceps ab usurpatione urbicarii canonis abstineant, deportationis pœna detineri: primates officiorum capitali supplicio subjugari perpetua auctoritate sancimus. *Dat. Prid. Non. Sept. Altino Theodoro. v. c. Cos.*

Non valere rescripta quibus commutationem quis sibi canonis adoptat, veluti ut pro indicto frumento oleum inferat. In duplum teneri eum qui talia rescripta contra utilitatem publicam impetraverit: quod confirmat *l. 30. C. Th. de annon. et trib.* Altera pars coercet vicarios et præsides provinciarum et eorum officia, si quid ex commeatu Pop. Romani sibi sumpserint et usurpaverint.

TIT. XXIV. *De frumento urbis Constantinopolitanæ.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Urso p. v.* Nulli ne divinæ quidem domus nostræ frumentum de horreis publicis pro annona penitus præbeatur: sed integer canon mancipibus consignetur, annona in pane cocto domibus exhibenda: ita enim debet canon ab inclitæ memoriæ Constantino præstitus, nec non a divo pietatis meæ avo Theodosio auctus expendi: quoniam crescit inopia, si frumenta; quæ pro annona tribuuntur, ad usus alios deputata cognoscantur: cogentur enim de publico sibi emere, quæ alia vendere potuissent. *Dat. X. Kal. Aug. cp. Theod. a. VII. et Palladio Coss.*

Hic titulus est de canone populi Constantinopolitani, cui annona gratuita data est æque ac Romano. Primus dedit Constantinus, ut *l. 1.* indicat tam tituli præsentis quam sequentis, et Suidas his verbis: παλατῖνοι εἶδος ἄρτων, οὓς ἐφιλοτιμήσατο τῷ δήμῳ Κωνσταντῖνος ὁ μέγας καθ' ὃν ἐπάτευε χρόνον, οὕτως ὀνομασθέντας αὐτοὺς οἷα ἐκ τοῦ παλατίου χορηγουμένους· προσέθηκε δὲ τούτοις καὶ κρέα, καὶ οἶνον, καὶ ἔλαιον. An illud recte panes Palatinos dici, quod e Palatio erogarentur, ambigo: malim quod palatinis præberentur. Alii fuere militares, alii populares, *l. 7. C. Th. de an. civ.* Hunc vero constantinianum canonem postea auxit Theodosius: nam huic rei cum LXXX. fere millia modiorum deputasset Constantinus Socrate teste lib. 2. cap. 13. Theodosius auxit modum, *l. pen. C. Th. de an. civ.* ut Marcianus *l. 2. tit. seq.* ut Romæ Aurelianus teste Vopisco. Constituitur autem hac lege, ne frumentum pro pane populo præbeatur, sed integrum id quidem pistoribus detur, deinde populo panis coctus: alioquin frumentum si erogetur non panis, id populus in alios usus facile converteret, ac postea cogatur panem sibi emere quem vendere potuisset.

II. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Leontio p. v.* Auri statuta quantitas ad coemptionem frumentariam perpetuo sit dedicata, nec liceat cuiquam postea administratione urbicariæ potestatis percepta, aliquid ex eadem summa minuere, vel ad quoscunque alios usus convertere: sed sub gestorum testificatione certum fiat, et quod mancipibus mutui nomine datum est, et quod ab iisdem sit excepta omni concussione solvendum: eum autem qui hanc formam ausus fuerit inquietare, quantitatem, in qua suam calliditatem exercuerit, in duplum redhibere jubemus: et quicquid ex prædicta ratione adcreverit, ad cumulum ejusdem auri quantitatis et frumentarii tituli fomitem redundare: legisque hujus tenorem æneis tabulis incidi. *Dat. V. Kal. Dec. cp. Ariobindo et Aspare Coss.*

Ne præfectus urbi frumentariam pecuniam in alios usus convertat, alioquin tenebitur in duplum, et in id quod ex ea pecunia lucrifecerit. Et ut testate pecunia detur pistoribus mutui nomine ad coemptionem frumenti, utque vicissim testato frumenta coempta pistores conditis inferant. Mutuum hoc loco promutuum significat, et ideo Græci vertunt εἰς πρόχρησιν συνωνῆς, qui et in *l. 40. §. Servus. D. de statulib.* promutuum interpretantur, πρόχρησιν, et in *l. Ex conducto. §. Item cum quidam. D. loc.* promutua, ἐν προχρείᾳ. In Hermenopulo corrupte ἐν προχείρῳ. Theodorus Hermopolites ad *l. 1. sup. de sentent. quæ pro eo quod int.* δίδωσί σοι καὶ ἐν προχρείᾳ τὸ μίσθωμα τῶν τοιούτων χρόνων. Datur ergo pistorib. pecunia promutuo ex arca frumentaria, id est, in antecessum, ut vel eandem reddant vel frumentum et panes. Scio indebiti solutionem etiam promutuum esse: et aliam condictionem ex mutuo, aliam ex promutuo, quod alio tempore et loco demonstrabitur. Ait, *Excepta omni concussione*, Urbanicianus, qui pistorem concusserit, pistorum consortio addicitur, *l. 2. inf. de opp. præf. urb.*

TIT. XXV. *De annonis civilibus.*

I. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius aaa. Proculo p. v.* Annonas publicas non tam titulis dignitatum, quam singulorum viritim meritis attributas divi Constantini liberalitate, sano claruit. Ideoque nihil ex his scholarum nomine vindicetur, sed pro uniuscujusque merito quæ sunt concessa serventur: ut quicunque perceptarum annonarum emolumenta vel in hæredes proprios jure sanguinis transfuderunt, vel in extraneos distractionis titulo transcripserunt: maneat quod gestum est, vel hæreditatis merito, vel alienationis arbitrio. *Dat. VIII. Kal. Iul. cp. Arcad. a. II. et Rufino Coss.*

Hæc constitutio abrogat *l.* 8 et 9. *C. Th. de an. civ.* Dederat Constantinus panes civiles scholis, quæ sunt sub dispositione magistri officiorum xi ut ait Justinianus in *l. ult. sup. de loc.* Notitia x. recenset, Scutariorum primam, secundam, tertiam, Agentium in rebus, Armaturarum seniorum, Armaturarum juniorum, Gentilium seniorum, Gentilium juniorum, Scutariorum sagittariorum, Scutariorum clibanariorum. Undecima est fabricensium schola. Ex hac largitate Constantini orta est quæstio, utrum eos panes singulis scholaribus dedisset, an scholæ et universitati, non abs re. Nam si scholæ dedit, in schola manent semper, nec vendi vel in hæredem ab scholari transmitti possunt. Si personis singulorum, contra. Illæ leges scholæ favent. Hæc interpretatur datos meritis singulorum viritim (sic legendum, ut Græci καθέκαστον, non *virorum*) et ideo alienationem et transmissionem eorum esse.

II. *Imp. Martianus a. Tatiano pp.* Centum vigintiquinque modios frumenti præter solitum canonem per singulos dies de præsenti sexta indictione ex die Kalendarum Januarii nomine peritteumatis de horreis publicis hujus almæ urbis insita nostræ pietatis liberalitate tribuimus: datis sacris apicibus ad sublimissimam quoque per Orientem præfecturam, quibus possit, et modum nostræ donationis agnoscere, et incunctanter præbere quæ jussimus, quam modiationem jugiter et in perpetuum civibus nostris debere conferri, valitura in ævum hac lege sancimus.

Hæc constitutio annonis urbis Constantinopolitanæ adjicit modios cxx. diurnos, nomine *paropteumatis*. Sic habent veteres libri omnes, non *peritteumatis*, rectissime: id autem est tesseræ nomine, quæ πττάς a Græcis appellatur, et πίτευμα, et παραπτεύματα cui etiam Martianus suæ pietatis nomen inseri jubet, sumpto plane exemplo ex *l.* 2. *inf. de frum. Alex.* De annonis diximus pleraque alia libro decimo, quæ repetere neque moris est, neque instituti nostri: quod quisque locus exigit, id breviter simul accumulate præstari satis esse ducimus.

TIT. XXVI. *De mendicantibus validis.*

I. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. ad Severum p. v.* Cunctis affatim quos in publicum quæstum incerta mendicitas vocavit, inspectis, exploretur in singulis et integritas corporum, et robur annorum, atque inertibus, et absque ulla debilitate miserandis necessitas inferatur, ut eorum quidem, quos tenet conditio servilis, proditor studiosus et diligens dominium consequatur: eorum vero, quos natalium sola libertas prosequitur, colonatu perpetuo fulciatur, quisquis hujusmodi lenitudinem prodiderit ac probaverit, salva dominis in eos actione, qui vel latebram forte fugitivis, vel mendicitatis subeundæ consilium præstiterunt. *Dat. XII. Kal. Iul. patavi Antonio et Syagrio Coss.*

Annonæ populares dabantur domorum possessoribus et mendicis invalidis, non validis. Validi, si servi sint, dominum mutant, et delatori acquiruntur, domino pristino servata actione servi corrupti. Si liberi, delatoris coloni perpetui efficiuntur. Ait, *lenitudinem*, id est, inertiam et ignaviam, ut *l. Hi quos. C. Th. de accus.* cujus fuit olim propria actio quædam, quæ dicitur τῆς ἀργίας γραφή. Nov. 80 per quam huic constitutioni abrogatur. Valerius 2. c. 6.

TIT. XXVII. *De nautis Tiberinis.*

I. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Symmachum p. v.* Qui navem Tiberinam habere fuerit ostensus, onus reipublicæ necessarium agnoscat. Quæcumque igitur navigia in alveo Tiberis inveniuntur, competentibus et solitis obsequiis mancipentur: ita ut nullius dignitas aut privilegium ab hoc officio vindicetur. *Dat. VIII. Id. Oct. Altino divo Ioviano et Varroniano Coss.*

Ne quis dignitate vel privilegio ullo navem quam habet in Tiberi, excuset a subvectione canonis pop. Romani.

TIT. XXVIII. *De frumento Alexandrino.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Anthemio pp.* In æstimatione frumenti, quod ad civitatem Alexandrinam convehitur, quicquid de enthologia, e zygostasii munere, et pro naucleroram tuenda substantia eminentia tua disposuit, roboramus: atque ut curialibus prædæ auferatur occasio, jubemus eos ad hujusmodi sollicitudinem affectandam nunquam accedere, sed designata officia tuis provisionibus examinata sollicitudinem prædictam implere. *Dat. V. Kal. Febr. cp. Honorio IX. et Theodosio V. aa. Coss.*

Lex. 2. est de canone frumentario pop. Alexandrini. Lex. 1. de canone pop. Romani, vel Constantinopolitani advecto ex Alexandria, et quod ex tota Ægypto Alexandriam convehitur, æstimetur, exculiatur, et admetiatur in Alexandria, ne quid naucleri id Romam advehentes ex eo usurpent, vel ne quid ex ea re subeant discriminis, dum forte vel non tale, vel ampliorem modum suscepisse insimulentur. Qui in Alexandria frumento suscipiendo, et excutiendo præfectus est, ἐκλολόγος appellatur, qualem et apud Opuntios fuisse Plutarchus refert in hellenicis. Qui admetiendo, ζυγοστάτης, de quorum munere, quæ disposuerat Anthemius PP. Orientis, hæc constitutio probat. Græci vertunt, ὁ ἐκχόλανος σῖτος ἀπὸ Ἀλεξανδρείας καθολογείσθω εἰς Ἀλεξάνδρειαν καὶ σταθμιζέσθω. Adjicit, ut hæc munera gerant non curiales Alexandrini, sed Præfectiani ab Anthemio probati et ordinati.

II. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Isidoro pp.* Diurnos centum et decem modios alimoniis Alexandrinæ civitatis addi decernimus, ut nemo privetur eo, quod nunc usque percepit, et perissochoregiæ nomen penitus amputetur, et tesseræ designentur, et nostræ pietatis nomine censeantur. *Dat. Prid. Non. Iun. cp. Isidoro et Senatore Coss.*

Alexandria, quam Procopius sophista τῆς οἰκουμένης βάραθρον appellavit, Strabo τῆς οἰκουμένης μέγιστον ἐμπόριον, multa habuit præcipua, *l.* 56. et *seq. sup. de decur.* l. *ult. sup. de legat.* et proprium canonem, ut utraque Roma, quem hæc constitutio auget eo adjuncto ut perissochoregiæ, id est, supererogationis nomen penitus amputetur, qua loquendi forma et superexactionem περισσοπραξίαν vocant, id est, ne hæc Imperatorum largitio supererogatio appelletur, sed tesseræ Theodosianæ: et *parapteumata* Martiana ex *l.* 2. *sup. de an. civ.*

TIT. XXIX. *De Alexandriæ primatibus.*

I. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Isidoro pp.* Corporatos civitatis Alexandrinæ repurgandi fluminis onere liberamus, et pro tenore dispositionis tuæ quadringentos solidos ex dioumio vectigali memoratæ civitatis præcommodari decernimus: ita ut ex titulo navium modis omnibus repensetur. *Dat. Prid. Non. Iun. cp. Isidoro et Senatore Coss.*

Ut corporati orbis Romæ privilegiati sunt, sicut traditum est lib. xiv. ita et corporati Alexandriæ, quos specialiter hæc lex facit immunes ab onere purgendi Nili, et in eam rem ex dinummio vectigali accommodari decernit solidos quadringentos. Vectigal proprie significat quod fisco vel Reip. præstatur pro mercibus quæ importantur vel exportantur, quod ἐξαγώγιον Justinianus vocat in *edicto de Alexandrinis*, et Strabo lib. xvii. in Alexandria vectigalia alia ἐξαγωγικὰ alia εἰσαγωγικὰ facit. Dinummium autem appellatum videtur a præstationis quantitate et modo. Quod fuerit ex eo exagogii titulo sumptum, id impleri jubet ex titulo naulorum.

TIT. XXX. *De jure reipublicæ.*

I. *Imp. Antoninus a. Dionysio* Si quid adversus rempublicam indefensam in ea specie, in qua neque defensores creati fuerunt, neque ut crearentur placuerit, statutum est: actionibus ejus nihil præjudicatum est.

Contra civitatem indefensam dicta sententia non valet: qua in re comparatur pupillo vel adolescenti.

II. *Idem a. Phorodio etc.* An respublica, in cujus locum successistis, ideo quia satisfecisse vos debito proponitis, jus pignoris in eo fundo habeat apud suum judicem quæritur: si enim neque beneficio sibi concesso id jus nacta est, neque specialiter in obligatione pignoris sibi prospexit, causa ejus non separatur a ceteris creditoribus, qui habent personalem actionem.

Respublica tacitam hypothecam non habet nisi ex privilegio, *l. Antiochensium. D. de reb. auct. jud. poss.* ergo nec is qui Reip. successit soluto debito. Successio tamen privilegium in personali actione ei dabit quod habuit Resp. l. 3. *sup. qui pot. in pig. hab. l. Romæ D. de reb. auct. jud. poss.* Fisci melior est conditio. Accursius confundit fiscum et Remp. male.

III. *Imp. Alexander a. Saturnino.* Rempublicam ut pupillam extra ordinem juvari moris est.

Resp circumscripta in integrum restituitur perinde ac pupillus vel adolescens, *l. 1. sup. de off. ejus qui vic. alic. jud. obt.* l. 4. *sup. quib. cau. ma. in int. rest.* Quid hic hærent interpretes? Resp. quamlibet civitatem significat.

IV. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Urbano.* Si secundum legem civitatis respublica, cujus meministi, ruina collapsis ædificiis tuis distraxit aream: nihil contra hujus legis tenorem rector provinciæ fieri patietur.

Probatur lex municipalis, quæ ruina lapsorum ædificiorum aream addicit fisco: merito: Cur enim ea non refecisti aut restituisti? qua ratione et Vespasianus vacuas areas occupare et ædificare, si possessores cessarent, cuicunque permisit, auctore Suet. et Victore.

TIT. XXXI. *De administratione rerum publicarum.*

I. *Imp. Philippus a Crescentiæ.* Fundum vectigalem si suis quibuscunque temporibus debitæ quantitates inferantur, invito possessore auferri non posse manifestum est.

Agri civitatum dati in emphyteusim non revocantur, nisi emphyteuta in solvendo canone per triennium cessaverit, l. 2. *sup. de ju. emphyteut.* Post triennium Reip. committuntur.

II. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. et cc. Iulio et Zenodoro.* Contra eos qui rempublicam administrantes, per officii necessitatem sub conditione relicti fideicommissi satis accipere debuerunt quanti reipublicæ interest satis non esse acceptum, dirigendam actionem prospicitis. *pp. VII. Kal. Dec. cc. Coss.*

Repetita est in *l. ult. sup. ut in poss. leg.* Administratores rerum publicarum si fideicommissi conditionalis civitati relicti caveri sibi non curaverint, Reip. tenentur in id quod interest.

TIT. XXXII. *De vendendis rebus civitatis.*

I. *Imp. Antoninus a. Herculiano.* Si sine ulla conditione prædia vendente republica comparasti, perfecta venditione nulla ratione vereris, ne adjectione facta auferri tibi dominium possit: tempora enim adjectionibus præstituta ad causas fisci pertinent, nisi si qua civitas propriam legem habeat.

De hac lege scripsimus Obs. 2. c 24. et *l. 4. sup. de fide has. fisc*

II. *Impp. Valerianus et Gallienus aa.* Quamvis incrementum conductioni factæ publici prædii videtur offerri, non tamen additamenti specie oportet fidem locationis infringi, præsertim cum tantum jam temporis ex contractu decessisse proponas.

Ut post venditionem factam a Rep. adjicere non licet, ita nec post locationem, præsertim, inquit, cum jam, etc. Nam et post certa tempora venditioni vel locationi fiscali adjicere non licet.

III. *Imp. Leo a. Erithrio pp.* Si quæ hæreditatis, vel legati, seu fideicommissi, aut donationis titulo domus, aut annonæ civiles, aut quælibet ædificia vel mancipia, ad jus inclytæ urbis, vel alterius cujuslibet civitatis pervenerant, sive pervenerint: super his licebit civitatibus venditionis pro suo commodo inire contractum, ut summa pretii exinde collata ad renovanda sive restauranda publica mœnia dispensata proficiat: indefessa vero cura prospicientes, ne quis adversus civitatum commoda quicquam moliri possit incommodi, sed sine ulla fraude, seu nundinatione, vel colludio, seu conniventia hujusmodi venditiones procedant: hoc in posterum observandum esse censemus, ut siquidem ad hanc inclytam urbem, domum, vel civiles annonas, aut alia quælibet ædificia vel mancipia pertinentia contigerit venundari, non aliter nisi imperiali auctoritate vendantur: in provinciis vero præsentibus omnibus, seu plurima parte tam curialium, quam honoratorum et possessorum civitatis, ad quam res prædictæ pertinent, propositis sacrosanctis scripturis, singulatim unumquemque eorum, qui convenerint, jubemus sententiam quam putent utilem patriæ suæ designare: ut ita demum decreti recitatione in provinciali judicio interveniente, emptor competentem possit habere cautelam. Hos autem venditionum contractus, sive jam completi fuerint, sive postea ineundi fuerint, stabiles esse censemus.

Ut prædia, mancipia, panes civiles ad urbem Constantinopolitanam pertinentes non vendantur nisi auctoritate principis: ut ad alias civitates pertinentia, non nisi decreto curiæ insinuato præsidi provinciæ: Et ut decretum fiat propositis sacrosanctis Evangeliis quasi Deo teste; et pretium inde collectum operibus publicis proficiat.

TIT. XXXIII. *De debitoribus civitatum.*

I. *Imp. Antoninus a. Diodoro.* Non prius debitorem reipublicæ honorem in republica subire, quam id quod debere constiterit, conventus exsolverit, tam meis quam divorum principum constitutionibus declaratur.

Debitores civitatis antequam solverint, ad honores invitari non possunt. Hoc ita si debitores sint ex administratione vel pollicitatione, non si ex mutuo, l. *Rescripto. §. Debitores. et seq. D. de mun.* Si igitur quis pollicetur Reip. ob honorem decernendum, tenetur ex pollicitatione, nec honorem suscipere potest antequam pollicitationi satisfecerit. Tenetur et qui pollicetur ob honorem decretum, quo casu nihil debuit quo tempore honorem cœpit.

II. *Imp. Constantinus a. Verino s.* Apud eos, quos superstites integris facultatibus esse pervideris, vel quorum hæredes incolumia retinent patrimonia, sortes reipublicæ perseverare debebunt: ita tamen ut annuas usuras suis quibuscunque temporibus exsolvant, cum simul et Reipublicæ utile sit retinere idoneos debitores, et ipsis commodum cumulum debiti minime nutriri. Et quia nefas est, obnoxiis corporibus alienatis, circumscribi civitates placuit, si quis debitor reipublicæ civitatis quippiam ex eo patrimonio, quod habuit cum pecuniam reipublicæ sumeret, donaverit vel distraxerit, vel qualibet in alium ratione contulerit: qualitate rei alienatæ perspecta, atque omnibus debitoris facultatibus consideratis, quas habuit, cum ei pecunia crederetur: pro rata ab eo, qui ex debitoris facultatibus aliquid detinet, ex sorte atque usuris postulari: itaque quoties minus idoneum deprehenditur ejus patrimonium, cujus nomen civitati alicui invenitur obnoxium: judex omni diligentia et sollicitudine debebit inquirere, ad quos ex qualibet conditione transierint debitoris facultates: ut singuli æqua æstimatione habita, pro rata rerum quas possident, conveniantur: personalem actionem contra eum habituri debitorem, qui ipsis solventibus liberatur. Ab eo autem a quo constat fortunarum suarum partem maximam recessisse, etiam reliquam portionem, quæ apud eum resederit, transferri ad idoneum oportebit. Quod si quispiam debitor reipublicæ civitatis fisco nostro locum fecerit, emptores qui ex fisco nostro comparaverint, manifestum est secundum jus vetus et rescripta divorum constitutionesque nostras nullam debere molestiam sustinere. Quod si quis debitor non comparuerit, vel certa omnia

sua ita consumpserit, ut nemo aliquam rem ex ejus bonis possideat: id debitum convenit ad dispendium reipublicæ pertinere, ideoque cura patris civitatis apud idoneos, vel dominos rusticorum prædiorum pecunia collocanda est. *pp. Kal. Feb. Volusiano et Anniano Coss.*

Primum hoc constituitur, ne idonei debitores civitatum inquietentur in sortes, quæ usuras pariunt quotannis. Solvent ultro si nolint cumulum debiti onerari. Tum ut a debitore civitatis bonis quibusdam venditis, quæ tempore contractus habuit, pro rata emptor teneatur in sortem et in usuras, in reliquum debitor pro rata eorum quæ retinuit, maxima parte vendita, ut quod debitori restat in emptorem transferatur, atque ita ab eo solidum exigatur. Manifestum est emptorem non teneri hypothecaria, quia possessio ab eo non avocatur, et contractam fuisse hypothecam lex non dicit. Quod enim ait, *Obnoxiis corporibus*, μετωνυμία est, pro patrimonio ejus cujus nomen, ut paulo post loquitur, civitati obnoxium est. Manifestum est non teneri Paulliana, quia venditio non rescinditur. Sed actione personali tenetur, quasi debitor in sortem et in usuras pro rata bonorum, quæ a debitore emit, ex hac lege, quam, nisi quod addidit Tribonianus, ante Constantinum obtinuisse arguet *ult. inf. quo quisque ord. conv.* Quod autem solverit, a debitore principali recipiet quasi empto nomine actione cessa, vel etiam sine cessione, utili suo nomine ad exemplum personalis, qua reus principalis Reip. tenetur, l. 1. *sup. de obl. et act.* Deinde lex duos ponit casus, quibus aversio facultatum debitoris Reip. periculo cedit, nisi quod salva est actio in patrem civitatis: unus est, si bona debitoris publicata sint, quæ res non perimeret hypothecam si contracta esset. At si nulla fuerit hypotheca contracta, bona ad fiscum transeunt sine onere æris alieni, at a fisco rursus ad emptorem. Dico, si publicata sint quoniam lex ait. *Fisco locum fecerit:* quæ verba ita accipi reperio in l. 5. *sup. de jur. fisc.* l. 3. *C. Th. de bon. pros.* Quod si ob cessationem solemnium functionum occupata sint et distracta etiamsi fuerit contracta hypotheca, perimetur, et fisci, vel ejus, qui a fisco emerit, potior est causa quoniam antiquior in hypotheca bonorum fiscus censetur *l. 1. sup. si propt. pub. pens.* eo multo minus emptor tenebitur personali actione. Sed si debitoris Reipub hæreditatem quasi vacantem fiscus vendiderit, emptor Reipubl. tenebitur *l. 1. sup. de hæred. vend.* nec ei proficiet constitutio Zenonis, quæ emptorem de proprietate vel hypotheca interpellari vetat, non de statu, nec de debito hæreditario. Alter est si debitor copiam sui non faciat, et bona mobilia, quæ habuit tempore contractus, nusquam appareant. Igitur apud rerum immobilium possessores et idoneos, non dissolutos vel luxuriosos, a patre civitatis pecunia collocari debet: alioquin ipse tenebitur. De patre civitatis scripsi satis in *l. 3. sup. de his qui spons. mun. suscep.*

TIT. XXXIV. *De periculo nominatorum.*

I. *Imp. Gordianus a. Severino.* Hi qui a te collegaque tuo magistratus creati sunt, etiamsi maxime fidejussores non exegistis, tamen si per id temporis, quo magistratus honor deponebatur, solvendo fuerint, periculo vos creationis non fecerunt obnoxios ex eo, quod casu aliquo patrimonium eorum mutilatum sit: cum cessationi suæ id debeant imputare, damnaque reipublicæ (si qua ob culpam eorum passa est) sarcire, qui cum nomine publico eos convenire potuissent, id facere supersederunt.

Duumviri solent sibi successores nominare, ex qua nominatione Reip. obligantur, si successores tempore depositæ administrationis, pari rationi faciendæ pares non sint, nec ab eis creationis tempore creatores satis exegerint, quod si tempore depositi honoris solvendo sint etiamsi ab eis creatores satis non exegerint, non tenentur, l. *Ordine. §. 1. D. ad municip.* Sed si forte postea lapsi sunt facultatibus damnum Reipub. præstabunt, quorum culpa tardius sunt ab eis rationes exactæ.

II. *Idem a Rufino* Si successoris tui successor non idoneum loco suo magistratum denominaverit, administrationis ejus periculum ad tuam personam spectare nequaquam potest: etenim nominati successoris duntaxat quisque periculum suscipere compellitur, nec ad nominatoris nominatorem manus jure porrigi possunt.

Nominati successoris periculum nominatorem nominantis non tenet, ut si ego te nominavero, tu Titium Titii periculum me non teneat. Idem si ego pro te fidejussero, tu tibi successorem nominaveris *l. Libertus. §. pen. D. ad municip.* Non si pater filio consenserit ad decurionatum, et filius sibi successorem nominaverit. Plus ergo tenetur pater quam fidejussor, plus est quam fidejussor, et quasi reus ipse *l. 2. D. eod.* quod summe notandum.

TIT. XXXV. *De periculo eorum qui pro magistratibus intervenerunt.*

I. *Imp. Antoninus a. Augustali.* Fidejussorem magistratuum in his, quæ ad reipublicæ administrationem pertinent, teneri, non in his, quæ ob culpam vel delictum eis pœnæ nomine irrogentur, tam mihi, quam divo Severo patri meo placuit.

Superior titulus est de nominatoribus magistratuum, hic de fidejussoribus: utrique Remp. salvam præstare ex magistratuum administratione debent, non etiam ex nominatione successorum ab eis facta honore deposito. Et rem, non pœnam vel multam, quæ extra rem accedat, ut si magistratus pecuniam Reip. interverterit, fidejussor ejus tenebitur in sortem, non in pœnam, si qua illi ob eam causam infligatur et hoc est quod ait hæc constitutio, quam significari puto in *l. Fidejussor. D. de fidejuss.* Patris aliam esse conditionem arbitror. Hic enim plus quam fidejussor vel nominator est, ut dixi *l. 2. sup tit. prox.*

TIT. XXXVI. *Quo quisque ordine conveniatur.*

I. *Imp. Antoninus a. Luciano.* Et si duobus simul cura pecuniæ civitatis, non tamen separatis portionibus, mandetur, singuli non pro virili portione, sed in solidum reipublicæ obligantur. Cum autem de indemnitate civitatis ejus quæritur, prius ejus bona, qui administravit, ac mox (si satisfieri non poterit) collegæ conveniuntur. Vos tamen, qui hæredes unius ex curatoribus extitistis, damno, si quod post mortem ejus dolo vel culpa collegarum accessit, onerari non est rationis.

Plures sunt qui pro eo obligantur qui honorem vel munus aliquod publicum gessit, nominator, fidejussor, collega, pater. At quo ordine conveniantur videamus. Puto separanda esse munera a magistratibus. Dum priores leges hujus tit. sunt de muneribus. Duæ posteriores de magistratibus. Si munus duobus injunctum sit separatis portionibus, hic ordo servatur fidejussor, nominator, collega l. 2. *inf. hoc. tit. l. 3. sup. de con. fis. deb.* Si pro indiviso, hic, collega, fidejussor, nominator, *d. l. 2. l. Adversus sup. de mag. conv.* Collega, quia correus hoc casu. Fidejussor, quia propius semper accedit ad reum quam nominator. In magistratibus ordinis ratio eadem est, sive duo creati sint magistratus divisis actibus administrationis, sive indivisis, puta, ut fidejussor primum excutiatur, tum nominator deinde collega, l. 3. et 4. *hoc. tit. l. Imperator. D. ad municip.* et notandum quod ait l. 3. *In magistratibus*, quasi idem non sit constitutum in muneribus. Nam magistratus non omnimodo sunt correi. Nec enim si deposito honore ambo solvendo sint, in singulos est actio in solidum, sicut in eos quibus pro indiviso munus injunctum est, *l. Si pupillus. D. de adm. tut.* Sic et si unus ex eis solvendo non sit, ad collegam quasi correum non venitur inexcusso inopi fidejussore ac nominatore, *d. l. Imperator.* Reum principalem qui munus vel honorem gessit, ante hos omnes esse conveniendum constat, ac proinde etiam patrem ejus, argumento eorum quæ diximus, *l. 2. de. per nom.* et *tit. praeced.* Hæc est hujus quæstionis definitio. Adjicit hæc *l. 1.* uno ex curatoribus pecuniæ publicæ defuncto, hæredem ejus pro collega non teneri ex ea causa, quæ non habuit locum eo vivo. Et ita omnibus idoneis defunctis, diceremus inter hæredes periculum non esse commune in eo quod post mortem cujus hæredis dolo vel culpa contigerit, l. *Tutores. §. Tutoribus. D. de adm. tut.*

II. *Imp. Gordianus a. Valerio.* Quotiens duobus non separatim, sed pro indiviso munus injungitur, et ita ut unusquisque eorum periculo soliditatis videatur obstrictus: manus ad nominatorem prius quam utrique, qui id munus administraverunt, solemniter fuerint excussi, nulla ratione porrigi possunt. Si vero separatis portionibus ad munus nominati sunt: prius pro portione conveniantur, qui administraverint, item fidejussores eorum, si nec ab his quidem indemnitas fuerit servata: tunc demum creatorem, ac si ne his quidem sufficiat, novissime participem muneris conveniri debere præses non ignorat.

Duobus creatis curatoribus Reipub. vel duumviris pro indiviso, id agitur tacite ut vice mutua obligentur in solidum: et male in *l. seq.* additum est quibusdam Codicibus, *hoc expresso*, et in hac scriptum, *soliditatis*, cum ex vel. sit legendum, *sodalitatis*, id est collegii: cetera exposuimus *l. 1.*

III. *Imppp. Carus, Carinus, et Numerianus aaa. Theodosio.* Si ita duumviri creati estis, ut mutuo periculo teneamini, in dubium non venit, vicariis

damnis vos esse obstrictos, cum in magistratibus prius nominatores conveniendos esse; hoc quod in persona vestra custodiri desideratis, constitutum, est.

Certum est Duumvirorum creatorum pro indiviso commune esse periculum. At non ante ea facto alter conveniatur, quam creatores excusati fuerint. Hoc enim in magistratibus constitutum est: qui idem ordo non servatur in muneribus. Cum, pro quamvis l. 60. *Cod. Th. de appellat.*

IV. *Impp. Diocletianus et Maximianus* aa. *Dioni.* Cum te et collegam tuum magistratus vestri tempore publicum fœnus collocasse proponas, nec potuisse debitum a quibusdam reipublicæ restitui, cum paratus sis pro te id, quod solus gessisti, reipublicæ satisfacere, consequens est rempublicam, si separati actus vestri contractus fuerint, successores collegæ tui, vel rerum ejus possessores prius ob personam ejus convenire: et si solida indemnitas reipublicæ servata non fuerit, nominatores ejus interpellare, ac postremo loco, si quid ex nomine tui collegæ defuerit, ob culpæ nexum te interpellare: priores enim nominatores veluti fidejussores placuit obstringi.

Ait *si separati.* Dati quidem sunt pro indiviso, sed diviserunt inter se administrationem, quæ res vice mutua periculo non liberat. Ceterum idem ordo servatur, qui servaretur, si separata initio fuisset administratio. Ait, *Ob culpæ*, Sic in *l. Imperator. D. ad municip.* eademque ratio est in muneribus, veluti in tutelis, *l.* 1. *Usque adeo. de tut. et rat. dist.* in quo placet quod Hugolinus scripsit, negationem superesse illo loco. *Si non contular*, *l. 6. sup. arb. tut.*

TIT. XXXVII. *Ne quis liber invitus actum gerere cogatur.*

I. *Imp. Alexander. a. Urbico.* Si ut proponis decreto ordinis ad libertatem ductus es, non debere te invitum actum reipublicæ administrare, curator reipublicæ non ignorat: præsertim cum servi hujusmodi officia administrare debeant.

Ut privati servos actores habeat, ita Resp. præpositos pecuniis dandis et suscipiendis, stipulationibus contrahendis, rationibus dominii tractandis, qui sunt sub dispositione curatorum Reip. vel kalendarii vel patris civitatis *l.* 1. *inf. de solut. et lib. deb. civ.* Liberis actoribus non utuatur, et ideo plerique ad actum gerendum se venire patiuntur, *l. 6. §. Irritum. D. de inj. rup.* atque ita capite minuuntur. Sola tamen actus gesti ratio caput non minuit, *l. Liberos. sup. de lib. cau.*

II. *Imppp. Diocletianus et Maximianus aa. Tiberio.* Si cum ingenuus esses ad actum gerendum a republica compelleris: auxilium præsidis et juris præsidia, prout usus exigebat, implorare potuisti.

Potest liber sua sponte Reip. actum gerere, non invitus, quia servile officium id est.

TIT. XXXVIII. *Sumptus injuncti muneris ad omnes collegas pertinere.*

I. *Impp. Diocletianus et Maximianus* aa. *Dioscoro.* Cum ad munus exhibendarum angariarum cum aliis creatus, a consortibus muneris sollicitudine deserta solum te functum esse proponas: sumptuum detrimenta, si qua acciderint, collatione eorum, quos munus oportuerat participare, provisione præsidis dividentur. Quod si et a te obsequium derelictum esse cognoverit: quid censuræ congruit, non ignoret.

Pluribus curatoribus creatis ad cogendas angarias, si unus coegerit, alii cessarint, cessatores sumptus in eam rem factos agnoscent pro rata. *Si qua*, inquit, *acciderint.* Nam plerumque solet esse sine sumptu, ut diximus in l. 1. *sup. quemad. civ. mun. ind.* Si omnes cessarint, præsidis provinciæ coercitio est.

TIT. XXXIX. *De iis qui ex officio quod administraverunt conveniuntur.*

I. *Imp. Antoninus a. Octavio.* Fœnoris reipublicæ, quod non tua culpa perditum esse apparuerit, sufficit sortis damnum, non etiam usurarum ejus sustinere.

Qui ex contractu pro debitore Reip. obligatur, veluti fidejussor, et in sortem tenetur et in usuras, l. 2. §. *ult. D. de adm. rer. ad civ. pert.* Qui ex officio quod administravit, *ut* puta Duumvir vel pater civitatis, qui non satis caute pecuniam publicam fœnori occupavit, in sortem tantum non in usuras. Pro pecunia quam ipse habet etiam in usuras. Pro alio in sortem tantum, si nulla ejus fraus vel culpa lata arguatur, *l. ult. in prin. D. eod. l. Lucius. §. Paulus. D. ad municip. l. Cum quidam. §. pen. D. de usuris.*

TIT. XL. *De solutionibus et liberationibus debitorum Civitatum.*

Liberationis verbum ad obligationem refertur. Solutionis ad obligationem, vel ad nummos. Si ad obligationem, æque patet ac liberationis, l. *Solutionis. D. de solut.* cui ex inscriptione conjungenda est *l. Liberationis. D. de verb. sign.* In hoc tit. et in generali de solutionibus et liberationibus, specialiter refertur ad nummos, et ob id numeratio dicitur frequenter, vel ad aliam rem debitam. Sic et liberatio specialiter ad eam, quæ ea solutione debitori contingit, vel non. Ergo de solutionibus et liberationibus, id est, de solutionibus ejus quod debetur, et liberationibus quæ ex eis debitori naturaliter contingunt. Interea tamen in titulo generali de aliis quibusdam agitur, quæ specie et jure solutionis censentur, veluti confusione et compensatione.

I. *Imp. Alexander a. Quatuorviris et decurionibus Fabretanorum.* Cautiones servorum publicorum ita demum firmam securitatem debitoribus præstant, si curatorum adsignantium vel eorum, quibus exigendi jus est, auctoritate subnixæ sunt. Cum autem is qui exsolvisse dicitur, solam scripturam actoris suscipientis pecuniam promat: ea tantum defensio consuevit admitti, si quod exsolutum est, reipublicæ rationi profecisse doceatur. Sane curator vester, si fraude servi constiterit effectum, ut interciperentur a curatore illatæ a debitoribus quantitates: de peculio ejus, quod eo modo deest, restituet.

Scripta est ad Quatuorviros, id est, magistratus Reipublicæ Fabretenorum, ut in veteri quadam inscriptione Hispaniæ, *Quatuorviris et decurionibus Saborensium*: et ideo paulo post ait, *Curator vester*, id est, curator Reip. Cavetur autem ea, ut apochæ actorum Reip. securitatem debitoribus non præstent, nisi factæ sint auctore et apochis adsignante curatore Reip. vel Kalendarii, vel nisi probetur pecuniam versam in rem civitatis. Teneri curatorem Reip. de peculio, si fraude actoris pecunia a debitore civitatis soluta, intercepta, nec in rem civitatis conversa fuerit.

TIT. XLI. *De spectaculis et scœnicis et lenonibus.*

I. *Imppp. Valens, Gratianus et Valentinianus aaa. ad Hesperium Proc. Africæ.* Non invidemus, sed potius cohortamur amplectenda felicis populi studia, gymnici ut agonis spectacula reformentur. Verumtamen cum primates viri populi studiis ac voluptatibus grati esse cupiant, promptius permittimus, ut integra voluptas sit, quæ volentium celebratur impensis. *Dat. VI. Id. Mar. Trev. Valente V. et Valentiniano aa. Coss.*

Cum vetitum paulo ante fuisset gymnicum certamen, id edere volentibus sua sponte populi recreandi causa, hæc lex permisit. Volentibus, inquam, non invitis, *l. Qui dolo. §. 1. D. ad leg. Jul. de vi publ.* Ait autem populi studia, ut Cassiodorus: Studia sua populus in circo et in theatro habet pro parte quam diligit, et Svetonius in Caligula: Infensus turbæ faventi adversus studium suum.

II. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. ad Valerianum p. v.* Quisquis equos quos vel serenitas nostra, vel ordinarii consules tribuunt voluptatibus, ad commodum compendiumque privatum abduxerit: unius libræ auri condemnatione multetur. *Dat. VIII. Kal. Mai. Trev. Eucherio et Syagrio Coss.*

Eum qui equos circenses in suos usus converterit, unius libræ auri condemnatione multari.

III. *Iidem aaa. ad Valerianum p. v.* Eos qui agitandi munus exercent, illustris auctoritas tua nullis propter Circense certamen affici noverit oportere suppliciis. *Dat. VIII. Kal. Mai. Trev. Eucherio et Syagrio Coss.*

In agitatores præf. urbi coercitionem non habere, nisi si quid circa equestre certamen deliquerint. Hæc est Græcorum interpretatio.

IV. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius aaa. Rufino pp.* Si qua publicis porticibus vel in his civitatum locis, in quibus nostræ solent imagines con-

secrari, pictura pantomimum veste humili, et rugosis sinibus agitatorem, aut vilem offerat histrionem, illico revellatur, neque unquam posthac liceat in loco honesto inhonestas adnutare personas: in aditu vero circi vel in theatri prosceniis, ut collocentur, non vetamus. *Dat. III. Kal. Jul. Heracleæ Arcadio a. III. et Honorio a. II. Coss.*

Scenici a Græcis appellantur thymelici, veluti mimi, histriones, ludiones. Hos constat esse famosos, et tribu movari: specialiter thymelici dicuntur cantores, qui modos faciebant et saltationes. Hi non sunt famosi, et hos videntur intellexisse Græci *l. 4. D. de his qui not. inf.* qui ita vertunt ἐκ ἔξι δὲ παιδικῆ τέχνῃ οὐδὲ ἀτιμωτικός ἢ τῶν ἀθλητῶν καὶ τῶν λεγόντων ἐν ταῖς ὁλυμπιακαῖς τὰ ἔνδοξα καὶ τῶν ἐν ξυστῷ ἀγωνιζομένων. Ilia lex illu adjungit agitatores, quos tamen hæc lex famosos, et inhonestos facit: quod vix aut ne vix quidam scio uti sine pugnantiæ confessione explicari possit: et ideo hac lege præcipitur ne scænicorum et agitatorum imagines honesto loco ponantur, quo principum collocari solent.

V. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Anthemio pp.* Nemo judicum ex quacunque civitate in aliud oppidum vel ex provinciæ solo equos curules, aurigas, bestias, histriones, cives tentet traducere: ne dum popularibus plausibus intemperanter serviunt, et publicarum rerum statum fatigent, et festivitatem impediant in cunctis oppidis celebrandam: ita ut si quis hanc violaverit jussionem, pœna teneatur ea quæ legum violatores persequitur. *Dat. VIII. Id. Aug. cp. Honorio VIII. et Theodosio III. aa. Coss.*

Ne præsides ex una civitate in aliam, vel ex una provincia in aliam equos circenses, agitatores, histriones, feras traducant, et ut suæ civitatis sive provinciæ voluptatibus quique deserviant: et huic præcepto apponit sacrilegii pœnam.

VI. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Florentio pp.* Lenones patres et dominos, qui suis filiabus vel ancillis peccandi necessitem imponunt, nec jure frui dominii, nec tanti criminis patimur libertate gaudere. Igitur tali placet eos indignatione subduci, ne potestatis jure frui valeant, neve quid eis ita possit ocquiri: sed ancillis filiabusque (si velint) conductisve pro paupertate personis, quas sors damnavit humilior, episcoporum liceat, judicum etiam, defensorumque implorato suffragio, omni miseriarum necessitate absolvi: ita ut si insistendum eis lenones esse crediderint, vel peccandi ingerant necessitatem invitis, amittant non solum eam, quam habuerint potestatem, sed proscripti pœnæ mancipentur exilii, metallis addicendi publicis: quæ minor pœna est, quam si præcepto lenonis cogatur quispiam coitionis sordes ferre, quas noli. *Dat. XI. Kal. Mai. Felice et Tauro Coss.*

Pater qui filiam prostituit, patriam potestatem amittit, dominus dominium, creditor pignus, redemptor pretium redemptionis, venditor manus injectionem, et pater dominusve, qui invitam detinuerit in prostibulo, in metallum damnatur. Solvuntur prostitutæ et liberantur lenonum ob adinna interventu episcoporum, et judicum, et defensorum plebis, itemque mercede conducti ministri earum, veluti aquarioli. Sequitur septimæ constitutionis, quæ hoc titulo desideratur, summa ex lx. βασιλικῶν tit. 38.

VII. Μηδεὶς πορνοβοσκείτω τοῦ λοιποῦ, μηδὲ πόρνας ἐντεῦθεν ταῖς λεωφόροις εἰσαγέτω, μήτε οὖν δούλην ἢ ἐλευθέραν προϊστάτω τις· ἐπεὶ εὐτελὴς μὲν ὢν ὁ τοῦτο ποιῶν πρὸς τῷ τιμωρηθῆναι, καὶ μεταλλεύεται ἢ ὑπερόριος ἐξορίζεται· ἀξίωμα δὲ ἔχων ἢ ἐπιτήδευμα σεμνόν, ἀπολλύτω καὶ αὐτὴν σὺν τῇ οὐσίᾳ· ὡσαύτως καὶ οἱ θυρωροὶ τούτων ἀπεχέσθωσαν· εἰ δὲ δούλη εἴη τὸ πρᾶγμα, παρὰ παντὸς ἐκδικείσθω ποινῇ, εἴ τε ἀνήρ· εἴτε γυνή, εἴτε κληρικός, ἢ μοναχὸς τοῦτο ποιῇ· ταῦτα δὲ φυλαττέτωσαν οἱ ἄρχοντες μείζονες καὶ οἱ ἥττονες, καὶ αἱ τάξεις αὐτῶν ποινὴν ὑφορώμεναι, καὶ εἰς τὸ σῶμα καὶ εἴκοσι λιτρῶν.

INTERPRETATIO LATINA.

Ne quis deinceps lenocinium exerceat, et nullus reditus inde largitionibus inferatur, nullus ancillam, ingenuamve prostituat: alioquin humilior qui id fecerit coercitus metalli et exilii pœna damnabitur: honestior bona et militiam ac dignitatem amittet. His quoque abstineant thymelici: Quod si ancilla prostituta sit, ut gratuito vindicetur ab omnibus viris aut feminis, clericis aut monachis. Et uti hæc observent magistratus tam minores quam majores, et officia eorum corporis, et XX. librarum imminente pœna.

Tollit ergo hæc constitutio prostibula, et lenocinia, ut *Nov. 14.* Prostitutarum ancillarum ab hac injuria vindicationem et liberationem publicam facit, sicut libertorum venditorum, *l. ult. sup. de pat. qui fil. distr.* dum ne, ac si ab hostibus redemptæ, pro pretio pignori teneantur, sed solvantur statim, ac ne scænicæ quidem vel arenario hanc mulierum productionem licere concedit. Vectigal lenonum et meretricum tollit: quod et Alexander auctore Lampridio sacris largitionibus inferri vetuit, sed sumptibus publicis deputavit. Caligula exegit Suetonio auctore.

TIT. XLII. *De expensis publicorum ludorum.*

I. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Marcello.* Cum præsidem provinciæ impensas, quæ in certaminis editione erogabantur, ad refectionem murorum transtulisse dicas, et quod salubriter derivatum est, non revocabitur: et solemne certaminis spectaculum post restitutam murorum fabricam juxta veteris consuetudinis legem celebrabitur. Ita enim et tutelæ civitatis instructo murorum præsidio providebitur, et instaurandi agonis voluptas confirmatis his, quæ ad securitatis cautionem spectant, insecuti temporis circuitionn repræsentabitur.

Licere præsidi provinciæ ludorum expensas in murorum maxime necessariam refectionem conferre, ita tamen, ut post eorum refectionem rursus ludi populi voluptatibus exhibeantur.

TIT. XLIII. *De aquæductu.*

I. *Imp. Constantinus a. ad Maximil. com. s. l.* Aquarum possessorem, per quorum fines formarum meatus transeunt, ab extraordinariis oneribus volumus esse immunes, ut eorum opera aquarum ductus sordibus completi mundentur, nec ad aliud superindictæ rei onus iisdem possessoribus attinendis, ne circa res alias occupati, repurgium formarum facere non occurrant. Quod si neglexerint, amissione possessionum multabuntur: nam fiscus prædium ejus obtinebit, cujus negligentia perniciem formæ congesserit. Præterea scire eos oportet, per quorum prædia aquæductus commeat, ut dextra lævaque de ipsis formis quindecim pedibus intermissis arbores habeant, observante officio judicis, ut si quo tempore pullulaverint, excidantur, ne earum radices fabricam formæ corrumpant. *Dat. XV. Kal. Jun. Gallicano et Symmacho Coss.*

Ut possessor per cujus prædium cloaca ducitur, cloacarium pensitat cloacæ purgandæ causa, ita et is per cujus prædium transit publicus aquæductus, vectigal præstat formarum aquæ abluendarum causa, *l. In venditione. D. de act. empt.* ut in libris Magnais et Vegojæ, *Aquarum*, inquiunt, *ductus per medias possessiones dirigantur, quæ a possessoribus ipsis vices temporum repurgantur, propter quod levia tributa persolvunt.* Adjicit hæc Constitutio, eos excusari a cæteris oneribus superindictitiis vel extraordinariis, et confiscari prædia per quæ aquæductus transit, si in eo repurgando cessarint possessores, et ut noxiæ arbores cura officialium judicis, quæ inferunt fabricarum ruinas, radicitus amputentur, ne circum aquæductus aliter habeantur, quam dextra lævaque intermissis pedibus xv. qua de re factum S. C. Ælio Tuberone et Fabio Maximo Coss. Julius Frontinus libro de aquæductibus refert.

II. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. Pancratio p. v.* Si quis de cetero vetiti furoris audacia florentissimæ urbis commoda voluerit mutilare, aquam ad suum fundum ex aquæductu publico derivando: sciat eundem fundum fiscalis tituli proscriptione signatum privatis rebus nostris aggregandum. *Dat VIII. * cp. Timasio et Promoto Coss.*

Confiscari fundum in quem dominus aquam derivarit ex aquæductu publico sine permissu principis.

III. *Iidem aaa. Albino p. v. Rom.* Eos qui aquæ copiam vel olim, vel nunc per nostra indulta meruerunt, usum aut ex castellis, aut ex ipsis formis jubemus elicere: neque earum fistularum, quas matrices

vocant, cursum ac soliditatem attentare, vel ab ipso aquæductu trahere. Quod si quis aliter fecerit, non solum id quod prius jure beneficii fuerat consecutus, amittat, verum pro conditione quoque personæ severissima pœna plectetur. *Dat. V. Kal. Sept. Rom. Timasio et Promoto Coss.*

Aquam beneficio principis datam privatis duci debere ex castellis, vel ex ipsis formis, non ex fistulis matricibus, ex quibus aliæ succrescunt, vel ipso aquæductu. Rivos et fistulas usu deteri et lacerari, ut S. C. comprehensum fuisse idem Frontinus refert. Formas vocat conceptacula quælibet, quibus distinguitur aquæductus, Græci hoc loco vocant δοχεῖα.

IV. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Asterio Com. or.* Usum aquæ veterem longoque dominio constitutum singulis civibus manere censemus, nec ulla novatione turbari. Ita tamen ut quantitatem singuli, quam veteri licentia percipiunt, more usque in præsentem diem perdurante percipiant: mansura pœna in eos, qui ad irrigationes agrorum vel hortorum delicias furtivis aquarum meatibus abutuntur. *Dat. Kal. Nov. Cæsario et Attico Coss.*

Los ait, *licentia*. Loquitur ergo de iis quibus aquæ publicæ usum jamdiu princeps concessit, et ne ejus modo fraudentur sancit, confirmans usurpatorum pœnam definitam l. 2. *sup.*

V. *Impp. Theodosius et Valentinianus Cyro pp.* Si quis per divinam liberalitatem meruerit jus aquæ, non viris clarissimis rectoribus provinciarum, sed tuæ præcellentissimæ sedi cœlestes apices intimare debebit: condemnatione contra illum, qui preces moderatoribus insinuare conatur, quinquaginta librarum auri, et contra universos administratores, qui rescriptum per subreptionem elicitum suscipere moliuntur, proponenda: apparitoribus nihilominus eorundem virorum clarissimorum provinciæ moderatorum animadversionibus per vigorem tui culminis subjugandis: et amplissima tua sede dispositura, quid in publicis thermis, quid in nymphæis pro abundantia civium conveniat deputari, quid his personis, quibus nostra serenitas indulsit, ex aqua superflua debeat impertiri.

Et qui impetravit jus aquæ, rescriptum insinuet præf. prætorio, non præsidibus: ut præf. prætorio disponat quid thermis publicis, quid nymphæis, quid privatis beneficio Principis ex aqua largiendum sit. Nymphæa sunt ædes publicæ quibus nuptias celebrant, qui ædibus carent ad choreas capacibus, ut Zonaras explicat in Leone magno. Inde νυμφικὰ λουτρὰ, ut Suidas interpretatur, τὰ εἰς γάμους ἐκ τῆς ἀγορᾶς, ἀπὸ κρήνης λαμβανόμενα. Græci Nymphæa vocant Hydria, et in hanc et in sequentem legem, et Socrates lib. 4. cap. 8. quæ refert in oraculo quodam chorearum nomine fuisse designata.

VI. *Iidem aa. Cyro pp.* Omnis servitus aquarum aquæductus Hadriani sive domorum, sive possessionum, sive suburbanorum, sive balneorum, vel per divinos afflatus intimatos in quolibet judicio, vel per usurpationem impertitos, penitus exprobretur: maluimus etenim prædictum aquæductum nostri palatii publicarum thermarum ac nymphæorum commoditatibus inservire. Et decernimus hanc dispositionem modis omnibus in posterum servari: nemini licentia tribuenda ab eodem aquæductu precibus oblatis usum aquæ petere, vel eum audere perforare: scientibus his, qui qualibet ratione putaverint ad hujusmodi molimen accedere, vel officio (si ausum fuerit instruere) vel minus instructis precibus parcere, centena pondo auri multæ nomine fiscalibus rationibus se esse illaturos. Super his sancimus sulcum publicarum aquarum nullis intra decem pedes arboribus coartari, sed ex utroque latere decempedale spatium integrum illibatumque servari. Præterea de plumbeis fistulis ducentibus ad thermas, quæ Achillis nuncupantur, quas providentia tuæ magnificentiæ factas fuisse cognovimus, eandem formam servari censemus: etenim memoratas fistulas thermis tantum et nymphæis, quibus eminentia tua deputaverit, volumus inservire: facultate præbenda tuæ sublimitatis apparitoribus circumeundi sine formidine domus, suburbana, balnea ad requirendum, ne qua deceptio, vel suppressio, vel insidiæ contra publicam utilitatem a quoquam penitus attententur.

Pertinet hæc lex ad urbem Constantinopolitanam. Scripta enim est ad Cyrum præfectum prætorio Orientis cujus cura Theodosius protulit promœrium Constantinopoleos, auctore Zonara. Præfectum urbi appellant quidam male, cum epigrammata vocent ὕπαρχον ἑῷας, id est, Præfectum prætorio Orientis sub nomine Constantini, quasi hic Cyrus sit novus conditor Constantinopoleos.

> Θεοδόσιος τόδε τεῖχος ἄναξ, καὶ ὕπαρχος ἑῴας
> Κωνσταντῖνος ἔτευξαν ἐν ἤμασι ἑξήκοντα.

Fuit igitur in hac urbe aquæductus quidam Adriani, de quo præcipua hæc Theodosius sancit, ut ne is serviat privatorum usibus, ne ex rescripto quidem principis, sed palatio et thermis nymphæisque publicis, et ut circa eum aquæductum arboribus x. pedes utraque ex parte vacui relinquantur: idemque constituit de fistulis ducentibus ad Achillis thermas, ut thermis tantum nymphæisque publicis serviant. De aquæductu Adriani locus hic est singularis, atque adeo notandus. De thermis Achillis ita Georgius Cedrinus: ἐγγὺς δὲ τοῦ καλουμένου στρατηγίου, Αἴαντος τε καὶ Ἀχιλλέως βωμὸν ἀνέθηκεν· ἔνθα καὶ νῦν τὸ τοῦ Ἀχιλλέως χρηματίζει λουτρόν. Socrates item publici non thermarum nominat. Ait, *molimen*, sic emendavi ex vet. cum vulgo perperam legeretur, *emolumentum*. *Vel officio)* Si officialis ejusmodi preces instruxerit, *l. 2. sup. de pet. bon. sub.*

VII. *Iidem aa. Eutychiano pp.* Ad reparationem aquæductus hujus almæ urbis omnia vectigalia, quæ colligi possunt ex universis scalis hujus inclytæ urbis, et ex operariis, qui Cyziceni dicuntur, ad refectionem ejusdem aquæductus procedere: ille videlicet observando, ut nemo eorum qui jus aquæ possident, quamcunque descriptionem sustineant: nam exsecrabile videtur domos hujus almæ urbis aquam habere venalem.

Antea legebatur, *ex universis calculis*: emendavi, *ex universis scalis*, tam ex veteri scriptura, quam ex Græcorum metaphrasi. Verba ipsa proponam, εἰς ἀνανέωσιν τοῦ ἀγωγοῦ τὰ παρεχόμενα εἰς τὰς σκάλας ἀναλισκέσθω. Scalæ sunt trajectus maritimi, qualis in regione sexta scala Sycæna, quæ πέραμα Justinianarum dicitur in *Nov.* 69. quod confirmat Stephan. iis verbis Συκαὶ πόλις ἀντικρύ τῆς νέας Ῥώμης, ἡ καθ' ἡμᾶς Ἰουστινιανὴ προσαγορευθεῖσα. Quamobrem Gyllio assentior ad finem orationis primæ περὶ Ἰουστινιανοῦ κτισμάτων (*de Operibus Justiniani*) legenti *Justinianæ* pro *Jucundianæ*, Gyllio viro animi, vigilantiæ, industriæ incredibilis, quem non ita dudum suo ordine functum lugeant, lugeant Helvii, qui vix unquam parem edituri sunt. Cedrinus Sycarum appellationem sumptam scribit ἐκ τῶν συκοφόρων δένδρων. In quinta regione fuit scala Chalcedonensis, in quarta scala Timasii, ut antiqua descriptio urbis Constantinopolitanæ docet. Græce dicuntur σκάλαι. Protensæ erant in mare trajiciendi causa usque ad navigia. Nautæ in eam rem certi singulis scalis destinati erant: et quicquid nummorum redibat inde, nescio an antea ad principem pertinuerit, id hæc lex deputat aquæductui reparando et reficiendo. Adjicit de operariis Cyzicenis, ut etiam quod ii publica vectigal pendunt, aquæductui deputetur: meminit eorum Cyzicenorum Vitruvius vi. Et ut cives, qui jus aquæ habent, eo utantur gratuito, nec quicquam ad reparationem aquæductus conferant, ne videantur in urbe aquam emisse, potius quam beneficio principis emeruisse.

VIII. *Imp. Zeno a. ad Amantium p. v.* Hac lege sancimus, ut si quis amplissimam præfecturam gubernans, aurum aquæductui deputatum ad alterum quodlibet opus non aquæductibus vel aquæ publicæ competens exstruendum, vel curandum putaverit convertendum, de suis facultatibus eandem summam aquæductus titulo repensare cogatur: separatus vero arcarius aurum aquæductus suscipiat gloriosissimorum consulum liberalitate vel ex aliis titulis ad aquas publicas pertinentibus collectum, vel postea colligendum.

Scripta est ad Amantium P. V. ad quem constitutio περὶ καινοτομιῶν, vel de servitutibus, et *l. Ne cui. C. de loc.* Ut aurum aquæductui deputatum et formis præf. urbi ad alios usus minime convertat, utque id specialis arcarius suscipiat, sive ex liberalitate principum proficiscatur, de qua *l. 2. et 3. inf. de consulib.* sive aliunde. Pro, *repensare*, quidam Codices habent *repræsentare*.

IX. *Idem a. Sporatio.* Diligenter investigari decernimus, qui publici ad initio fontes, vel cum essent ab initio privati, postquam usum præbuerunt, ad privatorum usum conversi sunt, sive sacris apicibus per

surreptionem impetratis, ac multo amplius si auctoritate illicita nec appetito celore sacri oraculi hujusmodi aliquid pertentatum fuisse dignoscitur: ut jus suum regiæ civitati restituatur, et quod publicum fuit aliquando, minime sit privatum, sed ad communes usus recurrat: sacris oraculis vel pragmaticis sanctionibus adversus commoditatem urbis quibusdam impetratis jure cassandis, nec longi temporis præscriptione ad circumscribenda civitatis jura profutura.

Ut qui publici, fuere fontes ab initio, vel cum fuissent initio privati, postea publici, deinde rescripto principis vel usurpatione privati facti sunt, ad jus publicum redeant, nec quicquam valeant rescripta vel pragmatici contra publicam utilitatem, ut in l. 2. *sup. de nau. non exc. l. 2. sup. de can. fru. urb. Romæ.* Nec obstat *l. 4. sup.* quæ de nau sive jure aquæ publicæ loquitur, non de fontibus privato juri omnino vindicatis. Sed neque contra jus publicum quicquam valet præscriptio longi temporis, l. 5. *sup. de oper. publ.* sicut nec contra jus privatum principis, *l. Unic. inf. de fun. rei priv. Nov.* 30 quod interpres Juliani latius quam oporteat, accepit de omni jure fiscali.

X. *Idem a. Pontio* Decernimus ne quid a quacunque persona quamlibet dignitatem prætendat contra minusculsrios aquæductus vel fontes publicos, qui ad aquæductus confluunt, pertentetur. Sed et si quis clam vel palam aucteritate confisus de iisdem paragogiis vel fontibus aquam traduxerit, vel clandestinis insidiis forte subripuerit, publicis aquæductibus eam restituere compellatur. Hoc etiam præcipimus, ne in posterum a quolibet juxta eosdem aquæductus plantari qualescunque arbores possint, ne ex stirpibus labefacentur parietes aquæductuum, quod et antiquis constitutionibus interdictum esse dignoscitur: scientibus universis, quod in posterum super hujusmodi commissis suburbanum, vel prædium vel balneum, vel aquæ mola, vel hortus, ad cujus usum aqua publica fuerit derivata, vel si quid ex his juxta aquæductum positum ad eum pertinet, qui plantavit arbores aquæductibus noxias, ad quemcumque pertineat locum, vel hominem, vel domum: proscriptionis titulo subjacebit, et fisci viribus vindicabitur. nulli super hujusmodi pœns nec per sacros apices venia tribuenda. Universos autem aquarios vel aquarum custodes, quos hydrophylacas nominant, qui omnium aquæductuum hujus regiæ urbis custodiæ deputati sunt, singulis manibus eorum felici nomine pietatis nostræ impresso signari decernimus, ut hujusmodi adnotatione manifesti sint omnibus, nec a procuratoribus domorum, vel quolibet alio ad usus alios avellantur, vel angariarum, vel operarum nomine teneantur: quod si quem ex iisdem aquariis mori contigerit, cum nihilominus, qui in locum defuncti subrogatur, signo eodem notari præcipimus: ut militiæ quodammodo sociati, excubiis aquæ custodiendæ incessanter inhæreant, nec muneribus aliis occupentur.

Pro, *quacunque dignitate prædita*, emendavi, *quemcunque dignitatem prætendat*, os vat. Pro *musculariοs*, Alciati mendo, restitui vetus verbum, *minuscularios*, id est, tenuiores et minutos aquæductus, ut in *l. 1. sup. de defen. civit. l. 3. C. Th. de ind. deb.* Augustinus vii. de civitate Dei cap. 4. *Tanquam minuscularios vectigalium conductores.* Et hos quidem minusculos aquæductus paulo post paragogos vocat, voce satis nota. Constituit autem ut ne quis os ore vel os fontibus publicis aquam usurpet, neve circa eos arbores plantet, nisi scilicet intermisso legitimo spatio, de quo *l. 1.* et 6. alioquin publicari suburbanum in quem aquam derivarit, et in quo secundum aquæductum arbores plantarit, vel prædium, vel balneum, vel aquæ molam ὑδρομύλων, vel hortum. Ut balnea, ita aquæ molæ aliæ erant publicæ, aliæ privatæ, l. 4. *C. Th. de can. frum. urb. Rom* Cassiodorus iii: *Dicetur commodi cum privati aquam formarum, quam summo decret studio communiri, ad aquæ molas exercendas vel hortos irrigandos fuisse derivatam.* Postrema pars constitutionis est de aquariis, ut manu signetur numine principis. quo de more diximus in *l. 3. sup. de fabricens.* et aliis muneribus non occupeatur.

XI. *Imp. Anastasius a. Servio pp.* Divinam dispositionem ab inclitæ recordationis principe Theodosio, super his qui aquam sibi de publicis aquæductibus seu fontibus præberi desiderant, promulgatam hac etiam lege in sua firmitate durare sancimus, quatenus nemo vel in hac sacratissima civitate, vel in provinciis sine divinis apicibus de sacro epistolarum scrinio more solito edendis, et judicio tuæ celsitudinis, vel aliis quorum interest, intimatis vel intimandis, aquam de pubblico aquæductu seu fonte trahere permittatur: his, quicunque nostra jussa violaverint seu violare concesserint, denarum librarum auri condemnatione, aliisque gravissima indignatione feriendis.

Confirmat priorem partem *l. 5.* Pœnam mutat.

TIT. XLIV. *De gladiatoribus penitus tollendis.*

I. *Imp. Constantinus a. Maximo pp* Cruenta spectacula in otio civili et domestica quiete non placent: qua propter omnino gladiatores esse prohibemus. *pp. Beryto Kal. Oct. Paulino et Juliano Coss.*

Cruenta spectacula dicit, quæ Ammia. Marcel. xiv. cruenta ludicra, hominum inter se commissiones. Hæc merito tolluntur hac lege, de qua Sozomeus libr. 1. τότε πρῶτον ἡ τῶν μονομαχῶν ἐκωλύθη θέα. Monomachos gladiatores vocat, contumeliosum nomen, *l. 3. in princ. D. de lib. et post.* et detestandum, l. 2. *C. Th. de glad.* quam immanitatem sustulisse Honorium Theodoritus, et Nicephorus auctores sunt, monachi cujusdam nece permotum monomachis infesti, quem Telemachum vocant, corrupte alii, Dirmachium.

TIT. XLV. *De venatione ferarum.*

I. *Impp. Honorius, et Theod. aa. Mauriano com. domesticorum, et vices agen. mag. mil.* Occidendorum leonum cunctis facimus potestatem, neque aliquam animus quemquam calumniam formulare: bestias autem, quæ ad comitatum ab omnibus limitum ducibus transmittuntur, non plus quam septem diebus intra sigulas civitates retineri præcipimus, violatoribus eorum quinas libras auri fisci viribus illaturis. *Dat. XIII. Kal. Iun Constantino, et Constante vv. cc. Coss.*

Superior titulus est de gladiatoribus. Hic videtur fuisse de ferarum confectoribus, quos vocant κυνηγοὺς, quales sunt, qui damnantur ad bestias. quanquam hæc lex ad eos non pertineat: quæ passim occidendorum leonum omnibus facultatem concedit, non in arena modo; et de feris adjicit, quæ a ducibus limitum ad comitatum transmittuntur, ut non plus quam 7. diebus in singulis civitatibus retineantur: quod corrupte in Eustathii lib. de temporib. refertur quasi traditum libro primo.

TIT. XLVI. *De Majuma.*

I. *Impp. Arcadius, et Honorius aa. Cæsario pp.* Clementiæ nostræ placuit, ut majumæ provincialibus lætitia reddatur: ita tamen ut servetur honestas, et verecundia castis moribus perseveret. *Dat. VII. Kal. Mai. cp. Arcad. IV. et Honor. III. Coss.*

Qui ludus sit majuma Sudas exposuit. Georgius in Chronographia, is est quem Paulo Diacono miscuerunt, Cedrenum puto, *Præterea*, inquit, *Imperator facta majuma in Sophianis ædit.*

TIT. XLVII. *Ut armorum usus inscio principe interdictus sit.*

I. *Impp. Valentinian. et Valens aa. ad Buleforum cons. Campaniæ.* Nulli prorsus nobis insciis atque inconsultis, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur. *Dat. III Non. Oct. Altino divo Joviano et Varroniano Coss.*

Conjungenda est cum *l. 2. Cod. Theod.* quibus equorum usus concessus est: quæ usu equorum certis personis interdicit: in hac autem parte usu armorum omnibus, ut *Nov. 85.* Synes. in epist. ἐκ τῶν ὅπλων ἀνθρώπους ὁπλοφορεῖν. Huc etiam pertinet edictum L. Domitii prætoris Siciliæ, de quo Valerius lib. 6. et Cic. lib. de suppliciis. Vetus ea Constitutio est, et generaliter ne fabricam armorum vel ferrariam private habere liceat, *l. ult. §. Magnus. D. de publ.* Ait, *movendorum.* Ut movere equos dicimus l. 4. et ult. *inf. de cur. pub.* ita moveo arma, et movere militiam, *l. 7. C. Th. de cur. pub.*

TIT. XLVIII. *De agricolis, censitis, et colonis.*

Agricolarum variæ conditiones sunt, *l.* 6. et 20. *inf.* Hoc titulo duæ proponuntur, censitorum, qui et capite censiti a Juliano in Novellis dicuntur, et tributarii, *tit.* 2. *inf. l.* 2. *C. Th. si vag. manci.* et censibus obnoxii, *l.* 1. *inf. de tyr.* et adscriptitii quasi adscripti censibus, *l.* 18. *inf. hoc tit. l.* 2. *inf. tit.* 2. *l.* 10 *inf. de re mil. l. Si quis presbyter. sup. de episc. et cler.* et terræ, ut Græcus interpres definit, ἐναπόγραφος, ὁ ἀπογεγραμμένος τῇ γῇ πάροικος. Censibus, id est, libris censualibus, *l.* 4. vel publici census scripturæ *l.* 22. Et quidem servi sunt, et eorum peculium pertinet ad dominum, *l.* 19. et 21. *inf.* Alii sunt coloni qui liberi sunt, *l.* 1. *inf. de præd. tam* et res proprias habent, terram tamen dimittere non possunt, ut qui possessione 30. ann. quæsiti sunt ex *d. l.* 19 et liberi eorum ex *l. pen.* et qui ex adscriptitio, et libera nati sunt ex Justiniani Nov. ad Dominicum præf. præt. Illyrici, confirmata Justini, itemque Tiberii Constitutionibus, et coloni Palæstini, Thracenses Illyricani. Hi dominum non habent: adscriptitii dominum habent; et ideo in *l. pen.* §. *ult.* cum dixisset initio, *Nemini liceat adscriptitium vel colonum alienum,* quorum hic scilicet liber est, ille servus, subjicit, *alienum ante domino, vel ipsius adscriptitii vel terræ.* Dominium terræ ad colonum refert, qui et dominus coloni non est, quia terra potius coloni domina est, *l.* 1. *inf. de col. Thrac.* Hæc eadem differentia notatur in *l.* 11. *inf.* dum ait, *Domino vel fundo.* Adscriptitius domino, colonus fundo redditur. Et *l.* 13. dum ait, *vel utroque vel neutro parente censito.* Alii igitur sunt censiti, alii non censiti, Adscriptitii tributarii sunt, id est, capitis censum sive capitationem præstant, quæ capitalis illatio dicitur in *l. pen. inf.* Gallice, *Taille*, Coloni non sunt tributarii *tit. de col. Thrac. et de col. Illy. inf.* Reditus tamen certos et pensiones domino terræ præstant in pecunia, vel in speciebus pro solo, *l.* 5. 8. 10 et *pen. inf.* Et hæc duo potissimum genera hoc titulo proponuntur. Est tamen et tertium genus, qui plane servi sunt censibus adscripti, *l.* 3. et 7. *inf. l.* 2. *C. Th. sine cen. vel rel.* quæ tria genera notantur in *l.* 12. dum ait, *servos, vel tributarios, vel inquilinos.* Tributarios adscriptitios vocat. Inquilinos, colonos liberos. Iidem namque frequenter dicuntur coloni et inquilini ut Sidon. v. Epist. ad Pudentem, quem initio vocavit originalem inquilinum, postea vocat personam colonariam, et Salvianus v. de providentia. *Coloni,* inquit, *divitum fiunt, juga se inquilinæ abjectionis addicunt.* At proprie coloni prædio rustico, inquilini prædio urbano serviunt. Valentinianus *Nov. de col. vagis. Si ad prædium se,* inquit, *cujuscunque rusticum urbanumque contulerit.* Colonum et inquilinum significat, quæ nomine ignorandum etiam non est interdum generaliter accipi, et continere tam censitos, quam non censitos, ut *l.* 13. *inf.* At censiti sive adscriptitii non plane servi, sed quasi servi sunt, *l.* 2. *inf. tit.* 2. Inspecto domino, servi: inspecto fisco inspectisque aliis omnibus, liberi et propriorum possessores, *d. l.* 2. et *l.* 4. *hoc tit.* Qui plane sunt servi, tales habentur inter omnes. Var. 1. de re rust. Agricoluntur hominibus servis, aut liberis, aut utrisque. Liberis, aut cum ipsi colunt, ut plerique pauperculi cum sua progenie: aut mercenariis cum conductitiis liberorum operis res majores ut vindemias ac fenisicia administrant, iisque quos obæratos nostri vocitarunt, et etiam nunc sunt in Asia atque Ægypto et in Illyrico complures. Possem et hæc et alia plurima quæ sequuntur ad consuetudines Galliæ referre: nam et servi, qui capitationem debent, et coloni, et feuda, et census, et alia innumera prædiorum hominumque onera ex jure Romano originem sumpsisse intererea lestor, dum me ad consuetudinum nostrarum jus eadem via explicandum paro, quæ Reipub. Romanæ votus primam, deinde novum jus aperui et disposui.

I. *Imp. Constantinus a. ad Æmilianum pp.* Nunquam rationibus vel colligendis frugibus insistens agricola ad extraordinaria onera trahatur: cum providentiæ sit opportuno tempore his necessitatibus satisfacere. *Lecta VII. Id. Mai Romæ Ianuario et Iusto Coss.*

Legendum ut in Codice Theodosii, *Nunquam rationibus,* non *sationibus*. Sic Græci εν. βασιλικῶν tit. 1. ὁ γεωργὸς ἀσχολούμενος περὶ τὴν συλλογὴν τῶν καρπῶν ἢ περὶ λογισμοὺς; eandemque lectionem confirmat *l.* 2. *inf. de ag. et man. dom.* Sententia hæc est, colonos, qui rationibus prædiorum vel agriculturæ addicti sunt, nullo tempore ad angarias aliave onera ordinaria devocari posse. Gregor. 112 Epist. *Qui,* inquit, *in possessionibus Judæorum sunt, licet et ipsi legum districtione sint liberi, tamen quia colendis eorum terris diutius adhæserunt, utpote condicionem loci debentes, ad colenda, quæ consueverant, rura permaneant, pensiones prædictis viris præbeant, quæ cuncta de colonis vel originariis jura præcipiunt, peragant, nihil eis extra hoc oneris amplius indicatur.* Idemque est in *l.* 1. *inf. ne rust. ad ul. obs.* *His necessitatibus*) id est, oneribus extraordinariis.

II. *Imp. Constantius a. ad Dulcitium Cons. Æmiliæ.* Si quis prædium vendere voluerit, vel donare, retinere sibi transferendos ad alia loca colonos privata pactione non possit: qui enim colonos utiles credunt, aut cum prædiis eos tenere debent, aut profuturos aliis derelinquere, si ipsi sibi prædium prodesse desperant. *Dat. III. Kal. Mai Med. Constantio a. IX. et Juliano Cæs. Coss.*

Prædium vendi donarive non posse receptis colonis, *l.* 7. *inf.* ubi nec ædes receptis annonis *l.* 1. *Cod. Theod. de an. cir.*

III. *Imppp. Valentinianus, et Valens aa. Faventio Vic. Ital.* Quisquis ex desertis agris veluti vagos servos liberalitate nostra fuerit consecutus, pro fiscalibus pensitationibus ad integram terræ professionem, ex qua videlicet servi manere videntur, habeatur obnoxius. Id etiam circa eos observari volumus, qui ex hujusmodi fundis servos ad possessiones suas transire permiserint. *Dat. Prid. Kal. Aug. Med. Valentin. et Valente aa. Coss.*

In vaga mancipia sine domino manus injectio fisco competit, ut constat ex tit. *C. Th. si vag. pet. man.* (sicut pleraque locis hodie in vaga animalia, quæ vocant *Espaves*) vel etiam ei cui princeps ea ultro concesserit. At qui eos fuerit beneficio principis consecutus, indemnitatem capitationis, census sive tributorum sarciet, id est, quantum cum prædio non deserto adhærebant, dependi fisco solebat. Idemque est si eos ex aliena terra in suam migrantes quis susceperit: nam et hic terræ: quibus illi erant adscripti, censibus, pensitationibus, et tributis obligatur, Vagos, et emansores vocat, dum ait, *Ex qua manere videntur:* quod fit plerumque, ut etiam lex ponit, deserto et destituto prædio.

IV. *Iidem aa. ad Modestum pp.* Hi penes quos fundorum dominia sunt, pro his colonis originalibus, quos in locis iisdem censitos esse constabit, vel per se vel per actores proprios recepta compulsionis sollicitudine implenda munia functionis agnoscant. Sane quibus terrarum erit quantulacunque possessio, qui in suis conscripti locis proprio nomine libris censualibus detinentur, ab hujusmodi præcepti communione discernimus: eos enim convenit propriæ commissos mediocritati annonarias functiones sub solito exactore cognoscere. *Dat. Kal. Mai. cp. Gratiano a. et Dagalaifo Coss.*

Pro colonis originariis capite censitis prædiorum domini per se vel per actores suos solemnem pensitationem agnoscunt. Sed si terræ cujusdam dominium habent, et sint ut hoc loco et *l.* 19. *inf.* Græci loquuntur ἰδιοκτητόριοι, non domini sed proprio nomine censibus alligantur. Quod etiam Justinianus inculcat *Nov.* 128. §. μηδείς. Priores item censu immunes non sunt, sed eorum ad solemnia compellendorum onus spectat ad dominum vel actorem prædii, ad quem fiscus venit recta via, colonis dimissis, *Novell.* 144. Possunt censiti tenere quædam suo nomine quasi a se quæsita, quæ tamen ad dominum pertinent, *l.* 2. *inf. titul.* 2.

V. *Iidem aa. ad Oricum pp.* Domini prædiorum id quod terra præstat accipiant: pecuniam non requirant, quam rustici optare non audeant, nisi consuetudo prædii hoc exigat.

Ut dominis prædiorum coloni inferant species sive fructus, non pecuniam, quam optare non audent. Optare, id est, εὔχεσθαι.

VI. *Iidem aa. ad Germanum pp.* Omnes omnino fugitivos adscriptitios colonos, vel inquilinos, sine ullo sexus, muneris, conditionisque discrimine, ad antiquos penates ubi censiti atque educati natique sunt, provinciis præsidentes redire compellant.

Lex est de reducendis et restituendis origini suæ adscriptitiis et inquilinis et colonis tam liberis quam servis aut tributariis, per præsides provinciarum.

VII. *Iidem aa. ad Maximum pp.* Quemadmodum originarios absque terra, ita rusticos censitosque servos vendi omnifariam non licebit: neque vero commento fraudis id usurpet legis illusio, quod in originariis sæpe est agitatum, ut parva portione terræ emptori tradita, omnis integri fundi cultura adimatur: sed cum soliditas fundorum vel certa portio ad unumquemque perveniat: tanti quoque severi et originarii transeant, quanti apud superiores dominos et possessores, vel in soliditate, vel in parte manserunt: et emptor pretium quod dederit, amissum existimet: nihilominus venditori ad repetendos servos cum adgnatione eorum vindicatione concessa: et si aliqua denique ex causa dissimulaverit, legis usurpare beneficium, atque iste sub hac taciturnitate decesserit: et

hæredibus ejus, et contra hæredes emptoris vindicationem damus, longi temporis præscriptione submota: mala fide namque possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur.

De colonis cautum est *l.* 2. ne veneant sine prædiis. Idem exemplo colonorum hac lege cavetur de servis rusticis et censitis. Probo Accursii παρατήρησιν, ut nec etiam permutari vel obligari possint: nam et legari non possunt, *l. Si quis inquilinos. D. de leg.* 1. Eum, qui emerit eos sine prædiis, male fide emptorem esse, cum juris ignorantiam causari non possit, et ideo præscriptione longi temporis non juvari. Vindicationem eorum cum sua progenie venditori, qui sibi prædia retinuit, dari non reddito pretio, qua de re diximus in *l.* 1. *sup. de præd. cur.* Hæredibus quoque et in hæredes hanc actionem dari. Præterea venditioni partis fundi non jure accedere originarios omnes, vel censitos servos. Servandam esse analogiam, ut venditioni fundi totius accedant omnes; venditioni partis, pars rata.

VIII. *Iidem aa. ad Probum pp.* Omnes profugi in alieno latebras collocantes cum emolumentis tributariis, salva tamen moderatione, revocentur: scilicet ut si homines, apud quos reperiuntur, alienos esse noverante fugitivos, et profugis in lucrum suum usi sunt: hoc est; sive excoluerunt agros fructibus dominis profuturos, sive aliqua ab iisdem sibi injuncta noverunt, nec mercedem laboris debitam consecuti sunt: ab illis tributa, quæ publicis perierunt functionibus, exigantur. Ceterum si occultato eo profugi, quod alieni esse viderentur, quasi sui arbitrii ac liberi apud aliquem se collocaverunt, aut excolentes terras partem fructuum pro solo debitam dominis præstiterunt: cetera proprio peculio reservantes, vel quibuscunque operis impensis mercedem placitam consecuti sunt ab ipsis profugis, quæcunque debentur, exigantur: nam manifestum est privatum jam esse contractum. Si qui vero inter agricolas (ut solet) ex quibuscunque commerciis hujusmodi hominibus esse inveniuntur debitores: coram partibus constitutis judex ab obnoxiis, quod debetur, exposcat.

Ut qui sciens adscriptitium fugitivum suscepit, ejusque opere gratuita usus est quasi coloni proprii, non eum modo reddat; sed etiam temporis, quo illo usus est, capitationem fisco persolvat. Quod si ignorans eo usus sit, quasi mercenario contracta locatione conductione, ut ex ejus peculio indemnitati fisci satisfiat, et ut quod ei debetur ab aliis agricolis per judicem petatur. Aliud est suscipere fugitivum colonum, longe aliud quasi liberi hominis operas conducere. Qui suscepit, solemnes functiones agnoscit pro eo. Qui conduxit, non item. Et est similis distinctio in *l.* 4. *sup. de ser. fug.*

IX. *Imppp. Gratianus, Valentinianus, et Theodosius aaa. ad Populum.* Immunitates specialiter datæ, et jugatio, et capitatio, libris publicis, et civitatum, ac provinciarum encautariis sine aliqua probatione factæ penes fruentes ereptæ in functionem pristinam redeant. *Dat. III. Non. Mart. Med. Merobaude II. et Saturnino Coss.*

Conjungenda est cum *l.* 1. *sup. de immu. nem. con.* et ad hunc titulum pertinet, quoniam de capitatione loquitur, quæ colonorum nomine præstatur. Tollit autem immunitates specialiter datas, et jugationem ac capitationem libris censualibus, et civitatum aut provinciarum encautis factam sine approbatione censorum, peræquatorum, ordinariorum et amplissimorum judicum. Encautæ scripturæ genus est vel picturæ, a quo monumenta civitatum dicuntur Encauta et Encautaria.

X. *Iidem aa. Cynegio pp.* Cum antea per singulos viros, per binas vero mulieres capitis norma sit censa: nunc binis ac ternis viris, mulieribus autem quaternis, unius pendendi capitis attributum est. Quocirca sublimitas tua hujusmodi census per Comanensium, et Ariaratensium, et Armeniæ secundæ, Amasenorum Helenoponti, et Diocæsariensium Cappadociæ secundæ urbes salubris ac temperatæ peræquationis modum monumentis publicis jubebit annecti.

Ut in provinciis sive civitatibus hac lege comprehensis, agricolarum capitatio ita censeatur, ut duo aut tres viri et mulieres quatuor pro uno capite habeantur. Provinciæ eæ sunt, Armenia secunda, Helenopontus, et Cappadocia secunda. Armeniæ secundæ urbes Comanensium et Ariaratensium. Sic emendavi ex veteribus. De Comana Alciatus scripsit. De Ariarata Stephanus: Ἀριαράθεια, πόλις πλησίον Καππαδοκίας. et *Nov.* 31. Helenoponti Amasenorum urbis, de qua *Nov.* 28. Cappadociæ secundæ Diocæsariensium, quæ fuit olim primæ, deinde secundæ, Gregorius Olympio: γεγόναμεν πόλις δευτέρα Καππαδοκίας, πρώτη πρὸ τοῦ γεγονότες. Videndu et quæ præcedit epistola de Diocæsariensium civitate. Fuerunt autem eæ tres provinciæ Ponticæ diœceseos.

XI. *Impp. Arcadius, et Honorius ad Populum.* Originarios colonos nullis privilegiis, nulla dignitate, nulla census auctoritate excusari præcipimus, sed amputatis omnibus, quæ aliquoties per gratiam sunt elicita, domino vel fundo esse reddendos.

Originarii coloni nec privilegiis nec dignitate condicione sua liberantur. Sed neque census auctoritate, ut si in censum relati sint quasi ingenui. Census auctoritatem dixit, ut *l. In finalibus. D. fin. reg.* quæ sicut domino non præjudicat si quis rem alienam quasi suam in censum deferat, *l. Forma § Si quis D. de censib. l. Quæ quisque. D. de acq. rer. dom.* namque ut de Deciano Cicero scribit pro Flacco, si aliena censendo sua facere quisque possent, haberent maximam plerique rerum omnium copiam: sic vero domino fundi non præjudicat colonus, qui se quasi ingenuum in censum defert. Fisco item nihil præjudicat professio censualis, *l. ult. sup. sine cens. vel rel.*

XII. *Iidem aa. Florentino.* Servos vel tributarios, vel inquilinos apud dominos volumus remanere. Nam cum metu damni deterritus unusquisque eum quem incognitum habuit, a se cœperit propulsare, voluntas fugiendi servis non erit. Nemo enim dominum suum deserit, sciens nusquam sibi latendi locum esse derelictum: sed aut cognitum sibi ingenuum unusquisque suscipiet: aut eum qui se liberum esse simulaverit, a se submovebit, metuens his, quæ statuta sunt, obnoxius fieri. Si quis igitur ex memoratis fugitivis apud quemlibet fuerit repertus: duodecim libras argenti fisco nostro inferat detentator: ipsi autem, cujus fuerit, præter eundem fugitivum, alterum etiam ejusdem æstimationis inferre decernimus.

Lex 8 et l. 23. receptatoribus colonum præcipit, ut fugitivos reddant et temporis capitationem agnoscant. Hæc adjicit ut eos reddant in duplum, et præter capitationem etiam argenti 12. libras. Utraque est de receptatoribus, qui fugitivorum opera quasi propriorum colonorum utuntur scientes, ideoque Græci nominatim adjiciunt κατὰ εἴδησιν. Alia in Illyrico et in Thracia pœna statuta est, ut propriis titulis indicabitur.

XIII. *Iidem aa. Vincentio pp. Galliorum.* Definimus, inter inquilinos colonosve, quorum (quantum ad originem pertinet vindicandam) indiscreta eademque pene videtur esse conditio, licet sit discrimen in nomine: suscepti liberi, vel utroque vel neutro parente censito, statum paternæ conditionis agnoscant. Illud etiam servandum est, ut si quando utriusque fundi idem dominus de possessione referta cultoribus ad eam colonos, quæ laborabat tenuitate, transtulerit, iidemque fundi ad diversorum jura dominorum qualibet sorte transierint: maneat quidem facta translatio: sed ita ut prædii ejus dominus, a quo coloni probantur fuisse traducti, translatorum adgnationem restituat. *Dat. III. Id. Jun. Stilichone et Aureliano Coss.*

Sive ex duobus adscriptitiis sive ex duobus colonis non adscriptitiis nati sunt filii, patris coloniam sequuntur, quod confirmat. *Nov.* 157. quæ sicut lex ista, scripta est ad præf. prætorio Orientis, et de provinciis Orientis. In Illyrico filiorum divisio fit ex Nov. scripta ad Dominicum, et ex Oriente in Apamæa Syriæ ex *Nov.* 156. Et hæc de prima parte legis. Altera docet duorum fundorum dominum recte ex uno fundo in alium transferre colonos, et translationi stari, etiamsi fundi postea diversis personis alienati sint, quod repetitur *Nov. Valentis de episcopali judicio*, ita tamen ut et translatos proles sequatur. Nec enim debent parentes et liberi diversis prædiis adsignari: quæ ratio est etiam primæ partis. Tertia est in *l. seq.* Ait, *ad originem*, id est, agnationem et sobolem.

XIV. *Iidem aa. Vincentio pp. Galliarum.* Si coloni, quos bona fide quisque possedit, ad alios fugæ vitio transeuntes necessitatem propriæ condicionis declinare tentaverint: bonæ fidei possessori primum oportet celeri reformatione succurri, et tunc causam originis et proprietatis agitari. *Dat. IV. Id. Iul. Med. Stilicone et Aureliano Coss.*

Si coloni bona fide possessi fugerint, etiamsi se ingenuos, non colonariæ condicionis esse contendant, prius interversa possessio bonæ fidei possessori restituenda est, quam de proprietate quæratur. Quod fiet interdicto utrubi (nam hæc lex in Codice Theodosiano posita est sub titulo utrubi) quod celeram reformationem vocat, id est, momenti actionem, quam nec appellatio remorari potest, *l. 1. sup. si de mom. pos.* nec compensatio, *l. ult. sup. de compens.* Celeris reformatio sive momenti actio aut interdictum, omnem rationem significat repetendæ possessionis vi vel alio modo perturbatæ, et idoo non tantum interdictum unde vi, sed et interdictum de tabulis exhibendis, quo hæres tabulas repetit ab alio suppressas, apud Anianum *tit. rec. cir. crim. ag. paul.* et interdicta uti possidetis et utrubi et Salvianum, apud eundem *v. Sen. Pauli tit. de interdictis:* et interdictum Quorum bonorum, *l. 22. Cod. Theod. quor. appell. non reci.* Celerem reformationem, redhibitionem, executionem dixit etiam in *l. 5. Cod. Th. de denun. l. 4. C. Th. unde vi, l. 1. C. Th. de sug. et col.*

XV. *Impp. Honorius, et Theodosius aa. Probo.* Colonos nunquam fiscalium nomine debitorum ullius exactoris pulset intentio: quos ita glebæ inhærere præcipimus, ut ne puncto quidem temporis debeant amoveri.

Pro fiscalibus debitis coloni non conveniuntur, nisi quid proprio nomine possideant, ne vel momento temporis ab agricolatione avocentur, sed domini eorum conveniendi et exigendi sunt.

XVI. *Iidem aa. Palladio pp.* Mulier quæ fuisse originaria docebitur, si cujuscumque liberi hominis secuta consortium, in urbibus, vel in quibuscunque locis victura constiterit: ejus omnem sobolem secundum vetera constituta conveniet revocari. *Dat. VI. Kalen. Iul. Ravennæ Maximo et Plinta Coss.*

Corrupte in Codice Theodosiano hæc lex inscribitur Constantini et Juliani nomine. Honorii eam esse comprobat *Nov. Valentiniani de 30. an. præscr.* Sententia ejus hæc est: colonam quæ se junxit libero homini cum omni sobole revocari. Natus ergo ex colona et libero homine matrem sequitur, *l. 21. l. ult. inf. hoc tit. l. 4. inf. de agr. et manc.* Nec obstat *l. 13. sup.* ut interpretatio ejus statim indicabit. At ex eadem Constitutione Honorii, quæ se junxerat colono sive originario alieno, non revocabatur cum omni sobole, sed eum tertia parte dualexat. Quod confirmat *Nov. Valentiniani de episc. jud.*

XVII. *Iidem aa. Ioanni pp.* Per colonum præjudicium possessioni invito vel inscio domino imponi non posse, et jure, et legum auctoritatibus declaratur. *Dat. Id. Iul. Ravennæ Honorio XIII. et Theodosio X. aa. Coss.*

Repetita est in *l. ult. sup. si adv. resp g. da. est*, ex qua intelligitur, hunc esse sensum, ut sicut servus prædium domini invito vel inscio domino pignori obligare non potest, *l. 6. et 9. sup. quod cum eo qui in al.* ita nec colonus *l. ult. sup. ead.* quæ huic etiam conjungenda est. Idemque de servitute dicemus.

XVIII. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Probo pp.* Colonos nulla ratione ad ullum, quamvis humilioris militiæ, locum sinimus admitti: sed nec apparitores magisteriæ potestatis censibus adscriptos probari concedimus: quia in hac parte, et dominorum juri, et publicæ consulimus honestati.

Hæc etiam repetita est in l. 3. *inf. de appar. mag. mil.* Coloni nec cohortales nec apparitores magistri militum fieri possunt. In inscriptione pro Probo, alias legitur, Basso.

XIX. Αὐτοκράτωρ Ἀναστάσιος *. τῶν γεωργῶν οἱ μὲν ἐναπόγραφοί εἰσι, καὶ τὰ τούτων πεκούλια τοῖς δεσπόταις ἀνήκει, οἱ δὲ χρόνῳ τῆς τριακονταετίας μισθωτοὶ γίνονται ἐλεύθεροι μένοντες μετὰ τῶν πραγμάτων αὐτῶν, καὶ οὗτοι δὲ ἀναγκάζονται καὶ τὴν γῆν γεωργεῖν, καὶ τὸ τέλος παρέχειν· τοῦτο δὲ καὶ τῷ δεσπότῃ καὶ τοῖς γεωργοῖς λυσιτελεῖ.

INTERPRETATIO LATINA.

Agricolarum alii quidem sunt adscriptitii, et eorum peculia dominis competunt, alii vero tempore annorum XXX. coloni fiunt liberi manentes cum rebus suis, et ii etiam coguntur terram colere et canonem præstare. Hoc et domino et agricolis utilius est.

Hujus constitutionis mentio fit in l. 23. et ab Eustathio libro de temporibus. Ex ea quidam sunt coloni non adscriptitii terræ et canoni obligati, qui acquiruntur possessione xxx. annorum. Rerum tamen suarum proprietate non carent, quod eum longe aliter observaretur sua ætate, de eo ita queritur Salvianus v. de providentia Dei: *Fundos, inquit, majorum expetunt et coloni divitum fiunt, jugo se inquilinæ abjectionis addicunt, in hanc necessitatem redacti, ut extorres non facultatis tantum, sed etiam conditionis suæ, atque exulantes, non a rebus tantum suis, sed etiam a se ipsis, ac perdentes secum omnia sua, et rerum proprietate careant et jus libertatis amittant. Additur huic malo gravius malum: Nam suscipiuntur ut advenæ, fiunt præjudicio habitationis indigenæ. Quos suscipiunt ut extraneos et alienos, incipiunt habere quasi proprios: quos esse constat ingenuos, vertunt in servos. Præjudicio temporum ingenui status homines circumvenimus.*

XX. *Imp. Iustinianus a. Demostheni pp.* Litibus imponentes celeritatem, sancimus si quando coloni cujuscunque conditionis contra dominos terræ declamaverint, super hoc ipso dubitantes, utrum is terræ dominus est, nec ne, an ipsi coloni dominium suæ terræ possideant (eos tamen dicimus, qui non ex longo prolixoque tempore, vel longinqua et inveterata redituum susceptione sufficientem habent cautelam: in quibus casibus ne contradicendi quidem licentia colonis relinquitur, longi temporis præscriptione, vel redituum frequentissima consequentia colonorum impetus excludente) talem esse super redituum vel publicarum functionum præstatione formam censemus, ut si tales coloni quales supra diximus, idoneum fidejussorem totius summæ, quæ ab his dependitur, præstiterint, quod omnes reditus sine ulla procrastinatione, si melior causa dominorum judicetur, eis restituent, et talis fidejussor per triennium accipiatur, eoque impleto iterum renovetur: coloni in medio nullo modo super reditibus a dominis inquietentur. Si autem hoc coloni minime facere voluerint, vel potuerint: tunc iidem reditus per officium judicis annui exigantur per solita tempora, in quæ etiam dependebantur dominis: et deponantur in æde sacra, id est, in cimeliarchio civitatis, sub qua possessio sita est: vel si localis Ecclesia ad susceptionem pecuniarum idonea non sit, in Metropolitana ecclesia remaneant cum omni cautela, et post plenissimam definitionem, vel dominis dentur, vel colonis restituantur. Sin autem reditus non in auro, sed in speciebus inferantur, vel in totum vel ex parte, interim per officium judicis fructus vendantur, et pretia eorum secundum prædictum modum deponantur. Hæc de reditibus definientes ad publicas transeamus functiones: et si quidem coloni more solito eas dependant, ipsi maneant in pristina consuetudine, nullo præjudicio dominis generando, qui et quiescentibus colonis, et non contradicentibus ad publicum tributarias functiones minime inferebant. Sin autem moris erat dominum totam summam accipere, et ex ea partem quidem in publicas vertere functiones, partem autem in suum reditum habere: tunc si quidem fidejussor a colonis detur, eundem fidejussorem dominis sine præjudicio litis tantam summam inferre, quantam tributa publica faciunt, ut a dominis publicis rationibus persolvatur: nullo ex hoc colonis præjudicio generando: super reditibus enim domini fidejussore fiant contenti. Sin autem fidejussore cessante, ad sequestrationem res veniant, et pecuniæ deponantur, et ex earum summa tanta judices separare, quanta ad publicas sufficiant functiones, et eam dispositionem dominum accipere, quatenus ipse eam persolvens, publicas accipiat securitates: reliqua quantitate, quæ in reditus puros remanet, in tuto collocanda, et litis terminum expectante: nullo præjudicio, sive colonis, sive dominis, ex hujusmodi fidejussione, vel sequestratione, vel publicarum functionum solutione generando: sed omni causa in suspenso manente, donec judicialis sententia, quæ de toto negotio procedit, omnem rem aperiat, et ostendat quis dominus terræ constitutus sit, et ad quem publicarum functionum securitas debebat in posterum fieri, seu reditus pervenire, vel permanere. Recitata Septies in novo consistorio palatii Justiniani. *Dat. XV. Kalen. Oct. Chalcedone Decio v. c. Cos.*

Sæpe fit ut coloni vindicent se in libertatem, et dicant se esse, ἰδιοκτήτορας, id est, propriorum bonorum possessores. Sed præscriptione longi temporis repelluntur, si dominus probaverit reditus et pensiones eos diu quasi colonos exsolvisse, quod probabit apochis, *l. Plures. sup. de fid. inst.* quæ huic conjungenda est. Possessio quidem longi temporis colonum non facit, cum ex lege Anastasii exigantur xxx. anni, sed pro possessore præsumptionem facit, et generaliter diuturna præstatio vel partis præstatio obligationem, vel actionem quæ non fuit ab initio, non constituit, *l. 7. sup. de usur. l. Si certis, sup. de pac. l. ult. sup. ne uxor pro mar. l. Operis. D. de oper. lib.* Tacitum pactum inducit, *l. 5. sup. de usur.* Præsumptionem obligationis inducit, in dubio, *l. Cum de in rem vers. D. de usur.* et obligationem si qua fuit, confirmat et corroborat, extinctis exceptionibus anargyriæ, et Macedoniani, *l. 4. sup. de non num. pec. l. 2. sup. ad Maced.* et interdum perpetuat, in causa alimentorum, *l. 1. sup. de fideicom.* Quod si domini hac longi temporis præscriptione muniti non sint, et coloni vindicent se in libertatem, quæritur pendente lite ad quem reditus prædiorum et onera publicorum functionum pertineant? Et constituitur hac lege, præstita satisdatione de restituendis reditibus domino si vicerit, colonum reditus interim percepturum. Satisdationem præstandam in triennium, et post triennium renovandam esse, quia nondum scilicet lites triennio concludebantur. Nam *l. Properandum*, a Justiniano edita est sequenti anno. Satisdatione non præstita, reditus sequestro deponendos in æde sacra ejus loci, id est, in κειμηλιοφυλακείῳ, ut *Nov.* LXXIV. vel in æde metropolitana, videlicet si reditus in nummis consistant ex constitutione prædii. Nam si in fructibus consistant, venduntur fructus ab officialibus judicis, et eorum pretia eodem modo interim in archiis ecclesiæ deponentur. Hæc de reditibus. Onera capitationum ipse colonus interim sustinebat ut solebat. Quod si non ipse ea sed dominus sub re solebat, fidejussore dato, quantum fisco dominus inferebant, tantum fidejussor domino præstabit absque præjudicio litis: fidejussore non dato, æque tantumdem ex sequestro deducetur et domino præstabitur, ac deinde fisco per dominum, cujus etiam nomine apocham fiscus concipiet: igitur publica tributa domino pendente lite repræsentantur. Reditus puri, id est, qui restant deducta publica functione, sub sequestro sunt vel fidejussore. Puri alias ab ære alieno, *Nov. 22. l. ult. sup. de repu.* et Theophilo de lege Falcidia: modo a publicis tributis, et καθαρὰ οὐσία, sive *pura substantia*. Longe aliud est φανερὰ οὐσία. Demostheni et Lysiæ. Emendavi in contextu pleraque ex veteribus libris.

XXI. *Idem a. ad Senatum.* Ne diutius dubitetur, si quis ex adscriptitia et servo, vel adscriptitio et ancilla fuisset editus, cujus status sit, vel quæ pejor fortuna sit, utrumne adscriptitia, an servilis: sancimus ea quidem, quæ in anterioribus legibus cauta sunt pro tali progenie, quæ ex mulieribus adscriptitiis et viris liberis progenita sit, in suo statu relinqui, et sit adscriptitia proles ex tali copulatione procreata. Si quis autem vel ex servo et adscriptitia, vel ancilla et adscriptitio fuerit editus: matris suæ ventrem sequatur, et talis sit condicionis, qualis et genitrix fuit, sive ancilla, sive adscriptitia, quod hactenus in liberis tantum et servis observabatur. Quæ enim differentia inter servos et adscriptitios intelligatur, cum uterque in domini sui positus est potestate, et possit servum cum peculio vel sine eo manumittere, et adscriptitium cum terra dominio suo expellere.

Ut ex libero et ancilla vel contra, et ex cive Romano et Latina natûs jure antiquo matrem sequitur, et ex libero et adscriptitia ex *l. 16. sup.* ita et qui ex adscriptitio et ancilla, vel ex adscriptitia et servo nascitur. Nec dici potest deterioris potius parentis conditionem partum sequi, cum inter servos et adscriptitios nulla propemodum differentia sit. Utrique sunt in potestate dominorum. Utrorumque nomine domini tenentur actione de peculio, *l. ult. sup. quod. cum eo.* Utrique manumitti possunt cum peculio vel sine peculio. Et ne de adscriptitiis dubitetur sufficiet Sidonii Apollinaris locus v. Epist. quo liberæ cum adscriptitio Pudentis nuptiis consentit, et stuprum cum ea ab adscriptitio admissum remittit, si stupratorem Pudens pro domino jam patronus originali solveret inquilinatu. Et ita patronus accipere oportet in *l. 2. inf.* tit. 2. Adscriptitii etiam domino nostro liberari possunt cum terra, non sine terra. De natis ex adscriptitio et libera dicetur *l. ult.*

XXII. *Idem a. Iuliano pp.* Cum scimus nostra jura nolle præjudicium generare cuiquam circa condicionem; neque ex confessionibus, neque ex scriptura, nisi etiam ex aliis argumentis aliquod accesserit incrementum: sancimus solsm confessionem, vel aliam quamcumque scripturam ad hoc minime sufficere, nec adscriptitiam condicionem cuiquam inferre: sed debere hujusmodi scripturæ aliquod advenire adjutorium, quatenus vel ex publici census adscriptione, vel aliis legitimis modis talis scriptura adjuvetur: melius etenim est in hujusmodi difficultatibus ex pluribus capitulis condiciones ostendi, et non solis confessionibus, neque scripturis homines forte liberos ad deteriorem detrahi fortunam. Sin autem et scriptura, et post scripturam confessio seu depositio, sine vi, et necessitate tamen, intervenerit (quid enim si condicionale instrumentum vel aliam chartulam, in qua subscripsit, intimavit, et inter acta deposuit, sese colonum fuisse adscriptitium) tunc ex utroque genere obligationis, id est, tam scripturæ quam confessionis, vel depositionis talem eum esse credendum, qualem se scripsit et inter acta deposuit. Illud quoque non ineleganter dubitabatur, si coloni filius per triginta annorum curricula, vel forsitan per quadraginta, seu ampliora, adhuc vivente patre, et agriculturam peragente, ipse in libera conversatione morabatur, et dominus terræ, quia per patrem ei satisfiebat, non etiam præsentiam ejus exigebat, an post obitum patris, vel postquam forte is inutilis exstat, et rurinon idoneus, potest excusari filius longinqua libertate abutendo, et quod per multos annos neque agrum coluit, neque aliquid colonarii operis celebravit: cum non possit dominus incusari propter suam desidiam, cui per patrem ejus omne, quod volucrat, accedebat. In omnibus itaque hujusmodi speciebus satis acerbum nobis videtur domino præjudicari colonorum absentia, qui rure nati, et postea desertis per suos vel patres, vel fratres, vel cognatos agriculturam peragebant, cum enim pars quodammodo corporis ejus per cognationem in fundo remanebat, non videtur neque abesse, neque peregrinari, neque in libertate morari: maneat itaque domino jus inconcussum, et donec ejus vel antiquitas, vel posteritas, vel cognatio in agrum remanet; ipse videatur sibi resedisse. *Dat. X. Kal.* * *ep. post consulatum Lampodii, et Orestis vv. cc.*

Ut sola conductio vel alia scriptura servum non facit, ita nec adscriptitium, nisi concurrant aliæ probationes, veluti tabulæ censuales, vel insinuatio et depositio facta apud acta. Hoc continetur prima parte hujus legis. Sed illo loco, *Sancimus solam confessionem*, pro *confessionem*, ex veteribus legendum est, *conductionem*. Et ita Græci, καὶ ἀπεδώσατο ὡς ἐναπόγραφος, et paulo post pro *condicionale instrumentum*, legendum ex iisdem, *conductionale*, quod et Græci sequuntur: εἰ δὲ, inquiunt τὴν μίσθωσιν ἐξέβαλεν ἴσως διὰ καταθέσεως ἢ ἐμφανείας, λοιπὸν πιστευέσθω τοιοῦτος εἶναι. Altera parte hoc continetur, præscriptione xxx. vel xl. annorum non liberari colonum originarium, qui tamdiu moratus est in libertate, si interim agrum exercuerit pater ejus, vel filius, vel frater, vel cognatus. Nam ex Constitutione Honorii de inquilinis et colonis, de qua diximus *l. 16. sup.* et ex Novella Valentiniani de xxx. annorum præscriptione omnibus causis opponenda, et de colonis vagis, repetitioni colonorum obstat præscriptio xxx annorum, et *l. Cum qui. inf. de fund. rei privat.* a qua hunc tantum casum Justinianus excipit hac lege. De colonis loquor. In repetitione autem adscriptitiorum prorsus Constitut. sequenti abrogat xxx. annorum præscriptionem, imo et xl. quam admittebat Anastasii Constitutio, id est, *l. 4. de præscrip. XXX. ann.* a qua idem Anastasius excepit postea coloniex. Excepit et Justinianus sequenti lege adscriptitios.

XXIII. *Idem a. Ioanni pp.* Cum satis inhumanum est terram, quæ ab initio adscriptitios habebat, suis quodammodo membris defraudari, et colonos in alienis terris demorantes dominos terræ maximis damnis afficere: censemus quemadmodum in curialium condicione nemo extemporali cursu liberatur, ita nec adscriptitiæ condicioni suppositus ex annualibus curriculis, quanticunque emanaverint, vel quacunque prolixa negotiatione aliquis sibi vindicet libertatem: sed remaneat adscriptitius, et inhæreat terræ: et si se celaverit, vel separare conatus fuerit, secundum exemplum servi fugitivi sese diutinis insidiis furari intelligatur, et sit suppositus una cum omni sobole sua (etsi in alia terra eam fecerit) hujusmodi fortunæ et capitali illationi, nulla liberatione ei penitus com-

petonte. Cum autem Anastasiana lex hominos, qui per triginta annos colonaria detenti sunt condicione, voluit liberos quidem permancre, non autem habere facultatem terra derelicta in alia loca migrare: et ex hoc quærebatur, si etiam liberi eorum cujuscunque sexus, licet non triginta annos fecerint in fuodis vel vicis, deberent colonariæ esse condicionis, aut tantummodo genitor eorum, qui per triginta annos hujusmodi condicioni illigatus esset: sancimus liberos colonorum esse quidem in perpetuum secundum præfatam legem liberos, et nulla deteriore condicione prægravari: non autem habere licentiam, relicto suo rure ad aliud migrare, sed semper terræ inhæreant, quam semel colendam esse patres eorum susceperunt. Caveant autem possessionum domini, in quibus tales coloni constituti sunt, aliquam innovationem vel violentiam eis inferre: si enim hoc adprobatum fuerit, et per judicem pronunciatum: ipse provinciæ moderator, in qua aliquid fuerit tale perpetratum, omnimodo provideat, et læsionem (si qua subsecuta est) eis resarcire, et veterem consuetudinem in reditibus præstandis eis observare. Nulla ne tunc licentia concedenda colonis fundum, ubi commorantur, relinquere. Et hoc tam in ipsis colonis, quam io sobole eorum, qualiscunque sexus, vel ætatis sit, sancimus: ut et ipsa semel in fuodo nata remaneat in possessione sub eisdem modis iisdemque condicionibus, sub quibus etiam genitores ejus manere in alienis fundis definivimus. Nemini autem liceat vel adscriptitium vel colonum alienum scienti prudentique in suum rus suscipere. Sed et si bona fide eum susceperit, postea autem repererit eum alienum esse constitutum, admonente domino, vel ipsius adscriptitii, vel terræ, et hoc facienle per se vel per procuratorem suum: hunc restituere eum cum omni peculio et sobole sua: et si hoc facere supersederit: omnis quidem temporis, quo apud eum remoratus est, publicas functiones sivo terrenas sive animales pro eo inferre compelletur, nec non cura et provisione tam eminentissimæ præfecturæ, quam præsidis provinciæ: coartetur autem sic ad restitutionem ejus secundum veteres constitutiones et pœnas in eis insertas.

De prima parte diximus lege præcedenli. Nulla nec XXX. nec XL. annorum præscriptione se tueri adscriptitium adversus domini vindicationem posse, et si se celaverit, comparari eum servo fugitivo, quem dominus possidere intelligitur semper, et ideo vindicationi servi fugitivi vel etiam adscriptitii ne XL. quidem annorum præscriptionem obstare. At putem ex constitutione Anastasii servi non fugitivi vindicationi, etiamsi mala fide fuerit in possessione libertatis, obstare præscriptionem XL. annorum, quod et in Pragmatico de temporibus ostendi. Idemque est ex eadem Constitutione Anastasii in colono adscriptitio, sed non ex hac Justiniani, quæ adscriptitium curiali hac in re parem facit omnimodo Secunda parte fit mentio l. 19 sup. quæ alia quædam est Anastasii Constitutio, et a Justiniano extenditur ad liberos colonorum, ut et ii patrum condicionem sequantur, id est, ut sint coloni liberi, terræ tamen addicti, quibus prædiorum domini nullam possint concussionem inferre: illatam extra ordinem vindicari: solemnes tantum reditus ab eis exigi posse. Tertia parte cavetur, ne quis adscriptitium vel colonum alienum in suum rus suscipiat. Perperam antea legebatur, in suum jus, sicut et supra, *licet non per XXX. annos fuerint in fundis vel vicis*, quod ita emendavimus in contextu ex veteribus libris, *licet non XXX. annos fecerint*, qua de forma loquendi scripsimus in Pragmatico de temporibus cap. 25. at sic Julianus, *in eadem provincia*, loquit *L. dies faciat*. Additur vero tertia parte, ut susceptor alieni adscriptitii vel coloni statim eum cum sua sobole suoque peculio restituat, atque intellexerit alienum eum esse. Cunctatorem totius temporis jugationes jubet et capitationes agnoscere. Confirmat et pœnam *l. 12. supra*.

XXIV. *Idem a. Ioanni pp.* Si qui adscriptitiæ condicionis constituti mulieres liberas quacunque mente aut quacunque machinatione, sive scientibus, sive ignorantibus dominis, sibi uxores conjunxerunt, vel conjunxerint: in sua libertate permanere tam eas, quam prolem, quæ ex his cognoscitur procreata, sancimus: illo procul dubio observando, ut si ex libero marito et adscriptitia uxore partus fuerit editus, is maternæ condicionis maculam, et non paternam sequatur libertatem. Sed no adscriptitii putent sibi impunitum esse tale conamen, quod maxime verendum est, ne liberarum mulierum nuptiis ab his excogitatis, paulatim hujusmodi hominum condicio decrescat: sancimus, si quid tale fuerit ab adscriptitio perpetratum, habere liberam potestatem dominum ejus sive per se, sive per præsidem provinciæ, talem hominem moderata corrigere castigatione, et abstrahere a tali muliere: quod si neglexerit, sciat in suum damnum hujusmodi desidiam reversuram.

De nato ex adscriptitia et libero dictum est. sup. l. 16. Hæc lex est de nato ex adscriptitio et libera, ut etiam matrem sequatur, qua de re scripsimus Observationum IV. cap. XXVIII. De solutione conjugii idem repetitur *Nov. 22.*

TIT. XLIX. *De capitatione civium censibus eximenda.*

I. *Imp. Constantinus a. ad Eusebium v. p. præsidem Lyciæ et Pamphiliæ.* Plebs urbana, sicut in Orientalibus quoque provinciis observatur, minime in censibus pro capitatione sua convenitur, sed juxta hanc jussionem nostram immunis habeatur. *Dat. Kal. Iun. Constantino a III. et Licinio III. Coss.*

Ut in Orientis provinciis, ita et in Lycia et Pamphilia, quæ provinciæ sunt Asianæ diœceseos, plebs urbana capitationem, id est, censum capitis non præstat: qua de re scripsimus in *l. 8. sup. de excusat. trib. et l. inf. de rustic. ad ul. obl.*

TIT. L. *In quibus causis coloni censiti dominos accusare possint.*

Quidam codices habent, *in quibus causis coloni capite censiti.*

I. *Imp. Constantinus a. ad Maximum vic. Orientis.* Quisquis colonus plus a domino exigitur, quam ante consueverat, et quam in anterioribus temporibus exactus est: adeat judicem cujus primum poterit habere præsentiam, et facinus comprobet: ut ille qui convincitur amplius postulare, quam accipere consueverat, hoc facere in posterum probibeatur: prius reddito, quod superexactione perpetrata scitur extorsisse.

Dominus qui a colono plus exigit quam præstari sibi oportet, convictus id omne quod supra modum moremque extorsit, reddere compellitur. Idem obtinet in fiscalibus, quod hic in privatorum colonis, *l. 5. inf. de manc. dom.* De colonis censitis pleraque jam sup. diximus.

II. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Nebridio.* Coloni censibus duntaxat adscripti, sicuti ab his liberi sunt, quibus eos tributa subjectos non faciunt: ita his quibus annuis functionibus et debito condicionis obnoxii sunt, paene est, ut quadam debiti servitute videantur adstricti. Quo minus est ferendum, ut eos audeant lite pulsare, a quibus ipsos utpote dominis una cum possessionibus distrahi posse non dubium est. quam de cetero licentiam submovemus, ne quis audeat domini nomen in judicio lacessere: et cujus ipsi sunt, ejusdem omnia sua esse cognoscant: cum enim sæpissime decretum sit, ne quid de peculio suo cuiquam colonorum ignorante domino prædii aut vendere, aut alio modo alienare liceret, quemadmodum contra ejus personam æquo poterit jure consistere, quem ne propria quidem leges sui juris habere voluerint: et acquirendi tantum, non etiam transferendi potestate permissa, domino et acquirere et habere voluerint. Sed ut in causis civilibus hujusmodi hominum generi adversus dominos, vel patronos, aditum intercludimus, et vocem negamus: exceptis superexactionibus, in quibus retro principes facultatem eis super hoc interpellandi præbuerunt: ita in criminum accusatione, quæ publica est, non adimitur eis propter suam suorumque injuriam experiundi licentia.

Ut servis, ita adscriptitiis non esse cum domino actionem nisi ex superexactionis causa, ut in *l. 1. sup.* vel nisi criminaliter suam suorumque injuriam persequantur. Rerum eos proprietate carere, nec quicquam ex peculio suo alienare posse inconsulto atque ignorante domino, ut *l. 1. C. Th. ne col. inscio dom. suo alienet. pec. vel litem inferat civilem.* Ait, *annuis functionibus.* Sic Symmachus *annuas functiones* et dicta Majorianus *Nov. de indul. reliq. Per quorum officia profligari jubemus annuas functiones.* Quæ annua exactione solvuntur, *l. ult. sup. si propter publ. pensit.* Anniversarias solutiones, *l. 4. sup. de fun. rei. pri.* et alio quodam loco, annuas præstationes.

TIT. LI. *De colonis Palæstinis.*

I. *Imppp. Valentinianus, Theodosius, et Arcadius aaa. Cynegio pp.* Cum per alias provincias, quæ subjacent nostræ serenitatis imperio, lex a majoribus constituta colonos quodam æternitatis jure detineat, ita ut illis non liceat ex his locis, quorum fructu relevantur, abscedere, nec ea deserere, quæ semel colenda susceperunt, neque id Palæstinæ provinciæ possessoribus suffragetur: sancimus, ut etiam per Palæstinam nullus omnino colonorum suo jure velut vagus ac liber exultet, sed exemplo aliarum provinciarum ita domino fundi teneatur, ut sine pœna suscipientis non possit abscedere: addito eo, ut possessionis domino revocandi ejus plena tribuatur auctoritas.

Coloni Palæstini sunt liberi, terram tamen dimittere non possunt, quod illi sibi proprio quodam jure vindicabant. Punit eorum receptorem. Dominum fundi dicit, et dominum possessionis, non dominum coloni. Videnda sunt quæ diximus ad rubricam de agr. cens. Quidam codices habent, *per Palæstinas*, non male: fuere enim tres in Oriente, et hæc constitutio est de omnibus.

TIT. LII. *De colonis Thracensibus.*

I. *Impp. Theodosius et Arcadius aa. Rufino pp.* Per universam diœcesim Thraciarum sublato in perpetuum humanæ capitationis censu, jugatio tantum terrena solvatur; et ne forte colonis tributariæ sortis nexibus absolutis, vagandi et quo libuerit recedendi facultas permissa videatur: ipsi quidem originario jure teneantur: et licet condicione videantur ingenui, servi tamen terræ ipsius, cui nati sunt, existimentur: nec recedendi, quo velint, aut permutandi loca habeant facultatem, sed possessorum jure utatur, et patroni solicitudine, et domini potestate. Si quis vero alienum colonum suscipiendum retinendumve crediderit: duas auri libras ei cogatur exsolvere, cujus agros transfuga cultor evacuaverit: ita ut eundem cum omni peculio suo et adgnatione restituat.

Diœcesis Traciæ habet provincias sex, ut Marianus Scotus scribit, Europam, Thraciam, Hemimontum, Rhodopen, Mœsiam secundam, Scythiam.. Theodorit. lib. 5. cap. 28. τῆς Θρᾴκης εἰς ἓξ δὲ αὕτη ἡγεμόνας διῄρηται. Coloni per has sex provincias liberi sunt, terram tamen dimittere non possunt, tributum soli præstant, tributum capitis non præstant. Clientes potius sunt sub patrono, quam servi sub domino. Deceptatorem eorum duabus auri libris multari, et restituere peculium et progeniem eorum omnem.

TIT. LIII. *De colonis Illyricianis.*

I. *Imppp. Valentinianus, Valens et Gratianus aaa. ad Probum pp.* Colonos inquilinosque per Illyricum vicinasque regiones abeundi rure, in quo eos originis adgnationisque merito certum est immorari, licentiam habere non posse censemus, inserviant terris non tributario nexu, sed nomine et titulo colonorum: ita ut si abscesserint, ad aliumve transierint, revocati vinculis pœnisque subdantur. Maneat quoque eos pœna, qui alienum et incognitum recipiendum esse duxerint, tam in redhibitione operarum et damni, quod locis, quæ deseruerant, factum est: quam multæ, cujus modum in auctoritate judicis collocamus: ita ut etiam dominus fundi, in quo alienus fuisse monstrabitur, pro qualitate peccati coercitionem subire cogatur: nec sit ignorantiæ locus, cum ad criminis rationem solum illud sufficiat, quod incognitum sibi tenuerit. Servum etiam in memoratis regionibus si quis receperit, ignorationis excusatione sublata, quadrupli pœna teneatur: operarum præterea compendiis damnisque præstitis: in libertis etiam, quos pari usurpatione susceperit, is modus sit, quem circa liberos colonos duximus retinendum. *Dat. III. Id. Jul. Gratiano a. II. et Probo Coss.*

Videtur accipienda de Illyrico Occidentali. Nam Orientale infert capitationem excepta ecclesia Thessalonicensi, *l. 12. sup. de an. et trib.* Coloni igitur Illyrici Occidentalis liberi sunt, tributum soli præstant, capitationem non præstant, ex terra tamen ea discedere non possunt, cui sunt addicti. Receptorem teneri domino terræ in id quod interest, et multari arbitrio judicis. Dominum quoque fundi in quo recepti fuerint commansores, arbitrio judicis coerceri, ignorantem excusari. At scientiam præsumi, cum unusquisque scire debeat colonum non suum, alienum esse, *l. 1. sup. unde vi:* et Rotharius *l. 1. de mansionibus:* susceptorem liberti eodem modo coerceri: susceptorem servi in Illyrico quanti ea res est, et in quadruplum damnari. Conjungenda est *l. ult. sup. de op. lib.*

TIT. LIV. *Ut nemo ad suum patrocinium suscipiat vicos vel rusticanos eorum.*

I. *Impp. Leo et Anthemius aa. Nicostrato pp. Orientis.* Si quis post hanc nostri numinis sanctionem in fraudem circumscriptionemque publicæ functionis ad patrocinium cujuscunque confugerit: id quod hujus rei gratia geritur, sub prætextu donationis vel venditionis, seu conductionis, aut cujuslibet alterius contractus, nullam habeat firmitatem: tabellionibus, qui talia instrumenta perficere ausi sunt, bonorum proscriptione plectendis: qui tamen scientes ausi fuerint hujusmodi instrumenta conscribere: vicis etiam vel possessionibus ad patrocinia confugientibus publico vindicandis. Hæ autem personæ, quæ contra publicam commoditatem in clientelam suam susceptisse collatores detectæ fuerint: nobiliores quidem centum auri librarum condemnationem subire cogentur: mediocris vero fortunæ facultatem suarum amissione plectentur: eadem pœna multandis etiam his, qui intercedentes ministerium suum hujusmodi nefariis actibus improba mente praebuerint. Quam formam ex eo quidem tempore, quod sacra constitutio a divæ memoriæ Martiano promulgata continet, id est, in Thracica quidem diœcesi ab hinc annis triginta, hoc est, a consulatu Aetii II. et Sigisbuldi: in Orientali vero et Ægyptiaca et Pontica et Asiana diœcesi viginti octo: hoc est a consulatu Cyri valere atque executioni mandari præcipimus. *Dat. Kal. Sept. Anthemio a. II. Coss.*

Hic titulus est de susceptis, non de adscriptitiis vel colonis. Suscepti sunt clientes, qui se et bona sua omnia tuenda et defendenda potentioribus addicunt fraudandorum publicorum tributorum causa: qua specie potentiores vicanorum et rusticorum bona sibi vindicabant vel relinquebant susceptis sub patrocinii mercede certa: quod multæ Constitutiones damnant in tit. *de pat. vic. Cod. Theod. et Justiniani, Nov. 17. et Tiberii de divinis domibus.* Salvianus v. de providentia Dei: *Ut vim*, inquit, *exactionis evadant, tradunt se ad tuendum protegendumque majoribus, dedititios se divitum faciunt, et quasi in jus eorum ditionemque transcendunt. Nec tamen grave hoc esset si potentes patrocinia ista non venderent, hac lege tueri pauperes videntur ut spolient: Omnes enim ii, qui defendi videntur, defensoribus suis omnem fere substantiam suam addicunt. Nihil susceptis tribuunt, sed sibi Novum genus venditionis et emptionis. Venditor nihil tradit et totum accipit. Emptor nihil accipit et totum penitus amittit.* Susceptos vocat, ut Augustinus et Servius quod notavi in 132. *ff. de verb. obligat.* Palæmon Grammaticus v. a. in glossis *Asecula, cliens sive susceptus.* Hæc constitutio irritas hujusmodi conventiones facit: tabelliones, qui eas perfecerint, confiscat, et vicos vel agros susceptos. susceptores etiam coercet, et harum conventionum intercessores et interpretes ex tempore præscripto Constitutione quadam Martiani quam non habeo. Quinque diœceses recenset, Orientem, Thraciam, Ægyptum, Asianam, Ponticam, quæ sunt sub dispositione præf. præt. Orientis, ut et Mariani notitia docet. Sequitur eadem de re Constitutio Græca, Latinæ cujusdam subdititiæ loco, quam ex libris Βασιλικῶν desumpsimus.

II. Μηδεὶς κωμήταις προστασίαν ὑπισχνείσθω, μηδὲ δεχέσθω γεωργοὺς ἐπὶ τούτῳ ὑπόσχεσιν προσόδων ἢ ἕτερον κέρδος λαμβάνων· εἰ δέ τις παραβαίη ταῦτα καὶ τοῖς προειρημένοις ἐπιτιμίοις ὑποπεσεῖται καὶ ἑτέρᾳ μείζονι παραδοθήσεται κινήσει· πρὸς τούτοις καὶ οἱ κωμῆται εἰ μὲν δοῦλοι εἶεν, τοῖς δεσπόταις ἀποδοθήσονται σωφρονισθέντες, εἰ δὲ ἐλεύθεροι κ'. λίτρας προστιμῶνται, καὶ τύπτωνται μετὰ δέκα τῶν πρωτευόντων τῆς κώμης, καὶ διηνεκῶς ἐξορίζονται, ἐν ᾧ γνώμῃ πάντων ἐγκατασταῖεν.

INTERPRETATIO LATINA.

Ne quis vicanis patrocinium polliceatur, vel agricolas in clientelam suscipiat redituum alteriusve lucri promissione recepta, et ut qui hæc non servaverit, supradictis pœnis majorique commotioni subjaceat. Præterea ut vicani si servi sint, dominis castigati reddantur: si liberi, XX. libris mulctentur, et verberari una cum decem prioribus vici in perpetuum relegentur, dummodo scientibus omnibus decesserint.

Notandum est genus coercendi universi vici, quo sciente unus abscessit, et se in potentioris cliente lam dedit, decem primorum castigationes.

TIT. LV. *Ut rusticani ad nullum obsequium devocentur.*

I. *Exemplum literarum Diocletiani et Maximiani aa. ad Carisium.* Ne quis ex rusticana plebe, quæ extra muros posita, capitationem suam detulerit, et annonam congruam præstat, ad ullum aliud obsequium devocetur, neque a rationali nostro mularum fiscalium vel equorum ministerium subire cogatur.

Hanc constitutionem intelligere arbitror Constantinum in *l. 2. C. Th. de censu. sive adsc.* quæ perperam vulgo est *l. ult. de naufrag.* dum Diocletianum dicit plebem urbanam capitatione immunem reddidisse. Ait enim Diocletianus, *Extra muros*, quia urbanos capitationem præstare non vult. Id vero potissimum hac lege constituit, ne ad alia onera devocentur, ut *l. 1. sup. de agr. cens.* veluti ad prosecutionem equorum aut mularum fiscalium, de quibus *l. ult. sup. de discussor.* Theodoritus lib. I. cap. VII. δημοσίοις ὄνοις, καὶ ἡμιόνοις, καὶ ἵπποις χρήσασθαι.

II. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Probum pp. Illyrici.* Si qui eorum qui provinciarum rectoribus obsequuntur, quique in diversis agunt officiis principatus, et qui sub quocunque prætextu publici muneris possunt esse terribiles, rusticano cuipiam necessitatem obsequii quasi mancipio sui juris imponant, aut servum ejus vel forte bovem in usus proprios necessitatesque converterint: ablatis omnibus facultatibus perpetuo subjugentur exilio: et nihilominus rusticanum, qui se in ejusdem operas sponte propria detulisse desponderit, par pœnæ severitudo constringat. *Dat. Prid. Kal. Octob. Agripinæ Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Ne apparitores præsidum, principes officiorum, numerarii corniculari, commentarienses, et alii qui militum auctoritate possunt esse terribiles, rusticos ad ullum obsequium vocent, vel servos eorum aut boves aratorios: sic principatum dicit, ut l. 1. *sup. ad l. Jul. de ambitu.* Sudas, princeps, ὁ ἔξαρχος τῆς τάξεως.

TIT. LVI. *Non licere habitatoribus metrocomiæ loca sua ad extraneum transferre.*

I. *Impp. Leo et Anthemius aa. Nicostrato pp.* In illis quæ metrocomiæ communi vocabulo nuncupantur, hoc adjiciendum necessario nostra putavit humanitas, ut nulli extraneo illic quoquo modo possidendi licentia tribuatur: sed si quis ex eisdem vicanis loca sui juris alienare voluerit, non licere ei, nisi ad habitatorem adscriptum eidem metrocomiæ, per qualemcunque contractum terrarum suarum dominium possessionemque transferre: sciente persona extranea, quod si contra vetitum se huic negotio immiscere, vel illic possidere tentaverit: quicunque contractus initus fuerit, carebit effectu, et contractu soluto, si quid præstitum est, hoc tantum redderetur. *Dat. Kal. Sept. Anthem. a. II. Cos.*

Pugnare videtur hæc lex cum *l. Dudum. sup. de contra. emptio.* quod et Novel. Romani Lecapeni περὶ ἐκποιήσεως κτημάτων ita est expressum: παλαιὸς νόμος ἐστὶν ἵνα μηδεὶς παρὰ συγγενῶν ἢ κοινωνῶν ἐμποδίζηται πωλεῖν εἰς ἀνεπηρέαστον· ἕτερος δὲ νόμος ἄντικρυς τοὐναντίον ἀπαγορεύει, μὴ ἐξεῖναί τινι πιπράσκειν ἑτέρῳ, ἢ μόνον τοῖς τῆς ἰδίας μητροκωμίας οἰκήτορσιν. ἡμεῖς δὲ τῶν ἢ μετέωρον ὑποτελῶν ἅμα καὶ τῶν δημοσίων φόρων τῆς τε ἄλλης στρατιωτικῆς καὶ πολιτικῆς λειτουργίας καὶ συντελείας πολλὴν τιθέμενοι πρόνοιαν τὸ ἐναντιοφανὲς αὐτῶν καὶ ἀδιόριστον διὰ ταύτης ἡμῶν τῆς θείας διατάξεως σαφεῖ καὶ συντόμῳ λόγῳ ἐπανορθοῦντες θεσπίζομεν, etc. At l. *Dudum*, de propinquis et sociis loquitur, ne præferantur extraneis emptoribus: Hæc autem de convicanis, propter quam puto ad *l. Dudum*, hæc verba Tribonianum adjecisse, *Nisi lex specialiter*, etc. quæ non erant in Codice Theodosiano, sicut ad *l. 1. sup. de reb. credit.* hæc, *Nisi specialiter hoc lege excipiatur*, propter *l. ult. eod. tit.* quæ non erant in Gregoriano. Novissime autem Romanus constituit, ut jure προτιμήσεως vocentur in emptionem primum cognati consortes, veluti fratres qui paterna prædia indivisa possident: tum socii quilibet, quos ad societatem conjunxit voluntas: de inde extranei, quos ad societatem conjunxit fortuna, quarum alteram voluntariam, alteram hæreditariam Cicero appellat: post συμπαρακείμενοι ὁμοτελεῖς, id est, *qui eidem domino canonem pensitant*, vel ut Fridericus Imperator interpretatur, *qui sunt sub uno territio.* Ad extremum, confines. Quinque gradus facit, et inter eos successionem dat, ut primis pretium non offerentibus intra dies XXX. vel procuratoribus eorum intra menses IV. vel etiam repulsis per causam injuriæ venditori illatæ, sequentes vocentur. Præscriptioni XXX. dierum vel mensium IV. locus est si ii qui jus προτιμήσεως habent, testato denunciati sint et cessaverint, sicut duorum mensium adversus principalem dominum emphyteuticario vendente *l. 3 sup. de jur. emphyteut.* Non facta denunciatione, non nisi decennii præscriptione jus προτιμήσεως excluditur. Eadem Novella idem jus datur convicanis non tantum convicano, sed etiam fisco vendente desertum forte prædium, quod κλασματικὴν γῆν vocat, ita tamen, ut in hac specie etiamsi denunciati non fuerint, intra quadriennium jure suo utantur, secundum *l. 2 sup. de quadr. præscript.* Scripsimus de hoc jure aliquid ad l. *Qui Romæ.* §. *Cohæredes. D. de verbor. obligat.* Et de metrocomiis ad *l. ult. sup. de exact. tribut.* Ait, *vicanis*: quidam codices habent *curiis*, ut Festus in verbo, vici. Hi sunt μητροκωμῆται. Κωμῆται: Nov. 38. qui male ab interprete Comitiani. Comitiani sunt officiales comitis. Κωμῆται, vicani *Contractum*) Hoc verbo non continetur testamentum. Poterit ergo vicanus extraneum hæredem instituere. Quin et Novel Romani, non testamenti modo sed et dotis donationis propter nuptias, donationis directæ, donationis causa mortis, permutationis, transactionis non simulatæ excipitur causa, nisi si ex his causis bona sua tenuiores transferant in potentiores non vicanos, quibus tamen præscriptio decennii, sicut et extraneis quibuslibet non denegatur. *Hoc tantum redderetur*) Non rei melioratæ sumptus: de hac quæstione diximus in *l. 1. sup. de præd. cur.*

TIT. LVII. *Ut nullus ex vicanis pro alienis vicanorum debitis teneatur.*

I. *Imp. Zeno a.* * Grave est non solum legibus, verum etiam æquitati naturali contrarium, pro alienis debitis alios molestari: idcirco hujusmodi iniquitates circa omnes vicanos perpetrari modis omnibus prohibemus.

Fuit olim plerisque locis usurpatum, ut vicanus ex contractu vel delicto convicani teneretur, et ut liceret creditori ob vicani debitum ejusdem vici hominem, vel bona prehendere quoad verus debitor satisfecisset, quod Zeno tollit hac lege, et Justinianus *Nov.* 52. et 134. Cassiodorus IV. Var. *Dividuntur causæ germanæ: filius obligationibus paternis, si non sit hæres, excutitur: uxor maritalibus debitis, nisi per successionis vincula, non tenetur: et audacia ad solutionem trahit extraneos, cum absolvant jura conjunctos.* Idem legibus Langobardorum cavetur, *l. 3. de reb. et vad.* et Constitutionibus Neapolitanis titulo de cultu pacis, et tit. de presaliis puniendis: sed postea cum revocatæ fuissent in usum, eas Gregorius liberavit clericos, et Fridericus studiosos promissa actione repetundarum famosa in quadruplum. Moribus nostris hoc jure utimur non in nostrales, sed in exteros, nec nisi permissu principis, ut si negotiatori Gallo merces diripuerint Hispani, idem quum primum offenderit Hispanum pari jure diripiet, quod jus Marquæ appellamus, quia ut arbitror, in limitibus potissimum exercetur.

TIT. LVIII. *De censibus et censitoribus, et peræquatoribus et inspectoribus.*

Census descriptiones sunt jugerum et capitum. Censitores sive censores qui census agunt. Peræquatores et inspectores qui emendant, prædiis inspectis et adæquatis invicem, ut releventur quibus gravius est onus adscriptum, graventur quæ sunt censita levius, *l. 10 inf. de fun. pat. l. pen. et ult. sup. de an. et trib. l. 12. et 15. C. Th. de censit. l. ult. C. Th. de locat. fun. ju. emph.* Græci ἐξισωτὰς vocant Eusebius IV. de vita Constantini, ἄνδρας ἐξισωτὰς κατάπεμψας. Græci interpretes juris, Ἐπόπτης λέγεται ὁ ἐξισωτής: itaque idem pene munus est inspectoris et peræquatoris. Cassiodorus X. *Ut ad prædium de quo querela est, diligens inspector accedat, et rebus moderata inqu-*

sitione trutinatis, quicquid gravaminis potest habere possessio, rationabiliter abrogetur.

I. *Imp. Constantinus a. ad Populum.* Quoniam tabulari civitatum per collusionem potentiorum sarcinam ad inferiores transferunt: jubemus ut quisquis se gravatum probaverit, suam tantum pristinam professionem agnoscat. *pp. XV. Kal. Feb. Romæ Constantino a IV. et Licinio III. Coss.*

De tabulariis diximus lib. 10. multis locis. Principalibus et tabulariis, ut Symmachus ait in epistolis, liberum est alios a dispendio vindicare, aliis debitum munus imponere, cum scilicet rationes tributorum tractant: quo fit, ut sæpe per gratiam divitum onera transferant in pauperes: qua de re graviter et copiose queritur Salvianus lib. 5. de providentia Dei. Hæc Constitutio hanc tabulariorum fraudem censet esse corrigendam secundum antiquam censualis professionis modum, *l. 1. sup. de im. nem. conc.*

II. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Eutropio pp.* Quisquis vitem succiderit, aut feracium ramorum fœtus vetaverit, quo declinet fidem censuum, et mentiatur callidæ paupertatis ingenium: mox detectus competenti indignationi subjiciatur: illo videlicet evitante calumniam, quem forte detegitur laborasse pro copia, ac pro reparandis agrorum fœtibus non sterilitatem aut inopiam procurasse. *Dat. Prid. Non. Iun. cp. Eucherio et Syagrio Coss.*

Et qui simulat paupertatem succisis vitibus vel arboribus competenti pœnæ subjiciatur, nec pristina professione relevetur, *l. 4. § Si vites. D. de censib.* Putationes non damnat, quæ fiunt ne vites supervacuis sarmentis silvescant, vel quibus luxuries ramorum coercetur, quæ res copiam parit non inopiam. Pro, *vetaverit*, Codex Theodosianus, *habetaverit*, forte legendum, *amputaverit*. Sic lib. 56. βασιλικῶν titul. 14. ἐάν τις ἀμπέλους ἐκτέμνῃ ἢ εὐφόρους ἐκκόπτῃ κλάδους.

III. *Iidem aaa. Cynegio pp.* Si peræquatore misso, aliquis aut procuratorem suum retraxerit, aut colonum per contumaciam retractationis fugaverit: ad eum censuum modum, quem vel eo, vel procuratore illius absente, peræquator apposuerit, nostræ sanctionis auctoritate tenebitur. *Dat. VI. Kal. April. cp. Honorio np. et Evodio Coss.*

Si misso peræquatore procuratorem prædii sui subduxerit quis, ne præsens censitioni adesset, vel colonum fugaverit retractationis census defugiendæ causa, quod absente colono vel procuratore de censu agri constituerit peræquator, ut nihilominus ratum habeatur alioquin vix est ut censitio aut peræquatio absente domino vel procuratore recte facta videatur *l. 5. C. Th. de censu.*

IV. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius aaa. Rufino pp.* Omne territorium censeatur, quoties defectorum levamen exposcitur, ut sterilia atque jejuna his, quæ culta vel opima sunt compensentur. *Dat. III. Non. Apr. cp. Theodosio a. III. et Abundantio Coss.*

Si qua civitas relevationem petat quasi defectorum prædiorum, ut denuo totius territorii civitatis census agatur, et compensentur fertilia cum sterilibus Pro, *jejuna*, quidam Codices habent, *herema*, et Græci τὰ ἔρημα μετὰ τῶν εὐθαλῶν συμψηφίζονται: unde corrupta illa vox orta est in quibusdam codicibus, *erema* Galli dicunt. *terres ermes.*

V. *Iidem aaa. Rufino pp.* Qui gravatos se esse a peræquatoribus conqueruntur, et injusto oneri impares esse proclamant: competitionis habeant facultatem, ut quid remissum gratia, quid interceptum fuerit fraude, convincant: et ex eo levamen accipiant, quod per deformia et criminosa commercia sibi impositum esse deplorant, ut aliis demeretur: quod intra annum post codicum oblationem, quo videbitur, de injusto conqueratur onere, iniquitatem, peræquatoris accuset, ac præstitam gratiam habita competitione convincat, ut quod ei fuerat superfusum, illo cognoscat, quem debitæ functioni fraus claudestina subtraxerat: emenso autem eo tempore actio denegabitur, exceptis minoribus qui fuerint indefensi: his etiam qui aberunt reipublicæ causa: qui tamen ex eo tempore, quæ sunt statuta, custodient: ex quo ad agendum habuerint facultatem. *Dat. III. Kal. Dec. cp. dn. Theodos. a. III. et Abundantio v. c. Coss.*

Actio vel competitio adversus iniquam peræquationem datur intra annum post completam peræquationem traditosque peræquationis libros, ex die clausi renuntiatique census, ut ait *l. 5. C. Th. de censu sive ads.* Excipiuntur minores indefensi et absentes Reip. causa, quibus non ex eo die annus computatur, sed ex quo agendi facultatem habuerint. Ait, *quo videtur*, id est, apud tribunal quodcunque videbitur. Theodosianus apertius, *cui videbitur.*

VI. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Eusebio pp.* Peræquatores ac discussores, si incurrerint culpam negligentiæ vel gratiæ, non solum honorum jacturam, verum etiam annonarum in quadruplum multam subire debebunt: ea vero quæ in damnum provincialium fuerint accepisse convicti, in quadruplum cogentur exsolvere. *Dat. IV. Kal. Apr. Med. Arcadio et Honor. III aa. Coss.*

Peræquatores vel discussores ob culpam vel gratiam damnati infames sunt: legendum, *honorum*, non *bonorum*, ut Græci, οὐ μόνον τῆς ἀξίας, ut Accursius citans *l. Judices.* et *l. Quoties inf. de dignitat.* ut etiam *l. 10 C. Th. de censit.* Fisco percepta emolumenta sive salaria in quadruplum. Provinciali quoque extorta, dum erga alium forte cupiunt esse gratiosi, in quadruplum restituunt. qua de re diximus aliquid in tit. de superexactoribus.

VII. *Impp. Honorius et Theodosius. aa. Sebastiano com. ordinis primi.* Apud eum possessio firma permaneat, cui eam a peræquatore semel traditam fuisse constiterit: reliqua vero temporis antescti a novo domino fiscum postulare non patimur, ne alterius culpa alter incipiat subjacere dispendiis. Si quis vero privatus aut obligatam sibi possessionem, quæ deserta hucusque permansit, aut ex aliquo titulo deberi jure confirmat: allegationes suas sine mora vel per se vel per aliam personam legibus ordinatam manifestare debebit: ita ut si æquitatis ratione suadente, ad petitionem fuerit translata possessio: is qui a peræquatore eam susceperit, rei melioratæ susceptis sublevetur expensis. Verum ne sub specie litis dominationes semel constitutæ turbentur: sex mensium spatium censemus debere servari, intra quod si qui putat sibi rem probabili ratione competere, debitas exerat actiones. Quod si tempus adscriptum silentio fuerit interveniente transactum: nullum penitus repetendi volumus esse principium. Quod si quis eo tempore, quo peræquatuor prædium alicui addicit, de suo jure vel per se aut per homines suos non crediderit actitandum: sex mensium curriculis evolutis, in perpetuum conquiescat. *Dat. Prid. Id. Mar. Rav. Honorio XI. et Constantio II. Coss.*

Solent peræquatores a dominis deserta et destituta prædia aliis tradere, atque ita dominium mutare, sine onere tamen reliquorum, quod accipientem a domino procuildubio sequeretur, ut constat ex titulo sine censu, vel rel. Post addictionem peræquatoris, creditores excluduntur, quibus prædia sunt obligata vel debita, nisi de jure suo experiantur intra sex menses, et novo domino reddant emponemata. Eadem præscriptione antiquior dominus excluditur, *l. Locorum. tit. seq.* Ait, *Dominationes*, id est, dominia

TIT LIX. *De omni agro deserto et quando steriles fertilibus imponuntur.*

Non idem est desertum et derelictum. Derelictum occupantis fit, desertum non item, *l. 8. hoc titul.* Usucapitur tamen biennio. Desertum est quod incultum et squalidum est. Quod sequitur, *et quando steriles fertilibus imponuntur*, idem est, ac si diceret, περὶ ἐπιβολῶν.

I. *Imp. Constantinus a. Campesti.* Cum divus Aurelianus parens noster civitatum ordines pro desertis possessionibus jusserit conveniri, et pro his fundis, qui invenire dominos non potuerunt, quos perceperamus earundem possessionum triennii immunitate percepta, solemnibus satisfacere, servato hoc tenore præcipimus, ut si constiterit ad suscipiendas easdem possessiones ordines minus idoneos esse, eorundem agrorum onera possessionibus et territoriis dividantur. Accepta.

Prædis deserta et quorum domini non reperiuntur, curialibus adjicuntur sub immunitate triennii: qui si idonei non sint, tunc onus

eorum et in possessores ejusdem civitatis, et in omne territorium diffunditur. Verbum, *Accepta*, quod est in extremo, est ex subscriptione, ut in *l. 1. inf. de fug. col.* verbum, *Data*.

II. *Idem a.* Si quia ab emphyteuticario seu patrimoniali possessore, privati juris quippiam comparaverit, cujus substantia alias possessiones sustentare consueverat, et succisis quasi quarundam virium nervis reliqua labuntur: earum possessionum onera subiturus est, quæ penes distractorem inutiles permanebunt. *Dat. VIII. Id. Dec. Thessal. Feliciano et Titiano Coss.*

Si emphyteuticarius vel patrimonialis possessor fundum proprii privatique juris ad se pertinentem vendiderit, quo emphyteutici seu patrimonialis juris prædia sustentare solebat, ac deinde reliqua ejusque prædia deserere cœperit onus reliquorum transfertur ad emptorem, qui eum fundum comparavit, quo venditor alios tueri solebat. Atque ita emptorem sequuntur non tantum fundi comparati reliqua, sed et aliorum reliqua, qui fundo comparato sustentabantur: quod addi convenit ad tit. *sine censu, vel reliq. fund. comp. non pos.*

III. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Mamertinum. pp.* Quicunque deserta prædia meruerint, sub certa immunitate ad possessionem impetratorum non prius sinantur accedere, quam vel fidejussoribus idoneis periculo curialium datis, vel fundis patrimonii sui maxime utilibus obligatis, idonea cautione firmaverint susceptam a se possessionem nullo detrimento publico relinquendam.

Ut ii quibus deserta prædia addicuntur sub certa immunitate veluti triennii, *l. 1. hoc. tit.* vel biennii, *l. 7. hoc tit. l. 12. Cod. Theod. de censitor.* pignoribus vel fidejussoribus caveant se ea damno publico minime deserturos, *l. 6. hoc tit. l. 7. inf. tit. de fun. pat.*

IV. *Idem aa. et Gratianus a. ad Crescentium Vic. Afr.* Hæredes scripti etiam pro minus idoneis fundis fiscale onus cogantur agnoscere: vel si renuntiandum hæreditati putent, cedant his omnibus rebus, quas ex iisdem bonis quocunque titulo et jure perceperint. *Dat. IV. Id. Jul. Contionaci Gratiano a. II. et Probo Coss.*

Non potest hæres scriptus prædia hæreditaria ita dividere, ut fertilia amplectatur, sterilia deferat onerum publicorum evitandorum causa, sive hæreditario, sive legati, sive fideicommissi jure si ex eisdem bonis ea deferantur, sed aut omnium tributa agnoscere debet, aut ab omnibus recedere.

V. *Impp. Valens et Gratianus aa. ad Anthemium pp.* Qui utilia reipublicæ loca possident, permistione facta etiam deserta suscipiant: ut si earum partium graventur accessu, quas ante per fastidium reliquerunt, cedant aliis curialibus, qui utraque hac conditione retineant, ut præstatione salva cum desertis et culta possideant, sublata a paucis quos, iniquum est electa retinere, cum municipes gravatura sit pars relicta.

Qui fertilia et sterilia Reip. loca permistim possident, ut omnia retineant, vel ut omnibus salvo canone curialibus cedant. Nec enim possunt fertilibus retentis sterilia deserere. In curiales transfertur onus universitatis prædiorum, non partis.

VI. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Nebridio com. r. p.* Ut quisque conductor fuerit inventus possessor fundi, ut quisque qui ex publico vel templorum jure descendit: huic ager jungatur inutilior. Quod si contra id reluctandum existimaverit: alius possessor sub eadem præstatione quæratur: vel si voluntarius, qui sit conductor, non invenietur: tunc ad possessores antiquos, id est, decuriones vel quoslibet alios, loca juris prædicti adjunctis inutilibus revertantur, idoneis fidejussoribus præstitis. *Dat. XV. Kal. Feb. cp. Merobaude II. et Saturnino Coss.*

Ut conductori fundorum Reip. vel sacrorum templorum cum fertilibus adjungatur inutiles, vel ut alius sub eadem pensione eorum voluntarius conductor quæratur, vel eo non invento, ut fundi ad veteres possessores revertantur: Reip. ad curiales: templorum, ad illos qui ea prædia templis largiti sunt.

VII. *Iidem aaa. et Arcadius a. Cynegio pp.* Quicunque defectum fundum patrimonialem exercuerit, fertilem idoneumque præstiterit: salvo patrimoniali canone, perpetuo ac privato jure defendatur, et velut domesticum et avita successione quæsitum sibi habeat, suis relinquat: neque eum aut promulgatione rescripti, aut reverentia sacræ adnotationis quisquam a fructu impensi operis excludat. Ceterum eos, qui opimas ac fertiles possident terras, aut etiam nunc sibi existimant eligendas: pro defecta scilicet portione summam debiti præsentis jubemus implere: illos etiam, qui emphyteuticario nomine nec ad plenum idoneas, nec omnibus modis vacuas detinent: sic ex illis quoque, quæ presidio indigent, justam ac debitam quantitatem debere auscipere, ut indulto temporis spatio post biennium decretum cannonem solvendum esse meminerint: nemo tamen qualibet meriti et potestatis objectione submoveatur, quo minus ad diacathocæ vicem defectas possessiones patrimonialis juris accipiat, eorum tributa et canonem soluturus: illud speciali observatione procurans, ut primo vicinas et in eodem territorio sortiatur; dehinc si neque finitimas, neque in eisdem locis repererit constitutas; tunc demum etiam longius positas, sed in quantum fieri valet, pro interjecto spatio sibimet cohærentes, pro modo et æquitate suscipiat: ut id consensu omnium fiat, quod omnibus profuturum est.

Lex est de iis, qui patrimoniales fundos emphyteuticario jure detinent, ut si defectos acceperint et idoneos reddiderint, eos perpetuo privatoque jure possideant et in hæredes transferant salvo canone. Et ut qui idoneos eo jure susceperint, defectos suscipiant cum onere canonis, non reliquorum, qui medii generis, ut etiam ex defectis suscipiant pro rata cum eodem onere, salva immunitate biennii: in *l. 1.* dator immunitas triennii, quæ est de fundis a dominis desertis et in curiales transferendis: Hæc de fundis patrimonialibus defectis, et iis qui meliores fundos detinent adjungendis ad diacathociæ vicem, id est, possessionis titulo et jure, ut eos retineant jure privato quasi possessores, ut habeant dominium possessionis, *l. 11. inf. hoc tit.* ut sint possessores, *l. 12. inf. de fund. pat. l. 4. inf. de div. præd.* et ita in *l. 1. C. Th. de fisc. debit. de diacathocis*, id est, de possessoribus, qui canonem fisco debent, interpretor; et ob hac defectorum adjunctione lex ait, nec dignitatem nec potestatem ullam excipi. Adjungi finitimos primum, deinde longe positos. Adjunctionem hujusmodi suscipere omnes debere, cum sit publice omnibus profutura, *l. seq.*

VIII. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. Tatiano pp.* Qui agros domino cessante desertos, vel longo positos, vel finitimos, ad privatum pariter publicumque compendium excolere festinat, voluntati suæ nostrum noverit adesse responsum. Ita tamen ut si vacanti ac destituto solo novus cultor insederit, ac vetus dominus intra biennium eadem ad suum jus voluerit revocare: restitutis primitus quæ expensa conatiterit, facultatem loci proprii consequatur, nam si biennii fuerit tempus emensum, omni possessionis et dominii carebit jure qui siluit.

Quæ ad hanc legem pertinent exposuimus libro de temporibus cap. 21. et ad rubricam.

IX. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius aaa. Rufino pp.* Qui fundos patrimoniales jure privato canone salvo susceperint, hanc omnes sine ullius exceptione personæ propositam intelligant optionem, ut aut ea loca, quibus minor est soli fœcunditas, cum his, ex quibus fructos uberes capiunt, suscipere et tenere non abnuant: aut si eorum refugiunt sterilitatem opimioribus cedant. *Dat. VIII. Id. Nov. Tyro Arcadio III. et Honorio II. aa. Coss.*

Ut qui fundos patrimoniales sub præstatione canonis, jure privato susceperunt, eis abscedant, nisi fertilibus steriles imponi patiantur. Alii suscipiuntur jure privato quasi sint suscipientium proprii, alii jure emphiteuticario quasi alieni: utrique tamen sub canonis præstatione.

X. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Eutychiano pp.* Qui per potentiam fundos opimos, ac fertiles occuparunt, cum quæstuosis uberibusque pro rata portione suscipiant infœcundos ex eadem substantia. *Dat. Non. Mar. cp. Honorio a. IV. et Eutychiano Coss.*

Lex ait fertilibus adjungi steriles ex eadem substantia, et *l.* 12. ex eisdem bonis, Nov. περὶ ἐπιβολῶν, nondum edita, ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας: quod exposui Observ. 4. cap. 30.

XI. *Iidem aa. Adriano pp.* Locorum domini intra sex menses edictis vocati revocantur: qui si adfuerint, et propria teneant: et ea quæ ex præterito contraxerint, debita redhibere cogantur. Si vero impares esse earum rerum tributis propriis confitentur absentia, nec adesse voluerint: penes eos, qui hæc susceperint, et certum quem tributorum canonem promittunt, proprietas possessionis intemerata permaneat: ut postquam ea exsolverint, sciant sibi inquietudinem submovendam, nec subreptione cujusquam competitionis loca, quæ tenuerint, auferenda: quibus etiam illud indulsimus, ut ex eo tempore, ex quo primum loca, de quibus agitur, cœperint possidere, tributa poscantur. *Dat. VI. Kalen. Sep. Stilicone et Aureliano Coss.*

Ut prædia deserta a domino susceptoribus sine onere reliquorum addicantur, excluso domino præscriptione semestri, de qua et in *l. ult. sup. tit. prox.* exclusa competitione omni.

XII. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Seleuco pp.* Hac definitione sancimus, nullum possessorem, neque munificum prædium pro alienis debitis, vel destitutione esse retinendum: neque eorum prædiorum defectione prægravari, quæ ex iisdem bonis, quæ retinentur, nequaquam esse monstrantur: nec ullis præstigiis atque commentis exactio mutiletur. *Dat. Prid. Kal. Feb. Rav. Honor. VIII. et Theod. v. aa. Coss.*

Lex significat ἐπιβολὴν non fieri, sive sterilia fertilibus non imponi, nisi sint ex eisdem bonis, ut *l.* 10. Eadem bona sunt veluti ὁμόδουλα, et ὁμόκηνσα, ut *Nov.* 128. et *Nov.* 168. cujus titulus, ἐπαρχικὸς τύπος περὶ ὁμοδούλων, nondum edita. Pro, *defunctione*, emendavi, *defectione*.

XIII. *Iidem aa. ad Probum.* Omnium prædiorum actores ac domini requirantur: quorum si vitio probantur debita fuisse contracta, in absoluto est ut debeat dominium commutari. *Dat. III. Id. Iun. cp. Constante et Constantio Coss.*

Prædia deserta et destituta a dominis vel actoribus eorum eis auferantur, et aliis domiali jure addicantur, *quorum*, inquit, *vitio probantur debita fuisse contracta*, dum scilicet prædia inculte deserunt. Ea peræquator addicit, *l. ult. sup. tit. prox.*

XIV. *Iidem aa. Aureliano pp.* Rura et possessiones quas curiales quolibet pacto publicatis apud acta provincialia desideriis suis vel reliquerunt, vel possidere alios permiserunt: penes eos qui eas excoluerunt, et functiones publicas recognoscunt, firmiter perdurabunt, nullam habentibus curialibus copiam repetendi. *Dat. III. Non. Dec. Honorio X. et Theod. VI. aa. Coss.*

Puto deserti prædii apud acta præsidis repetitionem ne intra quidem biennium esse vel sex menses: quia pro derelicto habitum videtur.

XV. *Iidem aa. Sebastiano Comiti Primi Ordinis.* Si quis deserta prædia, quæ navalem sustinent functionem, et in desertis nunc usque remanent, sub peræquationis jure perceperit: meliore condicione in omnibus titulis convenit ea relevari, ut gravis sors navalis esse non possit pro ea, quæ resedit, portiuncula, cum aliis fuerit dispendiis liberata. *Dat. prid. Id. Mar. Rav. Honorio a. XI. et Constantino II. Coss.*

Si quis deserta prædia a peræquatore susceperit, quæ naviculario oneri obnoxia sunt, hoc quidem onere non liberatur, sed in omnibus aliis titulis fiscalibus leviora onera agnoscit.

XVI. *Impp. Theodosius et Valentinian. aa. Celeri Proc. Afri.* Jubemus neminem curialem pro alieni territorii debitis attineri, sed tantum municipem pro gleba propria conveniri. *Dat. V. Kal. Mai. Rav. post Cons. Filicis et Tauri vv. cc.*

Territorium et glebam dicit pro eodem, ut *l.* 11. *sup. de oper. publ. l.* 3. *sup. de nat. lib. l. Nulli. sup. de episc. et cler.* Municipem quoque, et curialem pro eodem, ut *l.* 5. *sup. hoc tit. l.* 1. *inf. de fug. col. l.* 41. *C. Th. de oper. pub.* Curialis igitur glebæ propriæ non alienæ nomine tenetur, *l.* 12. *sup.*

XVII. *Iidem aa. Hermocrati pp.* Si quis auctoritate nostri numinis de fundis patrimonialibus steriles sub certi canonis pollicitatione susceperit; firmiter eum volumus possidere sub ejusdem tamen canonis solutione, quem nostræ majestatis auctoritas per annos singulos solvendum esse præscripserit, nullamque eos descriptionem, sive adjectionem, aut innovationem in posterum sustinere: quoniam nimis absurdum est eos, qui nobis hortantibus fundos inopes atque egenos magno labore impenso, aut exhausto patrimonio vix forte meliorare potuerunt, utpote deceptos inopinatum onus suscipere, illudque velut quadam circumventione deposci: quod si se daturos præscissent, fundos nimine suscipere aut etiam colere paterentur. *Dat. XII. Kal. Dec. cp. Theodosio a. XVIII. et Albino Coss.*

De hac lege scripsimus in *tit. de col. dom. vel rel. sup.* Pro, *egenos*, Novella integra habet *jejunos*.

TIT. LX. *De fundis limitotrophis et terris, et paludibus, et pascuis limitaneis vel castellorum.*

Fundi limitotrophi dicuntur hoc loco, et *l. Nulli. inf. de fun. pat.* quod inde milites limitanei alantur, *l.* 8. *eod. tit. l.* 1. *hoc tit.* non quod ad milites limitaneos pertineant. At fundi limitanei qui dicuntur, ad milites limitaneos pertinent, itemque paludes et pascua, *l.* 3. *hoc. tit.* fundi autem castellorum ad milites castellanos pertinent, *l.* 2. *hoc tit.*

I. *Imppp. Valentinianus, Valens et Gratianus aaa. ad Licinium pp.* Tiberianus ad possibilitatem singulorum quorumcumque locorum intuens, statuit certas possessiones quæ ad limitem frumenta convehérent: quocirca generali lege sancimus Tiberiani dispositionem oportere observari, amoventes quicquid vel potentia cujuscunque elicuit, vel fortivs deprecatio: addentesque nihilominus in futurum nulli licere adversus utilem vetustatem, et præsentem legem nostram, importuna et respuenda reposcere. *Dat. XVIII. Kal. Oct. Aquilejæ, Arcadio a. et Bautone Coss.*

Confirmat Tiberiani præf. prætorio dispositionem de fundis limitotrophis.

II. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Asclepiodoto pp. et cons. ordinario.* Quicunque castellorum loca quocunque titulo possident, cedant ac deserant, quia ab his tantum fas est possideri castellorum territoria, quibus adscripta sunt, et de quibus judicavit antiquitas. Quod si ulterius vel privatæ condicionis quispiam in his locis, vel non castellanus miles fuerit detentator inventus, capitali sententia cum publicatione bonorum plectetur. *Dat. V. Non. Mart. cp. Asclepiodoto et Mariniano Coss.*

Ut soli castellani milites possideant castellis agros deputatos, non privati, non alii milites.

III. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Nomo magistro Officiorum.* Agros limitaneos universos cum paludibus omni quo jure, quos ex prisca dispositione limitanei milites ab omni munere vacuos ipsi curare pro suo compendio atque arare consueverant: et si in præsenti coluntur, ab his firmiter ac sine ullo concussionis gravamine detineri: et si ab aliis possidentur, cujuslibet spatii temporis præscriptione cessante ab universis detentatoribus vindicatos, iisdem militibus sine ullo prorsus (sicut antiquitus statutum est) collationis onere volumus adsignari. In his etiam contra eos, qui præceptionibus nostris obviam venire tentaverint, proscriptionis pœna valitura. Nam si quis forte, quod minime audere debuerat, emptionis titulo memorati juris possidet prædia: competens ei actio contra venditorem intacta servabitur. *Dat. Prid. Id. Sept. cp. Maximo II. et Paterno Coss.*

Pars est Novellæ Theodosii de ambitu et locis limitaneis inibi redhibendis, quam habemus integram, sicut et *l. 4. sup. de off. mil. jud.* et *l. Cura. sup. de off. mag. off.* Pertinet valde ad hanc partem quod Lampridius scribit, Alexandrum agros limitaneos militibus donasse, ita ut eorum essent si hæredes eorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent: dicentem attentius eos militaturos si etiam sua rura defenderent: addidisse his et animalia et servos, ut possent colere quod acceperant. Idem enim hac lege cavetur ne agri illi in privatorum jura ullo titulo transeant, nec præscriptione ulla temporis eis acquirantur, et ut a limitaneis militibus firmo jure possideantur sine ullo tributi vel collationis onere, cum paludibus et omni jure suo, puta pascuis, animalibus, servis, salva scilicet illa conditione, si militarent.

TIT. LXI. *De pascuis publicis vel privatis.*

I. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Rufinum pp.* Cum nulla ratio sit, cur in pascuis saltibus rei privatæ pensio debeat ampliari: nequaquam pro libidine ordinum augmenta facienda sunt: etenim idcirco graviorem pensionem imponi ab ordinibus accepimus, ut animalia ex rebus privatis nostris a locorum pastibus arceantur: quod fieri non oportere divæ memoriæ Julianus prorogata jussione constituit. Quare excellens auctoritas tua conventis provinciarum rectoribus, non eam licitationis necessitatem patiatur inferri, quam repentinam faciunt civitates, sed eam manere decernat, quam statuit antiquitas. *Dat. VIII. Kalen. Oct. Luceriæ, Valentiniano et Valente aa. Cos.*

Sunt saltus pascui quidam rei privatæ principis, qui certa pensione locantur, ita tamen ut et animalia rei privatæ in eis jus sit compascere, quæ ne arceantur prætextu gravioris pensionis, constituunt Impp. ne in eis saltibus pensionum ullæ adjectione admittatur.

II. *Imppp. Arcadius et Honorius aa. Simplicio comiti et magistro utriusque militiæ.* Insignis auctoritas tua hac condicione a publicis pratis Apamænis animalia militum prohiberi præcipiat, ut universi cognoscant de emolumentis eorum tuique officii facultatibus duodecim libras auri fisci commodis exigendas, si quisquam posthac memorata prata mutilare tentaverit: non minore decernenda pœna, si etiam prata privatorum Antiochenorum fuerint devastata. Ita tamen ut sine læsione provincialium provideant curiales, quo pacto animalium militarium pastui consulatur. *Dat. V. Idib. Mart. cp. Honorio a IV. et Eutychiano v. c. Coss.*

De hujus loci restitutione scripsimus satis libro primo Observ. cap. xix. Confirmatur Basilicis, in quibus ita est, μηδεὶς τοῖς λειμῶσιν Ἀπαμείας καταβοσκέτω.

III. *Impp. Honorius et Theodosius. aa. comitibus et Magistris militum.* Prata provincialium nostrorum, et præcipue rei privatæ nostræ, perniciosum est militum molestia fatigari. Ideoque lege ad amplissimam præfecturam promulgata censuimus, ne hoc deinceps usurpetur: super qua re universos, quorum interest, convenire tua magnificentia non moretur: neque permittat possessores, vel colonos pratorum gravi qualibet importunitate vexari. *Dat. Non. Sept. Honorio X. et Theodosio VI. aa. Coss.*

Ne possessores vel coloni super pratis a militibus ullam molestiam sustineant: qua de re legem se promulgasse scribunt ad amplissimam præfecturam, id est ad Aurelianum præf. præt. quæ est lex 4. *C. Th. de pascuis.*

TIT. LXII. *De fundis patrimonialibus, et saltuensibus, et emphyteuticis, et conductoribus eorum.*

Patrimoniales fundi sunt qui ad patrimonium principis pertinent, ad domum divinam, ut Procopius scribit *l. de bel. Got.* Alii sunt fundi rei privatæ, alii divinæ domus: sicut alius Comes patrimonii, alius Comes rei privatæ, alius Comes domorum. Res quidem privata etiam patrimonium dicitur, *l. 3. inf. de fun. rei pri.* quia ut largitiones aliæ sunt sacræ, aliæ privatæ, ita patrimonium aliud est privatum, *l. 8. C. Th. de ju fisc. l. ult. inf. de agr. et man.* aliud sacrum, *l. 1. sup. de indict. l. ult. sup. de vect. et com.* quod a re privata separari solet et domibus, ut in edicto 4. et 8. Condicio patrimonialium propria hæc est, ut locentur, non ut in jus privatum transferantur, *l. 10. hoc tit.* solent tamen vendi et donari jure privato principis jussu, *l. 39. §. ult. D. de legat. 1. l. 9. et 10. hoc. tit. l. 9. sup. de om. agr. deser.* præterquam in tractu Orientis *l. 13.* vel in emphyteusim dari, quibus generibus etiamsi dentur salvo canone, quodammodo propriam condicionem mutant. Saltuenses sunt pastioni deputata nemora, qui et patrimoniales sunt, *l. ult. hoc tit.* Emphyteutici sunt qui emphiteutico jure dantur, qui et patrimoniales sunt, *l. 12.* sicut limitotrophi quoque patrimoniales quidam sunt *l. 8. et 13.* qui et hac rubrica ceteris adnecti debuissent.

I. *Imp. Constantinus a. Cupito.* Si quis fundos emphyteutici juris salva lege fisci citra judicis auctoritatem donaverit, donationes firmæ sint: dummodo suis quibusque temporibus ea, quæ fisco pensitanda sunt, repræsentare cogantur. *Dat XVII. Kal. Iul. Trev. Constantino a. IV. et Licinio III. Coss.*

Fundum patrimonialem sive fiscalem ab emphyteuticario donari posse salvo canone emphyteutico, nec exigi auctoritatem judicis. Vendi non posse puto sine consensu rationalis, idemque esse in emphyteuticario privatorum.

II. *Idem a. ad Dracontium.* Patrimonialia fundi pensitationem, seu aurariam, seu frumentariam, intra tempus omissam minorum dominio non nocere præcipimus: nec ad fraudem juris eorum accedere, si quod solemniter debetur, paulo serius inferatur: ita tamen ut permanente substantia parvulorum, judex tutorem vel curatorem, per quem differtur illatio, negligentiæ suæ et deserti officii pœnas exigat, et damna deplorare compellat.

Fundum patrimonialem a possessore, tributis intra tempora non solutis, fisco committi, nisi minor sit xxv. annis: quo casu dominium fundi minori ætatis beneficio conservatur, et tutor curatorve in æstimationem convenitur.

III. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Germanium com. s. l.* Quicunque possessiones ex emphyteutico jure susceperint, ea ad refundendum uti occasione non possunt, qua asserant desertas esse cœpisse, tametsi rescripta per obreptionem meruerint: sed nec avelli eas ob his posse, nec si licitatio ab alio fuerit promissa: sed eas in perpetuum apud eos qui eas susceperint, et eorum posteritatem remanere, nec si super hoc rescriptum fuerit adversus eos impetratum. *Dat. XIII. Kal. Oct Med Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Ut emphyteuticariis prætextu supra adjectionis vel rescripti auferri fundus emphyteuticarius patrimonialis non potest: ita nec relinqui ab eis prætextu defectionis et squaloris, vel etiam rescripti. Fundus apud eos et posteritatem eorum perpetuo remanet. Ait, *ad refundendum*, id est, ad reddendum eas possessiones, ut l. *Item quod. D. de in diem ad. l. Generaliter §. Proinde et si pretium. D. de fid. lib.*

IV. *Iidem aa. ad Florianum com. r. p.* Fundi patrimoniales, et qui ex emphyteutico jure ad domum nostram diversis generibus devoluti sunt, sic eis, qui eos poposcerint, cedunt, ut commissi metus esse non possit: neque enim magis commodamus nostra, quam tradimus ea jure dominii: ita tamen ut ea quæ in nostra possessione positi præstiterint, et in posterum solvant. *Dat. Idib. Mart. Treveris Valentiniano II. et Valente II. Coss.*

Ut fundi patrimoniales et emphyteutici juris ad domum principis devoluti, forte ex causa desertionis, vel permutationis colonorum, poscentibus salvo canone addicantur, et ne ob cessationem canonis committantur, quod pugnare videtur cum *l. 2. sup.* nisi hæc accipiatur de canone, illa de tributis *l. 1. sup. de susceptor.*

V. *Imppp. Valens, Gratianus et Valentinianus aaa. ad Modestum pp.* Si qui a prioribus colonis vel emphyteuticariis destitutum patrimonialem fundum a peræquatore vel censitore susceperint: perpetuo eundem atque inconcusso jure possideant, nec quisquam secundus petitor accedat. *Dat. IV. Non. Nov. Gratiano a. IV. et Merobaude Coss.*

Ut qui a peræquatore vel censitore desertum agrum patrimonialem susceperit, perpetuo eum firmoque jure possideat, submota competitione omni.

VI. *Impp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Nebridio com. r. p.* Hi quibus patrimoniales possessiones per Asianam et Ponticam diœcesim vel a nobis, vel a divis parentibus nostris sacra largitate donatæ sunt, inconcusse possideant, atque ad suos posteros transmittant: quod quidem non solum in hæredibus, sed etiam in contractibus omnis generis volumus custodiri. *Dat. IV. Kal. Apr. cp. Ricomere et Clearcho Coss.*

Ut hi quibus patrimoniales fundi donati sunt per Asianam et Ponticam diœcesim, eos firmo jure possideant, salvo canone scilicet, et in hæredem, emptorem, donatariumve transmittant. Pro, *contractibus* quidem Codices habent, *contractatoribus*.

VII. *Iidem et Arcadius aaa. Cynegio pp.* Quicunque ad emphyteusim fundorum patrimonialium, vel reipublicæ jussu nostri numinis venerit: is si redundantis fortunarum idoneus fuerit ad restituenda, quæ desertis forte possessionibus requirentur, patrimonium suum publicis implicet nexibus. Si vero minor facultatibus probabitur: datis fidejussoribus idoneis ad emphyteusim accedat: scientibus his, quos talium rerum cura sollicitat, in se negligentiæ damna, si hujusmodi cautio defuerit, esse vertenda. *Dat. VI. Kal. Mai cp. Honorio nb. p. et Evodio Coss.*

Ut qui fundum patrimonialem vel. Reip. accipit in emphyteusim, de damno desertionis caveat pignoribus aut fidejussoribus periculo curialium, ut *l. 3. sup. de omni ag. des.*

VIII. *Iidem aaa. Clearcho pp.* Omnes fundi patrimoniales per Mesopotamiam et Osroenam provincias, quos constat divorum retroprincipum sanctionibus limiti deputatos, ad jus pristinum sine ullius assertionis revocentur obstaculo, præbituri omnia quæ antea impendenda necessitatibus limitis præberi consueverant, ita ut nulli penitus audiantur, qui aut rescripto aut adnotatione dominium vel emphyteusim, vel conductionem quolibet genere largitatis de nostra liberalitate meruerunt. *Dat. prid. Kal. Mai. cp. Honorio nb. p. et Evodio Coss.*

Ut fundi patrimoniales limitotrophi eripiantur iis qui eos dominii vel emphyteuseos, vel conductionis jure impetraverint, et ad jus pristinum revertantur. De iis loquitur qui sunt per Mesopotamiam et Osroenam provincias, de quibus *Nov.* 154 et 157 quæ duæ sunt provinciæ diœceseos Orientis *l. 13. inf.* generaliter de diœcesi Orientis

IX. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Eutychiano pp.* Universi cognoscant, nihil privato jure salvo canone fundis emptis cum patrimonalibus esse commune: ita ut ad eos nunquam patrimonialium fundorum peræquator accedat: gravi multa feriendo eo, qui statuta nostræ clementiæ ausus fuerit temerari. *Dat. prid. Id. Nov. Honorio a. IV. et Eutychiano Coss.*

Lex loquitur de emptis non de donatis: ut patrimoniales fundi empti a principe jure privato, id est, dominii jure in emptorem translati, salvo canone jam patrimoniales non censeantur esse, et ut peræquator fundorum patrimonialium ad eos fundos non accedat.

X. *Iidem aa. Eutychiano pp.* Fundos patrimoniales eos duntaxat, qui salvo canone jure privato nostra liberalitate concessi sunt, cum his patrimonialibus, qui in condicione propria constituti sunt, illustris auctoritas tua jubeat exæquari: ita ut relevato onere quod imminet fatigatis, et translato in eos, qui integris viribus florent, adscriptio tributorum æqua lance dividatur. *Dat. IV. Id. Apr. c. Theodoro Cos.*

Lex superior est de fundis patrimonialibus emptis jure privato. Hæc de donatis jure privato. Alii dantur in emphyteusim vel locantur. Peræquatore misso fundorum patrimonialium non ii tantum qui a conductoribus detinentur, qui a dominio principis non recesserunt, sed et ii quorum dominium in alios translatum est ex donationis causa, salvo canone exæquationi subjiciuntur.

XI. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Probo Comiti s. l.* Jus emphyteutici prædii, quod sine obligationis vinculo retentatum est, judicio nostro immutabile perdurare præcipimus, possessionem autem, quæ sine obligatione speciali fuerit vitiosa, vetustate temporis volumus adjuvari. *Dat. Idib. Ap. Ravennæ Honorio IX. et Theodosio III. aa. Coss.*

Non recte dantur fundi patrimoniales in emphyteusim sine pignoribus, *l. 7 sup.* sed si qui retentati, id est, diu detenti sint sine pignorum obligatione, non ideo emphyteuticario auferuntur, quinimo vetustas ille vitium corrigit possessionis: male legebatur, *nolumus*; emendavi ex scriptis et ex Græcis, *volumus*: sed et pleraque alia in superiorum contextu.

XII. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Tauro pp.* Possessores vel emphyteuticarii patrimoniales, qui fundos minime nunc usque comparaverunt, eodem largitatis modo nequaquam ad eorum comparationem urgeantur: sed tanquam pretiis depensis sic eis nostri numinis beneficio potiantur, ut quod juris alter inferendo pretium consecutus est, hoc nostra liberalitate prædictus emphyteuticarius habeat. Illud quoque jus. in quibus coluit prædiis, quod aut ex successione, aut ex comparatione privata, aut nostri numinis liberalitate, aut quocunque modo possedit, sciat illibatum intemeratumque servari: licentia ei concedenda etiam libertates mancipiis ex fundis patrimonialibus atque emphyteuticariis, cum fundorum sint domini, præstare. *Dat. XIV. Kal. Jul. Ariobindo et Aspare Coss.*

Possessores separantur ab emphyteuticariis, quoniam possessores domini efficiuntur, emphyteuticarii domini non efficiuntur, *l. 1. D. si agr. vect. id est, emphyt. pet.* ut dixi in *l. 9 sup. de omni agro des.* Habentur tamen pro dominis, et in hac lege simpliciter domini appellantur: ideoque fundorum servos manumittere possunt, quod nequeunt facere non domini, veluti conductores, *l. 2. tit. seq.* Idque juris ita est, sive emerint fundos a principe, sive dono acceperint, sive transmissionis jure aut venditionis a priori possessore facta eos obtinuerint liberalitate principis, aut quocunque modo: sic dico, quoniam omnes libri veteres habent, *a nostri numinis, non aut nostri numinis*, liberalitatem exercet princeps mutato dominio, successione vel venditione, si non accipiat quod dicitur ἐισβατικὸν *Nov. Leonis* 3 tit. quasi datum novi possessoris admittendi et suscipiendi causa: de quo et in *l. ult. sup. de jur. emph.* Quod ait, *Ne ad comparationem urgeantur*, congruit cum *l. ult. sup. de exc. mun.*

XIII. *Iidem aa. ad Florentium pp.* Nulli jam in posterum licere præcipimus patrimoniales seu limitrophos, vel saltuenses fundos, qui per tractum Orientis positi sunt, ad jus transferre privatum, sive dempto, sive salvo canone juris fundorum immutatio postuletur: leges temeratores quinquaginta librarum auri pœna cœrcentes, tam videlicet petitorem, quam officium, quod petitionem concedit admitti: licet adnotatio nostra, licet divina pragmatica contra vetitum proferatur. *Dat. VI. Id. Jun. cp. Theodosio a. XVII. et Festo Coss.*

Ne fundi patrimoniales vel limitrophi, vel saltuenses in diœcesi Orientis in jus privatum transferantur, legendum, *limitotrophos*, non *limitrophos*, cujus verbi vitium pervenit ad Gallos, qui fundos in limitibus constitutos vocant limitrophos: iidem etiam ignorantia significationis latinæ, adnotationis et protocolli appellationibus utuntur perperam. Porro tractum in hac lege, diœcesim interpretatus sum: nam hæc una est ex Novellis Theodos. sub tit. de patrimonialib. rei dominicæ et limitotrophis fundis ad Orientem positis.

XIV. *Imp. Anastasius a. Matroniano pp.* Jubemus omnes qui in quacunque diœcesi aut quacunque provincia, vel quolibet saltu, fundos patrimoniales vel templorum, aut agonotheticі, seu relevatorum jugorum, vel cujuscunque juris per quadraginta jugiter annos: possessione scilicet non solum eorum, qui nunc detinent, verum etiam eorum, qui antea possederant, computanda; ex quocunque titulo vel etiam sine titulo hactenus possederunt, vel postea per memoratum quadraginta annorum spatium possederint; nullam penitus super dominio memoratorum omnium fundorum vel locorum, vel domorum a pubblico actionem, vel molestiam, aut quamlibet inquietudinem formidare: sed impositum canonem pro qualitate juris, cujus prædia sunt, vel loca, per singulos annos solventes, pro certo habeant suum esse quod possident, vel postea

possederint. Ita ut omnibus ad excludendam omnem qualibet modo ex publico movendam quæstionem nudæ ex quocunque titulo, vel etiam sine titulo, corporalis quadraginta annorum jugis possessionis exceptio possit sufficere: hoc etiam adjiciendo, ut illi quoque, qui dempto canone hujusmodi fundos ab initio principali jussione datos sibi fuisse confirmant, si per quadraginta annos adempti canonis beneficium jugiter possederunt, neque canonem, cujus ademptionem quadraginta (sicut dictum est) annorum possessio testatur, possint penitus profligari: eo quod nostræ pietati placuit, in utroque casu, id est, tam salvo, quam dempto canone possessorum nostrorum jura in eo statu, in quo per quadraginta annos (sicut dictum est) jugiter manserunt, absque ulla innovatione durare. *Dat. III. Kal. Aug. cp. Olybrio v. c. Cos.*

Adversus fiscum præscriptione XL. ann. defendi possessorem qui fundos patrimoniales vel sacrorum templorum, vel agonotheticos, vel qui fundos quasi relevatos, vel qui fundos quasi donatos dempto canone, cum titulo, vel sine titulo XL. ann. possedit. conjungenda est cum *l. 4. sup. de præscript. 40. ann.* quæ eandem inscriptionem et subscriptionem habet. De hac præscriptione XL. ann. scripsimus satis lib. de temporibus. Ait: *agonothetici:* juris agonothetici, quos agonotheticos vocat *l. pen. inf. de diver. præd.* agonophoros *l. Titio. 1. §. 1. D. de legat. 2.* qui deputati erant sumptibus sacrorum certaminum, præmiis atque lucari.

TIT LXIII. *De mancipiis et colonis patrimonialium et saltuensium, et emphyteuticorum fundorum.*

I. *Imp. Constantinus a.* Emphyteuticarios gravant coloniagros præter consuetudinem usurpantes, quos nullis culturis erudierunt: cum solemnitas id eos attrectare permittat, quod eorum labore, vel olivetis est obsitum, vel vineis: sed et irriguas fontium aquas usurpare conantur, quarum fructus solis emphyteuticariis debentur. Ideoque placuit ut deinceps aquarum jus potestasque penes emphyteuticarios permaneat. tantumque ex ois colonis impertiatur, quantum culturis eorum agrorum sufficere manifestum est, quos ipsi colunt, pro modo autem superfluæ irrigationis, quam ultra culturas suas usurparint, emphyteuticariis possessoribus pensiones accessionesque præbeant. *pp. VII. Idus Mart. Carthagine Constantino a. v. et Licinio Cæs. Coss.*

Coloni non sunt conductores, sed qui adscripti sunt terræ. Ili non aliam terram colere, et exercere possunt, quam eam cujus culturæ servierunt antequam fundi darentur in Emphyteusim: sed neque aquam irriguam ultra modum suæ terræ usurpare possunt, celerarum terrarum et aquarum fructus ad emphyteuticarium spectat.

II. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Germanianum com. s. l.* Libertates quas mancipiis ex fundis patrimonialibus atque emphyteuticis, qui fundorum non sunt domini, præstiterint, rationales hujus præcepti auctoritate rescindant. *pp. XIII. Kal. Mai. Lupicino et Joviano Coss.*

De hac diximus satis in *l. 12. sup. tit. prox.*

III. *Impp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Postumiano pp.* Cognovimus a nonnullis, qui patrimoniales fundos meruerunt, colonis antiquissimos perturbari, atque in eorum locum, vel servos proprios, vel alios colonos subrogari: edicti itaque hujus auctoritate sancimus eos, qui deinceps aliquid crediderint hujusmodi attentandum, iisdem possessionibus esse privandos.

Ut qui fundos patrimoniales jure privato vel emphyteutico susceperint, eorum dominio excidant si colonos permutaverint.

IV. *Iidem aaa. et Arcadius a. Cynegio pp.* Super patrimonialium refectione fundorum dudum nostris est legibus constitutum, ut hi qui eos colentes solum eorum verterant, nunc ad alia loca dirigentes, nunc ad militiam convolantes, ad avitos condiciones, et propria jura revocentur. Ceterum eos qui castrensibus stipendiis otia quieta meruerunt, veterani constituti, nequaquam placet tela in usum vomeris et ligonis convertere.

Ut coloni patrimoniales, qui ad alia loca diligentes sunt (sic legendum) vel qui militiæ nomen dederunt, revocentur, nisi jam veterani sint.

TIT. LXIV. *De fugitivis colonis, patrimonialibus, et emphyteuticis, et saltuensibus.*

I. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. * pp.* Quicunque parvuli ex municipibus, vel colonis patrimonialibus, vel saltuensibus, quorum tamen avi ac patres implicati hujusmodi functionibus fuerint, conniventia militaris officii ad stipendium castrense, vel officia diversa transierint: ad munera patriæ, vel ad agrorum cultus conventis ducibus, tribunis, ac præpositis revocentur, neque his stipendia prosint.

Debuit hic titulus incipere a *l. ult. tit. præcedentis.* Cavetur autem hac lege, ut orti ex curialibus a militia retrahantur in curiam, *l. 17. sup. de decur.* Æque ut orti ex colonis patrimonialibus, vel saltuensibus a militia revocentur ad stivam, neque his stipendia prosint. Additur in quibusdam codicib. *data*, quod ex subscriptione est. Parvuli dicuntur intra annum XXV. *l. 2. sup. de fun. pat.*

II. *Iidem aaa. Cynegio pp.* Quisquis colonum patrimonialem aut sollicitatione susceperit, aut occultatione celaverit: non solum ipsum restituere, sed etiam libram auri pœnæ nomine inferre cogatur. *pp. VIII. Kal. Nov. cp. Honorio n. p. et Evodio Coss.*

De eo, qui privatum colonum sollicitat ut fugiat, vel receptat, et celat, dictum est *l. 12. sup. de agr. cens.* Hæc lex de eo qui celat patrimonialem.

III. *Impp. Honorius et Theodosius aa. ad Anthemium pp.* Cujuscunque adnotationis vel oraculi dudum impetrati, vel post eliciendi auctoritatis submota: omnes quos patrimonialium agrorum vinculis fortuna tenet adscriptos, sub quibuslibet gradibus militantes, ad provinciæ moderatoris judicium illico sub idonea intercessione mittentur.

Ut coloni patrimoniales a tribunis vel ducibus ad præsidem provinciæ trahantur sub cautione idonea de colonaria condicione judicium accepturi. His etiam hoc datum invenio, ut tutores non ordinentur, *l. ult. sup. qui da. tut.*

TIT. LXV. *De collatione fundorum patrimonialium et emphyteuticorum.*

I. *Imp. Constantinus a. ad Proculum Prof. Afr.* Emphyteuticarii possessores, qui mansuetudinis nostræ beneficio ad extraordinaria minime devocantur munera, sicut ceteri provinciales obsequium suum itineribus muniendis impendant: nulla enim ratione debent ab hoc, quod in commune omnibus profuturum est, sejungi. *pp. Non. Mai. Carthagini Constantino a. v. et Licinio Cæs. Coss.*

Ut Emphyteuticarii fundorum patrimonialium excusentur ab extraordinariis muneribus, non tamen a munere viarum muniendarum.

II. *Idem a. ad Catullinum pp. Africæ.* Patrimoniales fundos extraordinariis oneribus, vel mediæ, aut tertiæ portionis obsequiis fatigari non convenit: cum eosdem et auri speciem, et frumenti plurimum modum constet persolvere: ita ut qui violare statuta tentaverit, puniatur. *pp. VI. Kal. Sept. Carthagini Constantino a. v. et Licinio Coss.*

Ut patrimoniales fundi excusentur ab extraordinariis muneribus, *l. pen. sup. de excu. mun.* vel a mediæ, aut tertiæ portionis obsequiis, id est, ne extraordinariorum onerum mediam aut tertiam pensionem exsolvant, *l. 4. C. Th. eod. tit.* solidam functionem ab eis præstari satis est, puta, aurariam seu frumentariam pensitationem, *l. 2. sup. de fun. pat. l. 10. sup. de exc. mun.*

III. ***Imp. Iulianus a.*** Omnes qui patrimoniales fundos sive communiter, sive ex asse retinent, pro his conveniendi sunt ad universorum munerum ad eosdem fundos pertinentium pro rata portione, vel in solidum functiones, sicut unumquemque privatorum necessitas publicæ pensitationis adstringit. *Dat. V. Kal. Apr. Mamertino et Nevitta Coss.*

Qua forma possessores fundorum privatorum, eadem et possessores patrimonialium solemnibus functionibus satisfacere coguntur.

IV. ***Impp. Valentin. et Valens aa. ad Germanum.*** Placuit ut emphyteuticorum fundorum patrimonialiumque possessores, quo voluerint tempore, et quantum habuerint pensionis paratum (dummodo non amplius, quam in tribus per singulos annos vicibus) officio rationalis adsignent, ac de suscepto ab eodem securitatem eodem die pro more percipiant: modo ut intra Januariarum Iduum diem omnis summa ratiociniis publicis inferatur: gravissimæ pœnæ subdendo officio, si cuiquam quolibet anni tempore (dummodo nequaquam numerum trinæ illationis excedat) solutionem facere gestienti negaverit susceptionis officium, vel si moram fecerit in chirographo securitatis edendo: super quo possessores, aut procuratores, vel magistratus, aut quicunque in locis fuerint, qui conficiendorum actorum habent potestatem, conveniat contestari, ut et de officii insolentia constet, in quod exercenda vindicta est, et his possit esse consultum.

Ut canon patrimonialium et emphyteuticorum fundorum tribus pensionibus solvatur pro solventis arbitrio: nec enim certa sunt pensionum tempora; ita tamen ut parem rationem collator faciat intra Idus Januarias quolibet anno, solventi apocham dari a susceptoribus sive officiis rationalis, qui si in recipienda oblata pensione moram faciant, id contestari apud acta satis erit: sola enim oblatio liberabit a præstatione canonis, *l. 1. sup. de suscept.* quod etiam locum habet in privatorum emphyteusi. Nec obstat l. 2 *sup. de jure emphyt.* si recte intelligatur.

V. ***Impp. Arcadius et Honorius aa. Messalæ pp.*** per omnes provincias patrimonialium fundorum ab ordinariis judicibus canon exigatur, et quicquid exactum fuerit dirigatur. Sciant vero memorati judices nihil sibi ex privatæ rei canone, vel ex eo quod ex iisdem titulis contigerit, ad necessitates alias transferendum: nisi maluerint gravissima severitate eorum licentiam coerceri *Dat. XVI. Kal. Iun. Med. Theodoro Cos.*

De hac lege scripsimus in *l. ult. sup. de his quæ ex pub. col. d. sunt non usur.* Pro contigerit. male *exegerint*, ut in *d. l. ult.*

TIT. LXVI. *De fundis rei privatæ et saltibus divinæ domus.*

I. ***Impp. Constantinus et Constans aa. Edictum ad Populum.*** Universi cognoscant has possessiones, quas de fisco nostro comparaverunt, seu comparant: nullo a nobis jure retrahi: sed propria firmitate possessas etiam ad posteros suos dominii perpetui durabilitate dimitti.

Venditio fundorum rei privatæ a fisco nullo jure revocari potest, *l. 2. sup. ne fis., rem, quam vend. evin.*

II. ***Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Florianum Com. r. p.*** Hi quos commoditas privatæ rei prædiorum ad ea postulanda sollicitat, adeant tuæ dicationis officium, et modum suæ deliberationis indicent per libellos, certumque habeant, quod unaquæque villa cum eo onere vel forma, cui nunc habetur obnoxia, ad novi domini jura migrabit: ut si quid adjecerit, sumptus cura vel solertia, si quid mancipiorum vel pecoris adcreverit, capitationis aut canonis augmenta non patiatur, sed solis dominis hæredibusque dominorum sit cessura felicitas. Si quis autem in annis singulis non solverit debitum, ex re ipsius, quod in reliquis remansisse claruerit, sine aliquibus dependere cogatur induciis. Sane si quem postea minus idoneum factum esse constabit, nec ita ut expedit, rationem reddere pensionis: res quas ex nostris rebus acceperat, ad alium idoneum jure, quo sanximus, transferentur: nec tamen decoctoris cujuscunque reliquis, qui novus accedet, onerabitur.

Ut fundi rei privatæ a Comite rerum privatarum postulantibus addicantur salvo canone præsenti, meliorationes et augmenta fundorum cedere lucro possessoris, nec eorum ratione canonem fundis semel adscriptum augeri. Non soluto canone fundus fisco non committi, ut et de fundis patrimonialibus constitutum est in *l. 4. sup. de fun. patr.* sed ex aliis rebus possessoris fiscum indemnem servari. Quod si possessor solvendo non sit, tum in alium fundos transferri sub eodem canone sine onere reliquorum.

III. ***Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. ad Hesperium Proc. Africæ.*** Quicunque possessionem rei privatæ nostræ acceptam suo nomine vel jure perpetuo, vel titulo conductionis ei crediderit esse tradendam, qui pensare utilitatem patrimonii nostri solvendo non valeat, is pro eo, quem succedaneum subrogavit, perpetuæ solutioni statuatur obnoxius.

Si quis fundum rei privatæ jure perpetuo vel titulo conductionis acceptum alii vendiderit, donaverit vel ablocaverit, qui solvendo canoni par non sit, pro eo ipse obligatur fisco. Ait *jure perpetuo*, id est, domini vel emphyteuseos jure, ut in *l. pen. sup. de exc. mun.*

IV. ***Iidem aaa. ad eundem.*** Universi fundi templorum ad rationalium rei privatæ sollicitudinem curamque pertineant, atque ab his anniversariis solutionibus postulatis, peculiari (ut semper fuit) studio defendantur.

Non tantum fundi rei privatæ, sed et fundi ἱερατικοὶ, sive templorum, pertineat ad curam rationalium rei privatæ.

V. ***Iidem aaa. ad Nebridium.*** Usus aquæ, qui fundorum nostrorum utilitatibus serviebat, plurimorum dicitur usurpatione sublatus: idque procuratorum conniventia vel dissimulatione perfectum, ut agrorum fertilitas destituta nullos fructus cultoribus præstet. Quia igitur satis injustum est statum florentis ante patrimonii aridæ sitis molestia fatigari: ad meatus pristinos universum aquæ modum, temporis præscriptione submota, præcipimus revocari.

Ne quid usurpetur ex aqua pertinente ad fundos rei privatæ, et ne usurpatorem ulla defendat præscriptio temporis, qua de re dixi in *tit. de aquæ ductu, sup.*

VI. ***Impp. Arcadius et Honorius aa. Vincentio pp Galliarum.*** Eum qui collegio vel curiæ vel burgis, ceterisque corporibus per triginta annos sine interpellatione servierit: res dominica vel intentio privata non inquietabit, si colonatus vel inquilinatus quæstionem movere tentaverit: sed in curia, vel in corpore, in quo servierit, remaneat. *Dat. III. Kal. Iul. Med. Stilicone et Aureliano Coss.*

Repetitioni colonorum vel inquilinorum obstat præscriptio xxx. annorum, ut diximus in *l. 22. sup. de agr. cens.* generaliter: sed Arcadii et Honorii tempore non idem generaliter obtinebat: nisi si coloni tanto tempore collegio, vel curiæ, vel burgis, vel aliis corporibus servissent, id est, si collegiati civitatum, curiales, burgarii vel corporati fuissent. De burgariis est *tit. lib. vii. Cod. Th.* ut qui eos sollicitaverit, vel receptaverit, perinde puniatur, atque illi qui vestibus publicis deputatos. Paulus diaconus in Valentiniano: *Crebra per limitem habitacula constituta, burgos vulgo vocant.* Vegetius iv. *castellum parvum burgum vocant.* Vocem deducunt quidam a Græco πύργος qua tamen et urbs quælibet significatur: inde Æschylo νόμιμα πύργινα, leges urbanæ. Constitutio autem hæc pertinet tam ad colonos rei dominicæ, quam ad colonos privatorum, et ei est omnimodo conjungenda *l. ult. C. Th. de iis qui cond. prop. rei.*

VII. ***Impp. Theodosius et Valentinianus aa. ad Eudoxium com. r. p.*** Nemo dempto canone ad comparationem dominicæ possessionis accedat. Quod si quis in posterum ad interdictum contractum accesserit: eum volumus pretia perdere perpetuo, nec expensarum, vel melioratæ rei fructuum exactioni compensationem opponere, nec temporis sibimet contra no-

stra commoda præscriptione (excepto vetustatis auxilio) blandiri. Palatinum etiam officium, si quoquo modo contractus ejusmodi fuerit celebratus, vel si tolem petitionem instruxerit, quinquaginta pondo auri pœnæ nomine inferre privato nostræ mansuetudinis ærario: nulla liberalitate nostræ clementiæ, nulla sanctione contra tanta rei privatæ commoda valitura, licet adnotatio, vel divina pragmatica ait quæ contra vetita canonem vendere concedat, vel pœnam palatino remittat officio. *Dat. XIII. Kal. Iun. cp. Anatolio v. c. Cos.*

Ut ei qui emerit fundom rei privatæ dempto canone, fundus auferatur cum fructibus, neque pretio reddito, neque meliorationum aut sumptuum habita ratione, neque observata temporis præscriptione, præterquam xl. annorum, *l. ult. sup. de fun. pat. l. Comperit. sup. de præs. 30. an.* Palatinos coerceri si his contractibus se immiscuerint. Hi sunt apparitores Comitis rerum privatarum. Observandum illud, vetustatem in hac lege accipi pro xl. annis. Et ita etiam vetustatem accipio in *l. 21 sup. de fun. patr. l. 2. Cod. Th. de long. temp. præscript.* Quod ait, ne compensatio fructuum actioni opponatur, valde singulare est, cum dici soleat, nullum casum intervenire quo hoc genus compensationis impediatur. Quod excipitur præscriptio vetustatis, Triboniani est ex Constitutione Anastasii: nam Theodosii *Nov. de rescind. vend. rei dom.* ea verba non habet, excepto vetustatis auxilio. Cui similis exceptio Triboniani est in *l. 12. inf. de cohort.*

TIT. LXVII. *De fundis et saltibus rei dominicæ.*

Res dominica et res privata idem est, ut constat ex *l. pen. et ult. tit. præcedentis, l. 9. sup. de jure fisc.* Hujus tit. *l. 2* proprietatem vocat et dominium. Debuit igitur superior titulus ita concipi, *De fundis et saltibus rei dominicæ, vel de fundis et saltibus rei privatæ*: et hic non interponi.

I. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. ad Drepatium Com. r. p.* Si quis ovium vel equarum greges in saltus rei Tamiacæ alienus immiserit, fisco illico vindicentur. Quod si venalis procuratorum conniventia, ut id deinceps tentetur, admiserit: eos gravissimo jubemus supplicio subjacere.

Ut fisco vindicetur grex ovium vel equarum immissus in saltus pascuos rei dominicæ, atque procuratores sive Catholici coerceantur, qui immitti permiserint.

II. *Impp. Arcadius et Honorius aa. ad Paulum Comitem Dominicæ rei.* Si qua loca ad sacrum dominium pertinentia cujuslibet temeritas occupaverit: secundum veteris census fidem in sua jura retrahantur: rescriptis per obreptionem impetratis, et præscriptione longi temporis, et novi census præjudicia in hac causa submovendis: neque enim aut precatio colorata, aut incubatio diuturna, aut novella professio proprietatis nostræ privilegium abolere potuerunt. *Dat. V. Kal. Apr. cp. Arcadio IV. et Honorio III. aa. Coss.*

Repetita est in *l. ult. sup. ne rei dom. vel temp.* Antiquo censui standum censet, non novo, ut *l. 1. sup. de censib.* Favendum sacro dominio, non possessioni longi temporis. Utilitatem fisci spectandam non obreptitiis rescripta. Nescio quid moverit Haloandrum, ut hoc loco pro, *dominium*, quod paulo post proprietas appellatur, scriberet *tamejum*, et non in *d. l. ult.* et in rubrica, *tamiacæ*, pro *dominicæ*.

TIT. LXVIII. *De agricolis et mancipiis dominicis vel fiscalibus, sive rei privatæ.*

Ut supra post *tit. de fund. patr.* datus est titulus de colonis patrimonialibus: ita nunc post titulum de fundis rei privatæ, datur titulus de colonis rei privatæ, qui et dominici dicuntur et fiscales.

I. *Imp. Constantinus a. ad Const. pp.* Nullus omnino originalis colonus rei privatæ nostræ ad aliquos honores, vel quælibet alia civitatis munera devocetur: non enim civitatum ordinibus et ceteris, ex quibus pro multitudine fieri nominationes oportet, per omnia florentibus, ad hæc suprema præsidia injuriosa nominatione descendendum est.

Ne coloni rei privatæ ad honores aut munera civilia devocentur. Ad ea vocantur curiales et ceteri, puta, collegiati aut corporati.

II. *Idem a. Ianuario* Comiti Orientis. Colonos nostros, qui privati sunt, vel ad ratiocinia gerenda, vel ad colendos agros idonei, retrahi jubemus, ac tantum colendis nostris rebus addici. Quin etiam in posterum observari, ne quis eorum rem privatam cujusquam gerendam, aut aliquid administrandum suscipiat.

Nec coloni rei privatæ principis alienam rem privatam administrent.

III. *Idem a. ad Equitium Magistrum Equitum et Peditum.* Servi atque coloni, eorum etiam filii vel nepotes, vel quicunque de fundis ac possessionibus nostris clanculo ad officia convolaverint diversa, reddantur, etiamsi armatæ habuerint sacramenta militiæ: nos enim etiam eos discingi jubemus ac reddi, qui protectorum fuerint nomen adepti.

Ut servi et coloni rei privatæ a militia qualibet etiam armata ad propriam condicionem cum sua sobole revocentur: quod et de patrimonialibus suo titulo constitutum est, etiamsi protectores sint, de quibus in *tit. de dom. et prot. inf.*

IV. *Idem a. ad Florianum com. r. p.* Ex ingenuo et colonis ancillisque nostris natos natasvo, origini, ex qua matres eorum sunt, facies deputari.

Natus ex ingenuo et colonis ancillisve rei privatæ, matris condicionem sequitur: quod et in privatorum colonis locum obtinet, *l. 16. sup. de agr. cens.*

V. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. Cynegio pp.* Dominicos colonos neque ad descriptionem patimur devocari, neque extraordinarias pati functiones: maxime cum adversus consuetudinem memoratis onera dicantur inferri.

Ne coloni rei privatæ ullam descriptionem patiantur, et ne ad onera extraordinaria devocentur. Quod et de privatorum colonis constituitur, *l. 1. sup. de agr. cens. l. 1. sup. ne rust. ad ul. obs.*

VI. *Impp. Theod. et Valentin. aa. Valerio com. rerum pp.* Quoties alicui colonorum agrum privati patrimonii nostri placuerit venundari: non unus tantum, qui forte consortibus suis gravis ac molestus existat, sed alii quoque duo vel plures ex simili origine, ac jure venientes in supradicta emptione socientur.

Si plures sint coloni rei privatæ ejusdem originis et juris, id est, consortes, non uni eorum fundus rei privatæ addicendus est emptionis jure, ne is forte aliis molestiam exhibeat, sed duobus aut pluribus.

TIT. LXIX. *De prædiis tamiacis, et de his qui ex colonis dominicis aliisque liberæ conditionis procreantur.*

I. *Imp. Zeno a. Chyseroti.* Præposito sacri cubiculi. Si liber colonus, vel colona libera tamiaco vel tamiacæ matrimonii jure copuletur: filii vel filiæ ex hujusmodi contubernio procreati vel procreatæ, colonia dominicis adnectentur. Si autem adscriptitius vel servus alienus colonam vel ancillam dominicam ducat uxorem vel adscriptitia vel ancilla colono, vel servo nubat dominico, et ex hujusmodi conjunctionibus nati sunt liberi: veterum legum jus tenere sancimus.

Ταμεῖον cellarium dicitur in *Nov. Martiani de ind. vel.* Erant prædia tamiaca et coloni ac servi tamiaci in Cappadociæ provinciis, Nov. 20 et 30. et ideo eorum cura pertinebat ad Comitem domorum, et præpositum sacri cubiculi, ut dicemus in *tit. de præp. sac. cub.* et hac ratione domus separatur a re privata. Quod enim domui deputatur, cellario deputatur vel cubiculo. Res privata aliis necessitatibus, *l. ult. inf. de præd. dom. Aug. vel. rei. pri.* Verum et domus sæpe ad rem privatam referuntur, idemque dicuntur tamiaci et dominici, ut in hac lege, quæ ostendit ex colono libero et tamiaca vel contra, tamiacum nasci: Ex adscriptitio vel servo alieno et tamiaca, vel e contrario natum matrem sequi. Nam hoc jus antiquum est, *l. 21. sup de agr. cens.*

II. *Idem a. Sebastiano pp.* Meminimus pragmatica sanctione jussisse fundos tamiaci juris in provinciis positos, nec non etiam possessiones Gonatici saltus sub certa forma (salvo scilicet canone et tributariis collationibus) iisdem prædiis impositis, volentibus distrahi, quatenus quicquid ex pretiis memoratorum fundorum possit restitui, publico inferatur: sed licet per eandem sanctionem hujusmodi venditionum con-

tractibus plenissima delata sit cautio: attamen perpetuæ emptionis securitati consulentes, hujus etiam perpetuæ constitutionis auctoritate muniri eosdem emptores præcipimus.

Venierant ex Zenonis pragmatico fundi tamiaci quidam, et possessiones Gonatici saltus (sic lego, ut Græci, τοῦ γονατικοῦ δρυμῶνος, est saltus cujusdam Dominici proprium nomen) salvo canone r. ... butis, et emptoribus eo pragmatico securitas dabatur satis, quam quasi ex abundanti hæc constitutio confirmet.

TIT. LXX. *De diversis prædiis urbanis et rusticis templorum et civitatum, et omni reditu civili.*

I. ***Imp. Iulianus a. Attico.*** Pro ædibus, quas nonnulli in solo reipublicæ extruxerint, placitam præstare pensionem cogantur.

Hactenus dictum est de prædiis patrimonialibus et rei privatæ et tamiacis. Nunc tractare incipit de prædiis templorum et civitatum. Et hac lege in primis constituitur, ut superficiarii, qui in solo Reip. ædificaverint, solarium quotannis Reip. præstent, de quo convenerit. Solarium appello, ut in l. 2. *D. ne quid in lo. pub.* l. *Etiam. D. qui potior. in pig.* Justinus lib. 18. *Statuto annuo vectigali pro solo urbis.*

II. ***Idem a. Secundo pp.*** Pamphyliæ etiam civitates et quæcunque aliæ, quicquid sibi acquirant, id firmiter habeant.

Ut quod acquisierint civitates, id sibi firmo jure habeant et possideant.

III. ***Impp. Arcadius et Honorius aa. have Vincenti K. n.*** Restaurationi mœnium publicorum tertiam portionem ejus canonis, qui ex locis fundisve reipublicæ annua præstatione confertur, certum est satis posse sufficere. ***Dat. III. Non. Jul. Med. Olybrio et Probino Coss.***

Ut tertia pars canonis, qui colligitur ex fundis Reip. mœnium instaurationi deputetur, *l. 10. sup. de oper. pub. l. 18. C. Th. eod. tit.* In quibusdam Codicibus inscripta lex est Adriano Com. S. L.

IV. ***Iidem aa. Cæsario pp.*** Eos qui auctione prima fundorum juris patrimonialis, sive templorum possessores effecti sunt vel fuerint, firmum dominium tenere decernimus, ne ulterius vacillet uniuscujusque possessio, sed teneat quisque jus proprium, quod dato pretio roboratum est, vel fuerit.

Ut qui patrimonialis vel templorum prædia emerint, eo firmo jure possideant, nec admittatur secunda licitatio, l. 3. *sup. de fund. pat.* Vendi igitur poterant prædia templorum: quod in prædiis templorum Christianorum postea interdixit Leo.

V. ***Impp. Valentinianus et Martianus aa. Palladio pf. p. Orientis.*** Si qui ex titulo donationis vel ex emptione sive ex alio quolibet titulo possessiones, vel domus, vel ergasteria juris dumtaxat civilis, quæ hujus juris esse vere probantur, cujuslibet civitatis et præcipue hujus æternæ urbis, cui majorem debemus favorem, tam civilis (ut dictum est) juris, quam etiam agonotheticas possessiones a consulatu Ausonii et Olybrii, dempto civili canone, acceperunt: eos impositum eis canonem juxta fidem publicorum monumentorum civitatis, ad quam res pertinuerint, præbere jubemus. Nam si privati juris debita non patimur denegari, multo magis præbenda sunt civitatibus, quæ jure debentur: cum sufficiat possessoribus, quod apud eos dominium in perpetuum ex nostra liberalitate permaneat. Si quæ tamen possessiones juris civilis canonem privatis largitionibus in præsenti præbent, vel nunquam adempium, vel postea impositum: ad hanc jussionem non pertinebunt, sed privato ærario canonem, quem nunc agnoscunt, inferre ex more debebunt: dominio firmiter apud eos successoresque eorum, et detentatores pari modo permanente. ***Dat. XV. Kal. Febr. cp. Martiano a. i. Cos.***

Nov. est Martiani de prædiis civitatem omnium, ut qui possessiones cujuslibet civitatis juris tantummodo civilis, Constantinopoleos vero non tantum juris civilis, sed et agonotheticas acquisierit dempto canone, et possessiones quidem non auferantur, licet secus sit in possessionibus rei privatæ, *l. ult. sup. de fund. rei pri.* Canon tamen exigatur, qui debetur civitatibus vel privatis largitionibus.

VI. ***Imp. Zeno a. Aeliano pp.*** Hac in perpetuum valitura lege sancimus, Nicensium civitati seu habitatoribus ejus tam jus exactionis quadrigentorum solidorum annui canonis civilis reditus ad suam patriam pertinentis ex possessionibus, id est, Calamo et Heliobomo, nec non Emptorio Varateno cum Epotio eorum sub territorio Apameæ civitatis constitutis ex nuper lapsa tertia indictione cum ipsa restitui: quam si quid, ex quo sanctio Martiani divæ memoriæ lata est, ad ejusdem civitatis præjudicium gestum est, infirmari: et quod ex eadem provisione civitatibus delatum interea qualibet occasione minutum est, ex auctoritate constitutionis nostræ serenitatis iisdem civitatibus redhiberi: ita ut nec judiciaria auctoritas, nec imperiale rescriptum, quacunque videlicet adjectione munitum: sæpe dictæ generalis legis vires possit refringere, quod si quis aliter fecerit, gravi pœna plectetur.

De Nicæa loquitur metropoli Bithyniæ, sub qua fuit Apamæa, et censet reditum civilem cccc. solidorum pertinentem ad Nicæam ex possessionibus quibusdam in Apamæa constitutis, Nicææ restitui. Jus exactionis, inquit, cum ipsa exactione. Ait præterea, *cum Epotio eorum*: multi codices, *cum Epetitio eorum*: forte legendum, *cum equitio eorum*, ut *Nov.* 30. τὴν αὐτῶν ταῖς τῶν ἵππων ἀγέλαις, vel *Enthecio*, ut l. *Julianus* §. *ult. D. de leg.* 3 et *Nov.* 128. Videtur in reditus Nicææ delatus constitutione Martiani, quæ etiam generaliter quicquid delatum fuit aliis civitatibus, et postea occasione quadam ablatum vel imminutum, hæc constitutio censet restitui oportere.

TIT. LXXI. *De locatione prædiorum civilium vel fiscalium, sive templorum sive rei privatæ vel dominicæ.*

I. ***Impp. Gratianus Valentinianus et Theodosius aaa. ad Florum pp.*** Divi patris nostri aperta præceptio est, fundos ex re privata nostra ita tradi perpetuariis, ut periculo collocantium officiorumque tradantur: neque enim quicquam potest ex devotionis plenitudine vacillare, si apparitione judiciaria et fundi idoneis attributi sunt, et sit fiscalis indemnitas idonea fidejussione munita: quorum si alterum vel utrumque neglectum est, quæ ex hoc titulo pensitatio canonica desiderat, ex officiorum facultatibus serventur.

Differentia est inter perpetuarios conductores, de quibus hoc titulo tractatur, et emphyteuticarios. Perpetuarii non sunt domini, et mancipia manumittere non possunt, juris tamen sui abalienationem habent. Emphyteuticarii sunt domini et manumittere possunt, ut diximus l. 12. *sup. de fun. pat.* et ideo perpetuarium jus ab emphyteuticario recte distinguitur hoc modo in l. 2. *sup. de off. Com. rer. priv.* perpetuarii vel emphyteuticarii, ut emendatiores Codices habent: vulgo enim male, *hoc est emphyteuticarii*, sicut et vulgo perverse ad eam oppositus est *tit.* de offic. Comitis sacri palatii: cum nullus unquam fuerit Comes talis. Sic vero et *Nov. Valent. de præs.* 30. *an.* jus perpetuum separatur a jure emphyteuticario. Conductio igitur alia est perpetua alia, est temporalis, *l. 10. sup. de loc.* sicut et emphyteusis. Domini jus est perpetuum. Constituitur autem hac lege, ut fundi rei privatæ periculo palatinorum perpetuariis conductoribus addicantur dato fidejussore. Excepti erant Comites consistoriani, l. 1. *C. Th. de cond. rei pri.* In fine pro, *serventur*, lege *eruantur*, ut l. 1. *inf. de grege dom.* pro *servandas*, *eruendas*: sic l. 1. *D. de question.* Vel, multi habebant, *servandis.* Marcellinus lib. 15. *Servandi* ... *admovente regina*, lego, *Eruendi.*

II. ***Iidem aaa. Nebridio*** Com. Rerum P. Fundi reipublicæ ab his, qui nec titulo conductionis eos detinent, quique meliores cultu patrocinante reddiderunt, ne nostrarum quidem sanctionum (si forte quispiam per subreptionem meruerit) nutibus auferantur, juxta legem veterem semel tantum licentia faciendæ adjectionis indulta.

Legendum affirmate, *Fundi Rep. ab iis, qui titulo conductionis eos detinent*: et ita Græci: οἱ πολιτικοὶ ἀγροὶ τῶν μισθωσάντων τινὶ ἐπιμελῶς φροντίζοντι οὐκ ἀποσπῶνται ἀπ' αὐτοῦ. Conductione perpetua semel perfecta supra adjicere non licere: sic l. *ult. sup. de om. agro. des. l. 2. sup. de fun. pat.* l. 4. *tit. praeced.* l. 1. *sup. de pas. pub.*

III. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Adriano pp.* Loca omnia fundive reipublicæ propositis prius licenter edictis, dehinc ubi in eum canonis modum contendentium augmenta subcreverint, ut extendi ultra, aut superari alterius oblatione non possint: perpetuariis conductoribus locentur.

Ut ei Reip. fundi addicantur perpetuæ conductionis jure, qui superior in licitatione extiterit. Exigitur et proscriptum, ut in *l. 6. sup. de fide et ju. has. fisc.*

IV. *Iidem aa. Minervio comiti rerum privat.* Congruit æquitati, ut veteres possessores fundorum publicorum novis conductoribus præferantur, si facta per alios augmenta suscipiant.

Tuto legem accipiendam de conductione temporali, ut veteres conductores novis præferantur contra *l. Ne cui. sup. de l.c.* si quantum adjiciunt novi, tantumdem offerant ipsi. Conductioni temporali supra adjicere licere, *l. seq.* Huic videtur esse conjungenda *l. 2. sup. de off. Com. rer. privat.*

V. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Valusiano pp.* Prædia domus nostræ si semel jure perpetuo vel nostra præceptione, vel auctoritate illustris viri Comitis ærarii privati, apud aliquem fuerint, vel jam dudum sint collocata: ad alium transferri perpetuarium non oportet: aperte enim definimus hoc edicto, ut a perpetuario nunquam possessio transferatur, etiamsi altori eam Imperator vel exoratus, vel sponte donaverit, sivo adnotatione, sive pragmatica. Cui si forte contra perpetuarium vir illustris Comes privatarum, dum allegabitur, acquiescet: et de proprio ipso centum libras auri, et alias centum fisci viribus Palatinum inferre cogetur officium: nec tamen post allegationem babebit hujusmodi jussio firmitatem, sed nec locabitur alteri, licet ingenti superari videatur augmento possessio. Juro igitur perpetuo publici contractus firmitate perpetuarius securus sit: et intelligat neque a se, neque a posteris suis, vel his, ad quos ea res vel successione, vel donatione, sive venditione, vel quolibet alio titulo pervenit, sivo aliquod pervenerit, esse retraheodam. Sane quia non ex omni parte excludenda est largitas principalis: rem divinæ domus suæ Imperator (si velit) donabit ei, qui eam possidet jure perpetuo: sive ipse jam meruerit, sive cujuslibet tituli jure successerit: videtur enim suam concedere pensionem, non alteri nocere liberalitas, quæ possidentem juro perpetuo dominum vult vocari. Sane si quis non perpetoo jure, sed ad tempus locatam ab illustri viro Comito rerum privatarum possessionem videtur adeptus: non erit obstaculo principali largitati, si voluerit in alterum donationem transferre, quod ad definitum tempus alter forte conduxit. Si vero pro tali prædio ab altero conductore offeratur augmentum: sit in arbitrio conductoris prioris, cui res ad tempus locata est: ut si ipse quod alter adjecit, obtulerit, maneat penes eum temporalis illa conductio. Si vero idem hanc ipsam rem aliquando meruerit jure perpetuo possidere: habebit et ipse superius expressam perpetuam firmitatom.

Aut conductio prædiorum rei privatæ perpetua est, aut temporalis. Perpetua prætextu adjectionis ab altero, vel donationis alteri factæ in alterum transferri non potest, etiamsi hac de re rescriptum allegatum et approbatum sit apud acta Comitis privatarum. Donari tamen a principe ea prædia possunt ipsi conductori perpetuario, quia donatione remitti videtur merces locationis. Temporalis in alium transferri potest vel donatione principis, vel adjectione ab alio facta, quam nolit prior conductor suscipere, *l. prox. supra.* Ita, *collata*, ea vel. emendavi, *collocata.* ut *l. 1. sup. hoc tit. l. 4. sup. de vect. et com. l. Quod ante. D. de in diem ad.* Collocare est addicere. Sic *l. Quæsitum. ff. de spons. collatæ*, pro *collocatæ.*

TIT. LXXII. *De conductoribus et procuratoribus, sive actoribus prædiorum fiscalium et domus Augustæ.*

I. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Basso pp.* Conductores hominesve augustissimæ domus nostræ, quoties de causa ad domum regiam pertinente aliquid quæstionis emerserit: non aliter quam ex legum ordine, quibus similiter omne hominum genus tenetur, vel excipiant, vel inferant actiones: nec aliorum litigatorum negotio intercedant, nec sententiam judicantium, aut illicito patrocinii sui fomite jura conturbent, nullive executionis suæ turbulentum ministerium audeant commodare: non privatis se negotiis: non publicis misceant: nec quiescentem domum delatio ulla sollicitet, ne eos inconsultæ pertinaciæ sero pœniteat: gravior enim pœna constituenda est in hos, qui nostri juris sunt, et nostra debent custodire mandata. *Dat. Prid. Non. Mart. Raven. Theodosio XII. et Valent. II. aa. Coss.*

Nihil quidem hac lege de conductoribus vel hominibus prædiorum fiscalium, sed rubrica indicat, quæ dicuntur de conductoribus, et hominibus domus Augustæ, esse trahenda ad homines prædiorum fiscalium, et ultima sententia legis, quæ non est ex titulo, de conductoribus et hominibus domus Augustæ, sed ex titulo de actoribus et procuratoribus, et conductoribus rei privatæ in Cod. Theodos. et ita etiam tituli præced. rubrica indicat constitutis in eo de conductoribus fundorum rei privatæ, vel civitatum, trahenda esse ad fundos sacri patrimonii, vel templorum. Eadem est condicio *l.t. 74 infra.* Id autem hac lege cavetur, ut conductores vel homines, id est, procuratores vel actores prædiorum fiscalium et domus Augustæ in exercendis litibus communi, non proprio quodam jure utantur, et ne alienarum litium procurationem, vel patrocinium, vel executionem suscipiant, ne alienorum negotiorum, et ne quemquam deferant: alioquin gravius eos coerceri quam ceteros, qui mandatis principum non obtemperant.

TIT. LXXIII. *Quibus ad conductionem prædiorum fiscalium accedere non licet.*

I. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Nestorio com. r. p.* Nullus Palatinorum, qui in officio rei nostræ privatæ militat, conductoris nomine vel per se, vel per quamlibet personam possessionum hujusmodi conducendarum habeat facultatem: cum neque militi, neque curiali hoc faciendum permittimus. *Dat. VI. Kal. Aug. Vincentio et Flavitta Coss.*

Ne possessiones rei privatæ locentur palatinis, id est, apparitoribus Comitis privatarum, ne militibus. Quod et de rebus privatorum cautum est, ne curialibus vel militibus, non quod etiam, ne palatinis. Emptio etiam rerum privatarum palatinis interdicta est, *l. ult. sup. de resc. vendit.* quæ ad eundem Nestorium scripta est.

TIT. LXXIV. *De collatione fundorum fiscalium, vel rei privatæ, vel dominicæ, vel civitatum, vel templorum.*

I. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Firmino Comiti s. l.* Ordinariorum judicum officiis, nec non ipsis rectoribus provinciarum actores sive conductores dominicos conveniendi licentiam damus: ita tamen ut rationalibus privatæ rei ad exigenda fiscalia debita immineant.

Ut actores (sic legendum, non auctores, Græci vertunt [illegible]) et conductores dominici sint sub jurisdictione præsidum, et quod ad fiscalia debita sive collationem attinet, sub jurisdictione procuratorum Cæsaris: quod valde pertinet ad *titul. ubi cau. fisc. supra.*

II. *Idem aa. Messalæ pp.* Palatinos qui a viro illustri Comite rerum privatarum eum publicis literis destinantur ad commonitionem judicis, quo facilius ex prædiis rei nostræ conferantur debitæ pensiones: cum summa degere præcipimus disciplina, de quorum nominibus, si temere versati fuerint, ad sublimitatem tuam referri per ordinarios judices oportebit, ut in eos severissime vindicetur.

Plerumque Comes rerum privatarum mittit in provinciam palatinos, ut moneant præsidem de collationibus, *l. 2. et 3. sup. de cau. larg. tit.* Lex præcipit, ut in ea se modeste et temperanter gerant.

III. *Iidem aa. et Theodosius a. Petronio pp.* Omnia prædia tam ea quæ in re privata olim tenentur, quam illa quæ ex proscriptorum bonis ad fiscum sunt devo-

luta, eatcous ab hujusmodi privilegiis et excusationibus submoveantur, ut omnes species annonarias, cursitationes etiam debitas. atque integram opinionem sciant esse solvendam.

Ut prædia rei privatæ, e quibus sunt etiam confiscatorum bona, ut quodam loco ostendimus sup. lib. 10 non excusentur a præstatione annonarum et opinionis, id est, census, et a cursu debito, transvectionum scilicet, de quo l. 2. tit. seq.

TIT. LXXV. *De privilegiis domus Augustæ, vel rei privatæ, et quarum collationum excusationem habent.*

I. *Imp Constantius a. ad Italicum.* Privatas possessiones nostras ab universis muneribus sordidis placet immunes esse, neque earum conductores, neque colonos ad extraordinaria munera vel superindictiones aliquas conveniri. *Dat VIII. Kal. Feb. Bononiæ Placido et Romulo Coss.*

l. ult. tit. praeced. docet possessiones rei privatæ non excusari ab ordinariis muneribus. Hæc excusari ab extraordinariis, a sordidis, a superindictionis, *l. pen. sup. de agr. et mance.* idemque de patrimonialibus traditum est supra

II. *Imppp. Valentinianus, Valens et Gratianus aaa. ad Claudium.* Rem privatam nostram levandorum provincialium causa canonicas necessitates ea condicinne, qua cunctos, volumus sustinere, sed excessit occasio jussionem, quandoquidem non locis solitis frumenta, quæ sunt ex diversis saltibus convehenda: trahantur: sed eo usque portentur, quo grave atque damnosum est provehere. Proinde spectabilis syncerıtas tua remanentes in iisdem locis implere faciat proprias functiones, quibus ante frumenta præbebat.

Ut sicut ceteri provinciales, ita res privata onus transvectionis sustineat pro locis et proximitate possessionum, ut *l. 5. sup. de ann. et trib.* Ait, *Remanentes*, vet. lib. habent, *Remaentem*, affirmo legendum, *rem eandem*, hoc est, rem privatam. Pro, *spectabilis*, vet alii habent, *spectata*. alii, *re explorata.*

III. *Imp. Arcadius, et Honorius aa. Minervio Com. rerum pr.* Pro tyronibus in corporibus postulatis pretia conferri ex fundis perpetuariis nostræ rei privatæ præcipimus.

Ut possessiones rei privatæ, vel conductores earum perpetuarii, taxationem tyronum præsteot, de quo ooere dicemus in *l. 4. infra de dignit.* non corpora ipsa.

IV. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Asclepiodoto pp.* Absit ut nos instructiones viæ publicæ, et pontium, stratarumque opera titulis magnorum principum dedicata inter sordida munera numeremus. Igitur ad instructiones reparationesque itinerum pontiumque nullum genus hominum, nulliusque dignitatis, ac venerationis meritis cessare oportet, domos etiam divinas tam laudabili titulo libenter adscribimus. *Dat V. Kal. Mar. cp. Asclepiodoto et Mariniano Coss.*

Ut possessiones divinæ domus viæ instruendæ, vel sternendæ, vel pontium restituendorum immunitatem non habeant: idemque de ecclesiasticis prædiis constitutum est *Nov. 131. l. 7. sup. de sacros. eccl.* et ut hæc onera sordida non censeantur, quæ aliquando tamen sordidis adnumerata sunt, l. 17. *C. Th. de ext. mun.* contra rationem prassque appellatione, ut est in *Novel. Theodos.*, *Neque dom. div. neque eccles. quol. pub. mun. exc.* Stratam dicit quod Galli, *pavé.* Cœpit postea quælibet via strata dici, ut 58 Βασιλικῶν tit. 3 τῶν ἑκατὸν ποδῶν στράτα συνίσταται, et tit. 5. τῇ στράτᾳ χρησάμενοι, et tit. 7. κατὰ μῆκος τῆς στράτας. Domum divinam dicit pro domo Augusta, at *l. pen. sup. de exact. trib. l. 13 D. ad S. C. Turp.*

V. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Flaviano pp.* Excepto patrimonio pietatis nostræ, cujus quidem reditus necessitatibus publicis frequentissime deputamus, universos possessores functiones in superindictitiis titulis absque ullius beneficii exceptione agnoscere oportere censemus. *Dat. III. Kal. Mai. Raven. Basso et Antiocho Coss.*

Idem hac lege cavetur de superindictitiis oneribus, quod *l. 1.*

TIT. LXXVI. *De grege dominico.*

I. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Cæsario pp.* Propositis edictis sublimis magnificentiæ tuæ minimi maximique moneantur, ut sciant singulas libras auri ex propriis facultatibus eruendas pro singulis equis vel equabus, sive Hermogenianis, sive Palmatiis, nisi sponte eos obtulerint, in his vero quos ex aliis gregibus occupatos esse constiterit, sex auri uncias fisci viribus inferendas. *Dat. Prid. Kal. Dec. cp. Olybrio et Probino Coss.*

Multatur libra auri qui equum ex grege dominico occupaverit nec ultro reddiderit, semilibra qui ex alio grege. Hermogenianos et Palmatos dicit, ut *l. 1. C. Th. de equis curul.* ab agitatoribus, ut ex Græco interprete Alciatus tradit: an Palmati quod sint triumphantium et victorum sicut tunicæ palmatæ? Hermogeni quasi Mercurio geniti?

TIT. LXXVII. *De palatiis et domibus dominicis.*

I. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Joanni comiti rerum privatarum.* Consecratas nobis ædes, id est, inclyta palatia, ab omni privatorum usu et communi habitatione excepimus.

Ne palatia privatorum usibus deserviant, *l. Quicumque. sup. de oper. pub.*

TIT. LXXVIII. *De cupressis ex luco Daphnensi, vel Perseis per Ægyptum non excidendis vel vendendis.*

I. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Silvano comiti rerum priv.* Si quis Daphnensis luci in Syria, vel Perseidis in Ægypto arborem comparaverit, quinque libris auri noverit se esse multandum: non minore dispendio et illo feriendo, qui vendere arbores ausus fuerit, quas non licet emptoribus comparare.

Daphne suburbanus est lucus Antiochiæ cupressis obsitus, quem describit Sozomenus lib. v. cap. xxix. Stephanus: Δάφνη προάστειον ἐπισημότατον τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ μητροπόλεως. Ex eo cupressum et per Ægyptum Perseam arborem vendi et emi vetat, et emptorem venditoremque eadem pœna multat. Nam si emptor rem injustam facit, probabile etiam est venditorem rem iniquam facere, *l. 18. inf. de cur. pub.* quod tamen non est perpetuum.

II. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Eudoxio Com. sac. lar.* Omnes judices cujuscunque dignitatis, sciant posthac absque permissu magnitudinis tuæ arborem ex Daphnensi luco Antiochenæ civitatis præcidendi, vel quolibet modo lapsas transferendi licentiam sibimet denegandam, sed nec Alytarcha unam cupressum aliis plantatis excidere sibi licere contendat, ac ne solatio antiquitus ei concesso privari per omnia videatur: pro eo, quod ei cupressum excidere denegatur, unam libram auri eum de privatis nostris largitionibus excipere decernimus: quinque librarum auri condemnatione hujus legis temeratore plectendo.

Novellam hanc constitutionem Græci vocant ad *l. 2. sup. de nov. act.* de cujus restitutione scripsimus 2. Observ. cap. 13. cum perperam ante legeretur, *a luco vel a litore*, pro, *alytarcha*, quam firmet confirmant, qui sic vertunt ἀλλ' οὐδὲ ὁ ἀλυτάρχης τοῦτο ποιεῖν δύναται.

CODICIS JUSTINIANI

LIBER DUODECIMUS

TIT. I. *De dignitatibus.*

Imp. Alexander a. Severinæ. Si (ut proponitis) et avum consularem, et patrem prætorium virum habuistis, et non privatæ condicionis hominibus, sed clarissimis nupsistis: claritatem generis retinetis. *Sine die et Cos.*

Consules, prætores, consulares item et prætorii clarissimi sunt. Sed et eorum filiæ clarissimæ sunt, quandiu plebeii nuptiis conjunctæ non sunt: quod et generaliter de senatorum filiabus ad eundem modum traditur in *l. Feminæ. D. de senat.* Clarissimam igitur dignitatem quam debere parentes plebeii mariti auferunt. Accursius male colligit ex *l. ult. sup. ubi senat. vel clar.* consules esse illustres. Colligeret rectius esse supra illustres. Plus enim in ea tribuitur consularibus honorariis, quam illustribus: quamobrem et qui re ipsa consulatum gesserunt, præfectorii et ceteri qui illustrem administrationem gesserunt, et sic denique consules illustribus in administratione constitutis anteponendi esse videntur. Esse quosdam supra illustres ostendi § *In Summa. Instit. de injuriis, l. Eos. §. Super. sup. de usur. l. Si quando. C. de app.* et quod ad *l. ult. D. de senat.* Græci adnotant his verbis: ἰλλουστρίους τινὲς λέγουσι τοὺς πρωτοσπαθαρίους καὶ τοὺς ὑπερβεβηκότας αὐτούς, et alio loco: ὁ πρωτοσπαθάριος καὶ οἱ ἐπάνω τούτου, et in Græca *l. 14 sup. de testib.* καὶ τῶν ἰλλουστρίων καὶ τῶν ὑπερβεβηκότων αὐτούς. Hi sunt patricii et consules et consulares. Et in senatu quidem præf. urbi vir illustris considet supra omnes, *l. 3 C. de offic. præfect. urb.* primusque sententiam dicit Cassiodoro auctore. Eum sequuntur patritii, consules, consulares, præfecti prætorio, magistri militum, et ceteri viri illustres: et hoc ordine his solis jus est sententiæ dicendæ in senatu, ut constat ex *Novell.* Leon. a Julieno in Latinum conversa sermonem, ex qua perspicuum est, Tribonianum ad finem tituli De senatoribus, hæc verba de suo adscripsisse: *Senatores accipiendum est eos qui a patritiis et consulibus usque ad omnes illustres viros descendunt, quia et in senatu sententiam dicere possunt:* quod et multis aliis locis fecit, falso Jurisconsultorum veterum nomine super scripto, ut *l. 1. §. ult. de inter. in jur. fac. l. 2. §. pen. de judic. l. Cum de indebito. de probat. l. Uxores. de divort. l. Si patronus. §. ult. de donat. l. Si cum dotem. §. Si maritus. et seq. sol. matr. l. Si pluribus. de legat.* 1. Ergo secundum sententiam Justiniani sive Triboniani definitionem, et omnes illustres, et quidam etiam qui supra illustres censentur, senatores sunt. Sic in *l. 3. §. ult. inf. de silent. l. 2. sup. de tutor. Illustres senatores*, et in *l. pen. inf. hoc. tit. qui illustres*, in Græca conversione συγκλητικοὶ vocantur. Non omnes tamen senatores illustres sunt. Alii sunt clarissimi, alii spectabiles, alii illustres. Quartus senatorum gradus non est. Nam et qui consident supra illustres, aliquam ex his tribus appellationem habent, vel illustrissimi dicuntur. Spectabilem dignitatem mediam Justinianus vocat in *Nov. 7.* Non sunt igitur nisi tria dignitatum genera, inter senatores scilicet: nam extra senatum sunt aliæ complures, veluti equestris, perfectissima egregia, de quibus suis titulis tractabitur.

II. *Imp. Constantinus Volusiano pp.* Neque famosis et notatis, et quos scelus vitæ aut turpitudo inquinat, et quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt.

Ait, *Neque famosis*) Hi sunt quibus lex infamiam irrogavit. *Et notatis*) Hi non sunt ipso jure infames, hæret tamen in eis macula quædam, ut qui judicio publico rei in vinculis sunt, vel qui ob testimonium dicendum vel non dicendum pecuniam accepisse convicti nec damnati sunt, vel qui inter requirendos adnotati sunt. Sic nota ab infamia distinguitur in *l. 3. §. Lege. D. de testib.* Veteres libri habent, *adnotatis*, quod idem est, Cic. III. de off *Eoque a Censoribus omnibus ignominiis adnotatos:* sic vet. libri. *Et quos scelus*) Græci lib. VI βασιλικῶν hanc addidere interpretationem: Οἷον ῥήτορες, οἱ χαράκται, οἱ τελῶναι, καὶ οἱ ταξιῶται, οὗτοι πάντες κἂν ἰδίως, φιλοτιμηθῶσιν αὐτοῖς ἀξιώματα, οὐκ ἀπολαύουσι τῆς ἐκ τούτων τιμῆς, ἀλλ' ἐκπίπτουσιν αὐτῶν ὡσαύτως καὶ οἱ αἰσχροί. quod sumpsere ex *l. 6. inf. hoc. titulo.* *Dignitatis portæ patebunt*) Senatus portæ: quoniam totus hic titulus est de senatoribus. In *l. 1. D. ad leg. Jul. de vi priv. Omni*, inquit, *honore quasi infamis carebit.* de qua scripsimus Observ. *l.* cap. 38. Falso adjicit Acc. eos non posse Romæ agere vel in comitatu principis: quod de relegatis tantum est proditum, et de militibus ignominiæ missis, non de aliis infamibus: aliorquin non possent Romæ apud Prætorem pro se postulare, quod est falsum: et vel tutelæ Romæ damnatus solum vertere cogeretur statim.

III. *Idem a. ad Rufinum pp.* Major dignitas nulli debet circa prioris dignitatis, seu militiæ privilegia præjudicium facere. *Dat. v. Kal. Mai. Syrmio Constantino a. v. et Licinio cæs. Coss.*

Si forte silentiarius, vel proximus sacrorum scriniorum, vel tribunus notarius inter senatores allectus sit, non ideo minus retinet privilegia, quæ silentiariis et proximis sacrorum scriniorum et notariis Constitutionibus concessa sunt, *l. Eos. sup. de exc. mun. l. 3. inf. de silent. l. 1. inf. de primic. et not.*

IV. *Imppp. Constantius, et Constans aa. Philippo pp* Senatorum substantias, quas in diversis locis et provinciis possident, et homines eorum, tam a temonariis oneribus conferendis, quam a ceteris præstationibus, quas judices describunt, nec non etiam ab omnibus sordidis extraordinariisque, et vilioribus muneribus liberos esse præcipimus, nullaque sorte constringi functionis indignæ.

Homines eorum) procuratores prædiorum, actores, clientes, coloni, qui alibi pertinentes, et οἱ προσήκοντες καὶ ὑπαιροῦντες: inde hominium in historia Helmodii, Galli *Homage.* *Temonariis*) Exigebant temonarii aurum tyronicum, tyrones, equos. Impp. Valentinianus, et Valens in *l. 7. Cod. Theodos. de tyronib. Si unum*, inquiunt, *fuerit pro tyronibus inferendum, unumquemque pro modo capitationis suæ debitum redhibere oportet: et ne aliquid dubium relinquatur, solidorum numerum, qui temonario inferendus est, designamus.* Synesius in epistolis: ταῖς ἀπαιτήσεσιν ἐτάξε τοῦ στρατιωτικοῦ χρυσίου τοῦ καλουμένου τυρωνικοῦ, id est, temonarium fecit vel capitularium. Capitularios Symmachi 11. Epistol. legimus taxationem tyronis postulasse, et capitulariam et temonariam functionem eandem esse in *l. 14. Cod. Theod. de extr. mun.* Consequens est igitur temonarios exactores esse auri tyronici. Protostasiæ sive protolipiæ onere eos fungi indicat *l. 2. Cod. Theod. de deser. Si temonarius*, inquit, *prodiderit desertorem, protostasiæ onere biennio relevetur*, quod munus etiam ad tyronum præbitionem pertinuisse indicat *d. l. 7. Tyronum*, inquit, *præbitio in patrimoniorum viribus potius, quam in personarum muneribus collocetur, ut protostasiæ munus, quod provinciarum interna depascitur, etc.* Recte autem ait, tyronum præbitionem esse patrimoniale munus. Vegetius lib. 1. *Possessionibus indicti tyrones:* sic legendum. Tyronum vel equorum productio personale munus est, *l. ult. D. de mun. et hon.* id est, τὸ διασῶσαι, vel servare producendos: Hoc igitur loco, *a temonariis oneribus conferendis*, id est, a præstatione tyronum, equorum, auri tyronici. *Quas judices describunt*) *l. prox.* et *l. Omniem. l. Præcipimus. inf.* *Sordidis*) veluti calcis coquendæ.

V. *Iidem aa. ad Cleorchum p. v.* Nemo præfectus urbi citra præceptionem vel scientiam nostram ulli muneri subjuget senatorem, nemo curism nostram immani pulset injuria: si quid enim senatoria præditis dignitate fuerit forte mandandum: nostro id judicio reservandum est. Sit namque dignitas, quæ nobis jubentibus sustinetur.

Hæc superiori hanc adjicit exceptionem. Nisi ex auctoritate principis senatores præstationibus a judicibus descriptis alligantur. *Sit namque*) Vet. *Sit namque dignitas, si nobis jubentibus sustinetur.* Munus quod sustinet senator jussu principis honor est potius quam onus.

VI. *Iidem aa. Orphito.* Ne quis ex ultimis negotiatoribus, vel monetariis, abjectisque officiis, vel deformibus ministeriis stationariis, omnique officiorum fæce, diversisque pastis turpibus lucris aliqua frui dignitata pertentet: sed et si quis meruerit, repellatur: repulsos autem etiam propriis reddi consortiis oportebit.

Ad senatoriam dignitatem non admitti humiles negotiatores, monetarios, viles sellularios, stationarios, cohortales. *Monetariis*) Lege quæ ad *l. 1. sup. de murileg.* *Deformibus*) Quidam Cod. *deformis ministeriis stationariis.* Utrum vero ii sunt qui apothecarii dicuntur in *l. Si cohortalis. inf. de cohort.* ut Obs. 2. diximus; An, ut Græci interpretantur cum hoc loco, tum in *l. 5. sup. de vect. et com.* τελώνας, id est *publicani* publicanorumve familia? An apparitores dispositi per urbem, vel per provincias certis locis, ut magistratibus denuntient quæ geruntur, ut *l. 1. D. de off. præf. ur. l. Si quis in hoc. C. Th. de episc. et al. l. 1. C. Th. de cur. pub.* et aliis plerisque? quod videtur verius, quoniam subjicit, *Omnique officiorum fæce, diversisque pastis turpibus lucris*: quod idem potest ac si diceret, et ea reliqua officialium colluvie, qui de variis turpibus lucris vixerunt. *.

VII. *Iidem aa. ad Senatum.* Quoniam diversi judices nonnulla opera in quibusdam existimant urbibus extruenda: ad hujusmodi necessitatem senatorum substantia non devocetur. *Dat. V. Non. Mai. Tauro et Florentio Coss.*

Idem demonstratum *l. 4.* senatores descriptionibus judicum non adstringi.

VIII. *Imp. Julianus a. Sallustio pp.* Jus senatorum et auctoritatem ejus ordinis, in quo nos quoque ipsos numeramus, necesse est ab omni injuria defendere. *Dat. Non. Feb. cp. Mamertino, et Nevitta Coss.*

Idem demonstratum est *l. 5.* et quæ hic exprimitur ratio iis in eo verbis adsignificantur, *curiam nostram*: eadem vero ratione domus principis glebale onus agnoscit, quod senatorium est. Arcadius et Honorius in Cod. Th. lib. vi. *A collatione glebalis auri ut domum quidem nostram immunem esse præcipimus.* Eadem quoque ratione filia senatoris libertino nubere non potest, ut ad *l. 9. D. de senat.* Græci tradunt iis verbis, ὕβριν γὰρ τοῦτο κοινὴν τῆς τε βασιλείας καὶ τῆς συγκλήτου· καὶ ἡ βασιλεία γὰρ τῇ συγκλήτῳ συναριθμεῖται. Idem in hanc legem ita scribunt: καλῶς εἶπεν ὁ βασιλεὺς συναριθμεῖσθαι, τοῖς συγκλητικοῖς ἐπειδὴ ἐκ ὑπατικῶν ἀνέχεται.

IX. *Imppp. Valentinianus, Valens, et Gratianus aaa. ad Symmachum pp.* Libertorum filios adipisci clarissimam dignitatem non prohibemus.

Liberti prohibentur, libertorum filii non item. Sed neque liberti lege Justiniani, ut dictum est *sup. si lec. aut lib. ad decur. asp.*

X. *Imppp. Valens, Gratianus, et Valentinian. aaa. ad Gracchum pp.* Severam indagationem per tormenta quærendi a clarissimo nomine submovemus. *Dat. Prid. Non. Jan. Trev. Gratiano a. IIII. et Merobaude Coss.*

Si municipalis ordo tormentis eximitur, multo magis amplissimus, in quo est et princeps ipse. Ab omni itaque injuria defendendus est, *l. 8. sup.* velut tormentis, vinculis, carcere. Marcellinus xxviii. *Ne senator quisquam inusitato et illicito more tormentis exponeretur.*

XI. *Iidem aaa. ad Procopium.* Senator vel alius clarissimus privatos habeat filios, quippe editos antequam susciperet dignitatem, quod non solum circa masculos dignoscitur constitutum, verum etiam circa filias simili condicione servandum: cum autem paternos honores invidere filiis non oporteat: a senatore vel solo clarissimo susceptum, in clarissimatus sciendum est dignitate mansuram. *Dat. XV. * Hierapoli Gratiano a. IIII. et Merobaude Coss.*

Et decurionum et senatorum filii sunt ii qui ante dignitatem suscepti sunt, *l. Mortis. §. pen. D. de pœnis, l. 2. §. In filiis. D. de decurion. l. 5. D. de senat.* et filii patronorum fisci ante suscepti: quod exposuimus in *l. ult. sup. de decur.* Pugnare creditur hæc lex. Ait enim, *senator vel alius clarissimus, privatos*, id est, *plebejos habeat filios, editos quippe antequam susceperit dignitatem*: idemque de filiabus subjicit esse servandum: quod eo pertinere ex Cod. Theodosii intelligitur, ut glebale munus non agnoscant. Ceterum, ut additur in extremo hujus legis, honores eis et præmia clarissimorum non invidemus: denique natos esse ante dignitatem prodeat, non nocet. Lego, *senator* ex vet., non *Si senator*: atque ita quasi facto hyperbato, vel parenthesi, nihil legendo suspendi debet. *Vel solo*) Quidam cod. *Vel alio*: quod rectius est. Sic supra, *Senator vel alius clarissimus.* *Susceptum*) ante dignitatem.

XII. *Imppp. Gratianus, Valentinianus, et Theodosius aaa. Neotorio pp.* Judices, qui se furtis et sceleribus fuerint maculasse convicti, ablatis codicillorum insignibus, et honore exuti, inter pessimos quosque et plebejos habeantur: nec sibi posthac de eo honore blandiantur, quo seipsos indignos judicaverunt. *Dat. XVIII. Kal. Feb. Thesal. Gratiano V. et Theodosio aa. Coss.*

Loquitur de judicibus repetundarum damnatis: qui ex damnatione et honore exuuntur, et infamia notantur. *Blandiantur*) Ne sibi per hujus honoris causam vindicent posthac προκαθεδρίαν, ἢ ἐν δικαστηρίοις συνεδρίαν, ut Theodorus interpretatur.

XIII. *Imppp. Valentinianus, Theodosius, et Arcadius aaa. Martiano comiti Orientis.* Mulieres honore maritorum erigimus, et genere nobilitamus, et forum ex eorum persona statuimus, et domicilia mutamus. Si autem minoris ordinis virum postea sortitæ fuerint: priore dignitate privatæ, posterioris mariti sequentur condicionem. *Dat. IV. Kal. Febr. cp. Arcad. II. et Rufino Coss.*

De hac l. diximus in *l. ult. sup. de incolis. Genere nobilitamus*) Uxor ergo plebeja per matrimonium clarissimam senatoriamve dignitatem adipiscitur, vel etiam clarissimo amittit, ut ex Livio liquet de Virginia lib. x.

XIV. *Impp. Theodosius, et Valentinianus aa. Basso pp.* Præcipimus ut senatori in qualibet provincia constituto, nullam habeant judices injungendi aliquid forte publici muneris potestatem.

Idem quod in *l. 4. 5. 7. sup.*

XV. *Iidem aa. ad Eustasium.* Clarissimis vel spectabilibus universis ad genitale solum, vel quolibet alio, et sine commeatu proficiscendi, et ubi voluerint commorandi, habitandive permittimus facultatem.

Non poterant olim senatores non impetrato libero commeatu alibi morari quam in urbe *l. Falc. §. pen. D. ad municip.* Hodie nihil est opus commeatu: datur namque hac lege generaliter omnibus clarissimis vel spectabilibus.

XVI. *Iidem. aa. Apollonio pp.* Si gravius ullum facinus admittatur, nocente persona extra carceralem custodiam sub fidejussione habita, super illustribus quidem nobis suggeri jubemus: super ceteris vero quadam minore dignitate decoratis, ad tui referri culminis notitiam: ut ita demum quid de admisso crimine constitui oporteat, judicetur.

Sub fidejussione) vet. *Substitutione* legendum *Sub tuitione.* Sub fidejussione non constitui *l. prox.* docet. At tuitionem militarem intelligo, ut in *l. 1. sup. de off. mil. judic. l. 36. C. Th. de haeret. l. 3. sup. de off. com. rer. priv.* Symmachus in epistolis. *Tuitionem contra me de sede vicaria postulavit.* Formulam tuitionis Cassiodorus composuit. Eam veteres Franci *Mundebur* appellarunt. *Super illustribus*) De illustrium crimine nullus judex cognoscit inconsulto principe, excepto casu *l. seq.* De reliquis dignitatibus præf. prætorio cognoscit, veluti de clarissimis, *l. pen. C. de off. præf. præt. Or.* idque in urbe: in provinciis provincialis judex, *l. 1. C. ub. senat. vel clariss.*

XVII. *Imp. Zeno a. Arcadio pp.* Quoties ex privata cujuslibet interpellatione civili vel criminali viri illustres conveniendi sunt: nulla danda fidejussionis concussione vexentur, sed per speciale privilegium suæ committi fidei consequantur, juratoria ab his cautione tantummodo exponenda. Quam si neglexerint, et contra insertum cautioni sacramentum ipsi

vel eorum procuratores adfuerint: in pecuniariis quidem causis super possessione rerum ad eos pertinentium judex competens, quod juris auctoritas et rei qualitas suggesserit, ordinabit. In criminalibus vero negotiis dignitate quoque, qua se per suum videlicet perjurium indignos esse prnbaverint, spolientur: ut in eos, utpote illustri dignitate per suum facinus privatos, inconsulta etiam nostra pietate judicibus legum severitatem liceat exercere. Quibus illustrium dignitatum privilegiis hoc etiam adjiciendum esse censuimus, ut hujusmodi personæ nullam ex cujuslibet judicis sine scriptis habita sententia, conventionem neque in civili neque in criminali causa sustineant.

Illustribus unam dedit privilegium lex superior, ut de eorum criminibus nemo cognoscat inconsulto principe. Hæc alia duo adjicit: unum, ut sive civiliter sive criminaliter conveniantur, non satisdatio, sed repromissio juratoria judicio sistendi causa ab eis exigatur: cui tamen si non paruerint, hanc perjurii pœnam ferunt, ut in civili causa mittatur actor in possessionem, in criminali spolientur illustri dignitate, et inconsulto principe damnentur: atque ita etiam ex græca constitutione, quæ desideratur, *sup. tit. de custod. reor.* qui juratoriæ cautioni non paret, jure suo cadit. Alterum est, ut non nisi ex scripto conveniantur. Igitur nuda executoria voce conventi impune non parebunt. *Sententia*] ut Græci ψῆφος, ita latinis Constitutionibus sæpe sententia significat conventionem executoris, libelli admonitionem ὑπόμνησιν, δήλωσιν, πρόσκλησιν, atque etiam in Pandectis duobus locis.

XVIII. *Imp. Anastasius a. Eusebio magistro Officiorum.* Jubemus salvo honore, qui per evocationem sacræ revocatoriæ defertur, durante, licere cunctis tam minoribus quam majoribus potestatem gerentibus, nec non etiam honorariis illustribus, sive ex hoc regia urbe principali, videlicet precedente consensu, profecti fuerint, sive in provinciis habitantes, sacratissimum (suis scilicet poscentibus negotiis) petere maluerint comitatum: sine sacra quoque revocatoria ad hanc regiam urbem pervenire.

Hæc adjicit quartum illustribus ipsis administrantibus, vel etiam honorariis licere ad sacrum comitatum venire sine sacra revocatoria. In *l. 1. sup. ut om. jud. tam c.* recte exactiores libri, *vel divina revocatoria*, pro quibus *Nov.* VIII. quæ est eadem de re, ἡ κατὰ πρόφασιν ἀνακλήσεως. Ea vel petitur vel ultro dirigitur a principe, ut ex formula Cassiodori constat. Usus vero ejus hac lege penitus non tollitur. Sed illustribus tantum ea non petita jus veniendi in comitatum datur: quod non pugnat cum *l. Nullus sup. de off. rect. prov.* quæ de præsidibus loquitur, non de illustribus. *Tam minoribus*) Vel, *tam minores quam majores potestates*. Illustrium sunt grados quidam, alii majores, alii minores. Præf. prætorio major est magistro officiorum, uterque tamen illustris. *Principali videlicet*) Hoc item non pugnat cum *l. 15 sup.* quæ de clarissimis vel spectabilibus loquitur, non de illustribus.

TIT. II. *De prætoribus, et de honore præturæ, et gleba, et folli, et septem solidorum functione sublata.*

1. *Impp. Valentinianus et Martianus aa. Tatiano p. p.* Nemo ex clarissimis et spectabilibus, qui in provinciis degunt, ad præturam postea devocetur: maneat unusquisque domi suæ tutus atque securus, et sua dignitate lætetur. *Dat. XV. Kal. Jan. cp. Valentin. VII. et Albieno Coss.*

Prætura onus fuit senatorium. *Nov. Th. ne dec. ad senat. dig. asp.* Hanc enim dignitatem senator qui suscipiebat suis sumptibus circenses et scenicos ludos exhibebat. Boetius III. de consolatione: *Prætura*, inquit, *magna olim potestas, nunc inane nomen et senatorii census gravis sarcina:* ubi vulgo male legitur, *præfectura*, sicut et in hac lege quibusdam Codicibus, et in *l. ult. inf. de silent.* Constituit autem Martianus hac lege ut ne senatores, viri clarissimi et spectabiles ex provinciis in quibus sedes suas constituerunt, ad præturæ munus devocentur: cui est conjungenda *l. 1. sup. de off. præt.* utriusque est eadem inscriptio et subscriptio. Additur in ea, ut tres tantum judicio senatus prætores eligantur. Erant olim multo plures, ut ex *Cod. Th.* constant, *tit. de prætoribus.*

II. *Iidem aa. ad Senatum.* Glebam, vel follem, sive septem solidorum functionem, sive quamlibet hujusmodi collationem, tam circa personas, quam res, et prædia funditus jubemus aboleri, ut omnis hujusmodi sopita perpetuo conquiescat exactio.

Glebam, id est, glebalem functionem, ut in Cod. Th. Arcadius et Honorius, *Glebam* inquiunt, *possessionum non personarum esse perspicimus*: et Symmachus in epistolis nondum editis: *Sed velim noveris quæstores glebæ senatoriæ protinus adfuturos sperandamque Tuentii veniam plenorem, si fidem paupertatis ejus exploratio natam fecerit.* Synesius in epistolis. καὶ τὴν πατρῴαν βῶλον ὑποτελῆ τῇ συγκλήτῳ δεδιξάμενος. Eandem, et descriptionem, et collationem, et præstationem, et munus, et canonem, et pensionem vocant, et aurum glebale, et aurum oblatitium. Glebale, quod pro possessionibus pendatur. Oblatitium, quod non canonis vel indictionis, sed oblationis genere quodam a senatoribus exigatur, sicut aurum coronarium a decurionibus, aurargentum a negotiatoribus. *Vel follem*) Inter glebam senatoriam et follem senatorium nihil interesse puto. Martianus in *Nov. de indul. reliq. Quicquid ex titulo senatoria follis in provinciis debetur.* Sic legendum ex vet. libris. Zosimus 2. de Constantino Ἀπεγράψατο τὰς τῶν λαμπροτάτων οὐσίας· τέλος ἐπιθείς, ᾧ τινι φόλλιν αὐτὸς ἐπέθηκεν ὄνομα, i. *descriptam fecit substantiæ senatorum imposito onere, cui follis nomen dedit.* Hunc locum et ceteros omnes Zosimi Petro Pithoeo debeo. Sed tamen etiam illi senatores quibus nulla erat possessio, duos folles in ærarium inferebant, ut constat ex Constitutione quadam Gratiani ad Hypatium in C. Th. lib. VI. Follis', aurei nummi genus est, l. 2. et 3. *C. Th. quor. ap. non rec. l. 3. C. Th. de susc.* l. 5. 21. *C. Th. de prætor.* Moschopulus obolum interpretatur. Qui Romanis Terentiani, hi Græcis Follerales dicti sunt auctore Marcellino in Chron. quibus, inquit, *suo nomine figuratis placabilem plebi commutationem Anastasius distraxit.* Singuli siliquæ partem XII. efficiunt, ut Justinianus scribit in legibus Georgicis, tit. περὶ κλοπῆς. Idcirco plebi in commutationibus utiliores. Zonaras in Leone Isauro jussisse eum refert publica tributa sub specie mœnium reficiendorum, ita ut singulis solidis, quæ pendi solebant, insuper adjungerent collatores XXIIII. folles. *Sive VII. solidorum*] Hæc VII. solidorum præstatio tenuissimos senatorum obligabat, ut Honorius et Theodosius ad Monaxium scribunt in Cod. Theodos. eratque id personæ onus non glebæ. Erant et quidam senatorii ordinis, qui eam tantum præstationem agnoscebant non glebalem, veluti ex proximi, *l. 12. C. Th. de prox. com. disp.* Sed his omnibus præstationum generibus senatores hæc Martiani Novel. solvit.

TIT. III. *De consulibus et non spargendis ab iis pecuniis, et de præfectis, et magistris militum, et patritiis.*

Sic omnes vet. libri, sic codex Theodosianus. Est et de præfectis magistrisque militum in hoc titulo nonnihil. Hæc ergo tollere Haloandar non debuit, *de præfectis et magistris militum.*

1. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. ad Senatum.* Antiquitus statum est consularibus viris ceteros quidem honoratos ipsius trabeæ summitate, pares vero infulis, considerationе tantum temporis anteire: quis enim in uno eodemque genere dignitatis prior esse debuerat, nisi qui prior meruerat dignitatem? cum posterior, etiamsi ejusdem honoris prætendat auspicia, cedere tamen illius temporis consuli debeat quo ipse non fuerit. Hoc observando etsi iterata vice fastigia consulatus aliquis ascenderit: repetiti etenim fasces virtutes sæpe meriti comprobant, non augent: quia nihil est altius dignitate; quod si quis prior consul posteriori consuli eidemque patritio posthabitus, patritiatum postea consequatur; vinci eum oportet; qui prior meruerit patritiatum, post quam iste honore patritiæ dignitatis decoratus est.

Inter consulares præfertur is qui prior gessit consulatum, etiamsi posterior bis consul fuerit. Repetitio namque ejusdem honoris nihil adjicit: quod tamen abrogat *Nov. Valentiniani de honor. et qui in grad. præf.* Præfertur vero in omni curiæ senatoriæ actu, sententia, certu, *Nov. 62.* At qui junxit consulatui patriciatum, præfertur antiquiori consuli nec patritio, cum duplici honore præditus sit. Inde quæritur si antiquior consul postea patritius fiat, quis præferatur? Uterque est consul et patritius, sed unus antiquior consul, alter antiquior patritius. Et recte censent antiquiorem consulem præferri, quod is consul fuerit priusquam alter vel consul vel patritius. *Honoratos ipsius trabeæ*) Ceteros consulares. Trabea stola est consulum *l. 1. inf. tit. ult.* *Pares vero infulis*) Non sunt pares dignitate si unus sit consularis tantum, alter consularis et patritius. *Repetiti*) Claudianus in Paneg. Manlii. *Meritis tantum redeunt, actusque priores commendat repetitus honor, virtusque relucet.*

II. *Impp. Valentinianus et Martianus aa. Sporatio Com. Domesticorum.* Ordinem consulatus ad antiquam reducimus sanctionem, ut sellam nostram honoris merito, non rapiendi studio populorum agmina sectentur, sc lucrandi cupidate deposita, venerabilem parentum habitum, et felicissima antiquitatis ornamenta conspiciant. Hoc ergo exemplo etiam ceteros procedere

consules volumus, nec expendere eos sine effectu patimur. Cessanto ergo ista spargendi vilitate, amplissimi consules procedentes deinceps abstineant hoc errore perdendi, optimoque consilio operi necessario proficiat, quod erat incompetenter projiciendum. Ad restaurationem itaque aquæductuum hujus amplissimæ urbis centena pondo auri præstentur per singulos consulatus: ut etiam consul patriæ se dedisse noverit, et data notum sit mansura esse perpetuo. *Dat.* * *Asporatio et Herculano Coss.*

De hac lege ita scribit Marcellinus Comes in Chronicis: *Martianus A. suis statuit decretis, ut ii qui Coss. fieri cupiebant, nihil æris in populum spargerent, sed statutam pecuniam ad reparandum urbis aquæductum dependerent.* De eadem Justinianus in Nov. 105. qua eam corrigit, et Leonis rursus *Nov.* xciv. illam Justiniani. Est enim legendum hoc loco, - *reducimus, nostri honoris sectarentur, conspicerent.* Ornamenta consularia hæc sunt, trabea sive palmata, scipio, calcei aurati, sella curulis, fasces. Cassiodorus in formula Consulatus. Vopiscus item in Aureliano: *Te consulem hodie designo scripturus ad senatum, ut tibi deputet scipionem.* (*Centena pondo*) Tot etiam pondo ab honorario exiguntur, l. 3. non iterum consule, l. 4.

III. *Imp. Zeno a.* * Nemini ad sublimem patritiatus honorem, qui ceteris omnibus anteponitur, ascendere liceat: nisi prius aut consulatus honore potiatur, aut præfecturæ prætorio vel Illyrici, vel urbis administrationem, aut magistri militum aut magistri officiorum, in actu videlicet positus, gessisse noscatur: ut hujusmodi tantum personis, sive adhuc administrationem gerendo, seu postea, liceat (quando hoc nostræ sederit majestati) patritiam consequi dignitatem. Quoniam vero gloriosissimæ huic urbi, quæ caput orbis terrarum est, omnifariam credimus consulendum: universos, qui posthac honorarii consulatus insignibus principali munificentia decorantur, centum libras auri ad reficiendum aquæductum publicum ministrare censemus, ad similitudinem eorum: qui per annale tempus consularium editione munerum gloriantur: nam ipsis quoque expedit, ut florentissima civitas centum auri librarum munificentia substentata, honorarium quoque sentiat consulatum.

Et huic quoque Justinianus derogavit περὶ συγκλητικῶν ἀξιουμένων constituens, ut Julianus refert, licere illustribus viris patriciatus codicillos accipere, quamvis neque consulares neque præfecti facti essent: quod Accursius notavit rectissime. (*Qui ceteris omnibus anteponitur*) In senatu præfectus urbi præsidet, ut diximus *sup. l. 1. de dignit.* Ceterum patricii dignitas amplior est: videtur etiam præfectus prætorio ceteris omnibus esse potior, l. 1. *sup. de off. vic.* id est, vicariis aut proconsulibus, non tamen consulibus aut patriciis, Cassiodorus in formula patriciatus: *Præfectoria et aliarum dignitatum vesta præcedit, aut tantum eadem fulgori, quem interdum a nobis constat assumi.* Zosimus, qui hanc primum refert dignitatem excogitasse Constantinum magnum lib. 2. τῆς ἀξίας τετυχήκασι τοῦ πατρικίου πρώτου ταύτην ἐπινοήσαντος τὴν τιμὴν, καὶ προκαθῆσθαι τοὺς ταύτης ἠξιωμένους τῆς αὐλῆς ὑπάρχων νομοθετήσαντος. (*Præfecturæ prætorio*) Orientis scilicet. (*In actu videlicet positus*) ἔμπρακτος non honorarius.

IV. *Idem a. Sebastiano pp.* Sancimus viris excellentissimis consularibus omnibus, qui jam facti sunt, vel postea fuerint, procedendi quoque, et re ipsa per annum gerendi consulatus, impetrato videlicet principali judicio, legitimam tribui facultatem. Ita ut peracta, quam meruerunt, processione, non novum aliquid vel quod nondum habeant, adipisci: sed consulatus jus, quod semel eis consularis detulerit processio, iterasse beneficio videantur: et in adoranda nostra purpura, vel in consequendis cunctis consulum honoribus, et privilegiis ex anteriore tempore provectionis ordinem sibimet noverint vindicandum. Hoc etiam observando, ut hujusmodi consul nec centum libras auri aquæductibus hujus inclytæ civitatis pro tenore sacræ constitutionis præbendas, quas cum esset consularis præstiterat, consul postea creatus persolvere denuo compellatur.

Consulares vocat non eos qui consulatum gesserunt, sed honorarios consules, ut *l. ult. sup. de decur.* His etiam designatis a principe re ipsa consulatum gerere licet: qua ex re honore non augentur, *l. 1. sup.* nec inter pares ex posterioris, sed ex prioris honoris tempore prærogativam in senatu vel in aula sibi vindicant: præferri tamen ordinarios honorariis etiam antiquioribus certum est, *Nov.* 62. *argum. l. 4. inf. de prior. ag. in reb. l. 2. in fin. inf. de primic. et not.* Capitolinus in Pertinace: *S. C. Pertinax fecit, jussitque eos qui præturas non gessissent sed adjectione accepissent, post eos esse qui vere prætores fuissent.* (*Sed consulatus*) Corrige ex veteribus, *Sed consulatus jus quod eis consularitas detulerat, processione iterasse, etc.* quod mirifice rectum est. Consularitas est honorariorum. Processio ordinariorum exhibentium munera, *l. 3. C. ubi senat. vel clar.* ordinaria processio.

V. *Imp. Justinianus a. Joanni pp.* Sancimus viros excelsos patricios, quos in hujusmodi dignitatis apicem augusta majestas retulerit, illico ab imperialibus codicillis præstitis patresfamiliarum effici, ac potestate liberari paterna, ne videantur qui a nobis loco patris honorantur, alieno juri esse subjecti: quis enim patiatur patrem posse quidem per emancipationis modum suis nexibus filium relaxare: Imperatoriam autem celsitudinem non valere eum, quam sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate? Ne si contrarium adprobetur, per quamcunque machinationem imperialis majestas minui videatur. Et hoc quidem raro contingere satis certum est: nemo enim facile respexit filiumfamilias in patriciatus honorem provectum, quemadmodum in consulibus hæc res usitata est: sed ne quid in parto temporis tale eveniat, et sine legibus inveniatur, ideo hæc nobis visa sunt sancienda.

Patriciatus dignitas solvit patriam potestatem. Cassiodorus in formula patriciatus: *Leges tantum illi reverentiam detulerunt, ut in sacris positus cum hoc fuerit honore præcinctus, paternæ potestatis nexibus exuatur.* Additur in *Nov.* LXXXI consulatus, consularitas, præfectura prætoriana, præfectura urbicaria in actu constituta, et magisterium militum. His dignitatibus filiifamilias patresfamil. fiunt sine capitis diminutione. Recte autem in hac lege patricium Justinianus definit, quem sibi patrem facit Imperator. Unde eleganter Claudianus ad Eutropium patricium post damnationem et publicationem bonorum:

Direptas quid plangis opes, quas natus habebit?
Non aliter poteras principis esse pater.

Extat publicationis Eutropii, et adempti patriciatus Constitutio in *Cod. Th. tit. de pœnis.* Fuit et generalis lex quædam Theodosii auctore Suda, σύνοιχον ἐν τοῖς πατρικίοις μὴ τελεῖν. (*Retulerit*) Veteres, *extulerit*, rectissime. (*Elegit*) Vel, *fecit*. Sic in Institutionibus Theophilus, ὃν ἑαυτῷ πατέρα πεποίηκε.

TIT. IV. *De præfectis prætorio, sive urbis, et magistris militum in dignitatibus exæquandis.*

I. *Imppp. Valentin. Valens. et Grat. a. aaa. ad Ampelium pp.* Præfectum urbi, et præfectum prætorio, et magistros equitum, ac peditum, indiscretæ ducimus dignitatis: usque adeo videlicet, ut cum ad privatam secesserint vitam, eum locum velimus esse potiorem, qui alios promotionis tempore et codicillorum adeptione præcesserit. *Dat. III. Non. Iul. Nasonaci. Accep. III. Non. Sept. Modesto et Arintheo Coss.*

Præfectum urbi nominat priorem, quoniam præsidet in senatu, ut diximus supra, *l. 1. de dignit.* Adsidet præf. prætorio, et post præfectum præt. magister militum. Ceterum in tres sunt dignitate pares, non deposita administratione inter se nisi prærogativam temporis habent. (*Locum*) Corrige, *loco*.

II. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Restituto p. v.* Quisquis magisterium equitum peditumque susceperit, et gesserit ante captam a quoquam præfecturam: is cum privatus erit, et honorem deposuerit, expræfectis, qui provecti fuerint, præferatur. Sit igitur sedes prior ante provectis, locus conspectior, decernendi loquendique facultas antiquior, cui est splendor adepti magistratus vetustior. *Dat. VIII. Kal. Jul. Thessal. Gratiano. V. et Theodos. aa. Coss.*

Idem in hac ostenditur quod in superiori. Expræfecto in consessu et in sententiis dicendis exmagistrum præferri, qui ante illum functus est ministerio equitum et peditum. (*Expræfectis*) legendum, *Expræfectis qui post provecti fuerint.* Expræfectis esse dicuntur qui præfe-

clura abierunt, sicut exvicariis, expræsidibus, exprimiceriis, excoosulibus, exoubiculariis, exprimipilaribus, exprosimis, exscolaribus apud Nicephorum. Auctores de limitibus agrorum, aqualidus ager quasi excolidos, quod jam a cultura exierit, sicut excoosul quod a consulatu discesserit. Eædem appellationes honorariis aptantur.

TIT. V. *De præpositis sacri cubiculi et de omnibus cubiculariis et privilegiis eorum.*

Duplex est sacrum cubiculum, Augusti et Augustæ. Duo præpositi viri illustres, *l. ult. inf.* qui jurisdictionem habent inter privatos et colonos vel inquilinos vel servos domorum sacrarum, *l. ult. sup. ubi caus. fisc.* id est, homines tamiacos. Hi homines prædiaque tamiaca erant in Cappadocia sub viro spectabili Comite domorum, ut recte scripsit Juliani antiquus interpres in *Nov.* 30 atque etiam Græci ad *l. 5. C. ad leg. Jul. rep.* his verbis: φροντιστὴς θείων κτήματα καὶ ὑπὸ τὸν κόμιτα τῶν οἴκων· ἦν δὲ οὗτος ἐν Καππαδοκία ὑποκείμενος τῷ κόμητι τῶν πριβάτων, et confirmat *l. 3. inf. de palat. sacr. larg.* quæ deputata erant cubiculo et cellario sacro; ideoque præpositi sacri cubiculi interdum mittebant in Cappadociam canonicarios. Et inter cubicularios recensetur recte Comes domorum in *l. 2. inf. hoc. tit.* Est et Comes sacræ vestis, *l. 1. C. Th. qui a præb. tyr.* Sunt qui sacræ vesti deputati sunt, *l. 3. inf. de castrens.* Sunt et primicerii sacri cubiculi, id est, qui primum locum gradumque obtinent inter cubicularios, *d. l. 1.* qui a Svetonio in Domitiano appellantur decuriones cubiculariorum. Est et castrensis sacri palatii vir spectabilis, *d. l. 1. d. l. 2.* sub quod erant pædagogia et ministeriales dominici et curæ palatiorum, de quibus dicturi sumus in *tit. de castrens. et minist.* Sunt et chartularii et plerique alii cubicularii et cubiculariæ adsistentes curæ larium cubiculi. De horum privilegiis et dignitatibus hoc titulo tractatur.

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Florentio p. v.* Sacri cubiculi præpositi ea dignitate fruogantur, qua sunt præditi qui eminentissimam prætorianam vel urbanam meruerint præfecturam, aut certe militarem magisteriam potestatem: ita ut sit inter eos post depositas administrationes nulla discretio, sive nostræ serenitatis adoraturi admittantur imperium, sive pro suo arbitrio solemnes festivitates et cœtus, vel salutationes, vel quælibet alia officia frequentent: ut in sedibus et in consessu is eis ordo servetur, quem ordo provectionis ostenderit, sub habitu videlicet ipsis consueto: cum manifeste decretum sit eum esse potiorem qui præcesserit, vel illum subsequi, quem recentius probaverit examen. *Dat. VIII. Id. Nov. cp. Honorio XIII. et Theodosio. X aa. Coss.*

Superiori titulo exæquati sunt in dignitatibus præfecti prætorio, præfecti urbi, magistri militum, qui et ipsi præfecti sunt. *Nov.* 38. et 69. His hac lege compar adjungitur præpositus sacri cubiculi. Inde interpres Juliani recte, Præf. prætorio præf. urbis et magister militum præsentium, et præpositus sacri cubiculi similem habent dignitatem. Itaque secundum ordinem promotionis inter eos prælatio est. Ante hanc constitutionem antiquior præpositus novo præfecto loco cedebat.
Alia officia) Veluti funebria aut nuptialia. Suet. in Calig. *Cum ad officium venisset.* *Sub habitu*) Ordo dignitatis servatur iis tantum qui solemni habito utuntur.

II. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Proculo pp.* Hac nostræ mansuetudinis æterna lege sancimus, ut omnes cubicularii, qui de nostro cubiculo exeunt, antequam primum locum obtineant (excepto castrensi et comite domorum) his privilegiis perfruantur, id est, ut neque possessiones eorum angarias, sive parangarias, vel etiam paraveredos posterum dispositionem etiam tui culminis vel alicujus calumnia dare congantur: ne sordidis adstricti muneribus, decus ministerii, quod militando videbantur adepti, otii tempore et quieti amittant: domus quoque eorum, vel in hac sacratissima urbe, vel in qualibet alia positas civitate, ab omni hospitum cujuslibet dignitatis inquietudine vindicamus: provinciarum rectoribus, eorumque apparitoribus denarum librarum auri dispendio feriendis, si mansuetudinis nostræ statuta dissimulare, et ex aliqua parte violare tentaverint.

Antequam primum) Antequam sint primicerii.
Excepto) Excubicularis favento immunitatem dari certorum munerum, *l. Maximarum. sup. de exc. num.* Excastrensi vel excomiti domorum non item. Itaque hunc locum ita prorsus accipio, ut excepto castrensi et comite domorum, ceteris cubiculariis hæc quæ sequuntur, privilegia competant. *Id est ut nec possessiones eorum angarias*) Hæc onera indicuntur possessionibus. At *l. ult. §. 1. D. de mun. et hon.* personalia vocat, quod de cura angariarum a possessoribus exigendarum, et eis quibus earum copia data est præbendarum, accipiendum est. Sordida munera dicuntur hoc loco. Et primum quidem quod excubicularis datur privilegium, hoc est, ut ne hæc onera, puta angarias, parangarias vel paraveredos præstent. Secundum, ut ne præstent metatum sive hospitis suscipiendi munus: de quo dicemus in tit. de metatis. Hoc ædibus indicitur, illa fundis.

III. *Impp. Leo, et Anthemius aa. Ioanni Comiti et Magistro officiorum.* Cubicularios tam sacri cubiculi mei, quam venerabilis Augustæ, quos utrosque certum est obsequiis occupatos, et aulæ penetralibus inhærentes, diversa judicia obire non posse: ab observatione aliorum tribunalium liberamus, ut in sublimitatis solummodo tuæ judicio propositas adversus se excipiant actiones.

Et inscriptionis similitudo, et eorum qui sacræ vesti deputati sunt cum cubiculariis adfinitas exigit, ut huic legi conjungatur *l. 3. inf. de. castrens. et mini.* Eundem ii omnes judicem habent magistrum officiorum, quem ἡγούμενον τῶν βασιλείων Theodoritus vocat lib. 5 cap. 20. et ἡγεμόνα τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων Zosimus 2. Idem judex est silentiariorum et ministerialium omnium *l. 4. inf. de silent. l. ult. inf. de castr. et minist.* et decanorum, *l. 2. inf. de decanis*, et eorum qui militant in sacris scriniis, *l. In sacris scriniis. inf. de prox. sacr. scri.* et agentium in rebus post ducenæ vel centenæ gradum, *l. Ex eo. inf. de agen. in reb.* et scholarium, *l. ult. inf. de privil. schol.* denique totius palatii disciplina ad eum spectat. Quia vero fabricarum et limitum cura ad eum spectat, judex etiam est fabricensium, *l. pen. sup. de fabric.* et limitaneorum, et castris præpositorum, *l. Viros. inf. de div. offic.* Huic similem esse eum arbitror, qui in Gallia dicitur, *Prevost de l'hostel.* *Utrosque*) Quidam Cod. *utriusque.*

IV. *Imp. Leo a. Puseo pp.* Jubemus omnes, qui vel jam in sacrum cubiculum cujuspiam liberalitate donati, aliove titulo dati vel dandi principalibus obsequiis inhærere vel ante meruerant, vel postea meruerint (licet nulla interveniente scriptura, nulla confectione gestorum) postquam devotissimis cubiculariis fuerint sociati, ad condicionem libertatis ingenuitatisque rapiantur, raptique videantur: hoc non solum circa superstites, sed etiam circa mortuos volumus custodiri. Nam cum hoc privilegium videatur principalia esse proprium majestatis, ut non famulorum, sicut privatæ condicionis homines, sed liberorum honestis utatur obsequiis: periniquum est eos duntaxat pati fortunæ deterioris incommoda. Sed testamenta quidem ad similitudinem aliorum, qui ingenuitatis infulis decorantur, pro sua liceat eis condere voluntate: intestatorum vero nemo dubitet facultates, utpote sine legitimis successoribus defunctorum, fisci viribus vindicari. Et hæc omnia tunc diligenti observatione volumus custodiri, cum sponte suaque voluntate quis dederit eunuchum sacri cubiculi ministeriis adhæsurum. Si vero quidem fuerit violenter extortus, aut invito domino vel ignaro intra sacrum ausus sit militare cubiculum: liceat domino destinatum sacra ex lege cubiculariis interpellare judicium, et eum quem probaverit nolente se, vel inscio, sacrum penetrasse cubiculum, ut suum famulum cum peculio consequatur. Sed et sicut læsis implorandi præsidii facultatem denegarii non convenit: ita nec calumniandi viam patimur diutius esse patefactam. Ideoque tempus quinquennii præfinimus, intra quod contra eum suas debeant exercere quæstiones: ut si medio tempore movere distulerint, ulterius eis tanquam in suum famulatum vindicandi, vel ejus et servi peculium, vel bona quasi liberti copia denegetur. Hæc omnia quæ super devotissimis cubiculariis sancimus, etiam ad cubicularias, quæ a dominis in sacrum cubiculum datæ vel dandæ sunt, superstites atque mortuas extendi propagarique decernimus.

Ut servus a domino oblatus cubiculo principis statim liber et ingenuus fiat. Hanc legem intellexit interpres Juliani dum ita scripsit in *Novella* 30. Constitutio posita est Leonis, ut mox oblatus fuerit aliquis eunuchus principi, in ipsa oblatione fiat liber. Quod si ingenuus fit,

nullum jus patronatus habet dominus qui eum obtulit, ideoque intestato Fiscus succedit, quia nec cognationem ullam, nec patronum habet. Testamentum quoque facit libere præterito domino, qui eum cubiculo principis addixit. Quod si invito aut inscio domino obrepserit in cubiculum principis, ejus vindicatio quinquennii præscriptione tollitur. Aliam dignitatem vel militiam armatam adepto servo, vindicanti domino non obstat nisi longa præscriptio, ut diximus in *l. pen. inf. qui milit. pos.* Clerici autem vindicationi obstat anni præscriptio, Monachi triennii ex *Nov.* 123. quod Leo abrogat in *Nov.* 9. et 10. *Donati aliove titulo dati*) Diversa hæc sunt, donata, data, concessa, ut in lege Agraria, et in *l. Lucius. D. de leg.* 2. *Eos duntaxat*) Mortuos scilicet. *Eunuchum*) Castratis cubicularii principes utebantur, quos etiam eunuchos dici plerique putant a cubiculo custodiendo, quod ἔχειν significet etiam custodire. Leo *Nov. de eunuchis* 98. καὶ τῆς εὐνῆς ἀνυπόπτους φύλακας εἶναι· τοῦτο γὰρ εἰκάζειν ἐγγυᾶται. qua de re rescripsimus in *l. 6. D. de lib. et post.* Ambrosius v. Epist. *Gallicanus præpositus cubiculi eunuchus regius.* Socrates VI. Εὐτρόπιος γὰρ εὐνοῦχος πρόεστως τοῦ βασιλικοῦ κοιτῶνος, καὶ τὴν τοῦ ὑπάτου ἀξίαν πρῶτος εὐνούχων λαβών. Evagrius lib. IV. οἱ τοῖς βασιλικοῖς ἐξυπηρετούμενοι κοιτῶσι, οὓς εὐνούχους ἡ συνήθεια καλεῖ. Claudianus v. in Eutropium:

Præfecti sed adhuc gemmis vestique dabantur
Custodes Sacroque a limine silentia somno.
Militia eunuchi nunquam progressa cubile
Non vita spondente fidem, sed inertia tantum
Mentis pignus erat, secreta monilia servent,
Ornatus curent Tyrios.

Judicium) Magistri officiorum, l. *prox sup.* *Movere*) Movere, id est, agere ut in *l. 3. sup de præscript. 30 nulli movendi ulterius facultatem patere*, et in *l. 3. sup. de quad. præscript.* *Omnis motus*) id est, omnis actio, πᾶσα κίνησις. Græcæ locutiones sunt.

V. *Imp. Anastasius a. Eusebio Magistro officiorum.* Jubemus duobus viris illustribus præpositis utriusque sacri cubiculi tam nostræ pietatis, quam serenissimæ nostræ conjugis, qui post finitam militiam senatorio fuerint consortio sociati, licere quoties ad adspiciendos agros suos, vel ob aliam causam proficisci voluerint, cingulo uti: cum hoc ad implendum eorum desiderium, et ad nullius læsionem respicere videatur.

Hæc lex ostendit præpositos sacri cubiculi deposita administratione in senatorium ordinem conscribi, ut *l. 3. sup. ubi senat. vel clariss.* eisque extra orbem proficiscentibus cingulo militari uti licere, id est, ζωνηφορεῖν.

TIT. VI. *De quæstoribus, magistris officiorum, et comitibus sacrarum largitionum, et rei privatæ.*

I. *Imppp. Gratianus, Valentinianus, et Theodosius aaa. Restituto p. v.* Qui ex quæsturæ honore, aut officiali magisterio, aut comitiva utriusque ærarii nostri attonito splendore viguerunt: acclamatione excipiantur solita, nec prætereantur ut incogniti. *Dat. VIII. Kal. Iul. Thessalonicæ Gratiano V. et Theodosio I. aa. Coss.*

Perperam in hac lege contra fidem veterum complurium scriptum est, *officiali*, cum sit scribendum *efficaci*, ad differentiam exquæsturæ honorariæ, quam publica ab officiis et præconibus acclamatione et salutatione excipi oportet, perinde atque ex magisterium efficax, id est, reipsa administratum et excomitivam sacrarum privatarumque largitionum. Ceterum has dignitates non fuisse pares arg. est *l. 2. infra, ut dig. or. ser.* *Utriusque ærarii*) Jam ostendimus in *l. 9. sup. de jur. fisc.* duplex esse ærarium sacrarum largitionum sive remunerationum, rerum privatarum quæ a propriis Comitibus gubernantur. Habent et proprios rationales, *l. ult. sup. de adv. fisc. l. 1. sup. de annon. et cap.* Palatinam officium utriusque ærarii, *Nov. Valent. de 30 ann. præscr.*

TIT. VII. *De primicerio et secundicerio, et notariis.*

In schola tribunorum et notariorum primum locum tenet vir spectabilis primicerius, id est primus sive protonotarius a Socrate 7. cap. 23. πρωτοτάτης τῶν βασιλικῶν ὑπογραφέων. Gallice *le Doyen.* Certus productio est verbi: qua forma Augustinus D. Stephanum primicerium martyrum vocat in sermone XXI. et Baldricus Dolensium Archiepiscopus in historia Hierusalem, D. Petrum primicerium Apostolorum. Et sunt etiam aliorum officiorum primicerii, veluti cubiculariorum, mensorum lampadariorum, decanorum, fabricensium, scriniorum utriusque ærarii, palatinorum, advocatorum, domesticorum, et protectorum, et generaliter quælibet corpora, scholæ. collegia suum primicerium habent, et consequenter secundocerium, tertiocerium, quartocerium: et qui est, verbi gratia, hoc anno tertiocerius, sequenti est secundocerius, tertio, primicerius, *l. ult. inf. de dom. et prot.* Primicerius autem fere biennalis est. Post biennium solutus militia, hic quidem notariorum ordinis primus, quo de agimus, magistri officiorum titulo et codicillis donatur sine re, *l. 2. inf. hoc tit.* Ex reliquis, qui in consistorio notariorum funguntur officio, alii sunt tribuni prætoriani et notarii, *Nov.* 13. et *l. Restituendæ. sup. de adv. div. jud.* alii tribuni residui ordinis et notarii: alii domestici et notarii, *l. 2. et 3. Cod. Th. eod. tit.* sunt et cubicularii chartularii, *Nov.* 8. 24. 26 27. Juliani interpres cubicularium interpretatur chartularium. Marcellinus Comes Narsen chartularium et cubicularium, qui amittat σύμβολα, id est, commonitoria. Hi omnes vulgo secretarii dicuntur, notarii secretorum a Fl. Vopisco. A secretis *l. 5. qui mil. pos.* Procopius 2. de bel. pers. τὸν τῶν ἀπορρήτων γραμματέα, ἀσηκρῆτις καλοῦσι. Marcellinus Comes in Chronicis: *Misso ad se pro pepigendo fœdere Armonio a secretis.* Ab Anna in Alexiade III. σεκρετικοὶ παρὰ τοῦ προεστῶτος τῶν σεκρέτων ἀναφέρονται, ἢ τῶν ὑπ' αὐτὸν σεκρετικῶν. Sunt eorum in Gallia genera quatuor. De secundicerio notariorum est *l. 21. C. Th. de petit.* de quo sub hoc titulo nihil. Itaque mallem titulum ita concipi, ut in C. Th., *De primicerio et notariis.*

I. *Imppp. Gratianus. Valentinianus, et Theodosius aaa. Eutropio pp.* Præcipua est nostræ pietatis intentio circa notariorum nomen: atque ideo si unquam hujus ordinis viri laborem quiete mutaverint, vel senectute posuerint, seu cum alia dignitate post hanc qualibet usi sint: non omittant prioris vocabulum militiæ, sed compendium sequentis honoris assumant, et si quis ex officio vel præcipue sublimitatis tuæ temerario assensu in discussiones, peræquationes, aliam denique ullam rem inquietator extiterit: officium suum noverit, vel levis culpæ offensione detecta, gravis multæ discrimine fatigandum, et numerariorum corpus extincto injuriæ auctore minuendum. *Dat. XVII. Kal. Iul. Thessalonicæ, Gratiano V. et Theodosio I. a. Coss.*

Duo proponuntur in hac lege. Ut major dignitas exnotariis circa hujus militiæ privilegia non noceat: quod generaliter traditum est *l. 3. sup. de dignit.* Ut non injungantur eis census vel discussiones vel peræquationes: quod traditur etiam in l. 2. *Temerario assensu*) Corrige, *temerarius ad census, discussiones, etc.* ut in *l. 2.* *Minuendum*) Tabularii sive numerarii præsidum aut præfectorum plerumque census, discussiones, peræquationes injungunt, quas tamen si exnotariis injunxerint, gravi multa coercentur, et corpore numerariorum exiguntur. Huc valde pertinet l. *pen. inf. de pr. sor. qui in sac. pal.*

II. *Imp. Zeno a.* * *Magistro officiorum.* Preclaram nobilemque militiam spectabilium tribunorum notariorum, qui gloriosis obsequiis nonnihil reipublicæ commoditatis adferunt et decoris, diversis beneficiorum titulis muniendam credimus et augendam: nam biennales metas viro spectabili pro tempore primicerio agendis numeris duximus statuendas; hos autem tribunos, qui suis negotiis occupati minime sacrum palatium curaverint frequentandum, nisi intra annale spatium revertantur (quamvis commeatus jura prætendunt) pro absentia quidem unius anni, unius gradus: si vero duobus annis abfuerint, duorum: si tribus, trium: si quatuor, similiter quatuor graduum subire jacturam; his qui inferiores ei fuerint, postponendi. Qui vero per quinquennium integrum se præsentare cessaverint: exemptos matricula tantum nomine tribunorum, nec vero ordine perpotiri: his in hunc modum dispositis, vacationem census, discussionis, peræquationis, et cujuslibet alterius rei habituros. Illud præcipue provisionem nostram flagitare perspeximus, ne per ambitionem, vel gratiam aut cujuslibet occasionis obtentu, vel laborum seu sollicitudinum specie, publicorum cuiquam liceat aliquando graduum seriem conturbare, et temporum ratione calcata dudum militantibus anteferri, et quæ longis prolixisque stipendiis defensa jam pollicetur senectus, gratiosa festinatione subripere. Hoc etiam adjiciendo, ut primicerius post depositam publicam numerorum sollicitudinem, ac si ipsam gessisset administrationem, cujus consequitur dignitatem, magistri officiorum pro antiqua consuetudine infulas sor-

tiatur: omnibus vacantibus, quamvis tempore præcedentibus, præponendus.

Ut primicerius notariorum sit bienalis, quod et de primicerio fabricensium, et primicerio officii præfect. urbi constitutum est *l. 2. sup. de fabricens. l. ult. sup. de offic. præf. urb* et in alia, *l. 1. inf. de decan. l. 1. inf. de mensor. l. Alexandrinus. sup. de decurionib.* Frustra Accursius opposuit *l. 2. et pen. inf. de numer.* quæ nec de primicerio loquuntur, nec de notariis qui ad imperialia secreta pertinent, sed de numerariis præsidum vel magistri officiorum. Item ut tribuni notarii, etiamsi cum commeatu annum abfuerint, non gradu inferius demittantur: si biennium, duobus: si triennium, tribus: si quadriennium, quatuor: si quinquennium, tum ordine pellantur, retento, tamen vocabulo militiæ, et privilegio dato in *l. 1. sup.* Habeat etiam hoc privilegium x. primi tribuni et notarii post primicerium, ut sicut primicerii, ita et ipsorum domus a metatis excusentur, *l. pen. et ult. inf. de metatis*: et generaliter notarii ab omnibus sordidis muneribus excusantur, *l. Maximarum. sup. de excus. mun.* Aliud item primicerio datur hac lege, ut deposita administratione, illustrem magistri officiorum titulum consequatur, quo fretus ceteris vacantibus etiam antiquioribus non cedat. Cassiodorus in formula primicerii notariorum: *Additur etiam perfuncti laboris aliud munus, ut si quo modo ad illustratum vel vacantem meruerit pervenire, omnibus debeat anteponi, qui codicillaris illustribus probatur ornari.* *Agendis numeris*) Videtur primicerius tractasse numeros et matriculam scholarum: unde et paulo post, publicam ei eum numerorum sollicitudinem sustinere: et in Notitia Rom. Imperii, *Sub dispositione v. s. primicerii notariorum omnis dignitatum et administrationum notitia, tam militarium quam civilium.* Scholas etiam, et numeros tractat. In *Novel.* LXXXV. numeros Julianus interpretatur matriculas. *Postponendi*) Vet. *postponendos.* *Matricula*) Vulgare est nomen notumque omnibus. Notæ publicæ in *l. 5. inf. qui mil. pos.* Patriciatus in *l. 5. C. Th. de domest. et prot.* Carthag. concilii cap. 120. μὴ πραγματεύσῃ τῇ μάτρικι. Zonaras ita interpretatur, οὐ βλάβεται ἐκ τοῦ καταγραφῆναι ἐν τῇ ἀπογραφῇ τῶν διαφερόντων τῇ ἐκκλησίᾳ. *Defensa jam*) Vet. *Defensa sibi jam.* *Præponendos*) Cassiodorus in for. notariorum. Additur etiam perfuncti laboris aliud munus, ut si quo modo ad illustratum vel vacantem meruerit pervenire, omnibus debeat anteponi qui codicillaris illustribus probantur ornati.

TIT. VIII. *Ut dignitatum ordo servetur.*

I. *Imppp. Gratianus, Valentinianus, et Theodosius aaa. ad Prætextatum. p. v.* Si quis indebitum sibi locum usurpaverit, nulla se ignoratione defendat, sitque plane sacrilegii reus, qui divina præcepta neglexerit. *Dat. XII. Kal. Iun. Med. Ricomere et Clearcho vv. cc. Coss.*

Hic titulus non est de prærogativa temporis quæ servatur inter pares, sed de dignitatum diversarum ordine et gradibus, quos Imp. Valentinianus præscripsit edita Constitutione ad Ampelium præf. urbi, cujus partes sunt, *l. 1. sup. de præf. præt. sive ur. l. 1. C. Th. de quæstor. l. 1. Cod. Th. de mag. scr. l. 1. inf. de com. rei mil. l. 4. C. Th. de hon. cod.* Valentiniano hic ordo tribuitur in *l. 2. C. Th. eod. tit.* quod cave ne referas ad *l. 2. hujus tit.* quæ longe alterius est Valentiniani. Constituitur autem hac lege, ut qui hunc ordinem perturbaverit, reus sit sacrilegii, quasi violator sacrarum Constitutionum.

II. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Cyro pp.* Omnes privilegia dignitatum hoc ordine servanda cognoscant, ut primo loco habeantur ii, qui in actu positi illustres peregerint administrationes: secundo veniant vacantes qui præsentes in comitatu illustris dignitatis cingulum meruerint: tertium vero ordinem eorum prospicimus, quibus absentibus cingulum illustris mittitur dignitatis: quartum honorariorum, qui præsentes a nostro numine sine cingulo codicillos tantum honorariæ dignitatis adepti sunt: quintum eorum, quibus absentibus similiter sine cingulo mittuntur illustris insignia dignitatis. Sed administratores quidem, et Comites rei privatæ omnibus vacantibus honorariis anteponi censemus: vacantes autem post administratores venientes, non omnes omnibus jam honorariis credimus præponendos, sed eos vacantes illis honorariis, qui similes adepti sunt dignitatem ut præfectus prætorio, non quæstorius præfectorio præponatur, parique modo quæstorius, quæstorio non vacans Comes thesaurorum, vel Comes rei privatæ honorario quæstorio vel magistro officiorum præferatur. Inter administratores illos etiam numerari decernimus, quibus illustribus in sacro nostro consistorio cunctis aliquid ordinariæ dignitatis, vel ante commissimus, vel postea committemus peragendum; verbi gratia, si vacanti magistro militum belli cura committatur: cur autem aut vir magnificus Germanus magister militum vacans appelletur, cui bellum contra hostes mandavimus? aut cur excellentissimus Pentadius non egisse dicatur præfecturam, cujus illustribus cunctis dispositionibus vice prætorianæ præfecturæ miles in expeditione copiis et commeatu abundavit?

Hæc Constitutio est de honoratis, et quis præferatur in gradu: quinque facit virorum illustrium gradus. Primus est eorum qui vere illustrem dignitatem gesserunt. Secundus est vacantium præsentium in comitatu principis. Tertius vacantium absentium. Quartus honorariorum præsentium. Quintus honorariorum absentium. Differentiam facit inter vacantes et honorarios, sicut et *l. 9. inf. de metatis*, inter eos quibus illustratus sub cingulo, et quibus citra cingulum delatus est: et in integra *Nov. Theod. de metatis*, quam habemus, *Licet*, inquit, *vacantis militiæ cingulo utantur, vel honorariæ prærogativæ potiantur insignibus: et paulo post: Illustrem dignitatem inter vacantes vel honorarios consecutus.* Vacantes ζωστοὶ sunt, Honorarii, ἄζωστοι. Cum cingulo defertur plerumque iis quibus merito seu gestæ administrationis defertur, ut primicerius notariorum peracta administratione fit magister officiorum vacans, primicerius domesticorum tribunus vacans: et ita apud Vegetium vicarios, comites, tribunos vacantes accipere oportet, et in *C. Th. tit. de Comitibus vacantibus* et apud Ammian. sæpe lib. 16. 18. 31. Iidem adscriptitii dicuntur Trebellius in Balista: *Gaudens quod ejus consilio nullum adscriptitium, id est vacantem haberet.* Lampridius in Alexandro: *Ne quem adscriptum, id est, vacantium haberet.* Ubi vulgo male *vagantium*. Dicuntur et allecti. Et inter agentes in prima et secunda Constitutione de faciendo et confirmando Codice, et in *l. ult. C. Th. de hon. cod.* in qua ita est, *Ne quis sibi expetat, sive imaginarios, sive inter agentes codicillos acceperit, ut ei qui egerit ratione temporis præferatur.* Et in *l. 5. inf. de metatis*, ubi pro *Iter agens*. legendum *Inter agens*, vel *Inter agentes*. Et in *l. 1. inf. de silent.* Ab his honorarii sive imaginarii, ut dixi, sunt longe diversi. Hi nullum cingulum gestant, nullo merito aut gestæ administrationis hunc honorem consequuntur, sed solo codicillorum principalium beneficio, *l. 3. sup. ubi senat. vel cla. l. 1. C. Th. qui a præb. tyr.* ubi quod sit, *vel qui*, honorariorum est definitio, *Nov. 70.* cujus generis etiam pontifices et augures et quindecim viros sacris faciendis Severum fecisse memoriæ proditum est. Præterea vacantibus datas annonas Lampridius significat, quas nullas honorarios constat habuisse. Itaque vacantes honorariis optimo jure præferuntur. Non tamen omnibus. His namque qui simili dignitate ornati sunt, procul dubio præferuntur, veluti præfectorius vacans præfectorio honorario, quæstorius vacans quæstorio honorario. His autem qui ampliori dignitate præditi sunt non præferuntur veluti quæstorius vacans non præfertur præfectorio honorario. Comes vacans non præfertur quæstorio vel exmagistro honorario: denique vacantes omnibus honorariis non præferuntur. At administratores omnibus vacantibus, omnibus honorariis præferuntur. Et illustribus administratoribus adnumerantur vacantes, qui non sunt otiosi, sed ordinariam dignitatem aliquam gerunt, veluti Germanus magister militum vacans contra Vandalos dux magna classe missus a Theodosio, jam non pro vacante illustri, sed pro administratore habetur. Ducatus ipse est ordinarius, .i. clarissimos vel perfectissimus. *Prospicimus*) Vet. *perficimus.* *Etiam Comites*, Qui illustrium virorum supremi sunt. Comes ergo qui vere privatum ærarium administravit, præfertur præfectorio vacanti vel honorario. *Omnibus*) Scribendum, *omnibus vacantibus, omnibus honorariis.* *Vel magistro*) Quidam Cod. *exmagistro.* *Cunctis*) Corrige *Cinctis*, Vacantes cincti sunt, Honorarii non item. Sic et in B. *Cujus illustribus cincti dispositionibus*: οὕτως σύνταξον *cujus cincti illustribus dispositionibus.* *Germanus*) Hunc auctore Paulo et Prospero Theodosius ducem contra Vandalos fecit, cum ut hoc loco ostenditur, esset magister militum vacans. Pentadium autem qui erat præfectorius vacans, curatorem copiarum fecit, quæ auctoritate præfecti prætorio solebant ordinari, *l. 4. inf. de erog. mil. an.* De hoc genere curationis agitur in *l. Ob negotium. D. de compens.* Est autem legendum in fine hujus legis, *Copia commentum abundabit.* fuerat eamque ii duo recens designati ad expeditionem Vandalicam.

TIT. IX. *De magistris scriniorum.*

I. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Zoilo pp. Orientis.* Viris spectabilibus magistris omnium sacrorum scriniorum nostræ benevolentiæ liberalitas tribuenda est, qui nostræ quodammodo adsidere majestati videntur: ideoque post depositum etiam officium ab omni indictionis onere, seu civilium, seu militarium judicum, prorsus immunes esse præcipimus: ut nec ab amplissima quidem sed tui culminis eis ulla molestia super suscipiendo quolibet gravamine penitus

iniungatur. Hoc beneficum ad proximos etiam sacrorum scriniorum, et exproximis volumus propagari: quinquaginta librarum auri officio tui culminis condemnatione multando, si quid adversas statuta clementiæ nostræ innovari concesserit. *Dat. V. Kalen. Mar. Theodos. a. XVIII. et Albino Coss.*

Ex magistris scriniorum qui et ἀντιγραφεῖς et principes scriniorum dicuntur a Lampridio in Alexandro, alii sunt magistri memoriæ, qui adnotationes omnes dictant et emittunt, et precibus respondent, *l. ult. sup. de div. rescr. Nov. Valent. de homicid.* inde Trebellius Pollio in Claudio. *Hanc epistolam ipse Claudius dictasse perhibetur: ego verba magistri memoriæ non requiro.* Alii sunt magistri epistolarum, qui legationes civitatum, consultationes et preces tractant, a Dione τὰς ἐπιστολὰς διαγαγόντες dicuntur sicuti magistri libellorum, libellos agentes, in *l. Rescriptum. D. de distr. pig.* qui cognitiones et preces tractant. Lampridius in Alexandro: *Post meridianas horas subscriptioni et lectioni epistolarum semper dedit operam, ita ut ab epistolis et libellis et a memoria semper adsisterent; nonnunquam etiam si stare per valetudinem non possent, sederent, relegentibus cuncta librariis et iis qui scrinium gerebant;* ex quo loco notandum est ex scriniariis fuisse quosdam qui scrinium gerebant: unde Suidas: σκρινιάριος ὁ αἴρων τὸ σκρίνιον ἤτοι βιβλίον. Sunt vero ii scriniorum magistri spectabiles, honore comitum ornati, adsessores quodammodo principis, immunes etiam deposita administratione ab omnibus civilibus muneribus, *l. Eos. sup. de exc. mun.* Eadem immunitas et post depositum officium proximis sacrorum scriniorum dator viris spectabilibus, honore vicariorum ornatis, de quibus suo titulo dicemus inferius. Illud sciendum est, a magistris scriniorum separandos esse referendarios qui et ipsi spectabiles sunt, licet videantur in Gallia magistri requestarum utrumque munus esse complexi. Referendarii sunt qui supplicum desideria principi referunt et exponunt, jussiones principis judicibus insinuant, *Nov.* 10 113. 124. ac nonnunquam, ut Sigebertus scribit in Chronico, publicas conscriptiones annulo seu sigillo regis confirmant. Iidem non sunt apud Cassiodorum iii Variarum, referendi curiæ, ut ejusdem Cassiodori formola de referendis in Senatu docet. Iidem in Notitia Romani Imperii sæpe inter officia non numerantur. Regerendarii numerantur, qui sunt a regestis sive libellis: corrupte apud Cassiodorum lib. xi. *regendarii.* Sed de his satis.

TIT. X. *De Comitibus consistorianis.*

I. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Severino p. v.* Eos qui tranquillitatis nostræ consistorii dici Comites meruerunt, spectabilibus proconsulibus æquari generaliter decernimus. *Dat. VII. Kal. Oct. cp. Theodoro v. c. Cos.*

Consistorium intimum principis, quod Suidas θεῖον συνέδριον vocat, est in quo legatos et quoscunque se adeuntes admittit et audit, et de causis cognoscit, inquirentibus in negotium et dispicientibus consistorianis, ut Ammian. Marcellinus xi. ait, sive comitibus consistorii viris spectabilibus, quorum multa sunt privilegia, a sordidis et extraordinariis muneribus, a præbitione equorum et tyronum excusantur, *l. Maximarum. sup. de exc. mun. l. 1. Cod. Th. qui a præb. eq.* sine fidejussione conducunt fundos rei privatæ, *l. 1. C. Th. qui cond. rei pri.* et ex hac constitutione proconsularibus exæquantur. De eis fit mentio multis locis. Ambrosius v. Epist. xxxiii. *Convenerunt me Comites consistoriani ut basilicam traderem*, et alio loco: *ubi sedit in consistorio, ingressus sum; assurrexit ut osculum daret: ego inter consistorianos steti.* Ex hoc loco apparet non adsedisse consistorianos, sed stetisse.

II. *Imperat. Anastasius a. Eusebio Magistro officiorum.* Viros spectabiles comites consistorianos, et conjuges, et liberos, quin etiam servos eorum, atque colonos iisdem privilegiis, tam intentiones ab aliis proponendas excipiendo, quam suas contra alios exercendo perfrui, quibus viri clarissimi principes scholarum agentium in rebus per sacram pragmaticam sanctionem divæ memoriæ Zenonis utuntur.

Additur aliud privilegium hac Constitutione, ut in excipiendis dictandisque actionibus tam ipsi quam conjuges et liberi et servi et coloni eorum eis privilegiis utantur, quæ sunt concessa viris clarissimis principibus magistrianorum per *l. ult. inf. de pri. ag. in reb.* Quod sit de servis eorum, referri ad causas criminales potest, et interdum ad civiles, ut si de momento quæratur, *et l. 1. sup. si per vim vel alio modo.*

TIT. XI. *De Comitibus et tribunis scholarum.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Prisciano p. v.* Præpositos ac tribunos scholarum, qui inquietudinis epulis adhibentur, et adorandi principis facultatem antiquitus meruerunt (inter quos Comites etiam sacri stabuli, et cura palatii numerantur) si primi ordinis comitivam cum præpositura meruerunt, et casu ad altiora non pervenerint: deposito sacramento inter eos, qui Comites Ægypti, vel Ponticæ diœceseos fuerint, quorum per dignitas est, haberi præcipimus: alios qui honore comitivæ regimen fuerint nacti, absolutos militia, inter eos, qui duces fuerint provinciarum, numerari jubemus. *Dat. VII. Kal. Apr. cp. Lucio v. c. Cas.*

Vulgo male legitur hoc loco, *Qui inquietudinis epulis*, legendum, *Qui et divinis epulis:* ut ambrosiis dapibus. Martialis de epulis Domitiani. Scholæ agentium in rebus habent præpositos et tribunos, ad quos scholarum gubernatio pertinet, qui et Comites scholarum dicuntur, *l. 1. inf. de pri. scho. l. 3. sup. de offic. mag. off.* quod plerumque ornati sint comitiva primi ordinis, qui titulus honorarius est inventus a Constantino Imperatore, dum singulos quosque honore aliquo cumulare cupiebat maxime, secundi etiam ordinis et tertii Comitibus creatis. Eusebius iv. de Constantini vita: κομήτων δ' οἱ μὲν πρώτου τάγματος ἠξιοῦντο, οἱ δὲ δευτέρου, οἱ δὲ τρίτου. Hac vero dignitate ornati præpositi et tribuni scholarum hæc beneficia habent, ut intersint imperatoris epulis, et ut adorent purpuram ejus, quod pro summo beneficio habetur. Eusebius eodem libro: οἱ δέ γε τοῦ παντὸς στρατοῦ καθηγεμόνες, κόμητες τέ καὶ πᾶν τὸ τῶν ἀρχόντων τάγμα οἷς τὸν βασιλέα καὶ γέρας πρότερον ἦν προσκυνεῖν. Idem viris clarissimis Comitibus sacri stabuli datur, id est equorum præfectis et rectoribus, quibus sportulas præberi ob iis qui equos conferunt, vel pretia eorum ostendit, *l. 3. D. Th. de eq. col.* et *l. 29. D. Th. de annon. et trib.* In Codice Theodosiano hoc titulo tribuni appellantur, ut ab Ammiano Marcellino sæpissime. Sed id comitiva tantum honoratis datur. Male inde deducere quosdam opinor Connestabili appellationem, quæ est mere francica: atque ideo in Notitia græca officiorum Constantinopoleos is definitur; κεφαλὴ τῶν μεγαλέρων φράγγων. Comites sacri stabuli sunt, qui Gallice dicuntur, *Escuyers.* His adjungitur etiam Cura palatii. is erat architectus, ad quem cura fabricæ palatii pertinebat, cui auctore Cassiodoro pro honoris insigni hoc erat attributum, ut auream virgam gestans ante Imperatorem incederet. Custodiam aulæ Evagrius vocat lib. v. Cura prætorii quæ dabatur tribuno militum, de quo Trebellius in Claudio, diversa functio est. Porro iis quos diximus præpositis et tribunis scholarum honore comitivæ decoratis, et Comitibus stabuli et Curis palatii, peracta militia hic honor defertur, ut Comitibus Ægypti et Ponticæ diœceseos exæquentur, vel si scholas rexerint sine honore comitivæ, ducibus provinciarum, qui diœceseos Comitibus inferiores sunt, licet utrique spectabiles.

Alios qui] Hic locus misere depravatus est. Vet. habent, *In aliis qui.* Alii, *In absque.* Legendum, *Sin absque honore comitivæ regimen fuerint nacti*, regimen, scilicet scholarum: quo nihil est evidentius.

TIT. XII. *De comitibus rei militaris.*

I. *Imppp. Valentinianus Valens et Gratianus aaa. Ampelio p. v.* Qui contemplatione meritorum, ducto intra provincias transmarinas strenuissimo milite, primi ordinis comitivam fuerint consecuti: ea reverentia altissimarum dignitatum viris subjugantur, ut his locum præstent, qui proconsulatus insignibus adornantur. *Dat. III. Non. Jul. Nasonnaci Modesto, et Arintheo Coss.*

Duo fuerunt in Oriente Comites rei militaris, Comes limitis Augusti, et Comes Isauriæ, ut ex Notitia constat. His Comites diœceseos Ægypti et Ponticæ longe sunt superiores, qui divisam cum vicariis administrationem habent, *l. 1. sup. de off. vic.* Eosdem etiam superant proconsules Asiæ, et Achajæ, et duces provinciarum Lybiæ, Thebaidos, et Armeniæ. Ceteris tamen ducibus veluti Phœnices, Mesiæ, Mesopotamiæ adæquantur, ut lex proxima ostendit, videlicet si spectabiles sint, id est, honorati comitiva ordinis primi.

II. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Prisciano p. v.* Eos qui sub comitiva primi ordinis dignitate peculiariter ad quamlibet provinciam vel provincias defendendas milite credito auctoritate nostri numinis destinantur: et eos qui vicem illustrium virorum magistrorum militum susceperint peragendam: ducibus qui præter Ægyptum et Ponticam in aliis provinciis administraverint, adæquamus. *Dat. XII. Kal. Apr. cp. Lucio v. c. Cos.*

Quæ diximus ad legem primam, et huic et illi sufficiunt. Adjunguntur præterea Comitibus rei militaris qui vicem magistrorum militum gesserunt.

TIT. XIII. *De Comitibus et Archiatris sacri palatii.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Prisciano p. v.* Archiatro intra palatium militantes, si comitivæ primi ordinis nobilitaverit gradus, inter vicarios taxari præcipimus: sive jam pridem deposuerunt militiam, sive postea deposuerint: ita ut inter vicarios et duces qui administraverint, et hos qui comitivam primi ordinis meruerint, nihil intersit, nisi tempus quo quis administraverit, vel comitivæ adeptus est insignia. *Dat. XII. Kal. Apr. cp. Lucio v. c. Cos.*

Qui dicantur archiatri notissimum est. Hi si honorati sint comitiva primi ordinis, vicariis et ducibus exæquantur, ita ut inter eos nihil nisi ratione temporis intersit. Ut igitur tit. de Comitibus et tribunis scholarum, sic accipitur, de tribunis scholarum comitiva primi ordinis decoratis, et tit. de comitibus rei militaris, id est, de præpositis militum eadem comitiva decoratis: sic et hujus tit. hic est sensus, de archiatris comitivæ primi ordinis honore præditis. Non est etiam dubitandum titulum de Comitibus consistorianis sic esse accipiendum, de consistorianis comitiva primi ordinis decoratis, et ideo Cassiodorus in formula ejusdem comitivæ, *Spectabilitas*, inquit, *claro et consistorio nostro dignissima*, et paulo post: *Comitivam tibi primi ordinis largimur, ut consistorium nostrum sicut rogatus ingrederis, ita moribus laudatus exornes:* et in antiqua inscriptione: *Memmio Vitrasio Comiti in consistorio primi ordinis.* Sequens etiam titulus est de rectoribus provinciarum eodem honore præditis. Notandum illud valde, vicarios et duces exæquari, et archiatris solerdum non primi, sed secundi ordinis comitivam dari, *l. ult. sup. de profes. et med.*

TIT. XIV. *De Comitibus qui provincia regunt.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Prisciano p. v.* Eos qui administratione civili ac provinciæ gubernaculis sub jurisdictionis licentia Comites quoque primi ordinis esse meruerint, vicariæ dignitatis post depositam administrationem privilegiis frui oportet. *Dat. XII. Kal. Apr. cp. Lucio v. c. Coss.*

Idem hæc pars det Comitibus et rectoribus provinciarum quod superior Comitibus et archiatris sacri palatii. Ex conjunctione harum quatuor partium hoc efficitur, Comites primi ordinis non omnibus spectabilibus anteponi: quod falso comminiscitur Cassiodorus in formula. Sed ideo dicuntur primi ordinis, quod alii sint secundi et tertii ordinis inferiores.

TIT. XV. *De professoribus qui in urbe Constantinopolitana docentes ex lege meruerunt comitivam.*

I. *Impp. Theodosius a. et Valentinianus Cæs. Theophilo p. v.* Grammaticos tam græcos quam latinos, sophistas, et jurisperitos in hac regia urbe professionem suam exercentes, et inter statutos connumeratos, si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstraverint, si docendi peritiam, facundiamque dicendi, interpretandique subtilitatem, et copiam disserendi se habere patefecerint, et cœtu amplissimo judicante digni fuerint æstimati, cum ad viginti annos observatione jugi ac sedulo docendi labore pervenerint, placuit honorari, et his qui sunt ex vicaria dignitate, connumerari. *Dat. Id. Mar. cp. Theodosio a. XI. et Valentiniano Cæs. Coss.*

Professorum liberalium studiorum fuit in urbe collegium, sicut et archiatrorum. Ergo sub primiceris et certi salariique fuerunt. Auditorium habuerunt in Capitolio, l. 1. *sup. de studiis lib. ur. Ro.* quam huic esse arbitror conjungendam, in subscriptione nonnulla diversitas sit, vel eo maxime quod ita sit scriptum in Codice Theodosiano: *Digni fuerunt æstimati qui in memorato auditorio professorum funguntur officio:* quod non est quo referas, nisi huic illa jungatur, atque illa, *in memorato auditorio*, in Capitolio interpretere. In subscriptionibus est error sæpissime. Hos vero professores ex hac lege post annum vicesimum honorari placet comitiva primi ordinis et vicariis adæquari: ad quam temporis præscriptionem respicit Quintilianus, dum scribit in hunc modum: *Post impetratam studiis meis quietem, quæ per xx. annos erudiendis juvenibus impenderam.* quod argumentum est jam olim post annos xx. perinde ac veteranis emerita professoribus dari consuevisse: illique Quintiliano date quem primum Romæ scholam publicam aperuisse sub Domitiano, et e fisco salarium accepisse sunt qui scribant: quod malim ex Suetonio, Vespasiano adscribi. Fit inter hæc mentio in Codice Theodosiano Leontii Jurisperiti, qui ea ætate vixerit, quod referendum duxi, quia Jurisperitorum memoriam celebrare me par est: maxeoque affinitate nominis ut ei alium adjungam, qui fuit non multo post, Leonem puta, de quo ita Sidonius cecinit. *Sive ad doctiloqui Leonis ædes, Quo bis sex tabulas docente juris, Ultro Claudius Appius taceret, Claro obscurior in decemviratu.*

TIT. XVI. *De Silentiariis et decurionibus eorum.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Urso p. v. et Amiliano com. ard. pr. et Strategio pp. Illyrici.* Decuriones nostri palatii post emensum fideliter obsequium, postque deposita sacramenta militiæ electionem habeant, sive ex magistro officiorum velut agentes dignitatem consequi a nostra majestate maluerint, sive inter viros illustres Comites domesticorum videlicet inter agentes taxari: ut tam in adoranda nostra serenitate, quam in salutandis administratoribus, et reliquis prædicti honoris privilegiis, nec non in nostro consistorio his honor omnifariam observetur. *Dat. Kal. Nov. cp. Honorio X. Theodosio VI. aa. Coss.*

Silentiariorum officium Zonaras in Anastasio ait esse τῶν χαριζόμενων ἀξιωμάτων. Hi sunt excubitores in consistorio vel palatii principia, stantes fere ad limina. Constantinus de administratione Imperii, διὰ τῶν βήλων ὑπὸ τῶν σιλεντιαρίων συρομένων. Hos Claudianus intellexit, dum ait, *Sacroque adhibere silentia somno:* et ob id excubias agere dicuntur, *l. 3. inf. hoc tit.* Et sunt sub decurionibus, l. 3. *in fin. inf.* qui alias sacri consistorii decuriones dicuntur, ut 6. *C. Th. 2. l. ult.* alias sacri palatii, ut in hac l. 1. Marcellinus xx. *Aliquis palatii decurio, qui ordo est dignitatis.* Et ii quidem decuriones absoluti militia ex magistris officiorum vel ex comitibus domesticorum honore inter agentes numerantur, atque ita illustratum vacantem cum cingulo nanciscuntur, ut nos exposuimus *sup. in tit. ut dig. or. ser.*

II. *Iidem aa. Venantio pp.* Unusquisque decurio vel silentiarius a tyronum equorumque præstationibus habeatur immunis: nullam collationem, quæ plerumque poscitur, solvat: nihil his ulla potestas injungat, aut necessitas imponat.

Decuriones et silentiarii immunes sunt a præstatione tyronum et equorum, et nudam collationem, quæ plerumque poscitur, id est, canonicam duntaxat agnoscunt, legendum, *nudam*, non *nullam*, *l. 4. inf. de prox. sac. scr.*

III. *Impp. Theodosius, et Valentinianus aaa. Flaviana pp.* Decurionibus et silentiariis, etiamsi ad superiorem gradum successu meliore transcendunt, omnia privilegia, quæ jam dudum divorum principum judicio meruerunt, legis istius præceptione noverint esse firmata, non præjudicatura quacunque generalitate pragmatica: nec angarias, vel parangarias sive paraveredos ulla eis amplissimæ præceptionis imponat auctoritas: sordidis quoque muneribus, excoctione calcis, et superindicti gravamine eos liberamus. Domos quoque eorum, non tantum in hac sacratissima urbe, sed in qualibet alia positas civitate, immunes ab omni hospitum cujuslibet dignitatis inquietudine vindicamus: permissa eis veniendi ad comitatum licentia præter evocatoriæ securitatem: multa decem librarum auri judicibus provinciarum eorumque officiis infligenda, si statuta nostri numinis crediderint esse contemnenda. His addimus, ut cum optatam quietem acceperint, et inter viros illustres senatores cœperint numerari, honore curiæ sine aliqua functione lætentur, immunitatisque gaudio plena dignitatis lætitia potiantur: ut dignitatem solam habeant ex senatu sub hac videlicet definitione, ut trigiota tantummodo numero ea privilegia consequantur. Decuriones quoque tres, sed eos tunc demum perpotiri decernimus beneficiis supra scriptis, cum per continuos XIII. annos inculpatas excubias peregerint. *Dat. IX. Kal. Apr. Rav. Ætio et Valerio Coss.*

Decuriones et silentiarii immunes sunt ab iis muneribus, angariis scilicet, parangariis, paraveredis, quæ qualia sint dicetur inferius commodiore loco: excoctione calcis, superindicto, metato. Ad sacrum comitatum veniunt sine sacra evocatoria. Deposita militia, quia vacantem illustratum adipiscuntur ex l. 1. inter senatores illustres re

censentur, salvis tamen suis privilegiis, ita scilicet ut nec onus præturæ nec onus glebale, quod proprium est senatorum, agnoscant: et hoc est quod dicitur in *l. 3. sup. de dignit.* majorem dignitatem circa prioris militiæ privilegia præjudicium non facere. Hæc autem tantum dantur statutis xxx. silentiariis, et decurionibus tribus post excubias annorum xiii. Decurio præerat x. silentiariis. *Pragmatica)* Rectius *Pragmatici.*

IV. *Imp. Zeno a. Cosmæ Præposito Sacri Cubiculi.* Ne ad diversa tracti viri devoti silentiarii judicia sacris abstrahi videantur obsequiis, jubemus eos qui quemlibet devotissimorum silentiariorum scholæ, vel ejus uxorem civiliter, vel etiam criminaliter pulsare maluerint: minime eum ex cujuslibet alterius judicio, nisi ex judicio tantummodo viri excellentissimi magistri officiorum, conveniri.

Magistri officiorum judices sunt silentiariorum, et conjugum eorum. De iis magistris supra dictum est satis.

V. *Imp. Anastasius a. Antioco Præposito Sacri Cubiculi.* Jubemus clarissimorum silentiariorum præditos militia, etsi genitorum suorum in potestate sint constituti, quæcunque solatiorum, seu emolumentorum, vel donationum, seu hæreditatum nomine per militiam, vel quamlibet ejusmodi causam his acquisita sunt, vel fuerint, jure castrensis peculii possidere: nec ea posse vel parentes superstites sibi vindicare, vel auferre, vel etiam post eorum obitum fratres, vel eorum alios hæredes, quasi ad defunctorum dominium pertinentia in divisionem deducere: nec enim oportet labores eorum aliis fructum, vel lucrum adferre. Hac namque ratione simul et contemplatione, nec ipsam militiam vel suffragium quodcunque pro ea, vel ab iisdem viris devotissimis silentiariis, vel parentibus eorum, vel quolibet alio datum est vel fuerit, ac his patimur in successione defunctorum parentum conferri, seu nomine collationis in medium easdem offerri pecunias, vel his imputari. Ad hæc de tutelis, et curationibus eos excusari sancimus, ne alienarum rerum administrationem subire compellantur, qui propter nostra ministeria nec suis curam seu provisionem diligenter deferre possunt. Insuper liberos eorum, qui dignitate virorum spectabilium Comitum seu tribunorum decorati sunt vel fuerint, nullatenus no'entes administrationem præfecturæ suscipere seu peragere: omnibus videlicet ante latis privilegiis in persona non tantum in præsenti militantium, sed etiam postea eidem consortio inserendorum, tam tempore militiæ, quam post eam depositam observandis. *Dat. Kal. Ian. Ioanne et Asclepione Coss.*

Silentiarii hoc loco clarissimi vocantur, alio spectabiles, *l. 30. sup. de inoff. testam.* Similiter tribuni notarii spectabiles, *l. 2. sup. de primic. l. Neque. sup. de decur.* Clarissimi, *Nov.* 8 et 13. et *l. Restituendæ. sup. de adv. div. jud.* et in epistolis Symmachi, et in epitaphio Claudiani poetæ. Clarissimi et spectabiles ab Augustino in epist. 160 et 159 et lib. de gestis cum Emerito: sicut et idem sæpe in auctoribus atque inscriptionibus antiquis dicitur clarissimus et illustris: ut in titulo operum Macrobii Theodosii viri clarissimi et illustris. Sic legendum, non, *Viri consularis:* qui error est etiam in titulo librorum Victorini de Trinitate, et Prudentii poetæ, et aliis locis quamplurimis. Sic magister census, qui deinde appellatus est γενικός auctore Leone *Nov.* 44. vir clarissimus appellatur in *l. ult. sup. de ju. emphy. l. Consulta. sup. de testam. l. Secundum. sup. de donat. Nov.* 44. Vir perfectissimus, *l. Orphanotrophus. sup. de epis. et cle.* Invenitur et sæpe idem tribus titulis ornari, clarissimi, spectabilis, illustris. Sidonius vi. *Vir ortu clarissimus, privilegio spectabilis, merito illustris.* Itaque harum dignitatum certa definitio non est: alii omnibus his fruuntur, alii duabus, alii una ex iis tantum: eosdem alias clarissimos, alias spectabiles appellare imperatoribus placet. Crescit, vel minuitur ejusdem officii dignitas arbitrio principis, et ex ipsa rerum accessione, vel decessione. Nunc veniamus ad sententiam legis. Silentiarii quæ occasione hujus militiæ acquirunt, deputant castrensi peculio, nec ea parentibus acquirunt in quorum sunt potestate, nec conferunt fratribus. Quin et pretium militiæ nec confertur, nec imputatur eis in legitimam, etiamsi omissa sit pecunia patris, *l. 30. §. ultim. sup. de inoff. test. Nov.* 53 quod in aliis militiis locum non habet. Silentiarii excusantur a tutelis et curationibus: quod repetitum est in *l. ult. sup. de exc. tut.* Eorum liberi honestati Comitiva primi ordinis vel dignitate tribunorum notariorum non agnoscunt onus præturæ, quasi senatorum liberi: quod privilegium patres etiam habere diximus in *l. 3. sup.* Perperam autem legitur hac parte *præfecturæ,* pro *præturæ:* quemadmodum memini dixisse me in *l. 1. sup. de præt.* Confirmat postremo hæc lex cetera privilegia silentiariis data superioribus Constitutionibus.

TIT. XVII. *De domesticis et protectoribus.*

I. *Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius aaa. Eusignio pp.* Domestici ac protectores osculandi, cum salutaverint, vicarios tui culminis habeant potestatem. Pœna enim sacrilegii similis erit si his honorificentia non deferatur, qui contingere nostram purpuram digni sunt æstimati. *Dat. Prid. Non. Mar. Med. Valentin. a. III. et Eutropio Coss.*

Differentiam esse inter domesticos et protectores ex Codice Theod. constat *eodem tit. l.* 6. et 9. quibus constituta de domesticis trahuntur ad protectores. Hi, ut *l. 9.* ait, armatam subeuntes, non solum defendendi corporis sui, verum etiam protegendi lateris nostri sollicitudinem patiuntur, unde etiam protectorum nomen sortiti sunt. Hi igitur sunt in acie. Alii (quod ait l. 8.) ut indicio nominis apparet, familiarius militant, et sunt domestici protectores. Socrates 1. cap. 13. τῶν δορυφόρων τις οὓς δομεστίκους καλεῖ ὁ βασιλεύς. Suidas: δομέστικοι οἱ τῶν Ῥωμαίων ἱππεῖς οἱ κατὰ Ῥωμαίους οἱ καλούμενοι στρατιῶται. Idem et Zonaras in Diocletiano. Sed inde tamen ex eis alii pedites, alii equites, *l. ult. inf. hoc tit. l. Restituendæ sup. de advoc. div. jud.* Cassiod. 1. Var. *Domestici partis equitum et peditum, qui nostræ aulæ videntur jugiter excubare:* et alii comites domesticorum equitum, alii comites domesticorum peditum, viri illustres, a quibus domestici regebantur. Constituitur autem hac lege prima, ut cum eis liceat attingere et adorare purpuram principis, *l. 2. sup. de fabric.* quamobrem Cassiodorus in formulis, *Inter protectores,* inquit, *et domesticos sacram purpuram adoraturus accedat.* In salutandis etiam et osculandis vicariis præfect. prætorio ac multo magis præsidibus admittantur: quæ omnia summi honoris loco tribuuntur: et sic in *l.* 109 *C. Th. de decur. osculum his in provincia judicantium, et consessus indultus sit.*

II. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Heliodoro p. v.* Primicerius quidem domesticorum et protectorum utriusque scholæ post acceptum tribunatum inter eos spectabili dignitate perfruatur, qui ducatum gerere meruerint, alii vero, qui decursis stipendiis ad eodem decem usque numero subsequuntur, consulari, id est, clarissimatus dignitate perfruantur, cum ipsa loci decem primorum accessione, *Dat. III. Id. Iun. cp. Ætio et Valerio vv. cc. Coss.*

Sunt in utraque schola equitum et peditum domesticorum aut protectorum primicerii, eo quo gradu omnes scribunt Jovinianum ad imperium evectum, et post primicerium decemprimi, sicut et in schola tribunorum et notariorum post primicerium esse x. primos diximus supra. Et primicerius quidem domesticorum plerunque tribunatus honorem accipit. Marcellinus lib. 18. *Valentinianus ex primicerio protectorum tribunus.* Atque ita tribunatu accepto viris spectabilibus ducibus provinciarum adæquatur. Capitolinus in Maximino de eo jam tribuno 4. legionis. *Quid tantum laboras, cum ejus loci jam sis, ut ducatum possis accipere?* Decem primi senatoriam dignitatem veluti exconsulares adipiscuntur inter allectos, ita tamen, ut onera senatoria non agnoscant exemplo silentiariorum: denique clarissimi senatores sunt. Ad has dignitatas domestici et protectores gradatim perveniunt.

III. *Iidem aa. Sporatio Comiti Domesticorum Peditum.* Si quis domesticorum nulla negotii publici abstrahente sollicitudine, nec ei per commeatum solemniter ut abesset facultate concessa, per biennium obsequiis serenitatis nostræ defuerit: retrorsum in ordinem tractus inferiorem, quinque sequentibus postponatur. Si vero triennium ejus absentia continuasse monstretur, usque ad decimum locum proculdubio regredietur. Quod si quadriennio tenus abfuerit, novissimus collocetur: quinquennio autem similiter si fuerit devagatus, ipso jam cingulo spoliandus est: indignum quippe est, desides a propriis tamdiu muniis aberrantes, quos esse convenit assiduos numerari.

Ut domesticus, qui biennium abfuerit sine commeatu, reversus, suum locum gradumque non recipiat, sed ab eo gradu quem obtinuit prius quam descederet, in sextum rejiciatur: qui vero triennium abfuerit, in decimum: qui quadriennium, in novissimum: qui quinquennium, ut exauctoretur, nec recipiatur ullo gradu locove. Corrupte legitur in contextu, *regredietur:* legendum, ut in manuscriptis, *regradatur:* et sic in *l. 2. C. T. de cur. pub. Promotus regradationis humilitate plectatur.* Hieronym. ad Pammach. *Finge aliquem tribunitiæ potestatis suo vitio regradatum:* et in Chronicis: *Heraclium de episcopatu in pre-*

ab's rerum regraduri, et adversus Jovin. Sacerdotes, qui peccaverunt, regradantur ix æditυos. Solin. *Regradati* m·nses: atque ita legendum in l. 1. *inf. de pri. schol. l.* 3. *sup. de offic. mag. off.* Regradationem Græci καταβίβασμόν vocant. Est etiam ex eisdem libris postrema sententia hujus legis ita corrigenda: *Indignum quippe est deinde a propriis tamdiu muniis aberrasse, quos convenit assiduos numerari.*

VI. *Imp. Justinianus a. Vigilantio Com. Domesticorum Consulari, atque Patricio.* Lege pragmatica sine fine victura præfiniendum ac constituendum credimus, ut si quis virorum fortium præsentalium domesticorum in equitum schola secundicerii locum adeptus, diem interea supremum clauserit: hæredes ejus non reliqui tantum temporis quod eidem gradui superesse monstratur, verum etiam insequentis anni, hoc est, primicerius solatiis ac emolumentis fruantur omnibus: ut quod ad quæstum et compendium militiæ aeque fructum prolixæ pertinet, similis habeatur, ac si superstes permanserit ad finem usque supremum.

Qui in schola domesticorum et protectorum hoc anno est secundocerius, id est, post primicerium primus, sequenti anno fit primicerius. Quod si in secundoceratu decesserit, hæredes ejus ex hoc pragmatico non tantum reliqua secundoceratus, sed et integra primiceratus stipendia consequuntur. Id quidem translatitium est in omnibus, quibus annua stipendia constituta sunt, sunt, ut anni quo quis decessit, hæredes ejus reliqua salaria et solatia consequantur, *l.* 11. *inf. de prox. sacr. scr. l.* 3. *inf. de ag. in reb. l.* 1. *inf. de primipilo, l.* 15. *sup. de advoc. div. jud.* quanquam referat Pli. IV. Epistol. a fisco superatos hæredes, qui scribæ quæstoris ante legitimum salarii tempus defuncti, reliqui quod erat sibi vindicabant. At ut sequentis etiam anni salaria defuncti hæredibus debeantur, quo jure, quo exemplo hoc fit? An pro casu militiæ? quod verissimum esse arbitror, ut quemadmodum uno ex militantibus in sacris scriniis defuncto, hæredibus ejus ac subrogato certa pecunia præstatur, *l.* 11. *inf. de prox. sac. sc.* quod et ita fit in aliis quibusdam militiis ex scolæ placito vel Constitutionum beneficio, *l. Omnimodo.* §. *ult. sup. de inoff. testam.* idque genus lucri auctore Juliano antecessore casus militiæ appellatur. *Nov.* 53. et 97. ea forma qua casus dotis *Nov.* 121. Unde per errorem quidam fecere militias ex casu, sicut in tit. Dig. de minoribus, patefecimus. Ita vero tertiocerius domesticorum, qui morte secundicerii sequenti anno occupat primiceratus gradum, pro casu militiæ hæredibus secundicerii præstat ejus anni solatia. Sunt aliæ quædam militiæ, quarum ex casu defuncti hæredes nihil ferunt, reliqua tamen ferunt, veluti fisci patrono mortuo, *l.* 13 §. *ult. sup. de advoc. div. jud.* quæ ita est conciliande cum *l.* 15. Videtur autem domesticorum primiceratus annuus fuisse, ut primiceratus largitionum, *l.* 11. *inf. de palat. sacr. lar.* non biennalis, ut alii, de quibus diximus tit. 7. *Præsentalium* Παραστασίμων, hoc est præsentium in comitatu. Evagrius in Anastasio. Contextum curavi excudi uti oportet, quem Haloander depravaret.

TIT. XVIII. *De præpositis laborum.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Monaxio pp.* Qui præpositi laborum nostro judicio promoventur, clarissimi sint inter electos, ita ut ex consularibus habeantur: nam et immunitate digni sunt, quos nostris lateris comitatus illustrat. *Dat. III. Id. Nov. cp. Theodosio a. VIII. et Palladio Coss.*

Præpositi laborum sunt qui magno illi vexillo erant præpositi, quod vulgo laborum, et laborum solutio sive χαράκτων λύτρων dicebatur, ut Nazianzenus scribit in 1. Stelitentica, et Sozomenus lib. 1. cap. 4. λάβαρον vocat, unde et in actis Nicenæ II. quæ ex Bibliotheca vetustissima mihi communicavit Ant. Loisellus vir optimus et eruditissimus, signum quod Sozomenus historiographus Constantinum in crucis usum convertisse memorat, dicens: *Jussit viros eruditos ex auro, et lapidibus pretiosis in vex illum crucis transformare, quod laborum vocatur.* Id præpositi, ut quæque pars in acie laborabat, in eam quasi auxilii et liberationis vice inferebant: fuereque jam olim Eusebio teste huic rei a Constantino præpositi milites L. qui, ut ex Cod. Theod. liquet, ex protectoribus et domesticis erant, et ob id post titulum, de domesticis et protectoribus, datur titulus de præpositis laborum, idemque iis honor clarissimatus defertur, qui supra datus, est decemprimis domesticorum: qua etiam ratione existimo in *l.* 2. *sup. de rec. mun.* dum protectoribus junguntur præpositi, hos significari. Legendum autem in contextu, *Inter allectos*, ut in Codice Theod. multis locis, *l.* 1. *de dec. et silen. l.* 18. et *ult. de pal. sac. larg. l.* 8. 9. 10. *de domest. et prot.* Capitolinus in Pertinace: *Qui præturas non gesserat, sed allectione acceperant.* Vulgo male cum hoc loco, tum in *l. inf. tit. prox. Inter electos.* Ea autem vis est horum verborum, ut quamvis velut ex consularibus in senatu haberentur, tamen non agnoscant onera senatoria, veluti functionem glebalem aut præturam *d. l.* 1. *de decur. et silent. l.* 7. *Cod. Theod. de priv. eo. qui in sac. pal. mil.* Et ideo subjiciunt, *Nam et immunitate digni sunt, quos nostri lateris comitatus illustrat*, quasi ei diceret, ideo eos recenseri inter allectos, ut præter senatoriam dignitatem, immunes etiam sint a descriptionibus et oneribus senatoriis. *Quos*, inquiunt, *nostri lateris comitatus illustrat*: nimirum quia sunt ex protectoribus protectores autem a latere.

TIT. XIX. *De proximis sacrorum scriniorum, ceterisque qui in sacris scriniis militant.*

In hoc titulo de scriniis sacris agitur, in quibus jura, id est, adnotationes vel pragmaticæ sanctiones, vel rescripta principis, vel cognitiones et preces eduntur, reponuntur et servantur, *l. ult. sup. de agnosc. l. Omnium. sup. de testam. l.* 2. *inf. tit. prox.* Et sunt quatuor, scrinium memoriæ, scrinium epistolarum, scrinium libellorum, scrinium dispositionum. Alia sunt scrinia largitionum, de quibus dicetur titulo de palatinis largitionum. De magistris illorum scriniorum dictum est suo tit. *supra.* Alii sunt proximi scriniorum, qui sic dicti videntur, quod sint proximi magistris, et spectabiles æque ac magistri, qui in scrinio dispositionum non proximi, sed comites dispositionum appellati videntur *l.* 4. *hoc tit. l.* 1. *C. Th. qui a præb. tyr.* et inde eodem Codice de proximis Comitibus dispositionum ἀναλόγως, et in *l.* 10. *eod. Ad similitudinem*, inquiunt *proximorum, et ii quoque qui priores in scrinio dispositionum fuerint, et Comitis acceperint dignitatem*, et *l. ult. tum proximo scriniorum, quam Comitis dispositionum.* Ideo autem non est in scrinio dispositionum proximus, quia nec magister: hæc igitur sunt, συναίροντα, magister et proximus. Et quod *l.* 1. *hujus tit.* dispositionum primi proximi appellantur æque ac ceterorum scriniorum primi, adnotatione illis indiget, dispositionum proximos non dici proprie, sed Comites: quamobrem rectius in C. Th. non additur, *utque dispositionum*: et in *l.* 12 rectissime, *Omnes* inquiunt, *qui ex proximis venerando cætui Senatus fuerint adgregati, sive hi de scrinio memoriæ, sive epistolarum vel libellorum, sive dispositionum comites fuerint, ad septenos duntaxat solidos teneantur.* Hujus quoque tit. *l.* 6. rectissime proximos tribus tantum scriniis attribuit, et *l.* 8. separat proximos a Comite dispositionum. Proximos sequuntur Melloproximi v. c. qui sequenti anno futuri sunt proximi. Proximatus enim dignitas annua est, *d. l.* 6 de Melloproximis, *l.* 5. 7. et *pen.* qui secundum locum tenere dicuntur *l.* 13 et *ult.* Sequuntur adjutores proximi, laterculenses primates exceptores, antiquarii, adjutores quæstoris: sequitur librariorum et scriptorum turba, memoriales, libellenses, epistolares, pragmaticarii, quorum ingeniis et mentibus committuntur pragmaticæ sanctiones, libelli, adnotationes, rescripta, preces, acta cognitionum, arcana, ut ait *l.* 8. qui militare dicuntur in scriniis sacris. Similiter vero extra rationem scriniorum alii sunt admissionum magistri, *l.* 1. *C. T. qui a præb. tyr.* Alii admissionum proximi. Marcellinus 22. *Inductis*, inquit, *per admissionum proximum.* Alii admissionales, *l.* 2. *inf. de pri. eo qui in sac. pall. l. ult. inf. de div. off.* qui a Græcis, προσάγειν τοὺς δεομένους τιμὴν ἔχοντας. Seneca vi. de benef. *Non sunt amici, qui in primas et secundas admissiones digeruntur.* Suet. in Vespasiano. *Quidam ex officio admissionis.*

I. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Cynegio pp.* Proximos memoriæ, epistolarum ac libellorum, atque dispositionum ita vicariorum honore cumulamus, ut inter eos merito dignitatis habeantur, qui pro præfectis diœceses sibi creditas temperarunt, ex eo tempore, ex quo eos splendor indepti proximatus ostendat: insequentibus præponendi, qui vicarias postea administraverint, et nullam injuriam descriptionis per horrescant. *Dat. Prid. Kal. Mai. cp. Honorio np. et Evodio Coss.*

Proximi sacrorum scriniorum honore vicariorum ornantur, id est, ut inter eos habeantur, qui pro præfectis diœceses administrant, et ita Marcellinus lib. 14. Martianum regentem Britanniæ provincias pro præf ctis, paulo post vicarium vocat: et in epitaphio Symmachi: L. AUR. ANIANO SYMMACHO V. C. PRAEFECT. URBI, CONSULI, PRO PRAEFECTIS PRAETORIO IN URBE ROMA, FINITIMISQUE PROVINCIIS. Vicarii igitur sunt, qui pro præfectis prætorio diœceses administrant: quod etiam tradidimus, *l.* 4. *sup. de annon. et tribut.* Additur ut proximi sacrorum scriniorum aliis vicariis post etiam vera administratione perfunctis præferantur, et ut nullam descriptionem sustineant: quod postremum est ex *l.* 12. *C. Th. de proximis. Com. disp.* Reliqua ex *l.* 4. Tria igitur privilegia proximorum hac lege proponuntur.

II. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcad. aaa. Constantino pp. Galliarum.* In sacris scriniis nostris militantes in provinciis a salutatione ordinarii, vel spectabiles judices non arceant, et inviti in concessum accipiant: scituris vel principe, vel corniculario, vel capitibus officii, ternas libras ex suis facultatibus auri eruendas, si consistorium nostrum sæpe ingredientibus, secretarii judicum non patuerit ingressus, aut reverentia non fuerit in salutatione delata, aut sedendi cum judice societas denegata. *Dat. VI. Idus Novembris, Triveris Timasio et Promoto vv. cc. Coss.*

Salvianus III de gubernat. Dei: *Intra janvas non modo illustrium potestatum* (vulgo male, *portarum*) *sed etiam præsidum aut præpositorum non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut judex vocaverit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprii dignitas introire permiserit.* Vere Salvianus. At ex hac Constitutione militantibus in sacris scriniis ingressus et concessus patet in secretaria ordinariorum judicum, id est, præsidum, etiam eis nolentibus. Nam qui in consistorium principis admittuntur sæpe, recipere multo magis eos in secretarium suum ordinarii judices debent. Addidit Tribonianus ex *l. 5. hoc titulo, vel spectabiles*, quæ non erant in Codice Theodosiano: addidit male. Nam non omnibus militantibus in scriniis jus datur considendi cum spectabilibus, sed exceptoribus tantum usque ad Melloproximos: Ceteri jus tantum habent considendi cum ordinariis judicibus. Quod sequitur de principe vel corniculario, vel capitibus officii, repetitum est in *l. ult. sup. de offic. divers. judic.* In qua quæ dicuntur capita, officii primates appellantur: et ita capita contubernii Vegetius, et capita scholarum, *l. pen. inf. de erogat. milit ann.* qui primates et priores, *l. ult. inf. de castrens. l. ult. inf. de decanis.* Non iidem igitur sunt principes et primates, sive priores officiorum. Unus est officii princeps, primates plures, sicut in scriniis unus magister, unus proximus sive Comes dispositionum, et primates plures, *l. 7. inf.* Cornicularii sunt officiales, qui adsunt cornibus secretarii, ut Cassiodorus scribit 81. Variarum: a Græcis appellantur ὑπασπισταί.

III. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Claudio p. v.* In scriniis palatii militantes, id est, memoriæ, epistolarum, libellorumque ac dispositionum, post viginti annos transactæ militiæ, si discedendum sibi esse decreverint, consulari honore fulti inter allectos habeantur, huncque honorem dignitatis teneant, qui ex consularibus deferri consueverit: nec eos quisquam injungendo aliquid, vel jubendo, possit ab impertito otio separare. *Dat. XV. Kal. Mar. cp. Arcadio IIII. et Honorio III. aa. Coss.*

Militantibus in sacris scriniis, post 20. stipendia dimissis, defertur clarissimatus honor idem, qui delatus est supra domesticis et protectoribus et præpositis laborum. Sed ex eis quidam ex *l. 5.* eundem honorem habent etiam ante missionem.

IV. *Iidem aa. et Theodosius a. Epiphanio p. v.* Jubemus ut primum omnium sit eorum, qui in sacris scriniis nostris, id est, memoriæ et epistolarum, libellorum et dispositionum referuntur, secura possessio ab omnibus sordidis muneribus excusata: superindictum non timeant, venalitium non petantur, solumque canonicæ inditionis præstent tributum: labore dignitas conquisita extraordinarium munus ignoret, nec ullam temonis patiatur injuriam, equorum tyronumque præstationem nullus agnoscat, qui vel adhuc in scriniis militat, vel honorem proximi, et comitivam primi dispositionum longi temporis sudore quæsivit: et hæc quidem patrimoniis censuimus deferenda. Quod autem omnibus constat deferri, adjectu alterius dignitatis petire non patimur: ut etiam si prosperioris fortunæ judicio ad honoris ornamenta processerint, vetera tamen eis scriniis labore privilegia quæsita serventur. *Dat. Id. Octob. Rav. Honorio VII. et Theodosio II. aa. Coss.*

Ut proximi sacrorum scriniorum, et Comites dispositionum, et reliqui militantes in scriniis sacris excusentur a sordidis, superindictitiis, et extraordinariis, et temonariis, oneribus, et equorum tyronumve præstatione, et a venalitio. De temonariis diximus hujus libri tit. 1. Venalitium videtur esse vectigal rerum publice venalium, de quo et *l. inf. de vet.* Extremæ parti congruit *l. 11. sup de exc. mun.*

V. *Impp. Honorius et Theodosius. aa. Faustino pp.* Peculiari præceptionis nostræ favore præstamus, ut in scriniis memoriæ, epistolarum, libellorumque ab exceptoribus usque ad melloproximos dignitatem clarissimorum honoremque percipiant, et sicut reliqui, qui in iisdem scriniis militant, liberum cum ordinariis judicibus ingressum secretarii consessumque habere legibus meruerunt: hi quoque in quos hanc stipendiorum meritis clarissimatus conferimus dignitatem cum spectabilibus etiam habere sese reverentiam recognoscant, ut consedendi ingrediendive secretarum sciant a nobis licentiam contributam. *Dat. VIII. Id Jun. Rav. Lucio v. c. Cos.*

De hac diximus satis *l. 2.* et *3. supra.*

VI. *Iidem aa. Eustathio v. i. Quæstori et Helioni v. i. Magistro Officiorum.* Pro biennio annuum solum agere deinceps decernimus eos, qui in tribus scriniis memoriæ, epistolarum, libellorumque ordine ac merito stipendiorum ad gradum pervenerint proximorum. *Dat. VIII. Id. Febr. cp. Theodosio a. VII. et Palladio Coss.*

Ut proximatus trium scriniorum annus sit, non ut olim biennalis. Citatur *l. 11. infra, de palat. sacr. larg.*

VII. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Nono Magistro Officiorum.* Unicuique, qui in sacris scriniis militat, sui loci merita servari oportere constituimus: et universos, qui ultra numerum statutorum in iisdem scriniis militant, sui gradus respectu per ordinem, quem sortiti sunt, in deficientium statutorum, locum (ut tamen ultimis socientur) subire decernimus: scilicet ut nemini penitus liceat, cum sit posterior tempore, locum præcedentis ambire: nisi forte ab eo, qui tempore vincitur, laborum comparatione superetur, ut quindecim primatum ejusdem scrinii testimonio cum sacramenti religione subnixus, præcedentibus dignior judicetur. Hanc quoque observationem extra filios proximorum volumus custodiri: etenim unicuique proximo unum de suis filiis, qui temporis duntaxat suffragio nititur, licet parum observasse militiam cognoscetur, insequentibus tempore, qui laborum meritis muniuntur, anteferri posse decernimus. Illum tamen, qui locum statuti meretur, proximo quidem ducentos quinquaginta solidos, melloproximo vero vel adjutori pro consuetudine uniuscuiusque scrinii viginti aut quindecim solidos offerre præcipimus. Quod si quis de supernumerariis, qui statuti locum subire debuerat, ne pecuniam offerat, statuti etiam gradum recusare voluerit: sequenti tam offerendæ quantitatis prædictæ, quam subrogandi licentia permittatur: ita videlicet, ut si secundus, vel etiam tertius, vel alterius cujuslibet numeri in eadem excusationis voluntate duraverit, accedenti semper eadem copia, quam præcedens recusaverit, tribuatur. Hos autem qui ad statutorum ordinem progredi noluerint, nec de suo gradu volumus removeri: et cum vacaverit statuti locus, conditionem, quam antea repudiaverant, id est, et offerendæ pecuniæ et adipiscendi statuti locum, liberam habere præcipimus facultatem.

In sacris scriniis alii sunt statuti, alii supernumerarii. Vacante uno ex statutis, subingreditur in numerum statutorum unus ex supernumerariis, qui fuerit ordine temporis antiquior, et in ultimum statutorum locum, non in gradum quem defunctus tenuit. Dixi qui fuerit antiquior. Hoc ita nisi posterior laborum merito potior sit, quod quidem testimonio et religioni quindecim primatum scrinii committitur. Hic igitur antiquiori præfertur, si modo antiquior, quem alter laborum merito antecellit, filius proximi non sit: quo tamen beneficio unus tantum ex filiis proximi uti potest. Post hæc Impp. definiunt quid pro ingressu sive solatio aut suffragio, ut ait *l. 11.* supernumerarium, qui defuncti locum subit, præstare oporteat proximo et melloproximo et, adjutori proximi. Vetus hic mos est, ut pro ingressu aliquid præstetur prioribus militiæ, scholæ, officii, collegii, curiæ, corporis, *l. pen. D. de leg. 3. §. pen. et ult.* In quo pro *onera*, videtur legendum *honoraria*, ut in Epistol. Plinii ad Trajanum de adjectione buleutarum. Sueton. in Claudio: *Pro introitu sacerdotii.*

VIII. *Iidem aa. Nomo Magistro Officiorum.* Proximos sacrorum scriniorum, quos fides ac diuturnæ observationis industria literataque militia: Comitem quin etiam dispositionum, quem probitas ac strenuitas merito commendant: completo tempore suæ militiæ, comitivæ sacri nostri consistorii cingulo in diem vitæ potiri, manentibus videlicet jamdudum præstitis salvis privilegiis decernimus: quibus enim pietatis nostræ arcana merito committuntur, his pietas nostra vitam cingulo supradictæ comitivæ ornandam decorandamque decrevit.

Ut proximi sacrorum scriniorum et Comites dispositionum peracta dignitate habeant cum cingulo Comitum consistorianorum, ut scilicet sint vacantes non honorarii Comites consistoriani. Plus est esse vacantem quam honorarium, ut ostenditur in tit. ut dign. ordo serv. Salvis, inquit, manentibus privilegiis propriis, Secundum regulam l. 3 sup. de dign.

IX. *Imp. Leo a. Patricio Magistro Officiorum.* In sacris nostris scriniis militaotes per commeatum non continuatim præstitum, ante conventionem profecti, intra indultum temporis spatium erunt cum suis conjugibus et liberis a conventione securi, ab indictionibus etiam publicorum et civilium muoerum: et post completam militiam excusatione potiantur, super domibus quoque, quas in provinciis possident, metatorum molestia liberentur.

Commeatus est libera proficiscendi licentia. Intra tempora Commeatus militantes in sacris scriniis conveniri non possunt, nec conjunges eorum aut liberi. Vacationem habent etiam emeriti personalium munerum et metatorum. Supra quoque dictum est vacationem eos habere patrimonialium sordidorum et extraordinariorum, l. 4.

X. *Idem a. Illyricano Com. et Mag. Officiorum.* Hac parte statutos memoriales præcipimus esse in scrinio quidem memoriæ sexaginta duos: epistolarum vero triginta quatuor: libellorum quoque triginta quatuor: antiquarios vero, qui habentur in scrinio memoriæ, nunquam minus esse, quam quator. Suprascripti autem memoriales nullo modo duplici fungantur officio, nec geminis chartis irrepserint: ut non occupent plura in unum se commoda collaturi, nihilque reliquis relicturi.

Hæc lex definit statutorum numerum, et ne unus duobus fungatur officiis. Antiquarii sunt librarii sive scriptores librorum, l. 2. C. Th. de stud. lib. urb. Rom. Sidonius Apollinaris lib. 9. Licet antiquarium moraretur insiccabilis gelu pagina. Ausonius in Epistol. ad Probum pr. p. Oblata per antiquarios mora. August. de verbis Domini. Laudat antiquarii manum admirans apicum pulchritudinem. Hierosym. ad Florentium, Habeo alumnos, qui antiquariæ arti serviunt.

XI. *Imp. Anastasius a. Eusebio Magistro Officiorum.* Si quis in sacris nostris scriniis, id est, memoriæ, dispositionum, epistolarum, et libellorum, statutis jam connumeratus, ab hac luce fuerit subtractus: ab eo, quicunque utpote vacante loco de substitutis in statutorum consortio fuerit ultimus subrogatus, pro solatio, vel suffragio proximi definitam, sacræque constitutioni divæ memoriæ Theodosii et Valentiniani principum insertam quantitatem defuncti hæredes et successores, vel liberi ejus, seu creditores, qui fœnus cum mortuo pro statuti loco ei acquirendo contraxerint, consequantur: ita scilicet ut si hæreditas vel successio defuncti minime fuerit suscepta vel adita, tales personæ, id est, creditores quidem contra ceteros prærogativa sibi servata, liberi autem vel adgnati, seu cognati non hæreditatis, sed privilegii nomine simili modo hujusmodi summam percipiant, sibique petere ac vindicare permittantur: nullius machinatione hujusmodi nostra dispositione retractanda, seu violanda: maximo cum viros etiam pro tempore spectabiles eorundem proximos scriniorum, si quis eorum ante completum proximatus actum morte præventus sit, ad hæredes successoresque suos residui temporis proximatus solatia sine quadam imminutione transmittere non dubitetur.

Ex casu militiæ, quod uno ex militantibus in sacris scriniis defuncto, dari proximo scrinii a subrogato præcipitur l. 7. id hæc dari præcipit hæredibus, vel si hæredes non sint, creditoribus quorum pecunia defunctus militiam comparavit, vel liberis, agnatis, vel cognatis, non hæreditatis sed privilegii nomine, et sic Nov. 53. οὐκ ὡς πατρῷον κλῆρον, ἀλλὰ βασιλικὴν φιλοτιμίαν· adimitur hoc proximo, datur hoc ut in hæredem suum transmittat salaris anni mortis suæ.

XII. *Idem a. Celeri Magistro Officiorum.* In sacris scriniis militantes et parentes, atque uxores eorum, nec non liberos, ex sententia tantummodo tuæ celsitudinis criminales et civiles intentiones agentium excipere jubemus. Insuper etiam colonos seu adscriptitios et servos eorum in hac regia urbe degentes eodem beneficio potiri, fidei pro tempore adjutoris viri spectabilis proximi vel unius ex statutis committendos: ita ut si in provincia quicumque memorialis repertus fuerit, juratoriæ cautioni committatur, et si non possideat immobilem substantiam, servi nihilominus et coloni ad eum pertinentes, fidei ejus tradantur. Modum insuper sportularum ad mediocrem deduci quantitatem, et executoribus de schola agentium in rebus attribuendis, unum solidum singulos usque ad finem negotii, proque ingressu in judicio tuæ magnitudinis quolibet modo faciendo duos solidos, et pro editione gestorum exceptoribus dimidiam solidi partem: et si apud arbitrum negotium ventilari contigerit, ipsi quidem arbitro unum solidum, et nihil amplius: exceptoribus autem eum observantibus, tam pro ipso quod implere jubentur ministerio, quam pro editione gestorum seu relationis vel definitionis tertiam partem solidi præbere sancimus. Nec pro tempore virum spectabilem fisci, patronum, vel executores quibus imminendi litibus sollicitudo injuncta est, quicquam ab eis exigere seu profligere concedi: dimid a scilicet expensarum, quas in judicio tui culminis a memoratis personis præberi statuimus, portione in judiciis provincialibus sb his agnoscenda: ita ut si de civilibus annonis, vel tutela, seu curatione, vel novi operis nunciatione litem eos subire contingat, in majore judicio ad similitudinem sumptuum, quos in judicio eminentiæ tuæ, dependere præcepti sunt: apud virum autem clarissimum præfectum annonæ, seu fisci patronum urbicariæ magnificæ præfecturæ, vel architectos, pro modo eorum, quæ super arbitris et litibus apud eos exercendis superius statuta sunt, solventes expensas, nihil amplius agnoscere seu pendere cogantur. Quæ omnia custodiri jubemus, sive per se, sive per procuratores, aut etiam defensores lites exercere maluerint, hoc si prolata scriptis sententia moniti sunt. Si vero ex depositione, seu aliter quis eorum conventus fuerit: nihil eum vel scrinio viri clarissimi adjutoris, vel cujuslibet alii nomine sportularum offerre compelli: omnibus antelatis privilegiis postea quibus per anteriorea divorum principum sanctiones defenduntur in personam tam eorum, qui adhuc militant, et qui postea eandem militiam sortiti sunt, quam eorum, qui prædictam militiam gradu vacante jam deposuerunt, vel postea deposuerint, servandis: ut eorum commodo ipsi quoque uos cum uxoribus et liberis, colonis præterea, et servis propriis perfruantur. Et quoniam in controversiis, quas in judiciis moveri contingit, æqualitatem litigatoribus volumus servari, et adversariis eorum pro sumptibus et expensis similem antelatorum beneficiorum prærogativam custodiri: propter hanc etenim causam et viros devotos memoriales non tantum agendo in quolibet judicio, sed etiam actiones ab aliis ingerendas excipiendo, privilegiis a nobis indultis potiri decernimus: his videlicet, qui militiam virorum devotissimorum memorialium gradu soluto deposuerunt seu deposuerint, etsi quietis a more per provincias domicilium fovere maluerint: nihilominus privilegiis, quæ hujusmodi personis per sacratissimam legem nuper promulgatam e nostra serenitate præstita sunt, muniendis, et eorum commodis atque auxilio potituris.

Ut militantes in sacris scriniis, qui generali nomine memoriales appellantur, et Chartophylaces in Basilico ad l. ult. sup. de inoff. test.

parentes, liberi, uxores, coloni, adscriptitii, servi eorum in urbe conveniantur apud magistratum officiorum, et committantur fide adjutoris proximi, vel natus ex statutis, præterquam si lis sit de annonis civilibus, vel servitutibus, vel novis operibus, vel tutelis aut curationibus, de qua præfectus urbi cognoscet, non magister, officiorum, ut l. Vicos. inf. de pal. sacra. largit. De annonis adhibito præfecto annonæ, l. 1. C. Th. de cond. in pub. hor. de tutelis adhibito prætore tutelari, l. 2. sup. quand. mil. tut. off. De operibus et servitutibus adhibitis architectis. Nov. 7. Plerumque eam litem remittet ad præfectum annonæ, vel ad patronum fisci, qui scilicet apud præfectum urbi patroni fisci partibus fungitur, vel ad prætorem tutelarem, vel ad architectos. In provinciis autem memoriales conveniuntur apud præsidem provinciæ, et committuntur juratoriæ cautioni, etiam rerum immobilium possessores non sint, qui soli regulariter judicio sisti satisdare non compelluntur, l. ult. inf. de prin. agend. in reb. Et vero præfectus urbi eos plerumque remittit ad præfectum annonæ et alios quosdam: ita et magister officiorum aut præses nonnunquam eos remittit ad arbitrum delegatum, ut l. ult. inf. de prox. schol. Tum in hac lege definitur modus sportularum, id est, sumptuum qui in litem faciendi sunt, ut in judicio magistri officiorum executoribus litis, qui magistro officiorum alii dantur ex schola agentium in rebus, ut et Marianus Scotus testatur. quo fit ut agentes in rebus sæpe magisteriani dicantur, ut eis, tanquam, dent memoriales vel adversarii eorum, ne ulla sit in judicio inter partes inæqualitas, singuli solidum unum, et pro ingressu, id est, pro inducendo cognitione, ut ait d. l. ult. ὑπὲρ τῶν εἰσαγομένων ἐνδοσιμῶν, ut Nov. Tiberii de divinis domibus, scrinio auditoria magistri officiorum, qui est ex eadem schola, de quo et in l. ult. inf. de castrensi, l. 5. inf. de princ. agen. in reb. solidos duos, et pro editione actorum exceptoribus semissem. Exceptores ii sunt, qui notarii, et ταχυγράφοι, et ὀξυγράφοι vocantur. Inde Synesio τομάρια ταχυγράφων. Epiphanius contra Photinianos: ἐκέλευσαν ταχυγράφοις γράφειν ἀντὶ τῷ διακόνῳ τοῦ βασιλέως καὶ καλλιγράφῳ ἐκπεπέτρῳ Ῥουφίνου τοῦ ὑπάρχου, καὶ ὀλυμπίῳ, καὶ νικήτῃ, καὶ βασιλείῳ μεμοριαλίοις. Ubi existimo legendum μεμοριαλίοις, id est, memorialibus. Ut in judicio arbitri pro ingressu arbitro detur solidus unus, exceptoribus ejus pro editione gestorum vel sententiæ vel relationis missæ ad magistrum officiorum tremissis: fisci patrono vel executoribus fori magisteriani causis imminentibus nihil: Ut in judicio provinciali pro sportulis dimidia partis expendatur ejus, quod in judicio magisteriano impendi præceptum est. Ut in judicio præf. urbi eadem sit sportularum ratio, quæ in judicio magistri officiorum. Ut in judicio præf. annonæ vel patroni fisci, vel architectorum eadem quæ in judicio arbitri. Et hæc quidem si ex scripto conveniantur. Quod si sola depositione ex non scripto, litem sine damno procedere. Et hæc privilegia non tantum militantibus competere, sed et eis qui militiam gradu soluto sive vacante deposuerint.

XIII. *Imp. Justinianus* a. *Proculo Quæstori sacri Palatii.* Comperimus divinitus pridem fuisse dispositum, viros devotos adjutores tuæ magnitudinis certo esse in numero, nec ad hujusmodi nomen, vel operam plures licitum esse adspirare, quam in scrinio quidem sacræ memoriæ, duodecim tantum: septenos vero in duobus reliquis scriniis, id est, sacrarum epistolarum, sacrorumque libellorum: sed posterioris licentiam temporis supra modum indulgendo ambitionibus, disturbasse rei merita, ac in multitudinem divulgasse, ut inter memorialium et adjutorum numerum non longum pene intersit. Sancimus itaque reducentes, ac renovari statutum ordinis terminum, non ut eximantur adjutoribus hi, qui præter prædictam dispositionem in præsenti exuberant, sed ut interea omnibus aliis interdicatur ab affectando hoc nomen, donec exeuntibus singulis, ac recedentibus decrescere possit vetita conglomeratio, legitimusque jam resideat numerus: non prohibendis viris devotis adjutoribus desistentibus eodem officio, cum vel ad laterculensis gradum in scrinio sacræ memoriæ provecti fuerint, vel secundum locum obtinuerint in duobus aliis scriniis, post quem proximi creabuntur, licet nondum redacta sit quantitas pristina: tamen alios, quos pro se elegerint, subrogandos adjutores petere, qui posteriores erunt ceteris. Illud etiam disponendum duximus, utpote nonnullis anterioribus exemplis subnixum, nec non justitiæ congruum, ut ab his, quibus concessum est adjutorum agmini pro se sociare, libellus offeratur viro illustri pro tempore quæstori, petendaque ejus subscriptio tempus atque hominem, nec non etiam rem ipsam continens, id est, quod inter adjutores ei, quem pro se surrogat, mercede permissum est: ordi-randis videlicet iisdem adjutoribus pro ratione temporum, quibus libelli porrecti sunt, ut etiamsi memorialium matricula inferiore loco sit, qui prior in adjutoribus meruit, adjutor quidem habeantur superior, memorialis vero posterior pro utriusque ordinis modo vel discrimine: quod etiam in aliis quoque pene omnibus officiis observari dignoscitur.

Jam ostendimus in l. 2. sup. de pet. bon. subl. quæstorem officium non habuisse, sed adjutores ex scriniis diversis, memoriæ, epistolarum, libellorum, memoriales quorum obsequio, ut ait l. ultim. hujus tituli res agebatur quæstoris. Atque ita idem homo esse poterat, memorialis, et adjutor quæstoris, et plerumque, qui erat prior inter memoriales, ut hæc lex indicat, inter adjutores quæstoris erat posterior, et e contrario. Habui Prisciani librum veterem, in cujus extremo ita erat scriptum: FLAVIUS THEODORUS V. D. MEMORIALIS SACRI SCRINII EPISTOLARUM ET ADJUTOR V. M. QUÆSTORIS SACRI PALATII, SCRIPSI MANU MEA IN URBE ROMA CONSTANTINOPOLITANA III KAL. JUN. MAVORTIO V. COS. JUSTINO ET JUSTINIANO IMPP. Fuere autem quæstoris adjutores certo olim numero: 12. ex scrinio memoriæ: 7. ex scrinio epistolarum, totidem ex scrinio libellorum: ad summam XXVI. quem restituit hac constitutione Justinianus, ne quis posthac uno ex adjutoribus, qui nunc sunt, decedente, in locum ejus subtituatur, donec ordo adjutorum ad veterem numerum redierit. Excipiuntur adjutores, qui deposito hoc officio transeunt ad laterculensis gradum in scrinio memoriæ, ad melloproximi gradum in scrinio epistolarum vel libellorum. His enim solis alium substituendi jus est porrecto quæstori libello, cui quæstor subscribat die et substituti admissione et probatione adnotata. Laterculum in scrinio memoriæ fuit duplex, majus et minus. Minus sub cura et dispositione quæstoris, l. 1. et 2. sup. de of. quæst. Majus sub cura primicerii notariorum, ut Marianus scribit. In l. 3. ut. seq. codices appellantur: et vero codices fuisse idem Marianus docet, dignitatum et administrationum civilium vel militarium et mandatorum principalium et promotionum et consuetudinum notitiam continentes. Et hoc sensu Tertullianus adversus Valent. Ex eorum laterculo, id est, ex eorum albo, et in reges et in sacerdotes allegere consueverunt. Habemus et librum Victorii de ratione paschali, in cujus extremo per indicem, consulum dies Paschalis subnotatur, isque index Laterculus Paschalis inscribitur, quem Sigibertus Theophilo Alexandrino tribuit. *Theophilus*, inquit, *Alexandriæ Episcopus cyclum de observatione paschæ per C annos digestum, quem laterculum vocavit, ab hoc anno inchoavit.* Ratio nominis an hæc est, quasi in eo lateant arcana? Quamobrem Græci ad l. 5. inf. qui mil. poss. et l. ult. sup. de off. mag. off. σεκρετάρια interpretari videntur: an quod sacri laterculi fuerint scrinia quatuor, ut constat ex Nov. 8. laterculum dicitur quasi πλινθίον. Laterculenses eis codicibus et edendis et servandis præpositi sunt.

XIV. *Idem a. Tatiano Magistro Officiorum.* Hac lege sancimus, si quando adjutores viri magnifici pro tempore quæstoris sacri nostri palatii in accusationem civilis causæ vel criminalis deducti fuerint, strictum jus et integritatis congruum ordinem conservari: ut si sine scriptis conveniendi sint, nomen ejus præcipientis ore designatum esse sufficiat. Sin autem scriptis in querimoniam unus adjutorum aut plures forte ferendi sint: monumenta sententiarum in persona tantummodo conveniendi adjutoris præcedentium æquum et justum initium futuro præstent certamini. Et quoniam probatioribus exemplis, quam indecoræ consuetudini deceat indulgeri: quod in universo devotissimorum scrinio libellensium evicisse monstratur, id in adjutores sacræ memoriæ, sacrarum etiam epistolarum transferendum censemus: ut qui liberam proficiscendi licentiam pronunciatione commeatus indepti fuerint, sine qualibet stipendiorum aut emolumentorum deductione peregre degant: etenim pro tempore viris clarissimis proximis, et melloproximis, aut eorum adjutoribus absentiæ causa vel offerre de suo proprio, aut ex annonis seu stipendiis quicquam relinquere cogendi: quamvis Januarias Kalendas indultum excedat spatium, et intra se festum diem contineat. Ad hoc illud observari sancimus, ne alius adjutor propter quamcumque ambitionem his, qui in præsenti sunt, vel post eorum diminutionem addatur, licet in veterem numerum redacti fuerint.

Ut adjutores quæstoris aut scriptis conveniantur nominatim, aut voce executoris. Ut eis sive sumpti sint ex scrinio libellorum, sive ex scrinio memoriæ, aut epistolarum, absentiæ causa intra tempus commeatus nihil depereat, et ut nihil ex propter proximis aut mello-

proximis aut eorum adjutoribus offerre vel relinquere cogantur, licet commeatus excedat Kal. Januarias, id est, licet absit ipso anni initio quo erogari salaria solent, *l. Laudabilem. sup. de adv. div. jud. l. 15. C. Th. de agent. in reb.* Ut adjutoribus quæstoris præsentibus, etiam ad veterem numerum redactis, alius nullus addatur. Continebat et aliud quiddam hæc constitutio, quod abrogat lex quæ sequitur.

XV. *Idem a. Tatiano Magistro Officiorum.* Certæ quidem sunt dispositiones nostri numinis, quas super adjutoribus viri illustris pro tempore quæstoris nostri palatii, quorum obsequio res agitur quæstoria, dedimus: quarum prima quidem ad supplicationem eorundem adjutorum emissa numero eorum, qui erant illo tempore, quo preces nobis obtulerunt, neque aliquem eximi, neque adjici præcipit, præterquam si quis eorum vel ad laterculensis gradum in scrinio sacræ memoriæ, vel ad secundum locum in duobus aliis scriniis, id est, sacrarum epistolarum, sacrorumque libellorum et cognitionum provectus fuerit: nam his licere desistentibus ab adjutoris officio alios pro se quos voluerint adjutores subrogare, ultimum locum in iisdem adjutoribus obtenturos, licet superiorem in memorialibus habeant. Altera vero per sacram pragmaticam facta est, per quam excelsæ memoriæ Proculo verbo suggerente præcipimus, illos etiam adjutores posse in suum locum alios inducere, qui per aliquem fortuitum casum minus implere suum officium valeant, veluti senium, vel morbum, vel aliam necessariam causam: quod ex ipsorum adjutorum petitione idem magnificæ memoriæ Proculus ad nos retulit. Sed in præsenti ab aliis memorialibus tam in scrinio sacræ memoriæ, quam in ceteris duobus sacrarum epistolarum sacrorumque libellorum et cognitionum relatis aditi, comperimus diminutionem eorundem adjutorum impediri per memoratam pragmaticam sanctionem, et insuper venditionis quodammodo memorati officii locum introductum esse, quod ne de cetero fiat, præsentem sanctionem ad tuam magnitudinem mittimus, per quam jubemus illis tantum permissum esse secundum prius nostræ serenitatis rescriptum alios in suum locum subrogare, qui vel laterculensis gradum in scrinio memoriæ, vel secundum locum in aliis duobus scriniis adepti fuerint: secunda nostra sanctione super hoc capitulo de cetero cessante: nulli danda licentia eorundem adjutorum, præterquam si ad memoratos gradus ascenderit, alium pro se eisdem adjutoribus ex quocunque fortuito casu connumerare, ut eo modo ad veterem numerum adjutores redeant, et duodecim quidem in scrinio sacræ memoriæ, septeni vero in aliis duobus sint, id est, sacrarum epistolarum sacrorumque libellorum et cognitionum. Illo videlicet observando, ne alius adjutor per quemcumque ambitionem his, qui in præsenti sunt, vel post eorum diminutionem, licet in veterem numerum redacti fuerint, addatur: nam si permutationem, licet fortuitus casus inciderit, prohiberi disponimus: multo magis prioribus manentibus alios introduci vetamus, ceteris scilicet anterioris sanctionis capitulis in suo robore permansuris.

Ex *l.* 13. adjutores quæstoris qui in scrinio memoriæ laterculenses sunt, et in aliis duobus scriniis melloproximi, quamvis non sint ex XXVI. possunt alium in suum locum subrogare. Ex *l.* 14. quod tamen ei detraxit Tribonianus propter hanc *l. ult.* adjutores qui morbo aut senio impediuntur quo minus suum exequantur, possunt alium in suum locum subrogare. Hoc abrogatur in hac lege, et subrogandi jus permittitur duntaxat in casu *l.* 13. Certe si adjutores ad veterem XXVI. numerum redierint, licebit eis alios in suum locum subrogare interveniente quæstoris electione, et eum locum eamve militiam suam vendere, non tamen ultra centum solidos, et in hæredes suos transmittere, vel in liberos, etiamsi liberi eis hæredes non exstiterint, ex *Nov.* 35. Cujus sententiam Julianus exposuit, dummodo probentur a quæstore, ut inferant c. solidos pro introitu. Atque ita militiæ vel in hæredes aut liberos transmittuntur sub certa pretii definitione, *l. ult. sup. de pign.* ut hæc militia adjutorum intra numerum XXVI. sub præstatione c. solidorum, vel qui subrogatur hæredibus defuncti aut liberis præstat certam pecuniam ex causa militiæ, ut duobus locis diximus *sup.* et in tit. de minoribus D. quo respiciunt hæc Juliani verba, de adjutoribus quæstoris: *Qui fiunt in locum eorum qui suo loco cesserunt, centum solidis præstitis fiant.*

TIT. XX. *De Agentibus in rebus.*

Superiores in literarum præsidiis militant, ut ait *l. 1. C. Th. de prox. com. disp.* Et ob id eorum militia literata dicitur, l. 8 *sup. tit. prox.* Hi militant in rebus, in actis Scip. et a Græcis dicuntur semper magistriani, et *Nov.* 17. et 124. et in fine Lausiacæ historiæ. Rationem reddidi lege 12. *sup. tit. prox.* Sunt eorum gradus multi, alii tribuni scholarum, de quibus *tit.* 11. *sup.* alii primicerii, alii senatores, alii ducenarii, alii centenarii, alii biarchi, alii circitores, alii equites, alii tyrones, l. 3. *hoc tit.* l. 1. et 3. *de offic. mag. off. l. 1. inf. de privil. schol.* et in Notitia, *l. 2. de off. præf. præt. l. 2. C. Th. de filiis mil. appar. l. 3. inf. de filiis offi. et mil.* Hieronym. adversus Jo. Hierosolymitanum ad Pammachium: *Finge, inquit, aliquem tribunitiæ potestatis suo vitio regradatum, per singula militiæ equestris officia ad tyronis vocabulum devolutum, numquid ex tribuno statim fiet tyro? Non, sed ante primicerius, deinde senator, ducenarius, biarchus, circitor, eques, deinde tyro: et quamquam tribunus quondam, miles gregarius sit, tamen ex tribuno non tyro, sed primicerius factus est.*

I. *Imppp. Arcadius, Honorius et Theodosius aaa. Anthemio Magistro Officiorum.* Nullus de schola agentium in rebus de cetero locum mortui conetur invadere: sed is, qui ordine stipendiorum et laborum merito ad gradum militiæ sequebatur, statim atque illum fata subduxerint, in cjus præmia percipienda succedat, omni obreptione cessante. *Dat. Prid. Kal. Jun. cp. Honorio a. VI. et Aristeneto Coss.*

Ut in locum defuncti agentis in rebus ascendat proximus non alterior. *l. 2. sup. de off. mag. off.*

II. *Impp. Honorius et Theod. aa. Helioni Magistro Officiorum.* Nulli posthac sine nostræ majestatis auctoritate discingendi agentem in rebus, nulli eximendi pateat copia: nam probata schola et animadversionem vereri judicis, et nullam timere debent contumeliam vilitatis. *Dat. III. Id. Nov. cp. Honorio X. et Theodosio VI. aa. Coss.*

Ne quis consortio agentium in rebus removeatur sine auctoritate principis. Nam probata semel schola, et censuram judicis vereri nullam, et vilitatis contumeliam quoque nullam timere debet, si qui forte in eo numero humiles et abjecti esse dicuntur.

III. *Imp. Leo a. Patricio Magistro Officiorum.* Matriculam agentium in rebus a tua celsitudine confectam admittentes, jubemus ne ducenarii plusquam quadraginta octo in cingulis habeantur in posterum, et numerum centenariorum ducenti viri, quos vocante tempore gradus competentes admiserint: parique modo biarchorum nomen meritumque ducenti quinquaginta viri duntaxat: præterea circitorum trecenti, et equitum quadringenti quinquaginta impleant. Sit in æternum illa quoque fixa stabilisque tuæ sublimitatis dispositio, ut si quis de numero ducenariorum, quos quadraginta octo quotannis esse censuimus, forsitan de luce migraverit: laborum cjus fructum successores ab intestato vel ex testamento venientes luctui dispensent, et ita omnibus inter ceteros superstites potiantur solatiis, tanquam si vivus, qui hæc eadem diu speraverat, sibimet vindicasset: qua de causa locum etiam ejus successorum intuitu vacare convenict. Nemo autem sine divali probatoria, quam codices in sacro nostro scrinio memoriæ positi, debeant inserendam accipere, militaribus ejusdem devotissimæ scholæ stipendiis vel privilegiis potiatur.

Definit numerum ducenariorum, centenariorum, biarchorum, circitorum, equitum. Constituit ut defunctus ducenarius in hæredem suum totius anni salaria transmittat, atque hæredis gratia ut eo anno defuncti locus vacet: et ne sine probatoria, quæ laterculis inseratur, quisquam scolæ agentium in rebus adjungatur.

IV. *Idem a. Patricio Magistro Officiorum.* Ex eo quo primum ducenæ vel centenarium gradum in schola agentium in rebus militantes meruerint, desinant, in sacratissima videlicet civitate constituti

alterius judicis cujuslibet auctoritate pulsari, vel in alio quolibet examine, præterquam viri magnifici magistri officiorum, et cui forsitan ipse concesserit actionibus sui quisque adversarii respondere. Quod multo magis in criminalibus causis observari decernimus: absurdum est enim ut in ejus salutem vel existimationem valeat quisquam proferre sententiam, cujus de nulla re possit pecuniaria judicare. Hujus autem beneficii prærogativam subadjuvis etiam qui singulis invenientur temporibus deferri jubemus: licet hanc in eorum persona more quoquo veteri servari cognoverimus, ut tamen post depositum officium memoratum, si non inter centenarios numerentur, communi jam lege respondere non ambigant. Prædictas autem omnes centenariorum personas in provinciis repertas concessa nunc speciali fori prærogativa, nisi publicæ executionis sollicitudo his injuncta sit, uti prohibemus, easque ordinariorum etiam judicum pro veteri jure sententiis obedire præcipimus.

Ut centenarii et ducenarii in urbe respondeant, non apud præf. urbi, sed apud magistrum officiorum, vel apud arbitrum ab eo delegatum tam in criminalibus quam in civilibus causis. Idem datur subadjuvis quandiu eo officio funguntur, et deposito officio si facti sint centenarii. In provinciis autem ut respondeant apud præsidem sublata præscriptione fori, nisi si qua publicæ executionis sollicitudo eis injuncta sit. Habuit magister officiorum adjutorem ex schola agentium in rebus, ut dictum est *l. 12. sup. tit. prox.* et subadjuvas adjutoris duos, habuit et subadjuvas fabricarum quas constat fuisse sub dispositione magistri officiorum, et subadjuvas barbariorum, id est, officinarum barbaricariorum. Et horum subadjuvantium meminit Marianus Scotus, et lex sequens in qua vulgo male, *subadiubarum*, pro *sub adjuvarum*. De his et in *l. 3. C. Th. de agen. in reb. Periculum*, inquit, *se et adjutor et subadjuvæ subituros esse cognoscant si hujus sanctionis normam insequentibus magistris desierint intimare.* Iidem ut opinor chartularii dicuntur in *l. 5.* et 6.

V. *Idem a. Patricio Magistro Officiorum.* Agentes in rebus, qui per ordinem consequi solent principatus insignia, in unoquoque scrinio fabricarum et barbariorum quaternos subadjuvarum sollicitudinem per annum duntaxat integrum procedentes gradatim subire, hac in æternum valitura lege decernimus: exceptis videlicet universis negotiatoribus quodlibet mercimonium per se gerentibus, interpositasve personas, cum eis ante sacratissimis constitutionibus interdictum sit militare, exceptis nihilominus his, qui possessionum alienarum sollicitudinem procurationemve susceperint: eos enim ad hæc officia volumus aspirare, quorum labores scholæ agentium in rebus testimonio comprobantur. Illi quoque sunt ab hac liberalitate nostræ mansuetudinis excludendi, qui cum scholæ eidem socientur, in sacris scriniis, quibus spectabiles primicerius et tertiocerius præsunt, adjuvantes eos publicarum chartarum tractatibus occupantur, et duobus officiis operam suam adhibere non possunt: nam præter emolumenta, quæ de prædictis scriniis consequuntur, principatus etiam solatio debent esse contenti. Quod si morbo, vel ætatis senio capti, vel imperiti hujusmodi rerum, vel quocunque alio vitio præpediti, per se memorati officii curam subire nequiverint: consideratis præcedentibus eorum laboribus, per substitutum chartularium ejusdem scrinii cui præfuturus est, ipse idoneum, et tam moribus optimis præditum, quam scientiam peritiamque rerum habentem, electione sua suarumque periculo facultatum præfatum munus eos implere præcipimus.

Male in quibusdam Codicibus hic apponitur tit. de præpositis agentium in rebus. Videtur autem hæc lex esse de principibus agentium in rebus, ut qui fuerint ex eo numero per annum integrum subadjuvæ fabricarum et barbariorum sint, non negotiatores, non actores, conductores, procuratores rerum alienarum, quod ii militare non possint, non principes qui sint adjutores primicerii aut tertiocerii in sacris scriniis, de quibus forte *l. ult. su. de div. resc.* quod iis duobus officiis subadjuvarum et adjutorum pares esse non possint, ut si non sufficiant exequendo subadjuvarum muneri, ex causis hac lege expressis, per substitutum qui sit ex eodem scrinio, in quo præfuturus est quasi subadjuva, implere id possint: subadjuvæ vox desideratur in fine hujus legis. *Præfatum subadjuvæ munus eos implere præcipimus.* Sic habent vet. libri, et de iis subadjuvis diximus Constitut. præcedenti.

VI. *Imp. Anastasius a. Celeri Magistro Officiorum.* Hac saluberrima sanctione decernimus agentes in rebus pro conventionibus, et modo sportularum executoribus præbendarum, pro quantitate sumptuum, quæ circa litigia sibimet ab aliis inferenda, vel a se contra alios per semetipsos, seu per ordinandos a se procuratores exercenda, convenit ab his agnosci: beneficiis, quæ in sacro nostro militantibus ministerio jampridem per divinas sanctiones indulta sunt perpotiri, et fidejussorem idoneum de eadem schola, non autem extraneum offerre compelli. Ita tamen ut privilegia quæcunque centenariis seu ducenariis, vel chartulariis seu viris clarissimis principibus post depositam quoque militiam jam per dispositiones principales impertita, et nunc usque observata esse noscuntur, intacta inviolataque custodiantur: cum perabsurdum, perque temerarium sit, hanc nostræ liberalitatem pietatis quemquam astuta interpretatione, non ad augmentum anteriorum privilegiorum, sed ad diminutionem convertere concedi. Simili videlicet forma pro matribus et uxoribus eorum, nec non etiam liberis sub eorum potestate constitutis: nec aliam sortitis vel sortituris militiam, nec non etiam servis ad eos pertinentibus servanda: ita ut in provinciis quoque supradictæ personæ degentes simili beneficio perfruantur. Sportulas tamen et litium expensas pro tertia superius enarratæ quantitatis soluturæ: denarum librarum auri condemnatione aliaque gravissima indignatione his feriendis, quicunque nostra jussa quolibet modo seu tempore violaverint, seu violare concesserint.

Non eundem, ut existimavit Accursius, sportularum modum litigantibus agentibus in rebus Anastasius præscribit, quem præscripsit militantibus in sacris scriniis *l. 12. sup. tit. prox.* sed eundem quem Leo et Zeno ministerianis *l. ult. inf. de castr. et minist.* et hoc quidem in urbe. In provinciis sportularum modus est levior, pro parte nimirum tertia, et hoc sive ipsi litigant, sive procuratores, sive matres, uxores, liberi, servi eorum. Ad hæc confirmat privilegia data centenariis et ducenariis et subadjuvis, *l. 5. sup.* et principibus agentium in rebus, *l. ult. tit. seq.*

TIT. XXI. *De principibus agentium in rebus.*

I. *Imppp. Gratianus, Valentinianus, et Theodosius aaa. Cynegio pp.* Agentes in rebus post palmam laboris emeriti principatus honore muneramus: atque ideo officiales tam ad necessitates publicas, quam privatas, non nisi principe mittantur auctore: nullarumque sine ipso cuiquam mandetur exhibitio personarum, etiamsi intercessio in locis degentis officii fuerit impertita. Causarum etiam patronos volumus esse conventos, ne ignorante principe ullam postulationem introducant, neve sub unius persona suscepti fraude quadam aliena negotia inserenda esse pertentent. Quod si fuerit definitio contempta: decem libras auri fisco nostro ab officio tuo jubemus inferri. *Dat. Prid. Kal. Mart. cp. Honorio nb. p. et Evodio Coss.*

Agentes in rebus post continuæ militiæ tempus veluti pro præmio laboris exacti fiunt principes agentium in rebus, *l. 13.* et *16. C. Th. de agen. in reb.* Cassiodorus XI. *Cur agentium* inquit, *in rebus miles officii post tot labores incerta aliquid patiatur ambiguum, qui crebris actionibus excubando, ideo principis nomen habere promeruit, quia nobilior sacramentis ceteros antecellit.* Quæ vulgo expressus typis Cassiodorus non ita habet. Nemo officialium illis inconsultis in munus aliquod mittitur, nulla exhibitio personarum, nulla intercessio, mandatur. Intercessio, id est, executio *l. 8. sup. de off. rec. prov. l. 7. sup. quee res pig. obl.* etiamsi ea executio peregre facienda non sit, sed eo loci quo ipse officialis degit. At possunt advocati executione officialis, licet ignorante principe facta, postulationem introducere. Idcirco et hoc quoque advocatis nominatim interdicitur, et ne nolus suscepti specie alienas causas introducant. Susceptum dicit proprie, ut Augustinus in quæst. mistis: *Hoc est officium advocati ut secundum juris ordinem suscepti sui causam peroret.* Sic et quemlibet clientem vocari

diximus tit. 55. lib. xi. Videntur ex schola agentium in rebus isti principes constituti officiorum præf. prætorio, et urbi et vicariorum et proc. Africæ et Achajæ et Comitis Orientis et Ægypti et præf. Augustalis et ducum quorumdam, quod et Marianus docet, dicens plerumque eos ex ducenariis sumi, et exire cum insignibus principatus, et l. 6. S. Th. eod. tit. *Principes*, inquit, *qui de agentium in rebus numero ad gubernanda officia diriguntur*: et Cassiodorus supradicto loco de principe loquitur officii prætorianæ sedis, et *Nov. Th. de princ. agen. in rebus* quam habemus, in qua ita est: *Ut memorato principe qui ex schola agentium in rebus ad obsequia præfecturæ prætorianæ post infinita discrimina, et consumpta ætatis parte meliore perrenit, primores designati officii nihil usurpent, neque præfectianus aliquis sine præsumat militiæ sacramenta, neque matriculis eximatur præter ejus conscientiam atque consensum, ita ut eadem matricula officii prætoriani in principis potestate consistat.*

II. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Theodoto p. v.* Omnia citatoris omnium scilicet causarum atque personarum, licet, sint senatoriæ dignitatis, ad principes specialiter revocari præcipimus: actus vero ceteros, qui a sacratissimo cœtu senatus tractari consueverunt, censualium sollicitudine celebrari, nec aliquod præjudicium ex subreptitio rescripto supplicibus inferri. *Dat. XII. Kal. Iun. cp. Olybrio et Probino Coss.*

Ut etiam senatores omnibus in causis citentur in judicium per principes officii præf. urbi. Actus vero senatus ut conficiantur a censualibus. Capitolinus in Gordianis: s. c. *tacitum fieret, ita ut non scribæ, non servi publici, non censuales illis actibus interessent, senatores exciperent, senatores omnium officia censualium scribarumque complerent.* De censualibus diximus in *tit. de tabul. sup.* Eos fuisse in officio præf. urbi Marianus auctor est.

III. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Palladio Proc. Africæ.* Proconsularis apicis dignitatis adjectione principes agentium in rebus præcipimus decorari. *Dat. VII. Kalen. Oct. Rav. Varana v. c. Cos.*

Principes agentium in rebus æquantur proconsulibus, sicut et Comites consistoriani, quibus etiam in litibus exercendis eadem privilegia competunt, quæ principibus. Pro Palladio, quidam Codices habent Arcadio.

IV. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Valerio Magistro Officiorum.* Ex agentibus in rebus principibus domesticos in suis actibus habere liceat eos, quorum fidem industriamque probatam sibi existimant, etsi sæpe eodem officio fuerint ante perfuncti: et si quis agens in rebus post vigintiquinque annorum curricula ob adversam corporis valetudinem militiæ finem minime valuerit expectare, sed ad honorariam ex principe dignitatem testimonio scholæ prosilierit: iisdem eum privilegiis muniri censemus, quibus hi qui ad principatus actum progressi sunt, potiuntur. Sed in salutationibus judicum consessibusque priores eos, qui per longe militiæ motas ad principatus actum pervenerint, et si actus tempore posteriores sint, esse præcipimus: nihil censualibus, vel apparitoribus adversus privilegia eorum excogitantibus, tanquam in actu principatus fuerint versati, vicenarum librarum auri condemnatione contra eos proposita. *Dat. IV. Kal. Feb. cp. Theod. a. XV. et qui fuerit Nunziatus.*

Ut principibus agentium in rebus liceat habere in suo officio domesticos, sicut præsidibus, ducibus, comitibus. Sed horum domestici completo actu, eundem repetere non possunt, *l. 5. et 6. de assess.* Principum domestici possunt. Ut eadem privilegia habeant principes honorarii post viginti quinque annorum militiam accepta testimoniali hanc dignitatem adepti, quam habent principes in actu positi, ita tamen ut ii in consessibus et salutationibus judicum illi proponantur, licet tempore posteriores sint.

V. *Iidem aa. Cyro pp.* Eos qui ordine transcursa militia, post ducenam ad desideratum principis pervenerint gradum, aut adjutores viri illustris magistri officiorum extiterint, cum inter honoratos cœperint numerari: vicarianæ dignitatis titulis decorari censemus.

Ut ex ducenariis principes facti vel adjutores magistri officiorum, ornentur honore vicariorum, *cum inter honoratos*, inquit, *cœperint numerari*, id est, cum, veluti ex lege seq. completa militia et indepto principatu inter comites primi ordinis vacantes cœperint numerari. De adjutore magistri officiorum diximus in *l. 12. sup. de proximis sacrar. scrin.* de eo quoque accipienda est *l. 1. sup. de off.* in qua separata oratione legendum est, *adjutor præterea*, etc. Et ante eam de curagendariis sive curiosis promovendis, ita legendum ex Vat. *quos, ordo militiæ vocat et labor*, ut in *l. 20. Cod. Th. de agent. in reb. Qui militiæ ordine ac labore decurres*, et *l. 4. C. Th. de curios. Quatenus labore atque ordine ad cursum regendum et ad curae agendas judicio scholæ et ordinis merito dirigamus.*

VI. *Iidem aa Nomo Magistro Officiorum.* Principes agentium in rebus, quo sæpe sæva pericula vitæque interdum renuntiatio ad memoratum gradum adduxit, completo tempore militiæ suæ comitivæ primi ordinis cingulo in diem vitæ potiri, manentibus videlicet dudum præstitis salvis privilegiis decernimus.

De hac l. diximus lege præcedenti satis.

VII. *Imp. Leo a. Nicosterio p. p.* Quicunque ex corpore cohortalium militans in schola agentium in rebus filium procreavit antequam ad metas militiæ suæ perveniat, principatus honore decoretur, licet ipse post finitam militiam, utpote liber nulla debeat hujusmodi conventione pulsari, filium tamen cohortali condicioni relinquat obnoxium. Si vero postquam adeptus fuerit principatum, ediderit filium; is qui natus est, etiamsi in schola devotissimorum agentium in rebus militiam sortitus non fuerit, ita liber sit ac securus, ut nec illis cohortalis officii nexibus obligetur, quasi jam ex patre libero, et ab hac condicione penitus alieno progenitus.

Impressi Codices habent, *et licet*. Scripti carent conjunctione illa. Videtur desiderari illo loco, *Et principatus honore decoretur*. Principatus honor defertur finita militia pro emerito. Igitur sententia legis hæc est cohortalem militantem in schola agentium in rebus principatu cohortali condicione solvi, et filium quoque ab eo post principatum susceptum, non eum qui susceptus fuerit ante principatum. Idem in curiali hac constitutione cum fuisset expressum, Justinianus sustulit, cui magis placet militantes ad curiam revocari. Nam quod est in *l. ult. sup. de dec.* confirmat tantum libertatem eis qui ex jure antiquo ea potiti sunt, non quod in posterum velit Justinian. ista militia vel principatu curiales liberari.

VIII. *Imp. Zeno a. Ioanni Magistro Officiorum.* Multis devotissimæ scholæ agentium in rebus additionibus permoti, viros clarissimos ejusdem scholæ principes, qui finitis militiæ stipendiis exeunt, quoties ex majoris judicis sententiis ipsi vel eorum conjuges, aut liberi, vel servi, aut coloni, sive per se sive per procuratores conveniantur, non amplius quam unum solidum executoribus sportularum nomine præbere compelli: apparitoribus vicarianis, seu præsidialis judicii, non nisi tertia parte solidi tantum præstanda: nullasque iisdem concussiones aut vexationes in præbendis fidejussoribus, ingeri, sed eos fidejussores, quos locorum defensor æstimaverit, dare: ita videlicet ut pro tenore generalium edictorum hi, qui vel in sacratissima urbe, vel in provinciis immobiles possident facultates, adjuratoriæ cautioni et substantiæ suæ credantur. Hoc etiam adjiciendo, ut nunquam nisi ex sententia inscriptis prolata penitus moneantur. Ad similitudinem insuper aliorum officiorum, quoties civiles, vel criminales contra eosdem cognitiones moventur, executorem quidem negotii usque ad finem litis civilia, seu criminalis unius esse solidi præstatione contentum: et pro insinuandis nostræ serenitatis apicibus vel simplici contra obnoxios eorum postulatione deponenda, binos solidos ab his vel conjugibus eorum præberi: et quotiescunque exemplaria postulantur: hi quorum interest, accepto solido, quod petitur, præbere non differant: pro implendis vero monumentis, unde conveniendi tribuitur executoribus facultas, non ultra quam tres solidos, quibus competit, impertiri præcipimus: arbitris vero non amplius quam solidum, fisci patronis dimidiam solidi partem, notariis vero tertiam usque ad finem (sicut dictum est) causæ præstare: super editione quoque chartularum solidi partem dimidiam præbere. Quod si non apud arbi-

trum, sed in competentibus judiciis majoribus cognitio celebretur: inducendi quidem negotii gratia non nisi quatuor solidos eosdem viros clarissimos erogare, gestorum vero excipiendorum causa duos tantummodo solidos dare, et nullius ultra suprascriptas quantitates cujuslibet alteri præstandi sumptus exactione vexari: his omnibus locum habentibus, sive ipsi alus litem ingerant, sive ab aliis pulsentur. *Dat. Kal. Sept. Theodorico Coss.*

Hæc lex definit sportularum modum litigantibus principibus agentium in rebus, et ut ex scripto conveniantur, et fidejussores dent arbitrio defensoris locorum. De sportularum modo nolo singula persequi. Citatur hæc lex in l. 2. *sup. de com. cons et.*

TIT XXII. *De curiosis.*

I. *Imp. Constantinus a. ad Lollianum pp* Curiosi et stationarii, vel quicunque funguntur hoc munere, crimina judicibus nuntianda meminerint, et sibi necessitatem probationis incumbere, nec citra periculum sui si insontibus eos calumnias nexuisse constiterit: cesset ergo prava consuetudo, per quam carceri aliquos immittebant. *Dat. XI. Kal. Aug. Med. Acc. XII. Kal. Sept. Arbitione et Lolliano Coss.*

Curiosi qui et curagendarii dicuntur *l. 1. C. Th. eod. tit.* sunt ex agentibus in rebus, ut constat ex *l. 1. de off. mag. off.* et ex constitutionibus hujus tit. et nominatim l. 2 cavetur ut solis agentibus in rebus curæ publici cursus committantur, non officiis præfectorum prætorio vel vicariorum *l. 2. inf. de apparit. præf. præt.* Hæ sunt curiosorum præcipuæ curæ, ut non male Græci hunc tit. ita interpretati sint, περὶ φροντιστῶν τοῦ δρόμου, et quidem solæ, ut tamen et missi per regiones, provincias, littora, portus, commonitoriis et mandatis instructi a magistro officiorum in eos qui quid circa cursum publicum admiserint, diligenter inquirant, rem deferant sine inscriptione, ut quodam constitutione Græca *de custodia reorum* continetur, non tamen sine calumniæ pœna, ut hac lege cavetur, quæ etiam prehensionem eos non habere significat, ut *l. 4.* nec vocationem. Alii erant curiosi cursus publici in comitato, alii per diversas provincias, ut Mariani Scoti, notitia declarat, qui a magistro officiorum dirigebantur, quandoquidem ex magisterianis erant, id est, agentibus in rebus De stationariis dixi l. 6. *sup. tit. 1.*

II. *Idem a. et Iulianus Cæsar ad Taurum.* Agentes in rebus in curis agendis et evectionibus publici cursus inspiciendis nostrorum memores præceptorum credimus in omnibus velle profutura reipublicæ: ideoque solos agentes in rebus in hoc genere jussimus obsequium adhibere, et non ab alio penitus officio: hi vero pervigili diligentia providebunt, ne quis citra evectionis auctoritatem moveat cursum, vel amplius postulet, quam concessit evectio. Quisquis igitur aliquid tale perpetrare tentaverit, improbi cœpti privetur effectu: demonstretur etiam judicibus vel curiosis evectio, etiamsi qui nobis jubentibus festinare momoret in obsequium necessarium, nec prævaleat contumacia vel dignitas. Ergo nummum vetamus exposci pro animalibus in cursu minime constitutis. Quod si forte aliquis existimaverit perpetrandum: ejus quadruplum, quod accepit, inferre cogatur. *Dat. XV. Kal. Mai. Mediolani Constantino a. IX. et Iuliano Cæs. II. Coss.*

Curiosi mittuntur ex schola agentium in rebus, ut inspiciant evectiones sive συνθήματα cursus publici, et curent ne qui sine evectione currant, *l. 3. inf. de cursu pub.*, vel supra modum evectionis, ut qui unius rhedæ copia habet, ne flagitet duas, vel qui birotum habet, aut veredum, ne flagitet rhedam. Et ut ne a provincialibus nummum exigant pro animalibus eorum in cursu minime præbitis.

III *Idem. a. ad Agentes in Rebus.* Per id tempus, quo cursus tuendi sollicitudinem sustinetis, condemnationes præfectorum præt. circa eos solos irritæ sunt futuræ, qui servaverint honestatem: ergo eos vero, qui inhoneste et contra decus seculi vel honorem militiæ versabuntur, non solum condemnatio mansura est, verum etiam gravior pœna est statuenda. *pp. Pri. Kal. Dec. Eusebio et Hypatio Coss.*

Præfecti prætorio coercitionem habent in curiosos qui in hoc officio inhoneste versantur.

IV. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Marcello Magistro Officiorum.* Agentes in rebus singulos per singulas provincias mittendos esse censemus, quibus tamen inspiciendarum evectionum tantum debeat cura mandari, ut nihil prorsus commune aut cum judicibus, aut cum provincialibus habeant: nec naves debebunt illicita concussione vexare, nec libellos, vel contestationes litis gratia suscipere, aut in carcerem quemquam trudere, sed cursui solum vacare. *Dat. Kal. Iun cp. Olybrio et Probino Coss.*

De hac dictum est satis *l. 1.* Quod ait, *nec naves* eo pertinet *l. 1. inf. de lit. custodia.*

TIT. XXIII. *De palatinis sacrarum largitionum, et rerum privatarum.*

Palatinorum nomen generale est. Eo continentur militantes in sacris scriniis et agentes in rebus de quibus dictum est supra, et apparitores Comitum largitionum vel privatarum, de quibus hoc tit. agitur, et ministeriani, de quibus tit. seq. Generalem hanc significationem comprobat *l. 1. inf. de priv. cor. qui in sac. pal. mil.* Ambros. 5. Epist *Palatina*, inquit, *officia omnia, id est, memoriales, agentes in rebus, apparitores diversorum Comitum* Hic tit. ut jam dixi, est de apparitoribus Comitum, qui et largitionales aut privatiani dicuntur, et hoc sensu plurimum in constitutionibus palatini accipiuntur, ut *l. ult. sup. de locat. præd. civ. l. 1. sup. quib. ad cond. præd fisc l. 2. sup. de col. fund. fisc. l. u l sup. de fide hast. fisc.* l. 2 *sup. de pet. bon sub* et multis aliis: et sicut officium pro officialibus accipitur sæpe, ita palatinum pro palatinis. Ammian. lib. 4. *Tuas et palatii tui auferri jubeo propediem annonas* et eodem libro, *Relicto palatio omni.*

I. *Impp. Constantius et Constans aa ad Beronicianum Vic. Asiæ.* Palatini pro capitibus seu jugis suis tantum pensitationem atque obsequia recognoscent, extraordinariis et sordidis muneribus, et susceptionibus et temonariis oneribus liberati. *Dat. Non. Mai. cp. Constantio IV. et Constante III. aa. Coss.*

Palatini excusantur ab extraordinariis et sordidis muneribus.

II. *Imppp. Valentin. Valens, et Gratianus aaa. Titiano com. s l.* Nullus thesaurensis, vel officialis Comitis thesaurorum semel deprehensus eversor, quocunque pacto, aut repetat militiam suam, aut aliam sibi requirat per ambitum dignitatem, ut sese transferat ad aliam quamcumque militiam. *Dat. VIII. Kal. Feb. Antiochiæ. Gratiano a. IV. et Merobaude Coss.*

Thesaurensem vocare videtur officialem Comitis sac. larg. qui et comes Thesaurorum dicitur. Tal, igitur hoc loco est θησαυρησιακόν. Si thesaurensis, id est, apparitor Comitis sacrarum largitionum deprehendatur eversor rerum ad sacrum ærarium pertinentium, militia pellitur, et nec ad eam reverti, nec aliam ullam militiam sive dignitatem capessere potest.

III. *Imppp. Gratianus Valentinianus et Theodosius aaa. Pancratio* c. r. p. Prisco jam nunc ordine revocato, de palatino potius officio ad gerendum principatum officii Comitis domorum per Cappadociam mittantur, quales Comes etiam domorum, si inhonestum aliquid gesserit, vereatur. Idoneus itaque singulis annis e numero mittendariorum ad hoc eligere debere et mittere. *Dat. pri. non. Iul. Scopis Ausonio et Olybrio Coss.*

De Comite domorum scripsimus tit. hjus libri. Hic habebat officium, et officii principem non ex schola agentium in rebus, sed ex officio Comitis rerum privatarum.

IV. *Iidem aaa. Hesperio pp.* Nihil omnino ullis judicibus cum palatinis nostræ clementiæ, quicunque a Comitibus diriguntur, sit commune atque conjunctum: sed excepta reverentia, quæ non solum ab inferioribus sed etiam a majoribus, et in provincia degentibus rectoribus provinciarum debetur atque defertur, suis quisque necessitatibus obsecundet. *Dat. VIII. Id. Decem. Sirmio Ausonio et Olybrio Coss.*

Ut palatini missi in provincias Comitibus a sui suum munus exequantur per se salva reverentia præsidum.

V. *Iidem aaa. Nebridio Coss.* c. r. p. Quidam post impletum ordinem militiæ palatinæ quam gesserant,

honoremque transactum, ad exceptorum scrinia transire nituntur. Hac igitur lege sancimus, ut nulli prorsus dehinc ista audendi relinquatur occasio: sed unusquisque ejus scrinii, quod primum militando elegit, ordinem persequatur, nec in alterius loco finem militiæ requirat, qui jam proprii ordinis transegerit principatum. *Dat. V. Id. Oct. cp. Merobaude II. et Saturnino Coss.*

Variæ sunt scrinia largitionum et rerum privatarum. Qui in uno militavit et fuit in eo primicerius sive princeps, postea ad aliud transire, et locum alii debitum occupare non potest.

VI. *Iidem aaa. ad Probum pp.* Ab officiis palatinorum excellentia tua sciat ita penitus esse recedendum, ut nec ipsa post modum illicitum sibi credat iisdem aliquid injungere, et præterea provinciarum rectores prohibeat quicquam ulterius tale conari. *Dat. VII. Kal. nov. Med. Post. cons. Merobaudis II. et Saturnini.*

Ne præf. prætorio, ne præsides quicquam palatinis injungant. Hoc enim ad solos Comites spectat.

VII. *Iidem aaa. Trifolio c. s. l.* Scriniis omnibus largitionum comitatensium infrascriptas decernimus dignitates: ut his contenti, ambiendi sibi aditum interclusum esse cognoscant, etiam si speciale beneficium emendicato suffragio quisquam voluerit impetrare: annonas etiam juxta definitum dignitatum modum volumus præstari, nec amplius quicquam præsumi. Brevis, quas dignitates per singula scrinia officium sacrarum largitionum habere statutum est. *Scrinii* exceptorum perfectissimus ordinis secundi numero unus, id est, primicerius exceptorum unus: ducenarii dun, id est, tertiocerius, et quartocerius, centenarius unus, id est, primicerius instrumentorum: epistolares numero duo: formæ primæ numero triginta sex: formæ secundæ numero quatuor: formæ tertiæ numero tres. Scrinii numerorum perfectissimus ordinis tertii numero unus: ducenarius numero unus: centenarii numero duo. Epistolares numero duo: formæ primæ numero tres: formæ secundæ numero unus; formæ tertiæ numero duo. Sacri scrinii tabulariorum perfectissimus ordinis tertii numero unus: ducenarius numero unus: centenarius numero unus: epistolaris numero unus: formæ primæ numero tres: formæ secundæ numero quinque. Scrinii canonum perfectissimus ordinis tertii numero unus: ducenarius numero unus: centenarius numero unus: epistolares numero duo: formæ primæ numero quatuor: formæ secundæ numero quatuor. Scrinii mittendariorum ducenarius numero unus: centenarii numero duo: epistolares numero octo: formæ primæ numero septem: formæ secundæ numero triginta tres. Scrinii sureæ massæ perfectissimi ordinis tertii numero unus id est, primicerius sacræ massæ, numero unus: item secundocerius numero unus: ducenarii numero duo, id est, tertiocerius, et quartocerius: centenarii numero sex: epistolares numero quatuor. Aurifices specierum perfectissimus numero unus: ducenarii numero quatuor: centenarii numero sex: epistolares numero octo; formæ primæ numero XLVI. formæ: secundæ numero quatuor. Aurifices solidorum ducenarii numero unus: centenarii numero octo: epistolares numero sex: formæ primæ numero novem: formæ secundæ numero triginta. Sculptores et ceteri aurifices centenarii numero unus: epistolares numero quinque: formæ primæ numero sex: formæ secundæ numero decem et octo. Scrinii auri ad responsum perfectissimi ordinis primi numero unus: perfectissimi ordinis secundi numero duo: ducenarius numero unus; centenarii numero duo; epistolares numero tres; formæ primæ numero quatuor; formæ secundæ numero duo; formæ tertiæ numero unus. Scrinii a miliarensibus perfectissimus ordinis primi numero unus; ducenarius numero unus; formæ primæ numero unus; formæ secundæ numero duo; formæ tertiæ numero tres. Scrinii vestis perfectissimus ordinis tertii numero unus: perfectissimus ordinis secundi numero unus: ducenarii numero unus; centenarii numero unus epistolares numero duo, formæ primæ numero septem, formæ secundæ numero decem, formæ tertiæ numero quatuor. Officialium sacrarum vestium ducenarii numero tres, centenarii numero tres: epistolares numero duo, formæ primæ numero duodecim, formæ secundæ numero decem, formæ tertiæ numero octo. Deputati sacræ vestis perfectiss. secundi ordinis numero duo, ducenarii numero due: centenarii numero duo: epistolares numero duo: formæ primæ numero tres. Scrinii ab argento perfectissimi ordinis secundi numero unus: epistolares numero unus: formæ primæ numero sex: formæ secundæ numero tres: formæ tertiæ numero unus. Scrinii a pecuniis perfectissimus ordinis secundi numero unus: formæ primæ numero unus; formæ secundæ numero duo; formæ tertiæ numero quinque. Argentarii comitatenses ducenarii numero unus: centenarii numero duo; epistolares numero tres: formæ primæ numero octo; formæ secundæ numero viginti quinque. Barbaricarii contenarii numero duo; epistolares numero quinque; formæ primæ numero octo; formæ secundæ numero unus. *Dat. IV. Id. Iun. Heracliæ Ricomere et Clearcho Coss.*

Scrinia sacrarum largitionum hæc sunt, exceptorum, *l. 5. sup. canonum, l. 10. sup. de muril.* Tabulariorum, l. *ult. sup. de vest. holos.* numerorum sive numerariorum, mittendariorum, sureæ Massæ, auri ad responsum, a miliarensibus, vestiarii sacri, ab argento, a pecuniis. Officiorum in eis scriniis dignitates et gradus quibus strenæ debentur et vestes, et annonæ, hi primicerii, ducenarii, centenarii, epistolares vel epistolarii, ut C. Th. et Salvian. 5. de providentia: *Veniunt plerunque novi nuntii, novi epistolarii a summis potestatibus missi*: ubi vulgo male, *novorum epistolarum.* Sunt et alii gradus, qui dicuntur formæ primæ, secundæ, tertiæ, ut et inter ministeriales, *l. 2. inf. de castren.* Numerum singulorum notitia hujus legis declarat, quem misere depravatam emendavi ut potui locis quam plurimis. Ubi erat scriptum, *scriniarii ad militem*, vetus habebat, *ad militem.* Emendavi ex notitia Mariani, *scrinii a miliarensibus*, Miliarenses nummorum genus est, qui erogabantur militibus. *Nov.* 105. Epiph. τὸ ἀργύριον τοῦτο ἐστὶν ὃ οἱ Ῥωμαῖοι μιλιαρήσιον καλοῦσιν, ὃ ἑρμηνεύεται στρατιωτικὸν δόμα. Idem et Cedrinus scripsit. Ubi erat scriptum *per formam*, emendavi, *perfectissimus, vel perfectissimi*, et alia multa. Rerum autem privatarum scrinia quatuor sunt, beneficiorum, rationum, securitatum, largitionum privatarum. Quod non tantum notitia Romani Imperii comprobat, sed et *lex ult. C. Th. eod. tit.* in qua ita est: *Tam primicerius officii privatarum, quam alii quatuor reliquorum primicerii scriniorum.*

VIII. *Iidem aaa. Trifolio c. s. l.* Placuit justa et omnibus mittendariis palatini officii profutura suggestio, quam insinuasti, ut ex iisdem annis singulis ducenarii tantum, et centenarii habito provisionis intuitu cingulo liberentur. *Dat. IV. Id. Mar. cp. Arcadio a. i. et Bantone v. c. Coss.*

Hæc quoque lex valde corrupta est. Legendum *Placuit justa et omnibus mittendariis palatini officii profutura suggestio, qua insinuasti, ut ex iisdem annis singuli, ex ducenariis terni, ex centenariis habito provisionis intuitu cingulo liberentur.* Fuit in officio Palatino mittendariorum certus numerus, *l. 3. sup.* qui soli usu exigente mittebantur in provincias jussu Comitum. Ex eis singuli quotannis cingulo liberantur. Et sequentes in eorum locum succedunt, ex ducenariis terni, ex centenariis habito provisionis intuitu.

IX. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Nestorio com. r. p.* Non aliter quilibet officio sacrarum largitionum, vel privatarum cingulum militiæ sibi sumendum existimet, nisi nostræ mansuetudinis adnotationem meruerit. *Dat. Prid. Id. Aug. Ancyræ Stilichone II. et Anthemio Coss.*

Ne quis palatinorum cœtui societur sine adnotatione principis.

X. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Joanni pp.* Palatinos, qui sacrarum remunerationum rationem tractantes inculpatim ad calcem terminumque militiæ perveneriot, necnon etiam adjutorem, et primicerios

diversorum officiorum, præcipimus habere privilegia, quæ nuper agentium in rebus scholæ nostra sunt mansuetudine contributa, scilicet ut a tyronum præbitione memorati reddantur exsortes, ceteraque onera non agnoscant. *Dat. VII. Id. Jun. Rav. post cons. Honorii IX. et Theodosii v. aa.*

Ut palatini sacrarum largitionum completa militia, et primicerii scriniorum, de quibus *l. 7. sup.* et adjutor officii palatini, qui scilicet matriculam tractat, *l. 16. et 17. C. Th. eod. tit.* a tyronum collatione excusentur. Quod et scholæ agentium in rebus datum sjnnt, nec tamen est supra relatum. Verum de eo in C. Th. est *l. 13. de agent. in reb. et inf. de priv. eo qui in suc. pal. mil. l. 2.* Ait, *Cetera onera.* Additur in C. Th. *quæ antea ad dignitatis dispendium sustinebant.*

XI. *Iidem aa. Anysio c. s. l. et Tauro* c. *r. p.* Ad similitudinem sanctionis, quam de proximis sacrorum promulgavimus scriniorum, etiam in officio sacrarum largitionum, atque privatarum pro biennio annum sub perpetua observatione præcipimus custodiri: ita ut et privilegia, quæ hujusmodi officiis vel primiceriis sacris legibus deferuntur, integra illibataque serventur. *Dat. III. Kal. Iul. cp. Theodosio a. VII. et Palladio Coss.*

Ut primicerii officiorum et scriniorum palatinorum sint annui, exemplo proximorum sacrorum scriniorum, l. 5. *sup. de prox sac. scr* Biennales erant ex *l. 16. C. Th. eod. tit.*

XII. *Impp. Theodosius, et Valentinianus aa. Maximo c. s. l.* Viros devotos Palatinos non oportet in hac regia urbe apud virum illustrem Præfectum urbi litigare compelli, nisi de ædificatione domorum et servitutibus, et annonis orta videatur causa: in aliis vero causis, tam pecuniariis, quam criminalibus, apud viros illustres tantummodo Comites suos respondere. Rectoribus autem provinciarum intra administrationis suæ fines inter præsentes Palatinos, nec causis publicis occupatos cognoscere, tam pro civili quam pro criminali causa permittimus, sic tamen ut non aliter criminalis sententia adversus eos proferatur, nisi ex suggestione provincialis judicii vir illustris Comes, sub quo militat, certioratus hoc ei permiserit.

Ut palatini in litibus non respondeant præfecto urbi, exceptis casibus certis, de quibus diximus *l. 12. sup. de prox. sacr. scr.* sed Comitibus, in urbe scilicet. Nam in provinciis ordinarium judicem agnoscunt, nisi si qua publica sollicitudo eis injuncta sit, ut etiam in causa agentium in rebus accipitur, *l. 4. sup. de agent. in reb.* Sed neque provincialis magistratus criminalem sententiam dicere in eos potest inconsultis Comitibus.

XIII. *Iidem aa. Eudoxio* c. *s. l.* Inter alias prærogativas, quas ante meruerant scholæ societatis sacrarum largitionum, primicerius et tres primicerii scriniorum tribuni militaris prætoriani dignitate fruantur: nulla eis ex cujuslibet judicis præceptione injungenda publica vel privata necessitate.

Ut ex officio sacrarum largitionum primicerius totius officii, et tres primicerii scriniorum, tribuni prætoriani militaris dignitate fruantur, ita ut et civilium et militarium judicum indictionibus immunes sint. Sic *l. 4. inf. de appar. mag. mil.* Ait, *Societatis*, mallem, *Sociali.* Ait, *Tres:* Atquin plures. Marianus ponit, et *l. 7. sup.* Vel desierant esse plures, vel ex pluribus quinam hi tres sint, divinare non possumus. Idemque de primicerius scriniorum rerum privatarum dicendum, qui et primates dicuntur *l. seq.* et primi scrinii a Mariano: quos fuisse quatuor ostendimus *l. 7.* At *l. seq.* tribus duntaxat eadem privilegia tribuit.

XIV. *Iidem aa. Florentio pp.* Jubemus viros devotos Palatinos rei nostri numinis privatæ eisdem privilegiis decorari, quibus etiam Palatini, qui in sacris largitionibus deferuntur: cum enim par similisque militia sit, justum et competens videtur, iisdem utrumque officium privilegiis gloriari. Primicerios itaque officii tresque primates scriniorum rerum privatarum finito tempore militia inter tribunos militares prætorianos, salvis iisdem præstitis privilegiis sacris constitutionibus, nostram clementiam adorare decernimus: ita tamen ut nullam injunctionem, nullam sollicitudinem privati vel publici negotii quolibet judiciario præcepto sustinere possint: sed excepta omni necessitate, omnique fatigatione indeptæ dignitatis honore potiantur.

Eadem hæc Constitutio dat scholæ privatarum, quæ superior scholæ thesaurorum.

TIT. XXIV. *De stratoribus*

I. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Zosimum Præsidem novæ Epiri.* Per omnes provincias edictum generale misimus, ut ab stratoribus unus tantum solidus probæ nomine posceretur, et in offerendis equis certam formam, staturam et ætatem provinciales nostri custodiendam esse cognoscerent, quos etiam fisco certo modo solidorum obnoxios fecimus, si quod stratores petere interdictum est, illi dare stratoribus non timerent. Officium quoque gravitatis tuæ centum argentis libris multabitur, si sciens prædictam rem gestam fuisse non illico eam severitati judiciariæ prodiderit. *Dat. XIII. Kal. Iul. Apolloniæ Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Nihil refert stratores: dixeris an statores: hi erant in officio præsidum aut proconsulum. Eis dabantur nonnunquam rei custodiendi, ut quemadmodum in Cypriani vita scriptum est: *Ductus et susceptus est Cyprianus custodiendus ab stratore sive statore officii proconsulis.* At proprium horum munus est equum freno tenere, et conscendenti magistratui opem ferre. Non utar auctoritate donationis Constantini, sed aliorum. Spartianus in Caracalla: *Cum illum in equum strator ejus levaret.* Paulus Diaconus de gestis Lang. *Equus quamvis hinc inde a stratore verberibus cursu non poterat elevari.* Item equos militares probare, qui a provincialibus conferuntur, ut hæc lex indicat, et Marcellinus 29. his verbis: *Constantinus strator paucos militares equos ex his ausus mutare, ad quos probandos missus est in Sardiniam.* Et probæ nomine hæc lex statuit a provincialibus stratoribus unum tantum solidum dari, nihil præterea. Perperam antea legebatur, *propriæ nomine*, sicut paulo post, *staturam æqualem*, pro *staturam et ætatem.* Hoc probæ nomine usus etiam est Marcellinus in fine libri xxII.

TIT, XXV. *De castrensianis et ministerianis.*

Castrensiani sunt ministeriani aulici qui sacro ministerio deputati sunt, ut ait *l. 4.* veluti prægustatores, pincernæ, vestitores, pistores, pædagogia sive pædagogiani pueri, ut Marcellinus lib. xxvI describit tunica auro distincta induti a calce in pubem, purpureis operti tegminibus pedum, quos et lib. xxx. refert in venatione disponi ad canes retinendos, Gallice, *pages.* Castrenses ministri appellantur a Lampridio in Alexand. De iis Tertul. de corona militis: *Est etiam*, inquit, *alia militia regiarum familiarum, nam et castrenses appellantur.* Hi erant sub dispositione viri spectabilis castrensis sacri palatii, ut diximus tit. v. *sup.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Narsi viro spectabili, comiti et castrensi. s. p.* In officio spectabilitatis tuæ secundum formam divalium responsorum post completum tempus præfinitum, id est, biennium, prioribus discedentibus, insequentes ad locum pro merito laborum stipendiorumque succedant: nec ulla licentia tribuatur his, qui impletum deposuerunt officium, denuo ad eandem militiam vel sollicitudinem remeandi. *Dat. VI. Id. Febr. cp. Theodosio a. VII. et qui fuerit nuntiatus.*

Castrensis sacri palatii officium habuit, ut Marianus Scolus in notitia docet. In eo qui biennio militaverunt superiore gradu, eam deinde militiam deponunt, et sequentibus locum faciunt, nec rursus ad eandem militiam reverti possunt, ut et de palatinis constitutum est *l. 5. sup. de pal. sacr. larg.*

II. *Iidem aa. Scholastico v. s. comiti, et castrensi s. p.* Si quis primæ, vel secundæ, vel tertiæ formæ specialiter inter statutos gradum cœlitus valuerit impetrare: supernumerarius ultimus formæ tertiæ in matriculis habeatur. *Dat. Prid. Id Ian. cp. Honorio XIII. et Theodosio X. aa. Coss.*

Ut inter largitionales *l. 7. sup. de palatin.* ita et inter castrensianos sive ministeriales certi sunt gradus primæ, secundæ, tertiæ, formæ, et statuti alii, alii supernumerarii. Sed supernumerarii, qui primæ, aut secundæ, aut tertiæ formæ gradum beneficio principis obtinuerunt ultimi in formam tertiam rejiciuntur, nec pleno principis beneficio fruuntur ex hac lege.

III. *Impp. Leo et Anthemius aa. Ioanni comiti, et Magistro Officiorum.* Hi qui in schola vestis sacræ militant, vel matres eorum, vel uxores, criminalem vel civilem litem contra se movendam in nullo alio, nisi in sublimitatis tuæ suscipiant examine.

Ut ministeriani vestis sacræ jurisdictioni subjiciantur magistri officiorum. Nescio an ob id castrensiani a Suda magisteriani appellentur, vel ita legendum, μαγιστριανοί, ὁ καγστρήσιος, quod probo. Dicitur autem magister officiorum etiam Comes, in inscriptione hujus legis, ut *l. 3. inf. de cur. pub.* et *l. 10. C. Th. de curio.* et in inscriptione *l. 3. sup. de off. mag. off.* et *l. 1. ibi. seq.* Sic etiam se vocat Ælius Amidenus medicus. Sic in Nerva quidam: ὁ τουπρόπατος κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τῶν ὀφφικίων κόμης.

IV. *Impp. Leo et Zeno aa. Mariano comiti et Magistro Officiorum.* Ante omnia nullius alterius judicis penitus minoris vel majoris sacro ministerio nostro deputatos, quorum officia sigillatim brevis subter annexus continet, nisi a tuæ duntaxat magnitudinis sententiis conveniri: ut in nullo penitus alterius judicis foro pulsantium, nisi in tuæ tantummodo amplitudinis examine, præbeant aliquando responsum. Sed ne in hoc ipso judicio enormibus molestentur dispendiis, vel ex nudis conveniantur facile judicis cujuscunque mandatis: ipsis quoquo sportulis et fidejussoribus modum constituimus observandum, ante omnia decernentes nequando sine scriptura vel interpellatione deposita, ac sententia prorogata tuæ magnitudinis, eademque non edita conveniri possint: conventos vero non alium fidejussorem, nisi actuarium, vel unum ex primatibus suæ scholæ executoribus pro responsione suæ personæ sine scripto præstare, sive per seipsum, sive per procuratorem datum in judicio responsuri sunt, et sive in causis civilibus appetantur, sive in criminalibus accusentur: nec ultra conventionis nomine sportularum, quam unum aureum executoribus usque ad finem litis præstent, quemcunque contigerit conveniri. Inducendorum sane nomine et cognitionum exercendarum, standæque personæ gratia ex simplici postulatione contra eos habita, sive ex appellatione subsecuta, vel alio quolibet modo in judicio deponatur: tribus tantummodo solidis usque ad terminum negotii eos, qui accepturi sunt, præcipimus semper esse contentos. In cognitionalibus vero gestis edendis duos tantummodo præstari solidos. Hæc autem privilegia non in eorum tantummodo, sed in matrum quoque et uxorum personis valere, et ad integrum permanere: filiis quoque et maritis easdem fidejussionis nomine, si necessitas interpellationis exegerit, tradi, nec alios vades exigi: ipsosque dum militant, et post emensam militiam cum his, qui ex tempore priori præstitæ sibi pragmaticæ sanctionis ejusdem militiæ stipendia implesse noscuntur, omnibus privilegiis perfrui (cunctis nihilominus capitulis sacris affatibus divæ recordationis Martiani, quos se meruisse asserunt, valituris: excepto hoc, quod in diversis judiciis tunc respondere præcepti sunt) hac sanctione decernimus. Advocato quoque fisci, exceptoribus etiam, qui apud arbitros hoc utuntur officio, ab exordio incipiendo usque ad terminum finemque negotii tertiam duntaxat partem solidi præbituros: in hujusmodi autem arbitrorum gestis edendis non ultra præstare, quam dimidiam solidi partem, et cum per provincias constitutus fidejussore conventus caruerit, adjuratoriæ tantummodo cautioni committi, nec ullo tempore, nisi ex tuæ duntaxat magnitudinis sententia conveniri: exceptis tributariis, et munerum functionibus, et criminibus, quæ in locis inquiri, flagitari, et vindicari generalia legum præcepta constituunt: præsenti sanctione decernimus: viro clarissimo adjutore sublimitatis tuæ in speculis constituto, ne quid ex his, quæ statuimus, aliqua subreptione violetur.

Quod lex superior scholæ vestis, hæc dat omnibus ministerianis, ut sint sub jurisdictione magistri officiorum, exceptis criminalibus et tributariis causis: et ut non nisi ex scripto conveniantur, et conventi ut committantur fidei actuarii, vel unius ex prioribus ejusdem scholæ. Definit et modum sportularum. Cetera nolo persequi. Desideratur in fine legis notitia ministerianorum. Desiderari etiam Constitutionem Græcam quidam Codices adnotatum habent.

TIT. XXVI. *De decanis.*

I. *Impp. Honorius, et Theodosius aa. Helioni comiti, et Magistro Officiorum.* Quatuor qui ex corpore decanorum ad primum militiæ gradum pervenerint, biennii spatio primiceriatus gerant officium, neque ulterius cuiquam liceat in hoc immorari: ut omni gratia et ambitione cessante, post duorum annorum curricula succedant prioribus subsequentes. *Dat. Prid. Non Nov. cp. Theodosio a. VII. et Palladio V. c. Coss.*

Decanos esse ex ministerianis l. 2. probat, et notitia: *l. vii. inf. de div. off.* Et Ambros. v. Epist. *Quod de palatio*, inquit, *decanos miserat et vela suspenderent.* Et Corippus in Justino: *Accuti proceres omnes, scholaque palatii Turba decanorum, cursorum, in rebus agentum.* Cujus ministerii si avns scire, refer titulum de collegiatis quæres. Fuere in eo corpore primicerii quatuor biennales.

II. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Nomo Magistro Officiorum.* Nostræ pietatis famulatinnibus adhærentes decanos non oportet pro desiderio pulsantium ad alia protrahi judicia, sed viri illustris tantum magistri officiorum observare examen: hoc namque modo neque mansuetudinis nostræ obsequia decipiuntur, et agentibus adversus eos jure adhibetur responsum. Ad exemplum itaque devotissimorum scholarium, nulli licere memoratos ad aliud judicium trahere, et pulsatos fidei priorum scholæ permitti præcipimus.

Decani pertinent ad jurisdictionem magistri officiorum, et conventi primiceriorum scholæ fidei committuntur.

TIT. XXVII. *De mensoribus.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Æmiliano Magistro Officiorum.* Primicerius mensorum biennio exploto agentis in rebus ultimi militiam sortiatur. *Dat. X. Kal. Aug. Ancyræ Stilichone et Anthemio Coss.*

Mensores etiam sunt ex ministerianis *l. ult. inf. de div. off.* De mensuris incertus auctor adjunctus libris de limitibus agrorum, mensores intelligens: *Maister nles*, inquit, *Imperatorum putamus majores in accipiendo, minores in dando mensuras habuisse.* Iidem principi hospitia præparant, *l. 1. 2. 5. inf. de metatis.* Ex hoc corpore primicerius biennio completo inter agentes in rebus ultimo loco connumeratur.

TIT. XXVIII. *De privilegiis eorum qui in sacro palatio militarunt.*

I. *Imp. Constantinus a. Palatinis bene meritis s.* A Palatinis tam his qui obsequiis nostris inculpata officia præbuerunt, quam illis qui in scriniis nostris, id est, memoriæ, epistolarum, libellorumque versati sunt, procul universas calumnias, sive nominationes jubemus esse submotas: idque beneficium ad filios eorum atque nepotes ipso ordine sanguinis pervenire, atque immunes eos a cunctis muneribus sordidis et personalibus permanere cum universis mobilibus et mancipiis urbanis, nec injurias eis ab aliquibus inferri: ita ut qui hoc contempserit, indiscreta dignitate pœnas debitas exigatur. *Dat. IV. Kal. Nov. Triveris Volusiano et Anniano Coss.*

His qui militarunt inter ministeriales et memoriales hæc constitutio vacationem dato personalibus muneribus, et a patrimonialibus sordidis.

II. *Idem a. ad. Rufinum pp.* De cubiculis nostris vacatione donatos, vel diversis obsequiis palatinis,

memoriales etiam, qui in scriniis memoriæ, epistolarum, libellorum, sacrarumque dispositionum referuntur, necnon et si qui in utroque officio palatinorum comitatensium singularumve urbium, et officio admissionum, et castrensis sacri palatii militant privilegia volumus habere, ut nec ipsi, nec filii, nec nepotes eorum ad honores vel munera municipalia devocentur. Quibus omnibus condonamus, ne exactorum, vel turmariorum, quos capitularios vocant, curam subeant, vel obsequium temonariorum, vel pentaprotiæ, aut etiam tyronis præstationem agnoscant: nam beneficiis nostris ita digni sunt, ut etiam censualibus, vel personalibus, vel corporalibus muneribus liberentur, et habeant castrense peculium, sive adhue palatium observent, sive optata quiete donati sunt: quibus omnibus privilegiis conjungimus agentes in rebus, licet militaribus videantur esse subnixi. *Dat. V. Kal. Mai. Sirmio Constantino a. v. et Licinio Cæs. Coss.*

Hæc vero constitutio privilegia dat eisdem, atque etiam cubicularis et admissionalibus et agentibus in rebus, et iis qui in utroque officio, id est, largitionum et privatarum, palatinorum, comitatensium singularumve urbium militant: largitiones sive largitionales et privatiani, alii fuerunt Comitatenses, qui scilicet in aula versabantur, *l. 7. sup. de pal. sac. larg.* (sic et Theodoretus vocavit lib. IV. c. XXII) alii in urbibus singulis, qui omnes palatinorum matriculis attinentur, ut ait *l. 3. C. Th. eod. tit.* l. 1. *C. Th. de privil. app. mag. pal.* Privilegia hæc sunt, ne ipsi vel filii aut nepotes eorum ad honores et onera municipalia devocentur: ne tyronum exactionem sive præstationem agnoscant: quod unum idemque onus variis appellationibus hac lege significari ea comprobabunt quæ diximus l. 4. *sup. de dignit.* maxime si ut est scriptum in Cod. Theodosii in hac lege legatur *prototypiæ*, non *pentaprotiæ*, et quod turmarios vocat, a turmis tyronum, cogendis scilicet: et ut habeant castrense peculium: et ut ne personæ eorum aut servi professionibus censualibus teneantur: et ut vacationem habeant personalium munerum. Vacatio patrimonialium non datur nisi sordidorum. Ait, *licet militaribus.* Codex Theodos. *licet meritis militaribus*, id est, licet palatinis annumerandi non videantur, sed tamen ad eos quoque palatinorum nomen pertinere ostendimus in *tit. de pal. sac. larg.*

III. *Impp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Eutropio pp.* Ex aula nostra decedentes viri ab omnibus injunctis habeantur immunes, numerariorum fastus vel rapaces quæstus tanquam experientes et idonei non patiantur. *Dat. III. Non. Febr. cp. Eucherio et Syagrio vv. cc. Coss.*

Ne quid oneris numerarii præf. prætorio his qui in palatio militarunt, injungant tanquam idoneis rerumque peritis, id est, hoc colore quod ad onera idonei sint.

IV. *Impp. Valentinianus, Theodosius, et Arcadius aaa. Piniano p. v.* Omnes qui in palatio militando diversis actibus paruerint, in tantum ejus dignitatis, cujus meruerint missionem, obtinere noverint insignia, ut his omnibus præferantur in ordine atque consessu, qui posteriore tempore regendas provincias dignitateaque susceperint palatinas. Si quis autem temerariis usurpatione statuta violare tentaverit, sacrilegii pœnam sustineat. *Dat. Prid. Non. Jul. Med. Acc. IV. Kal. Sept. Honorio nb. p. et Evodio Coss.*

Ut palatini soluti militia posterioribus præferantur, qui vel rexerunt provincias, vel dignitates susceperunt palatinas. Connumerantur ergo inter clarissimos. Quod est in subscriptione *Nobilissimo puero*, et occurrit in aliis frequenter, non erit alienum hoc loco admonere, eo significari Cæsaris, id est, designati successoris imperii dignitatem. Zonoras in Justino · τὴν τοῦ νωβελλισίμου ἀξίαν τῷ Ἰουστινιανῷ ἐπιψηφισάμενον.

TIT. XXIX. *De privilegiis scholarum.*

Scholares erant sub magistris officiorum, taxati in XI. scholis, *l. ult. sup. de loc.* Marianus Scotus a recensel, quas retuli in *l. 1. sup. de annon. etc* l. Undecima fuit fabricensium. Et sunt quasi superbiores milites, ut Sudas indicat in verbo ὑπερασπισταί. Alii sunt milites sub magistris militum, alii fœderati sub phylarchis sive optionibus. Separantur scholares, veluti agentes in rebus, a palatinis, *l. 2. sup. tit. præced.* qui est de privilegiis palatinorum. Hic vero de privilegiis scholarium.

I. *Impp. Theodosius, et Valentinianus aa. Phlegrethio comiti, et Magistro Officiorum.* Viris spectabilibus Comitibus scholarum verberandi regradandive senatores, ac ducenarios licentiam denegamus: ea namque, quæ tali commotione digna sunt, ad tuæ sublimitatis volumus referri notitiam. Insuper etiam domesticos eorum, non senatores, vel ducenarios, centenariosve fieri decernimus: pœna quinque librarum auri plectendo, quisquis hanc divinam jussionem excesserit: scrinio vero barbarorum, si tale quid vel attentari passum fuerit, vel attentatum contra leges non suggesserit, decem librarum auri condemnatione percellendo. Illud etiam observari non sine ratione convenit, ne is cui domestici officium per militiæ gradum, vel quinquennii tempus interdici censuimus, familiaritate Comitis simulata rem prohibitam alio nomine valeat usurpare. *Dat. XVI. Kal. Apr. cp. Cyro v. c. Cos.*

Hæc lex est de schola agentium in rebus, in qua suo titulo ostendimus has esse dignitates, senatorum, ducenariorum, centenariorum. Esse et Comites sive Tribunos scholarum, de quibus tit. XI. Id autem hac lege pro privilegio datur huic scholæ agentium in rebus, ne in senatores, et ducenarios Comites scholarum verberationem aut regradationem habeant, sed soli magistri officiorum. Quod repetitum est ex l. 3. *sup. de off. mag. off.* Et ne domestici Comitum scholarum, senatores vel ducenarii vel centenarii fiant. Et ne cui domestici officium interdictum est, fraudem huic interdictioni faciat. Interdictum autem est senatoribus, ducenariis, centenariis, domesticatus officium.

II. *Impp. Leo et Zeno aa. Eusebio Magistro Officiorum.* Hac lege decernimus, ut qui in singulis scholis militant, quique post emensa stipendiorum curricula ad primiceriorum gradum perveniunt, et adorata nostræ divinitatis purpura virorum clarissimorum Comitum meruerint dignitatem: tam cingulo quam privilegiis omnibus sibimet competentibus perfruantur: ac deinceps usque ad finem vitæ celsitudinis tantummodo subjaceant, ne ex alterius cujuslibet sententia civile subire litigium compellantur. In criminalibus sane controversiis, et in publicis tributis, et adversus tales viros provincias moderantium congruam jurisdictionem volumus observari, ne sub prætextu concessi privilegii, vel flagitiorum crescat auctoritas, vel publica vacillet utilitas.

Hæc lex est de omnibus scholis, ut subjaceant jurisdictioni magistri officiorum, et in criminalibus et tributariis causis etiam provinciæ præsidi.

III. *Imp. Zeno a. Longino Magistro Officiorum.* Quoties super causa civili, vel etiam criminali, ex sententia videlicet judicii tui culminis, scholares, vel eorum conjuges, sive adhuc vivent mariti, sive post mortem eorum in viduitate constitutæ sunt, matresve eorum, in viduitate permanentes, aut liberi, qui non specialiter alterius judicis jurisdictioni subjectum condicionem sortiti sunt, et servi ad eos pertinentes conveniuntur: minime eos esse extranei fidejussoris ex artione vexari, sed pro consuetudine vetustissima et jugiter observata numerarium suæ scholæ fidejussorem præbere jubemus. Hoc videlicet observando, ut in criminalibus causis quinque alios primates ex triginta viris a primicerio usque ad tricesimum retro numerandis una cum numerario (volentes scilicet et non recusantes) præbeant fidejussores, aut recusantibus quinque (sicut dictum est) viris extraneus in criminibus tantummodo publicis fidejussor una cum numerario præbeatur: ita ut executoribus non amplius ab his, quam unus solidus, sive per se sive per procuratores respondere maluerint, præbeatur. In subeundis autem cognitionalibus certaminibus, quoties causa fuerit arbitro delegata, pro contestatione litis unum solidum, et pro definitione ab arbitro recitanda alterum unum, et nihil amplius dari decernimus.

Quod si causa in judicio tui culminis ab ipsa contestatione litis, vel relatione judicis, aut appellatione interposita ventilatur: pro inducenda cognitione non amplius quam tres solidos, et chartarum, vel recitandorum in cognitionibus instrumentorum nomine, editionis quin etiam gestorum, duos tantummodo solidos dabunt. Quoties sane apud viros clarissimos provinciarum moderatores, ex delegatione scilicet sententiæ tuæ magnitudinis contra viros fortissimos scholares, vel eorum conjuges, vel liberos, vel servos cognitio celebretur: non amplius quam dimidiam partem consuetorum sumptuum præberi decernimus: hoc etiam adjiciendo, ut qui acceptis commeatibus ad provincias profecti fuerint, usque ad quinque mensium spatium, intra quod ipsis erit remeandi licentia, nullam penitus actionem super civili videlicet negotio (exceptis criminibus et tributariis functionibus) sustineant. Ne tamen ibi quoque post quinque scilicet commeatus menses ex sententia judicii tuæ magnitudinis conventi, in exigendis fidejussoribus aliquod sentiant detrimentum: adjuratoriæ eos cautioni jubemus committi. Quoties autem ex verbis, et sine ulla scriptis prolata sententia iidem fortissimi scholares, vel eorum matres seu conjuges (ut dictum est) aut liberi, aut servi moneantur: nihil pro ipsa executione sportularum nomine penitus eos, vel eorum matres seu conjuges aut liberos (secundum superius datam distinctionem) vel servos præbere decernimus. Sed si talis sit negotii vilitas, ut etiam sine scriptis, consentientibus videlicet partibus, super ea possit cognosci: expectato sine scriptis (sicut dictum est) habendæ cognitionis eventu, si deteriorem calculum reportaverint, sportularum nomine unum tantummodo solidum executori præstabunt. Si vero causæ qualitas habendam in scriptis cognitionem flagitaverit: in hoc necesse est casu, interlocutione in scriptis proferenda, ea quæ superius de quantitate sportularum decidendarumque cognitionum disposita sunt, observari.

Hæc etiam lex pertinet ad omnes scholas, et est de fidejussoribus et sportulis dandis in litibus scholarium. Datur fidejussor numerarius scholæ sive actuarius, et in criminalibus causis quinque primates ex xxx. viris cum actuario. Actuarium vocat *Nov.* 117. quem hæc lex numerarium. De tempore commeatus quod ea cavetur, simile est *l.* 9. *sup. de prox. sac. scrin.*

TIT. XXX. *De castrensi omnium palatinorum peculio.*

I. ***Imp. Constantinus a. ad Severum p. v.*** Omnes palatinos, quos edicti nostri jam dudum certa privilegia superfuodunt, si quam rem, dum in palatio nostro morantur, vel parsimonia propria quæsierint, vel donis nostris fuerint consecuti, ut castrense peculium habere præcipimus. Quid enim tam ex castris est, quam quod nobis consciis, ac prope sub conspectibus nostris acquiritur? sed nec alieni sunt a pulvere, et laboro castrorum, qui signa nostra comitantur, qui præsto sunt semper actibus quos intentos eruditis studiis itinerum prolixitas et expeditionum difficultas exercet. Ideoque palatini nostri, qui privilegiis edicti uti potuere, peculia sua præcipua retineant, quæ dum in palatio nostro constituti sunt, aut labore (ut dictum est) proprio, aut donatione nostra quæsierint. *pp. X. Kal. Iun. Constantino a. VI. et Constantio Cæsare Coss.*

L. 2. *sup. de privil. cor. qui in sac. pal. mil.* palatinis dat castrense peculium. Idem hac lege repetitur.

TIT. XXXI. *De equestri dignitate.*

I. ***Imp. Valentinianus et Valens. aa. ad Mamertinum p. p*** Equites Romanos secundum gradum post clarissimatus dignitatem obtinere jubemus. *Dat. Prid. Kal. Nov. Philippopoli divo Ioviano et Varroniano Coss.*

In urbe primus ordo est senatorum, secundus equitum, l. *Cum te*, *sup. de nupt.* De his *l.* 1. *C. Th. de his qui ven. ætat. impetr.*

TIT. XXXII. *De perfectissimatus dignitate.*

I. ***Imp. Constantinus a. ad Paternum Valerianum.*** Codicillis perfectissimatus fruentur, qui impetraverunt, si abhorreant a condicione servili, vel fisco, aut curiæ obnoxii non sint, vel si pistores non fuerint, vel non in aliquo negotio constiterint, nec sibi honorem venali suffragio emerint, nec rem alicujus administraverint.

Hæc lex ostendit quales esse debent qui perfectissimi honorarium titulum a principe petunt. Perfectissimi dicuntur præses Arabiæ, *l.* 4. *C. Th. de pœnis*, et Dalmatiæ a Mariano, et magister census, *l.* 30. *sup. de episc. et cler.* et primicerii scriniorum, *l.* 7. *sup. de pal. sac. larg. l.* 7. *C. Th. de privil. cor. qui in sac. pal. mil.* et olim duces auctore Marcellino lib. xxi. Erat et Egregiatus quædam dignitas, *l.* 4. *C. Th. de mun. leg. l.* 1. *C. Th. de hon. cod.* Lactantius lib. v. cap. xv. *Nemo egregius nisi qui bonus et innocens fuerit: Nemo clarissimus nisi qui opera misericordiæ largiter fecerit: Nemo perfectissimus nisi qui omnes gradus virtutis impleverit.*

TIT. XXXIII. *Qui militare possunt, vel non possunt, et de servis ad militiam vel dignitatem aspirantibus, et ut nemo vel duplici militia, vel dignitate et militia simul utatur.*

I. ***Impp. Severus et Antoninus aa. Antonio S. Sal.*** Si militiæ nomen dare vultis, offerte vos his qui probandi jus habent: non autem ignoratis eos, qui litis causa militiam appetierunt, postulantibus adversariis solvi sacramento solere.

Militia solvitur qui litis causa nomen militiæ dedit salva existimatione, *l.* 4. §. *Non omnis.* et *seq. D. de re mil.* Sic edicto non juvatur qui litis causa cœpit Reip. causa abesse, *l.* 5. *D. ex quib. caus. maj.*

II. ***Impp. Diocletianus et Maximianus aa.*** Valerio militi. Non tantum decurionum filiis, sed omnibus in fraudem civilium munerum nomina armatæ militiæ dantibus, fraudem prodesse displicuit.

Ne quis militet in fraudem civilium munerum

III. ***Impp. Arcadius et Honorius aa. Pulcro Magistro Utriusque Militiæ.*** Cura pervigili observare debebit sublimitas tua, ne coloni, vel saltuenses, aut ultro se offerentes, ad militiam suscipiantur armatam, aut cogantur inviti.

Ne coloni aut saltuenses alieni militent

IV. ***Imp. Leo a. Dioscoro.*** Omnes omnino curialis, vel cohortalis condicionis constituti, nullam armatam militiam in posterum arripiant.

Ne curiales aut cohortales militent.

V. ***Imp. Iustinus a. Licinio Magistro Officiorum.*** Eis quidem, quibus indultum hactenus demonstratur, quo binis, aut ternis, pluribusve mereantur cingulis, non conjunctis ex prisca consuetudine, sed abjectis, atque discrepantibus, detur electio, quem retinendum sibi potius censeant, quem deserendum cognoscant: ut in eo quod optaverint, firmiter maneant: eo quod despexerint, sine dubitatione repellantur. In posterum vero nomini prorsus facultas pateat eodem tempore plus, quam unius ordinis nomen affectare: interdicendis in commune cunctis (ut dictum est) binis pluribusve militiis, nec dignitatem conjungere cuilibet alii cingulo concedi: ut et qui supplicandum de re vetita nobis existimaverint, pœna decem librarum auri pro temeritate, quamvis infructuosa, plectantur; et qui susceperint jussionem augustam per subreptionem elicitam, quod nonnunquam contingit, decem librarum auri multa feriantur. Scriniis etiam nec non officiis, quorum hoc interest, si non

rostiterint, et hanc pragmaticam legem objecerint; decem librarum auri dispendio puniendis. Si quid autem contra hoc perpetretur; sciant omnes, quod extra concessum admissum est, aut actum fuerit, vel notis conscriptum publicis, simile habeatur ac si nec impetratum nec prooounciatum omnino, nec insertum esset ullis matriculis. Scituris etiam omnibus, qui merentes in ordinibus armatis, sive civilibus administrandas provincias, seu regendos quoslibet numeros, vel jam etiam aunt, seu de cetero fuerint jussione nostra sortiti, et ut servetur eis gradus augusta promeriti sanctione: parem indulgendam sibi licentiam, postquam deposuerint sollicitudinem, aut in priore cingulo protinus persistendi, nullo vindicando titulo dignitatis, quam sollicitudo media præstiterit: aut retinendi splendorem, quem acquisierint administrationis obtentu, verum priore cingulo desistendi. Monente tamen innata nobis clementia, liberum esse cunctis pruspeximus: si militia, qua decedendum est, inter eas habeatur, quas volentibus licet distrahere, et in alios eam conferendi, et pretia consequendi, prout in eisdem agminibus consueverit hactenus. Excipiendis videlicet, nec deducendis in hanc perpetuo conservandam legem pragmaticam eis, qui binas militias simul compositas, et sociali noxas consortio fuerint adsecuti: ut viris dicatissimis scholaribus atque candidatis fieri moris est, nec non viris devotis laterculensibus et pragmaticariis, vel a secretis contingit, quos memorialium, aut etiam agentium in rebus adornat cingulus, et si qui simili stipendiorum conjunguntur copula.

Ne quis duplici militia, vel dignitate et militia simul utatur: at qui duas habet militias, ut eligat quam retinere velit, alteram deponat. Similiter qui dignitatem veluti provinciæ administrationem aut numerorum tribunatum et militiam, ut sola dignitate solave militia contentus sit. Et ut qui duas habet militias, unam retinere, alteram vendere possit, si ea sit quæ venditionis titulo in alium transferri possunt: qualis est militia adjutorum quæstoris, ut diximus in *l. ult. sup. de prox. sacr. scrin.* et silentiariorum, ut diximus *l. ult. sup. de silentiariis.* Hæc igitur lex est non tantum de armata, sed et de civili militia. Ad extremum quoties duæ militiæ ex antiquo more unitæ et conjunctæ sunt, ut eis quidem simul uti liceat, veluti scholaribus et candidatis et laterculensibus, et pragmaticariis, et a secretis, de quibus omnibus dictum est supra, qui et memoriales sunt vel agentes in rebus: vide *l. ult.* Ut scholares, ita et candidatos pono inter milites, quos Vegetius candidatos dupiares vel simplares. In passione Faustini, et Jobitæ: *Tradidit hunc Supricio primicerio scholæ candidatorum.* Hieron. in Hilarione. *Candidatus Constantini Imperatoris.* Procopius III. de bell. Got. ἐν δὲ οὗτος ἀνὴρ Βαμίλιος μὲν Γοτῆνικανοῦ δορυφόρος ἐπεὶ ἐς τοὺς κανδιδάτους καλουμένους τελῶν ἔτυχε.

VI. *Imp. Iustinianus a. Mennæ pp.* Super servis, qui postea ad quandam militiam adspirare tentaverint, vel scientibus, vel ignorantibus dominis præcipimus, si quidem ignorantibus his eam meruerint, licere dominis adire competentem judicem, et suam ignorantiam eo quod contrarium minime probatur ostendere, eoque modo spoliatos eos militia in suum dominium trahere. Sin vero scientibus his servi militaverint: cadere quidem eos non tantum dominio eorum, sed etiam omni patronatus jure; illos vero ingenuos effectos, si quidem utiles ad militiam eis datam visi fuerint, in ea durare: sin vero minime idonei sint, ea privari. Super illis autem servis, qui jam militarunt, et adhuc in eadem militia perseverant, licentiam damus dominis intra triginta dierum spatium ab eo tempore coonumerandum, quo præsens sanctio divulgata fuerit, vel nostram adire clementiam, vel competentes judicea, et suam innocentiam commendare, eusque in suum dominium recipere: quo tempore transacto, simili modo tam dominio, quam omni patronatus jure cadere eos necesse est.

Servi qui militiæ nomen dederunt, domino ignoranti redduntur, *l. 2. inf. de tyron.* Scienti non redduntur, sed ingenui fiunt. Ignoranti revocandi jus perpetuo competit, ut ostendimus lib. de temporibus: quod in servo clerico aut monacho secus est. Sed et hoc Leo correxit: ubi erat vulgo scriptum, *ignorantiam*, reposui, *innocentiam*, ut ex vel et Græcis qui vertunt, ἀθῶότητα.

VII. *Idem a. Ioanni pp.* Si quis servum suum dignitatem habere, quemadmodum militiam, fuerit passus: spolietur et dominio servi, et jure quod pertinet ad patronos: cui enim ferendum est homines a nostra manu donationes accipientes adhuc inter servos haberi, et forte eum suis dominis nostram purpuram adorantes? In his itaque casibus, in quibus non militia, sed dignitas volentibus dominis servis acquiritur: eadem jura reserventur, quæ antea posita sunt, ne videatur nostra sanctio aliquid habere imperfectum. Sciant autem domini ad exemplum præteritæ nostræ constitutioni, quæ de hujusmodi servis loquitur, quod nisi hoc intra triginta dies, ex quo eis hoc fuerit notum, manifestaverint, et competentem judicem adierint, et spoliare eos dignitatibus curaverint: dominium eorum et jus patronatus amittant, nobis deliberantibus, postquam dominio servi fuerint liberati, et inter ingenuos connumerati, si oporteat eos habere dignitatem, vel ea quasi indignos spoliari.

Superior est de militia, hæc de dignitate: ut etiam per dignitatem servi domini patronique jure liberentur. Desideratur alia Constitutio Justiniani de duabus militiis non habendis, cujus sententiam proponam ex lib. 57. βασιλικῶν.

VIII. Ἡ διάταξις ἑλληνικὴ οὕτω βεβαιοῖ τὴν πρώτην διάταξιν τούτου τοῦ τιτ. τὴν λέγουσαν, μηδένα κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν δύο στρατείας ἔχειν, προστιθεῖσα ὅτι οὐδεὶς ὀφείλει οὔτε στρατείας ἄλλας μετιέναι, καὶ τοῖς τριβούνοις νοταρίοις ἐγκαταλέγεσθαι· ἀπαιτεῖ δὲ ὑπομνημάτων πραττομένων ἕκαστον κατατίθεσθαι τί μᾶλλον ἐπιλέγεται τῶν στρατειῶν, ἢ τῶν ἀξιωμάτων ὁρίζουσα χρόνον εἴσω τριῶν μηνῶν μετὰ τὸ γνῶναι ταύτην τὴν διάταξιν, οὕτε ἐντὸς τούτου προσιέναι τὸν βουλόμενον ἐν μὲν Κωνσταντινουπόλει τῷ κόμητι τῶν θείων ἰδικῶν, ἐν δὲ ταῖς ἐπαρχίαις τοῖς ἄρχουσι τῶν ἐπαρχιῶν, καὶ τὴν οἰκείαν φανεροῦν προαίρεσιν· εἰ δὲ συμβαίνει παραδραμεῖν τὸν χρόνον τοῦτον, κελεύει αὐτοὺς, εἰ μὲν στρατείας πολλὰς ἔχοιεν, μίαν καὶ μόνην ἔχειν· εἰ δὲ στρατείαν καὶ ἐπιστολὰς τριβούνων νοταρίων μένειν μόνον τριβούνους· εἰ δὲ στρατείαν καὶ κόμητος ἀξίαν, τὴν μὲν στρατείαν ἀπολλύειν, τὴν δὲ ἀξίαν τοῦ κόμητος τοῦ πρώτου βήματος ἔχειν, μηδενὸς πραγματικοῦ τύπου παρὰ τὰ ἀπηγορευμένα μέλλοντος ἰσχύειν· ἐὰν δέ τις στρατείαν ἔχων ἄρχων ἐπαρχίας γένηται, καὶ λάβῃ θεῖον τύπον περὶ τοῦ φυλαχθῆναι αὐτῷ τὸν ἴδιον τόπον, κελεύει ἡ διάταξις τοῦτον τὸν τύπον ἰσχύειν, ἵνα ὁ μὲν στρατείας φυλάττεται τόπος, μηκέτι δὲ κεχρῆσθαι καὶ τῷ ἐκ τῆς ἀρχῆς ὡς εἰκὸς προσγενομένῳ αὐτοῖς ἀξιώματι· εἰ δέ τι τοιοῦτο ἐπιχειρήσωσιν ἑκάτερον τινὲς ποιεῖν, καὶ δύο τυχὸν στρατείας κεχρῆσθαι, ἑκατέρων ἐκπίπτουσιν· ὁρίζει δὲ πρόστιμον εἴκοσι λιτρῶν κατὰ τῶν παραβαινόντων, εἰ καὶ θεῖον τύπον ὡς εἰκὸς προσπορίζομένων, καὶ ταύτῃ τῇ θείᾳ διατάξει ἐναντιουμένων, ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τῶν ἀρχόντων τῶν τὸν τοιοῦτον θεῖον τύπον προσδεχομένων.

INTERPRETATIO LATINA.

Hæc Constitutio Græca confirmat primam constitutionem hujus tit. qua cavetur ne quis eodem tempore duas militias habeat, adjiciens, ne qui aliam militiam habeat, et præterea tribunis notariis adnumeretur: et exigit ut apud acta quisque deponat utrum malit dignitatem an militiam. Et in eam rem statuit tempus trium mensium, intra quos ex quo præsens constitutio promulgata fuerit adeat quisque in urbe Comitem privatarum: in provinciis præsides, et suam voluntatem exponat. Quo tempore elapso præcipit Constitutio ut si plures habeat militias, unam tantum retineat; si militiam et epistolas tribunorum notariorum, tribunus tantum maneat; si militiam et Comitis dignitatem, militiam amittat, dignitatem Comitis primi ordinis retineat, nulla pragmatica forma ex contrario locum obtinente. Quod si qui militiam habens fiat præses provinciæ, et ut sibi gradus servetur a principe promeritus sit, jubet constitutio tunc gradum ei militiæ servari, nec uti eum dignitate ex provinciæ administratione conquisita. Quod si quidam utramque retinere studeant, et forte duplici militia utantur,

utramque amittunt. Definit et in eosdem pœnam viginti librarum, etiamsi sacram formam huic Constitutioni contrariam obtinuerint, atque etiam in præsides, qui eam susceperint.

TIT. XXXIV. *Negotiatores ne militent.*

I. ***Imp. Iustinianus a. Mennæ p. p.*** Eos qui vel in hac alma urbe, vel in provinciis cuidam ergasterio præsunt, militare dc cetero prohibemus: exceptis argenti distractoribus, qui in hac alma urbe negotiantur: hos enim utpote utiles omnibus contractibus armata quidem militia penitus abstinere sancimus: aliam vero quamcumque sine me præsentis sanctionis posse sibi acquirere. Si qui vero negotiatores, quos omni militia prohibuimus, jam militaverunt: eis licentiam damus negotiationem quidem relinquere, militiam vero retinere: scientibus, quod si postea negotiantes appareant, militia privabuntur. Quod et in argenti distractoribus hujus almæ urbis, si armatam militiam jam sortiti sunt, tenere volumus, ut relicta negotiatione liceat eis in eamdem militia durare. Negotiantes etenim post hanc sanctionem hujusmodi militia privabuntur: illis qui ad armorum exstruetionem suam professionem contulerint, minime prohibendis ad competentem suæ professionis venire militiam, et hujusmodi negotiationem nihilominus retinere.

Negotiatores nec civilem nec armatam militiam habere possunt, exceptis argentariis, qui civilem, ut edicto 8. et armorum negotiatoribus, qui fabricensium militiam adipisci possunt. Sidonius primo Epist. dum rerum omnium legem perverti significat: *Vigilant*, inquit, *fures, dormiunt potestates, fœnerantur clerici, student pilæ senes, aleæ juvenes, armis eunuchi, negotiatores militant, milites negotiantur.* Beneficio tamen principis militare et negotiari licet, *l. 1. sup. in quib. cau. mil. for. præs.* in qua legendum, *mercandi et militandi*: quamvis eodem beneficio duplicem militiam vel dignitatem et militiam habere non licere superiore titulo demonstratum sit. Cetera in hac lege sunt apertissima.

TIT. XXXV. *De re militari.*

I. ***Imp. Antoninus a. Annæ Militi.*** Stipendia et donativa temporis, quo apud hostes fuisse te dicis, restitui tibi postliminio regresso restitutoque non jure desideras.

Dantur militibus stipendia sive annonæ, et donativa, Sudas, δωνατιβὴ διάδοσις, ἡ διδομένη παρὰ τοῦ βασιλέως τοῖς στρατεύμασι. Et alio nomine augustatica apud Marcellinum Comitem in Chronico, et clavaria apud Cor. Tacitum. 18. a clavis calligaribus. Hi non expunguntur si capti sint ab hostibus, et redierint, *l. pen. D. eod.* Sed si transfugerint ad hostes, licet militiæ restituti sint a principe, ejus temporis, quo apud hostes fuerunt, stipendia et donativa non recipiunt, *l. 5. inf.* et ita hæc *l. 1.* accipienda est, cum dicat, *restituto.* Postliminium de captivis dicitur proprie, sed eo verbo abutitur, ut et *l. 2. C. Th. de repud.*

II. ***Idem a. Militibus Cohortis Primæ.*** Viginti stipendia si impleslis, sordida munera militiæ vobis non indicentur.

Qui in cohorte prima viginti annis militarunt, non solvuntur militia quasi emeriti, sed a sordidis militiæ muneribus excusantur.

III. ***Idem a. Iuliano.*** Milites ignominia missi cum infamia notentur, nullis honoribus, qui integræ dignitatis hominibus deferri solent, uti possunt: habeant autem morandi, ubi velint, potestatem, præter quam, in eis locis, in quibus specialiter arguentur.

Ignominia missi infames sunt et honorum incapaces. Liberum commeatum habent præterquam in *eis*, inquit, *locis quibus specialiter arguentur.* Sic veteres. Lego, *arcentur.* Et ita Græci, χωρὶς τῶν ἰδικῶς ἀπηγορευμένων αὐτοῖς. Arcentur autem legibus specialiter a castris, ab urbe, a sacro comitatu.

IV. ***Imp. Alexander a. Attico.*** Defunctorum in desertione bona confiscari divus Marcus et Antoninus pater meus constituit.

Hoc pugnare videtur cum eo quod scriptum est lib. 60. Βασιλικῶν tit 56. λιποταξίας crimen morte extingui, nisi sic accipiatur, si reversi defuncti sint.

V. ***Imp. Gordianus a. Valentino et aliis Militibus.*** Cum allegatis septem annos in desertione egisse maritum sororis vestræ, et indulgentia nostra esse restitutum: non recte desideratis ut id tempus, ac si in castris fuerit, habeatur. Proinde excepto eo tempore, quod ad desertores pertinet, restitutus ex indulgentia nostra residuo militare debebit. Ideoque nec stipendia temporis, quo in desertione fuerit, exigere poterit.

De hac diximus satis in *l. 1.* Adde *l. 10.* et *penult. D. eod.*

VI. ***Idem a. Buto militi.*** Semel causaria missis militibus, instauratio non solet concedi obtentu recuperatæ valetudinis melioris: quando non temere dimittantur, nisi quos constet medicis denuntiantibus, et judice competente diligenter examinante, vitium contraxisse.

Non solvuntur militia milites ob adversam valetudinem, nisi denuntiarint archiatri perpetuo eos vitio laborare. Quamobrem ex hac causa dimissi non temere restituuntur.

VII. ***Idem a. Domno veterano.*** Frustra vereris, ne nota, quæ propter delictum militare intercessit, existimationem tuam jam veterani læsisse videatur: maxime cum nec ex eo delicto, quod in paganorum potest cadere personam, notatos milites, post missionem placuerit esse famosos.

Condemnatus miles ex militari vel paganico delicto, nec ex ea delicti causa dimissus, notantur, nec tamen postea dimissus emeritis stipendiis pro infami habetur.

VIII. ***Imp. Philippus a.*** * Causaria missio nulla existimationis macula aspergitur.

Causaria missio non infamat, ignominiosa infamat, *l. 3. sup. l. si πάλαι. D. de exc. tut.*

IX. ***Imp. Constantinus Augustus.*** * Si quis barbaris scelerata factione facultatem deprædationis in Romanos dederit, vel si quis alio modo factam diviserit, vivus comburatur. *Dat. IV. Kal. Mai. Severo et Rufino Coss.*

Ut qui hostibus prædandi facultatem dederit, vel cum eis prædam diviserit, vivus exuratur.

X. ***Idem a. Titiano p. p.*** Quicunque militum ex nostra auctoritate familias suas ad se venire meruerint: non amplius, quam conjugia, liberos, servos etiam de peculio castrensi emptos, nec adscriptos censibus ad eosdem excellentia tua dirigi faciat. *Dat. III. Kal. Iun. Limenio et Catulino Coss.*

Cum militi princeps concedit, ut suam familiam ducat, familiæ appellatione continentur conjux, liberi, servi castrensis peculii, non adscriptitii.

XI. ***Imppp. Gratianus Valentinianus et Theodosius aaa. Cynegio p. p.*** Tribuni vel milites nullam evagandi per possessiones habeant facultatem, cum signis propriis in mansionibus solitis ac publicis maneant: aut si quis tam necessaria scita contempserit; de eo ac tribuno ejus ad nostram scientiam rectorum ac defensorum relationibus protinus referatur, quatenus severissime in eos animadvertatur. *Dat. IV. Id. Apr. cp. Sicomere et Clearcho Coss.*

Ut tribuni et milites a signis et stationibus solitis non discedant: ut non aberrent per agros.

XII. ***Iidem aaa. Richomeri comiti et Magistro utrisque militiæ.*** Cum supra virentes fluminum ripas omnis legionum multitudo consistit: id provida auctoritate decernimus, ut nullus omnino immundo fimo sordidatis fluentis commune poculum polluat, neve abluendo equorum sudores deproperans publicos oculus nudatus incestet, sed procul a cunctorum obtutibus in inferioribus partibus fluviorum hoc ipsum faciat. *Dat. VI. Kal. Iun. Vicentiæ Tatiano et Symmacho Coss.*

Ut infra tentoria equis natetur fluviis, quoties in littore consistit exercitus.

XIII. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Romuliano p. v.* Nemo miles ex his, qui præsentes divino obsequio nostræ clementiæ deputati sunt, et qui in hac esse urbe præsente comitatu concessi sunt, quive de aliis numeris, vel legionibus sunt, vel sibi vacet, vel aliena obsequia sine nutu principali peragere audeat. Qui autem in hujusmodi facinore fuerint convicti; militia exuti pœnas consentaneas luere compellentur: hi vero; qui in privato obsequio militem retinere fuerint reperti, quinque librarum auri multæ nomine feriantur. Si vero quisquam missus a numero vel a tribuno ad comitatum serenitatis nostræ pervenerit (aliter enim eos hoc facere vetamus) illico se viris illustribus Comitibus, sub quarum regimine constituti sunt, offerre festinet, et causas profectionis exponat, ut et responsum cœleste mereatur, et citam remeandi accipiat facultatem. Si quos autem milites per provincias, relictis propriis numeris, passim vagari præsides earum cognorint: correptos faciant custodiri, donec de his clementiæ nostræ auribus intimetur, et quid fieri oporteat, decernamus. *Dat. Kal. Feb. cp. Honorio a. IV. et Eutychiano Coss.*

Ne miles sibi vacet vel aliena obsequia peragat sine nutu principis. Ne veniat in comitatum sine auctoritate tribuni vel totius numeri. Missus a Tribuno vel numero, ut statim Comitibus et magistris militum suæ profectionis causas exponat. Ut vagi milites a præsidibus corripiantur. Male legebantur *correctos.* Emendavi, *correptos*, pro quo Græci συναρπαχθέντας. Male, *d urno*, pro *divino*.

XIV. *Iidem aa. Stilichoni Magistro militum.* Contra publicam utilitatem nolumus a numeris ad alios numeros milites nostros transferri. Sciant igitur Comites vel duces, quibus regendæ militiæ cura commissa est, non solum a comitatensibus ac palatinis numeris ad alios numeros milites transferri non licere, sed ne ipsis, quidem, seu de comitatensibus legionibus, seu de castris riparensibus castrensianis, ceterisque, cuiquam eorum transferendi militem copiam attributam, nisi hoc augusta majestas publicæ utilitatis gratia fieri jusserit: quia honoris augmentum non ambitione, sed labore ad unumquemque convenit devenire. Quod si qui contra fecerint: per singulos milites singulas auri libras a se noverint exigendas. *Dat. XIV. Kal. Apr. Medio. Stilichone et Aureliano Coss.*

De hoc scripsimus 1. Emend. cap. 25. et placet emendatio, nisi numeros pro vexillationibus accipias. Aliæ erant vexillationes Comitatenses, aliæ legiones Comitatenses.

XV. *Imp. Leo a. Aspari Mag. Militum.* Milites qui a repubblica armantur et aluntur, solis debent utilitatibus publicis occupari, nec agrorum cultui, et custodiæ animalium vel mercimoniorum quæstui, sed propriæ muniis insudare militiæ: nulluni præterea ex militibus posthac prædictis obsequiis vacare magnitudo tua patiatur, sed frequentes in numero suo esse jubeat, ut armorum quotidiano exercitio ad bella se præparent. Quod si quis ex militaribus judicibus ullos militum, tam divinis quam regiis, vel privatis domibus, ac possessionibus, diversisque aliis obsequiis contra interdictum serenitatis nostræ crediderit deputandos: sciat se ab eo, qui contra vetitum fecerit, et ab eo qui ausus accipere militem fuerit, per singulos milites singulas libras auri protinus exigendas. *Dat. Prid. Non. Iul. cp. Leone a. Cos.*

Conjungenda est *l.* 31. *sup. de loc.* Aperta autem et vulgaris est sententia, et quantum memini a. D. Paulo quodam loco relata, et vetustissima. Posthumium consularem damnatum Florus scribit, quod opera militum in agro suo usus esset. Ambros. 1. Off. *Is qui Imperatori militat, a susceptionibus litium, actu negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus.* Veget. lib. II. *Nec aliquibus milites instituti deputabantur obsequiis, nec privata iisdem negotia mandabantur: siquidem incongruum videbatur Imperatori militem, qui veste et annona publica pascebatur, utilitatibus vacare privatis.* Scripsimus aliquid hac de re l. ult. *sup. de fabricens.* Eodem pertinet, l. 13. *sup. hoc tit. l.* 5. *sup. de agent. in reb.* l. 1. *sup. negot. ne mil.* Ait, *tam divinis quam regiis.* Regias videtur vocare veluti regis Gothorum aut Armeniorum.

XVI. *Idem a. Dioscoro.* Militares viros civiles curas arripere prohibemus: aut si aliquam hujusmodi sollicitudinem forte susceperint, et militia statim, et privilegiis omnibus denudari decernimus: formidantibus his motum nostræ serenitatis, qui temeritate saluberrimis statutis obviam ire tentaverint.

Ne etiam civilia negotia mandentur militibus.

XVII. *Imp. Zeno a. Marciano Magistro Militum.* Neminem in ullo numero equitum, vel peditum, vel in quolibet limite, sine nostri numinis sacra probatoria in posterum sociari concedimus: consuetudine, quæ hactenus tenuit, antiquata, quæ magisteriæ potestati, vel ducibus probatorias militum facere, vel militibus adjungere licentiam tribuebat: ut hi tantum innumeris vel in limitibus militent, qui a nostra divinitate probatorias consequuntur. Viros autem eminentissimos pro tempore magistros militum, nec non et viros spectabiles duces, si supplere numeros pro his, qui fatalibus sortibus decrescent, necessarium esse putaverint: veritate discussa, per suggestionem suam nostræ mansuetudini declarare, qui et quanti, et in quo numero, vel limite debeant subrogari: ut its demum prout nostræ sederit majestati, divina subnotatione subnixi, militiam sortiantur: officio, quod tuæ sublimitatis actibus obsecundat, centum librarum auri dispendio feriendo, si ex aliqua parte, quæ statuit nostra serenitas, fuerint violata.

Militem fieri per probatoriam principis tantum, non per probatorias magistrorum militum vel ducum.

XVIII. *Imp. Anastasius a. Ioanni Magistro militum præsentalium.* Tam collatores et provinciales, quam fortissimos milites, prout oportet, gubernari, minimeque læsionem aliquam seu dispendium perpeti properantes, esse necessarium prospeximus, dicatissimos milites, qui de diversis præsentalibus numeris per Orientis partes noscuntur consistere, virorum spectabilium ducum jussionibus obedire: ut quicquid emerserit, quod pro communi securitate curandum est, hoc protinus, utpote militari præsidio in proximis locis constituto, competens possit mereri remedium: ita videlicet ut etiam agentibus causas, tam criminaliter, quam civiliter, præfati milites jam non apud magnificam magisteriam per Orientem potestatem, vel ex sententiis seu præceptionibus ejus sed per interlocutiones seu dispositiones tam excelsæ tuæ sedis, sub cujus jurisdictione consistunt, quam eorumdem ducum respondeant. Eo scilicet observando, ut Adresponsum, qui de officio tuæ sublimitatis huc usque ad prædictam magisteriam per Orientem potestatem moris erat destinari, viris spectabilibus ducibus inhæsurus mittatur, tam per se, quam per adjutores suos eosdem judices observare, et jussiones eorum implere curaturus: licentia non deneganda, et Adresponsum, qui de officio alterius viri excelsi magistri militum presentalium pro hac nostra dispositione destinatur, in locis in quibus apparitionis tuæ sublimitatis Adresponsum non contigerit reperiri, suam sollicitudinem pro emergentibus maxime causis peragere, cujus etiam illi, qui de altero officio mittendus est, præbemus facultatem: ut non tantum per adjutores suos Adresponsum, sed etiam invicem se adjuvando, nec publicis, nec privatis causis, vel executionibus abesse videantur: ad singulos etenim duces Adresponsum de apparitionibus vestris non perspeximus oportere desti-

nari, ne per multitudinem eorum qualibet machinatione damna contra milites nostros augeri contingat. Ut autem omnifariam tam publicæ commoditati, quam fortissimis prospiciatur militibus: sportularum nihilominus exactionem merito censuimus moderandam, et jubemus nec ipsis Adresponsum, nec adjutoribus eorum pro criminalibus seu civilibus causis etiamsi ex publicis causis, descendere, vel ad publicam causam pertinere dicantur: licere aliquid plus, quam unum solidum a singulis, vel nolentibus, vel spontanea voluntate offerentibus suscipere militibus. Itaut si universitas numeri, seu principiorum monenda sit, duplicata quantitate tantummodo sportulas accipiant: in his etenim causis nec plures, quam duos primates, quorum nomina semel ac primum gestis intervenientibus fuerint publicata, patimur conveniri: syndico videlicet, prout consuetudo deposcit, legibusque cautum est, ordinando. Hoc quoque adjecto, ut pro omnibus quibuslibet expensis faciendis ingressus in judicio duciano unum tantummodo solidum, nihilquo amplius milites vel syndici litigantes dependere compellantur: ut hujusmodi solatium ad commodum, Adresponsum, et ejus adjutorum, et exceptorum proficiat: nihil sibi usurpare, vel suo nomine poscere: vel viris devotis principibus, qui ducianum observant judicium, vel ducianam apparitionem de præfatis litibus concedendis. Ita videlicet, ut super litis expensis in personis etiam eorum, quicunque milites pulsare maluerint, eadem forma servetur. Erit autem arbitrii atque æstimationis virorum spectabilium ducum pro qualitate negotiorum vel quantitate quæ devotissimis militibus ab adversariis eorum ingeritur, vel suam audientiam interponere litigiis, vel eorum discussionem dicatissimis principiis, seu arbitris in locis degentibus committere. Quibus viris spectabilibus, ducibus, et eos observantibus Adresponsum, seu adjutoribus eorum curæ sit, si quando ad eosdem duces milites accersiti fuerint, vel de locis, in quibus constituti sunt, moveri præcepti: ne quolibet modo curiales, seu collatores quibusdam afficiantur dispendiis: ita scilicet, ut pro militibus inspiciendis, quandocunque voluerint viri spectabiles duces etiam præsentales devotissimos milites adhibere, non immodicam multitudinem eorum tempore pacis convocare procurent. Sin vero etiam necessitate poscente milites ac alia perveniant loca: læsionibus contra curiales seu collatores nihilominus modis omnibus abstineant: et si tam in eundo, quam in redeundo, triginta tantum dies oportet eos proficisci: ipsi suas expensas sibi præbendas, collatoribus seu curialibus minime prægravandis, suscipere non cessent. Sin autem ulteriore tempore in aliis locis necesse sit eos commorari: expensas eis ulterioris (ut dictum est) temporis, ad quæ pervenerint loca, ministrari. Quoniam vero comperimus quosdam temerario atque iniquo proposito anteriore tempore certos memoratis militibus tam in judicio sublimitatis tuæ, quam apud excelsam magisteriam per Orientem potestatem in accusationem deduxisse, et eosdem eodem tempore ad diversa quoque protraxisse judicia, diversas quoque super iisdem personis, iisdemque causis, et negotiis prolatas fuisse sententias: ne postea nihilominus tantæ contra milites nostros insidiæ, tantaque confusio querelis, quæ eis ingeri contigerit, generetur: nemini licere apud sedem magnitudinis tuæ accusatione contra militem seu milites præsentales deposita, conventioneque oblata eundem, vel eosdem criminaliter, vel civiliter per jussionem virorum spectabilium ducum inquietare, antequam negotium ex priore actione prioreque conventione finem legitimum sortiatur. Idemque versa vice observari, ut si quidem miles seu milites præsentales provisione viri spectabilis docis incusati ac moniti fuerint: incusatori licentia denegetur agenti postulationem seu accusationem in judicio tuæ sublimitatis contra eundem militem, vel eosdem milites deponere. Nec si eundem vel eosdem, tam criminaliter, quam civiliter obnoxios esse firmaverit; facultatem eidem agenti superesse separatis intentionibus suis, pro criminalibus quidem tuæ celsitudinis judicium, pro civilibus autem viri spectabilis ducis sublimitatem seu versa vice occupare. Si quis vero ad hujusmodi tam audacissimum tamque æquitati contrarium conamen prosilierit; eum pro pecuniariis quidem negotiis jactura litis et damnorum, quæ vitio ejus contigerunt, solutione percelli: pro criminalibus autem quasi calumniatorem convictum legem aculeos sentire. Dispositiones autem antelatas non ad imminuendam potestatem magisteriæ per Orientem administrationis, sed pro tuitione locorum ac securitate publica noscimur præstitisse: cum non dubium sit, ipsos etiam duces, quibus fortissimi præsentales milites parere præcepti sunt, sub eadem excelsa potestate esse constitutos.

Marianus docet duos fuisse magistros militum præsentalium esse in præsenti, comitatu scilicet. Qua forma Marcellinus Comes præsentale magisterium dixit, et Arcadius Charisius, qui fuit ex novissimis Jurisconsultis, magistratus in præsenti, *l. Ob carmen. §. 1. D. de test.* Et unum magistrum militum per Orientem: unde quæritur, milites ex diversis præsentalibus numeris per Orientem constituti cujus jurisdictioni subsint, magistrorum militum præsentalium, an magistri militum per Orientem. Et olim quidem suberant magistro militum per Orientem, sed singuli magistri militum præsentalium certis suis quibusdam quique locis ex suo officio, id est, ex apparitione sua mittebant Adresponsum, cujus interventu milites Præsentales parebant magistro militum per Orientem, Adresponsum, ἀποκρισιάριον, Græci interpretantur, ut *Novell.* 25. et *Edicto* 8. quod scilicet vice magistri militum præsentalium responsa dabat: qua ratione legati hodie a plerisque dicuntur ἀποκρισιάριοι, et responsales. Et inde nomen scrinio curi adresponsum, *l. 7. sup. de palat. sac. larg.* Habeat Adresponsum sive Apocrisiarius adjutores et exceptores, sed et ipsi Adresponsum diversis locis destinati mutuo sibi auxilia præstabant. Hodie ex hac constitutione milites illi non magistri militum per Orientem, sed magistri militum præsentalium et ducum suorum jurisdictioni parent, licet ipsi duces sint sub magistro militum per Orientem. Quamobrem non magistro militum per Orientem hodie, sed duobus magistris militum præsentalium Adresponsum mittunt, per quos jussiones suas exequuntur, et mutuas promiscuasve invicem operas præstant. Definit postea hæc lex modum sportularum in judicio duciano. Et ut totus numerus, si qua sit causa quæ ad totum numerum pertineat, litiget per syndicum, et satis sit conveniri duos numeri primates. Et ut dentur sportulæ Adresponso, ad adjutoribus ejus, non principibus officii duciani officiove duciano. Et ut duces per se causas militares disceptent vel delegent arbitris aut principiis numerorum, in quibus ex prisca consuetudine jus reddi solebat. Et ne vocati a ducibus milites sumptibus curiales vel collatores gravent, nisi sicubi ultra dies xxx. morari eos necesse sit. Et ne eodem tempore eadem de re milites illi conveniantur apud Magistrum militum præsentalium et duces, vel ne dividantur actiones.

TIT. XXXVI. *De castrensi peculio militum et præfectianorum.*

De peculio præfectianorum est *l. ult.* Ita vero hunc tit. jamdudum emendavi lib. 2. Institutionum *tit. de mil. test.*

I. *Imp. Alexander a. Prisciano.* Si in potestate tua filius tuus fuit eo tempore, quo quædam nomine ejus emisti: ea tua esse non dubitatur. Peculio autem castrensi cedunt res mobiles, quæ eunti in militiam a patre, vel a matre, aliisve propinquis, vel amicis donatæ sunt. Item quæ in castris per occasionem militiæ quæruntur: in quibus sunt etiam hæreditates eorum, qui non alias noti esse potuerunt, nisi per militiæ occasionem, etiamsi res immobiles in his erunt. Matris autem hæreditas, quamvis in militia delata sit, ad peculium castrense non pertinet. In castrensi vero peculio prædium donatum non esse constat: quam-

vis empta ex castrensi peculio prædia ejus conditionis efficiantur.

Hæreditas matris non est in castrensi peculio. Hæreditas commilitonis est in castrensi peculio, quia occasione militiæ acquiritur. Res mobilis donata proficiscenti ad militiam, est in castrensi peculio, non res immobilis. Res a patre empta nomine filii, militis, non est in castrensi peculio. Empta prædia ex castrensi peculio, castrensia sunt. Huc pertinet *l. Si filius sup. fam. etc.* quæ ejusdem est Imperatoris. Et in quibusdam Codicibus hæc quoque ad eumdem Antonium scripta est, sed Gallicus Codex habet, *Prisco m.*

II. *Idem a. Felici.* Filiusfamilias alienationem nullius rei sine voluntate patris habet, nisi castrense peculium habeat.

Filiusfamilias non potest agere, vel alienare sine voluntate patris nisi habeat castrense peculium, in quo habetur pro patrefamilias, *l. ult. §. Filius. sup. de bon. quæ lib. acq.*

III. *Idem a. Feliciano militi.* Errat qui tibi persuasit, quod nexu patriæ potestatis jure sacramenti solutus es, manent enim nihilominus milites in potestate parentum, sed peculium castrense proprium habent, nec in eo ullum jus patris est.

Militia non solvit patriam potestatem, sed castrense peculium filii proprium est pleno jure.

IV. *Imp. Gordianus a. Gallo militi.* Cum allegas te a fratre tuo eodemque commilitone in iisdem castris institutum hæredem: successionem ejus potius in castrensi peculio tuo, quam patri tuo, cujus in potestate es, per te quæsitam videri rationis est: etenim peregrinationis labor sociatus commilitiæ ejus, et obeundorum munerum consortium affectioni fraternæ nonnihil addidisse, quinimo vice mutua cariores invicem sibi reddidisse, credendum est.

Hæreditas fratris commilitonis, qua commilitonis non qua fratris æstimatur. Et ideo patri per filium non acquiritur, *l. pen. in princ. D. eod.*

V. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. et cc. Philostrato.* Intelligis filio, qui militavit defuncto, peculium ejus penes patrem remansisse, non hæreditatem patri quæsitam.

Peculium castrense mortuo filiofamilias patri acquiritur, non jure hæreditario, sed jure peculii. Rationem exposui in tit. Institutionum, per quas pers. nob. acquir. Et ideo licet furiosus sit pater, id jure pristino retinebit, quod tamen jure hæreditario nancisci non posset.

VI. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Zoilo p. p.* Jus castrensis peculii tam scriniarios, quam exceptores, ceterosque qui in officio tui culminis merendi licentiam habere noscuntur, ac si in legione prima adjutrice nostra militent, inviolatum habere præcipimus.

Ut scriniarii, exceptores, et ceteri præfectiani habeant castrense peculium. Conjungenda est cum *l. ult. inf. de app. præf. præt.*

TIT. XXXVII. *De erogatione militaris annonæ.*

I. *Imp. Constantinus a. et Julianus Cæs. Helpidio p. p.* Repetita consuetudo monstravit expeditionis tempore buccellatum ac panem, vinum quoque atque acetum, sed et lardum, carnem vervecinam etiam, milites nostros ita solere percipere: in duobus diebus buccellatum, in tertio die panem: uno die vinum, alio die acetum: uno die lardum, biduo carnem vervecinam. *Dat. XVI. Kal. Jun. Hierapoli Constantino X. et Juliano Cæs. III. Coss.*

Ut expeditionis tempore biduo milites percipiant buccellatum, quæ expeditionalis annona dicitur, et a Græcis [illegible], et [illegible], quam tamen vocem Latinam esse Sudas scribit: eo utitur Leo de re militari, et deducitur ab inventore Paxamo coco. Hyeron. adversus Jovin. *Elaboratas carnes ad jura Apitii et Paxami.* Tertio die, ut percipiant panem, uno vinum, altero poscam, uno laridum, biduo carnem vervecinam. Laridum militarem esse cibum Nazianzenus in Athanasio. [illegible].

II. *Imp. Jovianus a. Secundo p. p.* Viccsimo non amplius lapide milites sibi jubemus paleas convectare. *Dat. V. Kal. Oct. Edesa Joviano, et Varroniano Coss.*

In 20. quæque millia passuum capitum sive paleas militibus a provincialibus præstari.

III. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Victorem Mag. Militum.* Cœnaticorum nomine milites, et super his stantes nihil penitus a provincialibus accipere audeant. Sciant enim milites, quod oportet eos commoda sua, quæ in annonarum perceptione adipiscuntur, accipientes, extrinsecus detrimentis provinciales non afficere. *Dat. V. Kal. Jan. Bonamansione, divo Joviano et Varroniano Coss.*

Ne provinciales militibus conferant cœnatica, quod quasi pro cœna novum nomen expilandarum provinciarum causa excogitarant.

IV. *Iidem aa. ad Auxonium p. p.* Sicut fieri per omnes limites salubri prospectione præcipimus, species annonarias vicinioribus limitibus a provincialibus ordinalibus ad castra conferri: sed in veteranis castris constituti milites duas alimoniarum partes ibidem de conditis sumant, nec amplius quam tertiam partem ipsi vehere cogantur. *Dat. V. Nonas Mai. Marcianopoli Valentiniano n. p. et Victore Coss.*

Proximi possessores sustinent onus conferendæ militibus limitaneis annonæ, *l. 6. sup. de ann. et trib.* Sed milites constituti in veteranis castris (*C. Th. veteranis*, Græci [illegible]. Propria castrorum quorumdam appellatio videtur esse) duas annonarum partes de conditis sumunt, tertiam sibi convehunt. Condita specierum erant in limitibus. Capitolinus in Gordiano: *Nulla erat civitas limitanea potior, quæ totius anni in aceto, frumento, et larido, atque hordeo, et paleis condita non haberet.*

V. *Imppp. Valentinianus, Valens et Gratianus aaa. ad Probum p. p.* Actuarii, nisi expleto triginta dierum spatio pittacia authentica confestim tradiderint, species, quas ex fiscalibus conditis dissimulaverint excludere, vel numero cujus ratiocinia pertractant, supersederint erogare: de propriis facultatibus vel militibus ipsis, vel fiscalibus horreis adigantur inferre. *Dat. VI. Id. Apr. Sirmio Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Pittacia sunt rationes et commentarii annonarum militarium. Eodem nomine significantur etiam epistolæ, album, notoria. Susceptores annonarum et capitum eas proferunt ex conditis, et erogant militibus vel actuariis secundum pittacia authentica, quæ ab actuariis susceperint, *l. 11. et 13. C. Th. eod. tit.* Ea pittacia si actuarii celaverint nec tradiderint expleto xxx. dierum spatio, atque ita fraudaverint milites annonis, de suo damnum sarcire coguntur. Actuarii numeri totius rationes tractant, et a Græcis appellantur [illegible].

VI. *Iidem aa. ad Modestum p. p.* Fortissimi ac devotissimi milites annonas et capita singulis diebus, aut certe competenti tempore, id est, prius quam annus elabatur, de horreis consequantur: aut si perceptionem suam ac si debitam studio voluerint protelare: id quod competenti tempore minime perceperint, fisci nostri vindicetur. *Dat. Prid. Non. Apr. Antiochiæ Gratiano a. IV. et Merobaude v. c. Coss.*

Ut milites ex conditis annonas in dies singulos percipiant, vel intra annum; et qui in mora fuerint accipiendi, ut eas amittant.

VII. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. Rufino p. p.* Nulli militarium pro his annonis, quæ in provinciis delegantur, repudiata ad tempus specierum copia, et inopiæ occasione captata pretia liceat postulare: ita ut si quis propter anni abundantiam suscipere oblata neglexerit, ac postea impositus pro necessitate rerum pretiis repudiata taxaverit, neque id, quod contra hanc legem expetit, sinatur exigere: neque id quod accipere dissimulaverit, consequatur. *Dat. III. Kal. Aug. cp. Theodosio a. III. et Abundantio v. c. Coss.*

Ne milites pro annonis exigant pretia, vel si secus fecerint, ut tam annonas amittant quam pretia, puta si cum esset annus in vilitate oblatas repudiarint, quoad alius annus esset in summa caritate, ac tum pretia ejus anni pro speciebus debitis exegerint: qua ex fraude merito lex censet eos utrumque omittere. Idem non fiet in privatorum debitis: nam vel annonæ præstabuntur, vel pretium quanti fuere quo die solvi debuerunt, non quanti postea fuerint nata caritate, *l. Vinum. D. de reb. cred.*

VIII. *Impp. Arcadius, et Honorius aa. Hilario p. p.* Provincialium commodis nos convenit subvenire. Ad

omnium itaque numerorum, sive vexillationum, aut etiam scholarum tribunos, vel viros illustres comites sublimitas tua faciat pervenire, uti meminerint fœnum militibus justis capitibus præstandum, juxta legem Divi Valentiniani, nec tamen ad oppidum deferendum. *Dat. XVI. Kal. Jul. Arcodio IV. et Honorio III. aa. Coss.*

Capita sunt fœnum aut paleæ, ut diximus l. 9. *sup. de ju. fo.* Ea militibus non deferuntur a provincialibus, sed præstantur secundum modum quemdam a Valentiniano definitum.

IX. *Iidem aa. eidem.* Excellentia tua erogationis per susceptores factæ modum quantitate brevium conferri perficiat; ita ut quo die numeris datum sit diligentius exploretur: ac si quid amplius actuarios, vel optiones accepisse constiterit, quam brevium datorum scriniis nostris veritas continet memorati in duplum reddere compellantur: susceptoribus ea summa imputanda, quam semel flagitantibus eisdem erogasse monstraverint: nam ad illustres quoque viros magistros utriusque militiæ sacri apices cucurrerunt, quibus provida sanctione decrevimus, ut breves ante indictionis principium, summa fide ac veritate confecti, ad nostra scrinia dirigantur, secundum quos a susceptoribus erogatio celebretur. *Dat. VIII. Kal. Apr. cp. Honorio a. IIII. et Eutiychiano v. c. Coss.*

Ut erogationis faciendæ pittacia sive breves conficiantur, et ante indictionis principium ad sacra scrinia mittantur. Si quid amplius actuarii vel optiones a susceptoribus acceperint, de eo ut teneantur in duplum: susceptoribus culpæ nihil detur. De optionibus dix mus satis, *l. 7. sup. de exact. trib.* Huic annonarum divisioni aderant actuarii, optiones, et anscribendarii: scripta vero fuit hæc lex ad præfect. prætorio, ut Acc. notavit, et Græci.

X. *Iidem aa. Eutychiano p. p.* Jubemus per omnes provincias cunctis numeris ac militibus a Novembri mense de novello vino annonam dari, quoniam veteris dispendiosa videtur erogatio. *Dat. X. Kal. Jun Honorio a. IV. et Eutychiono V. c. Coss.*

Ut a Novembri mense militibus detur novum vinum, quod veteris divisio carior sit.

XI. *Iidem aa. provincialibus Prov. Procousularis.* Opinatoribus, id est, exactoribus militaris annonæ nullum sit cum provinciali commercium: ita ut a judicibus, vel officio provinciali omnis summa debiti postuletur, intra anni spatium conferenda. *Dat. Prid. Apr. Med. Vincentio et Fravitta Coss.*

Opinatores non exigunt, sed imminent judicibus. Scripsi de hac re satis in l. 7. *sup. de exact. trib.* Provincia proconsularis in inscriptione accipitur pro Africa, *l. ul. C. Theod. de tyr. l. 13. C. Th. de ind. deb.*

XII. *Iidem aa. et Theodosius a. Anthemio p. p.* Septem dierum, per quos resistentes tribuni emolumenti gratia solemniter stellaturæ nomine consequuntur species, non aliter adærentur, nisi ut in foro rerum venalium distrahuntur. *Dat. V. Id. Apr. cp. Arcadio a. VI. et Probo v. c. Coss.*

Valde ad hanc legem pertinet Lampridii et Spartiani locus, quem Alciatus adfert. Nam ex eis liquet tribunos a militibus stellaturas accepisse: quod etsi improbarint Alexander et Niger, hæc lex non improbat. Consistebant stellaturæ in annonis dierum septem, aut earum pretio. Rem igitur tenemus: ratio nominis stellaturæ ignota est. Rem quoque ipsam clare demonstrat in Cod. Theodosii hæc Honorii et Theodosii Constitutio ad eumdem Anthemium: *Si quas sub gratia donationis a militibus auferunt, quam merentur, annonas, duces seu tribuni juxta nummaria defixa pretia sine ulla dubitatione percipiant.* Munera variis nominibus prætexuntur, alii sportulas vocant, alii eulogias, alii stellaturas, forsitan a mittendo. Resistentes autem in hac lege, id est, in præsenti constituti tribuni.

XIII. *Impp. Honorius, et Theodosius aa. Anthemio p. p.* Lege repetita censemus, ut si quis interclusam specierum exactionem refricare tentaverit, vel adærationes statutas ausus fuerit immutare, tam vir spectabilis dux centum librarum auri, quam ejus etiam officium pari condemnationis summa quatiatur, adjecta sacrilegii pœna, quæ divalium scitorum violatores palam insequitur. *Dat. X. Kal. Apr. cp. Honorio XIII. et Theodosio III. aa. Coss.*

Adæratio est taxatio pretii, Græci ἀπαργυρισμὸν vocant, ut *Nov.* 43. et 130. quoties pro annonis militibus pecunia datur, quæ ærariæ dicuntur annonæ *l. 14. et 15. inf.* ut æraria ratio Ciceroni. Id vero jure fit, nec obstat *l. 7. sup.* si recte intelligatur. Semel autem pro annonis constituta adæratione, non jam annonæ ipsæ, sed pretia duntaxat, præstari debent. Scio pertinuisse hanc legem ad Palæstinos, et ideo duci Palæstinæ, et officio ejus pœnam indicit, si semel statutam adærationem immutariot.

XIV. *Iidem aa. Constantio Magistro militum.* His scholaribus, quibus laborum intuitu regendos numeros dedimus, de ærariis annonis singulos solidos per opinatores, caballationis quoque rationem pro administrato tempore debitam, quando militibus erogatur, sine mora præberi oportet: vel si quis eorum, antequam accipiat, in fata concesserit: quod ex utraque causa ei debebatur, hæredibus ejus restitui. *Dat. XIII. Kal. Dec. Constantio et Constaute vo. cc. Coss.*

Ut scholares facti militum tribuni solitas consequantur annonas et capitationes, et debitas transferant in hæredes.

XV. *Iidem aa. Asclepiodoto p. p.* Annonas omnes, quæ universis officiis atque sacri palatii ministeriis et sacris scriniis, ceterisque cunctarum adminiculis dignitatum adsolent delegari, quasque hi, qui ad earum exactionem mittuntur, pro cupiditate et libidine sua graviter ex provincialium visceribus eruebant: ad similitudinem militum, quibus ærariæ præbentur annonæ, adærari præcipimus: ut omnibus supra designatis emolumenta debita in pretiis dispositio tui culminis pro publica utilitate taxatis præcipiat erogari. *Dat. XVI. Kal. Mar. cp. Asclepiodoto et Mariniano Coss.*

Hæc lex exemplo militum præcipit ministerianis militantibus in sacris scriniis et universis officiis dignitatum, quæ adminicula vocat, ut *Nov. Valent. de ind. rel.* annonas adærari, id est, ἀπαργυρίζεσθαι. Eodem verbo usus est Ammianus Marcellinus lib. XXXI. *In adærantibus reliquorum debitis non molestus.* Sic veteres libri. Constantinus 2. Epit. tit. 5. ἀπαργυρίζεσθαι λειτουργίαν τουτέστιν ἀντὶ τῆς λειτουργίας καὶ τοῦ ἐργάζεσθαι αὐτὴν, διδόναι χρήματα.

XVI. *Imp. Anastasius a. Longino Magistro Equitum ac peditum.* Jubemus per hanc divinam dispositionem eos, quibus ex officio tuæ sublimitatis militarium meritorum, seu cujuslibet præstationis committitur erogatio, in primis jurare pro justitiæ ratione injunctam sibi sollicitudinem peracturos, et secundum præsentem saluberrimæ nostræ dispositionis observationem solatium (sicut dictum est) publicum erogator manu sua sine ullo dolo et fraude singulis militibus enumeret, quatenus unusquisque miles accepto per suam manum solatio, ipse cum actuario de negotiatione actuariis permissa secundum rationem agat justitiæ. Hoc videlicet observando, ut pro singulis solidis actuario sive statim, sive unum duosve, seu amplius annos restitutum fuerit debitum, minus quidem uno tremisso pro temporis scilicet brevitate pacisci liceat; amplius autem quam unum tremissem nullus actuarius pro quoquo tempore seu annorum spatio pacisci penitus permittatur: nec ullis possit actuarius machinatione pro temporis prolixitate unius quantitatem tremissis excedere. Si qua tamen inter actuarium et militem super pactione vel negotiatione tempore erogationis emerserit dubitatio: jubemus eidem militi dandas pecunias ab erogatore principis dari, et secundum hactenus observatam consuetudinem easdem pecunias vel ab erogatore, vel ab actuario retineri, quatenus causa apud devotissima principia propositis sacrosanctis scripturis inter actuarium et militem tractetur: ut ex omni parte miles nullum damnum sub quacunque occasione, præterquam id quod eum ex justa et permissa actuariis negotiatione deberi constiterit, patiatur. Super his vero quos datis forte commeatibus abesse contigerit, hæc volumus observari: ut pecuniæ, quæ erogandæ sunt, usque ad triginta milites, quos tantummodo datis

commeatibus dimitti sacra constitutio continet, apud devotissima principia sequestrentur, illorum scilicet tantummodo militum, quorum intra triginta commeatales viros constitutorum actuarius tempore erogationis pittacia, utpote habita super pactione, protulerit: quatenus cum iidem redierint milites, causa apud devotissima principia secundum præfatum modum tractata, utriusque partis indemnitati similiter consulatur: non danda pro tempore tribuno licentia, triginta viris amplius sub commeatus occasione dimittere. Sin vero saluberrimam constitutionem offerendo amplius, quam triginta viros datis commeatibus tribunus dimittere ausus fuerit: pecunias quidem, quæ post præfatorum triginta virorum numerum per commeatus dimissis militibus erogandæ fuerant, publicæ rationi erogator non dubitet reportandas. Sciat vero tribunus præter jam constitutas super hujusmodi facinoro interminationes, sese de propriis facultatibus singulis militibus, quibus ultra numerum triginta virorum sub nomine commeatuum eos dimittendo causa non consequendi publica solatia dederit, quicquid ob iniquam dimissionem amiserint, soluturum: nec prius idem tribunus ab eodem discedat numero, nisi omnes hujusmodi milites, id est, quos post permissam triginta virorum quantitatem commeatus nomine dimiserit, indemnea in hac parte atque illæsos reddiderit. Hoc etiam adjiciendo, ut sub gestorum testificatione tam decem ex devotissimis principiis, primates eorum videlicet, quam unusquisque caput scholæ juratus deponat sub præsentia sua rem (sicut superius depositum est) fuisse subsecutam, et sub obtutibus suis unumquemque militem solatium suum manu sua ab erogatoris dextera suscepisse: et hujus gesta, relatione a viro clarissimo tribuno, vel devotissimis principiis intra tres menses, ex quo profectus fuerit, numerandos, mittenda ad nostram referat pietatem. Hoc videlicet ante omnia curando, ut pro tempore erogator, postquam datæ fuerint ex publico pecuniæ, intra duos vel tres menses seu quatuor, pro qualitate scilicet spatiorum, commissam sibi sollicitudinem erogationis non dubitet faciendam, vel si ulterius apud se pecunias publicas differendo erogationem ausus fuerit retinere; sciat se modis omnibus damnum, quod ex negotiatione miles sustinuerit, ex propriis facultatibus militibus soluturum. Scientibus his, qui præfatæ dispositionis observantiam, sive in differenda ultra sigillatim definitum temporis spatium erogatione, sive in qualibet alia parte fuerint egressi, non solum sese militiæ cinguli amissionem, verum etiam facultatum quoque suarum publicationem pro tanto subituros flagitio: et insuper erogationum quoque sollicitudinem ab officio tuæ celsitudinis, si imperatoria fuerit violata dispositio, ad alios transferendam. Si vero idem officium, simul atque hujusmodi fuerit a quolibet facinus perpetratum, ad notitiam nostræ mansuetudinis, vel certe ad scientiam illustrissimæ magisteriæ referre curaverit potestatis, ut ejusdem apparitionis periculo tale flagitium principales minime possit aures latere: quatenus ex omni parte eodem delicto revelato, quicunque saluberrimas nostræ pietatis ordinationes ausus fuerit violare, interminatas minime possit pœnas evadere: ita ut singulis militibus, qui non observato in eorum persona tenore rectæ dispositionis læsi fuerint, liceat sacratissimum nostrum per unum forte vel etiam binos milites pro omnibus verba facturos petere comitatum, et porrectis precibus, quod contra nostram dispositionem passi sunt, approbare: eoque facto statutis violator imperatoriæ dispositionis suppliciis percellatur. Illud præterea omnibus modis observari decernimus, ut erogator omnes pecunias, quæ mortuis militibus usque ad diem mortis eorum debitæ fuerant, secundum jam datam divalem dispositionem uxoribus vel liberis eorum non dubitet ministrandas.

Lex ostendit susceptorem et erogatorem militaris annonæ sive æris, esse ex officio magistri militum, et de manu sua in manum militibus, stipendia persolvere: ac si quid ante actuarius qui numeri rationes tractat, militibus dederit pro mutuo, id est, pecuniam vel species, id tempore erogationis recipit, et eo pacto in singulos solidos tremissem, id est solidi tertiam partem (Tremisses a Severo formatos Lampridius scribit) non amplius, et non in annos, sed in tempus omne dilatæ promutui solutionis. De pactione habita inter militem et actuarium si sit quæstio, ab erogatore pecunias deponi apud principia, ibique rem judicari, et non, inquit, secundum hactenus observatam consuetudinem, easdem pecunias vel ab erogatore vel ab actuario, retineri. Negate lego ut Græci, καὶ μὴ κατὰ τὴν μέχρι νῦν συνήθειαν, etc. Fit etiam ab erogatore depositio apud principia, quoties milites per commeatum absunt. Non possunt abesse plures quam triginta, id est, commeatum pluribus dare tribunus non potest, vel si dederit, qui supra hunc numerum fuerint, stipendiis erogandis expunguntur, indemnitas eis tamen ex tribuni facultatibus præstatur. Additur ut erogationis factæ gesta conficiantur testate x. principiorum primatibus, et capite scholarum, si scholaribus facta sit erogatio, deponente de manu erogationem factam. Marcellinus xxv. *Milites adventare quos capita scholarum ordo castrensis vocat.* Et ex mora erogatoris damnum quod militi contigerit ob pactionem sive contractum habitum cum actuario, ut erogator agnoscat. Et ut mortuo milite debitum stipendium erogator uxori vel liberis persolvat, ut l. 14. *sup.* Cur non totius anni, ut alias fieri ostendimus, *l. 4 sup de dom. et prot.* an quia militibus stipendia in annos non constituuntur, sed ut quisque militiam onus subierit? Paulo ante finem ubi erat scriptum *commeatum*, emendavi, *comitatum*, ex Græcis et ex Latinis manuscriptis.

XVII. *Idem a. Arcadio p. p.* Cum sæpe contingit propter quasdam maximas et inexcusabiles rationes quibusdam ad custodiam, vel aliam hujusmodi causam milites deputari, vel etiam jam deputatos esse, et non convenit hoc modo publicum aliquod damnum seu dispendium sustinere, jubemus, si qui fortissimi milites ex quocunque numero curiis, vel quibusdam corporibus, vel sacrosanctis ecclesiis, vel aliis personis pro custodia (ut dictum est) vel tali alia causa a nostro numino deputati sunt vel fuerint: ne per eorum translationes circa annonarum vel capitum eis præbendorum erogationem publicis rationibus quædam læsio ingeratur: eamdem de proprio personam, seu etiam personas, cui vel quibus deputati sunt, vel fuerint, hoc modis omnibus agnoscere: hoc tantummodo de publico pro iisdem annonis et capitu præbendo et imputando, quod in locis, ex quibus præfati milites perveniunt seu pervenerint, imputabatur: vel si antelatam præstationem supradictæ personæ recusaverint, eosdem milites non recedere dei suis locis, vel eos qui recesserint, sine quadam mora ad ea redire. Hoc omnifariam custodiendo, ut nemo devotissimorum militum, cuicunque personæ seu corpori sine speciali nostræ serenitatis jussione scriptis proferenda deputetur: officio tuæ celsitudinis, si hanc nostræ mansuetudinis formam, quoties super militibus quibusdam deputandis aliquid statutum fuerit, gestis insinuare, et quid eos, quibus dati sunt, prout nobis placuit, agnoscere oportet, itidem publicare minime curaverit: tam dispendium quodcunque publicum hac ex causa sustinuerit, ei de proprio resarcire, quam triginta librarum auri multam propter desidiam suam, imo magis conniventiam dependere cogendo: rectoribus nihilominus provinciarum, et apparitoribus eorum, si statuta nostra violaverint, seu violari concesserint, ejusdem condemnationis solutione percellendis.

Scopus constitutionis hic est, ut ne cui milites tuitionis vel alia causa deputentur sine principis jussu, ut de publico non præstentur eis nisi annonæ et capita, quæ præstari solebant antequam cuiquam deputarentur: amplius si quo opus est, ut id illi quibus deputantur agnoscant, non publicum, id est, fiscus. Desiderantur duæ Constitutiones, quarum summam subjeciam ex libris βασιλικῶν.

XVIII. Ἡ διάταξις κελεύει πρότερον ἐπὶ χώρας παρακρατεῖσθαι τὰ εἰς στρατιώτας δαπανώμενα, καὶ τηνικαῦτα τὰς λοιπὰς αἰτίας τοῦ δημοσίου προβῆναι· οὐδὲ γὰρ χρὴ μόνας τὰς ἐκπομπὰς κατεπείγεσθαι, ῥᾳθυμεῖσθαι δὲ τὰ στρατιωτικὰ δαπανήματα· τοὺς δὲ ἄρχοντας, καὶ τὰς πόλεις, καὶ πάντα τὸν ἕτερον δημοσιεύοντα, εἴτε παραβαθῇ τῶν θεσπισθέντων, καὶ τὰ χρήματα παρέχειν οἴκοθεν τοῖς στρατιώταις, καὶ πρόστιμον ἑκατὸν λιτρῶν χρυσίου θεσπίζομεν.

Interpretatio Latina.

Constitutio jubet ut in regionibua retineaotur in primis ea quæ militibus eroganda sont, atque ita procedant reliquæ causæ fisci. Nec enim oportet solas transmissiones urgere, et erogationes militares negligere. Et si hanc constitutionem præsides violarint, aut municipia, vel quilibet alius tractator publicorum, ut de suo militibus pecunias exsolvant, et hoc amplius mulctam centum librarum auri.

XIX. Ἡ διάταξις κελεύει ἵνα ἐὰν στρατιῶται ὑφεστῶτες μὴ ὦσιν ἐν ταῖς οἰκείαις ἀγγαρείαις, ἀλλ' ἢ εἰς βοήθειαν ἀφορίσθησαν προσώποις τισίν, ἢ κατὰ ἄδειαν ἀπελύθησαν μὴ λαμβάνειν τὰς ἀννώνας αὐτῶν τὸν ὑπομνηματοφύλακα ἐν εἴδει διὰ τὸ μὴ φθείρεσθαι, ἀλλ' ἐν χρυσῷ διατιμωμένου τοῦ εἴδους κατὰ τὴν ὅρκου παρεχομένου παρά τε τῶν τριβούνων, καὶ τῶν βικαρίων, καὶ τῶν δομεστικῶν, καὶ ὑπομνηματοφυλάκων, καὶ ὀπτιώνων, οὐδὲν ἧττον καὶ μετὰ τὸν ὅρκον λογοθετουμένων, καὶ εἴτε ἀνευρεθείησαν ψευσάμενοι ἐν διπλῷ καταβαλλόντων· εἰ δὲ καὶ στρατιώτης ἐξαργυρίσαι βουληθείη τὰς παρεχομένας αὐτῷ ἀννώνας, λήψεται τὰ χρήματα κατὰ τὴν τράπεζαν· εἰ δὲ τὸ εἶδος λαμβάνει λήψεται τὸ ἐν τῇ χώρᾳ χορηγούμενον κατὰ δοκιμασίαν τοῦ θεοφιλεστάτου τῶν τόπων ἐπισκόπου, καὶ τοῦ λαμπροτάτου ἐκδίκου τῆς πόλεως· εἰ δὲ καὶ ὁ ὑπομνηματοφύλαξ ἀγοράσῃ παρὰ στρατιώτου τὰς ἀννώνας αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς λαμβάνει αὐτὰς παρὰ τοῦ συντελεστοῦ ὡς ἐκχωρηθείσας αὐτῷ, πάλιν κατὰ τὴν τράπεζαν λαμβάνειν ἐξ αὐτῶν εἰ μὴ παρὰ τὸ εἶδος βούλεται ὁ συντελεστὴς προσαγαγεῖν· εἰ δὲ καὶ οἱ συντελεσταὶ βουληθείησαν ἑκουσίως πωλῆσαι τινὰ τοῖς στρατιώταις, οὐ κωλύομεν τοῦτο γίνεσθαι, εἰ καὶ μέλλουσιν ἐκ τούτου κερδαίνειν ἥττονα ποσότητα εἰδῶν παρέχοντες αὐτοῖς παρὰ τὴν δημοσίαν τράπεζαν· μὴ ἐξεῖναι δὲ τοῖς πολίταις ἐκ τούτου βλάπτειν τὸν συντελεστὴν ἵνα ἐὰν αὐτοὶ κακῶς συμφωνήσωσιν ἀναγκάζωσι τὸν συντελεστὴν καθὼς συνεφώνησε παρασχεῖν τὰ εἴδη· εὑροῦσα δὲ ἡ διάταξις ὅτι καί τινες τῶν χαρτουλαρίων τῶν γενναιοτάτων ἀριθμῶν, ἤτοι φοιδεράτων συνωνοῦνται ἑαυτοῖς σῖτον, ἵνα τὸ μὲν δημόσιον δίδωσιν αὐτοῖς κατὰ τὴν τράπεζαν τὰ τοῦ σίτου τιμήματα, αὐτοὶ δὲ ὡς προηγορακότες εἴδη κερδαίνουσι, κελεύει ἡ διάταξις μηδένα συντελεστὴν ἄκοντα ἀπαιτεῖσθαι παρέχειν αὐτοῖς συνωνήν· εἰ δὲ ἑκουσίως πωλῆσαι ζητήσῃ τις αὐτοῖς μὴ ὑπερβαίνειν αὐτοὺς τὰ τιμήματα τῆς τραπέζης εἰς τὴν ποσότητα τὴν μέλλουσαν λόγῳ ἀννώνων τοῖς στρατιώταις χορηγεῖσθαι· εἰ γὰρ ἐξῆν ἑτέραν ποσότητα βουληθῇ ἀγοράσαι, τότε κεκώλυται, πραγματεύσασθαι, ὡς καὶ πᾶς στρατιώτης. Ταῦτα δὲ πάντα δείκνυσι μέλλουσα γίνεσθαι ἀναψηλάφησις ἀναγκάζουσα πάντα ἄνθρωπον τὸν ὁτιοῦν ποτε ψευσάμενον σφετερισάμενον διπλάσιον καταθεῖναι ἵνα τὸ μὲν ἁπλοῦν λάβῃ ὁ ἐκδικηθείς, τὸ δὲ ἕτερον ἁπλοῦν τὸ δημόσιον· πάντες δὲ οἱ στρατιῶται οἱ προσπαραμένοντες προσώποις τισὶν ἐν ἐξαργυρισμῷ λαμβανέτωσαν τὰς ἰδίας ἀννώνας κατὰ τὸν ἐξαργυρισμὸν τῆς τραπέζης· ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς κεφαλιτίωνας, καὶ μὴ ζητείτωσαν τὰ εἴδη, εἰ μὴ ἑκὼν ὁ συντελεστὴς ταῦτα καταβάλοι, τοῦ παραβῆναι τί ποτε τῶν προειρημένων τολμῶντος μέγιστον κίνδυνον ὑφορωμένου, εἴτε τριβοῦνος, εἴτε βικάριος ἐστίν, εἴτε δομέστικος, εἴτε ὑπομνηματοφύλαξ, εἴτε ὀπτίων, εἴτε πρῶτος ἀριθμοῦ, εἴτε ταξεώτης τοῦ στρατηλάτου, ἐὰν συμβαίη ποτὲ παρὰ τὸ ἀληθὲς γνωρισθῆναι, ἢ ἐπικεχειρῆσθαι, καὶ μὴ παραχρῆμα δηλωθῇ, καὶ ἀνασταλῇ, ἡ γὰρ ἀναψηλάφησις πάντα τὰ παρὰ τὴν διάταξιν γινόμενα ἀπελέγξει.

Interpretatio Latina.

Constitutio jubet si milites propriis angariis minime dant operam personis quibusdam auxilii gratia deputati, vel per commeatum dimissi, ut actuarius eorum stipendia in speciebus non accipiat, ne corrumpantur, sed in auro, facta specierum æstimatione secundum rationem mensæ, et jurejurando præstito a tribunis et vicariis, et domesticis, et actuariis et optionibus a quibus etiamsi jusjurandum dederint, ratio postea nihilominus, et si qua in re pejerasse inventi fuerint, duplum exigetur. Sed et si milites adærari sibi velint annonas, eandem in pretio rationem mensæ servari: si species dari, ut eas accipiant quas regio parit arbitrio religiosissimi Episcopi et clarissimi defensoris civitatis. Rursus si actuarius a milite emerit annonas ejus, et eas accipiat a collatore quasi sibi concessas, rationem mensæ servari, nisi malit collator species ipsas inferre. At si velint sua sponte collatores vendere quædam militibus, id non prohibemus, etiamsi ex eo lucrum facturi sint minorem specierum quantitatem præbentes, quam exigat ratio mensæ publicæ. Ne tamen ea propter liceat civibus lædere collatorem, puta si curis sive civitas cum milite perperam conventionem inierit præbendarum specierum, ne cogatur collator secundum eam conventionem species inferre. Quia vero plerique ex chartulariis fortissimorum numerorum vel fœderatorum cœmunt a se frumentum pretia a fisco accipientes juxta nundinationem, quæ mensa continetur, sibi autem quasi jam ante comparatas species retinentes, ideo jubet constitutio ne quis collator invitus eorum coemptioni parere cogatur. Sed si quid sua sponte eis vendere velit, ne excedant illi pretia mensæ in quantitate ea, quæ annonarum nomine militibus præbenda est. Nam etiam extrinsecus quantitatem specierum eo pretio emere prohibeotur sicut milites. Quæ omnia demonstrabit futura retractatio, qua quantum appareurit sibi quemque vindicasse, in tantum damnabitur in duplum, ita ut simplum fiscus habeat, simplum actor. Omnibus quoque militibus personis quibusdam deputatis secundum rationem mensæ adærentur annonæ et capita, nec petantur species nisi a volente: eo qui quid ante dictorum temerare ausus fuerit maximum periculum subituro, sive tribunus sit, sive vicarius, aut domesticus, aut actuarius, aut optio, aut numeri princeps, aut officialis magistri militum, si quid horum contigerit non bona fide tractari, et id confestim minime denuntiaverit. Retractatio enim quicquid adversus constitutionem acciderit coarguet et indicabit.

TIT. XXXVIII. *De excoctione et translatione militarium annonarum.*

I. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Stilichoni Comiti et Magistro utriusque militiæ.* Opinatores quibus species in diversis provinciis delegantur, contra omnem consuetudinem nullius consistentibus familiis excoctionem panis efflagitant. Illustris igitur auctoritas tua novam usurpationem coerceat auctoritate repellat: ut cum opinatores in provinciia delegantur, vetus consuetudo servetur. *Dat. Id. Septembr. Mediol. Theodoro v. c. Cos.*

Opinatores exiguat annonam militarem vel imminent judicibus, *l.* IX. *sup. tit. prox.* Excoctionem panis non exiguat ubi nullæ familiæ consistunt.

II. *Iidem aa. et Theodosius a. Adriano pp.* In excoctione buccellati, quod devotissimis militibus convenit præparari, in translatione etiam annonæ nullius excipiatur persona: videlicet, ut ne nostra quidem domus habeatur ab his immunis. Et si quispiam (quod non opinamur) implere quæ sunt præcepta neglexerit: in procuratorem ejus serverissime vindicetur: ita ut si hujusmodi contumaciæ dominum conscium esse constiterit, quadruplum id quod pro ejus capitatione poscitur, posthabita dilatione solvatur. *Dat. IX. Kal. Apr. Romæ, Honorio a. VI. et Aristeneto Coss.*

Ut nullius familia excusetur ab excoctione panis militaris vel translatione annonæ: Ix procuratorem graviter animadverti · Dominum contumaciæ procuratoris conscium in quadruplum damnari.

TIT. XXXIX. *De militari veste.*

I. *Impp. Valentinianus et Valens aa. Auxonio pp.* Omnem canonem vestrum ex Kalendis Septembris,

usquo ad Kalendas Aprilis nostris largitionibus tradi præcipimus: proposita pœna rectori provinciæ, vel ejus officio condemnationis, quæ tuæ justitiæ videbitur. *Dat. XIV. Kal. Dec. Marcianopoli Valentiniano et Valente Coss.*

Docet quo tempore canonem vestium militarium inferri oporteat. De earum susceptore est l. 14. *sup. de suscep.*

II. *Imppp. Valens, Gratianus et Valentinianus aaa. Modesto p. p.* Provinciæ Thraciarum per viginti juga seu capita conferant vestem. Scythia et Mysia in triginta jugis seu capitibus interim annua solutione dependant. Per Ægyptum et Orientis partes in triginta terrenis jugis, per Asianam vero et Ponticam diœcesim, ad eundem numerum in capitibus, seu jugis annuæ vestis collatio dependatur: ita ut per Orientem provinciæ in titulo auri comparatitii, quod per jugationem redditur, compensationis gratia perfruantur, exceptis Osroena et Isauria: oam eas demum constat aurum comparatitium minime redhibere. *Dat. V. Id. Aug. Hierapoli, Gratiano a. IV. et Merobaude v. c. Coss.*

Scripta est ab præfectum prætorio Orientis, sub cujus dispositione sunt diœceses quinque, quas recenset, Oriens. Ægyptus, Asiana, Pontica, Thracia, l. 1. *sup. ut nemo ad suum pat. l. 10. inf. de mun. act.* In Thracia in xx. quæque juga et capita vestes militares conferuntur, excepta Scythia et Mysia, quæ in xxx. confert interim dum aliud constitutum fuerit. In ceteris quoque diœcesibus in xxx. In Oriente id est proprium, ut vestium adærationem ejus diœceseos provinciæ præstent in auro, excepta Osroena et Isauria, quod comparatitium dicitur, quia ideo confertur ut vestes militibus emantur, sicut Vegetius scribit si tributa deficiant prorogato auro comparanda esse omnia.

III. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Marciano Com. s. l.* Fortissimis militibus nostris per Illyricum non binos tremisses pro singulis chlamydibus, sed singulos solidos dari præcipimus. *Dat. XVI. Kal. Febr. cp. Arcadio IV. et Honorio III. aa. Coss.*

Ut in Illyrico, quod duas habuit diœceses, Macedoniam et Daciam, militibus singulæ clamydes a provincialibus conferendæ singulis solidis adærentur non binis tremissibus.

IV. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Asclepiodoto p. p.* Militaris adæratio vestis a collatoribus exigatur, sacratissimis videlicet largitionibus inferenda: ita ut quinque ejus partes fortissimis militibus erogentur in pretio, sexta vero portio a gyneciariis clementiæ nostræ absque ulla ipsorum, vel publica incommoditate pro eadem contextione suscepta, junioribus gregariisque militibus in ipsa, quam maxime eos desiderare constiterit, specie præbeatur. *Dat. VII. Id. Mart. Asclepiodoto et Mariniano Coss.*

Adæratio vestis largitionibus sacris inferatur, ut l. 4. *sup.* ita ut quinque ejus partes militibus erogentur in nummis, sexta in vestibus a gyneciariis præstetur junioribus gregariisque, id est, tyronibus: et addunt Græci rationem, τούτους γὰρ οὐ δεῖ πιστεύεσθαι ἀργύρια. Sic in loco Hieronymi a me citato ad *tit. de agent. in reb.* Tyro et gregarius miles pro eodem dicitur. et juniores sæpe in C. Th. qui et caligati. Vel si Cedrino scilicet credimus, juniores, sunt a Junio Balbo patre Gordiani III. instituti scholares.

TIT. XL. *De metatis et epidemeticis.*

Metata sunt hospitia, quæ supervenientibus militibus, vel aliis personis provinciales præbent. Epidemetica sunt pretia quibus se redimunt onere hospitum suscipiendorum, quæ abrogantur *Nov.* 129. et 130. et l. *ult hoc tit.*

I. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. Theodoro Magistro Officiorum.* Si quis mensorum nostrorum manum, qua deputatas singulis quibusquo domus enotant, et postibus hospitaturi nomen adscribunt, delere non dubitaverit: ad instar falsi reus ex hac auctoritate teneatur. *Dat. VI. Kal. Nov. cp. dn. Theodosio a. III. et Abundantio v. c. Coss.*

Metatores vulgo dicuntur qui præparandi et enotandi hospitii gratia procurrunt. Optatus Afer libr. 3. *Cum ante venturos milites metatores, ut fieri solet, mitterentur.* Suidas: Μετάτωρ ὁ προαπαγγελλόμενος ἄγγελος πρὸς τοῦ ἄρχοντος · hac *lege* et *seq.* et l. 3. ut emendavimus mensores appellantur, et horum manum qui delet, tenetur pœna legis Corneliæ de falsis. Metatores pro hospitibus, *l.* 9. *hoc tit.*

II. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Osio Magistro Officiorum.* In qualibet vel nos ipsi urbe fuerimus, vel hi, qui nobis militant, commorentur: omni tam mensorem, quam etiam hospitum iniquitate submota, duas dominus propriæ domus, tertia hospiti deputata, eatenus intrepidus ac securus possideat portiones, ut in tres domo divisa partes, primam eligendi dominus habeat facultatem; secundam hospes, quam voluerit, exequatur: tertia domino relinquenda: plenum enim æquitate atque justitia est, ut qui aut successione fruitur, aut empto vel extructione gaudet, electem præcipue judicio suam partem teneat et relictam. Ergasteria vero, quæ mercimoniis deputantur, ad prædictam divisionis injuriam non vocentur: sed quieta sint et libera, et ab omni hospitum injuria defensata, solis dominis conductoribusque deserviant. Sane si stabulum (ut adsolet) militari viro in tertia domus parte defuerit: id ex ergasteriis, nisi id dominus qualibet occasione providerit, pro animalium numero, vel domus qualitate deputabitur. Illustribus sane viris non tertiam partem domus, sed dimidiam hospitalitatis gratia deputari decernimus; ea dumtaxat conditione servata, ut alter ex his quilibet, quive maluerit, divisionem arbitraria æquitate faciat, alter eligendi habeat optionem, et firmissimum perpetuo quod jussimus perseveret: ita ut xxx. libras auri, qui illustri sunt præditi dignitate, fisco nostro se illaturos esse cognoscant: ceteri vero militia sciant se esse privandos, si generale præceptum amplius usurpando, quam jussimus, repræhensibili temeritate violaverint. *Dat. VIII. Id. Feb. c. p. Honorio IV. et Eutychiano Coss.*

Ut militibus petentibus metata, tertia tantum domus pars deputetur salvis officinis, etsi stabulo tertia pars careat: illustribus viris dimidia.

III. *Iidem aa. Vincentio p. p.* Cunctos judices scire volumus a prætoriis ordinariorum judicum, bis præsentibus, abstinendum. *Dat. XVI. Kal. Feb. Mediol. Stilichone et Aureliano vv. cc. Coss.*

Prætoria præsidum ab onere metatorum excusantur si præsentes sint et alii superveniant.

IV. *Iidem aa. Æmiliano Magistro Officiorum.* Fabricensium domibus ubique constitutis omnem molestiam hospitum præcipimus amoveri: quo et Antiochiensibus, et ceterarum civitatum fabricis similis domorum excusatio præbeatur, absente scilicet sacro comitatu. *Dat. XI. Kal. Feb. cp. Stilichone et Aureliano Coss.*

Codex Theodosianus ostendit hanc legem pertinuisse ad fabricas Orientis, quæ erant Antiochiæ, Damasci, Edessæ, Irenopoli, quarum omnium civitatum fabricensibus excusatio datur ab onere metatorum, sive recipiendi hospitia, absente sacro comitatu. Et ideo recte Græci adjiciunt hoc loco: τὸ δὲ ἑτέρας πόλεως λέγεται περὶ Δαμασκοῦ καὶ Εἰρηνουπόλεως.

V. *Impp. Honorius, et Theodosius aa. Ioanni p. p.* Devotum possessorem ab omni inquietudine liberamus. Primo omnium igitur ad nullum prædium publicum vel privatum domus nostræ, vel cujuscunque juris nullus mensor accedat, si a quoquam fuerit destinatus: licentiam enim domino, actori, ipsique plebi serenitas nostra commisit, ut eum qui præparandi gratia ad possessionem venerit, expellendi habeat facultatem: nec crimen aliquod pertimescat, cum sibi arbitrium ultionis sum: sciat esse concessum: recteque sacrilegum prior arceat, qui primus invenit. Administrantem vero, ejusque officii proceres, quorum præcepto inhibitam personam ad agrum

aliquem dostinaverit, in tempus proscribi debere censemus. Solam sane hospitalitatem sub hac observatione concedimus, ut nihil ab hospito, quod vel hominum, vel animalium pastui necessarium creditur, postuletur: omn umque sit sceleratum iter atque continuum, nec ulli liceat residere, ne diuturnitas commanentium ulla ex parte prælium vexet. Decem etiam librarum auri multa ferietur quisquis administrator, togatus, apparitor ullus, vel militans, vel iter, agens, ullo in loco aliquid ab hospito postulaverit: in tantum enim inhiberi sceleratum morem jubemus, ut ipsis quoque præbentibus impunitum essa non patismur, si quid spooto contra præceptum nostrum probati fuerint obtulisso. *Dat. Prid. Id. Iun. Rav. Post. Cons. Honorii IX. et Theodos. v. aa.*

In civitatibus domus sustinent metatorum onus, non etiam in agris prædia, sed per ea tantummodo militibus aut præsidibus celeriter transeundi jus est, neque annona, neque capito ulio a possessoribus exacto. Emendavi in contextu, *administrator, togatus, apparitor ullus*, cum antea male legeretur, *erogator*. Togatus, id est, patronus causarum, sive συνήγορος, ut Græci interpretantur. Mallem etiam pro, *iter agens, inter agens*, ut dixi *l.* 2. *sup. ut dig. ordo serv.* Defensio hac lege permittitur possessoribus adversus vim et injuriam mensorum: quo argumento male quidam ex causa legitima domino etiam dant jus expellendi conductoris sine judice.

VI. *Iidem aa. Adriano Proc. Africæ* Hoc prospectum est, ut infausta hospitalitatis præbitio tolleretur, nec balneum quisquam a domino ædium postulet. *Dat. V. Non. Mar. Rav. Constantio et Constante Coss.*

Tollitur infausta hospitalitatis præbitio, ut si ab hospitibus petantur scorta, vel ut Græci interpretantur, si id petatur ut hospites strigilent equos, vel porteet σάβανα. Tollitur et balnei petitio. In C. Th. ita erat scriptum, *nec privatum quisquam a domino ædium postulet.* Privatum Tribonianus interpretatus est balneum: quæ vox non dubito quin aliis in auctoribus eodem sensu reperiri possit. Membrum pro cubiculo notum est in l. 13. *D. de man. test.* ubi Græci κοιτῶνα interpretantur, *l. Librorum. de leg.* 3. Utramque vocem retinuit lingua Gallica.

VII. *Iidem aa Eustathio p. p.* Devotissimos milites ex procinctu redeuntes, vel proficiscentes ad bella novi muri sacratissimæ urbis singulæ turres in pedeplania suis suscipiant. *Dat. V. Non. Mar. cp. Honorio XIII et Theodosio X. aa. Coss.*

Pertinet hæc lex ad urbem Constantinopolitanam, cujus alii fuerunt antiqui, alii novi muri a Theodosio juniore constructi curante Cyro p. p. de quibus *Nov. 39.* et *l. Turres sup. de oper. publ.* et constituit, ut milites a militia redeuntes, vel ad militiam proficiscentes diversentur in pedeplania turrium novi muri. Hæc vox, *novi*, deerat, quam restitui ex C. Th. et Græcorum metaphrasi, εἰς τοὺς πύργους τοῦ καινοῦ τείχους Κωνσταντινουπόλεως ἐν τοῖς ἐπιπέδοις καταμένουσιν.

VIII. *Impp. Theodosius, et Valentinianus aa. Helioni Magistro Officiorum.* Archiatros nostri palatii, nec non urbis Romæ, et magistros literarum pro necessariis artibus et liberalibus disciplinis, necnon picturæ professores (si modo ingenui sunt) hospitali molestia, quoad vivent, liberari præcipimus. *Dat. XIV. Kal. Sep. Hierio et Ardabure Coss.*

Archiatri palatii sacri et urbis Romæ, ac professores artium liberalium, et picturæ ingenui ab onere metatorum excusantur. De picturæ professoribus videnda *l. ult. C. Th. de exc. artif.* De archiatris et professoribus artium liberalium dictum est *sup. de prof. et med.*

IX. *Idem aa. Nomo Magistro Officiorum.* Omnes qui metata in suis domibus præstent, sive hospitia præbuerint metatoribus, non quolibet pacto satis eis fecerint: nullam vel pensionis, vel discussionis domus gratia molestiam sustinere cogantur. Deinde neminem volumus cujuslibet loci, vel ordinis, in hac florentissima urbe domum propriam excusantem, metatum sibi in alienis ædibus privilegio militiæ vindicare: quod et in provinciis observari oportet. Ceteris vero, quibus illustris dignitas sub cingulo vel citra cingulum pro suo solo honore delata est, excusandarum ædium licentiam penitus denegamus: hoc juris etiam in his præcipimus observari, quos ipsa quidem administrationis condictio spectabiles novit, honor tamen additus a nostra liberalitate reddit illustres: scituris omnibus, quod si quis eum cingulo perfruatur, et excusationem ita propriæ domus impetraverit: ut a pensione etiam a portionis tertiæ sit immunis, et militiæ causa metatum alienis domibus sibi crediderit vindicandum: siquidem honore prælitus excusationis jus habeat, carebit legum privilegiis, quas fraudare conatus est. Si vero inter eos quibus nulla suffragatur dignitas, numeretur, centum librarum auri sacratissimis largitionibus pendendarum illatione mulctabitur: *Dat XVI. Kal. Feb. cp. Theodosio et Valentiniano aa. Coss.*

Novella est Theodosii de metatis, quam habemus integram, cujus sententia hæc est, ut qui metata vel epidemetica præstant, nullam domus gratia pensionem tertiæ partis vel discussionem sustineant. Et in urbe vel provinciis qui domum propriam excusat, in aliena per causam militiæ metatum non quærat. Excusantur autem illustres qui re ipsa illustrem dignitatem gesserunt, non honorarii vel vacantes, non honorarii illustres, licet jure actæ administrationis spectabiles sint.

X *Imppp. Valentinianus, et Martianus aa. Mag officiorum.* Hac lege sancimus, ut si quis consularem, ac patritiam meruerit dignitatem, tres domos proprias, dum superest, habeat hospitum immunitate securas: hæredes vero ejus, filii aut pater, aut mater, nepotes, aut frater, aut soror, aut uxor, duarum domorum suorum excusatione potiantur. Si quis vero consulatu tantummodo gloriatur, duas semis domos suas immunes habeat: post fata vero ejus memorati hæredes unam semis domum suam habeant nullis hospitiis prægravatam. Pari privilegio perfruatur eum memoratis hæredibus, qui solius patritiæ dignitatis sine consulatu decoratur insignibus Præfectorii vero, nec non et magistri militum duas domos suas habeant, quoad vixerint, hospitibus liberatas: hæredes vero eorum memorati unam defendat domum suam simili excusatione munitam. Magistri vero officiorum, vel quæstores unam semis domum suam, quoad vixerint, habeant hospitum onore liberatam: hæredes vero eorum prædicti unam ab hospitibus jure defendant. Comites autem domesticorum et protectorum, et sacrarum largitionum, et privatarum, et vir spectabilis primicerius notariorum, singulas domos suas ab hospitum gravamine, dum vivunt, gaudeant esse securas: memorati vero hæredes eorum medium partem unius domus suæ sciant excusatione muniri: residuæ vero partis dimidiæ tertiam portionem hospitibus deputandam esse cognoscant. Si qui illustres honorarias dignitates quascunque sine actu cælitus impetraverunt: æquo animo suas domos hospitibus post hanc legem pandant pro tertia, quæ legibus præfinita est, portione: exceptis videlicet ergasteriis quæ in plateis vel angiportis esse noscuntur. Quod in omnibus domibus, quæ hospitales sunt, observari jubemus: ita ut nemo, vel ex sacro rescripto, vel ex divina adnotatione, seu pragmatica sanctione, contra hanc legem uti possit excusationis auxilio: his omnibus, quæ per hanc legem constituimus, in hac æterna urbe observandis.

Declarat quæ in urbe dignitates a metatis excusentur, et quot earum domus. Itaque ab eo quod traditur lege superiori de spectabilibus, excipiendi sunt primicerii notariorum, et ex lege sequenti decemprimi post primicerium. Et ab eo quod de illustribus honorariis, eorum ergasteria in plateis vel angiportis sita.

XI *Imp. Zeno a. Illyriciano Mag. Offic.* Decem post primicerium tribunos, in domibus, quas in hac regia urbe possident, metatorum jussimus vacationem mereri.

Sicut primicerius notariorum, ita et x. post primicerium tribuni notarii singulas ædes, ut Græci interpretantur recte, in urbe excu-

sunt a metatis, non omnes. Absurdum enim esset si unam tantum excusaret primicerius, decemprimi omnes. Desideratur Constitutio Græca, qua prohibentur Epidemetica, id est, adærationes metatorum, de quibus initio l. 9. sup.

XII. Αὐτοκράτωρ Ἰουστινιανός. Μηδεὶς ἄρχων ἐν τῷ περινοστεῖν ζητείτω προφάσει ἐπιδημητικῶν, ἢ προφάσει ἀφοπλισμοῦ χρυσίον· εἰ δὲ τοῦτο ποιήσειεν καὶ ἐκβάλλεται τῆς ἀρχῆς, καὶ δημεύεται, καὶ ἐξορίᾳ διηνεκεῖ ὑποβάλλεται.

Interpretatio Latina.

Imperator Justinianus. Ne quid præses dum per provinciam oberrat, hac specie exigat a provincialibus, ne illos hospitio gravet, vel ut eis habere arma concedat. Qui secus fecerit, ut dignitate bonisque ademptis exilio perpetuo damnetur.

Abrogantur ergo epidemetica, et occasione ἀφοπλισμοῦ, id est, ne privatis auferantur arma, exactiones, in Nov. 8. ἀφοπλιστὰς vocat, qui privatis hominibus habere arma non concedunt. Fit hujus Constitutionis mentio l. 26. sup. de episcop. aud.

TIT. XLI. *De salgamo hospitibus non præbendo.*

I. *Impp. Constantinus et Constans aa. Leontio p. p.* Ne quis comitum, vel tribunorum, aut præpositorum, aut militum nomine salgami gratia, culcitras, lignum, oleum, a suis extorqueat hospitibus, sed nec volentibus hospitibus in prædictis speciebus aliquid auferant. Sed provinciales sint nostri ab hac præbitione securi: comitibus, tribunis, vel certe præpositis, militibusque gravi vexationi subjacentibus. *Kal. V. Id. Octo.*

Salgami nomine scio significari conditas herbas, veluti caulam, brassicam, betam, quæ etiam hodie a Turcis condiri solent. Sed hujus nominis obtentu exigebant etiam transeuntes milites culcitas, ligna, oleum, quod hæc Constitutio tollit.

TIT. XLII. *De commeatu.*

I. *Imp. Constantinus a.* [a] Ne cui liceat præpositorum, vel tribunorum cohortium, vel vicariorum, et familiarum eorum tempore expeditionis quocunque genere, cuiquam de militibus a castris atque signis, vel his etiam locis, in quibus pertendant, discedenti commeatum dare. Si quis vero contra hanc legem facere ausus fuerit, et militem contra interdictum commeatum dimiserit eo tempore, in quo barbarorum incursio exstiterit: et tunc cum præsentes in castris atque apud signa milites esse debeant, quisquam abfuerit, capite vindicetur. *Dat. IV. Kal. Mai. Severo et Rufino. Coss.*

Commeatus est abeundi licentia data militi ad tempus, puta his verbis apud Livium XXX. SI QUIS VESTRUM SUOS INVISERE VULT, COMMEATUM DO: PRIMO VERE ADESSE EDICO. Difficile autem datur commeatus militibus, nisi causis justissimis approbatis, ut Vegetius ait. Certe expeditionis tempore imminentibus hostibus non datur, nec unquam amplius quam XXX. l. 16. *sup. de erog. mil. ann.* qui Commeatales dicuntur. Et Suidas Commeatalem intellexit dum interpretatur στρατιώτην ἐξουσίαν λαμβάνοντα τοῦ ἀφεθῆναι. Datur autem commeatus a Tribunis cohortium, aut præpositis militum, aut vicariis vel domesticis eorum, vel a principe. De his vicariis *l. ult. sup. de erog. mil. ann. l. 5. sup. de jurisd. om. jud.* Vegetius IV. *In sedibus*, inquit, *suis tribunorum aut vicariorum, nec non etiam principiorum ad omnem disciplinam arctissima severitate teneantur.* De dato a principe Gregorius Nazianz. his verbis: δότε μοὶ τὸ γράμμα τῆς ἀφέσεως ὥσπερ τοῖς στρατιωτικοῖς οἱ βασιλεῖς, καὶ εἰ βούλεσθαι μετὰ δεξιᾶς τῆς μαρτυρίας.

II. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Syagrio Magistro Officiorum.* Quicunque de scriniis, aut agentibus in rebus, vel etiam ex officiis palatinis, his videlicet qui sacrarum et privatarum remunerationum comitibus obsecundant, sex mensium spatium supra diem commeatus, aut jussionem evectionis abfuerit: is in inferiorem locum, quinque antelatis posterioribus devolvatur. Is vero qui anni vacationem arbitratu proprio, judiciarii præcepti oblitus assumpserit, a decem post se militantibus transcatur: ac deinde cum jam aliquis desidia quadrienno officium proprium adire neglexerit, quadraginta de sequentibus postferatur. Qui vero nec post quadriennii quidem tempus: militantium non immerito matriculis auferatur. *Dat. Kal. Oct. Auxonio et Olybrio Coss.*

Datur commeatus non tantum militibus armatis sed palatinis. Palatini qui supra diem commeatus abfuerint et sibi vacaverint, proprii gradus diminutione secundum hujus legis distinctionem coercentur. Pro *transferatur*, emendant, *transeatur*. De anni commeatu est *l. 1. sup. in quib. cau. mil. for. præs.*

III. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Haisoni Com. et Magistro Militum.* Si quis sine commeatu aliquo annum in penatibus propriis, vel in quibuslibet locis desidiosa quiete transegerit, decem sequentibus postponatur: in quo vero biennium talis culpa deprehenditur; viginti sibi antepositos congemiscat: tertius autem annus triginta prælatos jure deflebit: ita ut quartus exemplo matriculæ nullam veniam derelinquat. *Dat. Prid. Id. Jun. Rav. Post. cons. Honorii VIII. et Theodosii v. aa.*

Hac lege coercetur et regradatur miles qui sine commeatu abfuerit.

TIT. XLIII. *De tyronibus.*

I. *Impp. Valentinianus et Valens aa. Modesto p. p.* Nullus tyro vagus, aut veteranus, aut censibus obnoxius ad militiam accedat. *Dat. XIV. Kal. Octob. Hierapoli Valentiniano et Valente III. aa. Coss.*

Ne veteranus miles completa militia rursus fiat tyro, ne adscriptitius, ne vagus, id est, qui quasi miles divagatur.

II. *Imppp. Gratianus Valentinianus et Theodosius aaa. Eutropio p. p.* Quisquis alieni juris mancipium in tyrocinio militiæ scribi curaverit: convictus ac proditus auri libram ærario nostro cogatur inferre: mancipio scilicet dominio, si factum ignoraverit, reddendo. *Dat. Id. Mai. Tyro metropoli, p. p. Beryto Antonio et Syagrio Coss.*

Thesauris infert libram auri qui servum alienum in arma conscribit. Quod sequitur, *Mancipio, etc.* non erant in C. Th. sed additum est a Triboniano ex *l. 6. sup. qui mil. poss.*

III. *Impp. Honorius et Theodosius aa.* [a] *c. s. l.* Tyrones in scholis loco semper posteriore ponantur: nec enim patimur quemquam celsiorem gradum obtinere, nisi cui et laborum assiduitas, et stipendiorum prolixitas suffragatur. *Dat. VI. Kal. Dec. Rav. Basso et Philippo Coss.*

Tyronum in scholis infimus est gradus.

TIT. XLIV. *De littorum et itinerum custodia.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius. aa. Eustathio p. p.* Saluberrima sanctione censemus, ne merces illicitæ ad nationes barbaras deferantur, et quæcunque naves ex quolibet portu seu littore dimmittuntur, nullam concussionem vel damna sustineant: ita tamen ut earum naucleri deponant, in quam provinciam ituri sunt: ut hoc manifestato, nulla contra eos postea indignatio seu concussio quoquo modo procedat. *Dat. XIV. Kal. Oct. cp. dn. Theodosio a. IX. et qui fuerit nuntiatus.*

Custodiantur littora et portus ne merces illicitæ ad hostes transferantur, veluti vinum, oleum, liquamen, id est, garum vel oxygarum, arma, ferrum, cotes, sales. Additur ne naves professæ ullam concussionem sustineant. Curam littorum committere dicitur Comes sacrarum largitionum in formulis Cassiodori, et inde custodes littorum in *Nov. Theodosii de trib. fis.*

TIT. XLV. *De desertoribus et occultatoribus eorum.*

I. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Syagrio p. p.* Si quis forte desertorem agro tectove susceperit, atque apud se diu passus fuerit

delitescere: actor quidem vel procurator loci, qui hoc sciens prudensque commiserit, capitali supplicio subjugetur: dominus vero, si hujus rei conscius fuerit, prædii, in quo latuerit desertor, amissione puniatur. Si quis autem desertorem prodiderit, mediocris loci ingenuus immunilate potiatur. Neque solum de his loquimur, qui proxime signis felicibus applicati: militiæ rudimenta timuerunt: verum etiam qui stipendiis militaribus degenerem latebram præbuisse monstrantur. Desertor autem habebitur quisquis belli tempore aberit a signis: horum qui sponte processerit, peccati anterioris supplicium non timebit. Sin vero flagitiosa ignavia via delitescat: per eum, in cujus domo fuerit, invigilantibus extrinsecus quoque officiis publicis, ubicunique correptus, severitati judicis offeratur: degeneri morte gladium subiturus. Sin autem rector provinciæ propositam severitatem vel gratia, vel dissimulatione distulerit: patrimonii atque existimationis damno subjiciatur, et in officii priores capitaliter vindicetur. *Dat. Id. Jul. Romæ Gratiano VI. et Theodosio I. aa. Coss.*

Puniuntur hac lege tyro milesve desertor et occultator ejus. Præmio autem afficitur proditor ejus: servus libertate: quod huic legi addendum est ex *l. ult. sup. quib. ex cau. ser. pro præ.* quæ eandem inscriptionem et subscriptionem habet. Ingenuus mediocris loci immunitate, ut in causa falsæ monetæ, *l. 4. sup. de fal. mon.* Ideo ait, *mediocris loci*, quia superioris dignitatis sunt, satis per se a muneribus civilibus excusantur.

II. *Imppp. Arcadius, Honorius et Theodosius aaa. Adriano p. p.* Si desertores inventi resistendum, atque armis obtinendum putaverint: tanquam rebelles in ipsis temeritatis suæ conatibus opprimantur. Ita tamen ut provinciarum judices sollicita cautione disquirant, ne sub falsarum tractoriarum nomine desertionis suæ crimen defendere moliantur, nec suppositis et commentitiis epistolis evadendi habeant facultatem. *Dat. VI. Kal. Mar. Rav. Theod. a. I. et Rumorido Coss.*

Pro, *oppugnandum*, emendavi, *obtinendum*, ex vet. Græci vertunt διὰ τῶν ὅπλων κρατῆσαι. Obtinere est abuti, ut *l. 6. sup. de ed. prin.* De tractoriis dicatur inferius suo titulo. Hæ si veræ sint, desertionis crimen diluunt. Itemque epistolæ, id est, testimoniales missionum literæ.

III. *Iidem aaa. Longino p. p.* Qui relictis militaribus castris se ad deprædationes, vel latrocinium contulerint, severitatem judicis non evadant. *Dat. IX. Kal. Apr. Rav. Arcadio a. VI. et Probo v. c. Coss.*

Superiores leges sunt de nec manifesto desertore, hæc de manifesto. Multa vero alia severius in desertores constituta sunt, veluti ut a provincialibus opprimantur impune, *l. 2. sup. quan. lic. unicuique sine jud.* ut ejus criminis abolitio sit, *l. ult. in fine. sup. de abol*, ut morte non extinguatur crimen, *l. 4. sup. de re mil.*

TIT. XLVI. *De Veteranis.*

I. *Imp. Constantinus a.* Cum introisset principia, et salutatus esset a præfectis et tribunis, et viris eminentissimis acclamatum est: Auguste Constantine Deus te nobis servet, vestra salus nostra salus: vero dicimus, jurati dicimus. Adunati veterani exclamaverunt, Constantine Auguste, quo nos veteranos factos, si nullam indulgentiam habemus? Constantinus Augustus dixit: magis magisque conveteranis meis beatitudinem augere debeo, quam minuere. Victorinus veteranus dixit: muneribus et oneribus universis locis conveniri non sinamur. Constantinus Augustus dixit: apertius indica, quæ sunt maxime munera, quæ vos contumaciter gravant. Universi veterani dixerunt: ipse perspicis. Constantinus Augustus dixit: jam nunc magnificentia mea omnibus veteranis id esse concessum perspicuum sit, ne quis eorum in ullo munere civili, nec in operibus publicis conveniatur, nec ulla collatione, nec a magistratibus, nec vectigalibus, in quibuscunque nundinis interfuerint, ulla ob venditionem proponendam dare debebunt. Publicani quoque (ut adsolent agentibus supplere) ab eisdem veteranis amoveantur, quiete post labores suos perenniter perfruantur. Fisco nostro quoque eadem epistola interdiximus, ut nullum omnino ex his inquietaret, sed liceat eis emere et vendere optimis negotiis pecuniam tractare, et mercimonia agitare: nec solum integra beneficia eorum sub seculi nostri otio, et pace perfruantur, sed etiam nulla munere civili, id est, corporali seu personali, vel deportorio onere eos affici concedimus. *Dat. Kal. Mar. Civitate Bellovocorum Constantino a. VI. et Constantio Cæs. Coss.*

Veterani immunitatem habent munerum personalium. Item deportoriorum, quæ Græci interpretantur διαπύλια. Immunes igitur sunt onere portorii, *l. 9. C. Th. de veteranis.* Item operum publicorum, de qua *l. 1. sup. de oper. publ.* et collationum extraordinariarum, et civitatibus vel publicanis nihil ob venditionem proponendam præbere debent. Ait, *Ut solent agentibus supplere.* Vet. *supplere*, Cod. Th. *supercompellere*, quod est ὑπερπράττειν, sive λεηλατεῖν. Agentibus mercimonia. Ait, *eadem epistola* id est, testimoniali dimissionis veteranorum. Sic epistola accipitur *l. 2. sup. de desert.* et aliis locis quos indicavi *l. ult. sup. de profess. et med.* Multa vero ex hac lege errata sustulimus in contextu nostro.

II. *Idem a. Maximo p. p.* Providendum est ne veterani, qui protectoria dignitate cumulati, aut honores varios pro meritis suis consecuti sunt: incongruis pulsentur injuriis: cum si quis in hoc crimine fuerit deprehensus, rectores provinciarum pro jurisdictione sua examinantes factum, pro sui qualitate eos coerceant. *Dat. IV. Kal. Iun. Triveris Januario et Justo Coss.*

Veteranis plurimum honor protectorum aut domesticorum defertur data testimoniali ex protectoribus. Symmachus in epistolis: *Hujusmodi veteranis prærogativa debetur, ut illis protectorum dignitas tanquam pretium longi laboris accedat.* Julianus Leontio, ἐγκατελέξαμεν δέ σε τῷ τῶν οἰκείων συντάγματι γινονται δὲ ἀπὸ τῶν ἀποφλωρησάντων αὐτοῖς καὶ στρατευσαμένων, *l. 7. et 14. C. Th. de lus. su coll.*

III. *Idem a. Evagrio p. v.* Veterani qui ex negligentia vitæ neque rus colunt, nec aliquid honestum peragunt, sed latrociniis se dedunt, omnibus veteranorum privilegiis exuti, pœnis competentibus a provinciarum rectoribus subjiciuntur. *Dat. III. id. Aug. Constantio a. VI. et Constante II. Coss.*

Veterani qui se ad latrocinia conferunt, privilegia sua amittunt.

IV. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Eustachio p. p. et Nestorio p. p. Illyrici.* Nullus eorum qui sacramentis inhærere desierit, vel volens permittatur, vel invitus militare cogatur servare judicium, sententiis quæ non his observatis latæ fuerint, nullam firmitatem habentibus, nisi forte reperiatur ibi tempore militiæ cœpta cognitio: tunc enim velut necdum cingulo deposito, sub militari judice rem tractari finirique præcipimus: nisi principali beneficio specialiter indulto quidam ex his sese defendant.

Veterani mutant forum. Nec enim jam amplius militare judicium observare coguntur, nisi ante missionem in eos lis contestata fuerit. Sic mulier per nuptias mutat forum, nisi ante nuptias litem inchoaverit, *l. pen. D. de jurisd.* Sed ipse se prioris judicis volens jurisdictioni subjicere potest. Veteranus duciano judicio se subjicere non potest.

TIT. XLVII. *De Filiis officialium et militarium qui in bello moriuntur.*

I. *Imp. Constantinus a. Evagrio.* Ii qui ex officialibus quorumcunque officiorum geniti sunt, sive eorumdem parentes adhuc sacramento tenentur, sive jam dimissi sunt, in parentum militiam vocentur. *Dat. Prid. Non. Aug. Basso et Ablovio Coss.*

Ut filii officialium sequantur militiam patris. Officialium, id est, apparitorum.

II. *Impp. Gratianus, Valentinianus et Theod. naa. Neoterio.* Filios primipilsriorum paternam sequi conditionem oportet.

Ut filii primipilsriorum sequentur militiam patris, non curiæ adducantur. De primipilo dicetur suo titulo. Sequitur constitutio Græca quæ decrat, et sine qua in titulo frustra adjectum esset, *et militarium qui in bello moriuntur.*

III. Ἐάν τις ἐν πολέμῳ τελευτήσῃ ὁπωσδήποτε στρατευόμενος, ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἐὰν εἷς ἐστιν ἢ πολλῶν παίδων ὁ μείζων παραχρῆμα εἰς τὸν τόπον τοῦ πατρὸς ὑπεισερχέσθω, καὶ τὰς ἀννώνας τὰς αὐτὰς λαμβανέτω εἰμέχρι βιάρχου ἦν ὁ πατήρ· εἰ δὲ ἀνώτερος ἦν τοῦ βιάρχου, βιάρχον μόνον γίνεσθαι τὸν παῖδα· κπρόδηλον γὰρ ὅτι ὁ μείζων ταύτην ἔχων τὴν παραμυθίαν, φροντίζει καὶ τῶν ἰδίων ἀδελφῶν.

INTERPRETATIO LATINA.

Si quis quocunque modo militans in bello moriatur, filius ejus si unus sit, vel ex multis major natu statim in locum ejus succedat, et easdem annonas accipiat si pater usque ad Biarchi dumtaxat gradum pervenerit. Quod si altiorem obtinuerit, veluti ducenarii aut centenarii, filius ejus fiet tantummodo Biarchus. Manifestum autem est majorem natu, in quem ejusmodi solatium confertur, fratrum suorum curam habiturum..

TIT. XLVIII. *De oblatione votorum.*

I. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Basilio p. v.* Quando votis communibus felix annus aperitur, in una libra auri et solidis obryziacis principibus offerendi devotionem animo libenti suscipimus: statuentes ut deinceps sequentibus annis uniuscujusque sedulitas principibus suis talia ingerant semper et deferant. *Dat. III. Non. Mar. Med. Olybrio et Probino Coss.*

Nuncupabantur vota ineunte anno pro salute principis, *l. Si calvitur. D. de verb. sig.* et offerebatur libra auri in LXXII. solidis obryziacis auro obryzatis, quo nomine quid significetur ostendi in *tit. de vet. num. pot.*

TIT. XLIX. *De Numerariis, actuariis et chartulariis et adjutoribus, scriniariis et exceptoribus sedis excelsæ, ceterorumque judicum tam civilium quam militarium.*

Hic titulus est de dignitatibus quæ sunt in officio judicis civilis aut militaris. Civilis, veluti præf. prætorio aut præf. urb. Militaris, ut magistri militum aut ducis.

I. *Imp. Constantinus a. ad Veronicianum Vic. Asiæ.* Vorax et fraudulentum numerariorum propositum, qui diversis rectoribus obsequuntur, ita inhibendum est, ut antea sanximus, et nunc itidem sancimus, conditioni eos subdi tormentorum, et eculeis atque lacerationibus subiacere. *Dat. XIX. Kal. Iun. Optato et Paulino Coss.*

Numerarii qui sunt in officio præsidum et consularium conditionales sunt: et ideo tormentis, re exigente, ungulis, uncis et eculeis subjiciuntur. Est huic conjungenda, *l. Damus. Cod. Theod. de iis quæ adm. vel. off. pub. ger. trad. sunt*, in qua idem ad eundem. *Damus*, inquit, *provincialibus potestatem, ut quicunque sibi a numerariis, qui diversis rectoribus obsequuntur, conquesti fuerint aliquas venditiones extortas, irritas eas anteque efficiant.* Videnda sunt quæ diximus *l. 13. sup. de suscep.*

II. *Impp. Valentinianus et Valens. aa. Clearcho pp.* Qui numerarii appellari consueverant consularium atque præsidum dumtaxat, tabularii post hanc nostram sanctionem vocabuntur: scientes se tormentis esse subjectos, nisi judicibus, vel his, qui provecti nostro judicio ad provincias venerint, vel exactoribus debitorum aut reliquorum modum frequenter ingesserint sub actorum testificatione. Quos scire oportet, cum his qui debitores sunt, sese ad solutionem esse retinendos, nisi omnia debita ipsis fuerint indicantibus persoluta. Triennii tantum spatio tabulariorum decet tempus omne concludi. *Dat. XIV. Kal. Mar. cp. Valentin. et Valente aa. Coss.*

Cur mutetur nomen numerariorum rectorum provinciarum in nomen tabulariorum diximus in *dict. l. 13.*

III *Iidem aa. Rufino p. p.* Numerarius amplissimæ tuæ sedis cingulum habere, et militiæ ordinem tenere jubemus. *Dat. Prid. Id. Dec. Parisiis Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Recte *l. 2.* consularium atque præsidum duntaxat. Nam illustrium præf. prætorio numerarii, vel etiam spectabilium conditionales non sunt. Quinimo cingulum militiæ gestant et tenent qui in officio præf. prætorio numerarii sunt.

IV. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aa. Omnibus Rectoribus Provinciarum.* In provinciis singulis duo numerarii, qui et tabularii, collocentur: quo ad unum fiscalis arcæ ratiocinium, ad alterum largitionales pertinere tituli jubeantur: hoc scituri, quod si ex alterius quiddam actibus ad alteram partem illicita fuerit usurpatione translatum: is qui culpam judicis dissimulatione texerit, gravissimo sit supplicio subjugandus. *Dat. III. Kal. Apr. cp. Antonio et Syagrio Coss.*

De hac etiam diximus satis in *d. l. 13.*

V. *Iidem aaa. Principio p. p.* Exceptores omnes judicibus provincialibus obsequentes, qui nec cohortalem militiam sustinere videntur, neque a fisco ullas consequuntur annonas, absque metu dare cœptis operam (etiam si decuriones sint) minime prohibemus: dummodo munia propriæ civitatis agnoscant, et peracto secundum morem officio exceptionis ad propriam sibi curiam redeundum esse non nesciant. *Dat. IV. Id. Dec. Aquiliæ Arcadio a. et Bautone Coss.*

Ut curiales, qui facti sunt exceptores præsidum, impleto exceptionis officio ad curiam redeant. Fiunt plerumque exceptores præsidum aut consularium etiam qui cohortalinæ conditionis non sunt.

VI. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Severo p. v.* Ne diutius ad cunctorum perniciem actuarii numerariorum consortiis adjuventur, illustris auctoritas tua cunctos ex numerariis actuariorum societate præcipiat abstinere, atque ab eorum communione discedere. Quod si hæc moniti custodire neglexerint: iisdem pœnis se, quibus actuarios, non ambigant subjacere. *Dat. IV. Kal. Iun. Niciæ Honorio a IV. et Eutychiano Coss.*

Numerarii rationes et chartas tractabant in officio præf. prætorio, præf. urbi, præsidum, ducum. Actuarii palatinorum et comitatensium numerorum rationes tractant, *l. 5. sup. de erog. mil. an.* et ita actuarii specialiter accipiuntur *l. 3. 5. 10. 15. C. Th. eod. tit. de numer. act.* Alii sunt actuarii, de quibus dicetur tit. seq. Alii actuarii Comitum ærarii, *l. 3. inf. de div. off.* Fuere et præf. prætorio, proc. præsidibus, vicariis, præfect. urbi, Ab actis. Lex constituit ne ullum sit numerariis forte præf. urbi commercium cum actuariis, ne quid fraudis inter se moliantur communicatis rationibus: quin et amplius in Cod. Theodosii, actuarii a præfect. urbi urbe pelli jubentur.

VII. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Hierio p. p.* Actuarios tam clarissimæ urbis Constantinopolitanæ quam Antiochiæ, quamque curialium civitatum diversarum, non aliter nisi ut consueverat .manus sanxerit principalis, sublimitas tua præcipiat ordinari. Quod si quis talis sub tua fuerit judicatione convictus: profecto irritis his, quæ vetita contrectaverit, etiam congruam indignationem incurrat. *Dat. X. Kal. Iul. Nicomediæ Theodosio XII. et Valent. II. aa. Coss.*

Hæc lex ita restituenda est ex vett. libris, et ex lege 21. et 22. *C. Th. de div. offic. Actuarios tam classium urbis Constantinopolitanæ, quam Thymelæ equorumque curulium civitatum diversarum*, etc. Alii igitur sunt actuarii classium urbis Constantinopolitanæ, alii Thymelæ, id est, scenæ et equorum curulium civitatum diversarum, id est, qui ex diversis civitatibus in urbem conferuntur. Ii non ordinantur nisi ex sacrorum scriniorum probatoria. Conjungenda est *l. 6. inf. de div. offic.* quæ in aliis quibusdam sacram probatoriam exigit.

VIII. *Iidem aa. Protogeni p. p.* Scriniarios vel numerarios officii tuæ magnitudinis jubemus nullatenus in posterum aut mutuam pecuniam sumere, aut polliceri cuiquam pro publicis expensis cogi, quos nul-

lam post depositam militiam inquietudinem sustinero volumus.

Scriniarios habuere præf. prætorio et magistri militum et comites utriusque ærarii et proconsul Asiæ et castrensis sacri palatii. Item duces, si ita recte auctor Etymologici: Σκρινιάριος τῆς δουκικῆς ὑπάρχων τάξεως ὁ ἤγουν χαρτοφύλαξ, σκρίνιον γὰρ τὴν θρυβαντικὴν λάρνακα οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Hæc lex est de scriniis et numerariis præf. prætorio, ut si quid in publicas necessitates impendendum sit, non cogantur ipsi eo nomine pecuniam mutuam sumere aut se obligare, ne ex eo post depositum officium periclitentur. Commercio mutui eis omnino non interdicitur: legenda est *Nov. Valentiniani de officio, et numerariis præfectorum.*

IX. *Imp. Leo a Dioscoro p. p.* Nemini licere deinceps jubemus in quacunque militia connumerato, sollicitudinem actuarii subire, vel post depositam eandem curam ad militiam adspirare: quatenus inter privatos agens, omnique militari privilegio denudatus, nihil nundinationis vel fraudis circa commendanda ratiocinia, quibus obnoxius est, attentare valeat.

Militem vetat numerorum actuarium fieri, et actuarium deposito officio militem fieri, ne privilegio militiæ rationum redditio cohibeatur. Qua re etiam constat Senatusconsulto inhiberi nuptias inter tutorem et pupillam.

X. *Imp. Zeno a. Arcadio p. p.* Nulli scriniario liceat pro tempore numerarios plus quam quaternis vicibus, ne his tamen continuandis, adjuvare. Idemque hoc super chartulariis, præbenda pro tempore numerariis opera, observari decernimus: ita ut adjutorum quidem biennii, chartulariorum vero unius anni intervallo continuatio interrumpatur. Nulla adjutoribus ad chartulariorum sollicitudinem, quam semel dedignati sunt, descendendi danda licentia. Ita ut Orientalis quidem tractus pro tempore numerariis, non nisi ob his scriniariis, qui intra triginta viros a numerario retro numerandos: Asianæ vero diœceseos numerariis non nisi ob his, qui intra quinquaginta a numerario similiter retro numerandos inveniuntur. Ponticæ vero et Thraciæ diœceseos passim et pro suo libitu ex omni multitudine eligendorum adjutorum tribuatur facultas. Omnia sane commonitoria, vel præceptiones, aut evectiones, seu quælibet publica instrumenta non solum adjutoribus, verum etiam provinciæ illius, de qua disponitur, tractatori inspiciendi: itidemque subscribendi, aliorum quoque qui una cum eo tractant, in eadem scriptione mentione habenda, necessitatem incumbere. Si quid autem sine hac observatione ex Orientali vel Asiano vel Thraciano scrinio fuerit emissum, falsi suspicione non careat: exceptis publicis instrumentis, quæ a scrinio Ponticæ diœceseos emittuntur, quod in iisdem instrumentis solum numerarium ejusdem diœceseos, ejus quæ adjutorem, et chartularium subscribere magnitudo tua disposuit. Ita ut si quid hujus legis fuerit violatum, numerarii quidem tam gradus sui, quam solemnitatem seu solatiorum universi anni jacturam: adjutores vero quinquaginta librarum auri, et chartularii quindecim itidem librarum auri pœnam subeant.

Scripta est præf. prætorio Orientis, sub cujus dispositione erant diœceses quinque, ut diximus *l. 2. sup. de mil. vest.* Sed hæc lex nescio quamobrem prætermittit diœcesim Ægypti. In officio præf. prætorio numerariis dant operam adjutores et chartularii. Adjutores eliguntur ex scriniariorum certo numero, vel ex omni turba pro diversitate diœceseum. Sed iidem viri numerariis adjutores esse non possunt plus quam quaternis vicibus in singulis intermisso biennio. Iidem etiam chartularii eis non adjunguntur plus quam quaternis vicibus, anno solummodo intermisso. Chartularii forsitan tractatores etiam appellantur in hac lege, ut tentavi *l. 2. sup. de can. larg. tit.* quos et commentarienses dictos auctor Etymologici scripsit. Numerarii præf. prætorio auctoritates, commonitoria, præceptiones, evectiones conficiunt, *l. ult. sup. de fabr. l. pen. inf. de execut.* adhibita inspectione et subscriptione adjutorum et chartulariorum, et aliorum quorundam in ea subscriptione mentione facta.

XI. *Iidem a. Coctoni Magistro Militum.* Officio tuæ magnitudinis datis precibus postulante, ut numerariorum actus non in biennium, sed in unum annum statuantur: nostra pietas hujusmodi petitionibus annuens dispositionem, quæ super biennio promulgata fuerat, super uno tantummodo anno revocavit.

Numerarii qui rectoribus parent, triennales sunt, *l. 2. sup.* quod et de numerariis præf. prætorio proditum est *l. 13. et ult. Cod. Th. eod.* At numerarii qui sunt in officio magistrorum militum, annui sunt: olim erant biennales. Alia legitur, *dispositionem, quæ super uno tantummodo anno promulgata fuerit, revocavit.*

XII. *Imp. Anastasius a. Aspartico p. p. Illyrici.* Per hanc divinam pragmaticam sanctionem decernimus, quod antea dum tribuni prætoriani dignitas eis, qui in scriniis seu gradibus officii tuæ celsitudinis deponunt militiam, præbebatur, et custoditum fuisse dignoscitur, hoc super honore quoque comitivæ dignitatis eis impertiri, ut sententia pro fine eorum militiæ proferenda dignitas etiam mentionem contineat. Hæc quoque tantumodo, et sine speciali codicillorum vel divinorum apicum sanctione ad eandem dignitatem adipiscendam, et privilegia eam sequentia sufficiant: ita tamen ut primi ordinis comitivam per interlocutionem ejusdem potestatis mereantur cornicularius et chartularius, et primiscrinius, et numerarius scrinii Macedoniæ, et scrinii Daciæ, et scrinii operum, et scrinii suri. Hoc eodem in his etiam, qui post novellam dispositionem divæ memoriæ Zenonis, quæ de eisdem personis loquitur, deposuerunt militiam obtinente.

Numerarii, cornicularii, primiscrinii, chartularii, qui sunt in officio præf. prætorio, militia deposita dimittuntur cum honore aliquo. Inde Sidonius 1. Epist. *Numerariorum, seu potius advocatorum more, quorum cum finiuntur actiones, tunc incipiunt dignitates.* Et olim quidem ex tribunis prætorianis dimittebantur. Hodie ex hac lege ex comitibus primi loci sola testimoniali præf. prætorio sine codicillis principis. Scripta est hæc lex ad præfectum prætorio per Illyricum, in cujus officio erant numerarii quatuor, Daciæ, Macedoniæ, operarum, suri, qui hac lege recensentur, et clare a Mariano Scoto in notitia Romani imperii. Scriniariorum operum sive operarum fit mentio in *Nov. 128.* Ambrosius 5. Epist. *Apparitor præfecturæ qui propter operas portuenses offensam contraxerat.* qui locus magis pertinet ad *l. 1. C. Th. de patron. hor. port.*

TIT. L. *De cursu publico, angariis et parangariis.*

Exponamus ante omnia quid distent angariæ a parangariis, veredi a paraveredis. Id Græci lib. 56. Βασιλικῶν expediunt his verbis: καὶ ἔστιν ἀγγαρεία μὲν ἡ πάροδος ἡ διὰ τῆς δημοσίας ὁδοῦ τῆς καὶ δρόμον ἐχούσης, ὡς τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ Τύρον. παραγγαρεία δὲ ἡ διὰ τῆς ἐκ πλαγίας ὁδοῦ, ὡς τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ Ἡλιούπολιν, ad *l. 21. inf. hoc. tit.* jamque fuit ovulgatum ed ita, qui dictionum Græcarum sensus collegerunt, iis tamen edjectis, τὸ παλαιὸν ἦν ὁ πλατὺς δρόμος ὁ λεγόμενος διὰ ὀχημάτων, quæ ad angariæ vel parangariæ definitionem nihil pertinent, sed ad l. 22. Est igitur angaria, qua cursus publicus dispositus est: parangaria altoversum. Utrumque onus a provincialibus exigitur in transvectione armorum, *l. ult. sup. de fabricens.* vel specierum, *l. 1. sup. de quibus mun.* conjuncta *l. Maximarum. sup. de exc. mun.* vel qualibet alia necessitate publica: exiguntur nempe plaustra, jumenta, naves, operæ extra ordinem. Veredi sunt publici equi cursuales, qui a Græcis ταχυδρόμοι ad *l. 8. hujus tit.* Procop. II. de bel. Pers. ὁ δὲ ἵππους τοῖς δημοσίοις ἐχόμενος, οὓς δὴ βερέδους καλεῖν νενομίκασιν· et Julianus *Nov. 130.* qui τῶν δημοσίων ἵππων δρόμον, interpretatur veredorum cursum. Inde qui jussu principum huc atque illuc cursu publico mittuntur, veredarii ab Hieronymo in historia Esther, quos Josephus xi. ἀγγαρολάρους angaros, et ad Eustochium, *clericus regis veredarius urbis.* Procopius de bello Vand. τῶν τῆς βασιλείας ἀποκαλεῖ ἐπὶ γράμμασιν, οὓς δὴ βερέδαρους καλοῦσι. Prima origo nominis veredorum quod vehant sive ducant rhedas auctore Festo, quæ et ipsæ cursuales dicuntur, *l. 9. C. Th. de legatis, et dec. leg.* Qui scribunt reda, veredos scribunt. Qui rheda, verhedos, ut in Pandect. Flor, *l. ult. D. de mun. et hon.* Sed carpenta etiam veredi appellari sine reda. Utebantur etiam ad cursum publicum bobus *l. 1. Cod. Th. eod. tit.* et mulis atque asinis: quod statuisse Julianum Socrates scribit lib. 3. cap. 1. Carolum magnum iter fecisse carpento juncta bobus et bubulco, rustico more agente, Eginharius scribit. Paraveredi videntur esse majores equi agminales, quos posteriores parafredos vocarunt, ut in lege Bajuvariorum: *Parafredos donent, aut ipsi vadant ubi eis injunctum fuerit:* estque ea hodie equorum appellatio Gallorum, Italorum, Hispanorumque communis. Francorum regi ab omnibus suis paraveredos solvi solitos Caroli magni leges a Benedicto Levita lectæ multis locis ostendunt.

I. *Imp. Constantinus a. Titiano.* Equos, qui publico cursui deputati sunt non lignis, vel fustibus, sed fla-

gellis tantummodo agitari decernimus: pœna non defutura contra eum qui aliter fecerit. *Dat Prid. Id. Moi Subino et Rufino Coss.*

Ut veredi agitentur flagellis, aut virgis, non fustibus.

II. *Idem a. Acyndino p p.* Præsidibus et rationalibus ceterisque, quibus propterea respublica et annonas et alimenta pecoribus subministrat, usurpandi paraveredi licentia derogetur: sed nec alia via eundi quisquam habeat facultatem, nisi per quam cursus publicus stare dignoscitur: excepta videlicet tua sublimissima sede, cui cursus publicus, et proficiscendi per eum licentia, et ubi ratio exegerit, præsto est. *p. p. XV. Kal Mar. Constantino a. VII. et Constantio Cæs. Coss.*

Ne præsidibus et catholicis et ceteris magistratibus, quibus Respublicæ (ita legendum) id est, civitates, annonas, et capita administrant, præbeant etiam agminales equos, l. 19. inf. Et ne alia via eant, quam publica, quæ canalis dicitur in l. 2. *C. Th. de curios* et in *l.* 15. *C. Th. de cur. pub.* Et Concilii Sardicæ cap. 21. exceptis præf. prætorio.

III. *Imp. Constantinus a. Tauro p p* Evectiones ab omnibus postulentur, et tam judices quam custodes publici cursus minime transire patiantur, antequam seriem evectionis aspexerint. Quod si quis putaverit resistendum, et sine evectione iter facere detegitur, vel ultra tempus, quod evectioni insertum est, publico cursu uti conatus sit: ubi repertus fuerit, eundem jubemus retineri: et si quidem dignitate præditus sit, de ejus nomine ad prudentiam tuam, et ad illustrem virum Comitem, et magistrum officiorum referri: adversus ceteros vero protinus indignatio competens exercenda est, quo sinceritas tua pro loco graduque militiæ ibidem coerceri posse crediderit, *Dat VII. Kal. Iul. Med. Constantio a. IX. et Iuliano Cæs. II. Coss.*

Evectiones sunt diplomata sive condicilli, quibus curso publico utendi facultas datur, quæ et synthemata, et combinæ, et tractoriæ dicuntur, ut dicemus tit. seq. Hier. ad Julia. *Iam dimisso synthemate equus publicus sternebatur.* Idem in Hilarione, *Secreto ab imperatore evectionem petit* Aug. v Confes. *Missum est a Mediolano ad præf. urbi, ut illi civitati Rhetoricæ magister provideretur, impertita etiam evectione publica.* Sunt et loci similes multi. Non licet autem cursu publico uti sine evectione: idcoque a currentibus tam judices, quam curiosi evectionem sibi exhiberi postulent, *l. 2. sup. de curios.* Sine quo currentes, aut supra tempus evectione comprehensum, retineantur et coerceantur.

IV. *Imp. Iulianus a. Mamertino p. p.* Parhippum eum videri et habendum esse, si quis usurpato uno vel duobus veredis, quos solos evectio continebit, alterum tertiumve extra ordinem commoveat. Nil autem interesse debet, nec ad crimen vocari, utrum agens in rebus suo itineri, an mulionis subjugando modo evectionis datæ formam et licentiam non excedat. *Dot. V. Id Sept Mamertino et Nevitta Coss.*

Paraveredi appellantur *parhippi* a Græcis ad *l.* ult. *hujus tit.* et a Cassiodoro 4. et 5. Variarum, et a Juliano in epist. ad Aetium Hoc loco Parhippus dicitur, qui supra numerum evectionis equos publicos usurpat. Quod hac lege damnatur. Sed si non servata evectionis forma suo vel mulionis sive hippocomi itineri agens in rebus, cui evectio data est necessitatum publicorum causa, eos subjunxerit.

V *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Symmachum correctorem Lucaniæ et Brittiorum* Si quis per publicum cursum iter faciens, cujuscunque dignitatis vel militiæ, ab itinere recto diverterit, pœna in eum competens proferatur. *Dat. VIII. Kol. Apr. Med. Valentiniano et Valente aa Coss.*

Ne is, cui evectio data est, e canali publico deflectat.

VI. *Iidem aa. et Gratianus a. ad Ampelium p. u.* Evectionum copiam senatui, cum proficiscendi ad nos necessitas fuerit, serenitas nostra largita est: ita tamen ut cum a nobis evocatur, aut a clementiæ nostræ veneratione discedit. Si quis ergo posthac contra vetitum sibi cursum publicum illicita temeritate præsumpserit, motum in se nostræ mansuetudinis excitabit *Dat. III Id Dec. Triv. Gratiano a II. et Probo Coss.*

Evectionum copia facit senatori evocato a principe. Sidon. 2 Epist. *I gressus mihi publicus cursus usui fuit; utpote sacris apicibus accito, et quidem etiam ... moram non faciebat.*

VII. *Iidem aaa ad Hesperium p p.* In omnibus provinciis veredorum quarta pars reparetur: stabula autem ut impensis publicis extruantur contra rationem est: cum plus nihil ... sumptu. in quorum locis stabula constituta sunt, citius arbitremur apparanda; et utilius sit tam publico quam his, quos stercus animalium pro suo solatio habere concedimus. *Dat. III. Kalen. Mar. Triv. Grat. a IV. et Merobaude. Coss.*

Ut singulis annis veredorum quarta pars reparetur, et ut provincialium sumptu stabula parentur et tueantur.

VIII. *Imppp. Valens, Gratianus et Valentinianus aaa. Floro com. rerum privatarum.* Ut agendi itineris possit esse moderatio, deni veredi per dies singulos ex utraque parte dimittantur: pœna quinque librarum auri minime defutura contra eos, qui statuta nostra neglexerint.

Ut quotidie non plus quam x. veredi ex utraque parte mansionum dimittantur. Inscriptio in quibusdam est, ad Ausonium p p

IX. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Floro p. p.* Judicibus faciendæ evectionis copiam denegamus, cum id tantum nostro numini et tuæ sedi, nec non viro illustri magistro officiorum sit reservandum: cum neque præfecto urbi, nec magistris militum, nec ducibus, nec vicariis, nec cuiquam alii præter memoratas duas potestates a nobis hoc concessum sit. His enim tantum ambulandi facultatem judices ex suo arbitrio præbituri sunt, quos in transmissionem publicarum functionum prosecutores viderint constitutos: sciturí, si definitionem nostram excesserint, se quidem xxv auri libris, officia vero quinquaginta esse multandos. *Dat X. Kal. August. cp Antonio et Syragrio Coss.*

Ut evectiones tantum dentur a principe, vel e præf. prætorio, vel magistro officiorum. Sub magistro officiorum sunt curiosi. Ad eos refertur si quid minus legitime in usurpando cursu publico factum sit, *l.* 3 *sup. hoc. tit.* Idcirco non mirum si evectiones dant. Cassiodorus in formula magisteriæ dignitatis: *Veredorum opportunam velocitatem, quorum status semper in cursu est, diligenter sua districtione custodit. Per eum nominis nostri destinatur evectio:* et in for. præf præt. *Evectiones simili potestate largitur.* Præsidibus autem dandarum evectionum facultas non est, ut *Nov. Majoriani de curial.* nisi publicarum functionum prosecutoribus.

X. *Iidem aaa. Philagrio Com. Orientis* Gravissimæ pœnæ acerbitate proposita, evectionum contractus, animalium quoque publicorum merces, et ementis et distrahentis coercitione prohibemus. *p. p. Byrito Dat. XII. Kal. Octob. Antonio et Syagrio Coss.*

Evectionum et veredorum commercio interdicitur. Igitur qui evectionem impetravit, ea ipse uti potest. Eam alii vendere non potest.

XI. *Iidem aaa. Cynegio p. p.* Nullus evectione utatur, privatus, tametsi valuerit impetrare. *Dat. VI. Non. Mart. cp. Richomere et Clearcho Coss.*

Ut privati cursu publico non utantur. Agentes in rebus, senatores, præsides, rationales, magistratus, legati, episcop. evocati a principe, hi sunt quibus eo uti licet.

XII. *Imppp. Theodosius, Valentinianus et Arcadius aaa. Cynegio p. p.* Quoniam veredorum quoque cura pari ratione tractanda est: sexaginta libras sella cum frenis, sexaginta itidem averta non transeat: ea conditione, ut si quis præscripta moderaminis imperatorii libramenta transcenderit, ejus sella in frustra cædatur, averta vero fisci viribus deputetur: exceptis auri centenariis, quæ necesse est ab hippocomis in solitis sacculis reportari. *Dat. XV. Kal Jul. cp Arcadio a. I et Bautone Coss.*

No plus justo onerentur veredi Constituit ne sella cum frenis, ne etiam averta excedat 60. libras Quod sit autem averta ex Græcis in-

TIT. LI. *De tractoriis et stativis.*

I. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius aaa. Rufino p. p.* Tractoriæ cum stativis solitis tantummodo bidui tempus accipiant: nulli vero penitus cum necessariis sibi personis præbeantur, nisi his tantummodo, qui animalia atque equos sacro usui necessarios prosequuntur, ita tamen ut his dimissis in tractoriarum corpore quinque dierum numerus adscribatur, ut nullus ultra hoc temporis spatium ad residendum, in quo ibitum fuerit loco copiam nanciscatur. *Dat. VII. Kal. Sept. cp. Arcadio a. II. et Rufino Coss.*

Tractoriæ diplomata sunt, quæ dantur missis vel evocatis a principe cursu publico utentibus, adscriptis etiam stativis, id est, diversoriis et mansionibus, quibus alantur sumptu publico. Nam quos evocabant aut mittebant, eis non tantum equorum publicorum copiam dabant, sed et viatica. In Marculphi monachi libro hæc ponitur tractoriæ formula: ILLE PRINCEPS AGENTIBUS IN ILLO LOCO: NOS GAIUM ET V. ... ILLIS LEGATIONIS CAUSA DIREXIMUS, IDEO JUBEMUS UT LOCIS CONVENIENTIBUS EIDEM A VOBIS EVECTIO SIMUL, ET HUMANITAS MINISTRETUR, HOC EST VEREDI SIVE PARAVEREDI TOT, PANES TOT, VINI MOD. TOT, CERVISIAE MOD. TOT, LARDI LIB. TOT, CARNIS TOT, PORCI TOT, PORCELLI TOT, VERVECES TOT, AGNI TOT, ANSERES TOT, FASIANI TOT, PULLI TOT, OVA TOT, OLEI LIBRAS TOT, GARI LIB. TOT, MELLIS TOT, ACETI TOT, CUMINI TOT, PIPERIS TOT, COSTI TOT, CARYOPHYLI TOT, SPICI TOT, CINNAMOMI TOT, GRANI MASTICIS TOT, DACTYLAE TOT, PISTACIAE TOT, AMYGDALAE TOT, CERAE LIB. TOT, SALIS TOT, OLERUM LEGUMINUM CARRA TOT, FACULAE TOT, PABULI EQUORUM CARRA TOT. HAEC OMNIA TAM EUNDO, QUAM REDEUNDO EIDEM MINISTRARE IN LOCIS SOLITIS, ET IMPLERI SINE MORA PROCURATE. Et ita tractoriam sive tractorias accipi etiam oportet in *l. pen. sup. tit. prox. l. 2. sup. de decur. l. 8. C. Th. de cur. pub. l. 2. C. Th. de dom. et prot.* et in libro 3. legum Langobardarum tit. 6. vel tit. 1. cap. 37. et in constitutionibus Caroli Magni, *Si quis literas nostras despexerit*, id est tractoriam, *quæ propter missos recipiendos dirigitur*, et alio loco: *Ut missi nostri accipiant secundum quod sua tractoria continetur.* Et in constitutione quadam Constantini: *Aliquot*, inquit, *ex iis qui contra Cæcilianum sentiunt data evectione publica per Africam et Mauritaniam inde ad Hispanias brevi tractu facias migrare; et inde nihilominus singulis episcopis singulas tractorias tribuas.* Eustathius ita definit libr. de temporibus τρακτωρίαι ἐλέγοντο αἱ κελεύσεις αἱ παρὰ τῶν ὑπάρχων προφάσει ζώων δημοσίων γινόμεναι, ὡς καὶ μηνύειν ἡ αὐτὴ γλῶττα καλεῖ ῥωμαίων ταυτὰ συνθήματα. Notandum quod ad duo combinis. Ad *l. Eos. §. ult. ff. ad leg. Cor. de fal.* pro, *falso diplomate*, textus βασιλικῶν habet πλαστοῦ συνθήματος; interpres combinans. Non possunt autem qui tractorias habent in stativis esse ultra triduum. Viatica illis præbentur de publico, ut dixi, non tamen personæ ministeriis necessariis. (*um stativis*) Stativas Eustathius ἀλλαγὰς interpretatur, recte; non possunt itaque ii, qui diplomate utuntur, ultra triduum ullo loco ulisve mansione residere sumptu publico. (*Cum necessariis sibi personis*) Tractoriæ non tantum præbent publice currendi sive ambulandi facultatem, sed et viatica, non tamen ministeria vel angarias, nisi equorum publicorum prosecutoribus, quod textus βασιλικῶν ele explicat recte: οὐκ ἔτι δὲ καὶ τοῖς πρὸς ὑπηρεσίαν αὐτοῦ, ὑπεξηρημένων ἐκείνων τῶν εἰς τὸ κομιτάτον ἀναφερόντων ζῶα πρὸς βασιλικὴν ὑπηρεσίαν ἐπιτήδεια. (*Quinque*) Ergo equorum prosecutoribus licet quinque diebus esse in stativis. Ferarum prosecutoribus septem, *l. 1. sup. de ven. fer.*

TIT. LII. *De Apparitoribus præfectorum prætorio et privilegiis eorum.*

I. *Impp. Valentinianus et Valens aa. Mamertino p. p.* Præfecturæ cornicularios, qui annis singulis exeunt, post transactos corniculos nostram adorare purpuram volumus, quo honore perfunctis, cum jam missionem tenuerint, liberum otium damus, ut ad susceptionem, vel cujuslibet necessitatis officium minime devocentur. *Dat. III. Kal. Feb. med. Valentin. et Valente aa. Coss.*

Ut corniculari qui sunt in officio præf. prætorio post missionem ad susceptionis vel alterius necessitatis officium non devocentur. A.l. *tenuerint*, pro *obtinuerint*, ut l. *Cum falsis. D. de man. test.* et aliis plerisque. Plin. 8. Epist. *Scripserum transisse Vorenum.* Horatius, *Quo causæ teste tenentur.* De cornicularis dixi *l. 2. sup. de prox. scrin.*

II. *Iidem. aa. Zosimo Præsidi Epiri novæ.* Præfectianos ad perniciem provinciem exactionibus in provinciis, vel potius lucris et quæstibus suis sese immiscere vetamus, præterea, vel horreorum gerere custodiam, vel curarum jus, atque arbitrium sibi præsumere his denegamus: horum si quis præsentis legis temerator exstat, volumus eum competenti motu et indignatione percelli. *Dat. XIV. Kal. Decemb. Med. Valentiniano et Valente IV. aa. Coss.*

Ne præfectiani, id est, apparitores præf. prætorio eueripiant horreorum fiscalium custodiam: de qua Vegetius lib. 3. cap. 3. *sed fidelis*, inquit, *horreorum custodia*, etc. ubi vulgo male legitur, *serratorum*. Item ne curarum jus, id est, curiosi officium, ut indica titul. Cod. Th. Ne præfectianus exactoris, vel curiosi, vel horreorum custodis fungatur officio, ex quo hæc lex sumpta est. Curiosi creantur ex agentibus in rebus *l. 2. sup. de curios.* non ex præfectianis.

III. *Impp. Theodosius et Valentinian. aa. Zoilo p. p.* Cornicularii et primiscrinii, numerarii insuper, qui in officio tuæ sublimitatis per ordinem obsequiis militia terminatis, desideratam laborum requiem sortiuntur, pro multis erga rempublicam sudoribus ab omnibus indictionibus tam militarium, quam civilium judicum semper habeantur immunes, et civilium tantum judicum, non etiam militarium jurisdictioni subjaceant. Huic sanctioni addendum esse censemus, ut si quis præfectianus dum militat, vel post depositum cingulum, sine testamento quod legibus comprobatur, nullisque ab intestato successoribus derelictis, fati manus impleverit, omnes ejus patrimonii facultates, provisione magnificæ tuæ sedis non fisci viribus, sed arcæ tui culminis rationibus vindicentur: scriniariis autem et exceptoribus, ceterisque qui in officio tui culminis merent, cum in legione prima adjutrice nostra militant, audientiam tantummodo in causis, in quibus pulsantur, tuæ celsitudinis deputamus; in provinciis vero commorantes, rectoribus earum eos respondere jubemus: nisi publicum officium aliquod eis injunctum sit.

Corniculari, primiscrinii, numerarii qui sunt in officio præf. prætorio post missionem adorant purpuram principis et immunitatem consequuntur tam civilium, quam militarium indictionum. Civilium judicum jurisdictioni suppositi sunt non militarium, sicut veterani *l. ult. sup. de veter.* Primiscrinii dicuntur etiam primiceri, et ii duo apparitores, *l. 1. sup. de sportulis*: et ob id puniuntur, *l. 3. sup. de tir. off.* Additur hac lege, ut præfectianis vel expræfectianis sine successore defunctis non fiscus, sed arca præfectoria succedat: ut præfectiani habeant castrense peculium, *l. ult. sup. de castr. pr. milit.* ut coram præf. prætorio conveniantur, et in provincia coram præsidibus, nisi publica quædam executio eis injuncta sit.

TIT. LIII. *De apparitoribus præfecti urbis.*

I. *Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius aaa. Principio p. p.* Præter eos qui in officio eminentium potestatum, numero stipendiorum et curriculis evolutis, urbisque prefecturæ, serenitatis nostræ annis singulis attingere purpuram, venerarique præcepti sunt: nulli prorsus eorum, qui provincialia officia peregerint, tranquillitatis nostræ muricem adorare sit liberum, omnium suffragiorum obreptione cessante. *Dat. XIV. Kal. Oct. Aquil. Arcadio. a. et Bautone v. c. Coss.*

Præfectiani et urbanicini completa militia adorant purpuram principis, de quo honore diximus supra quodam loco, non officiales rectorum provinciarum. Legimus in Mariano, principes officii quorundam ducum completa militia adorare protectorem. Videtur legendum, *adorare purpuram inter protectores.*

I. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Palladio p. p.* Quicunque illustris urbanæ sedis apparitor clandestina fraude pistorem concusserit: accusatus atque convictus, perpetuo pistrini nexibus addicetur. *Dat. VII. Kal. Ian. Rav. Honorio a. XI. et Costantio II. v. c. Coss.*

Urbanicianus, qui pistorem concutit, pistorum corpori addicitur. Id fiebat frequenter ab urbanicianis, quod tractaret præf. urb. etiam annonam urbis sacræ, et sub ejus cura pistores essent.

TIT. LIV. *De apparitoribus magistrorum militum et privilegiis eorum.*

I. *Impp. Valentinianus et Valens aa. ad Artemium Correctorem.* Qui sese in officiis magistrorum equitum

ac peditum militare monstraverint, ab omni nominationis injuria excusentur. *Dat. XIII. Kal. Oct. Aquil. Acc. XV. Kal. Nov. Salerni divo Joviano et Varoniano Coss.*

Apparitores magisteriæ potestatis ad susceptionem vel quamlibet aliam necessitatem ne vocentur, sicut de præfectianis supra constitutum est. *Qui*, inquit, *monstraverint*. Eis igitur incumbit onus probandi.

II. *Iidem aa. Mamertino p. p.* Qui in officio magistrorum equitum ac peditum militiam sortiti sunt, ordinis sint militaris.

Ut apparitores magisteriæ potestatis militibus annumerentur: ideoque castrense peculium habent, ut præfectiani: non tamen testantur jure militari, *l. Scrinarios. sup. de testam. mil.* In Notitia Rom. Imp. Officium magisteriæ potestatis annumerat militum et in officio deputatur.

III. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Basso p. p.* Probari apparitores magisteriæ potestatis neque in aliquo officio cohortales, neque censibus adscriptos volumus. *Dat. Prid. Non. Mar. cp. Cyro v. c. Cos.*

Ut adscriptii vel cohortales apparitores magisteriæ potestatis non fiant.

IV. *Iidem aa. Apollonio Magistro Militum præsentali et Anatolio Mag. Militum per Orientem.* Numerarios virorum illustrium magistrorum militum tam præsentalium, quam orientalium, qui ordino et stipendiis militiæ fuerint decorati, exeuntes tribunis prætorianis partis militaris, sudoribus eorum beneficium deferentes, sociari præcipimus. ita videlicet, ut post completam militiam ab omnibus indictionibus tam militarium, quam civilium judicum semper habeantur immunes; principatus vero munere functos tribunis vigilum militaribus aggregari volumus.

Ut numerarii qui sunt in officio magistrorum militum præsentalium vel per Orientem completa militiam tribunorum prætorianorum militarium honore cumulentur, et ab omnibus indictionibus immunes sint: principes autem officii eorum honore tribunorum vigilum militarium decorentur.

V. *Iidem. aa. Ariobindo Magistro Militum.* Eos qui in officiis vestris merentes, statutorum numero tantummodo inserti sunt, fori præscriptione muniri: ceteros vero, qui super hujusmodi numerum militare noscuntur. quasi nec militantes et apud illustrissimas præfecturas, et apud clarissimos provinciarum rectores de quolibet pulsari et conveniri, et sine cinguli præscriptione respondere negotio sancimus. *Dat. II. Non. Mor. cp. Cyro v. c. Cos.*

Apparitores magisteriæ potestatis alii sunt statuti, alii supernumerarii: statuti sub jurisdictione magistrorum. Supernumerarii sub jurisdictione præf. urbis aut præsidum. Novella Theodosii ccc. dabatur præscriptio fori.

TIT. LV. *De apparitoribus proconsulis et legati.*

I. *Impp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. ad Flavinnum Proconsulem Africæ.* Officio quod tuis meritis obsecundat, non curialem quemquam, nec ex ceteris corporibus volumus aggregari: at si qui erunt inter apparitores hujusmodi, restitui eos muniis debitis mox jubemus.

Ne curiales vel aliis corporibus obnoxii, veluti pistorum aut trapezitarum, apparitores fiant proconsulis.

II. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Dominatori Proc.*[a] Apparitioni tuæ et legatorum quadringentos censuimus deputandos, de iis duntaxat, quos esse sibi detractos reipubblicæ membra non querunt.

Definit apparitorum numerum certum proconsuli cuidam. Quidam Codices habent, *Africæ*. Quod si est rectum, omnes hujus tituli leges sunt de proconsule Africæ, et legatis ejus. Quod ait, *de iis duntaxat*, sane congruit cum. *l. t.*

III. *Iidem aa. Messolæ p. p.* In proconsulari provincia officium proconsulare postulet, quod exigere consuevit, nec alienis se partibus impudenter inserat.

Veluti, inquiunt Græci, Asia et Corintho, secundum sui temporis morem. Secundum auctorem Constitutionis malim dicere in Africa, ut *l. 11. sup. de erog. mil. ann.* Constituit lex, et exigant ejus provinciæ apparitores quæ solent, nec se alienis partibus immisceant.

TIT. LVI. *De Apparitoribus Comitis Orientis.*

I. *Impp. Theodosius, et Arcadius aa. Rufino pp.* In officio Comitis Orientis non amplius, quam sexcenti apparitores habeantur, quos quidem publicis necessitatibus movimus abunde suppetere.

Definit numerum apparitorum Comitis Orientis. Supra de eo Comite diximus sæpe.

TIT. LVII. *De Cohortalibus, principibus, cornicalariis ac primipilaribus.*

I. *Imp. Constantinus a. edicto suo ad Afros.* Omnes stationarii neque superexactionem audeant, neque carcerem habeant, neve quis personam (licet pro manifesto crimine) apud se habeat in custodia: sciens, quod si quid tale fuerit commissum, capite puniendus est. *pp. VI. Id. Mai. Carthag. Constantino a. IV. et Licinio IV. Coss.*

Stationarii sunt ex cohortalibus, de quibus *l. 4. sup. de cursor.* et *l. 6. sup. de dignit.* qui et διάβατροι. Cohortales officiales præsidum vel consularium, vel correctorum. Constituitur hac lege ne quid qui stationes agunt, superexigant: ne quem conjiciant in carcerem.

II. *Impp. Constantius et Constans aa. Tauro pp.* Nullus judicum quemquam sine sacra probatoria probare audeat, vel provehere: excipimus tantum officia provincialia cursus publici sollicitudinem sustinentia: nec enim tanto muneri adminiculum denegari publica permittit utilitas. *Dat. VI. Kal. Ian. Med. Acc. VIII. Id. Iul. Datiano et Cereale Coss.*

Ne quem ex cohortalibus præsides sine sacra probatorie probent aut promoveant, nisi si cui velint mandare cursus publici exhibitionem. Solent enim cohortalibus mandari *l. 14. sup. de cur. publ. l. 3. sup. de can. larg. tit.*

III. *Impp. Valentinianus et Valens aa. Festo Consulari Syriæ.* Solita cohortalibus Syriæ privilegia, quæ a divo Diocletiano porrecta sunt atque concessa, nos quoque porreximus: ac jubemus eos non ad sollicitudinem bastagæ, non ad functionem naviculariam devocandos, non invitos curialibus cœtibus adscribendos: verum peracto labore militiæ pastus primipili competenti sedulitate functione transacta, prærogativam his recusationis offerimus. *Dat. VI. Non. Oct. Valentiniano et Valente aa. Coss.*

Ut cohortales consularis Syriæ ad functionem naviculariam, ad sollicitudinem bastagæ de quibus oneribus suis titulis dictum est supra, ad curiam non devocentur, sed completa militia et necessitate primipili ab his omnibus soluti ac liberi sint. Quod ait, *pastus primipili*, et repetitur *l. 7. inf.* aperte indicat primipilum esse annonæ militaris exhibitionem et curam. Idem confirmat *l. 8. inf.* et in *Cod. Th. eodem tit. l. 6. Primipilaribus*, inquit, *qui ad pascendos milites solemniter ad limitem destinantur.* Theodorus Hermopolites lib. ix tit. 9. πριμιπίλον ἐστι τὸ τοῖς πρώτοις ἀκοντισταῖς στρατιώταις διδόμενον σιτηρέσιον, ἵνα διανέμη τοῦτο αὐτοῖς. Primipilum definit esse annonam quæ datur primipilii centurionibus, ut inter milites distribuatur: et ideo recte ad *l. 1. sup. de cond. ex leg.* debitor ex primipilo, a Græcis dicitur, ὁ διατραφὰς στρατιωτικὰς τῷ δημοσίῳ χρεώστης.

IV. *Iidem aa. et Gratianus a. Probo pp.* Officia rectorum provinciarum tuæ magnificentiæ literis volumus admoneri, ut susceptos in officio proprio vel probatos, cohortium nomine, vel legionum privilegiis æstiment inserendos. *Dat. XV. Kal. Iun. Modesto et Arintheo Coss.*

Officiales rectorum provinciarum cohortalium nomen, leg onariorum privilegium habent. Græci legunt, *et legionum*, quod probo. *Susceptores in officio proprio*) Veluti natos ex cohortalibus.

V. *Iidem aaa. Modesto pp.* Quicunque per Osroenam primipilarium majore lætatur numero filiorum, unum loco suo veluti hæreditario jure substituat, alterum pro amore patriæ Edesenæ curiæ tradat obsequiis,

ceteris qua voluerit militia provisurus. Sin autem duos tantum procreaverit: cohorti satisfacere cogatur et curiæ. Quod si unum procreaverit: eundem ordini patriæ restituat, nullo contra hanc formam beneficio valituro. Damus sane licentiam tam patribus eorum, quam ipsis, qui hujus legis auctoritate civitatum obsequio aggregantur, ut si quos curiales patrocinio principalium invenerint excusari: in medium proferant, ut et ipsi similibus officiis deputati, parcant impetratis. *Dat. III. Non. Dec. Antiochiæ Post Cons. Gratiani a. III. et Equitii v. c.*

Quo loco reposuimus, *Edessenæ*, legebatur antea, *Orroenæ*. Confirmat restitutionem l. 79 et 105. C. *Th. de decur.* Ædessa urbs est provinciæ Osroenæ. Constituitur autem hac lege ob penuriam curialium Ædessenorum, ut liberi officialium præsidis Osroenæ post pastum primipili functionem, si bini sint, dividantur inter cohortem et curiam: si plures, ut unus cohorti, alter curiæ addicatur, reliqui liberam militiæ electionem habeant: si unus tantum, ut curiæ Ædessenæ ascribatur. Ejusdem etiam curiæ curiales patrocinio principalium excusatos, lex impetratis ab Ædessena curia parere jubet.

VI. *Imppp. Gratianus Valentinianus et Theodosius aaa. Neotherio p. p.* Si apparitor diffugerit criminosus: ed etiam quo revocari possit adjecta conditione legibus subsequatur, cui nisi fuerit satisfactum, merito in latitantem o judice pro qualitate peccati sententia proferetur. Veniam enim talibus non permittimus, nec indulgentiis crimina sublevamus. *Dat. Prid. id. Jun. Med. Arcad. a. I. et Bautone Coss.*

Ut in cohortalem criminis reum et latitantem a præside pro delicti qualitate competens sententia proferatur, sine spe veniæ aut indulgentiæ principalis.

VII. *Imppp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaa. Tatiano pp.* Ordinariorum judicum apparitores, qui vel speculatorum vel ordinariorum attigerint gradum, nullo annorum numero, nulla stipendiorum contemplatione laxentur, priusquam primipili pastum digesta ratione compleverint. Quod si ante debitum locum, qui huic functioni habetur obnoxius, vel ægri corporis labem, vel defessæ senectutis extrema ad impetrandam quietem crediderit prætendenda: non prius octio condonetur, quam omne, quod primipilo dedetur, expenderit. Eos etiam, qui pro sceleribus suis soluto militiæ cingulo addicuntur infamiæ, nec integro peculio sub hac occasione lætentur: ita condignæ ultioni volumus subjacere, ut functioni quoque quæ extrema militiæ debetur, nihil ex eorum facultatibus subtrahatur. *Dat. III. Non. Mai. Med. Timatio et Promoto Coss.*

Ordinarii judices in libris nostris sunt præsides viri clarissimi, non viri spectabiles vel illustres, l. 2. *sup. de prox. sacr. scrin. l. ult. sup. de mun. l. Omnes. sup. de ep. et cl.* Græci, ἐμβατικοὺς vocant *Nov.* 20. *et* 112. In præsidum officio sunt principes, cornicularii, commentarienses, numerarii sive tabularii, adjutores, subadjuvæ, ab actis, a libellis, exceptores. Sunt et qui speculatores dicuntur et ordinarii, ut Cod. Theod. tit. *de iis, quæ adm. vel. off. publ. ger. trad. mut. Princeps, instit., cornicularius, commentariensis, numerarius, et ordinarii per singula officia*, etc. et a Mariano in officio ducis Arabiæ ponuntur ordinarii. Et sic in militia armata quidam dicuntur specialiter ordinarii, et ii quidem vel manipulares, vel in prima acie dimicantes principes. Extremum munus in officio præsidum est primipili functio, qua non expleta lex vetat dimitti cohortalinos. Sed et si nondum debita functione transacta, causariæ quandoque vel ignominiosa missione mittantur, ex eorum bonis lex constituit pastum primipili compleri. *Integro peculio)* id est, integro patrimonio.

VIII. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Euthymio Vic. Asiæ.* Speciebus primipilaribus adærandis eadem pretiorum taxatio servetur, quæ in venalibus publicis poterit reperiri. *Dat. V. Kal. Mar. cp. Arcad. IV. et Honor. III. aa. Coss.*

Ut in adæranda annona militari serventur pretia fori rerum venalium.

IX. *Iidem aa. Clearcho p. p. Illyrici.* Per Illyricum, in quo plurima ac maxima necessitatum publicarum emolumenta officiis constat præsidalibus expediri: centeni numero singulis judicibus obsecundent, nec ultra hunc modum, vel ad militiam ullus aspiret, vel conniventia judicum perseveret: adhibendi autem sunt ad hujusmodi ministeriorum obsequia, non illi, qui vano militiæ nomine immania lucra sectentur, sed qui necessitatem officii sollicitudinibus debitis exequantur.

Definit numerum cohortalinorum singulorum præsidum, qui sunt in Illyrico, veluti Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novi, Daciæ ripensis.

X. *Iidem aa. et Theodosius a. Anthemio p. p.* Quicunque ad chartas, vel tabulas, vel quodcunque aliud ministerium cohortalis optaverit: non ante accedere permittatur, nisi ejus nomen matriculis receptum primitus fuerit: pœna proposita his, qui contra statuta cœlestia crediderint suscipiendos aliquos, aut quodlibet eis officium injungendum. *Dat. XVI. Kal. Apr. Cp. dd. nn. Honorio VII. et Theodosio II. aa. Coss.*

Demonstratum est l. 5. *sup. de muner. ncl.* nonnunquam ad officia præsidum eos admitti qui cohortalis conditionis non sunt. Sed hæc lex vetat prius admitti, quam cohortalinæ militiæ nomen dederint. *Quicunque ad chartas)* Hi sunt chartularii, de quibus l. 3. *sup. de can. la. q. tit.* *Vel tabulas)* Hi sunt tabularii sive numerarii.

XI. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Anthemio p. p.* Si quis ex grege cohortalinorum urgente criminis insectatione stipendiis fuerit exemptus, aut otio traditus quietis artibus immuretur, aut si ad pristina sacramenta precum miseratione maluerit repedare: indultum nostræ majestatis oraculum amplissimæ tuæ sedi offerat allegandum. *Dat. XIII. Kal. Mar. cp. Honorio X. et Theodosio VI. aa. Coss.*

De hac diximus satis l. 12. *sup. de suscept.* Cohortalis ignominiosa missione missus restituitur per rescriptum principis insinuatum præf. prætorio.

XII. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Isidoro p. p.* Si cohortalis apparitor, aut obnoxius cohorti ad ullam adspiraverit dignitatem: spoliatus omnibus impetrati honoris insignibus, ad statum pristinum revocetur, liberis etiam in tali ejus conditione susceptis fortunæ patriæ mancipandis. Quod si quis ex his ausus fuerit ullam affectare militiam: nulla præscriptione temporis muniatur, præter eam scilicet, quæ ex XL. annis colligitur, sed ad conditionem propriam retrahatur; nec ipse vel liberi ejus post talem ipsius statum procreati, quod cohorti debetur valeant declinare. Sed nec ad aliam cohortalibus vel cohortalium filius audeat aspirare fortunam, cui majorum suorum exempla præjudicant. Sed etiam cunctos, qui diversarum rerum negotiationibus detinentur, trapezitas scilicet vel gemmarum, argentique, et vestium venditores, apothecarios etiam, ceterosque institores aliarum mercium quibuscunque ergasteriis adhærentes, jubemus a provincialibus officiis removeri: ut omnis honor atque militia contagione hujusmodi segregetur. *Dat. III. Non. April. cp. Isidoro et Senatore Coss.*

Cohortalibus non licet ad aliam aspirare militiam vel dignitatem, nisi ut Marianus Scotus scribit, ex annotatione clementiæ principalis. Quod excipit de præscriptione 40 annorum exposuimus in l. 58. *Supra de decur.* In extremo additur, ut a cohortalium militia summoveantur trapezitæ et alii quidam negotiatores.

XIII. *Iidem aa. Florentio p. p.* Nullum ex primipilaribus, nullum ex principe cohortalis officii, vel ad aliam posse militiam adspirare, vel ministeriis sibi contra publicam utilitatem blandiri, vel ad quamlibet aliam dignitatem ad præjudicium præteriti status accedere concedimus. Quod si contra hanc tam saluberrimam formam vel responsa cœlestia quælibet militia aut dignitas audacter eliciatur: pro ingestis haberi, etiamsi speciali adnotatione nostræ indulgentiæ eam obtinuisse videatur: nec assertionem ei quoquo modo patere, qui se memoratis artibus publicæ studet commoditati subtrahere: sed statim civitatis, unde oriundus est, curiæ tradi præcipimus.

Ut ex primipilariis, et ex principe cohortalis officii, qui ortu cum non essent subjecti cohorti sicuti sunt filii cohortalium, cohortali officio nomen dederint, emeritis stipendiis suæ civitati restituantur, nec ad ullam dignitatem militiamve aspirare possint, etiamsi habeant adnotationem clementiæ principalis. Ait, *præteritis status*, puta, cohortalis conditionis. Quidam pro Florentio habent Thomæ.

XIV. *Imp Leo a. Constantino p. p.* Quisquis cohortalibus adhuc obsequiis obligatus, vel regimen provinciæ, vel cingulum cujuslibet militiæ vel dignitatis quoquo modo meruerit: ante omnia contra licitum usurpatis impetratisve careat, etiamsi ultronea nostra liberalitate jus gerendæ provinciæ, vel militiæ, seu dignitatis cujuspiam sibi jactaverit fuisse delatum: dehinc universis solatiis conditionis, quam spreverat, defraudatus, ne quid eorum omnino per se, vel per interpositam personam possit acquirere: primipili tantum munus implere cogatur: mox curialibus civitatis, in qua natus est, in diem vitæ suæ functionibus inhæsurus: ita scilicet ut etiam hi, qui post impletam talem militiam quodlibet militiæ dignitatisve genus affectaverint, curiæ patriæ suæ restituantur. *Dat. VI. Kal. Jan. cp. Leone a. IV. et Probiano Coss.*

Pars repetita est in *l. Si quis sup. de off. rect prov.* Sententia hæc est, posse quidem cohortalinum completa militia ad aliam militiam vel dignitatem aspirare, sed non ante completam militiam: Aspirantem solatia cohortalinæ militiæ ammittere. Primipili pastum exhibere compelli, deinde curiæ civitatis suæ tradi, etiamsi conditione nascendi, vel alia ratione curialis non fuerit. Eum qui curialis fuerit, ut lege superiore dictum est, ne completa quidem in cohortali sive provinciali officio militia, ad aliam militiam vel dignitatem aspirare posse, sed curiæ suæ restitui.

TIT. LVIII. *De Apparitoribus præfecti annonæ.*

I. *Imppp. Valens, Gratianus et Valentinianus aaa. Rufino pp.* Apparitores urbanæ præfecturæ annonario officio sese non inserant: sed apparitorum æmulatione secreta, ministerio suo annonæ præfecturæ fungantur.

Est quidem præfectus annonæ sub dispositione præf. urbi, et uterque annonæ civilis curam agit. Sed separatos apparitiones habent, quos lex confundi et commisceri vetat *l. 1. C. Th. de cond. in pub. horr.* Præf. annonæ apparitores: annonarii dicuntur Præf. urbi, urbaniciani. *Ministerio suo*; id est, annonaria

II. *Imp. Arcadius et Honorius aa. Messalæ p. p.* Præfectus annonæ canonem, qui ad officium suum pertinet, per compulsores suos exigat, et cum officio suo retineatur obnoxius, qui ad implendum canonem devotionis suæ exactionem non ostenderit.

Ut præf. annonæ per suos apparitores canonem exigat quem solet exigere: et nisi probaverit se exactionis muneri non defuisse, ut una cum suis apparitoribus obnoxius teneatur.

TIT. LIX. *De diversis officiis et apparitoribus judicum et probatoriis eorum.*

De singulis apparitoribus separatim dictum est *sup.* hic titulus est communis de omnibus apparitoribus.

I. *Imppp. Valentinianus, Valens et Gratianus aaa. Severo Magistro Militum.* Si quando præfectus prætorio vel vicarius, aut rector provinciæ significaverit eum, qui chartis ac ratiociniis publicis invenitur obnoxius, ad præposituram castri ac militum transisse: retractatus illi adsignetur officio, a quo ad necessitatem præstandi ratiocinii devocatur: in rejecti vero locum is potissimum destinetur, cui meritorum adstipulantur insignia. *Dat. X. Kal. Jun. Gratiano a. II. et Probo Coss.*

Ut præfectianus aut vicarios, aut cohortalinus, qui cum esset chartis et rationibus reddendis obligatus ad præposituram castri et militum aspiravit, retrahatur et rationes reddat, alio a magistro militum electo præposito.

II. *Imppp. Gratianus, Valentinianus, Theodosius et Arcadius aaaa. Eusignio p. p.* Nullus ex his, quos claruerit militia resolutos, indebita denuo sacramenta sine Augusti afflatibus suscipiat: si quis autem id per obreptionem forte meruerit: quinque librarum auri multetur incommodo. *Dat. Prid. Id. Iul. Med. Honorio nb. p. et Evodio Coss.*

De hac disimus in *l. 12. sup. de suscept.*

III. *Iidem aaaa. Eusignio p. p.* Nullus apparitor amplitudinis tuæ vel de officiis Palatinis ad eam provinciam, ex qua oriundus est, vel in qua collocaverit larem, vel qua jam in hujusmodi officio fuerit commoratus, obtentu publicæ necessitatis vel executor privati negotii dirigatur: etenim officii tuæ celsitudinis primiscrinius tres libras auri fisci utilitatibus sine dilatione persolvet, si statuta fuerint temerata. Apparitor vero qui huic se muneri passus est deputari, militia spoliabitur. Hæc vero pœna etiam ceteris irrogata est: ut si domesticus, aut protector, aut stator, vel agens in rebus, vel palatinus utriusque officii, vel ad eandem provinciam, in qua natus est, vel ad eam, in qua collocaverit larem, cum hujusmodi usurpatione perrexerit: matriculis quidem exemptus, ipse qui se voluerit mitti, auri libram unam fisci viribus inferre cogetur: adjutores vero officiorum, et palatinorum, ac numerarii Comitum illustrium virorum, sive actuarii, libram fisci viribus solvent, nisi statuta fuerint custodita *Dat. II. Non. Dec. Med. Honorio nb p. et Evodio Coss.*

Ne præfectianus publici vel privati negotii exequendi causa in eam provinciam mittatur, cujus est municeps vel incola. Punitur primiscrinius qui miserit, quem Græci hoc loco primicerum vocant. Punitur et missus executor. Idemque in domesticis et protectoribus servandum, et statoribus, et agentibus in rebus, et palatinis utriusque ærarii, quibus etiam eadem majorve pœna proponitur. Puniuntur et adjutores officiorum palatinorum, qui eos in patriam suam pergere permiserint, et numerarii Comitum utriusque ærarii, sive actuarii. Quod ait, *vel qui jam in hujusmodi officio fuerit commoratus*, quæ non sunt in C. Th. Tribonianus adjecit ex *l. 8. sup. de off. rector. prov.*

IV. *Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius aaa. Silam duci.* Vel qui exiguam rei familiaris substantiam habent, militare in apparitorum numero non vetentur.

Inopes judicum apparitores fieri non vetantur.

V. *Impp. Honorius et Theodosius. aa. Graccho p. v.* Quicumque apparitores ob culpam vel negligentiam fuerint judicato discincti, ad nullam militiam habeant facultatem aspirandi: nec ex rescripto his ullus aditus reseretur, quos coegrunt pœnæ gravissimæ subjugari. si contra inhibita quinque sacratissimis constitutis aspirare contempserint. *Dat. VIII. Kal. Aug. Rav. Honorio X. et Theodosio aa. Coss.*

Ut apparitores quilibet quorumlibet ob culpam re judicata officio remoti, ad nullam militiam aspirare possint, nec si habeant adnotationem clementiæ principalis. In fine pro, *contempserint*, legendum, *præsumpserint.*

VI. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Hieria p. p.* In his officiis, id est, virorum spectabilium proconsulis Asiæ, comitis Orientis, præfecti Augustalis, et vicariorum (quos etiam monuimus sub interminatione XX. librarum auri) nemo aliter admittatur, nisi eum emissa sacri scrinii probatoria consecraverit. Quod si quis talis sub tua fuerit judicatione convictus: profecto irritis his, quæ vetita contrectavit, etiam congruam indignationem incurret. *Dat. Kal. Iul. Nicomediæ dd nn. Theodos. XII. et Valentin. II. aa. Coss.*

Ut nemo fiat apparitor proconsulis Asiæ, Comitis Orientis, præf. Augustalis, et vicariorum sine sacra probatoria, quæ emittatur ex scrinio epistolarum. Probatoriæ in Novellis appellantur δοκιμασίαι, et σύμβολα. Conjungenda est cum *l. 7. sup. de num.*

VII. *Iidem aa. Anatolio Mag. Mil.* Ad splendidioris privilegia militiæ, postcaquam priorem continuo labore compleverint, eos venientes admittemus, qui ea voto adipiscendi honoris crediderint expetenda, non eos qui studio exercendæ cupiditatis ambierint, vel ut in meliore fortuna positi, aut ea scelera, quæ prius commisisse doceantur, occultent, aut alia deinceps possint impune committere.

Apparitores completa militia ad aliam splendidiorem secundum conditionem hujus legis aspirare possunt.

VIII. *Impp. Leo et Zeno aa. Joanni Magistro Officiorum.* Viros spectabiles duces, eorumque apparitores necnon limitaneos, castrorumque præpositos, tantummodo ex sublimis tui judicii sententia conveniri, nec aliis subjacere judicibus præcipimus: illustribus scilicet ac magnificis viris magistris militum consuetudine ac potestate, si qua ad limites aliquos Orientis, Thraciarum, et Illyrici ex longo tempore hactenus obtinuit, reservata.

Ut duces et eorum apparitores, et limitanei, et castrorum præpositi sint sub jurisdictione magistri officiorum. At duces dictum est *l. ult. sup. de re mil.* esse sub magistris militum, per Orientem scilicet, quod etiam hæc lex subjungit.

IX. *Iidem aa. Hilario Magistro Officiorum.* Probatorias memorialium et agentium in rebus, ceterorumque nihilominus apparitorum prætorianæ per Orientem amplissimæ præfecturæ, eorum etiam, qui in diversorum judicum officiis numerantur, ex sacris probatoriis solito more militiæ sacramenta sortiri decernimus, non passim, nec licenter solis auctoritatibus vel sacrarum literarum exemplaribus, sed ex authenticis tantum sacris probatoriis manu nostra subscriptis, et nostro arbitrio præstandis: ita ut nullus his dolus aut fraus possit annecti. De his etiam qui sunt veræ, et catholicæ fidei jubemus admitti: aliter vero militantes, nisi ex iis sint, quo solis auctoritatibus apparitioni aggregari vetusta consuetudo perdocuit, detecta fraude cujuscunque accusandi studio, non solum mendaci carcere militia, sed et proscriptionis stylum subire decernimus, et bonorum omnium amissione multamus.

Memoriales et agentes in rebus, et apparitores quorumlibet judicum non recipiuntur nisi ex sacra probatoria, et non ex probatoriæ auctoritate sola, vel exemplo, sed ex authentico subscripto manu principis, ut etiam cavetur Justiniani edicto de Alexandrinis. Excipiuntur quidam qui ex sola auctoritate veteri more recipiuntur. Nota differentiam inter auctoritatem et sacras literas, qualis etiam est inter S. C. et auctoritatem senatus. Id quoque merito hac lege constituitur ne recipiantur nisi Christiani, quod de re testari tres juratos oportet apud acta, priusquam prolata probatoria suscipiantur ex Constitutione quadam Græca, quæ desideratur lib. 1. tit. *de epis. aud.* Idem de militibus armatis Constantinum constituisse Cedrenus scribit. Idem de advocatis *l. ult. sup. de postul.*

X. *Iidem aa. Erithrio p. p.* Hac sanctione decernimus, ut in posterum nemini licentia sit edendi exemplaria his, qui sociandi sunt cuicunque militiæ, quam sine divinis probatoriis adipisci non possunt: sed periculo primatum uniuscujusque officii ipsas authenticas sacras, quæ divinam nostræ pietatis continent adnotationem, cum subscriptione administrantium, sub quorum jurisdictione consistunt, his qui militare volunt, præstari, exemplaribus videlicet earum cum subscriptione eorundem judicum apud singula quoque officia, prout convenit, reservandis. Quamvis autem manifestum sit de hujusmodi probatoriarum observatione excepta esse certorum judicum officia: tamen ne ulla ignorantiæ relinquatur occasio, omnium officiorum, quibus necesse est per sacras probatorias militiæ sociari, notitiam in sacris apicibus subdendam esse censuimus. Sub hac igitur observatione omnes, qui sive in hoc sacro palatio nostro, sive in aliis quibuscunque officiis deinceps militare cupiunt: qui tamen (ut dictum est) non possunt pro tenore sacrarum constitutionum, vel veteri consuetudine, nisi præcedentibus sacris probatoriis, militiæ sociari: sicut subnexa notitia demonstrat, adipisci præcipimus: his scientibus, qui ex aliqua parte præsentis nostræ serenitatis legis formam conniventia, vel negligentia quadam colludere tentaverint: non tantum amissione bonorum omnium, sed etiam capitis periculo, utpote criminis falsitatis obnoxios, semel esse plectendos. Et est notitia scrinii Memoriæ probatoriæ agentium in rebus, palatinorum largitionum, palatinorum rerum privatarum partis Augustæ. Item scrinii Sacrarum Epistolarum sic; officii virorum illustrium præfectorum prætorio Orientis et Illyrici, et urbis, officii proconsulis Asiæ et Achaiæ, officii comitis Orientis, officii præfecti Augustalis, officii comitis divinarum domorum, officii vicariorum Thraciæ, Ponticæ, Asiæ, Macedoniæ et thesaurensium classis. Item scrinii Sacrorum Libellorum sic. officii virorum illustrium magistrorum militum utriusque militiæ in præsenti, Orientis et Illyrici, invitatorum, admissionalium, memorialium, omniumque pædagogiorum, cellariorum, mensorum, lampadariorum, eorumque qui sacris scriniis deputati sunt, decanorum partis Augustæ, cursorum partis Augustæ. officii virorum spectabilium ducum Palæstinæ, et Mesopotamiæ, novi limitis Phœnices, Osdroenæ, Syriæ et Augustæ Euphratensis, Arabiæ, et Thebaidis, Lybiæ, Pentapoleos, utriusque Armeniæ, utriusque Ponti, Scythiæ, Mysiæ primæ, secundæ, Daciæ, Pannoniæ, officii virorum spectabilium Comitis Ægypti, Pamphyliæ, Isauriæ, Lycaoniæ, et Pisidiæ.

Idem hac lege cavetur quod superiori, ut exceptis certis quibusdam officiis, alia non recipiantur nisi ex authentico adnotato manu principis, et subscripto ab eo cujus jurisdictioni subjectus est is, qui ad militiam aspirat. Et subjicitur Notitia eorum, quæ desiderant sacræ probatoriæ authenticam, quod alias sumitur ex scrinio memoriæ, ut agentium in rebus probatoria, *l. 7. sup. de agent. in reb.* alias ex scrinio libellorum, ut officii Comitis sive præsidis Lycaoniæ et Pisidiæ, *Nov.* 25. Alias ex scrinio epistolarum, ut officii vicarii Thraciæ, et hodie ex *Nov.* 26. prætoris. Multa vero in Notitia emendationis indigebant, hæc maxime, *Officii virorum magistrorum militum utriusque præfecturæ Orientis et Illyrici*, pro quibus reposui, *Officii virorum illustrium magistrorum militum utriusque militiæ in præsenti Orientis et Illyrici.* Puto et *Thraciarum*, subdi debuisse. Eum inferius, *Nobilis Comitis* inepte erat scriptum, pro *novi limitis. Phœnices.* Notandum quod ait, *Macedoniæ, et Thesaurensium classis.* Vicarii Macedoniæ mentionem Marianus facit. De thesaurensium classi nihil me alibi usquam legisse memini. Videtur autem idem unusque appellatus vicarius Macedoniæ, et thesaurensium classis. Qui thesaurenses dicantur exposui *l. 2 sup. de pal. sac. lar.* Notandus locus de invitatoribus qui erant in officio sacri palatii, cui similem nescio: et de cellariis, sive cellariis, a quibus præbetur cibus et potio: ab invitatoribus vocantur qui vocari jubentur: et de cursoribus, id est, veredariis. Notandus locus de lampadariis deputatis sacris scriniis, ut in eis faces sive lampades accendant: alii fuerunt lampadarii in officio præf. prætorio: et quæstoris exercitus apud Julianum Antecessorem Constit. 38. Et vicarii Ponticæ ex edicto Justiniani, qui ignem præferebant. De lampadariis edidit Theodosius Novellam quam omisimus, sicut et aliam de Pentapoli ad urbem Romam revocanda: de qua etiam in hac Notitia fit mentio. De Augusteuphratensi provincia Victor in Vespasiano: *Commagene, quam hodie Augusteuphratensem nominamus.* Alibi Euphratensis simpliciter dicitur, *l. 10. sup. de adsf. priv.*

TIT. LX. *De executoribus et exactoribus.*

I. *Imppp. Arcadius et Honorius a. a. ad Provinciales et ad Proconsules.* Ne per diversas provinciarum partes, aut palatinus exactor accederet, aut illustrium virorum apparitor vagaretur, vel militaris terror inferret formidinem: hac lege sancimus, ut omnes memorati intenti sint ad provinciæ rectorem, cum eo agant, illo insistente, disponente, et agnoscente suo periculo rem peragendam, impleant universa. *Dat. VII. Kal. Jul. Med. Olybrio et Probino Coss.*

Ut in provincias provincialium exigendorum causa missi palatini vel apparitores illustrium virorum quorumlibet, vel milites præsidibus potius quam provincialibus immineant: qua de re diximus satis *l. 7. sup. de exact. trib.*

II. *Iidem aa. Andromacho p. p.* Quicunque e palatio nostro cujuslibet tituli ad provincias commeaverit compulsor, exactor, admonitor, portitorve præcepti, agens in rebus, vel palatinus, vel apparitor illustrium potestatum: hoc tantum potestatis arripiat, quod mandatum curiæ suæ specialiter adprobatur: nec quod injunctum alteri fuerit collegii jure præsumat: nedum hoc sibi invicem mutui officii licentia patiuntur, agant

cuncti, quod singulis credebatur. *Dat. Prid. Id. Jul. Mediol. Olybrio et Probino Coss.*

Ne palatini in provincias missi suo cuique separatim mandato negotio, mutuas sibi operas præstent, ne quod uni injunctum est, alter quasi collega præsumat.

III. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Palladio p. p.* Sive ex prætoriano officio, sive illustris comitivæ sedis largitionum, nec non et rei privatæ nostræ, vel ex quacunque apparitione ad quamcumque necessitatem profligandam quis fuerit destinatus, sciat intra anni metas debere collectis ratiocinus ad proprium judicem remeare, eique suam efficaciam ostendere, et quid ejus instantia exactum fuerit, quidve in debitis habeatur, vel penes quos resederit, vel cujus culpa aut causa in eadem provincia fuerit derelictum. Quod si exacto spatio anni, ejus regionis visceribus prædator insidians deprehensus fuerit, remorari: tunc absolutus cingulo militia abjicietur, primoribus ejus militiæ decem librarum auri mulcta proposita. Sin redire dissimulet, per vices officiorum ligatus ferreis nexibus, cura provincialis officii ad debitum mittatur examen: nec ei liberum sit, ut hoc se privilegio aut occasione defendat, quod sibi aliud negotium, vel aliam necessitatem post injunctam esse causetur: cum iisdem licentiam auferamus in eadem provincia continuare exactionem. *Dat. X. Kal. Octob. dn. Theodos. a. VII. et Palladio Coss.*

Ut præfectiani, palatini, vel alii apparitores in provincias missi exigendi causa, intra annum peragant exactionem, et judici suo qui misit, renuncient quid egerint, quid sit in reliquis, qui sint reliquatores, cujus vitio reliqua contracta sint. Post annum si non redeant, ut ligati ferreis vinculis sicut l. 1. *Cod. The. de mens. oleo.* cohortalium cura ad congruum judicem transmittantur, et ne eandem exactionem iterare possint. Hæc verba, *per vices officiorum*, non sunt in C. Th. et sane sunt obscura, nisi hoc velint, si redire dissimulet, quasi iterato exactionis officio. Ait, *suam efficaciam*, id est, quid effecerit. Sic. *Novell. Valent. de suariis. Diligentiam et efficaciam hæc operi commodabunt.*

IV. *Iidem aa. Joanni p. p.* Nullam possessionem alterius pro alienis debitis publicis vel privatis præcipimus conveniri. *Dat. V. id. Jul. Ravennæ, Honorio XIII. et Theodosio X. aa. Coss.*

Hac lege prohibentur ἐνεχυριασμοί, de quibus dictum est libro 11 tit. 57.

V. *Impp. Theodosius et Valentinianus aa. Volusiano p. p.* Contra nostra præcepta si quicquam vetito ausu executor audebit: licebit provinciæ moderatori eundem correctum ad sublimitatis tuæ judicium sub prosecutione dirigere: et licebit provinciali, si probetur obnoxius, executoris contra vetitum exactionem sibi vindicantis temeritatem legitimæ repellere.

Si quid executor contra quam ei mandatum sit, exigat, manu injecta a præside provinciæ sub prosecutione duci ad præf. prætorio potest: quin et a provinciali manu et viribus repelli potest, etiamsi revera a provinciali debeatur quod is exigit sine mandato. Sic Græci legunt, *etiamsi probetur obnoxius.* Restitui legis contextum ut oportet.

VI. *Imp. Zeno a. Arcadio p. p.* Sancimus ut eum cui ex judicio tui culminis quocunque modo, sive studio numerariorum, aut tractatorum, vel ipsorum jussu, qui pro tempore amplissimæ tuæ sedis administrationem suscipiunt, exactio publicarum pecuniarum injungatur: minime prius liceat aliam sollicitudinem gerendam suscipere, quam reversus injunctæ sibi causæ responsum præbuerit. Si tamen ita sors tulerit, ut in ea provincia, ad quam exsecutor causa publici negotii aliquis proficiscitur alia quoque causa sit exequenda: non prohiberi unum eundemque exsecutorem ab hac urbe regia proficiscentem, duorum simul, non plurium negotiorum exsecutionem suscipere: dum ipsi quoque tertii negotii non sit injungendi licentia, antequam de superioribus responsum portaverit. Exsecutoribus his, qui secundam sive simul duas, vel etiam tertiam causam passi fuerint exsequendam suscipere, non solum cinguli et bonorum suorum amissionem, etiam perpetui exilii supplicium subituris: eundem hanc pœnam numerarium quoque, et ejus adjutores, ad quorum curam, quod violatum est, pertinet, formidare.

Executori in provinciam misso duarum causarum exactio committi potest: una tantum commissa, non ante aliam suscipere potest, quam prioris rationem reddiderit. Ait, qui *secundam sive simul duas*, post primam scilicet. Sequitur Græca constitutio quæ deerat.

VII. Πᾶς ἄνθρωπος εἴτε θείαν κέλευσιν, εἴτε ἀρχικὴν πρόσταξιν ἐκβιβάζων, ὀφείλει πρότερον ἐμφανίζειν τῷ ἄρχοντι, ἵνα ὁ ἄρχων ἐξετάσοι εἰ μηδεμία πλαστοῦ αἰτία ἐστὶν ἐν αὐτοῖς, ἢ κατὰ συναρπαγὴν ἢ ἐναντιούμενον νόμοις. Ὁ δὲ ἐκβιβασμὸς καὶ ἐγγράφως καὶ ἀγράφως γινέσθω δηλονότι τῶν θείων λογίων προκειμένων, καὶ πάντων τῶν κτητόρων τῶν παρόντων ἅμα αὐτῷ τὴν ἐξέτασιν ποιουμένων· καὶ εἰ τύχοι, παρέχειν βοήθειαν. Ἐὰν δὲ ἢ πλαστὸν εὕρῃ φανερῶς, ἢ νόμοις ἐναντιούμενον φανερῶς, δεῖ αὐτὸν μὴ ἐκβιβάζειν, ἀλλ' ἀναφέρειν τῷ βασιλεῖ διὰ τοῦ μαγιστριανοῦ, ἢ εἰς αὐτὴν τὴν ἀρχὴν ἐξ ἧς τὸ πρᾶγμα ἐγένετο· τὸν δὲ ἐκβιβαστὴν ὑπὸ ἀσφάλειαν ποιεῖν τὴν ἐγχωροῦσαν. καὶ τὰ πρόσωπα δὲ τὰ αἰτιασθέντα ὑπὸ προσωπικὴν ἀσφάλειαν ἀζημίως· ὁ γὰρ ἐγχειρίσας αὐτῷ τὸ ἀζήμιον παρασχήσει εἴπερ εὑρεθείη μάτην αὐτῷ ἐγχειρίσας· εἰ γὰρ μὴ τοῦτο γένηται, ὁ μὲν ἐκβιβαζόμενος ἀποδείται τὸν ἐκβιβασμόν· ὁ δὲ ἄρχων ἢ πρὸς αὐτὸν ἡ κέλευσις γέγονεν, ἢ καὶ τις ἕτερος ἴσως πρός τινα ἕτερον ἐγένετο, ὑπὸ ἀσφάλειαν ὀφείλει ποιῆσαι τὸν ἐκβιβαστὴν τὴν ἐγχωροῦσαν. Εἰ δὲ καὶ δυνηθείη τις ἀποδῆσαι τὸν ἐκβιβασμόν, ὀφείλει μανθάνων ὁ ἄρχων ἀποστῆσαι τὸν ἐκβιβαστήν· ποιεῖν δὲ ὑπὸ ἀσφάλειαν προσωπικὴν τὸν αἰτιασθέντα καὶ μηνύειν· εἰ δὲ ῥᾳθυμήσῃ τούτου, ἢ ὁ ἄρχων, ἢ ἡ τάξις αὐτοῦ, ἢ πρὸς ὃν τὸ γράμμα γέγονεν, οἴκοθεν τῷ ὑπομνησθέντι παρέξει τὸ ἀζήμιον, καὶ ἐν ὅσῳ ἄρχει, καὶ μετὰ τὸ παύσασθαι τῆς ἀρχῆς· ὑπόκειται δὲ ἡ διάταξις τοῖς προφάσει δημοσίων ἐνεχυριάζουσι· εἰ δὲ λήμματος ἡττηθέντες οἱ ἄρχοντες μὴ ποιήσωνται τὴν ἐξέτασιν, προκειμένων τῶν θείων λογίων εἰ καὶ παρέδωσι, καὶ εἰς χρήματα ζημιοῦνται καὶ ἐκβάλλονται τῆς ἀρχῆς, καὶ εἰς σωτηρίαν κινδυνεύουσι· πᾶς δὲ νόμος ἐμφανιζόμενος ὀφείλει πρότερον γίνεσθαι τοῖς ἐπάρχοις καταφανής· τὸν δὲ ἀκυρίζοντα αὐτὸν εἰς τὴν ἐπαρχίαν, λαμβάνειν χρυσίνους ξ'. τὸν δὲ ἄρχοντα ὀφείλειν διὰ προστάξεων οἰκείων πάσαις ταῖς πόλεσι ταῖς ὑφ' ἑαυτὸν φανεροὺς καθιστᾶν τοὺς νόμους ἀζημίως παντελῶς μηδὲ τοῦ ἄρχοντος, μηδὲ τῶν ἐκδίκων, μηδὲ τοῦ θεματίζοντος· ὁ δὲ κερδάναι, ἢ πλέον δίδωσι· καὶ εἰ μὲν ἄρχων ἐστίν, ἐκπίπτει τῆς ἀρχῆς, εἰ δὲ ἑτέραν φροντίδα εἶχεν, ἐκβάλλεται τοῦ φροντίσματος.

INTERPRETATIO LATINA.

Quilibet executor divinæ jussionis prætorianæve præcepti, id prius insinuare præsidi debet, ut is inquirat an sit in eo vitium aliquod falsi, aut legibus adversum aliquid, et an per obreptionem impetratum sit. Executio autem fit scripto vel sine scripto propositis sacris evangeliis, et præsentibus possessoribus omnibus, et una cum præside inquirentibus, qui et opem executori ferent si res digna videatur. Sed si quid manifesto in ea falsi vel illegitimi deprehenderit, suspendet exactionem, et relationem mittet ad principem per agentem in rebus vel ad sedem ejus a quo res processit: Et interim executor quidem cautionem præstabit pro rei qualitate: reus personalem, se sisti puta, idque sine ulla impensa. Debet enim executor indemnem eum præstare quem convenit, si temere forsitan eum convenerit: quam cautionem nisi præstiterit, impune ab eo quem convenit, repelletur. Præses ipse vel alius ad quem jussio dirigitur, cautionem exiget ab executore pro rei qualitate. Sed et si potuerit quis executionem repellere et repulerit, debet præses executorem restituere, et ab reo cautionem exigere personalem, et rem deferre: quod si negligat, tam ipse quam suum officium, isve ad quem literæ missæ sunt, de suo indemnitatem convento præstabit durante vel deposito magistratu. Constitutio excipit eos qui nomine tributorum obligati sunt. Quod si pretio victi præsides non inquirant, qua de re superius diximus inquirendum esse, etiamsi negligentia hic tantum argui videatur, et rei familiaris damnum patientur, et magistratu ejicientur, et circa salutem periclitabuntur. Omnis autem lex Præfecto prætorio prius insinuari

debet, deinde in provinciam transmitti et portitori dari aureos sex, præside curante per omnes civitates suæ provinciæ legem promulgari sine ulla impensa præsidis vel defensorum vel portitoris. Et si quis ex oa re quid perceperit, in duplum tenetur, et magistratus dignitatem amittit, officialis officium.

Pro [illegible], lego, [illegible] · vide *Nov.* 128

TIT. LXI. *De lucris advocatorum et concussionibus officiorum seu apparitorum.*

I. *Imp. Constantinus a. Æliano Proc. Africæ.* Si quis a ducenariis, vel centenariis, vel fisci advocatis læsum se esse cognoscit: adire judicio, et probare injuriam non moretur: ut in eum, qui convictus fuerit, competenti severitate vindicetur. *Dat. VI. Id. Nov. Triv. acc. XV. Kal. Mar. Karthagine Constantino a. IV. et Licinio IV. Coss.*

Coercendos esse ducenarios et centenarios ex officio palatino, et advocatos fisci si cui quid per injuriam abstulerint. Conjungenda est l. 3. *sup. de advoc. fisc.*

II. *Imp. Constantinus a. Eubulidæ Vicario Africæ.* Præter solemnes et canonicas pensitationes multa a provincialibus indignissime postulantur ab officialibus et scholasticis, non modo in civitatibus singulis, sed etiam mansionibus dum ipsis et animalibus eorundem alimoniæ sine pretio ministrantur: provinciales itaque cuncti Judices tueantur, nec injurias inultas transire permittant. *Dat. III. Kal. Iul. Leontio et Salustio Coss.*

Ne quid officiales vel scholastici præter solemnia exigant a provincialibus, et ne eorum animalibus in itinere pabula gratuito dentur. Scholasticos accipit pro advocatis, de quibus amplior lex Cod. Theodosiani, *Non latet,* inquit, *scholasticos ultra modum accepta honoraria in defensionem causarum annonas et sumptus accipere consuesse.* Et ita Sardicensis concilii c. 10. Scholasticus ex foro, id est, Zonara interprete, ὁ περὶ λόγους σχολάζων · Et Carthag. concilii cap. 99. ἐκδίκους σχολαστικούς. Et in passione Dorotheæ virginis Theophilus quidam advocatus præsidis, Scholasticus appellatur. Macarius Hom. 15. ὅταν γένηται σχολαστικός, ὅλων τῶν δικολόγων ἀρχάριος καὶ ἔσχατος. Et recte in concilio Africano, Scholasticos qui in actu sunt vel in munere defensionis causarum: nam alii nondum exierunt rhetorum schola

III. *Impp. Arcadius et Honorius aa. Pompejano Proc. Africæ.* Quoties compulsor arguitur in deprædatione convictus, etiam non consulta clementia nostra pœnam subeat legibus competentem. *Dat. Prid. Kal. Ian. Med. Stilicone et Aureliano Coss.*

Compulsor missus a principe, si in deprædatione convincatur, etiam inscio principe a proconsule coerceri potest.

IV. *Impp. Honorius et Theodosius aa. Adriano p. p.* Curialibus et navicularriis, omnibusque corporibus ita subveniri volumus: ut nihil apparitoribus universorum judicum liceat, quod ad prædam provincialium pertinet.

Ne quid ulli apparitores deprædentur a curialibus vel naviculariis vel cetera corporatis. Græci adjiciunt pœnam tripli.

TIT. LXII. *De Primipilo.*

I. *Impp. Valerianus et Galienus aa. Domitio.* Commoda primipilatus post administrationem incipiunt deberi: et si is, qui ea percipere debuerit, prius rebus humanis eximatur, hæredibus petitio salva sit.

Quid sit primipilus supra anteverti dicere l. 3. *sup. de cohor. prin.* Commoda primipilatus sunt salaria quæ ei dantur, sive ut Græci vertunt, τὰ λόγῳ παραμυθίας παρεχόμενα, l. *Pater. D. de adm. leg.* Sed non debentur antequam impleta sit functio primipili. Debita in hæredem transmittuntur. Post administrationem ergo finitam; nam dum militat, non commoda, sed stipendia appellantur.

II. *Impp. Diocletianus et Maximianus aa. Alexandro.* Obtentu nominis primipili civiles actiones ad alios judices transferendæ non sunt.

Si quem primipilus conveniat occasione primipilatus sui, convenire eum debet non coram suo, sed coram proprio ejus judice, ita ut secundum regulam juris actor forum rei sequatur.

III. *Iidem aa. Domnæ.* Utilitas publica præferenda est privatorum contractibus: et ideo si constiterit fisco satisfactum esse ob causam primipili: poteris obligatam tibi possessionem titulo dotis petere, ut satis doti fieri possit.

Causæ primipili dos non præfertur in hypothecis. Sunt et multa alia singularia, ut si debitor ex causa primipili, vel fidejussor, aut nominator ejus solvendo non sit, dos uxoris fisco vindicetur, *l. Satis. supra, in quibus caus. pig. tac. contr.* Et res etiam specialiter obligata dotis nomine et donata. licet primipili morte confirmata sit donatio, *l. Non verum. sup. de donat. inter vir. et uxor.* Ut fisco teneantur filii primipili etiamsi hæredes non extiterint, *l. Si tutores. sup. de compens. l. seq.* Ut urgente fisco adversus debitores suos debitor ex causa primipili agat etiam ante diem, *l. 1. sup. de cond. ex lege.*

IV. *Iidem aa. Dionysio.* Cum ex sola primipili causa liberos, etiamsi patribus hæredes non existant, teneri Divus Aurelianus sanxerit: si neque successistis patri vestro, nec quidquam ex bonis ejus tenetis; consequens est a paternis creditoribus vos non conveniri.

De hac l. dictum est superiori satis.

TIT. LXIII. *Publicæ lætitiæ vel consulum nuntiatores, vel insinuatores, constitutionum et aliarum sacrarum, vel judicialium literarum, ex descriptione vel ob incitis ne quid accipiant immodicum.*

I. *Imppp. Gratian. Valentinian. et Theodosius aaa. Floro p. p.* Quicquid nostrorum unquam nuntiari cœpit prosperorum, ut bella si desinunt, si oriuntur victoriæ, fatis honor si datus fuerit regalium trabearum, compositævæ pacis erit offerenda tranquillitas, si sacros vultus inhiantibus forte populis inferimus: hæc sine immodico pretio nunciari excipique sancimus: gerulum jubemus esse castissimum indices nummarios esse prohibemus: judices statuimus esse sollicitos, ne turpi collusio quæratur ex miseris pretium gaudiorum Quod si id sacrilega fuerit dissimulatione violatum: et in accipientem pudoris fortunarum que manebit excidium, et cogentem par pœna multabit, et officium triginta librarum auri vexatione quatietur. *Dat. IV. Non. Febr. cp. Merobaude II. et Saturnino Coss.*

Duo erant potissimum in hac lege corruptissima: *Fastus si honor datus fuerit regalium vel consulum, vel trabearum.* Emendavi, *Fastis si honor datus fuerit regalium trabearum*, id est, si incunte anno novorum consulum nomina nuntientur. Consulum ornamenta sunt trabeæ, eædemque regum, quæ et τήβεννοι. *Nov.* 103. et Appiano, Artemidoro Sudæ, Moschopulo, auctori Etymologici. *Actum esse jubemus castissimum, indigentibus non numerarios esse prohibendum.* Emendavi fide Cod. Theodosiani, et manuscriptorum, *gerulum jubemus esse castissimum, indices nummarios esse prohibemus.* Nummarios, id est, lucri avidos. Hieronymus ad Onasum: *Volo in nummarios invehi sacerdotes.* Svetonius in Domitiano: *Nummarios indices notavit.* Illa autem verba. *Sic sacros vultus inhiantibus forte populis inferimus:* Græci ita interpretantur, εἴτε λαυράτα καταγγέλλοιεν quod in Nicæna synodo 2. explicant hæc verba: *Si regum laurata Græcorum vulgus apud CP. vocat imperiale signum;* et paulo post: *Laurata et icones missas ad civitates vel regiones obviam adeunt populi cum cereis, et incenso non ceris prefusam tabulam, sed Imperatorem honorantes.* Aliis auctoribus laureatæ tabellæ sunt signa lætitiæ. Seneca in Agamemnone: *Lanifesta properat signa lætæ gerens. Namque hastæ summo lauream ferro gerit.* Summa vero Constitutionis hæc est, ut eæ omnes publicæ lætitiæ populis sine immodico pretio nuntientur. *Immodico* adjecit Tribonianus, cum non esset in C. Th. propter constitutionem Græcam, cujus sententia sequitur

II. Ἡ διάταξις βούλεται ἓξ νομίσματα μόνον παρέχεσθαι ἀφ' ἑκάστης ἐπαρχίας ὑπὸ τῶν ἐμφανιζόμενων θείων [illegible], ἢ γενικῶν προστάξεων, ἢ δημοσίων συμβολαίων, ἢ ἀνδριάντων· τὸν δὲ πλέον λαβόντα, τετραπλάσιον ἀναδιδόναι, κωλυόντων τοῦτο, ἄρχοντος, καὶ τοῦ ἐπισκόπου, καὶ τῶν πρώτων τῆς πόλεως, καὶ πάσης πολιτικῆς, καὶ δημοσίας βοηθείας· ὁ μὲν γὰρ ἐπίσκοπος ὑπὸ ἀγανάκτησιν ἐστι βασιλικὴν· ὁ δὲ ἄρχων καὶ ἐκπεσεῖται τῆς ἀρχῆς, καὶ δημευθήσεται καὶ ἐξορισθήσεται· Καὶ ἡ τάξις δὲ κινδυνεύει μήτε διαγραφὴν γενέσθαι προφάσει τούτων τῶν αἰτιῶν ὑπὲρ τοῦ μὴ ἓξ χρυσοῦς· μήτε ὡς παρὰ [illegible] μηδὲν, ἀλλὰ τὸν λαβόντα δοῦναι τὸ τετραπλοῦν· καὶ [illegible] δὲ οἱ πολῖται βούλονται διαγράψαι τυχὸν, ἢ εἰς ἔργον δημόσιον, ἢ εἰς σιτωνίαν, ἢ αἰτοῦσι παρὰ βασιλέως τοῦτο ἐπιτραπῆναι, οὐ χρὴ ζημιοῦν αὐτοὺς οὐδὲν ὑπὲρ τούτου, ἵνα μὴ οἱ μὲν ἱερεῖς ἀγανακτῶνται· οἱ δὲ ἄρχοντες, καὶ τῆς ἀρχῆς ἐκπίπτωσι, καὶ ἐξορίζωνται καὶ δημεύωνται· ἡ δὲ τάξις εἰς [illegible] τιμωρεῖται· εἰ μὴ μηνυθῇ βασιλεῖ τὰ παρὰ τὴν διάταξιν γινόμενα· ἐξουσίαν γὰρ ἔχουσιν οἱ διαγραφόμενοι ἀντιλέγειν τοῖς διαγράφουσιν, εἰ δὲ μὴ δύνανται τοῦτο ποιεῖν, ἐπικαλεῖσθαι τὸν ἄρχοντα καὶ βασιλεῖ μηνύειν, οὐ χρὴ δὲ οὔτε τοὺς [illegible], οὔτε τοὺς σιτώνας, ἢ [illegible] ἀποδείξαντας παρέχειν [illegible] τῶν [illegible] ἐν χερσὶ [illegible], μηδὲ ποσότητα [illegible] [illegible] χρεία· εἰ δὲ

παραβῇ ὁ ἄρχων, οἴκοθεν ταῦτα καταβαλεῖ· χρὴ γὰρ ἀμείωτα τά τε δημόσια καὶ τὰ πολιτικὰ φυλάττεσθαι.

Interpretatio Latina

Constitutio vult singulas provincias insinuatoribus sacrarum literarum vel generalium Constitutionum vel publicorum commonitoriorum vel statuarum sex dumtaxat solidos dari, et ab eo qui amplius acceperit, quadruplum reddi, hoc inhibente præside et Episcopo et primoribus civitatis, omnique tam civili quam fiscali adminiculo, nisi velit Episcopus iu principis indignationem incurrere, Præses bonis et dignitate et civitate multari. Curet autem officium nec descriptionem fieri ex iis causis ultra sex aureos, nec ab invitis, et ab accipiente quadruplum inferri. At cum cives seipsos volunt describere operis publici vel frumenti coemendi causa, vel hoc sibi concedi a principe petunt, nihil oportet eos lædi ex hac causa, ne sacerdotes indignationem eandem incurrant, præsides dignitatem amittant et publicentur: officium in corpus torqueatur, nisi principi detulerint quicquid contra hanc Constitutionem fuerit admissum. Possunt enim descripti resistere describentibus, vel si nequeant resistere, licet eis invocare præsidem et deferre principi. Sed non oportet patres civitatum vel sitonas vel susceptores ex reditibus, quos habent, in manu quicquam præbere sed eorum quantitatem destinatæ necessitati servare debent. Quod si præses violarit, de suo eos reditus implebit. Fiscales enim et civiles res imminutas servari necesse est.

Hæc constitutio si abfuisset, quod est in titulo, *Ex descriptione vel ab invitis*, esset sine lege. Hic vero sit finis, quem Deus Dominusque dedit, cui soli sit laus honor et gloria.

PARS QUINTA

JACOBI CUJACII J. C.

NOVELLARUM CONSTITUTIONUM

IMP. JUSTINIANI EXPOSITIO

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

D. CRISTOPHORO

COMITI PALATINO AD RHENUM,

Illustrissimi Principis ac Domini D. FREDERICI Electoris Palatini filio, Bavariæ Duci.

Cupivi jom antea sæpe, Illustrissime Princeps, ut daretur mihi aliquando tempus opportunum, quo te cultu et observantia aliqua revereri possem: et ne te fugiat quæ res hoc in me desiderium potissimum accenderit, Ego, cum frequentiores studiorum causa venirent ad nos Germani, quam soleant modo, consopitis civilium dissentionum injuria apud nos omnibus pene liberalium artium studiis, nostratium nemini concessi, qui Germanorum ingeniis faveret, quive nobilitatem et virtutem eorum admiraretur magis, ut illi vicissim in me habuere semper præ aliis aliquid quod diligerent, ea re adsiduos et fnmiliares nullos habui, vel potius adsiduum et familiarem illi nullum habuere magis quam me: et in sermonibus, ut fit, de patria cum rogantur, de lingua, de moribus, de literis, et de principibus imprimis, nullum alium Germaniæ principem majore mihi eos nnimi alacritate prædicasse memini, quam Illustrissimum Principem FREDERICUM *patrem tuum, simul ac te in omni genere virtutis geminum patri filium: et ab iisdem non paucis post reditum in patriam certior factus sum, cum ad te præcipue referunt de ratione studiorum suorum quam hic transigere nobiscum, et mei mentionem injiciunt, quicquid hi narrant de me, id te excipere, et studium et aures adhibere libenter. Hoc equidem magni æstimo, et in felicitatis parte pono maxima: nec enim meritum ullum in me meum agnosco, quod tam sanctissimi et modestissimi Principis gratiam mereatur: et incendor mirum in modum ex ea re tamen ut me quodam officio illa præbeam non indignum, cujus etiam exhibendi parte aliqun non tulissem longiorem moram, nisi me ab studiis paulo magis remissiorem patriæ calamitates reddidissent, quam conturbatus et mærens cerno, sævientem in seipsam omni crudelitatis genere. Et parum id quidem esset, si hoc anno cerneremus et experiremur primum, sed cernimus et patimur jam fere decennium doloris cum morsu maximo* θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι φίλον δαμάσαντες ἀνάγκῃ. *Quæ res non potest non imminuere studia mea, quæ sola officiorum genera suppeditare solebant mihi multa quibus colerem præstantissimorum virorum eximias præclarasque virtutes, et vero minuet ea res studia mea semper, quoad misericordi et omnipotenti Deo libuerit his Galliæ miseriis dare finem aut modum aliquem. Sed interea tamen colluctor ipse quodammodo mecum, ut quam minimum fieri potest decedat ex mea pristina diligentia, et ne dolori, quem ex hoc capio statu patriæ acerbissimum, succumbam prorsus, neve relanguescam ab spe melioris rei. Alios sibi pugnas, sibi prælia, sibi arma habere jubeo. quibus hæc cordi sunt nimis: ego quantum mihi imperare possum, adsiduus esse persevero in pervolutandis libris, e quibus vel eruam quæ recondita inest in eis consolationem, æquanimitatem et constantiom eam, quæ etiam in desperatione, aut præcipitio rerum omnium tranquilliorem mentem efficere possit. Nec suum abest huic meæ contentioni pretium: nam quidquid de jure nunc in vulgus edo, id etinmsi non adeo forsitan perfectum et perpolitum est atque alio tempore foret, tamen pro ratione temporis, quo limandi ejus mihi fuit potestas. non dubito quin satisfacturum sit his, qui aliquid de studiis juris censere et arbitrari possunt. Statim enim placebunt enarratæ Novellæ Justiniani longe alia ratione quam fuerint unquam antea: non ausim dicere meliore. Nec erit injucunda* παρατηρημάτων *adjectio, quæ a* XII. *libro dehinc uno tempore si vixero proferam in medium perducta usque ad* XL. *Ultra enim ne procurreret ea in re opera mea, jam statim a primo mihi præscripsi. Non displicebit etiam Juliani discipulus. quem etsi tempora non tulerint ut ederem integrum, non efficient tamen ut eum dereliquam antequnm ad extremum pertulerim, et nomini etiam tuo quatuor reliquas quæstiones*

inscripserim, ut nunc inscribo humiliter priores quinque, simul ac Novellas et Observationum accessionem quam dixi. Quod omne si tanquam ab homine tuæ Celsitudini deditissimo, benigne et libenter acceperis, et hanc animi erga te mei propensionem quæ effecit id elicuitque omne mihi quantumvis licet alienissimo tempore, in mente tua nobilissima et omnibus virtutibus instructissima ad conciliandam mihi eam in perpetuum, valere siveris, et me, illustrissime Princeps, expergefeceris: largius enimvero prolixiusque ad illustrissimam familiam tuam omni deinceps observantia et honore prosequendam, et ad studia quoque mea addicenda vobis potius quam nostris hominibus, qui literariis muneribus, quæ etiam diis feruntur esse amica, parum abest ut se honestari non putent, qui ne gratiarum quidem actione vel minima incipiunt jam nostram agnoscere benevolentiam. Deus Opt. Max. illustrissimum et potentissimum Principem FREDERICUM *patrem tuum, et te dignissimum patri filium, et familiam omnem vestram conservet, et regat suo Sancto Spiritu, eamque cottidie ad secundiores provehat rerum eventus. Valentiæ Cavarum VII. Id. Aug. M. D. LXIX.*

Tuæ Nobilitati et Celsitudini Devotissimus

JAC. CUJACIUS.

NOVELLARUM CONSTITUTIONUM

ESPOSITIO

Hæc mihi prior appellationis Novellarum occurrebat ratio, quod novæ eis atque a veteribus dissidentia jure constituantur, quamvis non utique omnibus: exempli gratia XCI. et XCII. Et huic quidem rationi Cedrenus aderat, qui de hoc Novellarum libro scribit in hunc modum in Justiniano, τοὺς παλαιοὺς νόμους πάντας ἀνανέωσε, ποιήσας μονόβιβλον, ὃ καὶ νεαρὰς διατάξεις ἐκάλεσε. Posterior tamen quæ succurrit animo meo, verior est: quod novissime promulgatæ sint post Codicem Justin. repetitæ prælectionis: nam et sæpissime a Græcis interpretibus appellantur νεαραὶ μετὰ τὸν κώδικα et ab ipso Justiniano *Nov.* 66. et *in Constitutione de novo Codice faciendo*: et pariter Theodosii, Valentiniani, Martiani, Leonis, Majoriani, Severi Constitutiones non alia ratione Novellæ appellatæ sunt, quam quod post Codicem Theodosii, et aliæ quædam Leonis philosophi, Nicephori, Michaelis, Romani, Alexii, quod post βασιλικῶν libros promulgatæ essent. Quin et Justiniani quæ in *l.* 1. §. *Sed cum Novellæ. C. de emend. C. Just. l. Si quis filium. in fi. C. de inoff. test.* vocantur Novellæ, nondum retractato Codice hanc appellationem meruerant, editæ cum essent post primam Codicis editionem retractata repetitave jam Codicis editione, eam amiserunt. Nec enim Novellæ sunt quæ in corpus unum coiruet Codicis repetitæ prælectionis, justum Constitutionum corpus, sed quæ post Codicem illum emerserunt novæ, vel Justiniani ipsius, vel Justini, vel Tiberii, non quasi errones in corpus illud retrahendæ, a quo nunquam exierunt, sed quasi posthumæ Codicem certe rupturæ illum, quo sunt omissæ, maxime ex parte. Adjunximus eis formas præfectorum prætorio quasdam, sive ἐπαρχικά, et Novellas Justiniani Tiberiique nonnullas, quæ suis locis indicabuntur. Nec separanda esse censuimus edicta XIII. a Novellis, nam et pleraque alia inter Novellas edicta sunt, et illa XIII. omnia edicta non sunt: non sane quæ ad Armeniam, Phœnicem Libani, Ponticam, Hellespontum, Ægyptum, Alexandriam pertinent: Edicta enim sunt generales leges quæ omnes populos et provincias tenent, *l.* 3. *C. de leg.* et præterea ex illis tria vel quatuor, quæ sunt ante relata Novellis, frustra sub Edictorum alio nomine denuo reposuissem. Index vero titulorum quia non erat certus (nec enim veteri interpreti idem qui vel Haloandro vel Scrimgero) elegi quem sequerer ex Reginæ bibliotheca breviorem aptioremque cæteris, et hac pagina statim ut exprimeretur procuravi. Fuit Græcus, sed Latinum exhibere malui.

59 De sumptibus funerum.
60 Ne reliquiæ debitorum a creditoribus injuriis adficiantur, et ne adsessores causarum cognitionem suscipiant.
61 Ut ne consentiente quidem muliere alienetur vel obligetur prædia donationis propter nuptias.
62 De Senatu.
63 De prospectu maris.
64 De hortulanis.
65 De relictis ecclesiæ Mysiæ
66 De successionibus.
67 De his qui templa ædificant, et ne episcopi ecclesiis suis oberrent, et de alienatione ecclesiasticorum prædior.
68 De constitutione successionum in lucra nuptialia.
69 Ut omnes obediant præsidibus.
70 De liberationibus decurionum.
71 De litibus eorum qui in dignitate positi sunt
72 De tutoribus.
73 De instrumentis.
74 De suitate liberorum, et de nuptiis.
75 De appellationibus Siciliæ.
76 De monachis.
77 De impudicis et juratoribus.
78 De dotalibus instrumentis et manumissionibus.
79 De monachis litigatoribus.
80 De quæstore.
81 De solutione patriæ potestatis.
82 De judicibus.
83 De clericis litigatoribus
84 De fratribus.
85 De armis.
86 Ut prærendi suscepto in audiendis litibus adjungatur episcopus.
87 De donationibus factis a decurionibus.
88 De deposito et denunciatione inquilinis facta, et de suspensione erogationis annonarum.
89 De filiis naturalibus.
90 De testibus.
91 De duarum dotium debito, et de eo qui dotem accipere non vult
92 De immensis donationibus collatis in liberos.
93 De appellationibus.
94 De tutela matrum.
95 De præsidibus, ut deposito magistratu dies 50. remaneant in provincia, sive militarem sive civilem gesserint administrationem.
96 De exactoribus et mutuis petitionibus.
97 De jure dotis.
98 De lucris nuptialibus.
99 De duobus reis.
100 De non numerata dote.
101 De decurionibus.
102 De moderatore Arabiæ
103 De Proconsule Palestinæ.
104 De prætore Siciliæ
105 De consulibus.
106 De nautico fœnore.
107 De testamentis factis inter liberos.
108 De fideicommissariis hæreditatibus.
109 De hæreticis.
110 De nautico fœnore.
111 De tempore actionum sacris locis competentium.
112 De litigiosis.
113 Ne sacræ formæ fiant in medio litis.
114 De sacris jussionibus.
115 De appellationibus, et de litigatoribus, et de Falcidia, et de exhæredatione, et de iis qui lugent, et de constituta pecunia.
116 De militibus.
117 De divortiis et aliis capitulis.
118 De æqualitate agnatici et cognatici juris
119 De donatione propter nuptias, ut specialis sit contractus, et de aliis capitulis.
120 De ecclesiasticis contractibus.
121 De usuris.
122 De dispositione artificum.
123 De episcopis et clericis.
124 De litigatoribus.
125 De judicibus.
126 De appellationibus.
127 De successione filiorum fratris, et de insinuatione donationum propter nuptias.
128 De exactione publicorum tributorum.
129 De Samaritis.
130 De transitu militum.
131 De ecclesiasticis canonibus, et de fideicommissis, et orphanotrophis.
132 De Hæreticis.
133 De vita monachorum.
134 De præsidibus, et de adulteriis et pœnis.
135 Ne quis cogatur cedere bonis.
136 De argentariorum contractibus.
137 De episcopis et clericis.
138 Ne usuræ excedant duplum.
139 De indulgentia incestarum nuptiarum.
140 Ut consensu solvatur matrimonium.
141 De stupro.
142 De his qui eunuchos faciunt.
143 De raptu mulieris
144 De Samaritis.
145 De duce vis arcendæ.
146 Ut Hebræi legant scripturas Hebraice.
147 De indulgentia reliquorum tributor.
148 De reliquis.
149 De præsidibus.
150 De ea quæ raptori nubit.
151 Ne decurio vel cohortalis in judicium vocetur sine jussione principis insinuata præfecto prætorio.
152 Ne sacræ jussiones de publicis causis valeant sine approbatione præfectorum præt.
153 De infantibus expositis.
154 De his qui in Osroena incestas nuptias contrahunt
155 Ne matres tutelæ rationibus obnoxiæ sint.
156 De sobole cum colonis partienda.
157 De colonis qui in alienis prædiis nuptias contrahunt in Mesopotamia et Osroena.
158 Ut jus deliberandi etiam impuberes transmittant.
159 De substitutione facta in familiam morientis usque ad quotum gradum valeat.
160 De pecuniis et usuris civitatum.
161 De præsidibus.
162 De donationibus sacra forma, et de adscriptitiis.
163 De relevatione tributorum
164 De hæredibus.
165 Generalis forma de prospectu maris.
166 De prædiorum sterilium ad fertiles impositione
167 Generalis forma de missione in possessionem.
168 Forma præf. prætorio de his qui eidem domino subjecta prædia possideat.

NOVELLA PRIMA

De hæredibus et Falcidia.

Prior pars hujus Novellæ est de hæredibus, qui non obtemperant voluntati defuncti. Publius Syrus ait, magis fidum hæredem nasci quam scribi. Qua de causa scripti hæredes pœnis costringendi sunt, ne quid faciant contra testamentum et vero coostringuntur etiam tam veteribus legibus quam novis. At quo modo? An datis actionibus, aut persecutionibus, aut invocato auxilio magistratus, principis, pontificis? hac vero ratione testamento parere compelluntur, non puniuntur quod non paruerint. An data actione in duplum? Sed hac actione coercentur inficiatores uno tantum casu, si legata per damnationem, vel jure novo si legata relicta locis pietati dedicatis hæredes inficientur An ex mora usurarum et fructuum admissa ratione? At qui moratur non facit contra voluntatem: id enim facit quod facere jussus est, sed tardius: at ille etiam qui inficiatur, contra voluntatem non facit palam: jussisse enim testatorem negat, non etiam facturum se quod testator jusserit. Et specialiter quidem mora filii hæredis scripti, qui fratribus relictam legitimam portionem tardius exsolvit, coercetur constitutione quadam Justiniani de inofficioso testamento relicti tertia parte amplius: porro contra voluntatem facit qui minus impendit in funus vel monumentum, quam testator jusserit, *l. Cum in testamento. D. de verborum significatione*, vel (ut hac Novella definitur) qui legata, aut fideicommissa, aut libertates post sententiam judicis annum integrum frustra expertatus, præstare detrectat. Et huic quidem veteri jure hæreditatem fiscus auferebat quasi indigno, ut Paulus scribit 111 Sententiarum, et Justinianus *l. ult. C. de fideicommis.* ut non male ad hanc delationis causam quæ ponitur in *l. 1. D. de jur. fisc. Quod indignoque hæres nunciatur*, possit dari exemplum hæredis facientis contra voluntatem. Quæ dubitandi ratio (ut opinor) fuit in specie *l. Si peculium D. de statulib.* cum hæres servum liberum esse jussum sub conditione dandi x. Titio, prohibet dare, an postea manumisso servo, ex legato peculii hæres eam pecuniam deducere posset. Indignus est enim hæres, qui contra voluntatem facit, eam pecuniam imo hæreditatem lucrari. Verius tamen est non fecisse eum contra voluntatem qui servum manumisit ultro, quem testator liberum esse jusserat sub conditione dandi x. Titio: nec posse quicquam queri Titium, cum nec legatarius fuerit, *l. 8. D. si quis omis. cau. testam.* At hæc causa deferendæ hæreditatis in fiscum, postea constitutionibus sublata est, *l. 5. C. de religios.* si in omittendo supremo officio mortui (ut ibidem exponitur) hærede peccante, quæ res onerat verecundiam hæredis: et si quid aliud igitur hæres fecerit contra voluntatem defuncti, ut si legata non solverit, quæ res non pulsat existimationem aut verecundiam hæredis. Ceterum hac Novella Justinianus restituit quodammodo jus vetus, quod aliorum principum Constitutiones aboleverant: nam hæredi qui voluntati defuncti non obtemperat, censet auferendam esse hæreditatem quasi indigno: vel totam, si extraneus sit: vel deducta Falcidia, si ex eis personis sit quibus portio legitima debetur, et qui de inofficioso testamento queri possunt, quales sunt liberi, parentes, patroni Falcidia enim sive legitima portio his personis auferri nulla ratione potest. Sed sive tota hæreditas auferatur, sive quod superest, deducta Falcidia, id non statim transit ad fiscum. Non omne quod aufertur quasi indigno ad fiscum transit, *l. 1. § Quæ autem. C. de caduc. tollend.*

Sumantur exempla ex *l. 5. §. Amittere. D. de his quæ ut ind. l. pen. C. de legat. l. Si ex voluntate. C. de donat. inter vir. et uxor. l. Si ab hostibus. §. ult. D. sol. matr. l. Si patroni §. Qui fideicommissum. D. ad Treb.* et *Nov.* 115. Sic igitur hæredi non obtemperanti voluntati defuncti ablata hæreditas non statim fisco vindicatur ex hac Novella, sed substituto si substitutum habuerit hæres. Finita ipso jure est substitutio adita one hæredis scripti: ideoque non jure substitutionis substitutus venit (ut Joannes ait recte) sed beneficio hujus Constitutionis, quasi priore loco scriptus, et sicut extraneus quilibet, ut dicetur inferius. Deficiente substituto vocantur cohæredes qui adierunt pro portione hæreditaria, et hi etiam non jure accrescendi inviti, quod est portionis vacantis jus, non acquisitæ, sed non inviti hujus Constitutionis beneficio, ac si in eam quoque portionem hæredes scripti essent. Si non sint cohæredes, venit is cui hæres rogatus est restituere hæreditatem: nam et is (ut in hac Nov. Justinianus ait) hæredem imitatur, maxime transfuso S. C. Pegasiano in Trebellian.; qui locus est summe notandus. S. C. Pegasiano locus erat interveniente Falcidia, et non erat fideicommissarius hæredis loco, quia in hæredem conservabantur actiones. S. C. Trebelliano locus erat non interveniente Falcidia, ut puta hærede non plus quam dodrantem restituere rogato: qui casus cum ponitur *l. Si mulier. §. Ex asse. D. de jur. dot.* recte et proprie subjicitur mentio transferendarum actionum, et S. C. Trebelliani: quia ex eo S. C. fideicommissario et in fideicommissarium dantur actiones, atque ideo fideicommissarius Trebellianus hæredis loco est, Pegasianus non item. Hodie omnis fideicommissarius, Trebellianus est: ergo omnis, hæredis loco. Post fideicommissarium Trebellianum veniunt legatarii et fideicommissarii singularum rerum. Sed qualis inter eos ordo dabitur? Is nimirum præferetur, cui uberius legatum aut fideicommissum pecuniarium relictum fuerit: ut si plures sint fideicommissarii Trebelliani, is præferetur cui major pars hæreditatis relicta fuerit: vel si par sit omnium causa, scripto hærede indigno pronunciato, omnes simul ad hæreditatem venient. Post legatarios et fideicommissarios veniunt testamento manumissi secundum ordinem scripturæ, qui et lege Fusia Caninia, et lege Ælia Sentia servatur inter manumissos: vel simul omnes, si scripturæ ordine discerni non possint, exacta cautione implendæ voluntatis defuncti quæ etiam ab aliis omnibus exigitur, et præstanda est (ut Accursius voluit) personæ publicæ, vel his quorum interest. Sexto loco vocantur hæredes legitimi. Septimo extraneus quilibet, sicut ex sententia Orationis D. Marci libertatum conservandarum causa, constat vocari extraneum quemlibet quasi hæredem testamentarium, *l. ult. C. de testam. man.* et ita prætorio quoque jure pro hærede testamentario habetur is qui omissa causa testamenti ab intestato possidet hæreditatem, *l. Si duo hæredes. D. si quis omis. caus. test.* et hæres scriptus cui remittitur conditio jurisjurandi, *l. 1. §. Ad eos. D. ad leg. Falc.* de quo etiam Græci accipiunt *l. 20. §. Licet. D. de pet. hæred.* illo loco, *Successores justos*: et libenter ipse pro his acceperim honorarios, sive prætorios successores, *l. 2. §. Si defunctus. D. pro empt. l. 24. D. fam. ercisc.* Octavo gradu vocatur fiscus, sub eodem onere cautionis. Cautionis, inquam, non satisdationis, *l. 1. §. Si ad fiscum. D. ut leg. cau. cav.* nam nec privati locupletiores, id est, prædiorum possessores, satisdant, et fiscus semper est locuples. Sunt autem hujus Novellæ conditiones quædam. Una, ut legitima sit voluntas defuncti, quam non exequitur hæres: (illegitimæ enim hæres impune non paret) et ut quod testator injunxit, jus hæredi non remittat. Quod enim jus remittit, id etiam hæres omittit impune: cujus generis est conditio jurisjurandi quæ edicto prætoris remittitur, *l. 8. D. de cond. inst.* et conditio viduitatis lege Julia, *l. Cum ita. l. Mulier. D. de cond. et dem.* et conditio divortii, *l. 5. C. de inst. et subst.* et generaliter quæcunque caventur in fraudem legum, *l. Sejus. D. ad leg. Falcid.* Est et alia conditio hujus Novellæ, ut ea, quæ hæres facere jussus est, lex non repræsentet. In his enim quæ lex repræsentat, cessatio aut contumacia hæredi nihil nocet, ut in libertatibus quæ repræsentantur S. C. Rubriano: et ex contractu eodem modo pœna non committitur quando libertatem lex repræsentat, *l. ult. C. si manc. ita fuer. alien.* et de his loquitur Justinianus illo loco, ἢ εἰ μήτις αὐτὸ νόμος etc. quod sic interpretor. Vel si non id lex aliqua etiam hærede cessante nominatim repræsentat, et ita Irnerius etiam intellexit: male adjicit alius, Prohibeat: alius, impediat: quæ vel Accursius indicat non adjecisse veterem interpretem. Hæc item pœnæ hujus Constitutionis conditio apponitur, ut hæres post aditam hæreditatem annum integrum cessaverit in exequenda voluntate defuncti, qui tamen non ab aditione numerabitur, sed ab admonitione et conventione judicis. Nam et ab eo tempore de legato aut fideicommisso, aut libertate aut liberto adsignato lis peragenda est intra annum, quæ est hujus Novellæ sententiæ illo loco satis obscuro, ἀλλὰ κἀκεῖνο πρόσεστιν [illegible]. et nova exceptio ad *l. Properandum. C. de jud.* Scio Julianum, nisi corruptus est, et Theodorum annum numerare a condemnatione judicis: sed hanc interpretationem neque locus ille admittit, neque ὑπομνήσεως nomen, quo conventio significatur: et sententia quoque libelli conventio est, ut *l. 6. C. unde vi, l. pen. C. de dign.* Post conventionem hæredi datur annus: post condemnationem darentur tantum menses quatuor. Addi etiam hæc conditio potest, ut testator specialiter hæredi non optemperanti aliam pœnam non indixerit: alioquin committitur pœna illa potius quam testator indixit, quam quæ hac Novella definitur: ut in specie *l. 8. et l. In testamento. D. de condit. et demonst.* Si hæredem monumentum facere jussarit, et nisi factum esset, magna eum pecunia multaverit, vel ærario populi inferenda, vel arcæ Pontificum. Idem si vetita alienatione, subjecerit pœnam, ut in veteri inscriptione urbis Romæ: *Hoc monumentum ne de nomine exeat. Quod si quis id monumentum partemve ejus vendere, vel donationis causa cui mancipare voluerit, sive quo nomine ejus monimenti partem alienare tentaverit, dare damnas esto ærario Populi Romani* H-S. XV. M. N. *et collegio Pontificum* H-S. XV. M. N. *et emptor et venditor.* Et in alia: *Si quis hoc sepulchrum vel monumentum cum ædificio universo post obitum meum vendere vel donare voluerit, vel corpus alienum inferre velit, dabit pœnæ nomine arcæ Pontificum* H-S. C. N. *et is cui donatum vel venditum fuerit, eadem pœna tenebitur.* Et in alia: *Hoc monumentum ne de nomine exeat.* Et in alia: *Si quis hoc armarium vendere voluerit, tunc inferet arcæ Pontificum* H-S. L. M. N. *Si quis eu, vel titulo manus intulerit, dabit ærario* [illegible] *quinque millia nummorum.* Et de hoc genere pœnarum testamento scriptarum, quæ ab hæredibus committuntur quod fecerint contra voluntatem defuncti, Asconius Pedianus in Verrem, commissa dici ea, quæ contra testatoris voluntatem facta aut non facta ab hærede multa aliqua pœnaque plectuntur. Sciendum est inter eos quos hæc Constitutio vocat in locum hæredis scripti qui non obsequitur voluntati testatoris, jure exhæredatos non vocari. Nam si vocas exhæredatos, dum vis tueri voluntatem, contra voluntatem facis, et derideberis offensione voluntatis defendens voluntatem. Recte igitur hujus Constitutionis beneficio submoventur exhæredati. Nam neque inter legitimos neque inter extraneos vocantur. Inter legitimos non vocantur, quia exhæredatione amiserunt nomen suorum, *l. 1. §. Post suos. D. de suis, et legit. hæred. l. Filium. §. Videamus. in fin. D. de bon. poss. contra tab.* ergo et legitimorum: nam qui non sunt sui, nec legitimi sunt, *l. Scripto. D. unde lib.* Inter extraneos non vocantur, quia nominatim summoti sunt hæreditate, atque ita pejor est exhæredatorum quam extraneorum conditio. Extranei veniunt contra mentem testatoris Constitutionis beneficio, exhæredati venirent contra verba. Inter legatarios, et fideicommissarios forsitan vocabuntur, si quid eis legatum fuerit, quia bonis omnino exclusi non sunt, et quod aufertur, non tam his personis adjicitur, quam bonis alii s defuncti quæ ad eos pertinent: quod Justinianus significat his verbis, τὸ ἀφαιρούμενον προστίθεσθαι τοῖς ἄλλοις πράγμασι. Item inter substitutos vocabuntur, si substituti sint, licet expiraverit substitutio, quia et hos hæreditate non omnino exclusit testator, quos si non primo, secundo gradu ad hæreditatem invitavit. Illud quoque sciendum est, hanc Constitutionem, quamvis inscripta sit de hæredibus, serpere tamen ad legatarios et fideicommissarios, et mortis causa donatarios nam his etiam, si moniti non paruerint voluntati testatoris, aufertur omne emolumentum, et transit ad substitutos, si substitutum habuerint, vel ad collegatarios, vel ad hæredes scriptos, vel ad extraneos, vel ad fiscum. Constat non tantum hæredibus, sed et legatariis substitui posse: et fideicommissariis et donatariis mortis causa, *l. Et hæredibus. l. Cum pater. §. pen. D. de leg. 2. l. Publius. §. 1. l. Avia. D. de cond. et dem. l. Et cui. D. de donat. caus. mort.* Constat etiam fideicommissum relinqui posse, imo et legari hodie posse non tantum a legatario vel fideicommissario, sed et a mortis causa donatario, *l. Cum pater. §. 1. D. de legat. 2. l. Cum si. §. Idem erit dicendum. D. de transact. l. Ab eo. C. de fideicommiss.* Hi igitur si post admonitionem judicis intra annum non præstiterint legata, vel fideicommissa a se relicta, eis omne emolumentum quasi indignis aufertur, et transfertur eodem ordine inchoato a substitutis et desinente in fiscum, onere cautionis.

Posterior pars hujus Novellæ est de Falcidia. Revocavit fere jus antiquum priori, revocat et ista quodam modo id quod fuit ante legem Falcidiam, eodem studio conservandæ ultimæ voluntatis, ut plena fides plenumque obsequium defuncto exhibeatur: ut cui voluerit præstari testator legatum, præstetur integrum sine ulla deductione. neque enim hac parte aliter beneficio legis Falcidiæ uti hæredi extraneo concedit quam inventario bonorum facto, et non invito testatore: olim et inventario non facto et invito testatore locus erat legi Falcidiæ. Quid vero movit Justinianum ut inventarii confectionem exigeret? Sciendum est hæredem, qui quid subtraxit, vel subduxit ex hæreditate, intervertendorum legatorum causa, eo minus jure Falcidiæ deducere ut si cccc. fuerit in bonis, cccc. in legatis, et subtraxerit c. ex ccc. ipse deducet Falcidiam, ex c. Falcidiam deducet fiscus ereptam hæredi in ea quantitate ut indigno, *l. 6. D. de his quæ ut indig. l. 24. D. ad leg. Falc.* et hoc est quod ait *l. Beneficio. D. eod.* beneficio legis Falcidiæ indignum esse eum, qui id egerit ut legatum, vel fideicommissum intercideret: nempe ut si rem Titio legatam subtraxerit, ex legato Titii Falcidia ei auferatur quasi indigno. Generaliter enim si accipiatur ejus legis definitio, falsa erit: nam is qui omisso testamento ab intestato possidet hæreditatem, non amittit Falcidiam, *l. Duo hæredes. §. ult. D. si quis omis. caus. test.* Quidam arbitrantur eum etiam amittere Falcidiam, qui nihil subtraxit, sed rem legatam propriam esse contendit, non hæreditariam, sed hoc Ulpianus improbat. Sic esse legendum in extremo *l. Computationi. D. ad leg. Falcid.* affirmant Flor. et Bas. et ratio non obscura. quod aliud sit furari, aliud inficiari, *l. Inficiando. D. de furt.* et furtum quidem gravius inficiatione, ac similiter gravius esse abscondere quid et celare lucrandi animo, quam exhibere palam, et suum esse contendere: sicut gravius est clam illicitas nuptias contrahere quam palam *l. ult. D. de rit. nupt.* et laudantur quædam facta palam, ut in acie patratæ cædes, quæ clam commissa capite luuntur. Quin etiam (ut Augustinus ait 1. de libero arbitrio) militi jubetur lege ut hostem necet, a qua cæde si temperaverit, ab imperatore pœnas luit. Seneca xv. Epist. Ex Senatusconsultis plebeisque scitis sævo exercentur, et publice jubentur vetita privatim: quæ clam (sic legendum) commissa capite luerent, tamen, quia palam fecere, laudamus. Dubitatur autem circa *d. l. Computationi. §. ult.* quid profuerit hæredi rem legatam quasi sibi propriam adserere, cum et si propria sit hæredis, omnimodo legatum valeat, sive scierit hoc testator, sive nescierit. Quidam dicunt hæredi eo proficere adsertionem talem, quod

interveniente Falcidia, legatum rei hæredis propriæ non debeatur: quod falsum et commentitium est. Accursius hæredi proficere ad evitandam rei vindicationem, quem tamen conveniri fatetur posse actione ex testamento. Parva igitur utilitas hæc et pene dicerim nulla, cum omnimodo rem legatam legatarius habiturus sit. Debuit dicere testatorem forsitan legasse per vindicationem: quo genere res hæredis inutiliter legatur, ideoque rem propriam esse dum contendebat hæres, hoc intendebat, eam rem non contineri legato: vel testatorem legasse nominatim servos suos, vel quas alias res suas. Hæc de hærede qui interveniente Falcidia subtrahit res legatas, de quo hæc Novella non loquitur, sed de eo qui non interveniente Falcidia subtrahit et amovet res hæreditarias, ut inducat legem Falcidiam quasi minor ad eo hæreditas pervenerit. Cui fraudi ut occurrat, ab hærede inventarium jubet fieri bona fide intra menses tres, *l. ult. C. de jure delib.* quo exemplo etiam inventario bonorum pupillarium præscribit Harmenopolus v. Epit. menses tres: quod Accursius tamen non probat in *l. 24. C. de adm. tut.* et inventario rerum dotalium Leo *Nov.* 110. Vel si hæres longe absit ab eo loco ubi est hæreditas, inventarium Justinianus fieri jubet intra annum. Tres menses numerantur ab apertura testamenti, non ab aditione: annus a morte testatoris. Fieri autem debet præsentibus creditoribus, legatariis, fideicommissariis, aut procuratoribus eorum, vel præsentibus tribus hominibus idoneis, et tabulario; nec enim soli tabulario hoc casu habetur fides, licet in orbhorum inventario conficiendo sufficiat *l. Orphanotrophos. Cod. de episc. et cler. Nov.* 131. § *ult.* Sed et in hac causa sufficit tabularius si inventario conficiendo intersint omnes ii quorum interest, sin vero agant peregre, vel omnes, vel ex eis quidam, eorum loco tres testes locupletes adhibentur: et nihilominus reversis peregre de fide inventarii per quæstiones servorum hæreditariorum, qui scilicet rerum notitiam habent, veluti actorum et per jusjurandum hæredis ac testium, inquirere licet. Jusjurandum hæredis omisit postrema editio Novellarum Græcarum, agnovere Basilica, agnovit Vetus interpres, agnovit Haloander, Julianus, Irnerius, quis non? Quod de quæstione servorum ait, ut torqueantur adversus dominos, veritatis inventarii perscrutandæ gratia, confirmatur etiam *l. ult. C. de quæst. l. 1. Cod. de ju. propt. cal. l. ult.* § *Licentia. Cod. de ju. del. Nov.* 48 quo genere inquisitionis si subtraxisse hæres aliquid deprehendetur, nec inventario retulisse, altero tanto amplius hæreditati reputare cogitur, *d.* § *Lic.* Falcidiam non amittit nisi in re legata, si quam forte subtraxerit: denique Falcidiam non amittit ob mala fide confectum inventarium. Falcidiam amittit ob non confectum inventarium, atque etiam de suo solvit legata, quæ superant modum puræ substantiæ defuncti, id est, in quibus plus est quam in eo quod bonis superest deducto ære alieno: nam pura substantia est quæ ære alieno soluta est *l. ult. C. de r. p. Novell.* 22. Alias soluta tributis, *l. Litibus. C. de agr. cens.* Hæc autem facultas inquirendi per tormenta servorum, et per jusjurandum hæredis ac testium, eis tantum datur qui aberant peregre tempore conficiendi inventarii, non his qui erant præsentes, et evocati interesse inventario conficiendo, aut procuratores mittere noluerunt: nam hos evidenter Julianus ait non habere quæstionem de servis hæreditariis, non exigere jusjurandum ab hærede. Ex ea interpretatione Juliani apparet in hac Nov. ἀποκειμένου, non sic interpretandum, Reposito vel reservato, sed Semoto, vel reposito, pro remoto, vel seposito, *l. Si fundo.* §. *Postea. D. de dam. inf.* quod et Nov. indicat aperte, dum data facultate inquirendæ veritatis, subjicit hanc exceptionem. Nisi præsentes legatarii omnes, vel ex eis quidam testato moniti venire, et inventario interesse noluerint. Postea vero Justinianus constituit, ut invito testatore legi Falcidiæ locus non sit. Non potuit olim cavere testator ne lex Falcidia in suo testamento locum haberet, *l. Nemo. D. de leg.* 1. Excipiebantur casus aliquot: unus favore libertatis, *l.* 6. *D. de fid lib.* Nec mirum, cum et favore libertatis Senatus inhibeat Falcidiam, *l.* 33. *D. ad leg. Falc.* Imminuit ergo testator hac in re jus publicum: et certe *d. l.* 6. satis aperte vetat Falcidiam detrahi, dum integrum legatum præstari jubet, et rotum est præceptum favore libertatis, integrum enim sive totum, id est, quod deductionem patitur nullam, *l. 52. D. de leg. 2. Senec. 2. de benef.* Ut beneficia sint illibata, ut integra ad eos quibus promissa sunt perveniant sine ulla quod ajunt deductione. Et vero constat ex *l. 32* § *ult. D. ad l. Falc.* prohibitum videri legatarium, si jussus sit totum quicquid cepisset restituere. Legatarium, inquam, oneratum fideicommisso, qui licet ex persona sua non possit inducere Falcidiam, quam tamen passus est, potest imputare fideicommissario pro rata: qua de causa et Falcidiæ cautionem a fideicommissario accipit, *l.* 1. §. *Sed et legatario. l. Videamus. D. si cui plus quam per l. Fal.* idemque in fideicommissario Pegasiano juris est, *l. Plautius.* §. *ult. D. de cond. et dem. l. Facta* §. *Si Titius. D. ad Treb.* et ita, licet prohiberi non possit hæres deducere Falcidiam, legatarius tamen potest et fideicommissarius qualiscunque, nam et hi suo jure Falcidiæ detractionem non habent, *l.* 47. §. *ult. D. ad l. Falc.* Unum tractant casum, quo jure posset testator vetare Falcidiam, obrepsit et alter. Jam ergo peregi duos. Est et tertius in *l. Si legatus* §. *ult. D. ad Treb.* quo, secundum Flor. scripturam, ostenditur, non quod vulgo existimant; principem hæredem institutum Falcidiam donare debere: sed ex rescripto principis quandoque effectum habere voluntatem privati hominis vetantis deductionem Falcidiæ, etiam alio, quam principe hærede instituto. Pendet quæ in eo tractatur inspectio ex præcedenti, quo docet multum interesse, pars quarta jure hæreditario retineatur an in re vel summa. Nam si jure hæreditario, onera creditorum dividuntur inter hæredem et fideicommissarium: si in re vel summa, omne onus creditorum sustinet fideicommissarius. Inde sequitur alia differentia, Si pars quarta jure hæreditario retineatur, si quid decst, omnimodo supplendum est: si in re vel summa, licet jure id quod deest quartæ repleri debeat, plerunque tamen princeps extra ordinem cogit hæredem scriptum, ut contentus sit ea re vel summa: cum et si hæres jussus sit sine ulla præceptione hæreditatem restituere, nonnunquam extra ordinem condonetur, et remittatur quarta ad voluntatem defuncti, accedente rescripto principis. Et hæc est sententia *d. l. Si legatus.* §. *ult.* At quemadmodum testamento vetari Falcidia secundum regulam juris antiqui non potest, ita nec conventione obligari hæres vivo testatore, ne Falcidia utatur, ut est proditum *l.* 15. §. 1. *D. ad l. Falc.* ad quam Græcorum interpretationem, quoniam mihi magnopere placet, exponam Latine. Si hæres meus voluntate mea caverit ei, qui aliquid accepturus erat post mortem meam donationis causa, se Falcidia non usurum, et pœnam promiserit, nihilominus utatur Falcidia, et pœna non committitur. Stipulatus autem est vel sibi ne ex donatione causa mortis Falcidia retineretur, vel in reni: nihil enim interest, quia nec hoc nec illo modo cavetur recte contra jus publicum. Igitur et si vivo testatore legatarius stipuletur sibi tantum ne ex suo legato Falcidiam retineat hæres, inutilis cautio est, et plus aliquanto hac in specie testamentum quam conventio potest. Nam testamento caveri potest ne ex uno legato deducat hæres Falcidiam, puta ex legato Titio relicto: quo casu ex aliorum legatis plena quarta hæreditatis retinetur, *l. Si in testamento. l. Qui* CCCC §. 1. *D. ad l. Falc.* atque ita voluntas testatoris oneri est ceteris legatariis, non hæredi, ac proinde non refragatur leg. Falc. Idem conventione fieri non potest, ut ceteri legatarii honerentur, *l.* 3 *D. de transact.* nec si voluerit ac curaverit ipse testator eam conventionem interponi, ut in specie *d. l.* 15. §. 1. Post mortem testatoris non constabat olim, sed hodie constat ex Constit. Justiniani valere conventionem ne hæres Falcidia utatur, *l. ult. C. ad l. Falc* quæ fuerat etiam olim sententia Ulpiani. *l. Qui quod. D. eod.* Marcellus cum in eadem sententia forsitan non esset, nec poneret discrimen hac in re inter legem Papiam et legem Falcidiam, agnoscitur in *l. Si patron. D. de don.* qua parte agitur de lege Falcidia apiatus Triboniani sermo congruens meditatæ jam vel usu receptæ sententiæ, *d. l. ult* *Sed magis est ut non possit suæ confessioni obviare.* Confessionem accipit pro cautione Græcorum imitatione, qui ὁμολογίαν dicunt ut in *l. Cum de indebito. D. de prob.* quæ tota etiam est Justiniani, sive quæstoris Triboniani. Cetera etiam in ea parte *l. Si patronus*, sermo ipse prodit satis Justiniani esse. (*) Hodie igitur differentia est inter legem Papiam et legem Falcidiam. Patronus post mortem liberti legem Papiam si omissurum se caverit, non tenetur: debetur hæc portio reverentiæ patroni: idcirco non est arctandus ut eam invitus omittat, etiamsi ita promiserit. Hæres extraneus si se legem Falcidiam omissurum caverit quibusdam vel omnibus, post mortem testatoris, sane tenetur: cessat in eo reverentiæ ratio: et ut sciens, si solverit solida legata, non repetit, ita si caverit, non inducit Falcidiam, non condicit cautionem. Æquitas in paribus causis paria jura desiderat, *d. l. ult. Dispares* tamen eæ sunt causæ in patrono: nam si solverit, non repetit, *l. Patronus. D. ad Treb.* Si caverit, adhuc integrum ei est resilire, et majestatem suam retinere ac tueri. Itaque a solutione ad cautionem non semper est tuta argumentatio, qua Justinianus utitur *d. l. ult.* Puto autem hodie etiam vivo testatore legi Falcidiæ privata conventione derogari posse, cum et fieri hoc possit testamento, *arg. l.* 46. *D. de pac.* Et testamento quidam hoc fieri vult Justinianus nominatim: quod non utique est, facta legis Falcidiæ commemoratione, sed etiam si integra legata hæredem præstare jusserit, vel si in re aut summa certa quadrantem ei constituerit, (ut docui supra) vel si legatarium rem legatam alienare vetuerit, Nov. 119. quæ tamen prohibitio forsitan olim non erat fraudi hæredi, sicut neque fisco vicesimam desideranti. An etiam si hæredem eundemque creditorem testator jusserit creditum compensare cum Falcidia, et plus non sit in Falcidia quam in credito? nam facta compensatione res eo redigitur, ut hæres jure Falcidiæ nihil habere videatur, quandoquidem quod Falcidiæ ratione deducit, jam ei debetur, *l. Cum pater.* §. *Titio. D. de leg.* 2. An ergo etiam non licebit hodie hæredi scripto repudiare testamentum, et ab intestato hæreditatem amplecti, quasi nulla occurrat fraus, concessa testatoribus prohibendæ Falcidiæ potestate? quod non possim introducere, cum absurdum sit ab eo dicere prohibitam Falcidiam qui nominatim eam detrahi jussit, quamvis ita, ut ne detraheretur etiam æs alienum quod defunctus hæredi debuit. Additur in hac Nov. ut qui cœperit quibusdam solvere solida legata, non ignorans vires patrimonii, solvat et reliquis, quasi prima solutione amplecti videatur in omnibus judicium defuncti: quo derogatur *l.* 6. §. *ult. D. ad leg. Falc.* in qua, ultro, legendum non ultra, *l.* 15. §. *Non idcirco. D. eod.* ut Theodorus notat, nec obscure Justinianus significat hac in parte. Itaque valde imminuitur hac Novella potestas legis Falcidiæ: nam neque retinetur ab hærede, qui post interpellationem judicis annum traxit in non implenda voluntate defuncti, neque ab eo qui inventarium non fecit, neque ab eo quem testator retinere prohibuit, neque ab eo qui cœpit quibusdam integra legata solvere. De hærede extraneo loquor: nam liberis, parentibus, patronis non adimitur Falcidia ob contumaciam: non adimitur a testatore nisi ex justa exhæredationis causa, non adimitur ob soluta quædam pro solido legata; receptum etiam est non adimi ob non factum inventarium. Quod Fulgosio displicet: non improbabili ratione, quod cum non fecerunt inventarium, præsumantur amovisse plus satis. Ad hæc quærunt an a testatore hæredi remitti possit confectio inventarii. Et existimarim posse, exemplo inventarii bonorum pupillarium, *l. ult. C. arb. tut.* Explicata totius Novellæ sententia uni-

(*) *Vid. Merill. Variant. lib.* 2. *cap* 32.

versa, adnotemus modo quæ supersunt in contextu, vel observatione, vel interpretatione digna. Ὑπὲρ πρεσβειῶν) πρεσβεῖα Græcis non tantum legata sunt, quæ his qui legatione aliqua funguntur dari solent, sed etiam legata quæ testamento relinquuntur. Cedrenus in Theodosio juniore, αὐτὰ ἔατε λαμβάνειν πρεσβεῖον. Ἀγνωμόνως) Hos ἀγνώμονας, id est, *inderotos et contumaces*. Αὐτὸν μὲν ἀναχωρῆσαι] Hoc vero non significatur repudiatio: nam repudiatione destitueretur testamentum, et confestim vocarentur hæredes legitimi; sed hoc significatur, ut adita hæreditate abest is qui plenam fidem in solvendis legatis defuncto non exhibet, quo casu non statim vocantur legitimi, sed substituti primum, deinde cohæredes, legatarii, et ceteri secundum ordinem hujus Novellæ. Ἀνήβοις) Hac de re tractavi in *l. Ait prætor*. §. *Item si non provocavit. D. de minor.* Εἴτε στρατιωτικοῦ) Priori parte hujus Novellæ tenetur miles, qui non obtemperat voluntati testatoris, et posteriori etiam, qua nunc vetat Falcidiam deducere hæredem contra voluntatem testatoris, sed non quatenus multat Falcidia hæredem, qui inventarium non fecit; nam ut omissio inventarii non obligat militem solido æri alieno, *l. ult.* §. *ult. C. de jur. delib.* ita nec solidis legatis. Puto etiam ignoscendum esse militi, qui ignoratione legis Falcidiæ quibusdam solvit integra legata.

Εἴτε βασιλικοῦ) Cæsarianum interpretor; sive officialem Cæsaris, ut illo Evangelii loco, καὶ ἦν τις βασιλικός, qui ab Hieronymo palatinus, a Nazianzeno dicitur βασιλισκός cogente versu, Εἴτε καὶ υἱὸς ἄνουσας ἔχη κάρνειν βασιλικοῦ. Τῶν μητροπόλεων ἄρχοντες) Illi sunt præsides provinciarum, quia in metropoli provinciæ habitant *l. Absur. D. ex quib. caus. maj. l.* 3. *pen. D. de dam. inf.* ubi urbem metropolin Basilicæ interpretantur rectissime.

NOVELLA II.

De electione secundo nubentium, et de successoribus earum, et de usufructu donationum propter nuptias, et aliis capitulis.

Difficilior est ceteris omnibus, et habet capita IV. aut V. De primo primum dicam. Mater proprietatem rerum donatarum propter nuptias, quas morte viri lucrata est, si secundo viro nubat, servare debet liberis ex priori matrimonio susceptis, id est, alienare ea eis vel obligare nihil potest: dividere tamen res quæ sunt ex ea donatione inter filios potest, imo et unum ex filiis eligere, et in eum totam donationem conferre, *l.* 3. *l. Generaliter*. §. *Dividendi. C. de secund. nupt.* Hanc electionem Justinianus tollit hoc capite, et *Nov.* 22. Sustulerant et eam ante Leo et Majorianus *Nov. de sanctimonial. et viduis*, itemque Leo et Severus, *Nov. de abrog. cap.* Hodie igitur commoda donationis propter nuptias uni ex liberis largiri mater non potest, sed ea debet servare liberis omnibus. Eadem dicimus de viro, ut mortua prima uxore si secundam ducat, dotem quam morte mulieris lucratus est servet liberis primarum nuptiarum, nec possit in ea ne unum quidem ex liberis ceteris anteferre. Et hoc est quod præcipue primo capite hujus Nov. continetur, non esse parenti jus eligendi unum ex filiis in quem lucrum nuptiale transferat in solidum, sed id ex æquo esse servandum liberis omnibus, abrogato d. §. *Dividendi*. Falsum est etiam abrogari *l. In quibus C. de sec. nupt.* quoniam ea lex non dat electionem matri quæ lucrata est donationem propter nuptias, ut cedat eam cui volet ex liberis, quam electionem hæc Nov. adimit matri: sed dat electionem filio prioris matrimonii, ut partem quam habet in donatione propter nuptias transferat in quem volet liberorum suorum, nepotum matris: quam electionem hæc Nov. non adimit filio: qui absque dubio eandem transferet etiam in quem volet fratrum, et si volet præferet fratres filiis. At quid si conjux superstes non trahat secundas nuptias? Jure veteri alienandi jus habet: ergo plenam proprietatem lucrorum nuptialium, *l. Generaliter*, §. *ult. l. Hac edictali*. §. *ult. l. Si quis prioris*. §. 1. *C. de sec. nupt.* Hodie non habet proprietatem ex *Nov.* 98. Itaque sive ad alias nuptias venerit sive non venerit, dotis tantum vel donationis propter nuptias usumfructum habet, proprietatem liberis servat: quod et Novellis superioribus Majoriani et Severi comprehensum est. Imo ex *Nov.* 127. et Leonis 22. præter usumfructum, hoc amplius habet qui nævo abstinet secundis nuptiis, portionem virilem in lucris nuptialibus pleno jure, et hanc alienare potest. Reliquarum, vel etiam omnium, cum secundæ contrahuntur nuptiæ, alienatio an sit irrita videamus. Et hæc Nov. itemque 22. constituit irritam esse, si parenti supervixerint liberi: contra, si parens liberis supervixerit, omnino irritam non esse. Interim igitur in pendenti esse. Nam si parens liberis supervixerit, et liberis hæres extiterit, alienatio non revocatur: sicut si venditor rei alienæ domino rei venditæ hæres extiterit, eam rem jure hæreditario ab emptore vindicare non potest, id est, adversus factum suum controversiam movere non potest. Si liberis parens hæres non extiterit, ut quia extraneum liberi testamento hæredem scripserunt, portione legitima relicta parenti, vel quia parentem justa ex causa exhæredaverunt, alienatio valet ad finem modumque ejus quod in casum ἀπαιδίας id est, *orbitatis*, lucrari parens qui alienavit debuit: reliquum revocatur ab hæredibus liberorum defunctorum. Et hoc jam se antea constituisse Justinianus profitetur hac *Nov. et* 22. *et* 68. non Constitutione *l. Corruptionem. C. de usufr.* ut pessime notat Accurs. sed Constitutione Græca, quæ desideratur in tit. de sec. nupt. Græci adnotant esse ejus tit. l. 14. Dotis, vel donationis propter nuptias lucrandæ pro parte, vel in totum, casus ii sunt, divortii, mortis, orbitatis, sive mortis liberorum; inde casus absolute pro lucro nuptiali, *l. ult. C. de ju. dot.* casum lucretur, casus redhibitionem stipuletur, et casus dotis *Nov.* 123. ut casus militiæ pro lucro, quod ex militia defuncti obvenit hæredibus ejus aut liberis. Sed dubitabatur adhuc an ei si nihil ex lucris nuptialibus alienare possit conjux superstes, qui secundis nuptiis abstinet, præter portionem virilem, possit tamen unum ex filiis eligere: ita videtur. Nam alienatio tantum adempta ei est, non electio: at ita etiam divortio soluto matrimonio, nec contractis secundis nuptiis, ei cui obvenerit casus, alienatione tantum interdicitur, non electione *l. Consensu* §. *Si vero filio. C. de repud.* ut recte Hugolinus atque Azo quæ in illa conceditur electio, eam existimaverunt hac Novel. non adimi: nam et de casu mortis hæc Novella est, non de casu divortii.

Secundum caput hujus Nov. hoc est, ut succedat mater filio. Qua in re separanda sunt lucra nuptialia, quorum proprietas pertinet ad filios, ab filiis filii defuncti bonis. Liberi defuncti præferuntur matri in omnibus bonis: fratres vel sorores defuncti præferuntur matri in lucris nuptialibus. In aliis bonis ita distinguimus: aut in viduitate permansit mater, aut nupsit secundo marito. Si in viduitate permansit, filio pleno jure succedit ex testamento vel ab intestato: sed ab intestato: cum sororibus, id est, filiabus suis in semissem, ex S. C. Tertulliano: cum fratribus in virilem, ex *l. ult. C. ad Tert.* Imo et hodie cum sororibus in virilem tantum ex *Nov.* 22. Si iterum nupsit; aut nupsit ante mortem filii aut post mortem: si post mortem, pro sua parte bona filii adventitia pleno jure capit, bona profecta a patre ususfructus tantum jure, proprietatem fratribus vel sororibus defuncti, filiis suis, servat *l. Mater. C. ad S. C. Tert.* Si ante mortem filii, in omnibus bonis filii tam adventitiis quam profectitiis pro parte virili ab intestato, vel pro parte testamento adscripta usumfructum dumtaxat habet, *l. Feminæ*. §. *ult. C. de sec. nupt.* Hæc distinctio temporis, et pœna secundarum nuptiarum, et separatio bonorum profectitiorum ab adventitiis hac Nov. tollitur, abrogata nominatim *d. l. Mater*, et *d. l. Feminæ*. Ergo ex hac *Nov.* mater ab intestato succedit filio cum fratribus, vel sororibus in virilem pleno jure in bonis adventitiis et profectitiis, sive in viduitate permanserint, sive ad secundas venerit nuptias post mortem, vel ante mortem filii: et merito. Nam et pater indistincte filio succedit, sive duxerit secundam uxorem, sive non. At rursus *Nov.* 22. tollitur quidem distinctio illa temporis ante vel post mortem filii, sed reducitur bonorum differentia, et pœna secundarum nuptiarum: ut in bonis profectis a patre, ab intestato usumfructum tantum habeat mater quæ iterum nubit, in ceteris plenam proprietatem. Coluit nascens ecclesia viduas: secundas nuptias permisit potius, quam probavit Greg. Naz. τὸ πρῶτον συνωριστὸν νόμος, τὸ δεύτερον συγχώρησις, τὸ τρίτον παρανομία, τὸ τέταρτον χοιρώδης βίος. Et inde tot Christianorum Imperatorum de coercendis secundis nuptiis constitutiones, et quia prioris mariti memoria obliteratur, et liberis prioris matrimonii debita non servatur affectio: quod tantum abest ut probarint legislatores qui Christiana religione imbuti non fuerant, ut constituerint pœnam viduitatis, quod viduvium dicebant, et cœlibatus uxorium. His cognitis exponamus speciem quæ huic Nov. causam dedit. Gregoria quædam ex prioribus nuptiis suscepit filium et filiam, et morte mariti lucrata est donationem propter nuptias: deinde cum alteri nondum nupsisset, filio donavit quicquid ceperat ex donatione propter nuptias, retento usufructu: tum mortuus est filius intestatus etiam adhuc vidua matre, eique mater et soror ex æquo hæredes extiterunt. Quod congruit veteri et novo juri. Nam et novo jure, id est ex *Nov.* 22 mater cum sorore vocatur in semissem, cum duabus aut tribus sororibus æque olim ante Nov. 22. vocabatur in semissem, ex *Nov.* 22 in virilem, id est, cum duabus in trientem, cum tribus in quadrantem, sicut et cum fratribus. Ei igitur mater et soror omni jure æquis partibus hæredes extiterunt, nec dum ulla inter eas controversia versabatur: sed post mortem filii mater nupsit alteri; hinc nata est controversia. Filia enim quod mater iterum nupserit, vindicat proprietatem rerum matri donatarum propter nuptias, et a matre translatarum in fratrem, non pro semisse pro quo hæres extitit fratri, sed in solidum; quia ex Constitutionibus positis sub titulo de sec. nupt. muliere iterum nubente proprietas donationis propter nuptias devolvitur ad filios prioris matrimonii, qui superstites sunt, usufructu matri relicto. Et sane hoc etiam mater non negat, sed dicit se res donatas propter nuptias, jam non possidere jure donationis propter nuptias: hanc se possessionem, et jus omne suum transtulisse in filium, idque se etiamsi tum nupsisset alteri viro, quamvis fructuarium potuisse facere ex *d. l. Generaliter*. §. *Dividendi*; nunc mutata causa possessionis se eas res possidere jure hæreditario, quasi bona filii intestato defuncti. Defensio matris legitima videtur. At ex diverso sic illam filia impugnat. Imo ne jure quidem hæreditario, o mater, quicquam proprietatis jure quasi hæres fratris mei habere potes in bonis e patre profectis, quales sunt res illæ tibi donatæ propter nuptias, quas fratri donasti totas, *l. Mater. C. ad Tertul.* quia viduo lecto discessisti post mortem fratris: ideoque debes mihi bonorum omnium fratris a patre profectorum proprietate cedere, et tibi usumfructum retinere: bonorum adventitiorum pro semisse plenam proprietatem ad te pertinere concedo. Pronuntiari debuit pro filia. Sed potest princeps etiam pendenti negotio novam legem dare, *l.* 7. *C. de legib.* Et vero hac etiam in causa cum Gregoria libello adiisset Imperatorem Justinianum, intelligens se nisi novo quodam et extraordinario jure superiorem in ea lite non futuram, Justinianus ita nova pronunciavit, quod pro lege generali est, partim pro filia, partim pro matre, res omnes quæ sunt ex donatione propter nuptias ad filiam pertinere, nec potuisse matrem filium eligere, in quem eas res fraudata filia in solidum conferret: idcirco natutam donellinus pro-

pter nuptias eas res non exuisse propter electionem matris. Ceterum in aliis bonis tam profectitiis quam adventitiis matrem filiu pro semisse ab intestato pleno jure succedere. Sed hoc postremum mutat *Nov.* 22 restituto jure antiquo, secundum quod Gregorio quia iterum nupsit, in bonis profectis a patre filio ususfructus tantum jure successit. Itaque hodie omnimodo pronuntiandum esse secundum electionem filiæ.

Sequitur tertium Nov. caput. Morte soluto matrimonio parens superstes lucrorum nuptialium usumfructum habet, proprietatem servat filiis: si nulli sint filii, plenam proprietatem habet. Item si qui erant filii sine liberis prius moriantur quam parens, ex Constitutione Leonis parens plenam proprietatem habet, *l. Hac edictali.* §. *His illud.* *l. de sec. nupt.* quod postea correxit Justinianus Constitutione Græca, quæ desideratur in fine tit. *de sec. nupt.* ut diximus supra. Voluit enim ad hæredes defunctorum filiorum pervenire proprietatem lucrorum nuptialium, etiam extraneos testamento scriptos, deducto eo quod in casum orbitatis parentem lucrari convenit, quod etiam pro rata observatur uno ex pluribus filiis ante parentem mortuo: nam pars quæ ei competebat transit ad hæredes ejus, sive fratres sint, sive extranei, deducto tantum eo pro rata, quod apud parentem ex casu orbitatis sive mortis liberorum remanere debet: quod hæc *Nov.* confirmat, et 22. et 68. et 98. Sed exponamus etiam cetera quæ sunt in ea Leonis Constitutione. Aut donatio propter nuptias consistit in rebus mobilibus aut immobilibus: si in rebus immobilibus, mater eis utatur fruatur viri boni arbitratu, nec poterit alienare: si in mobilibus, eas juratus arbiter, quam utraque pars edidorit, æstimabit, æstimatio possessorem dominum faciet, *l.* 1. *D. de æstim. act. l. Plerumque. D. de jure dot.* quia liberabitur restituendo æstimationem. Corpora ergo ipsa rerum mobilium alienare poterit. Sed quis erit possessor? Mater si satisdederit salvas res fore, et se eas quandocunque decesserit filiis superstitibus restituturam: et adjicitur in Const. Leonis, Secundum legum modum: et inferius, Secundum legum moderationem: quod videtur adjectum a Triboniano propter Constitutionem Justiniani, quæ deduci vult id quod ex casu mortis liberorum mater lucratur. Eandem a matre satisdationem exegerat Majorianus, sed non Severus. Quod si mater noluerit aut non potuerit satisdare, tum eas res æstimatas filii quasi domini possidebunt, si modo et ipsi de utroque satisdederint, et se in annos singulos matri præstaturos usuras trientes æstimationis totius: ut si mille æstimatæ fuerint res mobiles donatæ propter nuptias, se quotannis præstaturos 40. et si priores decesserint, reddituros se matri superstiti res omnes, vel pretium earum. Sed hic etiam adjicitur, Secundum legum moderationem propter Constitutionem Justiniani, Satisdabunt ergo hodie se reddituros res omnes quas ex casu ἀπαιδίας mater lucratur, ceteras transmittent in hæredes suos. Quid vero fiet si neque mater neque filii satisdare velint? Et Leoni placet matrem præferri filiis in administratione et possessione earum rerum, sicut utroque satis offerente verum est matrem præferri. Sed hac etiam in re hunc modum Constitutioni Leonis hac Novella Justinianus adjicit, ut si in rebus immobilibus consistat donatio propter nuptias, valeat Constitutio Leonis: si in pecunia, et pecuniarum satis sit in hæreditate, ut valeat etiam Constitutio Leonis, id est, ut mater eligat quid malit pecuniam præstita satisdatione, an usuras trientes. Sed si non sit in hæreditate præsens parataque pecunia quæ mulieri adnumeretur, ut tum pecuniam non exigat, sed contenta sit usuris trientibus. Est vero mendum hac in parte illo loco ἐν κτήμασιν, et legendum ἐν χρήμασιν, ut vetus interpres legit, et repetitur *Nov.* 22.

Ultimi capitis Constitutio hæc est, ut morte mariti soluto matrimonio, mulier quæ dotem cavit nec dedit, non lucretur donationem propter nuptias, et ut si partem tantum dedit ex dote, partem tantum lucretur ex donatione propter nuptias. cui hæc additur exceptio, *Nov.* 81. Nisi per maritum steterit quo minus dotem acciperet: quia propter moram mariti dos non data pro data habetur: non tamen et dos repetitur, quæ promissa tantum fuit non data, nisi fuerit cautum instrumentis dotalibus dotem datam esse, et non opposuerit maritus exceptionem non numeratæ dotis intra constituta tempora, *l. ult. C. de dote cau. et non num. et Novell.* 100. quæ male Accursius putat corrigi per hanc Novellam. Julianus adnotavit quædam capita hujus Novellæ transformata esse per *Nov.* 36. Ea nobis est 22. nam non eundem servat ordinem Julianus (nam nec ullus est certus) quem nos sequimur. Ea vero sunt capita de successionibus matrum, quæ jam exposuimus supra. Ἀποβάλλειν τὸν συνοικήσαντα) Eleganter vetus interpres, *Excludere maritum.* Mart. 4. Epig. *Omnes quas habuit Fabiane Lycoris amicas Extulit*, et 5. *Ergo conjugem extuli*, et 3. *Extuli inquis uxorem*, *Dat. xv.*) Legendum XVII. ex *Nov.* 22

NOVELLA III

De Clericis Constantinopolitanis.

Lex est specialis de clericis Constantinopolitanis. Generalem eodem die tulit de episcopis, et clericis, et diaconissis: ea est *Nov.* 6. Male Accursius arbitrator esse *l. Non plures. C. de sacr. eccl.* quæ non est Justiniani, et non de clericis, sed de decanis, de quibus *Nov.* 43. Ea igitur lex generalis est *Nov.* 6. quæ ubique gentium clericos ad veterem numerum ab ecclesiarum ædificatoribus institutum, et bene commensum cum facultatibus, quas eisdem ecclesiis donabant, redigi jubet, nemine allecto in locum defunctorum, quoad is ordo suo numero restitutus fuerit. Et merito. Quia enim ecclesiarum ministeriis clerici adscribuntur, et earum sumptibus aluntur, æquum est clericorum allectionem non facere episcopum supra quam ecclesiæ facere, et sumptibus sufficere possint. Videtur quidem ea esse specialis, ut hæc, non generalis, si in ejus §. *pen.* legas, τούτῳ τῷ ἰδικῷ νόμῳ. Sed vetus interpres legit multo melius, ταῦτα τῷ ἰδικῷ. Loquitur enim de clericis Constantinopolitanis, quorum se numerum sit speciali lege definisse, hac scilicet *Nov.* III. in cujus initio etiam melius legitur γενικῷ, quam ἡγεμονικῷ, cui mos opponit ἰδικόν. Cum vero utraque Nov. eundem diem subscriptum habeat, tam generalis illa quam specialis hæc, hujus initium tale esse debet. Jam quidem communi et generali lege, non, Jampridem vel dudum. Porro clerici sic definiuntur. Qui divino cultui ministeria religionis impendunt, *l.* 2 *C. Th. de episc. et cler.* quæ lex Græce translata extat Eusebii x. hujusmodi sunt Presbyteri, diaconi utriusque sexus, subdiaconi, archidiaconi, lectores divinæ scripturæ, exorcistæ, ostiarii, psaltæ, et Hermiæ lib. v. ὑποβολεῖς, id est, *monitores*, vel potius *interpretes*, ut apud Nicetam, qui omnes ministri etiam Christianæ legis dicuntur in Constitutionibus. Sacerdotes autem soli episcopi, *l. Nec honore. l. Parabolani. C. de episc. et cler.* qui orationi et ministerio verb. vacant: a clericis separantur juvenes in *l.* 10. *C. Th. de epis. et cler.* Hi sunt qui dicuntur acoluthi, qui corrupta clericis adjunguntur, *l.* 6. *C. de episc. et cler.* nam certe illo loco veteres libri non habent, Et acoluthos. Hi solebant cereos et funalia deferre, ut *Nov.* 59. indicat, dum vetat acoluthos cerarium exigere ab hæredibus defunctorum. Ordinantur autem clerici omnes per episcopum in singulis ecclesiis certo numero. Copiatæ quoque sive decani ab episcopis ordinantur certo numero, *d. l. Non plures*, itemque parabolani, *d. l. Parabolani.* Hi sunt qui ad curanda debilium ægra corpora deputantur: ut illi, quod in labore funerario, sic dicti hi quasi temerarii, quod in periculis sæpe non parvis versentur frequenti ægrotorum contactu: eadem nimirum forma rationeque qua bestiarii Julio Firmico Matheseos VIII. parabolarii sunt, et Socrati paraboli: nihil autem refert parabolanos diceris an parabolarios: idem enim utraque locultur appellatione, et habet utraque auctores. Sed et acoluthi, et copiatæ, et parabolani quasi quodammodo sunt clerici, ministeria nimirum ecclesiæ: et de copiatis est locus, quo approbari hoc videtur in *l.* 1. *C. Th. de lus. col.* Proprie tamen cum clericos dicimus, acoluthos, copiatas, parabolanos non dicimus. Ceteri qui nullum habent (ut loquuntur) clericorum σχῆμα, plebei appellantur, idiotæ, laici, mundani, quæ distinctio Christianorum vetus est, licet si generaliter rem tractes, omnes simus clerici, omnes sacerdotes. *Differentiam*, inquit Tertullianus, *inter ordinem et plebem constituit ecclesiæ auctoritas*: et alio loco: *Cum extollimur et inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes, quia sacerdotes nos Deo et patri fecit.* Quod autem inter clericos lectores nominavi, ei videtur obstare Chalcedonensis synodi c. XIII. nisi ex Zonara legatur in eo pro ἀναγνώστας, ἀγνώστους, ad quem modum corrigendus etiam est apud Gratianum *c. extraneo, dist.* 71. Sed et apud Zonaram Apostolorum c. XII ἀγνώστους legendum, non ἀναγνώστας. De diaconissis sequitur ut dicamus aliquid. Viduæ anus erant quædam quibus pauperum et carcere vinctorum cura, et pleraque alias pietatis officia commendabantur: nam vel (ut Lucianus fateri conatus est in Peregrino) quoties quis carcere continebatur videre erat ad carcerem περιμενοντα γραίδια, χήρας τινάς. Et adhibebantur etiam eæ ad ministeria sacra perinde ac diaconi, ut constat ex *Nov.* VI. πρεσβύτιδας sive προκαθημένας vetat in ecclesia constitui Laodicenæ synodi cap. XI. Fuere tamen et canonicæ, *Nov.* 43. et 59. et Nicenæ 2. cap. 20. sicut canonici psaltæ Laodicenæ synodi cap. 15. Ceterum hac Nov. Justinianus certum constituit numerum diaconorum utriusque sexus, et omnium clericorum, et quidem ampliorem quam fuerit initio in majori ecclesia Constantinopoleos (quam sanctam Sophiam nuncupant) propterea quod uxta ei postea fuerat ædes trium sacra condita a Constantino (ut Socrates scribit) et alia condita a Verina uxore magni Leonis, et alia quædam condita ab Sporatio, qui consulatum gessit sub Valentiniano et Martiano, quibus serviebant clerici majoris ecclesiæ. Idcirco augeri par fuit clericos majoris ecclesiæ auctis facultatibus connexione ædium illarum; et hunc ipsum numerum etiam post, quasi minus idoneum auxit Heraclius, auctore Photio, Nomocanonis tit. I. Atqui septem diaconi tantum, quantumvis magna sit civitas, creari jubentur Neocæsar. synodi cap. XIV. quod explicatur sextæ synodi in Trullo cap. 16. ita ut septem illi fuerint ἀγαπῶν tantum ministri, id est, mensarum quæ apponebantur egenis, viduis, orphanis, quæ conviviis agitabant domi, non in templo, adhibitis precibus divinis, et erant pleraque sumptuosa, unoquoque dante symbolum. δεῖπνα ποικίλα Lucianus vocat; Tertullianus lucrum esse pietatis nomine sumptum facere. Diaconi de quibus agitur hac Novella et aliis canonibus ministri sunt sacrorum quæ in templo peraguntur functionum. Constituitur etiam hac Nov. ne clerici ex una ecclesia in aliam migrent, sicut de monachis alibi, ne ex uno monasterio in aliud transeant: quod et multis canonibus cautum est, quos Photius collegit Nomocanonis 1. c. 26. Notandum etiam illud est, actores sive dispensatores ecclesiæ, quos vocat œconomos, annonas clericis præbere, et quod superest erogare pauperibus: Τῶν ὑπὲρ τὸν ἀριθμὸν) Vulgo, *supernumerariorum.* Tacitus, Tranquillus, Plinius modo Super numerum, modo Supra numerum. Ἀντὶ τῆς περὶ τὴν τροφὴν χορηγίας) Sensus est, clericos quibus ecclesia non constituit et præbet annonas, omnem excogitare et amplecti rationem, sive honestam sive inhonestam, pecuniæ quærendæ: et hoc ideo ne eveniat, non esse creandos clericos sine annonarum idonea collatione: quod et canones approbare docui *Feudorum* 1. *tit.* 1.

NOVELLA IV.

De fidejussoribus et mandatoribus, et pecuniæ constitutæ reis.

Lex fuit vetus, prius esse conveniendum debitorem pecuniæ creditæ quam accessiones: quo jure semper usus est fiscus, *l. Moschis. D. de ju. fis. l. 1. C. de con. fi. deb. l. 5. C. de sent. et interl. jud.* ut resp. in conveniendo magistratu prius quam fidejussore. *l. 3. §. ult. D. de adm. rer. ad civit. pert. l. Libertus. §. Filium. ad municip.* Privati eo jure uti desierunt. et cœpit Constitutionibus dari electio creditori conveniendi reum principalem, vel accessiones, vel possessores hypothecarum, nisi aliud convenisset, *l. 14. et 24. C. de pign. l. 2. et 5. C. de fidejus.* vel omnes simul eodem tempore, in solidum aut divisis actionibus, *l. ult. C. de obl. et act. l. 3. §. ult. D. de duob. reis, l. Grege. §. Etiam. D. de pign.* quia et variare potuit atque non electo ad alium transire, *l. 21. et 23. l. ult. C. de fidejus. l. Qui mutuam. D. mand.* hac Novella reducitur jus antiquum, ut prius, conveniatur reus principalis personali actione, quam accessiones, ut et prius agatur personali adversus reum et accessiones, quam hypothecaria adversus extraneum possessorem hypothecarum: et prius adversus extraneum possessorem rerum principalis debitoris, quam adversus extraneum possessorem rerum accessionis electæ extraneum possessorem: nam adversus dominum creditor egit quacunque vult actione, vel etiam utraque .i. personali simul et hypothecaria. Et ab hac definitione, §. *ultim.* et *Nov.* 136. excipiuntur soli argentarii, qui ex causa accessionis prius conveniri possunt quam reus principalis. Nec quidquam ei adversatur *Nov.* 112. in cujus specie creditor videtur egere hypothecarie prius quam personali: quod est aperte falsum: Egit namque prius personali lite pendente a debitore pignore vendito, deinde licet ei etiam cum emptore experiri hypothecaria. Nihil igitur opus hodie est pacto caveri ut fidejussor in id tantum teneatur quanto minus a debitore servari potuerit: nam ipso jure ita se res habet. Sed quemadmodum cum ita conveneret olim, agi prius potuit cum fidejussore, non tamen inexcusso reo, *l.* 116. *D. de verb. obl.* ita hodie prius agi cum fidejussore potest, sed non inexcusso reo. Excuti reus potest etiam sine judicio. Huic Constitutioni adjicit Justinianus distinctionem talem, ut ei sit locus reo præsente, id est, ut tum conveniri eum excutique priorem oporteat cum præsens est: ceterum reo absente, vocari in judicium accessio potest, sed non cogitur tamen statim litem contestari. Nam petenti dilationem dari ad exhibendum reum, et non exhibito reo, tum demum judicio accepto, compelli accessionem solvere, si modo creditor suis ei prius actionibus cedat. Et hæc de priori parte hujus Nov. Sequitur posterior. Quæstio est, an creditori aliud pro alio solvi possit. In aliis contractibus indistincte dicimus aliud pro alio non solvi, nisi volenti: in mutuo aliud specie idem genere solvi, ut pro aureis aureos eodem numero, pro tritico triticum eadem mensura: denique non in eadem, sed in simili re solvi *l. In nave. D. loc.* Aliud genere invito creditori, sive dissimilem rem solvi non posse, veluti pro pecunia oleum, nisi ita convenerit, *l. Eo quod. C. si cert. pet. l. 10. 16. 17. C. de solut.* Quin et pro auro non solvi argentum invito creditori: sed si aurei dati sint, aureos esse reddendos, et liberari debitorem reddendo aureos, sive aucta sive diminuta sit eorum æstimatio, *l. 2. C. de vet. num. pot.* Plinius 33. cap. 3. *Constitutum,* inquit, *ut asses qui librales erant sextantario pondere ferirentur, ita quinque partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum.* Igitur par est hac in re conditio creditoris et debitoris, sicut in aliis plerisque causis. Si volenti creditori pro pecunia solutus sit fundus, et minoris cum creditor vendiderit, quanto minoris vendiderit repetitionem creditor non habet, contra si pluris vendiderit, debitor etiam quanto pluris creditor vendiderit repetitionem non habet, *l. pen. C. de solut.* ac similiter quemadmodum creditor non cogitur pecuniam pro frumento accipere, ita nec debitor dare, *l. Sed et idem. §. Si dominus. D. locat.* et ut creditor in aliam formam non cogitur nummos accipere, *l.* 99. *D. de solutionib.* ita nec debitor dare: ut si aureos acceperit et, aureorum imminuta sit potestas, aureos reddendo debitor liberatur, etiamsi nunc censeantur aliquanto mineris. Quid si credendo æstimati fuerint? Æstimatio forsitan electionem debitori dabit, non creditori, *l. Plerumque. §. ult. D. de jur. dot.* Igitur vel reddet eo casu debitor aureos, vel in aliis nummis non reprobis parem quantitatem. Quid dicemus si certum auri pondus mutuo datum sit, utrum reddetur integra materia, an et pecunia numerata? Certe constat legato vel donato certo pondere auri: vel materiam vel æstimationem solvi, *l. 1. §. ult. l. Cum aurum. l. Titiæ. D. de aur. et arg. leg. l. Si quis argentum. in princ. C. de donat.* quia scilicet quantitas videtur donari vel legari, cum non designatur certum corpus: at in mutuo certum corpus intervenit: detur enim certa auri materia mutuo. Sicut igitur dato frumento, non cogerer pecuniam accipere: ita data certa materia auri non cogar pecuniam accipere, nisi aliud actum sit, multo minus pro pecunia fundum. Unus tantum casus hac Nov. proponitur, quo Justinianus vult creditorem cogi prædia accipere in solutum pro pecunia numerata. Casus hic est: Creditor pecuniam dedit Titio, et ob eo neque fidejussores neque pignora accepit: repetit pecuniam: non est præ manu, nulla etiam est in promptu res mobilis quæ pro pecunia accipi possit: volenti enim liceret mobilia accipere pro pecunia: (lego *mobilia*: non *immobilia*, κινητά, non, ἀκίνητα et ita legisse Julianus videtur) finge tamen esse prædia in bonis debitoris, verum ea creditorem nolle in solutum accipere: quid fiet? Aut invenitur prædiorum emptor, aut non invenitur. Si invenitur, ei debitor vendere, et ex pretio creditori satisfacere compellitur: cavere autem debet emptori de evictione. Male Julianus et Interpres cavere eum creditori, se ex pretio redacto ex venditione pecuniam debitam soluturum. Nam ut sequenti casu cavetur creditori quasi emptori, ita sane hoc casu cavendum est emptori. Sequens casus hic est. Si non invenitur emptor, quo casu anon creditor prædia pro quantitate debiti in solutum accipere cogitur, cautione evictionis nomine creditori præstita: nam in solutum datio venditionis speciem habet *l. 4. C. de evict. l. Eleganter. in princ. D. de pign. act.* Nec tamen erit hæc cautio, repromissio, ut in emptionibus solet, sed ut arbitratu judicis satisdatio: propterea quod quasi quodammodo invitus creditor emit, dum invitus prædia accepit pro pecunia: idcirco æquum est ab evictione securiorem eum reddi. Nam ut pro eodem incommodo hoc ei dat Justinianus, ut eligat prædia quæ volet in solutum: nisi si ecclesia debitrix sit, quo casu mediocria accipiuntur in solutum, non meliora. *Novella* 120. Sed et invento emptore, ei arbitratu judicis satisdatur de evictione: quia hoc se remedio debitor ære alieno ac forsitan pœna gravi liberat. Neque vero illud iniquum videri debet, ut invitus creditor pro pecunia res immobiles in solutum accipiat, cum ad extremum debitori liceat cedendo bonis et ejurando bonam copiam evitare carcerem, ex l. Julia. Sed ea cessio quodammodo injuriosa est, ut hoc loco ait, et *Nov.* 3. *et* 135. licet ipso quidem jure nullam irroget infamiam, *l. 11. C. de ex quib. caus. infam. non irr. l. ult. C. qui bon. ced. pos.* ideoque benignius est in solutum dari prædia pro quantitate debiti, quo genere vitabitur carcer perinde ac cessione bonorum. Olim in carcerem ducebatur debitor, nisi bonis cederet: hodie non ducitur etiamsi bonis non cesserit, modo prædia habeat unde satis fieri creditori possit, ni specialiter nexuerit se carceri. Differentia alia est inter cessionem bonorum et dationem bonorum in solutum in *l. 4. Cod. qui bon. ced. pos.*

Νόμων παλαιῶν) Non est quærenda hæc vetus lex in Pandectis, vel C. vetustissima enim est, et forsitan xii. Tab. M. Tull. xii. ad Att. demonstrat sponsorem .i. fidejussorem conveniri non posse, si reus locuples sit. *Quod scribis*, inquit, *a Junio te appellatum, omnino Cornificius locuples est.* Appellatus fuit Atticus quasi procurator Ciceronis, qui pro Cornificio fidejusserat: Cicero scribit non debuisse appellari, quod idoneus fuerit debitor principalis. Et alio loco: *Quod pro Cornificio me spopondisse dicit Flavius, etsi reus locuples est tamen velim investiges ex consponsorum tabulis sit ne ita.* Et lib. xvi. *Postumus ut sponsores appellentur procuratorem introducere, neque enim illi litem contestabuntur: quo facto non sum nescius, sponsores liberari.* De Dolabellæ nomine loquitur, quod cum non dissolveret Dolabella Ciceroni, dicit se per procuratorem sponsores ejus appellare posse: quanquam, Dolabella scilicet existente locuplete, ad judicium accipiendum compelli utique non possint, atque adeo translato judicio ad procuratores Dolabellæ, ipsi sponsores liberentur. At si nulli sint procuratores debitoris, nec debitor præsens, sponsor autem sit præsens, recepto, veteri illo jure ambigi poterat, quod et de eo jure tractans Papinianus attigit, ut hic Justinianus refert: (illum enim Papiniani locum si quæsieris in Pandectis, in quo ejus juris nulla sunt relicta vestigia, frustra facris diligens) ambigi, inquam, poterat an saltem eo casu, absente scilicet reo, prius cum fidejussore experiri liceret: quod hac Novel. Justinianus definivit plane bene. Ἐγγυηταῖς καὶ τοῖς τοιούτοις βοηθεῖν ἐᾶσον) M. Tullius xvi. ad Atticum. *Sponsores appellare, videtur habere quandam δυσωπίαν.* Ταυτὸν δ' ἐστιν εἰπεῖν) Locus est difficilis, quem enodavi accuratius Observat. 6. cap. 19. quam fecerit Accursius, qui hac clausula putat ea quæ superius dicta sunt de mandatore, fidejussore, sponsore, trahi ad similes personas, veluti ad reos constitutæ pecuniæ, cum sponsor, vel potius responsor (sic est corrigendum in veteri translatione) idem sit quod reus constitutæ pecuniæ, ut et Martino videtur, quem ἀντιφωνητὴν Græci vocant, et Constitutum ἀντιφώνησιν, ἐπιφώνησιν. Hic obligatur jure prætorio ex contractu, est enim constitutum simile recepto, quod erat contractus. Fidejussor et mandator obligantur jure civili, hic ex contractu juris gentium, ille ex contractu juris civilis, id est, ex stipulatione. Ad expromissores non pertinet hæc Novella, quia accessiones non sunt: expromissore enim dato reus liberatur. Male Accursius definit sponsorem eum esse qui non rogatus pro alio fidejubet: nam fidejussor quilibet sponsor est, M. Tullio, et Paulo nostro in Sententiis. Καὶ οὐ τοῦτο μόνον ἐπὶ δανειστῶν) Proprie creditores sunt qui pecuniam mutuam dederunt, tam Græcis quam Latinis: et similiter qui eis respondent debitores sunt, qui ex causa crediti debent, *l. Incendium. C. si cert. pet.* Sed porrigitur utrorumque appellatio etiam ad alios contractus. *l. 11. de verb. signif. l. Omnem. D. de judic.* et ita huic toti Novellæ locus est non tantum in mutuo, verum etiam in aliis contractibus, quibus fidejussores aut mandatores accesserunt, aut rei constitutæ pecuniæ. Unde venditionis emptionis contractu si agetur de evictione, prius conveniendus est venditor quam βεβαιωτής, id est, is qui spondet pro venditore evictionis nomine. Confirmatorem venditionis vocant Julianus, et Vetus Interpres, ut M. Tullius pro Cluentio confirmatorem pecuniæ, auctorem secundum l. 4. *D. de evict.* ut auctorem pecuniæ, *l. Si literas. C. mand.* Auctor primus est venditor ipse. Δέδομεν γὰρ τῷ δανειστῇ βουλομένῳ καὶ κινητά. *Creditori enim volenti pro aere res mobiles accipere, concedimus*: jam dixi supra hunc locum sic esse corrigendum. Φλαβίου) Legendum Φλαουίου ut *Nov.* 47. De aliarum subscriptionum mendis scripsi Observ. 4. cap. 28.

NOVELLA V.

De Monachis.

Justinianus sequentem Novellam de episcopis et clericis edidit prius quam hanc de monachis. et ideo in hac statim initio consequens esse

sit, ut episcopis et clericis lege data, monachis etiam utriusque sexus legem dicat. Monachi igitur separantur a clericis. Monachi non sunt clerici, *l. Generaliter. C. de episc. et cler.* Fieri tamen possunt clerici, *l. 32. C. Th. eod. tit.* ut Julianus ille παραβάτης ex monacho factus est clericus in ecclesia Nicomediæ, August. epist. LXXVI. Clericis licet matrimonium contrahere, licuit olim ubique omnibus, licuit semper locis quibusdam, licet Constitutionibus et canonibus ex eorum ordinibus quibusdam, veluti lectoribus et cantoribus, ceteris fibulam imponunt. Monachis non licet matrimonium contrahere, nec si clerici facti sint, veluti lectores aut cantores, ut hac Nov. constituitur. Clerici certæ ecclesiæ deputantur *Nov.* 2. Monachi non habent ecclesiam, *Novell.* 133. Differunt etiam in pœnis. Clericorum est καθαίρεσις, monachorum sicut laicorum ἀφορισμός. Sunt et aliæ innumeræ. Valde autem mihi placet quod Hieronymus scribit *lib. de eccles. script.* Talem primum Christianorum conventum fuisse quales monachi esse imitentur et cupiant, ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividant, orationibus vacent et psalmis, quales primum D. Lucas refert Hierosolymæ fuisse: idque Hieronymus probat ex Philone, qui de prima Marci evangelistæ apud Alexandriam ecclesia scribens, non solum ibi, sed et in multis provinciis Christianos esse meminit, et habitacula eorum vocat monasteria. De Christianis etiam Lucianus scribens in Peregrino, καταφρονοῦσιν ἁπάντων ἐξ ἴσης, καὶ κοινὰ ἡγοῦνται. Non confundebant dominia, non alienabant: sed bona egentibus in commune conferebant, ut perinde ac domini eis uterentur, fruerentur, sicut eorum exemplo et imitatione monachi bona sua in monasterium, dominio retento. Et de hoc genere monachorum agitur in hac Nov. quorum est una domus, in qua sint omnia communia, quos ut ait *l. 7. C. de episc. aud.* synoditas vocant: Codex Theodosian. habet, Cœnobitas: utroque nomine vitæ societas significatur. Gennadius in Evagrio: *Composuit cœnobitis ac synoditis doctrinam aptam vitæ communi.* Socrates hist. eccl. 4. cap. 23. ἐν πρὸς τοὺς ἐν κοινοβίοις ἢ συνοδίοις μοναχούς. Itaque nihil refert synoditas dixeris an cœnobitas. Et his consequenter hac Novel. præcipitur, ut sit monachis una domus, una cœnatio, unum cubiculum, in quo tamen sit suum cuique cubile, sua exedra (sic malim χαμεύνην interpretari) quemadmodum hodie cernimus esse monasteria constructa, medinno inter exedras relicto, ut in *l. 5. §. Interdum. D. de his qui dejec. vel effud.* ostenditur eos qui cœnaculariam exercent, cœnaculum habere variis constans cubiculis, cellis, exedris, et medianum esse commune omnibus in suas exedras, commune et promiscuum cellarum iter, *l. Quis ait. §. Apud Cælium. D. de ædil. edict.* Qui de exedræ nomine scripserunt, id veteres glossas referunt explicare alam et scholam: imo non scholam sic enim habent, Ala ἐξέδρα, εἴλη, μασχάλη πτερυξ ὄρνιθος, ἱππικὴ παράταξις. et quod alam, exedram, sic videntur apud Vitruvium alæ atriorum accipiendæ esse. Iidem etiam ex glossis iisdem falso de improle hæc retulerunt. Improlis ἄφηλιξ, ὁ μήπω γεγεννηκώς cum in eis ita sit, improlis ἄφηλιξ, μήπω πολιτευόμενος. et eis congruenter Festus, *improlis, qui nondum est adscriptus in civitatem* et Victorinus Afer. *Improles qui nondum vir est.* Sed ad rem. A monachis diversi sunt anachoretæ sive hesychastæ, de quibus hac Nov. mentio fit obiter, et inde Cedreno ἡσυχαστήρια diversa a monasteriis. Hi sunt qui eremitæ vocantur, et quos Aristoteles ait, aut bestias esse aut deos. Quin et in monasteriis *Nov.* 133. tales esse vetantur nominatim, qui habeant proprium latibulum, quod κέλλιον dicitur illo loco, laura Nov. Nicephori, κελλεῖα καὶ τὰς καλουμένας λαύρας ἐν ἐρήμοις οἰκοδομεῖν· et Sudæ, λαῦρα ἡ στενὴ κατοικία τῶν μοναχῶν. Secretum, *l. Quidam. C. de decur.* et *l. ult. C. de metal.* et hæc a secretis hujusmodi sive lauris ad metalla metallarios, illa ad curiam curiales revocat. Putem et servos ex his latebris perpetuo, et sine ulla distinctione a dominis revocari posse. Nam hac *Nov.* et 123. quæ vindicandorum servorum facultatem dominis adimit post triennium, libertatem servis dat, non est de eremitis qui amant secreta et solitudines, vel qui eas tantum, quas nos coegerit sedes habent, ut de anachoretis Severus Sulpitius Sallustium imitatus scribit: sed hæc Nov. loquitur de cœnobitis, cui tamen abrogatur per Leonis Philosophi *Nov.* 10. quæ etiam ex cœnobiis jus perpetuum domino dat suos revocandi servos. His cognitis, tractemus an verum sit quod Accursius notat, monachismum esse capitis minutionem. Equidem puto non esse, quia nec civitatem, nec libertatem, nec familiam adimit. Non omnis status mutatio capitis minutio est: manumissio non est capitis minutio: senatu motio non est capitis minutio: monachismus non est capitis minutio: nam et jus legitimarum hæreditatum monachi habent, *l. ult. §. Hoc etiam. C. de episc. et cler.* et ante hanc Novellam habuerunt bona propria et testamenti factionem, *l. Generaliter. C. de sacros. eccles.* quasi cives: et irritum testamentum non fit monachismo, quod tamen constat irritum fieri capitis minutione etiam minima; idque hæc Nov. probat et 76. Sed si ante monachismum testamentum non fecerit, ex hac Nov. non potest monachus postea facere testamentum. Omnia enim quæ ejus fuerunt propria tacito jure ad monasterium transeunt, excepta Falcidia debitæ successionis, quæ liberis servatur, in quam tamen imputare debent liberi dotem et donationem propter nuptias secundum jus commune, *l. Quoniam. C. de inoff. testam.* excepta etiam uxoris dote et lucro nuptiali ex casu mortis, *l. ult. §. Nam et maritis. Cod. de episc. et cler. Nov.* 22. atque ita casus mortis ducitur ad casum monachismi, et monachismo solvitur matrimonium. Hodie ex *Nov.* 123. monachus testamentum facere potest inter liberos, virili portione monasterio relicta, et ex *Nov. Leonis*, 5. de his quæ post monachismum acquisiit testamentum facere potest, vel in assem, si quid rerum suarum monasterio in ingressu contulerit: vel si nihil contulerit, in bessem, triente monasterio relicto.

Idem Leo *Nov.* 8. alia in re hanc Justiniani Novellam emendat. Justinianus monachum desertorem addicit cohorti præsidis provinciæ, ut clericum desertorem *Nov.* 6. ut apparitores præfect. urbi corpori pistorum, *l. 2. Cod. de appel. præfect. urb.* quia hoc genere conditionem mutant in deterius. Non sic pœnæ specie cohortales addicentur curiæ, *l. Ne quis. C. de decur.* vel snarii pistrino, *l. Ne quis. C. de pœnis*, quia rei conditio deterior non fieret. Sed ex *Nov.* 123. qui semel deseruit monasterium, et redditur: qui iterum, addicitur cohorti: ex *Nov.* Leonis redditur monasterio semper, nunquam cohorti deputatur. Est et aliud in hac Nov. cap. de constructione monasteriorum, quod quidem hominum immane studium repressit Niceph. Phocas, jubens constructorum curam agi, non construi nova: et adjecit ad hæc, ne quid monasteria vel ecclesiæ sibi amplius acquirere possent, ut Fridericus 3. Neap. tit. 29. quo jure propemodum utimur. Nam nihil etiam acquirere possunt sine principalis territorii domini auctoritate, et debent etiam eo casu impetrare jurium dominicorum, quam vocant peremptionem. Constitutionem Nicephori abrogavit postea Nov. Basilii Porphyrogennetæ ut Balsamo refert Constantinopolit. Synodi primæ et secundæ cap. 1.

Κουρᾷ τε καὶ ἐσθῆτι) Hic est sensus, ut intra triennium attondeantur et vestiantur laicorum more. Attonduntur laici per pectinem, monachi strictim. Ζώσιμος) In antiquis inscriptionibus urbis Romæ: *L. Cludius Hyrpanus vixit A.* CXV. D. V. *ultimus pistorum urbis* *tu.* Τὴν καλουμένην αὐτῷ διδόναι πίστιν) Λόγον πίστεως in *edicto de officialibus* Cedrinus, καὶ πίστεις λαβὼν ὡς οὐδὲν ὑποστήσεται φλαῦρον. Τοῦτο ὅπερ καὶ νόμος ἡμῶν ἕτερος λέγει) Constitutio est Græca, ad Julianum PP. P. quæ desideratur in *tit. de episc. et cler.* cujus initium satis demonstrabit hoc idem ibi Justinianum quod ista constituisse, Τοῖς ἱεροῖς ἡμῶν νόμοις οἴδαμεν χρῆσθαι, καὶ τοῦτον προσθεῖναι τὸν ἐξ ἀρετῆς, ἀλλ' οὐκ ἐκ χρόνων τὰς εὐαγεῖς ἡγεμονίας παρέχοντα, ὥστε ἐπὶ τῶν εὐαγῶν μοναστηρίων ἢ ἀσκητηρίων μὴ πάντως τελευτῶντος τοῦ ἡγουμένου, ἢ τῆς ἡγουμένης τὸν ἐφεξῆς ἢ τὴν δευτέραν γίνεσθαι. Ἀρχιμανδρῖται. Patres monasteriorum interpretatur Epiphanius initio Panarii.

NOVELLA VI.

De Episcopis et Clericis.

Constitutio hæc vult ut episcopus adsumatur ex clero vel ex monasterio, non ex plebe: vel si quis ex plebe idoneus videatur, ut referatur prius inter clericos, et inter eos sex mensibus, vel ex *Nov.* 123. tribus conversetur, non repente ex plebejo clericus, et ex clerico episcopus fiat: ne illud objiciatur Aristophan. Ὃς νῦν μὲν οὐδεὶς, αὔριον δ' ὑπέρμεγας, et quod in *l. 7. §. Præterea. D. de injur.* heri servus, hodie liber, quem Persius hesternum vocat: et similiter Cedrinus: Χθὲς δοῦλον ἐπίορκον, σήμερον δὲ τύραννον· et Aristides in encomio Romæ, Οἱ χθὲς δουλοτόμοι, σήμερον ὁπλῖται· et ex Nazianzeno *Novell.* 137. Χθὲς ἱερόσυλοι, καὶ σήμερον ἱερεῖς. Χθὲς τῶν ἁγίων ἔξω, καὶ μυσταγωγοὶ σήμερον. Hieronymus ad Oceanum; *Heri cathecumenus, hodie Pontifex: heri in amphitheatro, hodie in ecclesia: vespere in circo, mane in altario: dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator.* Addit hæc Novel. ut ne ex curia vel cohorte episcopus adsumatur: recte, cum nec ex eo genere hominum clerici ordinentur, ut cavetur hac *Novell.* et 123. Monachi tamen si velint fieri curiales aut cohortales recipiuntur; quia horum honor nullus est, ministerium nullum, et si quidem a teneris annis in monasterio permanserint, curia liberantur, servata videlicet curiæ bonorum parte quarta: quod se jam ante Justinianus constituisse narrat hoc loco. Constitutione puta Græca, quæ desideratur in titul. *de episcop. et cleric.* qua etiam nominatim in futurum derogatur, *l. Ad similitudinem. Cod. eod. tit.* Sed hoc totum recantans, et retractans postea Justinianus, quadrantem mutavit in dodrantem: et monachum definivit liberari curia post annos XV. a monachismo, atque ita solutum curia episcopum posse creari *Novell.* 123. Tum constituitur hac Novel. ut qui episcopus creetur, cœlebs sit et orbus, id est, ut neque uxorem neque liberos habeat, quod et jam ante duabus se constitutionibus decrevisse ait. Ambæ sunt Græcæ, et desiderantur ambæ in tit. *de episc. et cler.* Una in lucem edita est non ita dudum, alteram edemus aliquando simul ac omnes quæ desiderantur in codice Justiniani. Hujus autem Constitutionis ratio est hujusmodi, ne affectu uxoris aut liberorum diripiat episcopus ecclesiæ facultates: quam refert et refutat Leo *Novell.* 2. et 3. refert et eam Justinianus non hoc loco, sed in una supradictarum Constitutionum *de episc. et cler.* quam intelligit etiam in fine hujus Novellæ Justinianus, cum de hæreditatibus episcoporum agit. Coercetur quoque hac *Novell.* ambitus et largitio, de qua est elegans Constitutio in *l. Si quemquam. C. de episc. et cler.* ubi illa Virgilii imitatio. *Auri sacra fames*, ut *l. 4. C. de vest. hol. Argento pretium: et Nov. Valentiniani de sepul. Scimus, nec vana fides*: et *l. 4. C. Th. de agent. in rebus. Unde domo.* Verumtamen in ambitum non incidit episcopus, qui bona sua donat ecclesiæ, nec qui solvit enthronistica, *Nov.* 113. Cathedratica Julianus vocat antecessor, et Pontifex Alexander *c. ecclesia, de cens.* Clerici CP. solvunt ἐμφανιστικὰ ob introitum vel *innovativa*, non ceteri, *Nov.* 56. et. 123. Sed et famulis ordinantis clerici ordinati præstant unius anni diaria, ex eadem *Novell.* 123. id est, quanti sunt diaria quæ in annum clerico præbentur de reditibus ecclesiæ. Diaria vocat cibaria et annonas, ut in *l. 22. C. de administ. tut.* Quod ait servos pasci alimoniarum taxatione, Græci vertunt διὰ τῶν διαρίων et in *l. Servus urbanis, D. de leg.* 3. ex cibariis apparere quo quemque servum in lo-

co paterfamil. habeat, id est, ea diaria et demensa. Horat. 1. Epist. *Cum servis urbana diaria rodere mavis. Horum tu in numerum voto ruis.* Id etiam hac Novella constituitur, ne ultra annum episcopi suis ecclesiis absint, nisi evocentur et retineantur a principe, cujus etiam jussu Reipublicæ negotia tractare possunt, ut Balsamo docet Chalcedon. synodi cap. 4. et ne litium obtentu suas ecclesias relinquant, cum clericos habeant et œconomos, et apocrisiarios per quos litigare possunt, ut et monasteria sive monachorum præsules suos apocrisiarios habent *Novel.* 79. et 133. quos possis ad responsum dicere, ut apocrisiarios judicum militarium *Nov.* 24. 25. Adjicitur, Ne episcopi veniant in sacrum comitatum sine testimonialibus, quas metropolitani accipiant a Patriarcha sive Archiepiscopo, Episcopi a Metropolitano: hi enim sunt Episcoporum gradus, Patriarcha sive Archiepiscopus, Metropolitanus, Episcopus. Testimoniales vero quas Justinianus et sacri canones συστατικὰ γράμματα, id est *commendatitias epistolas*. Chalcedonens. synodi cap. 11. et 13. et Apostolorum cap. 12. et 32. Arrianus in Epictetum γράμματα, παρ' αὐτοῦ λαβεῖν συστατικά. Aliæ sunt epistolæ εἰρηνικαὶ sive ἀπολυτικαί. Dividuntur enim canonicæ epistolæ in συστατικὰς et εἰρηνικάς. Συστατικαὶ dantur propriæ separatis communione, ignotis, suspectis, iis postulatis, quibus absoluti declarantur· εἰρηνικαὶ Episcopis in comitatum principis, vel clericis in aliam civitatem euntibus, et Chalcedonens. can. 11. et Antiocheni cap. 7. et 8 et sextæ Synodi in Trullo cap. 17 Vel apertius συστατικαὶ sunt probatoriæ, quæ et Formatæ dicuntur Carthaginens. Synodi cap 23. ut formales epistolæ Svetonio Tranquillo; εἰρηνικαὶ sunt commeatus et proficiscendi licentia, quæ dicuntur εἰρηνικαὶ (ut Zonaras ait) ὡς εἰρήνην βραβεύουσαι, *quasi pacis arbitræ*. Videtur Justinianus hoc loco pro his συστατικὰς dicere maluisse. Generaliter itaque hac appellatione significari dicemus dimissorias et testimoniales quascunque, quarum frequentem usum inter Christianos Nazianzenus contra Julianum notat his verbis. Ἐν ἐπιστολιμαίοις συνθήμασιν, οὓς ἡμεῖς ἐξ ἔθνους εἰς ἔθνος τοὺς χρῄζοντας παραπέμπομεν. Non omittam caput quo definitur ætas diaconissarum, ut ait annorum quadraginta L. cum tamen postea *Nov.* 123. sufficere existimaverit annos XL. Utraque discedit a præcepto Apostoli et *l. Nulla. Cod. de episcop. et cleric.* congruit cum Chalcedon. Synodi cap. 15. et sextæ in Trullo cap. 14. et quemadmodum clericis mulierum extranearum consortia interdicitur, *l. Eum qui. Cod. de episc. et cleric.* quas solebant matres, filias, sorores appellare, hæc (ut Hieronymus ait) pietatis nomina vitiis suis obtendentes, ut non male jactaretur in eos illud Martialis, *Quare non habeat Fabulla quæris, Uxorem, Themison, habet sorores*: ita vero diaconissis interdicitur consortio extraneorum virorum, quos ipsæ adoptaverint sibi fratrum aut cognatorum aut dilectorum loco.

NOVELLA VII.

De ecclesiasticis bonis et emphyteusibus

Alienatio bonorum tantum majoris ecclesiæ CP. inhibita primum fuit Constitutione Leonis, *l. Jubemus. 2. Cod. de sacros. eccles.* deinde porrecta Constitutio fuit ad omnes ecclesias quæ erant sub Patriarcha Constantinopolitano, Constitutione Anastasii Græca quæ desideratur in Codice eod. tit. post *l. Decernimus*. Hac vero Novella Constitutio Leonis porrigitur ad omnes provincias. et suppletur in multis. Constitutio autem Anastasii abrogatur, quæ interveniente decreto et actorum monumentis alienationes permittebat. Pertinet igitur hæc Nov. ad omnes ecclesias, imo et ad monasteria omnia et xenodochia, ptochotrophia, nosocomia, orphanotrophia, brephotrophia, gerontocomia, quorum verborum notionem Accursus ex Juliano satis evidenter exposuit: addere possis λωβοτροφεῖα, qualia hodie sunt multa passim. Prohibetur vero alienatio rerum immobilium, quibus adnumerantur servi rustici et coloni cum peculiis, et panes civiles. Et nominatim Julianus ait, mancipia rustica esse veluti membra rerum immobilium: atque ideo *l.* 3. *D. de divers. temp. præscrip.* longæ possessionis præscriptio locum habere dicitur tam in prædiis quam in mancipiis, ubi mancipiis, intelligo rusticis, ut *l. Hac edictali. §. His illud. Cod. de sec. nupt. l.* 4. *§. In servis. D. de cens.* De prædiis constabat: de mancipiis rusticis non constabat: et idem dicere debuit. Tam in mancipiis quam in prædiis. sed hujusmodi locutiones occurrunt sæpe, ut *l.* 1. *D. de verb. signif.* verbum: Si quis, tam masculos quam feminas complectitur, et *l.* 8. *D. eod.* verb. Oportet (sic esse legendum putat Calcagninus) tam præsens quam futurum tempus significat. Alienationis verbo continetur venditio, donatio, permutatio: donatio inquam etiamsi fiat ad vicissitudinem beneficii colorati, (sic est legendum *d. l. Jubemus. §. Scientes*) vel gratiæ referendæ. Color hic plerumque donationi quæritur, ut donari dicatur ἐπ' ἀντιδώρῳ id est, remunerandi gratia, ut *Novel.* 120. Sed hæc etiam ἀντίδωρα generaliter inhibentur, licet naturaliter debeantur, et mercedes sint ac pretia potius quam liberalitates. In eadem *l. Jubemus. §. Sane si hæc nostra*, munerum verbo significantur ἀντίδωρα, ut constat ex *§. ult. Novel.* 120. dum ab emptore quidem prædium repeti demonstratur cum fructibus medii temporis, non reddito pretio, ac similiter a donatario, non reddito ἀντιδώρῳ, et ab eo qui in causam permutationis accepit, non reddita re quam vice mutua dedit: quod tamen judicio episcopi relinquit Ancyranæ synodi caput 15. Divisio prædiorum Constitutione Leonis non inhibetur, ut si prædia majoris ecclesiæ Constantinopolitanæ dividere velit episcopus inter eam et tres alias, quæ ei sunt adnexæ, sicut docuimus *Novel.* 3. Hæc enim divisio alienatio non est. Non inhibetur precaria quam ususfructus cessionem vocat Leo: nos hoc genus conventionis quale sit exposuimus *lib.* 1. *Feudorum*, simul ac libellaria quid sit, quam hoc loco Justinianus jus παραστάσεως vocat, et perinde atque alienationem hac quoque conventione interdicit episcopis, clericis, œconomis, archimandritis, orphanotrophis et similibus. De emphyteusi latior est quæstio. Ediderat jam ante Justinianus de emphyteusi Constitutiones Græca lingua, quæ desiderantur in *tit. de sacrosanct. eccl.* ad finem, et post *l. Illud*: et jus quidem ea de re omne modo ita declarat, Perpetuam emphyteusim prohiberi, non posse emphyteusim extendi ultra personam emphyteuticarii, et filios ejus aut nepotes, vel etiam conjugem, si id de conjuge in contractu emphyteuseos nominatim expressum sit. Extraneo hærede relicto, morte emphyteuticarii finiri Emphyteusim. Et quod ad emphyteuticum canonem attinet, ut emphyteuticario sexta tantum pars pensionis sive reditus qui fuit initio, ob casus fortuitos remittatur: ut si locari solebat prædium LX. emphyteuticario addicatur L. et si forte pensio quæ fuit initio, diminuta sit, ut si prædium quod locabatur initio LX. nunc locetur tantum XL. ut hoc casu canon non minor XL. emphyteuticario imponatur. Quid si ædificia sint quædam labe corrupta, diruta, desolata, parietinæ, ager sterilis et saxosus? Et hæc quoque alienari non possunt, exemplo prædiorum pupillarium, quæ etsi infructuosa sint, non alienantur tamen sine decreto, *l. penul. D. de reb. eorum etc.* et constat ex Nicenæ 2. c. 12. non tantum αὐτουργιῶν alienationem prohiberi, sed etiam aliorum: et αὐτουργιῶν nomine significari videntur prædia, quæ sua sponte fructus ferunt, veluti prata, salinæ, et his similia: sed (ut Balsamo et Zonaras canonum interpretes malunt) πάντα εὐπρόσοδα ea appellatione continentur. Verum etsi alienari etiam non possint quæ non sunt hujusmodi, dantur tamen exemplo αὐτουργιῶν in emphyteuseos causam, sed canone imposito pro modo fructuum et æstimatione mechanicorum et architectorum, quorum arbitrio et in aliis plerisque causis statur de operibus publicis privatisque, et de servitutibus, *l.* 12. *Cod. de proxim. sacr. scrin.* et ita hoc loco: ait *Nov.* 120. certum canonem definit. Quid si prædium quoddam sit ecclesiasticum, quod voluptati potius quam fructui deserviat, qualia sunt prætoria, sive ἐπαύλια, προάστεια, suburbana, *l. Urbana. D. de verb. signif.* Hæc prædia propter voluntatem separantur ab aliis quæ in reditu tantum sunt: nam suburbana si justum reditum habeant, non fit diminutio sextæ partis, *Novell.* 12 si modicum aut nullum reditum habeant, nec ideo tamen minus cara atque pretiosa sint, in ponendo canone his modus sequendus est, ut primum vero pretio suburbanum æstimetur, deinde ejus pretii vicesima pars canonis nomine constituatur: ut si suburbanum fuerit C. canon constituatur V. quæ ratio est usuræ quincunciæ: quam rationem si æque patresfamilias adhibuerint in suburbanis suis voluptuosis, potius quam fructuosis aliis locandis, ut bene rem suam nec forsitan illicite gesserint, ita profecto male se habuerint si rusticis prædiis vectigal sive mercedem imposuerint ad rationem usuræ quincunciæ. Nam respublicæ imponent agris suis vectigal ad rationem usuræ semissis, ut apud Plinium VII. Epist. *ager. reipubl. mancipatus quingentis millibus nummum, vectigalis nomine infert quotannis tricena millia*, id est, XXX. millia, quæ ratio est usuræ semissis. Legendum enim sic est apud Plinium, *Eundem vectigali imposito recepi, tricena millia annua daturus.* Vulgo corrupte, *Præcepi, ccc. millia annua daturus.* Solemnes usuræ civitatum semissales erant; ut recte in *l. Septem. D. de pollicit.* τῶν ἐξ ἔθους τόκων, usuram semissem Modestinus interpretatur, quasi a Republ. pecuniæ mutuari solebant: et quæ ibi refertur in Rempubl. collata liberalitas, omnino similis est ei quam præfert vetus inscriptio Hispaniæ hujusmodi. *R. P. Barc. do, lego, denique volo* XVII. *D. ex quorum usuris semissibus edi volo quotannis spectaculum pugilum, die* IV. *Iduum Juni.* Et vel hunc igitur Reipubl. morem sequentur optimi patresfamil. in agris suis elocandis, sicut in æstimando usufructu Falcidia interveniente, sive privato is sit relictus, sive Reipubl. eadem computatio servatur annorum XXX. *leg. Computationi. D. ad leg. Falc.* Æque putem reditum annuum debitum privato non æstimari pluris quam eum qui debetur Reip. id est, non supra rationem usuræ trientis, et quod in *leg.* 3. *§. ultim. D. ad leg. Falc.* ponitur species in Rep. hoc ideo fieri, quod legatum Reip. relictum in annos singulos, unum est et purum, ut protinus veniat in rationem legis Falcidiæ: quod non ita est in privato, quia plura sunt legata, si quid privato legetur in annos singulos, primi anni purum, sequentium conditionalia, nec protinus induci Falcidia in omnibus potest. Nec obstat *l. Si quis argentum. §. In reditibus. C. de donat.* ubi in reditibus æstimandis fere servatur ratio usuræ septunciæ. Nam hoc fit (ut Petrus docuit recte) favore donatoris, ut reditus promissus minoris æstimetur: sicut et illud, Ut donator optima prædia ne det in solutum, *d. l. Si quis argentum. §.* 1. et idem favor est ecclesiarum non in prædiis tantum dandis in solutum, *Novell.* 120 cum tamen regulariter creditori jus potestasque sit eligendi meliora, *Novell.* 4. sed etiam in reditibus æstimandis, *Nov.* 131. servatur enim fere ratio usuræ quadrantis, ut scilicet annua quæ ecclesiis relicta sunt pluris veneant. Quod item de prædiis urbanis ecclesiæ Hierosolymitanæ est, in *Nov.* 40. et 120. ut æstimentur ad rationem usuræ sextantis, favor esse videtur Ecclesiæ, veluti ut domum cujus pensio annua est X. vendat D. Privatis igitur verum pretium exigentibus non deberet tantum licere: nec in urbanis etiam tantum quantum in rusticis, propterea quod sumptum majorem requirunt urbana ædificia, et majoribus casibus obnoxia sunt, *l. Verum. §. Sed hæc res. D. de minor.* qua de causa oratio Severi prædiorum rusticorum alienationes prohibuit, urbanorum non prohibuit. Et ita vero *Nov.* 120. pluris æstimat ecclesia prædium quod dat in solutum quam privatus, quibus argumentis tueri potest, non sequi justi pretii rationem privatos, qui in locandis prædiis voluptariis sequuntur exemplum ecclesiæ, id est, rationem usuræ quincunciæ: licet hoc

quidem faciant non illicite, propterea quod se in pretio contrahentes ἐμπειρικῶς, ut fit, circumscribere possunt. Nunc, ut cetera tractemus quæ pertinent ad emphyteusim rerum ecclesiasticarum, hac quidem Nov. adnotari necesse est, prohiberi perpetuam emphyteusim rerum ecclesiasticarum, sed ex recentiori Nov. 120. non prohiberi, nisi majori ecclesiæ CP et religiosis locis, quæ sunt in ea urbe, vel in territorio ejus, et præterea cadere emphyteusi emphyteuticarium ob cessationem biennii, sicut in conductore quolibet receptum est expelli eum posse post cessationem biennii, simul ac pignoris obligationem exequi, *l. Quæro. §. Inter. l. Cum domini. D. loc.* Martial. *Vidi Vacerra sarcinas tuas, vidi, Quas non retentas pensione pro bima portabat uxor.* Ait, Pensione pro bima, quia nonnisi ex biennii cessatione pignorum retentio erat. Idem etiam obtinuit ante Justinianum in pagano emphyteuticario et in superficiario. Hodie in tempore est differentia inter paganum et ecclesiasticum, in expellendi causa non est differentia, sed neque in eo quod expulso nulla datur deductio vel petitio meliorationum. Communis etiam illa utriusque causa est simul ac conductorum omnium, si in conducto abutatur, *l. 3. C. de loc.* Symmach. in epistol. Ante paucissimos, inquit, menses ille a parente meo horrea in Aquileja sita propter longinquitatem itineris incognita tenui mercede conduxit, atque his ita abusus est, ut parvo licet tempore iisdem locis labem consulto intulisse dicatur. Hunc ubi sæpe convenit ut conductione decederet, contemptu hominis et interventu quorumdam elusa est: nunc ope indigo geminum beneficium vestri favoris exoptat: primo ut improbissimus inquilinus locorum intentione pellatur, deinde ut habita deterioratæ rei æstimatione sumptum justæ instaurationis agnoscat. Et hæc de emphyteusi sufficiant: nunc videamus de pignoratione. Prædia, vasa, vestes ecclesiæ pignori vel hypothecæ specialiter obligari non possunt, *l. Sancimus. C. de sac. eccl.* Generalis hypotheca bonorum omnium non prohibetur. Facilius conceditur generalis quam specialis. *l. 1. D. de pign.* quia specialis obstringit magis. Facilius etiam antichresis, *Novell.* 120. Excipitur *d. l. Sancimus.* et hac Nov. causa redemptionis captivorum, ob quam Socrates narrat Acacium Amidenum Episcopum conflasse vasa omnia aurea et argentea, hoc clericis edicto palam ὁ Θεὸς μὲν ὑμῶν οὔτε δίσκων οὔτε ποτηρίων χρῄζει· οὔτε γὰρ ἐσθίει οὔτε πίνει, ἐπεὶ μὴ προσδεής ἐστιν. cui simile est illud Alexandri imperatoris, *In sacris quid facit aurum?* Ob eamdem causam immobilia non vendi ex eo apparet, quod id tantum certis ecclesiis Scythiæ *Novell.* 120. permittit. Excipitur etiam ab hac Constitutione imperator, cum quo ecclesiæ licet prædiorum permutationem facere, dummodo prædia sint apud Imperatorem perpetuo remansura: quid enim si ea mox imperator in alium translaturus sit? quid si sequester sit illicitæ venditionis? et hoc ita declaratur *Novell.* 55. sed abrogatur *Novell.* 119. *§. pen.* per quam quæsita a principe prædia ecclesiastica ex permutationis causa in alias personas transferri possunt. Excipitur etiam causa æris alieni, ob quam vendi prædia ecclesiastica possunt, et ἀντιχρήσεως lege pignorari, et in solutum dari. Quod ut intelligatur, notanda est differentia quæ intercedit inter fiscum et privatos creditores: privati creditores pro pecunia volentes accipiunt prædia ecclesiastica in solutum, vel coguntur accipere nullo invento emptore ex *Nov.* 4. Fiscus pecuniam exigit semper, in qua sunt positæ imperii vires, nunquam accipit prædia ecclesiastica in solutum. Igitur fisco ab ecclesia tributiones exigente, ut ei satisfiat, prædia ecclesiastica vendi necesse est. Utrumque fit decreto præsidis ex *Nov.* 46. et 67. At ex *Nov.* 120. non est opus decreto præsidis, et satis est acta confici gratuito apud patriarchas, metropolitanos, episcopos, secundum suam jurisdictionem, et adjicit ut venalia prædia proscribantur per dies xx. et veneant sub hasta. Est etiam ex ea Nov. hac in re differentia inter ecclesiam et ceteros debitores: nam ceteri debitores usuras semisses præstant, ecclesia quadrantes. Ceteri debitores non invento emptore prædia creditori dant in solutum vero pretio, ut si debeant L. dant prædium dignum L. Ecclesia prædium quod dat in solutum decima parte amplius æstimat, ut si revera sit L. id æstimat LV. Ceteri debitores non habent electionem, sed accipit creditor in solutum quæ mavult prædia etiam pretiosiora, Nov. 4. Ecclesia dat mediocria, ut diximus supra. Excipitur etiam ab hac Constitutione permutatio et perpetua emphyteusis, quam inter se ecclesiæ contrahunt, decreto vel actis intervenientibus *Nov.* 54. 55. 120. Excipiuntur et Ecclesiæ certæ quædam *Nov.* 40. et 120. Sed nulla harum omnium exceptionum comprehenduntur tamen prædia quæ ab imperiali domo ad ecclesiam pervenerunt: hæc enim ne in aliam quidem ecclesiam ulla ex causa abalienari possunt *Novell.* 120. Non comprehendimus etiam prædia ecclesiæ relicta hac lege ne alienentur: non templa ipsa vel monasteria, *d. Nov.* 120. monasteria, inquam, ea in quibus fit sacra λειτουργία ut in hac *Nov.* exprimitur: nec enim in omnibus fieri monasteriis ea solebat, *Nov.* 133. ac proinde ea tantum sacra monasteria esse censentur in quibus fit sacra λειτουργία. Et λειτουργίαν fieri Justinianus definit eleganter hoc loco, lectis sacris literis et tradita populo sacra et ineffabili communione. Julianus antecessor missam interpretatur cum hoc loco, tum *Nov.* 58. Vetus est verbum, quo et Ambrosius utitur et alii quidam, qui tamen omnes dicunt missas agere vel facere, vel tenere vel complere, non dicere, non canere, non audire. Cornelius in epistola ad Lupicinum, *Edictis Imperatorum Christianos ubique tormentis variis affici, et neque publice in urbe Roma, neque in cryptis monitoribus missas agere licere.* Et patem in Laodicena synodo his verbis, μετὰ τὸ ἐξελθεῖν significari missam auditorum, et his καὶ τούτων προσελθόντων καὶ ὑποχωρησάντων missam pœnitentium, quas sequebatur fidelium admissio atque dimissio. Extremo autem loco Justinianus explicat latius quæ pœna irrogetur his qui fecerint contra hanc Constitutionem. Probat pœnas definitas Constitutione Leonis, sed adjicit, ut licet ab emptore vindicetur prædium ecclesiæ non jure venditum non reddito pretio, salva tamen sit emptori adversus œconomum vel quem alium venditorem actio ex empto de evictione quod videtur novum, cum ipso jure nulla sit emptio, et uterque mala fide contraxerit, et merito hac in re subsistit Accursius. Sed Justinianus declarat œconomum odio dignum esse majore, pœna majore, idcirco teneri etiam eum emptori, idemque servari in permutatione et in mutuo. Ei enim qui permutationem contraxit esse regressum in œconomum quasi re evicta, et creditori esse condictionem in eundem. In donatione donatarium rem donatam amittere, et ἀντίδωρον, si quod intervenerit, vel si non intervenerit, conferre. Emphyteusi autem non jure facta, auferri emphyteuticario prædium, et nihilominus pensitari ab eo canonem, quem pensitaret si jure contracta emphyteusis esset. Μηδὲ παντίδωρα) Legendum, μηδὲ ἐπ' ἀντιδώρῳ. Καὶ συλλογίζεσθαι τὴν ἐκ τοῦ ἀδρέζομένου τιμήματος) Verba hunc sensum efficere videntur, ut ex vero et exacto pretio suburbani æstimetur quantum reditus colligant xx anni, et ut tantumdem emphyteuticarius præstet canonis nomine in annos singulos: ut si suburbanum sit solidorum C. quia hac summa emitur reditus IV ut quotannis emphyteuticarius præstet LXXX. Sed hac ratione emphyteuticarius emeret fere suburbanum quotannis: quod faceret nemo sanus. igitur rectius Accursius hunc esse sensum probavit omnibus, ut tantum constituatur canonis nomine quantum sufficit pretio suburbani adæquando anno vicesimo. Ἐρείπιον) Interpres Æschyli, ἐρείπια κυρίως τὰ παραπτώματα τῶν οἴκων λέγονται. Θεουπολιτῶν) Hi sunt Antiocheni: ut docui Observ. 8. cap. 21. Ἀπορίᾳ τῆς κτήσεως) Recte Vetus interpres, Fœnea possessio, et docui eodem libro cap. XL.

NOVELLA VIII.

De præsidibus.

Præsidum appellatio generalis est: ea continentur sub hoc titulo proconsules, comites, vicarii, consulares, correctores, imo et defensores civitatum: nam et ii in civitatibus præsidum vice funguntur, *Novell.* 15. Veteris interpretis Codex hunc habuit titulum, Ut judices sine quoquam suffragio, etc. Suffragium pecunia est quæ suffragatoribus solvitur datur promittiturve adipiscendi causa, quo nomine erat actio. Si certum petetur de suffragio: nec in honoribus qui a principe deferuntur locus legi Juliæ de ambitu. Et eodem suffragii titulo principes etiam ipsi qui honores deferebant pecunias accipiebant, quæ suffragia δεσποτικὰ vocantur in formula juris jurandi huic Novellæ subjecta. Sed hoc omne suffragiorum genus sustulit Justinianus hac Novella, imitatus Nov. Theodosii, quæ extat *l. ultim. C. ad leg. Jul. repet.* et Tiberius *Novell.* 161. generaliter vetans suffragii nomine quicquam vel suffragatoribus dari vel publicis rationibus inferri. Utitur Just. ratione satis omnibus nota: cujus auctor Alexander Severus, necessarium esse ut qui emit vendat, nec sine rubore puniri posse eum qui quod emit vendit: et ita Seneca 1. de Beneficiis: *Provincias spoliari et nummarium tribunal audita utrinque licitatione alteri addici non mirum, quando quæ emeris vendere gentium jus est.* Proinde quum etiam est vice versa, ut qui non emit nec vendat i. ut qui pro honore nihil dedit, nihil etiam accipiat: ac sane de utroque præses jurare cogitur initio administrationis cum ex Justiniani Constitutione, tum etiam ex Leonis *Novel.* 97. Sufficiunt enim salaria. i. annonæ et capita, quæ accipit de fisco, et retro sufficiunt, quæ dat pro codicillis, commonitoriis, jussionibus præf. prætorio Commonitoria appello quæ vocat σύμβολα. Pro commonitorio datur certum aliquid chartulariis sacri cubiculi sive cubiculariis: hi enim edunt σύμβολα. Pro codicillis item datur aliquid, primicerio tribunorum notariorum et quatuor scriniis sacris laterculi: et quod sacro laterculo inferri ait hoc loco, in edicto VIII. ait sacro palatio. Infertur enim publicis rationibus. Nec idem tamen palatium et laterculum. Exposui in *l. 13. C. de prox. sac. scr.* quid esset laterculum, quibus addimus Cedreni hoc, ἡ παρὰ Ἕλλησιν ἐπτὴ πλίνθος laterculum παρὰ Ῥωμαίοις λέγεται· ἦν δὲ πλίνθος δημοσία ἐφ' οὗ τότε τῶν βουλευτῶν καὶ τὰ τῶν στρατευμάτων ὀνόματα ἀπεγράφετο. Pro literis prætorianæ sedis, quæ solæ non unquam sufficiunt: ut puta si plebis defensor creetur *l. 8. C. de defens. civit. Nov.* 15. datur etiam prætorianis certum aliquid secundum distinctionem in notitia propositam huic Novellæ subjecta. Ceterum illo edicto VIII. derogatur huic Nov. in eo quod restituitur vicarius Ponticæ, quem hæc Novella sustulerat. Sciendum enim est quatuor olim fuisse vicarios in Oriente, Asianæ diœceseos, Ponticæ, Thraciarum Macedoniæ, *l. ultim. C. de divers. off. et app. jud.* Et vicarium Thraciarum Justiniani ætate vicarium longi muri nuncupatum, qui longus murus haud parvum munimentum fuit præsidiumque Thraciarum, de quo *Nov.* 26. et innumeri alii auctores: vicarium autem Macedoniæ non fuisse, fuisse vicarium Asianæ et vicarium Ponticæ, qui tamen hac Novella tolluntur et cum antea fuisset vicarius Asianæ et præses Phrygiæ Pacatianæ, pro utroque unus constituitur Comes Phrygiæ Pacatianæ, qui in ea tantum provincia jurisdictionem habeat, non in universum tractum Asianum, ut vicarius: et similiter cum antea fuisset vicarius Ponticæ, et Consularis Galatiæ primæ, pro utroque unus constituitur Comes Galatiæ primæ, qui in ea tantum provincia non in ceteris provinciis Pontici tractus jurisdictionem exerceat. Restringitur jurisdictio, non minuitur honor, non apparitio, non salarium. At rursus edicto VIII. vicarius Ponticæ restituitur, qui in universum tractum Ponticæ diœceseos jurisdictionem habeat, civilis et militaris magistratus, vicem agens præf. prætorio simul ac magistrorum militum et magistrorum officiorum et Comitum largitionum et Comitum domesticorum, ac Galatiæ primæ suus redditur Consu-

laris, civilis magistratus. At similiter cum antea fuisset Comes Orientis, et Consularis sive præses Syriæ primæ *l. 1. C. de off. Com. Or.* pro utroque constituitur Comes qui in Syria tantum primo jurisdictionem habeat, non in universa diœcesi Orientis, quod exposuimus Observationum libro VIII cap. XXI. Cetera persequamur. Nov. Theodosii tam dare quam accipere præsides vetat, et tam adversus dantem quam adversus accipientem omnibus tanquam crimen publicum deferendi potestatem facit: et quadrupli pœna convictum damnat: quam civitati inferri Accursius putat in qua honorem adfectaverit: male movetur *Nov.* 123. quæ de episcopo loquitur, non de præside. Episcopus qui suffragium dedit et qui accepit pari pœna coercentur, *l. Si quemquam. Cod. de episc. et cleric.* et data pecunia ecclesiæ vindicatur in simplum vel in duplum, secundum distinctionem *Nov.* 124. Non sic fit in præsidibus: nam qui pecuniam a præsidibus acceperunt suffragii nomine, in quadruplum tenentur, quod non ærario illius civitatis, sed τοῖς ἐζημιωμένοις inferri Justinianus ait. Hæc Novella illius imitatio est: merito igitur ex hac illam interpretemur, et ii quidem qui acceperunt, indistincte tenentur lege Juliæ repetundarum in quadruplum, *l. 1. Cod. ad Leg. Jul. rep.* etiam durante administratione, *l. 4. Cod. eod. Nov.* 86. Eodem crimine eademque pœna tenentur qui dederunt ut præsides fierent, non tamen indistincte, sed ita demum si et in provincia sordide versati sint, si veteres (ut dicitur) relceos vendiderint: idque ita hæc Nov. declarat, quæ simpliciter dicit quadruplum restitui. Dicam ergo spoliatis restitui, ut supra, vel quadruplum dividi inter fiscum et spoliatum, ut *l. 3. Cod. de advoc.* non alii civitati inferri, eademque pœna est si quid judicum domestici, cancelarii, chartularii, adsessores, ministri abstulerint, *d. l.* 3 *Nov.* 161. Sola vero suffragii datio pœnæ non obligat, et quod dicitur in *l. Quisquis. C. si cert. pet.* alium sensum habet: collectarium una cum præside relegari qui honoris pretium dederit ambienti, et relegari præsidem non quod ambierit, sed quod pecunia collectarii præses factus se et honorem suum quodammodo collectario mancipaverit. Ad hæc Justinianus constituit cum hoc loco, tum *Novel* 17. 128. 134. ne præsides provinciarum ullos in civitatibus constituant sibi τοποτηρητὰς sive vicarios, cum in eis defensores civitatum præsidum vice fungantur: nam et ipsi defensores nullo sibi vicarios optare possunt, nulli etiam defensoribus dari. Putem et non posse dari præsidibus, nisi a principe ex magna causa, vel nisi necessariam moram præses in itinere patiatur, *Nov.* 128. 134. atque ita videtur derogari titulo de officio ejus qui vicem alicujus judicis obtinet, est περὶ τοποτηρητῶν, quem vulgo male accipiunt de suffectis. Non sunt etiam τοποτηρηταὶ confundendi cum his quibus præsides jurisdictionem suam mandant: nam hi plerunque sequuntur præsides ipsos, at legati proconsulis τοποτηρηταὶ in singulis municipiis absentium vicem sustinent. Quibus mandatur jurisdictio, eos non sequuntur illa quæ præsidibus lege data sunt, *l. 1. D. de off. ejus. cui mand. est. jurisd.* Vicarii sive τοποτηρηταὶ constituuntur, ut et ea quæ lege præsidibus specialiter data sunt exequantur, *l. 2. C. de off. ejus qui vic. al. jud. obt.* excepto jure gladii *Nov.* 128 Id. quoque hac Novell. constituitur ut præsides jurisdictionem habeant in paganos in omnibus causis, in milites in causis criminalibus et causis tributorum tantum, (in ceteris enim causis præscriptionem fori habent, *l. 1. Cod. in quib. cau. mil. fori præs. l. 2. C. de pri. sch. l. ult. Cod. de castr. et minist.*) et in magisterianos vel præfartianos qui ex urbe in provinciam veniunt exequendi negotii cujusdam causa, si quid supra legitimum modum sportularum exegerint, quod etiam repetitur *Nov.* 17. 86. 124. Et ut concussiones coerceant ademptione cinguli: nam in provinciis vicem principis gerunt, ut veteribus legibus caveri Justinianus ait: puto eos significari quibus præsides legati Cæsaris appellantur. Sed et veteribus legibus omnium magistratuum urbanorum vice funguntur, *l. De omnibus. et seq. D. de off. præs. l. Si in aliquam. §. ult. D. de off. proc.* Additur in hac *Nov.* ut præses post depositam administrationem L. dies moretur in provincia omnium actiones vel accusationes excepturus, nec excusetur divina revocatoria. Sic esse legendum in *l. 1. Cod. ut om. jud. tam civil. quam cr.* hujus *Nov.* §. *pen.* indicat *l. 3. Cod. de silent. l. ult. Cod. de dignit.* Vetat postremo in provincias mitti λῃστοδιώκτας, ut *Nov.* 128. et 134. id est latronum prosecutores, vel (ut Julianus interpretatur) latronculatores: vetat mitti βιοκωλύτας, qui scilicet vim, impressionem deprædationes arceant. Fuit quondam specialis quidam dux βιοκωλύτας, qui imperium habuit in Phrygia utraque et Pisidia et Lycaonia et Lydia, quæ provinciæ erant Asianæ διοικήσεως sed minuitur potestas ejus *Nov.* 145. At vetat etiam hæc Nov. extra ordinem mitti ἀφοπλιστάς, id est, qui arma privatis auferant, quæ recondant in publicis armamentariis, secundum Novellam de armis et edictum de vicario Ponticæ: hoc genere hominum sub specie juris opprimuntur sæpe provinciales mirum in modum. Publice igitur interest ne mittantur, præsertim cum his omnibus curis sufficiat religio et diligentia præsidis, cujus jurisdictionem in hujusmodi causis nemo declinare potest, sed additur etiam in *l. ult. Cod. de metatis*, ne quid occasione etiam ἀφοπλισμοῦ præses ipse a provincialibus exprimat illicite. Id non est omittendum quod exigit in fine, ut præsides caveant fisco tributorum nomine, quod et *Nov.* 134. et 149. repetitur. Omissa cautio habetur pro data: et ideo cautionem hoc loco accipere debemus pro nuda repromissione, non pro satisdatione.

NOVELLA IX

De Ecclesia Romana.

Hæc est de c. annorum præscriptione, de qua scripsimus lib. de temporibus cap. 31. et Observationum 5. cap. 5.

Tom. 8

NOVELLA X.

De referendariis.

Hi sunt qui recitant principi supplicum desideria, et mandata principis judicibus insinuant, *Novel.* 113. 124. l. 2 *C. de off. ejus qui vic. alic. jud.* Procopius 2. de bel. Pers. Ammonius 4. c. 41. Ex eorum numero sunt qui referendarii dicuntur majoris ecclesiæ *Novel.* 6. qui specialiter destinati sunt ad majoris ecclesiæ negotia principi referenda. Hac autem Nov. referendarii ad veterem numerum rediguntur ut clerici *Nov.* 3.

NOVELLA XI.

De prima Justiniana.

Hujus Novellæ summam edidit Julianus: Integram Latine edi curavimus ad finem Novellarum Juliani. Ad *Novel.* autem 131. quidam notarunt Justiniani patriam esse Dalmatiam, alii Thraciam, quos refellit hæc Nov. in qua Justinianus ipse, in Pannonia secunda, inquit, nostra felicissima patria: hodie appellatur Bulgaria, Justinianus eam simul ac urbem natalem Achrido vel, ut Agathias scribit, Vederinam civitatem Illyrici, de suo nomine primam Justinianam appellavit, et præf. prætorio Illyrici, et non Metropoleως, sed etiam archiepiscopatus honore donavit, subjectis ei omnibus provincialibus episcopis διοικήσεως Daciæ et Mysiæ secundæ, Dardaniæ, Prævalitanæ, et secundæ Macedoniæ. Gregoras lib. 2 ait: χρῆται βασιλεὺς παρὰ τοῦ τηνικαῦτα τὴν τῆς Βουλγαρίας ἀρχιεπισκοπὴν διέποντος· πλείστοις τε γὰρ ἄλλοις αὐτὴν ὁ βασιλεὺς ἐκ παλαιοῦ τετίμηκεν Ἰουστινιανὸς ἑαυτοῦ γεγονυῖαν πατρίδα, καὶ πρώτην ὠνόμασεν Ἰουστινιανήν, καὶ δὴ καὶ αὐτονομεῖσθαι ταύτην ἐς τὸ διηνεκὲς προσεταξεν· et paulo post, καὶ βασίλειον ἐνδιαίτημα τούτοις εἶναι εἰς τὸ λοιπὸν νενόμισται αὐτὴ ἡ πόλις ἣν ἀρχιεπισκοπὴν ὁ βασιλεὺς τετίμηκεν Ἰουστινιανός, καὶ πρώτην ὠνόμασεν, ὡς εἰρήκαμεν, Ἰουστινιανήν, εἶτα τῆς προσηγορίας τοῦ ἔθνους ἐκεῖσε διαδοθείσης Βουλγαρία ὁ χῶρος μετωνομάσθη καὶ μητρόπολις Βουλγαρίας ἡ πρώτη Ἰουστινιανή. Et inde apparet majorem esse dignitatem archiepiscopi quam metropolitani. Nam archiepiscopus et patriarcha idem est: et hoc de archiepiscopo primæ Justinianæ repetitur in *Nov.* 131. in quo pro Τριβαλλέως ex ista legendum Πρεβαλέως i. Prævalitanæ. Alia fuit in Africa Justiniana Carthaginensis *Nov.* 131. ex eo nomen adepta Justiniani, quod is eam Romano imperio vindicarit et restituerit, ut Photius scribit. Alia Justiniana secunda in Cypro insula patria Theodoræ uxoris, ut Nicephorus Callistus scribit. Omnes donatæ Archiepiscopo. Alia Justiniana nova in notitia *Nov.* 8. et alia *Nov.* 28.

NOVELLA XII.

De incestis nuptiis.

Incestæ nuptiæ sunt quæ natura prohibitæ sunt in *l. 8.* et *l. Sororis. D. de rit. nupt.* ait, quæ moribus, quod idem est, nempe tacito consensu omnium gentium. Confirmat definitionem hæc Nov. variis locis: et cum incestas nuptias naturæ contrarias dicit, et bruta quædam eas conjunctiones abhorrere, et cum jubet ut nos intra naturæ fines contineamus, ne contra naturam obnitamur. Male igitur Accursius etiam ad nuptias legibus interdictas hanc Novellam trahit: unum et verbo ἀθέμιτος, quo movetur illæ tantum nuptiæ significantur quæ sunt naturæ contrariæ. Idem quoque Accursius et Harmenopulus male differentiam faciunt inter nefarias et incestas nuptias nam hæc *Nov.* et §. *Ergo. Inst. de nupt.* nuptias naturæ contrarias promiscue appellat, incestas, nefarias, damnatas, uno facinore notato variis appellationibus. At contra jus naturale incestum committi videtur inter parentes tantum et liberos, inter eos qui veniunt ex latere et inter adfines contra jus civile, *l. ult. D. de rit. nupt. l. Si adulterium. §. 1. D. ad leg. Jul. de adult.* Non ergo omnia incestus naturæ repugnat, aut non de omni incestu hæc Nov. est. Respondeo: imo et inter eos qui veniunt ex latere vel inter adfines jure gentium incestum committitur. De adfinibus est *l. ult. § ult. D. de cond. sine cau.* Et ex his qui sunt a latere constat sororem moribus uxorem duci non posse, *l. 8. D. de rit. nupt.* Idem dicam de sororis filia, *l. Etiam si concubinam, D. eod.* imo et de sororis aut fratris nepte vel pronepte quia liberorum loco sunt, *l. Sororis. D. eod.* At *d. l. Si adulterium.* §. 1. ait cum sororis filia jure civili incestum committi. Respondeo, inter parentes et liberos jure gentium incestum committi in infinitum: nec enim in recta linea ullo unquam gradu jure civili concessæ sunt nuptiæ. Inter fratres quoque et sorores jure gentium incestum committitur: quia nec jure civili unquam inter eas personas permissæ nuptiæ sunt: idcirco etiam vulgo quartam sororem uxorem ducere non licet, *l. Et nihil. D. eod.* Idem dicam de socero, nuru, noverca nam hæc conjunctio semper habita est pro nefaria, etiam si qua in patris tantum concubinatu fuisset, *l. 1. §. pen. D. de concub.* Cum sororis aut fratris filia fuit quandoque permissa, *l. ult. C. de incest. nupt.* etiam S. C. ut Cor. Tacitus scribit: quandoque prohibita, *l. 3. C. eod.* Similiter cum consobrinis modo fuit prohibitum connubium, modo permissum, *l. Celebrandis. C. de nupt. l. 2. Cod. Theod. de inc. nupt.* Ideoque est in his personis e latere conjunctis jus civile spectandum maximo, quia cum eis vel inter eas nuptia-

rum prohibitio ex jure civili pendet, quandoquidem in eis jus civile modo incestum committi dicit, modo negat, et ob id ipsum de incesto jure civili commisso: at si amita nupserit filio fratris vel filia fratris patruo, vir quidem punitur, sed mulier non punitur si prætendat juris civilis ignorantiam, *l. Qui in provincia. §. ult. D. de rit. nupt. d. l. Si adult.* §. 1. quod et hac No. exprimitur. Mulier jus civile ignorare potest: jus gentium ignorare non potest. Unde si forte nupserit filio, punietur omnimodo, quia natura probrum admisit. Idem si adulterium commiserit, quia natura probrum est, *l. Probrum. D. de verb. sign.* Lactantius in Epist. Instit. *Corrumpere alienum matrimonium etiam communi gentium jure damnatur.* At non punitur si nupserit filio fratris, dum existimat cum eo jure civili nuptias esse permissas. His cognitis videamus, quæ sit pœna incestarum nuptiarum. Jure antiquo dos caduca fit et fructus dotis, *l. Incestæ. D. de rit. nupt.* et donatio propter nuptias, *l. 4. C. de inc. nupt.* Liberi ex ea conjunctione suscepti spurii sunt, *l. 1. C. Th. eod. tit.* Ergo non videntur patrem habere, cujus debeatur successio, vel qui debeat alimenta, *l. Si quis. C. eod.* Nov. 89. Bona contrahentium incestas nuptias servantur liberis justis usque ad tertium gradum, et parentibus usque ad secundum, et fratri, sorori, patruo, amitæ, nisi si quis ex his nuptiarum incestarum interpres et conciliator fuerit, *d. l. Si quis*: quæ exceptio in aliis etiam casibus locum habet *Nov.* 117. et 134. Non possunt, nisi inter eas personas facere testamentum. Illis personis deficientibus, bona publicantur. Hac Novella augetur pœnam qui incestas contraxit nuptias, verberibus affectus, si humilior sit, si honestior, missa verborum castigatione deportatur in insulam. Sic exilium accipio in hac Novella, cum dicat liberos justos pœna patris sui juris fieri, constat autem sui juris non fieri relegatione, sed deportatione: et vero etiam olim incesti pœna erat deportatio, *l. Si quis viduam. D. de quæst.* Consequens erat deportatione bona adimi: sed filiis justis conservantur, et itaquidem solis: filiis deficientibus, publicantur. Gravior pœna irrogatur Osroenæ et Mesopotamiæ *Nov.* 154. quod in eis potissimum provinciis nimium multi se incestis polluerent, *l. Aut facta. §. ult. D. de pœnis.* Et hanc quidem pœnam Justinianus in futurum constituit. In præteritum, i. jam contractas nuptias solvi jubet intra biennium. Puniendi, id est, rei correctione incestum excusatur, *d. l. Si adulterium. §. Incestum. l. 4. C. de inc. nupt.* quia videtur fuisse involuntarium. Aristoteles 3. Eth. ἀκούσιον ἐν μεταμελείᾳ ἐστιν. Sed *d. l. 4.* jubet eas sine ulla recrastinatione dirimi. Justinianus dotem non facit caducam, et statum liberorum confirmat, ita tamen ut cum iis qui ex justis nuptiis procreati sunt patri succedant, non ex æquis partibus, sed ex quadrante tantum, fisco quoque alium auferente quadrantem bonorum. Itaque si unus sit filius ex incestu, unus ex justo matrimonio, fiscus aufert bonorum quadrantem, ex reliquis bonis filius ex incesto progenitus fert tantum sextantem et sicilicum. Quod si qui divortio non dissolverint incestas nuptias intra biennium, hos subdit pœnis eisdem quibus et illos qui in futurum inceste coierint, et hoc amplius filiis legitimis adimit quadrantem bonorum. Sed hujus pœnæ postea gratiam fecit habitantibus in Tyro, *Nov.* 139. et *Nov.* 154. provinciæ Osroenæ et Mesopotamiæ, ut Justinus *Nov.* 3. Excusantur vicinitate Persarum, quibus nuptiæ nullæ sunt incestæ, et in præteritum indulgentur, in futurum districte vetantur. Verum enim pœnæ hac Nov. propositæ opponitur primum *Nov.* 17. quæ damnatorum bona servari vult cognationi universæ: quod utique in his criminibus locum habet, quibus nominatim legibus irrogata bonorum publicatio non est, non in ceteris, quæ specialiter bonorum publicatione plectuntur. Tum opponitur etiam *Nov.* 134. §. ult. quæ bona punitorum non tantum liberis conservat, sed et parentibus usque ad tertium gradum. Dico excipiendum esse incesti crimen: nec enim ea generali Constitutione voluit derogare Novellis suis, sed veteribus legibus quæ in multis variisque criminibus bonorum publicationem inducebant: et eadem ratione nihil per eam derogatur *Nov.* 117. quæ bona ejus qui posteaquam voto studioque castitatis primam uxorem reliquit, vel stupro contaminavit se, vel secundam duxit, liberis addicit, vel his deficientibus, fisco.

Secunda pars hujus Novellæ est de concubinatu, sive de liberis ex concubina susceptis, qui nothi dicuntur. Nothorum nomen non possis exprimere Latine, sed pro eo naturalium usurpabis, male Haloander Spuriorum: nec enim sunt spurii. Ex Constitutione Constantini liberi in concubinatu ex ingenua muliere suscepti concubinatu in matrimonium converso, sui et legitimi fiunt, quam restituit Zeno, *l. Divi. C. de nat. lib.* Non satis est sequi matrimonium, sed intervenire etiam debent instrumenta dotalia, *Nov.* 18. Dos, concubinatus abolitio et nuptiarum argumentum est. Plautus Trinummo, *Me germanam meam sororem in concubinatum tibi sic sine dote dedisse magis quam in matrimonium.* Sufficit et aliud quodlibet argumentum nuptiarum, quod modo sumatur ex scripto *Nov.* 117. *cap.* 2. At Constitutio Zenonis pertinet tantum ad præterita, i. ad eos qui filios habent ex concubina, ut per matrimonii conjunctionem eos possint facere legitimos, nihil vero ad eos pertinet qui post eam Constitutionem ex concubina filios susceperunt, ideoque post eam suscepti filii naturales, per nuptias jura legitimorum adipisci nequiverant: quare hortabatur homines Zeno ad solutionem concubinatus et matrimonii coitionem justam. Sed Anastasius *l. Jubemus. cod. tit.* etiam in futurum hanc rationem sobolis naturalis faciendæ legitimæ valere voluit. Est enim in ea separata oratione legendum: In posterum nihilominus: (quemadmodum Accursius legit) qua clausula quod dixit initio legis, in præsenti, etiam in posterum servari jubet: et adjicit, Aliquæ mulieres uxoris loco habentur. Verior est secunda interpretatio Accursii, Uxoris loco habentur .i. uxores sunt veræ, dotalibus instrumentis confectis, ut in fine sit. Sequitur, Ex his sibi progenitos seu procreandos: progenitos ante nuptias, procreandos post nuptias. Ait, Pro ejus sobole: etiam suscepta post hanc legem et ante nuptias. His notulis si careat lex, difficilis videbitur. Anastasio consentit Justinianus, *l. Cum quis. eod. tit.* eodem loco habens tam editos post nuptias quam editos ante nuptias, quod in *l. Nuper.* ita declarat, ut et liberi ante nuptias suscepti legitimi sint, licet alii post nuptias editi non sint, vel etiam editi defuncti sint, et *d. l. Divi*, et multo magis si gravidam puero concubinam in matrimonium duxerit puer suus nascitur. Cur multo magis? Quia conceptus est in concubinatu, editus in matrimonio. In his autem qui non legitime concipiuntur, tempus editionis spectatur, auctore Ulpiano, favore liberorum, ut contra favore eorumdem tempus conceptionis spectatur, *l. Et servorum. D. de stat. hom. Nov.* 89. Hæ Constitutiones quas retuli, causam dederunt huic Novellæ. In Zenonis enim et Anastasii Constitutione additur hic modus, Non existentibus justis et legitimis liberis: qui omittitur in Constitutionibus Justiniani. Quapropter an habendus esset pro omisso ambigi poterat. Et hæc Nov. declarat habendum pro omisso, ac proinde etiam existentibus legitimis liberis, ex concubina susceptos matrimonii coitione suos et legitimos fieri. Habenti legitimos liberos, mortua uxore, licet habere concubinam, non etiam uxore viva, *l. 1. C. de concub. l. ult. in fi. D. de din. l. ult. in fi. C. com. de manu. d. l. Divi.* et ita emendo atque interpretor Catonis illud, *Quam conjunx tibi sit, ne res et fama laboret, Vitandum ducas inimicum nomen amici*: ut ne sit quis simul uni mulieri maritus, et amicus alteri, ne uxorem habeat et amicam: hoc enim est verum concubinæ nomen, *l. 144. D. de verb. sig.* Præterea Constitutio Zenonis loquitur de concubina ingenua: Justiniani de libera cum qua est connubium. Liberæ appellatione continetur etiam libertina. Sed de ancilla dubitari potest, an concubina manumissa cum liberis et ducta in matrimonium, liberi sui fiant. Et Justiniano suos fieri placet *Nov.* 18. verum ponit ibi non tantum manumissam concubinam cum liberis, sed etiam liberis et matri impetratum jus aureorum annulorum, restitutosque natales. Manumissio libertinos facit: jus aureorum annulorum honorem et jura ingenuitatis tribuit: restitutio natalium ingenuos facit. Hodie ex *Nov.* 78. etiam manumissio sola ingenuos facit, et supervacuum est petere jus aureorum annulorum, restitutionemve natalium: manumissio item matris sola et contractus dotis cum ea habitus filios naturales ingenuos et suos facit. Exigit ergo Justin. *Nov.* 18. ut ancillis et liberi ex ea suscepti ingenui fiant, nam soli ingenui, jura suorum hæredum, agnatorum, cognatorum habent: libertini cognationem non habent. Exigit etiam ut nulli extent justi et legitimi filii: quod Haloander perperam omisit. Porro eæ Justiniani Constitutiones pertinent non ad futura modo, verum etiam ad præterita quæ nondum transacta, finita sunt, quod nominatim adscripserat *d. l. Cum quis*, et *l. Nuper.* ut ipse testatur *Nov.* 19. sed ideo detraxit eam clausulam edito Codice, quod præcedentium Imperatorum Constitutiones præterito tempori sufficerent. In hac Nov. nihil addidit de præterito, quia satis intelligitur et hanc pertinere ad præterita, cum sit interpretatio et appendix *d. l. Nuper.* Id tamen adjicitur hac Nov. quod non fuerat cautum superioribus Constitutionibus, hoc modo filios naturales non tantum patri suos et legitimos fieri, sed et consanguineos liberis justis: denique hoc modo jus etiam agnationis acquiri: quod non similiter fit per oblationem curiæ, *l. Commumium. C. de nat. lib. Nov.* 89.

NOVELLA XIII.

De prætoribus.

Non est de prætoribus omnibus, sed de prætoribus plebis sive de præfectis vigilum. Qui olim Romæ præf. vigilum dicebatur et in provinciis νυκτοστρατηγός, *l. ult. §. Legati. D. de mun. et hon.* ut in Ægypto Straboni νυκτερινὸς στρατηγός, et Constantinopoli, νυκτέπαρχος, coepit ex hac *Nov.* in urbe CP. appellari prætor plebis: quam appellationem durasse post Justinianum ex eo apparet quod in *d. §. Legati.* et *l. 2. D. de ser. fug.* et *tit. de off. præf. vig.* qui appellatur præf. vigilum sive nyctostrategus, in libris Βασιλικῶν est prætor plebis. Primus Augustus Romæ incendiis arcendis et excubiis agendis septem constituit vigilum cohortes ex libertinis, ut alii plerique auctores scribunt, et Ulpianus noster in fragmentis. Vigilibus præposuit Tribunos, et super omnes præf. vigilum, *l. 3. D. de off. præf. vig.* quem constituit tantum pro tempore, ut Dio scribit, et ideo extra ordinem constitutus dicitur *l. 2. D. de orig. jur.* Constituerat et antea vicomagistros, quos Dio vocat στενωπάρχους, qui etiam duraverunt diu cum Romæ tum Constantinopoli, et in descriptione antiqua urbis Constantinopolitanæ, Vicomagistros, inquit, quibus per noctem tuendæ urbis cura mandata est. Sed conferamus modo præfect. vigilum cum prætore plebis. Præfectus vigilum cognoscit de rapinatoribus, invasoribus, furibus, receptatoribus, effractoribus, incendiariis, *d. l. 3.* Cognoscit et de his ex hac Nov. prætor plebis, itemque de sicariis et adulteris. Jus fustium, flagellorum, virgarum præfect. vigilum habet, *l. 3.* et *l. ultim. D. eodem*, et jus gladii in servos fures, *l. pen. D. de cond. cau. da.* vel in fugitivos, *l. ult. D. de off. præf. vig. l. 2. D. de serv. fug.* quia sui furtum faciunt, *l. 1. C. de ser. fug.* Alia facinora quæ graviorem animadversionem desiderant, remittit ad præf. urbi, *l. 1. C. de off. præf. vig. l. 3. §. ult. l. ult. D. eod.* Prætor plebis jus gladii habet etiam in liberos homines. Constituebatur præf. vigilum judicio, et electione præf. urbi. Prætor plebis non constituitur sine symbolo, et probatoria principis. Invenio etiam equites Romanos et ceteros præter illustres et perfectissimos, impetrata venia ætatis, mores suos probasse præf. vigilum, *l. 1. C. Th. de his qui ven. æt. imp.* pro quo Justinianus substituit præ-

tarem, l. 2. *C. eod.* Prætorem igitur plebis intelligam ex hac Novella Id summe notandum est quod hac Nov. de seditiosis et factionariis cognitio prætori plebis mandatur, quæ propria videtur præf. urbi fuisse, *l. 1. §. Quies. D. de off. præf. urb.* ubi populares eodem sensu dicit quo populum Prasinianorum Capitolinus in Vero, ut docui Observationum octavo. Sed ex hac Nov. Juliani antiquus interpres notat non tantum præf. vigilum, sed et prætorem plebis quasi adjutorem præf. urbi seditiones plebis compescere, et eos qui a coloribus et partibus quas tuentur nomina accipiunt. Præf. vigilum creabatur ex equestri ordine, ut Dio scribit: Vicomagistri ex plebe. Svetonius in Augusto, Vicos tuentur magistri ex plebe cujusque viciniæ. Prætorem plebis Justinianus creari vult ex senatorio ordine, ut tutelarem, liberalem, fideicommissarium, et ceteros, puta ex viris illustribus vel ex spectabilibus Comitibus consistorianis, vel ex viris clarissimis tribunis prætorianis et notariis, vel ex his qui magistratum in provincia gesserint: ubi eleganter interpres Juliani, Si ex eis constituti non sunt prætores plebis, potent eis dici: Subripuistis principi, id est, per obreptionem facti estis prætores plebis: quod συνεσπαγώ vorsat Græci Præfect. vigilum habuit suum forum, et officiales et commentarienses. Prætori plebis hac Novella datur assessor xx. milites et xxx. matricarii: et matricarios Juliani interpres definit esse eos quorum opera spongiis, hamis, dolabris, sifonibus et aliis ferramentis incendia extinguntur, perfodiuntur parietes, diruuntur ædificia, quasi matricularios, quod in matriculam, sive commentarium prætoris plebis relati sint vel potius quasi materianos, quia ξυλουργοὺς, Cedrinus interpretatur. Τῇ τε ὑπατείᾳ παρεζεῦ ἔχοντας τοὺς πραίτωρας. Prætores collegæ consulum sunt, non quod sint pari imperio (majus enim est imperium Consulis, et superior magistratus, *l. 4. D. de receptis:* sive major Festo est consul) sed quod iisdem auspiciis creentur, et inter se quasi collegæ auspicia turbare aut retinere possint, et quod ita rogentur prætores ut collegæ Consulum sint, quodque quasi participato magistratu se invicem collegas soleant appellare. Plinius in Panegyrico, Consul pleraque ad prætores remittebat atque ita ut collegas vocaret. M. Tullius ix. ad Atticum, Prætores ita rogantur ut collegæ consulum sint. Neque tamen hoc sensu Sabinus scripsit collegam a magistratu tutorem dari posse, *l. Ubi. D. de tut. et cur. da.* alioquin posset a prætore consul dari, quod est falsum. Sed collegam accepit pro eo qui pari imperio esset, *l. Collegarum. D. de verb. sign.* Δευτέραν τε αὐτοῖς κατὰ τὸν νόμον ἔχοντες τὴν τάξιν. Jus civile subsequitur jus prætorium, l. *Sero. D. de testib.* et prætor, ut dicitur, lex loquens est, lex, mutus prætor: Τῆς μεγίστης ἐξάρχοντες βουλῆς. Plinius in Panegyrico *Parum est ut consul in curiam venias, nisi et convocas, ut intersis senatui nisi et præsides, ut censentes audias, nisi et perrogas.*

Consistorianών] Basilica, τοῦ ὑψηλοτάτου βήματος, quod exposui Obs. vii. capite x.

Καπηλείας.] Hoc nomine *depeculatio* significatur.

Βενεφικιαρίους] Beneficiarios malim interpretari. Et cum Festo beneficiarii sint milites, qui vacationem habent munerum graviorum ut mensores, veterinarii, fabri et alii qui enumerantur *l. ultim. D. de ju. im.* putem hic significari exploratores et judices, quia pro hujus ministerii præmio habeat prætor plebis immunes. Tertullianus de fuga in persecutione. In matricibus, inquit, beneficiariorum et curiosorum, inter tabernarios et lanios et fures balnearum et aleones continentur: ubi sane beneficiarios et curiosos non accipiam pro his qui curam habent cursus publici, ut docui *l. 3. C. de can. larg. tit.* et *tit. de curiosis*, sed ut hoc loco pro delatoribus, a quibus et delatoria curiositas dicitur, *l. 8. D. de jure et fac. ign.* Cæsari, Plinio, Agathio aliter beneficiarii sunt corpore custodes sive protectores et buccellarii.

NOVELLA XIV.

De Lenonibus.

Alii sunt lenones, alii productores. Hæc Novella est de lenonibus. Lenones sunt ad quos scortorum captura redit, qui simul cum scortis ipso jure infames sunt. Jus etiam capiendi hæreditates et legata scortis Domitianus ademit: quod non obtinuit. Attamen in scorta stuprum commissum legibus non vindicatur, *l. Si ea quæ stupro. l. Quæ adult. C. ad l. g. Jul. de adult.* nam et scorta non censentur, nisi quæ professæ sunt impudicitiam apud Ædiles. Cor. Tacitus. 2. *Vistilia licentiam stupri apud Ædiles vulgaverat more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant.* Productores sunt earum etiam mulierum in quibus stupra commissa legibus vindicantur, ut Asconius Pedianus scribit. Non male autem hæc Nov. jungitur superiori: nam prætoribus plebis de lenonibus cognitionem dat, et in universum tollit prostibula et lenocinia omnia, quæ fuerunt tamen et ab aliis jam ante sublata una cum vectigali eo quod ad fiscum inde redibat, *l. ult. C. de spect. et sce.* Id fuit aurum lustrale, ut in Nov. Theodosii de lenonibus nondum edita hæc verba declarant, Cum Florentius lenonum calliditate damnabili circumventam veterum videret incuriam, ut sub cujusdam lustralis præstationis obtentu corrumpendi pudoris liceret exercere commercium.

NOVELLA XV.

De defensoribus civitatum.

Duæ superiores sunt de prætoribus plebis: hæc est de defensoribus civitatum, qui defensores plebis dicuntur, *l. 1. Cod. de off. jurid. Alex. l. 4. et 5. Cod. de defens. civit.* et magistratus sunt vice præsidum, ut diximus Nov. 8. Præses est magistratus magistratuum. Et promoventur confirmanturque defensores plebis sine impendio ullo sola auctoritate præf. prætorio, vel quæstoris. Nov. 75. creantur decreto civitatis, *Novel. 8. l. 8. C. de def. civit.* l. *Jubemus. C. de episc. audi.* etiam inviti et jurati. Et Christiani soli *d. l. 8.* ut advocati *l. ultim. C. de postul.* et officiales judicum *l. 9. C. de div. off.* et primates Alexandrinæ plebis *l. 6. C. de episc. aud.* Ut vero urbs Roma habuit Senatum, Consules, Tribunos plebis, ita et aliæ civitates quædam habuere pro Senatu curiam, pro Consulibus Duumviros, pro Tribunis plebis defensores plebis, quædam defensores tantum, *l. In hac. C. de donat.* Horum munus fuit olim quinquennale, *l. 4. C. de defens. civit.* Ex hac Novella est biennale. Apud eos fiunt insinuationes testamentorum, et donationum testationes, depositiones, conficiuntur et eduntur acta etiam adversus potentiores, vel præsides ipsos. *d. l. In hac. l. 9. C. de defen. civit.* qua de causa et archivium habent sive scrinium, et scriniarium unum et exceptorem et officiales duos. Cognitionem olim habebant in causis pecuniariis usque ad aureos L. *l. 1. C. eod.* ex hac Nov. usque ad ccc. et rei judicatæ executionem habent: et qui forte plus petit dolo malo, ut causa a defensore transeat ad præsidem, litem amittit, revocata veteri plus petentium pœna. Quod et ad Duumviros trahi potest: nam et ii usque ad certam summam judicandi jus habent, *l. Inter. D. ad municip.* et v. *Sentent. Paul. tit.* v. ideoque si quis forte supra eam quantitatem petat ne Duumviri judices sint, causa cadat. At vero tentarit quis forsitan motus quingenorum, et quinquagenorum frequenti mutatione, et eo quod proditum est, posse eos tutorem dare una cum civitatis episcopo, si pupilli facultates non excedant D. aureos, *§. pen. Inst. de Attil. tut.* posse etiam defensores civitatum de causis civilibus cognoscere usque ad D. aureos: nisi admonuero longe aliam esse rationem eorum quæ legis et eorum quæ jurisdictionis sunt: tutoris dationem legis esse, causarum cognitionem jurisdictionis, nec merito laborare jure ullo, *l. 1. C. de defens. civit.* cum usque ad L. solidorum summam minores causas dicat, quæ utique non essent minores usque ad D. nam et eadem est minorum facultatum sive paupertatis definitio in l. 10. *D. de accus.* et Constantini Porphyrogenetæ Nov. περὶ ἀναδόσεως τιμήματος στρατιωτῶν. Porro cognoscunt etiam defensores civitatum de levioribus criminibus: majora enim remittunt ad præsidem, *l. 7. C. eod.* et prehensionem habent ex hac. Nov. quæ negatur *l. 5. C. Th. de exh. reis*, et ab eis appellatur præses. Male ergo quidam negant defensores habere jurisdictionem. Et nihil obstat quod dicitur, non conficere eos acta his de rebus quæ jurisdictionem desiderant, quæque pendent ex præsidum imperio et forensi magnitudine dignæ sunt, ut cum emancipandus vel manumittendus quis est: quæ tamen Accursius male opinatur fieri apud defensores posse, cum *l. pen. et ult. C. de emancip. lib.* et *l. ult. C. de vind. lib.* judices exigant, apud quos sit legis actio.

NOVELLA XVI.

De clericis

Hæc Nov. est veluti accessio ad Nov. 3. utraque est specialis, hoc est pertinet utraque ad majorem ecclesiam Constantinopolitanam, cui erant connexæ aliæ tres ecclesiæ quarum clericis major ecclesia suppeditabat annonas. In his ecclesiis ut restitueretur antiquus clericorum numerus, vetuit Nov. 3. Justinianus in locum demortui alium ordinari, donec corpus clericorum redisset ad veterem numerum: nunc adjicit ut si forte in una ecclesia nondum redierit ad veterem numerum, in alia redierit, adeo ut in locum defuncti alium in ea substitui sit necesse, is adsumatur ex his qui in alia abundant, non novus ordinetur.

NOVELLA XVII.

De mandatis principum et præsidibus.

Mandata dat princeps præsidibus quibus jurisdictioni eorum formam modumque imponit certum Nov. 26. veluti ut multam dicere, ut damnare in metallum, ut gladio punire possint, et perpetuis vinculis damnare non possint, ut relegatos ab alio restituere non possint: et non tantum jurisdictioni, sed etiam vitæ et moribus, veluti ut ne feminam provincialem in matrimonium ducant, *l. Si contra. C. de nupt.* ne dona vel munera accipiant, *l. Solet §. ult. D. de offic. procons.* Dantur etiam mandata his qui extra ordinem in provincias mittuntur, veluti Comitibus consistorianis et tribunis notariis, *l. 1. C. de mandat. pr.* Dantur et præfect. prætorio, *l. 2. C. de off. ejus qui vic. al. jud. obt.* Ea Græci vocant παραγγέλματα et ὑποθήκας Nov. 26. et ἀποκρίσεις tanquam mandata ea quæ legatis dantur, Nov. 25. secundum libros βασιλικῶν. Est autem hæc Nov. veluti mandatorum quæ præsidibus dantur formula quædam et liber, quem jubet etiam deponi in sacro laterculo inter ceteras notitias, leges et formas gerendæ Reip. ut Nov. 25. et 26. et sunt ex hoc libro mandatorum notanda potissimum capita quæ sequuntur. Prætermittam ea quæ exposui Nov. 8. et quod de bonis damnatorum Nov. 12. Ut præsides circenses factiones compescant: sic δήμους. interpretor. Ut leviores et vilium personarum lites ex non scripto definiant minuendorum sumptuum causa, et omnino gratuito, et Nov. 28. regulariter lis ex scripto agitur, sententia ex scripto, ex libello, periculo, tabella recitatur. Non satis est scribi sententiam, recitanda etiam est partibus ex scripto per judicem ipsum, vel si illustris sit judex, per officium, ut ostenditur in titulo

de sententiis ex periculo recitandis. Inter viles personas aut de re modica sententia recitatur ex non scripto, et sportularum exactio nulla est. Sequitur ut ne quos præsides provinciarum admittant quocunque ex foro prodeant inspectores vel discussores formarum, portuum, itinerum, pontium, statuarum, murorum, operum publico loco inædificatorum, quæ plerumque gravant provinciales, sine sacra pragmatica: quod congruit cum *l. ult. C. de discus.* et ut expectent secundum pragmaticam sive jussionem secundam, ut fit *Nov.* 124. et *edicto* 12 et *Nov.* 24. 25. et *seqq.* Et ut nullos admittant quæsitores hæreticorum: quam potestatem sæpe nefarii quidam a principe postulabant, ut sub hoc prætextu calumniis onerarent et expilarent plebem innocentem et piam, quæ ratio etiam repulit quæsitores latronum et quæsitores armorum Nov. 10. et hoc de quæsitoribus hæreticorum repetiter edicto secundo. Si quid canonicum inciderit, et id præses disceptat una cum metropolitano: quod non male Julian interpres notat corrigi *Novell.* 123. qua vetantur canonicis causis immiscere se præsides .i. quæ sacris canonibus deciduntur, et ecclesiasticam censuram desiderant. Ut ne præsides λόγους, dent in longius tempus quam dierum xxx. Intelligit λόγους ἀσυλίας καὶ συγχωρήσεως, ut *Nov.* 128 et *edicto* 2. et 13. qui consensu episcopi dantur iis qui ad ecclesiam confugiunt metus causa, dum scilicet vim, injuriam, sævitiam potentiorum vel dominorum vel patronorum pertimescunt, ut hæc Nov. aperte demonstrat, et *l.* 4 et *ult. C. Th. de iis, qui ad eccle. conf.* Vis asyli hæc est, et inde inviti non extrahantur. Quid igitur si quis judicio experiri cum eis velit? Aut civile judicium id est, aut criminale. Si civile, vocari in jus possunt et per se aut per procuratorem causam agere: vocari, inquam, non rapi: et si venerint aut miserint procuratorem, in condemnatos fit executio judiciorum more, salvo jure asyli: nec enim ante constitutum tempus asylo extrahi possunt. Si nec venerint nec miserint procuratorem, ob contumaciam fit missio in possessionem bonorum, secundum ea quæ constituuntur in *l. ult. C. de iis qui ad eccl. conf.* quæ hunc ordinem constituit, sive confuga ille fuerit privatus, sive publicus debitor, nec pro eo vult Episcopum vel œconomum conveniri: quo re abrogatur *l.* 1. *C. Th. de iis qui ad eccle. conf.* In causa tamen tributorum debitoribus non servatur jus asyli, et pro eis œconomi vel defensores ecclesiæ tenentur nisi eos exhibuerint, ex hac *Nov.* et *edicto* 13. Si judicium est criminale, non servatur jus asyli, exempli gratia sicariis, adulteris, raptoribus virginum, ut hac Novel. cavetur, et 37 et 117. Constantinus Novel. περὶ φονευόντων μετὰ ξίφους. Ἐκ τοῦ Μωσαϊκοῦ νομοθεσία ἀποφαίνεται, τὸν ἀνδροφόνον ἐκ θυσιαστηρίου λήψῃ, ἀλλὰ καὶ Ἰουστινιανοῦ οὐκ ἔστιν ἀσυλίας τόπος μοιχοῖς καὶ παρθένων ἅρπαξιν καὶ φωρσὶ καὶ ἀνδροφόνοις, et ratio aperta, quod innocentes asylis tueantur, non nocentes.

Sequitur de apochis tributorum, ut eas curent præsides ab exactoribus tributorum ita confici ut prædiorum nomina exprimant, et tributorum quæ prædiorum nomine illata sunt modum, et capitum item modum jugerumque sive jugorum aut centuriarum, sive quo alio nomine pro consuetudine regionis mensuræ agrorum vocentur: nam alii jugis, alii jugeribus, alii versibus, alii centuriis, alii libris, alii parallelis agros metiuntur. Idem repetitur *Novell.* 124. Ut si dubitetur de possessionibus quæ tributa debeat vel de tributorum modo: exempli gratia, si multo plura prædiorum jugera esse dicantur quam sint, consulantur tabulæ censuales, et ut censitores, quos *Nov.* 128. vocat τῶν δημοσίων ἀπογραφῶν φύλακας edere cogantur veras, et cum omni subtilitate confectas ἐκδόσεις, id est, exemplaria publici census, ut Juliani interpres exposuit recte, et ut ejus rei disceptatio referatur ad præf. prætorio: interim vero ut absque præjudicio collatores inferant, quæ diu præstiterunt, et ut venditio prædiorum non inhibeatur a decurionibus vel censualibus qui exactioni tributorum incumbunt, etiamsi emptor non idoneus esse dicatur, si modo venditor in se periculum recipiat: et ut ea res apud præsidem disceptetur sine sportulis et impendio nullo. Convenitur ergo primum emptor tributorum nomine quasi possessor, deinde venditor quasi fidejussor. Sequitur ut præsides dum circumeunt provinciam et officiales atque milites eorum suis annonis contenti sint, neque sumptibus vel angariis provinciales onerent, ut *Nov.* 128. *l. ult. C. Th. de officio omn. jud.* qua re derogatur Nov. Majoriani de curialibus: et aliud caput de patrociniis et redemptionibus alienarum litium, quod exposuimus Observ. 8. cap. 31 Sunt et alia quædam ad hanc Nov. pertinentia exposita eodem lib. capite ultim. et 6. cap. 13. Pertinere etiam ad causam patrociniorum videtur quod est in hac Novella, ut ne quis alienos colonos vel adscriptitios (hi sunt servi, illi liberi) suscipiat, et nisi eos confestim restituat ut terram desertam defectamque colonorum vel adscriptitiorum penuria suscipere cogatur, et pro ea fisco solemnia tributa præstare, quam terræ adjectionem vocat ἐπιβολὴν, et in eum locum eleganter Juliani interpres: *Nota*, inquit, *quando terra deserta non fertilibus agris, sed damni causam præstantibus personis imponitur.* Regulariter ἐπιβολὴ sive adjectio minus idoneorum fundorum fit si fertilibus steriles imponantur, ut si terra sterilis et defecta a domino deserta est, ne quid fisco deperent, ei qui alios ejusdem substantiæ eorumdemque bonorum agros possidet, terra sterilis imponitur, ut ejus onera agnoscat, *l.* 10. *et* 12. *C. de om. agro des.* *Nov.* 128. 166. 168. Ejusdem substantiæ possident bona cohæredes et socii et possessores, qui eidem domino canonem pensitant, vel qui in tabulas censuales conjunctim referuntur. Sed ex hac Nov. terræ desertæ et defectæ imponuntur etiam his qui damni causam dederunt, seductione colonorum, licet ejusdem substantiæ prædia non possideant. Id quoque ad patrociniorum et redemptionum causam pertinere videtur, ut ne quis alienis prædiis titulos, tabulas, signa, characteres suos imponat, vel sinat imponi per causam patrocinii et deterrendi adversarii causa. quod etiam repetitur *Nov.* 164. et nos exposuimus *l.* 3. *C. de bon. vac.* et sunt in Codicis lib. 2. tres tituli, *De his qui potent. ex. tit. etc.* et potentiorum tituli alienis prædiis adfiguntur: *Ut nemo pr. etc.* ne prædia sua, vel aliena muniat quis falso titulo principis vel suspenso velo regio: *Ut nem. lic. sine jud. etc.* ne quis rei detentæ ab alio qui cum eo litigat ante sententiam signa vel θέματα sua imprimat, etiamsi contendat esse suam, vel sibi obligatam; post sententiam et generaliter suo prædio a se possesso signa sua et characterem quemlibet imprimere posse. Characterem dixit *Nov. Tiberii de divinis domibus.* Ἐπιτρέπομεν καὶ προίκα τῶν θείων χαράττεσθαι. Privati homines, si egestate laborant, litigant gratis. Fiscus autem semper litigat gratis; quod Juliani interpres esse relatum ait 1. lib. Codicis titulo competenti. Imo neque relatum id est lib. 1. neque ullus est lib. 1. hac de re titulus competens. Libro tertio est titulus competens de sportulis et sumptibus in diversis judiciis faciendis, quo desideratur ultimo loco Græca Constitutio Justiniani de modo sportularum, et ea (ut suspicor) centum fuit, cujus e fisco sportulas præsteri, et introducta condictio in triplum in eos qui quid supra modum sportularum exegissent, §. *Tripl. Institut. de act.* Ἀπὸ πατρίας) Patres civitatum intelligit, de quibus *l.* 3. *C. de his. qui sp. mun. sus.* Συγκλητικῶν) Hoc exposuimus in *l.* 2. *C. ut nemo. lic. in compt.*

NOVELLA XVIII.

De hæreditaria portione, et de collatione dotis, et de divisionibus bonorum, et de inficiatoribus, et his qui alienas res tenere deprehenduntur, et de his qui ex ancilla nascuntur.

Ut superior Novella utraque lingua scripta fuit, ita fuit etiam hæc scripta Latina ad Salomonem P. P. Africæ, ut declaretur *Nov.* 66. Sunt autem ejus fere sex capita. Primum est de modo legitimæ portionis ex testamento debitæ liberis, ne testamentum per querelam quasi inofficiosum rescindant. Hæc portio debitum dicitur hac Novella, et pleniori oratione debitum bonorum subsidium *l. Si totas. C. de inoff. donat.* et legitima Portio, ut Græco, νόμιμον μέρος, νόμιμον λάχος, νόμιμος πορισμός. quamquam legitima sive debita portio sit proprie quæ ab intestato capitur: hæc quæ ex testamento capitur proprie legitimæ portionis portio est, §. *Sed hæc. Institut. de inoff. test.* quarta legitimæ partis, *l. Pap.* §. *Quoniam. D. eod. tit.* quarta debitæ portionis, quarta ab intestato successionis, *l. Parentibus. l. Quæ super. C. eod. tit.* et in *Nov.* 1. quarta, τῶν ἐξ ἀδιαθέτου licet nonnunquam ab intestato debeatur, veluti factis codicillis sine testamento nam ut lex Falcidia proprie ad testamenti causam pertinet, trahitur tamen et ad causam intestati, *l. Filiusf. D. ad leg. Falcid.* ita et lex Glicia proprie pertinet ad testamenta: trahitur tamen ad codicillos factos ab intestato. Debitum naturale proprie est successio ab intestato, *l. Scimus.* § *Illud, C. de inoff. test.* sed et ex testamento debita portio debitum naturale dici potest, quia naturæ debitæ successionis portio est. Ceterum jus civile eam portionem taxavit: lex Glicia primum ad modum quadrantis legitimæ portionis non observato numero liberorum, deinde Justinianus hac Nov. ad modum trientis, vel semissis, vel dodrantis pro numero liberorum: trientis, si non plures sint quatuor semissis: si plures sint quatuor, dodrantis, si liberi masculi sint curiales, vel feminæ curialibus nuptæ: atque ita Justinianus auxit portionem ex testamento debitam liberis ad excludendam querelam: auxit et debitam parentibus utriusque sexus, et debitam fratribus, turpibus personis hæredibus institutis. Nam generaliter ait se augere portionem debitam his omnibus, qui ea non relicta de inofficioso testamento queri possunt; quæ clausula male a Juliano coangustatur ad liberos, cum jam satis dixerit supra non de filiis tantum, sed generaliter de liberis. Auget igitur portionem omnibus personis exhæredatis vel præteritis, qui pro exhæredatis habeantur, ad finem trientis vel semissis, quo non relicto, inofficiosi querela competit. Quin et ex sententia Justiniani dicam auctam esse portionem debitam ex lege Falcidia institutis liberis vel parentibus et oneratis præstatione legatorum aut fideicommissorum: alioquin melior esset condicio exhæredatorum quam institutorum, nec tamen æquum est ut ferant minus instituti, quam non instituti. Sed et in Oriente communi consensu fuit porrectus etiam hujus Novell. modus ad Falcidiam extraneis hæredibus institutis: non sic in Occidente. Illud etiam notandum est, Justinianum augere portionem liberis non tantum ex testamento patris, sed et ex testamento matris et ceterorum parentum utriusque sexus: nam et olim, ut in matre exemplum ponam, S. C. Orfitiano filio legitimo hærede constituto matris, D. Marcus (quo auctore factum est S. C. Orfitianum) filio etiam ex testamento matris legitimam portionem dedit, ut Nicephorus Callistus scribit: sicut S. C. Tertulliano matre legitima hærede constituta filii, D. Pius (quo auctore factum est S. C. Tertullianum) matri etiam ex testamento filii legitimam portionem dedit, ut Zonaras scribit: et similiter ut ex Constitutione Juliani nepotes ex filia ave succedunt ab intestato cum patruis et avunculis et cum consobrinis non deducta tertia, et cum agnatis non deducta quarta. Deductio quartæ tollitur *l. ult. Cod. de suis et leg. hær.* Deductio tertiæ hac *Novel.* et *Novel.* 118. atque ita abrogatur *l. Si defunctus. Cod. de suis et leg. hær.* et *l. Illam. C. de collat.* Quartæ et tertiæ deductio fiebat ex Constitut. Valentiniani et Theodosii, *l. Si defunctus Cod. Theod. de leg. hær.* cui Arcadius et Honorius de dotis et donationis propter nuptias collatione quædam addiderunt in *l. Nepotes Cod. Th. eod.* quæ citatur *d. l. Illam.* Ut igitur nepotes ex filia sine ulla diminutione ab intestato veniunt, ita et ex testamento eis

portio relinquenda est, ne de inofficioso agant: et generaliter liberis et parentibus qui ab intestato defuncto succedere possunt jure civili vel jure prætorio satisfaciendum testamento est. Illis qui ex latere veniunt licet ab intestato rem habituri forent, testamento satisfaciendum non est nisi fratribus consanguineis, si turpes personæ hæredes instituantur. Id etiam adnotandum est, Justinianum augere portionem debitam liberis procreatis ex justis nuptiis, etiamsi sine dotalibus instrumentis copulatæ sint nuptiæ. Consensus enim nuptias facit, non dos, *l. ult. §. 1. Cod. de don. ante nupt. l. ult. Cod. de repud. Novel.* 22. Majorianus tamen omnimodo dotem exegit *Novel. de sanctim. et viduis.* Vult etiam Justinianus eamdem portionem relinqui naturalibus per nuptias dotalesque tabulas legitimis effectis: nam ut naturales efficiantur legitimi non satis est nuptias contrahi cum concubina, sed etiam dotalia instrumenta intervenire oportet, ut dictum est *Novel.* 12. et ita tam Græci quam Latini interpretes accipiunt hunc hujus Novellæ locum: ταυτὸ δὲ κρατείτω hoc idem obtineat, etc. Julianus longe aliter, nempe ut eodem jure sint liberi ex priore matrimonio sine dotalibus instrumentis procreati, et liberi ex posteriori matrimonio confectis dotalibus instrumentis suscepti, quod est ex *Nov.* 117. sed huic profecto loco non congruit, et quod hoc loco refertur non est ex *Novel.* 117. quæ longe post hanc edita est, sed ex anterioribus Constitutionibus, puta ex *l. Cum quis.* et *l. Nuper, Cod. de nat. lib.* Nec omittendum quod de dodrante Justinianus ait debito liberis curialibus, repetitum est *Novel.* 38. quæ tempore prior est. Ut olim plus erat relinquendum liberis curialibus quam ceteris, curialibus nempe quarta bonorum omnium, ceteris quarta legitimæ portionis, *l. ultim. Cod. quan. et quib. quar. pars. etc.* ita hodie plus curialibus liberis debetur quam ceteris, Curialibus enim dodrans bonorum omnium, ceteris triens, vel semis legitimæ partis. Id quoque notandum est, relinquendam esse liberis et parentibus portionem legitimam pleno jure non deducto usufructu: quia et uxori relicto usufructu bonorum, legato non contineri portionem legitimam .l. in ea portione uxorem sibi vindicare usumfructum non posse recte. An et extraneo hærede instituto et legato usufructu bonorum omnium, plenam Falcidiam hæres deducit, et præstat dodrantis usumfructum? Minime. Quid ergo? Æstimatur ususfructus *l. Computationi. D. ad leg. Falc.* Finge: Cajus legavit Titio usumfructum bonorum omnium. Bona ejus cum in eorum fructu quotannis redigerentur x. æstimantur cc. ad rationem, ut dicitur, unius pro xx. Dodrans igitur est cl. Ususfructus autem legatum, quia sexagenario legavit, æstimatur l. facta computatione annorum quinque. Vel etiam si legaverit agenti ætatem xlv. annorum, ususfructus æstimatur cl. facta computatione xv. annorum qui ætati legatarii ad annum sexagesimum desunt. His casibus legatum ususfructus bonorum omnium valet, et Falcidiam non patitur, quia non excedit æstimationem dodrantis. Sed si legetur ususfructus quadragenario, cc. legatum æstimatur, atque ita absomit bona, et locus est Falcidiæ. Præstabit ergo legatarius hæredi l. pro Falcidia, et hæc est sententia *l. Omnium. D. de usufr.* et *l. 1. §. Si ususfructus, in fin. D. ad leg. Falc.* Obstat tamen quod dicitur, hæredem Falcidiam habere debere et Falcidiæ fructus, *l. 15. §. Fructus, l. 14. §. 1. D. eod. l. Mulier. §. Si hæres. D. ad Treb.* Sed hoc ita procedit si non sit legatus bonorum ususfructus, nam usufructu legato, tueri debet hæres voluntatem defuncti, si legatum non excedat dodrantis æstimationem, vel si excedat, inire debet æstimationem ususfructus, et ex ea Falcidiam retinere, qua pecunia statim utetur fruetur arbitratu suo. Rursus obstat d. § *Si ususfructus, in princ.* quo non æstimandum usumfructum sed ex eo, id est ex fructibus quasi ex corporibus, quartam retinendam ait. Veteres usumfructum æstimabant: Aristo et Julianus putant ex eo quasi ex corporibus quartam partem retinendam: quod hac distinctione facile explicabitur. Aut constat locum esse Falcidiæ, aut non. Si constat intervenire Falcidiam, ut ex ceterorum legatis ita ex legato ususfructus fundi quarta pars detrahitur pro rata, secundum Aristonis sententiam, *l. 5. D. de usufr.* Si non constat de Falcidia, et ususfructus fundi legatum secundum veterum sententiam et cetera omnia legata communi calculo necessario subjiciuntur, ut sciatur, quanti sint bona, quanti legata, atque ita ponitur ratio legis Falcidiæ. Idemque est si ususfructus tantum legetur, veluti ususfructus bonorum omnium, et dubitatur de Falcidia: nam et hic necessario ususfructus bonorum omnium æstimandus est, num excedat dodrantem bonorum. Sed rursus his duobus casibus totum usumfr. æstimari, ut sciatur quantum sit in legato: Falcidiam autem non ex æstimatione deduci, sed ex fructu Accursius putat in d. §. *Si ususfr.* quod est falsum: repugnat enim *d. l. Computationi* repugnat *d. §. Si ususfructus,* qui veterum sententiam non recte opponit sententiæ Aristonis, nisi veterum sententia hæc est, habitæ æstimationis Falcidiam detrahi. Hæc in extraneis hæredibus. Eadem ratio non servatur in liberis aut parentibus hæredibus institutis: Nam uxori legato usufr. bonorum omnium, ex usufr. detrahitur triens, legatario bes præstatur ex hac Novella: quia in ea emendat jus vetus (ut Accursius sensit) citata *l. Uxori meæ. D. de usufr. leg.* et verbis Novellæ demonstratur satis: cum id juris dicitur habere prætextum, de cetero tamen fieri vetatur. Idem ergo fuit olim hac in re jus extraneorum et liberorum, *l. 18. Cod. de exc. tut.* nisi fuisset adjectum ut frueretur mater una cum filiis, ut in oratione pro Cæcinna, et *l. Si mulieri. D. de usufr. accres.* Plene et pura debetur legitima portio. Pura a die et condicione, *l. 30. 32. 36. §. Cum autem. Cod. de inoff. test.* nisi bona mente dies vel condicio apponatur, *l. 25. C. eod.* qua ratione etiam excusatur substitutio pupillaris, *l. 26. Cod. eod.* Idemque dicitur de portione debita patrono, *l. Sive libertus. §. 1. et 2. D. de ju. pat.* in qua hæc verba, Sine condicione et dilatione, videntur esse ex Constitutione Græca Justiniani de jure patronatus, in qua ita est, πάσης αἱρέσεως καὶ ὑποθέσεως ἀπηλλαγμένης. Pura etiam debet esse ab omni onere legati et fideicommissi, et inde ratio dubitandi ad *l. 12. Cod. eod.* sicut portio debita patrono *l. 28. D. de leg. 2.* quibus exemplis fortiter defendi potest, sicut patronus qui legem Papiam se omissurum fideicommissario cavit, non tenetur, *l. Si patronus. D. de donat.* ita liberos qui legem Glciam se omissuros caverunt non teneri, cum tamen hæres extraneus qui se legem Falcidiam omissurum cavit, teneatur, *l. ult. Cod. ad leg. Falc.* et olim hæc tantum fuit differentia inter patronum et liberos, quod liberis debitam portionem libertates minuebant, patrono debitam non minuebant: hodie tamen et hanc minuunt ex Constitutione Justiniani Græca de jure patronatus. Item liberi hæredes instituti ne parentibus quidem paternis et cognatis .i. ab eodem patre progenitis fratribus præstant legata supra portionem legitimam, quia nec extranei supra Falcidiam, *l. 28. D. ad leg. Falc. l. pen. C. de inoff. test.* patroni præstant liberis et parentibus liberti supra semissem, non tamen supra quadrantem, *l. 4. D. de cond. et dem. l. 6. §. Si patronus. D. si quis. omis. caus. test. l. Ex asse. D. ad leg. Falc. l. Si ejus §. ult. D. ad Treb.* hodie ne illis quidem præstant supra trientem ex eadem Constitutione, § *Sed nostra. Inst. de suc. lib.* Itaque patronos liberis Justinianus exæquavit in omnibus, certe et in modo: nam ut patrono debetur triens, ita unico filio hodie debetur triens bonorum omnium. Pura debet esse portio legitima ab onere æris alieni, vel ejus quod æris alieni loco est. Plena et integra hodie debet esse non deducto usufructu, etiamsi matri relinquatur usufr. bonorum omnium. An et ex ea deduci Falcidia non potest? Certum est lege Falcidia non excipi patrem et filium, *l. 28. D. ad leg. Falc.* qui tamen excipiebantur lege Furia: sed quantum deduxerit hæres, tantum refundere et supplere cogitur, *l. Scimus. Cod. de inoff. test.* Frustra igitur deducit Falcidiam. Ad hæc notandum est filium hæredem institutum in universum jus fratribus partem facere: ut si sint sex liberi unus instituatur hæres universalis, alii quinque in legitimam, singuli quinque habebunt unciam, hæres universalis septuncem, et extraneus, habet semissem: nam et in semisse non minus extraneum quam filium pater hæredem instituere potuit: ut filius in illo semisse habet virilem portionem. Et hoc jure utimur: quod probatur Harmenopulo quinto epitomarum. Et ita exhæredatus qui omittit querelam inofficiosi testamenti, id est, qui tacet et non agit querela, partem aliis facit: ut si sint quatuor filii, et unus ex eis exhæredatus cui nihil relictum est omittat querelam, reliquis tribus, quibus singulis relicta est uncia, satisfactum videtur, licet non habeant integrum trientem: vel si reliqui tres quibus forte nihil aut minus debito relictum est agant querela, vindicabunt dodrantem non assem, exhæredato servabunt quadrantem, *l. Pap. §. Quoniam. D. de inoff. test.* Aliud dicendum est in exhæredato qui repudiavit, vel qui repudiantis animo non egit de inofficioso, vel egit et non obtinuit, exclusus forte præscriptione temporis vel agnitæ voluntatis: nam hic partem non facit itaque satisfactum non videtur reliquis tribus, quibus tres tantum unciæ relictæ sunt, cum deberent relinqui quatuor, et agentes querela assem vindicabunt, *l. Filio. in princ. l. Qui repudiantis. l. Si ponas. §. ult. D. eod.* nam hoc casu exhæredatus pro mortuo habetur, *l. 1. §. Sed et si patruus. D. de conjung. cum. em. lib. d. l. Qui repudiantis.* Liberi autem mortui ante rescissionem testamenti non faciunt partem. Non concurret igitur fratribus is qui exhæredatus est in hæreditatem legitimam. In *d. l. Si ponas. in fi.* quo loco ait, Non agere, recte Accursius supplet, repudiando: secus enim est si omittendo. Idem supplendum est his verbis, Non egit, *d. l. Filio. in princ.* In earum legum ignoratione et in summo errore versatur Paulus Castrensis et alii quidam, qui generaliter statuunt, exhæredatum partem facere ceteris, qui ad bona defuncti veniunt: et exhæredatio, inquiunt, filii non prodest fratribus. Imo prodest si constituerit non agere, vel si egerit et non obtinuerit *d. l. Si ponas §. ult. et d. l. Qui repudiantis.* Rursus, inquiunt, exhæredatus ab intestato admittitur. Imo non admittitur, si repudiantis animo non egerit et querela, vel si egerit et non obtinuerit, *d. l. Filio. in princ.* Item portio, inquiunt, exhæredati accrescit hæredi scripto non fratribus. Imo fratribus *d. l. Si ponas. §. ult.* Quid tamen si (ut alio exemplo utar) quinque sint filii, quatuor instituti in trientem, unus exhæredatus, qui non obtineat in querela? Et hic etiam exhæredatus partem non facit. i. ejus persona non computatur, quia habetur pro mortuo. Itaque satisfactum videtur quatuor filiis dato triente, qui tamen non sufficeret si quinque liberi computarentur: eademque ratione quatuor filii, quod eis forte nihil relictum sit si agant querela, assem vindicabunt, et exhæredatus frater non concurret in legitimam hæreditatem, *d. l. Filio.* eodemque exemplo si sint fratres exhæredati sive præteriti qui non agant querela vel non obtineant, et mater, relinqui debet matri triens, ac si nulli essent fratres: vel si mater agat querela, assem vindicabit, nec concurrent fratres in legitimam hæreditatem fratris, licet alias soleant cum matre ab intestato succedere, *Nov. 118.* idemque dicemus multo magis in his omnibus liberis qui non succedunt ab intestato, veluti deportatis qui cognationem amiserunt, ut partem non faciant ceteris .i. ut pro nullis habeantur, itemque in monachis et filiabus, quos quasve leges municipales excludunt. Jure nostro neque filiæ neque monachi excluduntur. Idem etiam dicam in filiabus, quæ pacto a successione intestati removentur: quæ pactio moribus civitatum comprobatur, non jure civili pop. Romani. Sequitur ut id notemus, ex hac Novella liberis legitimam non tantum institutionis sed et legati et fideicommissi titulo relinqui posse. Ex quo efficitur exhæredatos non habere querelam, si legati aut fideicommissi, imo et si donationis mortis causa jure eis sit relicta debita portio: id quod probat etiam *Nov. 5. et 22.* et juri antiquo congruit. Sed mutatur *Nov. 115.* secundum quam sola institutio querelam excludit, non legatum, non fideicommissum, sive

hæreditatis sive pecuniæ fideicommissum sit, quod a Justiniano constituitur, ne cui temere inuratur exhæredationis nota, ut idem perspicue declarat eadem Nov. §. ταῦτα. Exhæredatio enim macula quædam est et injuria, et inde causa dandæ querelæ, quia filii injuria est, *l. 8. D. de inoff. test.* et indignatio, *l. Filius. D. eod.* Non id quidem agit principaliter Justinianus ut instituatur filius in legitimam, sed ut ne temere exhæredetur, sicut in specie *l. 132. D. de verb. obl.* qui stipulatur in hunc modum: Si me exhæredaveris, non hoc agit palam et principaliter ut instituatur, sed ut ne notetur et ne rubore suffundatur: et ideo valet stipulatio, quæ non valeret si palam ita conciperetur. Si me hæredem non feceris. Conclusio igitur hæc sit: Exhæredato querelam competere, etiamsi aliquo titulo singulari vel universali relicta ei sit debita portio. Conclusio est de exhæredato. *Nov. 115.* loquitur etiam de præterito, non de præterito a patre, sed de præterito a matre vel avo materno vel filio, qui pro exhæredato habetur: est enim tota de querela inofficiosi testamenti, non de bonorum possessione contra tabulas aut querela injusti vel rupti testamenti. Rursus conclusio est de exhæredato cum causa, non de exhæredato bona mente, ut in specie *l. pen. D. de cur. fur.* ubi etiam Græci notant non esse in eo locum Novellæ Justiniani, et *l. Multi. D. de lib. et post. l. Si patronus. §. Si quis non mala; l. Paulus. 2. D. de bon. lib.* Conclusionis exceptio hæc una est, nisi exhæredationi adscribatur elogium unum ex his quæ a Justiniano enumerantur, et probetur ab hærede. Probandum etiam olim erat ab hærede, *l. 22. 23. 30. C. de inoff. test. l. ult. C. de sec. nupt.* et contra filius quoque admittebatur ad probandum elogii falsitatem aut nullitatem, *l. 28. C. de inoff. test. l. Si posthumus. §. ult. D. de lib. et post.* Certa sunt elogia, certæ ingratitudinis sive indignitatis causæ. Olim erant incertæ et positæ in judicio centumvirorum. Itaque recte Paul. in *l. 7. D. de bon. dam. meritis de causis*: male vulgo, *certis de causis*: nam certæ causæ non fuerunt ante eam Novellam, sed expendebantur merita filii exhæredati, *l. Filius. D. de inoff. test. l. 19. C. eod. l. 3. § Si emancipatus. D. de bon. pos. con. tab.* Censebantur et quædam justæ irarum causæ, quæ Justiniano non probantur, ut si filius emancipatus turpem et ignominiosam feminam sine consensu patris sibi matrimonio junxisset, satis causæ videbatur esse ad irascendum non filio tantum sed et nepoti ex ea conjunctione procreato, *d. §. Si emancipatus*, licet injustæ nuptiæ non essent, quia filius emancipatus jure civili uxorem ducere potest sine consensu patris: igitur si et injustæ nuptiæ erant, ut si filiusfamiliæ ignominiosam feminam in matrimonium duxerat, justissima erat offensæ et odii causa, quæ tamen a Justiniano non est recepta. Qui vero honestam duxerat injussu patris, neque olim potuit neque hodie potest ob eam causam exhæredari. Justinianus de filia tantum loquitur, inter quam et filium in nuptiis contrahendis magna differentia est. Filius consensum et auctoritatem parentis ejus in cujus potestate est adhibere debet: filia minor xxv annis consensum etiam matris et propinquorum, *l. 1. l. Viduæ. l. In conjunctione. C. de nupt.* Filius qui uxorem duxit citra consensum patris hodie exhæredari indistincte non potest: nec potuit etiam olim, nisi eo ad turpem feminam applicasset: filia nubens citra consensum patris, vel matris exhæredari potuit, quod Patricius Græcus interpres colligit ex *l. 18. conjuncta l. 20. C. de inoff. test.* et ita declaratur *Novel. 115.* ut nimirum moratu patre in quærenda conditione, si post xxv. annum patiatur stuprum puella, vel si nubat libero homini absque consensu patris, exhæredari non possit. Videtur exhæredari posse si post eam ætatem nubat servo, si post eam ætatem meretricio more vivat, si ante eam ætatem nubat absque consensu patris aut matris, certe si ante eam ætatem turpem et impudicam vitam vivere maluerit, quam oblatam a patre vel matre conditionem accipere; exhæredari potest, *l. 19. C. de inoff. testam.* idque evidenter exprimitur *Novel. 115.* De minore xxv. annis quæ nubit sine consensu patris, de majore quæ nubit, servo, vel quæ meretricio more vivit, nihil diserte exprimitur, sed intelligitur satis. Recensentur et aliæ in ea causæ ingratitudinis, ut si filius prohibuerit parentes testamentum facere, quod est ex *l. 23. Cod. de inoffic. test.* Quid fiet si ex hac causa filium non exhæredaverint, utpote quia postea nunquam eis contigit posse facere testamentum? Et placet filio auferri hæreditatem quasi indigno et fisco vindicari, *l. 1. D. si quis aliq. testam. proh. l. 2. Cod. eodem, Paulus. 5. Sent. tit. 12.* Si duo sint filii, unius factum alteri non nocet, *l. 2. §. 1. D. eodem*, ideoque pars tantum ejus fisco vindicatur qui prohibuit, pars servatur ei qui non prohibuit. sicut jure prisco solus ex cohæredibus sacris obligatur qui solus pecuniam exegit quam defunctus prætermiserent ne sacris obligaretur, Cicero 2. de legibus. Si unus sit filius, assem vindicat fiscus. Tenetur et qui prohibuit in factum actione his quorum interest id quod omiserunt ob eam rem, *l. Lucius. §. Sempronia. D. de leg. 2.* veluti his quibus hæreditatem, legatum aut fideicommissum pater relicturus, et hi qui alioquin excluso filio defuncto ex asse ab intestato hæredes futuri erant, ut puta ejusdem vel sequentis gradus hæredibus, quorum interest fiscum non vocari: et ita Julianus recte, *bonorum*, inquit, *possessionem secundum priora jura sua adversus eum exercent actiones.* Puto esse actionem in simplum. Male Accursius notat esse in duplum ex *Novell. 134.* cum in ea non adversus eum qui prohibuit testamentum fieri proponatur actio, sed adversus præsidem, qui pecuniam extorquet ab his, qui testamentum faciunt, ut eis scilicet quam extorserit in duplum reddat. Datur ergo ea dupli actio testatori. Superior non datur testatori, sed ei cujus interest interclusam ei testandi facultatem non fuisse. Male etiam Accursius putat, eum cui defunctus testamento legatum aut fideicommissum relicturus erat, habere petitionem legati aut fideicommissi adversus fiscum: quia legati aut fideicommissi petitio non est ex imperfecta voluntate, *l. Ex ea. D. qui testament. fac. pos.* aut si legati petitio est, cur non erit etiam hæreditatis? Illud tamen recte. eis quibus legatum aut fideicommissum relictum est testamento, quod testator mutare prohibitus est, fiscum teneri *l. 2. §. ultim. D. si quis. aliq. test. proh. l. 3. §. ultim. D. ad Trebel.* Ista est alia causa exhæredationis, si filius arenarius sit invito patre fuerit, nisi et pater ipse ejusdem conditionis sit, ex *l. In arenam. C. de inoffic. testam.* Denegatur filio arenario in ea lege querela inoffic. testamenti. Denegatur et bon. possessio. Unde liberi, quæ ordinat litem de inofficioso: male Accursius contra tab. nam hæc exhæredato non datur. Item si filius, vel filia furiosi parentis curam nullam habuerit, postea sanitate recepta jure exhæredabitur: vel si in ipso furore decesserit intestatus, aut non mutato testamento quod ante furorem fecerat, in quo filium, vel extraneum hæredem scripserat, qui postea testatorem furore correptum non procuravit, hæredi legitimo vel testamentario aufertur hæreditas quasi indigno, et non fisco, sed extraneo applicatur, si quis est qui pietate motus testato nec quicquam conventis admonitisque liberis vel aliis hæredibus, furiosi ejus procurationem susceperit. De furioso Justinianus loquitur, sed constat etiam generaliter ei qui ægrotum non curat hæreditatem auferri quasi indigno, *l. 3. D. de his quæ ut ind.* et ex eadem causa dominium servi amitti et jus patronatus. *l. 1. § Sed nemus. C. de lat. lib. tol.* et generaliter in libris βασιλικῶν scriptum est, filium qui ægrotum, inopem, imbecillum patrem non curat, ait, defendit, ob hanc causam jure exhæredari: quo exemplo comprobari potest non esse hanc causarum enumerationem restrictive accipiendam. Ejusdem conditionis sunt liberi, qui parentem non redimunt ab hostibus: nam parente postliminio reverso exhæredari juste ob eam causam possunt, vel si parens apud hostes decesserit, hæreditas liberis, imo generaliter legitimis omnibus vel testamentariis hæredibus, si forte ante captivitatem testamentum fecerit, quod lege Cornelia confirmatur eo moriente apud hostes: his, inquam, omnibus si negligentiores fuerint in redimendo captivo hæreditas aufertur quasi indignis: et hoc etiam casu non fisco, sed ecclesiæ applicatur, ea conditione ut quicquid ex hæreditate pervenerit in redemptionem captivorum insumatur. Ignoscitur ætati ejus qui redemptionem non procuravit, id est nondum exephebis. Exephebi autem possunt ob eam causam etiam prædia sua pignori obligare, licet minores sint annorum xxv. Oratione Severi excipitur tantum æris alieni causa, sed ex hac *Nov.* quam tractamus addenda est causa redemptionis, nec exigendum decretum. Possunt etiam prædia captivi propria pignori obligare, licet eorum domini nondum sint. Sequitur alia exhæredationis causa, si filii sint hæretici. Et generaliter hæretici non succedunt patri ab intestato, vel ex testamento, *l. Cognovimus. C. de hæret. Nov. 118. in fin.* non succedunt etiam agnatis, et his deficientibus vel exclusis, si defunctus plebejus fuerit, fiscus vocatur: si clericus fuerit, ecclesia intra annum, post annum fiscus. Quod si quidam sint filii orthodoxi, quidam hæretici, orthodoxi soli patri succedunt, resipiscentibus tamen fratribus restituunt portionem suam sine fructibus medii temporis, nullaque administrationis ratione reddita. Ceteræ causæ exhæredandorum liberorum vel parentum sunt notissimæ. Causæ summovendorum fratrum referuntur in *Nov. 12.* His vero causis enumeratis Just. constituit nova, ut nisi una harum exhæredationi adscribatur, et adscripta probetur ab hærede, exhæredato detur querela, et ut per querelam (quod etiam novum est) infirmetur tantum institutio, cetera valeant, veluti legata, fideicommissa, tutelæ, libertates, tabulæ pupillares: cui simile est decretum Adriani certe in specie, de qua *l. Cum mater. D. de inoff. test.* et hoc est quod Irnerius ait, Ex causa exhæredationis vel præteritionis irritum esse testamentum quantum ad institutiones, cetera firma manere: ubi præteritionem incunctanter accipere debemus pro ea quæ pro exhæredatione habetur: nam filio præterito a patre, nec libertates nec legata valent.

Sequitur secunda pars hujus Novellæ, de successione, et capacitate filiorum naturalium, et concubinarum, an capere possint ex bonis patris vel matris testamenti vel donationis jure vel ab intestato. Olim concubinæ licebat donare in infinitum, *l. Donationes. D. de donat. l. 2. §. Divus. D. de don. inter vir. et uxor.* poterat et solidum capere ex testamento, *l. Cum tab. §. 1. de iis, quæ ut ind. auf.* Potuit etiam filius naturalis, et potest etiam hodie a matre hæres institui ex asse quin et exhæredatus habet querelam, sicut spurius, *l. Si suspecta. § 1. D. de inoff. test.* Patri quoque ex testamento olim hæres esse potuit in assem, sicut extraneus quilibet. Hodie neque concubina, neque filius naturalis in bonis contubernalis aut patris assis capacitatem habent. Nam ex Constitutionibus existentibus justis liberis vel patre aut matre, naturales liberi unciam tantum ex testamento vel inter vivos capere possunt una cum matre, mater sola semunciam: illis non existentibus, quadrantem una cum matre, soli filii (ut arbitror) unciam integram quadrantemve integrum, *l. 1. C. Th. de nat. filiis*, de quo fit mentio *Nov. 89. l. 2. C. eod. tit.* quem Constitutionum modum auxit primum ita Justinianus, ut non existentibus liberis vel patre aut matre, naturales liberi semissem ex testamento vel inter vivos capere possint una cum matre *l. Humanitas. C. de nat. lib.* deinde ut assem, *Nov. 89.* Existentibus patre aut matre, deducta portione eis debita, reliquum capere possunt ex *Nov. 89.* ex qua recte Irnerius ad *l. 2. C. de nat. lib.* Nunc soli liberi naturales et legitimi ad hunc modum coarctant, non etiam mater: nam existentibus liberis justis unciam tantummodo capere possunt una cum matre. Datus quoque liberis naturalibus testamento tutor vel curator, confirmatur, et potest etiam eorum tutelam gerere mater, *l. ult. C. de conf. tut. l. ult. C. quan. mul. tut. off. fun. pos. Nov. 22.* An autem ab intestato filii naturales hæredes sint patri, videamus. Matri constat esse hæredes una cum justis liberis ex S. C. sicut spurios *l. pen. C. ad S. C. Orf.* ergo et avi materni, *l. Modestinus. D. unde cog. § 1.*

Inst. de S. C. Orf. et fratribus ex matre eadem, quasi cognatos, *l. 2. et 4. D. eod.* Patri olim non succedebat ab intestato. Patri etiam hodie non succedunt existentibus justis liberis vel justa uxore, quæ etsi non veniat ad successionem mariti, obstat tamen filiis naturalibus: verumtamen alendi sunt viri boni arbitratu. Et non existentibus liberis justis vel uxore justa, non succedunt nisi in sextantem vel soli vel una cum matre dividendum in capita, ut si sint tres et mater, singuli habeant semunciam, ex hac *novella*, et 89. Videtur ergo et his exhæredatis competere querela, non relicta sextantis tertia parte. Nepotes autem ceterique liberi naturales, avo vel proavo nullo modo ab intestato succedunt, *l. ult. C. de nat. lib.* Sed neque fratribus ex eodem patre ceterisque cognatis per patrem consanguinitatis vel agnationis jure. At ex testamento etiam in assem avis succedere possunt, non existentibus justis liberis existentibus in unciam tantum, *d. l. ult.* Eodem autem modo pater et mater filio naturali ab intestato succedunt quo et illis filius naturalis. Mater igitur in assem, l. 2. *D. ad Tert.* Pater in sextantem, si filius naturalis justos liberos non reliquerit: in nihilum si reliquerit, qui tamen naturali avo inopia laboranti alimenta suppeditabunt, *Nov.* 89. Spuriis filii nihil horum quæ diximus datur in patris successione legitima. Spurii sunt qui ex incesto vel stupro vel adulterio progeniti sunt: naturales qui ex concubinatu. Unam concubinam habere licet, non plures: uxorem enim imitatur, et in antiquis inscriptionibus appellatur Vicecunjux. Plures si sint, scorta potius sunt, quam concubinæ: et liberi spurii, non naturales. Matri autem spurii quales quales sint, sane tam ex testamento quam ab intestato succedunt, nisi illustris sit femina, quæ justos liberos habeat, l. *pen. C. ad S. C. Orf.* et multo magis naturales, imo et hi etiam illustri simul cum justis. Illustrem quoque matrem spurio non succedere Accur. putat in *l. 2. §. 1. D. ad Tertul.* forsitan male: nam *l. penult.* de hæreditate matris loquitur, non de hæreditate spurii filii, de S. C. Orfitiano, non de S. C. Tertylliano. Sed æquitatis ratio opinionem Accursii valde confirmat, et quod soleant jura successionum esse reciproca. Si non possim tibi succedere mater, cur tu possis mihi? Quæritur cur spurii et nothi matri succedant ab intestato, non patri. In spuriis ratio evidens est, quia nullum patrem habere intelliguntur, §. *Vulgo. Instit. de succ. cog.* et eleganter a Seneca dicuntur *publici pueri*, in Controversiis. Mater semper est certa. Æquum igitur est ut quod justi liberi utrique parenti debent, id omne a liberis qui sunt sine patre transfundatur in matrem. Synesius Ευοπτίῳ, ὅταν ἀμφοτέροις παρὰ τῶν εὖ γεγονότων ὀφείλεται· τοῦτο πᾶν ἧκειν ἔδει παρὰ τῶν ἀπατόρων εἰς τὰς μητέρας. In nothis sive naturalibus, propterea quod concubina uxorem legitimam imitatur, non idem omnino dici potest incertum esse patrem. Certus proprie est quem nuptiæ demonstrant, *l. 5. D. de in jus voc.* certus quodammodo est in quem concubinatus demonstrat. Concubinatus non est conjunctio justa ut matrimonium: concubina non est justa uxor. Ex concubinatu nati liberi non sunt justi et in potestate patris. Denique est in concubinatu vitium aliquod, et liberi ex eo suscepti degeneres sunt, *l. ult. C. de nat. lib.* et *Theod. Nov. 1. de bon. decur.* Solinus in Æthiopia: ex propter inter omnes populos degeneres habentur, id est, nothi et obliqui. Statius, *Obliquumque a patre genus*: ubi Lactantius, *Quia fuerit*, inquit, *patris mei nothus*. Obliquum ergo dicit ex concubina progenitum: ut Lucanus, *obliquum macalat qui sanguine regnum*. Bastardi vulgo a Germanico *Boesaert*. .i. degeneris ingenii. Et ideo pater non omnino certus est, qui si tamen quodammodo certus est: qua de causa et etiam omnino ab intestato non succeditur, et ex testamento ejus liberi non semper solidum accipiunt.

Tertia pars hujus *Nov.* est de collatione bonorum. Jure veteri et novo ab intestato collationi locus est, ut si filius emancipatus præteritus testamento patris petat bonorum possessionem contra tabulas, fratribus qui erant in potestate patris præteritis vel institutis, ac similiter petentibus bonorum possessionem contra tabulas, vel etiam miscentibus se, conferre debet bona propria, quæ patri quæsisset si mansisset in potestate, et non tantum fratribus, sed etiam nepotibus ex se natis in familia avi retentis idemque erit si omnes veniant ab intestato per bonorum possessionem. Unde liberi, vel per querelam rescisso testamento quasi inofficioso. Filius si non fuisset emancipatus, quæsisset olim patri tam adventitia quam profectitia: hodie non quærit filius fam. Patri nisi profectitia et adventitiorum usumfructum. Ergo emancipatus suis hodie confert bona profectitia tantum et adventitiorum usumfructum, *l. ult. C. de collat.* Rursus hodie bona profectitia non tantum emancipati suis conferunt, sed et sui emancipatis et sui suis, et emancipati emancipatis dotem et donationem propter nuptias profectitiam conferunt, *l. Ut liberis l. Illam. l. pen. C. de collat.* Ex testamento autem jure veteri non est collationi locus: nam fratres cohæredes testamento scripti nihil inter se conferunt, *l. 1. et 7. C. de collat. l. ult. C. com. utriusque jud.* nihil etiam conferunt fratres præteriti institutis venientes ex judicio defuncti, *l. 1. §. Vel maxime. D. de collat.* nihil instituti præteritis, nisi commisso edicto et petita bon. poss. contra tab. aucta fuerit eorum portio, *l. 3. D. de collat. dot.* et generaliter nisi collationem fieri testator præceperit, *d. l. 1. et 7. l. pen. D. de col. dot.* Jure novo i. ex hac novella etiam instituti conferunt dotem et donationem propter nuptias vel donationem simplicem, nisi id noluisse declaraverit testator: nam et ab intestato non est collatio eolenta eo de cujus successione agitur, *l. Ex parte. §. Intestato. D. fam. erc.* De collatione donationis simplicis scripsi Obs. 111. cap. 30.

Quarta pars est de divisione bonorum a patre facta inter liberos. Plus potest ultima voluntas defuncti inter liberos quam inter extraneos. Inter liberos testamentum imperfectum fit non inutiliter, *Nov.* 107. Inter liberos fit divisio patrimonii recte quacunque scriptura, licet neque testamenti neque codicillorum jure censeatur, et quecumque nuncupatione voluntatis, *l. Parentibus. C. de inoff. test.* et eam sequitur judex familiæ erciscundæ *l. filii*, *l. Si cogitatione. l. ult. C. famil. erc. l. Si filia, §. Si pater. l. Ex parte. §. Intestato. D. eod.* Sed ex hac Novella ita demum valet servaturque divisio bonorum per scripturam facta inter liberos citra formam testamenti aut codicillorum, si et subscripserint filii omnes vel pater: alioquin ex æquo inter se hæreditatem filii ab intestato partientur. Olim quodlibet indicium voluntatis paternæ (ut dixi) et qualiecumque verba sufficiebant, et scriptura qualiscumque, ut in donatione Constit. D. Pii.

Quinta pars est de inficiatorum et abjuratorum pœna. Muliæ simpliariæ actiones duplantur inficiatione, ut legis Aquiliæ, et ex testamento legatorum nomine quæ per damnationem relicta sunt, et hodie piorum legatorum nomine, et actio ex empto de modo agri et judicati et interdum depositi, et actio ex contractu habito cum argentariis sine scriptura, edicto septimo. His adjungit hac *Nov.* Justinianus actionem, Si certum petetur de syngraphis. Nam si debitor neget se scripsisse vel si opponat exceptionem non numeratæ pecuniæ, et probetur judici scripsisse vel accepisse, damnetur, in duplum: quod congruit cum *l. 1. C. Th. de usur. rei jud.* et novissimo edicto regis nostri comprobatur. Datur venia pœnitenti et bonam fidem agnoscenti, licet initio litis ad inficias ierit, ita tamen ut sumptus litis præstet quos actor jurejurando taxaverit, nisi id forte judex moderetur, *l. Sancimus. C. de judic.* cui solet opponi Nov. 82 quæ judicem sequi omnino vult jusjurandum actoris. Hoc si prius jusserit judex ad certum modum jurari, et juratum sit, *l. Si quando. C. unde vi*, non si ipse actor suo arbitratu juratus modum sumptuum edixerit: hoc enim moderari judex potest. Est et alia inficiatoria pœna, ne pluribus defensionibus utatur contra regulam juris: nam qui inficiatus est semel, et convictus, postea non auditur solutionem allegans: quin et si verum sit solvisse eum, iterum solvere cogitur: nec potest aptior poni species ad hæc verba *l. 43. D. de regulis juris.* Nisi lex impedit: quam ob rem et ea sola Hermenopulus utitur, et ante hanc Novellam fuisse etiam idem veteri quadam l. sive Constitutione cautum Justinianus narrat. Pœna dupli constituitur etiam in actorem qui apocham .i. professionem solutæ pecuniæ falso negat a se conscriptam: nam et summam apocha comprehensam debito reputare cogitur, et alterum tantum præstare. Pœnitenti parcitur, et in aliis plerisque causis, *l. Quamvis. D. de in jus voc. l. De ætate. §. ult. D. de inter. in jure fac. l. 4. Cod. de hæret. l. Si quis libellos. C. de appel. Nov.* 12. Et hæc de actione, Si certum petetur. In actione in rem alia est inficiatoria pœna, ut possessor si conventus rei vindicatione negavit rem esse actoris, postea convictus alleget pignoris vel emphyteuseos vel superficii causam, vel quam aliam defensionem, non audiatur: transferendam enim possessionem esse in actorem, deinde agendum hypothecaria aut vectigali aut superficiaria actione. Et sic pœnæ causa transfertur possessio eodem judicio in specie *l. ult. C. de rei vind.* et in specie *l. De bonis §. ult. D. de Carb. edict. l. 2. §. ult. D. de collat. l. 1. C. uti possid. l. Postquam. §. Imp. D. ut legat. cau. cav.* Erat etiam olim actio de duplis fructibus ex XII. Tab. quam tacite Justinianus tollit, dum superiorem pœnam in actionibus in rem existimat sufficere.

Sexta pars est de naturalibus, quemadmodum per nuptias sui et legitimi fiant, quam exposuimus *Nov.* 12.

NOVELLA XIX.

De filiis ante dotalia instrumenta natis.

Hæc Novella est de filiis naturalibus, ut et postrema pars superioris, et hoc tantum quod per se intelligi poterat res magis dilucidandæ causa declarat, *l. Nuper.* et *l. Cum quis. C. de nat. lib.* et *Novel.* 12. *§. ult.* etiam ad præterita pertinere, quod etiam exposuimus *Novel.* 12.

NOVELLA XX.

De his qui in causis appellationum, apparitorum officio funguntur.

Ex Novel. 23. quæ hanc tempore præcedit, nata est quæstio hujus. A clarissimis judicibus si lis excedat x. libras auri appellatur ad præf. prætorio Orientis solum, et ideo obsequuntur ei in ea lite soli præfectiani. Ab spectabilibus appellatur ad præf. prætorio et quæstorem: et ideo tam memoriales quam præfectiani in ea lite apparitorum officio funguntur. Plerique a Justiniano ex clarissimis facti sunt spectabiles, *Nov.* 24. 25. 26. et sequentibus usque ad 31. et *Nov.* 102. 103. Cum ab eis clarissimis appellabatur ad præf. prætorio Orientis jus actorum soli præfectiani sibi vindicabant: omne spectabilium honore auctis eisdem, et in causis appellationum manantibus ab eisdem, præfecto prætorio adjuncto quæstore sacri palatii, in societatem apparitionis et actorum venire etiam volunt memoriales sive epistolares et libellenses: quod hæc Novella vetat: vult enim eo in re veterem morem observari: soles igitur apparere præfectianos: ceterum appellationibus porrectis a comite Orientis ad præf. præt. et quæstorem, præfectianos et memoriales vel epistolares apparitorum officio fungi promiscue tam in causis introducendis, actis excipiendis, scribendis, edendis, quam in exequendo judicato, non observata divisione *l. Præcipimus. §. In his autem. C. de appellat.* In appellationibus tamen porrectis a patronis causarum delegatis a principe, ad præfectum prætorio et

quæstorem, servari *d. l. Præcipimus.* §. *Hinc saluberrimæ*, ut soli libellenses appareant. In vulgari titulo hujus Novellæ malim ἐν τοῖς σάκραις, ut intelligatur, in sacris judiciis appellationum. Sacra judicia appellationum sunt quæ in consistorio ab ipso principe per consultationem disceptantur adhibitis proceribus palatii et senatoribus, *l.* 2. *C. de legibus. Nov.* 62. et hujus generis erant appellationes non tantum ab spectabilibus, sed etiam a clarissimis judicibus: nam et a præfecto annonæ appellabatur princeps, *l. ult. D. quod. cum eo qui in alt. pot. est.* Sed cum non posset audiendis omnibus appellationum causis sufficere princeps, placuit consultationum et sacrorum judiciorum loco haberi, si appellaretur ab spectabilibus judicibus, judicium præfecti prætorio et quæstoris, *d. l. Præcipimus*: et in hac significatione sacra judicia dicuntur in hac Novella, quæ et speciem principalis judicii retinuisse dicitur sæpius, propterea quod perinde ac si præsente principe eisdem verbis, eodem ordine, forma et observatione peragebantur eadem, et idem erat in eis exercendis indumentorum et calciamentorum usus, quod tamen sustulit *Nov.* 126.

Ἤδη μὲν θεῖον ἐποιησάμεθα νόμον) Non intelligit *l. ult. C. de temp. appell.* ut Accursius opinatur, sed *Nov.* 23. quæ scripta est Triboniano illustri magistro officiorum et quæstori sacri palatii: sic est restituenda inscriptio *Nov.* 23. Eadem scripta fuit etiam ad Joannem præf. prætorio Orientis, ad quem hæc mittitur, sicut retro et hanc missam opinor ad Tribonianum quæstorem. Et vero par erat ad utrumque mitti, cum sit utrique de causis positis in cognitione utriusque.

Καὶ παρ' ᾗ καὶ ὁ ἐνδοξότατος ἡμῶν κοιαίστωρ.) Et igitur præfect. prætorio adjungitur quæstor, æquum esse videbatur ut et præfectianis adjungerentur memoriales. Præfectiani parent præf. prætorio, memoriales quæstori. Eorum enim obsequio rem quæstoriam geri ait. *l. ult. C. de prox. sac. sc.* Militantes in sacris scriniis memoriæ, libellorum, epistolarum, generali nomine memoriales appellantur, et sunt adjutores potius quam officiales *l.* 13. *C. eod. tit.* licet *Nov.* 23. officiales dicantur improprie Notitia Romani imperii. Quæstor, inquit, officium non habet, sed adjutores de scriniis quos voluerit. Κόμης τῶν οἰκείων) Docui legendum esse τῶν ἐν κῶν Obs. 8. cap. 42. (Ὀρδινάριον ἡμβατρον) Latinam et Græcam appellationem posuit: qua significatur minima dignitas: ea est clarissimatus, media spectabilitas, major illustratus, *Nov.* 7. 23. 102. Ordinarius ergo judex *i.* clarissimus, ut puta præses, corrector, consularis, etiam Synesio in Epistolis, oppositio ei comite militari, et ordinarius miles Festo, id est manipularis: nam et hic est infimus militiæ gradus, *l.* 1. *C. ad l. Jul. rep.* Vopiscus in Bonoso: *Militis primum inter ordinarios, deinde inter equites.* κατὰ τὴν φύσιν τῆς οἰκείας:) Ex judicii qualitate *l. pen. C. de app.* ex ordine vel ex jurisdictione propria, *l. A proconsulibus. l. Jubemus. C. eod.*

NOVELLA XXI.

De Armeniis.

Damnat mores Armeniorum feminas excludentes successione parentum, liberorum, cognatorum ab intestato: nec mirum cum et Romanorum damnarit legem Voconiam. Damnaverat jam ante eosdem edicto 3. sed edicto hoc jus valere præcepit ex initio sui imperii, hac Novell. quæ tempore posterior est ex imperii sui anno octavo. Julianus exposuit sententiam edicti, non hujus Novellæ. Damnat etiam mores Armeniorum puellas collocantes sine dote, et accipientes a marito, quales fuisse etiam Germanorum Cor. Tacitus scribit, et superiores quoque de excludendis hereditate feminis, Saliorum, Anglorum, Thuringorum fuere.

NOVELLA XXII.

De solutione nuptiarum, et de secundis nuptiis.

Hoc primum Justinianus ait, se legem ferre in futurum non in præteritum: quæ vulgaris est differentia legis a judice. Judex enim statuit de præteritis, lex de futuris: quædam tamen leges ad præterita trahuntur. Deinde hac lege potiorem pronunciat esse voluntatem defuncti, ut ecce ususfructus bonorum legatus uxori, non amittitur propter secundas nuptias, nisi id caverit testator. Ab eo cui adscripta est conditio viduitatis, exigitur cautio Mutiana, nisi aliud caverit testator. Tum declarat nuptias contrahi nudo consensu. Quidam concubitum exigebant, *l. pen. C. de inc. nup.* quod non est receptum. Alii instrumenta dotalia: quod etiam reprobatur: nam sine dote ac sine tabulis nuptialibus nuptiæ contrahi possunt, ut diximus *Novel.* 18. Nuptias facit maritalis honor et affectio, *l. Donationis. D. de donat.* plenus honor, *l. Cum tabulis.* §. 1. *D. de his quib. ut ind.* quo solo secernitur concubina ab uxore, *l. Item legato.* §. *pen. D. de leg.* 3. Honor est in ipsa appellatione, *Nov.* 74. Uxor, materfamilias, domina, nomina sunt dignitatis: Concubina quasi nomen est voluptatis: Exiguntur tamen tabulæ nuptiales, ut per nuptias filii naturales sui et legitimi fiant, *Nov.* 12. 18. Exigebantur et in nuptiis contractis inter impares honestate personas, ut si Senator scenicam duceret ex rescripto principis, *l. Si donationum. l. Imp. C. de nup.* Hodie exiguntur nuptialia instrumenta si illustres viri uxorem ducant: (possunt autem etiam sine rescripto quamlibet ducere) in cæterorum nuptiis non exiguntur instrumenta dotalia, sed testatio sufficit, quæ fiat apud defensorem ecclesiæ tabulis consignatis defensoris et testium subscriptione, quæ tamen tenuioribus remittitur et agricolis et gregariis militibus, et his qui nuptias jurejurando affirmant palam in æde sacra, vel tactis divinis scripturis, *Nov.* 74. quod ita emendat *Nov.* 117. ut illustres quidem viri non contrahant nuptias sine dotalibus instrumentis: exceptis illustribus barbaris Romano imperio subjectis, propter eorum simplicitatem, ut Julian. ait: hi et cæteri omnes et eas contrahant consensu solo, sine dote aut donatione propter nuptias si velint, et sine testatione vel jurejurando. Regulariter ergo nuptiæ solo consensu contrahuntur. An vero et nudo consensu distrahuntur? Ita fuit jus olim, *l. Si constante. C. de repud.* Sed tollitur Justiniani *Nov.* 117 et reducitur Justini *Nov.* 140. idque est, ut Justinus ait, bona gratia matrimonium dirimere, id est dulcitas, sine querela, et sine libello repudii: Plutarchus μετ' εὐφημίας et sic quod Anastasius communem consensum vocet in *d. l. Si constante.* Justinianus appellat bonam gratiam, *l.* 1. §. *ult. C. de rei ux. act. Nov.* 98. atque ita vel bona gratia dissolvitur matrimonium sine causa et ratione ulla, quod fieri Justinianus vetuit *Nov.* 117. vel ex certa causa veluti ob sterilitatem, *l. Et ideo. D. de don. inter vir. et uxor.* et hoc Justinianus permittit certis ex causis. Ut repudii certæ erant causæ, ita et bonæ gratiæ: nec enim passim temere dissolvi matrimonia possunt: id lex Ausonia vetat, ut Palladas ait 2. Epigr. Οὐ δύναμαι δ' ἀλόχου τῆς Ἀνδρομάχης ἀναχωρεῖν. Εἴργει χάρτης γὰρ καὶ νόμος αὐσόνιος. Causa repudii olim hæc fuit, debilitas mariti, qui ab initio matrimonii biennio integro, nihil potuit cum uxore, *l. penult. Cod. de repud.* hodie causa est bonæ gratiæ etiam sine repudio, ut Julianus ait in hac Nov. et triennii exspectatio exigitur, atque ita soluto matrimonio sine ulla diminutione dos uxori restituitur, donatio propter nuptias penes maritum remanet. An et propter sterilitatem uxoris matrimonium dissolvatur bona gratia Justinianus non definit. Constat tamen olim et hanc dissidii causam idoneam fuisse, *l. Vir uxori in fin. D. de don. inter vir. et ux.* et fuisse Sp. Carbilio, Cor. Sullæ et aliis plerisque. Huic addicit Justinianus monachismum, et comparat monachismum morti, atque ideo quod pacti sunt conjuges in casum mortis, trahit etiam ad casum monachismi, ut *Nov.* 5. *l. ult.* §. *Nam et mariti. C. de episc. et cler.* in qua quod ait, *Anteriore lege*, legem Græcam intelligit, quæ in eo titulo desideratur, in qua aperte definit et viro eligente solitariam vitam reddatur mulieri dos, et ex donatione propter nuptias lucrum quod sibi pacta est in casum mortis mariti: muliere autem eandem vitam eligente, ut maritus retineat donationem propter nuptias, et ex dote lucrum de quo convenit in casum mortis, non de quo convenit in casum repudii nam hæc conjugii dissolutio fit sine repudio, *Nov.* 123. Quod si uterque solitariam vitam elegerit, sine ulla diminutione mulieri dos redditur, vir retinet donationem propter nuptias idemque servatur si voto studioque castitatis et continentiæ separentur. Sed quid si per causam continentiæ soluto matrimonio, postea tamen secundum contrahant, vel polluant se stupro. Pœna huic peccato imponitur *Novell.* 117. Tertia causa propter quam bona gratia dissolvitur matrimonium est captivitas, et patientia quinquennii. Secundum jus vetus matrimonium captivitate dirimitur, ut et servitute, *l.* 5. *D. de divort. l. Si ab hostibus. l. Si quis. D. solut. matrim. l. In bello.* §. *Medio. D. de cap. et postlim.* nec postliminio redintegratur, consensu novo redintegratur, et pœnis dissidii tenetur qui dissentit sine causa probabili, *l.* 8. *l. Cum duæ. in fi. D. eod.* Julianus excipit matrimonium contractum cum liberta: hoc enim captivitate patroni non dirimi, *l. Eo jure.* §. *ult. D. de rit. nupt.* Ex Novella Justiniani matrimonium captivitate non solvitur statim, et qui quæve manet in civitate connubium non habet .i. jus secundi matrimonii, quamdiu certum est superesse captivum, nisi velit mulier multari dote, vir donatione propter nuptias. Sed si incertum hoc sit, satis est eum expectari quinquennio, post quinquennium secundæ nuptiæ impunitæ sunt, quasi bona gratia solutis primis. Hæc eadem hujus Novell. sententia est in *l. Uxores. D. de divort.* Sed, ut memini jamdiu scribere me in notis Institutionum, stilus probat Triboniani eam esse, non Juliani. Julianus initio scripserat de libertatibus tantum, *d. l. Eo jure.* §. *ultim.* Ex mente Justiniani id traducitur, ad omnes uxores. Et quod ait, *Temere*, id est, quod in hac Novella κατὰ προπέτειαν. Deinde quod subjicitur, *Et generaliter definiendum est*, etc. definitio est hujus Novellæ, quam sumpsisse videtur (ut ipse notat) ex antiquorum quorumdam Imperatorum Constitutione: nam παρὰ τῶν πρὸ ἡμῶν, non est a præcedentibus jurisconsultis, sed a præcedentibus Imperatoribus. Unde et in *l.* 8. *D. de cap. et postlim.* hæc verba *post constitutum tempus*, Triboniani esse affirmo. Id non est omittendum, huic Constitutioni Justiniani derogasse Leonem *Novell.* 33. in eo quod connubium destricte interdicit ei qui in civitate mansit, altero hostium potito, donec certum de morte ejus nuntium acceperit. Solvi secundas nuptias reverso captivo, vel lege Julia de adulteriis accusari posse eam quæ interim nupsit alteri, nec sufficere pœnas injusti dissidii. Idemque vult in captivis servari quod de militibus qui sunt in expeditione constitutum est, *Novell.* 117. Dirimebatur olim bona gratia matrimonium ob militiam *l. Vel senectutem. D. de don. int. vir. et uxor.* quod adhibita distinctione Constantinus divisit in hunc modum, ut quadriennio integro si nullum a marito qui egit in militia nuntium mulier acceperit, publice contestatione habita, et nuntiata duci sub quo maritus militat, impune nubat alteri, *l. Uxor. C. de repud.* *Si nullam* inquit, *sospitatis ejus potuit habere judicium*, legendum, *indicium*, quod σύμβολον in hac Novella. Idem error in *l.* 2. *C. ut in pos. leg.* in qua legendum, *indicio*, ut in *l. Avia.* §. *ultim. D. de cond. et demonst.* Idem in *l. Si cogitatione. C. famil. ercisc.* ut probat *l. ult. eodem tit.* Idem in *l. Liber. C. de postlim. et red. ab host.* Hac autem Novella pro quadriennio præstituitur decennium: sed hoc recantat mox *Novell.* 117. quam probat Leo, et secundum eam idem in captivis constituit et militibus, ut nec si diu expectarit nubat ante mulier quam certior facta fuerit mortis mariti, et de milite etiam ex depositione ducis sub quo militabat, et morte mariti comperta et adhuc vacet anno. Multatur dux qui de morte mariti acta falsa ediderit, et mulier quæ

testimonio docia vel tribuni decepta nupserit alteri, a priori viro repeti potest. Quæ secus nubit, rea est adulterii; at idem hoc constituitur non tantum de militibus, sed et de fœderatis et scholaribus, quæ sunt alia militum genera. Scholares sub primiceriis scholarum, milites sub magistris militum vel ducibus vel tribunis, fœderati sub optionibus sive phylarchis, ut docet *l. 7. C. de exact. trib.* Julianus in *Novell.* 117. quæ illi est 108. *de ordine, corrupte, pro, de optione.* Idem Julianus perite Novell. 102. Phylarchum, ducem Sarracenorum interpretatur, quos ex fœderatis Romano nomini fuisse constat. Sex. Ruffus: *Phylarchi Sarracenorum in Osroene cessere superati.* Jornandes; *In Osroene Sarracenorum Phylarchi devicti Romanis se dediderunt.* Sed pergamus ad reliqua. *L. 1. D. de divort.* matrimonium dirimi ait captivitate vel alia contingente servitute alterutrius eorum. An igitur damnatione in metallum? Sic sane jure veteri: nam damnatio in metallum maxima capitis diminutio est. *Ex hac Novell.* damnatione in metallum non dirimitur matrimonium, et damnatio in metallum media non maxima capitis diminutio est. Et consequenter deportatione non solvitur matrimonium: quod et olim obtinuit, quia deportatio non fuit maxima capitis diminutio, *l. 1. C. de repud. l. Rei uxoriæ C. de don. inter vir. et uxor. l. 14. D. eod. l. 5. D. de bon. damnat.* Imo deportatio, sive aquæ et ignis interdictio, maxima capitis diminutio est *l. pen. D. de ext. cog. l. 4. §. ult. D. de grad. et adf.* et deportatione solvitur matrimonium, *l. Si quis sic stipuletur. D. solu. matrim.* Utrumque ἐναντιοφανῶν auctor proponit, sed in media salebra est, conciliandi rationem nescit. Verius est, eos qui deportantur vel quibus aqua et igni interdicitur, nec cives nec liberos manere jure Quiritium, nuptias non manere jure Quiritium, liberos manere, nuptias manere jure gentium. Et jus gentium in nuptiis potissimum spectari, *l. Adoptivus. §. 1. D. de ritu nupt.* Servitute matrimonium solvi constat bona gratia, ut si libertus vel filius liberti ingratus in servitutem redigatur, mariti nomen emittit. Notandum quod ait de filio liberti: sic enim confirmat *l. ultim. C. de libert. et eor. lib. l. 2. C. de in jus voc.* nam et filius liberti patrono paterno acceptam ferre ingenuitatem debet. Ut autem de monachismo diximus supra, ita servitute soluto matrimonio, locus est pactionibus in casum mortis. His addit, inter servos vel cum servo aut serva non esse connubium, non dotem, non donationem propter nuptias. Contubernium cum eis est, non connubium, *l. 3. C. de inc. nupt.* Si tamen sciente aut dissimulante domino servus vel ancilla liberæ personæ matrimonio se conjunxerit, justum est matrimonium, quasi contractum inter ingenuos: nam servus tacito jure ingenuus fit, adeo ut nec juri patronatus obstringatur; idemque est si servum dominus ægrotantem dereliquerit; nam et hic liber fit, quod etiam veteres probarunt. Ex his intelligitur quatuor esse causas solvendi matrimonii bona gratia, debilitatem, monachismum, servitutem, captivitatem.

Nunc tractemus de repudiis. Ex aliis enim causis matrimonium non solvitur sine repudio. Repudium mittitur per nuntium aut per libellum conjugi datum missumve ad domum ejus, *l. 6. Cod. de repud.* et concipitur certis formalibusque verbis ex XII. Tabul. sicut et Judæos narratur habere certam formulam repudii, a qua qui recedat, repudiando nihil agat. Mulieri in ipso repudio claves adimuntur, vel ab ea deponuntur. Cicero Philipp. Claves ademit, exegit; quem imitatus Ambros. ep. 65. *Mulier offensa claves remisit, domum revertit.* Non mittitur autem repudium nisi meritis ex causis, alioquin injusti repudii actio est, pœnalis actio. In *l. 8. D. de capt. et postlim.* fit mentio pœnarum dissidii, et pœnæ sunt eæ; Mulier quæ absque probabili causa discedit a marito, vel quæ discedendi causam marito præbet, dotem amittit et lucra nuptialia, quæ maritus servet liberis communibus, et intra quinquennium alii nubere non potest, *l. Consensu. C. de repud.* quod hæc *Novell.* et 117. uno tantum casu comprobat, si culpa osoris maritus repudium miserit: altero .i. si ipsa repudium sine causa miserit, vacat tota vita, et in monasterium conjicitur ex *l. 1. et 2. Cod. Theod. de repud.* etiam deportatur, et omnia sua deponit in domo mariti usque ad acuculam capitis .i. acum crinalem. Mulier indotata marito præstet quadrantem bonorum suorum æque servandum liberis communibus, modo non excedat C. libras auri, *l. ult. C. de repud.* hunc enim hac Nov. Justinianus ait esse modum maximæ dotis: qui fuit olim decies centenorum millium nummum, *l. Cum de in rem verso. D. de usuris.* Martialis:

Centena decies quæ tibi dedit dotis. Juvenalis, *Et ritu decies centena dabuntur antiquo.* Tacitus 2. Annal. *Decies sestertium dote solutus est.* Vir autem qui causam dissidio dedit, amittit donationem propter nuptias et dotem: vel si matrimonium fecerint sine dote, quartam partem bonorum suorum, et mulieri est post annum cum alio connubium. Annum vacat propter incertum uteri: sed si pepererit, jure nubit etiam intra annum. Viro licet ducere statim aliam, quod tamen non licuit olim, *l. 1. C. Th. de repud.* Hodie communis est pœna viri et uxoris, ut si sine causa repudium miserint, in monasterium detrudantur, *Nov.* 127. et 134. Erat olim actio de moribus pœnalis *l. De moribus. C. Th. de incest. nupt. l. 5. C. Th. vic. civil. cr. ug. non pos. l. Viro. D. sol. mat. l. 5. D. de pac. dot.* in qua judex pronuntiabat, quia videretur causam dedisse, dissidio, quæ non dabatur hæredi vel in hæredem, *l. Rei judicatæ. §. ult. D. sol. mat. d. l. De moribus*, et ea actione ex dote exigebantur portiones quædam propter mores mulieris, propter mores mariti dos repræsentabatur cum fructibus quadriennii, vel reddebatur sexto mense a die repudii, auctore Ulpiano. Hodie sublata est actio de moribus, *l. ult. C. de repud.* Erat in ea actione differentia inter mores graviores, ut si cum alieno viro probri quid fecisset mulier, et mores leviores (eodem Ulpiano auctore) inter crimina et mores, *l. 2. C. Theod. de repud.* Est et hodie quædam inter mores differentia: nam ob adulterium maritus non

tantum dotem et donationem propter nuptias retinet: sed etiam ex cæteris bonis uxoris tantum capit quantum facit tertia pars dotis, et adultera in monasterium detruditur, nec potest nubere post quinquennium. Pari pœna coercetur maritus ob calumniam, si falso mulierem adulterii ream postulaverit, *Novell.* 117. vel etiam ob adulterium, si cum aliena uxore probri quid fecerit *Nov.* 134. Certæ olim non erant causæ repudiorum, sed positæ erant in arbitrio et disquisitione judicantium: hodie sunt certæ ex utraque parte, *l. Consensu.* et *l. ult. C. de repud.* Et pleræque olim justæ, ut si mulier vinum bibisset, quæ hodie non sunt justæ. Item si vir impudice et luxuriose viveret, ut ex Justino exemplum Eusebius refert l. 4. cap. 17. usurpans Latinam repudii vocem, τὸ λεγόμενον παρ' ἡμῖν ῥεπούδιον δοῦσα, quod hodie non aliter licet quam si cum aliena uxore fuerit, quo casu tenetur lege Julia *Nov.* 134. Sed si cum virgine aut vidua fuerit, non tenetur lege Julia de adulteriis, *l. 1. C. ad leg. Jul. de adult.* et Zonaras Apost. cap. 48. et Augustinus de verbis Apostoli serm. 4. quanquam si is forte mulierem accuset adulterii, idem ipsa in eum referre, et retorquere crimen possit, *l. Si uxor. §. Judex. D. ad leg. Jul. de adult. Periniquum enim videtur*, inquit, *ut pudicitiam vir ab uxore exigat quam ipse non exhibeat*: et ita Lactantius, *Exemplo continentiæ docenda uxor ut se caste gerat: iniquum est enim ut id exigas quod præstare ipse non possis*: et Nazianzenus: τῶν σωφροσύνην μὲν ἀπαιτεῖς, οὐκ ἀντεισφέρεις δέ; Sunt ea verba §. Judex ex rescripto Imp. Antonini, auctore Augustino ad Pollentium, quod tamen in eo prætermissum est, ut plerisque aliis Pandectarum locis rescriptorum et Constitutionum verba referuntur, eo non judicato, exempli gratia his, *l. Ne piscatores. D. de incend. rui. et nauf. l. Ita autem §. ult. D. de adm. tut. l. 6. D. si tab. test. nul. ext. l. 6. D. de cap. et postl. l. 3. §. Non perpetuæ. D. de sep. viol. l. 1. §. Si quando. D. de muq. om.* Sed redeamus ad rem. Ex parte viri certæ sunt causæ dissidii, ut si cum aliena uxore fuerit, si sacrilegus, si plagiarius, etc. si servilibus verberibus uxorem adfecerit, *l. Consensu. C. de repud.* quod mutatur *Nov.* 117. in qua certe non vult ob verbera repudium mitti, et etiam statuit pœnam huic malæ tractationi, ut tertia pars donationis propter nuptias mulieri repræsentetur. Ex parte mulieris certæ etiam sunt causæ, ex quibus una est jure veteri probata, non tantum si adulterii in hoc matrimonio commissi, sed et si commissi in priore damnetur, *l. Miles. §. ult. D. de adult.* Sed eæ causæ repudii ad breviorem numerum contrahuntur *Nov.* 117. Expositis causis pœnisque dissidii, Justinianus docet non esse connubium adscriptitio cum libera muliere, etiamsi hoc sciat consentiatque dominus, et ideo dirimi connubium a domino posse: quod est ex *l. ult. C. de agr. et cens.* Deterior est hac in re adscriptitiorum quam servorum conditio propter agriculturæ necessitatem: nam servi si duxerint liberam sciente aut consentiente domino, matrimonium non dirimitur. An vero jure nubat adscriptitia libero homini, non dicit: sed constat jure nubere, propterea quod ex eo connubio nati adscriptitii sunt, *l. Mulier. l. Ne diutius, l. ult. C. de agr. cens.* Ex adscriptitio autem et libera nati, liberi sunt non adscriptitii *d. l. ult. Nov.* 54. Post hæc Justinianus docet ut contrahi, ita dirimi non posse matrimonium a filiisfam. sine consensu patris: item nec dirimi a filiis emancipatis posse in fraudem parentum, qui pro eis dederunt vel acceperunt dotem aut donationem propter nuptias, ut scilicet subjiciant eos exactioni dotis vel donationis propter nuptias, et pœnis injusti repudii; quam tamen fraudem sine effectu esse constituit, et se jam ante constituisse refert, videlicet, *l. ult. C. de repud.* quæ fuit Græce scripta, et in eo titulo desideratur, sed extat ejus sententia 28. βασιλικῶν, ac similiter filiarum divertentium fraus amovetur, *l. Si filia. D. de divor. l. Filiæ. D. sol. mat.* E contra matrimonium contractum a filiofamil. consensu patris, non potest dissolvi sola patris voluntate, nisi ex magna et justa causa: ut recte queratur filia apud Ennium in hunc modum:

Injuria abs te afficior indigna pater.
Nam si improbum esse Cresphontem existimaveras,
Cur me huic locabas nuptiis? sin est probus
Cur talem invitum invitam cogis linquere?

Et ita in Plauti Sticho filia ad patrem: *Aut olim nisi tibi placebant, non datas oportuit, Aut nunc non æquum est abduci pater.* Contractum autem ab emancipato matrimonium dissolvere pater nullo modo potest, *l. 5. C. de repud. l. Cum hic status, §. Si socer. D. de don. inter vir. et uxor.* Tum agere incipit Justinianus de matrimonio soluto morte: quo casu vir ex dote, mulier ex donatione propter nuptias lucratur quod pactis dotalibus in casum mortis conventum est: æqualia debent esse pacta, non æquales quantitates: potest enim dos esse CCC. donatio propter nuptias CC. Hodie æquales etiam esse quantitates debent ex *Nov.* 97. At si maritus, exempli gratia, in casum mortis uxoris pactus sit partem quartam dotis, æque mulier in eundem casum ex donatione propter nuptias amplius pacisci non debet: et si forte amplius paciscatur, pactio restringitur, et redigitur ad qualitatem .i. ad quartam, *l. Ex morte. et seq. C. de pact.* quibuscum tantum abest ut pugnet *l. ult. §. Si igitur, C. de don. ante nupt.* ut nominatim confirmentur in §. *Sin autem.* Species et sententia *l. ultim.* hæc est. Donatio simplex jure civili vetita est inter virum et uxorem, non tamen dos vel donatio propter nuptias: nam constante matrimonio ut dos, ita et donatio propter nuptias, quæ veluti contraria quædam dos est ex parte mariti, constitui potest. Sed ante nuptias vel initio nuptiarum si dos et donatio propter nuptias constituatur non est necesse utriusque æqualem esse quantitatem. Sin vero dos constituatur ante nuptias, donatio sponsalitia post nuptias, potest etiam non æqualis esse quan-

titas, ut si major sit dos, minor donatio. Ceterum e contrario major dote donatio propter nuptias constitui non potest, ne fraus fiat legibus prohibentibus donationes inter virum et uxorem, et ideo *l. Si constante. C. eod.* ait, *ejusdem quantitatis*, non majoris scilicet, minoris secus. Quod ad pacta attinet, dote constituta ante nuptias, sponsalitia largitate post nuptias, si specialiter edictum sit ut sponsalitiæ largitas .i. donatio propter nuptias supponatur pactis dotalibus, quæ conventa sunt in dote, obtinebunt etiam in donatione propter nuptias et hæc est sententia §. *Si igitur.* Additur in §. *Sin autem*, etiamsi id specialiter dictum non sit, pro dicto haberi .i. æqualia pacta servari. Sequitur in hac Nov. morte soluto matrimonio lucra nuptialia ad superstitem pertinere quasi propria, et alienari, obligari ab eo posse non transeunte ad secundas nuptias, non alienata pertinere ad liberos, etiamsi parenti hæredes non extiterint, *l. Hac edictali. §. ult. C. de sec. nupt.* sicut et jura paternorum libertorum, nisi ex merito exhæredati sint, et casus militarum, et jura sepulchrorum, et adsignationes libertorum, et dotes a parente filiabus nomine eorum datas, et si parenti hæredes extiterint, pro æquis non pro hæreditariis portionibus. Alienare lucra nuptialia parens potest non tantum inter vivos, sed etiam testamento per legatum aut fideicommissum aut generalem institutionem, *l. Generaliter. § ult. l. Si quis priorie, §. 1.* et §. *Certum. C. de sec. nupt.* Ex hac Novella specialiter tantum, non per generalem institutionem extranei; itaque abrogatur §. *Certum.* abrogatur et §. *Talem.* Ex eo enim si quidam liberi patri hæredes extiterint, quidam repudiaverint, illi soli qui hæredes extiterunt vindicant lucra nuptialia: et male in eo §. Accursius putat anterius matrimonium dici comparatione secundi, quod sequutum non est. Anterius dicitur ut prius legis initio. Ex hac Novella omnes vindicant lucra nuptialia nondum alienata, etiam hi qui patri hæredes non extiterunt: et hæc quidem est sententia hujus Novellæ, quæ recantatur ita Justinianeo more *Novel.* 98 ut sive ad alias venerit nuptias conjux superstes, sive non, usumfructum tantum habeat, proprietatem servet liberis. ergo ut non possit alienare. Rursus ex *Novel.* 127. et Leonis 22. præter usumfructum hoc amplius habet is qui abstinet secundis nuptiis, portionem virilem pleno jure in lucris nuptialibus, quam alienare potest: quam partem *Nov.* 127. male huic Haloander inseruit. Male etiam Haloander sic vertit, Soluto per quascunque supradictas divortiorum species: cum hæc tantum dicantur de lucris obvenientibus morte vel quasi morte, puta servitute aut monachismo, soluto matrimonio: ut Accursius et Theodorus interpretantur, non divortio, *l. Consensu. § Si vero filio. C. de repud.* et διαζεύξεις recte Vetus interpres, disjunctiones sive discidia, scilicet ἀπὸ τελευτῆς, ut ait infra §. ἡ οὐδὲ δὲ τὰ αὐτά. Ad hæc subjicit Justinianus idem servari in matrimonio contracto sine dote vel donatione propter nuptias: nam et in eo soluto morte, nonnihil superest lucri pro superstite, quarta nimirum pars puræ substantiæ *Nov.* 53. cui modus et distinctio quædam apponitur *Nov.* 117. nec mirum, cum et concubina ex defuncti bonis nonnihil ferat etiam ab intestato una cum naturalibus liberis *Nov.* 18. Id autem quidquid est lucri servatur aut non servatur liberis secundum ea quæ superius definita sunt, cum utrinque dos intervenerit.

De secundis nuptiis. Hac in parte differentia est inter marem et feminam. Mas non luget feminam, ut secundam uxorem ducere statim potest sive morte sive repudio justo aut injusto solutum sit matrimonium secundum; *l. Consensu. C. de repud.* Femina defunctum maritum lugere debet. Luctus feminæ potissimum consistit in continentia, olim etiam in habitu, non hodie, *l. Decreto. C. ex quib. cau. inf. ir.* Olim quoque præstituti erant luctui peragendo menses x. cum et hoc fuit legitimum pariendi tempus. Hodie præstituti sunt xii. nam et morte mariti soluto matrimonio mulieri luctus indicitur non tantum ob incertum uteri confusionemve sanguinis, sed etiam ob memoriam et reverentiam defuncti mariti: quandoquidem etiamsi intra annum pepererit, annum luctum peragere debet, nisi hoc a principe vel e senatu impetraverit ut sibi intra legitimum tempus nubere liceret: ut docui Observ. 6 capite 32. id quod prægnanti nunquam concedit princeps. Quin et si talis sit maritus quem more majorum lugeri non oporteat, veluti hostis .i. transfuga, vel perduellionis damnatus, vel suspendiosus. Tiberius capite damnatum propinquos lugere vetuit. *Pater Silani, funeri ejus cum suspendio vitam finisset non interfuit*, auctores Svetonius et Florus. Igitur et si talis sit maritus, vidua tamen quamdiu erit prægnans non poterit alii nubere, vacua nubet statim, *l. Libertorum. §. 1. D. de his qui not. inf.* Divortio quoque aut bona gratia soluto matrimonio, mulier prægnans nubere non potest antequam pepererit, sed ubi pepererit nubere confestim potest etiam intra annum. Itaque multum interest morte an inter vivos solvatur matrimonium. Mortui luctus est annuus: vivi non est luctus, sed in incerto propter turbationem sanguinis annum abstinere nuptiis mulier debet: qua ratione cessante, ut puta maturius edito partu, maturius etiam ei licebit alii nubere, et hoc sive bona gratia, veluti mutuo consensu ex constitutione Anastasii, vel servitute, vel electione solitariæ vitæ, sive repudio solutum sit matrimonium, *l. Si constante. Cod. de repud.* et Constit. Græca *de episc. et cleric.* Pœna autem earum, quæ defunctum maritum non elugent, id est quæ intra annum iterum nubunt, hæc est, ut notentur infamia ex edicto prætoris, quæ tamen rescripto principis aboleri potest, *l. 1. C. de sec. nupt.* cui conjungenda est *l. Si qua. Cod. ad Tertyl.* ut hac Novella Justinianus utramque conjunxit, et ut nihil capere possint ex bonis prioris mariti, nihil ex donatione propter nuptias. quod hæc Novella declarat sumptum esse non ex *l. 1.* sed ex *l. 2. C. de sec. nupt.* ex quo apparet in *d. l. 2.* sponsalium nomine significari donationem propter nuptias, ut in *Nov. Valent. de episcop. jud.* Alias sponsalia sunt arræ, *l. 6. C. Th. de spons. et in tit. Si rector provinciæ vel ad eum pertinentes sponsalia dederint.* sic legendum Nihil etiam ex testamento extra eorum capere possunt: relicta ab extraneis pro non scriptis habentur, et apud hæredem remanent: relicta a priore marito eripiuntur quasi indignis, propterea quod injuriosæ in priorem maritum fuerant, et fisco vindicantur: sed tamen fisco præponuntur x. personæ comprehensæ edicto, Unde x personæ. Nullo etiam titulo possunt quæ nubunt intra annum luctus in secundum maritum transferre ultra tertiam partem bonorum suorum liberi non existentibus, vel liberis existentibus ex priore conjugio non plus quam virilem, *l. Hac edictali. C. de secund. nupt.* Item agnatis vel cognatis suis succedere ab intestato non possunt, nisi usque ad tertium gradum *l. 1. C. eodem.* Sed et infamia, ita omnes eæ pœnæ remitti possunt, speciali indulgentia principis, et quidem simpliciter, si non habeat liberos si habeat, ita demum si eis pure et pleno jure donaverit semissem bonorum, quæ habuerit tempore secundarum nuptiarum inter eos ex æquo dividendum: ita ut mortuo uno intestato sine liberis, pars ejus accrescat fratribus superstitibus: omnibus mortuis bona redeant ad matrem, *l. Si qua. Cod. ad Tertyl.* Fratres præferentur matri. At ne dixeris ideo indistincte in reliquis bonis matrem filio succedere, quod tamen additum est in Basilicis: sed notatur a Theodoro rectissime: nam ex hac *Nov.* in bonis profectis a patre usumfructum tantum habet pro parte virili, in adventitiis plenum jus: atque ita discrimen est inter bona adventitia, et bona profecta a matre et bona profecta a patre. Et hæc de pœna earum, quæ immature secundas nuptias contrahunt, quæ locum habet etiam non existentibus liberis propter honestatem solam §. εἰ δὲ ἐπιτροπεύοι, infra: immaturum matrimonium dicit *l. 1. C. de sec. nupt.* quod hac Novella ἄωρον. Plinius 4. Epistolarum: *Nuptias lugentis, nuptias senis, quorum alterum immaturum, alterum serum est.* Nunc de pœna earum tractemus quæ maturo tempore, id est annuo luctu peracto, vel quæ misso repudio secundas nuptias contrahunt. Hæ mitius puniuntur: nam neque infames fiunt neque incapaces. Puniuntur et mares ex hac causa, licet non puniantur ex causa immaturi matrimonii. Sed neque ex hac puniebantur olim *l. 2. §. ult. C. Theod. de sec. nupt.* Nam suadet tantum Theodosius magnus ut et mares abstineant secundis nuptiis extantibus liberis, vel ut eadem subeant quæ mulieres. Suasio legis non est conjuncta necessitati: ut in fine hujus *Novel.* quod suadet liberis primis non minus relinqui quam secundis, non est permissum necessitati. Legis virtus est imperare, permittere, punire, vetare: legis virtus alia est in suadendo. Ideoque quod suaserat Theodosius magnus, et Theodosius junior necessitatem injecit, *l. Generaliter. C. de sec. nupt.* Causa pœnarum hæc est, quod plerumque injuria et damno adficiantur liberi prioris matrimonii, quibus non existentibus nullæ etiam sunt pœnæ secundarum nuptiarum. Et primum quidem ita coercetur is qui secundas contrahit nuptias, ut lucrorum nuptialium et ceterorum bonorum, quæ a defuncta superstiti obvenerunt, usumfructum tantum habeat, proprietatem servet liberis etiam constitutis in potestate, atque ideo ex eis bonis ut nihil alienare vel obligare possit, imo nec eligere unam ex liberis, ut docui *Novell.* 2. Servatur autem proprietas liberis etiamsi neutri parenti hæredes extiterint, quasi honore præcipuo et privilegio quodam: qua in re derogatur, *l. Generaliter. §. Penult. Cod. de secund. nupt.* nisi merito exhæredati proponantur. Et hoc quidem modo multari secundas nuptias ex eo apparet quod ex *hac Novella* et *l. Generaliter. §. ultim. l. Si quis prioris. § 1. C. de secund. nupt.* is qui secundas nuptias non contrahit habet dominium lucrorum nuptialium in solidum vel (ut novissime constitutum est *Novell.* 127.) pro virili portione. Qui secundas contrahit, nullius portionis dominium habet: et adjecit Justinianus, nihil interesse dederit conjux, an dederit alter pro eo dotem vel donationem propter nuptias, ex *d. l. Generaliter. §. 1.* Nihil etiam mutare si donatio propter nuptias in dotem redacta sit, ex eadem lege §. *Hoc observari*, ut e Græcis Eustathius exposuit recte. Quod ut dilucidius intelligi possit, sciendum est, mortuo marito uxori superstiti reddi dotem, et lucrum nuptiale præstari ex donatione propter nuptias, sed (ut supra dictum est) servari liberis prioris matrimonii, mulieri iterum nubente, eosdem donationis propter nuptias, et omnia quæcunque mulier nacta est ex bonis prioris mariti, dotem eis non servari, *l. Si liberis. C. de don. propt. nupt.* Sed quid si donatio propter nuptias conversa sit in dotem, ut si acceptas e marito res ex causa donationis sponsalitiæ postea uxor marito dederit in dotem? Utrum mortuo viro, et muliere nubente iterum, res illæ non sequentur liberos prioris matrimonii quasi dotales, an sequentur quasi sponsalia? Et placet eas censeri sponsalium bonorumve paternorum jure *d. §. Hoc observari*, ac proinde servari debere liberis, nec alienari aut pignorari posse, alienatas vindicari a possessoribus posse, vel ex aliis parentis, qui alienavit bonis quasi tacito jure hypothecæ debere reparari, *l. 3. l. 6. §. pen. l. 8. §. pen. C. de sec. nup.* ut si forte possessorem defendat præscriptio xxx. an., quæ incipit currere adversus liberos ex eo tempore quo sui juris effecti sunt *l. 4. § ult. C. de bon. quæ lib. acq. l. 1. §. ult. C. de ann. exc.* etiam adversus minores 25. an. non tamen adversus pupillos, *l. Sicut. C. de præscr. 30. an.* hoc casu suum liberi reficiunt sibi ex aliis bonis. Sed an rata est alienatio si præmoriantur filii? Præmortuo patre constat non esse ratam: Præmortuis autem filiis, vel ex filiis nepotes existunt, vel non: si nepotes existunt, hi succedunt in ea bona in stirpes jure hæreditario, *l. In quibus. C. de sec. nupt.* Si non existunt, aut fratres reliquerunt, aut non. Si reliquerunt, ut si tres erant filii, et unus excessit relictis duobus fratribus et parente, parens ex eis bonis sibi deducit quod pactus est in casum ἀπαιδίας. Finge, convenit ut moriente marito sine liberis, mulier donationis propter nuptias semissem lucraretur, existentibus liberis, assem. Donatio propter nuptias est solidorum mille. Nullis existentibus liberis matri debentur D. Existentibus liberis, integram donationem lucretur. Si iterum nubat, dominium ejus pecuniæ liberis

acquiritur, ut si sint quinque, singulis acquiruntur cc. Moritur porro ex eis liberis unus, cujus portio erat ducentorum. Hujus portionis semissem habebit mater, puta c. reliqua c. obvenient fratribus, vel etiam extraneis hæredibus filii testamento scriptis: Quod quidem, inquit, maxime accidit in matre: qui locus est obscurus, ut scilicet matre superstite, filii quasi sui juris, non subjecti potestati matris, testamento sibi extraneum hæredem instituant: nam patre superstite in cujus sunt potestate, non possunt ne de iis quidem bonis, quæ patri non acquiruntur, facere testamentum, *l. ult. §. Filius. C. de bon. quæ lib. l. Imp. D. ad Trebel.* Igitur ea bona ex testamento ad extraneos venire non possunt, sed ab intestato veniunt ad fratres, deducta portione debita patri ex conventione in casum ἀπαιδίας. Omnibus autem defunctis, parens habet integrum semissem: atque ita fit ut alienatio lucrorum nuptialium modo sit irrita, præmortuo nimirum patre qui alienavit, modo rata, præmortuis omnibus liberis, modo partim rata, partim irrita, quibusdam ex filiis præmortuis relicto parente et fratribus: idque attigimus jam supra *Novell.* 2. Secundum genus coercendarum nuptiarum est ex *l. Hac edictali. C. de sec. nupt.* nam vir mulierve qui quæve existentibus filiis aut nepotibus in secundum matrimonium transit, non potest in secundum conjugem dotis vel donationis sponsalitiæ vel quo alio titulo plus transferre quam in unum ex liberis prioris matrimonii: et si inter eos liberos inæqualis fiat divisio bonorum paternorum aut maternorum, non potest plus conferre in secundum conjugem quam acceperit filius cui minor portio attributa est: minus potest attribui uni quam cæteris, non tamen minus portione debita. Cum filio qui nihil tulit, summoto forte ex causa exhæredationis, non comparatur conjux secundus, sed cum eo qui minus abstulit. Quod si plus relinquatur cedaturque secundo conjugi quam, ei qui ex liberis minus acceperit, superfluum pro non relicto sive pro non dato est, et inter liberos prioris matrimonii ex æquo dividitur. Ex *l. Quoniam. C. de sec. nupt.* inter liberos prioris et posterioris matrimonii: quam sententiam Julianus sequitur in epitome hujus Novellæ, cum tamen ex ea superfluum dividatur tantum inter liberos prioris matrimonii, et quidem omnes, nisi quidam sint merito exhæredati, *l. ult. C. de sec. nupt.* nam exhæredati neque in superflui partem veniunt, neque ex parentis bonis tantum quantum vitrico aut novercæ parens dedit, imo nihil vindicare possunt. Exhæredatio extinguit omne jus filii, et hoc *l. ultim.* adjicit ad *l. Hac edictali:* nec enim id in *l. Hac edictali.* hæc exprimebant verba, *Nisi ex his causis etc.* quibus hoc significatur, Minus quarta legitimæ portionis filio relinqui non posse, nisi sit ingratus. Lege autem ultima, Minus quantitate relicta vel data conjugi secundo, filio prioris matrimonii relinqui non posse, nisi sit ingratus. Duplex est beneficium, ut ne minus legitima, et ut ne minus quam novercæ vel vitrico: at utrumque adimit exhæredatio. In quantitate autem bonorum parentis contrahentis secundas nuptias exquirenda, Justinianus definit tempus mortis spectari, non matrimonii secundi, non testamenti vel donationis: qua de causa si mortua uxore prima relicto filio vir superstes qui habebat cccc. in bonis, secundæ uxori donaverit cc. et postea in tantum decreverint bona incendiis forte vel naufragiis, vel morte servorum aut pecorum, ut non plus quam cc. supersint tempore mortis viri, novercæ cui donata sunt cc. privignus auferet c. idemque servatur in ponenda ratione legis Falcidiæ et in aliis plerisque causis. Et hæc quidem sunt quæ pertinent ad primam partem *l. Hac edictali.* cui nihil obstat. l. *Si liberis. C. de don. ante nupt.* quæ matrem iterum nubentem ait filiis prioris matrimonii non servare dotem. Potest igitur ea dote iterum fungi in secundo matrimonio: nam hoc ita verum est si ex aliis bonis suis tantum præstiterit præstaturave sit filio, quantum dotis præstiterit secundo marito. Sed si præter eam dotem nihil habeat in bonis, virilem tantum ex ea conferre in secundum maritum potest, et ita Accurs. recte in *d. l. Si liberis*, cujus in eam legem litera nulla non digna approbatione. Secundam partem *l. Hac edictali*, ea est §. *His illud.* exposuit *Nov.* 2. Ejusdem §. *pen.* est de tacita hypotheca data liberis in omnibus bonis parentis lucrorum nuptialium conservandorum causa, de qua diximus supra. Ejusdem §. *ult.* est de alienatione lucrorum nuptialium concessa his qui abstinent secundis nuptiis: quod jam sæpe dictum est supra mutari *Nov.* 127. Porro exposita et approbata *l. Hac edictali*, Justinianus etiam exponit sententiam *l. 4. C. eod. tit.* quæ est hujusmodi, ut si quis tam ex primis, quam ex secundis nuptiis liberos susceperit, lucra primarum nuptiarum capiant primi liberi, lucra secundarum secundi, in cæteris parentis bonis ut omnes ab intestato primarum secundarumve nuptiarum liberi promiscue succedant. Et donationem propter nuptias Justinianus vocat, quod *d. l.* 4. sponsalitiam largitatem: quod est frequentissimum. Lucra secundarum nuptiarum, capiunt soli liberi secundarum nuptiarum, neque concurrunt primi, licet ad tertias nuptias non transierit parens, videlicet si non fuerint alienata: nam ex hac Nov. alienari possunt, non ex 98. et 127. Lucra primarum alienari non possunt, quis transiit ad secundas nuptias. Tum deinde exponit Justinianus sententiam *l. pen. §. ult. C. de don. ante nupt.* quæ est Justini. Justinianus tamen se eam fecisse profitetur, *l. ult. §. ult. eod. tit.* imperantem scilicet cum patre, quo vivo et nobilissimus Cæsar et Imperator appellatus est. Dos et donatio propter nuptias ampliari vel augeri potest constante matrimonio: imo et constituit: itemque diminui constante primo matrimonio, in matrimonio secundo liberis existentibus ex primo diminui non potest, ne fraus fiat *l. Hac edictali:* ut si secundo marito data vel cauta sint mille in dotem, quia debet etiam mater singulis liberis prioris matrimonii relinquere aut dare mille, forte ut liberos fraudet .i. ut ne mille singulis dare compellatur, atque minuat portionem liberorum manente matrimonio si fingat se minuere dotem, hoc non fit jure. Quin et generaliter evitandæ fraudis causa in secundo matrimonio inhibetur diminutio dotis. Sequitur aliud genus coercendarum secundarum nuptiarum, ut qui secundas contrahit nuptias relictum vel concessum sibi a priori conjuge usumfructum bonorum omnium amittat, et liberis prioris matrimonii integrum restituat, *l. 1. C. si sec. nupt. mul.* Sed hoc genus pœnæ hæc Nov. non admittit. Hodie igitur ususfructus bonorum a priori conjuge acceptus non amittitur propter posteriorem, nisi hanc legem prior conjunx conjugi, cui usumfructum dedit, indixerit, et nisi pro ratione Falcidiæ ut *Nov.* 18. et hoc si usumfructum dederit titulo legati vel fideicommissi vel donationis simplicis. Quod si usumfructum bonorum dederit in dotem vel donationem propter nuptias, is qui eam dotem vel donationem propter nuptias .i. usumfructum bonorum lucratur soluto matrimonio, eam retinet optimo jure transiens ad secundas nuptias, etiamsi aliud cautum conventumve sit: quia etsi bona fuissent data in dotem vel donationem propter nuptias, lege competeret eorum bonorum ususfructus contrahenti secundas, nec posset adimi cautione privatorum. Diversum est si quæ bona sint in conjugem collata alio titulo, quam dotis vel donationis propter nuptias: nam etsi quoties nihil in contrarium actum est, lex velit transeuntem ad secundas nuptias eorum bonorum usumfru. retinere, proprietatem autem amittere, tamen et hoc reliquit in arbitrio dantium, ut dantes dicerent legem quam vellent. Igitur nihil interest usumfruct., an plenam proprietatem alio titulo contulerit in conjugem, quæ utroque casu excipere potest casum secundarum nuptiarum: sicut et nihil interest usumfructum an plenam proprietatem dotis vel donationis propter nuptias titulo contulerit in conjugem, quia neutro casu ulla cautione efficere potest ut contractis secundis nuptiis non habeat usumfructum. Addit patrem quoque contrahentem secundas nuptias non amittere usumfructum bonorum adventitiorum acquisitorum a filiofamilias. Acquiruntur ergo adventitia patri ususfructus jure nec amittitur ususfructus si induxerit novercam filio, *l. ultim. Cod. de bon. mat.* Castrensia tamen et quasi castrensia filiofam. acquiruntur pleno jure. Adjicitur in Haloandri editione, et in Basilicis, Et alia quædam, quod videtur adjectum ex sequentibus Novellis, veluti ex 117. de his quæ filiisfamil. relinquuntur sub hac cond. ne ad patrem ususfruct. pertineat, et ex 118. de bonis fraternis. Sed persequamur modo breviter et alias secundarum nuptiarum pœnas. Quæ iterum nubit non utitur privilegiis vel dignitatibus prioris mariti, *l. Filii. §. 1. ad. mun. l. Cum te. C. de nupt.* Lege Julia et Papia stuprum committit liberta quæ est in matrimonio mariti, si eo invito nubat alteri, *l. 1. C. de inc. nupt.* Mater quæ iterum nupsit, ab ingratis liberis donationem non revocat nisi tribus casibus, *l. 7. C. de rev. don.* idem in patre constitutum non est. Gravius coercentur mulieres, quæ plurimum faciliusque novis maritis non solum res filiorum, sed etiam vitam addicunt, *l. Lex. C. de adm. tut.* Viri non adeo sunt faciles et inconsiderati: quamobrem nec ullo modo multabantur olim. Liberi impuberes non educantur apud matrem si iterum nupserit: quod tamen olim non obtinuit: nec fere ulla alia multa secundarum nuptiarum. Livius 39. *Pupillus relictus sub tutela matris et vitrici educatus fuerat.* Si iterum non nupserit, morte soluto matrimonio, educantur apud matrem: divortio facto, apud eum qui divortio causam non dedit, *Nov.* 117. His Justinianus obiter adjicit explicationem *l. 1. C. si dos constan. mat. sol. fuer.* Dos constante matrimonio uxori reddi non potest, nisi certis ex causis: nam repræsentatio dotis species donationis est, *l. Mutus. §. Manente. l. ult. D. de jur. dot. l. Quamvis. D. sol. matr.* Quod si constante matrimonio dos reddita sit sine justa causa, mortua uxore repetitur ab ejus hæredibus cum fructibus medii temporis, et retinetur, si in casum mortis dotem sibi maritus receperit, proprietate servata liberis prioris matrimonii, viro secundas contrahente nuptias: hæc est interpretatio *d. l. 1.* cui adjicit Justinianus, dotem cautam non datam mortua uxore maritum ab hæredibus uxoris petere secundum conventionem habitam in casum mortis mulieris, æque servata proprietate liberis, si iteraverit nuptias: sed huic petitioni obstat præscriptio certi temporis ex *Nov.* 100. Nondum multandarum nuptiarum rationes exposuimus omnes. Sequitur alia. Mater deficientibus testamentariis et legitimis, tutelam filiorum gerere potest, si modo juraverit se iterum non nupturam, et renunciaverit S. C. Vellejano: nam tutela species intercessionis est. Sed si contra fidem jurisjurandi iterum nubat non redditis rationibus, nec petito alio tutore filii habent tacitam hypothecam tam in vitrici quam in matris bonis, quia fraudem cum eo participasse mater videtur, *l. 2. Cod. quan. mul. tut. off.* et amittit mater successionem filiorum legitimam, et testamentariam, quod alium filiis tutorem non petierit, exemplo Constitutionis Severi, *l. Omnem. C. ad Tertyl. l. Si mater. Cod. in quibus cau. pig. tac. cont. l. Sc. ant. C. de leg. her.* quæ simul omnes conjungendæ sunt. Hodie jusjurandum non exigitur, sed testatio apud acta *Novell.* 94. cum tamen et in hac Nov. in qua recte Vetus interpres legit ἀπομοσαμένη, non ἀπαγγειλαμένη, et *Nov.* 155. probasset jusjurandum. Item hodie mater præfertur legitimis *Novell.* 118. At præterea quæ nondum finita tutela filiorum quam gerendam suscepit, secundo marito nubit, eis quoque pœnis obligatur quibus illa quæ nubit intra annum luctus: nam et utroque modo nuptiæ censentur immaturæ. Octava pœna secundarum nuptiarum, quæ hac Nov. proponitur, sumpta est ex *l. Jubemus. §. In supradictis. C. ad Treb.* ex quo pater a quo legatum vel fideicommissum filio suo relictum est in diem vel sub conditione, non præstat filio satisdationem legatorum aut fideicommissorum servandorum causa, nisi transeat ad secundas nuptias: nam hoc casu satisdat, ut ait *d. l. Jubemus.* Hæc stipulatio legatorum seu fideicommissorum sui origine satisdatio est. Cum tamen de ea agitur interponenda a patre, puto satisdationem accipiendam pro cautione nuda: atque ita in *hac Novella* Justinianus non ἱκανοδοσίαν dixit, sed ἀσφάλειαν: et præstatur hæc cautio filio emancipato, *l. Filio, D.* ut

leg. cau. cav. non filiofamilias, *l. Imperator. D. ad Treb.* Nono loco ostenditur secundas nuptias officere iis qui aspirant ad clerum, primas non officere, nam qui justam uxorem duxit et habet, diaconus, hypodiaconus, presbyter fieri potest, i. ante clericatum matrimonium legitimum contrahere potest, primum, non secundum, ducta etiam ea quæ nunquam experta sit virum, non vidua. Post clericatum non potest matrimonium contrahere, et Leonis *Nov.* 3. ne ex permissu quidem Episcopi, *Nov.* 123. quæ hac in re derogat Ancyranæ synodi cap. 10. nec queri de eo possunt clerici: cur enim antequam offerrent se clero, sibi non adjunxerunt uxorem, vel ejus die pridie quo clerici facti sunt? et sic ante monachismum testamentum facere licet, post monachismum, non item *Nov.* 5. nec de eo queri possunt monachi. Cur enim ante ingressum monasterii testamentum non fecerunt? Quod si post clericatum matrimonium contraxerint, pœna hæc est ut clero moveantur, *Nov.* 6. et 123. vel ex Leonis *Novel.* 79. ordine clericali eo quem tenebant ante nuptias, veluti diaconatu aut presbyteratu, non clero: et liberi sunt spurii ex *l.* 44. *C. de episc. et cleric.* quæ in eo titulo desideratur. Excipiuntur lectores et cantores non tantum Constitutionibus, sed et cap. 26. Apostolorum, et cap. 6. Synodi sextæ in Trullo: nam iis licet post clericatum nuptias contrahant, si modo eas non contrahant cum vidua, non moventur clero vel ordine suo, sed neque arcentur superiori ordine, veluti diaconatu, nisi contraxerint secundas nuptias. Tertiæ interdictæ sunt *Nov.* 6.

Ultimo loco Justinianus proponit explicationem et emendationem legis Juliæ Miscellæ: quæ lex remittit conditionem viduitatis, si is cui forte legato relicto ea conditio adscripta est, intra annum (luctui nondum erat præfinitus annus) secundas nuptias contraxerit, et juraverit se procreandorum liberorum causa id facere, ut Sp. Carbilius jurasse dicitur apud Censores: ut lege Junia Norbana testatio interponitur liberorum quærendorum causa uxorem duci, apud Ulpianum tit. 111. et vulgo solebat inseri tabulis nuptialibus, liberorum quærendorum causa duci uxorem. Cornelius Tacitus 11. *Adhibitis qui obsignarent velut suscipiendorum liberorum causa convenisse.* Augustinus 3. contra Julianum: *Pudicitia conjugalis facit quod præscribunt tabulæ matrimoniales, ne ultra quam generandis filiis satis est, conjugis corpus attrectet.* Idem serm. 244. *Uxor non propter libidinem, sed propter filiorum procreationem accipitur. Denique et ipsæ tabulæ matrimoniales hoc continent, Liberorum,* inquit, *procreandorum causa:* et 1. de nuptiis ad Valerium Comitem: *Ut secundum matrimoniales tabulas nonnisi liberorum procreandorum causa concumbant;* et inde *l. Liberorum. D. de verb. signif.* liberorum procreandorum animo et voto uxores duci. Pertinet autem id legis Juliæ caput tam ad virum quam ad feminam, *l.* 3. *C. de ind. vid. tol. l. Hæres.* §. *ult. de cond. et dem.* et ob id, quantum opinor, Miscella appellatur. Est de ea *l. ult. D. de statulib.* et pleræque aliæ in *tit. de cond. et dem.* Capit igitur ex ea lege vir mulierve hæreditatem aut legatum intra annum, etiamsi secundum matrimonium contrahat, sive a conjuge sive ab extraneo hæreditas aut legatum relictum sit sub conditione viduitatis. Post annum non capit, nisi præstita cautione Mutiana, quæ solet interponi in omnibus conditionibus quæ morte legatariorum finiuntur, sive quæ in non faciendo concipiuntur, quo caveat se non coiturum secundas nuptias, et si coierit, redditurum legatum cum fructibus medii temporis, *l. Mutianæ. l. Hæres.* §. *Qui post. l. Titio fundus. D. de cond. et demon. l. Cum filius.* §. *Qui Mutianum. D. de leg.* 2. Ex Constitutione Justiniani conditio viduitatis remittitur etiam post annum, atque etiamsi non juraverit se liberorum quærendorum causa nuptias contrahere. Sed proprietas rei legatæ servatur liberis prioris matrimonii, ut et cæterarum omnium quas ex bonis prioris conjugis superstes conjux accepit, *l.* 2. *C. de ind. vid. tol.* At hæc conditio, Si vidua erit, vel Cum vidua erit. Si uxorem amiserit, Cum cœlebs erit, non remittitur, *l.* 3. *C. eod.* Nec enim indicit viduitatem, sed solatium viduitati præbet. Conditio viduitatis omnimodo remittitur. Sed hoc rursus in hac Novell. ita Justinianus emendat, ut conditio viduitatis nullo modo remittatur, atque adeo ut intra annum legati aut hæreditatis petitionem non habeat, nisi qui conditionem expleverit: expleri eam morte vel sacerdotio, ut conditionem, hi sine liberis decesserit, auctore Theodoro. Post annum vero ut legatum non capiat nisi præstita cohæredibus vel hæredibus testamentariis aut legitimis cautione Mutiana juratoria: atque ita revocatur jusjurandum legis Juliæ Miscellæ, cum hypotheca rerum suarum expressa vel tacita, vel præstita satisdatione, secundum distinctionem hujus Novellæ, ni conditioni pareatur de restituenda re integra cum fructibus medii temporis, vel pecunia cum usuris triantibus, vel cum usuris ex ea pecunia perceptis. Cautio Mutiana est satisdatio, *l. Cum sub hac. l. Hoc genus. D. de cond. et demonst.* et interdum repromissio juratoria cum hypoteca bonorum ex *hac Novell.* et inde *l. Titio fundus. D. eod.* cautio deficere dicitur non quæ præstita non est, sed quæ non durat eversis facultatibus fidejussoris, vel mortuo fidejussore sine hæredibus. Contractis secundis nuptiis stipulatio committitur, et rem legatam vindicat stipulator a quocunque possessore. Sed quid si is cui legata est pecunia, non possit satisdare? quid si etiam indignus est qui committatur juratoriæ cautioni? Tum vero si legatum non præstatur ante conditionem expletam, sed præstantur usuræ trientes, ut in specie *l. Hac edictali.* §. *His illud. C. de secund. nupt.* Addit Justinianus remitti hanc cautionem a testatore posse. Non omnis cautio remitti testatoris voluntate potest. Fructuaria non potest remitti: legatorum non potuit remitti ante Constitutionem Marci: Mutiana potest remitti. Et hoc postremo genere et illo, ut non utatur dignitate et privilegiis prioris mariti, itemque in clericis et in liberta coercentur secundæ nuptiæ, etiam non existentibus liberis. Cæteræ pœnæ locum habent existentibus tantum liberis: et hoc si secundæ nuptiæ non sint immaturæ. Immaturæ dicuntur dupliciter. Si nubat mulier intra annum, et eæ coercentur etiam non existentibus liberis: Si nubat nondum finita tutela filiorum, et has coerceri palam est propter causam existentium liberorum. Quod sequitur de administratione lucrorum nuptialium et de successione matris [exposuimus *Novell.* 2. Οἱ δὲ αἰτίας ἁπάσης χωρίς.) Illis sine causa ulla, hæc justa ex causa. Τῷ ἐνδοξοτάτῳ στρατηγῷ) Judicum civilium alii sunt illustres, ut præf. prætorio: alii spectabiles, ut proconsules et prætores: alii clarissimi, ut correctores *Novell.* tamen 17. correctores quartum ordinem occupant, quia non omnes sunt clarissimi, perfectissimi quidam. Ad modum eundem hic locus demonstrat judicum militarium alios esse illustres, ut magistros militum: alios spectabiles, ut duces: alios clarissimos, ut tribunos. Κατὰ πρόληψιν.) Ergo ex præsumptione voluntatis lucra nuptialia pertinent ad liberos, etiamsi patri hæredes non extiterint, et ita *Novell.* 39. ex generali fideicommisso vel obligatione quædam κατὰ πρόληψιν, dicuntur excepta, et *Novell.* 136. argentarii κατὰ πρόληψιν, qui de usuris pacti sunt, de bessibus pacti videntur: et Harmenopulus ex mobilium legato quædam excipi κατὰ πρόληψιν. Possent similia ex Græcorum adnotationibus adjungi pleraque ad præsumptionum materiam magnopere conducentia, ut ad *l. pen. C. de fidejuss.* fidejussorem sine scripto acceptum judicio rei exhibendi causa non teneri ultra duos menses, quod κατὰ πρόληψιν non fidejusserit in longius tempus: quod et iisdem verbis adnotat Isidorus ad l. 8. *Cod. de don.* et alii ad *l. Neque absentes. D. de fideicommiss. lib. l.* 3. §. *ult. D. de adim. leg. l. Cum quidam. D. de iis quæ ut indig.* et ἐκ προλήψεως ad *l. Defensionis. Cod. de jure fisc.* et ad *l.* 13. *C. de posthum.* ὡς προλήψει δοκῶν αὐτῇ συγχωρεῖν τὸ τίμημα, et *l. Juris gentium.* §. *Pactorum. D. de pact.* et in Novellis Leonis et Constantini: οἱ μάρτυρες ἢ ἀξίαν, ἢ στρατείαν ἢ ἐπιτήδευμα, ἢ εὐπορίαν ἔχοντες κατὰ πρόληψιν ἀξιόπιστοι τυγχάνουσι.

Τηνικαῦτα τοιαύτης φιλοτιμίας) In hunc locum hæc inveni adnotasse Græcos interpretes: τὸ φιλοτιμίας ἐνταῦθα οὐ περὶ τοῦ ὑποβόλου νοεῖται λεγόμενον ἢ τοῦ θεωρήτρου. ταῦτα γὰρ ὡς χρέως εἶσι χρεωστούμενα πλέον τοῖς παισίν· ἀλλ' ἐκεῖνο εἴρηται κυρίως φιλοτιμία, καὶ ἐκπίπτει τούτου ἡ δευτερογαμήσασα ὅπερ μέλλει κερδαίνειν· οἷον λεγάτα, δωρεαὶ καὶ ἄλλα τινά, ἐπὶ ἃ οἱ μὲν αὐτῆς παῖδες μὴ δευτερογαμησάσης οὐδὲν ἔχουσι δίκαιον· τοῦ δὲ ὑποβόλου μὴ δευτερογαμοῦσα μὲν παιδὸς λαμβάνει μοῖραν κατὰ δεσποτείαν: τοῦτο δὲ πλημμελήσασα καὶ ταύτης στερεῖται, καὶ ἔχει τὴν μερίδα κατὰ χρῆσιν μόνην, καὶ οὐδὲ ἐκπίπτει ταύτην· ἀνατρέπεται γὰρ ἡ πρᾶξις παρὰ τῶν παίδων.

Ὅπερ τισὶν) Intelligit *l. ult. C. de bon. mat.* Haloander et Vetus interpres male τρισίν. Πρόνοια δὲ ἔστω) Hoc idem confirmatur *l.* 2. *C. quan. mul. tut. off. l.* 1. *C. de tut. illust. pers. Nov.* 94. Corrupte Julianus, præf. præt. Οὐκ αὐτὸς ὁ Ἰούλιος) Non ipsa lex Julia Miscella. Λεγ.) Subscriptio est quæstoris, Quæstor legi, ut *Nov.* 105. *Observa Joan. Robert. Animadv. lib.* 1. *cap.* 1. 2. 3.

NOVELLA XXIII.

De appellationibus.

Tria sunt capita hujus Novellæ. Primum ut a sententia judicum spectabilium vel clarissimorum appellare liceat intra x. dies a recitatione sententiæ tam in propria quam in aliena causa, sublata bidui et tridui antiqua distinctione, *l.* 1. §. *Biduum. D. quando app. sit.* A sententia illustrium præfectorum prætorio et appellari non possit, *Nov.* 82. 119. Secundum caput, ut si princeps ad quem appellatum est aliis distentus occupationibus, Senatum convocare nequiverit habendæ consultationis causa, nulla ex mora judicii præscriptio temporalis appellanti objici possit. Inducenda in consistorium principis est causa appellationis intra annum, nec tamen si eodem die compleri non potuerit per occupationes principis vel senatus, ideo deperibit, *l. ult.* §. *Si tamen. C. de tem. appel.* nam si ad alios judices introducta causa appellationis, quo minus intra annum peragatur per judices ipsos steterit, lis non perit, sed datur temporis reparatio, *d. l. ult.* §. *Illud etiam. Nov.* 119. *l.* 2. *C. Th. de rep. ap.* Symmachus ad Theodosium, *Parentum numinis vestri divorum principum protulit sanctiones, quæ inter reliquas exceptiones reparationem jurgantibus tribuunt si per cognitorem causa labatur.* Tertio capite demonstratur, quis a quo appelletur in Oriente, quem dividit in diœceses quinque, ut *l. C. de mil. vers. l.* 1. *C. ut nemo ad suum patr.* Et in Ægypti quidem diœcesi a clarissimis judicibus, si lis non excedat quantitatem decem librarum auri, appellatur ad virum spectabilem præf. Augustalem, sive præf. Ægypti, qui sine spe appellationis vice sacra cognoscat, .i. qua de re appellari olim princeps solebat. Ipse Julianus ait, Quantitatem D. aureorum, debuit dicere DCCXX. Fuit tamen ex anterioribus Novellis quingentorum, anterioribus tempore, posterioribus collocatione: nam hæc post Belisarii consulatum, sequentes Belisario Consule. In diœcesi Orientis ex causis quantitatis ejusdem appellatur a clarissimis ad viros spectabiles Comites Orientis. In Pontica et Asiana diœcesi a clarissimis appellatur ad comites vel proconsules, vel prætores, vel moderatores viros spectabiles, quibus id lege specialiter datum est, ut vice sacra cognoscant in causis quantitatis ejusdem, ut a Consulari iv. Armeniæ v. c. appellatur Comes iii. Armeniæ v. s. et a Correctore secundæ v. c. Proconsul primæ v. s. *Nov.* 31. De diœcesi Traciæ nihil dicit, quis in ea est regia urbs, et a clariss. omnes appellationes ad v. i. præf. prætorio referuntur. In cæteris diœcesibus illæ tantum quæ superent quantitatem decem librarum auri. An et si clarissimi judicaverint ex delegatione principis, eadem distinctio, et quantitas observatur?

Sic sane, qua in re derogatur *l. Præcipimus. C. de appell.* quæ indistincte ab his quos princeps delegavit appellationes transmittit ad præf. prætorio et quæstorem. Ab spectabilibus judicibus, cujuscunque quantitatis lis fuerit, de qua ipsi ex ordine judicant, non ad alios spectabiles appellatur, ne par a pari appelletur, sed ad virum illustrem præfect. prætorio Orientis, ut is de re cognoscat vice sacra: adhibito viro illustri quæstore sacri palatii, *d. l. Præcipimus*, et *seqq. Nov.* obsequentibus tam præfectianis, quam memorialibus: qua ex re nata est quæstio *Nov.* 20. Ab spectabilibus vel illustribus qui ex principis delegatione cognoscunt, appellari dicit eos qui solebant antea, id est principem ipsum vel magistrum officiorum et quæstorem, *l. Præcipimus. §. ult. l. pen. C. de appell.* Ετ si privati sint) id est, non illustres, *d. l. Præcipimus.* In fine ἀπορήσιον legas, non προφάσιων.

NOVELLA XXIV.

De prætore Pisidiæ.

Pisidiæ provinciæ Asianæ diœceseos Prætor Justinianeus civilis et militaris magistratus munere fungitur, et a clarissimis, qui ex delegatione in ea provincia cognoscunt, ad eum tanquam spectabilem appellatur, si modo causa non excedat quantitatem quingentorum aureorum, non ad Comitem Phrygiæ Pacatianæ: at contra ab eo præfect. prætorio appellatur, qui de re simul cognoscat adhibito quæstore sacri palatii, secundum superiorem Novellam. Dantur huic prætori officiales centum promovendi sacra probatoria ex scrinio libellorum, ut *Nov. seq.* et *l. 6. l. pen.* et *ult. C. de divers. offic.* et adsessor, et insignia prætoria, sex fasces, et carruca argentea, et inter milites Ad responsum: qua appellatione quid significetur diximus, *l. ult. C. de milit.* Οὓς δὴ καὶ πραίτωρας ἐκάλουν) M. Tullius, a præeundo Prætores appellatur Lucilius, *Prætorum est ante praire.* Δικαστικὰ καταγώγια) Domos judiciarias, l. 8. *C. Th. de oper. pub.* Οἱ μὲν Σικελίαν) Pomponius *l. 2. §. Capta. D. de orig. ju.* Livius 32. Prætores creati crescentibus jam provinciis et latius patescente imperio.

NOVELLA XXV.

De prætore Lycaoniæ.

Ut in Pisidia, sic in Lycaonia, quæ etiam est Asianæ diœceseos, constituitur judex spectabilis prætor Justinianeus, qui dantur et mandantur eadem, quæ superiori Novella prætori Pisidiæ. Πέμπειν αὐτῶν τῶν ὑπάτων) Festus, initio prætores erant qui nunc consules: et ii bella administrabant.

NOVELLA XXVI.

De prætore Thraciæ.

Tertius hac Novella constituitur prætor Justinianeus provinciæ Thraciæ, et eadem illi dantur quæ superioribus, nisi quod prætoriani Officiales illius probatoriam sumunt ex scrinio epistolarum quam superiorum ex scrinio libellorum, *l. ult. C. de divers. offic.* substituitur hic in duorum locum, vicarii scilicet magistri militum, et vicarii præf. præt. præses autem retinetur.

NOVELLA XXVII.

De Comite Isauriæ.

Constituit Comitem Isauriæ ad exemplum Comitis Phrygiæ Pacatianæ, et Comitis Galatiæ primæ constituit *Nov.* 8. In ante duplici appellatione dicebatur Comes et præses Isauriæ, ut Notitia Romani imp. declarat.

NOVELLA XXVIII.

De moderatore Helenoponti.

Cum antea fuissent duo præsides sive correctores Helenoponti, et ponti Polemoniaci, et duæ provinciæ, modo facit ex utroque Ponto Justin. provinciam quam Helenopontum, eique moderatorem præficit unum, sive Harmosten, quæ vetus (ut ait) appellatio est Lacedæmoniorum Reip. Appianus ἐμφυλίων *lib.* 4. ἣν ἄντις Ἑλλήνων ἁρμοστὰς ὀνομάσειεν ὃ καὶ Λακεδαιμόνιοι τοῖς καθισταμένοις τὰ ὑπήκοα ἐτίθεντο ὄνομα. Moderatorem, inquam, unum, sicut et habuisse utrumque. Pontum refert semper publicorum tributorum et descriptionum tractatorem unum, nec tamen metropolim unam, sed duas, Amasiam, et Neocæsaream, sicut provincia Syriæ Phœnices, quamvis una sit, duas tamen metropoles habet, *l. 1. C. de metr. Ber.* et provincia Paphlagoniæ *Nov. seq.* Repetuntur multa tam hac quam superioribus inferioribusque Novellis specialibus de officio provincialium magistratuum, ex generalibus 8. et 17.

NOVELLA XXIX.

De prætore Paphlagoniæ.

Hæc quoque Novella ex duabus provinciis, Honoriade scilicet et Paphlagonia, unam facit, et prætorem Paphlagoniæ Justinianeum. Ἐκ Βιθυνίας) *L.* 119. *C. Th. de decur.* Dio *in Adriano.*

NOVELLA XXX.

De Proconsule Cappadociæ.

Cappadociæ primæ præses, ut ait *Nov.* 20. vel potius primæ et secundæ Cappadociæ præsides duo, mutantur in proconsulem unum, qui non tantum civilis et militaris ut superiores, sed etiam tamiaci magistratus fungatur officio, et tamiacus magistratus abrogatur: is est qui olim dicebatur Comes domorum: erant enim in Pontica diœcesi, et in Cappadocia præcipue, domus et possessiones multæ propriæ patrimonii principis, et in eis coloni æque et inquilini, et servi, et equitia ejusdem juris, conditionis, nominis, homines puta tamiaci, possessionesque tamiacæ, qui quæve omnes erant sub jurisdictione Comitis domorum, *l. pen. C. ubi caus. fisc. Nov.* 20. quod memini me istius comprobasse in tit. Codicis *de præpos. sacr. cub.* Ergo sublato Comite domorum transfundit hunc rerum tamiacarum, sive βασιλικῶν jurisdictionem omnem hæc Novella in proconsulem Cappadociæ, simul ac cohortem omnem Comitianam: ita tamen, ut hæc seorsim a cohorte civili exigat reditus, tractet, administret prædia tamiaca, nec se muneribus cohortis officiisve præsidalis admisceat, et retro etiam, ut officium præsidiale nihil attingat eorum quæ ad officium Comitianum spectant. Comitianum et præsidale dicimus ἀναφορικῶς, quod conjunctum hodie, eique proconsuli attributum, Proconsulare nuncupatur. Inter officia Comitiana nominantur summarii, sic dicti ab æstimationibus faciendis, ut *Novell.* 64. et M. T. initio x. ad Atticum, et tredecim exactores, et κατασκευασταί, et primi ac secundi magistri primates officii: tolluntur procuratores et tractatores (horum enim onera satis illos implere) et consequenter quicquid malo more ab his collatores exigi solebat. Videtur autem, quod ad res tamiacas attinet, superior esse proconsule præpositus sacri cubiculi: nam et ejus præceptis parere jubetur proconsul, et relationes ad eum facere, et admittere quos ille miserit palatinos sive canonicarios, et proconsul spectabilis est, præpositus illustris. Deputati erant reditus tamiaci cubiculo et cellario sacro, id quod proprie ταμιεῖον est: et inde causa jurisdictionis præpositorum sacri cubiculi, ut diximus l. 1. *C. de prædiis tamiacis*, ἢ τὴν Ῥωμαῖοι πρότερον τὴν ἐν Ἀφρικῇ) Carthaginem intelligit, quæ (ut Sex. Ruffus scribit) prima fuit proconsularis provincia, et simpliciter proconsularis provincia cum dicitur, hæc dicitur, et proconsul quoque per eminentiam, Africæ proconsul. Οὐ γὰρ ἄν τις ἀντιθείη τοιοῦτο τι τῷ δημοσίῳ) Hoc congruit cum l. 5. *C. de oper. pub.* tantum abest ut pugnet cum veteri jure, quod perperam tamen Juliani interpres adnotavit. Ὥστε καὶ δημοσίαν ποιεῖν τὴν οὐσίαν) Interpretatione pœnæ molliendæ sunt, *l. pen. D. de pœnis.* Igitur hoc forsitan non male Juliani interpres, non omnia bona publicari, sed ea tantum quibus titulos imposuerit. Εἴτε ἐν πρώτῃ τάξει) Ut *Nov.* 102. secundum modum tamen *Novel.* 123.

NOVELLA XXXI.

De Præsidibus Armeniæ.

Quatuor Armenias constituit, primæ dat proconsulem, secundæ correctorem, tertiæ Comitem, quartæ Consularem. Corrector et Consularis ordinarii sunt: Proconsul et Comes, spectabiles: et ut supra *Nov.* 28. et 29. ita hac Novella quæ fit innovatio in magistratibus et provinciis, ei non adstringuntur ecclesiæ. Nec ab similiter hodie plerisque regionibus, quæ civili aut militari magistratui est metropolis, non est etiam metropolis episcopis: et provinciarum longe aliam divisionem observat ecclesia, aliam Respublica.

NOVELLA XXXII.

De his qui pecuniam credunt agricolis.

Hæc Nov. pertinet ad provincias Thraciæ, et duo constituit favore agricolarum, unum de antichresi, alterum de usuris. De antichresi, ut creditores ἀντιχρητικῶς cum agricolis non paciscantur fundorum, vel pecorum, vel mancipiorum rusticorum, id est, ut ne ab agricolis fundos pignori capiant, ea lege ut fructus omnes percipiant usurarum vice, quoad sors oblata vel soluta sit, atque ita ut fructus non imputent in sortem. Qui modus datus est usuris, idem datus non est antichresi: nam pacta antichresi fructus creditori cedunt etiamsi quo anno excedant usurarum modum, propterea quod non ita semper fructus bene proveniunt. Pacto antichresis constituitur, usuræ stipulatione. Antichresis perimitur nuda oblatione sortis, usuræ non item *l. Ex prædiis. C. de us.* Antichresin ab agricola pacisci non licet, usuras stipulari licet. Et de usuris quidem hoc constituit, ne ab agricolis creditor stipuletur graviores trientibus, credita pecunia, hoc est

non plus quam singulas siliquas quotannis in solidos singulos, et non plus quam solidos quatuor, et siliquas quatuor in centenos: hæc enim est definitio usuræ trientis, ut constat ex Leone *Nov.* 83 et Anasio *l.* 2. *C. de usur.* Credito autem frumento vel aliis fructibus ab agricolis stipulari creditor potest usuram centesimam .i. in singulos modios octavam modii partem: hæc est usura centesima, ut constat ex *Nov.* 130. nam ut in pecunia usura centesima est, quæ in singulos solidos quotannis reddit tres siliquas .i. octavam partem solidi, ita in frumento centesima est, quæ in singulos modios quotannis reddit sextarios duos .i. octavam partem modii. Proinde usura centesima est quæ in centenos solidos vel modios quotannis reddit duodenos semis. Hæc est nova definitio usuræ centesimæ: vetus hæc, quæ in centenos solidos vel modios quotannis reddit duodenos. Successit novæ et alia amplior, quæ in centenos solidos reddit XVI. semis et quatuor siliquas, hoc est in libram auri, quæ est LXXII. solidorum duodenos, auctor Harmenopulus III. Epit. et Zonaras Nicenæ synodi c. XVII. Ut nunc libræ, inquit, sunt solidorum LXXII. ita olim centenariæ erant, et c. solidorum usura erat XII. quæ et ob id dicitur centesima, quod de sorte c. exigatur. itaque quod Cedrenus scribit Nicephorum ἀπὸ γενικῶν usuræ nomine in singulos solidos exegisse quator siliquas atque adeo in singulas auri libras XII. solidos, usura centesima est. Olim credita pecunia stipulari licebat usuram centesimam, *l.* 4. §. *Pro operis. D. de nau. fœn. l.* 8. *C. si cer. pet.* credito frumento et frugibus omnibus quatuor centesimas, *l.* 1. *C. Th. de usuris*, et probat etiam *l.* 23. *C. eod. tit.* fruges recepisse immodicas usuras. Hodie credita pecunia stipulamur besses aut semisses: credito frumento ceterisque frugibus, centesimas, *l. Cos. C. eod. tit.* Causa differentiæ inter pecuniam et fruges posita est in incerto et inconstanti frugum pretio, quæ etiam efficit ut frugum usuræ ex pacto debeantur, pecuniæ nonnisi ex stipulatione, *l.* 12. *C. de usur.* Et in frugibus jus est commune creditorum et debitorum omnium, ut admittant centesimam usuram: in pecunia separantur viri illustres a ceteris creditoribus, rusticani a ceteris debitoribus: nam hi promittere, illi stipulari tantum trientem possunt. Creditor qui plus exigit, credito cadit: miles hoc amplius exauctoratur. Crimen exasperatur in militem, *l. Quædam. D. de pœnis.* In inscriptione non est quod dubitemus de nomine Agerochi, de quo ita lusit Tzetzes, Λέξις τὸ ἀγέρωχος τρία σημαίνει ταῦτα, ἔνδοξον, ἀρτοζήτην τε, τὸν ὑβριστὴν σὺν τούτοις. Ἀγέρωχον τὸν ἔνδοξον οὕτως ἐτυμολόγει, etc. Ξηρῶν καρπῶν) Fructus aridi sunt messes, *l. ult.* §. *ult. D. de ju. fis. l.* 15. *C. Th. de suscept. l.* 1. *C. Th. de usur.* Sed idem dicendum in liquidis, arg. *d.* §. 1. et *l. Oleo. C. de usur.*

NOVELLA XXXIII.

De his qui pecuniam credunt agricolis.

Quæ superiori Novella lex data est provinciis Thraciæ, hac porrigitur etiam ad provincias Illyrici.

NOVELLA XXXIV.

De his qui pecuniam credunt agricolis.

Exemplum est Latinum *Nov.* 32. quod superiori subjicitur aliquanto latius, ut eo utantur Illyrici periode ac Thraces in contrahendo mutuo cum agricolis. et legendum in eo, In Mysia secunda et in provincia quam tu administras. Præses enim Æmimonti non regebat Mysiam secundam.

NOVELLA XXXV.

De adjutoribus Quæstoris.

Quæstor palatii est is quem nunc Cancellarium appellamus, ut docui libro decimo Codicis. Is adjutores habet ex scriniis quos vult veluti officialium vice, ut dixi *Nov.* 20. olim habuit XXVI. *l. Comperimus. l. ult. C. de prox. sac. scr.* ex scrinio memoriæ XII. ex scrinio epistolarum VII. ex scrinio libellorum VII. sacræ vocis ministros, ut est in Latina translatione hujus *Nov.* deinde multo plures. Hæc Nov. veterem numerum revocat, adeo ut nullorum in locum velit alios supra numerum subrogari, nisi si qui sint adjutores supra numerum laterculenses in scrinio memoriæ, vel in aliis duobus scriniis melloproximi: hi namque alium possunt in suum locum subrogare, accepto pretio quantolibet. De statutis quoque non ambigitur .i. qui sunt intra numerum XXVI. quin possint alios ponere in locum suum, consentiente quæstore, vendito scilicet alii loco militiaque sua. Sed et transmittere eam in hæredes extraneos possunt, dummodo inferant pro introitu solidos c. et hoc est quod ait *l. ult. C. de pign.* militias transferri in hæredes sub certa pretii definitione. Pretium est c. aureorum: nam nec pluris vendere eam possunt. Hanc quoque militiam hæc Novella docet transmitti in liberos, etiamsi defuncto hæredes non extiterint. Quod si hæredes aut liberi minus idonei militiæ sint, vel si qua alia ratione non hæredes aut liberi, sed in locum defuncti adjutoris alii subrogantur, ii eam pretii definitionem certam hæredibus aut liberis defuncti præstare compelluntur, *l.* 7. et 11. *C. de prox. sac. scr. l. Omnimodo.* §. *ult. C. de inoff. test.* et dicitur hæc præstatio scholæ placitum, *l. ult. C. de pign.* et casus militiæ *Nov.* 53. et 97. Inde Julianus hoc loco, *Qui fiunt in locum eorum, qui suo loco ceciderunt, c. solidis præstitis fiant.*

NOVELLA XXXVI.

De successoribus in Africa.

Edita hæc Constitutio est pulsis Africa Vandalis. Et hoc ea cavetur ut Afri sua bona vel paterna aut avita, vel quæ jure cognationis eis obvenerunt usque ad tertium gradum, per præf. prætorio Africæ vel præsides provinciarum recipiant intra quinquennium, salva præscriptione XXX. annorum. quod et similiter fuit constitutum pulsis Italia Gothis pragmatica sanctione Justiniani. Additur, ut si sit quæstio gentis, ex utraque parte probationes admittantur, cognitionaliter non μονομερῶς: quod valde pertinet ad *l.* 1. *D. de probat.* et ut Afri Romanis non Vandalicis legibus utantur.

NOVELLA XXXVII.

De ecclesiis Africæ.

Eodem quo superior tempore hæc etiam fuit edita Constitutio, ut ecclesiæ Africæ bona sua a Vandalis seu Arrianis occupata recipiant sub onere tributorum publicorum. Ecclesias non fuisse olim immunes a publicis collationibus certissimum est. Damnat et Arrianorum et Donatistarum perabaptismata et parasynaxeis et conventicula, et ecclesiarum privilegia confirmat, nec vult hæreticis patere dignitates et officia publica.

NOVELLA XXXVIII.

De decurionibus.

Constitutum fuit olim ut decuriones prædia sua donarent sine decreto, non etiam venderent, *l.* 3. *C. de præd. decur.* Faciliores erant in vendendo quam in donando, idcirco prohibebatur venditio non donatio: et venditio, quia Reipub. interest decuriones facultatibus esse idoneos ad subeunda munera publica: nec enim inopes sunt oneribus ferendis pares. Desideratur in eo titulo *l.* 4. Justiniani Constitutio Græca, quæ etiam decuriones prohibuit donare sine decreto. Desideratur et *l.* 5. quæ nullam causam donandi, nullas personas excepit. De donatione directa, communi, simplici loquor. Dos enim et donatio propter nuptias non prohibetur, quia non est donatio simplex, cum et constante matrimonio fieri possit inter conjuges, *l. ult.* §. *Sancimus. C. de don. ante nupt.* Simplex donatio prohibetur, quia propter nuptias non fit: donatio simplex non est contractus. Donationi propter nuptias inest species quædam contractus, ut eleganter Justinianus ait in hac Novella: comparatur enim doti, quam constat esse contractum, *l. Contractus. D. de div. reg. jur. l. Exigere. D. de judic.* et hoc apertius ita definit *Novell.* 119. donationem propter nuptias specialem esse contractum. Idem Justinianus *de decurionibus l. ult.* enarrat, et confirmat hac *Novel.* ut curia liberent eæ dignitates, Patriciatus, consulatus, magisterium militum, præf. prætoriana vel urbicaria: patriciatus et consulatus etiam honorarius, reliquæ nonnisi re ipsa administratæ, et *Novel.* 70. et 81. Videtur his addi *d. l. ultim.* patronatus fisci, principatus agentium in rebus, proximatus sacrorum scriniorum. Sed quod ad has dignitates sive militias attinet, confirmat tantum *d. l. ult.* Justinianus libertatem his qui eam ea fruebantur ex jure antiquo, non etiam generaliter, et in futurum statuit patronatum, principatum, vel proximatum curia liberare, l. 7. *de princ. agen. in reb.* Idem Justinianus *l. ult. C. quan. et quib. quar. pars*, constituit ut omnimodo curiæ vel curialibus liberis maribus aut feminis curialibus nuptis, curialis quadrantem omnium bonorum suorum relinquat: quod hac Novel. emendat mutato quadrante in dodrantem. Ceteri satis habent, si liberis relinquant trientem vel semissem legitimæ partis. Rursus ceterorum liberi naturales ab intestato non succedunt nisi in sextantem, ut diximus *Novel.* 18. Decurionum succedunt in dodrantem si se offerant curiæ. Liberi justi decuriones nascuntor, naturales non item et ob id debent se offerre curiæ, si quidem velint deficientibus justis liberis ab intestato dodrantem amplecti, et hoc de dodrante idem plenius definitur *Nov.* 18. 89. 101. De naturalibus loquimur, non de spuriis: nam etsi spurii decuriones esse possint, *l. Spurii. D. de decur.* tamen decurionatus non facit eos capaces hæreditatis paternæ ab intestato, quia nec patrem habere intelliguntur. Id quoque novum est in hac Novella, ut ex curiali, et tamiaca vel murilegula vel vicaria nati, patrem sequantur: repugnat enim *l. Nati. Cod. de decur. l. His qui. Cod. de murileg.* Κωμῆται vel κωμητικοὶ sunt vicani, ut *Nov.* 25. capitationi subjecti, non (ut Haloander interpretatur) Comitiani. Comitiani sunt officiales Comitis privatarum vel largitionum, vel domorum. Βίνδικας) De his *Novel* 128. et Observ. 3. cap. 14. Νόμος ἐπιτάττει.) Ut *l. Qui res* §. *ult. D. de solut.* Lex scit.

NOVELLA XXXIX.

De fideicommissaria hæreditate, et de ea quæ parit xi. mense.

Hæc Novella non est de restitutione dotis et donationis propter nuptias, sed de restitutione hæreditatis, id est, de precaria substitutione, quo genere substituitur cuilibet hæredi, non directo: et secunda ejus pars de ea quæ ex stupro parit. Quod ad primam partem

attinet, quæstionis est, an is qui rogatus est restituere hæreditatem, possit ex ea diminuere aliquid, aut alienare, aut obligare. Vetus distinctio, quæ probatur etiam Novella 108. hæc est. Aut rogatus est restituere hæreditatem simpliciter, aut quod ex hæreditate superfuerit. Si simpliciter, nihil diminuere aut alienare potest, et si quid alienaverit, fideicommissi persecutio competit jure ordinario .i. actionib. solemnib. ex testamento, vel in rem non tantum in hæredem, sed etiam in emptorem, vel donatarium et quemlibet possessorem, *l. Si quando. D. de leg.* 1. *l. Qui solidum. D. de leg.* 2. *l. Pater.* § 1. *D. de leg.* 3. et hoc sive purum sive conditionale, sive in diem fideicommissum sit, *l. ult.* §. *Sed quia. C. com. de leg.* Olim erat in hæredem persecutio extraordinaria interventu prætoris fideicommissarii: et hærede non existente solvendo, in extraneum possessorem solemnis in rem missio: hodie est persecutio ordinaria in quemlibet possessorem. Libertas tamen data servo pendente conditione fideicommissi, non revocatur, sed est persecutio æstimationis servi, *l. Quidam.* § *pen. l. Si hæres institutus. D. ad Treb.* Valet ergo libertas data servo fideicommisso, quæ tamen non valet data servo legato, *l. Servum. D. de manumiss.* conjuncta *l. Si locus. D. de religios.* Legatum magis hæredem adstringit quam fideicommissum, maxime ubi concurrit libertatis favor. Præterea sciendum est si qui rogatus est restituere hæreditatem, alienationem permitti ad finem quadrantis, quem deducere potest, vel etiam si liberi sint instituti et, onerati fideicommisso, ad finem trientis vel semissis, quem deducturi sunt, *l.* 3. §. *Res. D. ad Trebell.* Res igitur alienatæ hæredi imputantur in Falcidiam, et eatenus valet alienatio quatenus Falcidia largitur: quod supra Falcidiam est revocatur. Valet etiam alienatio quæ fit ex causa dotis, vel donationis propter nuptias, si liberi sint hæredes instituti, et Falcidia non sufficiat doti, vel sponsalibus constituendis pro dignitate personarum sive natalium, *l. Quæro. D. de jur. dot. l.* 9. *Cod. de adm. tut. l. Mulier.* § *penult. D. ad Trebel.* atque ita ex generali fideicommisso deducitur quantum doti sufficit et donationi propter nuptias: quod non esse ut novum videatur Justinianus ait hac Novella, cum et ex generali hypotheca quædam excipiantur tacito intellectu, *l. Obligatione. D. de pignorib.* Ut vero liberi fructus medii temporis hodie non imputant in Falcidiam, *l. Jubemus. Cod. ad Trebel.* Ita consequens esse arbitror et ne in dotem vel donationem propter nuptias fructus imputent contra *d. l. Mulier.* §. *penult.* et deductionum omnium quæ liberis ex fideicommisso permittuntur jus et ratio sit eadem. Sequitur alterum membrum distinctionis. Si hæres in diem vel sub conditione rogetur restituere quod ex hæreditate superfuerit, hoc casu diminuere interim et obligare potest, ex perspicua defuncti voluntate, qui superfluum tantummodo reddi jussit, *l. Deducta.* §. *penult.* et *ult. D. ad Trebel.* Sed non dissoluto tamen neque passim, veluti bona omnia intervertendi fideicommissi causa. Bona enim fides in diminuenda exigitur, et justa causa, veluti dotis aut sponsalium, aut redemptionis captivorum, aut alimentorum, *d. l. Deducta*, §. *ult. l. Imperator. l. Mulier.* §. *ult. eod.* et boni viri arbitrium, *l. Titius. D. eod.* puta ut diminuat tam ex suo patrimonio quam ex bonis fideicommisso subjectis pro rata, *l.* 3. §. *Nonnunquam. D. de usur. l. Sed et si lege.* §. *Quod autem. D. de pet. hæred.* ut si in patrimonio hæredis sint cc. in fideicommisso c. et consumat ccc. patrimonio suo accepta ferat viii. fideicommisso iv. Id quoque boni viri arbitrium exigit, si creditorem debitor hæredem instituerit, et rogaverit restituere quod ex hæreditate superesset in conditionem aliquam, et interim diminuerit aliquid hæres, idemque creditor defuncti, ut eum credito consumpto compenset, nec in ponenda ratione legis Falcidiæ deducat quod sibi defunctus debuit, vel non deductum condicat incerti, *l. penult. D. ad Trebel.* Summa igitur hæc est, eum qui rogatus est restituere superfluum hæreditatis, non posse profundere et dilapidare bona fideicommissi, et diminutionem eam illi permitti tantum quæ boni viri arbitrio congruat, et quæ fiat bona fide. Ceterum hic diminuendi modus non est admodum certus. Quamobrem Justinianus *Nov.* 108. diminutioni certum modum dedit, ut hæres rogatus superfluum restituere, diminuat pro dodrante omni ex causa, et et solum quadrantem fideicommissario conservare cogatur: imo et ex quadrante ut possit aliquid delibare justa ex causa, veluti dotis aut donationis propter nuptias, sive sit filius, sive extraneus: nec enim hoc casu distat filius ab extraneo. Superior differentia est de hærede simpliciter rogato hæreditatem restituere: nam filius filiave diminuunt dotis vel sponsalium causa, extraneus non item. Id etiam additur *Nov.* 108. ab hærede rogato superfluum restituere sive filius is sit sive extraneus, cautionem esse præstandam de restituendo quadrante et de dolo malo, ut *d. l. Titius.* quod pugnare videtur cum *l. Jubemus. Cod. ad Trebel.* quæ cautionem remittit filio: ad quam ita soleo respondere: Filio rogato restituere filiis suis nepotibus defuncti, remitti onus cautionis, exceptis duobus casibus, si persona jusserit caveri, vel si transeat ad secundas nuptias, *d. l. Jubemus.* Filio rogato restituere fratribus suis, non remitti onus cautionis, *Nov.* 108. Secunda pars hujus Novellæ est de muliere quæ parit xi. menses post mortem viri, id est, quæ ex stupro parit: partus enim his justus non est, si edatur sub finem mensis undecimi: si sub initium, justus est, ex decreto quodam Adriani. Quod de xiii. mensib. scriptum est Plinii vii. cap. v. est corruptissimum. In veteribus ita lego, Masurius auctor est L. Papyrium prætorem cohærede lege agente bonorum possessionem contra eum dedisse, cum mulier partum se decem mensibus diceret tulisse. Hæc vero quæ stupro se polluit intra annum lugubrem præter pœnam stupri iisdem etiam pœnis obstringitur quibus illa quæ immatures nuptias contrahit, de quibus *Nov.* 22. Hæc enim, quæ stupro se polluit intra annum, odio certe non est indigna minore; liberis enim et defuncto injuriam facit: illis soli defuncto, quæ nubit luctu non peracto: quæ nubit iterum, etiam liberis.

NOVELLA XL.

Ut ecclesia S. resurrectionis domos alienare possit.

Derogatur ad aliquid *Nov.* 7. permissa ecclesiæ Hierosolymitanæ domorum venditione, cum decreto, ut *Nov.* 120. Pretii rationem discussimus *Novella* 7.

NOVELLA XLI.

De appellationibus quinque provinciarum.

Scripta est ad Bonum quæstorem exercitus, ut *Nov.* 50. quæ tempore prior est, cuique hæc derogat. Alius fuit quæstor palatii, de quo dictum est supra: alius quæstor exercitus, quem Procopius definit, χορηγὸν τῆς τοῦ στρατοπέδου δαπάνης, 1. de bel. Persico: rectissime, nam et hæc Nov. στρατιωτικὰς δαπάνας, et Julianus Nov. 50. annonas militum tam Comitatensium, quam limitaneorum qui per castra sunt, eum distribuisse. Sed habuit etiam jurisdictionem et auditorium et apparitionem instar præf. prætorio, et vicarium in urbe: nam sub eo erant provinciæ quinque, Scythia, Mysia, Caria, Cyprus et Cyclades insulæ, quarum caput Rhodus: et inde Rhodi appellatione hac Novella Cyclades significantur. Habuit harum provinciarum unaquæque suum præsidem, et de præside Cycladum est *l.* 4. *C. de navicul.* *Nov.* 163. et ab his præsidibus appellabatur non ad præf. prætorio, sed ad quæstorem exercitus ex *Nov.* 50. cui hæc ita derogat, ut ex Mysia quidem et Scythia appellationes apud eum inducantur, quod is sedem suam in his provinciis habeat: ex ceteris autem provinciis ut appellationes in urbem inducantur apud eundem ipsum, si forte in urbe fuerit, vel apud vicarium ejus adhibito quæstore sacri palatii. Item a judice, quem ipse dederit in his provinciis, puta Caria, Cypro, Rhodo, et appelletur ad vicarium ejus, et ut lis apud eum in urbe cœpta, apud vicarium ejus peragi possit: si forte eum exercitus causa et necessitas evocaverit a munere judicandi. Vulgo dicitur, A judice dato eum appellari qui judicem dedit: id sic est accipiendum, ut et successor ejus appellari possit, *l.* 1. *D. quis a quo appell.* vel vicarius ex hac Nov.: vulgo dicitur, apud quem cœptum est judicium, et finem accipere debere. Et hic quoque addatur, vel apud successorem ejus aut vicarium.

NOVELLA XLII.

De episcopis regradatis.

Duo sunt genera pœnarum ecclesiasticarum, ἀφορισμὸς, qua plectuntur plebei et monachi, et καθαίρεσις, id est, regradatio sive ordine motio, quæ episcoporum et clericorum est propria: et ita hac *Novella* regradantur episcopi quidam hæretici, qui negabant in Jesu Christo domino et salvatore nostro duas naturas distincte confitendas esse: divinam enim humanam absorbuisse, et fit hujus Novellæ mentio ab historicis multis, et in actis quintæ synodi Constantinopolitanæ, quæ eosdem episcopos reprobavit et condemnavit. τῶν εἰς κάλλος μηδὲ τῶν εἰς τάχος γραφόντων] Sudas in Origene.

NOVELLA XLIII.

De officinis ecclesiæ Constantinopoleos.

Funerum sumptus fecit major ecclesia Constantinopoleos, cui etiam ob eam rem Constantinus et Anastasius imperatores destinaverant mille et centum tabernas sive officinas in pulcherrimis foris urbis, ut ex earum reddita faceret sumptus funerum, auctor Leo *Nov.* 12. Ex eis earumve inquilinis et habitatoribus alii defensoribus ecclesiæ præstabant vispelliones, quos vocat decanos et lecticarios et copiatas, ut *Nov.* 59. *l.* 4. *C. de sac. eccl. l.* 1. *C. de collegiatis* alii fossarios. Veteres etiam vocarunt Bargenas aut Bergenas, barbaros funerum gestores. Caper, Bergena non Bargina, cui genus barbaricum est: et Glossæ veteres: Bargenna, νεκροφόρος βάρβαρος, προφώνητης βαρβάρου. Aliæ tabernæ præstabant pecunias œconomis ecclesiæ. Ceteroquin erant liberæ .i. a ceteris muneribus et contributionibus civilibus immunes: et hoc jure possidentur etiam hodie a sacerdotibus Mahumetanis. Aliæ officinæ, quæ non sunt ex hoc numero, id est, quæ funerum causa ecclesiæ destinatæ non sunt, immunes non sunt, licet ad ecclesiam, vel ad alias domos pietati dedicatas, vel ad viros illustres, vel ad domum Imperatoriam pertineant.

NOVELLA XLIV.

De instrumentis, et ut protocolla instrumentis relinquantur.

Tabelliones publici sunt contractuum scriptores, ut docui, *l.* 15. *C. de decur. l.* 14. §. *His tabellionibus. C. de sacros. Eccl.* a Græcis νομικοὶ dicuntur et ἀγοραῖοι, ut quæ ab eis conficiantur instrumenta, ἀγοραῖα sæpe in his Novellis, publica vel forensia, *l. Comparationes.*

C. de fide instrum. quanquam proprie publica ea tantum sint, quæ insinuata sunt apud magistrum census vel duumviros vel defensores civitatum. Solent autem tabelliones primum contractus referre extra ordinem in schedam, quæ sic dicitur ἀπὸ τοῦ σχίζειν, vel a scindando, ut qui sine aspiratione scidam scribunt, sentiunt. Deinde redigunt eos in mundum, vel ut hæc Nov. loquitur, in chartam puram, et hoc modo instrumenta complentur, absolvuntur, expediunturque partibus, *l. Contractus. C. de fide instrum. l. ult. C. de contrah. empt.* Hieronymus adversus Rufinum, Schedulis nondum emendatis, nondum ad purum digestis. Exigitur a tabellionibus peritia juris, *Nov.* 66. infra, et Leonis *Nov.* quadam. Separantur tamen a juris studiosis in *l. Moris. D. de pœnis.* Nec idem omnino jurisperiti et juris studiosi: nam et tabelliones (ut dixi) et advocati, pragmatici, formularii, tabularii, juris periti sunt, nec tamen juris studiosi: hac enim appellatione juris interpretes consultique significantur. Constituitur autem hac Nov. ut rogati tabelliones ipsimet adsint contrahentes, non discipulos mittant ut ipsimet instrumenta forment, et ut ne aliter ea discipuli ministrique absolvant edantque partibus quam scientibus præsentibusque tabellionibus: quod ideo constitutum est, ne interrogati a judice tabelliones causentur ignorantiam rei gestæ. Cuilibet ergo contractui ipsi per se præesse et interesse debent, et gestorum omnium scientiam præstare, non uti hac in re opera discipulorum. Licebit tamen eis auditorem vel substitutum habere, et per eum contractus formare absolvereque partibus; et per hunc quidem solum, non per alium quemlibet. Probari hic debet apud acta magistri census. Hic magistratus erat in orbe, quem posterior ætas γρυκόν appellavit auctore Leone *Nov.* 44. et Suda in Artemio, et locum etiam ipsum quo acta et insinuationes fiebant, quod et Cedrino est πραίτωριον. In provinciis partes ejus sustinebant defensores civitatum. Cur igitur magistro census hac Novella non junguntur defensores civitatum? quia hoc in urbe tantum permittit Justinianus, ut tabellio habeat adjutorem et quasi vicarium, propter ingentem numerum contrahentium. Pœna tabellionum, qui per discipulum, exceptorem sive notarium, non per se instrumenta formant et complent, hæc est, ut excidant stationibus suis et officio tabellionum, et ut statio transferatur in eum cujus opera uti voluerunt, si idoneus sit, vel in alium virum idoneum. Interdum alius est stationis dominus, alius tabellio; et tunc ex facto tabellionis dominus stationis non læditur: nam officio quidem et statione tabellio removetur, dominus tamen stationis proprietatem retinet, et ea ex solemnes reditus atque obventiones capit. Ex eo etiam tabellionis facto contrahentes non læduntur, id est, contractus non redditur inutilis. Notandum initio hujus Novellæ differentiam constitui inter tabellionem et tabularium: hic enim est sensus, Mulierem literarum ignaram protulisse instrumentum absolutum et completum a tabellione, subscriptum a muliere tabularii manu, secundum Nov. 73. ex qua quidam male colligunt, duos tabularios exigi, qui subscribant pro imperito literarum, ut Alciatus docuit 6. et 8. παρέργων: nam ex initio hujus Novellæ constat unum sufficere, et in *Nov.* 73. legendum διὰ πάντως, non δύο πάντως. Igitur initio hujus Novellæ hæc verba, παρὰ ταβουλαρίου τὴν ὑπογραφὴν ἔχων τὴν αὐτῆς, sic interpretor, *Per tabularium ipsius mulieris subscriptionem habens.* Secundo capite hujus Novellæ constituitur, ne tabelliones in mundum redigant contractum alia charta quam ea quæ habeat protocollum, ex eo coargui falsum posse. Protocollum quid est? Alius majorem et regiam chartam interpretatur, alius schedam negligentius scriptam, alius exemplar formularum, quo tabelliones uti solent. Omnes errant vehementer. Ut hodie chartæ habent notam aliquam, ex qua dignoscitur quis eam chartam præparaverit, ita habebant olim chartæ brevem adnotationem, quæ declarabat quo Comite largitionum (sub ejus cura erant chartarum) quo tempore et a quo præparatæ fuissent chartæ: ex eo coarguebatur sæpe falsitas: sicut Lutetiæ audivi accidisse ut Senatus suspectum chirographum ex die in eo adscripto quo nondum ejus notæ charta ulla erat in rerum natura, certissimo argumento quasi falsum improbaret. et hac ratione Justinianus non vult ex chartis abscindi protocolla, et hoc valere jubet in urbe. Prius caput valet in urbe et in provinciis.

Περὶ συμβολαίων) De hac voce sic Græci interpretes scribunt in hanc Novellam, τὸ μίγμα τῶν βουλευμάτων τῶν συμβαλλόντων προσώπων συμβολὴ λέγεται· διὸ καὶ τὸ ἀπὸ ταύτης ἔγγραφον σύνταγμα συμβόλαιον καλεῖται, οἷον ὑπόμνημα τῶν συμφωνηθέντων μεταξὺ τῶν συμβαλλόντων ἤτοι συμμιξάντων καὶ συναινεσάντων, καὶ εἰς ταὐτὸ τὰς ἰδίας ἀγαγόντων γνώμας: et inde symbolum fidei nihil aliud est quam instrumentum fidei. Τῆς στατίωνος κυρίου) Græci interpretes, τοῦ βαθμοῦ κυρίου.

NOVELLA XLV.

De decurionibus hæreticis qui adversus orthodoxos testimonium perhibere possunt.

Primo capite, ut Judæi, Samaritani, hæretici decuriones propter diversitatem religionis curialibus muneribus non liberentur, quod et juri antiquo congruit, l. 4. et 9. *D. de jud.* l. 49. *C. de decur. l. Curiales, C. de hæretic.* honore tamen et privilegio decurionum carent veluti in pœnis vel in exhibitionibus, quod soli Christiani et orthodoxi habent, l. 15. et 33. *C. de decur. Nov.* 151. Secundo, ut Judæorum vel hæreticorum judiciale testimonium non recipiatur contra orthodoxos ex l. *Quoniam. C. de hæretic.* testamentarium ut recipiatur, et inter se invicem quodlibet, præterquam hæreticorum quorundam, qui ceteris improbiores sunt. Et additur hac Novella, admitti etiam testimonium hæreticorum adversus orthodoxos si orthodoxi curiæ vindicentur: nam si pro orthodoxis admittitur, et multo magis pro universitate orthodoxa. Ergo non omnes hæretici intestabiles sunt, non omnes infames, et rursus non omnes infames, intestabiles, veluti calumniæ damnati, *l.* 13. *D. de testib.* vel furti vel tutelæ vel de dolo

NOVELLA XLVI.

De alienatione rerum ecclesiasticarum.

Prædia ecclesiastica, si pecuniæ et mobilia desint, privato creditori in solutum dari, vendi item posse cum præsidis decreto, ita ut ex pretio solvat emptor fisco tributa quæ debet ecclesia: nec enim fiscus prædia in solutum accipit. Et dandam esse tributorum apocham emptori, simul ac insinuandam apud acta, ut si forte eam amiserit emptor, fides petatur ex actis publicis, *l.* 2. *C. de discuss. l. Illatæ C. de fide instrum.* Ex *Nov.* 120. non est opus decreto præsidis: hoc exposui *Nov.* 7.

NOVLLA XLVII.

Ut Instrumentis præponatur nomen Imperatoris, et eorum tempus Latinis literis adnotetur.

Solebat tempus initio instrumentorum et actorum designari multifariam, ex Consulibus indictionibus, mense, die, quibusdam civitatibus etiam conditæ civitatis annos præscribi mos erat. His omnibus vult Justinianus præponi nomen Imperatoris et annum imperii idque generaliter injungit tabellionibus, qui publice contractus scribunt, et actuariis et exceptoribus, qui vel in judiciis vel apud magistrum census aut defensores plebis acta conficiunt. Etiam illud adjungit ut in instrumentis vel actorum monumentis tempora notentur claris et vulgaribus literis Græcis vel Latinis non antiquis: et antiques vocat qualis fuit Latinis C eversa, sive apostrophus, et I præposita V literæ pro quatuor, Græcis δασεῖα, et π intra se δ complectens pro quinquaginta. Non hoc quidem vult numerorum vel temporum notationes esse ὁλογραμμάτους: sicut in Menecratis medici libro quodam, αὐτοκράτωρ, ὁλογράμματος, inscripto, αὐτοκράτωρ, ἐπειδὴ τούτῳ προσεφώνηται ὁλογράμματος, διότι χωρὶς χαρακτήρων ὅλαις ταῖς συλλαβαῖς γέγραπται, ut Galenus ait 1. de antidotis et vii. τῶν κατὰ γένη. Sicut Justinianus idem Pandectas voluit esse ὁλογραμμάτους, et ultimas voluntates etiam inter liberos *Nov.* 107. non sic instrumenta vel acta vult esse ὁλογράμματα. Vulgares tantum et notas omnibus in notandis temporibus litteras sive syllabas exigit.

NOVELLA XLVIII.

De eo qui moriens juravit quantum haberet in bonis.

Ut si quis testamento vel alia scriptura descriptionem bonorum suorum fecerit, et juraverit se nihil præterea in bonis habere, eam descriptionem omnino hæredes ejus sequantur, sive sui sint sive extranei, nisi malint hæreditate multari secundum Nov. 1. Contenti igitur eis bonis esse debent, nec alia requirere quasi hæreditaria per tormenta servorum hæreditariorum vel alio modo. Jusjurandum exigimus: alioquin nihil veritati officit quod defunctus modum patrimonii sui declaravit, *l.* 1. *C. arb. tut. l. Scripturæ. C. com. utriusque jud. l. Si fundum. §. Si liberias. D. de leg.* 1. *l. Cum pater. §. Pater qui filio. D. de leg.* 1. *l.* 15. *§. ult. D. ad leg. Falcid.* quia persæpe cum declarat ὡς ἐν πλάτει, non exquisita adeo ut velit eam suos hæredes sequi. At cum jusjurandum adjicit, enixius hoc velle videtur ut bonorum descriptioni stetur: et ita in specie *l. Cum pater. §. Filius. D. de leg.* 2. Jusjurandum enixæ voluntatis argumentum est. Catullus, *Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci, Nil metuunt jurare.* Et in *l. Cum quis. §. Codicillis. D. de leg.* 3. jurisjurandi dati adseveratio auget fidem scripturæ, et creditoribus prodest. Additur hac Novella, hæredes solos quod propius accedant ad vicem defuncti, obstringi jurijurando defuncti, non creditores. Licere enim creditoribus et alia defuncti bona perquirere, et hypothecæ nomine vindicare. igitur descriptio bonorum a defuncto facta interposito jurejurando hæredibus nocet, creditoribus non nocet. Debitoribus quoque prodest, ut puta si juraverit testator sibi Titium debere c. cum debeat cc. eam sola c. a Titio hæredes petere possunt. Sed si nihil debeat Titius, puto ei etiam religiosam affirmationem testatoris nihil nocere, et ampliori hoc modo posse *l.* 6. *de probat.* denique idem esse in debitoribus quod in creditoribus.

NOVELLA XLIX.

De appellationibus, et de privatis scripturis, et jurejurando dilationis jurijurando calumniæ coaptando, ut semel tantum pro omni probatione juretur.

Tria sunt capita hujus Novellæ. Primum est de appellationibus. Certum est causam appellationis introduci posse μονομερῶς, id est, una tantum parte præsente, l. ult. §. *Illud. Cod. de temp. app. l. ult. D. ad Trebell.* longe aliter quam priorem litis causam, quæ introduci debet cognitionaliter sive συνελθόντων, id est, utraque parte præsente. Semel autem inchoata causa appellationis, sive μονομερῶς sive cognitionali-

ter inchoata sit, peragenda est intra annum, vel si per judicem res trahebatur, aut per vim casumque majorem, intra biennium d. §. Hinc, alioquin quasi deserta appellatione prior sententia ipso jure confirmatur, videlicet si is qui appellavit inchoatam appellationis causam ad summum non peragat intra biennium: quod ita explicat Justinianus hac Nov. et 126. ut tempore quidem biennii confirmetur sententia, sed tutius sit cessante eo qui appellavit, præsente eo qui priore judicio vicit, hunc prope finem biennii, ita ut tantummodo mensis supersit, de deserta appellatione queri, et a judice ad quem appellatum est, qui Græce uno verbo dicitur Ephetes vel Eccletarius, rem judicari postulare. Judicaturum autem eum pro præsente vel etiam pro absente si bonam causam habuerit, ut in eremodiciis fieri solet, *l. Et post edictum. D. de jud. l. Properandum. C. eod.* in quibus etiam causa agitur μονομερῶς. Qui et eremodicium est sive quis apud priorem judicem sive apud judicem appellationis inchoatam causam deserat. Quod si forte priorem judicio victus, cum abesset in causa appellationis victor evaserit, præsenti adversario eum sumptus litis debere reddere, atque ita hoc casu victorem victo sumptus refundere, quod et proditum est in *l. Properandum. §. Sin autem ex ge...s. Cod. de judic.* Una est casus Novellæ 93. quo biennii præscriptio locum non habet, si interim litigantes partes apud arbitrum ex compromisso: præscriptiones enim officere non cessantibus non possunt, *l. Contra. Cod. de inoffic. testam.* Secundum caput est de comparationibus literarum, et pertinet ad *l. pen. C. de fide instr.* Finge, mecum agitur ex meo chirographo vel ex chirographo testatoris qui me hæredem scripsit, vel ex instrumento a Titio tabellione confecto. ergo me scripsisse vel testatorem vel tabellionem. Si de meo chirographo agatur, in promptu est, ut alia scribere cogar, et fiat comparatio: si agatur de scriptura testatoris vel tabellionis mortui, et alia ejusdem scriptura inveniatur indubitata, potest hæc cum alia conferri. At quæstionis est an sola collatio instrumento fidem adjiciat. Periculosum est hoc statuere, propterea quod multi sunt scite alienarum literarum imitatores et ut similes sint scripturæ, possim tamen hanc scripsisse, illam non scripsisse. Verum olim placebat indistincte ex comparatione literarum fidem instrumento acquiri. Sed novam hanc distinctionem adhibuit *d. l. pen.* ut ex publico instrumento a tabellione confecto, et subscripto a partibus, facta comparatio fidem faciat, ex privato non aliter quam si habeat subscriptionem trium testium, ex quibus duo saltem chirographa et subnotationes suas recognoscant, vel negantes collatione propriarum literarum convincantur: idque procedit etiamsi privatum instrumentum, quod quis ad comparationem profert, contra proferentem faciat: nam ex eo etiam non fit collatio nisi subscriptionem habuerit trium testium. Huic Constitutioni *l. pen.* Justinianus hac Novella addit exceptiones duas: Una hæc est, si ego agam, jusve meum tuear ex privata scriptura subscriptionem non habente trium testium, et tu defendas rem ex ejusdem manus alia scriptura: nam si eam qua uteris instrumentum quasi suspectam, fiet comparatio cum ea qua quidem ego utor, licet non habeat subscriptionem trium testium: ejus enim scripturæ fidem improbare non possum qua utor, ut testes excipere non possum quibus utor, *l. Si quis testibus. C. de testib.* Altera exceptio hæc est si privata scriptura, quæ non habet subscriptionem trium testium, proferatur ex archivis publicis, veluti apocha ex arca præfecti prætorio, vel ex publicis monumentis confectis apud magistrum census aut defensores civitatum. Hæ enim scripturæ ad comparationem valent, licet non habeant subscriptionem trium testium, nec sint a tabellione confectæ, quia publicum testimonium habent: quinimo publicæ sunt propriæ. Forenses autem, quæ a tabellione, vel ab iis qui acta judicum scribunt. Augustinus epist. 162. *Non chartis exteribus, non archivis publicis, non gestis forensibus agimus.* Ita additur hac *Novell.* comparationes scripturarum facere homines peritos literarum juratosque, et relationi eorum stari: quod est repetitum ex *d. l. penult.* Additur et infra *Nov.* 73. comparationem literarum factam ex publico instrumento, vel ex privato habente subscriptionem trium testium, fidem ei instrumento non addere de quo ambigitur, nisi id quoque instrumentum privatum vel publicum, cujus fides ducitur ex comparatione, tribus testibus muniatur: et si forte aliud testes dicant, aliud suadeat comparatio fere semper vivæ et juratæ voci testium potius esse credendum. Scripturæ nudæ, licet comparatione literarum confirmetur, plenam fidem non esse: judicem tamen moveri ea posse ad deferendum jusjurandum, id est probationem eam facere semiplenam, eam quæ testes subscriptos habet probationem facere plenam. Testes si vivant interrogari, si mortui sint, privato instrumento fide stabiliendo comparationem sufficere. Publico etiam instrumento, testibus mortuis et tabellione et exceptore qui scripsit dictante tabellione, et argentario per quem pecunia numerata est more prisco, *l. Fidem. D. de solut.* quem numeratoris nomine significari opinor *Nov.* 73. his omnibus mortuis, forensi instrumento, ut compi dicere, fidem addit comparatio sola literarum tabellionis et contrahentium et testium. Tabellione vivo, instrumenti forensis fides non indiget comparatione, quia tabellionis jurati testimonium sufficit, si sua manu scripserit instrumentum et compleverit, nec ullus intervenerit numerarius: idemque est si instrumentum scripserit alter, qui modo non extet, compleverit tabellio: ausim dicere idem esse si qui scripsit et complevit mandato tabellionis non supersit. Sed exigo etiam duorum vel trium testium subscriptionem aut præsentiam. Ideoque cum apud Harmenopulum lib. 1. tit. 6. adnotatum esset solius tabellionis testimonium sufficere in comparatione prolatorum instrumentorum, ad illum Harmenopuli locum recte in Regio Harmenopulo subnotatum est, ἡ παρασημείωσις αὕτη δεῖται ἐξετάσεως. Tabellione mortuo, literarum tabellionis comparatio fit, interrogantur etiam testes et argentarius et

exceptor sive discipulus tabellionis: et hæc quidem sunt ex *Nov.* 73. quæ est de instrumento ad quod fit comparatio, hæc vero de instrumento ex quo fit comparatio. Non tractat igitur utraque de eodem genere instrumenti, non etiam de eodem genere jurisjurandi: nam hæc jusjurandum exigit a literatoribus qui literas aliis alias conferunt, illa a partibus, id est ab eo qui profert instrumentum, et ab eo qui comparationem fieri desiderat, ut uterque juret de dolo et de calumnia.

Tertium caput est de jurejurando dilationis et jurejurando calumniæ. Datur de calumnia jusjurandum varia ex causa: nam et is qui jusjurandum adversario defert, jurat se id non deferre calumniandi animo, *l.* 11. *§. pen. D. rer. amot. l.* 34. *§. Qui jusjurandum. l.* 37. *de jurejur. l. ult. C. de fideicom. l. Delata. C. de reb. cred.* et qui nos uiat ut sibi thesaurum suum qui est in alieno fundo effodere liceat, se id non postulare calumniandi animo, *l.* 15. *D. ad exhib.* et similiter qui postulat sibi copiam fieri inspiciendarum et describendarum tabularum testamenti, *l. pen. C. quemadm. test. aper.* et qui probationes petit, veluti testes et instrumenta, vel qui servos in quæstionem petit, *l.* 1. *C. de jurejur. prop. cal. l. ult. C. de quæst.* vel qui petit comparationem literarum fieri, *Novel.* 73. et qui satisdandi causa in municipium evocat *l. Venire. §. Jubetur. D. qui satisd. cog.* et qui novum opus nuntiat, *l. De pupillo. §. Qui opus. D. de no. op. nunt.* et qui petit instrumentum exhiberi quod falsum dicat, etsi fides ejus approbata jam semel judici fuerit, *l. ult. C. de fide instr.* et qui postulat edi sibi rationes argentariæ, *l.* 6. *§. Exigitur. l. Quædam. §. ult. D. de edendo*, vel caveri sibi damni infecti, *l. Qui bona. §. Qui damni. D. de dam. inf.* Item initio litis cujusque utraque pars jurat se non calumniandi animo litem contestari: quod juris etsi videatur sibi Justinianus vindicare, *l.* 2. *C. de jurejur. prop. cal.* tamen et in Pandectis relatum est *l. Inter cohæredes. §. Qui famil. D. fam. erc.* Hoc tamen novo adjecit hæc Novella, ut et initio litis juret utraque pars se differendi negotii causa probationes ab adversario minime petiturum, quod dicitur jusjurandum dilationis et ut semel dumtaxat detur in rem litis initio, non in singula quæque momenta, quibus probationes ab adversario desiderabuntur. Petita tamen comparatione literarum, jurabitur iterum, quia et de dolo juratur, *Nov.* 73. Petito item jurejurando, ut Leonis *Nov.* 99. Forsitan et petitis servis in quæstionem, quia res est magni momenti, et petita exhibitione instrumenti semel probati, quod velit quis modo arguere falsum. Prout horum quodque in litem inciderit, ita a petitore jurandum erit de calumnia. Aliæ probationes vel productiones si petantur, sufficiat jusjurandum datum litis initio. Jusjurandum calumniæ, quod dicitur vulgo, non est generale de quacunque re, sed de litis contestatione tantum: et datur in causis civilibus tantum, non in criminalibus, ut constat ex Leonis *Nov.* 107. et 97. nam in criminalibus sufficit inscriptio. Fridericus tamen Constitutione de pace tenenda et de incendiariis id etiam exigit in causis criminalibus, non (ut plerique opinantur) etiam Henricus libro secundo legum Longobardorum, cujus Constitutionem retulit Honorius c. 1. *de jur. cal.* Nec enim hoc dicit Henricus, clericos neque in civili neque in criminali causa jurare de calumnia, sed nullo eos modo ulla in causa jurare, et legem Martiani *d. l. Cum clericis. C. de ep. et cler.* quæ loquitur de clericis Constantinopolitanis ad omnes omnium civitatum clericos pertinere. Formulam jusjurandi hoc loco hanc posuit Julianus antecessor, Si nesto, concisam, ut illa apud Gregorium Turonensem, Si vellas.

NOVELLA L.

De appellationibus quinque provinciarum.

Huic Novellæ, quæ est de quæstore exercitus, derogatur ad aliquid, quod ad appellationes quinque provinciarum attinet, *Nov.* 41.

NOVELLA LI.

De mulieribus scenicis.

Generaliter proditum est, ex turpibus obligationib. actionem non nasci: exemplo sint impudicæ mulieres, quæ se et fidejussores a se datos frustra productoribus obligant. Impudicæ sunt sive in lupanari sive in taberna, caupona, aut scena pudori suo non parcant: idque nominatim cautum est de scenicis quæ ludibrio corporis sui quæstum faciunt, *l.* 4. *C. de episc. aud.* et hac *Nov.* repetitur, hoc addito ut nec jurejurando obstringantur quo minus possint ad bonam frugem redire, quia jusjurandum contra bonos mores nullius est momenti, *l. Jurisgentium, §. Et generaliter. D. de pact. l. Si quis inquilinos. §. ult. D. de leg.* 1. *l. Non dubium. C. de leg. Dionys. Halic.* xı. δεινὸν γάρ ἐστι τὰς ἀθλίας καὶ διὰ τῆς παραλαμβάνεσθαι φιλάνθρωπον ὁμολογίας οὐκ ἐπ' αἰσχραῖς ἀναγκάζεσθαι, neque obstat *l.* 1. *C. si adv. vend.* nam in ejus legis specie jusjurandum neque est contra leges neque contra bonos mores, ut puta si minor xxv. annis se a venditionis contractu non abiturum juraverit: cujus jurisjurandi hæc vis est, ut adversus venditionem in integrum restitui non possit, videlicet si corporaliter juraverit, non si instrumento: hæc duo sunt diversa, *l.* 3. *C. si minor se maj. dix.* Corporaliter jurat qui jurat tactis sacrosanctis Evangeliis vel manu sublata, quos Balsamo vocat σωματικοὺς ὅρκους. Minori qui corporaliter juravit se emptori controversiam nunquam facturum, non datur restitutio in integrum. Petierat forte tantum restitutionem in integrum in specie *d. l.* 1. Quid si petisset sibi gratiam jurisjurandi dari? hanc quoque non dedisset Imperator, idque significat his verbis ea

QUE PERFIDIAE NEQUE PERJURII, SE AUCTOREM FUTURUM. Verbis, NEQUE PERJURII, denegat restitutionem in integrum. Verbis, NEQUE PERJURIUM, jurisjurandi, veniam. Et vero si daretur venia jurisjurandi, consequenter daretur etiam restitutio in integrum. Principum erat olim gratiam facere jurisjurandi *l. ult. in princ. D. ad municip.* Suetonius in Tiberio, Equiti Romano jurisjurandi gratiam fecit uxorem in stupro generi deprehensam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum ante juraverat. Sed ad ordinem redeamus. Accursius ex hac Novella scribit scenicam quæ resipuit, cuilibet etiam illustri vel clarissimo nubere posse sine rescripto principis, contra *l. Imperialis. C. de nupt.* quæ rescriptum speciale exigit, cujus formula exstat Cassiodori VII. Variarum: exigebatur etiam in ducenda ancilla. Hieronymus ad Oceanum, Si ab Imperatore stolam illis .i. ancillis meruerint, inter uxores eas recipere cogetur: sin autem principale rescriptum eadem tenuitas impetrare non quiverit etc. Verum quidem illud est, eam mulierem hodie nubere cuilibet posse sine rescripto speciali, sed hoc est ex *Nov.* 89. et 117. non ex hac Novella, quæ jurisjurandi tohonesti tantummodo gratiam facit sine rescripto speciali.

NOVELLA LII.

Ut ne quis pro alio pignoribus satisfacere cogatur, et ut in principem collatæ donationes valeant sine actorum insinuatione.

Primo capite hoc cavetur, ut ne alius pro alio teneatur ob id solum quod sit ejusdem Civitatis aut vici: quod et multis aliis legibus cautum fuisse ait. Citat Accursius *l. ult. C. unde vi, l. ult. C. loc.* quæ profecto nihil ad eam rem faciunt. Citare debuit *l. 4. C. de execut.* et *l. 1. C. ut nul. ex vic. pro alie. vic. deb. ten.* in qua cum tradiderim quidquid ad hanc rem pertinet, non est quod idem retractem modo. Secundum caput pertinet ad Constitutionem de insinuandis donationibus, quæ excedunt D. aureos, a qua excipiuntur Imperatoris liberalitates Constitutione Zenonis (ut Justinianus ait) quæ confirmatur *l. Sancimus §. Excepta. C. de donat. l. ult. in fi. C. de quad. præs. l. Illud. C. de sac. eccl.* Excipiuntur etiam hac *Nov.* donationes a privatis collatæ in Imperatorem, et hoc tantum in eis requiritur, ut publico instrumento comprobentur subscripto a donatore. Adjicit. Et testibus, quod *l. In donationibus. C. de donat.* remittebat.

NOVELLA LIII.

De exhibitionibus reorum, et ut fiant post diem xx. et de iis qui juratoriam cautionem præstant, et de hypothecis ex casu militiæ.

Prima pars hujus Novellæ est de reis, qui via quadam extraordinaria, veluti rescripto principis, vel auctoritate præfecti prætorio extra suum territorium in aliam provinciam avocantur, vel ex sua provincia in urbem: quo casu reus, ut in aliis causis fieri solet, cavet judicio sisti; actor, quod in aliis causis fieri non solet, se adfuturum judicio, et litem acturum ac peracturum ex animi sententia, adjecta certa summa pœnæ nomine, nec nisi præstita ea satisdatione quæstor palatii emittere talia rescripta debet. Nunc finge, reo vocato extra suum territorium, et mutua cautione præstita, reum venire ad diem condictum, actorem non venire. Eum operiri reus debet adhuc diebus x. post x. dies, reus absolvitur ab observatione judicii, id est instantia consumitur non lis, et pœna ab actore promissa committitur, et si quid amplius in viatica impenderit reus, ejus repetitio est. Viatica autem æstimavit jurejurando, quod tamen ut mos est judicis taxatione moderari poterit. Nec datur actori alia dilatio, *l. 2. C. de dilat.* Quid autem ex diverso statuendum sit reo non vocato ad extraordinarium judicem, dicemus *Nov.* 69. 96. 112.

Secunda pars Novellæ est de tempore dando reis qui in judicium vocati sunt, ad deliberandum utrum cedere an contendere debeant. Dabantur olim x. dies, hac Novella dantur xx. quæ confirmatur *Nov.* 82. et 96. et dantur etiam ad deliberandum an judicem recusare debeant, vel postulare ei collegam adjungi, sive συνδικάζειν, ut hæc *Nov.* loquitur, et 13. et 113. Ante xx. diem lis contestatur inutiliter, ante xx. diem judex recusari vel ei collega adjungi potest: post xx. diem litemque contestatam, non item, *l. Apertissimi. C. de judic.* cui nihil derogat *Novell.* 113 cum collegam rescripto principis adjungi dicat secundum leges: hoc enim est, ante litem contestatam. Recusato Judice, intra triduum per eundem executorem litis partes alium judicem eligere compelluntur, *d. leg. Apertissimi:* et hic sane recusari nullo modo potest. Recusari solent judices dati, nisi consensu utriusque partis dati sint: quæ ratio est dubitandi ad *l. Ex consensu. D. de appellat:* nam ut recusari non possunt qui consensu utriusque partis dati sunt, ita ab eis videbatur appellari non posse. Magistratum non posse recusari Bulgarus putat: quod est falsum si judicet extra ordinem, *Nov.* 96. Frequentius tamen est ei collegam adjungi, *Nov.* 13 et 86. Martinus quoque in hac quæstione recusationum, recusandum esse judicem ante litem contestatam male colligit ex *l. Nemo. C. de jur. et omn. jud.* cum non de recusatione suspecti ea lex loquatur, sed de præscriptione fori, quæ opponenda etiam est ante litem contestatam, *l. ult. C. de exception. l. Sed et si susceperit. in princ. D. de judic.* et simili errore Bulgarus suæ sententiæ perperam addit exceptiones, quas Accursius notavit in *d. l. Apertissimi*, ex legibus quæ sunt de incompetenti judice, non de suspecto. Incompetentis forum declinatur posita præscriptione fori. Suspecti judicium recusatur per libellum vel acta, *l. ult. C. de judic.* libello recusationis vel actis inseritur causa, *l. Si pariter. D. de liber. causa* alioquin libellus quinam hic est si causam non habet? ut libellus conventionis, libellus inscriptionis nullo nullus est si causam non habet. Possis hæc cum eis conferre quæ de refutatione judicum scripsimus IX. Obs. Porro dies xx. quos diximus reo dari ad deliberandum utrum cedere, an contendere, et an coram eo judice ad quem vocatus est contendere debeat, ab eo die numerantur quo per executorem reus in judicium vocatus est. Vocari libello debet, qui dicitur libellus conventionis: alius est libellus responsionis: hoc ἀντιβιβλον, illud βιβλίον. Pessime Haloander ἀντιβίβλιον exemplum libelli: nam reus ἀντιβίβλῳ subscribit se libellum conventionis sive exemplum ejus accepisse, et quo die acceperit, quæ subscriptio hoc loco appellatur rectissime, subscriptio κατὰ τὸ βιβλίον, quod non est subscriptio libelli, sed subscriptio ex adverso libelli, ex opisthographo. Debet autem reus statim atque accepit libellum conventionis, cautionem personalem præstare, judicio sisti. Personalis dicitur ad differentiam cautionis judicatum solvi, quæ de re est, non de persona: debet etiam reus executori pro conventione solvere sportulas, quas tamen, si absolvatur, ab actore repetiturus est *l. ult. C. de fruct. et lit. exp. l. ult. C. de cast. et minist. l. ult. C. de prin. ag. in reb. §. Tripli. Inst. de act. Nov.* 112. et male quidam etiam ab actore pro conventione rei aliquid dari executori colligunt ex *Novell.* 82. quæ de sportulis pedaneorum judicum loquitur, non executorum: male ex *l. ult. C. de fruct. et lit. exp.* quæ de reo tantum loquitur, et hoc vult, eum qui hoc privilegio adjutus est, ut vocatus in judicium nullas executori sportulas solvat, pati debere ut eodem erga se jure utatur is quem ipse vocaverit in jus: male ex *l. ult. C. de agen. in reb.* quæ loquitur de sportulis executorum et sumptibus litis. Sumptus in litem facit utraque pars. Sportulas pro conventione dat solus reus, et ita Placentino videtur. In contextu pro [illegible], legendum, [illegible]. Tertia pars Novellæ est de eo qui juravit judicio sisti, et pejeravit. Jurat, non satisdat immobilium rerum possessor, *l. Sciendum. D. qui satisd. cog. l. ult. C. de princ. ag. in reb.* Jurant memoriales, *l. 12. C. de prox. sac. scr.* et viri illustres, *l. ult. C. de dign.* Jurat et quilibet quandocunque judici justa causa videtur esse, forte non invento fidejussore, *Novell.* 112. Qui autem juravit judicio sisti, et contra fidem jurisjurandi latitat ante litem contestatam, requiritur et ducitur manu injecta etiam in civili causa jussu magistratus, cujus jurisdictio est, quive judicem dedit. Non invento, præstituitur dies certus, intra quam si non venerit, judex ordinarius summatim de causa cognoscit, et nisi evidens sit calumnia actoris, eum mittit in possessionem bonorum debiti servandi causa, *l. pen. C. de dignit.* et per eam missionem (ut Julianus ait) jus pignoris constituitur pro modo debiti: rectissime: id enim est quod dicitur prætorium pignus. Possessionem autem reus qui e latibulis vel fuga emergit integris omnibus, ut est bonis non venditis, non recipit aliter quam si omnia damna actori restituerit, *l. Sancimus. Cod. de judic.* et præterea satisdederit judicio sisti, ac tum deinde de lite disceptatur plenissime: nam summaria cognitio rem non definivit, litem non consumpsit. Pœna perjurii hæc est, ut absens reus qui pejeravit judicio sisti, non citetur edictis solemnibus, quemadmodum ceteri solent, sed requiratur et ducatur: quod valde pertinet ad explicationem *d. l. Sancimus*, dum ait, *Eos non citari, sed requiri*, etc. quæ verba non intellexit Accursius. Pœna perjurii etiam hæc est, ut reus quamvis sit ex his personis quæ satisdare non coguntur, nunc satisdare cogatur, nec amplius juratoriæ cautioni committatur. Hæc est sincera hujus partis interpretatio. In ea vulgo interpretes multa peccant. Statuunt certum tempus, alii xxx. annorum, alii unius anni post missionem in possessionem intra quod eam aut facere reus possit, et bona sua recipere, .i. intra quod vendi bona non possint. Bonis vendendis constitutum est certum tempus pignore capto ex causa judicati, et in pignore conventionali, in pignore prætorio arbitrarium, ut docui Obs. v. Item quod dicat Justinianus actorem mitti in possessionem bonorum pro modo debiti, existimant eum mitti in rem aut in partem aliquam bonorum pro quantitate debiti, atque ita corrigi edictum prætoris, quo non tantum fit missio in universa bona mobilia et immobilia, sed etiam venditio universorum: nec si quid superest id redditur debitori: hoc enim ut reliquum debitori restituatur certis tantum personis datum est *l. Fulcinius. §. Adeo. D. quib. ex cau. in pos.* Id vero corrigi hac Novella certe falsum est: cum generaliter dicat actorem mitti in possessionem bonorum, et bona habere, et reversum dominum bona recipere. Intelligit igitur omnia bona, non res certas: nec movemur his verbis PRO MODO DEBITI: nec enim hæc sunt pugnantia, mitti in universa bona et mitti pro modo debiti, quia venditione facta portionem singuli creditores ferent pro rata debiti. Missio igitur fit in universa bona pro modo debiti .i. debiti servandi causa, ut paulo post ait, crediti, *l. 2. §. Non quærimus D. si quis om. c. cau. test.* Vulgo, *Rei.* Specialiter dotis, *l. Ex quo. D. ad munic. p. l. pen. §. Item danda. D. de div. temp. præs. l. Officium. de rei vind.* c. Judicati, *l.* 2 et 3. *C. qui pot. in pig.* Male etiam scribunt, judicem delegatum pronuntiare de actore mittendo in possessionem bonorum, cum hoc sit imperii sive jurisdictionis: et ob id pignus prætorium dicitur. Delegatus autem neque imperium habet neque jurisdictionem. Male delegatum confundunt cum eo cui mandata est jurisdictio. Male actorem prius mittendum esse in bona mobilia, deinde immobilia, tum nomina. Hic ordo servatur in pignore capto extra ordinem ex causa judicati, non in pignore prætorio quod in universa bona et jura constituitur *l. 1. C. de præt. pig.*

Quarta pars est de militiis, an hypothecæ obligari possint. Quædam militiæ vendi possunt, et in hæredes transmitti sub certa pe-

eumdem definitione, *l. ult. C. de p. g. a. l. 5. Cod. qui mil. poss.* ut militia adjutorum quæstoris, *Nov.* 35 ubi demonstravimus eam pecuniæ taxationem scholæ placitum et casum militiæ appellari, et militiam quæ dicatur ex casu univ'am esse in *l. 3. §. Si quid minori. D. de minor.* Ejusdem conditionis est militia Silentiariorum, *l. 30. §. ult. C. de inoff. test.* et Domesticorum, *arg. l. R... C. de adv. div. jud.* Quod vendi potest, et pignorari potest, *l. 1. Cod. res al. ... ger. l. 9. §. 1. D. de p. g. a.* Ergo militiæ illæ etiam pignori obligari possunt. Aliæ sunt militiæ quæ vendi non possunt: ergo nec hypothecæ obligari. Sed tractemus de his quæ obligari possunt. Quæ utilitas hypothecæ hujus? Qui militiam habent, ferunt commoda et annonas ex fisco, sane commoda sibi vindicant creditores jure hypothecæ? Sic videtur. Atqui commoda certaminum creditor jure hypothecæ non vindicat, *l. 5. C. quæ res p. g. obl. poss.* Illorum alia est ratio. Sacra sunt commoda ex sacris certaminibus, quæ et [illegible] dixerunt quidam, sicut hodie receptum est commoda ecclesiastica pignori obligari non posse conventione privatorum: in causam tamen judicati capi et hæc ipsa et commoda ludorum possunt, *l. Commodis. D. de re jud.* et stipendia armatorum militum, *l. 4. C. de exec. rei jud.* Rursus quæro, militia hypothecæ obligata, an casus militiæ comprehendatur hypotheca. Hoc ita definit Justinianus in hac Novella ut casus militiæ cedat creditori, cui militia hypothecæ obligata est, si miles sine uxore et liberis decesserit. Liberos vel uxorem defuncti militis præferri creditori, non hæreditatis nomine (nam etiam non hæredes in casum militiæ veniunt) sed privilegii et principalis liberalitatis, quod est ex *l. 11. C. de pign. ... sec.* nisi si pecunia creditoris militia comparata sit: hoc enim casu creditor præfertur uxori et liberis defuncti, et similiter creditor in speciali hypotheca rei sua pecunia comparatæ, præfertur antiquioribus creditoribus hypothecariis, *l. 1. et l. C. qui pot. in p. g. hab.* et si pupillus sit vel furiosus, vel miles, habet in ea re tacitam hypothecam, *l. pen. C. de ser. p. g. dat. man.* Ad hæc Justinianus confirmat privilegia concessa Silentiariis, puta ut pretium militiæ non conferant nec imputent in legitimam, si empta sit pecunia patris, *d. l. Omnimodo. §. ult.* et ut quæsita ex ea militia deputent castrensi peculio, *l. ult. C. de Silent.* et ut tutelis ac curationibus excusentur, *l. ult. C. de exc. tut.*

Quinta pars est de indotatis uxoribus, ex *l. ult. C. de repud.*, si matrimonium contrahatur affectione sola sine dote aut donatione propter nuptias, is qui discidii causam dat præstat conjugi quartam partem bonorum suorum, ita tamen ut non excedat ea pars c. libras auri, ut *Nov.* 22. Hoc ita ampliat *hæc Novella* et 74 *§. ult.* ut idem quadrans debeatur conjugi superstiti et egeno vel egenæ morte soluto matrimonio, sive extent liberi sive non. atque ita uxor viro et vir uxori succedit jure hæreditario, extantibus liberis, pro quadrante, nec mirum, cum et concubina succedat una cum liberis naturalibus pro sextante, et olim quoque extantibus parentibus et propinquis conjuges invicem ex parte certa succedebant, antequam hoc tolleret *l. ult. C. Th. de leg. hær.* Sed ex hac Novella etiam extantibus liberis inops conjunx locupleti succedit in quadrantem, quod rursus ita divisit *Nov.* 117. ut si tres sint filii, uxor inops viro in quadrantem succedat, si plures, in virilem ususfructus tantum jure, imo et proprietatis jure ex Leonis *Nov.* 106. Vir ut non succedat uxori.

NOVELLA LIV.

De colonis natis ex liberis personis, et ut locata sacra prædia invicem commutare possint.

Prima parte declarat ex quo tempore valere velit *l. ult. C. de agric. cens.* de qua lib. 4. c. 28. Secunda permittit ecclesiis et piis domibus, ut invicem causa cognita et interposito jurejurando permutationes prædiorum faciant: qua de re tractatum est satis Nov. 7.

NOVELLA LV.

Ut cum solo principe sacrorum locorum permutatio fiat, et ut loca sacra invicem perpetuam emphyteusim contrahere possint.

Permutationem prædiorum ecclesias inter se facere permisit superiori Nov. hæc permittit etiam eisdem perpetuam emphyteusim. Excipit utraque majorem ecclesiam Constantinopolitanam et territorium ejus, ut *Nov.* 46. et 120. Etiam illud cavet, ut quæ sunt permissæ inter ecclesiam et imperatorem permutationes, citra fraudem fiant, ne forte ab Imper. mox prædia ecclesiastica ad privatum transeant: sed in eo non præstat *Nov.* 119.

NOVELLA LVI.

Ut in sola ecclesia Constantinopolitana præbeantur insinuationes.

Insinuationes, sive [illegible] vocat quæ pro introitu novi clerici dant veteribus: quod in majori tantum ecclesia Constantinopolitana fieri concedit, ut Nov. 123.

NOVELLA LVII.

De subrogatis clericis, et ut qui ædificant ædem sacram ordinent in ea clericos patriarchæ auctoritate.

Ut in locum clericorum qui ecclesiam cui erant deputati dereliquerunt, alii protinus subrogentur, qui eadem diaria percipiant quæ desertores illi solebant accipere, et ut ne ea diaria œconomi in suum lucrum vertant, sed integra fide distribuant clericis. Diaria appellamus erogationes annonarum, ut *Nov.* 6. quas Cyprianus sportulas l. Epist. Julianus antecessor, salaria. Item ut qui ecclesiam ædificavit, vel de suo clericis præbet annonas, ne habeat instituendi et substituendi in ea clericos quos voluerit, quod vulgo appellatur jus patronatus, modo si eos prius obtulerit et commendaverit Episcopo, dignos Episcopum recipere, indignos rejicere [illegible] quod sacris literis proditum esse ait, Ezechielis scilicet xx. [illegible]. Idemque de hoc jure patronatus expressum est *Nov.* 123. in ædificanda quoque ecclesia exigitur scientia, auctoritas, [illegible], sive dedicatio Episcopi, et alia quædam, de quibus *Nov.* 5. et 67. et 131.

NOVELLA LVIII.

Ut ne domi fiat communio sacra.

Ne igitur in privatis ædibus fiat sacrosanctum epulum, quo [illegible], ut Theophylactus, [illegible], ut Samonas ait, exhibetur nobis verum corpus verusque sanguis Jesu Christi Domini et salvatoris nostri, nisi scilicet auctoritate episcopi et clericis adhibitis: alioquin ædes publicari, *Nov.* 131. ait ecclesiæ civitatis vindicari. Dicam igitur eas aut fisco aut ecclesiæ vindicari, ut de conventiculis illicitis quæ habentur in privatis ædibus, *l. Conventicula. C. de episc. et cler.* ædes publicari ait *l. 3. et 8. C. de hæret.* ecclesiæ vindicari: itemque *Nov.* 132. Eodem vero modo prohibet etiam tinctionem sacram sive baptismum fieri in privatis ædibus sextæ synodi in Trullo c. 31. et 59. Utrumque tamen Leo privatim fieri permisit a familiaribus et domesticis clericis, *Nov.* 4. et 15. quod sua ætate conveniret bene Christianis inter se. Discidia enim Christianorum supradictæ prohibitioni causam præbuerunt.

NOVELLA LIX.

De sumptibus funerum.

Hæc Novella est quasi appendicula quædam *Novell.* 43. pertinet certe utraque ad urbem Constantinopolitanam, et hæc illa corroboratur, ut sumptus funerum faciat, et feretra suppeditet major ecclesia Constantinopolitana: cui ejus rei gratia donaverant Imperatores Christiani mille et centum officinas, atque etiam ex fundis quibusdam reditus certos ut patet ex *l. 18. C. de s. s. eccl.* et ut ne quid per causam funeris exigatur ab hæredibus defunctorum. Præscribitur hac Novella sumptibus modus, puta quantum in semestribus singulis œconomos decanis sive copiatis dare oporteat, qui scilicet efferant et sepeliant mortuos, quantum prælucentibus acolothis, quantum præcinentibus asceteriis et canonicis. Separantur asceteria a canonicis, ut asceteria a monasteriis. Canonicæ sunt monachæ, ut constat ex 2. Nicenæ cap. 20. et epistola Basilii, [illegible], et Lucarii homil. 27. et Chrysostomi homil. [illegible]. Ex more seu menaium, œconomie infligunt usuræ trientes. Definitur etiam numerus ascetriarum sive canonicarum, quæ præcinere, et asseclarum sive [illegible], qui prælucere debeant. Majore pompa et nobilioribus pretiosioribusque ferculis sive lectis, qui defuncto funus ducere voluerit, ut id suis sumptibus faciat, quos etiam Justinianus taxat pro locorum spatio quibus est pompa traducenda. Minus solvi si ducatur intra novos muros, et trajectum Sycarum Justinianarum, plus solvi si ex re novos muros. De novis muris qui a Theodosio constructi sunt est alius locus in *l. Turres. C. de op. pub.* et *l. 7. C. de met. et epid.* De trajecto maritimo, quod appellat Sycenum, vel sycas Justinianas, ut Nov. 159. hodie Peræum sive Galatinum appellari fertur: Stephanus sive Hermolaus libro de urbibus sic scribit: [illegible]. Justin. vocat [illegible], trajectum maritimum: male Haloander terminum: Sic paulo post, [illegible], id est, extra novos muros, vel alios trajectus, male, extra novos muros, vel ad alios terminos: Julianus recte, trans novos muros, vel in alio transmarino loco. [illegible] Julianus corrupte tremissem, pro tressem.

NOVELLA LX.

Ne reliquiæ debitorum a creditoribus injuria afficiantur et ne adsessores causarum cognitionem suscipiant.

Hac Novella coercentur creditores, qui ægrotante et modo non animam agente debitore domum ejus ingrediuntur, et signa bonis imponunt sine auctoritate judicis. Hoc quidem vis est: et ideo jus

crediti amittunt, et tertia bonorum suorum parte multantur, et infames fiunt: quod Justinianus ait esse decreto D. Marci. Id exstat in *l. penult. D. ad l. Juliam. de vi priv.* Sed in eo nihil nisi de credito amittendo expressum est: imo et vim fieri dicit. Ergo tertia bonorum parte multantur, et infames fiunt: quæ est pœna legis Juliæ de vi, *l. ult. D. eod. l. Sed et partus. §. ult.* et *l. seq. D. quod met. caus.* ad quas addendum ex hac Novella, non tantum eos creditum amittere, sed et alterum tantum hæredibus defuncti præstare. Eadem vero pœna coercentur qui corpora defunctorum detineat, ne si volentes sibi de certo defuncti satisfieri, nec sepultura addei eum et funeri justa persolvi sinunt priusquam fuerit omnis pecunia soluta: qua de re queritur Ambrosius lib. de Tobia, cap. 10. Leviorem pœnam constituerat Justinus, *l. ult. C. de sep. viol.* ea qua creditor qui debitoris sepulturam impedimento est, non amittit creditum, quod quodammodo pugnabat cum decreto Marci, sed multatur L. libris auri: et ea ratione extorta pecunia restituitur, extorta cautio vel satisdatio vel hypotheca inanis constituitur. Est et generale edictum Severi ne corpora defunctorum detineantur, aut vexentur, *l. 3. §. Non perpetuæ. D. de sep. viol.* Causa funeris publica est, *l. Sunt personæ. D. de religios. et sumpt.* et ideo qui funus ducunt, vel prosequuntur vel justa mortuo faciunt, in jus vocari non possunt, *l. 2 et 3. D. de in jus voc.* et eo nomine sustinetur cognitio, *l. Interdum. D. de jud.* et sustinetur omnis exactio cognitiove diebus IX. ex *Nov.* 115. quod scilicet in eonem diem justa defunctis et μνημόσυνα persolvi solerent. *Nov.* 133. Gregor. 3. ἐννάτῃ μὲν ἡμέρᾳ παρὰ μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ βασιλέως καὶ ἀπαιτεῖ τῶν ἐνδόξων συνήθων γυναικῶν τὸ νενομισμένον τελέσωσι πένθος καὶ τὰ μνημόσυνα · qui mos ex Paganis manavit. Dio in Adriano · Πλωτίναν ἀποθανοῦσαν ἐτίμησεν ὡς καὶ ἐπὶ ἡμέρας ἐννέα μελανειμονῆσαι. Etsi jam ea alia hoc probavi satis libro de temporibus capite 6. Secunda pars Novellæ hoc habet. Adsessores non habere causarum audiendi plenam facultatem sine ipsis magistratibus vel judicibus a principe delegatis (nam et ii adsessores habent, et alium delegare possunt, quod ceteri legati non habeat, *l. 5. C. de jud.*) sed litem coram magistratu urbano esse contestandam, ultimam cognitionem coram eo esse peragendam, Ultimam cognitionem eleganter Julianus dixit, ut *l. ult. C. de præscr.* 30. *ann.* novissimam cognitionem, cum allegationibus et probationibus finem litigatores imposuerunt Sententiam quoque definitivam ab ipso magistratu urbano esse ferendam et appellationem recipiendam. A judice delegato a principe, qui privatus homo sit, vel a provinciali magistratu causam omnem in integrum audiendam esse, non per adsessores, adeo ut nec possit per adsessores subscribere libellis, *l. 2. C. de adses.* in quo titulo desideratur Constitutio una Zenonis Græca, et alia Justiniani hac eadem de re, sed earum sententiam hæc Novella conservavit.

NOVELLA LXI.

Ut ne consentiente quidem muliere alienentur vel obligentur prædia donationis propter nuptias

Certum est prædia dotalia inæstimata virum alienare, sed pignori obligare non posse ne consentiente quidem muliere, *l. 1. § Et cum lex. C. de rei ux. act.* Hæc prædia licet sint in bonis mariti mulieris tamen sunt, *l. Quamvis. D. de jure dot. l. In rebus. C. eod. l. Lucius. §. Idem respondit. D. ad municip.* mariti jure civili, mulieris jure gentium, ut exposui Observ. 8. et ideo liberum est mulieri ut vel ea vindicet recta vindicatione quasi sua, vel hypothecaria quasi aliena. Prædia autem donationis propter nuptias mulieris nondum sunt, quia non donantur statim, sed adsignantur et conscribuntur in causam donationis: inde quæritur an hæc possit maritus alienare aut pignori obligare constante matrimonio. Et idem hac Novella constituitur esse juris in his prædiis quod in dotalibus, ne fraudetur mulier lucro nuptiali, quod sperat ex donatione propter nuptias in casum mortis vel discidii, et consequenter liberi communes quibus plerumque lucra nuptialia servare parentes solent. Dices, non fraudabitur: nam revocabit et rescindet alienationem aut pignus utili vindicatione: quod et quidam judices tentabant, et Justinianus refert. Sed melius est statuere nullam esse alienationem vel hypothecam ipso jure, quam agere rescissoria. Quid enim si vir prædia potentioribus alienaverit conventu difficillimis? Nulla autem est alienatio, nulla hypotheca ipso jure, quantum ad mulierem attinet, quæ hoc intercedere efficaciter potest. Nam inter ipsos contrahentes rata est conventio quemadmodum rei alienæ hypotheca nulla est, quod ad dominum attinet: inter ipsos contrahentes valet, et parit actionem pignoraticiam, *l. Si rem alienam. §. pen. l. Si pignore. §. Si prædo. D. de pign. act. l. Si ab eo. D. de pign.* idemque est in venditione rei alienæ. Joannes tamen putat hanc superesse differentiam inter dotem et donationem propter nuptias, quod prædii dotalis alienatio vel hypotheca non valeat, etiamsi sæpius consenserit mulier, prædii donati propter nuptias alienatio valeat, ut hæc Novella definit, si consenserit semel atque iterum post biennium, dummodo ex aliis mariti bonis contingentem sibi portionem lucri ex tabulis nuptialibus servare possit: et hoc exemplo S. C. Vellejani de intercessionibus mulierum, circa quod Justinianus constituit *l. 22. C. ad Velejanum*, mulierem non juvari Senatusconsulto Vellejano, si perseverantia apparuerit eam judicio animi intercessisse non levitate quadam, id est, si biennium postquam intercessit iterum pro eodem ejusdem rei nomine intercedat. Sed hoc tamen exemplum hic per omnia non sequimur, quandoquidem addimus hunc modum, si ex aliis bonis mariti refici possit causa donationis propter nuptias. Item si vendenti marito rem immobilem destinatam donationi propter nuptias consentiat mulier, hic consensus post biennium confirmatur: nec enim intercessio est. Intercessio pro marito non valet, neque confirmatur etiamsi post biennium eam mulier iteraverit, *Novella* 134. Intercessio pro extraneo post biennium iteratione confirmatur. Ceterum Joannis differentiam non admitto: nam idem arbitror esse constituendum in dote, Juliano auctore, et latiori titulo hujus Novellæ, et eo quod ait in extremo, conservari alia privilegia jam doti data: ac si diceret, Æquiparari quidem dotem donationi propter nuptias in superiori specie, sed non in privilegio. Nam dotis exactio privilegiaria est, non donationis propter nuptias, *l. Si a lud sit. §. ult. D. qui pot. in pign. hab. Novell.* 97. Theophilus in §. *Fuerat. de action.* Beneficium autem illud dotis personale esse ait, quia in hæredem extraneum non transmittitur, *l. 1. Cod. de priv. dot.* in filium transmittitur, *Novella* 91. Ergo in privilegio est differentia inter dotem et donationem propter nuptias, non in facultate vendendi vel obligandi consensu mulieris iterato post biennium, si ex aliis bonis mulieri satisfieri possit. Non eodem jure sunt alia mariti bona, licet in eis mulier habeat tacitam hypothecam et dotis nomine, et donationis propter nuptias. Nam eorum bonorum alienatio et hypotheca valet ipso jure nec revocari potest a muliere jure tacitæ hypothecæ, si semel hypothecam remiserit, *l. Etiam. l. Jubemus. Cod. ad S. C. Vellejanum. l. Quamvis. in princip. D. eodem l. 1. §. Et cum lex. Cod. de rei uxor. actio,* nam remissio pignoris, neque donatio neque intercessio est.

NOVELLA LXII.

De Senatu.

Duo sunt capita hujus Novellæ. Unum est de consultationibus, quæ scilicet fiunt ad appellationem factam ad principem convocatis amplissimis magistratibus, et Senatoribus omnibus, ut diximus *Nov.* 20. et si forte harum causarum disceptationi non interfuerit princeps, quoniam ad principem appellatum est, quidquid decreverit Senatus non aliter valet quam si id princeps ratum habuerit. Hodie moribus nostris dum appellatur ad Senatum, appellari videtur ad principem, quia pars est Senatus, *l. 8. C. de dignit.* at contra Senatus pars principis, *l. Quisquis. C. ad leg. Jul. majestat.* nec necesse est confirmari a principe decreta Senatus. Julianus adjicit alias conventum denunciari Senatoribus, alias silentium sine conventu: silentio tamen conventum inesse. Convenisse proprie dicuntur, quorum sententiæ conquisitæ sunt: conventum enim vocat συμβουλήν. Interfuisse, audisse, discessisse aut manus porrigendo, aut pedibus in sententiam eundo, qui siluerunt, et ii etiam convenisse dicuntur, sed generali vocabulo, non proprio: et sic olim S. C. fiebant alias conquisitis singulorum sententiis, alias per discessionem tacito consensu. Alterum caput est de ordine Senatorum, inter quos nominat primum præfectum urbi, deinde patricios, consules, consulares, præfect. prætorio, magistros militum, et ceteros illustres. Quo ordine nominat, qui eorum prior est, prior sententiam dicit, prioreque loco sedet. Igitur præfectus urbi omnes alios antecedit, *l. 3. C. de offic. præf. urb.* Cassiodorus in formula præfecturæ urbanæ *Consides supra omnes consulares, sententiam primus dicis, etc.* Præfect. urbi sequuntur patricii, patricios consules, hos consulares, et consulares sunt vel exconsules, id est, qui consulatum ordinarium gesserunt, vel honorarii consules. Etiam honorarii pars Senatus sunt, *Nov.* 70. Inter eos qui consulatem gesserunt, is præfertur qui prior gessit, *l. 1. C. de consulib.* et ordinarius honorario etiam antiquiori, *l. 4. C. de prin. agent. in reb. l. 2. in fi. C. de primic. et not.* Post consulares ponuntur præf. prætorio, et magistri militum, et ceteri illustres. Ex hac Novella sive ex more relato in hac Novella, et recepto tempore Justiniani Tribonianus avideoter ad finem tituli Digestorum de Senatoribus hæc appinxit verba: *Senatores accipiendum est etc.* Abrogatur hac Nov. *l. 3. C. de consulib.* ut et ibi Accursius adnotavit. Additur etiam, eum qui propter magistratum quem gerit connumeratur inter Senatores, deposito magistratu Senatorem esse non desinere. Dare Senatores pro introitu sportulas: qui vetus mos est omnium promotionum: dant curiales, dant clerici et sacerdotes, dant memoriales, dant consules. Tum adscribitur etiam de loco in quo haberi Senatum oporteat, et Hippodromum justum locum esse in urbe Constantinopolitana. Olim ab auguribus constituebatur.

NOVELLA LXIII.

De prospectu maris.

Qui ædificat, vicino directum prospectum maris auferre non potest, nisi intermisso spatio c. pedum obliquum intermisso spatio, att. ex Constitutione Zenonis Græca de ædif. pri. Pertinebat ea Constitutio ad urbem CP. Justinianus eam porrexit ad provincias, *l. pen. C. eod.* Quinetiam voluit in obliquo quoque prospectu auferendo observari spatium c. pedum *Nov.* 165. idemque Harmenopolus ex Papiniani lib. III Quæstionum porrigit ad prospectum montium, ex similibus enim similia decidi oportere. Hoc cognito, finge. Qui cupiebat intra c pedes domum ædificare quæ obstrueret vicino prospectum maris, quod per legem ei facere non licebat, hoc in fraudem legis callide excogitavit, ut intermisso spacio c pedum murum altissimum exstrueret quo vicino auferretur prospectus maris, ac deinde intra eum murum atque adeo intra c pedes domum ædificaret, quæ etiam diruto muro offi-

ceret prospectui maris, atque ita ædificio consummato voti compos factus murum demolitus est. Huic fraudi occurrit Just. hac No. et comparat hominem raptori, quod eripiat gratissimum vicino prospectum: non abs re, cum et is qui aliis vel minimam rem rapuit, teneatur vi bonorum raptorum, §. 1. *Instit. vi bon. rap.* Cur igitur et ille non coercebitur, qui prospectum maris eripit sine servitutis jure et sine intermissione spatii legitimi? Ideoque multatur x. auri libris inferendis arcæ theatrali præf. urbi et jubetur dejicere domum. Hic enim est eventus judiciorum hujus generis. Augustinus homil. 30 *Plerumque homines de suis ædibus et luminibus in ædificiis suis liber inspectionibus cunctani, et ut fenestris suis radii liberiores aliquanto longius infundantur, domos alienas dejicere sæpe moliuntur.* Adjicit Julianus eum teneri vi bonorum raptorum in quadruplum, quod Nov. non dicit: at vero in edicto vi bon. raptor. bonorum appellatione non continentur res incorporales.

NOVELLA LXIV.

*De hortulanis.**

In conditione hortorum initio fieri æstimatio quædam solet ut finita conductione appareat quatenus aucti vel diminuti sint: nam conductor si hortum deteriorem fecerit, tenetur ex locato: si meliorem, repetit meliorationes actione ex conducto, *l. Dominus.* §. 1. *l. Colonus. D. loc. Novel.* 120. Igitur finita conductione, quo in statu sint horti, æstimatur. Æstimationem faciunt selecti quidam alii hortulani, necessario, quia horum rerum periti sunt. Sed ex eo sæpe locatoribus incommodum accedit: nam hortulani qui æstimationis causa arcessuntur, quasi in re negotioque communi, quod scilicet ipsi ejusdem sortis et conditionis sint, gratificantur conductoribus, et initio locationis vile æstimant olus insitum, fine locationis exacte subtiliterque æstimant omnia, olus, sterquilinium, consitiones et insitiones arborum et insitiones quidem arborum sane perperam, quod quarum ratio non habetur initio locationis, nec debeat haberi fine, et quod exemplo fructuarii debeat horti conductor jam satas arbores tueri, et in locum demortuarum alias substituere, *l. Agri. D. de usufruct.* idque plerumque lege locationis continetur. Huic vero fraudi ut occurrat Justinianus constituit ut deinceps in faciendo æstimatione hortulanis æstimatoribus specialiter huic rei destinatis adjungantur ii qui vulgo summarii dicuntur, et ut æstimationem hortorum faciant jurati propositis sacrosanctis Evangeliis: quod est commune omnium æstimatorum, *Nov.* 49. *l. Hoc edictali.* §. *His ita* [illegible] *Cod. de sacros. eccl.* Summarii dicuntur qui faciendæ rationis summarum quarumcumque periti sunt: nam et summis tributorum faciendis adhibentur. *Novell.* 30 Ad hæc constituit Justinianus ut finita locatione quantum oleris accesserit vel deperierit æstimatur, siquidem et initio locationis olus æstimatum sit: sterquilinii aut insitionum rationem habendam non esse: si quis tamen non hortum, sed terram squalidam et incultam locaverit horti inserendi causa, actionis et culturæ mercedem conductori præstandam, et initii oleris habendam æstimationem.

NOVELLA LXV.

De relictis ecclesiæ Mysiæ.

Ut prædia huic ecclesiæ relicta, vel data in alimoniam pauperum, vel redemptionem captivorum, si certum statumque reditum habeant, non possint alienari: si incertum, et longo intervallo distent ab ecclesia adeo ut barbarorum sint exposita vastationi, ut vendi possint, forte ex pretio alii propinquiora comparentur, vel redemptiones fiant captivorum, *l. Si quis ad declinandam. C. de episc. et cleric. Nov.* 131. Si non longe distent, ut non aliter alienentur quam si id ita caverit testator, et sic Julianus recte. Integram vero hanc Nov. Latine ex vet. libro edi curavit Pet. Pithœus vir de jurisprudentia optime meritus, in quo et breviter addita subscriptione ejus sententiam sic expressam inveni. *De terris vel domibus, vel cineis quæ relictæ sunt ecclesiæ Mysiæ in redemptionem captivorum, aut in nutritionem pauperum posse vendi non simpliciter, sed secundum distinctionem hujus legis, quæ specialiter permittit ecclesiæ Mysiæ relicta ab ejus episcopo vel administratoribus vendi pro redemptione captivorum, vel alimoniis pauperum, ita tamen si vel infructuosæ sint, vel cultores sufficientes non habeant, vel in longinquo sint posita, et a Barbaris depopulentur, Dat. x. Kal. Ap. C. P. Imp. D. N. Just. PP. Aug. Joanne V. C. Cos.* Haloander adjicit de reo, qui litem contestatam deserit, et edictis vel literis evocatus præsentiam sui facere contemnit, ut damnatur ita demum si malam causam habuerit: hoc enim significatur his verbis: κακὸν πρᾶγμα ἔχων· nam absens per contumaciam si bonam causam habuerit, non ideo minus vincit, *l. Et post edictum. D. de jud.* Hæc vero sententia est ex Theodori interpretationibus ad *Nov.* 69. et Julianus eam non agnovit.

NOVELLA LXVI.

De successionibus

Hæc Novella pertinet ad duas Constitutiones Justiniani, quarum una est *Nov.* 18 quæ quadrantem legitimæ portionis debitum liberis mutat in trientem si quatuor vel minus sint, in semissem si plus quam quatuor: qui si non relinquatur, inofficiosum testamentum est, et querela competit vel supplementi actio. Altera est *l. Jubemus. Cod. de testam.* quæ vult in testamentis scriptis, manu testatoris scribi nomen hæredis, vel si nesciat literas palam nuncupari coram testibus, et a testibus in subscriptionibus scribi: alioquin nullum esse testamentum. Declarat autem hac Novella, cum forte incidisset causa testamenti cujusdam, in qua de utriusque Constitutionis jure non observato ambigebatur, se velle ut utraque constitutio valeat ex eo tempore quo proposita et insinuata est in urbe vel in metropoli, vel alia civitate cujusque provinciæ, nec tamen confestim ex eo tempore, sed post duos menses demum a publicatione: idemque servari generaliter in omnibus Novellis Constitutionibus. Et ut siquis testamentum fecerit contra quam ea quæ nuper prodierit constitutio nova præcipiat, non ideo cogitur mutare testamentum, et aliud conficere secundum legem novam, ita ante facta homines non mutare invitos ob legem novam, verum hoc ita, nisi id lege nova nominatim comprehensum sit. Leges trahi ad præterita, si hoc sit nominatim expressum, ut *Nov.* 12 *l. ult. C. de pact. pignor. l.* 1. *Cod. de coml. jud.* et similiter leges ex citeriori tempore obligare, et valere quam definiatur hac Novella, si hoc sit in legibus specialiter expressum: ut *Nov.* 57. 116. Illud non est omittendum et postea Justinianum emendasse *dict. leg. Jubemus. Nov.* 119. qua quidem non vult testatorem literarum ignarum, qui scribendum testamentum dictat, palam testibus nuncupare nomen hæredis: alioquin testamenta scripta, secreta non fore, et inter ea et illa quæ per nuncupationem fiunt discriminis nihil fore. Satis igitur esse per alium scribi nomen hæredis.

NOVELLA LXVII.

De his qui templa ædificant, et ne episcopi Ecclesiis suis aberrent, et de alienatione prædiorum ecclesiasticorum.

Ne quis ecclesiam vel monasterium novum ædificet, antequam quo loco ædificaturus est eum dedicaverit episcopus, et constituerit ipse titulo donationis sumptus idoneos, cum alendis clericis vel monachis, tum faciendo sacro ministerio, et sartis tectis, et cereis noctu accendendis vel etiam luci, ut in Oriente fieri solebat auctore Hieronymo, interea dum populo legebatur Evangelium. Ne quis etiam veterem ecclesiam exornet vel tueatur et reficiat sine episcopi auctoritate, et hoc casu, ut sumptus nullos cogatur ecclesiæ quam reficit constituere, cum suos jam reditus habeat, at proprium tamen nomen operi ut inscribere possit, *l. ult. D. de oper. pub.* quod tot ædium sacrarum et monasteriorum, quot fuerunt olim ædificatores potissimum affectasse Justinianus ingenue profitetur. Ne episcopi diutius extra suam ecclesiam evagentur in comitatu principis vel alibi secundum *Nov.* 6. ne aberrantibus diu, solemnes annonas œconomi suppeditent. Postremo addit hoc ad *Nov.* 46. ut æris alieni dissolvendi causa non possint etiam metropolitani vendere prædia ecclesiastica, nisi decreto interposito præsente clero et duobus episcopis ex diœcesi sive synodo, cui ipse metropolitanus præest *Nov.* 46. episcopis vendentibus exegerat præsentiam cleri et metropolitani Decretum cum dicit, decretum præsidis intelligit, quo hodie non est opus ex *Novella* 120.

NOVELLA LXVIII.

De Constitutione successionum in lucra nuptialia

Morte soluto matrimonio et postea liberis præmortuis, proprietas lucrorum nuptialium, quæ eis conservabatur, consolidatur usufructui, et ad parentem superstitem redit ex Constitutione Leonis. Ex Constitutione Justiniani tertia, ut docui *Nov.* 2 c. 3 casus tantum ἀπαιδίας ad parentem superstitem redit, nisi liberis parens extiterit hæres. Ex hac Novella, qui casus contigerunt ante Constitutionem Justiniani Græcam, deciduntur Constitutione Leonis, ac proinde Constitutio Græca non pertinet ad præterita. Et de hoc parente dicitur qui contrahit secundas nuptias: sed idem procedit hodie etiam in eo qui abstinet secundis nuptiis, excepta portione virili ex *Novella* 127.

NOVELLA LXIX.

Ut omnes obediant præsidibus

Novella 53 tractatum est de actore, qui reum ex suo foro ad extraordinarium judicem evocat quod rescripto principis nonnunquam conceditur. Hac tractabitur de reo, qui æque rescripto principis vel quo alio privilegio se alibi conveniri debere contendit quam in foro competenti: ut qui ex provincia in qua deliquit litem educit in urbem: nam provincia in qua deliquit est pro foro competenti, *l.* 1. *D. ubi de crim. agi opor. l.* 7. §. *pen. l. ult. D. de accus. l.* 1. *C. ubi Sen. vel clar.* et ne ex rescripto quidem principis vel sanctione pragmatica vel alio privilegio potest revocare domum, nisi per appellationem, vel nisi Reip. causa in urbem ex qua oriundus est evocetur pragmatica forma. Puto etiam interpretes recte excipere privilegia jure publico concessa. Melior est igitur hac in re conditio actoris quam rei nam rescripta quibus actori datur facultas extra suum forum trahendi adversarii, non improbantur: rescripta quibus reo conceditur jus mutandi fori, improbantur, atque ita vitiatur regula *l.* 41. *D. de div. reg. jur.* nam actori licet quod reo non permittitur. Ratio hæc est, quia actori cui incumbit onus probandi, facultas probandi præripitur,

si suo loco agere compellatur, quam quo delictum commissum est: ideoque in alium locum trahere eum reus sine fraude non potest, ne ex rescripto quidem principis. Durum quoque est ex rescripto principis actorem non sequi forum rei, sed si et ius id etiam rescriptum accipitur, ut exposuimus Nov. 53. non tamen improbatur aut rejicitur. Porro huic Nov. locus est tam in civilibus quam in criminalibus causis, ut recte Julianus et Joannes et Accursius senserunt: et tituli latior inscriptio probat quamquam (ut verum fateamur) non sit ex titulis Novellarum necessaria argumentatio, propterea quod arbitrio sunt studiosorum, non auctoritate Justiniani confecti, et idcirco tam varii, alii Juliano, alii veteri interpreti, alii Haloandro, alii Scrimgerio, alii Bambergii, alii Indice nostro, quo male mus uti. Martiens in causis tantum criminalibus huic Novellæ locum esse putat. Et in criminalibus certe ei locus est sive magnum sit crimen, veluti sacrilegium, sive parvum, veluti abigeatus, quod eudem crimen vel unus equus aut bos abactus facit. Furti etiam crimen, quod extraordinarium est, vel una gallina facit, sicut et furti et vi bonorum raptorum civilem actionem Nov. 63. quam in rem hoc loco Julianus eleganter. Quamvis res, qua de agitur, inquit, minima videatur, tamen justitiæ ratio non ex quantitate, sed ex suis regulis debet æstimari: nam et quod aliis vilissimum esse videtur, hoc aliis pretiosissimum est. Proinde huic Novellæ locus est sive ex maleficio magno agatur, sive ex parvo, et sive ex maleficio agatur civiliter, veluti vi bonorum raptorum, sive criminaliter, veluti lege Julia de vi: itemque in aliis civilibus causis, nisi si agatur vindicatione, cujus varia sunt genera: nam aut dominium vindicatur, aut servitus, aut hypotheca, aut possessio, aut fines. Separat Justinianus vindicationem finium a vindicatione dominii, ut l. 10. Cod. de evict. Hæ omnes vindicationes moventur in ea provincia in qua prædia propter quæ lis est constituta sunt, et est ea provincia pro foro competenti, l. ult. D. ub. in rem act. exer. deb. l. 1. Cod. ubi de pos. agi opor. et frustra reus domum revocat. Idem statim si agatur in personam, nam gene aliter ait provinciæ præsidi obtemperandum esse sive de crimine, sive de pecuniaria causa agatur, et nominatim memorat συναλλάγματα. Igitur qui ratione contractus sortitus est forum Uticæ, licet Romæ domicilium habeat, non potest revocare domum, l. Hæres. §. 4. C. de judic. ne ex rescripto quidem principis. Et hujus Constitutionis facilis est executio, si utreque pars sit in provincia. Sed quid fiet si in provincia degat actor, possessor in urbe: possideat tamen prædium per procuratorem vel actorem vel colonum? quod et in actione in personam quæri potest, si reus Principalis habitet in urbe, institorem habeat in provincia cum quo contraxerit actor, ut l. Hæres. §. pen. D. de judic. Verum id in vindicatione tractemus tantum, et quidem ex l. 2. C. ubi in rem actio ex deb. ad quam procul dubio respexit Justinianus in hac Nov. Qui in urbe habitat, in provincia per procuratorem, actorem, custodem colonum vel inquilinum possidet prædium meum. Ago cum procuratore rerum, scilicet ejus litem, vel eum inquilino vel cum custode possessionis, qui prædium absentis nomine possidet, is in judicio dominum laudat. Dari ei debet secundum modum locorum, ut et in aliis causis observari solet, l. 1. et ult. C. de dilat. l. 3. C. Th. de jure fisc. l. 4. C. Th. de appel. l. ult. C. Th. de rep. app. dilatio sex, vel quatuor, vel octo vel novem mensium ad certiorandum et evocandum dominum, ut vel ipse intra id temporis veniat, et judicium suscipiat, vel litis causa mittat procuratorem quod est ex d. l. 2. Cod. ub. in rem act. nisi quod dilationis tempus relinquit in arbitrio judicis, hæc Novella certum tempus astruit pro locorum intervallis. Si dominus neque veniat, neque procuratorem mittat, lis agitur cum eo qui absentis nomine prædium possidet, quasi cum vero et legitimo procuratore absentis: male Haloander, quasi is ipse dominus sit qui fecit: nam ὑπὲρ τοῦ ἀπόντος κυρίως πράττοντα et paulo post, νομίμως πράττοντα, procuratorem vocat. Damnatur autem vel ipse vel dominus, et si judicato satis non fiet, fit missio in possessionem bonorum absentis. At quid fiet si et is qui absentis nomine possidet non compareat? Servabitur ordo solemnis, qui servari solet in eremodiciis, id est, desertionibus litis contestatæ. Male Haloander vadimonium et litem contestatam confundit. Desertio vadimonii est desertio promissionis judicio sistendi causa factæ. Longe aliud desertio litis contestatæ, graviorque ex hac causa quam ex illa pœna: nam hæc damno litis coercetur, quia desertori non licet appellare, vel ex integro causam agere. Illa non item: et olim quidem qui litem inchoatam deserebat evocabatur edictis tribus et peremptorio, non etiam is, qui non parebat promissioni judicio sisti. Ceterum ex hac Novella sive reus litem inchoatam deserat, sive inchoandæ liti præsentiam suam non faciat, nec defendatur, citatur legis voce, id est, præconis, ut Julianus et Irnerius interpretantur. Præco vox legis dicitur eadem forma qua Synesio carnifex, manus legum, in epistolis. Dicitur et vox judicis: solet enim præco verba judicis pronunciare: et scribitur tamen gestis, Judicem dixisse non præconem, ut August. scribit 3. de Trinitate, ut de verbis Domini, serm. 16. Et ex Nov. 112. citatur reus edictis tribus, per singula intermisso spatio dierum xxx. olim x. quibus si non pareat, damnatur etiam absens si malam causam habuerit. Damnatur sententia definitiva, si litem contestatam deseruerit. Damnatur summatim re cognita, et mittitur actor in possessionem bonorum custodiæ causa, si non venerit ad litem contestandum, lite manente salva, ut l. 2. C. ubi in rem act. et Nov. 53. cap. 3. et eodem modo absente actore, præsens reus sententia definitive absolvitur omnimodo, si actor litem contestatam deseruerit, vel si ante litem contestatam abesse cœperit, absolvitur observatione judicii, ut Nov. 53. cap. 4. Ceterum ex Nov. 112. et Leonis 108. utroque casu lis consumitur revocato jure antiquissimo, quo qui ad vadimonium non occurrebant, causa cadebant, ut Svetonius scribit in Caligula: et reus præsens si bonam causam habuerit, absolvitur omnimodo, videlicet a actor evocatus tribus edictis, et post edicta annum expectatus fuerit. Excipiendus tamen est casus d. Nov. 53. cap. 4. quo actor diebus tantum x. expectatur, nec edictis evocatur, cum scilicet non est actor sequutus forum rei. Id etiam notandum ex Nov. 112. contumacem post edicta annum tantummodo expectari; cum ex l. Properandum. §. Hujusmodi. Cod. de jud. expectari debeat ad finem triennii. Itaque multa innovat Nov. 112.

NOVELLA LXX.

De liberationibus decurionum.

Præfecturæ nomine significantur præfectura urbis Romæ, vel urbis Constantinopolitanæ, et præfectura prætorio vel Orientis vel Occidentis, id est, Italiæ, vel Africæ, vel Illyrici, et magisterium militum. Sunt enim eæ tres dignitates indiscretæ, l. 1. C. de præf. præt. sive urb. Sed vel honorariæ tantum sunt vel ordinariæ, hæ liberant curia, illæ non item: repetit quod jam constituerat sup. Nov. 38. Αὐτὰ τὰ ἀρχῆ παραγγ. αὐταὶ Rectissime vetus interpres, ipso cingulo designatum: nam honorarii cingulum non habent, et ἀρχὴ administrationem significat sive cingulum. Quid autem sibi voluit is qui vertit, Perita per decernationem magistratus? Ἀ... Rectissime etiam vetus interpres, Carpentum: quod Vopiscus judiciale carpentum.

NOVELLA LXXI.

De litibus eorum qui in dignitate positi sunt.

Vetus est Constitutio ut nec clarissimi, nec spectabiles, nec illustres litem pecuniariam agant per se, sed per procuratorem: quod honori eorum datur: et est hac de re l. pen. C. de procurat. in qua tamen qui enumerantur omnes vel illustres sunt, vel spectabiles, nulli clarissimi. Et sane videtur clarissimorum appellatione hac Novella Justinianus significare Senatores omnes etiam illustres et spectabiles: nam regulam ponit de clarissimis, et excipit illustres. Et inter clarissimos nominat Comites et tribunos. Comites intelligit consistorianos, ut l. 1. C. de mand. princ. quos constat esse spectabiles: Novel. 14. et tribunos notarios, qui modo spectabiles dicuntur, modo clarissimi. Et veterem Constitutionem recipit in illustribus tantum, veluti præfecto prætorio, aut præfecto urbi, aut magistro militum ut per procuratores causas civiles agant. Criminales nemo agit per procuratorem, l. pen. D. de pub. jud. l. ult. C. ubi Senat. vel clar. l. 1. D. an per alium caus. app. red. pos. præterquam enim nulem injuriarum illustres ordinarii vel honorarii l. ult. C. de injur. et episcopi ac presbyteri ex Nov. Valent. alani de episc. jud. igitur viri illustres causas civiles agere debent per procuratorem, causas criminales per se, excepta injuriarum causa, quam per procuratorem exequi possunt. Spectabiles autem et clarissimi causas civiles ex hac Nov. per se agere possunt, nec per procuratorem eas exercere compelluntur, quia et plerique ex his tuendo in litibus pecuniariis procuratori pares non sunt. Habent etiam viri illustres aliud privilegium ex l. ult. C. ubi Senat. vel clar. ut in criminalibus causis si ordinarii sint habeant jus sedendi in secretario judicum tam in urbe quam in provincia, honorarii in provincia tantum. In secretario inferiori parte, ut ait d. l. ult. Symmachus primo Epistolarum, in ueo subselliorum capita, regulariter litigatores stant, l. 1. C. de offic. civil. jud. et causidici, l. Quisquis. in fin. C. de postul. Plinius 4. Epistol. In tribunalia abat vel causis agendis, quod deforme arbitrabar cui loco cedere omnes oporteret hunc omnibus sedentibus stare, et vi. Ingens utrimque advocatorum ac nersa subsellia præsidentium corona: sic legendum.

NOVELLA LXXII.

De tutoribus.

Jure veteri debitor creditoris vel creditor debitoris tutelæ aut curatione non excusatur, l. ult. Cod. qui da. tut. pos. l. Neque. C. de exc. tut. Item qui litem habet cum pupillo vel adolescente non excusatur, etsi fuerit lis de omnibus bonis vel maxima parte eorum, vel de statu, l. 6. §. pen. l. Si pupillum. et l. seq. D. de excus. Ex hac Nov. excusatur vel removetur, nisi sit mater vel avia Nov. 94. Vel si post susceptam administrationem tutelæ acquirat tutor obligationem adversus pupillum, forte adita hæreditate creditoris pupilli, ei contutor aut concurator adjungitur: quod etiam fiebat olim litis causa, d. l. Neque. Diversum erit si post susceptam vel etiam depositam tutelam cessionis jure obligationem acquisierit: nam cessiones actionum factæ in personam tutoris vel curatoris, donationis venditionisve titulo, ipso jure nullæ sunt, nec regressum habet adversus eum qui cessit: et pupillus ab utroque liberatur: olim valebant, l. Non fit. D. de ceb. eoc. qui sub tut. Itaque multas leges Pandectarum et Codicis hæc Novell. tollit: et quidem merito. Eveniebat enim sæpe ut tutores vel curatores, quorum in potestate essent omnia, redimerent inanes, infirmas, inutiles actiones adversus pupillum, vel ex causa donationis eas sibi cedi procurarent, ac deinde supprimerent apochas, quibus se defendere et agentem excludere pupillus poterat. Apochas vocat ἀποδείξεις τῶν χρεῶν, ut Nov. 46. 49. Haloander interpretatur male probationes. Sed tamen paulo post recte, ἄλλας ἀποδείξεις, alias probationes. At priore hoc loco ἀποδείξεις vocat professiones solutæ pecuniæ, quod et vetus in-

terpres intellexit qui interpretatur, De suscepta: sic enim solet appellare apochas. Accedebat etiam hoc incommodum quod tutores pupillo obligati intercipiebant chirographa allisve debiti probationes. Itaque merito visum est utilius esse, si debitor creditorve vel creditor debitoris tutelam curamve non susciperet exceptis matre et avia, quæ sunt extra suspicionem omnem quandiu abstinent secundis nuptiis: eademque ratione excipiam patrem et avum, imo et parentes omnes virilis sexus, non cognatos: nam id de matre et avia tantum cautum est, quod eæ solæ liberorum tutela fungi possint, Nov. 118. Tutor, qui huic Constitutioni non paret .i. qui dissimulat se esse creditorem pupilli nec excusat se, jus crediti amittit, et qui dissimulat se esse debitorem, non liberatur, quasi a semetipso exegerit: denique nec sibi solvere nec a semetipso exigere potest: quod tamen vetus prudentia admittit locis innumeris. Secundo quoque capite hujus Novellæ multæ Pandectarum et Codicis leges emendantur, quibus cavetur tutorem teneri in usuras ejus pecuniæ quam non deposuit ad comparationem idoneorum prædiorum, vel quam non idoneis hominibus fœnori occupavit. Nam ex hac Novella non cogitur eam fœnori occupare, vel ex ea comparare prædia: satis enimque est si eam custodiat diligenter; pupillo igitur vacabit impune. Sed si negotiorum pupilli administratio et tuendæ vitæ pupilli ratio hoc necessario exigere videatur, etiam fœnerari cogitur. Ultro etiam fœnerabitur recte, sine tamen periculo: et secundum jus vetus habebit singulis annis laxamentum duorum mensium exigendæ et rursus occupandæ pecuniæ causa, l. Tutor. §. Usuræ. D. de adm. tut. Ultro etiam ex superflua pecunia comparabit prædia idonea suo periculo: et idonea prædia definit esse fertilia et levioribus tributis obnoxia, et quorum auctor idoneus est .i. locuples, ut de evictione cum effectu conveniri possit. Quod dixit de pecunia, idem dicit de prædiorum reditu, ut videatur suo officio præclare functus tutor si tutiore loco reditus superfluos deponat. Adjicit etiam hoc ad jus vetus, ut non nisi juratus tutor vel curator ad administrationem accedat, neque tamen ratione jusjurandi se existimet [illegible] fore. Exigitur et jusjurandum a curatore furiosi, l. De curationibus. Cod. de episc. aud. hac Novella ab omnibus.

NOVELLA LXXIII.

De instrumentis.

Inane est chirographum quod nullis testibus nullisve subscriptoribus confectum est, quodque nulla literarum comparatione confirmatur: non est omnino inane quod literarum comparatione confirmatur: nam deferendi jurisjurandi (quod hic extremum subsidium vocat litium finiendarum) occasionem judici dabit. Non quod teste uno vel duobus: nam et si testis unus non debeat movere judicem ad deferendum jusjurandum sine chirographo (ut in Feudis docuimus) movebit in hanc rem merito tamen judicem chirographum, et testis unus vel duo. Firmissimum autem id est quod trium testium præsentia vel subscriptione confirmatur, licet comparatione literarum non confirmatur, cum et sine chirographo tres testes sufficiant: et ita firmissimum quoque est forense instrumentum quod tabellionis mandatu amanuensis ejus scripsit, et complevit, vel scripsit tantum, tertia persona veluti argentario adnumerante pecuniam: nam hi tres, tabellio, amanuensis, argentarius, pro tribus testibus habentur: et si consentiant horum testimonia, constat fides rei gestæ satis etiam sine scriptura. Sed si nullus interfuerit amanuensis vel argentarius, præter tabellionem duorum vel trium testium præsentiam, aut subscriptionem desidero ex sententia hujus Novellæ. Quid igitur? Tabellionis solius fides non sufficit, forense instrumentum publicum testimonium non habet? ita videtur: hoc jure censetur id solum quod actis insinuatum est apud magistrum census, vel magistratus municipales, vel defensores plebis. Stringit breviter sententiam hujus Novellæ, et diffundit tamen forte quam in Nov. 49. Id non est omittendum, hanc in instrumentis tantum eam diligentiam exigi, quæ in urbibus fiunt, et quæ superant libram auri, non in his quæ ruri fiunt: nam et testamentis quæ ruri fiunt diligens observatio remittitur, l. ult. C. de testam. Sed et majorem exigit in chirographis quæ excedant 2. libras auri, l. ult. C. si cert. pet. nam subscriptionem exigit trium testium: ore contenta est præsentia, qua hæc Nov. tamen omni in summa videtur esse contenta. Τῶν τελειωμάτων) Completionum. Primus enim solent tabelliones contractus scribere in schedula, deinde complere in mundo, ut patresfamilias rationes suas in adversaria primum, deinde in codice. Ἀπὸ πάντων) Legendum διὰ πάντων, ut docui ... Πέντε μαρτύρων) Quinque hi sunt, tabellio, tabularius, tres testes, quoniam tres testes Novella exigit. Sed in forensi instrumento puterem sufficere duos, propterea quod testis vicem expleat tabellio. Sed tamen si ex abundanti duobus fuerit adjectus tertius, ita connumerato tabulario et tabellione, fuerint quinque.

NOVELLA LXXIV.

De suitate liberorum, et de nuptiis.

Suitatem appello, quod Græci γνησιότητα, imitatus non tam interpretes nostros quam Stoicos, quibus familiare est ex qualitatibus fingere nomina: nec aliena Jurisconsultis Stoicorum imitatio, quandoquidem omnes prisci juris auctores ab Stoicis imbutos multis mihi quidem et magnis liquet argumentis. Explicantur autem hac Novella modi quibus filii naturales efficiuntur sui, volentes scilicet: nam invitus nemo fit suus, sicut et invitus nemo emancipatur. Primus modus hic est, si nuptiæ dotali instrumento contrahantur cum concubina, ex qua filii naturales procreati sunt, de quo Nov. 12. diximus satis. Hoc deficiente, velut concubina mortua, vel indigna connubio, vel absente, vel patre in clerum cooptato, sequitur alter modus, ut precibus a patre Imperatori oblatis, vel a liberis naturalibus prolato testamento patris, quo sibi eos hæredes suos esse voluerit, beneficio Principis sui et legitimi fiant. Princeps libertinos potest ingenuitati restituere et natalibus, in quibus initio omnes homines fuerunt nondum neque naturali neque civili jure descripto, l. 2. D. de nat. restit. l. Imperialis. §. 1. C. de nupt. quo tempore incognita erat servitus: sed necesse est (ut hoc loco valde singulari Justinianus ait) uti eos donet prius anulis aureis, atque ita quodammodo prrepurget: et hac de causa, ut opinor exigit in Novell. 18. ut ancillæ manumissæ impetretur jus annulorum simul ac natalium restitutio. Eodem vero exemplo princeps potest liberos naturales suos facere et restituere antiquis natalibus, in quibus omnes homines fuerunt, legibus nondum scriptis, quo tempore liberi omnes fuerunt conditionis ejusdem, non alii naturales, alii legitimi. Synesius Anastasio, [illegible]. Hoc vero genere dandæ suitatis utitur pater si non extent legitimi liberi, et ex muliere libera filii naturales progeniti sint, priore utitur etiam extantibus legitimis, atque etiam si ex ancilla filii naturales procreati sint. Est et tertius modus Nov. 89. Si pater filios naturales offerat curiæ civitatis toto populo, vel actis intervenientibus, si filias naturales curialibus matrimonio jungat, vel si ipsi se filii naturales curiæ offerant ex patris ultima voluntate, aut sponte sua: et hunc modum Theodosius introduxit, l. 3. C. de nat. liber. et probavit Leo, l. 4. ex qua refert Justinianus in d. Novell. 89. Philocalum quemdam filium naturalem publice obtulisse patrem curiæ Bostræ civitatis: unde liquet aperte in d. l. 4. pro nostræ, esse legendum, Bostræ, quæ est civitas Arabiæ, Novell. 102. et ita jamdiu memini me emendare in notis Institutionum. Primum modum invenit Constantinus, Justinianus amplificavit: secundum invenit Justinianus: nam rescripto principis olim non fiebant legitimi nisi qui nati erant ex muliere, quæ propter inæqualitatem justa uxor esse non poterat: rescripto enim justa uxor simul ac liberi justi fiebant. Hoc vero tertio modo, quem Theodosius adinvenit, filius naturalis susceptus ex libera muliere suus, et legitimus fit ex patris voluntate etiam existentibus legitimis liberis: ita tamen ut pater non plus ei dare vel relinquere possit, quam uni ex justis liberis cui minimam portionem dederit vel reliquerit, l. Communium. §. ult. C. de natur. lib. quia in re Novellam Theodosii de bon. d. cur. derogatur, ex qua in d. l. 3. addita perperam videntur hæc verba: Naturalem dumtaxat fecunditatem sortiatur. Sua autem sponte filii naturales ex libera muliere nati si se offerant curiæ non aliter sui et legitimi fiunt, quam deficientibus legitimis, idem ne dicendum de his qui ex ancilla nati, et manumissi vel patris voluntate, vel sua sponte decuriones fiunt, Nov. 89. Est etiam inter hunc modum faciendi legitimi et superiores differentia hæc, quod superioribus non tantum jus suitatis, sed etiam jus agnationis acquiratur, hoc modo jus suitatis tantum, d. l. Communium. Ei autem qui decurio simul ac patri filius hæresque legitimus factus est, qui et pro qua parte succedat definitur in d. l. Communium. §. Sed et quidem, usque ad §. pen. aliter quam in Nov. 89. quæ varie demonstrat in ejus successione semper hanc rationem esse servandam, ut curia curialesve hæredes defuncti bonorum dodrantem habeant sublato quadrante et besse, de quo d. l. Communium: sublata etiam differentia bonorum adventitiorum et profectitiorum. Erat et olim quartus modus, Adoptio l. Jubemus. in fin. C. de nat. lib. qui tollitur l. Legem. C. eodem, et hac Nov. et 89. Tentari posset reduci Nov. 117. §. 1. nam si sola nominatione filii naturalis suus fit, et adoptione multo magis, quod tamen non admitto.

Secunda pars hujus Novellæ est de nuptiis, quæ dotis et donationis propter nuptias conventionem exigunt, et de iis quæ testatione vel jurejurando vel nuda affectione contentæ sunt, cui aliquatenus derogatur, Nov. 117. ut exposui Nov. 12. et 22. et de quadrante bonorum relinquenda mulieri indotatæ, quod de re diximus Nov. 53. cap. ult.

Κυρίαν ἐκάλει) Epictetus in Enchiridio, αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ ιδ´ ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται. Hieronymus adversus Jovinianum, Vocantur dominæ, celebrant natales ejus.

NOVELLA LXXV.

De appellationibus Siciliæ

Ut appellationes a Consulari vel Prætore Siciliæ referantur ad quæstorem palatii, quæ olim ad præfectum prætorio, l. 27. C. Th. de app. Ut decreto quæstoris confirmentur defensores plebis in Sicilia creati, et patres civitatum. Alii defensores confirmantur auctoritate præfect. prætor. Nov. 15. Dixi a Consulari, vel prætore. Consularem primum Sicilia habuit, deinde prætorem Nov. 104. in qua pro τῶν πρετώρων, ex ista legendum, τῶν πατέρων.

NOVELLA LXXVI.

De monachis.

Qui ante Nov. 5. quæ post monachismum interdicit testamenti factione, facti jam erant monachi vel monachæ, testamenti factionem habent, præsertim existentibus liberis.

NOVELLA LXXVII.

De impudicis et juratoribus.

Cedrinus scribit Justin. tulisse νόμους σφοδροὺς κατὰ τῶν ἀσελγαινόντων: hanc Constitutionem intelligit, et 141. Et junguntur etiam his per capillum Dei, vel per caput, vel alio modo dejerant contumeliose.

NOVELLA LXXVIII.

De dotalibus instrumentis et manumissionibus.

Ex hac Novella manumissio sola ingenuos facit, non quod ad patronum, sed quod ad ceteros et jura alia ingenuitatis attinet: nam jus patronatus integrum manet, nisi id patronus in manumissione remiserit nominatim, l. *penult.* et *ult.* *C. de bon. lib.* Quin et si id remiserit, honor tamen et obsequium debitum patrono, remissum non videtur, sed neque actio ingrati. Hæc actio est extraordinaria, l. 1. *C. de libertis et eorum. lib.* cum tamen sit ex lege Ælia Sentia, quia post eam legem S. Consultis et Constitutionibus de ingratitudine libertorum extra ordinem agi cœpit. Competere eam actionem hoc loco Justinianus ait non tantum manumissori, sed et filiis manumissoris: quod etiam est ex lege Ælia Sentia, *l. Sciendum. D. de verb. signif.* At l. *pen. Cod. de libertis et eorum lib.* eam dat generaliter hæredibus patronorum. Sed id Accursius recte restringit ad filios hæredes, *Nov. Valentiniani de libertis*, etiam filiis eam ademerat. Alia est actio ingrati adversus donatarium: et omnino duæ tantum sunt in jure actiones ingrati, adversus donatarium et adversus manumissum: nam adversus alios actionibus ingrati, ut quodam loco Seneca ait, fora non sufficerent. Ex his autem colligitur: pleniorem esse natalium restitutionem quam manumissionem remissionemve juris patronatus: nam manumissus etiamsi quantum ad cetera attinet ex hac Novella pro ingenuo habeatur, tamen juri patronatus obstringitur et eo etiam remisso obsequiis et actioni ingrati. Natalibus restitutus nec obsequium vel honorem debet, nec quasi ingratus accusari potest, *l. pen. C. de bon. lib. l. 10. §. Sed et si jus. D. de in jus voc.* Sed nemo etiam facile a principe natalibus restituitur nisi consentiente patrono, l. 2. *in fi.* l. *ultim. D. de nat. rest.* et filio patroni, *l. pen. D. eod.* Igitur ne hodie quidem omnimodo supervacua est petitio annulorum et restitutio natalium: nam quantum ad patronos non est supervacua, quantum ad ceteros est supervacua: ut ecce, liberti hodie decuriones fiunt impune contra legem Viselliam, et cognationem amissam recipiunt, etiamsi natalibus restituti non sint, et libertæ Senatoribus nubunt jure, quia ingenuæ esse censentur: et ex eo matrimonio sui ac justi liberi nascuntur, et ante matrimonium suscepti in concubinatu ex eadem muliere per matrimonii conjunctionem sui et legitimi fiunt. Quin et manumissio sola concubinæ contractusque dotis cum ea habitus filios naturales ingenuos et suos facit, etiamsi jus annulorum et restitutio natalium impetrata non sit: quare derogatur *Nov.* 18. Manumissa igitur matre et nuptiis cum ea dotali instrumento contractis, manumissi etiam videntur filii: quod novum videri non debet, nam et ita ἀπὸ τοῦ ... miles servum cui legatum adscripsit manumisisse videtur, *l. Ex his. C. de test. milit. l. Lucius. §. 1. D. eod.* nec minor est præsumptionis ratio in proposito casu, ut concubina manumissa, et uxoris nomine honorata, videantur etiam filii naturales ex ea suscepti libertate donati, ac consequenter sui ac legitimi effecti. Dederat jam ante Antoninus omnibus ingenuis jus Quiritium, quod olim pro beneficio dari solebat: dederat et Justinianus libertinis, sublata Latinorum et dediticiorum conditione. Hac Novella dat omnibus libertinis ingenuitatem et jus annulorum et restitutionem natalium.

NOVELLA LXXIX.

De monachis litigatoribus.

Novella est de monachis: monachi non sunt clerici: sed dicemus etiam de clericis conjuncta *Nov.* 83. Olim monachi utriusque sexus, et clerici conveniebantur in provinciis apud præsidem, in urbe apud præfectum prætorio, et vocati in forum venire compellebantur ex Constitutione Leonis, l. *Omnes qui ubicunque. C. de episc. et cleric.* de qua Theodorus Lector in hunc modum: Λέων ἐνομοθέτησε τοὺς κληρικοὺς παρὰ τῷ ἐπάρχῳ τῶν πραιτωρίων μόνον ἀποκρίνεσθαι: Volente actore conveniebatur coram episcopo, l. *Decernimus. C. de episc. aud.* conjuncta *l. Cum clericis. C. de episc. et cler.* Ex hac Novella monachi non possunt conveniri nisi coram episcopo, cujus arbitrio vel ipsi monachi respondere debent per se, vel per antistitem suum, vel per actorem sive syndicum communem, qui apocrisiarius dicitur: et multantur civiles judices, qui huic Constitutioni non paruerint: et coercentur carcere executores qui quem ex his vocaverint ad judicem civilem non ad episcopum: nam et ab ipso episcopo executores conjici possunt in decanica. Decanica dicuntur et diaconica, ut in *l. 3. C. de hæret.* et Laodic. Synodi c. 21. ἐν τῷ διακονικῷ. Non sunt carceres, licet in ea rei quandoque conjiciantur custodiæ causa, cum et haberi in eis conventus soleant, et recondi res pretiosæ. Ex *Nov.* autem 83. clerici actione pecuniaria conveniuntur coram episcopo, qui litem finiat celerrime sine sumptu, et sine scriptura solemni: nam neque ex libello in jus vocandi sunt, neque ex libello dicenda sententia est quod et in monachis locum habet. Episcopo nolente aut nequeunte judicare, lis agitur apud judicem civilem. Quid si causa criminalis fuerit? ut militare delictum a communi distingui solet, ita separare debemus ecclesiasticum crimen a civili sive communi. Si commune fuerit clerici crimen, veluti adulterium aut homicidium, a judice civili disceptabitur intra duos menses, et de damnato clerico jus ante supplicium sumetur, quam degradatus fuerit ab episcopo. Si ecclesiasticum: veluti sacrilegium, ut Zonaras scribit CP. Synodi 1. c. 6. et ambitus, ut puta si pecunia ambierit clericatum, vel contumacia adversus episcopum, disceptatio erit episcopi, ut *Nov.* 123. in qua Pleniis aliisque distinctionibus adhibitis tota hæc res explicatur.

NOVELLA LXXX.

De quæstore.

Alius est quæstor palatii, de quo *Nov.* 35. alius quæstor exercitus, de quo *Novel.* 41. alius est quæstor, quem hac Novella Justinianus creat constituitque in urbe quærendis coercendisque mendicis, incertibus, otiosis, peregrinis, errantibus et vagis, cujuscunque conditionis sint, sive clerici, sive monachi, sive advocati aliarum civitatum: et hic quos συνηγόρους recte Julianus interpretatur scholasticos, ut *l. 2. Cod. de inscr. adv.* Eo nomine primum nuncupati sunt Rhetores, ut Cor. Tacitus scribit lib. de Oratorib. et declamatores litium fictarum: deinde a fictis litibus transiit ad veras. Plin. 2. Epist. *Adhuc scholasticus tantum est, quo genere hominum nihil simplicius. Nos enim qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus.* Schola et auditorium et ficta causa innoxia est. At si forte exteri litis causa in urbem venerint: vult Justinianus quæstore imminente, instante, urgente, et ad extremum audiente et cognoscente morantibus judicibus celerrime eorum lites finiri. Eidem in mendicos validos coercitionem dat mitiorem quam definitur, *l. 1. Cod. de mend. val.* et constituit quandam veluti ἀργίας actionem ut ipse ait, id est, inertiæ et lenitudinis, qualis fuit olim apud Græcos. Pollux 8. τῆς ἀργίας ἐπὶ μὲν Δράκοντος ... ἐπὶ δὲ Σόλωνος εἰ τρὶς τὶς ἁλοίη ἠτιμοῦτο. Nicolaus apud Stobæum, Ἀθήνησι τῆς ἀργίας ... Plutarchus de Dracone, Μία ... τοῖς ἁμαρτάνουσι ζημία θάνατος, ὥστε καὶ τοὺς ἀργίας ἁλόντας ἀποθνήσκειν. Datur etiam huic quæstori potestas cognoscendi de crimine falsi, et de superexactionibus executorum, id est, si supra modum legitimum sportulas exegerint. Videtur et jus habuisse imbecillis dandi tutoris, ut ex Harmenopulo constat 5. Epit. tit. 11. qui et in fine sexti de ejus officio tractat. Deputantur etiam huic novo magistratui annonæ et salaria, et adsessores, et apparitores certi.

NOVELLA LXXXI.

De solutione patriæ potestatis.

Ad *l. ult. C. de consulibus* Justinianus addit, non tantum patriciatus dignitatem solvere potestatem patriam, sed et ceteras dignitates, quæ curiali conditione liberant, de quibus *Nov.* 38. et 79. His dignitatibus liberi sui juris fiunt sine capitis diminutione, sequitur quod eos peculium tacite, sicut emancipatos. Sine capitis diminutione, quia non desinunt esse in familia, sicut morte patris, *l. 3. §. ult. D. ad Maced.* et olim sacerdotio Vestali et flaminio Diali. At qui emancipatione sui juris fiunt capite minuuntur, quia in imaginariam servitutis formam rediguntur, l. *Liberos. D. de cap. min.* et ideo emancipati agnati esse desinunt, et nepotes ex eis suscepti post mortem avi non recidunt in eorum potestatem: superioribus modis recidunt, et agnatio non tollitur. Emancipationem fieri solitam jam injurioso fronte pulsata, ut l. *ult. C. de emancip. lib.* erat enim emancipatio legis actio, id est, actus legitimus, et in omni fere actu legitimo symbolum, in cretione digitorum crepitus, in mancipatione æs et libra, in manumissione alapa. Addit etiam in extremo episcopatum solvere patriam potestatem: quod ante non obtinuerat, l. *Sacrosancta. C. de episc. et cleric.* Liberat et curia episcopatus, secundum modum *Novel.* 123.

NOVELLA LXXXII.

De judicibus

Est hæc Novella de urbanis judicibus, non de provincialibus. Judicum nomen generale est, §. ult. eo continentur tam magistratus quam judices pedanei: hi sunt judices dati, qui quasi plano pede judicant, non pro tribunali, et a Græcis χαμαιδικασταὶ dicuntur, et ὁ παρὰ τῶν ἀρχόντων δικασταί. Continentur etiam eo nomine judices compromissarii, qui δικασταὶ αἱρετοὶ dicuntur. Pedaneis dantur δικασ..., sive sportulæ: magistratibus non dantur, quia ampla salaria habent, pedanei permodica, et similiter sportulas permodicas: pedanei non habent adsessores: magistratus habent adsessores. Magistratus plerumque erant viri militares, legum ignari: pedanei periti νόμων ..., ut ait hoc loco, sicut adsessores, qui nihil a pedaneis distant *Nov.* 60. nam ex eodem corpore studiosorum juris adsumuntur et pedanei judices, et adsessores, et hi debent præstare scientiam legum et morum, non magistratus, *l. 2. D. quod quisque jur.* Magistratus

habent tribunal, pedanei non habent tribunal, sedere tamen eos Justinianus vult a matutino ad occasum solis: ut locum notat, in porticu regia, qua etiam Agathias scribit se libellis litigatorum dedisse operam ab ortu solis ad occasum, Historiæ III. Significat igitur se ex pedaneis, vel ex pedaneorum consiliis fuisse. Julianus ait, in basilica, quod fere idem est, nam basilicæ adjacebat porticus. Sedere autem vel litigatoribus conducentibus subsellia, ut olim fieri solebat, auctore Suetonio in Nerone, vel ærario præbente gratuita. Zeno singulis judiciis certos et proprios deputaverat judices pedaneos, veluti in judicio præfecti prætorio certos, in judicio præfecti urbi certos, in judicio magistri officiorum certos, quibus solis causarum cognitiones magistratus delegarent. Justinianus quos constituit octo vult esse communes, et in judiciis omnibus eis causas delegari atque etiam ab ipso principe, et his etiam solis a magistratibus, non aliis, nisi forte partem quamdam litis velint adsessoribus suis demandare, dum tamen ipsi litis contestationi et ultimæ cognitioni præsint, ac sententiam definitivam pronuncient, *Novell.* 60. A pedaneis autem si a principe dati sint appellationem fieri ad magistrum officiorum, vel præfectum prætorio, et quæstorem ut *Novell.* 23. Si a magistratibus, ad eos qui dederunt, *l.* 1. *D. quis a quo app. l. Præcipimus. C. de appel.* ex quo apparet quam id distet a legatis, vel aliis quibus magistratus suam jurisdictionem mandant, a quibus ad mandatorem non appellatur. Excipit duos casus, quibus a pedaneis jus appellandi non est, qui et generaliter recepti sunt in omnibus judicibus, Si quem damnarint ex eremodicio, *l. Ex consensu. §. ult. de appellation. l. Post edictum. §. ult. D. de judic. l. Properandum. C. eodem, l.* 1. *Cod. quorum appel. non recep.* Si bis jam reus appellaverit, nam tertium interposita appellatio non recipitur, *l.* 1. *C. ne liceat in una eademque caus. ter prov.* His autem pedaneis judicibus, *l. ult. C. de pedan. judicibus,* ait magistratus humiliora negotia committere. Ea negotia Justinianus definit usque ad summam CCC. aureorum: eaque vult eos disceptare ἐν σχήματι παρασημειώσεως, quod ita Græci interpretantur τουτέστι μὴ γινεσθαι σημειώματα πλατυκὰ ἐπὶ τῶν διὰ μέσου ἐκφωνήσεων, καὶ ἀπογεγραμμένας ἔχοντα πάσας τὰς τῶν μερῶν δικαιολογίας. Tria sunt vocabula diversa σημειώσεις, ὑποσημειώσεις, παρασημειώσεις. Primo significantur acta omnia judicii, secundo subscriptiones libellorum, tertio brevibus comprehensa præcipue capita litis. Græci interpretes, παρασημειώσεις, τουτέστι τὰ κυριώτερα τῶν λαλουμένων περιλαμβάνοντα καὶ γράφοντα ταῦτα ὡς ἐν συνόψει, καὶ δι᾽ ὀλίγων. Itaque nec jurisdictionem pedanei habent, quod certissimum est, nec solemnem et plenam cognitionem, quia non cognitionaliter, quod est actis accurate diligenterque confectis, sed per adnotationem tantum causas humiliores disceptant, brevitatis et celeritatis causa. Sententiam tamen dicere ex periculo, sive ex scripto solemni omnimodo debent secundum generalem Constitutionem juris. Eodem vero brevitatis studio in his causis si appellatum sit a judice pedaneo, Justinianus constituit ut causa appellationis introducatur intra duos menses, post quos tempora fatalia currant, et post fatalia non impetretur reparatio, quod confirmat *l.* 2. et *ult. C. de rep. appell.* et *Novell.* 126. Post hæc Justinianus singulis judicibus in cognitione causarum duos exceptores, sive notarios deputat, et duos executores, quos sumi vult ex cohortibus seu appatitionibus majorum judicum, vel scholis agentum in rebus, vel scriniis sacris seu memorialibus, et creari totius cohortis vel scholæ, vel scrinii periculo, et removeri e judiciis pedaneis si male fungantur suo munere, et alios substitui electione et periculo cohortis, ut supra, quod pertinet ad *l.* 2. *Cod. de sportul.* Constituit autem eis modicas sportulas, quas det utraque pars, si modo lis excedat quantitatem C. aureorum: nam si lis eam quantitatem non excedat, sportulas nullas accipiant. Constituit et eis ex arca præfect. prætorio modicum salarium. Adjicit, ut definitiva sententia exprimant uter ex litigatoribus sumptus litis agnoscere debeat, vel nominatim ut utraque ex parte compensentur impensæ: et ad id quod pertinet nonnihil diximus *Nov.* 18. *§. ult.* Confirmat et ea quæ dicta sunt de recusationibus judicum, et de xx. diebus reo dandis ad deliberandum, *Nov.* 53. Secunda pars est de compromissariis judicibus, quæ confirmantur quæ de eis prodita sunt jure veteri, et hoc tantum adjicitur, ut mutuo se obstringant stipulatione pœnali qui in eos consentiunt, quæ committatur in eum qui non paruerit arbitrio. Olim etiam se jurejurando obstringebant, et eo casu arbitrio stare compellebantur omnimodo actione in factum vel condictione, ex *l.* 4. *C. de recept. arb.* Hoc Novella corrigit: neque enim patitur arbitros eligi cum jurejurando, vel jurejurando si forte intervenerit adstringi partes arbitrio, nisi metu divini nominis. Vindicem perjurii Deum facit. Tertia pars est communis judicibus omnibus etiam magistratibus, ut ab omnibus appellari possit excepto præfecto prætorio; sed adversus sententiam præfecti prætorio, ut sit appellationis loco remedium ἀναψηλαφήσεως, libello imperatori porrecto, *l.* 1. *C. de sentent. præf. præt.* qui tamen executioni impedimento non est, *Nov.* 119. Interposita appellatione vel petita restitutione in integrum, nihil novari potest. Non idem restitutio in integrum et ἀναψηλάφησις, quæ retractatio *l. ult. C. de fide instrum. l. ult. C. de temp. appell.* Judex contra sententiam suam in integrum restituit, *l. In causæ. §. ult.* et *l. sequ. D. de minor.* Non tamen retractatur apud eum causa ex rescripto principis, sed apud successorem, *l.* 2. *C. de sent. præf. prætor.* Igitur si non sit successor, ut si Senatus judicaverit, putarem etiam non ad Senatum, sed apud alios παλινδικίαν, sive retractationem inducendam, ut videnda hanc in rem Plinii epistola ad Ursum, libro VI. A judice compromissario non appellatur, *l.* 1. *C. de recep. arb.* et Carthaginensis Synodi cap. 28. et 123. moribus Galliæ appellatur. Additur, ut ne judices aliter judicent quam legibus proditum est, nec pareant in medio litis emissis rescriptis aut pragmaticis, *Nov.* 113. referre tamen ut possint. Sed et *Nov.* 125. relatione cohibeatur. Ἐπὶ τῆς βασιλέου τοῦ *In fora.* Synesius in Epistol. τὴν γνῶν τὴν βασίλειον τὸ παλαι κατθεσαν Μηδ. σκινεσθαι φιλανθρωποτέραν τοῦ νόμου) Symmachus in Epist. *Corruptæ videntur esse sententiæ si aut legibus ... [illegible]*

NOVELLA LXXXIII.

De Clericis litigatoribus.

Hæc Nov. declarat apud quos clerici conveniendi sint in civilibus vel criminalibus causis: quod exposuimus supra *Nov.* 79.

NOVELLA LXXXIV.

De fratribus.

Fratrum alii sunt ex eodem patre eademque matre, alii ex eodem patre tantum: utrique germani dicuntur: alii ex eadem matre tantum, qui uterini vocantur. Germani consanguinei sunt, nisi emancipatione soluta sit agnatio: consanguinitas enim species agnationis est. Germani igitur agnati sunt. Uterini non sunt consanguinei, quia cognati sunt non agnati, Ambrosius epist. 66. Uterini fratres, i. diverso patre, sed eadem matre geniti, agnationis jus habere non queunt, sed cognationis tantum a ... titulo connexi sunt. His cognitis, fingo. Quidam decessit intestatus sine liberis, eni proximiores cognati sunt fratres. Sed ex his alii germani, alii uterini; et ex germanis alii ex eodem patre eademque matre, alii ex eodem patre tantum. Quæritur qui potiores sint in successione intestati. Justinianus enim *hac Nov.* tum *Nov.* 118. ceteris anteponit fratres utroque parente germanos; post eos vocantur uterini et consanguinei sicut diversi matribus, *l. ult. §. Sed nec fratrem C. de leg. hær.* ita tamen, ut in bonis profectis a patre, soli consanguinei succedant, in bonis profectis a matre soli uterini, in ceteris bonis utrique, *l. De emancipatis. in fin. Cod. eod.* et hoc est quod vulgo dicitur, Paterna paternis, materna maternis deferri. Quod autem constituit Justinianus, ut in legitima successione defuncti fratris potiores sint ii, qui defuncto sunt utroque parente conjuncti, ejus se argumentum præbuisse narrat in *l. ult. Cod. com. de succes.* ex qua lege si filiusfam. sine liberis decesserit, in bonis ejusdem adventitiis, quorum proprietatem constat non acquiri patri, primum succedunt fratres ex eodem matrimonio nati, deinde fratres ex alio matrimonio, tum his deficientibus pater. Præfert ea lex fratres utroque parente conjunctos his qui ex altero tantum parente conjuncti sunt: quod et hæc Novella comprobat generaliter, et *Nov.* 118. Præfert et fratres patri; quod improbat *Nov.* 118. quæ cum fratribus conjungit patrem. Quod autem constituit, ut defuncto frater eodem patre genitus pariter cum uterino ab intestato succedat, idem non servatur in querela inofficiosi testamenti: este consanguineis tantum datur non uterinis, *l. Fratres. C. de inoff. testam.* et agente consanguineo de testamentum rescindente, sane uterinus non concurrit in hæreditatem legitimam, *arg. l. Filio. in princ. D. de inoff. testam.* et eodem modo in successionem legitimam hodie per bon. possessionem. Unde legitimi parens cum fratribus defuncti vocatur, in querela parens præfertur fratribus, et rescisso testamento locum eis non facit, ut docuimus *Nov.* 18.

NOVELLA LXXXV.

De Armis.

Fabricensium fuit schola: et militia certa, qui in publicis fabricis arma bellica fabricabant, et erant sub dispositione magistri officiorum; qua de causa Novella est ad magistrum officiorum, ut *l.* 2. 3. 6. 7. *C. de fabricens.* His solis arma fabricare licet, non privatis: quia et privatis ferrariam habere non licet, *l.* 1. *§. Kapuas Anton. D. de public.* Privatis quoque fabricenses arma vendere prohibentur, et emptoribus arma jubentur auferri, non reddito pretio. Ex eis quidam erant qui dicebantur deputati, statuti numerorum a Juliano, qui numeri cujusque militum arma procurabant: et sic in Notitia Rom. imperii legitimas deputatos scholæ agentium in rebus et deputatos domesticorum. Deputati autem fabricarum etiam privatis arma vendere vetantur. Non ergo tantum fabricenses, sed fabricenses deputati: hi milites sunt et annonas ferunt ex publico, illi non item. Id etiam generaliter præcipitur fabricensibus et deputatis, ut nova arma, quæ fabricaverint, statim reponant in publico armamentario: idem præcipitur ballistariis in provinciis constitutis et fabricensib. Variæ sunt fabricarum genera, aliæ armorum, aliæ scutorum, aliæ clibanarum, aliæ sagittarum, aliæ loricarum, aliæ arcuum, spatharum, hastarum, ballistarum. Vult autem Justinianus ut in provinciis ballistarii et armamentaria sint sub cura patrum civitatum: unde intelligimus quod in libris βασιλικῶν scribitur in hunc modum, οἱ βαλλιστάριοι τοῖς πατράσιν ὑπόκεινται τῶν πόλεων, id est, ex hac Novella. De patribus civitatum in hoc Novellarum libro sunt multi loci, *Nov.* 17. 75. 104. 128. 160. ex quibus 17. et 128. ostendunt, curam eos habuisse operum publicorum, quod et *l.* 1. *C. de rat. op. pub.* probat: hæc Novella habuisse curam armamentariorum, quæ et ipsa numerantur inter opera publica. His addantur quæ diximus *l.* 3. *C. de his qui spon. mun. suscep.* Constituit ad hæc Justinianus ut magister officiorum mittat chartularios sive scriniarios quoque ex scrinio fabricarum creandos periculo quinque primorum scrinii, de quo et in *l.* 5. *C. de agen. in reb.* ut eos comprimant qui privatim arma faciunt, et eripiant eis arma

quæ fecerint, eaque fisco vindicent. artifices autem idoneos fabricis publicis deputent adhibita confirmatione principis, et a magistratibus, apparitoribus, defensoribus, patribus civitatum, juratam cautionem exigant, cavituros se ne quid admittatur contra hanc Constitutionem. Armorum autem appellatione idem declarat se intelligere arcus, sagittas, contos, lanceas cujuscumque generis, scuta, cassides, spathas et gladios, quos παραμήρια vocant, quod femori accingantur. Cedrenus, τῷ παραμηρίῳ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἐξέτεμε. Vetus interpres semispathas vocat recte. Vegetius 2. *Gladios majores quos spathas vocant, et alios minores quos semispathas.* Eadem forma dixere semisses M. Tullius 3. de Leg. *Ruuis et semisses quas ipse se projecisse in forum dixit*: sic ut legam, velos lectio, emisitius, conjecturam movet. Addit Justinianus ζάβας, quas interpretatur esse *loricas*, ut Suidas verbo ζαβάρειον. Addit, et ζιβύννους, quæ interpretatur *mambilia*, venabulorum genera, Latine Ennius *sibinas*. Apollon. 2. Arg. σιγύννας à quo et Σιγύννοι gens Scythiæ. Oppianus 1. de venat. σιγύννην εὐκαμπέα. Parvæ tantum machæræ privatis permittuntur, quia non sunt arma bellica.

NOVELLA LXXXVI.

Ut Præsidi suspecto in audiendis litibus adjungatur episcopus.

Dictum est *Nov.* 80. in urbe lites advenarum et peregrinorum a judicibus esse finiendas celeriter, imminente et instante quæstore: idem a præsidibus in provinciis fieri jubet hæc Novel. imminente et urgente episcopo, et de præsidum negligentia et tarditate episcopum ad principem referre, sine relatione episcopi principem a provincialibus interpellandum non esse, suspecto præsidi in causæ cognitione adjungi episcopum, ut *Nov.* 53. Et ut lis dirimatur amice quasi ab honorariis arbitris, vel per adnotationem: quod quid sit exposui *Nov.* 82. vel cognitionaliter. Tria sunt genera finiendarum litium. Judex potest esse honorarius arbiter, non receptus ejus rei de qua judex est, *l.* 9. §. 1. *de receptis*: licet e contrario receptus arbiter postea possit ejusdem rei judex esse, ut Piso in causa Roscii Comœdi. Additur etiam manente administratione adversus præsidem repetundarum agi posse coram episcopo, *l.* 4. *C. ad leg. Jul. repet. Nov.* 8. Clericos aut monachos non venire in urbem sine literis episcopi, episcopos sine literis archiepiscopi aut metropolitani, *Nov.* 6. *l. Si quis per calumniam. C. de episc. et cler.* Cessantibus quoque præsidibus in coercendis officialibus cujuscunque fori supra modum legitimum sportulas exigentibus, hoc referre ad principem episcopos debere. Magisterianum Julianus peritissime interpretatur agentem in rebus.

NOVELLA LXXXVII.

De donationibus factis a decurionibus.

Interdicta est decurionibus rerum immobilium donatio inter vivos *Nov.* 38. donatio causa mortis non est interdicta: permissa igitur *Nov.* 46. nam et legatis comparatur *l. ult. C. de mort. caus. don.* licet non ab intestato, *l. Si Filius. D. de legatis præst.* Unde eveniebat ut decuriones mortis causa donarent, etiam addita lege contraria naturæ legati, ne eam donationem pœnitentia revocarent: hanc enim legem donationum causa mortis jus civile non improbat, *l. Si alienam.* §. 1. *D. de mort. cau. don.* At hoc modo facta a decurione donatio causa mortis, effectum habebat quodammodo donationis inter vivos. Quapropter tandem visum est Justiniano hac Novella interdicere decurionibus donatione causa mortis, perinde ac donatione inter vivos etiam cum decreto, venditione sine decreto.

NOVELLA LXXXVIII.

De deposito et denunciatione inquilinis facta, et de suspensione erogationis annonarum.

Hæc Nov. pertinet ad *l. pen. C. depos.* ex qua testatione et denunciatione alterius restitutioni depositi mora afferri non potest: ut si creditor meus nuntiet depositario ne rem quam apud eum deposui mihi restituat antequam sibi satisfactum sit: quæ denunciatio efficax est, *l. ult. D. de leg. com.* et sane si ita denunciatum sit depositario, rem quidem nihilominus statim repetenti depositori restituere cogitur, sed non sine cautione. Cavere enim dominus satisdato debebit depositarium defensum iri adversus denunciationem creditoris: quod non tollitur hac Novella: nam hæc Nov. pœnam tantum irrogat denunciatoribus, per quos fit ut depositarius rem depositam retineat, vel cautionem extorqueat, ut scilicet a denunciationis tempore rei aut pecuniæ depositæ periculum sustineant, et pecuniæ usuras trientes præstent: quod etiam observandum censet si inquilinis denunciaverint ne pensiones solverent dominis, vel si erogatoribus annonæ civilis aut præf. annonæ ne præberent panes viles aut tesseras. Nam damnum quod ex ea denunciatione contigit omne denuntiatori reputatur, nec immerito: quia denunciatio restitutioni depositi aut solutioni pensionum annonarumve impedimento est, nisi restituenti aut solventi defensionis et indemnitatis cautio præstetur, quæ non semper est in facili. Cautio enim ea satisdatio est: quia nulla est idonea defensio sine satisdatione. Hæc autem Constitutio obtinet dumtaxat locum in tribus casibus in ea expressis, depositi, pensionum, annonarum. In casibus pensionum et annonarum, quia de alimentis plerique pendent, et ex pensionibus tantum, vel annonis ea sibi parant. Alimentorum autem causa favorabilis est, et eorum petitioni etiam opponi compensatio non potest, *l.* 2. §. *Frumentariæ. D. de adm. rer. ad civit. pert.* et verecundiam pulsat, *l. Pecuniæ. D. de adim. leg.* In casu depositi, quia hic præ ceteris contractus bonam fidem exigit, et ideo famosa est actio, et opponi ei compensatio non potest, *l. ult. C. de compens.* et depositi ratio privilegiis anteponitur, *l. Si hominem.* §. *ult. D. depos.* et chirographis depositorum non opponitur exceptio non numeratæ pecuniæ vel non traditæ rei, *l. In contractibus. C. de non num. pec.* At si creditor meus denunciarit ei qui mihi pecuniam debet ex causa crediti vel fideicommissi, is nec satis offerenti mihi solvere cogitur: quinimo parere denunciationi et potest et debet. Perperam huic Novellæ Accursius opponit l. *Officium. D. de rei vind.* quæ cum depositario dominum jure experiri ait rei vindicatione. Nec enim vindicatio hac Nov. tollitur, sed denunciatio non dominus repellitur, sed creditor. Possim rem meam a depositario .i. ab eo apud quem tu eam deposuisti, vindicare. Non possim ob pecuniam quam tu mihi debes depositario denunciare, ne rem tibi quam apud eum deposuisti restituat: potest enim depositarius huic denunciationi non optemperare.

NOVELLA LXXXIX.

De Filiis naturalibus.

Narrat initio quædam esse de naturalibus liberis in Codice scripta, titulo scilicet *de nat. lib.* et quædam in *Tractatu de tutoribus* ἐν τῷ τῶν ἐπιτρόπων λόγῳ, et intelligit *l. ult. C. de conf. tut.* et *l. ult. C. quan. mul. tut. off. fun. pot.* Quam suaves sunt qui Græca ea verba, quæ retulimus, accipiunt, de Institutionum libro? Enumerat deinde modos per quos filii naturales sui et legitimi fiunt, et quibus hi, quique his ab intestato succedant et pleraque alia, quæ exposuimus his locis supra *Nov.* 12. 18. 22. 74. Id nondum explicatum est, *l.* 1. *C. de nat. lib.* et Nov. Martiani *de matr. Sen.* cujus pars est *l. Humilem. C. de incest. nupt.* abrogari a Justin. in fine hujus Novellæ et *Nov.* 117. Ex eis constitutionibus si Senatores vel Duumviri vel perfectissimi (sic legendum *d. l.* 1. ut documus primi in notis ad Ulpianum) vel sacerdotes provinciarum, veluti Asiarcham, Syriarchæ duxerint humilem abjectamque personam, id est, ancillam, libertam, scenicam, tabernariam, tabernarii, aut lenonis, aut arenarii filiam, vel eam quæ mercimoniis publice præfuit, non est matrimonium, liberi nec justi nec naturales, sed neque justi fieri possunt judicio patris rescriptove principis, et incapaces sunt sicut spurii, incapax etiam uxor. Hodie ex Nov. Just. Senatores viri clarissimi, viri perfectissimi et ceteri cum eis si resipiscant connubium habent, exceptis ancillis. Antiquata igitur est l. 1. *C. de nat. lib.* Antiquata lex Julia de Senatorum et libertinarum nuptiis.

NOVELLA XC.

De Testibus.

Primo capite ostenditur testes vilissimæ conditionis subjici tormentis arbitratu judicis cujuslibet, adeo ut possit etiam pedaneus judex testem humilioris et obscurioris vitæ quæstioni subjicere, non tamen solus, sed in provinciis adhibito defensore plebis, in urbe adhibito officiali prætoris plebis: nam obscurarum et ignobilium personarum testimonio sane credendum non est sine tormentis, *l. Ob carmen.* §. *Si ea rei. D. de test.* Secundo capite confirmatur *l. Testium. C. de test.* ex qua si debitum ex chirographo petatur, dissolutio etiam ejus probari debet scripto, id est, apocha. Scriptum scripto plerumque refutatur, *l.* 3. *C. si minor se maj. dix. l. pen. C. de cont. stip. l. Generaliter. C. de non num. pec.* Igitur si obligatio constat scripto, testibus solutio non probatur. recte, nisi sint quinque idonei et jurati quibus præsentibus solutio facta sit. De auditione testimonium hac in re omnimodo non valet: quod tamen valet in quæstione de finibus et de operibus. Debent enim illi quinque testes testari se vidisse solventem debitorem, vel etiam se audisse creditorem dicentem sibi solutam pecuniam, unde retro colligitur de auditione testimonium valere: verum hoc ita procedit, non si id viderint vel audierint forte fortuna, sed si rogati in eam rem sint specialiter et solutioni interfuerint, vel confessioni in solutum, vel in creditum acceptæ pecuniæ. Non rogatorum testimonia non recipiuntur: quod non pugnat cum *l. Ad fidem. D. de test.* quæ non rogatos admittit ἐπὶ τῶν συμβεβηκότων ἐκ περιστάσεων, ut Harmenopulus ait, non in solutionibus pecuniarum vel in conventionibus. Et hæc quidem observatio exigitur si desit apocha. Si sit apocha, vel sola fidem faciat, sicut chirographum, vel cum testibus tribus secundum distinctionem *l. ult. C. si cert. pet.* vel potius secundum novissimam distinctionem *Nov.* 73. Quid si chirographum vel apocha non fiat, sed depositio et confessio apud tabularios extra judicium, qua debitor deponat se debere, vel creditor sibi solutum esse? et hæc etiam fidem non facit, nisi quinque testes rogati adfuerint et subscripserint. Quid si confessio fiat in jure, vel in judicio? hæc fidem facit, et quod dicitur, Confessum haberi pro judicato, de confesso in jure tantum dicitur, et ita accipienda lex 12 tab. *Æris confessi*, etc. *l. Post rem. D. de re jud. l.* 1. §. *Proinde. D. si quid in fraud. pat. l.* 4. §. *pen. D. ad leg. Jul. maj. l.* 4. *C. de rep. her. l. Cuidam. D. de donat.* Hæc tria sunt paria,

Jusjurandum, res judicata, confessio, *d. l. Post rem.* Omnia hæc plerumque fiunt in judicio: Non solet quis absens damnari. Non solet etiam absenti obligari qui juravit de operis, quo solo casu ex jurejurando actio est, si præsenti juraverit: non habetur etiam pro judicato qui adsente adversario confitetur, *l. 6. Si quis absente. D. de confes.* Certa debet esse sententia, *§. Curare. Institut. de act.* Certa confessio, *d. l. 6. in pr.* Certum jusjurandum, atque ita definitur a Clemente Alexandrino, ὁμολογία καθωρισμένη. Tertio capite ostenditur, eos qui varie aut contrarie testimonia dixerunt circa ea quæ totam causam continent, quæ vocat κυριώτατα, rejici et reprobari, improbos coerceri a judice, stultis veniam dari, *l. Qui falso. D. de test.* Quarto, eum qui semel vel iterum vel tertio testes produxerit, et testium productioni renunciaverit, non admitti ad aliam productionem, si et priorum testimonia vel adversarii exceptiones cognoverit: sed si nondum ea perceperit, admittitur, dummodo juret se priora testimonia comperta non habere, et citra fraudem alia productione uti: quod et in titulo de testibus Pontifices probant, quamvis appellatum sit. Male Accursius hoc capite putat corrigi, *l. Officium. D. de rei vind. l. 19. C. de probat.* Coercetur enim hoc capite testium multiplex productio testium, non etiam ab actore probata intentione sua cognitisque reo probationibus actoris, reus prohibetur exceptionis suæ probationes exequi, *l. 9. C. de except. l. Emptor. C. de præscr. 30. ann.* Ad hæc quærunt interpretes, qua ex re cognosci possit, una sit productio testium an plures. Alii vices spectant, ut si aliquos produxero hac hora, sit una productio: si hora sequenti alios, altera. Alii dilationes, ut si intra dies x. jussus sim testes producere, quotquot producti sint intra eam dilationem, id pro una productione habeatur. Verum longe aliter definitur productio Nov. Leonis et Constantini, nimirum ex diebus singulis, ἑκάστης, inquiunt παραγωγῆς μίαν ἡμέραν λαμβανούσης. Quinto loco, testium productionem fieri posse extra judicium, si testes absentes sint, missis partium procuratoribus ex sententia judicis, quod est ex Constitutione Græca Justiniani, quæ desideratur in tit. de testibus, et hanc intelligit hoc loco, ἐπεὶ δὴ εἰ ἴσμεν, etc. et in *l. Judices. C. de fi. instr.* ex qua similiter instrumentorum productio fit extra judicium, si in præsentia non sint. Et hac Nov. id generaliter fieri conceditur non tantum extra urbem in provincia, sed etiam extra provinciam in urbem, vel extra unam provinciam in aliam provinciam. Fit autem in provinciis testium productio apud præsides aut defensores actis interveni entibus. Præsidibus junguntur defensores, ut significetur in iis civitatibus quibus præsidum adeundorum facultas non est, ire ad defensores, *Nov. 86.* qui præsidum vice funguntur. Finem autem hic accipit, ubi et cœpit, *l. Ubi, l. Si is qui Romæ. D. de jud.* Et hæc in civilibus causis: nam in criminalibus testes omnimodo in judicium venire compelluntur. Cornelius Tacitus de Oratoribus: *Testimonia in judiciis publicis* (sic lego) *non absentes, nec per tabellam dare, sed coram et præsentes dicere cogebantur.* Et ideo D. Adrianus testibus non testimoniis esse credendum, hoc tantum in causis criminalibus dixit, *l. 3. §. Idem Divus. D. de testib.* Sextum caput est de exceptionibus testium. Excipiuntur testes quasi servi, recipiuntur tamen interim si se liberos esse contendant. Excipiuntur quasi inimici, ut Socrates l. c. 31. τοὺς περὶ Εὐσέβιον ὡς ἐχθροὺς παρεγράψατο: sed interim recipiuntur et audiuntur nisi sint inimici capitales, id est, nisi judicium capitale exerceant inter se: nam hi rejiciuntur statim: et ita etiam in *l. 6. D. de excus.* capitales inimicitiæ accipiuntur. Septimum caput est de testibus cogendis. Olim inviti testimonium dicebant in causis criminalibus tantum, *l. 4. 20. 21. D. de test.* Plinius 3. Ep. *E testibus quidam quod evocatus esset invitus, ut accusationem exarmaret*, etc. In causis civilibus testes erant voluntarii, et Quintilianus ait 5. Ex Constitutione illa Justiniani Græca etiam inviti in causis civilibus testimonium denunciatur, exceptis adfinibus et cognatis et viris illustribus, ut docui Obs. 8. c. 13. exceptis etiam mediatoribus, quo nomine significari putant Græci sequestres, apud quos res litigiosa deponitur, quos tamen μεσεγγυητὰς solent vocare, non μεσάζοντας, vel μεσιτεύοντας. Alii sequestres pacis sive honorarios arbitros, quorum sententia verior est, ut ex Harmen. constat 1. Ep. qui dum apud alios judices testes eos esse vetat, eos quasi judices accipit. Hæc Novel. addit exceptionem, nisi ex consensu utriusque partis citentur in testimonium. Octavum caput est de testium productione, ut non fiat μονομερῶς, nisi altera pars absit per contumaciam, *l. pen. C. de testib.* quod et in omnibus actis judiciorum locum habet.

NOVELLA XCI.

De duarum dotium debito, et de eo qui dotem accipere non vult.

Duo sunt capita hujus Novellæ. Primum est de privilegio dotis. Mulier in Actione personali de dote et in actione hypothecaria dotis nomine privilegium habet, ut præferatur omnibus creditoribus chirographariis et hypotecariis etiam antiquioribus, sive expressam sive tacitam hypothecam habeant. Idem privilegium habent filii hæredes matris, et liberi omnes, ut hæc Novella declarat, non extranei hæredes. Sed si duæ sint mulieres quæ de dote sua agant, antiquior causa dotis præfertur, *l. ult. C. qui pot. in pign. hab.* quod et hæc Nov. confirmat. Præfertur ergo prima uxor secundæ: præfertur socrus nurui in declamatione Quintiliani 360. Extantes dotales res suas quæque mulieri vindicet, *l. In rebus. C. de jure dot.* Consumpta autem vel diminuta dote, in ceteris bonis potior est prior uxor aut liberi ejus: et ita etiam si duobus fiscis debeatur .i. duabus fisci stationibus, non præfertur una alteri nisi ex prerogativa temporis. Secundum caput est de marito vel socero aut prosocero, per quem stat quo minus dotem ab uxore, nuru, vel pronuru accipiat, ut ab eo nihilominus lucretur mulier donationem propter nuptias soluto matrimonio: qua de re diximus *Nov. 2. cap. ult.* Offerri debet dos testato si in prædiis consistat: si in aliis rebus, offerri et consignari et deponi extra judicium in æde sacra vel tabulario civitatis, vel offerri in judicio viro non ignorante: alioquin viri nulla mora videtur esse, ac proinde lucrum etiam nullum ex donatione propter nuptias obveniet mulieri.

NOVELLA XCII.

De immensis donationibus collatis in liberos.

Querela inofficiosæ donationis introducta est rescripto Alexandri, et data liberis his qui superstites erant tempore donationis, sive in unum ex eis, sive in extraneum collata sit donatio, per quam non totam rescindunt donationem, sed pro modo Falcidiæ tantum, ut memini me fusius demonstrare Obs. 5. c. 14. et hac quidem ratione, licet extranei hæredes non detrahant Falcidiam ex donationibus inter vivos, *l. Seja. §. ult. D. de donat. caus. mort.* liberi tamen hæredes instituti si ex reliquis bonis Falcidiam servare non possint, eam revocant ex donationibus inter vivos, habita ratione non tantum in bonorum, quæ parens habuit tempore mortis, sed etiam eorum quæ habuit donationis tempore: ut si habuerit ccc. in bonis, et donaverit ccl. quia hodie Falcidia est triens, filius hæres institutus explendæ Falcidiæ causa revocat a donatario, si extraneus sit L. si frater et sint instituti ex æquis partibus, a fratre cohærede eodemque donatario, revocat xxv. Sin autem cc. donaverit, quia ea quæ supersunt Falcidiæ sufficiunt, sive unus fuerit filius, sive duo, tres, quatuor, non est locus querelæ inofficiosæ donationis: eademque ratio intervenit si quæ lege aliqua detractæ sint portiones bonis parentis, dandæ puta uxori defuncti, et matri, nec quod superest Falcidiam liberis expleat, non possunt queri, et inique in specie c. *Raynutius, de testam.* liberi habentes quantum satis est Falcidiæ tertiam Langobardico jure debitam matri, et alteram tertiam debitam uxori defuncti abscindunt, cum salva superait illis tertia legitimæ portionis. Illa etiam pontificia error est non ferendus dantis filio trientem, ut filio, simul ac quadrantem ut extraneo; hoc enim perinde est ac si patri præterito, cui datur querela inofficiosi testamenti et patri, bonorum possessio contra tabulas ut extraneo, simul dederis utramque. Nec minus a jure civili abhorret in eo capitulo, quod a pagano facta substitutio verbis directis post pubertatem trahitur ad fideicommissum: hoc enim in milite tantum admissum est, *l. Precibus C. de imp. et aliis subst. l. Centurio. C. de vulg. subst.* Itaque in specie ejus c. *Raynutius.* secundum jus civile dirimenda tria sunt peccata. Hæc de liberis institutis. Exhæredati qui non habent querelam inofficiosi testamenti, nec inofficiosæ donationis habent. Sed si habent illam .i. si jure eis effectuque competit querela inofficiosi testamenti, non et hanc protinus habent, nisi tantum non sint ab intestato laturi quantum sufficiat Falcidiæ, habita ratione non tantum bonorum quæ mortis tempore fuerunt, sed etiam eorum quæ inter vivos donata sunt. Rursus hæc quæ diximus locum habent, si donationis tempore superstites fuerint liberi: nam post donationem suscepti liberi in extraneum collatam, ut proponitur in *l. Si unquam. C. de revoc. don.* patronum donasse liberto vel libertum patrono, quod olim erat frequentissimum, *l. Si vero §. Inde Papinianus. D. mand.* eam revocant in solidum, non pro ratione Falcidiæ tantum, quia verisimile est donaturum patrem non fuisse si se habiturum liberos existimasset, atque ideo etiam ipsemet eam revocare potest in solidum: quod et leges Langobardorum probant, l. 1. *de eo quod pater fil. acc. hab. vel. l. 14 de success.* non tamen videtur obtinuisse ante Constitutionem *d. l. Si unquam.* Augustinus ser. de vita clericorum. *Quidam cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donavit ecclesiæ: nati sunt illi filii, reddidit episcopus, nec opinante illo, quæ donaverat. In potestate habebat episcopus non reddere, sed jure fori, non jure cœli.* Collatam autem donationem in liberos liberi postea suscepti non revocant in solidum, sed pro ratione Falcidiæ tantum, *l. 5. C. de inoff. don.* ac similiter donator etiam ipse. Quod dixi initio querelam inofficiosæ donationis esse ex rescripto Alexandri, apparet ex *l. Titia. § Imperator. D. de leg. 2.* in quo proponitur rescriptum ad Claudianum Julianum præfectum urbi. Claudium Julianum vocat Capitolinus in Maximo et Balbino: nec tamen ideo diversi, sicut nec Bæbius Marcellus noster, et Bæbius Marcellinus Dionis, nec Barbarius Philippus noster, et Barbarius Philippicus Sudæ.

NOVELLA XCIII.

De appellationibus.

Hæc Nov. addit exceptionem ad *l. ult. §. Illud. C. de temp. appel.* ut præscriptio biennii nihil obstet appellatori, si interim dum de re transigenda cum adversario tractat vel componenda per arbitrum compromissarium, labatur biennium: quod jam notaveram supra *Nov. 49.* et ita observatur hodie justissima ratione: alioquin biennii cursu est κυρίαν γενέσθαι τὴν κρίσιν .i. sententiam in suo robore durare, *d. § Illud.* Alii, abire in rem judicatam: malim dicere, redire. Se-

mel enim prioris judicis pronunciatione transiit in rem judicatam, *l. Si fundus. §. Si plures. D. de pign.* sed judicatum extinxit appellatio, *l. 1. §. ult. D. ad Turpil.* Modo igitur appellatione circumscripta, redit causa ad condemnationem.

NOVELLA XCIV.

De tutela matrum.

Confirmat *Nov.* 72. Sed excipit ab ea matres. Excipiam et avias, eodem modo quo de matre Constitutio Severi trahitur ad aviam, *l. 2. §. Et quid si nepotibus. D. ad Tertyl.* Derogat *l. 2. C. quan. mul. tut. off. fun. pos.* remisso jurejurando. Confirmat quod de inventario bonorum pupillarium conficiendo legibus proditum est, *l. Tutor. D. de adm. tut. l. 24. C. eod. l. ult. C. arb. tut.* in provinciis præsente scribe, ut est, viro clarissimo: qui qualis sit exposuimus lit. de tabulariis x. Codicis, in urbe auctoritate præf. urbi, et prætoris tutelaris per apparitorem scribam, *l. ult. C. de mag. con.* et ea etiam quæ prodita sunt de satisdationibus tutorum vel curatorum.

NOVELLA XCV.

De Præsidibus, ut deposito magistratu L. dies maneant in provincia, sive militarem sive civilem gesserint administrationem.

Non id solum quod titulus indicat hæc Novella constituit, ut *Novell.* 8. sed etiam ut ne præses antequam fines provinciæ ingrediatur ulla edicta mittat in provinciam, quod est contra *l. 4. §. Ad demum. D. de off. procons.* et ut biduo tantum antequam provinciam ingrediatur amice scribat decessori suo, ut sibi officia mittat obviam: qui et ex eo tempore desinet esse magistratus, et annonas capere de publico vel de arca præf. prætorio, successor jurisdictionem exercere et annonas capere incipiet. Officia in provinciis erant perpetua, *l. Præsidis. D. si cert. pet.* et singulis præsidibus parebant, *l. 59. C. Th. de appellat.* Et ut præsidi antequam successor mittatur decedere provincia non liceat: quæ vetus est Constitutio, *l. 1. ... D. de off. præs.* Dio 39. καὶ πρὶν ἀπαγγελθέντος τοῦ νόμου μήτε ἐν τῇ ὑπηκόῳ τοὺς ἄρχοντας τινας ἀποδημεῖν, etc. Quod autem dicitur Romam demum reversum deponere imperium, *l. ult. D. de off. proc.* id recte Accursius accipit de insignibus et ornamentis, quæ ut assumit statim atque urbem egressus est, *l. 1. D. de off. procons.* (τὰ τῆς ἀρχῆς ἐπίσημα καὶ τῆς ἡγεμονίας κοσμήματα vocat Dio) ita et deponit statim atque urbem regressus est. Id etiam accipit recte de voluntaria jurisdictione: Nam alias in provincia eam non exercet recte post adventum successoris, arg. *l. Si fort. D. off. præsid.* in itinere tamen eam exercere potest, ut eundo, cur non et redeundo? *l. 2. D. de off. procons.* Plinius VII. Epist. *Hic proconsul provinciam Bœticam iter petiturus, spero ut ex itinere deflectat ad te, ut e des vindicta liberare quos proxime inter amicos manumisisti.* Hæc jurisdictio multum a contentiosa distat. Contentiosa tribunal exigit: voluntaria exercetur de plano. Urbem ingressus et insignia et potestatem amittit deponit: utique ideo refert Dio Augusto data proconsulari potestate, id etiam datum specialiter, ne Romam ingressus eam potestatem deponeret. Ceteri proconsules ad urbem esse dicuntur, quoniam in urbe nullam jurisdictionem habent: et ita quos Cæsar l. de bello Civili, in Senatusconsulto quodam consules ad urbem, recte M. Tullius de eodem S. C. scribens XVI. Epist. Proconsules.

NOVELLA XCVI.

De Exactoribus et mutuis petitionibus.

Dictum est *Nov.* 53. reum extra ordinem non vocari extra suum forum, nisi stipulanti reo actor promiserit pœnam certam, datis fidejussoribus, si judicio defuerit constituta die, vel non obtinuerit: hac Novella ostenditur reum non vocari in suum forum, nisi actor reo et executori promiserit se intra duos menses nisi litem contestatus fuerit, omne damnum reo præstaturum in duplum, dummodo ea cautio non excedat quantitatem XXXVI. solidorum, i. dimidiæ libræ auri. In casu *Nov.* 53. pœna definitur arbitrio judicis: in casu hujus Novellæ pœna lege ipsa definitur, ut non sit amplius dimidia libra auri. In casu *Nov.* 53. est satisdatio: hic nuda cautio sive repromissio. Ibi de observatione judicii usque ad sententiam: hic de lite contestanda, et de damno sportularum pro conventione solutarum reo restituendo in duplum. Alia est cautio, quam actor præstat apud acta de sua persona, sive observatione judicii, puta quod in judicio permanebit usque ad terminum litis, et si vicerit, decimam partem litis præstabit. Vetus est cautio *§. Hæc autem. Inst. de pœna tem. litig.* et erat olim repromissio, ut ostendi Obs. 6. ex *Nov.* 112. est satisdatio vel juratoria cautio. Excipiuntur tamen ab solo septimo argentarii, quibus agentibus sufficit nuda decimæ repromissio: excipiuntur et *Nov.* 112. lites quæ consensu utriusque partis moventur in judicio: nemque in his de decima parte litis nihil omnino cavendum est. Secundum caput hujus Nov. est de mutuis petitionibus, ut earum unus idemque sit judex, ut *l. 22. D. de jud.* nisi reconctur satis constitutum tempus *Nov.* 53. Itaque si quid mutuo velim petere ab eo qui mecum egit coram judice quem non recusar, id debeo apud eundem judicem petere, non apud alium, vel expectare debeo dum de adversarii intentione pronuntiatum sit, ac deinde mea mihi intentione uti licebit apud alium judicem: et huc pertinet *l. 11. §. 1. D. de jurisd. om. jud. l. 1. §. ult. D. de extr. cog. l. Lucius. D. mand. l. 34. D. de procur. l. 15. D. de exc. rei jud. l. 1. C. rer. amot.* Existimatur etiam huc pertinere *l. pen. C. de sent.* male, cum dicat in eodem negotio, i. in eadem lite, ut Albericus animadvertit: non est igitur ea lex de mutuis petitionibus. Solet etiam ad eundem judicem iri si inter plures agatur familiæ erciscundæ, communi dividundo, aut finium regundorum, *l. 1. D. de quib. reb. ad eund. jud. eat.* si plures sint tutores, *l. 2. D. eod. l. 5. C. arb. tut.* si plures correi ejusdem pecuniæ *Nov.* 99. si plures vindicent servi dominium, vel unus dominium, alter usumfructum, nisi justam recusationis causam is qui posterior venit adferat adversus judicem, *l. Cognitio. l. Si pariter. D. de lib. caus.*

NOVELLA XCVII.

De Jure dotis.

Inæqualis ante hanc Novellam poterat esse quantitas dotis et donationis propter nuptias, æqualia tamen pacta esse oportebat *Nov.* 22. sed ex primo capite hujus Novellæ non tantum æqualia pacta, sed etiam æquales debent esse quantitates: et merito: nec enim aliter consistui sine summa captione potest, quod tamen non obtinuisse Leonis *Nov.* 20. docet. Eademque ratione si augeatur dos constante matrimonio, augenda etiam est donatio propter nuptias pari quantitate, et e contrario: ut sic etiam cum dote aucta, augebatur donatio propter nuptias; non poterat majori quantitate augeri quam dos, et hac specie donaret vir uxori, quod moribus vetitum est: nec aliter poterat a marito augeri donatio propter nuptias, quam si et dos augeretur *l. Si constante. C. de don. propt. nupt.* Sed e contraria aucta dote: necesse non erat donationem propter nuptias augeri ut *Nov.* 22. quod hac Novella tollitur, quæ omnimodo vult congruere summas dotis et donationis propter nuptias. Secundo capite caute prospicit ne in fraudem creditorum dos augeatur. Certum est mulierem præferri omnibus creditoribus in exactione, aut persecutione dotis, atque adeo etiam in persecutione augmenti dotis. Quid igitur si dotem flagitet ne mulier augere, ut hoc colore soluto matrimonio sibi vindicet omnia bona mariti exclusis creditoribus, quibus forsitan hoc commento subjecto bona mariti sufficerent simul ac doti? Igitur hujus fraudis emovendæ causa ita distinguit: Aut quo tempore augetur dos, laborat ære alieno maritus, aut non: si non laborat, dos augeri potest citra suspicionem fraudis: et in eo augmento non minus quam in dote initio constituta mulier privilegium habet: si laborat, et dos augeatur prædiis, in eo etiam augmento privilegium habet, cum augmentum sit evidens, et ut Græci loquuntur, φανερὰ οὐσία: mobilia vocant ἀφανῆ. Et ideo si mobilibus augeatur dos, quia hoc genere per fraudem adfingi et adumbrari possunt multa, in eo augmento privilegium non habet, nisi ea tempore. In donatione propter nuptias nihil horum spectamus, quia et in ea mulier privilegium nunquam habet, *Nov.* 61. 109. Sequitur aliud de privilegio dotis. Mulier præfertur omnibus creditoribus etiam antiquioribus: in etiam cujus pecunia res mobilis vel immobilis comparata aut refecta est, in ea re jure hypothecæ præfertur omnibus creditoribus etiam antiquioribus, *l. Licet. C. qui pot. in pign. hab. l. Interdum. D. eod.* Inde quæritur an hic præferatur mulieri, vel an potius huic mulier. Et in exactione quidem donationis propter nuptias constat hunc præferri mulieri etiam antiquiori: quia in donatione propter nuptias, id est, in lucro nuptiali mulier privilegium non habet, in damno rei suæ, id est, in dote privilegium habet: et si prior fuerit tempore, præfertur etiam ei cujus pecunia res comparata est, sicut ex diverso hic si fuerit antiquior in hypotheca, mulieri præfertur. Non est igitur alter potior altero nisi ratione temporis, sicut de duabus mulieribus dictum est *Novella* 91. Excipitur is, cujus pecunia militia comparata est: nam hic mulieri præfertur etiam antiquiori si modo interveniente scriptura et testium subscriptione casum militiæ pignori ceperit, et pepigerit nominatim se in eo potiora jura habiturum. Quid sit casus militiæ dixi *Nov.* 35. et 53. Quartum caput est de dote filiæ non minuenda. Finge, morte generi solutum est matrimonium, cui pater dotem numeraverat filiæ nomine. Aut filia est in potestate, aut non: si est in potestate, pater habet tacitam ex stipulatu actionem, *l. 1. §. Extraneum. C. de rei ux. act.* quam tamen intendere debet filiæ voluntate, quia communis res est, *l. Qui hominem. §. Si gener. D. de solut. l. 2. et 3. D. sol. mat.* Si est emancipata, pater non habet nisi expressam ex stipulatu actionem, alioqui sola emancipata egit, *l. Si cum dotem. §. Ea autem. l. Titia. D. solut. mat.* Finge igitur morte generi soluto matrimonio, patrem egisse ex stipulatione expressa vel tacita, et dotem repetiisse, filiæ etiam lucrum obvenisse ex donatione propter nuptias, quod patri nec filiaf. acquirit nisi usufructus jure. Quæritur, filia secundas contrahente nuptias, an pater minuere possit dotem filiæ, maxime si ex primis nuptiis lucrum fecerit filia. Et constituitur ne possit, nisi fortuito quodam casu diminutæ fuerint facultates patris. Dos est mulieris proprium patrimonium, etiam si sit in potestate, *l. 4. D. de coll. l. Denique. §. Ergo. D. de minor. l. Pater. D. ad leg. Falc.* dotis igitur eadem quantitas constituetur filiæ in secundis nuptiis, et lucrum primarum nuptiarum ipsa sibi habebit in paraphernis, non in dotem. Ultimum caput est de collatione dotis. Filia quæ se bonis paternis miscet, conferre fratribus dotem debet, aut tantum remittere de bonis paternis quantum con-

ferre debet, *l. 5. C. de coll.* quod est in hac Novella, παρὰ τοσοῦτον ἐλάττω, et paulo post, παρὰ τοσοῦτον συνεισφορὰν ποιεῖν, ubi male Haloander, *Collationem in tanto majora summa facere*. Quid vero si dotem filia recuperare nequiverit, marito non existente solvendo? Ulpianus in *l. 1. §. Cum dos.* et *Gajus. l. 2. D. de col. dot.* marito non existente solvendo dicunt, non integram dotem conferri, sed id tantum quod ad mulierem potest pervenire .i. quod maritus facere potest. Hoc emendat nominatim hæc Novella, interpretatione et distinctione adhibita. Aut mulier fuit sui juris, aut in potestate patris: si sui juris, marito vergente ad inopiam, constante matrimonio potest dotem repetere aut vindicare, imo et lucrum donationis propter nuptias, *l. Si constante. in pr. D. sol. mat. l. Ubi. l. In rebus. C. de jur. dot.* Si in potestate, et ampla fuerit dos, eodem casu cessante patre sola constante matrimonio de dote agere potest. His casibus si maturæ, mulier major 25 annis (minori parcitur) dotem non repetierit, nihilominus eam conferre fratribus debet, nec liberatur conferendo eandem actionem. At quid si ampla non fuerit dos et fuerit filia in potestate? quo casu pater agere debuit voluntate filiæ. Culpa et cessatio patris filiam non nocet et liberatur conferendo eandem actionem dotis, et fert ex bonis paternis partem suam integram. De hac Novella scripsit aliquid Alciatus tit. παρέργων. Et probo quod ait filiamf. ne adventitiam quidem dotem repetere posse sine consensu patris, quia communes sunt actiones, *l. ult. §. Et filius. § Ubi autem. C. de bon. quæ lib. acq.* Sed hæc dos hodie non confertur. Non probo definitionem magnæ dotis: placet magis definitio *Nov.* 22 ut magna censeatur quæ est centum librarum auri. Non probo quod illa verba, *Et collatio circa illam vertitur spem*, intelligit de spe paternorum bonorum, cum spem collationis significent, ut hæc paulo ante, *Speratur collatio*, et *l. 1. §. Si impuberi. D. de coll.* Ἐμποριῶς) Hoc est naturale in commerciis ut possint contrahentes se in pretio circumscribere, ut puta, agit emptor ut quam minimo emat, venditor ut quam plurimo vendat: et hic nimirum est animus omnium (ut mimus quidam dicebat) ut velint vili emere, caro vendere. Dolus abesse, debet fraus abesse non debet. Sed in faciendo pretio tantum hoc dicitur: nam Æsopica illa fabula falso colore juris nititur, in qua emptor, qui promiserat pretii reliquum daturum se, ac proinde ideo se reliquum non solvere dicebat, ne debere desineret: objicienti venditori fraudem respondet in emptione et venditione licere contrahentibus se decipere. Imo nec se decipere licet, dolo malo ulla re, at in pretii conventi cautione multo minus.

Vid. Obser. Joan. Rob. Animad. lib. 3. cap. 14.

NOVELLA XCVIII.

De lucris nuptialibus.

Lucrum nuptiale .i. casum mortis vel casum repudii, parens cui obvenit, conservat liberis ex eo matrimonio procreatis, etiamsi abstineat secundis nuptiis, et usumfructum solum sibi habet: imo et saluti pro viduitatis præmio virilem portionem habet proprietatis jure ex *Nov.* 127. Olim habuit plenam proprietatem in solidum. Liberis in lucrorum nuptialium proprietate quia succedat diximus *Nov.* 2. 22. 68. Quod diximus de lucro nuptiali, quod pars est dotis vel donationis propter nuptias, idem obtinet in universa dote vel donatione propter nuptias, ut si cujus culpa obvenerit uni ex parentibus tota, ejus proprietatem liberis conservet idem mutuo consensu, quod tamen infra prohibiturus est *Nov.* 117. soluto matrimonio, quo casu nullum nulli lucrum accedit, si quid in ipsa disjunctione donaverit alter alteri, ut ejus etiam proprietatem is conservet liberis ex eo matrimonio procreatis.

NOVELLA XCIX.

De duobus reis.

Duo rei ejusdem pecuniæ non inutiliter fidejubent vice mutua, *l. Reos. D. eod.* nam sic fit, ut solventi solidum partim suo, partim fidejussorio nomine, mandati actio competat adversus alterum, quæ non competeret, imo nec ulla alia si vice mutua non fidejussissent: nisi si socii essent, actio pro socio, vel ex cessione creditoris facta in solutione ipsa integræ summæ, actio credita pecunia vel ex stipulatu. Item quia etiamsi socii non sint, unus potest compensare quod alteri stipulator debet, ut Accursius sensit recte in *l. 10. D. de duobus reis*: fidejussor enim recte compensat quod reo debetur, *l. 1. et 5. D. de compens.* Non sunt autem duo rei fidejussor invicem, nisi id dictum sit nominatim, et his quæ diximus de mandati actione et de compensatione locus esse possit. Videntur tamen effectu obligationis et exactionis creditoris respectu, invicem fidejubere, licet id dictum non sit nominatim, quia solidum a singulis exigi potest: ideoque et in S. C. Vellejano si mulier et Titius duo rei accepti fuerint, mulier videtur intercessisse, *l. Fir uxorem. in fi. ad S. C. Vell.* et hac quoque ratione a Græcis semper appellantur ἀλληλέγγυοι, licet expressim vice mutua non fidejusserint, quod tacite id agatur ut unus pro alio teneatur. Qua forma loquendi, cum pro his qui lapsi essent facultatibus tributorum nomine jussisset Basilios Porphyrogenneta locupletes conveniri, hanc novam exactionem ἀλληλέγγυον appellavit, auctore Zonara et Cedrino. Sed hoc quod diximus singulos in solidum conveniri, etiamsi vice mutua non fidejusserint, mutatur hac Novella, quæ vult, ut conveniantur pro parte tantum, nisi nominatim singuli se obligaverint in solidum, vel scilicet proprio nomine vel mutua fidejussione. Quin et ii qui in solidum se obligaverint, si omnes solvendo et præsentes sint, habent beneficium divisionis: quod beneficium ante Adrianus dederat confidejussoribus et mandatoribus, dederat et Justinianus conreis constitutæ pecuniæ, *l. ult. C. de const. pec.* Dat et idem modo conreis principalibus, et vult ut omnes ad eundem judicem mittantur. Si quidam absentes sint vel non solvendo, ii onerant ceteros. Notandum ex hac *Nov.* duos reos non teneri in solidum singulos, etiamsi facti sint eo modo qui proponitur in *l. 4. de duob. reis*. id est, etiamsi id agatur, etsi exprimatur nominatim: quod olim necesse non fuit exprimi nisi in specie *l. Reos. in fi. D. eod.* et sic idem Justinianus voluit etiam novationem fieri, quamvis hoc ageretur, nisi et nominatim exprimetur. Notandum quibus de rebus ad eundem judicem evaduar est, compelli litigatores per apparitorem judicis: vel si apparitionem non habeat, ut si pedaneus sit, per apparitionem magistratus. Implorat pedaneus judex auxilium magistratus, et ubi res exigit utitur cohorte ejus, ut et *Nov. de testibus* demonstratum est.

NOVELLA C.

De non numerata dote.

Exceptio sive querela non numeratæ pecuniæ creditæ biennio finitur, *l. In contractibus. C. de non num. pec.* Exceptio non numeratæ dotis post solutum matrimonium anno finitur, *l. ult. C. de dote cau. non num.* quod ita procedere Justinianus declarat si biennio tantum duraverit matrimonium: nam si diutius duraverit, non tamen amplius decennio, post solutum matrimonium tribus mensibus finitur: si amplius decennio duraverit, mulieri dotem repetenti ex instrumento dotali nulla opponi non numeratæ dotis exceptio potest. Excipitur maritus minor xxv. annis cui e contracto matrimonio xii. anni dantur ad contestandam querelam non numeratæ dotis, hæredi ejus annus, eo defuncto intra annos xii. Differentia igitur hæc est inter majorem et minorem, quod in majore si amplius decennio duraverit matrimonium, silentio decennii extinguitur exceptio, in minore non aliter quam si plus quam xii. steterit matrimonium: Excipitur etiam hæres mariti minor xxv. annis, cui datur quinquennium a morte mariti, sive defunctus major fuerit sive minor, dummodo vivo marito non fuerit decennio extincta querela .i. modo intra decennium mari ne decesserit. Et hæc ita constituit in futuris matrimoniis, in constantibus matrimoniis vult ut si in recenti contracta sint, intra decennium opponatur exceptio: vel si jam aliquantum temporis steterit matrimonium, ita ut non minus biennio desit ad decennium explendum, id temporis habeat maritus hæresque ejus ad contestandam querelam. Quod si decennio jam duraverit, aut minus biennio desit ad decennium, ut ipse maritus intra biennium opponat exceptionem non numeratæ dotis, hæres ejus intra tres menses a soluto matrimonio. Sed hoc postea alia quædam Leonis vel Basilii Nov. clarius declaravit, cujus sententiam Harmenopulus refert, sublatis omnibus dubitationibus, quæ in hanc Novellam moveri solent de minore xxv. annis, et de hæredis conditione meliore deterioreve quam defuncti. Etiam illud adjicit Justinianus querelam hanc esse contestandam non nuda denunciatione, sed literis in judicium vocata muliere, aut eo qui pro ea dotem cavit: quod et ita fit in contestatione non numeratæ pecuniæ, *l. In contractibus. §. pen. C. de non num. pec.* Contestatio perpetuat exceptionem, et transfert onus probandi in actorem, *l. 3. C. eod.* nisi agatur ex chirographo, quo adscripta sit debita causa, *l. Generaliter. C. eod.* Id quoque notandum est, huic exceptioni non numeratæ dotis locum non esse, si præter instrumentum dotale etiam apocha caverit maritus se dotem accepisse, *l. In contractibus. §. Ideoque. C. eod.*

NOVELLA CI.

De Decurionibus.

Hæc Novella tota est de dodrante debito curiæ vel successoribus curialis curialibus, vel se ultro dantibus in curiam, de quo diximus satis *Nov.* 34. 74. et hoc adjicit præterea, ut eum, qui se dat curiæ, nati sequantur tacite jure. Olim patre facto curiali, liberi postea suscepti erant curiales, ante suscepti non erant curiales, *l. Communium. §. Sed si quidem. C. de nat. lib.* Hodie etiam ante suscepti curiales fiunt.

NOVELLA CII.

De Moderatore Arabiæ.

Habuit olim Arabia præsidem civilem magistratum, et ducem militarem: hæc Novella præsidem mutat in moderatorem, clarissimum in spectabilem, et auget ei annonas, adsignatque milites, quamvis civilis sit, non militaris magistratus: et ad summam eadem ei dat quæ moderatori Helenoponti *Nov.* 28.

NOVELLA CIII.

De Proconsule Palestinæ.

Cæsariensium lex est specialis. Cæsarea autem metropolis Palestinæ primæ, colonia Vespasiani, *l. ult. D. de cens.* a qua Cæsariensis advocatio sæpe in Codice, ac potius a Cæsarea Cappadociæ, de qua

Nov. 30. Iis enim Palestina advocatio dicitur, *l. pen. C. de fidejus.* Scribit autem Justinianus Cæsaream Palestinæ nomen accepisse a Vespasiano contra omnium scriptorum sententiam, qui nomen Herodi regi Judeæ acceptum ferunt. Et constituit in ea Justinianus proconsulem, magistratum civilem, ad quem a variis clarissimis appelletur ex utraque Palestina, si lis non excedat quantitatem x. librarum auri, ut *Nov.* 23. et quæ sunt tamen ejus quam ducis Palestinæ propria munera breviter stringit. Τηβέννῃ) Trabea Remi et Romuli poetis, quæ Plutarcho τήβεννος, Polluci et Themistio τήμενος: nam et inventor Temenus Arcas. Stola proconsularis *Nov.* 31. Eunapius τὴν περιπόρφυρον ἐσθῆτα, τήβεννον ῥωμαῖοι καλοῦσιν, Dionys. Halic. 6. τηβέννας τὰς καλουμένας τραβέας. Polybius 10. λαμπρὰν τήβενναν, λαμπρὰν ἐσθῆτα, vestem candidam. Strabo 3. ἐν τῇ τηβεννικῇ ἐσθῆτι.

NOVELLA CIV.

De Prætore Siciliæ.

Non ut ad superiores pertinet cura publicorum tributorum, ita ad prætorem Siciliæ, sed ad Comitem patrimonii Italiæ, qui et comes dicitur largitionum Italicarum. Videnda est Nov. 75.

NOVELLA CV.

De Consulibus.

Solebant Consules olim missilia spargere in vulgus, §. *pen. Inst. de rer. divis.* et ob id quamcumque sparsionem posteriores arbitror ὑπατείαν appellasse, Cedrinus duobus locis ῥίψειν ὑπατείαν πολλήν. Martianus *l.* 2. *C. de consul.* constituit ne quid deinceps Consules in populum spargerent, sed certam duntaxat summam expenderent in formarum reparationem: cujus Constitutionis meminit Justinianus hoc loco, sed eam non probat, quia missilia jactare in vulgus et sportulas populo dare Consulibus volentibus permittit, ad certum modum tamen et septies tantum in anno: ac primum quidem initio magistratus Kal. Jan. quibus et prætores et Coss. inire magistratum solebant, *l. Publius. D. de cond. et dem. l. Pridie. ff. de feriis.* deinde Circensibus ludis, quos Mappæ appellatione designat, cujus rationem Georgius Cedrinus exposuit, at Cassiodorus ad Faustum præf. prætorio: tum theatrica venatione: at quartum, in spectaculo, quod μονημέριον dicebatur. Extat epigramma Leonis philosophi εἰς τὸ μονημέριον. Edebatur in eo pancarpum et ferarum venatio. Et pancarpum Vetus interpres exponit alium, qua ratione et chamæleo niger dictus forsitan sit pancarpum, ut ad Dioscoridem Græci quidam adnotarunt, a varietate colorum: et oraculo quodam cum Dianæ juberetur Neleus statuam erigere ἀπὸ παγκάρπου ξύλου, erexit ex quercu in qua offenderat multos variosque suspensos fructus, ut interpres Callimachi scribit. Appellatur et a Sophocle in OEdipo Tyranno laurus πάγκαρπος. Augustinus adversus Secundinum Pancarpum ludicris muneribus edi propter omnium generum quæ inerant herbas: ut Festo pancarpiæ coronæ ex vario genere florum. Quinta munificentiæ exhibitio fit ludis scenicis, quos πόρνας vocari refert, a productione meretricum in scenam: Seneca, florales jocos nudandarum meretricum: sexta iterum ludis circensibus: septima tempore depositi magistratus. Modum erogationis subjecit huic Novel. Justin. quæ tamen notitia periit, eamque notitiam servari voluit in judicum vel actis Comitis largitionum: et inde Consulibus edi. Fuit et in ea imposita modus sparsionis quoria sit matris Consulum: nam ne solæ Consularibus infulis uti, et munificentiam populo exhibere possunt. Uxor ipso jure Consularis est, non mater, *l.* 1. *D. de senat.* mater Consularis fit filii voluntate: nec vero aliam præter matrem hoc honore adficere Consul potest. Item constituit ut ne aurum populo Coss. spargant (hæc enim insignia propria Imperatoris est) sed argentum tantum, idque in minutioribus summis, veluti miliarensibus, μήλοις, κανκοῖς, τετραγωνίοις. Κανκοι dicuntur a forma, quod sint paululum *concavi*, quales vidi nonnullos, ut τετράγωνοι, quod quadrati, μῆλοι, quod *rotundi*. De miliarensibus scripsi in *l.* 7. *C. de pal. sac. larg.* quos decimam partem solidi facere Suidas scribit, et Epiphanius Cedrinusque dicto miliarenses quasi militares. Leo hanc Justiniani Constitut. abrogavit *Nov.* 94. Προϊόδους *Processus*, ut *l. Nam et Imp. D. de don. inter vir. et uxor.* Ἑπτὰ νυκτῶν) An loquitur ut Germani, quos Cor. Tacitus ait non dierum numerum sed noctium computare? Προσέρχεται δὲ, ἡνίκα αὐτοῖς νεύσειεν ἡ πολή) Rectius legit Vetus interpres αὐτός, ut sit sensus, perpetuum quodammodo ab Imperatore Consulatum geri, et ab eo manare trabeam, aliisque deferri ex nutu ejus, atque hac ratione Consulatum Imperio hærere semper, sceptrave subsequi. Et hujus loci sensum ut ita adsequeremur, viam fecit Petrus Faber magister libellorum ordinarius, doctissimus, meritissimus, laudatissimus in doctissimis commentariis ad *l.* 2. *D. de orig. ju.* ΛΕΓΑΤΟΝ) Rectius etiam Vetus interpres, *Legi*, ut *Nov.* 22. Subscriptio est quæstoris.

NOVELLA CVI.

De Nautico fœnore.

Ex l. Eos. C. de usuris. nauticæ pecuniæ, cujus scilicet creditor periculum suscipit, usura centesima est, terrenæ autem usuræ, cujus periculum pertinet ad debitorem, inter negotiatores usura legitima bes est. Periculum nauticæ pecuniæ suscipit creditor ad diem certum vel ad conditionem certam, puta quoad navis redierit salva, *l.* 4. *de nau. fœn.* et discusso periculo desinit currere usura centesima, et inter negotiatores incipit deberi bes *l.* 1. 2. 4. *C. de nau. fœn. l. Fœnerator. l. pen. D. eod.* Hoc cognito, hanc statuimus esse sententiam hujus Novel. comprobari in nautico fœnore more receptam conventionem hanc, uti creditor in centenos solidos capiat denos, quæ est usura decima, et hoc amplius, ut navi imponat in singulos solidos singulos modios tritici vel hordei, pro quibus vectigal debitor .i. navicularius sive negotiator fisco dependat: quo adjecto excedit hæc conventio usuræ centesimæ modum. Comprobari et aliam conventionem more receptam, ut creditor in singulos solidos capiat tres siliquas, quæ est usura centesima, ut exposui *Novel.* 32. et ut hæc usura præstetur non usque ad diem certum, sed omnino usque dum salva redierit navis, sive redierit post annum, sive post mensem unum vel duos, qua pactione efficitur ut navi reversa post mensem in singulos solidos usuræ nomine creditor accipiat tres siliquas: quod rationem usuræ centesimæ mirum in modum excedit, quæ non in mensem, sed in annum pro singulis solidis tres siliquas reddit. Ideoque hæc Nov. abrogata etiam fuit postea *Nov.* 110. secundum quam in nauticis pecuniis centesimam usuram nullo modo licet excedere.

NOVELLA CVII.

De Testamentis factis inter liberos.

Testamentum militis scriptum notis valet. *l. Lucius. D. de mil. test.* Pagani non valet, et secundum notariam non datur bonorum possessio, *l. Sed cum patrono. §. ult. D. de bon. pos.* nisi facta sit inter liberos suos vel emancipatos ex Constitutione Constantini, *l.* 1. *C. Th. fam. ercisc. l. ult. C. eod.* vel etiam inter quoscunque liberos ex Constit. Theodosii, *l. Hac consultis. §. Ex imperfecto. C. de testam.* quod hæc Nov. tollit. Vult enim etiam inter liberos omnia, etiam unciarum modum claris literis perscribi, quod et de omnibus numeris Basilium Macedonem constituisse in omnibus instrumentis Cedrinus scribit. Alia tamen ratione si imperfectum sit testamentum factum inter liberos, sane valet quantum ad portiones eis adscriptas *d. §. Ex imperfecto*, legata aut fideicommissa, aut libertates non debentur, portiones extraneis adscriptæ non debentur, nisi propinquis vel uxori vel alumno, vel aliis personis quibus verisimile est omnimodo præstari testatorem voluisse *l. In testamento. D. de fid. lib.* Ex hac Novella etiam extraneis liberi ex imperfecto testamento præstare debent legata, si modo holographum et testibus palam nuncupatum testamentum fuerit. Item ex hac Nov. testamentum imperfectum factum inter liberos non rumpitur alio testamento imperfecto scripto vel non scripto. Quod non ita procedit in testamento militis, nam infirmatur imperfectum alio testamento imperfecto intra annum missionis, *l. Ejus §. ultim. D. de mil. test.* Confirmatur et hac Novella quod de divisione bonorum inter liberos cautum est *Novell.* 18. §. 4.

NOVELLA CVIII.

De fideicommissariis hæreditatibus.

Hæc Nov. declarat quantum ex bonis hæres diminuere possit, qui rogatus est post mortem suam restituere quod ex eis bonis superfuerit: quod nos exposuimus jam supra *Nov.* 39. In hac Nov. fideicommissarius pro hærede accipitur, ut *l. Quamvis. D. de judic.*

NOVELLA CIX.

De hæreticis.

Mulieres tacitam hypothecam habent in bonis mariti tam sponsalium quam dotis nomine. Habent et privilegium in persecutione dotis, non item sponsalium, ut *Nov.* 61. 91. 97. Hac Novella excipiuntur hæreticæ, ut neque tacitam hypothecam habeant neque privilegium, nisi resipuerint. Confirmantur et veteres Constitutiones, quibus hæreticis militia qualibet et curatione publica interdicitur: Citat Constitutionem Leonis: ea est *l.* 6. *C. de diver. off.* Citat et Constitutionem Justini: ea desideratur in tit. Codicis *de episcop. aud.* sed ejus sententia extat 57. βασιλικῶν.

NOVELLA CX.

De nautico fœnore.

Hæc Novella abrogat *Novel.* 106. In ea ἀπαλλαχθῆναι, etc. Male Haloander sic interpretatur. Mandato dato ut e judicio tuo reciperetur. Vellem dixisset, revocaretur. Vetus interpres rectius, Refumi eam præparantes ex foro tuo.

NOVELLA CXI.

De tempore actionum sacris locis competentium.

Si cum ecclesia agatur, servamus actionibus præstituta tempora: si ecclesia agat, quæcunque tandem illis sit actio, non obstat nisi annorum xl. præscriptio, ut *Nov.* 131. abrogatur C. annorum præscriptio, quam probarat *Nov.* 9. et *l. ult. C. de sacr. eccl.* qua de re scripsimus Observ. 6. cap. 5. Hæc Novella est in edictis quintum.

NOVELLA CXII.

De litigiosis.

Rei litigiosæ alienatio vel pigneratio non valet jure prætorio, quia scilicet emptori vel creditori eam rem persequenti obstat exceptio litigiosi. Non valet igitur propter exceptionem, valet tamen ipso jure, *l. 17. in princ.* l. 18. *D. de rei vind.* et ita est accipiendus titulus de litigiosis, qui est ultimus titulus libri XLIV. Digestorum, qui totus liber est de exceptionibus. Nam proponitur in eo primum generalis tit. De exceptionibus, deinde speciales de exceptione rei judicatæ, de exceptione doli, de exceptionibus temporum, tum tit. Quarum rerum actio non detur, et in eo exceptiones tres, Jurisjurandi, Quod alea gestum sit, Quod libertatis onerandæ causa: et addiderat etiam lib. LXXVI ad edictum Ulpianus, ex quo est *l. 1. eod. tit.* exceptionem rei venditæ et traditæ, *l. 1. D. de except. rei vend.* et ad extremum ponitur tit. De litigiosis .i. de exceptione litigiosi. Nam qui rem litigiosam emit, repellitur tantum exceptione, non ipso jure: tenetur tamen utraque fisco: nam commune est crimen emptoris et venditoris, *leg. 1. D. de jure fisc. l. 2. D. de litig. l. ultim. Cod. eod.* atque ita partim ab emptore, partim a venditore duplum sibi conficit fiscus pœnæ nomine, ut in specie *l. Senatus. D. de contr. empt. l. ult. D. de dam. inf.* ita videlicet ut venditor pretium quod accepit et alterum tantum præstet, vel emptor æque duplum præstet, simplum a se, simplum a venditore. Neque tamen propterea ipso jure irrita venditio: nam ut res litigiosa in sacrum dedicata, quo casu pœna dupli infertur adversario, non fisco, *l. 3. D. de litig.* irrita non constituitur dedicatio: quamobrem puto manumissionem etiam servi litigiosi inanem non esse. Quod autem dixi de communi pœna emptoris et venditoris, hoc ita procedit, si emptor scierit rem esse litigiosam: nam ignorante emptore verius est venditorem fisco teneri in duas partes (a), emptori autem in simplum et tertiam partem pretii ex *l. ultim. C. de litig.* Ex eadem lege res litigiosa alii datur recte transactionis vel divisionis causa, vel in causam dotis aut sponsalium: quod et hæc Nov. confirmat. Arte legatur recte? Sic sane ex *d. l. ult.* ut legatario præstatur æstimatio litis, l. 3. *C. de litig.* Ex hac Novel. videtur tantum legari litis eventus, et ideo adesse liti legatarius potest, ut *l. Si suspecta. D. de inoff. testam.* Res autem litigiosa ea est de cujus dominio lis contestata vel mota controversia est in jus vocato adversario. Sola denunciatio rem litigiosam non facit, *l. 1. in princ. D. de litig. l. 1. C. de pign.* quæ scilicet fit venditionis impediendæ causa: nam (et dixi) quæ fit juris experiundi causa, rem litigiosam facit, ut et in S. C. petita videtur hæreditas si vel lis denunciata sit. Controversia de hypotheca rem litigiosam non facit. *l. 1. C. de litig.* l. 2. *C. de distr. pign.* Litis metus vel comminatio rem litigiosam non facit, *l. 8. § 1. D. de alien. jud. mut. cau.* Secunda pars hujus Novellæ est de cautione ab actore præstanda de observatione judicii et decima parte litis, antequam libellus conventionis reo offeratur, de qua diximus *Nov.* 96. Tertia pars est de contumacibus, quam exposui *Nov* 69.

NOVELLA CXIII.

Ne sacræ formæ fiant in medio litis.

Quod cautum est *Novella* 82. §. ult. id hac Nov. cavetur explicatius, ut judices vel arbitri compromissarii judicent secundum leges et mores, non secundum rescripta vel pragmaticas formas vel jussiones principis, quæ pendente lite impetrantur et insinuantur judicibus, non secundum depositiones referendariorum nuntiantium judicibus quemadmodum litem finiri princeps velit, non secundum jussiones magistratuum. Ipse princeps suo decreto litem finiri si velit, potest non judici formam rei judicandæ præscribere, satis legibus moribusque præscriptam: nisi forte in re dubia principem judex de jure consuluerit; quod tamen postea etiam judici interdictum fuit *Nov.* 125. Judicia qui rescriptis non jure litem disceptaverit, definitivam sententiam ipso jure nullam esse, ex compromisso pœnæ petitionem non esse, *l.* 10 et 11. *C. de judic.* Rescripta hujusmodi Julianus eleganter Ambitiosa vocat, id est, ad gratiam composita, Græci πολλάκις· quibus si locus non est pendente lite, nec sane locus erit lite finita, quamvis appellatio vel retractatio speretur. Retractationis remedio utimur cum appellandi jus non est *Nov.* 82. § *pen.* Loquimur autem de rescriptis, quibus rei judicandæ forma præscribitur, non de aliis rescriptis, quibus ad litem celerrime finiendam judices invitantur, vel ad acta edenda litigatoribus, vel ad sumendum συνδιαγνῶν. *l.* 2 *C. ut lite pend.* his enim omnimodo parendum est. Præcipit ad extremum et in singulis litibus initio antequam satisdationes judiciales præstentur, quas vocat confirmationes personarum, ut in §. *Sin autem. Inst. de satisdat.* hæc Constitutio actis inseratur.

NOVELLA CXIV.

De sacris jussionibus.

Ut in litibus emissæ sacræ jussiones non aliter a judicibus recipiantur quam si subnotatæ fuerint a quæstore palatii, in qua subnotatione et judex et litigatores et is cui jussio perferenda data est, nominatim exprimi debent. Adjicit Theodorus non obstare *l. pen. Cod. de div. res.* quæ exigit subnotationem principis. Nam in rescriptis sane exigitur etiam subnotatio principis, neque id hoc loco negatur. Videtur tamen non exigi in jussionibus omnibus, et sufficere subnotatio quæstoris, his verbis, *Quæstor legi.* Fuit Constitutio Latina, ut et *Nov.* 65. et 143. et aliæ, et extat in vulgari Latino Codice Novellarum, cui additur hæc subscriptio. *Dat. Kalend. Nov. C. P. D. N. Just. PP. Aug. ann. XVI. Basilio V. Cos.*

(a) *In Fabrot. sic legitur; at in Novell.* teneri in simplum.

NOVELLA CXV.

De appellationibus, et de litigatoribus, et de Falcidia, et de exhæredatione, et de iis qui lugent, et de constituta pecunia.

Primo capite hoc constituitur, ut causa appellationis flatur secundum leges quæ dicendæ sententiæ tempore valebant, non secundum novas, quæ post sententiam a qua appellatum est invaluerunt, etiamsi novæ nominatim porrigantur ad præterita negotia. Nam hæc clausula, Si nova legibus adjiciatur, de præteritis negotiis nondum finitis accipienda est, non de iis quæ jam finita sunt sententia judicis vel transactione partium, l. 1. *in fin. C. de cont. jud. l. pen. C. de sacr. eccl. Nov.* 111. Putat etiam Accursius eam clausulam non esse porrigendam ad negotia quoquo modo in judicium deducta, sed repugnat *Nov.* 113. et *d. l. pen.* Quod de appellationibus dictum est, idem etiam servatur in retractationibus, veluti si adversus sententiam præf. prætorio, a qua appellari non potest, retractatio postulata sit. Nam in retractatione leges novas quæ post sententiam præf. prætorio obtinuerunt, non sequimur: idem etiam servatur in relationibus judicum, quibus post ultimam cognitionem, cum inibi res est ut judicetur, principem de jure consulunt, quæ tamen facultas referendi cohibetur *Novella* 125. Nam in his causis, jus quod valuit relationis tempore, sequi debent Senatores qui in consilium principis adhibentur, non jus novum quod post eam introductum est. Secundo capite constituitur, ut si unus ex litigatoribus lite diu disceptata tandem renunciaverit suis allegationibus, alter nolit renunciare, sed moretur et frustretur diffidentia causæ, detur ei spatium trium mensium ad proferendas reliquas allegationes et probationes, post tres menses, et perinde ac si uterque renunciasset allegationibus suis, sententiam dicat judex vel referat, *l. 9. C. de judic.* Spatium trium mensium datur extra ordinem ad convincendam improbitatem et calumniam litigatoris post legitimas dilationes, ut ipse Justinianus ait. Itaque nihil obstat *l. ult. D. de feriis*, quæ de legitimis tantum et ordinariis dilationibus loquitur. Tertium caput est de exhæredationibus liberorum aut parentum, quod exposuimus satis diligenter *Nov.* 18. Quartum caput est de sustinenda exactione omni luctus et memoriæ defuncti diebus IX quod exposuimus *Nov.* 60. Quintum est de constituta pecunia, ut obligetur ex constituto qui dixerit, Constituo sive Satisfacio, quod est, Securum te facio: non qui dixerit impersonaliter, Satisfaciam: quo modo et stipulationem conceptam valere non arbitror. Quod si ita Satisfiet tibi a me, constitutum valet etiam in solidum. Si ita, Satisfiet tibi a me aut Titio, valet etiam in solidum, perinde ac si non adjecisset, Aut Titio: id namque agitur ut et ego tenear in solidum. Sin autem hoc modo, Satisfiet tibi a me et Titio; teneor tantum pro parte, quia adjectio Titii inutilis non auget obligationem meam. Idemque fit in stipulatione; nam de se quisque promittit, non de alio.

NOVELLA CXVI.

De militibus.

Vetus est constitutio, ne milites privatis negotiis occupentur, *l. Milites. C. de loc. l. Milites. C. de re mil.* Vegetius 1. *Militibus privata negotia non mandabantur.* Florus XI. *L. Posthumius consularis, quoniam cum exercitui præesset, opera militum in agro suo usus esset, damnatus est.* Idem et de fœderatis constituit hæc *Nov.* et *l. ult. C. de loc.* qui sub optionibus erant, ut diximus *Nov.* 22. et ideo fœderati ad optiones suas, milites ad numeros suos, relictis privatorum negotiis, redire jubentur, alioquin milites quidem et fœderati, ex hac causa capite plectuntur: qui opera eorum in suis prædiis negotiisve utuntur, confiscantur.

NOVELLA CXVII.

De divortiis et aliis capitulis.

Primum caput pertinet ad adventitia bona quæ per filiumfamil. patri acquiruntur ususfructus jure: quod ita procedere Justinianus declarat, nisi is qui donat vel relinquit filiofamil. hanc legem adjiciat, ne ususfructus patri acquiratur: nam in bonis hac lege donatis, pater nihil juris habet. Nunquam tamen probata fuit hæc adjectio, Ne proprietas patri acquiratur, in bonis quæ patri pleno jure acquirebantur: erat enim contra jus publicum: non est tamen contra jus publicum hæc, ut qui est proprietarius, sit etiam fructuarius. Administratio autem eorum bonorum quæ filiofamil. pleno jure acquiruntur, competit filiofamil. majori XXV. annis, vel curatori a testatore, vel donatore dato in eis bonis, vel a judice. Non tamen poterit filiusfamil. de eis bonis testamentum facere, *arg. l. Imperator. D. ad Trebel.* Secundo

capite novus introducitur modus, quo naturales filii sui fiunt, de quo diximus in *Novella* 74. Filiorum nominatio in publico instrumento, vel in privato munito testibus tribus, vel in testamento, vel apud acta, quæ etiam justæ uxoris argumentum præbet. Unde argumentabor forsitan, non male, et adoptione filios naturales, suos et legitimos fieri: Nam plus aliquanto dare liberis nominationi quæ fiat ex scripto quam adoptioni: nam et adoptio unius, ceteros non faceret legitimos, concubinam non faceret uxorem: unius nominatio et concubinam, uxorem, et naturales omnes ex ea procreatos, suos facit. Nam si unum habes pro filio suo non adoptatum, et matrem igitur pro uxore, et fratres æque pro suis. Videatur itaque omnes fieri sui per nuptias: et nuptiæ sane majoris momenti sunt quam adoptio. Alias non plus potest nominatio filii quam adoptio, § *ult. Institut. de adopt.* Tertium caput est de exæquandis liberis primarum et secundarum nuptiarum, licet non in utrisque nuptiis intervenerint instrumenta nuptialia. Quarto capite declaratur, quando in nuptiis exigantur instrumenta nuptialia. De utroque diximus *Nov.* 18. 22. et plerisque aliis locis supra. Quintum caput de uxoribus indotatis exposuimus *Nov.* 22. et 53. § *ult.* Sexto confirmatur Constitutio Leonis, id est, *l. Ex morte. C. de pact. con.* et abrogatur *l.* 1. *Cod. de nat. lib.* et Nov. Martiani *de matrimoniis Senatorum*, qua de re diximus *Novel.* 89. Septimo declaratur apud quem et cujus sumptibus liberi educari debeant divortio facto, quod pertinet ad tit. Codicis, *Divortio fac. apud quem filii mor.* et de eo diximus *Nov.* 22. Octavum est de justis causis divortii, quæ quidem multæ sunt ex *l. Consensu. C. de repud.* et *Nov.* 22. Ceterum Nov. hac ad breviorem numerum contrahuntur, et pleræque ex prioribus improbantur, quæ tamen et postea a Leone revocatæ sunt *Nov.* 30. et 31. ut si mulier vivo marito de contrahendis nuptiis cum alio egerit, vel in odio mariti partum abegerit. Nonum caput est de matrimonio non solvendo nudo consensu, qua de re *Nov.* 22. simul ac de eo quod sequitur, de matrimonio ob militiam vel ex alia causa dirimendo, et de pœnis injusti repudii. Ultimo capite datur marito jus occidendi adulteri etiam non deprehensi post tres denunciationes: quod et jure vetustissimo obtinuit, et *Nov.* quadam Majoriani, lege Julia non omnimodo. Qui denunciationibus non pareat, habentur pro adulteris: quod valde novum est. Id etiam est novum, ut constante matrimonio maritus uxorem adulterii accusare possit, quod exposuimus lib. de temporibus c. 13.

NOVELLA CXVIII.

De æqualitate agnatici et cognatici juris.

Cognatio triplex est, ut ait *Nov.* 89. dividitur enim in parentes et liberos, qui in recta linea constituuntur, et eos qui sunt ex transverso, sive a latere, qui rursus dividuntur in agnatos et cognatos. Sed et parentes ipsi ac liberi dividi possunt in agnatos ac cognatos: nam pater filiofam. est agnatus, filio emancipato cognatus: mater quæ convenit in manum viri filio est agnata, mater quæ non convenit in manum viri, filio est cognata non agnata, nepos ex filiofam. avo est agnatus, nepos ex filiafam. cognatus: filius suus patri agnatus, filius emancipatus, cognatus. Quibus expositis, videamus quis inter eos ordo servetur in successione ab intestato. Primo loco vocantur liberi tam sui quam emancipati, sed diverso jure: sui jure civili, emancipati jure prætorio: quam differentiam hæc Novella non tollit. Itaque ne dixeris filium emancipatum ex hac Novella jure civili succedere: quod si dixeris, et hoc dixeris, filium emancipatum excludere nepotem ex eo retentum in potestate, et sublatum esse edictum novum De conjungendis cum emancipato liberis, quod tamen est falsum. Id autem latius exprimitur hac Nov. primo ordine liberos vocari tam cognatos quam agnatos, ut jam non tantum nepotes ex filio succedunt, sed etiam nepotes ex filia et pronepotes proneptesve ex nepote ex filio filiave nata, vel ex nepote ex filia nato cum certæ partis diminutione, quæ suis hæredibus vel agnatis defuncti accrescit ex Constitutionibus, hodie sine ulla diminutione ex hac *Nov.* et 18. Hodie igitur non est necesse codicillis ab intestato factis vocari nepotem ex filia in integram portionem matris, cum ipso jure ita res habeat, quod ex formulis Marculphi in hunc modum ab avo decerni solebat: *Quicquid pater de facultatibus suis erga filios aut nepotes distribuit, id lex Romana omnimodo observare præcipit: ideoque ego L. Titius in Dei nomine dulcissimis nepotibus meis Gajo et Sejo, dum peccatis meis facientibus mater eorum mea jam vita functa est, et non possunt sibi per legem cum filiis meis avunculis suis in alodio meo ex integro succedere, hanc epistolam emisi, ut intelligant velle me ut in omni alodio meo cum avunculis suis in integram matris partem succedant: ea tamen ratione ut quidquid matri eorum tempore nuptiarum dedi, vel si quid aliud ex rebus meis ad eam pervenerit, id in partem matris imputent.* At similiter sine conventione in manum matri ab intestato succedunt filii, licet cognati sint, non agnati, ex S. C. Orfitiano, nepotes succedunt aviæ ex Constitutionibus. Sed et generaliter ex hac Nov. liberi defuncto succedunt sive agnati sint, sive cognati, et præferuntur parentibus, etiamsi defunctus in parentis fuerit potestate, in eo scilicet quod parenti non acquiritur (a): ut si defunctus fuerit in potestate patris et filium habuerit, peculium profectitium defuncti pertinet ad patrem peculii jure pleno, peculium adventitium pertinet ad patrem ususfructus jure, in proprietatem defuncti filius ejus succedit, in peculium quoque castrense vel quasi castrense ejus succedit pleno jure, itemque in bona adventitia quorum ususfructus patri acquisitus non est, ut si donata fuerint ea lege ne patri acquireretur ususfructus. Id etiam sciendum est, in hac liberorum linea gradu proximiorem non præferri: nam filius emancipatus non præfertur nepoti ex se nato et retento in familia avi, sed conjungitur ex edicto novo: et filius non præfertur nepoti ex alio filio jam ante mortuo sed simul uterque intestato succedit, et sic deinceps ceteri. Item sciendum est, in hac liberorum linea hæreditatis dividi pro stirpibus, non pro virilibus portionibus, ut si defuncto sit filius et ex alio filio jam mortuo nepotes duo, filius ei succedit in semissem, nepotes in semissem, non singuli in trientem: ac similiter si defuncto tantum sint nepotes ex diversis filiis aut filiabus, in stirpes succedunt, §. *Cum filius. Inst. de hær. quæ ab int.* *l.* 2. et 3. *C. de suis et leg. lib.* De successione liberorum naturalium diximus N. 18. De successione adoptivorum nihil tractabimus. Post liberos secundo loco vocantur parentes gradu proximiores tam cognati quam agnati. Vocabatur jam ante mater ex S. C. Tertulliano, filio cognata non agnata: ex hac Novella vocantur omnes servata graduum prærogativa, sive sint agnati sive cognati, et præferuntur iis qui sunt ex transverso, non tamen omnibus. Olim fratres præferebantur parentibus, *l. ult. C. com. de succ. l.* 4. *C. de bon. quæ lib.* *atque* Ex hac *Nov.* defuncto fratres vel sorores utroque parente conjuncti conjunctæve una cum parentibus succedunt in capita, sublato S. C. Tertulliano, quo mater cum sororibus defuncti succedebat in semissem, non in capita, ut exposuimus *Nov.* 2. Olim filius bona fraterna acquirebat patri in cujus erat potestate ususfructus jure: hodie fraterna quæ ab intestato obvenerunt pro parte virili ne ususfructus quidem jure acquirit patri, quia pro usufructu hodie in hæreditatem filii defuncti pleno jure concurrit pater, quem filius superstes, id est frater defuncti excludebat jure veteri. Olim pater excludebat matrem etiam ex S. C. Tertulliano: hodie simul admittuntur: idemque est in ceteris parentibus, ut sine discrimine sexus vel cognationis gradatim defuncto succedant. Id non est omittendum, si plures sint parentes defuncto ejusdem gradus, quorum alii sint agnati, alii cognati, ut si defunctus reliquerit avum paternum et avum maternum aviamque maternam, tum hæreditatem non dividi in capita, sed avum paternum in semissem vocari, ceteros in alterum semissem. Tertius ordo est eorum qui ex transverso veniunt, in quo ordine nullum etiam hodie est discrimen agnationis et cognationis, nullum discrimen sexus. Ex cognatis ante hanc Nov. vocati sunt fratres emancipati Constitutione Anastasii, et fratrum emancipatorum sororumque filii Constitutione Justiniani: ex hac Nov. vocantur omnes cognati simul cum agnatis, ejusdem gradus, exceptis fratribus: nam fratres utroque parente conjuncti eorumque filii præferuntur uterinis, id est patre diverso: agnati igitur cognatis. Nec mirum, cum et consanguineis eorumque filiis præferantur ex patre tantum conjunctis, id est matre divisis, *Nov.* 84. et sic agnati agnatis præferuntur, licet sint eodem gradu. Idemque servatur inter fratrum filios: nam fratris utroque parente conjuncti filii excludunt fratris altero tantum parente conjuncti filios. Rursus in hoc ordine venientium a latere, proximior, sive sit agnatus sive cognatus, ulteriorem excludit, et hæreditas in capita dividitur longe aliter quam in ordine liberorum. Excipiuntur tantum fratrum jam defunctorum eodem jure conjunctorum filii, quos fratres non excludunt, sed simul fratres superstites, fratrumque jam mortuorum filii defuncto ab intestato succedunt, quasi subierint in locum gradumque parentum: et succedunt quidem fratrum filii in stirpes non in capita: succedunt, inquam, cum fratribus defuncti, non cum parentibus fratribusque defuncti, ex hac Novell. sed ex *Nov.* 127. succedunt etiam cum parentibus fratribusque defuncti: cum parentibus, non item. Quod si soli sint fratrum filii, non parentes, non fratres, succedunt in capita, ut docuimus Feudorum 2. cap. 11. ubi et pleraque alia de successionibus ab intestato adnotavimus, quæ in hunc locum transferri possunt. Id etiam notandum est, ultra fratrum filios non esse repræsentationi locum. Soli fratrum filii repræsentant patres suos, adeo ut et si sint tertio gradu finguntur esse secundo, et præponantur patruis vel avunculis defuncti, qui sunt eodem gradu. Ceteri cognati gradatim succedunt et in capita, sine discrimine sexus, sublata lege Voconia, sine discrimine agnationis et cognationis, sublato jure XII. Tabular. et jure prætorio quo agnati etiam ulteriores præferuntur cognatis. Illud animadvertendum est, tolli tantum differentiam agnationis et cognationis in successionibus ab intestato, et in tutelis legitimis, non in ceteris causis. Et tolli in tutelis legitimis, per consequentiam, quia quo hæreditas redit, eo et tutela pervenit, nisi feminæ intercedant aut minores XXV. annis. Ex feminis tamen excipitur mater et avia, ut *Nov.* 22. 27. Minores XXV. annis primus Justinianus exclusit tutela legitima. Ante Justinianum non excludebantur: et ideo in *l.* 73. *D. de div. reg. jur.* sexus muliebris excipitur, non minor ætas. Jus agnaticum et cognaticum hæc *Nov.* dicit, ut *Novell.* 84. et in veteribus libris *l. ult. C. de leg. hær.* ad juris agnatici formam.

(a) *In Fabrot.* acquiritur; *In Novell.* vero, non acquiritur.

NOVELLA CXIX.

De donatione propter nuptias ut specialis sit contractus, et de aliis capitulis.

Primo capite donationem propter nuptias specialem facit contractum, qui non eodem quo ceteræ donationes, sed proprio et speciali jure censeatur. Donationem simplicem insinuandam esse si excedat D. aureos. Donationem propter nuptias non egere insinuatione nec ex parte mulieris, nec ex parte viri: quod ita emendat *Nov.* 127. ut egeat insinuatione ex parte viri, id est quatenus pro rata donationis propter nuptias vir lucrum captat ex dote, non ex parte mulieris. Olim

erat insinuanda indistincte, nisi collocata fuisset in matremfam. minorem xxv. annis, l. *Minoribus. C. de donat. ante nupt. l. Sancimus.* §. *Alias vero. C. de donat. l. ult.* §. *Simili, quoque. Cod. de jur. dot.* Dos nunquam fuit insinuanda *d. l. ult. in princ.* licet veteres eam connumerarint inter donationes, *l. ult.* §. 1. *C. de don. ante nupt.* non tamen est donatio simplex, sed contractus. Donatio simplex neque est contractus, neque pactum: hæc insinuatur, coercetur, strictius accipitur: contractus non insinuatur. Ex Constitutionibus regum nostrorum optimorum et felicissimorum, et dos et omnis contractus insinuantur, ut falsitatis occasio nulla sit, longe melius quam Leonis *Nov.* 50. ne donatio quidem ulla insinuetur, quæ modo in scriptis habita sit. Secundum caput derogat legi Æliæ Sentiæ de manumissionibus, quæ minorem xx. annis testamento servum manumittere non sinit: id permiserat Justinianus primum majori xvii. annis §. *altim. Instit. qui et quib. ex cau. man.* Hoc capite permittit mari xiv. feminæ xii. anno completo, id est ab ipsa statim ætate qua testamentum facere potest. Non ergo vindicta solum manumittere minor xx. annis potest causa probata apud consilium, sed etiam testamento. Tertium caput est de instrumentis sive chirographis, ut commemoratio in chirographo uno facta de altero chirographo, vim obligationis et justam petitionis non habeat, nisi id quoque chirographum proferatur, aut alia ratione debitum comprobetur, quod confirmat *l. ultim. D. de prob.* quam omisit Accursius, et alias citat quæ sunt de exemplo alterius scripturæ, de quo nihil hoc capite. Ut autem commemoratio illa nihil prodest, ita nec omissio nocet, *l. Lucio. D. de obl. et act.*

Quartum caput exposui *Nov.* 23. Quintum est de retractationibus, de quibus diximus nonnihil *Nov.* 82. 113. 115. A sententia præf. prætorio non appellatur, sed adversus eam retractatio postulatur intra biennium, postquam deposuit præfecturam, et ei in ea dignitate successit alter, oblato libello principi. *l.* 1. *C. de sentent. præf. præt.* vel etiam (ut hac Nov. definitur) libello oblato præf. prætorio intra dies x. a tempore latæ sententiæ, qui libellus didascalicus appellatur, nec necesse est omnino eum offerri præfect. prætorio, cum et præfectianis offeratur rite, a quibus litium causæ introduci solent, et adsessoribus præfect. prætorio, quos vocat *συμπόνους*, male Haloander *collaboratores*: recte Vetus interpres, *Consiliarios*: et ita innumeris locis *adsessores sive consiliarios*, Græci modo *συμπόνους*, modo, *παρέδρους*, *συνέδρους*, *συγκαθέδρους* vocant, Latini etiam *participes l.* 3. *Cod. si rector provin. vel ad eum pert. l.* 1. *Cod. de. cont. jud. l.* 2. *Cod. Theod. de inc. nupt.* Plautus Milite, *Socium tuorum consiliorum et participem consiliarium.* Et consiliatores: ut filium Dei salutem certissimam hominum Dominum nostrum Jesum Christum, quem Sibylla *σύμβουλον* vocat Lactan. Consiliatorem interpretatur *π.* ot iv. Plin. 5 Epist. *In gerendis honoribus consiliator et rector*: et sæpe in translatione Veteris testamenti. In *l.* 12. *C. Th. de legatis*, e consiliantibus: ut Horatius, *consiliantibus. deus.* Tacitus 2. Hist. *Redire omnes Bononiam rursus consiliaturi*: Cicero 15. ad Att. *Difficili ad consiliandum legatione.* Priscianus de præex. Rh. *Consiliabantur de urbe condenda.* Sed ad rem. Potest etiam post x. dies offerri libellus didascalicus retractandæ litis causa: sed si offeratur intra x. dies, non ante poterit sententia præfect. prætorio executioni mandari, quam victor satisdederit de re restituenda, sententia rescissa, si post x. dies victor non satisdat.

Sextum caput est de restitutione in integrum, quæ heredi minori xxv. annis datur abstinendi causa, ut si hæreditatem minus lucrosam acquisierit, *l. Ait prætor.* §. *Sed. et si hæreditatem. D. de minor. l. Necessariis. D. de acq. hær.* Constituit autem Justinianus, minore postulante restitutionem abstinendi causa, ut evocentur solemnibus edictis, adhibeantur creditores hæreditarii: qui si non venerint intra menses tres, sine periculo minori debitor restitutio in integrum, idoneo loco depositis rebus hæreditariis, earumque inventario publice confecto: quod valde pertinet ad interpretationem *l. Etiamsi.* §. *ult. D. de minor.* Septimum caput est de longi temporis præscriptione. In rem actiones tolluntur usucapione decennii inter præsentes, vicennii inter absentes adversus bonæ fidei possessorem: quid si initio decennii bonæ fidei possessor præsens fuerit, tum deinde abfuerit, ut si præsens fuerit octennio, absens biennio? Tum exigimus ut quantum abfuerit temporis, tantum expleto decennio præsens possideat ad implendam usucapionem. Adversus malæ fidei possessorem actiones in rem tolluntur præscriptione xxx. annorum, ut ex hac Nov. adversus bonæ fidei possessorem, qui a malæ fidei possessore ignorante domino emit: nam si sciente domino emit, sufficit longi temporis possessio continua. Octavum caput pertinet ad testamenta, quod exposuimus *Nov.* 66. Nonum est de prædiis ecclesiasticis, quod *Nov.* 7. Decimum de lege Falcidia, quod *Nov.* 1.

NOVELLA CXX.

De ecclesiasticis contractibus.

Id est singulare in ecclesia majore CP. et aliis religiosis ædibus, quæ sunt intra eam urbem, vel intra territorium ejus, ut prædiorum suorum perpetuam emphyteusim vel etiam invicem permutationem prædiorum facere non possint: quo respectu initio hujus Nov. excipiuntur venerabilia monasteria sita intra eam urbem vel intra territorium ejus, quæ eodem jure utuntur quo vulgo ceteræ ecclesiæ ædesque venerabiles: nam et prædiorum invicem permutationem faciunt, et perpetuo jure emphyteutico conferre prædia sua in alios possunt. Id etiam est singulare in eis, ut post contractam emphyteusim cum fisco, vel Imperatore, vel Republica, vel curia, vel cum alio venerabili loco, possint perotiere intra biennium. Et ut locationes eorum non excedant annos xxx. cum privatorum et publicorum fiant etiam in centones, ut Hygenus scribit lib. de limitibus, in plures annos, *l. Si in lege.* §. *ult. l. Qui fundum. l. Cum plures. D. loc.* id est in plures quam quinque: nam plerunque solebant in quinquennium fieri. Siculus Flaccus: *Alii per singula lustra locare soliti, alii in plures annos.* Id quoque est præcipuum in majore ecclesia CP. ut nec possessionem alienare possit inutilem et publicis oneribus prægravatam, et aliud *Nov.* 46. *de dandis prædiis in solutum aut vendendis fiscalium tributorum dissolvendorum causa.* Cetera sunt communia ecclesiarum omnium venerabiliumque locorum, quæ exposui *Nov.* 7. Id tantum omisimus, non posse œconomos vel alios administratores vel cognatos aut adfines eorum ullo modo accedere ad locationem vel emphyteusim vel *ἀντίχρησιν* rerum ecclesiasticarum, vel emptionem, quibus casibus venditio permittitur, eodem exemplo quo nec tutor ad emptionem rerum pupilli, nec comes patrimonii vel palatinus vel patronus fisci ad emptionem rerum privatarum principis. Et ædificia vetustate collapsa nullius reditus, quæ vix sumptibus ecclesiæ refici queant, perpetuo emphyteuseos jure reficienda dari sub tertia parte pensionis quæ ex locatione antequam ruerent redigi solebat, vel sub dimidia parte pensionis quæ post refectionem justior esse videbitur. Illo igitur casu remisso besse, hoc remisso semisse. Et non esse ratam traditionem prædiorum sterilium et defectorum factam ecclesiæ, etiamsi ut illa acciperet ecclesiæ ei fuerit certa pecunia adnumerata: quod etiam cautum est *Nov.* 7. *Ἐπί τινι ποσότητι*) Hæc quantitas definitur *Nov.* 7. *Γυνὸ ξανθῆς νόμισμα*) Hæc pignoris lex vocatur *ἀντίχρησις*. *Ὀδήσσου καὶ Τομέως*) Tomos ponit Ptolemæus in Mysia inferiori, ut Odesson. Claudianus in Epithal. Palladii, *veter aque Tomis mavortia matris Nobilitas.* *Τὸ πάκτον*) Pactum pro canone, ut *l.* 3. *C. de obseq. pat. præst.* et alibi sæpe suffragium, et *μισθώματα* pro eo quod datur suffragii et locationis causa.

NOVELLA CXXI.

De usuris.

Usuræ supra duplum non debentur, i. altero tanto sorte amplius, *l. Si non sortem.* §. 1. *D. de cond. ind. l.* 4. §. *Pro operis. D. de nau. fæn.* et *edicto* 9. quæ vetus lex est, ut docui Obs. v. Et ne per retentionem quidem pignoris servari possunt supra duplum, *d. l.* 4. §. *Nec pignora. l. pen. C. de usur. l. Prædii. C. mand.* Usuræ creditæ pecuniæ, quæ ex pacto peti non possunt, servantur retentione pignoris, *l.* 4. et 22. *C. de usur.* non ita retentione pignoris usuræ servantur supra duplum. Item ex hac. *Nov.* et 138. usurarum solutiones, quæ fiunt per partes diversis temporibus, concervantur, et in duplum computantur abrogata *l.* 10. *C. de usur.* ex qua usuræ solutæ per partes duplum excedere possunt. Excipiuntur tamen *Nov.* 160. quæ annui reditus, quem usuræ speciem habent: ut in specie proposita. Resp. ex legatis collectam pecuniam et relictam in opera publica vel calefactiones balnearum ita collocavit, ut pro ea quotannis certus reditus certave attributio Reip. penderetur. Hic reditus perpetuo debetur, quandiu sortem qui acceperit non reddiderit, nec si ad duplum pervenerit, finitur. Species autem hujus Novellæ hæc est: sors erat D. aureorum: usurarum nomine soluti sunt primum DCCCLXVII. deinde LXXII. tum X. In summa DCCCCXLIX. Debitor adhuc paratus est solvere LI. ut perficiat M. aureos, quæ summa duplum efficit. Liberatur et sorte et usuris. Et verba quibus Latine olim hæc Nov. expressa fuit, quæ nondum quisquam viderat hac ætate quantumvis licet anteriore magis magisque clare vidit et invenit Petrus Pithœus delicium et flos veteris novæque prudentiæ juris, et quod caput est fidei et probitatis species lumenque verum, et hæc sunt. IMP. *Justinianus A. Areobo. Quidam mutuatus ab aliquo D. aureos solvit aliquam quantitatem usurarum, quasdam autem debens cautionem emisit in* DC. *aureos. Quoniam autem omnis solutio ad* DCCCCXLIX. *aureos pervenit, et creditor dicebat totum in usuras solutum fuisse et exigebat* DC. *qui cautione continebantur, Ait lex. Si reliquos* LI. *solverit ut debitum duplicetur, nihil aliud exigetur, quamvis veteres dixerint tunc supra duplum non competere debitum quando nulla solutio in medio contigit. Datum* XVII. *Kal. Majas C. P. Belisario V. C. Cos.*

NOVELLA CXXII.

De dispositione artificum.

Hæc Novella integre extat inter edicta Justiniani ut agricolæ, nautæ, artifices, negotiatores pretii mercedisve nomine plus more veteri non exigant. Auxerant pretia impenso mercedesque, adeo ut coactus fuerit Justinianus veterem morem reducere, et occurrere cupiditati eorum: qui ad hæc præcipit architectis, mensoribus, aliisque operum æstimatoribus, ne pluris operas æstiment quam vetus mos ferat, et ne etiam quisquam pluris emat conducatve: et huic rei indicit pœnam tripli. Æquissima Constitutio cujus epitome ab Haloandro edita ex Theodoro vitiosa est, illo loco *τὴν πρώτως διὰ τύπων*: legendum enim est, *τὴν παλαιὰν διὰ τύπων*. In edicto 6. id est in hac *Nov.* possimo, *μιτάτα* quidam interpretantur ludos literarios, cum eo nomine potius significentur conventiones sive conventus hominum et mercatus.

NOVELLA CXXIII.

De episcopis et clericis.

Prior fuit *Nov.* 6. cujus mentio fit initio hujus. Hæc pertinet ad Codicis titulum *de episc. et cleric.* illa ad tit. de *sacros. eccles.* et ut hic titulus in Codice prior illo, ita merito Nov. illa hanc præcessit. At quod attinet ad ea quæ hac continentur, quoniam pleraque vel jam exposita sunt supra variis locis, veluti *Nov.* 5. 6. 22. 37. 67. vel nulla indigent expositione, seligam tantum locos eos in quos quod adnotemus erit aliquid. Locus unus est quo demonstratur primum presbyterum et archidiaconum in ecclesia pecuniæ distributionem habuisse, et ob id Nov. Majoriani *de episcop. jud.* archidiaconus multam inferre jubetur ei quem fecerit clericum episcopus invitum, et Prudentius Laurentium, quem primum e septem viris vocat, .i. archidiaconum (nam vii tantum diaconi initio fuerunt) votas opes dispensasse ait: et idcirco industriam in eo Hieronymus et Sidonius requirunt. Hieronymus Evagrio, *Diaconi eligant de se quem industrium noverint, et archidiaconum vocent.* Sidonius Domnulo, *Archidiaconus, in quo seu gradu seu ministerio multum retentus propter industriam.* Alius est locus quo declaratur episcopos et monachos tutores vel curatores fieri non posse: clericos unam tutelam legitimam suscipere posse; quod ita accipiendum est, ut tamen inviti eam non suscipiant, *l. Generaliter. Cod. de episc. et cleric.* Testamento tutores eos dari concilia vetant, ut Cyprianus scribit 1. Epistolarum. Sequitur, ut non possint etiam episcopi vel clerici vel œconomi .i. dispensatores pauperum, privatis negotiis occupari, non susceptores vel exactores tributorum fieri, non conductores vectigalium vel alienarum possessionum, nec actores aut procuratores aut fidejussores: quod congruit cum Chalced. synodi cap. 3. et Charthag. cap. 16. et *Novell. Leonis.* 86. et exemplo militum comparatum est, *Novell.* 116. Et eodem exemplo monachi non possunt exhæredari ex hac Nov. hoc enim etiam in militibus olim obtinuit, *l. Filiusfam. D. de lib. et post.* Et clerici quasi castrense peculium habent. Alio loco ostenditur, episcopos ad testimonium dicendum in jus vocari non posse. Nec honore nec legibus, inquit *l. 7. C. de episc. et cler.* id est nec volentes nec invitos sed domum mitti, ut fit *l. 2. §. Sin autem. C. de jurejur. prop. cal.* Aliud est in clericis *l. 8. C. de episc. et cleric.* Sequitur de episcopis vagantibus et deserentibus ecclesias suas, de quibus eleganter Synesius, χρῆναι τούτους ὅσοι τὰς οἰκείας ἐκκλησίας ἀπέλιπον, πᾶσαν ἐκκλησίαν ἀποπαυθῆναι. Est alius locus, quo episcopis et clericis interdicit alea ludere: est enim ταβλίζειν aleis ludere, ut lib. 60. βασιλικῶν tit. de aleatoribus, aleatorum susceptor est ταβλοδόχος. Moschopulus περὶ σχεδῶν, κύβους, τὰ ἰσχυρμένα ξύλα οἷς χρῶνται ταβλίζοντες. Suidas, Ηεττοί, τὰ βόλια ἐν οἷς ταβλίζουσι. Deest autem hac de re Constitutio Græca in tit. *C. de episc. et cleric.* cujus sententiam retulit Photius Nomocanonis tit. 9. c. 27. Est et alius locus de tollendis duplicibus monasteriis, quæ tolluntur etiam Nicenæ 2. ca. 20. et epistola Cypriani quadam, et Constitutione Græca Justiniani, quæ desideratur in Codice eodem titulo. Et alius, de his qui præferunt cruces in publicis rogationibus, quas λιτὰς vocat, *litanias. l. 3. C. de heret.* δημοσίαν πρόοδον. *Nov.* 67. inventum recens Mamerci in Galliis. Et alius singularis de conditione legatorum vel institutionum vel donationum, si sine liberis decesserit, vel si nuptias non contraxerit, ut sacerdotio vel clericatu excipiatur. Itaque statim post sacerdotium legati petitio est. Contra hic locus ostendit hanc conditionem, Si liberos susceperit, Si nupserit, vel Cum nupserit, remitti ei qui monachismum vel clericatum præoptaverit, et ideo legati statim petitionem esse, et substitutionem precariam extingui, si sub conditione contraria oneratus sit fideicommisso, nisi in redemptionem captivorum vel exhibitionem pauperum substitutio fideicommissaria concipiatur, quod est ex *l. 55. Cod. de episc. et cleric.*

NOVELLA CXXIV.

De litigatoribus.

Ex SC. jurabant olim litigatores (ut Plinius scribit v. Epist.) priusquam agerent, nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse: et pariter ex primo capite hujus *Nov.* jurant nihil se judicibus aliave persona patrociali causa dedisse, cavisse, præterquam advocatis et sportulas executoribus, quod iteratur in causa appellationis, et præstatur etiam in consistorio principis. Jurat autem præsens litigator præsente judice, absens præsente adversario et officialibus quibusdam judicis, et interdum adversario non præsente. Absens, .i. qui in forum non venit. Multæ enim sunt causæ ob quas domum mittitur ad jusjurandum præstandum, vel ob dignitatem personæ, vel si valetudine impeditur in judicium venire. *Ad personas. D. de jure jur.* Ad episcopos domum mitti debet ex Novella superiori, et ad matronas, *l. 2. §. Sin autem. C. de jur. prop. cal.* quæ et proprium hoc habent ex hac Novella, honestiores scilicet et verecundiores, ut solos officiales in domum admittant, non adversarium. Qui abest longius, in alia provincia juret apud acta præsidis provinciæ vel defensoris civitatum. Per procuratorem non juratur. Contumacia nolentis jurare coercetur damno litis. Ei qui fatetur se pecuniam dedisse vel cavisse, si hoc probaverit, venia datur, et punitur is qui accepit cuive cautum est. Si non probaverit, coercetur, si modo et is cui dixerat se dedisse purgaverit se jurejurando. Perjurium ex hac causa punitur, .i. si falso juraverit se non dedisse, dummodo probetur intra menses iv a die sententiæ. Additur etiam, hoc jusjurandum præstari a tutoribus et curatoribus qui pupillorum vel adolescentium nomine litigant, sine periculo tamen minorum, quod et de jurejurando calumniæ proditum est, *l. 5. §. Quod observari. C. de jur. propt. cal.* eosdem eo jurejurando adfici, quomodo et Suetonius loquitur in Caligula. *Ut omnibus sacramentis adficerentur.* Sic libri veteres. Ratio utriusque est evidens, quod tutores et curatores de calumnia et de data pecunia, id est de conscientia sua liquido jurare possint ex animi sui sententia, quæ cessat in jurejurando in litem, *l. 4. D. de in lit. jur.* Secundum caput hujus Nov. est de sportulis apparitorum sive executorum, de quo dictum est satis *No.* 8. 17. 86. Tertium est de referendariis sacri palatii, de quibus *No.* 10. et hoc quidem capite confirmatur Justini et Justiniani Constitutio quædam, qua cavetur, ut jussiones principis scriptæ vel non scriptæ omnimodo judicibus per referendarios insinuentur, nec fides habeatur judici soli, qui sententiis aut admonitoriis adscripserit, se jussione principis sine scriptis habita aliquem exhiberi vel duci jubere: et eam Constitutionem Julianus testis est fuisse positam lib. 1. Codicis. Eam vero hæc Novella confirmat, et præterea declarat referendariis esse tantum jus referendi desideria supplicum ad principem et insinuandi judicibus sacras jussiones: causis eos se immiscere non posse, vel prehendendo litigatores, vel satisdationem exigendo, vel adigendo eos ad pactionem vel transactionem aliquam.

NOVELLA CXXV.

De judicibus.

Hac Novella tolluntur relationes judicum, quæ superioribus comprobatæ sunt 113. 115.

NOVELLA CXXVI.

De appellationibus.

Pertinet initium Novellæ ad *l. Præcipimus. C. de appellat.* ex qua appellationum causæ porrectarum adversus sententias spectabilium judicum veluti proconsulum, vel adversus sententias judicum delegatorum a principe, non disceptantur, ut solebant, a principe ipso in sacro consistorio Senatu præsente, sed a præf. prætorio et quæstore palatii, eo ordine, inquit, ea observatione, iisdemque temporibus, quibus in sacro consistorio lites finiuntur. Quæ verba ita accepte sunt, ut formulas easdem, ritus eosdem adhiberent, ac si princeps adesset, habitu etiam augustiore quasi præsente principe litigatores vel advocati vel apparitores uterentur, veluti compagis, ut Juliani interpres ait *Nov.* 20. qua voce utuntur Capitolinus et Pollio pro calceamento regio. Præf. prætorio et quæstor quasi principes ita pronunciarent: Nostra pietas, vel Nostra serenitas decernit etc. quod hæc Novella vetat. Cetera pertinent ad *l. ult. §. Illud C. de temp. app.* Ex d. §. ult. appellator si litem apud judicem appellationis inchoaverit suo tempore, deinde destituerit, silentio anni vel ad summum biennii sententia prioris judicis ipso jure confirmatur: quod ita emendat *Nov.* 49. ut non solo tempore confirmetur, sed causa cognita et pronunciatione judicis ad quem appellatum est sub finem biennii instante eo qui vicit priore sententia. Hoc rursus ita recantat modo, ut appellatore, qui causam appellationis inchoaverat intra legitima tempora, quæ fatalia vocantur, destituente litem, expectetur tantum id quod superest petendæ reparationis temporis, quod est trium mensium, *l. 2. C. de temp. app.* tum deinde causa cognita recte et ordine, non præcipitanter de lite pronuntietur, non expectato vel observato fine biennii. Ex parte quoque victoris ei absit, appellator autem adsit, finitis fatalibus diebus procul dubio lis causa cognita definienda est, et quidem sine dilatione ulla. Adjicitur in hac *Nov.* ut judex a quo appellatur intra xxx. dies edat acta litigatoribus. quod est ex *l. Judicibus. C. de appel.* quæ lex adjicit, *Cum sua relatione.* Hæc Nov. *Cum sua subscriptione.* Subscriptiones non erant nudæ nominis appositiones, sed et is qui subscribebat, cui rei subscriberet adnotabat.

NOVELLA CXXVII.

De successione filiorum fratris, et de insinuatione donationum propter nuptias.

Ut Fratrum præmortuorum filii intestato succedant cum parentibus fratribusque defuncti, emendata *Nov.* 118. Ut donationes propter nuptias si excedant D. aureos ex parte mariti, sine insinuatione non parent ei æquale lucrum ex dote in casum mortis uxoris vel injusti repudii, ex parte uxoris ut valeant etiam sine insinuatione, *Nov.* 119. Ut conjunx superstes qui abstinet secundis nuptiis, extantibus liberis, in lucris nuptialibus veluti pro castitatis præmio habeat virilem portionem pleno jure, ut eadem sit viri pœna et uxoris qui auctor fuerit injusti repudii, quod exposuimus *Nov.* 22. et plerisque aliis locis. Igitur tota hæc Novella pertinet ad emendationem superiorum.

NOVELLA CXXVIII.

De exactione publicorum tributorum.

Initio cavetur, ut Julio vel Augusto mense apud acta præf. prætorio cujusque diœceseos insinuetur descriptio tributorum sequentis anni vel indictionis, atque inde edatur cuilibet postulanti, quæ

quidem declaretur quantum quamque provinciam vel civitatem inferre oporteat jugorum vel centuriarum nomine secundum morem regionis, in auro, argento, speciebus vel annonis, ut quæ etiam ad ærariam rationem æstimet species, quoniam plerunque collatoribus adærentur: item quæ declaret quid in arcam præfectorum inferendum sit, quid insumendum in militares vel alios usus. Mittitur hæc descriptio e præf. prætorio præsidibus in diversas provincias, *l. ult. C. de can. larg. tit.* Mittitur initio cujusque anni sive indictionis, et a præsidibus proponitur in singulis civitatibus. Significat autem hoc loco indictionem incipere a mense Septembri, *ut l. ult. C. de annon. et trib. l. 1. C. de mil. ves.* Hic ordo si non fuerit observatus, damnum fisco præstari a præf. Prætorio et præsidibus et tractatoribus cujusque provinciæ, provinciales ipsos nihil damni facere, si ignorantia descriptionis tributorum, modum legemque in ea adscriptam in tributis solvendis minime servaverint. Species inferendas esse statim initio indictionis, pecuniam divisis pensionibus. Quod sequitur, est de apochis publicis, qua forma fieri debeant a subscriptoribus publicorum tributorum. Ex his alias facit particulares, alias plenarias. Plenariæ sunt totius debiti apochæ generales. Eodem sensu forsitan plenaria dicitur in edicto de Alexandr. Gregorius plenariam munitionem dixit 4. Epist. Hic adjicit, *desiderantibus possessoribus censualem proferre debere tabulas publicas, ex quibus discant debitorum sive reliquorum modum:* quod et *Nov.* 17. cavetur, et congruit cum *l. 2. C. de discus. l. 4. C. de fide instr.* Sequitur ut possessores suo periculo non eomineat susceptores ecreriæ functionis, sed ut pro more regionis vel præsides vel curiales vel exactores, vindices, canonicarii, aurum quod infertur suo periculo suscipiant et transmittant vel erogent. Vindices Anastasius creavit, et opposuit iniquis exactionibus curialium, adempta curialibus exigendi facultate, ut Evagrius scribit: de quibus et *Nov.* 38. et *Nov.* 134. ut eis manum porrigant præsides et cohortales, et ut quibus in regionibus vindices non fuerint, exactionis periculum ad præsides redeat. Canonicarii, sunt palatini qui mittuntur in provincias ex scrinio canonum ad exigendos solemnes titulos fiscales, et mittuntur vel a Comite domorum aut præposito sacri cubiculi. *No.* 30 vel a Comite privatarum, ut est in formula Comitivæ privatarum Cassiodori, Canonicarios dirigis. Scriniarii dicuntur *Nov.* 134. 147. De his *Nov. Majoriani de indul. rel. Nunc canonicarios* (inquit) *superioris militiæ auctoritate terribiles, et in provincialium viscera et damna sævientes.* Et paulo post. *Ne ulterius canonicariorum venalis improbitas publicis fortunis inferat privatisque dispendium, veteri more revocato, provinciarum rectores celebrandæ exactionis summa respiciat.* De his etiam est *l. ult. C. de exact. trib.* ut post canonicarium in provinciam compulsor mittatur, quod hæc *Nov.* prohibet, abolito compulsorum nomine. Nam (ut Valentinianus ait in *Nov. de jud. rel.*) si utilis publico esse non potuit qui ante perrexit, superfluum est ire alterum æque provincialibus obfuturum. Sequens caput est περὶ ἐπιβολῶν .i. quando steriles agri fertilibus imponantur, quod onus fuisse τῶν ἐρήμων καὶ ἀπόρων χωρίων, et Justiniani tempore potissimum invaluisse, Suides scribit: qua de causa et multæ de eo Justiniani constitutiones novæ, ut 17. 166. 168. et hæc ea quibus observavimus quodam loco in definitione ἐπιβολῆς ab Harmenopulo tradita, pro ὁμοσκήνους. legendum esse ὁμοκήνσους. Et ὁμοκήνσους quidem vocat eos qui ex eis bonis, quæ simul in censum relata inveniuntur, prædia possident. Fieri enim potest ut bona quæ unius cum essent, tabulis censualibus juncta sunt, postea distrahantur in plures, ac tum si quod uni obvenit prædium forte deficiat, ne quid censui depereat, imponi debet alteri. Qua de causa in Codice post titulum de censibus datur titulus, De omni agro deserto, et quando steriles fertilibus imponantur. ὁμοδούλους vocat eos qui ex eis bonis quæ eidem domino serviunt, possident bona, quasi Conservos agricolas, ut Sozomeno ad finem nomi ὁμοδούλους τῷ ἀγρῷ, est Agricola qui eidem cum alio domino servit: et ad hos etiam defectorum desertorumque prædiorum onus redit, itemque ad ὁμοχώρους id est, ejusdem territorii possessores, ut dixi *Nov.* 17. Et hoc quidem capite Justinianus jubet ut ex eo tempore prædiorum defectorum tributa quis agnoscat, quo sibi prædia imposita fuerint, non præteriti temporis tributa, ut *l. ult. C. de censib.* licet alias possessor, puta qui emit, vel ex legali causa accepit, tributis præteritis obligetur, *l. Cum possessor. §. ult. D. de censib.* Et ut ea impositio, sive adjectio (vetus interpres superindictionem vocat) decreto fiat præsidis provinciæ, salvo provocationis remedio, et ut fiat cum omni jure suo, cum mancipiis et peculiis et pecoribus et fructibus et enthecis et omni alio instructo et instrumento agri. Enthecas Haloander dotes prædiorum interpretatur ex *l. 2. D. de instr. et instrum. leg.* id est, instrumenta et ferramenta agri causa reposita, *l. Si mihi mensa. §. ult. D. de leg.* 3. et Columella prima capite octavo, et ita Libanius, quicquid pecuniæ seponunt menseni, Atticos vocare enthecam. In lege Rhodia alio censu enthecs est onus impositum navi. Leontius in Joanne Eleemone, *Nauclerus emit enthecam*, id est, Oneravit navem emptis mercibus. Augustinus ad fratres in eremo, *Enthecam nobis habere non licet:* rationes afferens a se amissæ hæreditatis navicularii: e quibus et illa placebit quam priorem attulit, si fuerit emendata. *Naviculam* (inquit) *nolui esse Ecclesiam Christi*, legendum Naviculariam. Et paulo post, *Homines ad tormenta daturi eramus, ut de submersione navium secundum consuetudinem quæreretur:* quod postremum pertinet ad *l. 3. C. de naufr.* Instructi autem et instrumenti differentia nota est. Latior instructi appellatio, ut ecce, Pecora pascendi causa parata ut ex eis fructus capiatur, instructo continentur, non instrumento: suppellex instructo non instrumento. At hæc sciendum est, species illatas a provincialibus vel ad arcam præf. prætorio transmitti, vel consumi in provincia ipsa, et transmitti sumptibus provincialium, quas ἀγωγικὰ et παραπομπικὰ vocet, ut *l. ult. C. de discuss.* et pro eis quæ consumuntur in provincia ipsa, cum non transmittantur, nec absurde παραπομπικὰ exigi. Deinde constituitur ne exactores vel canonicarii missi in provincias, aliter admittantur quam si mandatum ut delegationem suam præsidi insinuaverint: quod confirmat *l. ult. C. de execut. et exact.* Et adjicit Justinianus idem servari oportere in privatis exactionibus, ut scilicet procurator creatus exigendi debitoris causa non aliter admittatur quam si judici mandatum insinuaverit: quæ fuit Sententia Placentini, de qua Accursius disputat in *l. Non solum. §. 1. D. de procur.* nisi contentus sit reus cautione de rato, vel nisi sit procurator ex eis personis, quæ etiam sine mandato alieno nomine experiri possunt: quod verissimum esse arbitror, et male Accursius hunc locum coangustat ad executorem rei judicatæ: et pro Placentino fortissimum argumentum dicitur ex *l. Exigendi. C. de procur.* Additur in hac Nov. ne exactor publicorum tributorum privatis exactionibus occupetur: id est, ne suscipiat procurationem alienæ litis, et ne debitorem debitoris publici aliter convenire possit, quam si debitor publicus solvendo non sit, *l.* 3. et 4. *C. quan. fis. vel pr. l. 3. §. Multa. D. de ju. fis.* Exigit debitorem debitoris fiscalis jure taciti hypothecæ. Excutit prius debitorem principalem, quia fiscus electionem non habet, *l. 1. C. de comp. deb. l. Moschis. D. de ju. fis.* Sequitur jus asyli non dari censualibus vel tabulariis adversus eos, qui de illorum fraude et malitia querantur in exactione tributorum: sicut vicissim et tributorum debitoribus dictum est jus asyli non dari, *Novel.* 17. Prohibentur clerigationes, ut *l. 4. C. de exec. et exa. l. 16. C. de om. agro des. Nov.* 52. et specialiter ne dominus pro colono vel adscriptitio suo conveniatur, ut *l. 4. C. de agr. cens. et col.* Prohibentur iniquæ mensuræ et pondera: qua de re est *l. 9.* et *l. ult. C. de suscep. l. penult. C. de defens. civit.* In *l. 9.* publice deponi jubentur: hac *Nov.* in æde sacra. Specierum mensuras et pondera tradi a præf. prætorio, auri, argenti, æris, a Comite largitionum: ex quo conjicere possis quid arcæ præfectorum, quid ærario inferri consueverit. Id quoque colligendum ex hac Novella, exactores publicorum tributorum etiam tractasse pecunias civiles, deputatas scilicet annonis civilibus vel operibus publicis, vel salariis professorum aut medicorum: nam et principes eas sibi quodam modo vindicabant, *l. 2. C. de pet. bon. sub.* sed non boni. Collectas autem pecunias jubentur statim curatoribus Reip. præstare sine ulla diminutione vel sportularum vel descriptionum specie, ut *l. ult. C. pub. let.* Curatores Reip. (qui et patres civitatum appellantur) et curatores operum, vel curatores emendi frumenti, quos σιτώνας appellant, creari decreto Episcopi et primorum civitatis, id est locupletiorum; ut *l. ult. C. ut nem. lic. in empt. sp.* Et sane tota hæc Nov. est veluti summa brevis et retractatio Constitutionum Codicis de jure fisc. et populi, sicut *Nov.* 123. *de episcopis et clericis, Nov.* 22. *de nuptiis ac repudiis.* Denique hæ tres Novellæ, veluti libelli tres. Hi porro administratores rerum ad civitates pertinentium rationem reddere debent episcopo et quinque primis civitatum, nec potest mitti discussor alius rationum (quem logothetam proprie Julianus vocat) a præf. prætorio vel comite largitionum, aut privatarum, vel præside: hoc enim sibi reservat princeps: quod etiam est ea *l. ult. C. de discus.* Et nominatim discussio harum rationum interdicitur scriniariis operum, qui scilicet erant sub præfecto prætorio, *l. ult. C. de num. act. et chart.* Cetera quæ continentur hac Nov. sunt de præsidibus provinciarum. Et hoc in primis, ne idem sit in provincia et præses et vicarius præf. prætorio vel magistri militum. Alii sunt vicarii præf. prætorio, alii magistrorum militum *Nov.* 26. Idem et de exactore publicorum tributorum cavetur, et generaliter ne vicarius præfecto prætorio ullus constituatur, nisi ex adnotatione principis expeditionis tempore ob negotium copiarum, quod repetitur *Nov.* 134. excepta Osroena provincia in Mesopotamia. Idemque præsidibus injungitur ne ullos sibi vicarios constituant, ut Nov. 8. in qua etiam quod in hac de non mittendis latrunculatoribus, et de 50. diebus, exposuimus. Quod vero præterea, ne præsides angariis aliisve muneribus provinciam onerent, idem est *Nov.* 17. 134.

NOVELLA CXXIX.

De Samaritis.

Lex *penult. C. de hæret.* Samaritas ait non absimiles esse Montanistis. In *Novell.* 144. eis exprobrantur sabbata: manarunt enim ex Judæis. Fecerat eos Justinianus intestabiles, et jura legitimarum hæreditatum, et rerum suarum administrationem quasi dementibus ademerat. Hac Novella restituit administrationem rerum et testamenti factionem et hæreditates legitimas, ita tamen ut si Samaritano intestato plures sint agnati ejusdem gradus, ex quibus alii sint Christiani, alii Samaritæ, Christiani Samaritas prorsus excludant, resipiscentibus portionem suam reddant, detractis fructibus medii temporis, ut *Novel.* 115. Testamento autem si plures sibi Samarita hæredes scripserit, alios Christianos, alios Samaritas, ut Samaritæ sextantis tantum capacitatem habeant, reliquum Christiani accrescat: nisi quis forte (inquit) Christianis ex eis bonis (quæ scilicet relicta sunt Samaritis) legata relinquat, quod ita declaro: Samarita duos filios habet, unum Samaritam, alterum Christianum; utrumque hæredem scribit ex æquis partibus. Non statur judicio defuncti (neque enim singuli semissem ferent) sed Christianus dodrantem habebit, Samarita sextantem. At finge, a Samarita, quam hæredem instituit ex semisse, pator Christianis legavit quantum efficit bes portionis ei adscriptæ, id est, ad finem unciarum quatuor. Hoc casu Samarita solidum semissem capiet, quod congruit cum judicio prudentum, qui

incapacem onoratum legatis capacibus præstandis non repellunt, *l. Cum ei qui. D. de leg.* 2. *l. Cogi.* §. *Hi qui solidum. D. ad Treb. l. Si fidei mea. D. de leg.* 3. loquuntur omnes de incapaci pro parte: nam is qui in totum incapax est propter legatarii aut fideicommissarii personam, non admittitur. Ille facilius solidum capit, quia non est omnino incapax. Accursio tamen idem et in eo qui nihil capere potest, esse statuendum videtur. Movetur *l.* 1. §. *Sed si legatum. Cod. si quis aliq. test. prob.* l. *Legatarius. D. de excus.* quæ de indigno sunt, non de incapaci. Indignus legatum capit propter fideicommissarium. Hæreditatem indigno eripit fiscus cum onere fideicommissi, fiscus lucratur quadrantem. Legatum non eripit, quia nihil lucraretur: id enim restitueret fideicommissario statim. Legatum autem in totum incapaci relictum, pro non scripto est, et apud hæredem remanet sine onere fideicommissi, quia et fideicommissum pro non scripto est, idemque in hæreditate juris est relicta incapaci. Transit enim in hæredem legitimum sine onere. Hanc autem Novellam postea Justinus successor Justiniani abrogavit *Novell.* 144. Fisco vocato, exceptis tantum agricolis Samaritis, quibus beneficium hujus Novellæ conservavit, ne cultura agrorum cessaret: quia et in successione eorum deficientibus cognatis, fisco dominum præferri voluit, qui et pro eis solet fisco tributa solvere, *l.* 4. *Cod. de agr. cens. et col.* Præterea Justinus interdicit Samaritis militia omni et curatione publica, ut generaliter omnibus hæreticis, *Novell.* 109. et advocatione et adsessura et rhetorices professione ac institutione adolescentum: et pœnam gravissimam irrogat Samaritis, qui post sacram lotionem redeunt in pristinum errorem: et inde quidem generaliter pupillorum et eorum qui non ita dudum facti sunt puberes, baptisma probat, etiamsi nulla præcedat catechesis, cujus nimirum capaces non sunt. Majores natu non admittit ad sanctum baptisma, nisi biennio auditores sive catechumeni fuerint: et in extremo decernit ut servus Christianus Samaritæ venditus, continuo liber fiat: quod et de vendito Judæis primus Constantinus constituit, auctore Eusebio. Constantius fisco vindicari voluit, auctore Hermia et Cedrino, et extat utriusque lex in Codice Theodosiano. In Justiniano Codice, si fuerit circumcisus, et rem gestam detulerit, hoc solo casu pro præmio delationis libertatem consequitur tit. *Ne Christ. mancip. hær. vel Jud. vel pag. etc.* in quo desideratur constitutio Græca, quæ idem constituerat de Christiano mancipio vendito hæreticis aut paganis. Legendus Gregorius Epist. 3. cap. 21.

NOVELLA CXXX.

De transitu militum.

Initio constituitur ut expeditionis tempore delegatores sint certi qui provideant annonæ militari. Delegatores vocat, quos Harmenopulus legatarios. Epit. 6. tit. 14 ex eparchicon libris, dum ad curam eorum pertinere dicit, ut eos qui in annonæ penuria invectas species supprimunt et flagellant, præfectis prætorio deferant, sicut ex libris βασιλικῶν idem ad finem 4. Epist chartulariis et tribunis sive prioribus numeri, quos solos nominaverat *Nov.* 117. adjungit legatarios, id est delegatores: hi sunt qui provideant copiis militaribus, Optiones qui erogant, *l.* 9. *C. de exact. trib. l.* 3. *C. de op. pub.* et in Basilicis ad *l.* 1. *D. de mun. et hon.* Optio militum pro divisione annonæ. His hæc *Novel* pro salario dat 15. partem copiarum, sicut et aliarum rerum susceptoribus certa pars datur, *l.* 9. *C. de suscept.* et adjicit eos collatoribus annonæ militaris recauta facere ,i. Apochas. Augustinus de cura pro mortuis: *Ubi esset recautum quo illa cautio vacuata fuerat.* Suidas, Recautum, species apochæ. Et sic dicemus Recavere pro cautionem solvere, ut Repignorare, pignus dissolvere. Cautio est obligatio: Recautio, obligationis dissolutio, quæ ut dixi *Novell.* 72. veteri interpreti est De suscepta, id est Securitas de suscepta pecunia, ut opinor, ex *l.* 4. *C. de col. fun. patr. lib.* 11. Et quod ex recautis apparuerit possessores contulisse, id eis reputetur in tributa quæ debent vel debituri sunt: vel redditur ex communi annone totius provinciæ, vel ex arca præfect. prætorio cujusque diœceseos. Et si forte optiones vel duces recauta non fecerint, tum apud episcopum et præsidem sive defensorem civitatis satis erit inter acta deponere possessores quantum in alimoniam exercitus impenderint: et actorum non minor erit fides quam recautorum. Nihil vero præterea milites aut fœderati a possessoribus exigere possunt vel cœnaticorum vel introituum nomine, vel quo alio titulo commentitio, *l.* 3. *C. de erog. milit. an.* nihil nomine ἐπιδημητικῶν, ut *Nov.* 134. *l. ult. C. de metatis*, nihil etiam adærationis nomine, id est pretii pro annonis, *l.* 7. *C. de erog. mil. an.* quam adærationem hæc *Nov.* ἀπαργυρισμὸν vocat, ut, *Nov.* 13. *Adærationem* debuit vertere, non *Concussionem* exactæ pecuniæ. De metatis .i. hospitiis præbendis militibus, hoc etiam cavetur hac Novella, ut principales partes ædium dominis sive inquilinis reserventur, ut l. 2. *C. de metat.* Et adversus violatores hujus constitutionis pœnas inducit non tantum de legatoribus, sed etiam militibus et metatoribus et præfectis, tribunis, comitibus, sive alio quo nomine vocentur duces exercitus. Coerceantur etiam præsides provinciarum, qui cum ducibus paciscuntur, et agunt ut itinere devio per diversas civitates exercitus evagetur. De fructibus conferendis ob transitum exercitus est *l.* 27. *D. de usufr.*

NOVELLA CXXXI.

De ecclesiasticis canonibus, et de fideicommissis, et orphanotrophis.

Hac Novella confirmantur canones sacri .i. quatuor synodi œcumenicæ, et prærogativæ, privilegia, salaria ecclesiis concessa, ut *l.* 2. *C. de sacros. eccl.* Confirmatur immunitas sordidorum et extraordinariorum munerum, inter quæ non numerantur instructiones reparationesque pontium vel itinerum, *l. pen. C. de priv. dom. Aug. l.* 5. et 7. *Cod. de sacr. eccl.* Confirmatur immunitas lucrativorum descriptionis quoties scilicet lucrativo titulo curialium bona ecclesiis obveniunt, *l. pen. C. eod.* Subjicitur et aliquid de præscriptione 40. annorum, qua sola tolluntur ecclesiasticæ actiones, ut *Nov.* 111. et de iis quæ legati vel institutionis titulo Deo aut divis relinquuntur, ex *l.* 25. *C. eodem.* cujus init. Ἐπειδήπερ ἐμπολλαῖς, etc. et alia quædam quæ exposuimus *Nov.* 5. 57. 58. Id valde placet, ut si quid testator jusserit fieri in rem piam, non adscripto loco, in ea civitate fiat in qua testator domicilium habuit: congruit enim cum *l. Quæ conditio.* §. *ult. D. de cond. et dem. l. Si quis ad declinandam. C. de episc. et cler.* Et ut eligat ministrum sive dispensatorem quem voluerit: quod et sæpe fit exequendi testamenti causa, *lege* 17. *D. de leg.* 2. *lege Divus. D. si cui plus quam per leg. Falcid. Novel. Martiani de test.* cl. *Nov. Leonis.* 68. et huic dispensatori præstatur cautio legatorum, *l. Quidam.* §. *pen. D. de leg.* 1. imo et legatorum petitio datur, *l. Nulli. C. de ep. et cl. l. Alio hærede. D. de alim. leg. l. Quidam.* §. *pen. l. Si a pluribus. D. de leg.* 1. Id etiam notandum coercet contumaciam hæredum qui piæ voluntati non obtemperant: et priorum legatorum usuras fructusque deberi ex tempore mortis: si in eis præstandis hæres sex menses moratus sit ab insinuatione testamenti, et Falcidiam eum amittere. Pœna hæc est contumaciæ et frustrationis: alioquin non frustrator hæres etiam ex legatis piis deducet Falcidiam: et ita Balsamo interpretatur rectissimo, *l.* 1. §. *Ad ea. D. ad leg. Falcid.* Id etiam valde notandum, ea quæ episcopi vel orphanotrophi et similes locorum piorum administratores post creationem acquisierint, non posse in extraneum vel cognatum ullo modo transferri, sed in dominio ecclesiæ permanere, quasi præsumantur parta ex rebus ecclesiæ, aut data sive relicta pietatis et religionis contemplatione potius quam personæ, nisi si quæ constet eis obvenisse cognationis jure ab intestato usque ad quartum gradum. Ex *l.* 41. *C. de ep. et cl.* a parentibus tantum aut fratribus aut patruis hæc sola videtur necessitudo et conjunctio personarum detulisse, cetera quæ ab ulterioribus cognatis vel extraneis obveniunt, religio et pietas. Et de hac quidem constitutione sic Cedrinus scribit in Justiniano, τύπον δὲ δέδωκε περὶ τῶν ἐπισκόπων καὶ οἰκονόμων καὶ ὀρφανοτρόφων καὶ ξενοδόχων, ὥστε μὴ κληρονομεῖσθαι εἰ μὴ ἃ πρὸ τοῦ γενέσθαι εἶχον ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει εἰς ταῦτα ἵνα διατίθενται· ἀφ᾽ ἧς δὲ ὥρας προεχειρίσθησαν, μὴ ἔχειν ἄδειαν εἰς ἃ κτήσονται διατίθεσθαι, ἀλλὰ τὰ αὐτῶν πάντα τὸν εὐαγῆ οἶκον κληρονομεῖν. Neque tamen huic præsumptioni locus est in clericis, sed observatur *l. Sacrosanctæ. C. de Episc. et cler.* Est igitur in episcopis tantum ei derogatum, quia soli episcopi solvuntur hodie potestate patris, et acquisita in episcopatu in alium transferre non possunt. Alio capite Justinianus confirmat *l. Si quis orthodoxæ. Cod. de hæret.* quod tamen ille fisco, Justinianus addicit ecclesiæ, sed hoc est indifferens, ut diximus *Novel* 52. Et plerumque novæ constitutiones ecclesiæ dant, quod veteres fisco, ut moriente episcopo vel clerico sine successore ab intestato, ecclesia succedit, non fiscus, *l. Si quis presb. Cod. de episc. et cler. Nov.* 131. delinquente episcopo, æque bona ejus ecclesiæ vindicantur, non fisco ex hac Novella. Ultimo capite confirmat *l. Orphanotrophos. C. de episc. et cler.* quod male Accursius existimat abrogari *Novel.* 123. Nam de orphanotrophis loquitur tantum, qui sunt tutorum vel curatorum vice, et in judiciis non satisdant de rato vel de judicato, sicut nec tutores aut curatores, *l. ult.* §. *Defensionem. C. de adm. tut. l.* 1. §. *Sufficit. D. eod.* quia dominorum loco sunt, et tamen tutelaribus vel curatoriæ rationibus obnoxii orphanotrophi non sunt, quia sunt patrum loco, *l. ult.* §. *Sin autem non habent. C. de bon. quæ lib. acq.* Orphanotrophi ergo orphanis tutelæ vel negotiorum gestorum actione non tenentur. Episcopo non negatur quin administrationis suæ rationem reddere debeant.

NOVELLA CXXXII.

De hæreticis.

Hæc Novella condemnat conventicula hæreticorum, ut *Nov.* 37. Collectas vocat interpres vetus, quod commune est nomen etiam precum quæ in conventibus illis habentur, ut concionis communis conventus et orationis in conventu habitæ.

NOVELLA CXXXIII.

De vita Monachorum.

De monachis diximus satis *Nov.* 5. et aliis plerisque locis supra.

NOVELLA CXXXIV.

De præsidibus, de adulteriis et pœnis.

Varia sunt capita hujus Novellæ. Priora de magistratus sive præsidibus: et quæ primum in eis de vicariis et latrunculatoribus, et de non onerandis provinciis, et de exactione tributorum, tractavimus jam satis superque supra *Nov.* 8. 17. 128. 130. Unus inter ea locus est, quo largitiones interpretatur ὑπεροχάς, id est *Magnificentias*, nisi legendum est παροχάς. Alius, quo sordes præsidum coercentur, qui ex qualibet re quæstum faciunt, sive quis testamentum suum sive

donationem propter nuptias insinuare valit: quæ ex parte viri indiget insinuatione, *Nov.* 117. itemque si quis velit inventarium bonorum aut testationem aliquam facere, vel apud acta aliquid deponere, vel justa defuncto facere: quæ ne pretio nundinentur præsides, hæc Novella sancit. Aliud caput est de appellationibus recipiendis, ut omnes judices eas recipiant, et sine dilatione edant acta litigatoribus. Atqui *Nov.* 126. edendis actis dat xxx. dies? Respondeo, Hæc verba, *Sine dilatione*, sic esse accipienda, sine dilatione frustratoria, ut l. 1. *C. de relat. l. Eos. §. ult. C. de appel.* Adjicitur interposita appellatione nihil novandum, id est, Suspendendam executionem sententiæ, suspendendam translationem possessionis. Idem servatur postulata restitutione in integrum, *l.* 1. *C. in integ. rest. post. ne quid no. fiat*, non etiam postulata retractatione. Alio capite cavetur ne ex causa criminali alius pro alio teneatur, licet sit concivis aut contribulis: nec mirum, cum et idem sit in causa civili *Nov.* 52. 128. Propinquos etiam reorum aut notos aut familiares non teneri proditum est, *l. Sancimus. C. de pœnis.* Bonorum Imperatorum constitutiones hæ sunt: nam sub malis ne propinqui quidem aut familiares reorum, satis tuti fuerunt. Absentem autem reum vocari edictis puta per triduum, *l. Inter. D. de pub. jud.* quemadmodum vocari etiam per triduum solet is cui denuntiatur testimonium ex xii Tab. Quin et præses ad præsidem alterius provinciæ in quam reus transfugit, publicam epistolam scribit, ut reum remittat, cui omnimodo parendum est: et fit etiam publicæ epistolæ mentio *Nov.* 80. Post hæc constituitur ut præsides jussiones principis vel præcepta majorum judicum missa ad decessores suos nondum impleta, impleant ipsi perinde atque si ad se missa essent: quia etsi mutetur præses, idem judicium idemque tribunal manet, *l. Proponebatur. D. de judic.* eademque ratione præcepta majorum judicum, veluti præf. præt. non ideo minus sequenda esse quod postea abierint præfectura, quia mutatur tantum præfectus, eadem præfectura manet. Et quod traditur in *l. ult. D. de pœnis.* speciale est ex constitutione Antonini, ut præses sua arte non possit cuiquam interdicere ultra administrationis suæ tempus. Quæ enim pertinet ad merum imperium, nisi sigillatim omnia lege dentur, magistratus non habet omnia ut præsidi jus est deportandi in perpetuum, interdicendi foro, advocationibus, negotiatione, negotiis publicis in perpetuum: jus confiscandi non est, jus victu interdicendi non est, jus item fabro arte sua interdicendi non est ultra tempus administrationis suæ. Nam dum arte interdicit, victu quodammodo interdicit. Non obstat etiam quod dicitur mandata jurisdictione, re integra finito magistratu, finiri mandatum, *l.* 6. *D. de juris.* nam hoc ideo, quia is cui jurisdictio mandata est, proprie jurisdictionem non habet nisi quatenus fungitur vice mandantis, cujus potestate finita, necessario finitur et sua: quod non similiter dicerim in judice dato. Nam hic solet etiam in tempus successorum ejus qui dedit, durare licet (quantum opinor) eum litigatores nondum adierint, l. *Venditor. in fi. D. de ju lic.* quia non ex jussu solo, sed proprio jure posteaquam datus est, cognitionem habet, et ita mandata actione ex causa venditionis quo casu et proprio jure mandatarius actionem habet, mandatum morte mandatoris non solvitur, *l.* 1. *C. de obl. et act.* Sequitur aliud caput de liberis debitorum, ne ob æs alienum patris a creditoribus detineantur et servire cogantur. Qua de re Ambrosius lib. de Tobia, *Vidi*, inquit *miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in actionem deduci, etc.* quod iisdem verbis Basilius in Psalm. 14. εἶδον ἐγὼ ἐλεεινὸν θέαμα, παῖδας ἐλευ. θέρους ὑπὸ χρεῶν πατρῴων ἑλκομένους εἰς τὸ πρατήριον. Et in illo loco Ambrosii igitur in actionem, id est, in auctionem. Idque generaliter prohibetur, l. *Ob æs. Cod. de obl. act.* ne liberi homines ob æs alienum creditoribus servire compellantur, et *hanc Nov.* pœna legis Juliæ de vi privata creditoribus indicitur. Aliud caput pertinet ad S. C. Vellejanum, quo ostenditur mulierem quæ pro marito intercesserit etiamsi eam intercessionem sæpius confirmarit, ipso jure non teneri: si pro alio intercesserit, ipso jure, teneri, sed habere exceptionem SC. Vellejani. Item si pro alio intercesserit, et post biennium intercessionem confirmaverit, omni modo teneri, *l.* 22. *C. ad Vell.* Quo facilius intercedit mulier pro marito quam pro alio, eo magis subvenitur ei: quod et supra jam attigimus *Nov.* 61. Aliud caput est etiam de mulieribus, ne ex debiti causa carcerem patiantur, custodiæve tradantur. Mares carcerem patiuntur, *l.* 1. *C. qui bon. ced. pos.* Quin et invitæ mulieres ab apparitore domo abstrahi et in publicum educi non possunt, *l.* 1. *C. de off. om. jud.* In causa criminali fidejussoribus committuntur vel juratoriæ cautioni vel si grave crimen intentatur, custodiæ mulierum. His addit de pœna adulterii se confirmare capitalem pœnam introductam a Constantino, et Constantino tribuit quod erat Constantii et Constantis, l. 4. *Cod. Th. quor. op. non rec.* Olim non fuit capitalis. Præter capitis pœnam, vir qui adulterium commisit, si uxorem habuerit, amittit dotem et donationem propter nuptias, vel quartam debitam indotatis uxoribus: cetera bona liberis et parentibus ejus servantur usque ad tertium gradum, post tertium gradum fisco vindicantur. Mitius punitur mulier, quasi infirmior, quæ adulterium commisit: quanquam inter se conjuges exæquentur in pœnis ob causam injusti repudii, *Nov.* 127. Coercentur et hac Novella gravissime adulter et adultera, si forte gratia judicis vel qua alia ratione evaserint pœnam capitalem, et postea nuptias inter se contraxerint. Hoc enim est palam fateri adulterium, et lege Julia etiam comprehensum fuit, l. *Miles. §. Licet. D. de adulter. l. Commissum. C. eod.*

Martialis,

Mœchus erat, poteras tamen hoc in Paula negare:
Ecce vir est, nunquid Paula negare potes?

Et alio loco:

Quid nubis Proculina concubino,
Et mœchum modo, nunc facis maritum.
Ne lex Julia te notare possit,
Non nubis Proculina, sed fateris.

Postremo generaliter de pœnis constituit, non posse ullum ita damnari, ut utraque manus vel uterque pes abscindatur, vel solvatur artus. Fugitivo unus pes amputatur, l. 3. *C. de serv. fug.* Falsario manus una, *Nov.* 17. 42. non utraque. Furi vetat amputari manum vel pedem, aut vitam adimi: Furi, non latroni: nam latroni vita adimitur. Reorum bona (nisi rei sint perduellionis) confiscari vetat, si supersint liberi vel parentes, usque ad tertium gradum. Quo capite non continetur casus *Nov.* 12. de incestis nuptiis, nec *Nov.* 117. de his qui post solutum matrimonium voto castitatis castitatem violant, quibus bonorum publicatio irrogatur. Scripta autem fuit hæc constitutio ad Petrum PP. et rescripta ad Monachium P. V. Et habet hanc subscriptionem. *Dat. Kal. Maj. CP. Imp. DN. Just. PP. Aug. an. xxx. post consulatum Basilii V. C. an. xv.*

NOVELLA CXXXV.

Ne quis cogatur cedere bonis.

Beneficium cessionis bonorum introduxit lex Julia. Beneficium est, quia etiamsi qui cedunt bonis, bonorum venditionem patiantur, *l. Debitore. C. ex quib. inf. irrog.* l. 3. et 5. *D. de ces. bon.* l. 2. et 4. *C. qui bon. ced. pos.* tamen infames ex ea causa non fiunt: quia non invitis illis venditio fit. Non tamen caret hæc res suggillatione aliqua, *Nov.* 4. propterea quod decoquunt creditoribus, cujus generis homines Adrianus in amphitheatro catamidiari jubebat, ut plerisque locis hodie fit in foro: et Bœotiis fuisse eandem legem Nicolaus apud Stobæum auctor est c. 42. Lex Roscia cum cavisset ut equites in xiv. ordinibus sederent, exceperat decoctores. Et hanc omnem contumeliam pati cedendo bonis decoctores cogebantur metu carceris et vinculorum et verberum: quæ supplicia proposita erant iis qui creditoribus suis satis non facerent, *l.* 1. et *ult. C. qui bon. ced. pos. l. C. Th. eod. tit.* Verum eos qui non suo, sed fortunæ vitio decoxerunt, hac Novella Justinianus liberat tam suppliciis quam cessionis necessitate, dummodo jurent se pares non esse solvendo, id est, si ejurent bonam copiam. Quod congruit antiquo juri. Cum enim ex XII. Tab. olim debitores creditoribus necterentur et addicerentur, id antiqua lege sublatum fuit, relata a M. Varrone, et liberati sunt qui bonam copiam ejurassent, ne essent nexi, sicut hac Nov. qui ejurant bonam copiam, id est se non esse solvendo, liberantur carcere cruciatuque omni corporis, imo et cessionis ignominia. Sed creditoribus pro extremo subsidio datur jus quantum potuerint bonorum debitoris conquirendi et vindicandi, et conveniendi etiam debitores debitoris.

NOVELLA CXXXVI.

De argentariorum contractibus.

Argentariorum officium omne quod alibi exposui, hic exponam incuriosius. Id enim notare satis habebo, eorum officium publicam causam habere, *l. Argentarius. D. de eden.* et necessarium usum, argum. *l. Quod privilegium. D. depos.* quod singulorum rationes conficiant, *l. Prætor. D. eden.* ut pro aliis vulgo intercedant, ut *edic.* 9. et *l. pen. C. de const. pec.* intercedunt suo quodam modo recipiendo, ceteri constituendo et major vis recepti quam constituti. Nam ex recepto, est civilis actio, ex constituto, prætoria: et utilior prætoria civilis, *l. Si creditori. D. de leg.* 1. Item ceteri qui intercesserunt pro aliis non conveniuntur inexcusso reo: argentarii (si hoc malit creditor) priores conveniuntur, *Nov.* 4. idem vicissim non dabatur argentariis, ut ipsi (si vellent) prius convenirent accessiones quam reum principalem: quod erat inæquabile, atque adeo contra jus. Par enim species est juris certa consuetudine recepti: et (ut ait Paulus l. 2. *D. mand.*) iniquum est non esse mihi cum illo actionem si nolit, illi vero, si velit, mecum esse. Qua de causa Justinianus hac Novella id ita moderatur, ut ex pacto argentariis quoque, si velint, liceat prius accessionem quam reum principalem convenire. Pactionem hanc non esse contra jus publicum, sive contra *Nov.* 4. Ea enim constitutio accessionum favore promulgata est. Licet autem suo favore suoque jure cuilibet non uti. Et ut publicam ea constitutio utilitatem omnino respicerat, tamen probatur nunc pactio contraria, ut hodie comprobata est pactio contra legem Falcidiam, et pactio ne liceat provocare vel observare tempora fatalia. Et hodie illis pactio recepta etiam est in omnibus creditoribus, et appellatur vulgo, Renunciatio beneficii excussionis. Secundum caput hujus Novellæ pertinet ad *l. ult. C. de pig.* ex qua lege si argentarii rogaverint aliquem mutuam pecuniam, et post eum contractum militiam aliquam ex genere earum, quæ vendi possunt, sibi vel liberis vel cognatis suis comparaverint, ea militia creditori hypothecæ jure obligata est, quia præsumitur comparata ex pecunia credita. Et idem vicissim *hac Nov.* datur argentariis, ut si pecuniam alicui crediderint, et is postea sibi vel liberis suis vel cognatis militiam comparaverit, sit ea militia argentariis pignori obligata. Nihil de cognatis dicit hæc Novella, sed Julianus perita adjecit cognatos ex d. l. ult. Eodem præsumptio non

cet si post mutui dationem estraneus debitor emerit militiam. Nec enim videtur eam emisse ea pecunia credita, nisi creditor probet emptam sua pecunia, id est, ea quam credidit. Priore caso creditor hoc probare non cogitur quia præsumptio legis ab eo facit, sed is qui militiam habet, probare debet militiam non esse comparatam ea pecunia credita. Dixi militiam hypothecæ obligatam esse. Quæres, sit ne obligata tacito jure, an ex conventione? Dicam, Ex conventione usitata argentariorum et negotiatorum, qua empta ex pecunia credita, pignori fore recipiunt, *l. Qui Romæ* § *Callimachus. D. de verb. oblig. l. Cum tabernam D. de pign.* Et hoc est quod ait *d. l. ult.* Super hypotheca quas dare solent: alioquin res, ex pecunia credita comparata, creditori non est tacito jure obligata, et specialis vel generalis conventio exigitur, *l. Licet. C. qui pot. in pig. hab. l. 17. C. de pign. l. Procuratoris.* §. *Plane. D. de trib. act.* Idemque tertio capite comprobatur, cujus sententia hæc est: Argentarium cujus pecunia res comparata est, si specialis conventio hypothecæ intervenit, in ea re præferri omnibus creditoribus, etiam antiquioribus: quod et in alio quolibet locum habet, *d. l. Licet. Nov* 97. Sed probare debere argentarium, eam rem pecunia sua comparatam, nec locum esse præsumptioni, ut in militia. Hoc tamen argentarii præcipuum habent, ut si (quod plerumque fit) egentibus non pecuniam mutuam dederint, sed mobilia vel ornamenta quædam pretiosa crediti vel venditionis nomine fide habita de pretio, nec eis satisfiat, jus habeant vindicandorum mobilium, licet de hypoteca nihil convenerit: quod non ita fiat in ceteris creditoribus: nam hoc tantum proditum est, venditorem retentionem habere quasi pignoris, *l. Julianus.* §. *Offerri. D. de act. empt. l. Hæreditatis. D. de hær. vend. l. Quod si nolit.* §. *Idem Marcellus. D. de ædil. edic.* non vindicationem. Sed et tacitam hypothecam argentarii habent in bonis debitoris, etiamsi non ex hac Novella ex edicto septimo. At in rebus sua pecunia comparatis, si forte ad alios res pervenerint quam ad debitorem, non habent hypothecam, nisi ita convenerit. Hoc etiam habent præcipuum argentarii, ut liceat eis stipulari besses usuras, *l. Eos. C. de usuris.* Et ex hac Novella ut debeantur eis besses, etiamsi earum modus dictus non sit, quod in aliis locum non habet, *l. Quod in stipulatione. D. de usuris.* Et ut sine stipulatione debeantur ex præscriptione et conventione sola, quod etiam in aliis non procedit. Neque hoc novum est, cum et ex pacto stricto judicio debeantur usuræ pecuniæ trajectitiæ et pecuniæ civitis, et earum rerum quæ mensura constant: imo et interdum sine pacto αὐτομάτως ut *l. 3.* §. *Nonnunquam. D. de usur. l. ult.* §. *Præterea. C. de jure dotium*, ut in actione ex testamento: quamvis et hæc sit stricta. Postremo datur hoc privilegium argentariis, ut eis agentibus debitores qui quid se debere caverunt vel publico instrumento vel chirographo vel subscriptione propria, non possint opponere exceptione non numeratæ pecuniæ: idemque verum est, etiamsi cautione ab alio scripta expressa causa debiti, veluti ex causa mutui tot, ex causa transaction a tot. (perperam Haloander acceptilationis) in subscriptione non sint repetitæ causæ, id est, si nuda subscriptio fuerit: quo tamen casu dat Justinianus debitori facultatem actori deferendi jurisjurandi intra biennium contra *l. In contractibus* § *Illo videlicet C. de non num. pec.* quæ quibus casibus cessat exceptio non numeratæ pecuniæ, etiam cessare vult dilationem jurisjurandi.

NOVELLA CXXXVII.

De Episcopis et Clericis.

Repetuntur quædam ex iis quæ dicta sunt *Nov* 6. et 123. de creatione Episcoporum et clericorum: et utitur in eam rem auctoritate Gregorii Nazianzeni in magno apologetico de fuga sua in Pontu, et in oratione funebri Athanasii Alexandrini episcopi, et Basilii can. 12 ad Amphilochium, et Nicenæ Synodi c. 3. qui est de extraneis mulieribus, de quibus et *Nov.* 123 et *l. Eum qui probabilem. C. de episc. et cler.* Repetitur etiam ex *Nov.* 123. de synodis quotannis habendis finitimorum episcoporum in provinciis singulis, disciplinæ ecclesiasticæ tuendæ et corrigendæ causa, quod est ex Apostolorum c. 37. et Antiochenæ c. 20. et hujus rei curam injungit præsidibus provinciarum.

NOVELLA CXXXVIII.

Ne usuræ excedant duplum.

Usuræ solutæ per partes supra duplum non debentur: hoc exposui *Nov.* 121. Interpretatio principis vim legis obtinet, *l. Ex facto. D. de vulg. subst.* Hanc edidit Anton. Augustianus, sed corruptam: nam uno loco legendum est, *Alii adhuc minus consecuti sunt, hi quidem qui in duplum ex usurarum quantitate, etc.* et in fine, *quæ civitates mutuantur*

NOVELLA CXXXIX.

Indulgentia incestarum nuptiarum.

Pœna incestarum nuptiarum definitur *Nov.* 12 cujus gratiam facit *hæc. Nov.* habitantibus in Tyro et Sundyos pago. Quod quidam hic habent de appellationibus, ut omnes judices appellationes recipiant, et acta edant litigatoribus, et ut pendente appellatione nihil novetur, sumptum est ex *Nov.* 134. et hoc loco locatum male.

NOVELLA CXL.

Ut consensu solvatur matrimonium.

Hæc Novella est Justini, non Justiniani Justinianus enim noluit nudo utriusque consensu matrimonia dissolvi. *Nov.* 117. Justinus permittit bona gratia ut dissolvantur etiamsi nulla subsit causa. Communis consensus, est bona gratia. Dicuntur tamen et justa ex causa dissolvi bona gratia, ut dixi in *Nov.* 22 eadem forma qua Titinnius, Quanta stultitia cupidinis, petunt consilium bona gratia ut parvifaciatur.

NOVELLA CXLI.

De stupro.

Stuprum vocat ἀνδρομανίαν, quæ coercetur etiam *Novel.* 77.

NOVELLA CXLII.

De iis qui eunuchos faciunt.

Constituitur in eos pœna qui eunuchos faciunt, quam corrigit Leo *Nov.* 60. Castrati servi, liberi fiunt ex hac Novella, qui ex *l. C. de eunuch.* publici fiebant, videlicet si suos quis castrasset: nam si alienos, dominis redduntur, et est in eum qui castravit actio in quadruplum, ex edicto ædilium, *l. Si servus servum.* §. *Et si puerum D. ad leg. Aq.* Vetus autem hæc est Constitutio, ne eunuchi fiant, Nervæ, Adriani, Domitiani, de qua præter alios auctores Papinius,

Qui fortem vetat interire sexum,
Et censere prohibet mares adultos
Pulchræ supplicium timere formæ

Sunt et eadem de re S. Consulta quædam, *l.* 3. et 6. 9. *D. ad leg. Cor. de sic.* quibus omnibus hæc exceptio applicatur, Nisi præses permittat, et nisi morbus irrumpens in eam partem hoc exigat. Quod autem in extremo hujus Novellæ Justinianus ait, Si barbari huic præcepto meo paruerunt statim, et de Abasgis esse intelligendum Evagrius indicabit 4. c. 22. et Procopius 1. de bel. Pers. A'νακρίσεις) Cognitiones: ut cognitiones propriæ de statu.

NOVELLA CXLIII.

De raptu mulieris.

Hæc Novella pertinet ad interpretationem *l. Unicæ C. de rap. mul* ex qua raptoris bona raptæ addicuntur, et interdicitur raptæ connubio raptoris. Inde orta quæstio est, si forte contra legis interdicta nupserit mulier raptori, an eo etiam casu raptoris bona ad eam pertineant. Et placet non pertinere, sed neque ex testamento raptoris quicquam capere potest, et bona transferuntur ad parentes raptæ qui nuptiis non consenserunt, vel his deficientibus ad fiscum Idem cavetur *Nov.* 150. et patrem deportari, qui hujusmodi nuptiis consenserit. Olim raptor cum rapta nuptias faciebat in pœnam, ad raptorem uxore per lictorem deducta, ut Quintilianus ait, quod et Pontifices reduxisse videntur. Male pro hac *Nov.* hic edunt quidam quod est *Novel.* 145. Est autem hæc Constitutio latine, cujus subscriptio hæc fuit, *Dat xv, Kal. Jun.* CP. *Imp.* DN. *Just* PP. *Aug. ann. xxxvi. post.* Cos. *Basil* VC. ann. XXII.

NOVELLA CXLIV.

De samaritis.

Hæc est Justini, quem exposuimus supra *Nov.* 129.

NOVELLA CXLV.

De duce vis arcendæ.

Βιοκωλύτης speciale fuit nomen ducis in Phrygia, Pisidia, Lycaonia, Lydia, ut diximus *Nov.* 8 a compescendis violentiis et grassationibus, quæ in eis provinciis erant nimio plures: militaris magistratus Ex hac Novella imperium ejus minuitur, et Lydia ac Lycaonia circumscribitur, quasi, cessantibus jam in Phrygia et Pisidia grassationibus, in his provinciis minime necessarius. Phrygiam sæpe in his libris duplicem facit, Salutarem et Pacatianam, atque etiam Notitia Romani Imperii: onde satis liquere poteat de subscriptione primæ epistolæ ad Timotheum, recentiorem eam esse.

NOVELLA CXLVI.

Ut Hebræi legant scripturas Hebraice.

Quacunque lingua legi vult sacros libros, nec probat versutiam Judæorum, qui quo facilius linguæ Hebraicæ ignaris imponerent, non aliam quam Hebraicam linguam recipiebant. Non tamen quam-

libet translationem probat, ut Græca lingua (cum essent translationes octo, quæ vocarunt βιβλία ὀκταπλᾶ) interpretationem tantum probat LXX. et interpretationem Aquilæ. Δευτερώσεις damnat, id est (ut Hieronymus variis locis interpretatur) Traditiones et observationes Pharisæorum, Judaicas fabulas, hæc Novella hominum inventiones. Damnat et impias hæreses Judæorum.

NOVELLA CXLVII.

De indulgentia reliquorum tributorum.

Recte, Indulgentia Marcellinus XVI. *Id eum scimus observasse ut per indulgentias quas appellant, tributariis res concederet reliqua.* Ab indulgentiis diversæ sunt relevationes: hæ futurum, illæ præteritum tempus respiciunt. Atque ita hoc loco Justinianus collatoribus remittit reliqua certorum annorum, sub hac conditione tamen, ut et a fisco vicissim ex præterito tempore nihil exigatur, maxime ab iis qui sportulas potius (quæ plerumque nullo merito accipiuntur) quam quod jure meritoque debetur exigunt. Sed ex præterito (si quis forte jam exacta sunt) ea non vult exactorum lucro potius quam fisco cedere. Provincialibus enim reliqua indulget, non exactoribus: et consequenter ea etiam non indulget quæ tractatores provinciarum vel scriniarii, id est, canonicarii vel arcarii, fisco jam confessi sunt, vel constituerunt se soluturos. Et arcarios eos vocat, qui his exigendis recipiendisque præpositi sunt, quæ in arcam præf. prætorio (quæ eadem et mensa dicitur) inferuntur, ut in tit. *de suscept. et arcar.* Alias arcarii sunt dispensatores servi vel œconomi, *l. Thais. §. ult. D. de fid. lib.* Et perite vetus interpres epistolæ ad Romanos œconomum, arcarium. Excipit etiam Justinianus ab hac indulgentia discussiones pecuniarum civilium, et operum, et discussiones militares, id est, si quid civitatum commodis vel militibus deputatur, nec erogatum est. His exceptis, cetera omnia remittit, etiamsi ex publico forte debito in privatam cautionem transierint emissam curialibus vel canonicariis vel similibus personis.

NOVELLA CXLVIII.

De reliquis.

Quam præcedit indulgentia, est Justiniani: hæc indulgentia Justini Curopalatæ.

NOVELLA CXLIX.

De Præsidibus.

Hæc quoque Novella est Justini ejusdem, ut creentur præsides sine ullo impendio, cautione fisco præstita tributorum nomine, ut *Nov.* 8. 134. et ex nominatione episcoporum cujusque provinciæ et principatium possessorum: et ut si præsidem sibi non nominaverint et optaverint, de eo quem princeps miserit, querelam instituere non possint. Commendat et tributorum illationem sine ullo personarum domorumve delectu.

NOVELLA CL.

De ea quæ raptori nubit

Hæc confirmat sanctionem *Nov* 143.

NOVELLA CLI.

Ne decurio vel cohortalis in judicium vocetur sine jussione principis insinuata præfecto prætorio.

Inter alia privilegia decurionum, hoc unum est, ne ex una provincia litis causa trahantur in urbem vel in aliam provinciam. *Nov.* 45. quod non tam ipsis datur quam Reip. cui dant operam. Idem hæc Novella dat cohortalibus, eadem ratione, quia perpetui erant in provinciis sicut decuriones, *l. Præsidis. C. de reb. cred.* Utrisque sub hac conditione, nisi evocentur jussione sacra simul ac præfecti prætorio. Cohortales dicimus officiales præsidum, ut in tit. *de cohortal.* et passim in Constitutionibus. August. in Evangelium Joannis, *Cohors non Judæorum, sed militum fuit*: a præside itaque intelligatur accepta, tanquam ad tenendum reum, servato ordine legitimæ potestatis.

NOVELLA CLII.

Ne sacræ jussiones de publicis causis valeant sine approbatione præfectorum prætorio.

Joannis præfect. prætorio Orientis suggestio superiorem Novellam extorsit, de insinuanda in judicio suo sacra jussione, qua decuriones vel cohortales extra suam provinciam avocantur litis causa. Ejusdem suggestio efficit ut insinuari etiam in judicio ejus voluerit Justinianus sacras jussiones de publicis causis, veluti de operibus publicis: alioquin irritas esse.

NOVELLA CLIII.

De infantibus expositis.

Ut infantes expositi, liberi fiant, videlicet si eos dominus exposuerit, quemadmodum de spadonibus et de circumcisis dictum est *Nov.* 120. 142. Nam si alienum quis servum exposuerit, domino reddendus est. Id vero apparet argumento ægrotantis servi quo utitur quem si dominus ejecerit, nec curaverit, dominium et patronatum amittit, servus fit Latinus ex Constitutione Claudii, civis Romanus ex Constitutione Justiniani, *l.* 2. *D. qui sine man. ad. lib. per l. ult. C. de bon. lib l. Unica. §. Sed scimus. C. de lat. liber. tol.* Expositus a Græcis appellatur ἀπορριπτὸς *ad d. l.* 2. ideoque apud Harmenopulum lib. 1. tit. ult. perperam ἀπρονόητος definitur esse furiosus et demens: nam certe furor non liberat servitute. Non possunt etiam expositorum educatores, eorum dominium sibi vindicare *l. ult. C. de infant. exposit. et de iis qui sanguin. nut. accep.* ubi infantes recens nati, sanguinolenti vocantur, ut *l.* 2. *C. de pat. qui fil. dist.* Donatus in Andriam, A matre sanguinolentum non pulchrum, sed scitum pronuntiat Juvenalis, *A matre rubentem.* Prudentius contra Symmachum, *Quos sanguinolentos edendi mos juvat.*

NOVELLA CLIV.

De his quæ in Osroena incestas nuptias contrahunt.

Osroenæ et Mesopotamiæ provinciis hæc Novella Justiniani et tertia Justini in præteritum incestas nuptias indulgent contra generalem definitionem, *Novell.* 12.

NOVELLA CLV.

Ne matres tutelæ rationibus obnoxiæ sint.

Matres, quæ tutelam aut curationem gesserunt filiorum, rationibus reddendis obnoxiæ sunt, præsertim si iterum nubant, Nov. 22. at adversus eas potest peti restitutio in integrum: hic enim casus secundarum nuptiarum excipiendus est a *l. ult. C. qui et adv. quos in int. rest. non poss.* Regulariter anecloigistæ sunt, et non possunt adversus eas liberi petere integri restitutionem hoc colore quasi minores liberos in administratione rerum circumscripserint. Unus est locus, quo secundum Haloandri interpretationem est ea lege cavisse ne tutores filiorum suorum aliter tutelam suscipiant quam si apud acta caverint etc. at intelligit *l. ult. §. Personis. C. de adm. tut.* Sed male Haloander vertit, Filiorum suorum, cum in Græco sit, pupillorum, non filiorum: nam a patre cautio sane non exigitur.

NOVELLA CLVI.

De sobole cum colonis partienda.

Si adscriptitia mea tuo adscriptitio nupserit, et liberos procreaverit, quæritur utrum patrem liberi, an matrem sequantur, id est, tuo an meo dominio subjecti sint. Et ex *Nov.* 162. quæ hanc tempore præcessit, soboles dividitur in æquales partes si pari numero constat: ut si duo sint filii, unus sequitur matris dominium, alter patris: et electio fit sorte vel micando, ut in aliis plerisque causis, *§. Optionis. Inst. de leg. l. Sed cum ambo. D. de judic. l.* 2. *C. quand. et quib. quar. pars. deb.* at olim in dandis judicibus, et in dijudicando utra pars deberet prior dicere. Si unus tantum nascatur filius, matrem sequitur, et generaliter, si impar fuerit numerus, qui superat, matrem sequitur. Id hæc Novella confirmat.

NOVELLA CLVII.

De colonis qui in alienis prædiis nuptias contrahunt in Mesopotamia et Osroena.

Hæc Novella pugnare videtur cum superiori, quia liberos natos utroque parente adscriptitio, vult patrem sequi, non matrem: et matrimonium a domino adscriptitiæ non dirimi: sed de præterito tempore loquitur, non de futuro, et de Mesopotamia tantum et Osroena, provinciis diœceseos Orientis.

NOVELLA CLVIII.

Ut jus deliberandi etiam impuberes transmittant.

Sciendum est impuberem, per se hæredem existere matri delata hæreditate vel petita bonorum possessione, tutore auctore, si excesserit infantiam, *l. 1. C. ad Tertul.* infantem per se adire, vel bonorum possessionem petere non posse, per tutorem posse: atque ideo si delatam infanti hæreditatem matris tutor non adierit, vel si bonorum possessionem non petierit, et infans interim decesserit, non transmitti eam hæreditatem ad hæredes infantis, sed in eam vocari eos qui

vocarentur, si hæreditas infanti delata non fuisset, *l. Si infanti. C. de ju. delib.* Cui videtur obstare *l. Cum in antiquioribus. eod. tit.* quæ generaliter definit, hæredem post delationem hæreditatis habere annum ad petendam deliberationem, et intra eum annum decedentem transmittere arbitrium deliberandi in hæredes suos. Itaque (sicut hæc Novella declarat) ne pugnet *d. l. Si infanti*, dicemus, eam non habere locum, nisi infante decedente post annum, quo casu jus deliberandi non transmittitur in hæredem infantis. His cognitis, ponamus speciem de qua quæritur in hac Novella. Decessit mater relicta filia impubere, quæ et patrem jam ante amiserat: deinde post mortem matris intra annum deliberationis, nondum agnita hæreditate matris filia decessit relictis avunculo et amita. Quæritur an hæreditatem matris transmiserit ad hæredes suos, et quos habeat hæredes. Inciderat hæc species ante Nov. 118. quæ non pertinet ad præterita, et hoc est quod sit in hac Novella, hanc speciem esse antiquiorem eo die, ex quo ea 118. Novella valere jussa est. Nam legendum hoc loco τῆς ἡμέρας, non τῆς ἡμέρας. Debuit ergo species decidi secundum jus vetus. Tractemus tam novo quam veteri jure uti decidi debeat. Jure veteri huic filiæ ab intestato hæres est amita sola, excluso avunculo: quia agnata præfertur cognato, et in eam filia transmisisse censetur hæreditatem matris, quæ decessit intra annum deliberationis. Jure novo huic filiæ ab intestato hæredes sunt amita et avunculus ex æquis partibus, confuso agnatico et cognatico jure, et in eos filia censetur transmisisse hæreditatem matris, quia decessit intra annum deliberationis: et ad *l. Si infanti*, respondendum est, eam locum habere post annum.

NOVELLA CLIX.

De substitutione facta in familiam morientis, usque ad quotum gradum valeat.

Species de qua hic tractatur est hujusmodi. Testator filios hæredes suos alienare prohibuit certa prædia, quæ jussit eos conservare filiis, si quos gignerent legitimos vel naturales: quod si quis eorum decederet sine liberis, ei verbis precariis substituit fratres superstites, et interdixit ne de ea re sibi invicem caverent, ut Constitutio Marci permittit, l. 2. *C. ut in pos. leg.* Postea codicillis suburbanum quoddam, quod testamento adscripserat Constantino uni ex filiis suis, legavit nepoti ex eo nato cum navibus prætoriis et scalis et jure omni, cum emancipatus esset, interdicta alienatione extra familiam tam ei quam successoribus ejus, eique substituit Constantinum patrem, si nepos prior decederet sine liberis legitimis. Scalas vocat trajectus maritimos, ut l. 7. *C. de aquæductu.* Sive portus aut stationes navium auctore Moschopulo περὶ σχεδῶν. Alciatus perperam Cornucula. Prior decessit Constantinus, et omnia bona paterna transmisit in filium, nepotem testatoris. Hic quædam prædia alienavit extra familiam: suburbanum illud moriens reliquit filio suo .i. pronepoti testatoris, et hic rursus pronepos id reliquit abnepoti, eique si impubes decederet, substituit extraneos matrem et uxorem. Existente conditione substitutionis extranei vindicant hæreditatem. Contradicit propatruus, .i. frater Constantini, quasi in eis bonis præferendus ipse sit ex voluntate testatoris, qui noluit ea bona de nomine suo exire. Refellitur ab extraneis hoc pacto. Testator in infinitum non prohibuit alienationem extra familiam, sed consulere tantum voluit filiis et nepotibus, dum cavit ut filii bona conservarent liberis suis, vel si sine liberis decederent, fratribus. Frater tuus Constantinus non decessit sine liberis: et in infinitum quidem prohibuit alienationem suburbani, sed cucurrerat jam id per quatuor gradus familiæ defuncti id est, usque ad abnepotem eumque impuberem: hoc satis esse. Nihil igitur juris ex causa fideicommissi in eis bonis habes. Refellitur et hoc argumento: Tu ex bonis tibi a patre relictis sub eadem prohibitione quædam alienasti, tibi præjudicasti, quia et ipse voluntati patris non paruisti, *l. Quoties ab omnibus. C. de fideicom.* l. *Cum pater.* §. *Libertus. D. de leg.* 2. Justinianus judicat contra fratrem pro extraneis: Nam generaliter definit interdicta filiis alienatione sub hac conditione, Si sine liberis decesserint, natis liberis finiri prohibitionem, et nepotes posse bona extra familiam alienare. Quia et prohibitionem factam in infinitum, et substitutionem precariam ei adjunctam, ut oportet, ne sit nudum præceptum, qualis fuit prohibitio scripta in codicillis, non debere extendi ultra quartum gradum, maxime cum a quarto gradu vocentur in ea bona mater et uxor, quæ non omnino videntur esse extra familiam, cum et nurus numeretur in familia ex *l. ult. C. de verb. signif.* et etiam maxime quod omnes, qui erant ejus familiæ, vendiderint ex eis bonis, atque adeo quasi mutuo consensu precariæ substitutioni renuntiaverint, *d. l. Quoties*: dico, maxime, ex abundanti. Nam et his detractis, generaliter ea hac Novella constituendum est, prohibita alienatione extra familiam, et ex ea causa vocatis iis qui sunt ex ea familia jure fideicommissi, fideicommissariam substitutionem non extendi ultra quartum gradum, videlicet si extraneos extiterit hæres per medium impuberem, ut mater per abnepotem in pupillari ætate decedentem in proposita specie, quæ est summa hujus Novellæ non temere extendenda ad omnes species. Nam etiamsi priora quæ dixi detrahas, non est tamen detrahenda hæc adjectio, Si per medium impuberem extraneus extiterit hæres, quæ non magnam rationem habet: nam jus ita est, ut liceat in infinitum substituere. Et videtur hæc Novella ex earum numero esse, quas Harmenopulus Tribonianum composuisse narrat, obscure et ambigue pecuniis corruptum, ut et Nov. 2 et 106, et recantatæ pleræque.

NOVELLA CLX.

De pecuniis et usuris civitatum.

Usuræ supra duplum non debentur, *Novell.* 121. 138. Sidonius Apollinaris: *Usura centesima est, quæ per bilustri producta tempus modum sortis ad duplum adducit.* Recte, per bilustra tempus: nam si sors fuerit C. decennio usura centesima eum producatur ad cxx. et utique producitur ad c. quod est duplum: et vero jure nonnisi ad c. decennio producitur, 20. usuræ non accrescunt, sed sorti soluta imputantur. Duplum idem paulo post vocat medietatem. Superpositam (inquit) medietatem, quæ per usuræ nomen accrevit. Alia est causa reditaum, alia usurarum. Reditus enim supra duplum debentur, ut in specie hac Novella proposita, in qua pro reditu habet, quod vere judicantibus usura est. Quamobrem et hanc forsitan ambitiosis Tribonianus Novellis aliquis adnumeraverit. Fateor reditum ædium aut fundi duplo non finiri: reditum pecuniæ duplo finiri ajo. Nihil enim aliud esse reditum pecuniæ quam usuram, *l. Titius. D. de præs. verb. l. Alumno. D. de adim. leg.* nec posse constitui vere, usuram esse, Si me tibi mutuam sortem dare rogaveris, et ei quot mensibus certam in summam superadditurum esse caveris: reditum esse: Si ego te sortem accipere rogavero, et mihi quotannis pro ea certam pensionem inferre, quoad omnis soluta mihi et reddita esset. Nam et hoc genere pecuniæ mutua fit, et fœnori collocatur, *l.* 10. et 11. *D. de reb. cred.* Sed nec supra duplum usuræ hoc genere contractæ deberi possunt, quia sortis periculum meum est, qui te sortem accipere rogavi et ita censeo νομὴν, lotributionem: male alii pastum.

NOVELLA CLXI.

De præsidibus.

Hæc est Tiberii ejus qui a Justiniano secundus imperavit, qua tamen Justiniani Constitutiones pleræque de præsidibus confirmantur, ut *Nov.* 8. 95. 128.

NOVELLA CLXII.

De donationibus sacra forma, et de adscriptitiis.

Donatio inter virum et uxorem confirmatur morte ex oratione Antonini. Vir donavit res certas uxori, nec tradidit. Quæritur an post mortem viri eas petere possit: videtur non posse, quod non sit perfecta donatio: nam lege Cincia donatio re perficitur: legendum Κιγκίου, non Σικτίου et perperam Haloander addidit, Ælia: nam Ælia Sentia de manumissionibus fuit, non de donationibus. At ex Constitutione Justiniani donatio consensu nudo perficitur, sicut emptio, *l. Si quis argentum.* §. *ultim. C. de donat.* et petitur condictione ex lege, ut hoc loco nominatim cavetur. Etiam id adducitur novo, ut maritus rem donatam uxori pignori obligando, non videatur mutare voluntatem, quod est contra *l. Si maritus.* 2. *Cod. de donation. inter. virum et uxor. l. Cum hic status.* §. *Si maritus. D. eodem.* Consequens tamen est priori Constitutioni, quæ nudo consensu donationem perfici voluit: nam quæ nudo consensu constant, non videntur adimi pignoris obligatione, ut de legatis constitutum est, §. *Si rem suam. Inst. de leg.* Olim cum traditione vel mancipatione constabat donatio, sane revocari videbatur non tantum venditione, sed etiam pignoratione. Id deinde adjicitur, ut si donatio in conjugem, vel in alium quemlibet collata, excedat legitimum modum, id est, D. aureos, nec insinuata fuerit, non vitietur utile per inutile, id est, ut in D. Aureis utilis sit, in superfluo inutilis, secundum l. *Sancimus. C. de donationib.* Et hæc de donationibus. Alia capitula sunt de adscriptitiis. Ex libero et adscriptitia constat adscriptitium nasci. De nato ex libera et adscriptitio dubitatum fuit. Olim placebat et hunc adscriptitium nasci. Ex Constitutione Justiniani liber nascitur, *l. ult. C. de agr. cens. Nov.* 22. 54. Sed adjicit hæc Novella, ut colonus sit, nec terram deserere possit, argum. *l. Cum satis. C. de agrorum cens.* quod Justinus comprobavit Novella de filiis liberorum in Africa, ut tandem ad extremum idem Justinianus secundum jus vetus adscriptitium eum nasci voluit, ut in Observationibus docuimus: quod tamen non obtinuit. Sequitur de sobole ex conjugio duorum adscriptitiorum nata partiende inter adscriptitiorum dominos, quod exposuimus *Nov.* 156.

NOVELLA CLXIII.

De relevatione futurorum.

Relevatio hac Novella a Tiberio concessa (nec enim est Justiniani) similis est ei quam dedisse Constantinum Eusebius narrat 4. De vita Constantini, relevatis possessionibus quarta parte tributorum in quadriennium. At non vult tamen hac relevatione Tiberius minui sacram embolam, (sic vocat publicarum specierum transvectionem in l. 10. *Cod. de sacros. eccles.*) sed integram eam inferri, reputato collatoribus pretio concessæ quartæ partis.

NOVELLA CLXIV.

De hæredibus.

Hæc etiam est Tyberii, de titulis vel signis alienis rebus non imponendis, ut *Nov.* 17. quia re sæpe hæredum jure perturbantur et confunduntur, ut hæreditarium esse non putent, quod est: aut si sciant hæreditarium, alieno titulo a possessione aut vindicatione perterreantur. Augustinus in sermonibus: *In ipsis deprædationibus suis titulum Christi hæretici ponunt, ut prædia ipsorum quasi defenderentur per titulum potentis. Quid facit Christus? Ejicit prædatorem, titulum non deponit, et possidet domum, quia invenit ibi titulum suum.*

NOVELLA CLXV.

Generalis forma de prospectu maris.

Videtur esse ἐπαρχικὸν, id est, Forma præfecti prætorio, ut explicui Observ. 6. cap. 10. et eadem de re extant ex ἐπαρχικῶν libris quædam apud Harmenopulum lib. 2. Pertinet autem hoc ad *Novel.* 63.

NOVELLA CLXVI.

De prædiorum sterilium ad fertiles impositione.

Novellæ quas exposuimus hactenus, excusæ sunt omnes, licet non uno volumine. Alias enim Haloander, alias Scrimgerus, alias Julianus Antecessor urbis Constantinopolitanæ, alias vetus interpres, bene meriti de hoc jure novo nobis suppeditarunt. His quatuor viris utatur oportet, qui volet sibi parare omnes, vel earum epitomen, simul ac quærere cum diligentia veteris interpretis, quas suppressit hominum incuria vel inscitia. Putem enim reperiri posse omnes, ut mihi contigit reperisse Nov. de prima Justiniana, De prætoribus plebis, De Armeniis, et Accursio etiam ipsi contigerat 38 et 45. quas adducit nescio quo loco: et hac ratione persuadebitur forsitan imperitis, indocilibus, incredulis, non minus esse omnes authenticas 168. scilicet, quam paucula sint illæ, quas solas esse e corpore juris falso testificantur et adseverant, quasque solas jus facere volunt. Porro quæ sequuntur tres, e ma modo dantur ex libris βασιλικῶν. Hæc est περὶ ἐπιβολῶν. Si defunctus justa ex causa fundum aut territorium aut compossessionem alienaverit, et moriens residua bona liberis vel extraneis hæredibus reliquerit, qui ex eis similiter prædia quædam alienaverint, ex quibus possidente emptore aliquod forte postea defecerit, ita ut locus sit ἐπιβολῇ, quam prædia sustinent, quæ sunt ex eadem substantia et origine, *l.* 10. et 12. *C. de om. agro deser.* ut ne defecti vel deserti prædii onus irrogetur simul ejusdem substantiæ prædiis omnibus, sed ceteris primum prædiis, quæ possidet is qui ea emit a liberis vel extraneis hæredibus defuncti: vel, si hic idoneus non sit, hæredibus defuncti, id est prædiis quæ possident hæredes defuncti ex eadem substantia: aut, si forte hæc etiam non sufficiant publicæ collationi, tum ut onus transferatur ad alia defuncti bona, quæ ad alios quam ad hæredes pervenerunt. Ad eum igitur, qui fundum aut compossessionem e defuncto emit, ut possumus initio. Idemque dicendum est, si ea prædia per plures successiones transierint. Quamdiu enim proximiores sive posteriores possessores idonei sunt, ἐπιβολὴ antiquioribus non irrogatur, id est, defecta prædia, eorumque tributa antiquiores possessores non agnoscunt: quod si ejusdem gradus et ordinis plures sint possessores quibus injungi ἐπιβολὴν oporteat, ut inter eos oneris divisio non fiat ex æquo, sed pro rata fertilium bonorum, quæ possident ex eadem substantia. Hæc est fere sententia hujus constitutionis, sermo hic (*a*):

Εἴποτε τοίνυν τις κατά τινα τῷ νόμῳ γνώριμον αἰτίαν ἐκποιήσειεν ἀγρὸν, ἢ χωρίον, ἢ γήδια, ἢ σύγκτησιν ὅλην, εἶτα τελευτήσας ὕστερον παραπέμψειε τὴν αὐτοῦ περιουσίαν εἰς ἐξωτικοὺς ἢ παῖδας: πάκεῖνοι τὸν ἴσον τρόπον ἐκποιήσειαν τῆς περιουσίας ἧς διεδέξαντο, χωρίου, ἢ ἀγρὸν, ἢ γήδια ἢ σύγκτησίν τινα, καὶ τὸ παρὰ τῶν διαδόχων ἐκποιηθὲν εἰς ἀπορίαν ἐλάσῃ, ὥστε χώραν γενέσθαι τῇ τῶν ἀπόρων ἐπιβολῇ· οὔτε ἅμα πᾶσι τοῖς προκτησαμένοις, οὔτε παρὰ τὴν τῆς διαδοχῆς τάξιν ἐπάγεσθαι τὸ βάρος τῆς τῶν ὁμοδούλων ἀπορίας κελεύομεν, ἀλλὰ πρότερον μὲν τὸν παρὰ τῶν ἐκείνου παίδων, ἢ διαδόχων ἐξωτικῶν τοῦτο κτησάμενον, ὃ νῦν εἰς ἀπορίαν ἔλασεν, καὶ τὴν ἀκίνητον αὐτοῦ περιουσίαν τὴν ἐπιβολὴν δέχεσθαι· ἀπόρου δὲ τούτου φανέντος, καὶ τῆς οὔσης αὐτῷ κτήσεως, ἐπὶ τοὺς εἰς αὐτὸν παραπέμψαντας φέρεσθαι τὸ βάρος· εἰ δὲ μήτε αἱ τούτων κτήσεις πρὸς τὴν ἐπιφορὰν τῆς συντελείας ἀρκέσωσι, τότε ταύτην ἐπὶ τὸν πρῶτον κύριον τὸν εἰς τοὺς παῖδας, ἢ τοὺς ἐξωτικοὺς τοῦτο παραπεμψαντα, τὴν ἀρχὴν καὶ τὴν ἀκίνητον κτῆσιν (εἰ τοῦτο ἔχοιτο ἡ ἐκείνου περιουσία) ἐπανιέναι, οὕτω τε ἐκ τῆς ἁπάντων ἀπορίας εἰς τὸν παρὰ τοῦ πρώτου δεσπότου τὸ χωρίον, ἢ τὸν ἀγρὸν, ἢ τὰ γήδια ὠνησάμενον τὴν ἀρχὴν, ἢ καθ' οἱ ἀνδήποτε νόμιμον αἰτίαν παρειληφότα· ταυτὸν δὲ ἂν εἴη λέγειν, κἂν οἱ πολλαὶ μεταξὺ τυγχάνωσιν διαδοχαὶ οὕτω· ἕως γὰρ ἂν ὁ προσεχέστερος εὔπορος εἴη, οὐδὲν ἐνοχλεῖσθαι τοὺς ἐν πρεσβυτέροις χρόνοις τὰς κτήσεις ἐσχηκότας, ἢ τὰς ἐκείνων οὐσίας, προσήκει· καὶ ταῦτα μὲν οὕτως διατετάχθω· τὰς δέ γε τῶν ἀπόρων ἐπιβολὰς εἰ ὅλως ὑπάχθωσιν πολλοὶ ὦσι, καὶ τὴν αὐτὴν ἐπέχουσι τάξιν, ἢ καὶ ὀλίγοι, ἀναλόγως τῆς οὔσης παρ' αὐτῶν ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας εὐπόρου κτήσεως, καθ' οἷον δή ποτε τρόπον γινέσθαι, καὶ τηνικαῦτα τὸ τῶν συντελειῶν βάρος ὑπὲρ τούτων αὐτοῖς ἐπάγεσθαι, ἥνικα καὶ τὸν ἄπορον αὐτοῖς κτῆσιν ἀναλόγως παραδοθῆναι συμβαίνει, ἢ ὅτε πρὸς τὸ παραλαβεῖν ταύτην αὐτοὺς ἀπαγορεύσειαν· πρὸς τούτῳ οὐδὲν δίκαιόν ἐστι τινὰ ταῖς ὑπὲρ τούτων συντελείαις βαρύνεσθαι, ὥστε πρόνοιαν τὴν σὴν λαμπρότητα ποιήσασθαι δεῖ ταῦτα κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον ἐξετάζεσθαί τε καὶ προϊέναι· εἰ γὰρ μὴ ταῦτα παραφυλαχθείη καθ' ἃ διωρίσαμεν, ἴσθι ποινὴν ἅμα τῇ πειθομένῃ σοι τάξει ἀνὰ δέκα χρυσίου λιτρῶν καταθήσων, ἢ καὶ ἑτέρᾳ, ὡς εἰκὸς, ἐπιτιμήσει μείζονι περιπεσούμενος, οὐδὲν ἧττον τῶν παρ' ἡμῶν διωρισμένων καὶ οὕτως κρατεῖν ὀφειλόντων· ταύτης γὰρ ἕνεκα τῆς αἰτίας καὶ Νικομήδης ἐκ τῆς ἡμετέρας ἀπέσταλται τάξεως.

Finis indicat esse formam præfecti prætorio transmissam ad præsidem provinciæ, quod memini me probare 8. Observ. c. 10. et περὶ ἐπιβολῶν etiam tractare plenius lib. 4. cap. 30. et Nov. 17. et 128. Σύγκτησιν ex glossis veteribus interpretatus sum *Compossessionem*, id est, Universam possessionem plurium prædiorum, ut *l.* 34. §. *Lucius. D. de leg.* 2. *l. Alumnæ.* §. *Titia. D. de adim. leg.* Μετοχὴν appellat *d. l.* 34. §. *ult.* nec enim eo nomine participatio significatur, sed universitas prædiorum uno clausa consepto, ut auctore Suda illo Davidis loco, ἧς ἡ μετοχὴ αὐτῆς ἐπὶ τὸ αὐτό id est, cujus Conseptum in semet revolvitur, qua oratione summa conjunctio civium significatur. Glossæ etiam veteres σύγκτησιν interpretantur massam ut in Feudis docui: quod quidem massæ nomen in ea significatione etiam imperatores Leo et Anthemius usurparunt in *Nov. de bonis vacantibus*, *Et commune*, inquiunt, *jure Cestiana massa, de qua queritur, prædictæ dominæ, illustri feminæ restituatur.*

NOVELLA CLXVII.

Generalis forma de missione in possessionem.

In MS. Cod. cl. v. doctissimique Nicolai Heinsii amici nostri legitur, Βάσσου τοῦ ἐνδοξοτάτου ὑπάρχου Γαμμοτεις.

Additur Βάσσου τοῦ ἐνδοξοτάτου ὑπατοῦ. Suspicor legendum ὑπάρχου, ut sit et hæc alia forma præfecti prætorio, cujus verba hæc sunt (*b*).

Εἴ τις ἀκινήτου τινὸς ἀντιλαβέσθαι σπουδάζων, δοχικὰς ψήφους προφέροιτο, ἐπὶ μὲν τῆς εὐδαιμονος ταύτης πόλεως ἀρκέσει τυχὸν ἡ τάξις τὴν σχολὴν μαρτυροῦσα τῆς τῶν πραγμάτων νομῆς τούτων, ἢ καὶ τῶν γειτόνων ἡ αὐτὴ τάξις λέγει μάτην, ὡς οὐδεὶς τῶν πραγμάτων ἀντιλαμβάνεται· ἐπὶ δὲ τῶν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις κειμένων ὑπὸ τοῖς τῶν τόπων ἐκδίκοις ὑπομνήματα ἃ παραπλησίως ταυτὸ τοῦτο πράττωντα, δεῖ συνίστασθαι, μαρτυρίαν μὲν ἔχοντα τῶν γειτόνων· τηνικαῦτα δὲ ἄδειαν παρέχομεν τὰς ψήφους ἢ τηλόσι τὰ πράγματα κατασχεῖν καὶ τοῖς μέλλουσι δὲ ἐκ συναλλαγμάτων τινῶν πράγματα λαμβάνειν, καὶ νομὴν τοιαύτην; ἢ δεσποτείαν ὑπὸ τὴν ἑαυτῶν ποιεῖσθαι κατοχὴν, ἀναγκαίας τὰς τῶν ἐκδίκων ἐν ταῖς ἐπαρχίαις μαρτυρίας νομίζομεν, ὥστε ὑπομνημάτων συνισταμένων ὑπ' αὐτοῖς, δηλοῦσθαι τὴν παράδοσιν, εἴτε ἐπισταλματα τυχὸν γραφέντα φροντισταῖς, εἴτε ἐπισταλμάτων χωρὶς ἡ παράδοσις μέλλει γίνεσθαι, προσόντος ἐνταῦθα τοῦ, καὶ τοὺς γεωργοὺς ἤτοι φροντιστὰς χρῆναι συνομολογεῖν ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων, ὡς τὸν νεώτερον εἰδεῖεν νομέα καὶ δεσπότην, καὶ τῇ τοῦ παραδόντος ἀκολουθήσαιεν γνώμῃ, τοῦτο αὐτῷ ἐπιτρέψαντος· ἵνα δὲ ἂν ἔκδικος μὴ παρῇ, τὸν λαμπρότατον τῆς ἐπαρχίας ἄρχοντα τὰ τοιαῦτα συνιστᾶν ὑπομνήματα προστάττομεν, ἢ τὸν ὁσιώτατον τῆς πόλεως ἱερέα ὑφ' ἣν ἡ κτῆσις ἐστιν, ὑπὲρ ἧς τὰ τοιαῦτα πράττεται, εἰ πολλῷ τυχὸν ὁ τῆς ἐπαρχίας ἡγούμενος ἀπολείποιτο τῶν τόπων ἐν οἷς ἡ παράδοσις γίνεται· ἐν δὲ τῇ βασιλίδι ταύτῃ πόλει, καὶ τοὺς καλουμένους ἐκβιβαστὰς, καὶ τὰ ὑπὲρ τῆς παραδόσεως συνιστάμενα ἐκμαρτύρια ῥοπὴν ἱκανὴν διδόναι τοῖς παρειληφόσιν ἡγούμεθα.

Hoc quod vult, breviter ut dicam et summotenus, ex sententia judicis non recte apprehenditur nisi possessio vacua, et quam in urbe quidem vacuam esse executorum testimonia adseverent, in provinciis acta defensorum plebis vicinorum testimonio confirmata. Et similiter ex contractu in provinciis quoties quis ingredi possessionem desiderat, acta apud defensores civitatum fieri debent traditæ possessionis, simul ac consentientium voluntati tradentis, novoque domino colonorum vel auctorum possessionis. Si non sit copia defensoris, apud præsidem: vel etiam, si hic longe absit ab eo loco quo traditio fit, apud episcopum.

NOVELLA CLXVIII.

Forma præfecti prætorio, de his qui eidem domino subjecta prædia possident.

Hæc est περὶ ὁμοδούλων, id est, de prædiis hominibusve prædiorum ratione eidem domino servientibus. Iis solent accrescere invitis defecta desertave prædia ejusdem substantiæ, ut diximus *Nov.* 128. et 166. denique ἐπιβολὴ onus est ὁμοδούλων ἢ ὁμοκήνσων, et irrogatur rusticis prædiis tantum. Nam et hæc sola referuntur in cen-

(*a*) *Interpretatio latina ad calcem Tomi.*

(*b*) *Interpretatio latina ad calcem Tomi.*

sum, non annonæ, civiles, non ædes. Et ideo in tit. Dig. *de censibus*, agrorum tantum censendorum mentio fit: ac quod est de servis, *l.* 4 §. *In servis*, id de rusticis tantum accipio, qui pars agrorum sunt, ut dixi supr. *Nov.* 7. Sed et quod dicitur de tributo capitis *l.* 3. id in agris tantum locum habet, non in urbibus aut metrocomiis, *l.* 1. *C. de cap. civ. l.* 8. *C. de exact. trib.* Prædiis igitur urbanis aut annonis civilibus non irrogatur agrorum ἐπιβολὴ, quia nec sunt ὁμόκηνσα, nec satis est si sint ejusdem originis. Verba eparchici hæc sunt (a).

Προστάττομεν κῆνσον ἔχειν ἀπογραφὴ, χωρία φέρεσθαι μόνον, οὐ μὲν οἰκίας, ἢ ἄλλα πράγματα· ἡ δὲ ἐπιφορὰ ὁμοκήνσοις γίνεται· φυλάξει δὲ τοῦτο ὁ τοῦ ἔθνους ἡγούμενος, καὶ ἡ πειθομένη αὐτῷ τάξις καὶ οἱ πράκτορες τῶν δημοσίων εἰσφορῶν, ἀνὰ τριάκοντα χρυσίου λιτρῶν ἀφοριζόμενοι ποινὴν ταύτῃ τῇ ψήφῳ καὶ νῦν ἀκολουθοῦντες, γενικοὺς ποιούμεθα τύπους, ὥστε μηδένα διδόναι ὑπὲρ ὁμοδούλων ἢ ὁμοκήνσων ἐπιβολὴν ἐπὶ οἰκίαις, ἢ ἄρτοις πολιτικοῖς, ἢ ἑτέρῳ τινὶ μὴ ἐγγεγραμμένῳ τῷ κήνσῳ· ταῦτα φυλαττέσθω, ταῦτα πέρατι παραδιδόσθω, τῶν παραβαινόντων αὐτὰ ποινὴν δέκα χρυσίου λιτρῶν καταθέντων, καὶ κατὰ τῆς ἑαυτῶν οὐσίας οὐ μετρίαν ἐπιφερόντων ζημίαν· οἱ γὰρ διὰ ταῦτα ἀδικούμενοι, ἕξουσι κατὰ τῶν παραβαινόντων καὶ τῶν ἐκείνους κληρονομούντων καὶ πραγμάτων αὐτῶν ἀγωγὴν, ὑπὲρ τοῦ παρὰ τὸν νόμον ὑπομεῖναι ζημίαν· τῶν λαμπροτάτων ἀρχόντων καὶ τῶν ὑπηρετουμένων αὐτοῖς τάξεων, καὶ τῶν ἁπανταχοῦ γῆς ἐκδίκων, τὰ παρ᾽ ἡμῶν γενικῶς διατεταγμένα φυλαττόντων, καὶ ὑφορωμένων τὰ ὡρισμένα κατὰ ταυτὸν ἐπιτίμια.

Hic est finis Novellarum. Laus sit Deo Patri nostro, et Domino Jesu Christo, qui ut hunc finem adsequerer, etiam medio in turbine rerum, Gallia nesciente tueri societatem humanam, atque redimeretur omnis hæc opera mea ab insulso milite cui prodita fuerat impie, pro sua clementia fecit. Te Sancte Deus veneror, tibique gratias ago, uni, soli, omnipotenti, veniam petens, ut velis, quamdiu voles esse me in hac ærumnarum valle, studia quæ fecisti mea, fortunare pariter, ne quis mihi malus ea turbassit male, per Jesum Christum Dominum nostrum.

(a) *Interpretatio latina ad calcem Tomi.*

FINIS PARTIS QUINTÆ

PARS SEXTA

Ad V. Cl.

TRYPHONEM COMM. WRACHIEN

REIPUBLICÆ VENETÆ A CONSULTIS

IN COMMENTARIOS JACOBI CUJACII

AD LIBROS V. DE FEUDIS

DISSERTATIO

DE ORIGINE ET NATURA FEUDORUM

Arma feræ Genti remque decusque dabant.

Ovid. Fastor. III.

Α῞παντες ϛρατιῶται καταϛάντες βίᾳ τὰ τῶν ἄλλων λαμβάνειν ἀξιοῦσιν.

Ι᾽σοκράτης ἐν τῷ ἐγκωμίῳ τοῦ βουσίριδος.

SUMMA CAPITA

I Quæ præcipua Cujacii laus in Re Feudali.

II. Quæ deinceps singillatim enucleanda in Cujacio aut improbantur a doctis Viris aut desiderantur quoad originem præsertim Feudorum.

III. Multiplex, et secum ipsa repugnantissima Doctorum Hominum opinio de Origine prima Feudorum.

IV. Quæ communiter peccari soleant in definitione Feudi.

V. Essentia, et natura Feudi in certo jure *utendi fruendi*, officiis mutuis, et Hominio Militari.

VI. Nulla origo veri, et proprii Feudi e jure aut moribus Romanorum, Clientelis, Militiis, Militibus Limitaneis, Beneficiis etc.

VII. Item Vasalli longe alii ac Procuratores Prædiorum, Actores, Custodes etc. Juria Romani IIi scilicet præelecti Cujacio ad imaginem Vasallorum.

VIII. Rursus non id Feudum, quod nostris libris describitur, apud Longobardos, aut Gotthos.

IX. Nec apud Gallos aut veteres Soldurios, aut temporum Merowingicorum, aut Carolingicæ Dinastiæ etc.

X. E consarcinatis potius moribus veterum Germanorum, et Romanorum Consuetudines Feudales succrevisse videntur: Inde pleraque in iis contradictoria.

XI. Item absurdiora quæque enumerantur.

XII Duo vitia procliviora in Interpretatione Feudorum. Quintuplex ætas Feudalia. Ad eamdem præmonita quatuor.

XIII. Priori continentur ætate primigenia Feudi Elementa e necessariis Naturæ Hominis principiis ad Historiam Heroicam adaptata.

XIV. Anne Heroica Romanorum Jurisprudentia quicquam in Feudum contulerit; quod putabat J. B. Vicus.

XV. Agrestis ætas altera Feudalis in moribus veterum Germanorum ad Seculum usque Ecclesiæ IV.

XVI. Magnum tamen illius discrimen a nostrô Feudo.

XVII. Tertia ætas Feudi elanguescentis, et prope intermortui a Seculo Ecclesiæ V. ad Seculum X.

XVIII. Ad nongentesimum annum turbolentissima tempora Italiæ, Franciæ, Germaniæ, Hinc quarta ætas Feudi ferocientis, et in omnem licentiam effusi in Imperio Occidentali.

XIX Eadem producta ab Othone I. Imperatore ad Conradum Salicum Augustum, a quo initium scripti nostri Iuris Feudalia

XX. De Feudali per ea tempora temperamento apud Græcos

XXI. De significatione vocum *Feudi*, et *Beneficii* ante X Seculum longe alia ac quæ postea invaluerit.

XXII. Item qui Leudes Vasalli, Fideles, etc. ante X Seculum.

XXIII. De Equitibus et Militia sequioris Ævi

XXIV. De Constitutionibus Augustorum in Rem Feudalem ad quintum Librum partitionis Cujacianæ.

XXV. A Seculo XIII. quinta ætas Feudi temperatioris, et postmodum in dies senescentis.

XXVI. Res Italæ illius ævi ad desuetudinem Feudi adaptatæ.

XXVII. Quo potiori artificio Jus Romanum in Rem Feudalem traductum sit.

XXVIII. De abrogatione reliquorum morum cum Feudo conjunctorum: Hi sunt Faidæ, Duella, Torneamenta, Sacramentalia, Servitia etc.

XXIX. In Feudalem Politiam rejiciendæ Expeditiones Herosolymitanæ ab inclinante XI. Seculo ad medium XIII.

XXX. Quæ insigniora e Commentariis Cujacii ad interpretationem Feudorum deducantur.

DE ORIGINE
ET NATURA FEUDORUM

AD V. CL. TRYPHONEM COM. WRACHIEN

DISSERTATIO

Jacobo Cujacio fere coævi Jurisconsultorum longe doctissimi, nempe Tui similes, TRYPHON CL., Franciscus Duarenus, Franciscus Hotomanus, aliique diligentissimam operam collocaverunt in Feudalibus Consuetudinibus recensendis, quarum antea squalida facies, Interpretum etiam inani fuco deformior, in contemptum prorsus abierat Eruditorum. Rapido eruditionis torrente decurrit Hotomanus in ea præsertim Disputatione, quam Commentariis Feudorum præposuit; non raro tamen fæculentus, ut nihil morer ostentationem invidiæ plenam. Dilucida Duareni methodus, et expedita. Multo tamen splendidior Cujacii laus, qui omnium primus genuinam earum Consuetudinum lectionem undequaque venatus est, jacentem erexit, ambiguam expedivit, rigidiori criterio singula exegit, ad Codices probatissimos universa emendavit. Sollertissimus idem perturbatam confusionem eripuit, aptiorique partitione quam aut vulgata in duos libros, aut reformatior Antonii Mineucii in sex libros, quam edidit Schilterus, Consuetudines Feudales in quinque libros distribuit, libro IV. copiosa adiecit fragmenta ex Ardizone, et Alvarolo, *eousque ab omnibus neglecta (a)*: librum etiam V. et digessit exactius, et inutilibus resecatis *(b)*, novis Constitutionibus locupletavit, eujusmodi sunt Friderici, et Romani de jure προτιμήσεως, Constantini Porphyrogennetæ *de Prædiis Militaribus* etc. quibus quasi fastigium imposuit χρυσόβουλλον Caroli IV. Si quando autem in germana interpretatione eruenda dignus vindice nodus inciderit, quantus porro Cujacius, et quam copiosus! Quasi velo subducto redivivam ubique cernas non incertam, non dubiam historiam sequioris ævi; obscuriores voces, mores, vicissitudines, instituta in numerato illi omnia praeclare sunt. Quæ vero potiores sunt partes Jurisconsulti religiose, intelligenter, dilucide rem exequi suam, in iis etiam insignior. Inde uberiora quæque (atque in eo nec parem Cujacio alium invenias, nec supparem) e veteri Jure Justinianeo in Feudalem illustrationem adscita, tum vero Feudalem οἰκονομίαν sic ob oculos positam, ut perpetua junctura maneat, et series — I. Quæ præcipua Cujacii laus in Re Feudali.

Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Candore etiam styli Cujacium ceteris omnibus, quotquot antea ad rem Feudalem animum applicuerant, præexcelluisse scribit Guidus Pancirolus in *Thes. variar. Lect. Jur.* (c) At enim ibidem cum formam Feudorum, quam Cujacius e Langobardis seu Gothis inepte repeti dixerat (d), Pancirolus e Langobardis emanavisse contendat (e), satis expressit sese aliquantulum a Cujacio in ipso Feudorum quasi cardine dissentire. Apertius etiam dissentit Hotomanus (f), qui utcunque dissimulatio Cujacii nomine, ex illius tamen lib. 8. *Observationum* cap. 14. Cujaciana verba resumens: *Custodes, procuratores, actores possessionum* (ad hos scilicet Cujacius refert originem primam Feudorum) *cœpisse perpetuo jure possidere quod prius quasi precario possidebant*, nullum in hisce aut Feudum, aut (quod Cujacius contendit) Feudi — II. Quæ deinceps sigillatim enucleanda in Cujacio aut improbantur a doctis viris aut desiderantur quoad originem præsertim Feudorum.

(a) *Cuj. Feud. lib. 4. in tit. 73.*
(b) *Cuj. Feud. lib 5. in Comm. ad Constitut. Frid de pace componenda etc.*
(c) *Lib. 1. cap. 90. §. postremo.*
(d) *Cuj. in præf. ad lib. 1. Feud*
(e) *Pancirol. loc. cit. §. ego vero etc.*
(f) *Hotoman. in Disput. de Jure Feud. c. 2.*

rudimentum agnoscit. Et recentioribus Joh. Gottlieb. Heineccius multa ait e locupleti Romanorum penu in Leges Wisigotthorum mutuata, (nam et hoc ad originem Feudi proxime spectat) *quomvis*, inquit *(a)*, *non adsentiamur Cujacio ad II. Feud. XI. schribenti omnia fere in eos leges esse petito ex Jure Civili.* Johannes etiam Baptista Vicus (quorsum enim singulos memorem?) infensiorem Cujacio Joh. Bodinum jure insectatus, quidpiam tamen sublimius in Cujacio desiderat *(b)*. Nimirum et Prætoris Edicto, et XII. Tabulis vetustiorem Heroicam Romanorum Jurisprudentiam (cujus ille egregium quoddam simulacrum effinxerat) perspectam Cujacio voluisset ad interpretationem Feudorum. Quam omnino Jurisprudentiam, quoniam ne vel leviter quidem (inquit Vicus) Cujacius subodoraverit, nihil etiam agnovit penitiores caussas affinitatis illius, qua tamen una tam concinne Cujacius potuit agreste Feudorum Jus politioribus Romanorum institutis et moribus emollire. Quidni eadem ratione expostulare quis possit, majori futura fructui quæcunque ad hosce libros frugifera, et fructuosa Cujacius habet, si acriori ille nisu usque contendisset, quo ex ipso Naturæ sinu derivata prima Elementa Feudorum, ad varias deinceps vicissitudines Populorum sensim adulta in unum tandem certum systema coaluerunt?

III Multiplex, et secum ipsa repugnantissima Doctorum hominum opinio de origine prima Feudorum

Hæc scilicet præcipua referuntur ad originem et naturam Feudorum, in quibus vel ipsis tamen sapientissime Cujacium versatum esse eo mihi compertius est quo aut jejunius fere reliquus, aut in absurdiores et secum invicem repugnantes opiniones Feudistas plerosque omnes videam declinavisse. Andreas de Isernia (c) (huc tendit magna nubes Doctorum *(d)*) novum nomen et jus recens esse dicit quicquid Feudorum est. Adversantur Guilielmus Budæus *(e)* Uldaricus Zazius *(f)* Pyrhus Aurelianus *(g)*, aliique, qui a remotissimis usque temporibus, a clientelis Romanorum, et Romulo auspicantur. Limitaneis Militibus et prædiis innititur Lælius Taurellus *(h)*: inde principium illi Feudorum est ab Alexandro Severo, et Constantino Magno. Non displicent Hotomano vetustiores Militares coloniæ Romanorum *(i)*. Holoander autem *(k)*, aliique Feuda referenda esse censent ad στρατείας seu Militias, de quibus in *l. Fideicommissa §. Si servo. D. de leg.* 3. et in *l. Omnimodo § Imputari. C. de inof. testam.* et *l. ult. Cod. de pignor.* etc. Contra Cujacius; *non*, inquit *(l)*, *jus Feudorum antiquissimum esse nobis unquam persuaseris, nisi id liquido deduxeris ex moribus Populi Romani.* Deducit autem (quod monebam) propriori quadam analogia ex actoribus, procuratoribus, custodibus prædiorum etc. Hi sæpe in Pandectis et Codice *homines nostri* dicuntur, a Græcis οἱ προσήκοντες, οἱ διαφέροντες. *Nomen*, inquit *(m)*, *mansit hominum, res et condicio tenendi possessionem mutata est. Quod igitur in jure de hominibus est scriptum, proprius refertur ad Vasallos. Quod de Clientibus, non ita. Quod de Mercenariis, multominus. Quod de Militibus limitaneis, nullo modo.* At enim, nunc inter doctos magis invaluisse videtur e moribus sequioris ævi prima origo Feudorum. Ita vulgata fere opinio *(n)* eradicari ægre possit e Langobardis Italicarum rerum Dominis incæpisse usum omnem Feudalem. Tametsi Gotthos priores Langobardis Feudum adoptavisse scribit Horatius Montanus *(o)*. Multo etiam priores Gallos asserunt Carolus Molinæus *(p)* et Alteserra *(q)*. Franci scilicet, si iis credas, rerum in Galliis potiti prædia divisere Ducibus, et militibus jure beneficiario, et prorsus Feudali, condicta lege *Fidei, et servitii* Eo jure Pagus Milidunensis a Clodovæo Rege ad beneficium datus est Aureliano Duci: *Cum Clodovæus*, inquit, Aimoinus (r), *Regnum suum usque Sequanam, atque postmodum usque Ligerim fluvios ampliasset, Milidunum Castrum eidem Aureliano cum totius Ducatu Regionis jure Beneficii concessit.* Mummolo quoque Patricio eodem jure Beneficii seu Feudi (sic enim putant) Machovillam apud Avenionem a Guntrano Rege tributam testatur Gregorius Turonensis *(s)*. Unde jam a Francici Regni incunabulis celebrantur Regii Leudes, Leodes, Fideles etc. Hieronymus Item Bignonius *(t)* quandocunque in formulis Marculfi, aut in Capitularibus Regum Francorum nomen *Vassorum*, aut *Beneficii Regalis* occurrit, intelligenda esse ait beneficia, cujusmodi nunc Feuda vocamus. Omnium altius assurgit Franciscus Connanus *(u)* secutus Cæsarem scribentem, *lib. Commentoriorum,* eos qui opibus inter Gallos valebant, multos habuisse devotos, quos secum in Bellum ducerent, *Soldurios* sua lingua nuncupatos, quorum hæc erat conditio, ut omnibus in vita commodis una cum iis fruerentur, quorum se amicitiæ dedidissent. quod si quid iis per vim accidisset, aut eumdem casum ferrent ipsi, aut mortem sibi consciscerent. Hi nimirum Vasalli, hæc Feuda Connano sunt.

(a) *Hist. Jur. Civ. Rom. et Germ. lib. 2. c. 1. §. 14.*
(b) *Principii di una Scienza nuova ec. lib. 5. §. La Storia barbara schiarita ec.*
(c) *In prælud. Feud.*
(d) *Vid. Marinum Freccio, de Subfeudio §. lib. 1. cap. 1.*
(e) *Ad l. Herennius. de evict. in annot. ad Pandect.*
(f) *In Epitom. Feud. et in l. 2. ver. Curias. D. de Orig. Juris.*
(g) *Consuet. Aurel. tit. de Feudis*
(h) *Taurellus de Militiis ex casu etc.*
(i) *Hotom. Disput. de Feud. cap. 2*
(k) *In proœmio Novellar. et alibi.*
(l) *In princip. lib. 1. Feudor*
(m) *Cujac. Observ. lib. 8. cap. 14.*
(n) *Vid. Arthurum Duck de usu et auct. Jur. Civ. lib. 1. cap. 6 §. 3.*
(o) *Hor. Montanus in Psal. Feud.*
(p) *Molinæus in Consuet. Paris tit. des Fiefs. n. 13*
(q) *Alteserra lib. de Orig. et Statu Feud. pro moribus Galliæ c. 1*
(r) *de Gest. Franc. lib. 1. cap. 14.*
(s) *Greg. Turon. lib. 2. 4. hist. c. 45.*
(t) *Ad formulas Marculfi.*
(u) *Lib. 2. Com. Jur. Civ. tit. de bon. libert.*

Ecquis autem tam incredibili diversitate opinionum non obruatur? Aut vero quæ alia implicatior esse possit contentio hominum doctissimorum? Quam quidem nemo unus sedare possit, qui non diligentissime animo præcooceperit quid proprium et germanum Feudum sit, aut in quo tandem hoc nomen constituatur. Sic vero instructiores nedum ad hanc solum dirimendam varietatem opinionum, sed ad omnem præterea aliam Feudalem quæstionem accedemus, si ex hisce præcipue Commentariis Cujacii (nec enim uberiorem auctorem quæro) quasi expressa succo Feudali, eodemque concocto, et promoto, ea strictim in unum veluti nucleum congerantur, quæ sola nobis possunt suppeditare intimam et primigeniam Feudorum notionem, ut ab eo demum aut Populo, aut tempore originem Feudorum repetamus, cui illa germana notio exactissime accomodetur; ut profecto mirer de re tam magna Feudistarum plerosque tam parum fuisse sollicitos. Princeps autem commemorandus Obertus alter horum librorum Architectus, cui Feudum definitur: *Beneficium (a) illud, quod ex benevolentia ita alicui datur, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat, ususfructus vero illius rei ita ad accipientem transeat, ut ad eum, hæredesque suos in perpetuum pertineat, ad hoc ut illæ et sui hæredes fideliter Domino serviant, sive servitium illud nominatim quale esse debeat sit expressum, sive indeterminate sit promissum.* Expeditius Baldus, Belvisius, Immolanus Feudum definierunt *concessionem rei pro homagio*, seu latinius dixeris, *hominio* Johannes autem Reinaldus, Corolus Molinæus, Zazius, Rebuffus, Feudum dixere: *benevolam et liberam rei immobilis, vel æquipollentis concessionem cum utilis Dominii translatione, retenta proprietate sub fidelitate, et exhibitione servitiorum honestorum.* Omnium accuratissima definitio Cujacii principio libri primi: *Feudum est* (inquit) *jus prædio alieno in perpetuum utendi fruendi, quod pro beneficio Dominus dat ea lege, ut qui accipit sibi fidem et militiæ munus aliudve servitium exhibeat.* Atque in Obertiana quidem definitione id præcipuum Hotomanus (b) reprehendit, quod Feuda Regnorum, Ducatuum, Marchiarum, quæ primum in hoc genere gradum obtinent, non complectatur, deinde vero quod transferri eadem possit ad eos agros, qui colonis adscriptitiis veteri Codicis jure attribuebantur, quos tamen inter et Feuda plurimum interest. Quamobrem Obertiana definitio non satis cohæret iis, quæ hisce libris describuntur. Improbantur item Hotomano adhibita verba *proprietatis*, et *ususfructus*, de quibus sat multa sparsim Cujacius. In universum autem Feudistis fere omnibus, quotquot Feudum definire assumpserunt, duo præcipua exprimi negliguntur necessario omnino exprimenda, si potiores Feudi characteres (quod par est) in definitione complecti cupimus, quoniam non alia re magis quam iis duobus verum et proprium Feudum constituatur. Primum est quod vago et incerto quodam Vasalli servitio commemorato, de necessario militari ejusdem hominio parum expresse dicunt; quod tamen Cujacius præcipuum posuit, deinde adjecit *aliudve servitium*, ut Feuda etiam impropria complecteretur, quæ multa ille passim a vero Feudo distinguit. Alterum est quod omittitur, fides scilicet illa et benevolentia, qua ipsimet Seniores Feudali jure Vasallis suis obligantur, ut ideo officiis ultro citroque debitis verum Feudi vinculum coalescat. Recte igitur hac in re, meo judicio, Hotomanus utrumque complexus: *Feudum est*, inquit (c), *clientela militaris ea lege contracta, ut Cliens pro beneficio accepto militarem operam præbeat, vicissimque Patronus suam illi fidem, benevolentiamque præstet*: cui definitioni si id addas quod item fere omitti solet, firmissimam istiusmodi militarem clientelam iniri, nec nisi certis causis certa forma exigendis solubilem, et rursus Beneficium intelligendum traditum jus re aliena perpetuo utendi fruendi, sic demum præcipuas te notas complexum esse existimaverim, quibus ab alio quocunque contractu nexuve civili Feudum distinguas, atque illud facile agnoscas ubicunque tandem inveniatur.

V. Essentia, et natura Feudi in certo jure utendi fruendi, officiis mutuis, et hominio Militari.

Porro quod ad mutua officia spectat: *quam accipit Dominus a Vasallo jurato fidem* (Cujaciana verba resumo) *eamdem vicissim eum tametsi injuratum debere Vasallo præstare, et quibus ex causis Vasallus Feudum amittit, eisdem etiam fere Dominum proprietatem, seu dominationem amittere, eamque Vasallo accedere*, aperte docet Cujacius in *Com. ad tit. 7. lib. 2. Feud.* Nimirum dilucido dicitur *lib. 4. tit. 68.* Dominum esse Vasallo *conjugem*, quasi communi fidei vinculo conjunctum. Eodem autem lib. 4. *tit 24. Domino committente Feloniam, per quam Vasallus amitteret Feudum si eam committeret, respondetur proprietatem Feudi ad Vasallum pertinere, sive peccaverit in Vasallum, sive in alium.* Et *tit.* 56. ejusdem libri confirmatur, *quod ex omni Felonia, qua Vasallus Feudo privatur, et Dominus proprietate privetur.* Nec movet quod quidam ajunt, Seniorem nihil amplius Vasallo debere quam quod conceptis verbi juravit *argum. l. Cum affirmes.* 8. *C. de liber. caus.* præsertim cum etiam patronis æque ac parentibus calumniæ jusjurandum remittatur *l. Qui bona.* 13. *§. pen. D. de damn. infect. l. De die.* 8. *§. Jubetur. D. qui satisd. cogant. etc.* Nihil ii scilicet proficiunt. Alia enim hac in re Feudorum ratio est quam quæ ad mores Romanorum exigi possit, quæ si etiam exigenda od eos esset, adhuc tamen veteri eorumdem formula contrahendæ clientelæ adjuvaremur, qua lege XII. Tabularum sancitum erat, ut si patronus Clienti fraudem fecisset, sacer esset. Sequitur militare Hominium Vasalli, quod cum Cujacius in definiendo Feudo complexus sit, vix indiget confirmatione. Hinc *lib. 4. tit. 22. Beneficium a Vasallo in Feudum, si nihil in fraudem legis fiat, recte dari potest dum tamen Militi detur.* In quem locum Cujacius, *Vasallus*, inquit,

(a) *Feud. lib. 3. § 1. juxta partitionem Cujacii.*
(b) *Hotom. Disput. de Feud. cap. 4.*
(c) *Hotom. loc. cit*

qui miles est, non potest alii quam militi proprium Feudum dare, ne ab origine Feudi recedat. Ut nimirum intelligas liberas et alodiales principio res sic pro lubitu potuisse disponi, ut ne ulla obligatione Feudali tenerentur, sed si semel in Feudum tributæ essent, non amplius posse a munere militari sejungi. Huic simile illud eodem libro *tit.* 38. §. 4. *Vasallus Feudum sine voluntate Domini non alienabit, in Feudum tamen recte dabit, si secunda persona sit talis quæ Feudum servire possit, ut si dans Miles est, et ille qui accepit inveniatur Miles, ad hoc ut Feudum si contigerit, Domino similiter servire ut et prior possit, et hoc dare liceat in infinitum.* Quibus conficitur (quod alias etiam ex historia medii ævi abunde patet) non apud alium Populum Feudum principio invaluisse quam qui spiritu militari (sic enim dixerim) universim dominaretur, in collatione autem Feudi præcipue spectatam strenuam et personalem operam militis. Unde huc etiam pertinet Cujacianum illud (a) quod *temere Vasallus Vicarium servitium suæ operæ supponere utique semper non potest.* Sæpius autem apud Scriptores medii ævi Feudum, et Militia sic promiscuo usurpantur, ut verbis distincta re ipsa separari non possint. Ita in Speculo Saxonico *lib.* 3. *art.* 65. *Si quis a sibi in generatione inæquali infeudatur, non suam originem, aut civilia jura, sed tantummodo Feudi dignitatem, idest Scutum Bellicum minoravit.* Ad hæc quorsum clericatu et monachatu Feudum amittitur? quorsum pagani arceantur a Feudo? quorsum claudi et imbecilli? nempe quia hisce omnibus impar Militia est. *Eadem mens et cogitatio Domini facit ut agnati vocentur, non agnatæ, Filii, non Filiæ, quia mares certiorem generositatis fidem habent, et ut in optimo libro, additur hoc loco, quia Fœminæ neque Faidam levare, neque pugnam facere possunt, idest quia bello gerendo, faciendove idoneæ non sunt, et Bellorum necessitas peperit Feuda* (b). Vulgatam autem in re Feudali proverbium (c), Beneficium dari propter officium. At enim vel sine officio pleraque in Feudum non raro tributa dices. Item Feuda Muliebria, et ia quæ reliqua Feuda aut a militia eximuntur, aut cum militia conciliari non possunt. Præclare ais. Isthæc scilicet sunt quæ *impropria Feuda* Cujacius vocat. Docet etiam initio statim horum librorum aliud esse in *Feudum dare*, aliud dare *jure Feudi*. Ecquis autem tam jejunus rerum peractarum qui ignoret seculis XI. et XII. Francos præsertim, et Italos Feudali vertigine eousque abreptos fuisse, ut vix quicquam aut donationis, aut contractus, aut juris, aut officii reliquum esset, quod Feudum non vocaretur? Omnia etiam in Feudum trahebantur: omnia in Feudum concedi solita legimus (d) *Grueria, teloneum, pedagium, rotagium, apum examina, imo, si quibusdam fides, ipsum quo vivimus aerem.* De multiplici autem Feudo vide Du Cangium ad vocem Feudum tom. 3. Glossar. Mediæ et infimæ latinitatis; item Simonem Schardium in Lexico Juris Romani. Sit tamen quantumvis multiplex Feudum, illud perpetuo maneat, nullum esse verum et proprium Feudum, quod non in re certa, mutuis officiis, et militari obsequio Vasalli constituatur: quibus characteribus si quæ careant, ea *impropria Feuda* cum Cujacio dicemus, *vera Feuda* non dicemus. Tametsi satis compertum est, nonnisi ad similitudinem veri et proprii Feudi, impropria Feuda effecta fuisse, ut ideo non ante potuerint incipere quam verum Feudum invaluisset. Novimus etiam, statim ac militaris pruritus apud quempiam Populum deferbuerit, una pariter apud eumdem impropria omnia Feuda interiisse; quod autem semel constitutum verum et proprium Feudum eradicari penitus non posset, multum tamen amisisse primigenii vigoris et roboris, donec sensim in desuetudinem abierit, aut sæpius alicubi in bonum alodiale conversum sit.

VI. Nulla origo veri, et proprii Feudi e jure aut moribus Romanorum, Clientelis, Militiis, Militibus, Limitaneis, Beneficiis etc.

Quibus constitutis facile apparet quantum veteres Romanorum clientelæ a Feudali hominio dissideant. Nimirum, quod hactenus patefecimus, multo maxima pars hominii Feudalis in Militia posita est, Romania *Clientibus onus militiæ adnexum non est* (e). Rursus, *Clientes prædia sua pleno jure possident, Vasalli prædia Feudalia ususfructus tantum jure vel perpetui, vel temporarii etc.* Ostendunt etiam Hotomanus (f) aliique invitos prorsus Dionysium Halicarnasseum, Aulum Gellium, Plutarchum (g) a Romuleis clientelis ad Vasallorum hominium deflecti. Imo vero dilucide ii produnt veteres illas necessitudines in tenuiorum præcipue utilitatem, et clientum præsidium fuisse institutas, secus ac clientelæ Feudales, quæ omnes fere prospiciunt in utilitatem Senioris. Unde Carolus Magnus *lib.* 5. *Legum Franciæ cap.* 8. » De juramento (inquit) ut nulli alteri per Sacramentum, fidelitas promittatur nisi nobis, et unicuique proprio seniori ad nostram utilitatem et sui senioris etc. » Veruntamen in re apertissima nihil moror (h). Proprius Feudorum principium erui putatur e sæpius in Jure Civili recensitis *Militiis*; nec idem tamen satis accomodatum Instituto Feudali. Iis scilicet legibus nomen Militiæ (i) *od Palatinorum officia pertinet, ut probat l. Eis quidem. C. qui milit. non poss. lib.* 12. *qua prospicitur ne quis duas militias habeat, sed alteram vendat, alteram retineat, et scrinia, vel officia, quæ non reclamaverint puniuntur: quæ ad Feuda non pertinent. Præterea Feudum non alienatur, illæ vero militiæ distrahi poterant. Denique non succedit in Feudo hæres extraneus ut in præfatis Militiis facit etc.* Monet item Cujacius (k) nullo modo ad Feudum trahi

(a) *Cuj. in fine Com. ad tit.* 21. *lib.* 2. *Feud.*
(b) *Cuj. ad tit.* 1. *lib.* 1. *Feud.*
(c) *Lib.* 2. *tit.* 21. *Feudor. juxta partit. Cujac.*
(d) *In Suppl. Mon. S. Bened. Congr. S. Mauri ad Glossorium Du-Cangii verb. Feudum.*
(e) *Cuj. in præf. Feud.*
(f) *Hotom. in Com. verb. Juris, et in XII. Tabb.*
(g) *Dionys. lib.* 2. *Antiqu. Rom. Aul. Gell. lib.* 5. *cap.* 13. *Plutar. in Romulo.*
(h) *Cuj. lib.* 2. *Feud. tit.* 7.
(i) *Panciról. Thes Var. Lect. cap.* 90. §. *quod forte*
(k) *Cuj. lib.* 8. *cap.* 14. *Observ.*

posse quæ de *Militibus limitaneis* memoriæ prodita sunt. Vix tamen ille profecit, ne asserta Vulphangno Lazio (a), Francisco Sonaberin (b) aliisque e *prædiis et militibus limitaneis* origo Feudorum latius etiam imposterum propagaretur. Unua autem maximo in testimonium adduci Lampridius solet, qui in Alexandro Severo Augusto, *Sola*, ait, *quæ de hostibus capta sunt, limitaneis Ducibus, et militibus donavit, ita ut eorum ista essent si hæredes illorum militarent.* Probum etiam Augustum Vopiscus momorat, qui *Veterauis omnia illa, quæ anguste adeuntur Isauriæ loca privatis donavit, addens, ut eorum Filii ab anno octavodecimo ad militiam mitterentur.* Nec advertunt Viri doctissimi quod ubi prædia *dono data* semel et iterum dicitur, omne etiam directum dominium collatum fuisse significatur: quod adeo Feudo vero repugnat, ut nihil magis possit esse contrarium. Nec militare stipendium continuo Feudum dixerim, nec Feudo adjiciam quinquaginta agri jugera (huc enim usque prosiluit (c) impetus Feudistarum) Marco Curio Dentato attributa ob ejus egregia in Rempublicam merita (d): imo vero quod Feudali nexu carerent nihil ad Feudum referam insignia munera, et urbes Magnesiam, Lampsacum, Myuntem, magnum Artaxersis in Themistoclem pretium (e), quo pollicitam perniciem Græciæ, ot interitum acceleraret. Eadem ratione refelluntur qui veteribus Hygino (f), Dolabellæ (g) aliisque, tum in jure frequentius usurpata vocabula *Beneficiorum* ad rem Feudalem adducunt. Primi Cæsares (si iis credas) primi Feudorum auctores sunt. Eja esto. Quorsum tamen Feudali jure nihil redolent (quod profecto necesse esset) copiosa illa vetustioris Cæsarei juris promptuaria, Codices Theodosianus, atque Justinianeus? nam quæ ibi aut scrinia Beneficiorum, aut Beneficia in Aquæductibus recensentur, cujusmodi sint accipienda, erudite prosequitur Jacobus Gothofredus. Milites etiam Beneficiarios Vegetius habet *lib.* 2. *cap.* 7. de quibus consule Isaacum Casaubonum in Spartianum (h), item Phil. Beroaldum, et Lævinum Torrentium in Tiberium Svetonii ad ea verba *Beneficii sui centuriones* etc. Ejus scilicet Beneficiarii dicebantur, cujus ant commendatione, aut suffragio promoti fuerant. Lampridius autem cum ab Alexandro Severo in Beneficiis tributas dixisset *præposituras locorum Civilium, atque administrationes, quæ ad procurationes pertinerent* e vestigio addit: *Præsides, Proconsules, et Legatos nunquam fecit ad beneficium, sed ad judicium vel suum vel Senatus*, ut Beneficium universim intelligas quod favore Principis et arbitrio indulgentiori collatum ait. Accedunt loca quædam Coloniis beneficio concessa, *quæ libro* (i) *Beneficium Cæsaris adscribuntur* (unde illud apud Gruterum (k) *M. Ulpio Augusti Liberto Phædimo*, qui Trajano Imperatori fuerat A. COMMENT. BENEFICIOR. *quæ diversa longe erant a Feudo; nec enim mutabatur loci conditio.*

VII. Item Vasalli longo sibi ac Procuratores Prædiorum, Actores, Custodes etc Juris Romani. Hi scilicet prælecti Cujacio ad imaginem Vasallorum.

Age vero consideramus quam prope tandem admoveri Feudo possint ipsimet Cujacio asserti Actores, Custodes, Procuratores prædiorum. Equidem tum sæpe alias, tum præcipue *l.* 6. *et l.* 18. *et l.* 19. *C. de agric. cens. et col.* prædia quædam in perpetuum sic attributa leguntur, ut qui ea colerent, certam eorum nomine pensionem præstarent, nec dimittere pro arbitrio possent. Nonnihil etiam fortasse adjuvabitur Cujaciana sententia verbis luculentissimis Salviani Massiliensis *lib.* 5. *de Providentia*: *Fundos* (inquit) *Majorum expetunt, et coloni divitum fiunt Jugo se inquilinæ abjectionis addicunt*, et rursus; *Quos suscipiunt ut alienos et extraneos, incipiunt habere quasi proprios: quos esse constat ingenuos vertunt in servos.* Et ne omni penitus militiæ munere destituti videantur coloni profectum Dominum memorat Cæsar (l) *ad occupandam Massiliam navibus actuariis septem, quas Sicilia et Sardinia privatis coactis servis liberisque Colonis suis compleverat.* Item (m) *certos sibi deposcit naves Domitius, atque has colonis, pastoribusque, quos secum adduxerat, complet.* Sallustius etiam in Catilinaria. *Ipse* (Catalina) *cum libertis et colonis propter Aquilam adsistit etc.* Sic nimirum Hotomanus existimat militarem colorem posse illiniri veteribus Romani juris hominibus, sed non idcirco concedendum parem esse illorum hominum et Vasallorum rationem. Etsi enim custodes prædiorum, et coloni liberi fuisse noscantur, eorum tamen conditio nedum servilis erat, quippequi (n) ἀναγκάζονται καὶ τὴν γῆν γεωργεῖν καὶ τὸ τέλος παρέχειν, atque adeo Terra eorum Domina nuncupatur *l.* 1. *C. de Col. Thrac.*, sed etiam agro vendito ipsi quoque vendebantur *l.* 2. *et l.* 7. *C. de agric. et censit.* Iidem usque adeo glebæ, et agricolationi addicti erant, ut *ne punctum quidem temporis* (sic enim dicitur) *abesse ab ea liceret*, *l. Colonos.* 14. *C. eod.* Inde ad nullum quantumvis humilem Militiæ gradum admitti poterant *l. Colonos.* 17. *C. eod.* Nam quod Domitius aut Catilina colonos suos in rem Militarem traduxerint, eum præter ordinem, consuetudinem, et conditionem aut servorum aut Colonorum traduxerint, nihil omnino prodesse possit. Quem vero fugit ingenuum semper et liberale Vasallorum hominum hisce libris describi? *Et licet sæpe Vasalli* (inquit Cujacius) *homines nostri dicantur, quia tamen ea appellatione proprie servi significantur, recte dixeris non tam eos, qui quid a nobis jure Feudi possident, homines esse nostros, quam nobis hominium debere.* Propriam autem, et perpetuam

(a) *Lib.* 1. *Com. Reipub. Rom.*
(b) *In tract. Feud. part.* 1.
(c) *Vid. Marinum Freccia de Subfeudis etc. lib.* 1. *cap.* 1. *de Orig. Feud.* §. 31.
(d) *Tit. Liv. lib.* 2. *Decadis primæ*
(e) *Cornel Nep. in Themistocle*
(f) *Hyginus de limitibus constituendis.*
(g) *Dolabella Auctor Grammaticus apud Goesium inter Rei Agrariæ scriptores.*
(h) *Casaubonus in Spartianum ad vitam Adriani prope initium.*
(i) *Cujac. ad lib.* 1. *Feud. tit.* 12.
(k) *Pag.* 1078 *num* 1.
(l) *Cæsar de Bello Civ. lib.* 1. *cap.* 8.
(m) *Eod. lib. cap* 12.
(n) *L.* 18. *C. de agric. et censit.*

semper habitam esse Vasallorum militiam nihil est cur uberius edisseramus. Illud potius monendum non nisi ad remotissimam quamdam imaginem Vasallorum (quod ex ejus verbis satis patet) Cujacium proposuisse Actorea, aut Custodes prædiorum, qui Homines in Jure dicuntur. Monendum etiam (ne vocis ambiguitate irretiamur) Hominum nomen latius in jure manare quam ut ad solos Colonos redigi possit. Sic universim Procuratorea, conductores, emphyteuticarii, chartularii Homines dicuntur *l. 4. C. de dignit. l. 1. C. de Cond. et proc. præd. fisc. l. 2. C. de Episc. et Cler. l. 1. C. de commerc.*

VIII. Rursus non id Feudum quod nostris libris describitur apud Langobardus, aut Gotthos.

Quando autem nihil in moribus Romanorum invenimus, nihil in eorum jure civili, unde origo Feudi, et principium repeti valeat, *inepte etiam*, inquit Cujacius *(a)*, *id repetieris e Longobardis sive Gotthis, quorum Leges nihil de Feudis habent palam*. Id ille dicit, non demonstrat. Quamobrem ne unius Cujacii auctoritate si qui dissentiunt (sunt autem plurimi) obrui querantur, eamdem sciant Ludovico etiam Antonio Muratorio imbutam animo opinionem, eoque firmiorem, quod nedum in Legibus, sed ne in monumentis quidem illius Gentis quicquam se unquam deprehendere potuisse testetur *(b) unde eluceat apud eos Populos Feuda in usu fuisse.* Atqui is potissimum Muratorius, qui omnem rem Langobardicam longa diuturnaque lectione quasi in sanguinem, et succum vertcrit. In Langobardorum autem Legibus quisnam unus Muratorio exercitatior, qui adeo egregiam iis curam navavit, ut mirum quantum post Muratorium detractum fuerit splendoris laudatissimis ante, et celebrioribus earum Legum editionibus Basilensi Basilii Johannis Heroldi anni 1557. , tum binis Francofurdiensibus anni 1613. Friderici Lidenbrogii, et Melchioris Goldasti? Itaque unus mihi Muratorius omnium instar ea in re est ut nec majus aliud Cujacio præsidium quæram, nec validius quicquam expostulem quo Langobardi dejiciantur a vetcri et vulgatissima exorti incœptique apud illos Feudi possessione. At enim (inquiunt) legibus Langobardorum causas non raro Feudales his libris dirimi nemo negaverit. Bene habet. Verumtamen quanto etiam plures causæ iisdem hisce libris jure Romano (c) definiuntur? Ergo Feudum e jure Romano? Id vero illi negant. Urgeot etiam ad singulas fere horum librorum paginas aut verba occurrere, aut mores Langobardorum; perinde vero muta verba, et jejuna, non vim verborum deceat attendere; aut vero nihil quicquam hisce libris insertum sit quod non continuo germanum Feudum ita significet, ut ab illus natura separari non possit, nec eo uspiam uti potuerint Langobardi, quin Feudo statim obligarentur. Quod præcipuum adverti velim in universa Cujaciana Interpretatione Feudorum, ne luculentissima, qua scatet, Langobardicæ eruditionis peritia, adversus ipsiusmet Cujacii mentem, perperam abutamur. Illud autem palmare est Sigonio *(d)*, Pancirolo *(e)*, aliisque, quod Autharis III. post debellatam citeriorem Italiam Langobardorum Rex triginta Ducibus, quibus post mortem Clephonis Regis Res Langobardica permissa fuerat, urbes ditionesque concessit, *quos* (inquit Pancirolus) *ad stirpem virilem tantum transmitti voluit, dominio supremo sibi reservato.* Inde illi Feudum coficiunt, quod omnino confici nequit, tum quia, ut cetera etiam liberaliter tribuam, nihil tamen statutum videam, quod mutua præseferat Vasalli, et Senioris officia, tum quia in propriis bonis et alodialibus verum Feudum constitui soleat, in iis autem Ducibus nihil præterea quicquam cernam quam administrationem Reipublicæ sic in Principes distributam, ut tamen unus omnium præesset. Et si eorum temporum res gestas evolvas, certe hæreas anne Autharis iis Ducibus regnum deberet, an Duces Authari ditiones suas. Porro priores Authari Duces a Populo electi, nec nisi Ducum auctoritate Rex Autharis institutus. Isthæc ipsa Sigonius novit, nec certe alia scribere poterat quam quæ e Paulo Diacono præsto essent primordia Italici Regni. Paulus autem ad hanc rem *ob restaurationem*, inquit *(f) Regni Duces, qui tunc erant, omnem substantiarum suarum medietatem Regalibus usibus tribuunt, ut esse possit unde Rex ipse* (Autharis), *sive qui ei adhærerent, ejusque obsequiis per diversa officia dediti, alerentur.* Atque hoc quidem loco, quo maxime oportuerat, nihil Paulus habet, quod Feudo accomodes. Imo vero nec imperatam, sed sponte collatam oblationem ex ejus verbis resumas. Nimium etiam laboraveris si ubicumque pro concessa possessione imperatum tributum legas, ibi continuo Feudum ponas. Quin major instet labor si quoscunque Populos ad imperium muliebre indociles cernas (huc enim refertur virilis successio Langobardorum) in iis Feudum suspiceris. Quod si tantus amor incesserat repetendi a Langobardis Epochen Feudorum, quorsum non vetustius ab Alboino primo Langobardorum in Italia Rege exordiuntur? Nimirum vel ante Mediolanensem victoriam, e qua Italum profluxit Regnum Langobardorum XV. fere annos anto Autharim Regem, Ducatum Forojuliensem *(g)* Alboinus erexit, ejusdemque Ducem instituit Gisulfum *regimen Civitatis, et Populi suscepturum*, ut scilicet supremum Dominium Alboino reservatum intelligas. Tametsi, si quid video, non facile ex historia illius ætatis expedias anne Regi, aut potius victori Populo, cujus armis, arbitrioque debellata Italia continebatur, supremum tunc ejusdem Dominium addiceretur, ut ideo Langobardicæ Reipublicæ regimen, et munimentum tum Regi primitus a Populo, tum per Regem deindo Ducibus confirmatum fuisse dicendum sit; Feudum sane nullo modo. Et cum magna vis Feudi in subordinatione Vasallorum posita sit, imo vero, si penitius introspicias, ea propris natura Feudi ex historia medii ævi agnoscatur, ut qui major Vasallus Feu-

(a) *Cujac in præf. lib. 1. Feud.*
(b) *Murat. Dissert. XI. T. 1. Antiquit. Italicar.*
(c) *Vid. lib 2. Feud tit. 1. et alibi.*
(d) *Sigonius lib. 1. Hist. Regni Italiæ ad annum 585.*
(e) *Lib. 1. Thesauri var. lect. Juris Hist. Feud*
(f) *Paulus Diaconus de Gest. Langobard. lib. 3, cap. 16.*
(g) *Paulus Diaconus lib. 2. c 9 de Gest. Langobard.*

dum amplissimum obtineret, ejusdem partem aliquam, minoribus adscitis Vasallis, quasi cogeretur in frustula distribuere (inde Subfeuda, et Vasalli subalterni), quo sic ipse hominio multiplicato promptior, instructiorque eodem Feudali jure esset ad exhibenda servitia Principi Seniori suo; mirari profecto subeat quomodo tom late in triginta, ut minus, Ducibus Langobardicis Feudo constituto, in iisdem sic substiterit, ut nullum reliquum superait vestigium initæ apud illos Subfeudationis. Cujacius (a) in hanc rem Gerardum excitat testem, qui cum esset Langobardus, inepte mehercle dixisset, quod tamen dicit, ***antiquissimum Jus Feudorum***, si primum Feudum a Langobardis manasset. Alterum et ipse testem Obertum excitabo, qui dum (*b*) causas alias dirimi sit jure Romano, alias Legibus Langobardorum, alias ***secundum Regni consuetudinem***, porro consuetudinem Regni sic distinguit a Legibus Langobardorum, ut adinvicem confundi non possint. At enim nihil aliud eo loco consuetudo Regni, quam Jus Feodorum, cujusmodi et illud ***lib. 1. Feud. tit. 82. Si per Pares secundum usum Regni etc.*** et alibi sæpe. Satis hæc, ut intelligas quid Gerardus, et Obertus de Origine Feudorum senurent, et quam longe eam abducerent a moribus Langobardorum.

IX. Nec apud Gallos aut veteres Soldurios, aut temporum Merovingicorum, aut Carolingicæ Dynastiæ etc.

Qui autem ad vetustissimos usque Gallos, aut saltem ad Merovingicam Dynastiam, Feudi originem retrahunt, ii fere video quid sequantur. Iisdem tamen commonendis unicum excitabo depuratioris Francorum Historiæ, et solidioris eorundem Juris consultissimum Hainault (c), qui cum omnium recentissimus scripserit, tam magnificas opiniones ignorare non potuit, ut non nisi summo criterio ab iisdem removeretur. Nimirum in X. Ecclesiæ Seculo subsistit, atque in eo demum figit Epochen apud Gallos Feudorum. Nec moveor auctoritate Aimoini, qua præcipue Alteserra, aliique ad Seculum Ecclesiæ V. aut proxime VI. rem Feudalem traducunt. Ecquæ enim tam certa narratio Aimoini Monachi Floriacensis, qui cum tempore obscurissimo scripserit, integra etiam quinque secula a rebus descriptis distabat? Porro vetustissimi Rerum Francicarum historici apud Du-Chesnium Ducatum quidem Milidunensem Aureliano a Clodovæo concesaum tradunt, de jure autem ***Beneficii*** nihil tradunt. Refutatur etiam Carolus Molinæus, qui se vidisse scribit ***antiqua*** instrumenta donationis antiquorum Feudorum factæ per Childebertum I. Clodovæi I. Filium Francorum Regem Monasterio Sancti Germani Pratensis. Siccine Regalem omnem in Monasteria munificentiam Feudum vocabimus? ***Ipsum diploma***, inquit Muratorius (*d*), ***jam editum vide: nihil tale inde exculpas***. Quæ vero de Carolingicæ Dynastiæ Beneficiis fidenter pro Feudis assumi solent, diligentius paullo infra explicabuntur, ubi etiam e serie rerum et temporum intelligetur nullo fundamento fulciri quod memoriæ proditum scribit Sigonius (*e*) ***Lotharium, I. pro foribus Basilicæ Vaticanæ de Feudis statuisse***. Confusio autem irrepsit ob Lotharium II. Augustum, et Germaniæ Regem III. cujus magna in hisce libris auctoritas est, ejusdemque Diplomata libro V. Feudor: inseruntur. Et prior etiam in eundem errorem inciderat Gerardus ipse, quem egregie Cujacius redarguit ***lib. 1. Feud. tit. 17***. Eodem modo in IV. horum librorom tit. 49. Capitula Conradi Regis inscribuntur, quæ haud dubie sunt Friderici. Feudorum autem morem, quem Connanus a ***Gallicis devotis*** seu ***Solduriis*** repetit, quorsum non eadem ratione repetamus e devotis etiam Hispanorum, de quibus Plutarchus in Sertorio, aut e devotis Celtiberorum, quorum meminit Valerius Maximus? In istorum autem fide illud præcipuum erat, ut Patrono interfecto sibi mortem consciscerent, nec ullus plane eorum erat, qui ob eam rem renueret interire: immane porro hominium, et in Vasallis Feudalibus inauditum. Ut vero facile concedatur veteres illos Gallorum Soldurios mercedem aliquam muneris sui, et quasi auctorsmentum servitutis Patronorum suorum beneficio accepisse, Cæsar tamen cum omnia commoda Patronorum promiscua, et communia Solduriis ipsis describat, satis expressit non certos et proprios agros Solduriis fuisse attributos: qua tamen in re maxime constituitur id genos Feodi, quod hisce libris descriptum est.

X. E consarcinatis potius moribus veterum Germanorum, et Romanorum Consuetudines Feudales succrevisse videntur. Inde pleraque in iis contradictoria.

Atque hæc quidem universa simul colligata conjunctaque si quis animo complectatur, facile tribuat nullo modo Viros doctissimos in tam magnam diversitatem opinionum, quotquot hactenus refutavimus, abripi potuisse quin sua quisque peculiari Feudi imagine duceretur, quam hisce libris insertam cum in moribus aut Romanorum, aut Germanorum (etenim seu Gallos, seu Gotthos, seu Langobardos accipias, omnis soboles Germaniæ est) sese deprehendisse crediderit nihil ultra sollicitus, uni earum Gentium alteri Feudum alligarit. Admoneri profecto illi debuerant, si suæ quisque sic confideret opinioni, ut ab eadem non posse dejici existimaret, et eæ tamen omnes miris modis dissentirent, multo maxime probabile esse peculiare aliquid in utriusque illius Gentis aut moribus aut institutis adinveniri, quod cum una commixtum in hosce libros deductum sit, causa esset tam magnæ dissensionis; nec vero certum principium Feudi ejus, quod hisce libris describitur, consequi posse, nisi in utriusque illius Gentis copulatis moribus inquireretur. Intelligendum est autem quod pluribus prosequuntur Grotius, Bodinus, Pufendorfius, et qui reliqui de Jure Naturæ et Gentium scripserunt, nullam quidem esse Societatem, cui non aliquando adhibendum Bellum sit, idque laudabile, dummodo aut mitis sit exitus aut necessarius, sed in eo ipso magnam esse Societatis alterius ab altera diversitatem, dum altera ad bellum ferocientibus animis quasi

(a) *In Præf. ad lib. 1. Feud.*
(b) *Lib. 2. Feud. tit. 1.*
(c) *Hainault Abregé Chronologique de l' Histoire de France etc. an. 922.*
(d) *Murat. Dissert. XI. T. I. Antiquit. Italic.*
(e) *Sigonius lib. 4. Hist. de Regno Ital. ad ann. 825.*

nata esse videatur, altera sic bello fungatur, ut pacis studiosa in pace sine injuria quam diutissime vivat. Atque ejus quidem utriusque cum finis dissimilis sit, porro nec eædem esse poterunt leges, nec mores iidem, quos utcunque parce conjungas, semper tamen supersit aliquid, unde indigestam commixtionem valeas subodorare. Omnino autem subodoratur in hisce libris Feudorum, ut nec alio censeam referenda absurda multa, nonnulla etiam contradictoria, quibus hi libri scatere videntur, eo opportunius hoc loco innuenda, ut inde etiam Lectores admoneantur in quæ maxime intendere animum necesse sit, ut plenior Cujaciana Sapientia a vulgari ceterorum Interpretatione discernatur. Contradictorie ea videntur. Ut lis inter Vasalli demortui agnatum, et extraneum non apud Dominum per Pares, sed per Judicem ordinarium, vel arbitrum disceptetur *lib.* 2. *tit.* 15. deinde vero *lib.* 4. *tit.* 55. eadem lis iisdem fere verbis profertur, ut per Pares apud Dominum disceptetur. Item de investitura *lib.* 1. *tit.* 28. §. 1. ut Paribus absentibus liceat investituram adhibitis testibus extraneis fieri, et non liceat fieri *lib.* 2. *tit.* 3. §. 1. et *lib.* 4. *tit.* 36. etc. Huic simile illud *tit.* 28. *lib.* 1. §. 2. ut cum Vasallus non possidens sese investitum contendit, deficiente probatione, Patrono detur optio, ut aut juret, aut auctori deferat; quod idem confirmatur *lib.* 2. *tit.* 3. § 1. Contra ut Dominus nullo præstito sacramento absolvatur *lib.* 4. *tit.* 36. et ut Patrono jusjurandum deferatur *lib.* 1. *tit.* 1. §. *Si autem controversia etc.* Accedit, ut sola traditione sine investitura justum Feudum acquiratur *lib.* 4. *tit.* 36. et non acquiratur *lib.* 1. *tit.* 26. Item ut fraterni Feudi successio si fratres simul habitent concedatur *lib.* 1. *tit.* 19. et non concedatur *lib.* 2. *tit.* 12. Item ut in Ducatu, Marchia, et Comitatu jus successionis sit, et non sit *lib.* 1. *tit.* 9. Item ut lex commissoria adhiberi in Feudo constituendo possit; *lib.* 4. *tit.* 66. et non possit *lib.* 1. *tit.* 29. Item ut muto, surdo, cæco, claudio paterni Feudi successio concedatur *lib.* 4. *tit.* 41. et non concedatur *lib.* 1. *tit.* 2. §. *ult.* Item ut si Feudum a fratribus communiter sit acquisitum, fraterna successio permittatur *lib.* 1. *tit.* 19. et ut non permittatur *lib.* 1. *tit.* 1. §. *Et quia videmus.* Hæc scilicet præcipua contradictoria in libris Feudorum memorat Hotomanus, quibus etiam ambigua multa subnectit in Præfatione ad Disputationem de Feudis. Neque putandum est e varia solum Civitatum Langobardiæ consuetudine tantam ambiguitatem et discrepantiam in hosce libros invaluisse: quandoquidem quotiescumque de peculiari Civitatis alicujus instituto occurrat oratio, expresse signari istud fere soleat. Neque vero principes horum librorum auctores Gerardus, et Obertus cum ejusdem ambo urbis Consules *(a)* essent, et eodem fere tempore scripserint, tam diversa expromere potuissent, nisi diverso sæpe principio obsequi cogerentur, quod cum e dissimillimia geminæ Gentis moribus derivaretur, nulla arte aut ingenio conglutinari penitus posset. Nec me fugit quantum ad hæc etiam potuerit barbaries seculorum. Non me fugit incomposita diversorum Auctorum fragmenta in librum præcipue IV. irrepsisse. At enim ut alterum dubitari jure possit anne rude ævum, et tam varium Doctorum ingenium concinno, et in omnibus cohærenti systemati conficiendo par esset, alterum certe dubitari non possit, in iis, quæ intimiorem Feudi naturam proprie, et vere constituunt, tam aperta contradictoria induci non potuisse, nisi e contradictoriis principiis deducerentur. Sic nimirum nedum in lis tantum locis (ea scilicet ad exemplum protulimus quo simile quidpiam in aliis etiam suspicaremur), sed alibi quoque sic, inquam, onervatam successionem deprehendas, sic severe exactam investituram, sic multa Vasallo imposita, sic omnia Seniori tributa, ut in nullam rem aliam magis prospici videatur quam ut præpotentium paucorum dominatus confirmaretur, possessio autem omnis evocaretur vel a remota quidem imagine juris optimi, sive alodialis. Ea porro certa ratio ferocientis societatis, cujus omnis politia impetu atque concitatione contineatur. Contra sic alibi facilitate adipiscendi, atque diuturnitate successionis in similitudinem boni alodialis possessionem omnem firmatam videas, si rursus provocatione patefacta licentiam Senioris atque Convasallorum compressam cernas, sic demum interclusam occasionem acrioris servitii aut exercendi, aut exposcendi deprehendas, ut expressos mores intelligas Populi sedatioris, cujus summa Juris omnis in Fide, et æquabilitate rerum magis quam in vi et coactione posita esset. Sunt hæc autem potiora discrimina duplicis illius societatis quam antea describebamus. Sunt hæc eadem quasi caracterea, et notæ, quibus peculiaribus. Jus civile Romanorum a veteribus Germanorum institutis magno intervallo distinguitur, et separatur, ut ideo vel ex hiace maxime appareat Feudale systema, cujusmodi his libris concluditur, non aliunde quam e duplici eo fonte in unum sensim coeunte emanavisse. Egregie Tacitus in Agricola: *Castrensis* (inquit) *Jurisdictio secura, et obtusior, ac plura manu agens, calliditatem Fori non exercet.* Contra Jus Civile Romanorum in subtilissima omnium æquabilitate, *neque enim aliter esset jus.* Cic. Off. 2. cap. 7.

XI. Pleraqueabsurda. Clarius idem quadantenus intelligetur e plerisque absurdissimis, quibus hi libri fætere putantur. Ordiar autem ob ipsomet primigenio principio Feudi, quod cum Beneficii loco habeatur, nec pretio aut mercede constitui *(b)* possit, attamen numerata pecunia, perinde ec bonum optimum et alodiale emi permittitur, vel mulieri etiam si placet (c). Inde alterum ut si Mulier, quæ Feudum tenet, filios e duobus Matrimoniis reliquerit, soli filii e priori Matrimonio (Cujacius emendat e *posteriori*) suscepti tum in Feudo tum in Alode potiores sint *(d)*. Accedit ut pactio, quæ in secundis Nuptiis transacta sit, ne Filii, qui

(a) *Sigonius lib.* 12. *Hist. ad ann.* 1154.
(b) *Lib.* 1. *tit.* 29.
(c) *Lib.* 1. *tit.* 25. *lib.* 2. *tit.* 12. *etc*
(d) *Lib.* 4. *tit.* XI.

ex iis nascentur succedant nedum aliis superstitibus filiis, sed iisdem quoque mortuis valere debeat (a). Ecquid ille ut Feudatarius solus et agere et conveniri etiam de Feudi proprietate (b) possit; ut quod inter Feudatarium, ot extraneum judicatum, aut transactum fuerit, Dominus quamvis non vocatus, quamvis nesciens, ratum tamen habere (c) cogatur? Item absurda videntur; quod Dominus, qui se non investisse juravit, utcunque se investitum Vasallus testibus idoneis probet, libere nihilominus absolvatur (d). Rursus, quod Feudum e fide, et clientela coalescens ab eo tamen qui neque fidem dedit, neque jurejurando se obligavit, teneri possit, isque Vasallus vocetur (e). Item quod si Patronus in jus a Vassallo vocatus, non venerit, liceat Vasallo in illum grassari, et prædas agere (f). Item quod servus, qui ne investituræ quidem adhiberi testis potest, attamen nomine Domini sui et investire valest, et investiri (g). Longus essem si universa commemorarem, imo hæc ipsa quispiam quærat quorsum pertineant, tam longe petita? Nempe illuc pertinent, ut intelligatur quod utcunque succi plenus Cujacius ubique ait, quidam tamen in hisce libris distinguendi loci sunt implicatiores, qui cum ad communem sensum accepti Feudistis quibusque exercitioribus, cujusmodi Hotomanus erat, crucem figere soleant, admirabilior in illis Cujaciana sapientia, atque industria est, ne omnino aut hæreamus, aut fluctuemus: vero enim novo huic Augiæ stabulo defæcando vix novus hic Hercules satis erat. Interim quod ad rem propositam facit, id inde colligimus veteres mores Germanorum et Romanorum abinvicem (quod satis constat) discrepantissimos no in hosce quidem libros confluere potuisse (de quo diligentius infra §. 27.) quin perpetuum maneret vestigium dissimilitudinis, ot varietatis.

Quo autem quasi gradu coiverint statim expediam, si prius duo vitia animadverterim, quibus præcipuis videtur mihi res Feudalis, ut plurimum solere perverti. Unum est eorum, qui sic in omnibus uniformem, atque perpetuo eamdem Feudi ideam observant, ut ne latum quidem unguem ab ea unquam discedant, ubicunque demum hoc nomen inveniatur seu in hisce libris, seu in Diplomatibus antiquis, seu in historia rerum anteactarum, quando tamen nihil hoc nomine magis ambiguum, nihil incertius paullo infra ostendetur: Imo vero in hisce ipsis libris si semel propriam Feudi naturam (quod antea fecimus) ex intimioribus, et sæpius repetitis characteribus arripueris, non tam quid in reliquis dicatur quam quid sobrie sentiri debeat spectandum esse ex antea recensitis contradictoriis pluribus, ambiguis, absurdis satis patefecerimus. Ecquid autem illustrationi eorum fidas, qui incertissims, nec provisa ambiguitate nominis ducti eo etiam induci possint, ut XII. Duo vitia procliviora in Interpretatione Feudorum. Quintuplex ætas Feudalis. Ad eamdem præmonita quatuor.

Serpentes avibus geminentur, Tigribus agni?

Alterum est vitium quod quidam nimis late patere sinant Interpretationem horum librorum, nihil minus advertentes quam quod omnino debuerant advertere solius Langobardiæ veteres Consuetudines hisce libris concludi. Inde non invidenda eruditio illorum est, qua sibi licere putant cujuscunque ait Gentis, aut temporis Feudales mores nullo prorsus aut criterio, aut discrimine in horum librorum explanationem adsciscere: qui iidem laudandi haud dubie essent si ad scitam quamdam temperantiam sic calamo induisissent, ut sola analoga, et propiora præeligerentur. Nunc vero cum ipsamet alienissima non raro coacervent, laudari non possunt. Quibus vitiis declinandis, et ut inexhausta Cujacianæ in hosce libros eruditionis supellex in certas partes distribuatur, atque inde pateat quanta cujusque partis auctoritas esse possit, et vis, sic mihi, nova quadam partitione, in quinque quasi ætates Res omnis Feudalis distinguenda esse videtur, ut ad præsidium et memoriæ et ingenii sigillatim pateflat, si qua ratione possit, et quibus primis, atque ex ipsa natura hominis derivatis æquitatis necessitatisque elementis Feudum exortum sit, et quomodo deinde ac apud quos Populos potissimum adoleverit, tum paullisper resederit, deinceps ad ferocem juventæ florem pervenerit, postmodum quibus artibus sedatius Feudum quasi in virilitate substiterit, tandem ut consenuerit. Ita vero intelligetur: I. Adequatam, et dilucidam Rei Feudalis Ideam acquiri non posse, nisi uberior, et distinctior instituatur oratio quam Feudistæ fere soleant. Huc usque scilicet non nisi e nostris libris locuti sumus, e quibus omnino solis loquendum erat, si non aliud quam quod hisce libris describitur, aut ei proximum Feudum quærant viri illi doctissimi tam diversis et repugnantibus opinionibus suis. Latius nunc spatiabimur, et post immutabiles quasdam, et absolutas, atque in summa ratione positas Feudorum notiones certa deinde stamina Feudorum a remotissima antiquitate ad infima usque tempora deducentur. Nimirum peculiare quoddam Feudi genus veteribus Germaniæ indigenis negari non potest. Peregre iis postea in Occidentalis Romani Imperii devastationem effusis nihil fere Feudalis moris in devictas gentes derivatum: mansit tamen ingenitus quidam spiritus ferocitatis, quo ad X. seculum novis causis obortis exasperato novum Feudum erupit, quod pacatius in scripta redactum ad XII. seculum perfectum est. Deinde, et præcipue post XIII. Seculum novi mores etc. II. Accurate distinguendum id quod intimam, et integralem Naturam Feudi constituit ab accessoriis quibusdam Feudalibus, cujusmodi judicia, provocationes etc. Hæc multa colligi posse ex Le-

(a) *Lib.* 4. *tit.* 32.
(b) *Lib.* 4. *tit.* 52.
(c) *Lib.* 4. *tit.* 23.
(d) *Lib.* 4. *tit.* 1.
(e) *Lib.* 3. *tit.* 1. §. *Prima autem causa, in fine; item lib.* 2. *tit.* 16. *etc.*
(f) *Lib.* 2. *tit.* 22. §. *Si vero Vasallus.*
(g) *Lib.* 2. *tit.* 4.

gibus Langobardicis, aut ex Capitularibus Regum Francorum facile tribuo: illud nego. Item apprime distinguendam significationem verborum. Ita Tribonianus in Digestis titulum posuit *De precario*: et nemo tamen adeo improvidus fuerit qui e Digestis ea repetat quæ *de præcariis* sequiori ætate invaluerunt, licet idem utriusque Beneficii sit nomen, et eadem nominis ratio quod præcibus petenti concedatur. Multo istud magis advertendum in moribus Medii Ævi. III. Quemadmodum proposita Feudalium ætatum distributio una maxime apta esse agnoscetur rite et utiliter digerendæ eruditioni Cujacionæ, atque inde etiam supplendis si quæ minora in Cujacio desiderentur aut carpi soleant, sic eadem distributione edocebimur quo demum oculo in Ipsismet Cujacianis Commentariis deceat versari. Exemplum habeas, quod positum in una re transferri per multas possit. In Com. Feud. ad tit. 30. lib. 1. quoad Redemptionem Feudi; *Carolus Magnus* (inquit Cujacius) *de heribano statuit, ut a ditioribus exigantur libræ tres*, etc. Item de Sacramentalibus in *Com. ad tit* 24. ejusdem libri: *In Sacramentalium* (inquit) *numerum computatur Reus, qui jusjurandum præit, l.* 5. *et* 12. *Long. qual. quis se def. deb. etc.* Nimirum Carolum memorat, provocat ad Langobardos, et tamen utroque eo loco de nostro Feudo Cujacius ogit. Ergo nostrum Feudum a Caroli usque ætate aut Langobardis? Apage. Nonnisi enim in externam quamdam illustrationem ea adducuntur, meritoque adducuntur dummodo advertatur non majorem inde auctoritatem, et vim mutuari quam quæ ex analuga comparatione aut adoptatis moribus proficiscatur. IV. Apparebit non dissimili modo, tametsi contraria ratione, hosce libros Feudorum coaluisse ac Codex olim Alaricianus. Præcipua in eo quæque ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano, Paulli sententiis, et Institutionibus Caii, eum non aliud quam purum putumque Jus Romanorum suo Codice comprehendi voluerit (a) Alaricus Junior Rex. At enim artifex Anianus Gotthus. Ita sæpe Gotthici mores pro Institutis Romania Gotthica manu vel invito animo inducti. Hi illi Anianismi Cujacio, Gothofredo, Byokershoekio, aliisque reprehensi. *Sed mehercle non secus ac Gotthos ingentia ontea flagitia ipsummet Tribonianum admisisse constat, detortis sæpe, exempli grotia, Ulpiani verbis in sententiam Justiniani, atque in jus, quo tum utebantur* (b). Haud dissimili modo hi libri Feudales. Teterrima ad X. Seculum prævalente Occidentalis Imperii Anarchia effræne continuo Feudum e barbaris omne moribus invalescens: mitius deinde certis consuetudinibus dirigi cœpit: tandem quasi in systema redactum ab iis est, qui renatis moribus Romanis allecti eorumdem in Feudum omni ratione deducendorum magnum aditum patefecerunt: atque eo semel aditu patefacto, nihil deinde non tentatum, quo primæva Feudalis ferocia ingruentibus humanioribus moribus obrueretur.

XIII. Prior continentur ætate primigenia Feudi Elementa e necessariis Naturæ Hominis principiis ad Historiam Heroicam adaptata.

Interea primigenia Feudi elementa priori ætate concludimus. Perinde autem ad eam rem fuerit seu metu periculi, seu spe utilitatis, seu mutui amoris impulsu (huc scilicet referuntur præcipua systemata Philosophorum) homines primum in societatem adductos dixeris. Tametsi satis constat post primam creationem non aliam fingi posse humani generis propagationem quam quæ e conjugio genita sit. Unde nedum eadem omnium hominum communio naturæ, sed vinculo ipso propagationis, homines omnes ad necessariam Societatem amore mutuo colligatam geniti intelliguntur. Quod cum ad unamquamque miliam adaptari facile possit, brevi tamen multiplicata humana sobole in latiorem Societatem homines coadunati (quæ inconstantissima hominis indoles est) in societate permanere vix potuissent, nisi naturali illos vinculo naturalis necessitas edomavisset. Ejus autem generis excogitandum vinculum est, quod cum naturali eorumdem conditione valeat conciliari. Naturali scilicet conditione homines æque omnes liberi sibi nascuntur, omnes æquali jure pollentes in medium positæ vindicandæ possessionis, ut indo vel citra naturalem eum statum neminem videas (nisi si quis a vulgari instinctu remotior) qui quasi veteris vestigio juris, non abundare malit quam egere, non malit præesse quam servitio premi. In naturali autem statu, naturali suo jure homines expoliari non poterant nisi aut ratione devicti, aut vi fortasse præpotentiori. Ratione velim homines primum edoctos quid jus et fas esset, et quibus præsidiis contineri societas posset, quæ corrueret omnis, et interiret, si eadem omnes energia jus cuique proprium aut effusæ libertatis, aut indivisæ possessionis assererent. At enim id intelligere, fuisset hominum sedatorum depuratioribus Ideis utentium, cujusmodi in rudi adhuc consociatione non verisimile est suspicari; certe non possit exigi ab efferata Societate, quæ a patria Noachi justitia in belluarum feritatem devoluta omnis esset. Victu scilicet, cultuque parcissimo, durissimoque primigeniæ simplicitati naturæ accomodato, nulla adhuc oblata occasione leniorum cupiditatum exerendarum efferatissimum robur sensim homines induisse, quo semel ob possessionem rerum in medio positarum exasperato, anarchica immanitas Polyphemi typo adumbrata successerit, laudatissima hypothesis est hominum intelligentissimorum. Jam vero effrænata licentia grassante, in pari jure, eademque pari cupiditate adipiscendi cum non plus uno possessio eadem addici posset, plus ii consecuti putandi sunt, qui plus robore ingenioque antecellerent, atque audacioribus viribus ad tuendam possessionem valerent. Nec rursùs ab indomita anarchia ad formam aliquam Juris evocari homines poterant, nisi conatu quodam vehementiori, quo demum conatu pauci ex iis præpotentiores possessionis omnis potiti, reliquam multitudinem in necessitatem adegerint legum accipiendarum. Hos Heroicos Hercules dixeris, quos plures extitisse memorat M. Varro, et unicuique fere Genti suus Hercules peculiaris asseritur: *quidquid scilicet ubique magnificum in claritatem ejus referri solitum* (c). Ita a ferina

(a) *Vid. Jacob. Gothofredum Proleg. Cod. Theodos.*
(b) *Cujacius in cap. 1. lib. 2. Instit.*
(c) *Tacit. de morib. Ger. §. 31.*

licentia ad ferocem Oligarchiam naturali successu homines primum tranaiisse noscuntur, atquo hæc prima apud illos inducta noscitur libertatis ot servitutis distinctio. Et quoniam nihil violentum possit esse diuturnum, invalescentem in dies servilem manum, sævi impotentisquo dominii pertæsam in atrocissimas seditiones orrupisse e penitiori Mitbologis, et paucia, quæ adbuc supersunt. Heroicæ bistoriæ fragmentis illnstrat J. B. Vicus. Sic autem sbnormi societate in supremnm discrimen adducts, tantnm de usurpats dominatione, possessionoqne præpotentiorea il remittere debuerunt, quantum tuto, et sine periculo retinere non poterant. Indo mitiori dominstione succedente, tum laxiores permitti debuerunt babenæ servitutia, tnm vero (qnando aliud fieri non posset, et de rerum possessiono potissimom ageretur) utilis possessio rerum sic concedi debuit multitndini, ut tamon supremum et directum dominium s Potentioribus retineretur. Atque bæ quidom vicissitndines cum omniom certissimæ videantur, quascunque meditstione consequi possumns, ferocienti societati hominnm contingere dobuisse, quibus a ferins communione ad certam imaginem Religionis, et Juris evocarentur, in iisdem porro sgnoscamus necesse est universalia rudimenta et primordia Populorum omnium et Gentium, quæcunque demum per Terrarum orbem dispersæ sunt, cnm non aliæ aut intelligi, aut fingi Gentes possint politioribus utcunque moribus institntæ, quæ ex informi ea societate non prodierint, atque eductæ sint. Inde refutantur Cicero, Demostbenes, Aristoteles, Herodotus, et si qui reliqui sd oratoriam quamdam probabilitatem magnificentius quam verius scripserunt, principio Societatum, justos Reges statim ob prævalentem eximiæ integritatis et justitiæ opinionem, consensu Populorum, adeptos Regnum. Eam primam, si iis credas, omniumque vetustiorem formam Dominationis. Quis credat autem, non consentiente ratione? Quamquam monumentis etiam Antiqnitatis præmonimur. Auctores scilicet sentiendi gravissimi Thucidides *in proœmio*, Plutarchus *in Theseo*, Cæsar *lib.* 6. aliique sat prodont primum illud hominum genus nil prius potiusve babuisse quam obvios quosque expoliare, male afficere, occidere, aut in servitutem coercere. Hinc primas quasque Civitates ante Abrahsmi ætatem redondantes legimus servitiorum. Testis autem historia Sacra Nimrodum Chami Nepotem primum omnium homines ad Imperium subjugavisse. Hic dictns venator robustus; quo nomine crudelem usurpatorem significari, præter Hebræam vocis derivationem, satis etiam confirmatur testimnnio Josephi Flavii, et Pbilonis. Sed enim hæc obiter. Nam quibns præcise gradibus, Divins Providentia dictante, dispersæ Gentes ad politiora instituta pervenerint, atque ad æqnsbiliorem distributionem eam et juris et rerum, qna præcipua Populorum felicitas continetur, eorum fuerit oxplicare, qui tat hæc sibi quasi propriam Spartam assumunt, atque ex intima perspecta natnra hominis, universsliores Societatum vicissitudines exprimere posse confidunt. Sat mihi innuisse qnomodo s furenti anarchia ad æquabilem Politiam primævi homines pervenire noo potuerint, nisi idem per medium Statnm trsnsirent, quo et compressior quidem, sed tamen aliquis ferociæ impetns effervesceret; et simul flexibilior Multitudinis servitus mutuis quibusdam Potentiorum officiis deliniretur, et sic fructus aliquis possessionom Multitudini permissus esset, ut tamen directnm dominium (sic enim sjunt) apud Potentiores maneret. Ecquia autem in eo statu Feudalem spiritum, ut ita dicam, non novit? Juvat scilicet abstractum Feudalem spiritum a concretiori Feudo separare, quo dilucidius appareat quid suo cuique tempori sit tribuendum. In Feudo siquidem concreto (hoc verbo utor quando aliud non suppetat significsntius) præter intimiorem eum spiritum contentionis, utilitatis, et obsequii, quo Feudi veluti essentia continetur, advertendæ etiam peculiares formulæ sunt, quibus multiplicibus modificari is spiritus potest, atqne actuosus fieri. Suæ sunt hisce libris formulæ peculiares. Possent etiam esse aliæ, et eæ quidem diversæ, absque eo quod Feudalis idcirco spiritus deperiret. Et ita si jus Civile Romanorum omni prorsns Feudali spiritu carere ostendatur, ineptus esset qui ex eo Jure Civili nostrum Feudum derivaret. At enim et is quoquo ineptus qui nostrum præcise Feudum aut Gotthis, aut Langobardis, aut Gallis tribueret, qnod eæ Gentes Feudali quodam spiritu effervescerent nisi una simul demonstraret iisdem prorsns ac quæ hisce libris descriptæ sunt, legitimis formulis, quarum plerasque antea delibsvimus, Feudum apud eas Gentes in usu fuisse. Prior tamen Fendalis spiritus esse debeat, quem deinde formulæ subsecutæ in certum systema disponant. Interim cum necessarius is spiritus fuisse agnoscatnr, quo obdurats ferocia exlegis primævæ Societatis emolliretur, præcipua quædam colligenda nobis sunt ex indicatis Natoræ principiis, quæ in universam rem Feudalem latissime portendsntur. I. Quemadmodum e primæva Anarchia Feudslem spiritum necessario prodire debuisse ostensum est, sic eumdem necessario renovatum iri colligimus, si qusndo Societas in eamdem recidat immanitatem. II. Qoo propriores primis illis temporibus Gentes sunt, eo gravidiores esse debere Feudalium institutorum. Revera id genus multa expiscantur ex Homero præcipue et Virgilio sapientissimis Heroicæ historiæ Scriptoribus. III. Si quæ gentes indigenæ sut ingenio obtusiori, aut interdicto aliorum Populorum commercio, aut situ ipsæ suo sd sapientiorem Politiam sero adspirsverint, easdem tenaciores esso debuisse morum Feudalium: nihil tenaces quæ ad politiora instituta festinantius accesserint. IV. Cum sd multiplices formulas Feudalis spiritus exigi valeat, et quasi certis conditionibus obligari, in iis vero srbitrium hominum plurimum possit, profecto ineptum esset singulsris cujuscunque Feudalis moris summam rationem exquirere, quæ tamen quoad penitiorem, eamdemquo universalem Indolem Feudi exquiri jure optimo potest: Ceterum formulas eas attendendss, quibus varias species Feudi

apud varios Populos discernamus. V. Firmamentum rei omnis Feudalis, et basim in duobus principiis versari sic naturæ hominum congenitis, ut ab eadem disjungi non posse videantur. Alterum est facile homines in Beneficii rationem induci quandocunque aut deperditi desperatique cujuspiam boni utilitas aliqua retineatur, aut vero ob futuram promissam operam præsens interim fructus aliquis percipiatur. Alterum est quo magis quispiam præpolleat, et confidat viribus suis, eo minimum de acquisita possessione recedere, nec penitus dimoveri nisi quatenus aut longa patientia, et quasi oblivione, aut urgentiori necessitate adigatur. VI. Quoniam securam quietem animi unam maxime aptam experiamur tranquillæ vitæ degendæ, et nemo sit, qui natura ipsa impellente, non tranquillus vivere velit, porro concitatissimis, atque irrequieta sollicitudine fœtis Feudalibus moribus exuendis promptiores Populi, et prooliviores, cæteris paribus, necessario esse debeant, quam iisdem sponte induendis, sedatiori interim consuetudine abrogata.

XIV. Aene Heroica Romanorum Jurisprudentia quicquam in Feudum contulerit, quod putabat J. B Vicus.

Hæc scilicet, et quæ reliqua id genus multa e summa ratione, et perspecta natura hominis colligi possunt, si quis ad memoriam rerum peractarum vivificet, instructius ille certiusque judicium ferat de re universa Feudali. Hæc eadem frugis plena, si cum Cujaciana ad eam rem eruditione connectantur. Vicus autem Heroica Historia Romanorum potissimum delectatur, quam ad descriptas necessarias vicissitudines Feudo undequaque scatere confirmat. Inde in temperantiorem Politiam derivatas agrarias Leges, Mancipationes, Clientelas, Emphytheuses. Uno verbo, nonnisi post Dominationem Feudalem Ionius Jus Civile Romanorum invaluisse, ut ideo cum ad Secula utcunque diuturna nonnihil primigeniæ indolis suæ non potuerit non retinere, docilius idem debuerit ad renovatum quoque recens Feudum accomodari. Atque in eo quidem accomodando (inquit ille) unus maxime egregius Cujacius, attamen nescius undenam istud, aut quorsum. Viderit ipse. Vereor enim anne omnis concedi Vico debeant. Esto tamen. Attribuam quæcunque mavult, dummodo et ille mihi vicissim tributum velit, quod nolle omnino non poterit, primævum eum spiritum longa successione sic sensim apud Romanos evanuisse, ut in multo majori post Decemviros Juris parte ad contrarios prope mores deflexerit. Mansit quidem, atque ad seros usque Nepotes transmissa est multitudo quædam servilis, ut et quibusdam ex ea fere Patrimonium constaret. Sic Pedanio quadringentos fuisse servos Tacitus (a) scribit, et Plinius (b), Cæcilio Isidoro quatuor mille. Laurentius autem apud Athenæum (c) sit, viginti millia servorum fuisse qui Romæ possederint. Et Demetrio Pompejano numerum servorum quasi Imperatori exercitum quotidie referri solitum memorat Seneca (d). Quæ ut Heroico veteri spiritu nonnihil redoleant, nihil sane cum Feudo commune habent. Et si *Claudius Drusus statua sibi cum diademate posita Italiam per Clientelas occupare tentavit* (e), si multos servili manu, si plures favore exercitus ad tremefaciendam libertatem abusos scimus, quodnam rogo cogitemus aut libertatis in Republica, aut Majestatis nomen in Imperatorib. reliquum iri potuisse, si semel ad elatiores animo Romanorum (quæ magna dominationis, et avidissima gloriæ illorum indoles præ cæteris Populis fuisse deprehenditur) fervens etiam Feudalis spiritus accessisset? Nempe de Principibus quibusque Romanorum non inconcinne resumatur Cornelii Nepotis illud de Miltiade, *qui multum in Imperiis, magistratibusque versatus, non videbatur posse esse privatus: præsertim cum consuetudine ad Imperii cupiditatem trahi videretur*. Nihil, inquit Cujacius (f), legibus Romanorum cautum est de Feudis. Nihil (ipse adjungam) caveri potuit, cum nihil magis aut libertati Populi Romani, aut temperatæ Politiæ adversaretur. Revera Carolus Molinæus (g) (quod refert et probat Arthurus Duck (h) omnes se Romanos libros evolvisse testatur, atque ex iis omnibus confirmat nedum quidpiam de Feudo cautum, sed Feudum prorsus incognitum Juri Romano veteri, prorsus incognitum Justinianeo. Quamobrem quod Obertus ait antiquissimum Jus esse Feudorum, alio modo intelligendum est quam quo statim principio horum librorum Cujacius innuit si a moribus id Romanorum proficiscatur. Sed hactenus hæc. Pertinent autem ad primam Feudorum ætatem quam Cujacio intactam, et vix Feudistarum cuiquam solitam percenseri summis quasi apicibus placuit delineare, cum non alia melius ratione intelligi possit quid sit, de quo disputetur, quam si e prius et primigeniis naturæ principiis in subjectam materiam nativa lux educatur.

XV. Agrestis ætas a tere Feudalis in moribus veterum Germanorum ad Seculum usque Ecclesiæ IV.

Et reipsa mirifica educitur e statutis principiis in mores veterum Germanorum, quos Rheno, et Danubio, Montibus Sarmaticis, et Oceano Septentrionali conclusos describunt Strabo, Ptolomæus, Solinus, Pomponius Mela, omniumque diligentissimus Germanicorum morum scrutator C. Cornelius Tacitus. Latius scilicet deinde patuit Germaniæ nomen, ut extremus olim finis, nunc fere medius Danubius per Germaniam excurrat. Veteris autem Germaniæ Populos, quod longe prosequitur Henricus Bebelius (i), quis non indigenas putet? *Quis porro* (k) *præter periculum horridi, et ignoti maris, Asia, Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret informem terris, asperam cælo, tristem vultu aspectuque nisi si Patria sit?* De iisdem constantissima opinio *nullis aliis* (l) *aliarum nationum connubiis infectos propriam, et sinceram, et tan-*

(a) *Annal. 14. c. 43.*
(b) *Plin. lib. 37 c. 10.*
(c) *Lib. 8. n. 137.*
(d) *De tranquil. animi cap. 8*
(e) *Sueton. in Tiberio prope init.*
(f) *Lib. 2. Feud. tit. 1.*
(g) *Molinæus ad consuet. Paris. tit. des Fiefs num. 5.*
(h) *De auct. Jur. Civ lib. 1. cap. 8. §. 2.*
(i) *Tom. 1. Illustrat. Germaniæ etc Basil. ex Officina Henricpetrina.*
(k) *Tacit. §. 2. de Morib. Germanorum.*
(l) *Tacit. ibid. §. 4.*

tum sui similem gentem extitisse. Inde Populos ab alienigenarum commercio abhorrentes retinentissimos **futuros** novimus morum semel initorum. Fuisse (a) apud eos et Herculem memorant ut primos illius Gentis **feroce** Domitores intelligas. *Magna Comitum (b) æmulatio, quibus primus apud Principem suum locus; **et Principum**, cui plurimi, et acerrimi Comites. Hæc dignitas, hæ vires magno semper electorum juvenum **globo** circumdari, in pace decus, in Bello præsidium. Nec solum in sua Gente cuique, sed apud finitimas **quoque** Civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus eminent.* Quis non in hisce et **Seniores** et Vasallos agnoscat? *Cum ventum (c) in aciem turpe Principi virtute vinci, turpe Comitatui **virtutem** Principis non adæquare . . . Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus assignare **præcipuum** sacramentum est. Principes pro victoria pugnant, Comites pro Principe.* En tibi expressam **indolem** Feudi, en tibi officia Vasalli in Seniorem suum Erat etiam propositum præmium, et certa utilitas **Vasallorum**. *Exigunt enim (d) Principis sui liberalitate illum Bellatorem equum, illam cruentam, **victricemque** frameam. Nam epulæ, et quamquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. **Materia** munificentiæ per Bella, et raptus.* Quid quod ipsa ratio prælii ineundi Feudalem innuit dominationem? Nimirum *non casus (e), nec fortuita conglobatio turmam, aut cuneum facit, sed Familiæ et propinquitates.* Feudalem etiam spiritum arguimus quod *nec Regibus (f) infinita, aut libera potestas.* Iisdem **nullum** scriptum Jus; quo magis latens, et incertum ad arbitrium Potentiorum, tametsi præclare Tacitus ***plus ibi*** (inquit §. 19.) *boni mores valent quam alibi bonæ leges.* Rursus (quæ Feudum redolent) nobilitas **omnis** in armis. *Scutum reliquisse (g) præcipuum flagitium; nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas.* Item armata Comitia. *Ut turbæ (h) placuit confidunt armati.* Imo nihil quicquam neque (i) *publicæ, neque privatæ rei nisi armati agunt.* Huc etiam referas quæ de Inimicitiis a tota Familia susceptis idem Tacitus scribit §. 21. iisdemque manu potius quam Jure ullo finitis sit Pomponius Mela *de Situ Orb. lib.* 3. *cap.* 3. Item de Monomachia, de armis solemniter conferri solitis, et si quæ reliqua id genus **cum** Feudalibus moribus magis conjuncta ex historia medii ævi Iste propagata comperiuntur. Ad hæc voces ipsæ patriam produnt originem suam. Quæ scilicet præcipuæ voces et quasi Formulæ Feudales in hisce libris occurrunt, e Germania veteribus fere sunt. Ecquid aliud veteres illi *Gesellen* et *Waeseln* quam Vasalli sunt? Atque in id genus quidem voces copiosus Cujacius. Alicubi tamen latinas derivatio magis Cujacio placet. Sic Feudum a fide seu fidelitate. In quo repugnantissimum habet Hotomannum (k), cujus quoad universas Feudales voces dignus est qui consulatur Commentarius *de verbis Feudalibus.*

XVI. Magna tamen illius discrimina nostro Feudo.

Atque e vetustissimis iis moribus ad Seculum usque Ecclesiæ X. dum obsecura quædam Feudorum stamina deduco, tantum abest ut idem successive Feudum perpetuo perseveravisse confirmem, quod quinimmo vel apud antiquos illos Germanos Feudalem Dominationem vigoisse censens, negem tamen id genus præcise Feudi viguisse, quod nostris libris descriptum est. Quam omnino distinctionem admittant necesse est Struvius, Itterus, et si qui reliqui doctissimi a Germanis ordiuntur. Sic demum illis assentiar. Et si nulla Juris pars est, quæ accuratissimæ temporum distributionis non indigeat, utpote cujus maximum ad illius illustrationem præsidium sit, porro vehementius omnium indigeat Feodalis res, in qua vix proficias si ad ingenitam sæpius obscuritatem, confusionem etiam temporum adjicias. Et eo magis necessaria distributio quo uberior Interpretis eruditio, quam uberrimam in Cujacio nemo diffiteatur. Nimirum (quantum complector animo) ad certum quodque tempus certa Feudi species, nec tamen omnis continuo eadem, sed certe omnis ad Feudum pertinens, atque adeo ad mutuam comparationem adhibenda quidem (nihil impedio) sed tamen intelligenter et caute. Siccine enim, quia Principes apud Germanos non essent *Territorii Domini* (sic enim ajunt), sed in Conciliis eligerentur, Vasallos habere non potuisse dicendi sunt? Siccine necessaria censenda superioritas Territorialis, et ager et sedes Domini fixa, ut quis Vasallos habere dicatur? Hæc scilicet in Georgium Adamum Struvium, e §. præsertim 14. *Cor. Tac. de morib. Germanorum (l)* Feudum repetentem præcipue congerit Dietmarus (m), quibus nullum Feudum apud veteres illos Germanos in usu fuisse non mehercle conficitur, sed diversum Feudum in usu fuisse ac quod postmodum adhibitum est. Major etiam (quod antea advertebamus) in illo Feudo ferocia quam quæ in nostro exigatur. In eo Feudo *infame (n) in omnem vitam, ac probrosum superstitem Principi suo ex acie recessisse . . . multique (o) superstites Bellorum infamiam laqueo finierunt.* Nec rursus in certa utilitate, et certo rei immobilis fructu, quemadmodum nostrum Feudum, votus illud Germanicum positum erat, quod nonnisi (p) vi, belloque tueri poterat: nec aliud debebat exigi ab hominibus, quos *nec arare terram (q) aut expectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes, et vulnera mereri. Pigrum*

(a) *Tacit. ibid.* §. 2.
(b) *Tacit. de Morib. Germanor.* §. 13
(c) *Tacit. ibid.* §. 14.
(d) *Eod.* §. 14.
(e) *Tacit.* §. 7.
(f) *Tacit.* §. *eod.*
(g) *Tacit.* §. 6.
(h) *Tacit.* §. 11.
(i) *Tacit.* §. 13.
(k) *Cap.* 1. *Disput. de Feudis.*
(l) *Vid. Struvium in Syntagm. Jur. Feud et præcipue lib.* 1. *cap.* 3. §. 3.
(m) *Dietmarus in Not pag.* 87.
(n) *Tacit. de morib. Germ.* §. 14.
(o) *Idem* §. 6.
(p) *Idem* §. 14.
(q) *Eod.* §. 14.

quinimo et iners videtur sudore acquirere quod possis sanguine parare. Huc etiam referas (sed tamen parcius, remotius, et sobrius) quæ de Gallorum soldurìis memorat Cæsar: huc etiam quæ de reliquis Septemtrionalibus finitimis Populis veteres et Historici et Geographi memoriæ tradiderunt. Quemadmodum enim a remotissimis usque antiquitate Populos Orientales ad Regiam Dominationem non tam institutos quam natos agnoscimus, sic robustiores illos Septentrionales spiritu quodam Feudali universim enutritos, legimus. Unde illud Juliani Augusti apud Cyrillum: *Vides* (inquit) *Syros quam libenter aliis nationibus inserviunt: contra vero quantus libertatis amor in Celtarum Populis.*

XVII. Tertia ætas Feudi elanguescentis et prope intermortui a Seculo Ecclesiæ V ad Seculum X.

A Trajano autem secundum Consule, quo anno scribebat Tacitus *de moribus Germanorum* ad Seculum usque Ecclesiæ V. magna Rerum Germanicarum facta mutatio est. Svevi, Franci, Burgundiones, Gotti, Vandali, Langobardi, aliique e veteris Germaniæ finibus ferocissimi Populi in Imperium Romanum irruperunt, seu multitudine ipsi sua solum mutare coacti, seu spe grandiori excitati, in Avitas illorum sedes succedentibus Alamannis, Saxonibus, Boiis, aliisque Impetu Germanorum, et victricibus armis finitimæ Romanæ Provinciæ paullatim edomitæ: tandem Italiæ ipsi jugum injectum, donec funditus subversum sit in Augustulo Imperium Romanorum Occidentale. Sunt hæ scilicet de' ictæ Gentes, quæ turgentiores comperiuntur Feudalium Institutorum sequiori ævo. Sed enim quo id pede processerit videndum est. I. Porro Feudalibus moribus inserendis licentia major permittenda erat subjectis Populis quam quæ tuto posset. Bellicosus scilicet (quod antea vidimus) spiritus Feudalis, nec nisi in armorum strepitu vigens. Nihil autem magis quicquam providendum Genti victrici erat quam ne armorum fervore il Populi excitarentur, quos semel victos stabili servitute compressos vellent. Quod cum omnium maxime prospici soleat si cui propositum sit dominari, idem Germanis non potuit non prospici, quemadmodum de Suionum Gente inter Germanos ipsos Tacitus refert (a) a qua quoniam subitos hostium incursus prohiberet Oceanus, atque unus omnibus suprema potestate imperaret, *nullis exceptionibus, nec precario jure parendi, ideo non arma ut apud ceteros Germanos in promiscuo, sed clausa sub custode, et quidem servo.* Siquidem, *Otiosæ armatorum manus facile lasciviunt. Enimvero neque Nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem armis præponere Regia utilitas est* Quæ si illi intelligebant (quorsum autem non intelligerent? porro quos peculiares Feudales mores domo detulerant, eos peregre profecti sic sibi tueri debuerunt, ut ne iisdem (quoniam periculosum) curarent allicere subjectas Gentes. II. Si naturalem successum adverteris, quem superius innuimus (b), in tanta dissimilium morum commixtione quantam tunc consecutam intelligimus, multo proclivius erat, ut, nisi externa alia incurreret causa, mutua consuetudine et usu ferocior ille, et Feudo turgidus domitor Populus in temperatam Politiam, et Feudo vacuam prudens et volens inducerctur, quam ut domitula iste in ferociam illius vel vi, metuve descenderet. III. Securiorem Romanorum Provinciarum possessionem sibi firmatam iri victores intelligebant, si quanto plus possent ad observantiam quomdam Romanorum institutorum, et quasi obsequium Romani nominis sese flecti tribuerent. Quo spectare videtur quod Gregorius Turonensis (c) scribit Clodovæum Francorum Regem ab Anastasio Imperatore consularia insignia impetrasse. Memorabiles etiam Gotthorum in Italia Regum nummi, quos recenset Eccardus (d), in quibus Romanorum Imperatorum effigies, et nomina cusa sunt. Porro, utcunque hæc accipias, sane alienissima fatearis ab eo Populo, qui ferox omni opera incumberet in extirpationem morum Romanorum: non nisi autem iis extirpatis novi Feudales mores a Romania abhorrentes inseri poterant. IV. Ad citeriorem Italiam pertinet quod scribit Otto Frisingensis Friderici primi Imperatoris coævus (e): *In civitatum institutione ac Reipublicæ conservatione antiquorum Romanorum solertiam ita imitatos* Langobardos, ut Imperii insolentiam fugientes Consulum potius quam Potestatum regi voluerint arbitrio. Nimirum ne vel longo quidem et diutissimo ævo Romanorum morum desiderium Itali deposuerant: Ut vel ex eo Feudalem ad X. usque Seculum progressum, qualis apud Italos fuerit, suspiceris. At enim insignius apud Muratorium (f) quod *quamquam ad profitendam legem suam quisque in Italia per Edictum Lotharii primi, aliaque fortassa præcedentia impelleretur; attamen in tot chartis Seculi IX.* (quas Muratorius vidit) *rara Legis professio occurrit. In nonnullis quidem* Natio *exprimitur his videlicet verbis* ex genere Francorum, *aut* ex genere Alamannorum, *quod satis fuit ad innuendam quoque Legem: at in tot aliis istud quoque omittitur. Initio autem Seculi X frequentius obtinere cœpit* Nationis, *ac subinde etiam* Legis *mentio in publicis Tabulis: qui ritus vulgaris postea fuit, et fere semper, usurpatus a Notariis Seculo XI. et XII. Post annum MCC. vix ejus vestigia reperies.* Hactenus Muratorius. Unde colligimus e sæpius omissa ad Seculum usque X. et fere apud Italos dissimulata profitendæ Legis utcunque jussa expressione, *cunctus Populus Romanus interrogetur quali vult lege vivere etc.* (g), satis apparere concesso arbitrio vivendi ad quam legem mallent seu Romanam seu externam (Francicam scilicet, Alamannicam etc.) ita usos ad id usque

(a) *Tacit. de morib. Germanor.* §. 44
(b) *Tacit.* §. 13. *num.* 6.
(c) *Hist. Franc. lib.* 2. *cap.* 38.
(d) *Eccard. Epist. de Nummis quibusdam sub Regimine Theodorici Goth. Regis in honorem Impp Zenonis et Anastasii cusis. Hanov* 1730. 4.
(e) *Otto Frising de Gest Friderici I. Imp. lib* 2. *cap.* 13.
(f) *Murat. Præf. in Leges Langobardicas part.* 2. *Tom.* 1. *Script. Rer Italicar*
(g) *Const. Lotharii I anni* 824. *cujus Pagius, et Baronius meminerunt. Vid Leges Lotharii cap.* 37. *apud Murat. post Leges Langob.*

tempus Italos esse, ut quam minimum a Romana recesserint, atque adeo, ob communiorem Romanæ Legis apud Italos usum, vix necesse fuisse in publicis chartis exprimere qua lege viverent. Nam etsi per ea tempora Justinianeum Jus, et vel illud quidem mutilum et semirutum, non ultra Exarchatum Ravennatem in Italia diffusum memoriæ proditum sit, manebant tamen universim diffusa monumenta veterum Romani Juris Sapientum, manebant per manus tradita instituta Majorum, ad quæ seri etiam Nepotes patrio amore quodam conformarentur. V. Tandem domitores illos Imperii Romani Populos Romanis et ipsos legibus vicissim domitos tam certum est quam quod certissimum. Sic olim

> *Græcia capta ferum victorem cœpit et artes*
> *Intulit.....*

Equidem in universum dici possit quod de Langobardis præcipue adnotavit Arthurus Duk *de usu et auct. Jur. Civ. Rom. lib.* 1. c. 5. §. XI. eum Romanis honorem ab hisce Gentibus delatum, *ut leges suas omnes latine scripserint, et contractus secundum leges Romanas inierint, et eas Juris Romani reliquias, quas adipisci potuerunt in usu judiciorum una cum legibus suis observarint, Codicem Theodosianum, Caii Institutiones, Ulpiani Fragmenta, Pauli notas, et sententias: forsan majorem honorem delaturi libris Justinianeis si in eos incidissent.* Verumtamen Theodorici Ostrogotthorum Regis edictum vulgatum videas apud Lindenbrogium (a): consulas etiam Cassiodorum *in Variis.* Inde intelligas nova consuetudine Romanarum Provinciarum multum novi Juris adoptatum, multum Romanorum Institutorum. Idem etiam (tametsi aliquantulum parcius) deprehendas in Wisigotthicis (b) legibus, quas Euricus Rex describi jussit anno Æræ Hispanicæ 504. qui annus Æræ vulgaris est 466. quum *antea tantum moribus et consuetudine tenerentur* (c). Gotthos autem præ ceteris commemorasse juverit, ut intelligatur quale sit, quod Heineccius in Cujacio minus probat, *omnia fere in horum leges petita esse e Jure Civili.* Et tamen vel ex iis ipsis appareat effusos in Romanum Imperium Germanicos Populos nedum statim veterem illam Feudalem formulam, quam superius e Tacito expressimus, in subjectorum animos transfundere non potuisse, quod quinimo (quæ reliquorum eorumdem morum vicissitudo fuisse deprehenditur) ne apud seipsos quidem sic inflexam servare potuerint ut non multum ad Romanos ritus temperaretur. Frustra itaque Horatius Montanus quasi proprios, et peculiares nostri Feudi parentes asserat Gotthos; certe non majori ratione quam aut Francos, aut Langobardos, de quibus si quæ nobis animadversa antea sunt cum paucis hoc loco positis conjungantur, ferocem quidem genium quemdam, quo quasi matrice Feudalia semina continerentur, perpetuum apud eas Gentes perseverasse dicemus, verum autem et proprium Feudum nullo modo, aut si quod genus Feudi, profecto non iis characteribus, quibus nostrum Feudum hisce libris designatum in præstituta definitione complexi sumus. Itaque (quod sæpe monuimus) peculiare et proprium Feudum illius ævi a nostro diversum, idemque enervatius et obscurius quam quod antiquis Germanis in usu fuerat. Fortasse etiam penitus interiisset, nisi ad Seculum X. teterrimo tempora recidissent, quibus feroces illi veteres mores veluti data porta rursus erruperint. Inde novum Feudum in Italiæ, Franciæ, Germaniæ cultioribus finitimisque Provinciis latissime effusum.

Regnorum scilicet in Filios a Carolo Magno instituta partitio licentius etiam a Successoribus usurpata, cum florentissimum Regnum, quod ex Italia, Francia, Germania in unum collatis Carolus possederat quasi in frustula laceravisset, diras etiam adinvicem contentiones excitavit, quibus quantum quisque viribus prævaleret, tantum eniteretur de alterius finibus eripere, et deprædari. Principibus autem mutuo bello distentis, et enervatis, domi etiam ob intestinos motus sollicitis, tum quanto plures possent alliciendi Vasalli fuerunt, quorum fide et manu suis quisque rebus prospiceret, tum vero cujusque Principum possessione in Fortunæ discrimen sæpius adducta, quicquid uni alteri dignitatis, et potentiæ subducebatur, omne penitus (quæ incertæ et perturbatæ Dominationis indoles est) ad Vasallos perveniebat non sine animo ferociori. Hinc concitatissimi Procerum in Galliis tumultus ad tempora præcipue Caroli Crassi, in quem unum cum conjunctim opes omnes, et Regna recidissent, quæcunque antea Carolo Magno possessa in multos deinde distributa Principes fuerant, mirari profecto subeat in tam insigni augustoque nomine Imperii tam parum tamen fuisse roboris, atque stabilitatis. Acerbiora scilicet eodem tempore cœpta versari in Italia quoque et Germania. Convalescente semine seditionis Potentioribus in Italia jactatum non adeo veterem (d) Italicam virtutem exolevisse, quin unus e multis Italis inveniretur qui avitam renovare gloriam posset manu consilioque. Ita alienæ Dominationis pertæsos vivo adhuc Crasso non latenter innuere sat sibi cuique inesse animi et virium, quibus conjunctis patrium Regnum Italiæ ad ipsorum arbitrium vindicaretur. Germani quoque per eadem tempora Italorum exemplo Regnum Germaniæ (Germaniam intelligas quicquid etiam nova accessione veteri Germaniæ adjectum fuerat) Carolo abrogaverunt Arnulfo suffecto Filio Carlomani. Hoc scilicet gradu ad annum circiter nongentesimum Christi in universale latrocinium erupit Res tunc publica omnis Italiæ, Franciæ, Germaniæ, et reliquæ cultioris Europæ, ut is demum

XVIII. Ad nongentesimum annum turbulentissima tempora Italiæ, Franciæ, Germaniæ. Hinc quarta ætas Feudi ferocientis, et in omnem licentiam effusi in Imperio Occidentali.

(a) *Cod. leg. pag.* 239 *et sequent*
(b) *In Codice Lindenbrogiano.*
(c) *Isid. in Chronic. Goth. ad an.* 504. *et* 6. 8
(d) *Sigonius de Regno Italiæ lib.* 5. *prope finem.*

plus raperet qui plurium manibus uteretur. Ideo vividius Feudi genus circa hæc tempora exortum tum necessario exoriri debuisse dignoscitur, tum majoribus deinde etiam viribus convalescere. Crasso scilicet mœrore confecto duo præcipue in Italia Duces Forojuliensis, et Spoletanus, et duo Marchiones Lucensis, et Eporædiensis tum vero Pontificiæ post Sergium, et Formosum contentiones ea tempora in Italicam Rempublicam intulerunt, quibus nulla alia tetriora aut fœdiora vel Principum nequitia, vel Populorum insania in tota antiquitate comperiuntur. In Galliis item vix Regium simulacrum deprehendas in secutis post Crassum Principibus Odono, Carolo Simplice, Roberto, Rodulfo, aliisque ad Hugonem usque Capetum. Hugo autem vel maxime Feudalia jura debuit promovere, ut a quo Regno Carolum Lotharingiæ Ducem, cui lege successionis Francia debebatur (hic nimirum e Carolina Stirpe superstes) ejecerat, in eodem sin minus jure, at saltem Vasallorum consensu confirmaretur, nec vero pigeret quemquam direptio, e qua in singulos pars aliqua lucri derivaretur. Non dissimiles post Crassum in Germania vicissitudines sub Arnulfo, Ludovico IV., Conrado I., Henrico Aucupe ad Ottonem usque Magnum Imperatorem. Accesserunt eodem ævo barbaræ irruptiones Sclavorum præcipue in Germaniam, Hungarorum in Italiam, atque Saracenorum. Tum vero infirmi Principes sæpe incerti, sæpius extorres quod Regnum per se ipsi integrum tueri non poterant in partes distribuere cogebantur, et jure Feudi in Magnates transferre, ut illorum deinde quisque eo animosius ingruenti ruinæ resisteret, quo præsentiorem sibi jacturam sentiret. *Sic et olim Persarum Rex Darius putavit facilime se Græca lingua loquentes, qui Asiam incolerent, sub sua retenturum potestate, si Amicis suis (quos Principes secum ex Jonia, et Æolide duxerat) oppida tuenda (nempe perpetua Urbium imperia) tradidisset, quibus se oppresso, nulla spes salutis relinqueretur) Cor. Nepos in Miltiade)* Gliscentibus autem in dies (quod novæ usurpatæ potentiæ quasi in spem grandiorem consequens erat) mutuis inter Regios Valvassores (sic ii vocabantur) odiis, et simultatibus minores pariter unicuique comparatos Vasallos videas, ut ideo universali fere Anarchia prævalente, universale quoque Feudum invaluerit, quod quoniam Magnatum cupiditatibus in diversa rapientibus præsentissimum agnoscatur adhibitum temperamentum, non potuit etiam non facile Populis hisce adoptari, utpote quibus e veteri Germania omnibus quasi e communi domo olim profectis nondum radicitus (etsi postmodum longe moderatiores) aviti Germaniæ mores divulsi essent. Sed et qui animi ferocientis, atque ad duritiam obfirmati individuus esse solet agrestis victus, et cultus immanis, cum semel politiores artes negligere cœperit, quæcunque rerum sensubus obversantium varietatem adaugent, utilitatem cumulant, ipsamque naturam in potestatem quodammodo redigunt suam, et addicunt humanis usibus, sensim etiam eo devenit, ut commoda omnia posthabeantur, et fructuum suavitates, quæ ex humo subacta et parata ad satus accipiendos eliceerentur. Ut pateat dilucidius quorsum tam squalida universim per hasce Regiones Agricultura Seculo X, atque inde, nova ratione, levi scilicet Patrimonii dispendio, tam faciles Feudali jure largitiones agrorum, quibus lappæ unice, et tribuli, et vix fere infelix lolium, aut steriles dominarentur avenæ Meberclo autem Xenophon in OEconomico Agriculturam præexcellentissimis laudibus non exornasset, nisi eam intellexisset præcipuum esse nervum Reipublicæ, externorumque commerciorum, eamdemque neglectam indicium esse barbaræ stupiditatis.

XIX. Eadem producta ad Conradum Salicum Augustum, a quo initium scripti nostri Juris Feudalis.

Sic vero uniformi vicissitudine perturbationum Italiam, Franciam, Germaniam seculo Ecclesiæ X. exagitantium uniforme Feudum errupit, cujusmodi deinde temperatius astrictiusque hisce libris descriptum est. Tametsi enim iorem Italiam, seu Langobardiam proprie et unice spectent hi libri utcunque ad exteros etiam ejus temporis mores facile transferantur. Quamobrem cum non alterius Feudi quæramus genealogiam quam illius, quod hisce libris contentum est, iisdem vero eæ fere consuetudines contineantur, quas haud dubie in Italia non ultra Seculum X retrahi posse compertum est, ideo conficitur ex illius ævi Italica historia potentissimum adsciscendam illustrationem originis, seu melius renovationis Feudorum. Ab anno 927. ad annum 963. Hugone, Lothario II. Berengario II. Adelberto Italiæ Regibus turbulentius lies Italæ exagitatæ, quæ tandem in Ottone I. re et nomine Magno, eodemque Germaniæ atque Italiæ Rege sin minus in portum ductæ, attamen prohibitæ sunt ne in sæviorem procellam errumperent: et qui sub Italis post Berengarium. I. Principibus vi et impetu excreverant mores Feudales (huc referas ferocem Feudi juventam, quam postea sedatior virilitas secuta est) quasi in ordinem redigi visi sunt, et ad certam rationem aliquam revocari, ut inde fere sit incipiendum quicquid hisce libris Feudalium Consuetudinem conclusum est. Quod scilicet Feudum nullum certo fuit in Italia a Romana Republica libera ad Vandalicas usque et Gotthicas irruptiones, quod item Feudum (si aliquod fuit) nonnisi incertissimum et obscurissimum' fuit sub Langobardis, et postea sub Francis, deinde vero fluctuantibus sub Italis Principibus, et quaquaversum vastatis Italicis opibus ferox continuo Feudum in Italia invalescens eo cuique licentius aut usurpatum, aut traditum comperitur, quo iracundius impotentiusque supremum Italiæ dominium adversis undique fluctibus jactabatur, tandem in Ottone subsistere visum est, ut ideo rebus Italicis ad Saxones translatis, iis fere debeatur quicquid deinceps novi Juris succreverit, aut morum in Langobardia secutum sit. Ita per ea tempora e veteri Francorum Instituto quandocunque Imperator in Italiam descenderet, castrametato Roncaliæ prope Placentiam exercitu, nedum omnes quicunque Feuda tenerent ad excubias Imperatori agendas per præconem evocatos invenio, sed

certum etiam sub Ottone primum inductum morem, ut priores ibi dies *in jure dicundo consumeret, alteros paci inter Civitates constituendæ dicaret, extremis jura Feudorum cognosceret, et novis legibus stabiliret* (a). Atque huc spectat quod Sigebertus refert in Chronicis, et Witichindus lib. 2. *Rer. ab Henr. et Ottone gestor.* in magna scilicet disceptatione, an Avo succederet Nepos una cum Patruo, rem gladiatorio certamini committi placuisse, atque cessisse victoriam iis qui Nepotes in Feudo inter Filios recensebant. Novis autem per hæc tempora Feudi legibus ut splendidior quoque facies conciliaratur, novam tunc etiam primum Nobilitatis rationem in Italiam inductam video, ut ii soli Nobiles judicarentur, qui Feudalibus honestati essent insigniis. Carta etiam Feudalia jura ad gradus incœpta accomodari summi, medii, et infimi Feudi. Item Feudum vetus, et novum paullatim distinctum, et si quæ reliqua antiquiora in Feudis sunt; nam Feudi ligii aut non ligii distinctionem in posteriora tempora rejiciendam putat Hotomanus (b). Illud etiam satis constat multo maximam partem majorum (quæ supersunt) in Italia Feudorum, unde reliqua minora emanarunt aut posterius, aut non multum altius quam ab hisce temporibus repetendam. Secutis Ottonibus II. et III. tantum nominis apud Posteros traductum est quantum magni Ottonis Patris et avi ditionibus, et institutis tuendis consilio et viribus valuerunt. Porro vix quicquam novi in Politiam citerioris Italiæ inductum est. Æstuantes deinde Ardoini Dodonis Filii Marchionis Eporediensis cupiditates in majorum etiam Feudorum necessitatem conjecerunt Henricum I. Italiæ Regem. Henrici tandem Successor Conradus Salicus ad annum 1026. eam Roncaliæ edidit de Feudis Constitutionem, quæ cum omnium vetustior in hosce libros traducta, imo verius horum librorum quasi fulcimentum et basis sit, ideo quemadmodum ab Ottone Magno suspicatæ in Italia Feudalis consuetudinis, quam hi libri complectuntur, initia duximus, sic a Conrado Salico Augusto scripti hujusce Juris Feudalis initium ducendum est. Quod quidam ita intelligi velim, ut tamen longe alio sensu a Feudistarum nonnullis, iisdemque nec obscuris, nec ingloriis (c) definitum fuerit jus novum et recens quicquid Feudorum est. Nec enim ii distinguebant certas quasi ætates Feudorum, quas ipsi distinximus, et distinguere omnino decet, si modo quicquam adæquate, et dilucide loqui cupimus de re universa Feudali. Itaque in alterum ii scopulum nimiæ cujusdam novitatis inciderunt, et iidem tamen excusandi nobis sunt qui non illo ævo vixerint, duo multum ultra Lotharium II. aut Fridericum I. Augustos in Feudorum genealogia retexenda, litteris adhuc jacentibus, et consepulta rerum ante actarum memoria, ascendere permitterentur.

Conrado quidam integrum prope Seculum antiquiores Constantini Porphyrogennetæ, et Romani Lecapeni Constitutiones horum librorum quinto inseruntur: at enim illas Cujacius ad exemplum inseruit, quo late patentem illius ævi Militarem, atque adeo Feudalem spiritum significaret. Nec tamen in hosce libros proprior usus earum est, nec vero ultra Apulliam et Calabriam Græca apud Italos dominatio porrigebatur. Nihil itaque ad eam Regionem, quam hi libri proprie respiciunt. Tametsi non inficior e priori earum Novellarum περὶ ἐκποιήσεως κτημάτων etc. (nil enim moror seu illam Constantini Porphyrogennetæ dixeris, ut Leunclavius inscripsit, seu Romani Lecapeni, quemadmodum Cujacio placuit, confusa per eos dies inter utrumque Imperatorem auctoritate) Fridericianas duas Constitutiones de jure προτιμήσεως, quæ ad hosce libros multum faciunt, eductas esse. Posterioris etiam Constantinianæ περὶ στρατιωτῶν (sic enim inscribi solet) affinitatem cum Constitutionibus Lotharii, et Friderici *de Feudis non alienandis* erudite prosequitur Carolus Labbæus (d). Inde vero iisdem ferme perturbationibus quibus imperium Occidentale, Græcum etiam Imperium tunc temporis involutum vel ex his ipsis Novellis innuitur, quibus (ut cetera omittam) non tam magna sane solertia Potentiorum opibus coercendis prospiceretur nisi et in præpotentiam effusæ, et suspectæ Imperatoribus eæ opes fuissent. Nimirum quando aliud tuto non posset, ab omni saltem successione prædiorum, quæ in Militaribus Codicibus descripta essent, excluditur quicunque miles non esset, multo magis qui potentia aut dignitate antecelleret. Puto id statutum apparenti quadam æquabilitate distributionis, et ne militare auctoramentum in alios usus converteretur; intimius tamen, ut modus aliquis esset formidatis acquisitionibus Præpotentiorum. Nam et quod de jure προτιμήσεως cautum est, alio spectat quam quo censent doctiores quidam *ne res exeant de Familia*. *Imo vero* (e) *hæc non fuit causa inducendæ* προτιμήσεως, *alioquin et re extero alienata titulo dotis, vel donationis, vel permutationis, vel testamenti, vel permutationis non simulatæ locus esset juri* προτιμήσεως, *quod est falsum, et Romani, ac Friderici Constitutionibus vetitum nominatim*, ut fortasse præter rationem honestatis alteram etiam, quæ πολιτικώτερα, suspicari possimus. Atque duabus hisce Novellis si tertia etiam ejusdem Porphyrogennetæ conjungatur, quam Cujacius (f) memorat, et Leunclavius edidit περὶ τῶν δυνατῶν τῶν ὑπεισελθόντων εἰς κτῆσιν πενήτων, multum inde pariter dilucidationis in hanc rem omnem proficiscatur. Ceterum Iconoclastica rabies, intestini motus de successione et Imperio, incursiones etiam Saracenorum,

XX. De Feudali per ea tempora temperamento apud Græcos.

(a) *Sigon. de Regno Ital. lib. 7. prope fin.*
(b) *Hotom. Disput. de Feud. cap. 7.*
(c) *Vid. Marin. Freccia de Subfeudis lib. 1. cap. 1. etc.*
(d) *In Notis ad Novel. Porphyrogennetæ* περὶ στρατιωτικῶν *in Collect. Meursiana Operum Constant. Porphyrogennetæ ex officina Elzeviriana anno 1617. etc.*
(e) *Cujac. in tit. 14. lib. 4. Feudor.*
(f) *Idem. lib. 3. Feud. in com. ad Novellam* Ῥωμανοῦ τοῦ γέροντος *etc.*

et Bulgarorum late grassantes teterrima ea tempora in Orientalem Græcorum ditionem invexerant, quibus non alia magis accomodata direptioni, vastationique Præpotentiorum. Id genus morbo medendo late propagatum Feudum novimus in Imperio Occidentali: haud dissimile remedium apparet in Orientali quoque Imperio tentatum.

XXI. De Significatione vocum Feudi, et Beneficii ante X. Seculum longe alia acquæ postea invaluerit.

Age vero ad intimiorem horum temporum, et Rei omnis Feudalis illustrationem in voce ipsa et *Feudi* et *Beneficii* pauliaper moremur. Nimirum Fridericum Ænobardum iniquo animo tulisse legimus (a) exprobratam sibi ab Adriano Pontifice *Beneficii accepti* oblivionem: sese enim Imperium soli Deo acceptum referre, nec vero cujuspiam esse *Beneficiarium*, seu Feudum tenere. Unde intelligitur medio Seculo XII. (qua ætate Feudorum consultissimi (b) Bulgarus, Martinus, Jacobus, Hogolinus, imo Gerardus ipse de Nigris primi horumce librorum, et Obertus de Orto secundi et tertii libri Scriptores floruerunt) Beneficium et Feudum in unam penitus eamdemque significationem conspiravisse. Itaque recte Cujacius (c) repugnantibus licet Feudistarum nonnullis: *Ego*, inquit, *Beneficium pro Feudo, nec his libris Beneficium alio sensu accipi sinam*. At enim si quæras quo primum tempore hoc *Feudi* vocabulum cœperit adhiberi, non velustius fortasse adhibitum videas quam ad finem vergente Seculo IX. si tamen genuina Caroli Crassi Constitutio est, quam de Expeditione Romana anni 884. ediderunt Freherus, Goldastus, aliique: *Cuicunque* (inquit) *secundum hanc legem expeditio imperetur, si ad Curiam Gallorum, hoc est in Campum, qui vulgo Rungalle dicitur, Dominum suum non comitetur, et ibi cum militari apparatu non repræsentetur, Feudo præter hos, qui cum gratia Dominorum suorum remanserunt in conspectu nostro, absque spe recuperationis privetur.* Quam quidem Constitutionem vel ex eo maxime severiores quidam suspectam habent qood nonnulla referat posterioribus temporibus concinniora. Viderint illi. Viderint etiam quam vere Carolo Simplici, Rodulpho, et Lothario Principibus adhibitum vocabulum Feudi cooteodat Dominicus de Prærogat. alodior. cap. 15. §. 1. Certe X. Seculo hoc nomen auditum est. Ite in tabulario S. Theofredi (d) in Velavis ad annum 990. *Dederunt de Terra quam habebant ad Fevum etc.* Nam chartæ Pipini Regis pro Monasterio Frigiacensi (e) et Lotharii I. Imperatoris anni 846 (f) quibus ea vox usurpatur, apocriphæ existimantur. Suos etiam nævos habet alia charta Caroli Magni descripta in Chronico S. Michaelis Vird. pag. 403. qua Feudum commemoratur. Quamobrem cum non alio nomine quam Benefici ante X. Seculum significari potuerit id quod postmodum Feudum dictum est, et revera in *Beneficio* ante id tempus propriam Feudi significationem conclusam asserat eruditissimus Bignonius, operæ pretium fuerit summatim boc loco colligere quæ fuse disserit *de Beneficio* Ludovicus Antonius Muratorius Tom. I. Dissert. XI. *Antiquitat. Italicar. Medii Ævi.* Nimirum ambiguum, et incertum sequiori ævo *Beneficii* nomen Muratorius osteodit aote annum Millesimum a Christo nato. Ostendit. I. Carolinis Regibus Galliarum potitis Beneficium sæpius intelligi jus quidem utendi alieno prædio, sed ita tamen ut non ulterius quam quousquo vita suppeteret, idque seu ob præstitum, sou ob præstandum aut honorificum, aut œconomicum, aut militare servitil genus. Adhuc viget istiusmodi notio in Ecclesiasticis Beneficiis, eademque longe distat a Feudo, quandoquidem omni careat certo nexu obsequioque Feudali. II. Beneficia illius ævi cum *Precariis* seu *Præstariis* confundi solita, *eo tantum titulo*, inquit, *ab ipsis distincta quod Emphyteuses aut ad annos XXIX. aut ad tertiam usque generationem, aut ad alios temporis limites portendantur, easque renovare quinto quoque anno, aut serius erat opus: Beneficia vero ad vitam usque accipientis conferebantur.* III. Beneficia tunc temporis usitata rommemorat principali et proprio nomine (quod nunquam ad Feudum trahi possit) Fœminis elargita. IV. Genus quoddam in usu tunc positum *Beneficiorum* censum annuum Ecclesiis tribuere solitum aut *Nonas* aut *Decimas:* gravius porro εἰσδεκτικὸν quam ut Feudalibus moribus receptum sit. Copiosa autem ad hæc congerit Muratorius monumenta antiquitatis, quæ aut actum agam si repetam, aut si nova ponam utar in re nunc minime dubia diligentia nihilum necessaria. Fortean etiam hæc eadem *ad Feudum* commodissime transferontur si quando hoc nomen occurrat anto Seculum X. Et ita viderit Cujacius quam demum concinne in *Com. ad tit.* 53. *lib.* 4. *Feud.* pro eo qood in Constitutione quadam (g) Caroli Magni habetur *Beneficium*, *Feudum* reposuerit. Interim quæ eruditissima prosequitur Muratorius conferri cum iis velim, quæ frugis plena Cujacius ipsemet habet tum sæpo alibi, tum præcipue ad primum horum librorum *tit.* 5. mutua utrinque fulgebit lux. Inde vero admonebitur quod quemadmodum *aliud est pignus* (h), *aliud hypotheca, aliud fiducia, aliud* ἀντίχρησις, *et omnia tamen pignora; sic aliud Feudum, aliud emphyteusis, aliud libellaria, aliud precaria, aliud ususfructus, et omnia tamen ususfructus quoniam qui dat retinet proprietatem.* Hæc scilicet aut non advertunt, aut dissimulant qui ubicunque, ex ultima etiam si placet antiquitatis memoria, certam aliquam speciem diuturnioris ususfructus Beneficio attributam deprehendunt, ibi continuo Feudum clamant. Haud dubie pessimo exemplo. Præadverti debet penitior indoles ususfructus, considerandum etiam an ille in prædio, aut censu, aut stipendio, aut in re alia quapiam

(a) *Radevicus Frisingensis de Rebus gestis Frid. 1. Imp. lib. 1. cap. 9. et 10.*

(b) *Vid. Giud. Pancirol. lib. 2. de Claris Legum Interpretibus.*

(c) *Cujac. Feud. lib. 1. tit. 1. §. hoc autem etc.*

(d) *Du-Cangius Glossar. ad verbum Feudum.*

(e) *Tom. 13. Spicilegii Acheriani.*

(f) *In Bullar. Cassinensi Tom. 1. pag. 27.*

(g) *Lib. 3. cap. 20. Capitul. Caroli Magni et Ludovici Pii.*

(h) *Cujac. lib. 1. tit. 5. Feud.*

constituatur; Deinde vero quæ germana Beneficii significatio Feudo conveniat, tandem quo servitio Feudum coalescat, quam Fidem expostulet, quo munere peculiari obligetur, quibus solemnibus formulis conferri debeat.

Nec dissimilis ratio est Vasallorum, quos si sæpius ante X. seculum Vassos, Vasallos, Leudes, Fideles dictos ostenderim absque eo quod ant Beneficium ullum perciperent, aut ullam ex Beneficio utilitatem, Inculentius etiam confirmabantur quæ hucusque de Feudalibus ætatibus tradita nobis sunt. Quando enim potiora hæc omnium nomina sunt quæcunque possint ad exprimendum Feudum adhiberi, aut vero in hisce libris adhibeantur, sane ex his ipsis ante X. Seculum aut ignotis, aut ambiguis, aut incertis facile intelligetur quale item Feudum per ea tempora, quam certum, quam late patens liceat suspicari. Nempe obscurum, jejunum, incertum, si tamen aliquod fuit. Sed ad rem. Monachus Sangallensis *(a) de Gestis Caroli Magni* Episcopi cujusdam meminit, qui *habuit unum Vasallum non ignobilem Civium suorum valde strenuum, et industrium, cui tamen ille ne dicam Beneficium aliquod, sed ne ullum quidem aliquando blandum sermonem impendit.* Huic simile illud e Lege Wisigotthorum *(b) Quod si inter Leudes quicunque nec Regis Beneficiis aliquid consecutus sed in expeditionibus constitutus aliquid acquisierit etc.* Nimirum in usu positum fuisse patet ut quis inter Leudes haberetur nullo sibi Beneficio acquisito. Quæ eadem ex iis Legibus verba quoniam Cujacius ipse utcunque in rem aliam resumat principio statim horum Commentariorum, atque ibidem plura etiam similia *de Leodibus* adjiciat e remotissima antiquitate derivata; eo nobis utilius fuerit in hujus et synonimarum vocum germanam significationem inquirere, quo magis interest ad reliqua etiam omnia vetustatis monumenta, quæcunque Cujacius e tenebris eruat (nec enim singillatim percenseri omnia debeant) exploratissimam transferre regulam, non ex iisdem adhibitis verbis idem continuo adhibitum Feudum concludi posse, imo vero (quod semel monitum sæpius monendum est) quemadmodum in reliqua omni, sic in re præcipue Feudali utpote omnium obscuriori nihil dicendi formulis fidendum, aut vocibus, nisi prius diligentissime attendatur earumdem iis temporibus usus, XXII. Item qui Leudes, Vasalli, Fideles etc. ante X. Seculum.

Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi.

Carolingica autem in Galliis ætate non ex *Beneficio* seu Vasalli, seu Leudes sed ex *commendatione* dicebantur, ut is demum Vasallus esset, qui aut regi, aut Potentioribus sese poterat *commendare*. Unde privilegium legimus a Ludovico Pio Augusto Hispanis concessum (c) *ut se in Vasallicium Comitibus nostris more solito commendent..... et si beneficium aliquod quisquam eorum ab eo, cui se commendaverit, fuerit consecutus, sciat se de illo tale obsequium seniori suo exhibere debere, quale nostrates homines de simili beneficio senioribus suis exhibere solent*: et in annalibus Francorum ad annum 857. *Tassilo Dux Bajoariorum in Vasallicio se commendavit Pippino Regi etc.* Nitardus etiam *lib. 3. hist. Si honores* (beneficia scilicet quæ sæpe *honores* dicta advertit Du-Cangius, *(d) quos idem in Burgundia habuit eidem donare vellet, ut se illi commendaret præcepit.* Unde apparet Vassos antea et institutos et habitos quam Beneficium aliquod consequerentur, neque seniores adactos ad hujusmodi Beneficia Vassis attribuenda, imo sæpius nullum attribuisse. Accedit Capitulare Caroli Magni anni 817. *De Vassis Dominicis qui adhuc intra casam serviunt, et tamen Beneficia habere noscuntur, statutum est ut quicunque ex eis cum Domno Imperatore domi remanserint, Vasallos suos Casatos secum non retineant, sed cum Comite, cujus pagenses sunt, ire permittant* (e). Erant itaque qui *Vassi Dominici intra casam* serviirent, nec tamen beneficio fruerentur. Adhibebantur Vassi in Aula Regis, et *intra Casam*, hoc est *in Palatio* serviebant: quod genus Vasallicii famulicium dixerim liberale, ingenuum, et honorarium. Sui etiam Primatibus, Episcopis, Comitibus etc. vassi hujus generis erant. Unde illud *tit. 79. Ripuariæ legis cap. 3. Si alicujus Seniscalcus qui servus est, et Dominus duodecim Vassos infra Domum habet etc.* Ad quam rem etsi recte adnotatum Cujacio (f) sit corrupte irrepsisse in acta Synodi Ticioensis *Vassi Domestici* pro *Dominici*, nolim tamen inde colligi inauditos antiquitati *Vassos Domesticos*, cum idem omnino sit seu *Vassos Domesticos* dixeris, seu *Vasallos Casatos*, qui in laudato Capitulari commemorantur. Atque ex hisce omnibus quonam aliam quamdam significationem Vasallorum post. X. Seculum novimus invaluisse quam quæ antea usurpabatur, inde etiam intelligitur quomodo (quod Muratorius advertit) (g) ex illius ævi monumentis constare vix certo possit *quibus ritibus quibusve verbis, pactis, et tabulis ante annum a Christo nato millesimum Vassi constituerentur*, atque adeo investitura coalesceret. Porro autem cum nullum Feudum sit quod aut investitura, aut successione acquisitum non fuerit (h), imo vero nulla successio sit, quæ ab investitura non inceperit, ut ideo multo maxima juris Feudalis pars in illius vi, evictioneque posita sit concedetur profecto nondum id genus Feudi quod nostris libris describitur firmiores ea ætate propagavisse radices, qua ætate obscura lateat investitura. Nam quod Obertus ait *(Feud. lib. 2. tit. 3.) abusivo modo dici investituram, quando hasta, vel aliud corporeum quidlibet*

(a) *Lib. 1. cap. 22.*
(b) *Legum Wisigotth. lib. 4. cap. 5.*
(c) *Apud Baluzium ann. 815.*
(d) *Du Cangius in Glossar. med. et infimæ Latinitatis verb. Honores.*
(e) *Pag. 495. Edit. Baluzianæ.*
(f) *Cujac. lib. 1. Feud. tit. 1. § 1.*
(g) *Murator. Dissert. XI. Antiquit. Med. Ævi Tom. 1. pag. 555.*
(h) *Lib. 2. Tit. 2. Feud.*

porrigitur, id eam habet vim, ut cum proprie investitura in Legibus, Langobardorum significaret possessionem, abusus deinde quidam irrepserit, quo alio prorsus sensu istud verbum in Feudis accipiatur, et jam e prima usque Feudorum consuetudine (quaetum ex istoriis apparet) ea dici cœperit *Investitura*, quæ per certa Symbola et signa fieret, et rei certæ nomine expresso, adhibitis Paribus, ant tabulis signatis, etc. et ita deieceps post Investituram Fidelites, et possessio Feudi subsequerentur. Atque ad hunc ipsum locum revocanda quoque sunt nomina Marchionum, Comitum etc. quorum pridem significatio diversa fuisse dignoscitur quam quæ postea in rem Feudalem deducta est. Et in eorum *multos* (a) *ordinasse Carolum Magnum historiæ narrant, non rei tantum militaris caussa, sed ut ab eis etiam Populus jura peteret, ut in Legibus Ripuariorum cap.* 55. *et* 90. Quæ omnia nobis animadvertenda diligeetissime sunt, ne præpostero antiquitatis ardore (ieveterata fere labes) perperam abripiamur, neve putemus vel ante nongeetesimum annum nostrum Feudum proveheedum, quod sæpe ante nongentesimum ea verba usurpata inveniantur quæ deinde secutis temporibus sic Feudo cohæserunt, ut ueius sonus ab alterius Idea separari non possit.

XXIII. De Equitibus et Militia eequioris Ævi. Multa autem maxima affinitas Vasallorum, et Equitum eequioris ævi. Uno veluti partu et Feudum et id genus Militiæ prodierunt. Præterea Equestres ordines Templariorum, Teutonicorum, Melitensium, qui etsi omnium vetustiores, nonnisi tamen a XII. seculo originem habent. Sedatier isthæc Militia, atque ad Religionem omnis accomodata Præterea etiam verios Militiæ gradus Equites, Mellequites, et Vasallos, de quibus vide Cujacium in *Com. tit.* 7. *lib.* 2. *Feudor.* Ipsum intueor primævum Militiæ illius institutum, de quo diligentissime ex Italis Muratorius (*b*) et Redius (*c*), ex anglis Edoardus Bissæus (*d*), e Gallis Du-Cangius (*e*), et sæpe Hotomanus (*f*). Equitis juxta ac Vasalli masculum munus et militare, jusjurandum utrique præstitutum, et si sancta Vasalli in seniorem suum fides, sancta etiam Religio Equitis in eum qui equestrem dignitatem contulisset. Apud Redium Ildebrandus Giratasca anno MCCLX. cingulo militari honestatus *ad expensas publicas* Civitatis Arretii *post Evangelium juravit alta voce quod ab illa hora in antea foret fidelis, et Vasallus Dominorum Comunis Civitatis Arretii.* Johannes item Villanius (g) tristem exitum narrans prælii illius, quod anno 1325. Florentini commiserunt cum Castruccio Lucæ Domino, et Azone vicecomite, fusi profligatique exercitus culpam trasfert in Bornium Marescallum Florentinorum, qui fugere maluit quam Azonem lacessire, a cujus Patre Galeatio creatus jampridem fuerat miles. Quæ magna autem solemnitas Seculis præcipue XI. et XII. ad istiusmodi conferendam militiam adhibebatur, quæ majora virtutis experimenta publice instituebantur, quibus se dignum Miles eo honore prebaret: rursus neeeisi ant eximiæ fortitudinis viris, aut insignioris nobilitatis id genus Equestris cinguli per ea tempora attributum satis ostendunt, quo vehementiori Militiæ spiritu (qui idem Feudalis spiritus est) ea secula ferverent, ut cum virtutes fere reliquæ omnes obsolevissent, ea tamen excelleret, qua qui aut gloria, aut celebrieri sui nominis fama flagraret, solemniter auctorarétur ad iofirmiorum præsidium, ad sanguinem usque extremum, si oporteret, ultro effundendum pro Viduis, pupillis, Ecclesiis, ad omnem demum utcunque non sibi sed alteri irrogatam propulsandam injuriam, atque præpotentiorum refringendam ferocitatem. Cujusmodi auctoramentum militiæ cum maximæ iis laudis et decoris loco haberetur, a vetustissimis usque Germanorum institutis emanavisse prodit Cor. Tacitus *(de Moribus Germanorum cap.* 13.): *Arma*, inquit, *sumere non ante cuiquam moris quam Civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso Concilio vel Principum aliquis, vel Pater, vel propinquus scuto frameaque juvenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos, ante hoc domus pars videntur, mox Reipublicæ.* Quod primævum institutum cum secutis quoque temporibus retinuerint Gotthi, Langobardi, Franci, Germaei, rare tamen atque incerto usu perseveravit donec post Seculum X. quasi adulta Militia uniformibus legibus obiri cœperit, et illustrioribus ritibus amplificari, quam quiba veteribus adhibebantur. Post XIII. autem Seculum quasi consenuit, et maximi pridem honoris non nisi ie magnum præmium magnis viris, aut urgenti necessitate attributi, concessa passim Seculo XIV. insignia legimus atque prærogativas ignavis homieibus turmatim ad Militiam evectis, ignoti nominis, nullius aut virtutis, aut generis, aut saltem imposterum operati servitii. Hos ridet Matthæus Villanius ad annum MCCCLV. (*h*) Seculo autem XV. nihili æstimatos ejus generis Milites scribit Michael Savonarola in Opuscolo *De Laudibus Patavii.* Nunc vero nonnisi remota quædam illorum Equitum imago superest in Teutonicis, Melitensibus etc. remotier etiam in Equitibus Garterii, Velleris, aurei, Calatravæ, et qui reliqui id genus eunt. Quam tantam varietatem, et quasi gradum progressumque Militiæ eo lubentius placuit recensere que certius ex illius uniformi cum Feudo natura de uniformi etiam utriusque fortuna, atque vicissitudine admoneremur. Imo vero, ne quid omnino deesset: quemadmodum Feudum plerique deducunt e Jure Civili Romanorum, sic etiam ex eodem jure nonnullis derivatas videas

(a) *Cujac. in tit.* 1 *lib.* 1. *Feudor.*
(b) *Tom. IV. Antiquit. Med. Ævi Dissert. LIII.*
(c) *In Notis ad Dityrambum Bacco in Toscana p.* 149.
(d) *In Notis ad Nicolai Uptoni librum de Studio Militari.*
(e) *In Gloss. Lat. ad voces Miles, Militia etc.*
(f) *In laudata Disput. de Feudis.*
(g) *Lib.* 9. *Hist. cap.* 304
(h) *Lib.* 5. *Hist. cap* 14.

Militiae sequioris ævi. Nam præter Equites Legionarios qui equo in bello merebant, et Equites Romanos qui e locupleti sestertiorum penu præcipue accensebantur, iidemque primi post Senatores nobilitate splendebant, recitari etiam solet e Codice Justinianeo, *l. 1. ut dignit. ord. serv.* qua nova quædam Equestris forma inducta esse videtur, et quintuplici quasi ordine militaris cinguli constituto, virtuti, et officio tribui id cæptum quod antea fortunæ potissimum, et divitiis tribuebatur. At enim bæc hactenus. Ad similitudinem autem quamdam protulimus, ut quæ ad Feudalia instituta proxime spectent. Illud tamen non negligendum quod sicuti supra (*a*) nobis duplex constitutum principium est in ipsa hominis natura insitum, unde Feudum omne proficiscatur, sic duplicem ex eadem natura finem constitui commode posse in quem et Feudum, et Militia juxta prospiciant. Primus finis est ut Præpotentiorum vires mutuo metu, et periculo coerceantur; postremus autem ut qui concitatiores ociosis pacis studiis contineri non possint, iis arma sic permittantur ut tamen species quædam honestatis retineatur. Hæc scilicet duo præsentissima comperiuntur esse remedia, quibus eversio Societatis hominum retardetur si quando immanis et efferata paucorum potentia cum æstuosiori impetu universorum conspiret in interitum *distributivæ* (sic enim dicitur) *æquabilitatis* illius, qua una ad geometricam proportionem adhibita quamdiuturna Respublica vivere possit, et quambeatissima administrari.

Ad X. autem Seculum quale universim, et præcipue apud Italos Feudum invaluerit explicatum est. Explicatum etiam quo certo principio, ineunte Seculo XI. Jus scriptum Feudale a Conrado Salico Augusto sit auspicandum. Hujus Constitutionem *de Beneficiis* omnium primam insertam videas libro V. Cujacianæ *Feudorum* partitionis. Tres deinceps Constitutiones subnectuntur Henrici II. Augusti cognomine Nigri *De causis amittendi Feudi; De Vasallo qui unum ex Dominis refutaverit; De ingratitudine Vasalli quinque testibus comprobanda.* Has excipiunt duæ Lotharii II. Augusti, et Germaniæ Regis III. *De Feudis non alienandis, et De investitura non petita intra annum.* Tertiam etiam ejusdem Lotharii Constitutionem (nam falso Lotharii I. inscribitur) *de successione Feudali* in quædam capita videas (*b*) distributam *lib. 1. tit. 27. et seqq.* inde longo agmine subsequuntur Constitutiones octo Friderici I. Ænobarbi Imperatoris I. *de Feudis non alienandis.* II. *De Jure Fisci, seu de Regalibus.* III. *De Pace tenenda.* IV. *De Incendiariis, et Pacis violatoribus.* V. *De Pace componenda, et retinenda inter subjectos.* VI. *De Pace Constantiæ.* Duæ postremæ *De jure* προτιμήσεως. Atque bæ quidem sunt præcipuæ Imperatorum Constitutiones, quibus quasi nervo, et succo quatuor priores Feudalium consuetudinum libri permeantur. Insignis autem in Fridericianis Constitutionibus solertia est, qua Feudalis spiritus ita morigeratur, ut qui spiritus absolutæ, pacatæque unius Dominationi repugnantissimus per se sit, idem ipse enervatus, et obsequentior in præsentissimam societatis securitatem, et Imperatoriæ Majestatis amplitudinem edometur. Et ideo vel maxime ad Feudum pertinent quæ *de Pace* sancita sunt, cum nihil magis condoceret ad primogenium Feudi fervorem temperandum, et nativam reprimendam ferocitatem; nec vero pax esse posset, quæ Vasallorum fide, et constantia non firmaretur. Ecquid autem ad Feudum Constitutiones Friderici II. *De Statutis, et Consuetudinibus circa libertatem Ecclesiæ editis etc?* Ecquid illæ Henrici VII. *De Crimine lesæ Majestatis, de Rebellibus* etc.? Nempe in veteri, et vulgata collectione subdi bæ Constitutiones libris Feudalibus solent. Recte Cujacius rescidit. Nec me fugit in *Constitutionibus Napoletanis* quasdam legi Friderici II. Constitutiones, quæ ad Feuda spectant: nec tamen illis locus esse possit in nostris libris. Neque enim Constitutiones Augustales censendæ sunt, quas non Imperator edixerit, sed Rex Siciliæ. Quo eodem fundamento nituntur, qui priorem Fridericianam de jure προτιμήσεως *Sancimus* etc. addubitant par ne sit inter Augustales recensere, an ad eas amandare, quæ in solo utriusque Siciliæ Regno auctoritatem habent, et vim. Nam si tantum in Siculo Regno, profecto excludenda est ab bisce libris. Ii vero certe errant dum non incertam, non dubiam Friderici I. Constitutionem ad Fridericum II. traducunt. A Friderico scilicet II. promulgatam volunt, quam Fridericus I. dubio procul promulgavit, Nec vero tunc quicquam rei erat Friderico I. cum Siculis qui Guillielmo Regi parebant. Error autem ortus ex eo est quod eamdem inter Constitutiones illius Regni Capitulis Roberti Regis adjunctam viderint. Et Mathæus de Afflictis cum omnes illius Regni Constitutiones commentario illustrare promisisset, eam quoque illustraverit. Quem errorem placuit redarguere tum ne is ullo modo apud imperitos officeret Distributioni Cujacianæ, tum quod eumdem Viris etiam doctissimis proclivem fuisse videam, ut et in eum præ cæteris inciderit eruditissimus Card. (*c*) de Luca, qui innumeras inde quæstiones exsuscitat parum attendendas, si nihil rationis in suppositione est. Notandus etiam hoc loco esset Regens (*d*) de Marinis, qui (quod Cujacius in Commentario hujus Costitutionis asserit) (*e*) Dominos Feudorum in jus προτιμήσεως non facile admittit. Sed enim quæ out Imperatorias ad hanc rem Constitutiones respiciunt, aut Italicas per ea tempora consuetudines nihil ulterius moror. Propria hæc Cujacii sparta, quamuberrimis adornavit Commentariis conspiranti Doctorum hominum plausu, admirationeque approbatis.

XXIV. De Constitutionibus Augustorum in Rem Feudalem ad Quintum lib. partitionis Cujacianæ.

(*a*) *Vid. sup. N. XIII.*
(*b*) *Cuj. in eos titulos.*
(*c*) *De Luca de servitutibus disc. 68.*
(*d*) *De Marinis lib. 1. cap. 233. num. 8.*
(*e*) *Vid Cuj. lib. 2 Feud. tit. 4.*

XXV. A Seculo XIII quinta ætas Feudi temporarioris, et postmodum in dies senescentis.

Illud potius quærendum est quo tandem fato post Seculum XII., et præsertim post XIII. (quod fere constat) sensim cœperit elanguescere Feudalis is spiritus, quo a Seculo X. omne obruebatur Imperium Occidentale. Certe apud Gallos (a) quemadmodum jurisdictiones, sic et Feuda inter Patrimonialia bona jampridem accensita Cujacius ipse testatur *lib.* 4. *Feud. tit.* 19., qui idem *lib.* 1. *tit.* 1. monuerat Francicis moribus Feuda etiam ad Filias transire, *et jure patrimonii censeri, salvo censu debito senioribus.* Eadem etiam apud Italos in Patrimonia, et Alodia alicubi transiisse satis notum (b). Invaluit etiam, ut in dubio prædia omnia, et possessiones Alodia esse præsumerentur (c). Nunc vero nedum apud alios Populos, sed in ipsa Langobardis non major horum librorum auctoritas est, quam quæ Legis Rhodiæ apud Romanos olim esset, ut ea demum in Nauticis valeret, nisi si qua in re publico Juri Romanorum adversaretur. Sic Veneti in Re Feudali peculiari utimur Senatus Consulto Anni 1586. Sic etiam reliquis Populis suæ sunt peculiares consuetudines, et Leges. In universum autem tantum Feudi retentum est, quantum licentia, atque ferocitate compressa, cum utilitate Regii Fisci, et æquabili omnium jure, et tuta privatorum possessione potuit conciliari. Atque in id quidem, utcumque ex natura ipsa Feudi necessario Populos induci paullatim debuisse facile intelligatur, si quæ antea de summis Feudi principiis, et elementis disseruimus ad hunc locum et ad hæc sæcula accomodentur; placet tamen aliam inire viam, qua novus hac in re eruditionis campus aperiatur, si quantum supremæ Principum Dominationis interesset primævam Feudalem indolem aut extinguere, aut enervare, paucis patefecerim. Et quoniam præcipuus Cujacius in Feudalibus Francorum moribus retegendis, in iis potissimum subsistendum. Nempe quo ii usque proruperint non abs re fuerit explicare, unde simile quidpiam apud reliquos etiam Populos suspicemur. Post X. scilicet Seculum magis semper in dies insulescentibus viribus Præpotentiorum eousque perventum est, ut quod Feudum Hugoni Capeto subjectorum animis devinciendis par visum fuerat, omne in Monarchicæ dominationis destructionem converti deprehensum sit. Ita Francica res non amplius Regni instar (quæ forma a Majoribus manaverat) sed magni potius instar Feudi per ea tempora administrata: quo quid Principi acerbius, qui in nomine Regio Regios spiritus nutriat? quid indignius quam quod de Philippo I. Franciæ Rege memoriæ proditum est, hominium ab eo oblatum Comiti cuidam subdito suo pro Feudo quod a subdito acceperat? Ut nimirum mutuam Feudorum collationem intelligas, et Regis in Subditos, et Subditorum in Regem. Quid autem iniquius quam ut vasallus nedum ipse (Gigantum more) arma in Regem inferret, sed in eumdem minores etiam cogeret Vasallos suos, subditos Regis, ut sic demum de dissidiis inter Potentiores obortis judicium illud a Rege extorqueretur, quod Rex antea abnuisset? At enim horum non rara videas exempla in historia Francorum. Hæc eadem obiter innuit Clariss. Hainault *(d)* qui quo dilucidius declaret quantopere non solum per duo præcedentia, sed vel inito etiam Seculo XIII. universa apud Francos Feudali spiritu detinerentur, *Majoritatem* ipsam Regum (sie enim ajunt) ad Feudales mores exactam animadvertit. Et ita Sanctus Rex Ludovicus IX. anno 1215. natus VII. Kal. Majas non nisi post annum XXI. eodem VII. Kal. Majas anni 1236, *Major* declaratus est, tametsi Ludovico Regi VIII. Patri in Regno successisset a Mense usque Novembri anni 1226. Neque vero aut unius Principis, aut paucorum annorum facile opus erat tam penitus insitum Feudalem spiritum eradicare. Atque ad id quidem adhibitos *Missos Dominicos*, tum vero sensim inductas *Appellationes ad Regem* erudite prosequitur laudatus Hainault. Concludit tandem nonnisi ad finem vergente Seculo XIII. in Philippo IV. cognomine Pulchro, a quo eodem instituta sunt *Parlamenta*, restitutam firmins esse supremam Regum auctoritatem, undequaque coercita, compressaque licentia Feudali, unde antea tanta labes in monarchicum imperium fuerat intentata.

XXVI. Res Italæ illius ævi ad desuetudinem Feudi adaptatæ.

In idem potestatis suæ detrimentum, prævalentibus Feudalibus moribus, sese adduci sentiebant quicumque reliqui Principes supremam sibi Dominationem revindicandam arbitrabantur. Et ita in Italia cum nullibi magis quam in Ditione Mediolanensi Feudum vires arripuerit, nullibi etiam magis promptas manus, et audentes animos novimus ad facinus omne, et effusam usurpationem. Eos quidem præsenti ira deterritos in officio paullulum continuit Otto Magnus. At vero post Ottonem errectiores etiam, ferocioresque. Tandem sub Friderico Ænobarbo Mediolanenses, et qui eis adhærebant Placentini, Brixiani, Cremenses, aliique eousque furoris, calamitatisque pervenerant, ut qui irrequieti laxiorem etiam servitutem sustinere se posse negarent, nec umquam interim ab injuriis in finitimos abstinerent, iidem ludibrio habiti, inermi manu ab hostibus ipsi suis, quos toties et despexerant, et irritaverant eversam æquatamque omnem solo Principem Urbem intueri coacti sint. Inciderunt hæc in annum 1162. Atque hoc extremo severitatis exemplo reliqui pariter Italiæ Populi admoniti sunt ut ad mores temperantiores converterentur. Et utcumque secutum deinceps in Fridericum eumdem fœdus Langobardicum, veteris instar Socialis Belli, satis docuerit quantum ad res quasque maximas exequendas firma constantia valeat, et conspi-

(a) *Vid. Molinæum ad Consuet. Paris. tit des Fiefs n* 104. *Guenoys a l Consuet. Franc. in addit ad tit.* 1. *de Feud. etc.*

(b) *Vid. Arthur. Duk de usu et auct. Jur. Civ lib.* 1. *cap* 6 §. 8. *Roland. a Vall. lib.* 2 *cons* 2. *Christin. in Decis. Belg.* 212. *Vol.* 4 *etc.*

(c) *Cuj in lib* 4. *tit.* 3 *Feud*

(d) *Abregé chronologique de l'historie de France etc. secunde Partie. Remarques particulieres etc pag.* 888 *et suiv.*

rans Populorum consensus, non tamen inficiari illud possit exterminatorem Fridericum multo maxime et opes, et animos tum Civitatum tum furentium in iis Præpotentiorum contregisse, ut non multum postea reliquum fuerit, quo veteres Feudales mores in contentionem, et audaciam exererentur. Et licet etiam vel secutis ætatibus nunquam Italia ab externo armorum strepitu, ed intestinis discordiis, odiisque inexpiabilibus conquieverit, semel tamen a Friderico compressos Italicos Feudales spiritus contentionis turgidos, atque ferocitatis, sensim deinde ab eo tempore quasi naturali suo cursu novimus obsoleviase. Neque alio spectabant Imperatorii ii Nuncii, seu Conquisitores, seu *Missi Dominici*, quos legimus per Italiam exigendis *Regalibus*, et Urbium Consulibus instituendis tanta cura a Friderico destinatos. Qui scilicet Feudalis spiritus æquabilioribus moribus præcipue post Conradum dirigi cæperat, multo magis edomitus est sub Friderico, victricibus ejusdem armis cum Jurisconsultorum opinionibus unanimiter consentientibus. Et cum huc præcipue referatur magna pars illius juris, quod bisce libris contentum est, inde maxime patet quomodo ex hisce ipsis libris quasi initia sint educenda secutæ deinceps desuetudinis primitivi fervoris Feudalis. Tantum porro Romani moris in hosce libros tunc primum traductum videas quantum satis fuit ad copiosiora imposterum eodem exemplo in Rem Feudalem accersenda, quibus tandem veteres feroces mores, unde a Seculo X. Feudum prodierat, consopirentur. Hinc sæpiùs æquitatis rationem absolute spectatam intelligas. Ita cum priscus mos esset ut Vasallus contra omnes Dominum suum adjuvaret, addita clausula est *lib. 4. tit. 31. nisi contra alium Dominum antiquiorem.* Excipi etiam semper Imperatorem Fridericus (a) voluit. Titulo autem 27. ejusdem libri, *Domino guerram faciente alicui.... cum palam est quod irrationabiliter eam facit, adjuvet eum (Vasallus) ad ejus defensionem, ad offendendum vero alium adjuvet si vult.... Alii sine distinctione dicunt semper debere eum adjuvare.* En tibi priscum morem. Contra *si eum adjuvare noluerit non tamen Feudum amittet secundum Obertum, et Gerardum.* Ad hæc. tit. sequenti *quantocunque tempore steterit Vasallus quod Domino non servierit.... bonus judex varie ex personis, causisque definiet: et finge Vasallum remotum esse, vel propinquum, paratum esse vel non, Dominum guerram habere, vel non, utrum magnam vel parvam, et annuntiavit ei Dominus vel non; hæc omnia vertuntur in cognitione causæ, et proniores sumus ab absolvendum, quam ad condemnandum.* Mores mehercule isthæc refferunt æquabiliores, sedatioresque. Universim autem Renovatione Feudali, atque διαδικτικοῖς apud supremum Principem permanentibus parum præterea quicquam in possessione, aut servitio primigeniæ Feudalis indolis permissum cernas. Præcipue vero ex historia borum temporum enervata noscitur multiplex ea Vasallorum conjunctio, qua nulla ferocior Feudalibus turbis, et civilibus seditionibus excitandis. Commodissima in eadem tempora accidit Pax Constantiæ anni 1183, quam securiorem quietem nactæ Civitates Italiæ omnem illius fructum visæ sunt contulisse in sese redimendis a barbaro jugo, et agrestibus moribus sequioris Ævi. Tunc unaquæque (hac demum libertate, atque Imperii titulo adepto) peculiaribus suis legibus vivere cæpit, atque ad voluntatem Rectorum, et Civium peculiares sibi unaquæque statuere formas judiciorum, contractuum, successionum. Inde quasi magna nube succrevere *Statuta Urbium,* prout uniculque accommodatius, utiliusque decernebatur. Romani autem prisci Juris retinentissimos Italos ante Seculum X. ejusdem etiam post Pacem Constantiæ quasi postliminio revocandi fuisse avidissimos baud levi illud est argumento, quod omnes fere Civitates Italiæ post eam pacem Municipalibus legibus suis in minuendo, et enervando Langobardico jure utcumque sex antea secula radicibus actis, miris modis consenserint: tum vero universali usu, atque conspiratione invaluerit ut ubi nihil Municipalibus legibus statutum esset, Romanorum Juri acquiescendum omnes sibi Civitates aut tacite, aut expresse præscripserint. Publicæ etiam eo Seculo Juris Romani Scholæ Bononiæ in Irnerio auspicatæ, tum vero post expugnationem Amalphitanam diffusa per totam Italiam cæca antea oblivione sepulta Exemplaria Digestorum Italos animos excitavisse videntur, ut tandem aliquando alienigenarum consuetudinum puderet quando aviti mores suppeterent sapientiores. E tenebris evocata priorum Augustorum edicta, et responsa veterum Jurisconsultorum, gravitatis omnia, simplicitatis et miræ cujusdam civilis æquitatis referta Studiosorum animos non poterant non percellere. Et si confirmari illud posset, quod Sigonius constanti doctorum hominum fama probatum ait (b), Lotharium II. Cæsarem, tum Salicam, tum Langobardicam Legem omnem abrogavisse, stabiliorem quoque Epochen haberemus, qua restituto apud Italos Romano jure, mos deinde Feudalis cæperit evanescere. Verumtamen diu etiam post Lotharium Langobardicum jus apud Italos valuisse vel hisce ipsis Feudalibus Consuetudinibus patet, quibus Lothario posterioribus sæpe dicitur alias causas jure Romano dirimi, alias lege Langobardorum. Quamobrem longe mibi probatius est nulla lege aut Edicto quemadmodum post annum nongentesimum tacita consuetudine Feudales mores in animos Italorum universim obrepserint, sic eosdem post Fridericum contraria consuetudine sensim exutos, ut ideo ab eo tempore quasi Senectus quædam Feudalis magis magisque in dies ingravescens ordienda sit. Unde etiam hacteous inobservatum in nonnullam recidat illustrationem Feudorum, quorsum per hæc tempora Schola Accursiana in Juris Romani interpretatione licentius versata sit, quam antea præsumserit Schola Irneriana.

(a) *Cuj. in tit. 31 lib. 4.*

(b) *Sigonius de Regno Italiæ lib. XI.*

Litteralis significationis retinentissima Schola Irneriana: secuta Accursiana securior de verbis, unice sollicita de intima ratione Legum. Quod omnino contingere debuisse is intelligat, cui perspectum sit, nec tædium morum barbarorum aliunde incœpisse, quam a vehementiori desiderio, admiratioueque Legum Romanarum; nec per Leges Romanas tacito usu abrogari potuisse mores barbaros, nisi iis artificiose, et caute illinito colore quodam Juris Romani. Ita priorum illorum Jurisconsultorum scrupulosa diligentia esse debuit, quæ admirationem comitari individua solet: posteriorum horum licentius arbitrium, quod deinceps decursu temporis intemperantius excrescens in quibusdam demum e Schola Bartoli ad libidinem deflexit intollerabilem.

§ XVII. Quo [illegible]iori artificio Jus Romanum in Rem Feudalem traductum sit.

Sed enim distinctius explicandum quo præcipuo artificio Romani mores in Rem Feudalem traducti sint. Atque ad id quidem ea prima mihi sollertissima videtur adhibita ratio, quam Obertus innuit principio libri II. quod *strenuus Legisperitus sicubi casus emerserit, qui consuetudine Feudi non sit comprehensus, absque calumnia uti poterit lege scripta.* Quid non facile hoc aditu in Rem Feudalem invectum ex jure Romano, quod deinde indirecte (ut sæpe fit) ad ea etiam extenderetur, quæ expressa utcumque, et patenti consuetudine Feudali contenta antea essent? Si quæras cujus causa potior sit anno Domini, cui Feudum committatur, an Creditoris pignoratitii? Nihil de hoc consuetudo Feudalis. Ergo e jure civili respondet Cujacius (a) *commisso Feudo pignus extingui arg. L. lex Vectigali. ff. de pign. quæ idem in Emphyteusi definit. Rursus si quæratur agro Feudali, jure Belli capto, et adsignato Militibus, modica portione possessori relicta, an eam portionem jure Feudi a pristino Domino recognoscere non debeat quasi novo jure eam habere cœperit victorum beneficio, concessioneque, quod mores non definierunt, dicam ab eodem Domino eam portionem jure Feudi recogniturum quasi minime mutata possessionis causa, arg. l. Item si verberatum. §. 1. de rei vind. etc.* Cætera de hoc genere multa usu, et conspiratione Doctorum et Jure Romano in rem Feudalem traducta non dissimili ratiocinatione colligentur. Proxima huic ratio altera, ut si quid in Feudo usurpatum communiter esset, adjungeretur tamen quid fieri deberet *secundum rationabilem usum. In Feudo Comitatus* (b) *vel Marchiæ, vel aliarum dignitatum non est successio secundum rationabilem usum, sed hodie hoc est usurpatum.* Nimirum *Mortuo vasallo* (inquit Cujacius in ea verba) *in Feudo Regali opus fuit quasi novi beneficii nova investitura: non ergo id Capitaneorum liberi, agnative successione acquirebant, sed investitura. Ceterum deinde usurpatum etiam hoc est, Feudum Regale jure successionis acquiri.* Cui juri prævalenti tum mos vetustus tum consentanea ratio hoc loco opponitur, atque adeo dicitur *secundum rationabilem usum etc.* Nam porro concinnius moribus Romanorum si quæ summæ potestati proxima essent nulla successione distraherentur. Tametsi alia vis occurrit Fridericus (c) satis habens si id genus Feudi Regalis non dividatur, sed cedat majori natu. Eodem modo *lib. 4. tit. 16.* Matrimonio ea conditione contracto ne filii ex eo nati ab intestato succedant *nec in Feudum succedunt..... quamvis ratione improbetur talis condictio etc.* Alibi etiam eamdem formulam seu rationis, seu æquitatis in hisce libris adhibitam videas. Placuit autem superius allata verba *tit. 9.* præligere, at quoniam non ea Gerardi, sed alterius Interpretis Cujacio viderentur, ideo moneremus perinde esse sivæ hæc lenimenta primævæ consuetudinis Feudalis ii primi adoptaverint quorum verba in textum horum librorum adscita sunt, sive ii qui vetustiores post vulgatos hosce libros in re Feudali floruerunt, cujusmodi Pileus et Conradus, et si qui reliqui vetustissimi Interpretes commemorantur. Tertia ratio est ut si quid hisce libris scriptum sit, quod aut simile aut non prorsus abhorrens, ad mores Romanorum trahi possit, quicquid ex eo consequitur ad Jus civile Romanorum exigatur. Deficientibus liberis (inquit (d) Obertus) *vocantur* in Feudum *Fratres cum Fratrum præmortuorum Filiis;* id quod *consentit* (inquit Cujacius in ea verba) *cum Novella Justiniani, dissentit a Jure antiquo. Sed tamen hoc in transverso limite solis Fratrum Filiis Justinianus dedit ut in successione repræsentarent Patres suos; atque ita Patruo succederent in stirpes una cum Patruis. Si nulli sint Patrui in capita succedent ut Harmenopulo, et Azoni videtur; recte, nam Novella stirpes tantum spectari vult concurrentibus Fratribus defuncti etc.* Idem Cujacius (e) ex similitudine *Feudi*, et *donationis* Feuda de Camera, aut de Caneva nedum exhausto ærario aut cellario finiri ait, sed etiam Dominum in id tantum teneri quod facere potest deducto ne egeat, imo et deducto ære alieno *exemplo donatoris* e jure Romano, *nam et in Feudum datio liberalitas sive donatio est.* Quam omnino sententiam, dissimulato tamen donatoris exemplo, expressam videas *lib. 4. tit. 68* Denique quarta ratio introducendi juris civilis e dissensione Doctorum invaluit. Dissentientibus scilicet (quod sæpe fit) Juris Doctoribus eam sententiam videas sensim prævaluisse, quæ magis cum Romanis moribus conjungeretur. Sic *tit. 1. lib. 1.* successio Feudi Paterni extendi dicitur ad quartum gradum tantum *secundum quosdam, hoc ideo quia postea non vocatur Feudum Paternum. Alii autem dicunt usque ad septimum gradum.* Quæ sententia conformior moribus Romanorum sic deinceps obtinuit, ut ad extremum admissum sit in Feudo genearchico succedere *agnatos* (f) in

(a) *Cujac. in tit. 1. lib. 2. Feud.*
(b) *Tit. 9. lib. 2. Feud.*
(c) *Frid. in Const. de Feudis non alienandis lib. 5. Feudorum.*
(d) *Lib. 2. Feud. tit. 9.*
(e) *Com. in tit. 2. lib. 2.*
(f) *Cujac. in Com. ad tit. 1. Lib. 1. Feud. §. Et quia vidimus.*

infinitum. Prior autem sententia de Feudo Paterno *non ultra quartum gradum prorsus evanuit; nam et in edicto de in jus vocando, et de legatis præstandis Parentes etiam dicuntur ultra* (a) *Tritavum*, et Paternum sæpius dicitur quicquid a Parentibus in Posteros descendit, ut in *l. Patri. ad leg. Jul. de adult. etc.* Huic simile illud (b) de investitura *sub conditione aliqua vel tempore*, an ejus jus in hæredes transmittatur: Disentientibus scilicet Doctoribus, paullatim universalius invaluit transmitti comparata investitura cum stipulatione, et firmiori sic demum in rem jure statuto ad speciem quamdam contractus optimi, et ad mores Romanos. Atque hæc quidem mihi quadruplex potior ratio visa est, qua in Rem Feudalem Romani mores induci cœperint. Inde vero ii nævi, quos in hisce libris ex coosociatione barbaræ consuetudinis cum moribus Romanis (c) antea adnotavimus, cujusmodi illud ex Hotomanno animadversum contradictorium, quod in Feudo Marchiæ, Ducatus etc. *jus successionis sit et non sit.* Istud quomodo irrepserit e paucissimis hoc loco delibatis intelligitur: eadem ratione reliqua pariter intelligentur. Nec putandum est solius id Langobardiæ singulare. Audi Cujacium (d) multa esse quoad Feuda *in moribus Galliæ dissentanea, multa sine ratione.* Quo magis autem a XII. Seculo removemur, eo majori copia, licentiaque Jus civile Romanorum in Feudum traductum est; et ita porro prospecto etiam universaliori Res Feudalis ad Jus Civile accomodata. Sic Cujacius *lib. 2 tit. 17. Introductis Feudis* (inquit) *reducta videtur vetus differentia rerum mancipi, et nec mancipi.* Sic etiam *lib. 3. tit. 1. Quibus fere ex causis* (inquit) *Filius jure exhæredatur et Vasallo Feudum eripitur.* Nemo sane in hisce non videt Romanas formulas, et generales quasdam Regulas, quibus nullæ aptiores ad derivandos in Rem Feudalem Romanos mores. Atque quatuor quidem adductarum rationum cum tertia feracissima, et acutissima sit, videndum in ea præcipue est ne nimium aliquando præconceptæ similitudini indulgeatur. Sic, ut in proposito maneamus, viderit Cujacius quam intima tandem similitudo sit *Feudi*, et *donationis*. Porro nec Cujacius ipse diffiteatur non meram aut donationem, aut liberalitatem ejus dici posse, cui ob rem elargitam servitia deinde debeantur: debentur scilicet in Feudo.

Nunc paucis complectendum quo communi fato, quemadmodum Feudalis licentia, sic reliqui barbari mores Feudali primævo instituto congeniti sensim post XII. et vehementius post XIII. Seculum consenuerint. Ejus generis voco *Duellum*, *Faidas*, *Torneamenta*, *judicia paribilia*, et si qui hisce alii propiores mores sunt, qui in veteri Germanorum ferocia usurpati, paullatim deinceps consopiti, aut certe nec adeo immaniter nec adeo late diffusi majori quadam vivacitate una cum Feudo repullularunt. Consulendus præ cæteris *de Faidis* Jacobus Sirmondus ad Capit. Caroli Calvi; item Gloss. Lindenbrochi, et Spelmanni, et Eruditissimus Petrus de Marca *lib. 4. cap. 14. De concordia Sacerdotii, et Imperii.* Quæ scilicet privata dissidia pudore, et pondere Legum Romanis moribus comprimebantur, barbaris moribus non jure et judicio, sed ferro et manu, privata vindicta, persequi cœperunt. Multa extant in Capitularibus Regum Francorum, et in Legibus Langobardicis, quibus certus quidam *Faidis* modus imponitur. At enim ad X. Seculum quam penitus insederit cæcus hic furor cædis, deprædationis, et incendiorum testes abunde locupletes sunt Episcopi Gallicani, in Sirmondiana Collectione Conciliorum, et Episcopi Hispaniarum apud Card. Aguirrium, qui ineunte Seculo XI. tantam connisi reprimere iniquitatem non alia id melius ratione se consequi posse intellexerunt, quam si propositis per dies aliquot hebdomadæ Induciis reliquis diebus sic conniverent, ut quasi ipsi Auctores fierent devastationis, atque impunitatis. Quod fere vetustius recitari solet (e) *Anno MXXXIV. Episcopi, et Proceres Provinciarum in Aquitania primum, deinde per reliquas Gallias decreto suo privatis Bellis inducias indixerunt sub nomine Treguæ Domini a Mercurii suprema die usque ad diluculum diei Lunæ subsequentis ea lege, ut nemo ab inimico ultionem exigeret, nemo prædaretur etc.* Relatum ad hæc videas in libros Decretalium titulum *De Tregua, et Pace.* Atque in id genus inducias videas etiam prospexisse secuta Concilia Claro montanum sub Urbano II. anno 1095. Romanum sub Paschali II. anno 1102. Lateranense sub Innocentio II. anno 1139. quo demum Concilio Incendiorum devastatio universim prohibita est. Secuta concilia Seculi præsertim XII. veteres inducias confirmaverunt, sed ita tamen, ut quam plurimos ea deprehendas dies Festos quatuor illis singularum hebdomadarum diebus adjecisse; atque adeo aliquanto magis de docilitate Populorum in tam magna retardanda licentia sibi spopondisse quam priora illa Concilia Seculi XI. sperare potuerint. Tandem post alterum Concilium Lateranense sub Alexandro III. anni 1180. non amplius observandas inducias, sed Apostolica voce Ecclesiæ Proceres, et districto gladio Principes Seculi privatas omnes in universum concertationes, quacumque eæ demum die committerentur, videas execravisse: inopportuna execratio, fortasse etiam inanis, si (quæ Populorum tunc immanitas erat) duo antea Secula in pervicaces contorta fuisset. Accedunt *Torneamenta*, seu *Nundinæ*, *vel Feriæ* (inquit auctor Breviloquii apud Du-Fresne (f) *in quibus milites ex edicto convenire solent, et ad ostensionem virium suarum, et audaciæ temere congregari, vel congredi.* Cruenta sæpius spectacula, *dum mora* (g) *Francorum cum hastis, vel contis sese cursim equi-*

XXVIII. De abrogatione reliquorum morum cum Feudo conjunctorum. Hi sunt Faidæ, Duella, Torneamenta, Sacramentalia, Servitus etc.

(a) *Cujac. in tit. 4 lib. 1. Feud.*
(b) *Tit. 5. lib. 1. Feud.*
(c) *Vid. sup. Num. X. et XI.*
(d) *In tit. 14. lib. 4.*
(e) *De Marca loco cit. §. 2.*
(f) *Glos ad vocem Torneamentum.*
(g) *Radulfus Coggeshallensis in Chron. MS. apud Du-Fresne loc. cit.*

tantes vicissim impeterent. Quæ bellica exercitatio ut Militari Romanorum disciplinæ conformis olim fuerit, aliam porro par erat adhiberi post Christianum nomen. Eadem tamen avidissime arrepta longeque licentius, quamdiu Feudales mores prævaluerunt. Primum *Torneamentorum* sequiori ævo auctorem Gaufridum Secundum Dominum Pruliaci in Andibus memorat Chron. Turonen. *Anno* 1066. *Gaufridius de Pruliaco, qui Torneamenta invenit apud Andegavum occiditur etc.* Nihil torneamentis celebrius hoc Seculo et sequenti, quo tandem ad finem vergente, expresse vetitas legimus ab Alexandro III. in laudata œcumenica Synodo Lateranensi *detestabiles nundinas quas vulgo torneamenta vocant.... unde cædes hominum, et pericula animarum sæpe proveniunt.* Ut nimirum intelligas non id tantum adhibitum quod Plato posuit 8. Legum γυμνάζεσθαι πρὸς εἴδωλα ἄψυχα: inde post XII. Seculum desuetudo, aut certe non adeo ferox, fervensque pruritus.

Sequuntur *Duella*, quorum illud a Faidis discrimen est, quod cum Faida diceretur quicquid hostile esset, et eædem una cum Vasaliis susciperentur, Duellum in singulari certamine, seu Monomachia positum est. Atque id maxime proprium morum Heroicorum, quorum cum Feudalibus analogiam ex Vico antea patefecimus. Sic Menelaum cum Paride singulari certamine pro Helena, spectatore, et cessante utriusque partis exercitu, manus conserentem inducit Homerus, sic Hectorem cum Ajace, Æneam cum Diomede. Virgilius etiam Æneida Turni nece, et singulari pro Lavinia certamine concludit. Sic etiam Valerium Corvinum, sic M. Torquatum, aliosque Romanorum complures scimus decertavisse. Quod tamen apud alios Populos aut raro adhibitum, aut in publicum bonum, aut non nisi tacite permittebatur, expresse istud jussum legimus in Legibus Langobardorum *l. Quibuscunque. Lang. quol. se quis def. deb.* nec fustibus, sed armis militaribus. Qui mos ferociæ plenus, mirum quam profecerit in barbarie Feudali, ut ideo singulare adnotetur *lib.* 4. *Feud. tit.* 47. quod *non est consuetudo Mediolani ut de Felonia aut de infidelitate pugna fiat.* Atque ex Feudalibus iis moribus nova in Italia, et finitimis Gentibus Nobilitatis ratione, quæ omnia militiam redoleret, post X. Seculum (a) adoptata, probrosus itidem haberi cœpit, qui provocatus Duellum detrectavisset. Inde teterrimo opinionis errore in posteros etiam traducta labes sic intime adhæsit, ut eidem penitus abolendæ (quod terrificum inanis Nobilitatis εἴδωλον invaluerat) vix satis fuerit diuturnitas seculorum. At enim hac de re omni eruditissimus Andreas Alciatus (b) aliique. Certe nisi post XII., saltem acrius post XIII. seculum, utramque Potestatem, et Ecclesiasticam, et Civilem nedum omne præsidium, atque auctoritatem tantæ ferocitatis periculo novimus subtraxisse, sed in id maxime intentam ut severissimis legibus in universum prohiberetur. Nempe quæ vera Nobilitas est, et quæ solida existimatio ad vitam socialem requiritur, ea non ex viribus corporis, sed ex virtute animi dijudicatur). Hæc Hominis, illa Brutorum.

Accensenda quoque hisce sunt *Paribilia*, pericula scilicet atquæ ferventis, laminæ candentis et reliqua id genus, de quibus accurate Cujacius ad *tit.* 1. *lib.* 1. *Feud.* §. *Si autem controversia etc.* Eadem sæpius legas commemorata in Capitularibus Regum Francorum apud Baluzium, item in Leg. Frisio. *tit.* 3. in operibus Burchardi, Hincmari Remensis, aliorumque. Imo certæ etiam preces, et formulæ ad hujusmodi judicium solitæ adhiberi leguntur in Ordine Dunstani Dorobernensis Ecclesiæ (c) Archiepiscopi. Quidnam iis judiciis absurdius, quid immanius? Et tamen in Feudales mores traducta. Vel hæc ipsa post XII. Seculum apud politiores Populos sensim evanuerunt.

Huc quoque pertinent *Sacramentalia.* Alterum et id genus defensionis Feudalis *dabitur defensio cum XII. Sacramentalibus* (d) Equidem non sat semper habita est *nuda defensio* (e) *quæ fit, ut Aristoteles loquitur, ad hominem hoc modo: Vici jam satis, quia quod intendisti probare nequivisti.* Revera et in Jure Civili si causa dubia sit, judex *ut* (f) *omnem animo suo eximat scrupulum quandoque jusjurandum defert actori vel reo l.* 3. *C. de reb. cred. l. Admonendi. D. de jurejur. Novel.* 124. etc. At enim omni distincte casu, quæcumque demum possessio Rei sit, aut utcumque inanis probatio Actoris, semper Jusjurandum, atque Conjuratores exposcere diffidentissimi id Populi est, ad insidias parati, cui nihil in æquitate Civili, sed omnia jura aut in vi, aut in arctiori quadam Religione posita sint. Inde, cum rigida antea Sacramentalium necessitas exigeretur, moribus sensim, inclinante XII. Seculo, mansuescentibus multum arbitrio judicis permitti cœpit, atque adeo post Fridericum Ænobarbum sacramentum in re Feudali *ita demum datur* (g) *si aliquid pro eo sit, quod judicem moveat: ubi nihil est, quod faciat pro aliquo eorum præter possessionem solam, tunc secundum quod judici melius visum fuerit aut possidenti dabitur sacramentum, aut actore nihil probante, qui convenitur, etiam si nihil præstiterit, obtinet.* Eodem scilicet gradu quemadmodum post nongentesimum annum ferocientibus immaniter Populis ferox universim Feudum erupit, sic iisdem post XII. Seculum ad humaniores consuetudines revocatis sedatius etiam Feudum iniri cœpit,

(a) *Vid. Sigonium lib. 7. de Regno Italiæ post Annum* 973. *Item tit.* 10. *lib* 2. *Feud. cum Com. Cujacii.*
(b) *Alciatus de singulari certamine in fine Tomi* 3 *Operum Ed. Basil*
(c) *Vid. Glossarium verborum obscuriorum post Capitularia Caroli Magni, et Ludovici Pii etc. ex Bibliotheca Parisiis* 1603.
(d) *Lib.* 1. *Feud. tit.* 1. §. *cum autem etc.*
(e) *Cuj. in tit.* 1. *lib.* 1. *Feud.*
(f) *Cuj. ibidem.*
(g) *Lib.* 4. *Feud. tit.* 36.

idemque quantum maxime licuit ad Romanos mores converti. Imo vero Romanorum quoque veterum morum si qui cum recentius inductis Germanicis conveniebant, universalis abrogatio successit. Hujusmodi conditio servilis, cujus etiam sequiori æquo vestigia manent in Legibus Ripuariorum, et Langobardorum, quibus præ ceteris cavebatur ne servi justam libertatem consequi, aut alienare quid possent nisi post duplicem manumissionem. Ejusdem generis servitutem ad annum usque MCC. in Italia perduravisse satis constat ex Legibus-Guilielmi Siciliæ Regis, et Friderici II. Cæsaris, tum etiam ex Decretalibus Pontificum Romanorum Alexandri III. Urbani III. innocenti III. In quibus agitur de Conjugiis Servorum quæ *Contubernia* in jure dicuntur. Attamen qua ætate scribebat Bartolus (scribebat autem inclinante XIII. Seculo) nullus (a) amplius extitisse Christiani nominis servos compertissimum est. Adeo constat post XII. seculum una cum Feudo reliquam etiam omnem renovatam Politiam apud cultiores Europæ Gentes. Huc referas etiam rabiem Ghibellinam, et Guelfam. Sed enim nolo plura.

Qua ætate autem Feudum æstu vehementiori, fervebat, eadem commodissime susceptas legimus Hierosolymitanas Crucesignatorum expeditiones. Nec existimem, nisi divino miraculo, tot Populos moribus lingua genioque repugnantissimos tam magno consensu, et incredibili conspiratione in unum exercitum coalnisse, eosdem in periculosissima itinera, ignotas Regiones, certissimos hostes, incertissimum rei exitum videntes, prudentesque tanta æmulatione, et ardore frequentissimos conveniase, ut vel unum Anselmum Archiepiscopum Mediolanensem ad annum (b) 1096. quinquaginta Langobardorum hominum millia secuta esse commemorentur: universim autem vacuas Urbes, incultos agros, patrias Regiones desertas referant illius Ævi scriptores. Quod magis etiam, in priori præcipue Expeditione, mireris totius ferme Occidentis unanimes Principes (si Henricum Schismaticum, et execratum excipias) cursa omnes, atque cogitationes in Asiam, et Palestinam sic contulisse, ut reliquæ suæ omnia peculiaris utilitatis obliti tunc penitus viderentur, quæ certe universis eadem esse non poterat, atque diversis Populis (unde magna frequentius, et implacabilia dissidia) semper solet esse diversa: nec territos magnitudine rei, reliquo affectu omni compresso, a sua quemque Civitatis, aut Reipublicæ incommodo, et prope excidio (quæ divitiis, et hominibus penitus exhauriebantur) exorsos esse, ut eo demum post Herculeos labores contenderent quo vel si omnia cessissent ex animo, non satis tamen aut tuta victoria, aut diuturna possessio in tam longinquis Terrarum oris, circumsidentibus undique potentissimis hostibus, sperari certa liceret. Quamobrem providentissimo consilio Bellum sacrum in ea tempora censeam incidisse, quibus cum Populorum animi (vicissitudinibus eorum sic exposcentibus) impotenti fervore, et bellico contagio quodam detinerentur, quantum pietas, et Religio Hyerosolimam a Saracenis recuperandam suadebant, tantum etiam societatis Politicæ intererat occasionem arripere omnem, qua longa diuturnaque peregrinatione ferociores nostratium mores Orientalium consuetudine, commercioque demulcerentur, aut certe qui inexplebiles Bellum sitirent et spiritus alerent ferociores, externo gravissimo bello satiati tandem aliquando (quæ hominum natura est) meliora pacis studia inciperent desiderare. Illud etiam, quoad Societatem, perinde erat aut concitatissimos homines Feudo, Militia, et Heroica gloria quadam demi reprimere, aut eosdem in Bellum sacrum quam longissime removere, ut qui præsentes non prodessent, iidem remotissimi ne nocerent. Unde facile in concilio Claromontano Urbano II. Pontifici Maximo prioris Orientalis Expeditionis auctori tantus Principum plausus adjunctus est, tantus omnium consensus accessit, quantum frustra deinde post medium XIII. Seculum seculi Romani Pontifices ardentissimo zelo Religionis renovare tentarunt. Quæ octo scilicet in Saracenos susceptæ Crociatæ sunt (nec enim plures) eæ ab inclinante XI. Seculo ad medium XIII per ducentos ferme annos non ultra portenduntur. Propria isthæc ætas (quod antea sæpe diximus) et quasi Virilitas Feudorum. Subsecuta autem Feudali senectute quis unus magis ad Muhammedanorum comprimendum furorem sollicitus Pio II. Pontifice, quis inflammatior, quis promptior? Vix tamen hilum profecit. Irrita cesserunt vota ejus omnia, conatus, et preces, non quod medio Secula XV. quo Pius vivebat, vindicandæ propagandæque Religionis amore tepidiores Populos fuisse putem, sed quod, cum idem Religionis fervor maneret, penitus tamen deferbuisset Bellicus, et Feodalis is spiritus, quo præcipuo usus videtur Deus ad corda hominum in opus sanctissimum excitanda. Itaque conjunctissimæ cum Feudo Crociatæ, quas quemadmodum e Feudali eo pruritu primitus prodiisse compertum est, ita easdem successu temporum, in ipsiusmet Feudalis primævi fervoris enervationem summopere contulisse multomaximo verosimile apparet. Atque hæc quidem ad originem, et naturam Feudorum eo maxime consilio præmonita ne uberrimam Interpretationem Cujacianam illatis (quod ajunt) manibus attingamus.

XXIX. In Feudalem Politiam reficiendæ Expeditiones Hierosolymitanæ ab inclinante XI. Seculo ad medium XIII.

Tandem quæ potiora ex ipsamet interpretatione Cujacii in usum universaliorem horum librorum colligi possint adnotemus I. Desinet quæri, quod multum quæri jam pridem solebat, quaota hisce libris tribuenda auctoritas sit. Nam præter quam quod tacita Principum approbatione, diuturnaque consuetudine, et usu quasi in partem aliquam Juris Civilis hi libri transiisse videantur, et revera non secus ac quædam illius pars post Ænobarbum Cæsarem in celebrioribus Accademiis cœperint interpretari, alterum etiam preci-

XXX. Quæ insigniora e Commentariis Cujacii ad interpretationem Feudorum deducantur.

(a) *Bartolus in l. Hostes de Captivis.*

(b) *Sigon. De Regn. Ital. ad an. 1096. lib. 9.*

puum ad hanc rem e Cujacianis Commentariis colligitur, vix quicquam hisce libris contineri, quod si Cujaciana manu tractetur non aut sua se ipsum æquitate tueatur, aut non recta emanet e Jurisprudentia Justinianea, aut vero concinna quadam analogia ad eamdem refferri non possit, in quibus certe non minor horum librorum auctoritas, ac quæ reliquo Juri publico attribuatur. Remanent absurda quædam superius recensita. Eadem quoque conspiranti Populorum consensu (quæ tunc magna barbaries erat) noscuntur invaluisse: in quo ipso magna vis est. Nam contradictoria, si quæ supersunt, quemadmodum in reliquis libris Juris, sic etiam in Feudis ad prudentiam Interpretis exigentur. In universum autem *fere ullæ sunt rationes ex juris Auctorum, quæ non aliqua parte claudeant: contenti enim probabilius, nec solliciti admodum fuerunt in reddendis exactis rationibus recepti et explorati juris etc.* (a). II. Laudanda sollertia hominis est, qui in re plena periculi emerserit cautus evadis; et scopulos prætervecta omnes sit oratio ejus. Ecquid enim Feudali hoc jure turbulentius per tria præsertim post annum Millesimum Secula, aut quo demum acerbiores excitatæ Tragediæ sint? Prudentissimus Cujacius sic sibi toto opere cavit, ut nec quicquam omittat quod ad suam rem illustrius cedat, nec tamen obductas obscuræ memoriæ cicatrices aut retegi patiatur, aut refricari. Quo magis admonendi sumus non nisi sapientiori sobrietate in Re Feudali versandum, qua nedum sola Jura Privatorum, sed supremorum sæpe Principum Regnorumque fata continentur. Quamobrem non tam ad formulam Juris Civilis quam ad speciem quamdam Juris Gentium Feudum expendendum intelliget jurisconsultus, ut inde prælectoris e gemino eo fonte ad casus singulares accomodentur. Attendet etiam diligentissime quid principio inter contrahentes transactum fuerit. Plura enim pacta esse possunt quam quæ expressa consuetudine Feudali continentur iis derogare nefas. III. Intelligitur non adeo externæ adscititiæ illustrationis hosce libros Feudorum indigere, ut non aliquid et ipsi, si rite adhibeantur, retribuere valeant luminis mutui in Jus Civile Romanorum. Ita in Com. ad tit. 36. lib. 4. Jusjurandum Romanis moribus *remitti legimus* (inquit) *Patrono non Liberto. At in his Feudorum causis tam Vasallo, quam Domino remittitur. Potes hujus loci argumento, si tantum auctoritatis ei dederis, tentare idem dandum esse liberto, ut sit jus æquabile etc.* IV. Apparebit in nonnulla offendi posse, quæ certissima hisce libris ponuntur, eademque nequeas intrinsecæ absurditatis redarguere, quibus tamen (non secus ac veteres olim Feudistæ sibi assumpserunt) rectius adhuc ex bono et æquo temperandis, emolliendisque ingenium Interpretis, dummodo sapienter fiat, jure optimo exerceatur. Dux præit Cujacius ad *tit.* 30. *lib.* 4. Quæ ibi scilicet statuitur partitio fructuum Feudi vacantis, Cujacio improbatur. Æquiorem sequi vellet partitionem exemplo usufructuarii Jure Romano. Vel in eo tamen Censorem Cujacius habuit Joh. Robertum; et bene habuit quando isthæc illi præcipua causa fuit, qua semel assertam sententiam alio etiam loco (*b*) solidius confirmaret. Tametsi haud scio quinam alii Cujacianæ Interpretationis Feudorum reprehensores. Nec moveor si qui argutiis venantur gerris (quod ajunt) Siculis leviores. Qui iidem et si numero prævalerent, non moverer. Nam quæ rationis esse debent, numero non æstimantur, sed pondere.

(a) *Cujac. in cap. 19. lib. 1. Instit.*
(b) *Vide Notata Antonii Mercatoris ad cap. 7. lib. 2. Animadversion. Joh. Roberti.*

DE FEUDIS
LIBRI QUINQUE

QUORUM

Primus est GERARDI NIGRI, Secundus et Tertius OBERTI DE ORTO — Jurisconsultorum Mediolanensium.
Quartus ex variis et incertis AUCTORIBUS antiquis.
Quintus IMPERATORUM CONSTITUTIONES quæ ad Feuda pertinent complectitur.

AUCTI, EMENDATI, ATQUE ETIAM EXPLICATI STUDIO ET DILIGENTIA

JACOBI CUJACII J. C.

TITULI LIBRORUM QUINQUE

DE FEUDIS

TIT. V. *de Pœna inficiationis feudi.*
TIT. VI. *de Præscriptione feudi longissima.*
TIT. VII. *Clericum feudum perdere.*
TIT. VIII. *An vasallus, qui se non exhibet domino, feudum amittat.*
TIT. IX *Omnes fideles filios fidelitatem facere debere.*
TIT. X. *Adoptivum in feudum non succedere.*
TIT. XI. *Filios secundi matrimonii tantum feminæ in feudum succedere.*
TIT. XII. *Ut naturales post facti legitimi non succedant.*
TIT. XIII. *de Minore ad fidelitatem feudi non cogendo.*
TIT. XIV. *Quando agnatus ad feudum admittatur, vel excludatur.*
TIT. XV. *Dominum feudi tradere cogi.*
TIT. XVI. *Quando filii in feudum non succedant.*
TIT. XVII. *Vasallum non teneri offerre servitium.*
TIT. XVIII. *Feudo amisso filios vasalli excludi.*
TIT. XIX. *Generali alienatione non contineri vasallos.*
TIT. XX. *Vasallum repetere feudum, quod ignorans alienavit.*
TIT. XXI. *de Pœna negantis feudum.*
TIT. XXII. *Feudum a vasallo in feudum dari posse.*
TIT. XXIII. *Vasallum agere et conveniri de feudo posse.*
TIT. XXIV. *Quando proprietas feudi ad vasallum perveniat.*
TIT. XXV. *Feudum iisdem de casis amitti, licet datum sit hæredi, et cui vasallum dederit.*
TIT. XXVI. *de Pactione de non petenda feudo.*
TIT. XXVII. *Vasallum pro domino belligerari.*
TIT. XXVIII. *Propter cessationem servitii præstandi feudum non amitti.*
TIT. XXIX. *de Ædificio facto in feudo.*
TIT. XXX. *de Fructibus feudi.*
TIT. XXXI. *de Auxilia vasalli.*
TIT. XXXII. *Quando filii in feudum non succedunt.*
TIT. XXXIII. *Quanda filia succedit in feudum.*
TIT. XXXIV. *Patre feudum amittente filios non succedere.*
TIT. XXXV. *de Probatione investituræ.*
TIT. XXXVI. *Quot modis feudum acquiratur.*
TIT. XXXVII. *Si inter dominum et vasallum de beneficio contentia sit.*
TIT. XXXVIII. *de Lege Conradi.*
TIT. XXXIX. *de Pœna inficiantis feudum.*
TIT. XL. *Ut successor clerici investitoris feudum tradere cogatur.*
TIT. XLI. *de Vasallo imperfecto.*
TIT. XLII. *de Vasallo, qui occidit fratrem suum, vel domini sui.*
TIT. XLIII. *Non teneri vasallum offerre servitium.*
TIT. XLIV. *de Alienatione feudi.*
TIT. XLV. *de Alienatione paterni feudi.*
TIT. XLVI. *de Feudi controversia inter dominum et vasallum.*
TIT. XLVII. *de Infidelitate pugnam non fieri.*
TIT. XLVIII. *Quando vasallus feudum perdat.*
TIT. XLIX. *de Capitulis Conradi factis in Roncalia.*
TIT. L. *Cujus juramento stetur in quæstione feudi.*
TIT. LI. *Electionem dari emptori feudi cui feudum restituat, domino an vasallo ignoranti.*
TIT. LII. *Vasallum de feudo agere, et conveniri posse.*
TIT. LIII. *de Feudi alienatione et recuperatione.*
TIT. LIV. *An agnatus, vel filius repudiata hæreditate possit feudum retinere.*
TIT. LV. *Coram quo sit quæstia feudi ventilanda.*
TIT. LVI. *de Pœna domini felon am committentis.*
TIT. LVII. *Quando feudum licite alienatur.*
TIT. LVIII. *Quando pactum non obstat successiani feudi.*
TIT. LIX. *De natura successionis feudi.*
TIT. LX. *Beneficium in curiæ venditione non contineri.*
TIT. LXI. *Utrum filius vasalli feudum amittat vivo patre.*
TIT. LXII. *Non puniri vasallum ex sola cogitatione.*
TIT. LXIII. *de Successione nepotis ex filia.*
TIT. LXIV. *Differre agnatum a filia in successione feudi.*
TIT. LXV. *de Contentione feudi inter filiam, et propinquum, vel inter vasallum, et emptorem.*
TIT. LXVI. *de Pacto legis commissoriæ.*
TIT. LXVII. *Ut feudum ad certum servitium dari possit.*
TIT. LXVIII. *Quando feudum de camera sit dandum.*
TIT. LXIX. *Qui debeant interesse investituræ.*
TIT. LXX. *de Re communi in feudum donda, et per quos fiat investitura.*
TIT. LXXI. *Si instrumentum feudi falsum dicetur.*
TIT. LXXII. *Qualiter juret dominus, aut vasallus cum defensia si datur.*
TIT. LXXIII. *de Alienatione feudi.*
TIT. LXXIV. *de Feudis sculiferorum.*
TIT. LXXV. *de Condictione feudi non impleta.*
TIT. LXXVI. *de Fidelitate.*
TIT. LXXVII. *Si plures sint domini, vel vasalli, an plures fidelitates vel servitia debeantur.*
TIT. LXXVIII. *Culpam unius ex cohæredibus cæteris non præjudicare.*
TIT. LXXIX. *Ut ratio vasalli priusquam domini discutiatur.*
TIT. LXXX. *de Evictione.*
TIT. LXXXI. *de Feudis impropriis, quæ auferuntur dantis arbitria.*
TIT. LXXXII. *Prius possessionem restituendam esse, quam de principali causa agatur.*
TIT. LXXXIII. *Si unus ex fratribus dederit suam partem fratri, vel domino, vel extraneo.*
TIT. LXXXIV. *Patrem in feudo filii non succedere.*
TIT. LXXXV. *de Investitura facta marito, vel utrique conjugi.*
TIT. LXXXVI. *de Fructibus feudi.*
TIT. LXXXVII. *An præscriptione feudum acquiratur.*
TIT. LXXXVIII. *de Probatione investituræ.*
TIT. LXXXIX. *Conditionem feudum tacite sequi.*
TIT. XC. *Fratrem fratri in feudo non succedere.*
TIT. XCI. *de Investitura veteris, et novi beneficii.*
TIT. XCII. *Justo errore excusari vasallum, qui fidelitatem non fecit.*
TIT. XCIII. *Factum fratris fratri in feudo paterno non nocere.*
TIT. XCIV. *de Feudo guardiæ et gastaldiæ.*
TIT. XCV. *de Successione feudi.*
TIT. XCVI. *de Investitura alieni beneficii.*
TIT. XCVII. *Non amittere feudum eum, qui sine dolo cessavit per annum in petenda investitura.*
TIT. XCVIII. *Ex delicto vasalli fundum ad dominum redire.*
TIT. XCIX. *de Feudo ligio.*
TIT. C. *Imperatorem feudum amittere, vel alium pro se fidelem dare.*
TIT. CI. *Ecclesiam fidelitatem non facere.*
TIT. CII. *Non cogi vasallum pro uno feudo duas fidelitates facere.*
TIT. CIII. *Filios tantum secundi matrimonii matri in feudum succedere.*
TIT. CIV. *Casus quibus femina in feudo succedit.*
TIT. CV. *de Feudis habitationum.*
TIT. CVI. *Servos post delatam successionem manumissos in feudum non succedere.*
TIT. CVII. *Ut vasalli sumptibus domini servitia præstent.*
TIT. CVIII. *Vasallum feudum posse in alium arctiori lege transferre.*
TIT. CIX *Clericatu feudum amitti.*

LIBER V.

CONSTITUTIONES

Constitutio Conradi de beneficiis.
Constitutio Henrici de causis amittendi feudi.
Alia Constitutio Henrici de vasallo, qui unum ex dominis refutavit.
Alia Constitutio Henrici ejusdem, ut ingratitudo vasalli probetur testibus quinque.
Constitutio Lotharii de feudis non alienandis.
Alia ejusdem Lotharii constitutio de investitura non petita intra annum.
Constitutio Friderici de feudis non alienandis, et aliis capitulis.
Alia de jure fisci.
Alia Constitutio ejusdem Friderici de pace tenenda.
Alia Constitutio Friderici Imperatoris de incendiariis, et pacis violatoribus.
Alia Constitutio ejusdem de pace componenda, et retinenda inter subjectos, et aliis capitulis.
Alia Constitutio ejusdem Friderici de pace Costantiæ.
Alia Constitutio Friderici de jure προτιμήσεως.
Alia ejusdem de jure προτιμήσεως.
Νεαρὰ Ῥωμανοῦ τοῦ γέροντος περὶ ἐποικήσεως κτημάτων καὶ, *etc.*
Νεαρὰ Κωνσταντίνου Πορφυρογεννήτου περὶ στρατιωτῶν.
Aurea Bulla Caroli IV. Romanorum Imperatoris.

NOBILISSIMO ET OMNI VIRTUTE INSTRUCTISSIMO VIRO,

D. THOMÆ REDIGERO

JACOBUS CUJACIUS S.

Nulla est pars Juris pejori conditione, quam illa quæ de Feudis est et jure militum, sive militari, nec tamen illepido sermone conscripta. Nam vel qui ceteras se tenere profitentur. hanc rejiciunt, quasi barbaram: vel qui in hanc potissimum operam ponunt suam, facile damnum patiuntur ceterarum: hos abhorret, illos adpetit ipsa quidem vehementer, verum hi contra depereunt illam soli, illi despiciunt solam: ac proinde ab utrisque misera errat sæpenumero ad villicos rerum, sine doctrina Juris, prudentiores nonnunquam æstimatores, quam sint illi, quos dixi, Juris utriusque conciliatores semidocti. Quod mihi eo usque visum est indignum, ut hoc anno habitationem ei, tanquam matronæ elegantiori, mundiorem paraverim, epulasque quibus exciperetur, conquisitiores, te præsertim, quibus usus erat, librorum (eæ sunt illi epulæ) rariorum et vetustiorum promo, cujus beneficii memoria nulla est in me, nisi quidquid struxi inde, id omne tibi tuendum commisero. Ac ne quid secus faciam, etiam observat nobilis Daniel Schram communis amicus noster, homo omnibus bonis artibus perpolitus, totaque vita innocentissimus. Ecce jam igitur tibi veluti ab utroque, quos amicitia reddidit unanimes, feudorum Jus purius mundiusque acceptum, nisi nos fallimus, quam fuit ante, quod in fidem tuam et clientelam, veluti quodam feudi Jure conferimus lubentes animis. Bene vale. Biturigis XV. Kal. Junii M. D. LXVI.

GERARDI NIGRI

DE FEUDIS

LIBER PRIMUS

Hujus libri auctorem esse Gerardum Nigrum, argumento est tit. 29. quo improbatur feodum datum lege commissoria, et tit. 2 §. pen et 4. § ult. quo si in dando feudo convenerit, ut liberi masculi et feminæ id obtinere possint, et vasallus moriatur relicto filio et filia, filius præfertur: utraque enim sententia Gerardo tribuitur, lib. 4 tit. 63. et 66. Oberto de Orto displicuit. Non est igitur hic liber Oberti, sed Gerardi: uterque fuit consul Mediolanensis. Otho Frisingensis 2. de rebus gestis Friderici cap. 12. *Aderant*, inquit, *Cumanorum seu Laudensium consules de Mediolanensium superbia facientes querimoniam, præsentibus duobus Coss. ejusdem civitatis, Oberto de Orto, et Gerardo Nigro.* Libri tamen II. et III. auctorem Obertum esse negare non possumus. Liber IV. est ex variis et incertis auctoribus. Continentur his libris mores quibus in feudorum causis Ligures sive Longobardi utebantur: qui plerunque fuere diversi, ut ecce Cremonæ, Ticini, Mediolani vasallus feudum poterat alienare sine voluntate domini: Mantuæ, Veronæ, et aliis quibusdam locis exigebatur consensus domini. Rursus Placentiæ, qui militem investierat de feudo hac lege ne in successorem transiret, non poterat eo vivo sine ejus voluntate alium de eodem feudo investire Mediolani, et Cremonæ secus. Et hos quidem Italiæ mores et jus quod his libris digestum est, aliæ gentes si qua in re propriis moribus deficientur, libenter observant, ut idem plane de his libris statuere possis, quod de lege Rhodia Imper. Antoninus, cum in rebus nauticis Romanos sequi, nisi si qua in re adversetur juri publico P. Romani: et nos quoque jus feudorum, quo Italia nititur, sequimur non inviti, nisi si qua in re pugnet cum legibus aut moribus nostris. Constitutiones autem Imperatorum de feudis, quas his libris Hugolinus, inseruerat Odofredo teste, quibusque nos alias adjecimus, proprio libro. id est, quinto, conclusimus. Intellecta igitur librorum partitione, materia, auctoribus, pretium curæ est de Feudi nomine et definitione ut statuamus aliquid. Feudum quidam dixere fœdum, ut Guillelmus Imperator in Constitutione quadam in Chronicis Flandriæ relata, per quam terris imperialibus privatur Margarita Comes Flandriæ ob fidem non præstitam. *Ut*, inquit, *eadem Comitissa in fœudum tenuit.* Vocem sane Feudi Isidorus a fœdere deduxit. Obertus autem a fidelitate vel fide: quod rectius puto, vel in maxime, quod hi qui rem a domino jure feudi acceperunt, dicantur esse ejus Leudes, sive Leodes, quod est Francorum lingua, *Ses leaux*, ou *loyaux*. Aimoinus 3. cap. 81. *Guntramnus fuit laudis suis benevolus.* Et lib. 4. legum Gotthorum, tit. 5. *Si inter leudes in expeditionibus constitutus de labore suo aliquid acquisierit:* et in exemplo pactionis habitæ inter Guntramnum et Childebertum reges apud Gregorium Turonensem, lib 9. *Leudes illi qui domino Guntramno sacramenta præbuerunt:* et inferius. *Convenit ut nullus alterius leudes nec sollicitet, nec venientes excipiat:* et ejusdem lib. 8 *Credo aliquem ex leudibus nostris esse filium:* et 3. *A leudibus suis defensatus est:* est lib. 2. *Hæc de fidelibus leudibus ejus.* Unde puto Germanos feudum appellare Leudum, sive *Lehen.* Nam et pari ratione iidem illi leudes, feudales dicuntur, quod est Francorum lingua, *Feaux*, et feudum jus sive res, cujus acceptione fidei dominis exhibendæ vinculo constringuntur. Fideles his libris sæpe: quo nomine olim servi nuncupabantur, at vero milites etiam, qui quid in feudum acceperunt, servos imitantur: nam tametsi servi non sint, serviunt tamen, et servitia debent, quæ duo sunt diversa. *L. Uxori, in fin. D. de usufr. leg.* Servum scilicet esse, et servire, servitus, et servitium. Potestas domini servitutem, patientia servientis servitium facit. Vasalli igitur non sunt servi, sed ἀντίδουλοι, ut Æschylus loquitur: et licet sæpe Homines nostri dicuntur, quia tamen ea appellatione proprie servi significantur, recte dixeris, non tam eos, qui quid a nobis jure feudi possident, homines esse nostros, quam nobis Hominium debere. quæ vox Hominii concinnior est quam Homagii, qua utuntur Robertus in Supplemento Cronicorum Sigeberti, Helmodius in historia Slavorum, Otho et Raduvicus, et Abbas Urspergensis sæpe, et Fridericus, Imp. ad Othonem Frisingensem, *Hominio*, inquit, *ac fidelitate nobis facto coronam regni de manu nostra, Petrus rex Danorum suscepit.* Sed et Vvasal, vel Vassalli nomen, quod eisdem competit, servitium significat, sive comitatum cum deducatur non ex eo quod sint quasi in vasario nobilium, ut vasa eorum instrumentaque censeantur, sed e Germanica et veteri Gallica voce *Gesell*. qua significatur comes qui nobis servit mercede certa. unde et Gæsatas populos Gallica lingua nuncupatos, Polyb. 11. et Plutarchus in M. Marcello scribunt. Licet autem mercenarii aut vasalli servi non sunt, tamen ut servi appellatione mercenarii continentur, ita et vasalli. Mercenarios, quos etiam vocarunt ambactos, servorum loco esse probat *l. 4. D. de usu, et habit.* adhibita interpretatione Theophili in §. 1. *eod.* et ita Græci accipiunt *l. 1. §. Familiæ. D. de vi, et de vi arm.* et confirmatur, *d. l. 1. §. Si filiusfamilias:* at ea ratione furti non tenentur, *l. Si libertus. D. de furt. l. Respiciendum. §. Furta. D. de pœnis.* Placet ergo nobis Stoicorum sententia, quam Diogenes Laertius refert, tria esse servitutis genera, unam quoties non est potestas vivendi ut velis, ut si liber homo carcere continetur, quam definiunt, στέρησιν αὐτοπραγίας alteram esse ἐν κτήσει, ut ea qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur: tertiam ἐν ὑποτάξει, ut ea quam serviunt mercenarii, obærati, addicti, vassalli, clientes. Separo vasallos a clientibus, licet vasallis his libris nonnunquam clientes appellentur, et conveniant in multis, et separationis ratio evidens. Clientibus onus militiæ adnexum non est. Vasallorum conditio hæc est, ut cum delectus edicitur, in militiam eant, vel vicarium mittant, vel certum censum domini ærario inferant, quod Heribannum sive Haribannum dicitur a Germanorum antiqua voce *Here*, qua significatur exercitus, quo sensu, et *Heristit* dixerunt, *l. 15. Long. de exercit. l. 17. de eo, qui a liganteat desertionem exercitus.* Theodulphus in Chronicis: *D. Pipinum regem in exercitu derelinquens, et id quod Theodisca lingua Heristit dicitur.* Idem Hermannus Comes lib. de origine Francorum. Heribanni quantitatem definivit Carolus legum Langobardorum lib 3. Fridericus pro ea portionem certam reditus feudi, inf lib. 5. Bannum est generale nomen, quo significatur edictum sive citatio. Heribannum specialis citatio nempe ad delectum. Utroque nomine significatur etiam pœna edicto non obtemperantis. Igitur heribannum non tantum edictio delectus est, sed etiam pœna non respondentis ad delectum, quam et *Herischuldam* Germani vocant, Aventino teste. Sed, ut alias etiam differentias inter clientes et vasallos exequamur, clientes prædia sua pleno jure possident, vasalli prædia feudalia ususfructus tantum jure perpetui vel temporarii, proprietas est dominorum a quibus prædia acceperunt beneficii jure: usumfructum dicimus cum Oberto lib. 3 quod interpretes utile dominium vocant, propterea quod vasallus rei in feudum datæ utilem non directam vindicationem habet, ut inf. 2. tit. 8. §. 1. quæ tamen ratio utile dominium non inducit, et verior est Conradi sententia *lib. 4. tit. de alie. pat. feudi.* nullum esse utile dominium. Clientes dabant se in fidem patronorum, et ab eis ferebant sportulas vel cœnam rectam. Vasalli vel ultro fidem suam nobis offerant cessa proprietate bonorum suorum, vel nos collatis in eos prædiis nostris, fidem eorum obligimus et sequimur. sportulas vel cœnas a nobis non ferunt, nisi qui feudum quod dicitur de camera, vel caneva, quod vere non est feudum, obtinent: his sportulas damus, quæ Soldatæ dicuntur, lib. 2. tit. 10. a Gallorum et Germanorum antiqua voce *Sold.* nam et Cæsar ipse scribit, Gallis esse devotos, quos illi Soldurios appellant, *quorum*, inquit, *hæc est conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiæ dediderint, si quid iis per vim accidat, aut eundem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant.* Robertus in Supplemento Sigeberti. *Sumpsit Henricus rex pecunias de feudo unicuu-*

tusque loricæ. Capitales barones secum duxit. Solidarios vero milites innumeros. Otho 1. cap. 31. *Hospites, quos nunc solidarios dicimus.* Radevicus 3. cap. 20. *Ut largitione pecuniæ milites qui solidarii vocantur colligeret.* Clienti respondet patronus, ut in XII Tab. *Patronus si clienti fraudem fecerit sacer esto:* et inde sumpta translatione, qui causam agit actoris vel rei, patronus, reus cliens dicitur, vel susceptus: eam et clientes posterior ætas vocavit susceptos et summissos, *l. 1. C. de prin. ag. in reb.* Vasallo autem respondet dominus, qui et senior dicitur, licet provectæ ætatis non sit: eadem forma qua Senatorem et Presbyterum dicimus, morum potius quam ætatis habita ratione. Nomen igitur ætatis mite dominus feudi habet, quamvis adolescens sit aut juvenis. Interea tamen, cum jus feudorum antiquissimum esse Gerardus scribat, qui ipse fuit Longobardus, inepte id repetierit ex Longobardia ipsa, sive Gothia, quorum leges nihil de feudis habent palam, nec antiquissimum esse nobis unquam persuaserit, nisi id liquido deduxerit ex moribus P. Romani, quod fiet ita commodissime. Fit sæpe in libris nostris hominum mentio, qua appellatione frequentius servi significantur. Sed et liberi, puta actores, procuratores, custodes prædiorum, insularii, conductores, emphyteuticarii, chartularii, precarii possessores. His possessio conceditur ad tempus. Quæ actori, feudum est gastaldiæ. Quæ custodi, feudum guardiæ. Iisdem postea cœpit concedi in perpetuum, quod est verum et proprium feudum, atque ita, ut me Observat. 8. tradidisse recordor, paulatim qui erant actores, custodesque prædiorum nostrorum temporarii, perpetui esse cœperunt, latinumque hominum nomen retinuerunt, novum et externum Vasallorum sive Leodum et Feudatariorum acceperunt a principibus et nobilioribus, qui eis sua prædia in perpetuum concedere maluerunt, si militiæ oneribus se obligarent, invecto in Italiam nomine, a principibus Germanis, quibus fuere semper multi Comites (sic Corn. Tacitus vasallos vocat: Glossæ συστρατιώτας interpretantur) et principum æmulatio magna, cui plurimi et acerrimi. *Hos, ut ait, præcipuum sacramentum erat defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ principis sui adsignare*, quod vulgo sacramentum fidelitatis appellamus. Et eadem fere hominum conditione usam Græciam Novella Constantini Porphyrogennetæ περὶ στρατιωτῶν probat, cujus sententia hæc est. Quædam esse prædia militaria quibus cohæreat onus militiæ, ita ut possessorem necesse sit se ad militiam comparare domino edicente delectum: vel si nolit aut non possit se ad delectum exhibere, certam eo nomine pecuniam fisco dependere, quæ feudorum omnium lex est sive a nobili, sive a plebejo possideantur, sive, quod pene idem est a milite, sive a pagano. Distinxit omnis ætas nobiles a plebeiis, sed procedente tempore, qui nobilium erant milites, vasalli, ministeriales, feudatarii, ut recte Albertus Krantzius scribit in metropoli, etiam nobilitatem sibi vindicarunt: qua de re dicturi sumus 2. tit. 10. At quoties tam vile est feudum, ut non possit possessor se aliumve in expeditione ex ejus reditu tueri, hoc jure utimur hodie in Francia ex Capitulis Caroli additis ad legem Langobardorum, ut ei adjungatur alius quoad pro modo redituum æquabiliter simul eis miles unus instrui possit. Ut vero ex constitutione Lotharii vasallus alienare feudum non potest, ita Constantinus Porphyrogennete vult, ut prædia militaria, quæ nunc dicimus feuda, a militibus non alienentur. Sed militum duo sunt genera. Quidam ἐκ τῆς κοινότητος, novitii, caligati, gregarii, manipulares, soldurii. Horum prædia quæ nondum sunt relata in codices militares ex Novella jure militari non censentur. Alii sunt originarii et justi milites qui nobilibus adnumerentur, quam differentiam militum Fridericus sequitur in tit. de pace tenend. §. *Si miles.* Et justorum quidem militum meliora prædia ex Novella Constantini militiæ sunt tacite obligata, si equites sint, usque ad quantitatem 4. librarum auri: si classiarii, qui ab eodem Constantino πλώϊμοι, et πλωτῆρες dicuntur, usque ad quantitatem duarum librarum. Supra eam quantitatem prædiorum suorum alienationem habent, intra eam non item. Quod si prædia eorum, quæ eam quantitatem excedunt, nominatim omnia sint relata in codices militares, et hæc omnia hæredibus conservari debent sive militibus, sive paganis, non distrahi. Sin vero non sint omnia adscripta militiæ, sed habeat miles jure optimo possessionem aliquam, militiæ functione liberam, quæ alode sive alodium dicitur his libris quasi fidei vinculo soluta, Constantinus vocat κτῆμα ἰδιοπεριόριστον καὶ τῇ στρατείᾳ ἀκαταδούλωτον quam scilicet possidetur proprio jure, non feudi non beneficii jure, hanc distrahere potest. Illam neque possessor, neque fiscus vendere potest: vel si vendiderit, eidem possessori repetitio competit, indemnitate emptori præstita, quo cessante agnati ejus possessionem revocare possunt, neque adversus eos emptori est repetitio, vel reputatio pretii aut meliorationum, auferre tantum potest ea quæ imposuit prædio si recipiant separationem: deficientibus agnatis, succedunt σύνδοται καὶ συνάχμοι, id est, consortes, quibus simul militiæ nomine prædia adsignata sunt. Consortibus succedunt milites indigentiores, et his rursus pagani πρὸς τὸ μὴ διαπίπτειν τὸν ἐκ τοῦ κήνσου φόρον id est, ne census fisco depereat: ex quo intelligimus hujus generis militaria prædia obnoxia esse oneribus militiæ, vel si refugiat possessor militiam, censui certo, id est, banno et heribanno: et possideri ea posse tam a paganis quam a militibus. Ejus Novellæ pars quædam est apud Harmenopulum Epitomarum 1. tit. 16. Sed valde corrupta. Legendum συντηρεῖσθαι δὲ εἰς ἱκανὴν στρατείαν ἱππέων μὲν τεσσάρων λιτρῶν ἀκίνητον κτῆσιν, οἷας [illegible] ἐκλαβόμεν, καὶ ἐπὶ τῶν στόλου τεταγμένους πλωΐμους τοῦτ' Αἰγαίου πελάγους καὶ τῆς Σάμου· λοιπὸν δὲ πλωΐμων λιτρῶν δύο. Quod subjicitur, est, ex eadem Nov. et quia militem, ἐν παροίκου λόγῳ, id est, quasi colonario jure sibi subjectum rationarit, atque ita prædia ejus militaria invaserit, ut damnetur in aureos VI. quibus pars dimidia militi detur, pars altera media in fiscum redigatur. Quod si non leveserit ea prædia, sed emerit, milite suæ conditioni reddito, ut pretii repetitionem non habeat, et hoc amplius, ut fisco pœnæ nomine inferat aureos III. Deest in Harmenopulo quantitas aureorum. Sin vero cum alias quidam milites sedibus suis et possessionibus expulissent, vel illi ipsi bona sua cessissent, male interpres, ex statione sua discessissent, corrupto etiam in Harmenopulo, ἢ αὐτῶν ἢ ἐκείνων, cum sit legendum ἢ αὐτῶν ἐκείνων ἐκστάσει χρησαμένων illo inquam, casu si quis miseratione ductus milites susceperit quasi colonos vel mercenarios, eum non teneri. At si quis militem castris abductum, quæ vocat fossata, in privato obsequio detinuerit, eum fisco teneri in annos singulos, quibus illum detinuerit, in aureos VI. eamque summam exigi ab excussore sive discussore publico, qui vocatur illo loco ὁ ἐξκουσσατεύσας, vulgo corrupte ὁ ἐξκουσσατεύσας. Ex his quæ diximus hactenus, cum feudi naturam ostendunt satis aperte, facile eruetur definitio feudi. Quid est feudum? Jus prædio alieno in perpetuum utendi fruendi, quod pro beneficio dominus dat ea lege, ut qui accipit sibi fidem et militiæ munus aliudve servitium exhibeat. Jus est non prædium ipsum, ut exponam initio libri tertii, et jus ususfructus. Solet ususfructus constitui in personam tantum. Sed tamen conveniri potest, ut et in hæredem fructuarii transeat. Verum enim hæc actio a Justiniano coarctatur ad primum hæredem, ne in universum inutilis sit proprietas semper abscedente usufructu *l. Antiquitas. C. de usufruct.* Quin imo receptum est conveniri posse, ut ad successorem transeat in infinitum. Si modo addatur lex fidei, hominii, servitii, ut diximus, quæ efficit ne sit inutilis proprietas. Quin et quorumdam locorum hi sunt mores, ut ejus anni, quo hæres vasalli se in fidem et clientelam domini commendavit, reditum integrum dominus ferat, vel ut certa ei summa numeretur ἀντὶ τῆς ἀναχώρησεως sive pro redemptione, ut loquuntur, et restauratione feudi, et ut ei muletur vasallus venditionis genere domino præstetur pretii quinta pars a venditore vel ab emptore, si ad actum sit, et quintæ quinta, et si venierit fundus c aurv ai mille, ccxl. quæ præstationum genera a Leone in Novellis εἰσδεκτικά appellantur, quod quasi præstentur novi possessoris admittendi et suscipiendi causa. Sic fit ut non sit inutilis proprietas, licet ususfructus in perpetuum constituatur, et pleniori quidem jure quam solent ususfructus esse: nam et vasallus fundi ac servitutum vindicationem habet, et fructus suos facit quoquo modo terra separatos, quæ non solent fructuario dari. Liberi tamen vasalli plerumque moribus nostris nihil debent, præter manus porrectionem et deosculationem, quæ sunt domini symbola. Aimonius 4. cap 64. *Tassilo dux Bajoariorum more Francico in manus regis Pipini in vassaticum manibus suis semetipsum commendavit, fidelitatemque jurejurando promisit:* quod ita Ado Viennensis: *Tassilo se illi in vassalium comment.* Et Richardus, *se in manibus Caroli commendavit.* Ne dixeris etiam feudum esse contractum. Jus est potius quod per contractum constituitur, dum scilicet dominus id per investituram cedit, quæ cessio datio est, ea lege, ut qui accipit fidem, et servitium danti semper exhibeat. Et contractum hujusmodi sequitur traditio, ut *inf. 2. tit. 7. §. ult.* et 4. *tit.* 15. et est ex eo contractu actio de evictione in dominum, ut 2. *tit* 8. et adversus vasallum condictio causa dati si fidem fallat, ut infra tit. 20. vel etiam præscriptis verbis, si nolit dominus feudum revocare. Constituitur autem hoc jus in rebus soli non in mobilibus. Omnium quidem rerum ususfructus constitui potest ex S. C. non tamen jure feudi. Quædam sunt res quæ immobilibus adnumerentur, ut annonæ, sportulæ, pensiones, *l. Jubemus. 2. C. de sacros. Eccl. Nov.* 7. et in his feudum illud consistit quod dicitur camera, id est, cum ex ærario, sive arca domini vasallo adsignatur stipendium certum, vel cum dicitur de caneva, id est, cum ex cellario domini vasallo præbentur annonæ. Hujus generis feudum est in curte domini, ut *inf. tit.* 2. §. *Item si quis.* nec est proprium feudum, sed jure feudi censetur: quæ duo sunt diversa, sicut Gallis aliud est, *Franc fief.* aliud, *Tenir en fief.* Proprium feudum est extra curtem, et consistit in prædiis. Illi simile est feudum guardiæ, cum curti sive domui suæ quasi jure feudi dominus custodem opponit: vel gastaldiæ, cum actorem præficit, quæ tempore vel morte dantis aut accipientis finiuntur, et definitione non comprehenduntur: quia sunt impropria feuda. Porro adjeci in definitione feudum pro beneficio dari: hæc res efficit, ut feudum beneficium appelletur sæpe, et vasallus beneficiarius, χαριστικάριος nam originem ex officio et amicitia trahit, ut *inf. tit.* 30. et simili sensu in Constitutionibus beneficiarii dicuntur quibus beneficii loco cura committitur mansionum cursus publici, vel quod aliud officium munusve publicum. Postremo quod est adjectum de fide, pernecessarium est, nec conventione mutari potest: nam etsi valeat conventio, ne jusjurandum fidelitatis præstetur, ea servitium præstetur: nulla tamen vis est hujus conventionis, ne fides præstetur. Est enim contra naturam substantiamve feudi: et ideo non est rata habenda *l. Cum precario. D. de precario.* Idem est natura et substantia, et falsa vulgaria interpretum differentia, §. *De illa. Instit. de societ. l. Pacta. D. de cont. empt.* conjuncta *l. Jurisgentium. D. de pact.*

TIT. I. *De iis qui feudum dare possunt, et qualiter acquiratur et retineatur.*

Quia de feudis tractaturi sumus, videamus primum qui feudum dare possunt. Feudum autem dare possunt, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa, Præpositus, si antiquitus consuetudo eorum fuerit feudum

dare. Dux, Marchio, et Comes similiter feudum dare possunt, qui proprie regni vel Regis capitanei dicuntur. Sunt et alii qui ab istis feuda accipiunt, qui proprie Regis vel regni valvasores dicuntur, sed hodie capitanei appellantur, qui et ipsi feuda dare possunt. Ipsi vero qui ab eis accipiunt feudum, minores valvasores dicuntur.

Feudum dare possunt, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa. Itemque Præpositus. Dignitas ecclesiastica hæc est, cui canones deferunt ab Episcopo primum locum et rerum ecclesiasticarum dispensationem in Aquisgranensis concilii c. 139. Quod autem dicitur de Archiepiscopo et ceteris, ei obstat *tit.* 2 §. *Item si Episcopus*, quo negatur Præpositum, vel etiam Ecclesiasticam personam jure feudum dare, longam tamen consuetudinem in ea re observandam esse, quod consentit cum hoc loco, quo ecclesiasticis personis datur jus concedendi feudi, ita demum si hic mos antiquus ejus Ecclesiæ fuerit, si antiquitus, ut ait hoc loco, consuetudo eorum fuerit, quæ eadem verba repetuntur *inf.* 4. *tit.* 21. Negantur, inquam, jure feudum dare de rebus Ecclesiarum, quæ eis subjectæ sunt, et tituli vocantur, et hoc esse ex decreto Urbani Pontificis facto in sancta Synodo, quod tamen in futurum tantum valet, non in præteritum: nec enim jus in præterita constitutum intelligitur, nisi id nominatim exprimatur.

Is est Urbanus II. qui Synodum Placentiæ habuit, in qua Ecclesiasticorum mores licentiamque correxit, et hoc etiam inter cetera cavit, ne ulla fieret ordinatio sine titulo, id est rebus quibusdam, unde se alat, ordinato non adscriptis, *cap. statuimus.* 70. *dist.* quod Carolus Magnus ita expressit in suis Constitutionibus: *Ut nullus absolute ordinetur sine pronuntiatione et stabilitate loci ad quem ordinatur.* Et hujus tituli res vetuit Urbanus Episcopos et ceteras personas Ecclesiasticas in feudum dare, et merito, quia proprio patrimonii jure ad Ecclesias pertinent, et decimas ac primitias concilium Lateranense, ut Vincentius scribit, non bona profana, non quæ jam olim dederant in feudum ei ad eos redirent ob fidem non præstitam, vel quam aliam vasalli culpam, excepto Archiepiscopo Mediolanensi, ut *inf.* 4. *tit.* 40. De veteri feudo non est dubium eos investituram facere posse. De Abbatis nomine illud non omittam, nonnunquam in historiis Abbates scripi pro nobilibus, quod nomen etiam hodie retinent in montibus Pyrenæis nobiles quidam: et hoc sensu, quantum opinor, Aimonius 5. c. 1. *Carolus*, inquit, *ordinavit per totam Aquitaniam Comites Abbatesque, necnon alios plurimos, quos Vassos vulgo vocant*, etc. 34. *Quibusdam Abbatiolas sicut erant integras dedit, quibusdam de Abbatia Martiniana beneficiola donavit*, et c. 36. *Ludovicus quos potuit conciliavit sibi dans eis Abbatias et Comitatus ac villas.* Suidegerus in Chronicis Francum Gallicis: *Abbates*, inquit, *in antiquis historiis non sunt monachi vel religiosi, sed Barones Magnatesque seculares, quibus Abbatias vel monasteria principes dat ad tempus, vel quoad vixerint.* Similia ejusmodi multa olim principes Christiani sibi adrogarunt, maxime urgente rerum necessitate, quæ in exemplum trahere non debemus alioquin sequeretur confusio ordinum omnium, nam et legimus Cintbarium edixisse ut cunctæ Ecclesiæ Galliarum fisco tertiam partem fructuum persolverent. Aimonii 1. c. 26. et Carolum Martellum decimas et Ecclesias militibus et laicis cogente bellica necessitate, cum non haberet quod eis largiretur, ut eum sequerentur, possidendas concessisse in Richardi Chronicis: *Quæ*, inquit, *usque in hodiernum diem ab eorum quibus dedit possidentur hæredibus*, et apud Jacobum Meyerum, in Flandria olim Comites, quod tamen postea sustulit Urbanus Pontifex, clericorum bona sibi vindicasse, sive testati, sive intestati decessissent, erant enim intestabiles. Illud non est incognitum, quod et Sigebertus, et Turpinus, et Godefridus, et plerique alii Chronographi scripserunt, sæpe Romanos Pontifices Imperatoribus et Regibus concessisse, ut Episcoporum facerent investituram per annulum et virgam, et ne ante Episcopus consecraretur, quam esset a Rege laudatus et investitus: et inde illud Helmodii: *Episcopos investire solius imperatoriæ majestatis est*, quo de re dicemus 3. *tit.* 1. Nunc de reliquis videamus qui feudum dare possunt. Et ait Ducem, quæ vox desiderabatur antehac, Marchionem, Comitem, feudum dare posse. Iti temporarii olim fuerunt, hodie perpetui; quales multos ordinasse Carolum Magnum historiæ narrant, non rei tantum militaris causa, sed ut ab eis etiam populus jura peteret, ut in legibus Ripuariorum, cap. 55. et 90. *Si quis judicem fiscalem, quem Comitem vocant, interfecerit:* idem Gravio vel Graphio appellatur, vel Paulo Diacono teste Historiæ Langobardorum quinto, pro nomine judex significatur: et inde Landgravii, id est, provinciæ Comites sive Judices, et Marchgravii limitis Comites, Paltzgravii, palatii Comites, qui et majores domus et præfecti rectoresque palatii dicuntur, ut Eginhardus, Jornandes, Aimonius scribunt, Burgravii, arcis præsidiive comites, et Centgravii, qui in antiquis Germanorum legibus Centenarii dicuntur, Gogravii, et Dinggravii, judices pedanei, et ita Comes pro judice accipitur, *inf. tit.* 28. et in Constit. Friderici *de pace tenen*. Cœpit et præfectus quilibet Comes appellari, ut Navarchus, vel Eustathio teste in illum Homeri locum:

Εἷς δέ τις ἀρχὸς ἀνὴρ βουληφόρος ἔστω.

Et præfectus equorum regiorum, Comes stabuli primum, deinde corrupte Conestabilis tam in Orientis quam in Occidentis imperio, cujus appellationis veriverbium aliud, quod Thomas retulit, libro de regimine principum, miror ut non omnibus moveat risum, quem, ut conciliaret lectoribus, mihi videtur non in eo tantum, sed in aliis omnibus toto libro delirasse: aut verius sane non putem summo philosopho et pene ab Aristotele secundo σύνταγμα tam ineptum excidisse. Marchionem autem Obertus 2. tit. 10. intelligebat esse eum qui limiti certo regni præesset, sed inepte vocabulum a mari deducebat, quod plerique limites sint maritimi. Nota est Francorum vel Germanorum vox *March*, sive *Marche* pro limite. Aimonius 5. cap. 11. *Reliquit Marchiones, qui fines regni tuerentur, et hostium arcerent incursus.* Scio etiam antiqua Gallorum lingua et Bajoariorum, et Alamanorum equum militarem *March* appellari, cum ita Gallos equestrem pugnam instituisse Pausanias scribit libro decimo, ut singulos equites selectos, equis sequerentur alii duo, qui domini equo occiso suum submitterent, quique domino et sibi invicem auxilio, vel supplemento essent, quomodo aut simili etiam hodie lanceas componimus, et hanc quidem equestris pugnæ institutionem eos vernacula lingua vocasse *Trimarchisiam*, quod singuli equites constarent ex tribus: equum enim eos marcham appellasse: et ita hodieque vocitant Britones, quos priscam linguam Gallicam retinuisse simul et Britannos, sive Anglos montanos, quos Vvalos appellant, Rhenanus comprobavit: nec enim fuit eadem prorsus cum Germanica, cum Ariovistum Germanum Cæsar scribat longinqua in Gallia consuetudine Gallicam linguam didicisse: et Tacitus, Gotthinos non esse Germanos Gallicam linguam coarguere. Commune tamen fuit illud March pro equo, ut in lege Bajoariorum, *Si equus est, quem March dicimus*, et alio capite: *Si quis aliquem de equo suo deposuerit, quod March Gaski vocant*, et in lege Alamannorum: *Si tamen equum involaverit, quem Alamanni March dicunt.* Sed non ideo assentior Alciato marchionem interpretanti præfectum equitum. Nicephorus Gregoras 7. ὅπερ ἐν τοῖς ῥωμαίων στρατεύμασιν ὁ τὴν βασιλικὴν κατέχων σημαίαν· τοῦτο παρὰ λατίνοις μαρχέσιος· Significat Marchionem Imperatori vexillum prætulisse. Sed ad reliqua transeamus. Duces, Marchiones, Comites, proprie in Liguriæ, sive Langobardiæ regno, Regis vel regni Capitanei vocantur. Qui autem ab illis feuda accipiunt, Regis Valvasores, vassi dominici ab Aimonio sæpe, et in Synodo Ticinensi corrupte vassi domestici, pro dominici. Et rursus qui a Regis Valvasoribus, minores Valvasores. Otho Frisingensis 2. de rebus gestis Friderici cap. 12. *Tres sunt ordines in Langobardia, Capitaneorum, Valvasorum, plebis.* Feudum autem dare possunt Capitanei Regis et Valvasores, qui et majores Valvasores, et hodie Capitanei dicuntur improprie, ut *inf. tit.* 3. et 16. Minor Valvasor in minimum jus feudi proprium non transfert: nam eo mortuo sine liberis feudum quod dederat minimo Valvasori ad Capitaneum redit; quod tamen Mediolani non observari traditur *lib.* 2. *tit.* 10. Maxime si jam ab antiquo in minimi Valvasoris familia feudum resederit, nec ei de eo nuperrime investitus fuerit: hic enim plebeiis adnumerator, sicut soldurius, cujus commoda morte finiuntur: Quinetiam minor Valvasor feudum quod in alium transtulit, etiamsi nulla subsit culpa valvasini, quandocunque libuerit, avocare potest, reddito pretio, si id forte vendiderit, nisi Valvasinus cum eo Romam, cum quo Langobardis res fuit semper, in expeditione perrexerit: quo casu temere ei feudum auferre non potest. Sed Mediolani generaliter idem jus est minori Valvasori, quod majori, et hæc omnia demonstrantur *infra* §. *Notandum* et *tit.* 3 et 2. *tit.* 10. et 4. *tit.* 33. Unde forsitan in *tit.* 3. pro Mediolanenses, legendum est Mediolani.

Et quia vidimus de personis, videamus qualis prius habuerunt initio. Antiquissimo enim tempore sic erat in dominorum potestate connexum, ut quando vellent, possent auferre rem in feudum a se datam: postea vero, eo ventum est ut per annum tantum firmitatem haberent, deinde statutum est ut usque ad vitam fidelis produceretur: sed cum hoc jure successionis ad filios non pertineret, sic progressum est, ut ad filios deveniret, in quem scilicet dominus hoc vellet beneficium confirmare, quod hodie ita stabilitum est ut ad omnes æqualiter veniat. Cum vero Conradus Romam proficisceretur, petitum est a fidelibus qui in ejus erant servitio, ut lege ab eo promulgata, hoc etiam ad nepotes ex filio producere dignaretur, et ut frater fratri sine legitimo hærede defuncto, in beneficio quod eorum patris fuit succedat. Sin autem unus ex fratribus a domino feudum acceperit, eo defuncto sine legitimo hærede, frater ejus in feudum non succedit, quod et si communiter acceperint, unus alteri non succedit, nisi hoc nominatim dictum sit, scilicet ut uno defuncto sine legitimo hærede, alter succedat: hærede vero relicto, alter frater removebitur.

Hoc autem notandum est, quod licet filiæ ut masculi patribus succedant legibus, tamen a successione feudi removentur, similiter et earum filii, nisi specialiter dictum fuerit ut ad eas pertineat. Hoc quoque sciendum

est, quod beneficium ad venientes ex latere ultra fratres patrueles non progreditur successione secundum usum ab antiquis sapientibus constitutum, licet moderno tempore usque ad septimum geniculum sit usurpatum, quod in masculis descendentibus novo jure usque in infinitum extenditur.

Nunc incipit Gerardus tractare de origine, processu, et successione feudorum, quorum jus fuisse antiquissimum est: non igitur nuper a Langobardis in Italiam invectum. Et quidem initio qui quid jure feudi possidebant, erant tantum temporarii possessores, veluti actores, procuratores, precarii possessores, qui et homines nostri dicuntur sæpe in pandectis et Codice: et e Græcis προσήκοντες, ol διαφέροντες: mutata enim voluntate licebat domino quandocunque feudum revocare, exemplo precarii, quod precibus utendum conceditur tamdiu quamdiu is qui concedit patitur. Post cœpit feudum in annum tantum concedi, et singulis annis renovari vel re ipsa vel patientia, sicut et precarium constitutum ad tempus, et locatio conductio patientia renovatur, *l. In certum §. ult. D. de prec. l. Qui ad certum. D. loc.* et hujus generis etiam hodie est feudum guardiæ vel gastaldiæ, id est, quod fidelis noster tenet quasi custos vel quasi actor prædiorum: finitur enim anno, nisi datum sit in longius tempus, ut *inf. §. Item illud.* et *tit. 6. §. ult.* At deinde feudum concedi cœpit quoad vasallus viveret, sicut plerumque ususfructus constituitur in vitæ tempus, quemquam et ad aliud tempus certum, et precario, ut enim libuerit danti revocatur constitui possit. Poteat etiam ea lege, ut ad proximum hæredem fructuarii transeat, sicut et paulatim obtinuit, ne feudum finiretur morte vasalli, sed ad unum ex filiis vasalli, quem dominus optaret, et tandem ut etiam ad omnes filios vasalli perveniret quod postea Conradus Imp. lege lata produxit ad nepotes ex filio, quos vocat avieticos idemque Conradus filiis et nepotibus ex filiis deficientibus, fratres consanguineos invitavit ad successionem feodi a communi parente acquisiti. Quam aliam originem feudorum quærimus? His veluti incrementis paulatim feuda constituta sunt, quæ et post Conradum usus recepit, ut transirent ad liberos mares in infinitum, et ad ceteros qui ex latere conjuncti essent defuncto usque ad fratres patrueles, id est, usque ad quartum gradum, et novissime usque ad VII. vel etiam in infinitum. Quin et ad extremum cœperunt moribus nostris feuda etiam ad filias transire, et jure patrimonii censeri, salvo censu debito senioribus. Legem autem illam, quæ proponitur lib. 5. Conradum promulgasse Gerardus ait petentibus vasallis cum Romam proficerentur, coronæ scilicet imperii accipiendæ causa, quam dedit Joannes XXI. Is est Conradus, Salicus nuncupatus, quod dux esset Francorum Orientalium, qui Salii dicti sunt. Ammianus Marcellinus XVII. Petit primum omnium Francos, eos videlicet quos consuetudo Salios appellavit. Sigebertus: *Franci*, inquit, *uti cœperunt legibus, et legem Salicam dictaverunt.* Separatis libris habetur lex Salica, ex lex Francice: hæc est Occidentalium, illa Orientalium. Notandum quod ait Conradus: in beneficio quod patris eorum fuerit: nam si beneficium illud sive feudum sibi frater acquisierit non a patre acceperit, quod novum dicitur, in eo fratri successionem non dedit, neque si duo fratres communiter a domino feudum acquisiissent. Igitur ex sententia Conradi fratres in feudo paterno invicem sibi succedunt, non in feudo novo, nisi id nominatim cautum sit in constituendo feudo (feudum enim ex conventione legem accipit) vel nisi communi nomine communique pecunia domino sciente emptum aut bello partum aut communi munere, id est, communibus armis et equis, quæ plerumque vasalli afferebant, ut est in lege Conradi, a domino impetratum sit, ut *inf.* 19. et 2. *tit.* 12. Notandum agnatos vocari ad successionem feudi, non cognatos, ut puta fratres consanguineos, non uterinos, fratres patrueles, non consobrinos: nam dominus qui dat feudum, eligit sanguinem, familiam, stirpem generosam et fortem aliquem, nihilque minus vult, quam ut ad feudum invitentur qui seorsum ab ea familia nascuntur. Eadem mens et cogitatio domini facit, ut agnati vocentur, non agnatæ, filii non filiæ, quia mares certiorem generositatis fidem habent, et ut in optimo libro additur hoc loco, quia feminæ neque faidam levare, neque pugnam facere possunt, id est, quia bello gerendo faciendove idoneæ non sunt at bellorum necessitas peperit feuda, quæ ratio sumpta est ex *l.* 18. *Lang. de hom. lib. ho.* Faida est bellum aut inimicitia, *l.* 15. *Lang. de plag. et compos. l.* 10. *de success.* a Germanico *Fæd*, aut *Vehd.* in *lib.* 4. *tit.* 41. *infra*, quia feudum servire non possunt. Feminæ igitur in feudum omnino non succedunt: quod ita procedit nisi aliud convenerit nominatim in constituendo feudo vel nisi feudum fuerit muliebre, id est, de quo fuerit a primo mulier investita, ut *infra, tit.* 4. et *l.* 4. *tit.* 58. et hoc jure fretus Rodolphus Imp. ab Othocaro Bohemiæ rege repetebat Austriam, ut Æneas Sylvius scribit, quasi ad se reversam morte Friderici ducis Austriæ defuncti sine masculis hæredibus. Othocarus eam retinebat per uxorem Margaritam sororem ducis defuncti. Contra Rodolphus Austriam negabat feudum esse muliebre. Eodem jure defuncto Guglielmo Aquitaniæ duce absque hærede masculo relictis filiabus duabus, Ludovicus rex totam Aquitaniam quasi feudo aperto sibi vindicavit: quia non erat feudum muliebre. Constat enim vasallo defuncto sine legitimo successore, feudum ad dominum reverti. Et hæc quidem in feudo: nam in alode Langobardorum moribus etiam filiæ sororesve succedunt, ut *inf.* 2. *tit.* 17. Eadem fuit lex olim in Francia Occidentali, in terra Salica secus, ut est scriptum legis Salicæ *tit. de alode*, atque etiam in Anglia et Thuringia, quemadmodum scriptum est legis Anglorum eodem titulo, ne a lancea in fusum hæreditas pertransiret. Sed ad feuda et jus Italim redeamus. Cognationis tres sunt limites, Superior, Inferior in recta linea, et Obliquus. Superior cognatio, quæ est parentum, non vocatur ad successionem feudi, ut 4. *tit.* 45. et in constitutionibus Neapolitanis, *tit. de bon. forjud.* in feudis, quæ liberis ex liberalitate principis vel alio justo titulo obvenerunt, ascendentes non succedere: quia qui feudum accipit sibi tantum, et posteris suis accipit. Parentes non sunt posteri: cognati ex transverso non sunt posteri. Ergo neque parentes, neque cognati ex transverso mihi succedere in eo feudo possunt, quod ipse primum acquisivi. Liberi mei, quæ est inferior cognatio, succedent in infinitum. Sed et si duobus filiis relictis decessero, Primo et Secundo, et Primo feudum quod acquisieram divisione obvenerit, in eo Primi liberi in infinitum succedent: et cum defecerint, Secundus ejus que posteri in infinitum: ita fit, ut licet mihi cognati ex transverso in feudum non succedant, succedant tamen filiis meis qui eis sunt e latere conjuncti: quoniam mihi sunt liberorum loco: ut ecce, Mihi frater aut patruus meus non succedit, filius succedit, et huic filio meo frater, id est, alter filius meus, vel nepos mihi succedit post filium, et huic nepoti patruus, id est, alter filius meus vel frater patruelis, id est, alter nepos meus: denique in feudum succedunt semper ejus, a quo feudum originem cœpit, posteri soli: his deficientibus, feudum ad dominum recurrit, atque ita dominus fratri aut patruo meo aut patri præfertur: quod variis locis infernis demonstratur, maxime *inf. tit.* 8. et 2. *tit.* 11. et 4. *tit.* 59. *Sine legitimo hærede.* Id est, sine masculis liberis, ut *infra* 8. et 4. *tit.* 38. *Legibus* 12. *tab. Hoc quoque sciendum est quod beneficium.* Quidam hoc loco accipit beneficium pro lege Conradi, qua primos ex latere vocavit secundum gradum in feudum paternum. Ego pro feudo, nec his libris alio sensu beneficium accipi sinam. Controversia eadem est, quæ inter Fridericum fuit Imperatorem, et Adrianum Pontificem Romanum. Hic cum satis superbe per literas Friderico exprobrasset oblivionem beneficii de manu sua accepti, collata imperii corona, respondit Fridericus, se imperium soli Deo acceptum referre, Adriani se beneficiarium non esse. Adrianus autem pœnitentia actus, ut gliscentem perniciem a se depelleret, ita se excusabat subdole, beneficium se pro bono facto accepisse, non pro feudo. Re tamen vera ita Adrianum sensisse demonstrabat inscriptio quædam Lateranensis palatii, et senserunt etiam alii plerique, quasi feudi jure regna et imperia ex se penderent. Pendet quidem regnum Siciliæ. Cetera pendent ex Imperio, Polonia, Bohemia, Anglia etiam alias Imperatorem salutavit quasi feudataria. Francia nunquam. Albertus Argentinensis in Chronicis: *Francia a nullo haberi dicitur in feudum. Usque ad VII. geniculum.* Reposui, geniculum, ex Vet. et ita *l.* 1. *Lang. de success. Omnis parentela usque in VII. geniculum numeretur:* et in lege Salica c. 46. *In masculis descendentibus*, id est, in liberis, ut *inf. tit.* 10. et 11. Liberos ergo dicit in infinitum admitti. Agnatos a latere, usque ad VII. gradum, ut inf. tit. 4. Sed et hos in infinitum admitti defendi potest ex *lib.* 4. *tit.* 34. cum et in alode agnati in infinitum jure civili succedant, §. *ult. Instit. de suc. cog.* Hunc tantum locum male vulgo accipi, de iis qui veniunt e latere ejus: et hoc de liberis adscribi par erat, quos Conradus non vocarat ultra secundum gradum.

Notandum est autem, quod illud beneficium quod a Regis Capitaneis, atque Regis valvasoribus aliis impenditur, proprie jure feudi censetur. Illud vero quod a minoribus in alios transfertur, non jure feudi judicatur, licet aliter in curia Mediolanensi observetur, sed quando voluerint, recte auferre queunt, nisi Roma cum illis in exercitu perrexerint, quo casu in jus feudi transit, vel nisi aliquid propter feudum acceperint: tunc enim nisi restituto pretio auferre non possunt.

Quæ ad hunc §. pertinent, exposui initio hujus tituli.

Item illud quod datur nomine gastaldiæ vel guardiæ, et pro mercede alicujus rei, transacto anno potest jure auferri etiam pretio pro eo dato non restituto, nisi ad certum tempus datum fuerit.

Si vero gastaldi aliquid nomine proprii feudi possederint, non valebunt propterea possessionem sibi defendere, nisi per pares curtis vel breve testatum potuerint probare se antequam gastaldi essent, vel postquam desierunt esse, investituram accepisse.

Vulgo hic adscriptus est titulus De feudo guardiæ et gastaldiæ. Sed ab optimo libro, tam hic quam duo sequentes absunt, et *tit. Quib. modis feud. amit.* est hujus libri tit. 2. recte: nam a tit. *De iis qui feudum dare possunt, et qual. acq. et ret.* usque ad titulum, *Quib. mod. feud. am. t.* id agit Gerardus, primum ut doceat qui feudum dare possunt, deinde quibus modis acquiratur et retineatur. Acquiri successione vel investiture. Retineri proprium feudum jure perpetuo, non id quod dederint minores valvasores: revocari enim dantium arbitrio, §. prox. supra, non id quod dicitur guardiæ vel gastaldiæ: anno

enim finiri: et his omnibus explicitis, quibus modis feudum amittatur declarare incipit tit. 2. ob his verbis: *Quia supra dictum est, quibus modis feudum acquiratur et retineatur*, etc. quæ superioribus primum titulum sufficere perspicue et evidenter ostendunt. Hoc autem loco ait, feudum quod datur guardiæ vel gastaldiæ nomine, et pro mercede alicujus rei, finiri anno, nisi detur ad certum tempus, puta biennium aut decennium, ut *inf. tit.* 6. §. *ult.* Pro mercede alicujus rei, ut quod datur advocatiæ defensionisque nomine, de quo dicemus in Constit. Friderici de pace ten. vel pro mercede operis alicujus. Hæc in fragmentis Ardizonis, id est, lib. 4. tit. 81. appellantur feuda pro vice dominicaria vel villicaria, vel decania, vel alia angaria; quod perinde valet, ac si diceres, feuda quæ nomine guardiæ vel gastaldiæ, vel advocatiæ, vel pro mercede operis alicujus dantur, nisi decaniam non pro decania, sed proprie mavis accipere, ut Langobardorum et Gotthorum legibus decanus est, non tantum qui in militia decuriæ imperat, sed et qui domi judicandi munere fungitur, ut advocatus: ut centenarius, millenarius, quingentenarius: et hæc feuda dicuntur impropria, *d. lib* 4. *tit.* 81. recte, cum his adversa vera feuda dicantur propria. Et plerumque, ut dixi, maxime quæ actus aut custodiæ nomine dantur, quotannis renovantur: namque ut annuis vicibus redit annona, ita hæc quæ per causam quasi servandæ vel procurandæ annonæ mandantur functiones quotannis resumuntur: et quidem tacite si modo post annum dominus patiatur eum, qui tale feudum acceperit possidere, exemplo precarii. Quod si forte pro eo feudo dominus aliquid acceperit, non ideo minus, ut sit hoc loco, revocabit feudum post annum etiam non reddito pretio: quia ea pecunia ejus tantum anni reditus emptus videtur: et nihil vetat jus etiam proprii feudi modico pretio a domino promereri: non utique prædii ipsius vero et justo pretio, ut §. *prox. sup.* et *inf. tit.* 3. et 13. 19. 25. et *libro* 2. *tit.* 12. et 15. et sic etiam hodie qui veniunt a latere in omnibus fere Galliæ provinciis, si velint cognati defuncti feudum obtinere, id redimere debent a domino, vel reditu unius anni, vel pecunia certa: nec obstat quod dicitur *inf. tit.* 29. feudum non sub prætextu pecuniæ dari, etc. nam et similiter mandatum dicitur esse gratuitum, et originem ex amicitia trahere, *l.* 1. *D. mand.* recipit tamen honorem, salarium, remunerationem, *l. Si remunerandi. l. Salarium. eodem tit.* Pretium, quod dominus dat vasallus, honor, sive munus est potius quam pretium: alioquin beneficium non esset beneficium. Vincentius Speculi doctrinalis 7. cap. 145. *Feudum*, inquit, *appellatur beneficium, licet non sit gratuitum, sicut et dos appellatur donatio propter matrimonium licet gratuita non sit: et sic inter advocatum, et clientem, licet interveniat pretium, non tamen dicitur esse locatio et conductio, sed magis opera beneficii loco præberi, et id quod datur ad remunerandum dari, et inde honorarium appellari*, quæ postrema Vincentii verba sunt ex *l.* 1. *D. si men. fal. mod. dix.* a mensore ab eo ad advocatum non male translata. Et ita etiam in deposito, quod nonnunquam intervenit pretium custodiæ, *l.* 2. §. *Et generaliter. D. de vi bon. rapt.* ἀντίδωρον est potius quam pretium: quo genere commodatum pariter, et precarium, licet origine gratuiti sint contractus, nihil vetat pretium, sive ἀντίδωρον recipere, et dotem ἀντίφερνα. Feudum autem nomine guardiæ datur ei qui quasi custos prædio opponitur, sive casario, id est, casæ custodi, ut Festus interpretatur, ut *l.* 7. *C. de bon. proscr.* Solet custos separari a fructuario, inquilino, institore, *l.* 1. §. *Quod autem. D. de vi, et vi arm. l.* 14. §. *Item si cum plures. D. de instit. l.* 90. *D. de leg.* 3. *l. A filio.* §. *Testator. D. de adim. leg. l.* 1. *C. de rep. hær. l. ult. C. de delat.* Feudum gastaldiæ causa datur ei, qui quasi actor sive procurator prædiis nostris imponitur. Gastaldus enim sive gastaldio, non multum distat ab actore, *l.* 20. *Lang. de fur. l.* 1. et 2. *de acq. act. reg. Gastaldis*, inquit, *nostris curtes nostras providentibus vel gubernantibus*: et hoc nomine habuere etiam olim Ecclesiæ quemdam actorem sive administratorem rerum, *can. salvator* 1. *quæst.* 3. Est tamen aliqua differentia inter gastaldium, et actorem, *l.* 1. *Lang. si actor reg. res reg. alis. et inf. tit.* 6. eadem quæ inter villicum et dispensatorem, *l.* 166. *D. de verb. signif. l. pen. in pr. D. de alim. leg.* et Columellæ inter villicum et actorem sive procuratorem 1. c. 6. 7. 8. Ut autem custos, ita gastaldus proprie feudatarius non est: quia quodammodo in præsens tantum constituitur, non ut perpetuo ea munera fungatur: itaque Paulus Diaconus lib. 5. Hist. Langob. c. 11. eum scribit jussu Grimoaldi Langobardorum regis in Italia certas possessiones datas Alzeconi duci Bulgarorum, ita tamen ut non Dux, sed Gastaldus vocaretur, hoc significat jure Gastaldiæ datas, non perpetuo proprioque feudi jure. Etymum ex Germanica lingua deduxit Amerbacchius in adnotationibus ad Constitutiones Caroli Magni. Quod si gastaldus prædium possideat jure feudi proprii, dominus contra se jure tantum gastaldiæ id dedisse contendat, quæritur cui incumbat onus probandi? et videtur hac in re pugnare hic §. cum §. *Item si aliquis. inf.* Finge dominum repetere feudum quasi gastaldiam: potest enim revocari post annum, et ut scriptum est *lib.* 4. *tit.* 95. quod nomine Gastaldiæ vel Guardiæ in feudum datur, ablata gastaldia vel guardia jure auferri potest. Constat autem domino revocanti mandatum sive gastaldiam probationem incumbere ex *d.* §. *Item si aliquis*, qua impleta non poterit sibi possessor possessionem defendere: id est, restituere domino feudum cogetur, nisi contra probaverit se de prædio jure proprii feudi investitum fuisse priusquam gastaldus fieret, vel etiam post susceptam gastaldiam, dominum gastaldiam in proprium feudum commutasse: Probatio elidet probationem, ut in plerisque aliis causis fieri solet. At a domino primum, qui feudum repetit quasi gastaldiam, probatio exigitur: qui si in ea defecerit, tuebimur possessorem, etiamsi pro sua parte nullas probationes attulerit, modo juraverit, ut dicemus *inf.* §. *Si autem controversia*.

Hoc igitur loco, *Non valebunt*, sic interpretabimur, ut non possit sibi possessionem defendere domino probante intentionem suam, nisi præstet probatione contraria, quæ quidem (nam et hic adjicitur modus) sumatur ex brevi testato, id est, breviculo sive instrumento publico, ut *inf.* 2. *tit.* 3. et 4. *titul.* 4. vel ex duobus testibus idoneis, puta paribus curtis. Hæc probatio satis competens est, ne inopes vasalli gravioribus onerentur impensis, ut *inf.* 4. *tit.* 88. Sunt autem pares curtis, qui et pares curiæ dicuntur nonnunquam, et pares domus, convasalli, qui ab eodem domino eademve domo feuda tenent, ut *inf. tit.* 6. §. *pen.* 2. et 28. et 2. *tit.* 16. 20. et 4. *titul.* 35. 36. 55. 60. non quasi patricii, ut volunt ignari feudorum. Curtem dixere pro domo, castro, palatio, prætorio. Ideo autem ad probationem investituræ non alii testes, quam pares admittuntur, quia coram eis solemniter fieri debet investitura, ut *inf.* 2. *tit.* 3. Hujus generis feudis, quæ tempore finiuntur, adjungunt quidam Σωματοφόρων, sive scutiferorum feuda, sed refelluntur eo quod ex Fragm. Ardizonis scriptum est lib. 4. feuda scutiferorum, et ad libitum dominorum possint adimi, rationis non esse dum tamen serviant laudationem curiæ: hæc putem esse feuda valvasinorum, quæ etiam curia Mediolanensis temere auferri non patitur. Citat et in hanc rem Ardizo *l.* 1. *Lang. qual. cum fara sua alicui mig. per. sit.* Sed nihil ibi profecto ex de re: male etiam ibidem vulgo faram pro substantia scripiunt, cum sit soboles et progenies, auctore Paulo Diacono 2. Hist. Langob. cap. 7. Ceterum ejusdem generis sunt feuda de camera vel de caneva sive soldatæ, quæ in annonis nummisque consistunt militi concessa sub onere fidei atque servitii: finiuntur enim morte dantis vel accipientis, ut *inf.* 2. *tit.* 10. sihilque distat feudum soldatæ a feudis ærariis cellariisve, id est, de camera vel de caneva. Feuda quoque habitationum, nisi aliud specialiter cautum sit, morte accipientium finiuntur, ut *inf.* 4. *tit.* 105. recte: nam et in jure civili habitatio jus personale est. Dubitatum olim fuit esset unius anni, an quamdiu viveret is cui concessa habitatio esset. Sed placuit quamdiu viveret, competere *l. Si habitatio.* §. *Utrum. D. de usu et habit.* Habitatio igitur non est annua. At guardia et gastaldia prædiorum unius anni esse intelligitur, sicut annuis vicibus prædiorum reditus determinantur. Sed de his hactenus.

Si vero Archiepiscopus, Episcopus, vel Abbas, vel Abbatissa investituram ejus feudi, quod alius detinebat, eo tenore alicui dederit ut post decessum ejus qui possidet, habeat, et ante decesserit quam ille qui feudum possidet, successores eorum non coguntur eam investituram facere vel confirmare, etiamsi pares ejus curtis adsint testes, vel breve testatum inde sit, nisi ille qui investituram acceperit, nomine ejus feudi in possessionem missus sit eo consentiente qui detinet. Sed si ille qui feudum possidet, prius decesserit quam ille qui investituram fecit, jure cogitur eam ratam habere. Laici vero iisdem modis quibus supra diximus, si aliis investituram dederint, hæredes eorum si rationibus claruerint omnimodo eam adimplere compelluntur.

Proxime recensui feuda impropria, quæ tempore vel morte finiuntur. Inde quæritur, an vivo possessore feudi improprii, cui finem more allatura sit, possit dominus id in alium conferre per investituram, et an successor domini ex causa posterioris investituræ ad tradendum obligetur. Aliud est investitura, aliud traditio. Investitura est concessio feudi solemnis sive contractus, qui sine traditione possessionis per se subsistit. Investituram sequitur traditio possessionis vacuæ, ut *inf.* §. *Prox.* et *lib.* 4. *tit.* 15. et plus est possessionem dare quam investituram concedere *c. visis* 16. *q.* 2. At qui investituram fecit, præcise obligatur ad tradendum, nec liberatur præstando id quod interest, *d. titulo* 15. et idem probat 2. *tit.* 7. §. *ult.* namque sit dominum omni modo compelli ad tradendum, et hoc amplius propter moram obligari in id quod interest: et ita ex venditionis contractu verius est secundum Martini sententiam, venditorem præcise obligari ad tradendum, §. 1. *Instit. de donat.* Paulus 1. Sent., *Si id quod emptum est, neque traditur, neque mancipatur, venditor cogi potest, ut tradat aut mancipet.* Et nihilominus omne id quod interest emptoris ob venditoris moram, in æstimationem venit, *l. Si sterilis.* §. *Cum per venditorem. D. de act. empt.* Idemque in hærede receptum est, ut abscisse cogatur rem legatam tradere, *l. Si domus.* §. *Qui confitetur.* et §. *seq. D. de leg.* 1. quem etiam constat ex more teneri in id quod interest. Ergo, ut ad rem redeam, si qui me de feudo investivit, prædiumque tradidit, deinde me vivo te de eodem feudo investierit in tempus mortis meæ: quæritur an successorem ejus posterior investitura obliget ad tradendam tibi possessionem vacuam. Et hac in re Gerardus et Obertus separandos esse censent laicos a clericis, quæ vetus est distinctio Christianorum: licet si generaliter rem tractes, omnes Christiani sint clerici, omnes sacerdotes. Posterior investitura quam laicus fecit, successorem ejus obligat sine ulla distinctione. In clerico distinguitur. Aut enim clericus, qui ex rebus Ecclesiæ duos de eodem feudo separatim investivit, ante priorem feudatarium vita decessit, aut post. Si ante priorem, successor ejus non tenetur implere investituram: quia obligatio, quæ non cœpit a

defuncto, non potest incipere a successore secundum regulam juris antiqui: non potuit autem incipere a defuncto, quamdiu vixit prior feudatarius: quia investitura posterior in se conditionem habuit, si prior feudatarius moreretur, cujus morte feudum ad dominum redibat. Sin autem post priorem feudatarium clericus decesserit, quia hoc casu obligatio cœpit a defuncto, et in successorem ejus continuatur: quam differentiam confirmat *lib.* 4. *tit* 4. et id quidem præcipue de clericis in precariis constituit Lotharius Imp. quod nos trahimus ad feuda, ut *infra tit.* 5. *l.* 2. *Langob. quan. lic. eccl. rec. acta antecc. suor. reic.* quæ Constitutio concil. Carthag. falso tribuitur in *c. de precariis* 10. *q.* 3. et videtur indistincte loqui, ut significabitur *inf. tit.* 27. In clericis, regula juris antiqui servatur, ut a successoribus obligationes non incipiant, favore Ecclesiarum: in laicis, regula juris novi a Justiniano proditi, ut incipiant: nam et successorum qualitas est diversa. Laicorum successores sunt universi juris defunctorum successores. Clericorum successores, ecclesiastici juris non defunctorum successores sunt. Receptum autem est fere tota Italia, in posteriori investitura non exigi consensum prioris feodatarii, *d. tit.* 4. et *inf.* 30. et merito: nihil enim ei præjudicat posterior investitura, quamdiu advivit: nam hæc non de feudo perpetuario dicuntur, sed de feudo quod accipientis morte finitur, ut *inf. tit.* 5. et 31. proficit tamen consensus priori posteriori, si eo volente mittatur in possessionem, ut ait hoc loco. Rursus hæc disputatio de duplici investitura ita procedit si in posteriori insit conditio: nam si omnino posteriorum investieris pure, quasi mox prædium traditurus, inanis est investitura: et qui eam accepit, aut sciens accepit, aut ignorans: si ignorans, actionem habet in id quod interest: Si sciens, nullam habet, nisi de evictione convenerit nominatim, ut *inf.* 2. *tit.* 8. et 4. *tit.* 20. 80. 87. 96. *Si vero Archiepiscopus*, etc. quoniam hi solent res ecclesiasticas in feudum dare. *Eadem modo*, in tempus mortis prioris feudatarii, coram paribus aut instromento publico. *Si rationibus claruerint*, id est, si probetur investitura per pares curtis aut instrumento publico: ut infra §. *si vero feudum.* Si rationes investituræ hæredibus constiterint.

Si autem controversia inter dominum et fidelem de feudi investitura fuerit: quid juris sit, videamus. Et si investitura facta fuerit coram paribus curtis, aut in brevi testato: recte eum qui investitus est, cogitur dominus mittere in feudi possessionem. Si vero fuerit in possessione, et mota fuerit ei controversia a domino: ei defensio detur propter possessionem. Si autem non fuerit in possessione, nec supradictis modis poterit probare: tunc illius erit defensio, qui investituram dicitur fecisse. Si vero feudum aliquis habuerit, de quo nulla controversia est, et dixerit se investituram alterius feudi accepisse ab eodem domino, nec in possessione fuerit, nec prædictis rationibus probare poterit, licet domini esset defensio ex ordine, tamen quia aliunde vasallus est, remittitur domino ex æquitate defensio.

Cum autem quis dixerit feudum ad se per successionem pertinere, asserendo illud esse paternum: si fuerit in possessione medietatis vel alicujus partis, vel cambium proprietatis nomine illius feudi habuerit, vel aliis justis rationibus illud esse paternum probare potuerit: jure obtinebit. Si vero probare non potuerit prædicto modo, dabitur ei defensio cum XII. sacramentalibus.

Item si aliquis possederit castrum, quod dixerit se pro feudo tenere, et e contra dominus per guardiam dixerit se ei dedisse: domini est probatio; et si poterit probare, tunc ille qui tenet, domino debet restituere, vel probare per pares curtis, vel per breve testatum, postquam in guardiam suscepisset, se a domino pro feudo investituram accepisse: domino vero in probatione deficiente, tunc illius erit defensio, qui possidet.

Similiter si aliquis possederit castrum vel aliam rem, et dominus dixerit se pro pignore ei dedisse, e contrario ille dixerit se accepisse pro feudo: si potuerit dominus probare quod ei pro pignore dedisset, tunc ille qui tenet, domino restituet, vel probet supradicto modo se postquam a domino pro pignore accepit, feudi nomine accepisse: et si dominus non poterit probare se nomine pignoris dedisse, erit defensio illius qui possidet.

Quæstio est de probatione investituræ et sucessionis, qui duo sunt modi acquirendi feudi, difficilis et plena scopulis, ad quos dum ferantur incauti, impingunt multi, et pertinent ad eam plures tituli, qui omnes, nisi quis diligenter animum advertat, veliteri quodammodo inter se et confligere videantur, at omnium maxime obscurus est tit. 7. infra, qui hoc loco explicabitur. Feudum aut investitura acquiritur aut successione. Qui investituram allegat, aut actor est, aut reus. Actori incumbit probatio, reo defensio. Probatio est testium idoneorum, vel instrumentorum publicorum productio. Defensio est purgatio, quæ fit dato jurejurando, cum juratoribus XII. Tria erant enim purgationis genera. Unum, jurisjurandi religio, cum conjuratoribus sive sacramentalibus XII. cognatis, vel edimibus, vel clientibus, vel extraneis, qui scilicet idem quod reus jurarent. Sunt qui de probitate et religione nostræ ita confidant, atque ita rerum nostrorum instructi peritis, et non dubitent se nos nobiscum devovere: jurabant autem tactis sacrosanctis Evangeliis, vel armis sacratis, *l.* 5. 7. 10. *Lang. qual. quis se def. deb.* Annonius 4. cap. 26. *Pactum inter Francos, et Saxones sacramento super arma, ut eis mos erat, jurantibus, firmatum est.* Alterum est lex duellionum probata etiam Constitutione Friderici Imp. certis casibus: impia lex, quam rex Langobardorum Luitprandus profitetur se propter suæ gentis consuetudinem vetare non potuisse, *l.* 23. *Lang. de hom. li. ho.* et hoc genere purgationis diu usi sunt Christiani, tam in civilibus quam criminalibus causis, in omni duello commissa, quod singulare certamen dixeris recte: cum et qui in eam pugnam descendit, Latine singularis appellatur. Glossæ enim veteres singularem interpretantur esse μονόμαχον, ἀπόκοπον: quod nomen Latini etiam tribuunt apro, ut Græci, qui μονιόν appellant: delectatur enim solitudine: proinde a Gallis *Sanglier* dicitur, quasi singularis. Tertium genus purgationis est periculum aquæ ferventis, vel aquæ frigidæ, vel laminæ candentis: quo etiam diu usi sunt Christiani, ducto more, argumento nescio an bono, a potione illa, quam stupri insimulatis mulieribus dari jussit Moses: quod usque eo processit, ut et leges scriptæ juberent adhiberi ignitos vomeres, vel aquam frigidam aut calidam litium dirimendarum causa, ut Langobardæ sæpe, et militares Friderici Imperatoris apud Radevicum, et in pactione pacis inter Alsatiæ principes, et civitates apud Rhenanum, liber vel personatus serviens furti reus cum aliquot suæ comparitatis testibus, plebejus et rusticus aquæ frigidæ judicio se expurgare jubetur, quod tamen primum omnium exolevit in Langobardis, *l.* 32. *Lang. qual. se quis def. deb.* Id hac ratione sumebatur, quam et vigere adhuc in Saxonia Occidentali narrant, ut in flumen demissum, et emersum, pro sonte, submersum pro insonte haberent, ut indicat *l.* 1. *Constit. Neapol. De leg bus paribilibus sublatis.* Quid vero est paribilibus? E tribus purgationis generibus, unum legem duellionum, ut apud Urspergensem, alia leges paribiles dixerunt, quæ in Gallicis Neustriæ consuetudinibus *leges apparissantes*. In legibus Philippi Comitis Flandriæ, quas Neoportuensibus dedit vulneris noctu illati reus, si ita scabinis videatur (nomen est Judicum, quod retinuimus, ex Hebraica lingua deflexum) ferro candenti se excusare jubetur. Res hæc omnis gerebatur interventu sacerdotis, qui priusquam periculum fieret, Deum certis conceptisque verbis obtestabatur, et adorabat, ut innocentes servaret, nocentes male perderet. Helmodius in hist. Slavorum: *Offerebant criminibus pulsatos sacerdoti ferro, vel vomeribus examinandos.* Et precum formulas prodidit Joan. Aventinus Annalium Bojorum IV. Plerique exibant illæsi: teste oculato Georgius Pachymerius in Græcorum historia, et alii innumeri. Mitto judicium per crucem, de quo *l.* 26. et 33. *Lang. qual. se quis def. deb.* et in testamento Caroli Magni, apud H. Mutium. *Si propter terminos*, inquit, *aut confinia regnorum orta fuerit controversia, volumus ut ad declarationem rei dubiæ judicio crucis Dei voluntas et rerum veritas perquiratur.* Mitto judicium per corpus et sanguinem Domini, de quo Sigebertus, *Ludovicus rex*, inquit, *ab Adriano comprobandæ suæ innocentiæ causa ad examinationem corporis et sanguinis Domini invitatus est.* etc. Solemnia erant illa tantum tria defensionum genera, et horum primum intelligi his libris debet, quoties fit defensionis mentio: non defensio nuda, quæ fit, ut Aristoteles loquitur, ad hominem hoc modo, Vici jam satis, quia quod intendisti probare nequivisti: quia etiamsi actor, vel accusator deficiatur probationibus, defendere se reus debet, vel jurejurando cum aliis XII. vel duello vel periculo aquæ ferventis aut laminæ candentis. Nec ambigitur de primo genere defensionis hunc locum accipiendum esse, cum se quis jurejurando defendit cum conjuratoribus XII. Unde si is qui investituram allegat, actor sit, id est, si intendat sibi vacuam possessionem a domino tradi oportere, sic statuamus, eum probare debere investituram per pares curtis, id est, convasallos, aut per instrumenta publica: eo non probante domini esse defensionem, puta ut juret cum aliis XII. se investituram non fecisse, atque ita absolvatur: hoc enim jure feudorum actore non probante, non continuo reus absolvitur: namque sicut jure civili actore deficio probationibus non ideo judex statim reum absolvit, sed in dubiis causis, ut omnem animo suo eximat scrupulum, quandoque jusjurandum defert actori vel reo *l.* 3. *C. de reb. cred. l. Admonendi. D. de jur jur. Nov.* 124. ita hoc casu a domino unde petitur rem tradi ex causa investituræ, etiamsi actor deficiatur probationibus, exigitur ut juret cum XII. sacramentalibus, vel referat jusjurandum, ut infra tit. 28. et in aliis causis duello res dirimitur. Itaque non potest hæc sententia absolute usurpari semper, Actore non probante reus absolvitur. Multum tamen hac in re potest auctoritas prudentiaque judicis, quo fit ut dominus nonnunquam injuratus absolvatur in totum remisso jurejurando, ut, *infra* 4. *tit.* 36. § *Sacramentum.* et §. *ult.* nonnunquam conjuratores tantum remittantur. Sane

uno casu necessario satis habebit, si juret dominus solus non adhibitis conjuratoribus, puta si actor vasallus, sive gastaldus sit ejus ex causa alterius feudi, de quo non sit controversia. Honor enim hic seniori, id est domino debetur, ne quærendis et adhibendis sacramentalibus fatigetur: et hoc est quod ait §. *Si vero feudum*, licet domini esset defensio ex ordine, id est, licet jure exigi a domino jusjurandum posset cum aliis XII. ante absolutionem: tamen quia actor vasallus est, ex æquitate remitti domino defensionem, eam scilicet, quæ fit per sacramentales, non ipsius domini jusjurandum, ut tof. tit. 6. Opponit ordinem æquitati. Ordo est merum jus: et ita *lib.* 4. *ed.* 71. *Domini*, inquit, *est defensio ex ordine*. Hoc igitur casu religioni solius domini statur: atque ita quod acquisierit gastaldus, id domino cedet, si non probet domini investituram, *l.* 1. *Lang. de acq. act. reg.* quasi præsumator id omne parasse ex re domini, sicut Episcopus et curator omnia rerum Ecclesiasticarum omnia videtur parasse ex rebus Ecclesiæ, quæ non paret ei obvenisse jure cognationis, *Nov.* 123. Uxor ex rebus viri, *l. Quintus. D. de don. inter mr. et uxor. l.* 6. *Cod. eod.* Plautus Casina,

Nam peculi probam nihil habere addecet
Clam viro, et quod habet partum, ei haud commodi est,
Quin viro aut subtrahat aut stupro invenerit.
Hoc viri censeo esse omne, quidquid tuum est.

Quod si is qui investituram allegat sit reus, id est, si sit in possessione feudi, domino rem suam vindicanti incumbit onus probandi non jure feudi proprii eam se concessisse, sed jure gastaldiæ vel jure pignoris, vel quo alio jure. Domino non probante, defensio est rei, hoc est jurare reus debet cum sacramentalibus XII. se de eo feudo investitum fuisse, ut possessionem retineat: si non ita juraverit, domino juranti possessio restituetur, ut *inf. tit.* 6 et 24. et 4. *tit.* 37. Uno casu reus jurabit solus sine sacramentalibus, si superiore anno sciente et tacente domino feudum possederit, atque ita, ut fit in causa interdicti *Uti possidetis*, possessionem retinebit, ut *inf. tit.* 24. §. *ult. et* 4. *tit.* 36. § 1. Domino autem probante se jure gastaldiæ aut jure pignoris prædium concessisse, non jure feudi, nulli defertur conditio jurisjurandi, sed potior est in lite dominus, nisi contra possessor probet per convasallos aut instrumenta publica pignore vel gastaldia posteriorem esse investituram, ut *sup.* §. *Item illud.* et *inf. tit.* 9. §. *pen.* et hoc loco §. *Item si aliquis* et §. *Similiter.* Nunc de eo dicamus, qui successionem allegat, in quo videndum illud etiam est in primis, reus an actor sit, id est, possideant an non possideant. Finge, Ego et frater meus divisimus feudum paternum, mortuus est frater meus sine liberis: ego in partem fratris mei me successisse dico, quod fuerit paternum feudum: dominus negat: quid fiet? Aut ego possideo portionem fratris mei, aut non. Si possideo, domino incumbit probatio, mihi defensio: domino probante, vincor, domino non probante vincam dato jurejurando. Si non possideo, mihi incumbit probatio, domino possidenti defensio: si probavero obtinebo: si non probavero, vis obtinebo et hoc est quod ait *tit.* 7. *infra. Si tamen vasallus poterit probare paternum fuisse, sive possideat, sive non* (quæ tamen verba, *Sive non*, delenda sunt) *obtinebit: alioquin nisi probaverit, vel nisi possideat, dominus obtinebit.* At rursus in hac specie ita distinguendum est: Aut ego, qui non possideo portionem fratris feudi paterni, partem meam habui ex divisione, aut non. Si non habui, et agam de parte fratris, ac probavero esse paternum feudum, neutri dabitur jusjurandum: si non probavero, domino dabitur, propter supradictam rationem, ut ait tit. 7. Id est, propter inopiam probationum, quam dixerat tit. 6. Integra vero mihi erit semper petitio partis meæ, quam nondum habui. Quod si habui partem meam ex divisione feudi paterni, licet eam nunc non habeam, ut quia eam partem commutavi cum domino, vel cum fratre, vel quo alio accepta proprietate sive alode alterius prædii, quod cambium vocat, §. *Cum autem*, ab antiquo verbo cambire, Hermannus Contractus concambium, hæc res movebit Judicem ad deferendum mihi jusjurandum cum XII. ut fieri solet, conjuratoribus, ut *infra* 7. nec enim semper jusjurandum datur reo, sed quandoque reo, quandoque actori, prout Judici videtur, ut *inf.* 4. *tit.* 36. §. *Sacramentum.* Et hoc est quod sequitur in §. *Cum autem.* Si vero probare non potuerit prædicto modo, id est, si actor testibus vel instrumentis probare non potuerit feudum esse paternum dabitur ei defensio cum XII. sacramentalibus, videlicet si partem suam habet vel habuerit ex divisione. In plerisque Codicibus hæc clausula deest: sed eo modo accepta, omni vitio caret.

Si quis de manso uno feudi nomine investituram acceperit, et dixerit quod omne incrementum pertineat ad eum per investituram, si dominus reservaverit sibi aliquid in ipsa curte, tunc oportebit fidelem incrementi investituram per pares curtis, vel per breve testatum probare. Sed si dominus in ipsa curte nil sibi retinuit, tunc omne incrementum jure feudi fidelis obtinebit. Si vero fidelis in possessione incrementi fuerit, non oportebit eum investituram probare, sed jurare.

Rursus si aliquis acceperit investituram feudi cum omni incremento quod ei obveniret, et aliquid accreverit vivente eo, a quo acceperit; ipsius erit: et si ille qui investituram fecit, sine hærede decesserit, et feudum reversum fuerit ad eum a quo ipse tenuerit, vel ad alium: quicquid post mortem ejus qui dedit accreverit, ad eum pertinebit, ad quem regressum fuerit.

Mansum Amerbacchius putat esse jugerum et quasi a mensura mansum dici: alii agrum definiunt esse XII. jugerum. Jugerum est mensura agrestis quæ est in longitudinem pedum CCXL. in latitudinem pedum CXX. Eandem mensuram glossæ arvipendium vocant, et πλέθρον esse interpretantur, vel finem geometricum quo finiatur agri, cum tamen alii, quod illi simile est nomen, arepennem exponant semijugerum sive actum majorem undique versum finitum pedibus CXX. Mansus autem, ut ego definio, est fundus, unde quis se et familiam suam tueri satis commode potest, ac præterea vectigal sive censum domino referre, et quod veteres dixere hæredium: nam hæreditates Carolus Magnus interpretatur mansa in suis Constitutionibus, a manendo scilicet. Childebertus in quodam Pragmatico apud Annonium: *Cum mansis, et cum manentibus meis.* Helmodius Hist. Slavorum: *Vir iste primo vij. mansis totidemque manentibus ex hæreditate patrum contentus fuit.* Et in antiquis monumentis S. Galli Helvetiorum monasterii relatis ab Ægidio Tschudio in antiqua Rhetia: *Testificati sunt se audisse de legitimis curtilibus usus omnes silvas, et nobis ad monasterium nostrisque mansis in nostris territoriis commanentibus cum illorum civibus esse communes.* Definitionem mansi confirmat, quod curtem hic §. significat esse partem mansi, sicut villa pars est fundi, *l. Fundi. D. quib. mod. ususfruct. amit.* et quod Annonius scribit. Carolum Calvum in Francia et Burgundia tributum exegisse ad hunc modum. E mansis dominicatis, id est, qui ad fiscum pertinerent, solidum unum, e manso ingenuo denarios IV. de censu dominico, de facultate mansuarii totidem, a manso servili denarios duos de censu dominico, de facultate mansuarii totidem: quæ distinctio mansorum invenitur etiam XII Epist Gregorii ad Snem. Et idem Annonius Carolum Magnum ne inopia coacti ministri divini cultus in eo segnius elaborarent edixisse, ut singulis Ecclesiis mansus tribueretur unus: quod et in Constitutionibus Caroli ab Ansegiso Abbate collectis legitur, *eo addito ut pro manso illo Ecclesiæ nullum servitium nisi honore censum senioribus debeant: et plus si quid possederint, ut pro eo Ecclesiæ una sint immunes:* quod consilio Vormatiensi tribuitur, c. 4. *de censib.* Et inde Coloniensis synodi c. 5. *Ne ex tota Ecclesia*, id est, *ex uno manso, et IV. mancipiis census exigatur.* Mansuarios dixit, quos alii manentes sive commanentes, id est, villicos, alii παραμοναρίους, et Synodi Calcedonensis c. 2 et villam μονὴν, alii massarios: nam et mansum dixere massam Cassiodorus, et Gregorius, et alii, pro quo glossæ Græcæ reddunt συγκτῆσιν. Easdem Amerbacchius putat mansionaticos appellari in Constitutionibus Caroli Magni: sed fallitur. Mansionatici sunt mansiones, sive diversoria, quæ Græci dixere ἀλλαγάς. Annonius 5. c. 31 *Generale placitum Duziaco habuit, et inde per Attiniacum et consuetos mansionaticos Compendium adiit:* et Carolus in Constitutionibus: *Celeri per singula territoria habitantes et discurrentes mansionaticos:* et alio loco: *Illis vero locis ubi modo via et mansionatici ordinati sunt.* Quæstio autem hujus §. hæc est. Si quid manso in feudum dato accreverit, puta alluvione vel insula juxta mansum in flumine nata, utrum ad vasallum, an ad dominum pertineat: idem olim fuit quæsitum in fructuario. Et Paulus accessionem alluvionis negabat ad fructuarium pertinere, quia fundi fructus non est, *lib.* 3. *Recept. Sentent.* Sed placuit pertinere, *l.* 9 §. *Huic vicinus. D. de usufruct.* latenti incremento augeri usumfructum, non evidenti. In vasallo mediam viam Gerardus sequitur, et latentis evidentisque incrementi omissa differentia distinguit tantum, in curte, id est in villa ipsa, sibi receperit dominus aliquid, puta membrum habitandi causa, et hortum forte aut viridarium, an nihil receperit. Si nihil sibi receperit, vasallum sequitur accessio. Si aliquid sibi receperit, dominum, nisi de incremento sive accessione illa nos vasallus a domino investitus fuerit: quod et si negat probare debet, ut dictum est supra, per convasallos vel per instrumentum publicum; si excipiat, id est, si quod accrevit possideat, domino non probante intentionem suam, satis est, si se jurando defendat, id est, si cum XII. conjuratoribus juret se de incremento investitum fuisse. Sic posteriores Jurisconsulti et Imperatores diligentius quædam tractarunt, quam priores mediis et novis distinctionibus quibusdam introductis, ut et in hac quæstione Si alius in venatione feram bestiam vulneraverit, ad alius ceperit, cujus esse intelligatur, ejus qui vulnus inflixerit, an ejus qui occupaverit? Trebatius ejus eam esse putat qui vulneraverit. Sed placuit magis eam esse occupantis. Hoc diligentius tractans Fridericus Imp. ita distinguit apud Radevicum: *Si quis cum canibus venaticis suis moluerit feram invenerit, et persecutus fuerit, ut ei potius quam occupanti cedat. Si cum canibus leporariis sive laconicis, ut occupanti cedat. Si lancea vel gladio vulneraverit aut occiderit, nondum ceperit, ut ejus sit, non occupantis. Si telo, balista, aut arcu misso occiderit, ut æque ejus sit, non occupantis, ennque scilicet, donec eam persequatur:* quod et *l.* 6. *Lang. de venat.* probat. Verum, ut ad rem redeam, si non naturaliter aliquid feudo accesserit, sed opera et diligentia vasalli, ut si ad finem fundum emerit, id procul dubio feudo non accrescit, cum separatum sit a feudo. Contra, si id quod vasallus acquisivit, separationem non recipiat, ut si servitutem prædio feudali acquisierit, vel si ædificium posuerit in solo feudali, feudo accrescit, feudo tamen domino aperto, pretii repetitionem vasallo competere quidam putant, ut *inf.* 2. *tit.* 9. §. *E contrario.* et 4. *tit.* 29. His cognitis, fingamus speciem ad §. ult. quam simul ac rationem ejus

vulgo explicante male. Capitaneus dedit feudum valvasori, valvasor minori valvasori, minor valvasor mihi. Feudum quod habet capitaneus, vel quod habet valvasor major aut minor, est verum et proprium feudum. Id quod ego habeo, qui valvasinus sum (sic enim me nuncupant) jure feudi proprii non censetur: et ideo mortuo minori valvasore, qui mihi feudum dedit sine hærede masculo, feudum redit ad majorem valvasorem, vel capitaneum, ut diximus initio hujus tituli. Finge, mihi minorem valvasorem dedisse feudum cum omni incremento quodcunque quandocunque feudo accederet: an si quid accesserit, dices, id etiam mortuo minori valvasore ad capitaneum redire, et me non tantum feudo principali, sed etiam accessione excludi? Sic sane, si accesserit post mortem valvasoris, id est, post aperturam feudi, non si accesserit vivo valvasore. Hæc mihi accessio invidenda non est. Mediolanenses ne feudum quidem mihi totum revident, neque enim id ad Capitaneum recurrere volunt.

TIT. II. *Quibus modis feudum amittatur.*

Quia supra dictum est, quibus modis feudum acquiritur, et retinetur, nunc videamus qualiter amittatur. Si enim dominus prælium campestre habuerit, et vasallus eum morantem in ipso prælio dimiserit non mortuum, nec ad mortem vulneratum, feudum amittere debet.

Item si fidelis cucurbitaverit dominum, id est, cum uxore ejus concubuerit, vel concumbere se exercuerit, aut cum ea turpiter luserit: vel si cum filia, aut [1] nepte ex filio, aut cum nupta filio, aut cum sorore domini concubuerit (hoc ita obtinet, si in domo domini manest) jure feudum amittere censetur.

Similiter si dominum assalierit, vel castrum domini, sciens dominum vel dominam intus esse. Item si fratrem suum occiderit, vel nepotem, id est filium fratris.

Aut si libellario nomine, amplius medietate feudi dederit, aut pro pignore plus medietate obligaverit, ita ut transactum [2] permittat, vel dolo hoc egerit, amissione feudi multabitur. His omnibus casibus feudum ad dominum revertitur.

Rursus, si fidelis minus medietate, libellario nomine dederit, et sine hærede decesserit, et feudum ad dominum redierit: vel postquam ad libellariam dederit, vel pignori obligarit, domino refutaverit: tunc ille qui ab eo acceperit, nullo jure adversus dominum se tueri poterit.

Præterea si ille, ad quem feudum per successionem jure obvenire debet, consenserit eos investire, ad quos secundum morem et ordinem rectum non pertinet: nullo modo ad eum repetendum regressum habet. Item si fuerint duo fratres, et unus investituram feudi acceperit: si postea feudum cum fratre diviserit, et ille, qui feudi partem accepit, postea plus medietate vendiderit, et sine hærede legitimo decesserit: feudum ad dominum revertitur. Item si quis feudum habuerit in curte domini sui: non poterit ipsum feudum in aliqua parte libellario nomine alicui sine consensu domini sui dare, vel pignori obligare. Similiter si extra curtem detinuerit, et dominus districtum habuerit, vel alium honorem: si alienaverit sine domini voluntate, jure ad dominum revertitur.

Amittendi feudi causa una est. Perfidia, ingratitudo, improbitas vasalli, quæ his libris felonia dicitur ampe verbo militari, quod tractum videtur e Græco φήλωσις sive φήλωμα, non enim felonia est rebellio tantum sive ἀντάρσια, cum et dominus sæpe in feloniam incidat, sed fraus, culpa, improbitas. Eadem causa est adimendæ hæreditatis legitimis hæredibus: quæ ademptio et exhæredatio dicitur, ita plerique ademptionem feudi exhæredationem vocant: Turpinus in Chronicis: *Joannes rex Angliæ Arturum Comitem Britanniæ peremit, super quo a Baronibus apud regem Franciæ, cujus vasallus erat, accusatus, cum comparere nollet, post multas citationes per judicium Parium exhæredatus est.* Sigebertus, *Guilielmus rex Siciliæ exhæredavit Comitem de Bassevilla, quod ab ipso desciverat.* Una est utriusque exhæredationis causa, si generaliter rem universam spectes, Felonia et Perfidia. Sed hæc rursus in varias et multiplices scinditur species. Eas quidem Justinianus redegit ad certum numerum, propter quas liberos, parentes aut fratres exhæredare liceat; eandem tamen eripiendi feudi causas certa definitione concludat quisquam, ut *inf.* 3. *tit.* 1. An igitur vasallus feloniam fecerit, quæstio est magis facti quam juris, et ut ante Justinianum exhæredationis causæ positæ erant in arbitrio Centum virorum: ita hodie removendi et abdicandi vasalli causæ disceptandæ relinquuntur judicio parium, id est, convasallorum: proinde arbitrariæ sunt non certæ, non legitimæ. Cognitionem paribus mandat Constitutio Conradi, et Henrici Conradi filii, et Lotharii, et Friderici. Certæ quidem sunt causæ, quæ jurejurando fidelitatis specialiter exprimuntur. Certæ etiam illæ propter quas jure hæreditas adimitur, donatio revocatur, matrimonium dirimitur, quas et in revocando feudo observare debemus, ut 3. *tit.* 1. Certæ sunt quæ his libris exprimuntur. Sed præter omnes istas incidere possunt innumeræ, propter quas æquum sit vasallis feudum adimi: quas probare dominum paribus curiæ necesse est productis testibus quinque ex Constitutione Henrici. Domino non probante, vasallus se purgare debet duello: ut *inf.* 4. *tit.* 47. quod non ita accipiendum est, ut dominus ipse in pugnam descendere debeat, cum in honorem domini soleat ei defensionis necessitas remitti, ut *sup. tit. proæ.* §. *Si vero feudum:* sed ut si quis sit comper, qui cum eo vasallo cujus perfidia arguitur, decertare velit, duello se purgare debeat, ut habetur in Constitutione Henrici: quod si desit singularis cum quo ineat pugnam, jurejurando se purgare debet cum tribus paribus, vel si pares habere non potuerit, cum propinquioribus cognatis XII. vel etiam solus, ut est proditum *inf. lib.* 5. ad Constitutionem Henrici. Nunc eas feloniæ causas exponamus, quæ hoc titulo recensentur. Prima hæc est. Si vasallus cum domino in militiam profectus eum in ipso conflictu et vitæ discrimine dimiserit, et cum eo non laboraverit, ut ait infra tit. 21. id est, si periclitanti opem non tulerit, quod est astalium facere, id est, frustrari, et decipere, in l. 5. *Lang. de malef. et pub. ee.* et idem astalium ab astu quod Felonia: et similiter in eisdem legibus asto animo, est doloso et callido, l. 4. *de fur.* l. 15. *qual. quis se def. deb.* l. 3. *de hom. lib. ho.* l. 1. *de dam. injur.* quo modo Plautus loquitur in Pœnulo:

Mea soror ita stupida est sine animo asto.

Et Accius apud Nonium,

Nisi ut asto ingenium lingua laudem.

Et ejus generis in his pleraque sunt alia, quæ barbara multis esse videntur, cum tamen originem suam repetant a Græca vel Latina lingua, ut argi sive argæ contumelia, l. 1. *de convitiis*, quam interpretes aliovorsum trahunt, sed ignavum ea et inertem significari certius est a Græco ἀργός. Paulus Diaconus VI. cap. 8. *Memineris ut me inertem et inutilem vocaris, et vulgari verbo Arga vocaveris.* Didymus de Demosthene, ἀκίνητος ὢν περὶ τὰς συνουσίας, ἐλέγετο ἀργός. Et Strigæ, *l. ult. de hom. ser.* l. 3. *qual. mund. alien. per* l. 2. *de injur.* mul. quæ Festo est malefica, quæ hominis intestina corpore paulatim defluente peredere fingitur. Plautus Pseudolo:

Strigibus vivis convivis intestina quæ exedunt.

Glossis striga, λαιστρυγὼν, quæ etiam humanis corporibus vesci credebatur, καὶ γυνὴ φαρμακίς. Langobardis *Masca*, hodie *Magas*. Et tollenonis usus a Festo, Vegetio, Isidoro declaratus, qui explicatur operis, *l.* 23. *de hom. lib. ho.* Et de equo aut pecore rabioso, *l.* 2. *de pauperie:* quod et Absyrtus et Hieroclea mulomedici, et Porphyrius confirmant contra Galeni sententiam. Secunda causa amittendi feudi hæc est. Si uxorem domini corruperit, vel si tentarit corrumpere: intellectum facti pro facto habetur, vel potius attentatio ipsa pudicitiæ perfectum facinus est, si manus tulerit ad papillas, si sub vestimenta. Item si nurum corruperit, quæ filiæ loco est, si sororem domini vitiaverit quæ nondum exierat domo fratris, id est, virginem, quæ in capillo fuerit. ut *inf.* 3. *tit.* 1. §. *Rursus.* Comis enim tantum non velamine olim virgines obtegebant caput, et præceptum Pauli ad solas virgines pertinere existimabatur, quod tamen est contra sententiam Tertulliani, et ita *l.* 1. *Lang. de eo, quod pat. filiis nec hab. vel.* l. 21. 22. 23. 25. 27. *de success.* et in Constit. Neapolitanis, *tit. de suc. nob. in feudis*, in capillo esse dicitur, quæ nondum nupsit viro. Soli autem sorori hic modus injicitur, Si habitarit cum domino vasalli fratre suo, non etiam filiæ aut nurui. Est autem hic hujus tituli locus valde depravatus: adjicit enim his neptem ex filio: cur non etiam neptem ex filia? Et breviter sic locus restituendus est, *ut si cum filio nol nuru, id est, cum nupta filio aut cum sorore domini concubuerit (hoc ita obtinet, si in domo domini manerat) jure feudum amittere censetur.* Sequuntur aliæ causæ: Si dominum ex insidiis appetierit, si obsederit dolo malo. Sola cogitatio solusve conatus vasalli non punitur, insidiæ puniuntur, ut *inf.* 4. *tit.* 52. Item si vasallus fratrem suum occiderit aut filium fratris, quem posteriores nepotem dixere, et fratruelem et fraternum. Cur tamen si fratrem domini sui occiderit, feudum non amittit, ut *inf.* 4. *t.* 42. Quia in dominum suum directo non deliquit. Est quidem in offensa, cujus nomine judicium parium et coercitionem habere debet, sed non privari feudo. Henricus libro quinto: *De his*, inquit, *culpis unde beneficium non amittitur, Parium laudatione defendat se vel emendet.* At dices: Ille qui fratrem suum interficit, multo minus delinquit in dominum. Sed parricidium homicidio gravius est, ac proinde

(1) γρ. *nuru, id est, cum nupta filio.*
(2) γρ. *distractionem.*

æquum, ne tam infamis persona, quæ parricidio se polluit, in curia domini amplius versetur, non quidem feudum domino aperiri, sicut si directo in dominum deliquisset, sed in parricidæ proximos agnatos transferri: idemque est, si aliud quodcumque parricidii genus commiserit, ut *inf.* 3. *tit.* 2. idem si non spe hæreditatis fratrem occiderit, quia quaqua ratione occiderit parricidium est: idem si non occiderit sed occidendum prodiderit, *d. tit.* 42. Et ita si sororem suam vitiaverit, feudo privabitur, si sororem domini non item, nisi uno casu, de quo diximus supra. Gravius enim est incestum stupro: et in merito idem merito Jacobus Ardizo, et Hadrianus Zasius admittunt: cujus rei exemplum est in Austria Cuspiniani, de duobus Austriæ Marchionibus, Leopoldo, et Alberto. *Aut si lib. Item nomine ampl. si medietate feudi dederit.* Sic legendum: Nam in feudum dare non prohibetur, ut *inf.* 2. *tit.* 4. et 9. et in Constitutione Friderici de feudis non alienandis. Antehac corrupte legebatur, *In feudum dederit.* Libellarius autem contractus est venditio: quæ fit scriptura interveniente certo pretio, et hoc amplius certa pensione constituta in annos singulos, ea hac plerumque lege ut statuto condictoque tempore contractus renovetur rursus numerato pretio certo vel arbitrario. Dixi, scriptura interveniente libelli scilicet scriptura: et inde nomen: et in Constitutione Lotharii illo loco, *Libellum vel aliud instrumentum*: quod sit libellum, ad hoc genus contractus proprie respicit. Regulariter venditio perficitur nudo consensu, nisi convenisset, ut scriptura fiat, *l. Contractus, Cod. de fide instr.* Dixi, certa pensione, quod probat *inf.* 2. tit. 9 §. *Donare,* et 4. *tit.* 53. Et Gregorius 2. Epist. cap. 1. *Libellario nomine ad summum trecentis annis hab re concedi.* Voce ur lex libellaria, ut lex commissoria. Utraque venditionis lex est. Venditio dicitur *d. tit.* 8. et in edicto alio Constantini Porphyrogennetæ de prædiis militaribus his verbis: εἴ τινες πρὸ ὑπόπτου ἢ βασιλικοῦ στρατιωτικοὺς διαλαβόντες ἀγοράσαντο τόπους, etc. quibus rescissa venditione vult reddi pretium. Alii locationem esse dicunt: et est eadem quæstio quæ de emphyteusi, utrum venditio an locatio: qua de causa usus fecit proprium contractum, exemplo emphyteuseos, quod jus πασσαλικὸν Justinianus vocat *Nov.* VII. Quin et libellariam idem esse, quod emphyteusim plerique censuerunt, pro quibus est Leonis *Nov.* XIII. Sed in hoc est differentia, quod non solet emphyteusis renovari non mutato possessore, Libellaria renovatur statis certisque temporibus etiam non mutato possessore data certa pecunia, vel quam bonus vir arbitratus fuerit secundum qualitatem rei in libellum datæ, quod quidem renovationis pretium Leo καθεστικὸν vocat. Et emphyteusis contrahitur sub lege meliorandæ rei, puta ædificii in area ponendi vel reficiendi, vel agri excolendi et renovandi, libellaria hanc legem non habet. Et libellaria in perpetuum fit semper, ut *inf. tit.* 8. Emphyteusis nonnunquam ad tempus. Et si credemus antiquis feudorum conditoribus, in libellaria est commisso locus post biennium, sicut in locatione, cum in emphyteusi triennii cessatio exigatur: et is, qui per libellum a domino possidet, vendere potest sine consensu domini, emphyteuticarius non item. Fit libelli hujus sive libellariæ mentio sæpe his libris, ut *inf.* 8. et 2. tit. 9. et 4. *tit.* 3. 53. 57. et in Constitutione de Pace Constantiæ, et in Langobardia, et in aliis etiam auctoribus. Cassiodorus v. Variar. *Comperimus patrimonii nostri prædia te Thomatè libellario titulo commisisse.* Gregorius 8. Epist. cap. 61. *Fuerant possessiones sub specie libellorum tenere.* Vasallus autem feudum totum ejusve partem, vendere, ut id emptor haberet quasi proprium, non potuit sine consensu domini. Per libellum mediam partem vendere potuit sine consensu domini plerisque Italiæ locis, aliis etiam totum. Vendere, inquam, per libellum potuit dimidiam partem privatus non Ecclesiæ. Privato plus permittitur quam Ecclesiæ, id est, non tanta in privato, quam in clerico probitas exigitur: quæ ratio est scripta *inf. tit.* 8. Tertullianus de Monogamia: *Cum ad perequationem disciplinæ sacerdotalis provocamur deponimus infulas, et impares sumus.* Ecclesiam decet ne partem quidem feudi a vassallo emere sine consensu domini, maxime cum sit immortalis, privatus mortalis, quo moriente sine hæredibus masculis feudi etiam pars ea, quam per libellum alii concessit, ad dominum recurrit. Ex Constitutione autem Lotharii et Friderici, nec vendere ullo modo partem ullam feudi privato vasallus potest sine domini voluntate, ut *inf.* 2. *tit.* 9. et 3. *tit.* 2. et 4. *tit.* 44. 53. ne domino debitum servitium pereat ad inopiam redacto vasallo: quod etiam olim obtinebat in feudo de camera vel de caneva: et in feudo proprio, cujus domino juncta erat districtio juris, quæ duo non semper concurrunt in eandem personam, sed cujus in personam concurrunt, ejus auctoritas potestasque major est, ut merito in alienatione ejus sit exploranda voluntas. Æquum etiam est in eo feudo abalienando, quod quasi e sinu et penuario domini depromitur, id est: ex camera vel caneva, domini voluntatem exquiri. Quod diximus de alienatione, idem obtinuit in pignoratione, creditori distractione permissa, quod genus pignoris consultum dicitur *inf.* 2. *tit.* 9. quia eo maxime creditori consulitur. Et hoc est quod ait hoc loco: *Ita ut distractionem permittat*: cujus emendationis conjecturam fecit vetustissimus liber, in quo erat, transactionem, non transactum. Idem si dolo hoc egisset, ut feudum in alium transiret, puta si investituram pro venditione adsimulasset, ut *inf.* 2. *tit.* 4. et in Constitutione Friderici *de feudis non alienandis.* Et hac juris forma neglecta, feudum ad dominum redibat, præterquam si feudi paterni alienatio facta esset agnato, qui omnino successionis jure feudum habiturus erat, quia renunciatio est potius quam alienatio, ut *inf. tit.* 8. §. *ult.* et 4. *tit.* 45. vel erranti vasallo circa qualitatem rei, puta feudum accipiente pro alodio, ut *inf.* 4. *tit.* 30. At, ut dixi, vasallus feudum potuit semper, potestque alii sine fraude in feudum dare sine voluntate domini: ita ut sit vasallus vasalli, nec mortuo priori vasallo sine liberis masculis, ad dominum res ipsa recurret, ut *inf.* 2. *tit.* 10. Jus feudi recurret, vel etiam res ipsa, si nolit posterior ab eo jus feudi recognoscere, ut *inf.* 2. *tit.* 9. §. *Sine autem.* An etiam jus feudi alii potest vasallus vendere invito domino quasi feudum, non quasi libellum, ita ut non suus, sed domini vasallus esset: sicut usumfructum vendere fructuarius potest etiam invito domino, quod tamen Interpretes cum ita scriptum reliquissent: ὁ ἔχων χρῆσιν καρπῶν δύναται πωλεῖν αὐτὴν καὶ ἄκοντος τοῦ δεσπότου ἢ καὶ τοῦ κληρονόμου αὐτοῦ: quidam eis hanc opinionem quasi singularem adscribit, nesciens id eos sumpsisse ex *l. Cui ususfructus. D. de usuf.* Rursus ut morte mea si jus utendi fruendi quod meum est vendidero, finitur ususfructus in persona emptoris, an et jus feudi ita venditum, ut dixi, Si decessero sine liberis masculis? Et videtur jus feudi in alium per eam rationem multo minus potuisse aut posse transferri, ne invito domino novus et extraneus vasallus accedat, ut *inf.* 2. *tit.* 12. cum alienatione facta per libellum vel pignoratione pro parte dimidia, vel ut Cremonæ, Ticini, Mediolani obtinuit, in assem, vel secunda datione in feudum non mutetur vasallus, illo genere mutatur. Et tamen illud quoque fuisse permissum ante Constitutionem Lotharii, ut existimem, facit §. *Item si duo fratres,* ut hodie moribus Galliæ receptum est posse omnino jus feudi sine voluntate domini a vasallo cedi et vendi alteri: qua ratione vulgo dicitur feuda patrimonii jure censeri. Ceditur cum sua causa, nam emptor fidem, et hominium debet, quod nisi profiteatur intra constituta tempora, dominus fructus suos facit vel quibusdam locis feudum domino aperitur, cujus generis feudum dicitur *Fief de danger*, quod ejus amittendi vasallo periculum immineat, nisi mature fidem, et hominium exhibuerit: Emptor etiam debet ἀναχώρησιν, et ἀναδοχὴν, et militiæ oneribus ac servitiis feudi cohærentibus obligatur: igitur mors emptoris spectatur, non venditoris. Ususfructus tamen pleno meroque jure omnino vendi alteri non potest, et spectatur mors venditoris, non emptoris. Sed et Ecclesiæ moribus nostris recte vasallus feudum vendit cum sua causa: quo tamen casu ne quid domino depereat, vel quod Ecclesia sit immortalis, vel quod sit inhabilis militiæ, cogitur Ecclesia dare hominem, a quo officia debita exhibeantur, quoque mortuo fidelitas redintegretur. Iisdem moribus eo, qui feudum vendidit absque consensu domini, defuncto sine hæredibus, feudum emptori non aufertur, cum tamen jure Italico si invito domino vasallus partem mediam jure vendiderit per libellum, aut pignori obligaverit, et jure προτιμήσεως dominus omnino vel renunciatione exclusus fuerit, mortuo vasallo sine hæredibus masculis, vel etiam cedente feudo in manus domini a quibus acceperat, feudum emptori auferatur, ut §. *Rursus* et *inf. tit.* 8. et 16. et 4. *tit.* 83. Domino consentienti non est jus προτιμήσεως, non recidit etiam feudum in eum, qui consensit alienationi moriente venditore sine legitimis hæredibus, aut refutante dominum hominio, ut dicitur, et remisso: sed qua conditione quove jure id consentiente domino acceperit emptor, puta quasi proprium vel quasi libellum, eodem retinebit semper, præterquam in specie *tit.* 25. 57. *lib.* 4. Consensu etiam agnati amittunt jus προτιμήσεως, et jus successionis: et ita demum jus prælationis habent, vel eo jure omisso jus successionis, cum est feudum genearchicum, mortuo venditore, illud reddito pretio, istud non reddito pretio emptori, si venditioni non consenserint, ut *hoc tit.* §. *Præterea* et *tit.* 4. §. 1. et *lib.* 4. *tit.* 44. et *tit.* 45. Quod in contextu isto sit, *His omnibus casibus,* sic est interpretandum, si libelli nomine dederit supra dimidiam partem, si pignori obligaverit permissa distractione, si dolo hoc egerit, non si fratrem suum occiderit. Quod autem sit, *Item si fuerint duo fratres et unus,* est valde obscurum. Duo sunt fratres consortes Primus et Secundus. Primus feudum acquisivit, idque in commune contulit: quæ collatio domino nihil prejudicat, qui Primum solum sibi vasallum adoptavit, ut *inf.* 2. *tit.* 12. soluta consortione et diviso feudo, Secundus feudi partem accepit: jure igitur quis partem dimidiam tantum, totum nequivisset: quo enim colore nisi refutationis? Sed hoc non potuisset, quia in feudo fraterno, id est, feudo novo successurus non erat. Igitur quia partem accepit recte, quandiu vixerit Primus, non redibit ad dominum portio Secundi, nisi Secundus plus medietate suæ portionis vendiderit, et sine liberis masculis decesserit. Utrumque exigimus. Neque hoc neque illud sufficit, quia vivit primus, a quo ejus portionis alienatio in Secundum collata sustinetur. Utrumque si concurrat, dominum admittimus, quia Secundus eam portionem tenuit quasi feudum ab eodem domino ex divisione, et deficiente ejus sobole mascula, æquum est id domino accedere potius quam extero emptori, qui plus medietate emit. Ante Lotharium alienatione majoris partis quam dimidiæ feudum domino aperiebatur. Post Lotharium pars tantum alienata domino aperitur, ut *inf.* 4. *tit.* 44. Est enim ejus indignitas major, qui indulgentia sibi data abutitur, quam ejus cui nihil lex indulsit. Quod sequitur, *Item si quis feudum,* ejus rationem exposui supra.

Item si Episcopus, vel Abbas, vel Abbatissa, vel dominus plebis feudum dederit de rebus Ecclesiarum, quæ eis subjectæ sunt, et tituli vocantur: nullum habet vigorem, secundum hoc, quod constitutum est a Papa Urbano in sancta synodo: hoc est illud, quod post ejus decretum fuerit datum: quod autem ante datum fuerit, firmiter permanere debet. Idem juris est, si Præpositus, vel alia ecclesiastica persona, quæ antiquitus non sit solita in feudum dare: scilicet ut quod dederit jure non valeat.

Hujus paragraphi sententiam exposui tit 1. Illud tantommodo non exposui quem hic Gerardus vocet dominum plebis. Et is videtur esse, qui Vicedominus dicitur in cap. volumus, et cap. dominum 89. distinct. Administratio est episcopatus, et onus suscipiendæ plebis negotiorum ecclesiasticorum causa, vel inopia incessante adventantis ed hospitantis in Ecclesia. Sigebertus in Chronicis: *Theophilus Vicedominus secundas partes ecclesiasticæ dispensationis sub Episcopo agebat.* Carolus, *l. 4. Lang. de rever. eccles. deb. Mandet Comes Episcopo, vel Abbati, vel Vicedomino,* vulgo corrupte, Vicecomiti. Cassiodoro Vicedomini videntur esse œconomi, v. var. Epistol. Justitiæ. Hoc autem loco titulum novum perperam apponi finis indicat, in quo ita est. Et his omnibus feudum amittitur, et ad dominum revertitur. Casibus enim his qui sequuntur feudum, vel quia non jure datum est, vel quia deficiunt hæredes masculi, vel quia vasallus linguæ usum amisit, ad dominum revertitur.

Quin etiam si quis eo tenere feudum acceperit, ut ejus descendentes masculi et feminæ illud habere possint: relicto masculo, alterius feminæ non admittuntur.

Dictum est sup. feudum ad dominum redire vasallo sine hærede defuncto. Hæres his libris sive hæres legitimus masculum significat, ut *inf. tit.* 8. et *lib.* 4. *tit* 38. propterea quod feminæ in feudum non succedunt, nisi feudum sit muliebre, vel nisi ita convenerit nominatim in dando feudo. Inde quæritur, si in dando feudo convenerit, ut liberi masculi et feminæ id obtinere possint, et vasallus moriatur relicto filio et filia, an uterque succedat? Obertus utrumque succedere existimat, ut *inf.* 4. *tit* 63. Gerardo aliud judicium est hoc loco, et *inf. tit.* 4. §. *ult.* Putat enim masculum præferri, quasi scilicet hæc fuerit mens contrahentium ut ita demum feminæ admitterentur si masculi deficerent, quod et si palam verbis expressum esset, Obertus probaret, ut *inf.* 2 *tit.* 17. Sed id quod agitur pro expresso haberi debet, *l. Cum quid D. de reb. cred.* Et Gerardi sententiam fuisse communiter receptam fragmenta Ardizonis indicant, *inf* 4 *tit.* 101. Ex eisdem reliquiis didicimus non idem esse dicendum si ita convenerit, ut in feudo succederent feminæ sicut masculi. Hujus enim conventionis potestate mares et feminæ simul succedunt, tam ex mente quam ex verbis contrahentium. Proponitur et in eisdem alia quæ ad hanc quæstionem pertinet perelegans species. Maritus et uxor simul de eodem feudo investiti sunt ea lege, ut et descendentes sive liberi sui id haberent: feudum hoc non est muliebre, non masculum, sed mixtum ex utroque. Conjuges defuncti sunt filio et filia superstitibus. Filius totum feudum sibi vindicat filia in partem venire vult: quid fiet? Aut uterque ex eis nuptiis natus est, aut non: priore casu mas præfertur: posteriore, ut si filium maritus susceperit ex prima uxore, filiam ex secunda, feudi quo de agitur socia, filia veniet in partem una cum fratre consanguineo: quia cum sit filius ex aliis nuptiis, non debet filiam excludere, quæ ex his nuptiis progenita est, in quibus feudum acquisierunt, sed potius quia feudum est ex parte masculum, ex parte muliebre, quisque sibi parentis sui partem vindicare debet: et eadem ratione si filia tantum superstit: nullus filius, filia partem tantum feudi habebit, altera pars domino committetur. Ponitur et in eisdem fragmentis singularis casus quo feminæ in feudum succedunt, ut si feudum datum sit ad servitium certum, quod feminam exequi non deceat, puta ut iter uxoris domini officiose comitetur, *inf* 2. *tit.* 3. § *ult.* vel ut domini focique dominum ministrat, et rem ejus familiarem accuret, qualis est Vasallus casatus, qui dicitur legis Francicæ 3. c. 68 et 4. c. 75 et in Constitutionibus Caroli magni, ut describatur quot homines quis casatos in suo beneficio habeat. Constat vero feudum ad certum servitium dari recte ut *inf.* 4 *tit.* 67. Datur et ita plerumque ut nullum pro eo servitium certum exhibeatur, cujus etiam mulier capax est. Et ii omnes casus sunt excipiendi quibus Galliæ locis feminæ in feudum non succedunt. Aliis plerisque locis liberi utriusque sexus in feudum succedunt. Cognatæ ex transverso non succedunt extantibus masculis. Et circa eam consuetudinem simul, et circa conventionem hoc loco propositam hæc incidit quæstio. Mos hic sive conventio est ut masculis non extantibus feminæ succedent, extantibus masculis ut non succedant. Quæritur, an quæ lex dicta est feminis, dicta etiam videatur posteritati masculæ feminarum ut ecce, vasallus mortuus est relicto filio fratris, et filio sororis, utrum censes filium fratris esse potiorem, quod alter descendat ex femina, an utrumque admittis, quod uterque sit mas, uterque pari gradu? Sunt qui utrumque admittant: quod non probo, nam id ea conventione agitur, ut ex ea familia cui primum feudum acquiritur, mares, et feminæ succedant: filius sororis non est ex ea familia. Solus quidem admitteretur ex benignitate quadam, ut *sup. tit.* 12. Sed non concurrente eo, qui est ex illa familia. Et si forte cum feudum pater acquisisset, deinde obierit relicta filia, et filiis duobus Primo, et Secundo, quot sunt personæ, tot sunt lineæ: et linearum ordo accurate observandus, ut *inf.* 4. *tit.* 59. Unde si Primo divisione obvenerit feudum, posteri ejus in infinitum ceteris præferentur, linea Primi absumpta, admittetur Secundi, et hac demum extincta linea filiæ. Proinde si moriens primus habuerit filium fratris, et filium sororis, filius fratris præferetur filio sororis, id est, linea Secundi lineæ filiæ.

Mutus feudum retinere non potest, scilicet qui nullo modo loquitur: sed si feudum fuerit[1] magnum quo ei ablato se exhibere non valeat, tum ei relinqui debet, unde se sustinere possit. Ex his omnibus casibus feudum amittitur, et ad dominum revertitur.

(1) γρ. *paternum.*

Mutum Gerardus definit eum qui eloqui nihil potest, ut §. *Item. surdus. Inst. quibus non est per. fac test* et ait, mutum retinere feudum non posse, quia scilicet debito servitio parum idoneus videtur. Contra Gerardus refertur muto retentionem dedisse feudi paterni, *inf.* 4 *tit.* 41. Feudi, inquam, paterni tantum. Quod et hic subjecerat. Sed his libris nulli sunt fœdiores mendis. Ait: *Sed si feudum fuerit magnum.* Dixisset convenientius *parvum*, quia sequitur, *quo ei ablato se exhibere non valeat.* Scriptum erat corrupte, maternum, unde fecere, magnum, propterea quod non agnoscunt hi libri feudum maternum, ut *inf tit.* 12. Sed debuisset potius emendare paternum, pro maternum. Hic igitur est sensus, si feudum fuerit relictum a patre, quo ablato esuriturus sit, tum ei relinqui debere unde tueri se et educere possit, quam sententiam pietatis ratio extorsit, jure enim qui servitio non sufficit, nec feudum retinet.

TIT. III. *De natura feudi.*

Natura feudi hæc est, ut si princeps investierit Capitaneos suos de aliquo feudo, non possit eos devestire sine culpa, id est, Marchiones et Comites, et ipsos qui[1] proprie hodie appellantur Capitanei. Idem est si investitura sit facta a Capitaneis et majoribus valvasoribus, qui[2] proprie hodie Capitanei appellantur. Si vero facta fuerit a minoribus, vel minimis valvasoribus, aliud est. Tunc enim possunt devestiri non habita ratione culpæ, nisi fecerint hostem Romæ: tunc enim idem est in minimis, quod in majoribus valvasoribus: vel nisi emerint feudum, tunc enim pretium restituendum est secundum antiquum et rationabilem usum. Moderni[3] autem non ita subtiliter cernentes dicunt idem observandum in minimis quod dictum est in majoribus valvasoribus.

(1) γρ. *impropria.*
(2) γρ. *improprie*
(3) ἴσως *Mediolanenses.*

Propria feudi natura hæc est, ut sit perpetuum, nec temere vasallo eripi possit sine causa. Princeps non eripit temere quod dedit Duci aut majori valvasori. Dux quoque non eripit id quod dedit majori valvasori, nec major valvasor, quod minori. Minor tamen quod dederit valvasino, quia jure feudi non censetur, vel major dominus eripere valvasino cum libuerit potest, exceptis certis casibus, quos exposuit *tit.* 1. *sup.* Est autem his duobus locis reponendum, improprie, ubi est scriptum, proprie, ex supradicto *tit.* 1. *in prin. et inf.* 14.

TIT. IV. *De successione feudi.*

Sequitur de successione feudi videre. Si quis igitur decesserit filiis et filiabus superstitibus, succedunt tantum filii æqualiter, vel nepotes ex filio, loco sui patris, nulla ordinatione defuncti in feudo manente vel valente.

Hoc quoque observatur, ut si frater meus alienaverit partem suam feudi, vel fecerit investiri filiam suam, si moriatur sine hærede masculo, nihilominus revertitur ad me, et olim observabatur usque ad quartum gradum tantum secundum quosdam, hoc ideo quia postea non vocatur feudum paternum. Alii autem dicunt usque ad septimum gradum.

Filia vero non succedit in feudo, nisi investitura fuerit facta in patre, ut filii et filiæ succedant in feudum (tunc enim succedit filia filiis non extantibus) vel nisi investitæ fuerint. Hæc de feudo paterno. In alio vero feudo, quod habuit initium tantum a fratribus, non succedit unus alteri, sive una investitura, sive duabus, nisi hoc fuerit dictum expressim ut alter alteri succedat.

Loco sui patris. In limite transverso non est, ut loquuntur, repræsentationi locus, nisi in fratrum jam mortuorum filiis, qui succedunt cum fratribus defuncti, patruis suis, ut *inf.* 2. *tit.* 11. In limite directo liberorum est repræsentationi locus in infinitum, ut si sit filius, et ex alio filio jam ante mortuo nepos, simul uterque succedit in feudum et in alodium, et sic deinceps ceteri pro stirpibus, non pro capitibus. Tempore Othonis I. Imperatoris, cum esset ea de re ingens quæstio, an avo succederet nepos una cum patruo, placuit rem committi gladiatorio certamini et cessit victoria his qui nepotes computabant inter filios: quod Sigebertus refert in Chronicis, et Vvitichindus II. rerum ab Henrico et Othone gestarum. *Nulla ordinatione.* Non potest ergo pater uni ex filiis feudum prælegare: qua de re dicemus *inf.* 4. *tit.* 54. *Hoc quoque observatur, ut si frater meus alienaverit partem suam feudi*, consentiente scilicet domino: alioquin feudum domino aperiretur, non mihi. *Vel fecerit investiri filium suum*, ut *inf.* 4. *tit.* 45. *Revertitur ad me.* Si et ipse alienationi non consensero, ut *sup.* 2. §. *Præterea. Usque ad quartum gradum;* usque ad fratres patrueles, ut *sup.* 1. §. *Hoc quoque. Quia postea non vocatur feudum paternum.* Qui hac ratione utebantur, feudum id tantum dici paternum existimabant, quod esset a patre aut avo profectum, quasi scilicet patris appellatione ultra patrem solus avus intelligeretur, *l. Justa. D. de verb. signif.* et ita fratres patrueles defuncti succedere in feudum avitum, proprius sobrino, id est, patruelis filium non succedere in feudum proavitum. Sed magis placuit paternum dici, quodcunque e parentibus descendit, ut in *l. Patre. D. ad leg. Jul. de adult.* patres pro parentibus accipiuntur, et hac ratione in feudum e parentibus profectum agnato defuncto agnatos succedere usque ad septimum gradum: quia parentes usque ad eum gradum nominantur: ulteriores majores appellantur, non parentes. Paulatim increscunt sententiæ juris, *Fideicommissum. §. Si rem suam. D. de leg.* 3. Obtinuit ad extremum succedere eos in infinitum, ut dixi *sup.* 1. §. 1. nam et in edicto de in jus vocando, et de legatis præstandis parentes etiam dicuntur ultra tritavum. *Nisi investitura fuerit*, domini beneficii, ut *inf.* 25. Cetera quæ ad hunc §. pertinent, exposuimus *sup. tit.* 1. §. 1. et *tit.* 2. §. *penult.*

TIT. V. *Qualiter hæres investitoris teneatur.*

Si quis investitus fuerit de alieno feudo post mortem ejus, vel si quis fuerit investitus sub conditione aliqua, vel tempore, de quo nullus erat investitus, sive præmoriatur tenens feudum, sive investitor, sive investitus: investitor et investitoris hæredes tenentur investito, vel hæredi ejus veniente tempore vel conditione: licet alii dicant, si moriatur investitus antequam tenens feudum, vel ante conditionem existentem, vel ante tempus quod hæredes ejus non debeant investiri: nam si quis fuerit investitus pure de alieno feudo, non valet habita investitura: hoc ita est, nisi fuerit facta ab aliqua ecclesiastica persona: tunc enim si præmoriatur investitor antequam feudum tenens, vel conditio, vel tempus existat: non obligatur successor illius: et hoc probatur per legem Lotharii de precariis: et hoc intelligendum est in vasallis, qui feudi successionem non habent.

Hic titulus est de feudo quod successionem non habet, id est, quod morte accipientis finitur. Et sit ejus generis feudo, exempli gratia, Primo concesso, pure Secundo factam a domino investituram non valere, sub conditione vel in diem factam valere: Primus enim mori interim potest. Et multo magis valere eam, quæ confertur in tempus mortis Primi. At quæritur an jus investituræ in hæredem secundi transmittatur, et prædium sibi tradi oportere intendere possit. Alii dicunt indistincte transmitti. Hi comparare videntur investituram stipulationi: quia stipulatio omnis in hæredem transmittitur. Alii ita distinguunt: Aut prior mortuus est Primus, aut Secundus. Si præmortuus est Primus, jus suum Secundus transmittit in hæredem. Si præmortuus est Secundus, nihil transmittit. Hi legatorum exemplum sequi videntur. Legatum enim relictum in conditionem vel in diem incertum, vetuti cum mortuus erit Primus, mortuo legatario ante diem vel conditionem in hæredem non transfertur, *l.* 1. §. *l.* 1. *Si quis sub conditione. D. ut leg. no. cau. l. Si dies. D. quan. dies leg. ced.* Priorum opinio verior est, quia investitura actus viventium est, non morientium: est enim cessio. Cessio autem actus viventium, *l. ult. D. com. præd.* Comparanda igitur stipulationib. potius quam legatis. At contra quæritur, an hæres domini Secundo teneatur. Et placet eum quoque indistincte teneri sive post Primum, sive ante Primum, et sive ante conditionem, sive post conditionem dominus decesserit: quod et in stipulationibus, et in legatis ita procedit: nam etsi hæres a quo legatum relictum est sub conditione, decesserit ante conditionem, hæres hæredis legatario obligatur, licet ab hærede scripto obligatio non inceperit, *l. Sub diversis. §. ult. D. de col. et dem.* In clerico tamen distinguitur, et regula juris antiqui stricte observatur: nam si clericus moriatur ante Primum, vel ante conditionem, vel ante diem incertum, successor ejus non tenetur: si post Primum, vel post conditionem, vel post diem incertum, successor tenetur, ut diximus *sup. tit.* 1. §. *Si vero Archiepiscopus.* Voluntas itaque ejus non observatur, nisi eundem ipsum obligatio tenuerit. Et quod in feudis idem Lotharium sit constituisse in precariis. Quid vocet precarias videamus. Genus est contractus, quo initio primum cum ecclesia contrahebatur, ut emphyteuseos genere primum cum civitatibus tantum, deinde etiam cum aliis: unde et cum privatis precarias contrahi nihil vetat. Non sunt autem precariæ, sive precaria non est id genus contractus de quo agitur in titulo Digestorum de precario, licet idem utriusque beneficii sit nomen, eademque nominis ratio, quod precibus petenti concedatur: quo genere frequens erat liberis ab Ecclesia impetrare bona quæ parentes ejus dederant. Precaria est cessio ususfructus rei immobilis, idem possis dicere feudum esse, idem emphyteusim, idem libellariam: nam proprietatem retinet qui dat: aut igitur nihil, aut ususfructum dat et cedit. Tale discrimen nullum est, ut recte sensit vulgaris interpres quisquis est, sive Pileus sive Conradus (nam hi duo sunt vetustiores horum librorum interpretes) ad *tit. de alienatione feudi paterni, lib.* 4. Contractum leges sive pactiones, ex quibus dicuntur contractus capere formam, ita sunt disparce non nunquam, ut novas appellationes excogitare sit necesse: exempla sit pignus; aliud est pignus, aliud hypotheca, aliud fiducia, aliud ἀντίχρησις: et omnia tamen pignora. Sic aliud feudum, aliud emphyteusis, aliud libellario, aliud precaria, aliud ususfructus: et omnia tamen ususfructus: quoniam qui dat, retinet proprietatem. Adjiciamus ergo legem precariam prorsus. Precaria est cessio ususfructus rei immobilis, quæ fit clerico ad tempus, vel dum vixerit ea lege, ut Ecclesiæ ministerium exhibeat, ut Toletani concilii c. v. vel quæ fit, quod erat proprius et frequentius, ei qui Ecclesiæ rem suam donavit aut liberis ejus vel in ea re sola, vel in aliis rebus Ecclesiæ, vel tam in ea quam in aliis rebus Ecclesiæ ad tempus certum vel in tempus vitæ donatoris tantum aut etiam filiorum ejus, *c. precaria* 10. *q.* 2. et *Remensis synodi c.* 36 et 37. et *Turonensis* c. 51. quod genus negotii Ecclesiis permittitur remunerandæ donationis causa, *l. Jubemus. §. Sane ne omnis. C. de sacros. Eccl. Nov.* 7. et 120. et id nonnunquam agitur, ut is cui ceditur ususfructus, certam pensionem sive censum quotannis præstet, ut legum Alamannorum tit. 2. et ut renovetur singulis lustris, *c.* 4. *de precariis.* Inde Carolus Magnus legis Francic. iv. *Si quis*, inquit, *in censibus reddendis, et precariis renovandis negligens fuerit.* Hæc autem fit renovatio, quæ ἀνάκαμψις dicitur aptissimo vocabulo, et præstantur [illegible] ut Leonis *Nov.* 13. cujus titulus compendiosus est περὶ ἀνακάμψεως. De precario accipienda videtur *l.* 2. *Lang. de benef.* quæ congruit omnino scriptum est inter decreta Pontificum. *Quicunque fidelium propria devotione de facultatibus suis aliquid Ecclesiæ contulerunt, si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vitæ temporis usu percipiant*, et Turonicæ synodi c. 51. Quid distet precaria a feudo, ut libellaria si quis quærat, consulat definitiones: nam et feudi et libellariæ definitionem tradidi supra: Quid ab emphyteusi, collata etiam emphyteuseos definitio cum definitione precariæ, statim indicabit. Emphyteusis est contractus, quo dominus prædii suum ususfructum in alium transfert ea lege ut id melius et cultius reddat constituta pensione certa. Feudo additur lex fidei et servitii, emphyteusi lex meliorationis. In aliis nulla est lex talis. In feudo nulla est pensio annua. In feudo et emphyteusi, nulla ἀνάκαμψις: in ceteris est ἀνάκαμψις. In his omnibus intervenit et præstatur domino εἰσβατικόν, sed varie. In feudo ex morte vasalli reditus unius anni vel pecunia certa aut arbitraria, ex alienatione pretii portio. In emphyteusi ex alienatione pretii portio, ex morte nihil. In libellaria et precaria dum quasi redeunt et renascuntur, certum pretium etiam non mutato possessore. In omnibus est commisso locus, sed varie ex causis. In feudo ob culpam, in ceteris ob tardius solutam pensionem.

TIT. VI. *De contentione feudi inter dominum et fidelem.*

Si contentio fuerit inter dominum et fidelem de investitura feudi, per pares curiæ dirimatur, alii enim testes, etsi idonei sint, admittendi non sunt; inopia tamen probationum dirimatur per religionem clientuli possessoris feudi, vel cum duodecim sacramentalibus secundum quosdam. Ceterum si dominus possideat, etiam per suum jusjurandum cum duodecim sacramentalibus dirimatur: hoc ita, nisi clientulus sit gastaldus vel actor domini: tunc enim tantum suæ, id est, domini religioni statur, nisi habeat testes pares idoneosque: nam aliquando multa bona auferuntur domino hoc modo: et hoc colligitur per legem, quæ est in titulo de acquisitione actorum Regis. Idem dicendum est de guardia.

Similiter si quis voluerit dicere de pignore sibi dato se investitum esse, non credatur suo juramento, sed testibus idoneis paribus domus.

Insuper sciendum est feudum Guardiæ et Gastaldiæ quacunque hora vult auferri posse a domino, scilicet post annum.

Quæ ad hunc titulum pertinent, exposui *sup.* 1. §. *Si autem controversia. De investitura feudi.* Fideli allegante investituram, domino negante. *Clientuli possessoris.* Ergo rei. *Secundum quosdam.* Horum sententia jure verior. Nam hodierno solus jurat, ut *inf. lib.* 5. *Cæterum si dominus possident.* Ergo si fidelis agat. *Tantum suo.* Sine Sacramentalibus. *Non habeat.* Vasallus scilicet. *Hoc modo.* Sensus hic est. Si non exigantur a vasallo testes pares et idonei, et domini jurijurando non stetur, eveniet ut res acquisitas domino multas, gastaldi vel actores sibi retineant commento investituræ. Aut igitur probent investituram testibus paribus et idoneis, aut domini jurijurando fidem habeant. *Item dicendum est de gastaldio.* Ut solius domini jurejurando sine sacramentalibus dirimatur res, quæ si est cum custode prædiorum de certi prædii investitura. *De pignore.* Quod probet dominus, ut Conradus interpretatur recte ex §. *Similiter. tit.* 1. *sup. Non credatur.* Non detur possessori defensio. *Insuper.* hoc exposuimus supra 1. §. *Item illud.*

TIT. VII. *De contentione feudi fratris defuncti.*

Si contentio fuerit inter me et dominum de portione feudi fratris mei defuncti, dicendo paternum esse, et sic me debere succedere, ille vero minime, tanquam habuerim partem meam, sive possideo, sive alienavi, dabitur mihi jusjurandum, scilicet patrem meum jure investitum fuisse, licet non possideam portionem fratris mei. Si vero nullam partem habuero illius feudi, nec mihi nec domino dabitur jusjurandum, nisi propter supradictam rationem domino non ut ego propter hoc aliud meum feudum amittam. Si tamen vasallus poterit probare paternum fuisse, sive possideat, sive non [1], obtinebit: alioqui nisi probet paternum fuisse, vel nisi possideat, dominus obtinebit.

(1) γρ. dele *sive non.*

Sive alienavi. Partem scilicet quam habui, ut si eam cum alia re permutavi, ut *sup.* 1. §. *Cum autem. Licet non possideam.* Quandoque actori dat judex jusjurandum, ut *inf* 4. *tit* 36. §. *Sacramentum*: et hoc casu maxime, quod pars quam habui, arguat intentionem meam esse veram, id est, feudum e patre tantum habuisse. *Nec mihi nec domino.* Si probavero feudum esse paternum. *Propter supradictam.* Propter inopiam probationum titulo præcedenti. *Domino.* Qui reus est. *Aliud meum.* Partem meam quam non habui. *Si tamen vasallus.* Duo sunt casus. Si probaverit, Si possideat: primo obtinebit omnimodo: secundo obtinebit domino non probante. Delenda sunt illa *Sive non,* ut dixi *tit.* 1 §. *Cum autem.* Sive non probaverit vasallus vel si non possideat, dominus obtinebit, uterque scilicet dato jurejurando.

TIT. VIII. *De alienatione feudi.*

Si clientulus voluerit partem suam feudi alienare, id est, medium sine domini voluntate, poterit hoc facere: alterius progredi non potest, secundum justum, et verum usum. Alioqui et feudum amittit, et non valebit quod factum est. Quod dictum est alienare, intelligas de libello. Huic consuetudini derogatum est per legem Lotharii. Mediolanenses vero irrationabiliter considerantes, dicunt, clientulum etiam totum alienare posse sine domini voluntate. Inde potest præsumi, si clientulus fecerit libellum in perpetuum de feudo suo alicui Ecclesiæ, non valere: ideo scilicet, quia nunquam reversurum sit ad dominum: cum Ecclesiæ non desinat esse hæres. Quod observandum est in privato, ex natura perpetui libelli. Sed diversum observatur in Ecclesia, quam in privato: Ecclesia enim cultrix et auctrix justitiæ, non patitur contra justitiam aliquid fieri in se, vel in alterum: Privatus vero sæpe obviat justitiæ: et si clientulus fecerit libellum, vel aliud de medietate feudi, sine domini voluntate, ex mortuo sine legitimo hærede masculo (quod verbum ita intelligendum est in feudo, id est, sine filio masculo) revertitur feudum ad dominum.

Si vero cum domini voluntate totum vel medium alienaverit, stabilis permaneat alienatio: fratri vero, vel nepoti per libellum facta alienatio, etiam sine voluntate domini.

Quæ ad hunc titulum pertinent, exposui *sup. tit.* 2. *Huic consuetudini.* Adnotatio est interpretis cujusdam. *Fecerit libellum*: pro parte dimidia. *Quod observandum est in privato.* In privato datio libelli perpetui pro parte dimidia valet, non in Ecclesia, quod exposuimus supradicto titulo: eadem est in hac re natura feudi et libelli: utrumque jus perpetuarium est. *Sed diversum.* Quia in Ecclesia non valet, in privato valet. *Vel aliud.* Ut si pignori obligaverit. *Stabilis.* Ita scilicet ut mortuo vasallo sine hæredibus masculis feudum ad dominum non recurrat. *Fratri vel nepoti.* Qui omnino in feudum successurus erat, et ita ut post mortem vasalli rem quasi feudum, non quasi libellariam tenere incipiat.

TIT. IX. *De investitura Marchiæ, Ducatus, vel Comitatus, et ejus successione, et retentione.*

De Marchia, vel Ducatu, vel Comitatu, vel aliqua regali dignitate, si quis investitus fuerit per beneficium ab Imperatore, ille tantum debet habere. Hæres enim non succedit ullo modo, nisi ab Imperatore per investituram acquisierit.

In feudo Comitatus, vel Marchiæ, vel aliarum dignitatum non est successio secundum rationabilem usum, sed hodie hoc est usurpatum.

Jure in feudo tantum valvasorum est successio, quod non recta emanat a Principe, non in feudo Ducum, Comitum, Marchionum, vel majorum valvasorum, quod proximo descendit a principe, et regale dicitur *inf.* 4. *tit. de leg. Conradi*, in Constitutionibus Neapolitanis feudum quaternatum, quod in quaternionibus Doanæ, ut earum sermone utar, inscriptum est, a Gallis, *Fiefz chevel, fiefz à par sans moyen*: illud *Fiefs par moyen, ou Arrierefiefz.* Videtur et regales Gallis dici *Fief de hauber*, vel etiam quod et si pendeat a Duce, exempli gratia, tamen mortuo vasallo sine hæredibus Regi vacet, non Duci, sic dictum ab armorum genere, quo Regi possessor ejus servire debet. Mortuo autem vasallo, in feudo regali opus fuit quasi novi beneficii nova investitura, non ergo id Capitaneorum liberi agnative successione acquirebant, sed investitura. Ceterum deinde usurpatum etiam hoc est, feudum regale jure successionis acquiri. Et hoc est quod sequitur, *In feudo Comitatus, etc.* Quæ adnotatio ejusdem interpretis est. Et quod ait *Usurpatum est*, consuetudinem inveteratam significat, quæ jam nunc sit pro lege observanda, ut *l.* 13. § *ult. D. de injur. l.* 1. §. *Labeo. D. de extr. cog.* maxime cum eam approbet Fridericus in Constitutione de feudis non alienandis, qui tamen aliam differentiam admittit, ut feudum regale non dividatur, sed majori natu cedat, si plures sint ejusdem gradus, quod est juris gentium; Livius 40. *Capit regnum scelerate, qui transcendere festinat ordinem ætatis, etc.* Justinus 2. *Artemenes maximus natu ætatis privilegio regnum sibi vindicabat, quod jus et ordo nascendi et natura ipsa gentibus dedit.* et 34. *Quod regnum majori natu cesserit.* Quod illi de regno, idem ratio exigit in regali feudo, quod scilicet a Rege directo proficiscitur, quodque qui obtinent sunt veluti Reguli quidam: Alia feuda dividuntur inter eos qui sunt ejusdem gradus. Plerisque locis, et ea majori natu cedunt ex asse, aut certe in eis præcipuum aliquid habet. Otho Frisingensis 2. de gestis Friderici cap. 29. *Mos in Burgundia, inquit, qui pene in omnibus Galliæ provinciis servatur, remansit, ut semper seniori natu ejusque liberis seu maribus, seu feminis paternæ hæreditatis cedat auctoritas, ceteris ad illum tanquam ad dominum respicientibus.* De hæreditate loquitur. Hæreditas autem est alode. Sed idem obtinuit etiam in feudo.

TIT. X. *De successione feudi Capitaneorum vel valvasorum.*

Si Capitanei vel valvasores majores, vel minores investiti fuerint de beneficio, filii vel nepotes ex parte filiorum succedunt. Si vero unus ex iis filiis vel nepotibus sine descendentibus masculini sexus hæredibus mortuus fuerit, prædicti fratres vel nepotes per investituram patris et avi in beneficium succedunt. Et similiter intelligendum est in consobrinis.

Ait, *Si Capitanei etc.* Nam et in horum feudo successionem esse usurpatum est. Vel accipiantur speciali significatione, ut dicam *inf.* 2. *tit.* 10. Si igitur vasallus moriatur, relictis filiis duobus Primo et Secundo, et ex Tertio et Quarto jam ante mortuis nepotibus duobus, hi omnes in feudum quod non est regale æqualiter succedent. Regale filio majori natu defertur. Sed et non regale feudum uni ex liberis in solidum obvenire potest ex divisione, cum plura feuda defunctus habuit. Et quod ita tulerit forte Primus in assem vel in partem, eo moriente sine liberis, perveniet ad Secundum et nepotes ex Tertio et Quarto. Concurrunt nepotes cum Secundo in successione Primi. Non concurret tamen cum Secundo nepos ex Quarto in successione nepotis ex Tertio: quia patruus patrueli proximior est. Porro mortuis Primo et Secundo, si moriatur nepos ex Tertio sine liberis masculis, in feudum quod habuit succedat alter nepos ex Quarto: et hoc est quod ait, similiter intelligendum esse in consobrinis, id est, in pa-

truelibus. Est inter fratres consanguineos successio in feudo paterno. Est inter fratres patrueles in feudo avito.

TIT. XI. *De successione domini in feudo ejus qui fratem vel filium habet.*

Si duo fratres simul investiti fuerint de beneficio novo, et non de paterno, et unus eorum sine descendentibus masculini sexus mortuus fuerit, dominus succedit, non frater, nisi hoc pactum conciliet. Quod si fuerit pacto tali facta investitura, ut frater fratri succedat, per pactum frater succedet, non dominus: quod diximus de fratribus ut unus alii succedat idem intelligendum est de filiabus. In his omnibus videndum est quid actum sit inter contrahentes. Investitura enim quæ fit ante duos vel tres liberos homines servari debet, nisi juri vel naturæ contraria sit. Si ergo domino et fideli placuit, ut pariscantur de filiabus quatenus ipse succedant, hoc quoque servandum est, et sic per pactum filiæ succedunt.

Pleraque edi curavimus aliter quam in hunc diem edi solerent, non aliter quam veterum librorum moneret auctoritas: quod ne singulis locis testificer, hic adscripsisse satis erit: et maxime de titulorum sectione et restitutione nova, vel potius, ut dixi, vetera recocta. Sed inter ceteros ex libris antiquis hunc præcipue titulum suæ formæ reddidimus, quod et Conradus Interpres tentaverat, *lib.* 3. *tit.* 1. *inf.* Sententia autem hujus tituli non est obscura. Ex pacto fratrem fratri in feudo novo, filiam patri succedere. Parta formate investituram. Superior titulus est de feudo paterno, hic de novo. Superior de successione filiorum, hic de exclusione filiarum, nisi eis quoque lex investituræ successionem conciliarit.

TIT. XII. *De successione feudi materni non conjugalis.*

Si femina habens beneficium moriatur, nullo modo succedit in beneficium maritus, nisi specialiter investitus fuerit. Et si ipsa femina filios dimiserint, dicunt quidam, filios non debere succedere in beneficium matris, nisi specialiter sit dictum, vel investiti fuerint: quia secundum usum regni proprie beneficium vocatur paternum, non maternum. Sed secundum æquitatem dicamus filios debere succedere. Hæc dicimus de Capitaneis et de majoribus et minoribus valvasoribus. De minimis autem, id est, qui beneficium tenent a minoribus valvasoribus, sic servatur, ut in sequenti dicetur.

Deficientibus cognatis, vir uxori succedit ex edicto prætoris, in alodem scilicet, non in feudum in quo maritum dominus excludit, ut *inf.* 2. *tit.* 13. et 4. *tit.* 85. Sed etsi feminæ sint cognati, conjuncti scilicet per feminas, hi in feudum non succedunt. Imo nec filii aut filiæ matri in feudum succedunt, quia cognati sunt non agnati, licet S. C. Tertylliano in alodem succedant quasi agnati, et præferuntur agnatis. In feudo, agnati filiis vasalli præferuntur, et deficientibus agnatis dominus. Verum ex æquitate .i. humanitate et benevolentia quadamque sexus prærogativa placet filios præferri domino, non etiam filias: et hæc dicuntur de feudo quod a mare originem cepit, et in feminam pacto vel more regionis vel gratia domini aliquandiu constitit. Sublata enim femina, feudum statim repetit suam originem, quia nec nomen nec naturam suam immutavit ob feminam quæ extitit in medio; est enim dicitur que proprie (sic emendavi ex Vet.) beneficium paternum non maternum. Dixi, filium præferri domino, agnatis enim certe non præfertur, secundum ea quæ diximus 2. §. *pen. sup.* Multum interest feudum mulier habuerit, an feudum muliebre fuerit: nec enim omne quod mulier habuit, muliebre est. Et in muliebre succedunt filii et filiæ æqualiter. Muliebre est id de quo mulier primum investita est. Illud quod a mare ad mulierem pervenit pacto vel privilegio, vel gratia domini, vel more regionis, non est muliebre. Gerardus tamen et Obertus, qui posita pactione, ut mares et feminæ succedant, et a vasallo relictis filio et filia, in jure successionis dissentiunt, itemque si relictis filius aut filiabus duabus, unus ex eis filium, alter filiam reliquerit, utrumque invitante Oberto, feminam repellente Gerardo, consentiunt tamen in hoc, ut si a vasallo in filiam quæ sola ei supererat vi ejusdem pactionis transierit feudum, muliebre censeatur effectum: ita tamen ut ab ea in feminas non transeat, nisi deficientibus masculis, ut *inf.* 4. *tit.* 33. At refelluntur ab his qui acutius cernunt hujusmodi feudum non esse muliebre: nec enim illi duo soli ea ætate juris fuere antistites, sed et plerique alii cum honore tum nomine clariores, ut Bulgarus, Martinus, Jacobus, Hugolinus, quos in consilio habuit Fridericus primus maximus Imperator, ut Radevicus scribit, nec sibi bene cautus Gerardus, cujus ædes ob rem cum Friderico non bene gestam Mediolanenses solo æquaverint. Guntherus 2. Ligurini.

> *Hoc stupefacto mala plebes, cladisque futuræ*
> *Territa præmissis, jam nunc præsentia damnans,*
> *Et ventura timens, Gerardi Consulis ædes,*
> *Quippe hic præcipuus famosi criminis auctor,*
> *Et suasor fuerat, rapido fremebunda tumultu*
> *Diruit.*

Refelluntur autem illi duo Jurisconsulti hoc argumento scientissime. Si feudum quod mulier habet transit ad filiam quasi muliebre deficiente filio; transibit et ad filiam existente filio, hoc autem est falsum, ergo et illud. Sic igitur statuunt in eo feudo quod mulier habuit ex pacto non ex primaria investitura, ipso jure (aliud enim in filio suaserit benignitas) neque filium, neque filiam ejus succedere, sed dominum. Idemque est si id habuerit mulier ex privilegio, nam et privilegia principum restricta accipienda sunt. Feuda data generi posterisque tam maribus quam feminis, non videntur data his qui ex feminis nati sunt, sicut nec immunitates, *l.* 1. *D. de jur. immun. l. Vacatio. D. de mun. et honor.* Datum filiæ jus succedendi in feudo patris, non videtur etiam datum sorori vasalli, qua ratione recte ab Othocaro Rodolphus Imperator Austriam repetebat. Privilegio enim Friderici II. quod ex archivis Austriæ protulit Cuspinianus, duci Austriæ hoc tantum datur, ut si Dux sine hærede filio vita decesserit, Ducatus ad seniorem filiam perveniat. Et quod dicitur, beneficia principum plenissime interpretanda hoc de liberalitatibus et largitionibus dicitur, non de privilegiis, ut cum pupillis largiuntur alimenta usque ad pubertatem, hanc munificentiam sic interpretamur, usque ad plenam pubertatem *l. Mela. D. de alim. leg.* vel cum loca quædam coloniis beneficio concedunt, aut adsignant, quæ libro Beneficiorum Cæsaris adscribuntur, auctore Hygeno, quæ diversa longe erant a feudis, nec enim mutabatur loci conditio. At hunc quem dixi, esse verum sensum tit. 33. argumento est, quod in eo sequitur. *Fæ hoc Aut descendit*, etc. Sic enim ratiocinatur: Si feudum quo femina excidit, morte, non recidit in feminam ex ea descendentem quod etiam in eandem ipsam non recideret si reviviscerel, feudum etiam quo mas excidit sumpto clerici vel monachi habitu, non recidet in eundem habitu deposito. *Hæc dicimus.* Locus hic erat vulgo mirum in modum depravatus. *Ut in sequenti dicetur.* Et mox sequitur titulus de feudis datis minimis valvasoribus. Significat autem hac clausula ea quæ dixit de successione feudi *tit.* 10. 11. 12. esse de feudo Capitaneorum, vel majorum et minorum valvasorum. Minimorum valvasorum feudum successione non acquiri, nec enim perpetuo jure censeri, et eripi cum libuerit posse, *ut sup. tit.* 1. §. *Notandum.* et *tit.* 3.

TIT. XIII. *De Feudis minimis valvasoribus datis.*

Si minores valvasores beneficium tollere voluerint minimis valvasoribus, licet eis facere: excepto, si beneficium vendiderint eis. Si vero pretium de beneficio acceperint, tunc aut pretium reddant, aut beneficium dimittant.

Si beneficium. Vel. habent, Si beneficium non vendiderint eis. Vendi quidem non potest beneficium quasi proprium aut quasi libellaria, sed quasi feudum alii rursus dari potest pretio aliquo accepto, quod pro honore sive munere accipitur potius quam pro pretio, ut diximus *sup.* 1. §. *Item illud. Dimittant*, ne auferant, ut *sup. tit.* 3.

TIT. XIV. *Qualiter Capitanei vel valvasores feudo priventur.*

Si Capitanei, vel majores valvasores, qui hodie vocantur Capitanei, licet improprie, vel minores, seniores in bello dimiserint, vel si credentiam ad eorum damnum scienter manifestaverint, si valvasores seniorum uxores adulteraverint, si scienter seniores assalierint, vel similes culpas commiserint, beneficio carere debent.

Si Capitanei, Emendavi, Si Capitanei, vel majores valvasores, qui hodie vocantur Capitanei, licet improprie, vel minores, seniores in bello dimiserint. *Vel si credentiam.* Hac de re caveri solebat nominatim jurejurando fidelitatis, ut *inf.* 2. *tit.* 5. et Constitut. Neapolit. 3. *tit.* 48. Est enim pars fidei summa. De causis amittendi feudi dictum est *sup. tit.* 2. satis, et dicetur *lib.* 3

TIT. XV. *De Contentione feudi inter Capitaneos vel valvasores.*

Si contentio fuerit de beneficio inter Capitaneos, coram Imperator definiri debet. Si vero fuerit contentio

inter minores valvasores, et majores de beneficio, in judicio parium definiatur, vel per judicem curtis.

Hoc est ex Constitutione Conradi, ut inter Capitaneos, veluti de Ducatu, judicet Princeps, qui tamen in consilium adhibebit pares curtis: et ita cum de Ducatu Saxoniæ, cui adjuncta est Archimarescalli dignitas, inter se contenderent Henricus Dux Lawenburgensis, et Fridericus, quem Imperator investierat de Ducatu Saxoniæ, et a concilio Basiliensi rem vellet Henricus definiri, Fridericus ab Imperatore, scripsit Sigismundus Imperator ad concilium Basiliense hoc modo, Feudalis contentio per dominum feudi ac pares curiæ terminanda est: quæ epist. extat tertio tomo Conciliorum. Si sit lis inter valvasores majores vel minores de feudo, non a principe, sed a domino, id est, ab eo qui feudum, dedit: simili ratione adhibitis paribus curtis dirimenda est, vel a judice curtis. Capitaneorum feudum proxime descendit a Rege: Valvasorum, non item, qui tamen non ideo minus sunt vasalli Regis. Vasallus enim vasalli regii est vasallus regius, ut in Constitutione Friderici *de feudis non alienan. d. §. Illud quoque:* quæ et id confirmat §. *pen.* quod diximus litem dirimendam esse a domino et paribus, atque etiam Constitutio de pace Constantiæ, etc. *ex transmissa, de for. comp.* Quod adjicit hoc loco, vel per judicem curtis, indicat habere dominos feudi nonnunquam proprium judicem qui judicet inter convasallos de feudalibus controversiis, ut sic *inf.* 2. *tit.* 15. *Ejus curiæ judicem.* Vel, habent, et forsitan ita legendum etiam 4. tit. 55. Si inter vasallum et dominum de feudo controversia sit, de ea pares curtis jurati cognoscunt ex Constitutione Conradi et Friderici, quod et olim obtinuit in Galliis, ii scilicet pares in quos dominus et vassallos consenserint. Si dissentiant in eis eligendis an hi cognoscent quos dominus ediderit? Minime, hoc enim exemplo pessimum est. *l. Observandum. D. de jud.* sed quot ediderit dominus, tot edet vasallus, et hi simul de re tota cognoscent, ut *inf.* 2. *tit.* 16. et 20. His quæ diximus obstat *inf.* 2. *tit.* 15. et 20. et 4. *tit.* 38. §. 1. et 55. qui cognitionem dant judici ordinario sive Comiti vel arbitro, si inter duos vasallos, vel si inter dominum et vasallum controversia sit. Quod ita explicandum est. Si inter duos vasallos sit controversia de feudo utroque contendente feudum ad se pertinere, domino eos vocante judicabunt pares. Alter alterum ad pares trahere invitum non potest, quia invicem negant se esse vasallos, sed ad judicem ordinarium, dicto titulo 15. et 38. 55. et Constitutione Friderici *de pace ten. §. Si duo.* Si de alia re litigent inter se, ut si alter alterum accuset infidelitatis, parium jurisdictio est, ut inf. 20. Si inter dominum et vasallum sit controversia de causa commissi, pares judicabunt. Si de feudo ipso, domino negante investituram, pares non judicabunt, quia nondum constet, an ei sint pares, nisi secundum modum propositum, *d. tit.* 20. et *lib.* 4. *tit.* 46.

TIT. XVI. *Quando per alienationem Capitanei vel valvasores feudo priventur.*

Si aliquis de Capitaneis, vel de majoribus valvasoribus, vel de minoribus suum beneficium, sive totum sive partem alienaverit: et ipse vel hæres ejus sine hærede decesserit, quia senioribus beneficium aperitur, totum quod fecit, revocari debet.

Sive totum. Mediolanensium more. *Sive partem.* Communi et probatiori more, ut sup. 8. et hoc ita, si alienationi dominus non consenserit, ut diximus tit. 2.

TIT. XVII. *De successione, et culpis militis fidelis.*

Si quis ex militum ordine decesserit, qui de feudo investitus fuerit, ut constitutum habemus, observetur de beneficio et successione, et culpis. Si unus inculpatus fuerit una de his nominatis culpis, ut habemus insertum, observetur per Constitutionem domini Lotharii Imperatoris, quam constituit tempore Eugenii [1] Papæ ante januam beati Petri Apostoli in civitate Romana, per laudamentum sapientum Mediolani atque Papiæ, seu Cremonæ, atque Mantuæ, et Veronæ, quæ vulgo Berne vocatur, et Tarvisii, et Paduæ, atque Vincentiæ, Parmæ, Lucæ, Pisæ, et Syponti, et Marchionum atque Ducum vel Capitaneorum atque Valvasorum majorum.

(1) γρ. *Innocentii.*

Hoc titulo unam Gerardus proponit Constitutionem Lotharii primi Imperatoris, de successione et causis amittendi feudi. Proponetur alia lib. 5. *de feudis non alienand.* et alia de investitura non petita intra annum et diem, ambæ Lotharii III. non I. Tres fuere hujus nominis Imperatores Primus Lotharius Ludovici Pii filius, Secundus Lotharius Hugonis filius, Tertius Lotharius Gebheardi filius, qui Lotharus sive Ludderus proprie dictus est. Unde cum Guntherus Lutherum scribat vetuisse alienationem feudorum, apparet Lotario III. eam Constitutionem esse tribuendam, ut et proditum est *inf.* 2. tit. 9. §. *Est autem.* Et quod præterea Fridericus I. eam Constitutionem velit trahi ad præteritas alienationes nulla obstante præscriptione temporis, quod de præscriptione longi temporis intelligitur ut dicemus 4. *tit.* 49. Igitur non potest id referri ad Constitutionem Lotharii I. a quo usque ad Fridericum I. intercedunt plus quam CCC. anni, et subscriptio Constitutionis Lotharii de feudis non alienandis, nec non et Constitutionis de investitura non petita intra annum et diem, omnino ad Lotharii III tempora pertinet, et vere notatur in secunda, anno M.CXXXVII. Indiction. V. et in prima, quod sumpsimus ex libro legum Langobardorum, anno M.CXXXVII indict. XV. Igitur in inscriptione illius secundæ Constitutionis error videtur esse in nomine Eugenii, et sane etiam hoc loco, pro Innocentii: nam quod sequitur de successione feudi, constat primum introduxisse Conradum longissime post Lotharium I. Confirmavit unitam Lotharius III. Certe inscriptio tit. seq. vulgo apposita ad Eugenium a veteribus libris abest. *Si quis ex militum ordine.* Otho Frisingensis 1. cap. 3. *Ex eorum militum ordine, quos valvasores nominare solent. Inculpatus.* Accusatus. *Ante Januam Beati Petri.* Alii dicunt, ad limina: alii in atrio. Libro 3. legum Langob. tit. 40. sunt capitula quatuor, quæ legibus Langobardorum Lotharius primus addidit ad limina Beati Petri sub Eugenio Addiderat a. Solebant porro eo loci Imperatores Romæ Constitutiones suas promulgare et proponere Cassiod. IX. Var. Definita nostra et S. C. tabulis marmoreis et ante atrium Beati Petri Apostoli in testimonium collocari. *Per laudamentum sapientum:* id est, consilio Jurisperitorum: idem enim est laudamentum quod arbitrium, judicium, consilium, ut *inf.* 20. 23. 32. et *lib.* 2. *tit.* 20. Radeviens 4. cap. 11. *Accepto de hac petitione fideli laudamento*, et 3. cap. 10. *Laudamentum accepisse memoratur, ut scriptura et pictura tabulæ de medio tolleretur. Quæ vulgo Berne vocatur.* Retinui veterem scripturam, quæ vulgare Langobardorum nomen exprimit, Berne, aut Berna: nam et hodie Bernæ Helvetiorum et Veronæ idem Germanice est nomen, *Bern.* Pessime emendant quidam, Quæ vulgo Brennona vocatur, et falsissime adserunt Veronam olim Brennonam dictam. Reposui et alia civitatum Langobardiæ nomina, quæ deerant.

TIT. XVIII. *Qualiter nepos vel patruus succedant in feudo avito.*

Si quis miles mortuus fuerit sine filio masculo, et nepotem reliquerit, in beneficium avi, in patris vicem succedat. Et si hic deest, et fratrem reliquerit, in beneficium patris ipse succedat. Et si filius fratris mortuus fuerit, frater patris in beneficium avi defuncti succedat.

Loquitur de feudo avito sive paterno. Si avus meus feudum acquisierit, patre meo defuncto vivente avo, ego succedam in feudum avi mei. Si pater meus et tuus feudum acquisierit, et tibi divisione feudum obvenerit, te mortuo sine liberis masculis, ego in feudum patris mei succedam. Si filium reliqueris, mihi præferetur: sed si is postea sine liberis mortuus fuerit, ego succedam in feudum patris mei avi defuncti. *Defuncti*, id est, filii fratris. Feudum enim paternum, quod uni ex fratribus obvenerat, si defecerit in persona fratris, vel in progenie ejus, confestim recurrit ad alterum fratrem alteramve lineam, atque ita fit, ut in feudum succedant semper ejus a quo feudum originem cœpit liberi soli, non alii ejus agnati: mortuo enim fratre sine liberis, non tam videtur superstes frater fratri, quam patri in feudum succedere, quandoquidem si paternum non esset feudum, nec successio esset inter fratres.

TIT. XIX. *Quando frater fratri succedat in feudo.*

Si quis acquisierit beneficium, et sine filio masculo mortuus fuerit, et fratrem reliquerit, frater non succedat fratri, sed dominus, nisi per investituram a domino ordinatum fuerit, ut frater succedat fratri si mortuus fuerit sine hærede masculo, vel succedat frater fratri morienti sine filio, si beneficium de communibus bonis fuerit emptum utriusque nomine domino sciente, si insimul steterint, vel in hostem regis acquisierint.

Hoc autem titulo loquitur de feudo novo, in quo frater fratri non succedit, exceptis duobus casibus, de quibus diximus *sup. tit.* 1. *Si insimul steterint.* Si simul habitaverint, ut *inf.* 2. *tit.* 12. *Si communis victus fuerit.*

TIT. XX. *Ut miles feudum non amittat, nisi ex certa culpa.*

Sancimus ut nemo miles sine cognita culpa beneficium suum amittat [1], si ex culpis iis vel causis convictus non fuerit, quas milites usi sunt nominare quando fidelitatem faciunt dominis suis, per laudamentum parium suorum [2], vel si dominis suis servire noluerint, tunc condictio causa data proponitur ad repetendum feudum, ex quo non servit domino. Nam si steterit viginti annis et ultra, quod non servierit domino, nisi necesse fuerit domino, feudum non amittit.

(1) γρ. *id est si.*
(2) γρ. *vel si dominus suis servire voluerint. Quod si dominus suis servire noluerint, tunc condictio ob causam dati.*

Sancimus. Idem cavetur Constitutione Conradi et Henrici. *Si ex culpis.* Reponendum, *id est, si ex culpis. Vel per laudamentum parium.* Sustuli disjunctionem. Henricus Imp. *Si*, inquit, *contra ea quæ in fidelitate nominantur fecerit; parium laudatione beneficium amittat*: sic etiam inf. 23. et 4. *tit.* 97. *Vel si dominis suis.* Emendavi, *vel si dominis suis servire voluerint. Quod si dominis suis servire noluerint, tunc condictio ob causam dati*, etc. Non ergo amittunt milites beneficium, si dominis suis servire voluerint, id est, Si prompti et parati fuerint. Sufficit voluisse, licet non servierint. Sed si dominis petentibus et quiritantibus adversus hostes defuerint, vel si servitio quod eis nominatim indictum est defungi noluerint, et cessaverint per annum, ut est in Constitutione Henrici, tunc *condictio ob causam dati* proponitur ad repetendum feudum. Proinde ipso jure feudum non amittunt, sed causa cognita, ut *inf.* 4. *tit.* 28. et probata legitima vocatione, ut est in Constitutione Friderici *de pace comp.* §. *ult.* id est, probato banno. Bannum est edictio, proscriptio, denunciatio quælibet etiam Gallis. Inde edicta prætorum, *Bannissements des Prevosts* in libro Blancæ reginæ, et Gallica translatione Codicis, et ad *l.* 3. *C. de leg.* *Lex loix, qui sont appellées par nom de bannissement*, ubi Latine est edictum. Quo vero edicitur delectus, proprie Heribannum appellatur, ut docui in præfationibus. Ceterum causa illa cognita et probata, etiam feudum vassallo auferri confirmat Constitutio Friderici, *de feudis non alienandis*, §. *Firmiter*: ut refert Otho Frisingensis 2. de rebus gestis Friderici cap. 11. hunc fuisse morem Imperatorum tam Francorum, quam Germanorum, ut educto exercitu in expeditionem Italiæ, ad petendam Romani imperii coronam in campo Roncaliæ supra Padum consisterent, ibique ad lignum præaltum scuto suspenso universorum equitum agmen feuda habentium ad faciendas excubias per curiæ præconem evocarent: et eodem exemplo qui in Imperatoris comitatu essent, singuli singulos vasallos suos: ac sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse prehenderetur, domique suæ remansisse, is mox feudo suo multaretur, quod et Guntherus retulit 2. Ligurini his versibus:

Roncaliam properat rapidis attingere castris.
Hic quoties clarum Regnator tendit ad urbem
Teutonus, Ausoniam sumpturus rite coronam,
Ponere castra solet: ligno suspenditur alto
Erecto clypeus: tunc præco regius omnes
Convocat a dominis feudalia jura tenentes,
Excubias Regi prima celebrare fideles
Nocte, vetustorum debent ex more parentum,
At quicunque domi, domino nolente relictus
Defuerit, feudo privari curia censet.

Dixi, petentibus dominis, alioquin etiamsi diu cessaverit vasallus in servitio debito præstando, ei temere feudum non aufertur, ut *inf.* 4. *tit.* 8. 17. 41. et 28. ubi quæ in causæ cognitione versantur eleganter explicatur. Si petenti defuerit, feudum amittit, usu tamen curiali Constitutio Henrici, quam lib. 5. posuimus, aut qui ei adnotationes apposuit, receptum docet, ut id medietate quantum valuerit possit a domino redimere, quod ita accipiendum est, quantum valuerit reditus anni ejus, ut in Constit. Friderici *de feudis non alienandis*, §. *Firmiter*: cum quo non pugnat 4. *tit. de capit. regis Conradi*, §. *ult.* cum in eo sit legendum. *In Lombardia dimidiam, in Teutonica*, etc. Carolus Magnus, *l.* 1. *Lang. de Heribanno*, statuit ut a ditioribus exigantur libræ tres, id est, LX. solidi, *l.* 13. *Lang. de exerc.* ab his qui tres tantum libras habent XXX. ab his qui duas, quarta pars, id est, X. qui unam, V. Libras æstimatur solidis XX. Solidi denariis XII. inter Salicos, XL. inter Saxones et Frisones. Sic est legendum *l.* 1. et 3. *Lang. de quan. sol.* Ex Remensis concilii c. 41. et veteri scriptura. *Ex quo non servit domino*: petenti.

TIT. XXI. *Quot modis miles beneficium suum amittat.*

Si quis miles beneficium suum vendiderit totum sine jussu domini sui, ut proprium beneficium amittat decernimus, dominus vero habeat, vel si concubuerit cum uxore domini sui domino vivente, vel si in pugna suum dominum dimiserit, et cum eo non laboraverit, si potuerit, seu ultra annum et diem vadat, ut investituram beneficii sui a filio vel successore domini sui non petat, vel post mortem patris sui vel alterius cui succedebat, nisi causa justa intervenerit quare non petierit, veluti mortis, vel capitales inimicitiæ, vel infantia, vel justa absentia, et si (ut supra dictum est) non petierit, damnetur.

Ait, Totum, Nam partis alienationem Lotharius III. non prohibuit palam, sed adjecit hoc ad eam Fridericus primus. Illam vero præcipuam causam amittendi feudi, quod ceteræ satis explicatæ sint titulo secundo, exequar hoc loco, cum cessavit vassallus contumaciter per annum et diem in petenda investitura, ut *inf.* 4. *tit.* 76. quæ et Constitutione Friderici probata est, atque ita Constitutionibus, ut Gallice nos exprimimus, *Tous fiefs sont fiefs de danger*, quas tamen Mediolanenses non admiserunt, *inf.* 3. *tit.* §. *Prima.* et 4. *tit.* 49. neque mores Galliæ, nisi quibusdam locis, quibus vigent illa feuda quæ dicuntur, *De danger*, sed mutato vasallo, aut mutato domino, si non petatur investitura intra annum, vel intra dies XL. aut dies VII. pro varietate locorum quibus alia atque alia præscriptio viget, post ea tempora quamdiu cessaverit vasallus, tamdiu dominus facit fructus suos ipso jure, feudum sibi non vindicat quasi jure commissi: et ita cum Edoardus Angliæ Rex ratione ducatus Aquitaniæ non exhiberet Philippo Valesio fidem et hominium, consuluit Jurisperitos Philippus, an sibi esset apertum feudum, et responderunt non esse apertum, sed eum interim fructus suos facere: qua de causa misit Rex in Aquitaniam Episcopum Atrebatensem, et dominum de Craon, ut juri suo addicerent reditus omnes ducatus Aquitaniæ quoad Rex Angliæ de eo investitus fuisset: sic legi in antiquis Chronicis S. Dionysii a Sundegero, Jo. Chartiero, et aliis quibusdam composita per partes. Sed, ut ad Lotharii Constitutionem redeamus, quæ feudo multat vasallum, qui intra annum et diem investituram non petiit, additur exceptio, nisi justa causa impedierit petere, et justam causam explicatur esse mortem, ut si inciderit mors vasalli prope finem anni, quo casu successori ejus æquum est redintegrari tempore ex sua persona, sicut si is cui successit post investituram decessisset: et hac ratione se olim Philippo Valesio excusavit semel idem Edoardus, qui in ducatus Aquitaniæ petenda investitura trahebat moras, et excusationem Philippus admisit. Sunt etiam in justis causis capitales inimicitiæ, id est, bellum et faida, quam exercet vasallus cum alio, quaque destinetur, et distrahitur ab officio debito, vel si vasallus absit Reip. causa, et ejus generis feudum sit ut non possit investitura per procuratorem dari, vel accipi, quod in aurea bulla Caroli IV. Imp. appellatur *Vanlehen*: alioquin per procuratorem investitura accipi potest, ut *inf.* 2. *tit.* 4. et procuratorem habere absens Reip. causa, *l. Ab hostibus. D. ex quib. caus. maj.* Item si nondum vasallus infantiam excesserit, et hæc postrema est sine ulla controversia: nam et omnis ætas pupillaris excusatur Constitutione Friderici, et *inf.* 4. *tit.* 13. Item justus error, *inf.* 4. *tit.* 92. *Ultra annum.* E veteribus liber melior habebat, ultra annum et mensem, et diem: unde non dubitavi emendare, ultra annum et diem, maxime cogentibus multis locis, qui aliequi adversarentur, nec esset apta distinctio inter militem et paganum, cum his libris Militis nomine significetur vasallus, et magis domino opponatur quam pagano, ut *inf.* 4. *tit.* 4. et Constit. Conradi, *de beneficiis*, et Hermanno Contracto *Miles ejus factus est*, id est, vasallus. Sunt et alia quædam quæ in hoc contextu verissime emendavimus.

TIT. XXII. *De investitura quam facit dominus sine consensu fidelis.*

Si quis fecerit investituram, vel cambium de beneficio sui militis, sine illius consensu cujus est beneficium, pro infecto habeatur.

Aut feudum successionem habet, aut non. Si non habet, investituram de eo alii facere dominus in diem, vel sub conditione potest sine consensu prioris vasalli, ut diximus supra, §. *Si vero Archiepiscopus.* Si habet, non potest id dominus per investituram, libellum, precariam, venditionem, permutationem in alium transferre sine consensu possessoris, ut et Conradi et Friderici Constitutionibus cautum est (ut probatur Accursio arg. *l. Lucius. de fil. lib.*) quæ tamen Mediolani non observantur, ut infra 4. *tit. de lege Conradi.* §. *Ex eadem*: namque valet ibi alienatio feudi, id est, dominationis feudi a domino facta pari, vel majori sine voluntate vasalli, non etiam minori: non ergo a nobili plebejo. De venditione feudi loquor sine curte ex qua pendet feudum. Aliud est vendere curtem, aliud vendere feudum. Curtem vendere potest, qua venditione non continentur vasalli sive feuda, ut infra 4. tit. 19. et 60. Feudum vendere non potest, nisi moribus Mediolanensium pari vel majori, qua ratione fretus olim Arturus dux Britanniæ noluit pro Rege Galliæ Regem Angliæ quasi dominum agnoscere, quamvis a Rege Galliæ delegaretur, sed minori domino. et nobiles sæpe feudatarii pro nobili domino

substitui plebejum non posse contenderent, indignum esse rati, nobilem de plebejo feudum recognoscere, quod semper recognoverat a nobili. An tamen dominus potest feudum, et curiam simul cuilibet vendere? Sic videbatur Oberto, forte arg. *l. Quidam. D. de acq. rer. dom.* modo si totum feudum alienaret, ne pro uno duos dominos vasallus agnosceret, ut in Constit. Friderici *de feud. non alien.* §. *Præterea Ducatus*, et ita legendum in d. §. *Ex eadem*; dum tamen totum alienet. Contra Gerardo videbatur inferiori, nec cum curia dominationem feudi vendi posse, ne invitus vasallus pareret inferiori: et in veteri libro ad *d. § Ex eadem*, Gerardi sententiæ confirmandæ causa adduntur hæc verba. *Et hoc Mediolani judicatum est, et sic ibi obtinet, ut non valeat nisi fiat æqualis. In quibusdam curiis Lombardiæ Oberti opinio valet, ut cum curia curiis feudum totum dominus vendere possit.* Hæc est adnotatio. Quod ait hoc loco, *Pro infecto habetur*, significat venditionem esse ipso jure nullam, et ideo emptorem vasallum non habiturum pro domino.

TIT. XXIII *Ut miles fidelis de possessione feudi non ejiciatur sine culpa.*

Sancimus ut nemo miles ejiciatur de possessione sui beneficii, nisi convicta culpa, quæ sit laudata per judicium parium suorum, sicut supra diximus. Si autem dixerit miles, quod sui pares per odium inique judicassent, miles in possessione maneat per sex hebdomadas, et ad nostram veniat præsentiam cum illis qui laudamentum fecerint, et ante nos definiemus.

Repetitur primum, quod dictum est supra, et ex Constitutione Conradi, ut militi non adimatur feudum, nisi convicta culpa ed approbata judicio parium. Deinde, ut si contra vasallum ingrati reum pronuntiaverint pares, et de iniquitate queratur vasallus, provocetque imperatorem, non ante possessione ejiciatur quam de re ipsa cognoverit Imperator. Pronuntiationem enim detinuit provocatio. Et ut provocationem denunciet adversario sesquimense prius quam ad principem eat, ut proinde paratus veniat ad agendum, quod in majoribus valvasoribus locum obtinet. De minoribus cognoscit missus sive legatus Regis. Hactenus Constitutio Lotharii III.

TIT. XXIV. *Si dominus investitura feudi negaverit, cum fidelis est in possessione feudi.*

Si quis miles in possessione sui beneficii fuerit, et dominus investituram negaverit, miles affirmet per jusjurandum, si potuerit, quod suum sit beneficium per investituram domini sui: et si dominus possederit, et miles si dixerit quod investitus fuerit a domino suo, et dominus negaverit, adhibeantur pares illius, et per ipsos inveniatur veritas: et si pares non fuerint, veritas inveniatur per dominum, quia non est bonum ut veritas negetur.

Vasallo possidente et allegante investituram, domino allegante pignus: domino incumbit probatio: quo non probante, defensio est possessoria, id est jurare debet cum XII. se investitum fuisse. Quod si agat is qui investituram allegat domino possidente, similiter actori incumbit onus probandæ investituræ per pares idoneos testes. Actore non probante, domini est defensio dato jurejurando cum XII. sacramentalibus, quæ in Consuetudinibus Neustriæ vocatur, *Desrene*, et fit modo tertia manu, id est, cum tribus sacramentalibus, modo quinta vel sexta vel septima. In sacramentalium numerum computatur reus qui jusjurandum præit, *l.* 3. et 12. *Lang. quid. quis se def. deb.*

TIT. XXV. *Ut filia in feudo paterno non succedat, nisi fuerit investita.*

Si quis sine filio masculo mortuus fuerit, et reliquerit filiam, filia non habeat beneficium patris, nisi a domino redemerit. Si autem dominus ei dare voluerit propter servitium et amorem patris, non revocetur ab ullo ex parentibus suis, neque damnetur.

Filia non succedit in feudum paternum: si tamen id a domino redemerit, ceteris agnatis præfertur. Redemptio potior est successione. Redimitur data modica pecunia pro honore magis quam pretio, de qua convenerit inter filiam, maritumve ejus et dominum, ut infra 2. tit. 15. atque ita censebitur quodammodo esse feudum novum, non paternum: quia id redemptione potius habet filia quam successione. Moribus Galliæ filia succedit in feudum etiam sine redemptione. Opus redemptionis est tantum in limite transverso, Græce ἀνάκαμψις, Gallice *Relief ou rachapt*, non in limite directo, sicut olim jure civili Populi Romani: in limite directo nullum erat onus vicesimæ, nullum caducorum, nullum quartæ eorum civitatis debitæ aut aliquaticorum. Redimunt ergo feuda a domino ii tantum qui veniunt a latere vel reditu ejus anni, vel reditu unius anni e tribus retrorsum actis, vel pecunia certa, puta LX. solidis, aut pecunia ea quam bonus vir arbitratus fuerit. Redimendum etiam est quibusdam locis feudum quod filiæ obvenit, si nupta sit, vel cum nupserit, ut Lutetiæ et Blesis, nisi feudum teneat a fratre natu majore, ut loquuntur, paragii jure. *Ex parentibus.* Ex agnatis filiæ sive defuncti. In his libris sæpe parentes accipiuntur pro cognatis, militari et vulgari sermone, ut Hieronymus ait adversus Rufinum, quo sensu plerisque etiam placet parentelam accipi Julii Capitolini loco illo: Gordianus duxit uxorem filiam Misithei vel Zosimi Timesiclis viri doctissimi, quem causa eloquentiæ dignum parentela sua judicavit: ubi tamen manifestum est parentelam, ut D. Paulo πατριὰν pro paternitate accipi, quod socer patris locum obtineat: et ab eodem illo paulo post Gordianus Misitheum patrem, Misitheus Gordianum filium appellat. Tertullianus ad Martyres: Cetera atque animi impedimenta usque ad limen carceris deduxerint vos, quousque et parentes vestri. Vopiscus in Aureliano. Achilleo cuidam parenti Zenobiæ.

TIT. XXVI. *Feudum sine investitura non constitui.*

Sciendum est feudum sine investitura nullo modo constitui posse, etiamsi domino jubente quis alicujus rei possessionem nomine feudi nanciscatur et teneat: licet tamen possessionem taliter adeptam, dum vixerit, quasi feudi nomine retinere, hærede ejus in hoc jure nullo modo ei succedente.

Feudum novum non acquiri sine investitura. At pro investitura traditio habetur sive missio in possessionem feudi, ut infra 4. tit. 36. non tamen omnino. Quod enim ita constitutum est feudum, successionem non habet: non est igitur proprium feudum, et quod veteres Galli dixerunt, *Fiefs de condition feodale.*

TIT XXVII. *Feudum non traditum morte domini Clerici perimi.*

Si dominus qui investivit, forte sit clericus, et contigerit ut ante moriatur, quam vasallus possessionem feudi nanciscatur: exinanitur feudum: quod generaliter in omnibus clericis qui feudum dant, observatur.

Hoc pugnat cum his quæ dicta sunt l. §. *Si vero Archiepiscopus* et 5. obligationem, quæ cœpit a clerico defuncto ex causa investituræ, transire in successorem: hoc casu obligatio cœpit a defuncto: debet ergo in successorem transmitti: et hoc ipso casu ita respondetur infra 4. tit. 40. Non loquitur de beneficio alieno, quod tamen confingunt interpretes, atque ideo etiam non distinguit uter prior decesserit, vasallus an clericus, sed de beneficio cujus possessio penes clericum fuit, in quo ita distinguit. Aut eam possessionem tradidit investito aut non. Si tradidit, successor factum mutare non potest. Si non tradidit, investitura evanescit, et obligatio, quæ cœpit a defuncto, in successorem non transit. Sed in beneficio alieno hæc etiam posterior distinctio locum habet: nam si clericus de alieno feudo Titium investierit, et possessionem tradiderit consentiente priori vasallo, etiamsi decesserit ante priorem vasallum, successor investituram et traditionem rata facere cogitur, d. § *Si vero Archiepiscopus.* Si non tradiderit, successor non obligatur. Hoc tamen loco nihil est quod de feudo alieno factam investituram arguat. Igitur in feudo cujus possessio fuit penes clericum, qui investituram fecit, dicam d. titulo 40 spectari rationem juris: Hoc loco Lotharii Constitutionem, qui successores clericorum, id est, qui eis in functione Ecclesiastica successerunt, non multum voluit factis defunctorum obligari, *l.* 2. et 4. *Lang. quan. lic. rect. Eccl. cap.* 2. *de precariis.* Colore igitur aliquo assumpto facile mutabant factum defuncti, maxime re integra, id est, nondum sequuta traditione. Loquitur autem de rebus Ecclesiæ, non de rebus clerici propriis; alioquin hæres teneretur investituram implere

TIT. XXVIII. *De conventione investituræ feudi inter dominum et vasallum.*

Si inter dominum et vasallum lis oriatur de investitura feudi, domino scilicet investituram se fecisse negante: si testibus res probari non poterit; possessoris sacramento res decidatur. Idem in eorum successoribus observatur. Si vero testes interfuerint, et eos vasallus ad testimonium vocaverit, eorum testimonio cum sacramento credatur, testes vero sint pa-

res ejus, et qui ab eodem domino feudum tenent. Qui si tempore investitionis abfuerint, etiam extranei sunt recipiendi: qui etiamsi veritatem celare voluerint, forte amore vel pretio vel alia qualibet ex causa, a Comite vel a populo jurare compellantur. quod ex ea causa falsitatem non dicant, nec vera se scientibus tacebunt. His enim non cogentibus eos, vasallus cum ipso domino ad Imperatorem iro festinet, eique causam intimet: et quod Imperator inter eos judicaverit, observetur. Si autem se venturum, vel nuncium missurum vasallus promittit: ex quo promiserit, usque ad annum quiete possideat. Si vero ad Regem non venerit, vel non miserit intra annum, domini sacramento causa finiatur. Et si testes sacramento jam dicto præstito se non interfuisse dixerint, domini sacramento quæstio terminetur. Hæc omnia etiam in clericorum personis locum habent, præterquam quod de personis testium dictum est. In clericorum enim feudo pariter accipiuntur pares et extranei. Hoc ideo, quia cum clerici quosdam de feudo investiunt, sæpe absconse, et sine præsentia suorum fratrum hoc facere student.

Si quis se, vel patrem suum ab aliquo defuncto, vel patre ejus de feudis investitum esse contendat: nisi per duos pares de domo ipsius domini probaverit quod intendit: vel etiam cum pares absunt, per alios idoneos duos testes, tunc in electione domini est, utrum, velit jurare cum duodecim sacramentalibus, illum, qui feudum quærit, per se, vel patrem ejus, si de hoc quæratur, de ipso feudo investitum non fuisse. Quod si jurare noluerit, actor juret cum duodecim sacramentalibus, se vel patrem suum investitum fuisse: quod si jurare noluerit, qui convenitur est absolvendus. Secundum enim morem Mediolanensium, hæc sacramenta præstanda sunt tam a filiis actoris, vel rei, quam ab ipsis principalibus personis. Si autem aliquis in possessione feudi sit, de quo dominus dicit, eum investitum non fuisse, tunc sine probatione ulla testium, debet solus jurare, se vel patrem suum fuisse investitum. Hæc autem sunt ita tenenda, si per unum annum, sciente domino, et non contra dicente, in possessione permansit. Alioquin justa ignorantia, vel parvi temporis negligentia, cum iniquæ possessionis perjurio, quandoque domino in possessione damnum adferat.

Si vasallus allegat investituram, dominus negat, repetitur quod dictum est supra 1. §. *Si autem controversia*. et 24. actori probationem incumbere, reo sive possessori defensionem cum XII. vel uno casu soli, si anno integro possederit feudum sciente domino: et adjicitur successores etiam eorum se jurejurando defendere, sed principales personæ jurent de suo facto abscisse, puta se fecisse aut non fecisse, successores de conscientia, id est, se scire, rescire, credere aut non credere, ut *inf.* 4. *tit.* 36. et 72. Vasallum laicum probare investituram per pares qui adfuerunt, vel si nulli fuerint pares, per extraneos, ut *inf.* 2. *tit.* 3. ubi plenius hoc de re tractabimus, et *lib* 4. *tit* 36. Clericum per quoscunque, quod occultiores sint horum investituræ. Pares vel extraneos testes negantes se de re controversa scire aut meminisse quidquam, ad jusjurandum adigi a Comite vel populo Quomodo a populo? Legendum, a *Præposito*. Comes judex est ordinarius. Præpositus est missus Comitis, aut vicarius, l. 78. et 81. *Long. de fur.* l. *ult. Ne. lib. ho. op.* Vel etiam ad jusjurandum adigi a domino et aliis paribus, ut infra 4. tit. 71. Sufficiunt autem duo testes: modo jurent se veritatem neque silentio obdituros, neque mendacio contaminaturos. *Se scientibus*, inquit. Sic habebat vet. liber, ut *inf.* 2. *tit.* 5. me sciente, et l. 14. *Long. de testibus.* l. 2. *de perjuriis.* Græci in suis formulis, εἰδότος ἐμοῦ. Et nisi ita testes jurare cogentur Comiti, forte dum videntur non esse cogendi, rem vasallus referet ad Imperatorem intra annum, possessione vasallo interim salva: quod nisi fecerit, dirimetur lis jurejurando domini cum XII. potius quam rei: et ita in casu tit. 7. jurejurando actoris lis finitur, et in aliis plerisque, ubi judicem movet æquitas, ut *sup.* 4. *tit.* 36. Item si testes quos protulit reus, ut in specie §. *Item illud.* et §. *Si vasallus.* et *seq. tit.* 1. *sup.* se investituræ non interfuisse dixerunt, jam non reo, sed actori defertur jusjurandum. Regulariter deficientibus probationibus reo datur jusjurandum ea conditione ut juret vel referat: et ita si vasallus agat, deficientibus probationibus dominus jurat cum XII. ut fieri adsolebat, vel refert actori jusjurandum, et eo non jurante, dominus absolvitur, ut tit. seq. idemque est si dominus agat, ut inf. tit. ult. *Cum ipso domino.* Alias, cum misso domini. *Si quis se vel patrem.* Dixit de vasallo reo. Nunc de vasallo actore: et quibusdam Codicibus hic præponitur titulus hoc loco: *Si hæres vasalli defuncti se dicat, vel patrem suum investitum.* Et dicit de hæredibus actoris et rei apertius quod supra attigerat illo loco. Idemque et in eorum successoribus observatur. *Pares de domo*, id est, pares curtis. *Solus*: sine sacramentalibus.

TIT. XXIX. *De feudo dato lege commissoria*

Si quis obligaverit aliquam rem pignori eo pacto, ut si statuto tempore pecunia soluta non fuisset creditori, eam pro feudo habeat: potest debitor quandocunque pecuniam solvendo, pacto non obstante, pignus recuperare. Feudum enim non sub prætextu pecuniæ, sed amore et honore domini acquirendum est.

Lex sive pactio commissoria, quæ etiam fiducia dicitur, in venditione ita fit, ut si ad diem emptor pretium non solverit, venditio resolvatur, et ipso jure rei venditæ dominium ad venditorem recurrat. Hæc conventio justa est. Eadem lex apponitur in pignore, cum ita pignus mancipatur creditori, ut pecunia ad diem soluta, debitori remancipetur, non soluta perpetuo jure apud creditorem remaneat: hoc igitur genere pignoris proprietas mancipatur creditori: qua de causa pactione rescissa rem amittere dicitur creditor, quæ scilicet fuerat mancipata, *l. ult. C. de pact. pign.* Et in *l. Si rem.* §. 2. *D. de pignorat.* act. hypothecam esse, cum non transit nec possessio ad creditorem, ut Flor. scriptum est, id est, cum nec proprietas transit, ut in fiducia, id est pignore dato lege commissoria, nec possessio, ut in pignore simplici. Pignoris enim possessio sola transit in creditorem, non dicta lege commissoria, *l. Cum et sortis.* §. *ult. D. de pign. act.* et ideo distrahi potest a tutore sine decreto, cum non intelligatur esse pupilli, *l.* 5. §. *Si pupillo. D. de reb. eor. qui sub tut. sunt.* Fuit olim hæc conventio justa, sed deinde a Constantino improbata est, *d. l. ult.* quod ei inesset fraus et captio omnia, sæpe pro parva pecunia debitore pretiosa amittente pignora. Igitur ex ea Constitutione etiamsi ea lex pignori inserta sit, licebit debitori post diem oblata pecunia pignus repetere. Verum enim vero ita pacisci licet, ut ad diem pecunia non soluta creditor venditionis jure rem retineat, quia hypothecæ repetitio superest, *l. ult. C. de dist. pign. l. Quamvis. D. de solut.* vel ut jure emptionis eam retineat justo pretio: quia et hic superflui petitio est, *l. Si fundus.* §. *ult. D. de pignor. l. Titium. D. de pign. act.* An et ita valet pacta conventio, ut eam jure feudi retineat, quod videtur: nam hoc modo totum jus quod in ea re habet debitor, a se non abjudicat: et hæc fuit sententia Oberti, ut *inf.* 4. *tit.* 66. Gerardo aliud judicium est, quia hæc conventio est contra naturam feudi, quod originem ex beneficio et amicitia trahit, non ex pecuniæ sua die non solutæ, velut multatione quadam. Igitur non patebit debitor huic conventioni, et post diem recte aget pignoratitia actione oblata et consignata solida pecunia. Et dari feudum non potest pignoris lege commissoria. In feudo tamen apponi lex commissoria potest, *l. Lex vectigali. D. de pignor.*

TIT. XXX. *Si dominus investierit aliquem de feudo sui militis.*

Si quis investierit aliquem de feudo sui militis, viri Placentini prorsus asserunt hanc investituram non aliter valere, nisi eo consentiente cujus erat feudum. Mediolanenses, et Cremonenses nihil distare asseverant, utrum eo consentiente an ignorante: dummodo eo vivente nullum detrimentum de feudo suo sibi contingat. Hoc autem dicendum est de eo milite, qui feudi successionem non habet.

Dixi hoc de eo satis 1. §. *Si vero Archiepiscopus* in fine ex vet. emendavi, qui feudi successionem non habet, ut sup. *tit.* 5.

TIT. XXXI. *Si dominus feudum militi suo obligaverit.*

Quidam obligaverat terram quandam suo militi, deinde cum filius domini longum post tempus pecuniam offerendo pignus liberare voluisset, filius militis contendebat patrem suum a domino defuncto de prædicto pignore investitionem feudi accepisse: unde viri prudentes Mediolanenses interrogati laudaverunt, in electione filii militis esse cum XII. sacramentalibus

jurare patrem suum, vel se a domino suo per investituram prædictam terram tenuisse, ita ut per xxx. annos contestatio pignoris a parte domini adversus ipsum, vel patrem suum facta non fuisset. Si autem ipse jurare noluerit, filius defuncti domini necesse habet jurare cum duodecim sacramentalibus defunctum militem inde per feudum investitum non fuisse. Quod si ita jurare recuset, investire ipsum filium militis domini filius de jam dicta terra per feudum debet.

Domina suo vasallo pignori obligavit fundum: post longum tempus filius domini oblata et consignata pecunia agit pignoratitia actione. Filius vasalli allegat investituram, et præscriptionem triginta annorum: tot enim se annis fundum jure feudi possedisse: quo tempore et si non tollatur jus luendi pignoris, ut Rogerius docuit in dialogo de præscriptionibus, et Harmenopulus 3. Epitomarum tit. 5 acquiritur tamen jus feudi, licet initio investitura nulla intervenerit, ut inf. 4. t. 6. at plenius a Friderico II. definitur Const. Neap. 3. t. 38. data etiam actione possessori si possessionem amiserit. Sed exigunt bonam fidem fragmenta Ardizonis, et contenta sunt longo tempore, propter bonam fidem scilicet. Malæ fidei possessori necessaria est præscriptio xxx. annorum: unde et ex diverso dicemus dominationem feudi xxx. annis acquiri. Quid autem fiat in specie proposita? Aut probat actor pignus, aut non. Si probat, nec ex adverso probat reus investituram, ut exigitur tit. 1. § Similiter, potior est causa luendi pignoris possessione. xxx. annorum. Si non probat pignus, satis erit reum jurare cum xii. sacramentalibus se vel patrem suum investitum fuisse vel quasi jure investituræ eum fundum sine ulla interpellatione per annos xxx. possedisse: aut si nolit jurare, debet jusjurandum actori referre, quo non jurante, reus absolvitur, eumque actor ne amplius ea re in controversiam vocet, quasi de veteri beneficio investire cogitur. Dicit actorem jurare cum xii. Hoc ita nisi reum constabat ratione ulterius feudi suum vasallum esse: hoc enim casu æquum est soli religioni domini stari, ut sup. tit. 1. §. Si vero feudum, et tit. 6. Diximus feudum acquiri possessione xxx annorum. Non idem dicamus, si dominus xxx. annis fundum possederit, quasi non feudalem, vel si vasallus xxx. annis fundum possederit quasi proprium: nihil enim obstat præscriptio vasallo vel domino feudi nomine jus suum persequenti: quod et eadem Constitutio Friderici significat: nihil etiam eam obstare vulgo receptum est in censua aut terragii juribus, quorum hoc præcipue discrimen, quod ex hoc non debeantur εἰσδεκτικά, ex illo debeantur. Conditiones enim sunt et qualitates prædiorum: quas sola voluntas domini tollit, non vetustas. Voluntas domini, ut si jura sua restrinxerit, ut loquuntur, et absorbuerit. Verum adversus jus commissi vel petitionem εἰσδεκτικῶν, vel reliquorum, sive ἐπισωτελειῶν, poterit se possessor tueri præscriptione xxx. annor. l. Competit Cod. de præscr. 30 ann. ex consuetudine Biturigum adversus petitionem ἐπισωτελειῶν præscriptione quinquennii.

OBERTI DE ORTO

DE FEUDIS

LIBER SECUNDUS

TIT. I. *De Feudis sive eorum consuetudine Mediolanensi.*

Obertus de Orto Anselmo suo salutem. Causarum quarum cognitio frequenter nobis committitur, aliæ dirimuntur jure Romano, aliæ legibus Langobardorum, aliæ autem secundum regni consuetudinem, quæ quam varia, quamque secundum diversorum locorum aut curiarum mores sit diversa, nec breviter potest dici, nec hoc libello facile comprehendi: usum tamen feudi, qui in nostris partibus obtinet, prout possibile est, exponere tibi necessarium duxi. In judicio etenim quod de feudis agitur, illud legibus nostris contrarium dici solet. Legum autem Romanarum non est vilis auctoritas, sed non adeo vim suam extendunt, ut usum vincant aut mores. Strenuus autem Legisperitus, sicubi casus emerserit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus, absque calumnia uti poterit lege scripta.

Docet jus feudorum totum manare ex consuetudine, atque ideo in feudorum causis plus valere consuetudinem quam jus civile Pop. Romani. Quinimo cum ita esset scriptum in *l. 2. C. quæ sit long. cons. Consuetudinis ususque longævi non vilis auctoritas est, sed non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem:* ea verba invertit hoc modo, *Legum Romanarum non est vilis auctoritas, sed non adeo vim suam extendunt, ut usum vincant aut mores.* Et utraque tamen sententia est vera. Illa intelligitur de consuetudine quæ eondum in judiciis convaluit. Hæc de consuetudine quæ contradicto judicio confirmata est, *l. Cum de consuetudine. D. de leg b.* Hæc pro lege habetur, eique etsi non accedat, indulget tamen ratio. Ad hoc sententia *l. 2.* intelligitur de iis, quæ lege definita sunt, in quibus sane plus valet lex quam consuetudo. Hæc de iis quæ lege definita non sunt. Tertullianus de Cor. mil. *Consuetudo in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex* Recte, Cum deficit lex, ut l. 33. *D. de legib.* In iis quæ non ex scripto descendunt. Et eodem modo cum de jure et æquitate quæritur, si non lex judicem sit æquitatis potius quam juris stricti ejusdemque scripti rationem habere, l. 8. *C. de Judic.* alterum inter jus scriptum et æquitatem solum principem interponere interpretationem. *l. 1. C. de legib.* rem ita distinguimus, ut in his, quæ scripto palam comprehensa sunt etiam si prædura videantur, judex a scripto recedere non possit, et ut solus princeps eam duritiem emendare possit, sicut duritiem legis Juliæ, de qua *l. Prospexit. qui et a quib. man.* moderatus est, *l. In adulterii. C. ad leg. Jul. de adult.* In his autem, quæ palam scripto comprehensa non sunt, judex spectare debeat æquitatem potius quam ejus scriptum, ut si pœna sit in eum qui ferro percusserit lege comprehensa, non utique eam irrogabit ei qui clavicula hominem percusserit: spectabit enim mentem non verba legis, legis conditorem non legem: et omnino ibi tum maxime æquitas dominatur, et præponenda est rigori, cum lex scripta deficit. quin imo, ut Aristoteles definit, æquitas nihil aliud est, quam jus quod lex scripta prætermisit, τοῦ γεγραμμένου νόμου ἔλλειμμα, τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον δίκαιον, sicut consuetudo propria nihil aliud est quam jus quod lex scripta prætermisit, sed æquitas jus natum et naturale, consuetudo, jus constitutum, et receptum. Nihil porro legibus Romanorum cautum est de feudis. Igitur valere in feudis potius debet consuetudo quam quod legibus generaliter cautum est, quodve disputando et argumentando ex eis deduci potest, ut in feudis non succedunt parentes ex consuetudine, licet in aliis rebus jure scripto succedant, non succedunt filiæ, licet jure scripto succedant in aliis bonis. Plus potest consuetudo quam lex in his quæ lege nominatim comprehensa non sunt. At si qua in re in feudorum causis mores defecerint, tum decurritur ad jus commune civium Romanorum, id est, quod eo jure in aliis rebus cautum est, cum nondum feuda in usum venissent, producitur etiam ad feuda; ut si quæratur, Cum vasallus feudi partem pignori obligavit, et deinde feudum domino committitur, cujus causa sit potior, domini an creditoris pignoratitii, quod mores nondum definierunt, dicam commisso feudo pignus extingui, arg. *l. Lex vectigali. D. de pig.* quæ idem in emphyteusi definit. Rursus si quæratur, agro feudali jure belli capto et adsignato militibus, modica portione possessori relicta, an eam portionem jure feudi a pristino domino recognoscere non debeat, quasi novo jure eam habere cœperit victorum beneficio concessioneque, quod mores non definierunt: dicam ab eodem domino eam portionem jure feudi recognitorum quasi minime mutata possessionis causa, arg. *l. Item si verberatum §. 1. D. de rei vind.* Hygenus de limit. const. Quos dominus in possessionibus suis remanere passus est, eorum condicionem mutasse non videtur. Item si quæratur, an feudo vendito lege commissoria, quibus locis feudi venditio non prohibetur, et solutis domino ἐπιδεκατικοῖς post resolutam venditione ad diem pretio venditori non soluto, ἐπιδεκατικῶν repetitio competat, quæ res moribus definita non est: dicam competere, cum et fructuum omnium repetitio competat adversus emptorem, *l. 4.* et *5. D. de leg com.* et omnia in pristinum statum restituenda sint, perinde atque si neque emptio, neque venditio intercessisset, *l. Facta. D. de ædil. edic.* Consuetudinem dici pro moribus inveteratis (nam et hoc exigitur, ut consuetudo vim legis obtineat) cum scilicet ex frequenti consuetione quasi tales aut tales mores populus induerit. Proprie ex consuetudine mos fit. Aristoteles, ἔθος εἰθισμοῦ περιγίνεται. Lactantius V. *Paulatim male vivendi consuetudo, mos factus est* Publius Syrus: *Vitium prius fuit observantia, nunc mos est* Ovid. 2. Metam. *Morem fecerat usus.* Varro autem vult morem esse communem consensum omnium simul habitantium, qui inveteratus consuetudinem faciat.

TIT. II. *In quibus rebus feudum consistat.*

Sciendum est autem feudum sive beneficium non nisi in rebus soli, aut solo cohærentibus, aut in iis quæ inter immobilia connumerantur (veluti cum de camera aut de caneva feudum datur) posse consistere, ac feudum neminem posse acquirere nisi investitura aut successione.

Feudum consistit in rebus soli, vel solo cohærentibus, vel in his quæ pro immobilibus habentur, velut salariis, pensionibus, stipendiis, sportulis, annonis, ut *infra 4. tit. 53.* quæ res incorporales sunt: incorporales autem res immobilium magis quam mobilium jure censentur, *l. 2. C. de serv. et aq.* Nov. 7. Rerum incorporalium propria est species. Ex rebus enim aliæ sunt corporales, aliæ incorporales, et corporalium aliæ mobiles, aliæ immobiles. Sed ubi tantum fit mentio mobilium et immobilium, incorporales immobilibus potius accensentur: qua de causa nomina, quæ jura sunt incorporalia, immobilia, vel mo-

bilia esse non dicam, sed immobilium jure censeri, quæ forte fuit mens Accursii in l. *Mercatum. D. de verb. signif.* licet moribus Biturigum distinguatur, ut si debeatur res mobilis, nomen rebus mobilibus, si immobilis, immobilibus adnumeretur, quæ distinctio sumpta est ex Accursio ad *Nov. de non alien. reb. Eccl.* Ait *solo cohærentibus.* Hujusmodi sunt juncta infixaque, quæ quasi pars ædium aut fundi, vel propter ædes habentur, ut granaria quorum stipites in terra defossi sunt, et quædam alia etiam si non sint affixa, ut claves, claustra, epitonia, *L. Julianus. §. ult. l. Fundi. D. de act. empt.* et tormenta bellica, ut in ola Consuetudinibus expressum est, quia propter ædes habentur. Torcularia etiam et dolia iidem mores simul ac Turonensium immobilibus adnumerant: quod est contra *d. l. Fundi.* § 1. quia rutis cæsis et instrumento deputantur. Id vero feudum quod consistit in aliis rebus, quæ etsi solo non cohæreant, inter immobilia tamen connumerantur, vulgo ait appellari de camera aut de caneva. Camera est ærarium. Caneva vel canava, cella vinaria: quod inscriptio hæc Ennodii ante canavam probat: *Sub hac cella cud s uuum quod i rent onustis*, etc. D. Augustinus ser. 61. *De horreo, canaba, vel cellario proferre non possumus:* et hæc quæ in ærario vel cellario sunt constituta feuda, quæ sunt in curte domini, ut *sup.* 1. *tit.* 2 §. *Item si quis feudum*, non habent propriam naturam feudi, morte enim dantis et accipientis finiuntur, ut *infra tit.* 10. Finiuntur et exhausto ærario vel cellario sine culpa domini, ut *infra*, 4. *tit.* 28. Ea hac enim causa dominus tantum tenetur in id quod facere potest, deducto ne egeat, imo et deducto ære alieno, exemplo donatoris; nam et in feudum datio, liberalitas sive donatio est. Adjicit in fine hujus tituli, feudum aut investitura acquiri aut successione, ut *infra*, 4. *tit.* 36. Acquiritur etiam præscriptione, et traditione possessionis facta nomine feudi. Sed hæc habentur pro investitura. Et redemptione. Sed hæc successionis prætextum habet, et *supra* 1. *tit.* 25. De investitura autem Obertus primum tractat. Tractabit deinde de successione.

TIT. III. *De investitura feudi.*

Investitura quidem proprie dicitur possessio: abusivo autem modo dicitur investitura quando hasta, vel aliud corporeum quidlibet porrigitur a domino se investituram facere dicente: quæ si quidem ab illo fiat, qui alios habet vasallos, saltem coram duobus ex illis solemniter fieri debet: alioqui licet alii intersint testes, investitura minime valet. Si enim domino adhuc in possessione constituto, an facta sit investitura, quæratur: non debet probare nisi per pares curtis illius domus, vel per publicum instrumentum a tribus vel a duobus paribus confirmatum. Nam si instrumentum defecerit, vel quia factum non fuerit, vel quia amissum sit: tunc qui probare desiderat, pares curiæ illius, qui interfuerint, offerat, qui si negaverint, forte corrupti odio vel gratia seu præmio, et dicant se non interfuisse cum investitura fieret, vel non reminisei: tunc domino cogente jurent tactis sacrosanctis scripturis, quod hujus rei veritatem nesciant: et tunc actor aut alios producat pares, aut jurisjurandi domino detur electio, ut proinde juret investituram factam non esse, aut sacramentum vasallo referat, et ille aut juret, aut acquiescat. Quod si jurare pares aliqua ex causa recusaverint, nec dominus eos jurare compellat: liceat vasallo etiam per extraneos probare investituram. Testibus vero deficientibus, jurisjurandi electio domino detur.

Si vero vasallus quidem possideat, vel si feudum cameræ aut canevæ in duabus seu tribus acceptionibus quietis quasi possideat, dominus autem feudum negans esse, rem suam petat, vel quod de camera vel de caneva bis vel ter (sicut diximus) jam solutum est, deinceps solvere renuat: tunc non est opus probatione, sed possidenti data electione, aut juret suum esse feudum rectum, aut domino referat jusjurandum.

Si autem investitura ab eo, qui vasallos non habebat, dicatur facta: tunc per quoslibet idoneos testes aut per publicum instrumentum probari potest, aut inopia probationis emergente, res decidatur per jusjurandum.

Præterea si aliquis tenor præter communem feudi rationem in investitura a domino dicatur intervenisse, vel si dicatur feudum sub tali condicione dedisse, ut vasallus in festivis diebus vadat cum uxore sua ad Ecclesiam: omni facultate probandi domino adempta habeat vasallus potestatem defendendi se per sacramentum. Item si vasallus pactum speciale contra feudi consuetudinem allegat, veluti de filiarum successione: liceat ei tenorem, si potest, sicut investituram probare: quod si in probatione defecerit vel cessaverit; concedatur domino hoc negare jurejurando præstito.

Et vestimentum et vestituram dixere Latini: ut in antiqua inscriptione, *Vestituris basium.* Investimentum Livius 4. *Legem promulgat, ne cui album in vestimentum addere petitionis liceret causa:* sic habent veteres libri. Dicemus ergo recte investituram: quo nomine proprie significari possessionem ait, ut in legibus Langobardorum sæpe. Sed abusive in hoc tractatu investituram accipit pro cessione feudi, quæ fiat a domino porrecta hasta aut vexillo, vel qua alia re coram paribus curiæ vel aliis testibus. Hoc minus est quam possessionem tradere: ideirco post investituram agitur ad tradendum, ut *inf.* 4. *tit.* 15. Porrigunt investiendo alii baculum, alii gladium, alii hastam, alii vexillum, alii annulum: quod donum investituræ dicitur in Constitutione Friderici de pace tenenda, alii aliter, et Accursius retulit *I. st. ill. de verbor. oblig. in princ.* Otho Frisingensis: *regna per gladium, provinciæ per vexillum tradi.* Guntherus. *Ergo ubi vexillo partem, quam dux mox, illis, hic autem gladio regnum suscepit ab ipso. Hunc etenim longo servatum tempore morem Curia nostra tenet.* Episcopatus imo et omnia feuda antiquo more Gallico per annulum et virgam quod dicebant, *Par rain, et par baston. Rain* pro ramulo, ut hodie Germani, *Reng.* Adjiciebant baculum; unde jactatur hoc vulgo e Gallorum moribus. *Le vassal se peut jouer de son fief jusque a mettre la main au baston.* Vasallus feudi sui liberam administrationem habet, modo si non se in alterius domini fidem clientelamque conferat, nimirum ab alio accepto scipione, quod aliis verbis, *Jusque a enbrassion de fief.* Hujus autem generis investituram intervenire etiam in proprietatis alienatione constat ex antiquo contractu emptionis et venditionis, in quo ita est. *Tu Pascalo fuste illum investito, Tu Segnuti fustem illam manu capito.* Minus autem est, ut dixi, investiture quam possessio. Dices, cur non traditio hastæ aut gladii aut scipionis pro possessionis traditione habetur, ut clavium, *l. Clavibus. D. de contr. empt. l. 2. Cod. de per. et com. rei vend. l. 1. C. de eo m. exp. her.* Dicam, traditis clavibus non videri traditam possessionem domus, nisi in re præsenti traditæ sint. Rei præsentia per se sola facit, ut tradita ejus possessio videatur: apprehenditur enim non manibus tantum aut pedibus, sed etiam oculis quasi longis manibus, *l. 1. § pen. l. Quod mea. §. Si venditorem. l. Quarundam. D. de acquir. poss. l. Pecuniam. D. de solut.* Investitura igitur etiam si fiat porrectis clavibus, pro traditione possessionis non habetur, nisi fiat in re præsenti: sed est tantummodo argumentum concessionis in feudum aut venditionis: investituram in feudo sequitur fidelitas, fidelitatem traditio. Dixi investituram fieri debere coram paribus: quod ita intelligendum est, si dominus alios vasallos habeat: alioquin extranei admittuntur, ut *supra* 1. *tit.* 28. et *infra* 4. *tit.* 35. et 69. et *hoc titulo*, §. *Si autem investitura*, et cur omnino pares adhibendi sint, si eorum suppetat copia, non exteri, hæc redditur ratio, ne quid ab exteris falsitatis excogitetur, qua suspicione carent pares, qui fidei vinculo arctiore tenentur obstricti: et hoc dicimus de nova investiture. In veteri quilibet admittitur, ut *inf.* 4. *tit.* 35. Item hoc dicimus de laicis. Clericis permittitur, ut adhibeant quoscunque, et *supra* 1. *tit.* 28. Fit ergo investitura sine scripto. Sed fieri etiam potest ex scripto per publicum instrumentum; quo casu quæritur an necessaria sit parium subscriptio sive confirmatio. Hoc loco exigit confirmationem parium; sed obstat *infra*, 4. *tit.* 35. qui et cum eo quod de clericis diximus pugnare videtur. Sed animadvertendum est, in eo titulo nihil certo definiri, varias tantum opiniones referri. Alii dicunt non valere investituram quæ iis non accersitis et adhibitis paribus curtis, licet dominus se eam fecisse confiteatur et probari possit publico instrumento; nihilque interesse dominus qui investituram fecit fuerit clericus an laicus. Alii valere arbitrantur, si modo dominus confiteatur se eam fecisse, etiam si fecerit eam sine paribus. Alii arbitrantur publicum instrumentum non sufficere, nisi fuerit a paribus confirmatum: quæ sententia tribuitur Gerardo et Oberto: et sane Obertus ita aperte definit hoc loco. Alii ut Mediolanenses, publicum instrumentum sufficere arbitrantur, quorum opinio verior videtur. Quin et domini confessionem sufficere puto. Et distinctionem inter clericum et laicum non recipio. Prima et tertia opinio subtili jure vera est: quod in *dict. tit.* 35. hæc verba significant, ad subtilitatem consuetudinis. Secunda et quarta voluntatem contrahentium spectat potius quam subtilitatem nimiam, quam judices admittunt raro, *l. Sicut. §. Si debitor. D. quib. mod. pig. sol.* Igitur domino possidente si qui investitum se de feudo dicit, adversus dominum experiatur, probare debet investituram per publicum instrumentum, vel per pares, vel certe his deficientibus aut jurantibus se rei gestæ non meminisse aut jurare nolentibus, per extraneos. Duo sufficiunt, ut *supra* 1. *tit.* 28 et *inf.* 4. *tit.* 69. Imo plures videntur exigendi, eadem ratione qua pares quantum potest adhiberi volumus, ne quid falsitatis incurrat, *l. ult. Cod. de fideic.* Sed Parium qualitas omnem falsi suspicionem tollit. At his deficientibus duobus etiam extraneis contenti sumus: quia scilicet personam et vicem parium repræsentant, et his substituti videntur. Vasallo autem non probante, dominus juret cum XII. se investituram

non fecisse, aut refert jusjurandum actoris, qui si forte relationem suscipere nolit, protinus dominus absolvitur, ut *supra* 1. *tit.* 1 § *Si autem controversia*. et tit. 28. § *Si quis se* et tit. alt. Dixi de domino possessore, nunc dicam de vasallo possessore. Vasallo possidente vel quasi possidente quid fiet? Possidetur res corporalis. Quasi possidetur res incorporalis, *l. Ait prætor*. §. *Item ei qui per consuetudinem. ff. ex quibus cau. maj.* veluti jus percipiendarum annonarum a cellaria domini, quod feudum dicitur de camera. Id enim videtur quasi possidere vasallus, si bis aut ter annonas sine controversia perceperit: Ex tribus aut quatuor acceptionibus formatur quasi possessio: qui locus est in hanc rem hoc titulo singularis, §. *Si vero e vasallus*. Lisus pro possessione est Vasallo possidente, vel quasi possidente, si dominus agat pignoratitia, probatio domino incumbit, ut diximus *dict.* §. *Si autem controversia*. Si agat rei vindicatione, et repellatur exceptione investituræ, et is simpliciter neget esse feudum, vel etiamsi jam amplius nolit præbere annonas, negans se eas ante præbuisse feudi nomine, at asserens rei suæ libertatem, hoc casu, quia negantis nulla est probatio (nemo enim ejus quod negat factum rationem aut potest aut debet aut solet reddere) necesse est reo defensionem dari, ut juret suum esse feudum, aut actori referat jusjurandum: quo non jurante, statim reus absolvitur. Et quæ diximus observari in probanda investitura, eadem observentur in probando pacto investituræ. Ut in venditione aut in investitura facta venditionis nomine, ita in feudi investitura quodcunque pactum est, id valet, puta ut sine juramento fidelitas præstetur, ut tit. seq vel ut filiæ succedant, ut *supra* 1. *tit.* 4. ut succedat frater fratri in feudo novo, ut *supra* 1. *tit.* 19. ut vasallus festis diebus officii causa uxorem domini sui in ædem sacram comitetur et ducat, ut §. *ult. hujus tituli*, ubi hanc pactionem condicionem vocat. Condicionem investitura admittit, ut *supra* 1. *tit.* 5. Id est, adjectionem, quæ suspendat actum, licet videatur actus esse solemnis. Admittit etiam conditionem, id est, pactionem quamlibet, modo non sit juri aut naturæ feudi contraria: et inde condicionale feudum dicitur quod sub pactione certa certove servitio constituitur. Qui autem pactionem allegat, sive sit dominus, sive vasallus, eam probare debet eo modo quo supra dictum est investituram esse probandam, quo deficiente, alteri defensio competit cum sacramentalibus xii. nisi malit jusjurandum referre. Recte interpres exponit hæc verba, *Omni facultate probandi domino adempta*, id est, domino in probatione deficiente. At præterea constat investituram non tantum de certo servitio, sed etiam de incerto pacisci licere puta, indistincte, ut pro feudo servitium præstetur, vel etiam id agi ne ullum servitium præstetur. Unum casum hic adnotare libet, quo etiamsi de certo servitio convenerit, vasallus eos liberatur, puta si domino feudum pignori obligaverit sub lege ἀντιχρήσεως, quod est ex decreto Innocentii III. c. 1 *de feudis*: qua ratione et amphyteuticum prædium eadem lege accipiet dominus si modo ejus temporis nullam pensionem ab emphyteuticario exigat, ne utrumque habeat canonem et fructus, vel illa servitium et fructus: alias enim ἀντίχρησις pontificia jure improbata est, quia usuræ proxima est: id enim agitur ut creditor fructus lucrifaciat, sorte manente integra: quod male Albertus Krantzius Chron. 8. cap. 35. appellat emptionem sub lege redimendi factam. Præcessit enim pecunia debita, cujus nomine res pignori obligatur ea lege ut creditor fructus non computet in sortem, utque non aliter eam rem debitori restituat quam omni pecunia soluta. Est igitur pignus, non venditio.

TIT. IV. *De investitura veteris vel novi beneficii.*

Investitura autem aut fit de veteri beneficio, aut de novo: quæ de veteri fit, etiam a minore potest fieri. Sive autem a minore, sive a majore fiat, non de omni possessione vasalli, sed de justa tantum facta intelligitur nisi, aliud nominatim dicatur. Novi vero investitura feudi non ab alio recte fit, nisi ab eo qui legitime suorum bonorum administrationem habet. Qui enim qualibet ratione aliquid de suis rebus impeditur alienare, is nec per feudum poterit investituram facere. Sed etiam res cujus alienatio prohibetur, nec per beneficium dari conceditur, nisi in casu: ut ecce, si quis ex agnatis tuis rem quæ a communi parente per successionem ad eum pervenerit, alienare voluerit, non permittitur ei etiam secundum antiquam consuetudinem alii eam vendere, nisi tibi vel alii proximiori pro æquali pretio accipere volenti: per feudum tamen cuilibet dare potest, nisi fiat in fraudem nostræ consuetudinis vel legis novæ bonæ memoriæ Lotharii Imperatoris: tunc enim rescissa investitura, reddito a te vel ab alio proximiori, videlicet secundum antiquam consuetudinem pretio, si quod dederit, is qui investituram accepit compellatur rem tibi restituere. Personam vero investituram accipientis non distinguimus: nam etiam servus investiri poterit, nisi ignorantia prætendatur. Sed utrum ipse an alius pro te investituram faciat vel suscipiat, nihil interesse putamus: potest enim hoc negotium, et per procuratorem ab utraque parte expediri. Feminam quoque etiam novi feudi investituram facere posse plerique consentiunt. Nulla autem investitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat, cum a fidelitate feudum dicatur, vel a fide, nisi eo pacto acqu situm sit ei feudum, ut sine juramento fidelitatis habeatur. Utrum autem præcedere debeat fidelitas investituram, an investitura fidelitatem, quæsitum scio: et sæpe responsum est investituram debere præcedere fidelitatem. Fidelitatem autem dicimus jusjurandum quod vasallus prestat domino.

Duplex est investitura, alia veteris, alia novi beneficii. Veteris est quæ fit a successore domini, vel successori vasalli, ut *infra* 4. *tit.* 35. mortuo scilicet domino vel vasallo. Novi, ea qua primum formam suam et originem feudum accipit. Hæc dat legem feudo, et contractus est. Illa quæ fit de veteri feudo, non est contractus, sed feudi tantum quædam veluti recognitio simplex, sive ἀνάληψις, quæ fit gratuita, Constitutionibus Neapolitanis, et nostris illata certa pecunia. Et peti solet ita ut quis intendat se de suo recto feudo investiri debere, ut *infra tit.* 20. et 4. *tit.* 46. et in fragmentis: *Cum, inquit, de veteri beneficio fit investitura, satis est si de recto beneficio fiat investitura*, id est, nulla solemnitas exigitur. Satis est rectum esse feudum, et jurari fidem. Rei nomen exprimi et adhiberi pares non est necesse, ut *infra*, 4. *tit.* 35. et fieri potest a minore xxv. annis, ut hoc loco Obertus ait. De hac dicere possis non esse beneficium, sed injuriam, si quis eam non impetraverit, ut *l.* 1. §. *Plane. D. de aqua quot. et æst.* Nova investitura fit solemniter per symbola, vel, ut Hulmodius loquitur, signa, et rei certæ nomine expresso, et adhibitis paribus, et ab eo qui rerum suarum administrationem habet: nam qui non potest alienare, nec feudi nomine investituram facere potest, excepta femina: est enim hæc investitura alienationis species. Placebat quibusdam veteris, sed non novi beneficii investituram a femina fieri posse. At diversa opinio obtinuit, ut *hoc tit.* §. *Feminam*. quæ mitior sententia dicitur in Fragmentis. Ratio dubitandi hæc erat, quia feminæ nihil alienare poterant sine tutoris auctoritate, *l.* 1. *Long. Qual. mul. lib. alie. per est.* Erant enim in perpetua tutela, sive, ut loquebantur, in mundiburnio, Longobardorum jure, quibus tutor est mundualdus, ut Germanis *Munder*, quæ eadem Galliæ etiam olim fuere vocabula, ut in Chronicis S. Dionysii, *Bail, garde, manburnie*, et Frossardo: *Et seront mis quatre manbours en Angleterre pour gouverner le Royaume*: Divario de Marchia, *Mambour et pere de nous*. Rectum autem feudum dicitur, non ut vulgo sentiunt, quod communem feudi rationem, sive naturam retinet, cum et id rectum dicatur, quod non est verum et proprium feudum, ut feudum de camera, *tit. præced.* §. *Si vero vasallus*, sed feudum rectum dicitur feudum vetus, cujus possessio justa est, et ideo qui investitur de suo recto feudo, ei possessio tantum justa confirmatur, ut ait hoc loco: nam si sit vitiosa possessio, certe non est rectum feudum, nec per eam investituram legitima fit. Additur hoc titulo. Quemadmodum is qui alienare non potest feudi investituram facere non potest, ita rem alienari prohibitam nec in feudum dari posse: quod non tantum de prohibitione legis accipitur, sed etiam de prohibitione testatoris argumento emphyteuseos, *l. ult. C. de reb. alie.* non al. Excipitur unus casus, quo agnatus prædia familiaria, sive alodia sint sive feuda, cætero alienare prohibetur, vel si alienaverit, ea ejusdem familiæ agnato proximiori jure προτιμήσεως, quæ Britannis inde dicitur *Premesse*, revocare et retrahere conceditur, quod jure civili olim obtinuit ante *l. Lutum, C. de con. empt.* sed reductum fuit in Oriente Constitutione Romani Lacapeni, in Occidente Constitutione Friderici. Eodem jure ante Fridericum Saxones utebantur; sic enim legitur in veteri Saxonum lege, cap. 62. *Liber homo, qui sub tutela nobilis cujuslibet erat, qui jam in exilium missus est, si hæreditatem suam necessitate coactus vendere voluerit, offerat eam primum proximo suo, si ille eam emere noluerit, offerat tutori suo vel ei qui tunc a Rege super ipsa re constitutus est si nec ille voluerit, vendat eam cuicumque voluerit.* Sunt autem agnatis ad revocandam venditionem constituta certa tempora, principalibus personis dierum xxx. procuratoribus eorum mensium iv. ex quo fuerint testato denunciati, ut ad emptionem accederent si vellent, Constitutione Romani. Moribus autem Galliæ, vel annus datur, vel lx. dies vel menses sex pro varietate regionum. Nimia licentia brevitate temporis constringitur. Idem vero jus προτιμήσεως habet dominus, sive prædium dederit in feudum, sive in emphyteusim. Si dederit in emphyteusim, intra duos menses, *l. ult. C. de ju. emphyt.* Si in feudum, intra annum, ut *infra*, *tit.* 9. Moribus Galliæ plurimum intra dies xl. et constituere debet statim atque intellexit venditionem, utrum malit uti jure προτιμήσεως, an exigere [illegible] uno enim electo, non potest variare, arg. *l.* 4. § *Et generaliter*, et *l. pen. D. de lege commiss.* Si in jure προτιμήσεως concurrat agnatus et dominus feudi vel emphyteuseos, vel census, agnatus præfertur, ut *infra*, *tit.* 9. §. *pen.* Ergo et cum agnato proximiori venditur, merito dicemus domino non competere jus προτιμήσεως. An et si ulteriori? non ausim affirmare, cum agnato proximiori, sive

agnato sive extero vendiderit, competere jus προτιμήσεως probet 4. *tit.* 14. et hoc titulo adsignificet bis positum verbum, proximiori: sed plerisque locis refragantur mores Galliæ, et in testamentis si testator voluerit fundum alienari extra familiam, fundo extero alienato, proximiori agnato fideicommissi petitio competit, *l.* 32. §. *ult. l. Peto.* §. *Fratre. D. de leg.* 2. fundo ulteriori agnato alienato, proximiori nulla fideicommissi petitio est, *l. Filiusfa.* §. *Cum pater. D. de leg.* 1. *l. Unum ex familia.* §. *Sed si fundum. D. de leg.* 2. *l. Pater filium. D. ad leg. Falcid.* Ergo non potest quis feudum genearchicum alii vendere quam agnato, si id agnatus eodem pretio habere velit: in feudum tamen dare cuilibet potest, ut *infra, tit.* 9. Et hoc est ex consuetudine Mediolanensi, qua feudum alienari potest totum sine domini consensu, sed extraneo dominus præfertur, agnatus utrique. In feudum tamen dari extraneo potest, neque tunc locus est juri προτιμήσεως, nisi hoc fiat in fraudem consuetudinis, ut si adsimuletur investitura feudi, pro investitura venditionis, quo casu jus προτιμήσεως locum habet. Ex Constitutione Lotharii vassallus feudum amittit, si id alienaverit sine consensu domini, et domino committitur, nec agnati præferuntur, ut hoc loco significare videtur dum ait, secundum antiquam consuetudinem. Nec ergo secundum Constitutionem Lotharii, et ita si in dominum vassallus deliquerit, agnati excluduntur, licet quidam contra sentiant, qui et contra sentirent, superiore casu, si in alium, posteri ejus excluduntur non omnes agnati, ut *infra*, 3. *tit.* 2. et *lib.* 4. *tit.* 18. et 42. Non prohibebat tamen ea Constitutio in feudum dari sine fraude, doloque malo, ut Constitutio Friderici declarat de feudis non alienandis, et 4. tit. 22. Adjicitur hoc titulo servum posse de feudo investiri, ut scilicet servo vendi potest. Sed acquirit feudum domino confestim, feudive actionem. Et per nuntium, gestorem, procuratorem dari eccuique investituram posse, ut *infra*, 4. *tit.* 70. 85. Vacante Imperio datur de feudis imperialibus per Palatinum Rheni ex bulla aurea. Sed excipiuntur feuda quæ dicuntur, *Vanlehen*, quod scilicet deferuntur per vexillum. Ergo et per procuratorem dari fidelitas potest, quæ statim subsequi solet tam veterem quam novam investituram. Nulla, inquit, investitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat. Nulla, id est, neque vetus, neque nova, ut infra 10. Datur plerumque fidelitas per ipsum vasallum. Gregorius. Tyrennis in Chronicis. *Factus est Boemundus homo Imperatoris fidelitatis manualiter exhibita, et corporaliter præstito juramento, qualem solent fideles dominis suis exhibere.* Et plerumque consuetudines regnorum exigunt, ut ipsemet vassallus veniat, domino postulante, et ut per alium non aliter juret, quam si et per alium dominus faciat investituram. Sed hoc jure secus est. Et potest jusjurandum dari per procuratorem, ut de jurejurando calumniæ proditum est, *l.* 2. *C. de jur. cal.* et est exemplum apud Livium XXXI. licet litis totius finiendæ causa ipsum litigatorem jurare melius sit, *l. pen. C. de reb. cred.* Solet et ad domum domini plerumque investitura peti, fidelitas offerri, nisi cum pactione aliud vel privilegio cautum est, ut Constitutione Friderici in Austria Cuspiniani duci Austriæ hoc datur, ne pro conducendis feudis requirere seu accedere debeat imperium extra metas Austriæ, et ut in terra Austriæ ei debeant sua feuda conferri per imperium et locari.

TIT. V. *De juramento fidelitatis et qualiter vasallus juret domino.*

Qualiter autem debeat jurare vasallus fidelitatem videamus. Jurare scilicet sic debet: Ego juro ad hæc sancta Dei Evangelia, quod amodo in antea ero fidelis ei, ut vasallus domino: nec id, quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit, pandam alii ad ejus detrimentum, me sciente. Si vero domesticus, id est, familiaris ejus sit, cui jurat: aut si ideo jurat fidelitatem non quod habeat feudum, sed quia de jurisdictione sit ejus, cui jurat: nominatim vitam, membrum, mentem, et ejus rectum honorem jurabit.

TIT. VI. *De forma fidelitatis.*

In Epistola Philiberti Episcopi, in Decretis vicesima secunda, q. 2. c. de forma. Qui domino suo fidelitatem jurat, ista sex in memoria semper habere debet, incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile. Incolume, ne sit in damno domino suo de corpore suo. Tutum, ne sit ei in damno de secreto suo, vel de munitionibus suis, per quas esse tutus potest. Honestum, ne sit ei in damnu de sua justitia, vel de aliis causis, quæ ad honestatem ejus pertinere videntur. Utile, ne sit ei in damno de suis possessionibus. Facile vel possibile, ne id bonum quod dominus suus facere leviter poterat, faciat ei difficile: neve id quod possibile ei erat, faciat impossibile. Ut fidelis hæc documenta caveat, justum est. Sed quia non sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est, restat, ut in sex prædictis, consilium et auxilium domino præstet, si beneficio vult dignus videri, et de fidelitate esse salvus, quam juravit. Dominus quoque in his omnibus vicem fideli suo reddere debet: quod si non fecerit, merito censebitur malefidus, sicut ille, qui in eorum prævaricatione vel faciendo vel consentiendo deprehensus fuerit, perfidus et perjurius.

TIT. VII. *De nova forma fidelitatis.*

Est et alia de novo super fidelitatis juramento inventa forma, et utentium approbata consuetudine, quæ hodie fere in omni curia videtur obtinere. Hæc scilicet, Ego Titius juro super hæc sancta Dei Evangelia, quod ab hac hora in antea, usque ad ultimum diem vitæ meæ, ero fidelis tibi Cajo domino meo contra omnem hominem, excepto Imperatore vel Rege. Quod verbum si recte intelligatur, nulla quidem indiget adjectione, sed integram et perfectam in se continet fidelitatem, sed propter simplices et nominis significationis ignaros, ad illius verbi interpretationem hoc adjici solet, id est, Ego juro, quod nunquam scienter ero in consilio, vel auxilio, vel in facto, quod tu amittas vitam vel membrum aliquod, vel quod tu recipias in persona aliquam læsionem, vel injuriam, vel contumeliam: vel quod tu amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel in antea habebis. Et si scivero vel audivero de aliquo, qui velit aliquod istorum contra te facere, pro posse meo, ut non fiat, impedimentum præstabo: et si impedimentum præstare nequivero, quam cito potero, tibi nunciabo, et contra eum prout potero, auxilium meum tibi præstabo. Et si contigerit te rem aliquam, quam habes vel habebis, injuste, vel fortuito casu amittere, eam recuperare juvabo, et recuperatam omni tempore retinere. Et si scivero, velle te juste aliquem offendere, et inde generaliter vel specialiter fuero requisitus, meum tibi, sicut potero præstabo auxilium: et si aliquid mihi de secreto manifestaverit, illud sine tua licentia nemini pandam, vel per quod pandatur faciam: et si consilium a me super aliquo facto postulaveris, illud tibi dabo consilium, quod mihi videbitur magis expedire tibi: et nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter, quod pertineat ad tuam, vel tuorum injuriam, vel contumeliam.

Investiturâ vero facta, et fidelitate subsecuta, omni modo cogatur dominus investitum in vacuam possessionem mittere, quod si differat, omnem utilitatem ei præstabit.

Hoc loco proponitur jurisjurandi fidelitatis formula, quo vassallus domino fidem suam obligat, et fidei sive commissa non proditurum se promittit, et si sit domesticus, vel si dominationi feudi juncta sit jurisdictio, etiam sibi curæ fore vitam, corpus, mentem, honorem domini sui promittit, *tit.* 6. et 7. et *Const. Neapolit.* 3. *tit.* 15. et 18. et in formula a Raderico proposita 3. c. 19. et hoc postremum jurat vassallus non ratione feudi quod habet, sed ratione jurisdictionis, quam dominus habet, vel ratione familiaritatis, et οἱ [illegible], ut si feudum in curte habeat: quæ ratio etiam alia in re religionem officii majorem a beneficiario exigit, puta ne quid sine consensu domini ex feudo abalienet, ut *sup.* 1. *tit.* 2. §. *Item si quis feudum* et hic proculdubio est sensus hujus tituli, quem ex tam effusa interpretum turba, quæ temere ruit in hos libros, assecutus est nemo. Id vero quod diximus de tuenda vita et honore domini, et si quid aliud specialiter jurejurando exprimi solet, potest videri fidei promissione generali contineri satis, ut h. tit. Carolus certe Magnus breviori formula contentus fuit, *Promitto me domino meo Carolo, et filiis ejus, fidelem futurum sine fraude doloque malo*, *leg. Francor.* 4. *tit.* 46. Sed plerique fidem sibi promitti satis non habent, nisi et fidei partes minutaque specialiter enumerentur, vel eo maxime si quid contra ea fecerint, ut non possint negare se commisisse in jusjurandum, et feudum amisisse, ut *sup.* 1. *tit.* 20. Præterea separandus hac in re solita est vassallus homologus ab eo, qui non est homologus; nam in jurejurando homologi nullus excipitur, in jurejurando non homologi excipitur Imperator, vel Rex, vel antiquior dominus, ut *inf.* 4. *tit.* 31. Duorum quis potest esse vassallus, non homologus, vel uni homologus, alteri non homologus. Duorum

tamen esse vasallus homologus nemo potest, ut libro quarto demonstrabitur: qua de qualitate vasalli ingens sæpe concertatio est, ut fuit tempore Caroli VII. Francorum Regis inter Cancellarium Regis, et Cancellarium Petri Ducis Britanniæ, et Comitis Montisfortia, ille ducem Britanniæ Regis homologum esse ajebat, hic negabat. Rex post multas controversias Petrum in fidem et hominium recepit, more majorum suorum, nullo alio adjecto, et mox eidem Petrus ratione Comitatus Montisfortia fidem dedit quasi homologus, quam non dederat palam ratione Ducatus. Sunt et vasalli quidam, qui plus quam fidem debere videntur, alii præcipue debent domino conciliare pacem, alii se pro domino obsides dare, alii certum servitium: quæ jurejurando vel pactione investituræ nominatim exprimi necesse est: alioquin non debentur: inde veteribus Gallis hæc hominum genera, *Homme de fiefs*, *Homme de paix*, *Homme de pleuve*, *Homme de service*. Quædam alia sunt, quæ etsi non exprimantur, debentur tamen, ut ipso jure moribus nostris et Constitutionibus Neapolitanis a νάκκαρής mortuo vasallo, quæ redemptio dicitur et restauratio feudi, venditio feudo ἐνδέκατον; quæ laudationes vocantur, nisi dominus malit uti jure προτιμήσεως. Debentur et quibusdam locis domino collationes vel munera quædam certis ex causis, puta nuptialium herilis filiæ elocandæ causa, et λύτρον ob redemptionem domini ab hostibus capti, et equestris sportula sumpta a domino, vel filio ejus majore natu equestri dignitate, qui summus est militiæ gradus: nam veteribus Gallis tres fuere militum ordines, *Chevaliers*, *Bannerets*, *Bachelers*, quos possis dicere Equites, Meliorequites, et Vasellos, sive vasallos, nisi malis a Buccellariis deducere. Posterior enim ætas Buccellarios dixit milites corporis custodes, sive protectores, qui patronis suis adsistunt semper, *l. ult. C. ad leg. Jul. de vi pub.* Renatus apud Gregorium Turonensem: *Our la buccellarius* Κτλ. Interpretes βασιλικῶν βουκελλάριοι ὁ παραμένων στρατιώτης, et in veteribus Glossis, *Adsecla*, *buccellarius*. Et legem Gotthorum sive Wisigotthorum 5. *tit.* III. *Si in patrocinio constitutus sub patrono aliquid acquisierit, medietas in patroni vel filiorum ipsius potestate consistat, aliam medietatem buccellarius qui acquisivit obtineat. Quod si buccellarius filiam tantummodo reliquerit, ipsam in potestate patroni manere jubemus.* In Const. Neap. 3. tit. 21. Fridericus II. adjicit aliam causam exigendæ a vasallo contributionis, Si frater domini in equestrem ordinem promoveatur, et Guilielmus Rex tit. 20. Si soror domini nubat, Si possessionem aliquam dominus emat, Si transeat Princeps comitatus vel exercitus in expeditionem, Si dominus sit Episcopus pro ejus consecratione, vel si in conventum Episcoporum solemnem a Pontifice maximo evocetur. Sed in Neustria tres tantum quas initio dixi causæ receptæ sunt, et dicuntur, *Les trois chevels aydes*. Borboni addunt quartam, si dominus Hierosolymam invisere velit, et vocant *Questes*, ut Neapolitanæ Collectas. Debebant olim etiam servi dominis suis munera quædam ipso jure, et clientes patronis eadem illa quæ diximus plerisque locis vasallos debere dominis. Halicarnassæus 2. τούς δὲ πελάτας ἔδει τοῖς ἑαυτῶν προστάταις θυγατέρας τε συνεκδίδοσθαι γαμουμένας καὶ λύτρα καταβάλλειν πολεμίοις εἴτις αὐτῶν ἢ παίδων αἰχμάλωτος γένοιτο. Debebant et patronis liberti. Sed hi non sine jurejurando vel stipulatione, ut cum juraverant vel promiserant post manumissionem se natalitium patrono daturos liberisve patroni aut nuptialitium, *l. 7. § Jurare. D. de op. lib. l. ult. D. de lib. cau.* In fine tituli 6. adnotatur, quam accipit dominus a vasallo jurato fidem, eandem vicissim eum tametsi injuratum debere vasallo præstare: et hoc est quod dicitur inter dominum et vasallum fidem esse reciprocam. Et 4. tit. 68. dominum esse vasallo conjugem quasi communi fidei vinculo conjunctam eodem sensu quo D. Paulus σύζυγον dixit non uxorem, sed familiarem, consortem, collegam. Et quibus ex causis vasallus feudum amittit, eisdem etiam fere dominum proprietatem sive dominationem feudi amittere, eamque vasallo accedere: ut *inf. 4. tit.* 24. et 56. mores nostri proprietatem amissam superiori domino addicunt, veluti Imperatori aut Regi, et Constitutiones Neapolitanæ 3. tit. 19. Et sive dominus sit qui vasallo sive vasallus qui domino jusjurandum deferat, non jurat de calumnia, ut *inf. 4. tit.* 36. Idem puto esse statuendum de accusatione, ut quemadmodum vasallus dominum accusare vel contra eum testimonium dicere impune non potest, ita nec possit dominus in vasallum; nisi de feodo sit quæstio: quod jus fuit etiam olim inter patronum et clientem. Halicarn. 2. κοινῇ δ' ἀμφοτέροις οὔτε ὅσιον οὔτε θέμις ἦν κατηγορεῖν ἀλλήλων ἐπὶ δίκαις ἢ καταμαρτυρεῖν· εἰ δέ τις ἐξελεγχθείη τούτων τι διαπραττόμενος, ἔνοχος ἦν τῷ νόμῳ τῆς προδοσίας. Conveniunt in plerisque vasalli et clientes: quinimo clientum commune nomen est. Sed et distant in multis. Interpres ad tit. 6. jusjurandum quoddam fidelitatis allegat, quod dederit Otho Joanni, quod sumsit ex c. *Tibi domino* 63. *dist.* Is est Otho I. qui non fidelitatem Joanni juravit, cum juraret potius ea ætate Pontifex Imperatori (erat enim creandi Pontificis potestas penes Imperatorem) sed cum a Berengario, qui se in Italia pro Imperatore gerebat, opprimeretur Joannes, ei tantum Otho suam operam pollicetur, quasi dominus, non quasi vasallus. In melioribus libris non sunt formulæ fidelitatis quæ ponuntur *tit.* 6 et 7. et sane libro Oberti, nescio a quibus, temere insertas credo: qui cum titulo quinto satis formulam fidelitatis exposuisset, congruenti ordine mox subjecit, *Investitura vero facta et fidelitate subsequente etc.* ut investituram fidelitatem ita fidelitatem traditionem sequi: alioquin damnari dominum in id quod interest, atque etiam præcise cogi tradere, quod exposui *sup. tit.* 4. *§. Si vero Archiepiscopus*: unde intelligitur investituram non transferre possessionem; sceptrum, anulum, vexillum, claves non transferre possessionem, nisi tradantur in re præsenti. Illud omissum illi parti jurisjurandi, *Et si sciero etc.* tit. 7. similiter proponi apud Nicetam in Alexio Comneno his verbis, καὶ εἴτι δὲ εἰδῶ ἢ νοήσω ἢ ἀκοῇ παραλήψομαι εἰς ἀτιμίαν ὑμῶν καὶ λύμην τοῦ ὑμετέρου φερόμενον σώματος καὶ ὑμῖν τὴν περὶ τούτου δ' δοὺς ἐπιλήμην εἴδησιν, καὶ αὐτὸς δὲ, ὡς ἐξόν μοι, τοῦτο κωλύσω.

TIT. VIII. *De investitura de re aliena facta.*

Cum de re aliena vel alii obligata, investitura fiat: illud distinguitur utrum scienti, an ignoranti facta sit. Qui enim alienæ rei sciens investituram accepit: nisi pacto speciali sibi prospexerit, de evictione agere non poterit: ignorans vero recte aget ut aliud ejusdem bonitatis, seu quantitatis ei præstetur. Sed in eo nulla est differentia, qui investituram fecit, utrum sciverit vel ignoraverit.

Si quis investitus fuerit de re aliena aut alii pignorata, non is qui investituram fecit, sed is qui accepit, distinguimus utrum sciverit rem esse alienam, an ignoraverit. Scienti de evictione actionem non damus sine pacto speciali. Nescienti damus, ut *inf. 4. tit.* 55. Sed quam actionem? præscriptis verbis. Investituræ enim contractui nulla lex proprium nomen dedit, et ex investituræ causa competit etiam condictio ob rem dati, ut sup. 1. tit. 20. quæ solet cum actione præscriptis verbis concurrere: et hoc ita procedit, si pendente lite ante condemnationem vasallus auctorem laudaverit, id est, si domino denunciaverit ut lite subsisteret. Illaudatus dominus non tenetur de evictione, exemplo venditionis, ut *inf. 4. tit.* 1. Est ex investitura actio de evictione, est ex venditione, permutatione, in solutum datione, adjudicatione, ex articulo, Do ut facias: et ex dote, *l. 1. Cod. de ju. dot. l. 53. D. eod.* non ex litis æstimatione, *l. 53. §. pen. de rei vind.* Est et ex donatione si ἐπ' ἀντιδώρῳ quis donaverit, *l. 2. Lang. de ev. et.* quia videtur intercessisse genus permutationis, *l. Sed et si lege. §. Consuluit: D. de petit. hæred.* et ejus legis Langobardorum meminit Accursius in *l. 1. D. si quis a par. man. fuer.* ubi corrupte legitur Machilda pro Lanmachilda.

TIT. IX. *De jure quod in feudo vasallus habet.*

Rei autem per beneficium recte investitæ vasallus hanc habet potestatem, ut tanquam dominus possit a quolibet possidente sibi quasi vindicare: et si ab alio ejus rei nomine conveniatur, defensionem opponere: nam et servitutem eidem rei debitam petere potest, et retinere. Quid ergo si pretio, vel dolo, aut incuria servitutem rei beneficiariæ imponi patiatur, et ad dominum ex qualibet causa postea beneficium revertatur, an ex eo præjudicium domino generetur, quæsitum fuit: et responsum est ut vasallo quidem donec feudum tenet, possit obesse: domino autem etsi per longa tempora perseveraverit servitus, minime noceat.

E contrario autem si quid feudo a vasallo additum sit, si quidem tale sit quod adjectum est, quod per se subsistere possit, id est, ut per se censeatur, ut prædium id non accrescit feudo. Si vero per se non possit subsistere, ut servitus, plerisque placet feudo accedere, et sicut partem feudi disponendam esse: meliorem namque conditionem feudi facere potest, deteriorem vero sine domini voluntate, vel eorum agnatorum ad quos per successionem pertinet, facere non potest.

Quamvis enim per beneficium ad eum pertineat, tamen proprietas ad alium spectat, et ideo quartæ sive tertiæ ratione quæ a Langobardis seu a Romanis viris uxoribus fieri solet, post mortem viri ad mulierem nihil pertinet: nam nec pignus quod consultum dicitur, fieri potest ex feudo.

Est autem optima consuetudine interdicta feudi alienatio, super qua multæ et diversæ sententiæ dabantur in singulis civitatibus seu curiis, donec Imperator divæ memoriæ Lotharius tertius promulgavit super hoc novam constitutionem, quæ posita est in tit. de beneficiis. Necessitate namque suadente poterat olim vasallus domino inscio vel invito feudi partem vendere retenta videlicet alia parte. Si vero vel totum vel partem volebat per feudum aliquem

investire, hoc licebat ei sine fraude facere. Si autem dissentiente domino vendebat, sive per feudum investiebat (quod et ipsum syncere hodie, et sine fraude licet ei facere) si tamen sine hærede masculo descendente decedebat, vel feudum in manu domini refutabat, aut alia ratione intercedente sotto culpa amittebat, tunc omnis feudi alienatio ad irritum revocabatur, eo excepto, quod ille qui secundo loco beneficium acceperat, non amittebat si priori domino servire, et ab eo feudum recognoscere volebat. Donare autem aut judicare pro anima, vel in dotem pro filia dare nullius curiæ poterat consuetudine, licet posset locare, nisi locatio esset fraudulenta alienatio, sicut est per libellum, ut dicunt, venditio. Quis enim dubitat quod libellario nomine sub vilissima duorum denariorum pensione perpetuo concedatur utendum alienatum in fraudem esse? Porro sive de bona consuetudine, sive de prava quæramus, concessa erat domino pro æquali pretio redemptio, nisi hoc jus amiserit dominus per refutationem, vel annali silentio, ex quo sciverit computando. Præscriptione autem triginta annorum submovebatur tam sciens quam ignorans; in prohibendo autem vel redimendo potior erat proximi agnati quam domini conditio, si tamen feudum erat paternum. De illa vero feudi alienatione quæ a domino fit, si dubitetur, lex Imperatoris Conradi consulatur, quæ posita est in jam dicto titulo de beneficiis.

Ait, *Rei autem per beneficium rectæ investitæ*: et ita inf. 4. tit. 40. Rei pro beneficio investitæ. Docet vasalium prædii in feudum dati utilem habere vindicationem, et si possideat exceptionem tanquam rei quæ in bonis suis sit, ut inf. 4. tit. 52. et non tantum prædii, sed etiam servitutis. Plus igitur habet quam fructuarius: nam fructuarius neque fundi neque servitutis vindicationem habet, *l.* 1. *D. si ususfr. pet.* l. 1. §. *ult. D. de no. op. nunc.* Idem quod superficiarius, emphyteuticarius, creditor hypothecarius: hi enim omnes fundi et servitutis fundo debitæ vindicationem habent: nec tamen ideo omnes dominos dixeris recte: certe non creditorem: ergo nec ceteros. Sed an possunt servitutem imponere? Superficiarium constat posse. Ergo et emphyteuticarium et creditorem et feudatarium. Sed finietur commisso feudo arg. *l. Lex vectigali. l. Grege.* §. 1. *D. de pig.* nec domino libertatem adserenti nihil obstabit præscriptio temporis: nec factum vasalli domino nocest. Et notandum quod ait hoc loco, *Ex qualibet causa*; ergo etsi refutatione vel donatione vasalli ad dominum redierit, perimetur servitus: idem dicendum putem, si quem feudali fundo censum vasallus imposuerit, quod mores Galliæ permittunt, et modo dominus censuarium non investierit, et ἀποδεικτικῶς eo nomine nolle receperit: quia deteriorem feudi conditionem vasallus sine domini voluntate facere non potuit: et in hac ipsa specie quam proposuit Papo, Senatus Consultorum XIII. imperite videtur fecisse dominus qui censuarium quod pro censu pretium vasallo dederat obtulit: potuit enim feudum ad se reversum optimo jure retinere aut vindicare quasi censu perempto: meliorem quidem facere feudi conditionem vasallus potest, ut feudo feudali servitutem acquirere. Deteriorem facere non potest, vel hac ratione, ut docet in §. *Quamvis*, quia proprietas ad eum non pertinet: nec enim nudum domini nomen retinet is qui feudum concedit, sed etiam dominium, id est proprietatem. Est igitur dominus cum re, non sine re: non potest autem invito domino domini causa deterior fieri. Quamobrem ex feudo quod maritus habuit, post mortem mariti non potest mulier ὑπόβολον retinere, quoniam ex bonis tantum mariti propriis relinquitur. Id voco ὑπόβολον, quod instar aut vicem habet donationis propter nuptias, quodque morte mariti soluto matrimonio ex bonis ejus uxor lucratur. Dotalitium dicitur *c. pleramque. de don. inter vir. et uxor. c. si quitem.* 35. *q.* 2. et a Roberto in Chronicis. *Vuilielmus*, inquit, *Rex Siciliæ fecit chartam, Joannæ Reginæ de dotalitio suo.* In Constitutionibus Neapolitanis etiam dotarium. A Langobardis, *Morgangheba.* Est autem Langobardorum jure quarta pars bonorum mariti, *l.* 1. *Lang. de his quæ a viro in mul. don.* Romanorum autem moribus hoc loco significatur fuisse tertia: et sane fuit tertia, non quidem bonorum, sed dotis, ut Harmenopulus observari refert 4. Epist. Ex Constitutionibus Neapolitanis est tertia bonorum mariti, *lib.* 3. *tit.* 13. 15. 16. et ex consuetudine Normanniæ: sed eo jure sumitur etiam ex feudis, quoniam Gallico more feuda jure patrimonii censentur: proinde alienari etiam et pignorari possunt. Gothorum jure est decima bonorum mariti. Sed servare debent eam partem mulieres liberis ex eo matrimonio susceptis, ergo alienare eam non possunt: et ita ex Justiniani *Nov.* 98. donationis propter nuptias casus qui morte mariti obvenit mulieri non extantibus liberis, pleno jure ad mulierem pertinet, extantibus servari debet, sive iterum nubat, sive non, deducta tamen parte virili, si iterum non nubat, cujus proprietatem liberis servare non cogitur, *Nov.* 127. quod omnino Carolus Rex Siciliæ in tertia mulieri debita hypoboli nomine censuit observari. Verba ejus hæc sunt: *Mulier lucretur dotarii proprietatem, si non habeat filium ex illo marito: alias habeat solummodo usumfructum: et si non nupserit alterius, e……tur cum filiis ejusdem matrimonii in lucro proprietatis liberis in virilem portionem: alioquin si nubat, habeat solummodo usumfructum.* Sciendum autem est non deberi ὑπόβολον uxori, nisi in cubiculum mariti venerit: et hoc est quod dicitur, *Au coucher gagne la femme son douaire.* Virgini ut Harmenopulus docet, non datur ὑπόβολον quod erat tertia pars dotis, sed θεώρετρον, quod erat duodecima: idem dixere ἀνακαλυπτήριον et inde ille Antipatri jocus, qui cum deformem duxisset uxorem, rogareturque quando daturus esset ἀνακαλυπτήρια, quin potius, inquit, quæritis quando ἐγκαλυπτήρια. Sed plerisque locis etiam uxori virgini debetur ὑπόβολον. Et aliis locis ipso jure, aliis non nisi ex conventione, ut donatio propter nuptias non nisi ex conventione.

Sequitur, *Nam nec pignus, quod consultam dicitur, fieri potest ex feudo.* Non ergo omnis pignoratio prohibetur, sed ea tantum quæ consultum dicitur, cum distractio pignoris creditori permittitur, ut diximus sup. 1. tit. 2. In quibusdam libris scriptum legi detracta voce pignus. Nam nec quod consultum dicitur, etc. Unde tentabam, id videri Consultum esse quod præter ὑπόβολον mulieri conceditur in mariti bonis, de quo in *l. ult. Lang. de his quæ a viro in mul. dan.* In summa rurali dicitur, *Droict de vefue: Droict de viduité.* Est autem ususfructus certæ partis bonorum. Videtur enim sic argumentari. Si ususfructus mulieri constitui non potest in feudo, quod tamen erat magis probabile, non poterit etiam constitui proprietas, id est quarta: hæc enim portio Langobardorum legibus ad mulierem proprietatis jure pertinebat. Sequitur. *Est autem optima consuetudine interdicta feudi alienatio.* Dum ait, *Optima*, tacite arguit iniquitatis consuetudinem Mediolanensem, ut sup. 1. tit. 8. quam pravam paulo post vocat. Olim recta consuetudine potuit feudi tantum partem dimidiam per libellum alienare, aut pignori obligare sine consensu domini, excepto casu posito inf. 4. tit. 73. eodem feudi jure alium investire etiam in solidum potuit. Sed mortuo venditore aut investitore sine legitimis heredibus, vel refutante feudum, vel qua alia ratione feudo domino aperto, feudum ab emptore vel a secundo feudatario dominus revocabat: non tamen omnino a secundo feudatario, qui domino non recusaret fidem et hominium exhibere. Erat et domino jus προτιμήσεως intra annum scienti nec renuncianti, intra XXX. annos ignoranti, cum scilicet venierat feudum sine ejus voluntate, non cum alii rursus datum esset in feudum: quæ omnia exposuimus *sup.* 4. et *lib.* 1. *tit.* 2. Donare autem, vel in dotem dare pro filia, vel etiam pro anima sua Ecclesiæ feudum concedere, quod et constitutione Friderici expressum est, nulla consuetudine permittebatur. Locare permittebatur, ut in feudum dare citra fraudem, hodieque permittitur. *Quæ posita est in titulo de beneficiis.* Sane in manuscriptis Langobardorum legibus eam Lotharii Constitutionem vidi positam post legem Conradi sub. tit. De beneficiis, quæ vulgo quasi reticula libri extremam partem occupat. Sub *vel summa.* Ut 4. *tit.* 73. Secus si serio dederit per libellum partem dimidiam feudi. *De alia re.* De hac re diximus sup. 1. tit. 22. et dicemus 4. *tit. de lege Conradi.*

TIT. X. *De nominibus vasallorum.*

Qui a Principe de Ducatu aliquo investitus est, Dux solito more vocatur. Qui vero de Marchia, Marchio dicitur. Dicitur autem Marchio, quia tenet quod est juxta mare, quia plerumque Marchia juxta mare sit posita. Qui vero de aliquo Comitatu investitus est, Comes appellatur. Qui vero a Principe vel ab aliqua potestate de plebe aliqua vel plebis parte per feudum est investitus, is Capitaneus appellatur, qui proprie valvasor major olim appellabatur. Qui vero a Capitaneis antiquitus beneficium tenent, valvasores sunt. Qui autem a valvasoribus feudum, quod a Capitaneis tenent, similiter acceperint, Valvasini, id est minores valvasores appellantur, qui antiquo quidem usu consuetudinem feudi nullam habebant. Valvasore enim sine filio mortuo, feudum quod valvasori minori dederat, ad Capitaneum revertebatur. Sed hodie eodem jure utuntur in curia Mediolanensi, quo et valvasores. Ceteri vero qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licet noviter a Capitaneis seu valvasoribus acquisierint, plebeii nihilominus sunt. Nam et illi qui soldatam habuerunt vel acceperunt vel habent, per eam nullum [1] pedagium, sed nec feudi usum acquirunt. Soldata autem est præstatio quædam annua

(1) *yp.* paragium.

gratuita, quæ a neutra parte transit in hæredem. Morte enim dantis vel accipientis interveniente finitur. Soldata vero dicitur, quia plerumque in solidorum donatione consistit, quandoque autem in vino et annona consistit.

Vassallorum alii sunt Capitanei, alii valvasores, alii valvasini, alii plebeii. Capitaneorum nomen aut generaliter accipitur aut specialiter. Generaliter complectitur Duces, Comites, Marchiones, qui Regis Capitanei sunt, ut sup. 1. tit. 1. Specialiter, eos qui neque sunt Duces, neque Comites, neque Marchiones, sed plebi aut parti plebis gubernandæ a Principe vel Rep. vel Comite, aut Duce præpositi sunt, qui proprie majores valvasores dicuntur: et ita Platina in Clemente v. et Martino iv. Capitaneos præfectos urbium vocari ait: quo sensu Capitanei a Comitibus et Ducibus separantur sup. 1. tit. 10. 12 17. et Constitutione Friderici *de pace tenen. et* 4. *tit.* 89. Sed improprie tamen Capitaneorum nomen sibi vindicant. Proprie valvasores majores sive Regis valvasores dicuntur. Et qui ab his feuda accipiunt, minores valvasores aut simpliciter valvasores. Et rursus qui a minoribus valvasini, aut minimi, aut etiam minores valvasores, ut *sup.* 1. *tit* 1. *in prin.* et §. *Notandum* et *tit.* 12. Et valvasini quidem jus olim feudi proprium et perpetuum non habebant: nam mors valvasoris a quo feodum acceperant, si quidem decessisset sine legitimis hæredibus, feudum majori Valvasori, sive Capitaneo aperiebat, a quo id valvasor acceperat. Et poterat valvasinis auferri quandocunque domini majoris vel dantis arbitrio, ut *sup.* 1. *tit.* 3. et *inf* 4. *tit. de lege Conradi*, §. *Similiter*. Hodie, ut ait hoc loco, idem Mediolani jus est valvasinis, quod valvasoribus. Sunt alii quidam vasalli, qui noviter feodum acceperunt a Capitaneis, id est, majoribus valvasoribus vel a minoribus, ii novi homines non dicuntur valvasini, quia plebeiis non militibus adnumerantur, et illæ appellationes militum appellationes et ordines sunt. Non sunt autem justi milites sive nobiles, nisi qui a Principe, vel Duce, vel Comite, vel Marchione de feudo investiti sunt, vel qui a majore, aut minore valvasore de feudo investiti sunt, si modo ii longam annorum seriem numerare possint, qua feudum onusque militiæ ei adnexum in familia sua resederit, quæ est certissima nobilium definitio. Et ita vero hic locus indicat hodie quosdam vasallos esse plebejos, ut et dominos, *inf. de lege Conradi libro* 4. §. *Ex eadem*. Et hic etiam vasallis similes sunt soldurii: nam plebeiis adnumerantur, et stipendii ratione nullum paradogium habent: sic legunt veteres interpretes Baldus et Alvarotus et paradogium nobilitatem interpretantur. Vulgo pessime, pedagium. Scio esse legendum, paragium: et hunc esse sensum: Vasalli qui plebeiis adnumerantur, nullum habent paragium, id est, non censentur esse pares curtis domini. Parium dignitatem soli nobiles habent. Omne igitur feodum non nobilitat possessorem, et ita hodie quibus locis res ita geritur inter fratres, ut feudum frater major natu præcipue obtineat, et ceteris aspergat tertiam partem, ceteri non minus partes suas nobiliter tenent, quam frater major natu, nec minus dicuntur esse pares in feudo, et a majore quidem fratre dicuntur feudum tenere jure paragii, quo sensu etiam paragium dicitur Constit. Neapolitanarum 3. tit. 26. sed ejus conditio talis est, ut pro eo nullam fidelitatem frater fratri jurare aut repromittere debeat: et hac forsitan ratione Carolus ille Rex Navarræ, qui tot clades intulit regno Franciæ, a Joanne Rege extorsit, ut certas possessiones, quas ab eo tenebat in Neustria hominii et fidei nexo, deinceps teneret, ut est scriptum in Gallicis Chronicis, *En parcye*, hodie dicimus, *En parage*. Cetera quæ ad hunc titulum pertinent exposuimus lib. 4. variis locis.

TIT. XI. *De gradibus succedendi in feudo.*

Per successionem quoque sicut per investituram beneficium ad nos pertinet. Mortuo enim eo, qui beneficium tenebat, prima causa liberorum est: filiis enim existentibus masculis vel ex filio nepotibus, vel deinceps per masculinum sexum descendentibus, ceteri removentur agnati. Ad filias vero seu neptes vel pronepteș, vel ex filia nepotes, seu pronepotes successio feudi non pertinet. Proles enim feminini sexus, vel ex femineo sexu descendens, ab hujusmodi successionem aspirare non potest: nisi ejus conditionis sit feudum, vel eo pacto acquisitum illis vero deficientibus, vocantur primo fratres cum fratrum præmortuorum filiis, deinde agnati ulteriores. Quod ita intelligendum est, si feudum sit paternum, hoc est, si fuit illius parentis, qui ejus fuit agnationis communis. Si enim Titii avus de novo beneficio fuerit investitus, Titio sine legitimo hærede masculo defuncto, ejus feudi successio non pertinet ad ejusdem Titii patruum magnum, nec ad prolem ex eo descendentem, imo revertitur ad dominum. Ad cognatos autem beneficium non pertinet, neque beneficii successio. Si vero dominus vel alius beneficium defuncti novum esse dicat, agnatus autem illius proximus paternum esse contendat: tunc onus probationis incumbit illi qui novum dicit. Sed scio aliter pronunciatum esse. Bonus tamen judex causa cognita diligenter intuebitur cujus potius jurejurando dirimenda sit hæc quæstio; utroque scilicet in probatione deficiente.

Cum proposuerit tit. 2 feudum aut investitura, aut successione acquiri, et dixerit jam de investitura satis, modo incipit tractare de successione. Et in successione feudi ait primam causam esse liberorum virilis sexus, per virilem sexum descendentium. Ait primam causam esse liberorum ex §. *Sui autem. Inst. de hær. qua. et diff.* liberos feminini sexus, aut per femininum sexum descendentes, in feudum non succedere, exceptis duobus casibus jam sæpe vexatis superiore libro. Post liberos vocari statim consanguineos fratres et fratrum præmortuorum filios, si feudum fuerit paternum, non novum: quod etiam est jam sæpissime vexatum. Post consanguineos admitti agnatos: cognatos non admitti. Quod ait fratres et fratrum præmortuorum filios simul admitti, consentit cum Nov. Justiniani, dissentit a jure antiquo, l. 3 *C. de leg. hær. l.* 2. § *Hæc hæreditas. D. de suis et leg. hæred.* Sed tamen hoc in transverso limite solis fratrum filii Justinianus dedit, ut in successione repræsentarent patres suos, atque ita patruo succederent in stirpes una cum patruis. Si nulli sint patrui, in capita succedent, ut Harmenopulo et Azoni videtur, recte: nam Novella stirpes tantum spectari vult concurrentibus fratribus defuncti. Novæ autem Constitutiones stricte accipiendæ sunt: ac similiter licet ex ea Nov. frater utroque parente conjunctus, et filius ejus præferatur fratri uno tantum parente conjuncto filiove ejus, non tamen dicemus in successione filiorum fratris vel sororis patruum, vel avunculum patri matrive ex utroque parente conjunctum præferri patruo vel avunculo patri matrive ex uno tantum parente conjuncto, ut Bartolus sensit recte in *l. Post consanguineos* § *Legitima. D. de suis et leg. hæc.* Quam enim adhibuit Justinianus distinctionem inter fratres et fratrum filios, eandem non adhibuit inter patruos et avunculos. Igitur omissum a Justiniano pro omisso habebimus, et sequemur jus vetus. Quod vero diximus, si soli sint fratrum filii, succedere eos in capita, in legibus Gotthorum est evidenter expressum his verbis *lib.* 4. *tit.* 2. *Qui moritur si fratres et sorores non reliquerit, et filios fratrum vel sororum reliquerit, si ex uno fratre sit unus filius, et ex alio fratre vel sorore fortasse plures, omnem hæreditatem defuncti percipiant, et æqualiter per capita dividant portionem.* Gotthorum sive Wisigotthorum Reges, qui Hispaniam et Galliciam Toleto sede Regia tenuerunt, ediderunt XII. Constitutionum æmulatione Codicis Justiniani, quorum auctoritate utimur sæpe libenter, quod sint in eis omnia fere petita ex jure Civili, et sermone Latino conscripta, non illo insulso ceterarum gentium, quem nonnunquam legimus ingratis, ut gens illa maxime, quæ concedit in Hispania plane cultior ceteris hoc argumento fuisse videatur. Commonstravit autem eos mihi nuper Petrus Pithæus, quem ego hominem et si amore et perpetuo quodam judicio meo dilexi semper vix jam ex ephebo profatus foro, ut probitate et eruditione æqualium suorum nemini cederet, tamen pro singulari isto beneficio maximam modo animi benevolentiam et summa ac singularia studia omnia me ei debere confiteor, idemque erit erga eum animus bonorum omnium, si quod vehementer exopto eos libros in publicum conferre maturaverit. Sed, ut quod institutum est agamus, in transverso limite solis fratrum filii est jus repræsentationis. In directo limite in infinitum est repræsentationi locus. Ait in jure primogenituræ magna est quæstio, an etiam nepotes ex filio primogenito vel filii ex fratre primogenito repræsentent patrem suum, atque ita excludant patruum. Jus gentium hoc est, ut in regno primogenitus succedat, vel finge, mos hic est, qui est plerisque locis, ut primogenitus filius patri, vel primogenitus frater fratri succedat in assem, ne in plures divisa hereditate ob inopiam rei familiaris familiæ claritas obsolescat: mortuus est pater relicto nepote ex filio primogenito jam ante mortuo, et alio filio; vel mortuus est frater relicto fratris primogeniti filio, et alio fratre, uter succedet? Si exemplis non legibus certare licet, non desunt exempla, quibus ostendatur patruum excludi. Mortuo Edoardo rege Angliæ, relictis filiis tribus, Joanne, Hemone, Thoma, et ex primogenito primoque mortuo filio Edoardo nepote Richardo, Richardus prælatus est patruis. Joanne item Duce Britanniæ mortuo sine liberis, cum esset quæstio de successione Ducatus inter Joannem Comitem Montisfortis fratrem Ducis tertio genitum, et filiam fratris secundogeniti Guidonis Vicecomitis Lemovicum, quæ nupserat Carolo Blesensi, filio Comitis Blesensis, et Margeritæ sororis Philippi Valesii regis Francorum, et Carolus niteretur moribus Britanniæ, qui volunt fratrem primogenitum præferri, post eum secundogenitum admitti, deinde tertiogenitum, et uxorem suam diceret repræsentare secundogenitum, ex quo erat nata, atque ideo præferri eam debere tertiogenito, vicit Carolus judicio Philippi regis, et S. Consulto. Sed utraque successio tristes eventus habuit: nam et Richardus regno pulsus est ab Henrico Duce Lencastri, et Carolus Blesensis xx. annis post adjudicationem ducatus bello superatus, et occisus est a filio Joannis Joanne Comite Montisfortis, ac post re transacta eum vidua Joannes judicio Caroli v. recepit ducatum retinuitque sine controversia ulla. Narratur etiam Robertum Regem Siciliæ, cum de Comitatus S. Severini successione esset quæstio inter Comitis defuncti filium et nepotem ex filio primogenito, pronuntiasse pro nepote. Sed Jo: Andreas excusat factum ad Speculatorem tit. De feudis, dicens movisse Robertum Constitutiones jam suas,

quam Caroli II. patria, quæ propria ad eum Comitatum pertinebant, et exigere videbantur, ut nepoti potius quam filio deferretur. Juris rationibus si certamus, potior est filii causa quam nepotis ex filio primogenito, fratris quam filii fratris primogeniti. Jus enim repræsentationis hanc vim tantum habet, ut eo jure fretus remotior cum proximiori in successione concurrat, non etiam ut proximiorem prorsus excludat: id vero agitur illis exemplis, ut proximior in totum excludatur: quod excedit vigorem, finem, exemplum repræsentationis. Non est igitur per speciem repræsentationis admittendum. Item quia ubi proximitatis jure defertur successio, ut cum proximus agnatus proximusve cognatus ad successionem vocatur, repræsentationi locus non est, id est, ubi valet proximitatis ratio, non potest etiam valere repræsentationis, quia pugnant invicem: et e contrario, ubi valet repræsentationis ratio, ut in linea liberorum, non potest etiam prævalere proximitatis: eadem vero causa est primogenituræ, quæ proximitatis. Ergo cum primogenito defertur hæreditas, non potest esse repræsentationi locus, sed sicut ubi proximitas spectatur, eum vocamus, qui proximior fuerit mortis tempore, vel quo bon. possessio petitur, *l. 1. D. unde leg. l. 3. D. unde cog.* ita ubi primogenitura observatur, eum vocamus qui moriente eo de cujus bonis agitur, primogeniti gradum locumque tenuerit, non proximioris jam ante mortui filium: ut ita Carolo II. rege Siciliæ mortuo relicto filio Roberto secundogenito, et ex filio primogenito primoque mortuo nepote, filius ex responsis prudentum, ut Conradus Vecerius scribit in Henrico VII. et Bonifacii pronuntiatione prælatus est nepoti: et ita hodie observatur in Neustria, ubi primogenitus ipso jure assem occupat, ut nepos ex filio primogenito non habeat jus primogenituræ, quamdiu alius filius defuncto supersit, contra morem antiquum, quem fuisse justiorem plerique contendunt stulte: fuit is quem diximus antiquus mos Francorum, ut filius primogenitus succederet ex asse, quod et inter filias eos observasse constat ex *Constit. Neap. 3. tit. 27.* Hodie plerisque locis filius primogenitus in assem non vocatur, sed excipuum aliquid habet, quod tamen primogenita non habet: nam si defunctus filias tantum reliquerit, major natu præcipuum nihil fert. Unde etiam patet quo more ea primogenito conceditur, appellatione primogeniti non contineri primo genitam: quia hæc jura primogenito dantur familiæ conservandæ causa, ut dixi quam fœmina non propagat: est enim familiæ suæ caput et finis. Non debent ergo feminis competere ulla jura primogenituræ. In fine hujus tituli dicitur, si sit controversia inter dominum et fratrem vasalli defuncti sine liberis, domino dicente feudum novum et sibi apertum morte vasalli, fratre paternum, domino competere onus probandi. Defensionem ergo per jusjurandum fratri deferri, domino non probante, ut *inf. 4. tit. 2.* Sed subjicit non ita semper observari: nam et actori quandoque judicem jusjurandum deferre, ut *supra 1. tit. 1. §. Cum autem. et tit. 7. et infra 4. tit. 36. §. Sacramentum.*

TIT. XII. *De successione fraterni feudi.*

Si duo fratres de novo beneficio et non de paterno simul investiti fuerint, uno sine hærede defuncto, ad alterum non pertinet ejus beneficii portio, nisi facta fuerit in pacto investitura. Si duo fratres in casa communi post mortem patris remanserint, id est habitaverint simul, et unus eorum feudum acquisierit: plerique dicunt ad alium non pertinere, sed ad dominum, nisi per pactum: neque vivente eo, qui acquisierit, neque post mortem ejus: fructus tamen erunt communes, donec simul habitaverint. Quod si cum equis et armis communibus vel pecunia communi sit acquisitum, adhuc idem dicunt, ne forte invitus dominus alium, quam quem voluerit, sibi acquirat vasallum: dum tamen meminerimus id quod de communi expensum est, alteri pro parte competenti esse restituendum.

Frater fratri non succedit in feudo, sive id ambo simul acquisierint, sive alter eorum, ut *sup. 1. tit. 4.* Sed non relictis liberis, ad dominum revertitur, nisi pacto investituræ aliud convenerit: quod et in conjugibus observatur. Nec ad feuda accommodari debet, *l. Unica, C. si lib. imp. soc.* quoniam ea liberalitate mera est, quæ ad donatorem non recurrit. Feudi liberalitas non est mera, quia ad dominum recurrit certis modis, multaque ex feudo jura et commoda dominus habet. Idem vero erit si fratres sint consortes, sive ὁμόκληροι, ut Pindarus loquitur, et universorum bonorum socii, et vel ambo vel unus communi nomine feudum acquisierit de communi pecunia: nam erit quidem feudum commune, sed mortuo uno, alter licet succedat in alia bona, nihil tamen præter suam partem in feudo habebit, pars deficiens domino deferetur. Idem pene erit, si unus suo nomine feudum acquisierit, si modo socii fuerint omnium bonorum; quia videtur feudum acquisisse de communi, et ideo ut maxime non sit statim commune feudum, quod scilicet unus emit suo nomine, non communi, sit tamen in communio redigendum, *l. 4. C. com. utr. jud. l. Si quis societatem. D. pro soc.* Sed omnino quod dixi exigitur, ut omnium bonorum socii sint, alioquin feudum feudive fructus non sunt in commune conferendi, licet paternam hæreditatem communem habeant, *l. Cum duobus. §. Pap. D. pro soc.* Feudo communicato, fructus feudi erunt communes, quamdiu consortio manebit. At certe non videtur proprie fieri feudum commune quod in medium confertur: quia si decedat sine liberis, alter quamvis ei succedat in aliis bonis, nihil habebit in feudo quod defunctus suo nomine emit. Communicatur ergo interim fructus potius quam jus ipsum feudi. Domino autem numerata pecunia pro feudo, quod communi nomine emptum est, quove communiter fruuntur, emptori pro parte consortis reputabitur judicio familiæ erciscundæ vel communi dividundo, *l. Si societatem. 2. §. ult. D. pro soc.* Et hoc ita procedit si nesciente domino feudum redemptum sit de communi, ut si putavit dominus se uni tantum vendere, cum emerent ambo, vel unum emere sua pecunia, cum emeret communi, ne cui invito vasallus obveniat: alioquin si scierit communi nomine pecuniave redimi, inter fratres quasi ex tacita conventione erit in eo feudo successio, ut *supra 1. tit. 19.* Quærit interpres quid sit dicendum, si feudum fuerit individuum. Sed manifestum est de eo feudo hic non agi: nam proprie feudum individuum est feudum consortis impatiens, ut Regnum, Ducatus, Comitatus, Marchia. Hic agitur de feudo, cujus sint duo pluresve consortes. Res dicitur individua duobus modis. Quod nec communionem nec divisionem recipiat ut Feudum Regale, et in eo inepta est quæstio hujus tituli. Quod communionem recipiat non divisionem, ut servitus, quæ potest esse communis duorum, et individua tamen est. Et in servitute, si forte feudum duobus constitueretur, dicerem uno mortuo, superstitem retinere solidum, quia et ab initio singuli habuerunt solidum, *l. Via. D. de servit. l. Hæredes. § An ea. D. fam. erc. In Cons. Sic. l. 11. Lang. de success.*

TIT. XIII. *An maritus succedat uxori in feudo.*

Titius a Sempronio talem investituram accepit feudi, ut haberet ipse et hæredes sui legitimi masculi: et iis deficientibus, feminæ. Porro Titius superstite tantum filia decessit. Ipsa a domino investita fuit, et feudum in dotem dedit, maritoque superstite sine liberis decessit. Quærebatur si ad maritum successio feudi pertineat? Responsum est, non pertinere.

Ait, *In dotem dedit.* Ergo et si pro filia pater feudum in dotem dare non possit, ut *sup. 9. §. Denique:* potest tamen ipsa pro se, ut *inf. 17.* Ratio differentiæ: quia patris in dotem datio alienatio est: efficitur enim dos proprium patrimonium filiæ *l. Pater. D. ad leg. Falcid. l. 4. D. de col. bon. l. Denique. §. Ergo. D. de minor.* et valeret alienatio haberetque pro refutatione si feudi capax esset filia, sed ideo non valet, quia pro refutatione accipi non potest, cum feudo jure succedere non possit filia. Pro filio igitur valebit si feudum donaverit propter nuptias, licet ex eo onus alias ferre non possit ὑπόβολον legitimum, ut *sup. 9. §. Quamvis.* Filiæ autem pro seipsa in dotem datio, id est, si feudum, quod ei obvenit ex conventione (celeroquin feudi incapax est) mulier in dotem dot, alienatio non est: quia quamvis dos sit in bonis mariti constante matrimonio, mulieris tamen est naturali jure, *l. Quamvis. D. de jur. dot. l. In rebus. C. eod. l. Lucius. §. Idem respondit. D. ad municip.* et quia tamen civiliter videtur fieri in bonis mariti, muliere nubente moribus nostris domino debetur ἀνάκαμψις, nisi id teneat jure paragii a fratre, vel alio. Quod autem ait, maritum uxori in feudum non succedere, id etiam dictum est *sup. 1. tit. 12.*

TIT. XIV. *De refutatione feudi.*

Quidam vasallus cum decrepitæ ætatis esset, feudum suum in manu domini ad hoc refutavit, ut Sejum et Sempronium filios suos de eodem beneficio investiret. Vasallo mortuo, Sempronius sine legitimo hærede Sejo adhuc superstite decessit. Lis est inter dominum, tamquam novum feudum sibi delatum esse dicentem, et Sejum paternum esse contendentem. Eorum sententia prævaluit, qui dixerunt hoc feudum, quamvis refutatum, nihilominus esse paternum.

Refutare in his libris est renuntiare. Vasallus potest feudo renuntiare in domini manus easdem a quibus acceperat, et per eadem symbola, ut *sup. 9. §. Si vero est totum.* et *1. tit. 2. §. Rursus.* Potest et tacite renuntiatio fieri, ut si feudum vasallus alienet agnato, qui id successione habiturus erat, ut *inf. 4. tit. 45.* Observanda quæ inde nascitur inæqualitas inter dominum et vasallum. Dominus vasallum refutare non potest, nisi certis cognitisque causis. Vasallus dominum quandoque libuerit refutare potest, remisso, ut dicitur, hominio. Dominus enim nihil damni facit, cum in re sua plenam potestatem recipiat, et non sit ei difficile alium acquirere vasallum. Vasallo eripi feudum sine damno et fraude non potest. Hæc vero renuntiatio vasalli efficit, ut dominus feudum in dominico habere incipiat, ut loquitur *inf. 4. tit. 40.* perinde atque si commissum sibi et apertum esset. Veteres Galli dixerunt, *Que le Seigneur retraict le fief a son domaine, et a sa table, et charue.* Vulgo interpretes qui se in hac sola parte juris exercuerunt, omnium imperitissimi, existimant huic renuntiationi agnatos debere consentire, ad quos successionis jure

feudum pervenire potest: alioquin feudum eos e domino revocare falluntur. Si vasallus feudum retineat, et velit ejus causam deteriorem facere, agnati debent consentire, ut sup. 9. §. *E contrario*. Alienationi quoque consentire debent, etiamsi fiat domino consentiente, quia habent jus προτιμήσεως, ut *sup.* 1. *tit.* 2. §. *Præterea. ut inf.* 4. *titul.* 45. Facta refutatione in manus domini non habent jus προτιμήσεως. nam ut privilegiarius adversus privilegiarium privilegio non utitur, ita πρότιμος adversus πρότιμον non utitur jure προτιμήσεως. est enim προτιμήσεως privilegium: nec obstat 4. tit. 58. primum, quia non loquitur de refutatione facta in manus domini, sed de refutatione facta feudatario ab agnato, qui feudi successionem sperabat: deinde eam esse efficacissimam docet, si omnino, id est, in rem, et generaliter feudum refutaverit, etiam non consentientibus aliis agnatis: et species hæc est: Tres sunt fratres, Primus, Secundus, Tertius. Primo obtigit feudum paternum. Secundus pepigit cum Primo de non petendo feudo a Primo hæredibusve ejus, neque ab eo cui Primus feudum dederit ulla ratione: quod refutare est. Deinde Primus decessit sine filio masculo, scripto hærede extraneo. Tertius vindicat totum feudum jure successionis. Secundus in partem feudi eodem jure venire cupit. Contradicitur. Tertius Secundum renuntiasse successioni feudi. Secundus se pepigisse ne peteret a Primo, vel hæredibus ejus, vel ab eo cui is dedisset, et se etiam non petere ab hærede scripto vel alio cui primus dederit, sed a Tertio de quo nihil pepigerit, qui neque hæres est Primi, neque feudum accepit de manu Primi. Justa est intentio Secundi: nihil igitur ei pactio illa nocebit, ut inf. 4. tit. 26. Aliud dicendum est si pactum fecerit in rem, id est, si in universum renuntiaverit successioni feudi: quam renuntiationem hi libri admittunt. Hoc casu Tertius totum habebit. Aliud etiam est dicendum, si Secundus refutaverit Primo feudum pro sua parte ea fini, ut Primus a domino pro ea parte investiretur quasi de novo beneficio: quo casu si pro ea parte Primus fuerit investitus quasi de novo beneficio, nihil in ea vindicare Secundus poterit: quia et ita omnino videtur successioni renuntiasse, cum feudum paternum voluit reddi novum, sed Tertius qui non renuntiavit, pro parte sua feudum habebit. Cur non totum? quia et Primus pro parte feudum refutavit accipiendo investituram novam pro parte Secundi: potest pro parte feudum refutari in manus domini, ut inf. 4. tit. 44. et quod juris est in toto, idem in parte: quo casu solvit refutatio servitio, non honore, non tam propter memoriam prioris domini, quam etiam quod adhuc servat consortibus ejus quem refutavit. ut 4. tit. 76. et hoc sensit Henricus II. his verbis: *Si contigerit feudum incuria, aut neglectu fidelis consortibus applicari*, id est, *si vasalli refutatione acciderit, uno scilicet ex dominis refutato et contempto, ut vasallus aliis consortibus accresceret nullum ex eo levamen, etc.* Sciendum est in hac quæstione refutationum, accurate videndum esse semper, num facta sit refutatio in fraudem. Quidam enim feudum refutant, ut mox aperto marte cum domino confligant, et nihilominus feudum, quod verbo tenus refutarunt, vi occupant, aut retinent: cui malitiæ occurrendum est, habita refutatione pro infecta, et jure commissi feudo domino delato, quod contra fidem fecerit dominum bello persequentes refutationis falso colore quæsito, ita ut nec nova quidem investitura unquam ad nebulones illos reverti feudum possit: et præter hæc irrogat etiam eis infamiam aurea bulla Caroli IV. Imp. et bannum id est, proscriptionis pœnam. Species autem hoc loco proposita hæc est. Quidam vasallus exacta jam ætate, quæ senaim sine sensu senescit, feudum in manus domini refutavit ea lege, ut dominus mox de eo filios suos Primum et Secundum investiret: ut investituræ ita devestituræ addi lex et pactio potest. Dominus filios investivit, deinde mortuus est pater, tum deinde Primus sine liberis. Utrum in ejus partem Secundus succedet, quasi feudum sit paternum, an domino aperietur quasi feudum novum? Responderunt refutatione non desiisse esse paternum: quia refutationem decrepitus fecit cogitatione mortis, et in eorum gratiam qui omnino feudum habituri erant: non fuit igitur ei mens immutandæ qualitatis feudi: proinde id filii percipient quasi ex investitura veteris beneficii, non novi, nec opus erit post mortem patris alia investitura. Præmature fieri potest investitura, ut et divisio bonorum omnium inter filios.

TIT. XV. *De Contentione feudi inter generum fidelis mortui et agnatos.*

Vasallus superstite tantum una filia decessit. Illa vero maritum accepit, cui dominus accepta pecunia partem feudi, quod pater puellæ habebat, retenta sibi parte altera, dedit. Nunc quidam agnatus defuncti cum marito agit, dicens totum hoc feudum esse paternum, et ideo omnimodo ad se devolutum. E contra maritus contendit, hanc partem quam ipso habet novum feudum esse: et ideo domino apertum. Quæritur igitur, utrum apud dominum eundem, et in ejus curia cogatur agnatus defuncti litigare, an apud agnati judicem vel arbitrum utriusque consensu electum hoc esse debeat? mihi et aliis placet, potius apud judicem ordinarium vel arbitrum, quam apud eundem dominum, hoc litigium fore determinandum.

Item placet agnatum non semper cogendum probare, feudum hoc esse paternum, sed ab adversa parte novum esse probandum, qua deficiente in probatione, tunc agnato (ut supra diximus) causa cognita detur electio, quatenus vel juret esse paternum, vel alteri parti referat jusjurandum. et ille aut juret, aut taceat.

Sciendum est, quod si inter duos, qui dixerint se esse vasallos, de feudo fuerit dubitatio: alter alterum invitum trahere non potest ad dominum vel ejus curiæ judicem. Si vero cum sua curia dominus vocaverit eos, nemini eorum licet illius domini, vel ejus curiæ examen declinare.

Ab hoc titulo omnia fere quæ sequuntur sunt de judiciis. Mortuus est vasallus relicta filia. Feudum domino apertum videbatur: quamobrem filia maritusve ejus partem feudi a domino redemit, ut sup. 1. tit. 25. partem alteram dominus retinuit. Mox extitit agnatus quidam defuncti, qui partem feudi a genero defuncti redemptam, jure successionis suam esse petebat, dicens feudum non fuisse domino delatum, totum ad se pertinere quasi paternum. De altera parte nondum agebat adversus dominum. Non est dubium male eum agere adversus generum, quia filia redimens feudum, excludit agnatos, d. tit. 25. Sed quæritur quis sit ejus controversiæ judex competens, dominus et curia ejus, an judex ordinarius vel compromissarius? Videndum est quid in ea controversia potissimum veniat in judicationem: est autem hoc utrum feudum sit paternum an novum: nam actor dicit esse paternum, reus novum. Judicandum igitur erit paternum videri, aut novum videri: quo modo si pronunciet dominus vel judex curiæ, et de generi, et de suo jure per consequentiam simul pronunciare videbitur, hoc est de parte generi, et de ea parte, quam ipse retinuit, quod nulla jura nullique mores patiuntur, ut quis rei suæ sit judex vel arbiter: idcirco melius erit adire judicem ordinarium, aut in arbitrum compromittere, qui utique recte judicaturus est contra actorem pro parte redempta a filia, etiamsi actor probaverit feudum esse paternum: alteram vero partem a domino vindicabit, et evincet. Et hujus litis inter dominum, et agnatum judex etiam erit Comes civitatis aut judex territorii, non curia, non pares. Imo et pares secundum modum propositum inf. tit. 20. et lib. 4. tit. 46. et pares quos elegerint, vel si dissentiant quod elegerit unus, tot eliget alter: et pares qui juraverint fidelitatem, non qui repromiserint tantum, nisi in eos ambo consenserint, ut tit. seq. et Constitut. Friderici *de feudis non alien.* §. *pen.* In superiori autem atque in hac etiam controversia probatio actori incumbit, qui feudum intendit esse paternum. Imo interdum ei qui novum dicit, prout judici videtur: quo deficiente in probatione, causa cognita, ut dictum est *sup. tit.* 3. et 11. §. *ult.* agnatus jurare debet feudum esse paternum aut jusjurandum referre: et si ex relatione dominus jurare noluerit, lis statim danda est secundum agnatum. Rursus quæritur, si de feudo non sit controversia inter dominum et vasallum, sed inter duos, quorum singuli feudum vindicent ex causa investituræ, quis sit judex? Dominus ipse judexve curiæ et pares, si eos ultro ad se vocaverint. Alter alterum invitum ad judicium domini et parium trahere non potest, quia invicem negant se esse vasallos, et in illa curia habere pares, ut infra 4. tit. 38. et 55. Si tamen alia de re litigant, quæ ad feudi causam pertineat, alter alterum ad curiam domini invitum trahet: et ita distinximus jam supra 1. tit. 15. et ita intelligenda Constitutio Friderici, *d.* §. *pen.* quæ inter vasallos dominum judicare vult, inter dominum et vasallum pares: quod ita Guntherus VIII. Ligurini.

Inter vasallos unius forte patroni,
Quæstio de feudo quoties agitatur eodem,
Quo feudi domino gaudent, hoc judice certent.
Si tibi pro feudo, quod te tribuente fatetur
Acceptum, tu vero negas, vasallus agendum
Forte movet litem, non tu, sed curia judex
Audiat, et certo determinet ordine causam.

TIT. XVI. *De contentione feudi inter dominum et vasallum.*

Si inter dominum et vasallum de feudo orta fuerit contentio, per pares illius domus, sicut lex Conradi dicit, dirimatur, si tamen pares habeat. Et si quidem dominus et vasallus consenserint in eligendis paribus, nulla dubitatio est: si vero dissentiant, tunc quid faciendum sit, quæritur: sed prævaluit eorum sententia, qui dixerunt dominum debere eligere prius quem aut quos voluerit, et vasallus similiter hoc facit secundum numerum a domino comprobatum. Ille tamen vasallus, qui fidelitatem domino non juravit, domino vel vasallo dissentiente, pro pari non est eligendus.

Hujus tituli sententiam explicui jam tit. præcedenti, et lib. 1. tit. 15. Optio parium datur domino et vasallo, sed domino priori, et eorum tantum qui fidelitatem juraverint, ut inf. tit. 20.

TIT. XVII. *De eo qui sibi et filiis investituram accepit.*

Qui sibi et hæredibus suis masculis, vel his deficientibus, feminis per beneficium investituram accepit: una tantum filia superstite, nullo alio descendente relicto, decessit. Hæc marito paternum feudum in dotem dedit, et duobus filiis procreatis, obiit: quorum unus quidem duas filias reliquit, alter vero uno filio masculo relicto decessit. De predicto itaque feudo ingentem vidimus quæstionem, masculo quidem hoc feudum totum sibi, quia solus ejus, qui primo investituram accepit, hæres masculus sit, vindicante. Feminis vero totam sui patris partem sibi defendentibus, quia ex eo nullus extitit masculus. Cumque inter sapientes sæpe super hac quæstione sit disputatum, tandem pro masculo pronunciatum est: non enim patet locus feminæ in feudi successione, donec masculus superest ex eo qui primus de hoc feudo fuerit investitus.

Nam et illud judicatum scio: si ille qui proprium feudum suum militi per beneficium dedit duobus filiis relictis decesserit: quorum unus filia relicta obiit, alter vero, filio masculo superstite, defunctus est, quod miles non debet feudum suum recognoscere per feminam, donec superest masculus ex eo, qui primam investituram fecit, cum de paterno esset hoc feudum, alioqui si esset, verum esset quod dicitur, per feminam debere recognoscere.

Investituræ feudi pactum adjectum est, ut deficientibus masculis feminæ in feudo succederent. Vassalus decessit relicta tantum filia: ea secundum conventionem in feudum successit, idque marito in dotem dedit, quod jure fieri dictum est sup. tit. 1. tum decessit relictis duobus filiis. Deinde unus eorum moriens reliquit unum filium, alter duas filias. Utrum hæ portionem patris sui vindicabunt, an potius obveniet patrueli? Et pacti forma exigit, ut totum feudum pertineat ad masculum: quod ita datum est, ut non nisi deficientibus masculis feminæ succederent: observanda enim est semper origo et constitutio feudi, nec incidens persona filiæ originem feudi commutat: et quod de hac pactione diximus, idem sequemur in eo jure quo utimur, ut ex transverso masculis extantibus feminæ in feudum non succedant: nam si vassalus decesserit relicta sorore, et hæc genuerit duos filios, quorum unus reliquerit unum filium, alter duas filias, filius excludet filias: idque confirmat Obertus rerum judicatarum auctoritate, quæ vim legis obtinet, *l. Nam Imp. D. de leg* 0. et M. Tullius res judicatas partem juris civilis facit, videlicet si perpetuo similiter judicatum est: atque ob id etiam iterum secundum masculum fuisse judicatum refert in hac specie. Vassalus, qui feodum acceperat ea lege, ut in eo deficientibus masculis feminæ succederent, id militi in feudum dedit, tum decessit relictis filiis duobus, qui in dominationem feudi successerunt, deinde eorum unus decessit relicto filio, alter relicta filia. Quæritur a quo debeat miles feudum recognoscere fide et hominio exhibito et petita investitura, a filio, an a filia. Et pronunciatum est, feudum a solo filio recognoscendum esse, quia scilicet solus nepos succedit in feudum avitum, non neptis. Aliud tamen esse dicendum in alodiis: nam si quis alodium militi in feudum dederit, et obierit relictis duobus filiis quorum deinde unus filium, alter filiam relinquat, miles a filia, vel a filio feudum recognoscere potest: quia in alodiis feminæ et mares simul succedunt: parantur alodia liberis utriusque sexus, nec in eorum acquisitione adjici pactio potest, ne feminæ succedant extantibus masculis, tum quia venditoris nihil interest, tum etiam quia eæ pactiones de succedendo vel non succedendo in feudis tantum valent, non tamen iis de alodiis: nam et si inter virum et uxorem secundum convenerit in contrahendo matrimonio, ne filii ex ea suscepti succederent patri ab intestato, filii prioris matrimonii non existentibus in feudum non succedunt, in proprietatem succedunt, ut inf. 4. tit. 32. ubi proprietatem vocat, quod hic alodium, ut *sup.* 1. *tit.* 1. §. *Cum autem*, idem et proprium dicitur et hæreditas et patrimonium, ut inf 4. tit. 51. 53. 54 65. et concilio Ticinensi. *Qui, inquiunt, in propriis vel in beneficiis basilicas habent.* Feudi enim proprietas non pertinet ad vassallum, sed ad superiorem dominum, cui quod est alodium, id vassallo vassallive vassallo est feudum: et ita Fridericus apud Radevicum 4. cap. 34. Cum Episcopi Italiæ dicerent nuntios Imperatoris se non cogi in palatiis suis recipere: *Concedo*, inquit, *si forte aliquis Episcoporum habet in suo proprio solo, et non in nostro palatium.* Si autem in nostro solo et alodio sunt palatia Episcoporum cum profecto omne quod inædificatur solo cedat, nostra sunt et palatia. Est sunt et alodii vocabulo alii auctores multi, cujus significationem et etymon exposui in præfationibus libri primi, sic dici alodium sive alodem ut amentem quasi sine mente, istum alodem quasi sine lode, quod ejus possessor nemini sit leodes. Ado Viennensis: *Saxonibus ingenuitate et alode fidei primitus* roborata. Abbas Urspergensis: *Conferendo Ecclesiæ prædia et alodia.* Theodulphus: *Saxones baptizati more suo omnem ingenuitatem et alodem suam manibus gurpierunt* (quod est dimiserunt, alias, dultum fecerunt, ut alio loco, obsides dultos) si unquam ab eo animi proposito, et fidelitate Caroli regis desciscerent. Sigebertus: *Tria loca in alodio suo divino cultui mancipavit.* Idem Sigebertus alodia vocat res mancipi: *Quicquid in re mancipi habebat, in tres partes divisit:* et alio loco: *Quicquid in re mancipi habuit, per testamentum Ecclesiæ delegavit.* Feuda sunt nec mancipi: atque ita introductis feudis, reducta videtur vetus differentia rerum mancipi, et nec mancipi. Recognoscere autem in posteriori specie de alodiis miles feudum potest a filio vel a filia, non cogitur ab utroque, quia non tantum fidelitas debetur, ut dicemus inf. lib. 4. Erat autem valde hic titulus depravatus in fine. Emendavi ope manuscriptorum, *Donec superest masculus ex eo qui primam investituram fecit*, cum de paterno feudo esset hoc feudum: alioquin si alodium esset, verum esset quod dicitur, per feminam debere recognoscere.

TIT. XVIII. *Quando in feudum filia, non frater succedat.*

Duo fratres, Titius et Sejus, a quodam Capitaneo de novo beneficio simul investiti sunt, eo videlicet tenore, ut quamdiu ipsi vel eorum hæredes masculi viverent, et masculis deficientibus feminæ, si superessent, feudum haberent. Ex fratribus his unus una filia relicta, altero adhuc vivente decessit. Quæritur cui portio defuncti deferatur, utrum filiæ, an fratri? Respondetur: filiæ. Unusquisque enim sibi suisque hæredibus videtur prospexisse: si tamen is qui filiam reliquit, sine hærede decessisset propter tenorem investituræ insertum, ejus pars fratri, non domino acquisita foret.

Duo fratres de novo feudo investiti sunt ea lege, ut in eo invicem succederent ipsi, et sui liberi masculi, et deficientibus masculis feminæ. Si unus ex fratribus moriatur sine liberis, ei frater superstes ex conventione succedet. Si relicta filia, an etiam frater præfeletur filiæ? Minime vero: quia unusquisque videtur suis liberis prospicere voluisse, et eos fratri prætulisse, ut inf. 4. tit. 90. An excludemus etiam fratrem, si hæc filia superstite patruo et procreata filia moriatur? sic sane eadem ratione. Si duobus filiabus relictis, quarum una filium, alia filiam relinquat, filium præferemus filiæ, ut *sup. prox. tit.* quia posteritati quidem suæ quisque consulere voluit, sed ita tamen ut in ea sexus discrimen non omitteretur.

TIT. XIX. *Si de investitura feudi contentio fuerit inter dominum et fidelem.*

Ex facto quæsitum scio, si inter dominum et fidelem de investitura feudi contentio emerserit, quia factam eam dominus neget, si vassallus afferat eos testes qui tempore investituræ pares erant, sed postea quilibet ex causa pares esse desierunt, an ideo sint removendi quia nunc non sunt pares? Sed quamvis aliter sentiant, tamen mihi et quibusdam aliis videtur sufficere eos tempore investituræ saltem pares fuisse. Quid enim peccavit qui investituram accepit, si illi quos eo tempore, utpote idoneos, adhibuit, postea pares esse desierunt?

In facienda investitura adhibendi sunt duo pares, adhibiti sunt duo, sed postea pares esse desierunt, feudo amisso. An ad probandam investituram modo, de qua lis est inter dominum et vassallum, testes idonei habentur, id est, an satis est fuisse pares investituræ tempore, licet testimonii perhibendi tempore pares non sint: quod videtur: et exemplo testamenti vulgo confirmari solet, in quo satis est, si rogati testes tempore faciendi testamenti liberi homines fuerint. Id autem interpretes sic excipiunt, nisi pares ex turpi causa paragium amiserint: quod falsum puto, nec enim omnis infamia repellit a testimonio, *l.* 13. *D. de test.* *Nov.* 15 et ut maxime talis sit infamia quæ repellat a testimonio, eum tamen adhibiti investituræ superstites idonei fuerint: ex postea irrogata infamia investituram vitiare non potest.

TIT. XX. *Si inter dominum et fidelem de feudo fuerit quæstio.*

Ex eo quod scriptum est, si inter dominum et vassallum de feudo nascatur quæstio quod per pares ejusdem curiæ dirimenda sit quæsitum est, si quis dixerit se a quodam episcopo fortassis jam defuncto de annua præstatione aut qualibet alia re per feudum

investituram accepisse, et cum successore ejus agat, et ille respondendo neget hunc esse vasallum, utrum per pares ejusdem curiæ sit judicandum super hac quæstione? Opponit enim vasallus quod dominus eum negat esse vasallum, et ideo in ea curia pares non habet. Idem dicit vasallus quod prius de suo recto feudo debet investiri quam a nemine judicari, domino respondente quod quicquid inter eos sive de investitura, sive de fidelitate, sive de principali causa agitandum est, per suam curiam est expediendum. Sed laudatum sæpe scio, pares illius curiæ secundum præfatum modum esse eligendos prius, ad quorum spectat officium, ut illum prius de suo recto feudo investiri faciant, sed fidelitatis jusjurandum differatur donec de principali causa cognoscatur: ex illo enim apparebit utrum jurare debeat, an non, quod totum expeditæ quæstionis est, si constiterit vasallum aliquid aliud præter id de quo quæritur, ab eodem domino tenere pro feudo: tunc enim quin debeat de suo recto feudo investituram accipere, et fidelitatem jurare, et sic ad principalem causam accedere, non est dubium.

Dominus Titium investivit de re aliqua, vel de annua præstatione ex cellario aut ærario suo ea lege ut ea frueretur Titius quamdiu viveret, nec finiretur morte domini. In mortuo domino cum successore agit petens investituram de veteri beneficio. Successor negat eum esse vasallum. Duæ hic quæstiones interveniunt, una est de possessione altera jure feudi et conditione actoris. Prior momentaria est. Posterior principalis actio. Vasallus contendit se de suo recto feudo investiri debere, quod quid significet, tit. 4. diximus, prius quam secunda actio, id est, principalis, instituatur: cujus litis etiam negat pares curiæ domini esse judices competentes, quod inquit, negando me esse vasallum, et illos inficietur mihi esse pares. Obertus auctoritate rerum sæpius judicatarum probat pares judicaturos, sed optandos esse, ut sup. demonstratum est tit. 16 et electos curare statim debere, ut vasallus de suo recto feudo investiatur non præstito jurejurando fidelitatis, ne temere quem sibi non vult dominus esse vasallum, hac ratione fiat ei invito vasallus: alias investitura veteris beneficii non fit sine fidelitate, ut sup. 4. §. Nulla Sed hæc investitura quæ fit sine fidelitate color etiam est quidam potius, quo pares litis hujus congrui judices efficiuntur quam investitura. Hoc igitur colore cognoscent mox de principali causa, in qua si vicerit dominus, investitura illa habebitur pro nulla: si vicerit vasallus, tum exacto ab eo jurejurando fidelitatis, vere investietur de suo recto feudo, ut inf. 4. tit. 46. Color quæritur judicationi parium, ut color querelæ inofficiosi testamenti quasi sanæ mentis testator non fuerit, quæ tamen falsa expositio est. Sed falsæ expositiones sive colores, ut Quintilianus docuit, etiam in foro recipiuntur. Datur iniquæ actioni color. Datur incompetenti judici color. In proposita specie incompetentes erant pares, quia de hoc ipso quærebatur an essent actori pares: quæ controversia cessat, si constet actorem aliunde vasallum esse, id est, ratione alterius feudi: eo enim casu in alterius feudi controversi certissimum est forum parium competens fore, qui actorem curabunt protinus investiri de suo recto feudo præstita fidelitate, et possessionem perturbatam reformabunt, tum de principali causa cognoscent, ut inf. 4. tit. 32. et a domino plerumque probationem exigent, defensionemve actori dabunt, ut sup. 11. §. ult. inf. 4. tit. 2. 3. Ait; *Sed laudatum sæpe scio*, id est, judicatum, ut dixi 4. tit. 17. et eodem sensu Guntherus Poeta feudalis noster,

Quam laudaverit ille
Compensat redimatque suum mercede laborem.

Alias laudatum, id est, condictum et conventum. Helmodius Hist. Slav. *Colloquium provinciale laudatum fuerat. Sicut laudatum fuerat occurrit ad locum placiti. Laudatum fuit ne quis transfugam a terris reciperet: Factum est ex consilio utriusque partis ut laudaretur pax.*

TIT. XXI. *De contentione feudi inter dominum vel agnatum, et venerabilem domum.*

Miles qui beneficium tenebat, cum esset sine liberis, venerabilem domum intravit, et seculo renunciando arma bellica deposuit, habitumque religionis assumpsit, et sic conversus factus est, hic donec vixerit, feudum retinere conatur, quod dominus vel agnatus sibi pertinere contendit. Sed judicatum est domini vel agnati conditionem esse potiorem eo quod desiit esse miles seculi qui factus est miles Christi, nec beneficium pertinet ad eum qui non debet gerere officium.

Monachismo feudum amitti, et redire ad proximum agnatum, si fuerit paternum; vel ad dominum, si fuerit novum, vel etiam si fuerit paternum nullo existente agnato, non ad venerabilem domum. Alodia tacito jure venerabilem domum sequuntur, ex Nov. Justiniani de Monachis. Ut autem monachismo, ita clericatu feudum amittitur, ut inf. 4. tit. 7. 34. 41. et ult. nec obstat tit. *De capit. Conrad.* §. *ult.* quia loquitur de feudo, quod initio concessum est Clerico et Ecclesiæ. Nos loquimur de feudo initio militi concesso, et hoc dicimus clericatu vel monachismo amitti, quoniam cui datum est, is esse desiit: et servanda semper est feudi lex et origo prima. Nec sane quod receptum sit, recte vasallum alium pro se vicarium dare, qui domino serviat, ideo dicemus clericatu, vel monachismo feudum non amitti, quia feudi initium et Constitutio aliud suadet, et temere vasallus vicarium servitium sua operæ supponere ubique semper non potest.

TIT. XXII. *Si dominus vasallum in culpam incidisse dicat, vel contra.*

Dominus vocat militem, qui ab eo feudum possidebat, dicendo eum in culpam incidisse, per quam feudum amittere debeat. Hic non respondet. Quæritur, quid faciendum sit domino? Respondeo, eum ad curiam vocare debere, et si non venerit, iterum debere eum vocare, usque in tertium, spatio septem vel decem dierum arbitrio ejusdem curiæ terminando. Quod si neque venerit ad tertiam vocationem, hoc ipso feudum amittat, et ideo debet curia dominum mittere in possessionem. Sed si intra annum venerit, restituitur ei possessio, alioquin et beneficium et possessionem amittit: ut in Lombarda, de iis qui ad palatium venire contempserint: l. Si cujuscunque.

Si vero vasallus queritur de domino, forsan quia feudum malo ordine intravit, domino perperam respondente, quid vasallo faciendum sit quæritur. Respondetur, eum curiam debere vocare, et in ea de domino conqueri. Curia autem debet adire dominum, eumque salva reverentia competenter cogere ut vel possessionem restituat et acquiescat, vel judicio curiæ se committat. Quod si ter admonitus facere distulerit, tunc licet vasallo ad aliam majorem potestatem ire, et sibi consulere, si dominus ei justitiam facere noluerit, poterit eum deprædare.

Si dominus intendat ob culpam vel ingratitudinem vasalli feudum sibi esse commissum, vocare eum debet ad judicium parium edictis tribus intermisso spatio VII. vel X. dierum arbitrio judicis. Quod ait de VII. diebus, est ex jure Pontificio, *c. præsent.* 5. *q.* 2. ut libro seq. tit. 1. §. *Est et alia*. Quod de X. est ex jure civili, *l. Ad peremptorium. et seq. D. de judic. l. Properandum. C. eod.* Et eundem edictorum ordinem adversus Mediolanenses observavit Fridericus consilio jurisperitorum. Radevicus 3. cap. 27. *Legum periti Friderico suadent Mediolanenses licet improbos et infames, judicis tamen officio per legitimas inducias citandos esse, ne violenta eis illata, vel contra jus in absentes prolata sententia videretur.* Legitimas vero inducias dicunt judicis edictum unum, mox alterum, et tertium seu unum pro omnibus quod peremptorium nominatur. Si tribus edictis evocatus vasallus non venerit, dominus mittitur in possessionem feudi: et re tamen ita transacta adhuc vasallo datur annus, intra quem si venerit, possessio ei restituitur, refusis impensis litis, et onus probandi domino incumbit. Post annum vasallus omnem recuperandi feudi spem amittit: quod congruit cum *Nov.* 112. et *l.* 3. *Lang. de his, qui ad pal. venir. cont.* In Langobarda datur annus et dies: quod adjicere posteriores legibus solent, quæ annum præscribunt, ut intelligatur eam præscriptionem non finiri anni die supremo, sed sequenti die, et eum, qui venerit die sequenti, satis in tempore advenire. Quid autem dicemus e contrario, si vasallus queratur de domino, puta quod possessionem feudi invaserit malo more? hoc casu aperte Vincentius scripsit vasallo in dominum competere interdictum Unde vi, in Speculo doctrinali, quod hoc loco significatur obscure. Et vocabitur similiter dominus ad curiam edictis tribus, quæ dominum hortabitur verecunde possessionem vasallo restituere. Hortabitur, dicunt Impp. in *l.* 9. *C. de condict. ob cau. l.* 3. *C. de lib. cau.* Obertus hoc loco, competenter coget, id est, moderate. Hortationi itaque immistum est nonnihil necessitatis, et ad d. l. 8. lib. 48 βασιλικῶν scriptum est ἀναγκάζεται. Si non pareat dominus edictis interdictisve curiæ suæ, eum vasallus ad majorem curiam vocabit, et ad extremum eadem contumacia perseverantem, poterit deprædare, id est, grassari in eum impune, quasi omni fide solutus, ut contra si vasallus rebellis et contumax esse perseveret, ex Jurisconsultorum sententia apud Radevicum et Guntherum res vasalli direptioni adjudicantur.

OBERTI DE ORTO

DE FEUDIS

LIBER TERTIUS

TIT. I. *De Beneficio quid sit, et quibus modis amittatur.*

OBERTUS DE ORTO ANSELMO SUO S.

Cogis me, et super hoc sæpe scribendo multum urges, ut causas, quibus beneficium amittatur, enumeratas tibi significarem. Quod iden distuli, quia sæpius circa nostræ Reip. curam occupatus, et multis privatorum causis, aliisque rerum innumerabilium impedimentis detentus, onus illud subire non valebam. At ne videar preces tuas parvi pendere, et studium discendi tibi imminens negligere, quid mihi super hoc videatur, paucis explicabo, dummodo memineris causas illas sub aliqua certa regula aut definitione rotunda non posse comprehendi. Nam sicut de probationibus in Digestis scriptum reperimus, sic et de his causis sine calumnia dicere possumus. Si quis enim dixerit, quæ causæ quemadmodum alicui domino ad ingratitudinem alicujus vasalli probandam possint sufficere, nullo certo modo posse definiri: nihil erraverit. De illa tamen ingratitudine loquor, per quam beneficium amittatur: non enim ad hoc sufficit omnis occasio, per quam fidelis accepti beneficii videtur ingratus, sed sunt quædam (ut ita dixerim) egregiæ ingratitudinis causæ, quibus beneficium secundum mores curiarum solet adimi. Quomodo enim vasallus, quam humiliter, quam devote, quam benigne, quam fideliter erga dominum suum debeat se habere, potius ex naturali ratione, et bonis curiarum consuetudinibus potest percipi, quam lege aut scriptu aliquo possit comprehendi. In primis te illud scire oportet, beneficii illius, quod est genus, talem esse definitionem. Beneficium nihil aliud est, quam benevola actio tribuens gaudium capientibus, capiensque tribuendo, in id quod facit, prona, et sponte sua parata, ut ait Seneca. Hujus autem generis species quædam est beneficium illud, quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat: ususfructus vero illius rei ita accipientem transeat, ut ad eum hæredesque suos masculos sive feminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat: ad hoc ut ille et sui hæredes fideliter domino serviant, sive servitium illud nominatim quale esse debeat, sit expressum, sive indeterminate sit promissum.

Prima autem causa beneficii amittendi hæc fuit, et adhuc est in plerisque curiis, sed in nostra curia Mediolanensi non obtinet, quod si vasallus per annum et diem domino suo mortuo steterit quod hæredem domini sui, investituram petendo, fidelitatem pollicendo, non adierit, tanquam ingratus existens beneficium amittit: et e converso si domino superstite vasallus decesserit, et filius ejus per jam dictum tempus neglexerit petere investituram, beneficio carebit. Est et alia ingratitudo notanda, si dominus investituram pollicendo, vasalli fidelitatem petierit, et illo non præstante, dominus tribus vicibus, convenienti tempore interposito, forte septem dierum spatio, ad curiam suam super hoc reclamaverit, et vasallus tribus vicibus citatus a suis paribus jurare noluerit, si tamen beneficium tale sit, ut pro eo jusjurandum fidelitatis fieri debeat. Sunt enim quædam feuda ita data, ut pro his fidelitatis non sit præstanda.

Item qui dominum suum, cum quo ad prælium iverit, in acie periclitantem dimiserit, beneficio indignum se indicavit. Præterea si vasallus præscierit aliquem contra dominum suum assaltum, vel mortem, vel captionem, aut patrimonii grandem jacturam molientem, debet dominum quam citius potest certiorare, ut proinde dominus sciens prudensque periculum valeat declinare. Quod si non fecerit, doloque vel negligentia celaverit: beneficio se cariturum agnoscat. Rursus si dominæ, vel filiæ, vel nurui, aut sorori in domo adhuc manenti, quæ in capillo dicitur, sese immiscuerit: feudo, quo se monstraverit indignum, carere debet. Porro si dominum assalierit, ut ita loquar, vel vicum in quo est, per vim aggressus fuerit, vel impias manus in personam domini ubicumque ingesserit, vel alias graves, vel inhonestas injurias intulerit, vel morti ejus veneno, vel gladio, vel aliter insidiatus fuerit, beneficium amittit. Illud te non lateat, quod si suo domino justitiam facere noluerit, feudo quod tenebat, expoliandus est, sicut in alio libello tibi scripsisse hoc credo. Sed non est alia justior causa beneficii auferendi, quam si id propter quod beneficium datum fuerit, servitium facere recusaverit. Aliud est si forte ideo non servierit, quia non potuerit, tunc enim feudum non amittit. Item si delator domini sui extiterit, et per suam delationem grave dispendium eum sustinere fecerit, vel si cognoverit dominum inclusum, et eum cum potuerit non liberavit, feudum perdit. Istis et aliis modis, qui a diligenti judice perquirendi sunt, beneficia debere amitti, tam naturalis quam civilis ratio suadet: quæ potest colligi, si quis novam Constitutionem justas exhæredationis causas enumerantem, et alias Constitutiones veteres justas ingratitudinis et repudii causas, quibus matrimonia recte contracta solvuntur, et donationes jure perfectæ revocantur, subtiliter scrutatus fuerit. Sed quia natura novas deproperat edere

formas, potest multis modis contingere, ut aliæ emergant causæ, quibus videatur juste adimi posse feudum: ideoque judex solers et discretus et æquitati obsecundare sollicitus cuncta subtiliter dispensans provideat, si qua fuerit antiquoribus causis, similis seu major, ut proinde sciat utrum beneficium sit amittendum, an nihilominus retinendum. Illud enim est certum, quod non ex omni causa, ex qua opinio vasalli gravatur, beneficium amittitur: nam et sæpe [1] delerat, et beneficium nihilominus retinet, ut puta, qui beneficii portionem alienat absque domini scientia, beneficium quidem retinet, sed fidem promissam servare non videtur.

(1) yp. *degenerat.*

Hoc libello proponit primum Obertus definitionem beneficii generalem ex Annæo Seneca: *Beneficium est benevola actio, etc.* Beneficium igitur non est id quod sub oculos venit, puta fundi, ædes, annonæ quæ dantur, sed dantis voluntas propensa. Quod ait, *Te bonus gaudium etc.* id Aristoteles exposuit verbis, κατὰ τὸ εὖ ποιεῖν, καὶ τὸ εὖ πάσχειν τὸν ἴδιον. τὸ μὲν γὰρ εὖ πάσχειν τυγχάνειν ἐστὶν ὧν ἐπιθυμοῦσι· τὸ δὲ εὖ ποιεῖν ἔχειν καὶ ὑπάρχειν ὧν ἀμφότεραι ἐφίενται. Beneficii species est feudum. Est igitur feudum beneficium, quod propenso animo datur, ita ut proprietas rei immobilis penes dantem remaneat, ususfructus in accipientem perpetuo jure transeat sub onere fidei et servitii certi incertive plerumque militiæ. Non ante ipsa immobilis quæ in feudum datur. Res est materia feudi, multum autem interest materiam feudi et feudum. Feudum si philosophos imitemur, est benevola actio dantis rem soli: si Jurisperitos, quibus omnia vocabula juris intellectum habent, jus quod dominus in re soli prolixe nobis et benevole concedit. Imperiti Philosophiæ jurisque id quod traditur possideturque tantum spectant: dum feudum definiunt esse rem immobilem. Definitio demonstrat feudum esse gratuitum, cum ex benevolentia proficisci dicatur: quod redemptio sive ἀνάκαμψις non mutat, ut dixi 1. tit. 1. Et rei in feudum datæ proprietatem ad vasallum non pertinere rem igitur esse nec mancipi, ut diximus 2. tit. 17. Eadem demonstrat feudi jus esse perpetuum. At sunt quædam feuda temporaria, ut feuda habitationum et his similia. Sed hæc non sunt propria feuda, ut sup. 1. tit. 1. §. *Item illud.* Definitio hæc, proprii feudi definitio est. Qua de causa et beneficia, quæ clericis dantur, non sunt propria feuda, sed comparantur feudis habitationum, feudis annonariis, vel æraris, feudis functionum privatarum, vel publicarum, qualia sunt eorum, quos prædiis nostris actores aut custodes imponimus, et advocatorum olim Tiguri, . Bithyniæ, et beneficiariorum apparitorum, qui et Cæsariani feudales dicuntur, et horum imitatione etiam clerici beneficiarii sunt, et inde beneficiorum sacerdotalium nomen, quæ et a principe olim conferri solebant, ut feuda propria, nec, electus quisquam Episcopus ante consecrari poterat, quam a principe Regalia per sceptrum accepisset, ut Otho et Guntherus scribunt, et Albertus Argentinensis sæpe meminit Episcoporum et Abbatum ab Imperatore de sua regalibus solemniter investitorum, præstita etiam fidelitate et hominio. Et hoc quidem jus conferendorum Regalium, id est, investiendorum Episcoporum de suis Regalibus, multi Reges Galliæ a Carolo Magno sibi vindicarunt, sed id modo Pontifici Romano, modo certis Ecclesiæ remiserunt, ut Ecclesiæ Attrebatensi remissum testatur vetus inscriptio ædis D. Mariæ Attrebatum, modo semissum repetierunt, modo vacante tantum cathedra usurparunt conferendorum beneficiorum potestatem, atque etiam vacantis Ecclesiæ reditus, donec alius a se investiretur Episcopus, et hoc potissimum Regalia vocarunt, quo jure etiam Nicephorum olim Phocam Imp. Ornatis usum Zonaras et Cedrenus scribunt. Ex his autem beneficia, quæ impropria esse diximus, alia morte dantis et accipientis finiuntur, ut mercenariorum militum, alia morte accipientis tantum, ut feuda habitationum, alia anno finiuntur, ut custodum procuratorumve feuda. Igitur perpetuo jure non censentur. At præterea superior feudi definitio demonstrat feuda sub certo incertove servitio dari. Imo quædam dantur sine servitio, quorum mulier capax est. Sed non ideo vitiosa definitio est: nam quod plerumque fit, definitione comprehendi sufficit. Omnia feuda plerumque sunt conditionalia, id est, sub lege servitii. Cetera quæ ad definitionem feudi pertinent exposui lib. 1. Post definitionem feudi docere Obertus instituit quibus modis feudum amittatur, a quibus quod plures jam persequuti sumus libris superioribus, quodque ea sint facillima per se, obscuræ diligentiæ esset, si in his rursus frustra adlaboraremus. *Illud te non lateat*, inquit, *quod si suo domino justitiam facere noluerit, feudo quod tenebat, expoliandus est.* Hæc verba sunt ambigua, nam vel hoc significant: Si vasallus in curia sua (potest enim fieri, ut vasallus curiam habeat propriam) domino jus reddere noluerit; quæ causa amittendi feudi justissima est, Constit. Neap. 3. tit. 19. Vel si electus inter pares judex causæ feudalis operam dare noluerit, vel ex bono et æquo non judicaverit, quæ causa etiam justa videtur, cum jurejurando fidelitatis inseri soleat, ut in jurisjurandi formula relata in Summa rurali, *Sire je viens a vostre hommage, et en vostre foy, et deviens vostre homme de bouche et de mains, et vous jure et promets foy et loyauté, et de garder vostre droict a mon pouvoir, et faire bonne justice à vostre semonce, ou à la semonce de vostre bailly à mon sens.* Possunt et hoc verba illa significare, Si feudi minus a domino in judicium vocatus juris sui experiundi causa, edictis obtemperare noluerit: nam etiamsi feudi amittendi causa justa alia non fuerit, contumacia ejus plectitur damno possessionis et feudi: et hoc magis sensisse videtur, cum dicat id se alio libello eidem Anselmo scripsisse. Scripsit autem priore libelli tit. ait. ubi e contrario etiam dominum qui justitiam vasallo facere, id est, de jure suo experiri, et in judicium venire noluerit, dominatione feudi multari et direptioni subjici demonstratur. Sequitur alia causa, et quidem justior, si servitium quod indictum est pacto investituræ, implere noluerit cum potuerit, Si dominum accusaverit judicio, publico, vel extraordinario excepto crimine perduellionis, vel si testimonium adversus eum dixerit, ut inf. 4. tit. 33. vel si carcere clusum dominum cum potuerit non liberaverit, ut si pro eo non fidejusserit, quod expressum est Constit. Neap. 3. tit. 19. et ex eadem causa filius exhæredatur a patre, Nov. 115. Quibus autem fere ex causis filius jure exhæredatur, et vasallo feudum eripitur. Feudi ademptio, exhæredatio est. Conferri etiam cum his possunt causæ divortii, et causæ revocandæ donationis: quæ omnes morte alterutrius finiuntur: nec enim ab hærede, vel in hæredem objici possunt, quæ objectæ non sunt a defuncto vel in defunctum, ut si me testamento pater non damnarit ingrati, nec damnabit hæres patris, nec si filium damnarit pater, ideo damnabitur et nepos ex filio, idemque est in revocanda donatione *l. 7. C. de rev. don.* et in actione de morib. inter vir. et uxor. *l. ult. C. Th. de inc. nupt.* Ergo et in actione ingrati sive τῆς προδοσίας quæ in vasallum datur. Multæ aliæ possunt exoriri causæ, propter quas videatur vasallo feudum adimendum esse, quæ sunt relinquendæ judicio curiæ: nec enim possunt omnes certo modo definiri: nam et si in dominum nihil deliquerit; nonnunquam feudum amittit, ut si fratrem, vel consobrinum occiderit, et nonnunquam etiamsi a fide nonnihil recessisse vasallus videatur, feudum non amittit secundum morem antiquum, hodie amittit pro ea parte, si perjurii periculo dominum non liberaverit, feudum non amittit, ut inf. 4. tit. 17. 48. vel etiam si quid quod in rem domini est celaverit, ut eod. lib. tit. 5. Ait, *Nam et sæpe degenerat* (sic legendum) id est, deflectit ab officio. Degenerare est ἀποσφάλλεσθαι.

TIT. II. *Ad quem feudum amissum redeat.*

Denique sæpe quæsitum est vasallo propter justam culpam a feudo cadente, utrum ad dominum, an ad successorem vasalli beneficium pertineat: sed hæc distinctio tam ratione quam moribus comprobata est, ut si quidem vasallus ita in dominum peccaverit, ut feudum amittere debeat, non ad proximos, sed ad dominum beneficium revertatur, ut hanc saltem habeat suæ injuriæ ultionem. Si vero non in dominum: sed alias grave quid commiserit, sicut ille qui fratrem suum interfecit: vel aliud grave crimen (quod parricidii appellatione continetur) commiserit, feudum amittit, et non ad dominum, sed ad proximos pertinet, si tamen beneficium fuerit paternum, sic enim sæpe pronunciatum scio.

Si vasallus contra Constitutionem bonæ memoriæ Lotharii Imperatoris beneficium alienaverit, quia dominium contemnere videtur, ad dominum beneficium pertineat: scriptum est enim ut pretio ac beneficio se cariturum agnoscat.

Feudum amissum ex causa ingratitudinis, perfidiæ, contemptus, contumaciæ redit ad dominum quem vasallus offendit, non ad agnatos vasalli, etiamsi ob alienationem factam invito domino amissum fuerit: nam et qui alienat invito domino, eum aspernari et contemnere videtur. Feudum autem amissum ratione gravioris delicti, in alium quam dominum commissi, ut ratione parricidii, non redit quidem ad liberos vasalli, sed ad agnatos, si fuerit paternum feudum: atque ita definivimus superiore lib. tit. 4. Cur vero non ad liberos? Cur innocentibus liberis delictum patris nocet? Non potest alia ratio reddi quam quæ in crimine majestatis quod in liberis metuenda exempla paterni sceleris magis quam in agnatis, qui non ex eo, sed ex superiori parente prodierunt: magni autem interest domini probos vasallos habere, indolis et stirpis bonæ. Ceterum, ut pretio precibusve filis quandoque feudum emeretur a domino, et excludit agnatos, ut 1 tit. 25. ita liberi si feudum a domino impetraverint, præferentur agnatis, ut 4. tit. 34. Potest dici et priore casu, cum in ipsum dominum deliquit vasallus, mortuo vasallo liberisque ejus, feudum paternum, in quo post liberos agnati jure successuri erant, ad agnatos redire: idemque dicendum esse, si vasallus feudum in manus domini refutaverit: atque ita auctori fragmentorum videtur lib. 4. tit. 78. 83. et posteriori casu, cum in alium vasallus deliquit, mortuo vasallo jus feudi ad liberos transire, arg. *l. 8. §. ult. de in jus. voc.* secundum Celsi sententiam: nam Juliani certe in feudis sententia reprobatur.

EX VARIIS ET INCERTIS AUCTORIBUS

DE FEUDIS

LIBER QUARTUS

TIT. I. *De evictione feudi, et ejus æstimatione præstanda.*

Negotium tale est: quidam vasallus a domino tenebat feudum, de quo ab aliquo interpellatus fuit, et sic vasallus dominum vocavit, ut eum defenderet: domino renuente ad judicem venire, vasallus amisit causam per sententiam, nunc vero vasallus cambium feudi a domino petit, ad quem dominus respondens ait, illum nunquam ab eo feudum tenuisse, nec ab eo investituram accepisse: contra quem vasallus dicit se hoc feudum ab eo tenuisse, et investituram recepisse, et ab eo petivisse, ut eum in judicio defenderet, nec tunc temporis inficiabatur illius esse, quod idoneis totum testibus probat vasallus. Super negotio isto tale est sapientium nostræ civitatis consilium, videlicet Oberti et Gerardi, ut si vasallus cum de feudo interpellabatur, auctorem suum, id est dominum ut eum defenderet vocavit, et hoc probare possit, si in eo judicio vasallus fuerit victus de re aliena investitus fuisse, ut dominus vasallo ejusdem æstimationis quod erat tempore rei judicatæ feudum restituat vel nummos in feudum dandos numeret, et hoc cum certum est vasallum de feudo victum fore. Sed si dominus neget hoc feudum nunquam ab eo tenuisse, nec ab eo dominio ipsum vasallum vel ejus antecessores unquam investituram accepisse, et hoc vel per instrumentum publice confectum, vel per pares curtis vasallus poterit probare, dominus ad restitutionem feudi tenebitur, alioqui dominus sacramentum subire cogetur, istum qui est in causa, vel ejus antecessores a se, vel a suis antecessoribus nunquam hoc feudum tenuisse, vel investituram accepisse, quo facto dominus absolvendus erit.

Actio de evictione in id vasallo datur, ut dominus aliud feudum ejusdem pretii, cujus erat id quod evictum est rei judicandæ tempore, vasallo concedat, vel litis æstimationem quam ex sententia judicis victori vasallus exsolvit. Hoc enim significant illa verba, *Vel nummos in feudum dandos numeret*, nempe ut vel æstimationem litis quam vice feudi subiit vasallus, dominus ei restituat. Absolvitur tamen dominus si vasallos eum non laudaverit, ut liti subsisteret, quemadmodum diximus 2. tit. 8. quæ actio in auctorem præsentem olim dicebatur, vel si probare vasallus nequiverit se ab eo feudum tenuisse, et juraverit dominus se parentesve suos investituram non fecisse. *Cambium feudi*. Ut aliud præstet in vicem ejus qui evictus est.

TIT. II. *Si contentio est inter dominum et agnatos defuncti de feudo.*

Si de feudo defuncti militis sit contentio inter dominum et agnatos defuncti, domino novum feudum, agnatis vero paternum esse contendentibus, agnati in possessione feudi, de quo quæritur, constituendi sunt. Eo facto, super principali quæstione cognoscendum est, utroque autem deficiente in probatione, electio jurisjurandi agnatis danda est.

Mortuo vasallo, dominus feudum novum esse dicit, agnatus antiquum. Agnatus investiendus est de suo recto feudo secundum modum propositum 2 tit. 20 atque ita in possessionem constituendus. Proinde in lite principali domino incumbit probatio quasi actori, et utroque deficiente, electio est agnati ut juret, vel jusjurandum referat domino: quod tamen judex non sequitur semper, ut sup. 2. tit. 11. §. ult. Idem erit si lis sit inter dominum et emptorem feudi, ut inf. 50. Regulariter enim defensio datur reo.

TIT. III. *De possessione apud filiam collocanda.*

Inter filiam defuncti et agnatos ejus de quodam prædio mota est quæstio, agnatis feudum, filia vero alodium, sive libellariam esse asserentibus: super possessione apud quem manere debeat, quærebatur. Responsum est apud filiam possessionem interim esse collocandam, deficientibus vero hinc inde probationibus, per jusjurandum causa cognita res decidetur, electione danda agnatis. Defuncto milite, inter dominum et filiam illius super quodam feudo quærebatur, domino feudum, filia alodium sive libellariam esse allegante. Respondeo filiam in possessione feudi manere debere donec de eo judicetur, probatione vero hinc inde cessante, electio jurisjurandi filiæ danda est.

Si lis sit inter filiam et agnatum, filia dicente se esse alodem vel libellariam, agnato feudum, filiam in possessionem constituemus: actoris itaque partes agnatus sustinebit: sed probationibus deficientibus, electio dabitur agnato potius quam filiæ, ut inf. 50 65. utrumque defunctum attingit agnatione, at discrimen tantum est in sexu, cujus etiam prærogativa fidei sæpe maris stabitur potius quam feminæ. At in superiori titulo electio datur reo, non actori. Non sunt contraria: nam hic dicit actori electionem dari causa cognita: quod et nos in superiori specie admittimus, ut sup. 2. tit. 15. Idem admittemus in specie §. seq. Si lis sit inter filiam et dominum, filia dicente alodium vel libellariam, domino feudum: filia in possessione constituetur, et deficientibus probationibus filiæ defuncti secundum communem regulam conditio jurisjurandi deferatur potius quam extero qui se dominum dicit, ut inf. 50. nam et ab ea præsumptio facit: præsumuntur enim in dubio prædia omnia esse alodia, plerisque locis feudalia vel censualia, hoc jure alodia. sed nihilominus causa cognita dicenti esse feuda, conditio jurisjurandi deferri potest: totum enim hoc pendet ex arbitrio judicis. Præterea notandum in alodiis, et in libellariis filias succedere. Imo et in precariis, et emphyteusibus, nam a feudorum tantum successione removentur.

TIT. IV. *Dominum investituram feudi sui militis in alium facere posse.*

Moribus receptum est, dominum de feudo militis sui, quod post mortem ipsius ad dominum reverti

sperabatur, in alium militem investituram facere posse, quæ investitura tunc demum capiet effectum, cum feudum domino aut hæredi suo fuerit apertum. Secus est in ecclesiasticis personis: nam si ecclesiastica persona talem faciat investituram, non aliter valebit, nisi sibi, non etiam successori suo feudum aperiatur, et in tali investitura consensum ejus de cujus feudo sit, exquiri non oportet.

Hoc dicitur de feudo quod successionem habiturum non est, et de investitura, cui inest conditio sive pactio, ut ne ante mortem militis ex investitura secundus agat, sibi tradi oportere, qua de re diximus satis 1. *tit.* 1. §. *Si vero Archiepiscopus.* et 5. 27. 30.

TIT. V. *De pœna inficiationis feudi.*

Vasallus si feudum vel feudi partem, aut feudi conditionem ex certa scientia inficiatur, et inde convictus fuerit, eo quod negavit feudo ejusve conditione expoliabitur, alius autem vasallus, quamvis hoc sciens non patefaciat, feudum tamen retinet, aut si aliam rem domini celaverit vasallus, feudum non amittit.

Feudum amittit qui feudum sciens inficiatur, vel feudi conditionem, id est, servitium feudo impositum, ut inf 21 et 39. Inde illud Gallorum, *Qui fief denie: fief pert.*, nam et hic dominum contemnere aut erubescere videtur. Dixi, sciens. Nesciens non amittit feudum, imo nec inficiator est: et multo minus si dubitans responderit. Dubitans negat, *l. Si quis testamentum. D. ad leg. Aq.* sed negat inscienter. Pro errante igitur, et ignorante habetur, *l. ult. C. de cond. ind. l. 2. D. quis ordo in bo. poss. ser.* ergo non pro inficiatore. Et hoc de ea etiam inficiatione accipiendum esse quæ fit extra judicium, quod sequitur indicat, non amittere vasallum forte alterum feudum proprium ob non detectam convasalli inficiationem: nam delegi eam quæ fit in judicio quid opus est? At etsi factam extra judicium non detexerit, qui sciebat vasallus alter, hic non ideo tamen feudum amittit, nec enim omnia quæ in rem sunt domini indicare domino vasallus debet, sed ea tantum quæ ad domini vitam, existimationem et patrimonii grandem jacturam spectant, ut *sup.* 3. *tit* 1. §. *Præterea*. Ait, *Vel feudi partem*. Et hunc recte censent interpretes partem tantum amissurum, exemplo ejus qui partem feudi alienavit contra Constitutionee.

TIT. VI. *De præscriptione feudi longissima.*

Si quis per triginta annos rem aliquam in feudum possedit, et servitium domino exhibuerit, quamvis ea de re non sit investitus, præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest.

De hac re diximus lib. 1. tit. ult.

TIT. VII. *Clericum feudum perdere.*

Qui clericus efficitur aut votum religionis assumit, hoc ipso feudum amittit.

Miles scilicet cui fuerat initio concessum, ut diximus 2. tit. 21.

TIT. VIII. *An vasallus qui se non exhibet domino, feudum amittat.*

Et si vasallus omni anno domino se non repræsentat, feudum tamen non amittit.

Relegantur quæ adnotavimus ad 1. tit. 20.

TIT. IX. *Omnes fidelis filios fidelitatem facere debere.*

Omnes filii ejus qui feudum acquisierit, fidelitatem facere debent, maxime si [1] indivisum habent: quod si feudum ex divisione ad unum tantum pervenerit, ille tantum faciet fidelitatem.

(1) γρ. *divisum.*

Legendum in contexto, *Si divisum habent*: quod et fragmenta probant. *Cum plures*, inquiunt, *vasalli paternum habeat beneficium donec illud indivisum possideat, una fidelitas, et unum servitium domino fieri debet (idque plerisque locis major natu præstat.) Si vero partitum fuerit, quot partes, tot erunt fidelitates*: at Constitutio Friderici, *Omnes*, inquit, *qui partem feudi habent jam divisi, vel dividendi, fidelitatem faciant*. Primum proponit Marchiam Ducatum, Comitatum non posse dividi, sed primogenito cedere vel eo inhabili existente, puta furioso aut infami secundogenito: quod etiam expressum est aurea bulla Caroli IV. Imp. Cetera dividi, ita ut omnes fidelitatem faciant: quod Guntherus in hunc modum:

Marchia seu Comitis possessio sive Ducatus
Integra permaneant, feudalia cetera multis
Participanda patent, domino dum quisque fidele
Spondeat obsequium jurandaque fœdera præstet.

Est et hujus rei arg. in *l.* 5. *in pr. D. com. divid.* Quid tamen dicendum est e contrario, si plures sint domini unius feudi? Et hoc casu placet pro feudo unam tantum fidelitatem esse faciendam dominatione divisa inter dominos, si unus sit vasallus, ut Const. Friderici. *de feudis non alien.* §. *Præterea Ducatus.* Eam igitur faciet cui voluerit ex dominis: quo jure utimur. Servitium omnibus debebit. Sin autem indivisa sit dominatio, fidelitas non fiet ante divisionem, quoniam, ut inferius fragmenta sive ut vocant capitula extraordinaria comprobabunt, secundum jus feudi non debet quis duas fidelitates pro eodem feudo facere. Et si faceret unam partibus indivisis, non posset partibus divisis alteram defugere, vel etiam manente communione quisque quasi dominus fidelitatem jurari reddique sibi postularet, nec quies esset vasallo antequam singulis ita contra jus naturamque feudi satisfecisset: itaque melius est expectari divisionem.

TIT. X. *Adoptivum in feudum non succedere.*

Adoptivus filius in feudum non succedit.

Ratio non est obscura. Adoptio non adfert jus sanguinis: et sanguini datur feudo, non adscititiis commentitiisque liberis. In alodiis tamen succedunt.

TIT. XI. *Filios secundi matrimonii tantum feminæ in feudum succedere.*

Mulier habens feudum, relictis filiis ex duobus matrimoniis decessit, inter quos feudi quæstio aliarumque rerum maternarum vertebatur: obtinuit filios [1] prioris matrimonii tam in feudo, quam in ceteris potiores esse.

(1) γρ. *posteriores.*

Nemo non iniquitatem in hac sententia testatur esse maximam: sed nos ita fingimus matrem acquisisse feuda vel alodia contemplatione secundi matrimonii, et ita inf. tit. 103. positam speciem legimus, et in contextu isto, posterioris matrimonii, non prioris, quam scripturam etiam titulus ipse confirmat, quem fide bona restituimus, sicut ceteros ut erant in vetustissimo feudorum libro. Acquisivit ergo feuda vel alodia contemplatione posterioris matrimonii, et ideo ejus tantum matrimonii filii in eis bonis ab intestato succedunt, licet alias ex S. C. Orfitiano omnes æqualiter succedant. Idemque dabimus liberis prioris matrimonii in rebus quæsitis prioris matrimonii contemplatione: quod receptum videtur exemplo *l. 4. C. de secund. nupt.*

TIT. XII. *Ut naturales post facti legitimi non succedant.*

Naturales filii licet postea fiant legitimi ad successionem feudi nec soli nec cum aliis admittuntur.

Filii naturales patri non succedunt, etiamsi post delatam successionem fiant legitimi, ut nec clerici, nec monachi, licet postea desinant esse clerici aut monachi, ut sup. 2. tit. 21. nec servi, licet postea fiant liberi. Matri tamen filii naturales succedunt ex S. C. Orfitiano, nisi sit mulier illustris quæ justos liberos habeat, *l. pen. C. ad S. C. Orfit.*

TIT. XIII. *De minore ad fidelitatem feudi non cogendo.*

Si minori datum fuerit feudum, fidelitatem facere non cogatur, donec venerit in majorem ætatem, in qua doli capax sit, feudum tamen retinet.

Si quis decesserit filio impubere relicto, fidelitatem nec ipse nec alius pro eo facere cogitur: idem de servitio personali: alius tamen pro eo faciens servitium, admittetur.

Minorem accipit pro impubere, ut indicat §. prox. et quod ait donec doli capax sit. Omnis enim pubes doli est capax, impubes incapax. Hic igitur fidelitatem facere non compellitur, nec tutor vel procurator ejus, nec ea hac causa feudum perdit: excusat eum ætas, et expectare debet dominus quoad adoleverit, quæ patientia interim pro fidelitate habetur. Servitium tamen per alium facit, et consequenter solvit ἀνταξίως, et ἰσοδυναμικῶς. Non cogitur alius pro eo fidelitatem jurare, quia nec dominus alium suscipere, si malit pubertatem expectare. Si cogi posset dominus suscipere fidem per procuratorem, eo casu et vasallus cogeretur eam præstare per se aut per procuratorem. Volenti domino non est dubium per tutorem recte fidelitatem præstari non minus quam servitium. A pubertate danda est fidelitas intra annum et diem ex Constit. Friderici: alioquin feudum proprietati consolidatur, restitui tamen minor in integrum potest, ut Doctores sentiunt recte, quod hodie, cum dominus ob fidelitatem non datam feudum non revocet, sed fructus tantum lucrifaciat, forte non procederet, propterea quod vix datur pro re mobili restitutio in integrum, et fructus solo separati mobilibus adnumerantur. Pubertatem autem æstimamus ex annis XIV. et in hac in ipsa causa definitum fuit in consilio Roberti regis Siciliæ in hæc verba: Si decesserit ille qui ad certum servitium a Rege feudalia quæcunque tenebat, successor intra annum et diem necesse habeat Regi fidelitatis et homagii ligii præstare juramentum: alioquin cadat omni jure, quod habet in feudalibus, quæ defunctus tenebat, et liceat Regi de eis pro sua voluntate disponere, et hoc si prædictus successor excesserit XIV. annum. Lutetiæ et aliis quibusdam locis contrarius est mos, ut puberes mares ante XX. feminæ ante XV. fidelitatem facere non cogantur: eademque est in omnibus causis pubertatis definitio. Bituriges eam æstimant ex annis XVIII. spadonum vere patria, quandoquidem ea ætate jure civili spadones soli pubescere, et testamenti factionem nancisci intelliguntur, auctore Paulo in Sententiis. Citius pubescunt aliæ nationes.

TIT. XIV. *Quando agnatus ad feudum admittetur vel excludatur.*

Titius filium masculum non habens, partem suam feudi Sejo partem ejus feudi possidenti agnato suo concessit. Sempronius proximior agnatus mortuo demum Titio partem illam feudi nullo dato pretio recuperare potest: quod si Titius filium haberet, pretio reddito etiam vivo Titio: quod si consensit alienationi, vel per annum ex quo scivit tacuit: omnino removebitur.

Emendato contextu, ut fecimus, sic ponatur species. Titius filium masculum non habens, partem feudi paterni vendidit Sejo agnato suo, qui et eam possidet modo, non tamen proximiori agnato. Si proximiori vendidisset, venditio haberetur pro refutatione, ut inf. 45. Sed quia Sejus non est proximior pro alienatione est, et valet alienatio secundum morem antiquum, vel consentiente domino post Constitutionem Lotharii: quapropter Sejus optimo jure eam partem feudi possidebit, quamdiu Titius vixerit. At mortuo Titio agnatus proximior, qui alienationi non consensit, eam a Sejo revocabit, non reddito pretio quasi successionis jure, ut inf. 45. et sup. 1. tit. 4. §. 1. Quod si Titius filium habuerit, non avocabit eam mortuo Titio, nisi et Titii filius, qui in successione feudi eum præcedit, mortuus fuerit: sed neque filius ullo modo, ut inf. 70. l. Seja. D. de evict. Igitur melius fecerit hoc casu, si quasi jure προτιμήσεως reddito pretio eam partem revocaverit vivo Titio, videlicet cum alienationi non consensit: alioquin nullum jus revocandi vel retrahendi habet, ut sup. 1. tit. 2. §. Præterea. Obstat etiam in eo jure agnato proximiori non ignoranti præscriptio anni, sicut domino, ut 2. tit. 9. §. pen. quam præscriptionem multæ nationes observant, Biturigibus finitur dieb. LX. Id ergo est ex hoc loco singulariter notandum, adversus remotiorem agnatum, qui feudum emit, proximiorem agnatum jure προτιμήσεως uti posse: quod discrepat cum moribus multarum gentium, et hoc fere tota Gallia vulgo jactatur, *Lignager sur lignager n'a point de retenue*, id est agnatus adversus agnatum non utitur jure προτιμήσεως. Consentiunt tamen omnino cum hoc jure mores Burdegalensium 2. §. 5. Unde si remotior agnatus ab extraneo emptore festinavit feudum revocare, multo magis dicam id proximiorem, qui modo veniat intra annum numerandum a die impletæ venditionis, remotiori agnato feudum evincere posse: quod Tricassini sequuntur. Illud tamen sane dissentaneum est, ut etiam non sequantur: nec enim si emerit remotior agnatus, ei proximiorem præferunt: multa sunt in moribus Galliæ dissentanea, multa sine ratione: ut quod de jure recepto Neratius scripsit non esse ejus anxie rationem inquirendam, ne multa ex his quæ certa sunt subvertantur, id Galliæ moribus aptari verissime possit, quod plerumque omni ratione destituantur petiti partim ex jure Gallico, partim ex imperitorum Doctorum sententiis male cohærentibus. Quod tamen agnatus adversus agnatum non utatur jure προτιμήσεως hanc dicunt esse rationem, quod introductum jus illud sit ne res exeant de familia: non exire autem eas de familia quæ in agnatum ulteriorem transferantur. Imo vero hæc non fuit causa inducendæ προτιμήσεως, alioquin et re extero alienata titulo dotis, vel donationis, vel permutationis, vel testamenti, vel transactionis non simulatæ locus esset juri προτιμήσεως quod est falsum, et Romani ac Friderici Constitutionibus vetitum nominatim, et id juris tantum sibi vindicant agnati in venditione, emphyteusi vel locatione. Imo in venditione tantum: nam etsi Constitutio Romani etiam de emphyteusi et locatione loquatur, interpretes tamen Græci scribunt in sola venditione eam usu fuisse receptam. Adjecerat etiam Nov. Michaelis sive Manuelis antichresim. Igitur nulla alia ratio est quam honestatis, ut cavetur secunda Constitutione Friderici de jure προτιμήσεως, et l. Dudum. C. de contr. empt. ut agnatus tantundem offerens præferatur extero, ergo ut conjunctior propinquiorque ulteriori: *Etiam vivo Titio*, proximus scilicet agnatus revocabit.

TIT. XV. *Dominus feudi tradere cogi.*

Si facta de feudo investitura pœniteat dominum antequam possessionem transferat: an præstando interesse vasallo liberetur, quæsitum fuit. Responsum est prætermissa illa condemnatione, dominum possessionem feudi de quo investituram fecit tradere compellendum.

De hac re diximus satis 1. tit. 1. §. *Si vero Archiepiscopus.*

TIT. XVI. *Quando filii in feudum non succedant.*

Filii nati ex ea uxore, cum qua matrimonium tali condictione contractum est ne filii ex ea nati patri ab intestato succedant: nec in feudum succedunt [1]. Nam quamvis ratione improbetur talis condicio, ex usu tamen admittitur.

(1) γρ. *non succedunt.*

In contextu legendum, in feudum non succedunt, ut et Baro notavit. De quæstione ejus tractabitur inf. tit. 32.

TIT. XVII. *Vasallum non teneri offerre servitium.*

Licet vasallus domino servitium non offerat quantocumque tempore steterit (dummodo domino petenti servire paratus sit) beneficium non amittit: si tamen sciat, ei magnum periculum imminere, ultro adjutorium suum ei debet præbere. Inde quæsitum est, si dominus in perjuriam incidat, quia dare non valeat quod dare juraverat: et vasallus eum liberare possit suam pecuniam dando et non facit, an beneficium amittat? et responsum est non amittere.

Et hoc etiam suis locis expositum est sup. vel primo, vel tertio libro.

TIT. XVIII. *Feudo amisso filios vasalli excludi.*

Si vasallus culpam committat, propter quam feudum amittere debeat: neque filius, neque descendentes ad id feudum vocabuntur: sed agnati qui quarto gradu sunt, dummodo ad eos pertineat.

Et hoc quoque lib. 3. tit. 2.

TIT. XIX. *Generali alienatione non contineri vasallos.*

In generali alienatione vasalli non continentur, nisi nominatim dictum sit.

Dominus feudum, id est, proprietatem feudi vendere non potest sine consensu vasalli, ut diximus 1. tit. 22. Cum curte tamen tota a qua feudum proficiscitur, et feudum nominatim vendere non vetatur: denique vendi feudum per se non potest, cum curte potest. Porro curtis, aut alodium est, aut feudum. Si feudum voluntate superioris domini alienari debet: si alodia, contrahentium voluntas sufficit. Sed sive hoc, sive illud sit, et jure licito simpliciter veneat, nihilque dicatur de feudis ad eam curtem respicientibus, feuda emptorem curtis non sequuntur, ut inf. 60. et hoc loco. In generali alienatione, curtis scilicet, vasalli non continentur, nisi nominatim dictum sit. Idem ego dixerim etiam de jurisdictione, quæ ex curte illa descendit, Jurisdictionem puta non sequi alienationem curtis, nisi nominatim dictum sit, sive veniant sola sive cum feudis: nihil enim commune habent feuda cum jurisdictione ut 1. tit. 2. §. Item si quis feu-

dum et 2. *tit.* 5. nihil alodis, ut in Const. Friderici *de pace com.* §. *Ad hæc.* Et ob id verius est a vasallo acquisitam jurisdictionem feudo non accrescere, ut 2. *tit* 9. §. *E contrario*, et eum qui ab aliquo feudum recognoscit, non videri etiam recognoscere jurisdictionem, et in generali sermone, ea quæ nobis cariora et pretiosiora essent, non contineri. Ac multo minus alienationem sequetur destrictio juris suprema de appellationum causis, ut merito cum Edoardo Regi Angliæ Carolus V. concessisset Aquitaniam cum vasallis et jurisdictione omni, negaverit se etiam remisisse de causis appellationum cognoscendi potestatem Hygenus de limit. const. Proprietatem quidem dari ei cui adsignabat: sed territorii intra quod adsignabat, jus non auferri. Puto autem hoc jure sicut feudum vasallus alienare non potest sine consensu domini, ita jurisdictionem qui accipit sine ejus a quo accepit voluntate neminem alienare posse: et hunc esse sensum *d.* §. *Ad hæc.* Hodie in Gallia, ut feuda patrimonialia esse censentur, ita et jurisdictiones. Venduntur enim curtes, sive proprio sive feudali jure teneantur cum jurisdictione. Et videtur etiam vendi mistum imperium non merum, quia non cohæret jurisdictioni: nisi dixerit, Omni, quod peremptorium vocabulum Valentinianus appellat: nam et merum imperium jurisdictio appellatur improprie, *l.* 1. *D. de off. ejus cui mand. est jur.* l. 1. §. *Et quia. D. de orig. jur.* ut jurisdictio de fideicommissis, quamquam hæc legis sit, ut merum imperium, non jurisdictionis. Jurisdictio est notio quæ jure magistratus competit. Mistum imperium est potestas quæ jurisdictioni inest. Merum, jus gladii, vel cujus alterius gravioris coercitionis nominatim lege concessum.

TIT. XX. *Vasallum repetere feudum quod ignorans alienavit.*

Si vasallus feudum alienavit ignorans, non domino, sed ipsi vasallo feudum restituendum est: ad interesse vero emptori ignoranti condemnandus est vasallus.

Ignoranti emptori feudi dari actionem de evictione. Ignoranti venditori dari repetitionem feudi: qua de re *inf.* 51.

TIT. XXI. *De pœna negantis feudum.*

Vasallus feudum quod sciens abnegavit, amittit, ignoranti vero subvenitur. Quod si dubitet, dubitanter respondere debet.

Adjicit de dubitante quod prætermiserat *supra titul.* 5.

TIT. XXII. *Feudum a vasallo in feudum dari posse.*

Beneficium a vasallo in feudum si nihil in fraudem legis fiat, recte dari potest dum tamen militi detur.

Abesse fraus debet, ut Constitutio Friderici declarat; et militi dari, cum militi initio datum est, ut fit plerumque: militiæ enim peperit feuda. Vasallus ergo qui miles est, non potest alii quam militi proprium feudum dare, ut *inf.* 38. §. *Similiter*, ne ab origine feudi recedat: non clerico, non pagano, non mulieri, quibus tamen initio recte dominus feudum daret.

TIT. XXIII. *Vasallum agere et conveniri de feudo posse.*

Si vasallus de beneficio suo agat vel conveniatur, sive obtineat sive non (licet ignorante domino fiat), omni tempore firmum erit illud judicium: nam et transigere recte poterit, nec quod accepit transactionis nomine feudum erit.

Feudi nomine vasallum dicere, et pati actiones etiam ignorante domino, rem igitur in judicium deducere potest, et ratum est judicium, etiamsi evincatur feudum, quo tamen casu si velit adversus dominum habere regressum, laudare eum debet ante condemnationem, ut *sup. tit.* 1. Quin et de lite transigere potest inscio domino, et quod acceperit transactionis nomine, in feudum non cedit, ut inf. 52. Sed et hic abesse fraus et collusio debet. Et transigere potest defendendi non alienandi aut diminuendi causa, ut Const. *Neap.* 3. *tit.* 5.

TIT. XXIV. *Quando proprietas feudi ad vasallum perveniat.*

Domino committente feloniam (ut ita dicam) per quam vasallus amitteret feudum si eam committeret: quid obtinere debeat de consuetudine quæritur: et respondetur proprietatem feudi ad vasallum pertinere, sive peccaverit in vasallum, sive in alium.

Hoc explicavi libro secundo tit. 5.

TIT. XXV. *Feudum iisdem de causis amitti, licet datum sit hæredi, et cui vasallus dederit.*

Feudum ea lege datum, ut ipse et hæredes sui masculi et fœminæ et cui dederit habeant, iisdem culpis amittitur, quibus et aliud feudum: quod si vasallus alienavit, feudum esse desinit apud emptorem.

Ea lege Titio datum est feudum, ut ipse et hæredes sui, et cui ipse dederit, habeant. Hac pactione datur Titio jus alterius feudum alienandi quasi proprium vel libellarium. Si dictum sit *Et cui dederit in feudum*, non posset Titius, nisi in feudum dare, et cui dedisset jure feudi retinere. Sed cum dixit, *Cui dederit*, debit etiam ita ut emptor habeat jure proprio vel libellario. Ex quo sequitur emptorem rem emptam ex his causis non amissurum, quibus feudum amitti solet: quia verum feudum non est. At hic respondetur, et *inf.* 57. mentem contrahentium exigere, ut hac in re jure feudi censeatur, et ut non tantum Titii si rem non alienaverit, sed etiam si alienaverit emptoris in persona, id juris iisdem modis finiatur vel amittatur, et ad dominum revertatur, quibus et verum feudum.

TIT. XXVI. *De pactione de non petendo feudo.*

Titius cum Sempronio fratre suo feudum paternum possidento pactum fecit de eo feudo non petendo a Sempronio hæredibusve suis. Sempronio sine hærede masculo defuncto, inter Titium et Sejum fratrem suum de eo feudo quæstio orta est, quid inde fieri debeat quæritur? Responsum est pactum non obstare Titio.

Hæc species explicata est *sup.* 2. *tit.* 14.

TIT. XXVII. *Vasallum pro domino belligerari.*

Domino guerram faciente alicui, si sciatur quod juste, aut dubitatur, vasallus eum adjuvare tenetur. Sed cum palam est quod irrationabiliter eam facit, adjuvet eum ad ejus defensionem, ad offendendum vero alium adjuvet, si vult. Sed si eum adjuvare noluerit, non tamen feudum amittet, secundum Obertum et Gerardum. Alii vero sine distinctione dicunt semper debere eum adjuvare. Sed Obertus et Gerardus utuntur eo argumento, quod quemadmodum dominum excommunicatum vel a Rege bannitum non est obligatus vasallus ad adjuvandum, vel servitium ei præstandum: imo solutus est interim sacramento fidelitatis, nisi ab Ecclesia, vel a Rege fuerit restitutus, ita nec istum injuste guerram alicui facientem.

Si injusto bello vasallus domino non adfuerit, feudum non amittit: nam et qui domino proscripto, vel communione ecclesiastica excluso non præstat suam operam, excusatur. Solet princeps nominatim proscriptorum vasallis jurisjurandi gratiam facere, Pontifex illorum quos execratur. Historiæ suppeditant exempla innumera. Sed et ipso jure solutos eos esse sacramento, hoc loco significatur. Et ipso jure proscriptos, sacros: repulsos, deteriores eos esse, qui injustum bellum gerunt.

TIT. XXVIII. *Propter cessationem servitii præstandi feudum non amitti.*

Ad hoc quantocunque tempore steterit vasallus quod domino non servierit, secundum usum Mediolanensem beneficium non amittit, nisi servitium facere renuerit, vel nisi a domino ei denunciatum fuerit, et ille cum potuerit diu steterit quod servitium nullum ei fecerit. Bonus tamen judex varie ex personis causisque definiet: et finge vasallum remotum esse, vel propinquum, paratum esse, vel non, dominum guerram habere, vel non, utrum magnam, vel parvam, et annuntiavit ei dominus, vel non, hæc omnia vertuntur in cognitione causæ, et promptiores sumus ad absolvendum quam ad condemnandum. Tum scias quod si vasallus sciat dominum obsideri, vel aliter ei mortem imminere, et cum potuerit ei non nunciaverit, vel

etiam sine nuncio cum non adjuverit, feudo privabitur.

Tractavimus hæc de re præcipua *lib. 1. tit. 29.*

TIT. XXIX. *De ædificio facto in feudo.*

Si vasallus in feudo aliquod ædificium fecerit, vel ipsum sua pecunia melioraverit, et contigerit postea ut vasallus sine filio masculo decedat, dominus aut patiatur ædificium auferri, aut solvat pretium meliorationis. Idem dico, si pretio servitutem fundo acquirat. Quidam alii dicunt omnino ad dominum pertinere.

De feudi incrementis diximus satis *lib. 1. tit. 1. §. Si quis de manso.*

TIT. XXX. *De fructibus feudi.*

Si vasallus decedat sine hærede masculo, et contingat feudum ad dominum reverti, sic distinguitur: quod si ante Martium, omnes fructus illius anni ex feudo provenientes, ad dominum pertinebunt. Si vero post Kalendas Martii usque ad Augustum, omnes fructus, qui interim percipiuntur, ad hæredes vasalli pertineant. Si vero post Augustum, omnes fructus anni percipiet dominus: quidam tamen dicunt quocunque tempore anni decedat, omnes pendentes fructus ad dominum pertinere.

Quæstiones est ejus anni quo feudum domino apertum est fructus ad quem pertineant. Finge commissum sive apertum esse feudum domino morte vasalli, qui decessit sine hærede masculo, relicta filia vel sorore, vel uxore. Utrum fructus ejus anni ad dominum, an ad filiam pertinebunt? Feudi ususfructus pertinet ad vasallum, ut sup. 3. tit. 1. Conferamus igitur vasallum cum fructuario. Fructus aut sunt pendentes, sive, quod idem est, stantes, aut solo separati: et hi vel extantes vel consumpti. Vulgo existimant ex fructibus pendentibus finiti vel amissi ususfructus tempore, fructuario nihil deberi, quod domino acquirantur, et omnes fructus eo tempore ab ipso fructuario terra separatos ad fructuarium pertinere: quæ opinio ut iniquissima et falsissima est. Fateor quidem fructus pendentes finiti usus fructus tempore domini esse, quod jus æquabile est, cum et fructus pendentes inchoati ususfructus tempore fructuarii sint, *l. Si pendentes. D. de usufr.* Sed ut si ususfructus pendentibus fructibus acquisitus paulo post interierit, non ideo minus domino ex eis fructibus debetur pro rata ejus anni: ita si post aliquot annos fructibus pendentibus interierit ususfructus, licet, fructus domino acquiri videantur, non ideo minus ex eis fructuario debetur portio rata: et ita licet fructus a terra separati et extantes videantur acquisiti bonæ fidei possessori, tamen in rei vindicationem domino rem suam esse petente veniunt non minus quam pendentes, *l. Certum. C. de rei vindic.* Sic igitur finito vel amisso usufructu, fructus pendentes, vel percepti dividendi sunt inter dominum et fructuarium pro rata temporis, quo ususfructus constitit in personam fructuarii in eo anno, *l. Si operas. D. de usufr. l. 5. §. ultimo, D. si usufr. pet.* et nihil interesse opinor percepti extent an consumpti sint: nam et consumptorum ratio habenda est: nihil etiam interest ab eo percepti sint, vel ejus nomine, quos solos fructuarius et colonus suos faciunt, *l. In singulis. D. de annuis leg. l. Si apes. §. ult. D. de furt. §. Is vero. Instit. de rer. divis.* an sua sponte deciderint, vel ab alio decerpti aut desecti fuerint, quos tamen antequam apprehenderit fructuarius suos non facit: quo de re distat a domino, a bonæ fidei possessore, ab emphyteuticario, qui quoquo modo terra separatos fructus suos faciunt, *l. 12. §. ultimo, D. de usufr. l. Qui scit. §. penult. D. de usur. l. Si fructuarius. D. quib. mod. usufr. amit.* Igitur sive tempore finiti ususfructus pendeant fructus, sive a solo separati sint, et ii sive extent, sive consumpti sint, sive ab ipso fructuario sive quo alio modo a solo separati sint, ita ineunda est ratio inter dominum et fructuarium, ut pro rata præteriti temporis quo eo anno constitit ususfructus portio fructuario vel hæredi ejus præstetur, quod superest domino. Nec obstat *l. Defuncto. D. de usufr.* quia in ejus specie anno integro duravit ususfructus, et ideo agrorum pensiones integræ hæredi fructuarii debentur, licet tardius inferantur. Eadem omnino ratio intervenit in emphyteuticario et colono et eo qui libelli aut precario jure possidet, ut dividantur novissimi anni fructus pro rata temporis, quo in eorum persona ea jura constiterint. Finge anno x. prædium fuisse domino commissum: est enim in iis omnibus negotiis commisso locus. Æquum est ut illorum lucro cedant fructus pro rata anni decimi, ut illi inter virum et uxorem, inter quos fructus fundi dotalis dividuntur pro rata ejus anni quo diremptum est matrimonium, *l. Cum in fundo. §. Divortio. D. de jur. dot. l. Fructus §. Pap. l. Si alienam. l. Si marito. §. ult. D. sol. mat. l. 1. § Sed et novissimi. C. de rei ux. act.* et non tantum fructus terra separati, sed etiam pendentes, *d. l. Fructus. §. Interdum.* Eandem divisionem observari inter vasallum et dominum ratio juris exigit, puta ut fructus cedant lucro vasalli hæredisve ejus pro rata anni ejus, quo feudum domino commissum vel apertum est, quam qui non tenuerunt, et in usufructu non admiserunt, ita in feudo rationem inierunt, primum ut fructus omnes solo separatos etiam extantes statuerent ad filiam pertinere, pendentes ad dominum, idque exemplo creditoris, ut est in fragmentis, qui si pignus acceperit lege ἀντιχρήσεως, tempore dissoluti pignoris, id est, solutæ vel depositæ et consignatæ pecuniæ fructus jam solo separatos, etiamsi nondum consumpti sint retinet usurarum vice, et pendentes tantum restituit reputetve in sortem, *l. Si pignore. §. Si prædo. D. de pig. act. l. Ex prædiis. C. de usur.* et hoc quidem exemplum in fructibus perceptis et extantibus omnes admiserunt uno consensu, perperam: cum perceptos fructus creditor retineat ex conventione usurarum vice, vasallo hæredive ejus nulla conventio dederit jus retinendi ex fructibus plusquam ratio temporis ferat, quo apud eum jus feudi fuerit. In pendentibus dissenserunt: et hac etiam in parte omnes erraverunt, ut Baldo et Ysernæ videtur, et mihi constat. Alii, ut dixi, omnes fructus pendentes domino adjudicaverunt quoquo tempore vasallus mortem obiret. Alii tempore ita distinxerunt, ut si obierit ante Kalen. Mar. omnes fructus pendentes ad dominum pertineant, si post Kal. Mar. usque ad Kalend. Augu. omnes fructus, qui interim percipientur, etiamsi pependerint moriente vasallo, ad filiam pertineant: hi sunt hordeum, fœnum, legumina. Si post Kal. Aug. ut omnes fructus eo tempore pendentes ad dominum pertineant, puta messes frumentariæ, et triticariæ, et vindemiæ, et poma, et oleæ. Denique secundum horum opinionem fructus pendentes moriente vasallo ad dominum pertineant, nisi moriatur post Kal. Mar. quo casu fructus, qui usque ad Kal. August. percipientur, veluti pro rata temporis, quo jus feudi in persona defuncti eo anno constitit, filiæ relinquunt, id est, fœnisicia, messes hordearias et fabarias et alia legumina: quod superest, domino: eandemque rationem servari dicitur *inf. 54.* inter hæredem vasalli et agnatum qui repudiavit hæreditatem. Hæc vero non est æqua proportio. Finge mortuum vasallum mensis Martii suprema die, totius anni fructus esse c. messes hordearias et fabarias, et fœnisicia esse xl. messes frumentarias et triticarias, et vindemiam, et olivinam fuisse lx. Si dederis filiæ omnes messes hordearias, et fabarias, et fœnisicia, plus æquo dederis. nam cum quarta tantum parte anni; id est, mensibus tribus, apud defunctum jus feudi resederit, ἀναλόγως quarta tantum pars redituus annui filiæ debetur: xxv. igitur non xl. Et contra, si messes hordeariæ, fabariæ, fœnariæ sint tantum xx. cetera lxxx. injuriam feceris filiæ vasalli, si non xxv. sed xx. tantum ei dederis. Deinde si vinea fuerit data in feudum, et vasallus Augusto decesserit, erit iniquissimum si nihil filiæ vasalli dederis. Præterea cur si ante Kal. Martias obierit, nihil etiam dederis pro rata. Igitur melius est sequi exemplum fructuarii et mariti, et ceterorum, qui cum domino dividunt fructus omnes pendentes, vel perceptos pro rata anni ejus quo finitur perimiturve ususfructus, aut matrimonium dirimitur. Et si vis etiam tibi explicari sæpe vexatam speciem §. *Papinianus*, nimirum hæc est: Nuptiæ vindemiæ tempore factæ sunt, hoc est mense Octobris, dataque in dotem vinea eodem ipso mense. Vir collectis vindemiis ex Kal. Novemb. vineam fruendam locat, supremo die Januarii discessio sit, qui tertius mensis est a locatione, quartus a die nuptiarum. Si fructuum divisio ex die nuptiarum non fiat, sed ex tempore locationis, ante locationem perceptos fructus integros vir retinebit, et quartam partem mercedis locationis ex quo ad divortii diem tres numerantur menses, quæ anni quarta pars est. Itaque cum quatuor tantum mensibus duraverit matrimonium, vir anni unius et quartæ partis alterius fructus retinebit: quod si admittimus, illud quoque admittemus, si collectis vindemiis altera die dissidium intervenerit, virum integros fructus retenturum, quo nihil dici iniquius potest. Quamobrem si quatuor mensibus duravit matrimonium, et fructus percepti a die nuptiarum (percepti autem sunt in casu nostro vindemiæ fructus, percepta quarta mercedis anni instantis pore) si multo majores fructus sint quam pro tempore matrimonii, pro ratione temporis dividentur, ut si tertia anni parte stetit matrimonium, tertiam fructuum vir retineat. Fructus itaque vindemiæ cum quarta parte mercedis ejus anni in quem locatus est fundus, commiscebuntur, et ex ea pecunia viro tertia portio relinquetur, qui tertia quoque parte anni onera sensit matrimonii. Sed hoc apertius dicamus. Kal. Octob. uxorem duxi, dedit mihi in dotem vineam fructus mei esse videntur quos ex eo die ex vinea dotali percepi. Quare si vindemiis collectis fruendam locavi, exactis mensibus tribus locationis, quo tempore quarta mercedis pars mihi emerita est, uxor a me divertit, et vindemiæ fructus, et quartam mercedis partem videor meo jure posse retinere. Sed obstat æquitas, neque patitur te et præcedentis anni fructus omnes, et instantis quartam partem retinere, qui quatuor duntaxat mensibus in matrimonio vixeris. Quare ad illud itur, ut vindemiæ fructus et quarta mercedis pars confundantur, et commisceantur, et ex ea omni pecunia tertiam partem feras, qui tertiam quoque partem anni cum uxore vixeris. Cetera quæ ad eam speciem pertinent, exposui Julii Pauli 2. Sentent. tit. 22.

Vid. Joan. Rober. Animad. lib. 2. cap. 10

TIT. XXXI. *De auxilio vasalli.*

Contra omnes debet vasallus dominum adjuvare, et contra fratrem et filium, nisi contra alium dominum antiquiorem, hic enim ceteris est præferendus.

In veteri libro quod non erat, quodque interpres non agnoverat, *Et patrem*, delevi. Igitur vasallus contra fratrem et filium suum domino opem ferre debet, non ut arbitror, contra seipsum, non contra patrem suum, cui jure naturali et civili debet fidem, obsequium, honorem, domino feudi jure civili tantum, non contra dominum antiquiorem, non contra Imperatorem vel Regem, nisi sit αὐχολίμαιος ἢ ὁμόλογος id est, ligius. Excipi semper Imperatorem Fridericus voluit.

TIT. XXXII. *Quando filii in feudum non succedunt.*

Quidam habens filium ex nobili conjuge: post mortem ejus non valens continere, aliam minus nobilem duxit, qui nolens existere in peccato, eam desponsavit, ea lege, ut nec ipsa nec filii ejus amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsaliorum, verbi gratia decem libras vel quantum voluerit dare quando eam desponsavit, quod Mediolanensea dicunt accipere uxorem ad morganaticam, alibi, lege Salica, hic filiis ex ea susceptis decessit. Isti in proprietatem non succedunt, aliis extantibus, sed nec in feudo, etiam aliis non existentibus, qui licet legitimi sint, tamen in beneficio minime succedunt. In proprietate vero succedunt patri: prioribus non existentibus, succedunt etiam fratribus sine legitima prole decedentibus secundum usum Mediolanensium.

Pactione fieri potest, ut filiæ in feodum succedant, habita cum domino in investitura. Pactione etiam fieri potest ut filii non succedant, non tantum habita cum domino in investitura, sed etiam cum fratre, ut dixi *supra* 2. *tit.* 14. vel cum uxore in contractu matrimonii, ut supra 16. in hac specie. Titius filium ex nobili uxore susceperat, ea mortua duxit aliam ignobilem ea lege, ne filii ex ea nati ei succederent ab intestato, et omnino, ut neque ipsa, neque filii ejus amplius ex bonis suis ferrent quam quantum dixerit dederitve, mane diei nuptiarum, quæ dictio donatione a Græcis dicitur ὑπόβολον, Germanis *Morgencap*, sive *Morgangheba* in legibus Longobardorum sæpe, et Ripuariorum 39. et Alamannorum 56. quod mane die nuptiarum a viro in mulierem conferri soleat quasi ὄρθριον δῶρον. Greg. Toronensis in exemplo pactionis initæ inter Guntramnum et Childebertum Reges. *Tam in dote quam in Morgangheba, id est matutinali dono.* Quin et Mediolanenses, cum in matrimonio intervenit ὑπόβολον eadem ratione id dicunt contrahi ad morganatum, sive morganaticam, id est, dato hypobolo, data *morgangheba*, et ita Albertus Argentinensis in Chronicis, *Tanquam matri suæ per Rodolphum regem morganatico jure donatum.* Aliis locis, matrimonium contrahi lege Salica: nam ex lege Salica Francorum Orientalium mane diei nuptiarum maritus uxori constituit ὑπόβολον. Nati autem filii ex patre nobili, matre plebeja, nobiles sunt, quia mater per nuptias nobilitatem adepta est, *l. Mulieres. C. de dign.* Contra nati ex patre plebejo, matre nobili, plebej sunt: nam et ipsa per nuptias facta est plebeja, *l.* 1. *C. eod. l. Feminæ. ff. de senat.* ut Virginia cum esset patritia per nuptias facta est plebeja, Livii x. idque congruit cum antiqua definitione juris, ut connubio interveniente liberi patrem sequantur semper, *l. Cum legitimæ, D. de sta. hom.* quod tamen Trirasemi et aliæ quædam nationes non servant: nam sive plebejæ nobilibus sive nobiles plebejis nubant, filii melioris parentis condicionem sequuntur, nobiles quæ et in veterum Glossis gennades et mulieres lucæ, ex forma qua boves luce Lactantius de opificio Dei. *Potestne aliquis cum videat etiam boves lucas cum immanissimis corporibus servire homini*, vulgo corropilissimo, boves et vaccas, aut equos. Sed redeamus ad rem. Titius, qui ex uxore nobili jam mortua filium habebat, duxit plebejam ea lege ne liberi ex ea suscepti ab intestato succederent, nolens, inquit, existere in peccato, id est, ne faceret injuriam filio prioris matrimonii, et memoriæ uxoris primæ. Conventio valet, et filii secundi matrimonii, existente filio primi matrimonii, neque in feudum, neque in alodem patri ab intestato succedent. Non existente filio, succedunt in alodem, non etiam in feudum. Succedunt quoque invicem in omnia bona, et præferentur fratribus consanguineis ex patre tantum conjunctis, id est filiis prioris matrimonii si qui supersint, secundum *Nov.* 84. Succedent et sine dubio fratribus illis consanguineis, qui neque liberos, neque utroque parente conjunctos fratres eorumve fratrum filios reliquerint. Secundum hæc quæ diximus, hæc pactio strictius accipitur in alodiis, quam in feudis. In feudis enim valet, sive extent filii prioris matrimonii, sive non. In alodiis non valet, si deficiant filii prioris matrimonii. Feuda reguntur moribus: Alodia legibus, quibus obrogare omnino pactiones privatorum non possunt. Legibus autem eæ pactiones sunt valde contrariæ. *l. Pactum. C. de pac.* et in feudis tantum præcipuè vim suam exercent.

TIT. XXXIII. *Quando filia succedit in feudum.*

Si femina habens feudum decesserit, quia femineum est feudum, et sine pacto speciali, deficientibus filiis masculis, ad filias pertinebit. Obertus et Gerardus. Alii vero dicunt, nisi per pactum speciale ad eas non pertinere, sicut si datum esset masculo, quia si ideo quod est femineum, sine pacto transit in feminas, eadem ratione, quia est femineum, transire debet in femineam prolem, etiam masculis extantibus, quod falsum est. Ex hoc illud descendit quod dicitur clericum nullo modo in beneficium paternum debere succedere, etiamsi postea hunc habitum post posuerit. Idem in omnibus, qui habitum religionis assumunt, ut Conversi: hi enim nec postea in feudo succedunt, et si quod habent perdunt.

Sententiam hujus tituli exposui lib. 1. tit. 12.

TIT. XXXIV. *Pater feudum amittente, filios non succedere.*

Vasalli feudum delinquentis, licet ad agnatos quandoque pertineat, filius tamen ad id nullatenus aspirabit, nisi id iterum a domino licite acquirat, scilicet gratiam ei faciente, verbi gratia, si non sunt alii ex latere, quibus aperiatur. Ad ejus petitionem admittuntur, qui quarto gradu sunt remoti ab eo qui acquisivit, et etiam usque ad infinitum, dum tamen hos constet ab eo per masculum descendisse.

Docet vasalli delinquentis feudum nonnunquam ad agnatos pertinere, puta si in alium quam dominum deliquerit, quod explicuimus 3. *tit.* 2. et eo tamen casu excludi filios vasalli, nisi id iterum a domino licite acquisierint, scilicet gratiam ei faciente, ut fit plerumque deficientibus agnatis: ut ita filia succedit in feudum, si a domino postulaverit hanc gratiam apponi sibi, ut *supra* 1. *tit.* 25. Gratia domini vocantur qui jure non vocantur: et potior est gratia jure. Vocari autem agnatos in infinitum: qua de re 1. *tit.* 1. §. *Hoc quoque sciendum.*

TIT. XXXV. *De Probatione investituræ.*

Sive clericus sive laicus sit dominus, ad probandam novam investituram semper pares curiæ sunt necessarii: et si sine eis facta sit investitura, etiamsi dominus confiteatur factam, quia tamen sine hac solemnitate facta est, non valet, etiamsi probari possit per breve testatum. Sed alii contra testantur: et si dominus confiteatur factam, decurrens postea ad [1] solemnitatem consuetudinis, non audiatur, sed tale habeatur ac si pares adfuissent: sed alii, etiamsi probari possit per breve testatum, ut Obertus et Gerardus, nisi a paribus curiæ fuerit confirmatum. Consules tamen Mediolanenses nuper quibusdam contra rescripserunt, in quo fere omnes Mediolanenses consenserunt et consentiunt, ut breve testatum non a paribus, sed ab aliis confirmatum sufficiat ad probandam novam investituram. Novam investituram dico, quando feudum primo quæritur. De veteri autem beneficio investituræ quæ fit a domini successore, vel [2] vasallo successori, etiam extranei recipiuntur ad testimonium, præter feminas, secundum usum Mediolanensem. Istæ enim nec in causis feudorum nec aliorum recipiuntur ad testimonium, ceteri autem recipiuntur in omnibus quæ ad causas feudi pertinent, præter quam de nova investitura.

(1) γρ. *nobilitatem.*
(2) γρ. *vasalli.*

Quæ ad hunc locum pertinent exposuimus 2. *tit.* 3. 4. id tantum est omissum, in investitura feminas ut asperaint non posse rogari, sicut nec in aliis actibus solemnibus. Et generaliter significatur in more Mediolanensi nec in feudorum nec in aliarum rerum causis mulierum testimonium recipi: quod fuit jus antiquum Pop. Romani, *l.* 1. *C. Th. de rap. virg.* Testes esse possunt. Superstites esse non possunt. Testium duo sunt genera, Testes, et Superstites. Videnda *Nov. Leonis* 48.

TIT. XXXVI. *Quot modis feudum acquiratur.*

Sciendum est itaque feudum acquiri investitura, successione, vel eo quod habeatur pro investitura, et

ecce si dominus alicui coram paribus curiæ dixerit. Vade in possessionem illius feudi, et teneas illum pro feudo. Licet enim non intercessisset investitura, tamen tale est ac si intercessisset, quia ejus voluntate possessionem nactus est feudi nomine. Inde etiam dicitur, quod si aliquis probaverit se aliquid nomine beneficii aliquo tempore tenuisse domino præsente et non contradicente, et servitium ejus quis a vasallo recipiente, licet non probet investituram, veruntamen obtinebit præstito juramento, nisi aliud contra inducatur Quod autem dictum est, per pares probetur investitura, intelligendum est de eo domino qui alios habet vasallos, ceterum sufficiunt extranei. Nec dicatur ideo investituram ubi sine paribus facta est, [1] valere, quoniam tunc temporis aberant pares, quia etiamsi absint, tamen expectandi fuerint. Sacramentum non semper est dandum possidenti, sed quandoque possidenti, quandoque petenti, quandoque neutri datur, et cum alicui horum datur, ita demum datur, si aliquid pro eo sit quod judicem moveat, ubi nihil est quod faciat pro aliquo eorum præter possessionem solam, tunc secundum quod judici melius visum fuerit, aut possidenti dabitur sacramentum, aut actore nihil probante, qui convenitur etiam si nihil præstiterit, obtinet. Et cum datur, aut datur a judice, aut a parte: si a parte, aut subeat cum duodecim sacramentalibus secundum inferiorem distinctionem, aut referat pars cui delatum est: si a judice, juret cui delatum est, cum duodecim. Vasallus cum sex parentibus ceteros si vult, habeat extraneos: dominus vero si vult, cum parentibus, aut cum vasallis solis, aut cum parentibus, vel cum extraneis mistis, vel vasallis, et jurabit vasallus semper sine mentione conscientiæ. Dominusque de suo facto similiter. De facto vero patris vel avi, aut alterius ascendentis, juramento conscientiam solum apponet. In quibus causis sacramentum calumniæ a domino non exigetur, quod nuper Rex Fridericus in [2] Romandiola constituit, ut vasallus calumniæ sacramentum a domino non exigat: quod etiam a parte domini intelligendum est, ut quod quisque juris in alium statuit, ipse eodem jure utatur. Similiter vasallus dominum accusare, vel testimonium contra eum reddere non potest in civili causa aut criminali. Quidam tamen dicunt in criminali non licere, in civili modica licere, in quibus si contra fecerit, feudo privabitur.

(1) γρ. *non valere.*
(2) γρ. *Roncalia.*

Quod dicitur initio, quemadmodum accipiendum sit diximus 1. *tit.* 26. et pleraque ex his quæ hoc titulo continentur 1. *tit.* 1. §. *Si autem controversia*, et *tit.* 28. et multis aliis locis. Cum autem dixisset investitura feudum acquiri, statim subjicit, non aliter eam valere quam si fiat coram paribus, si dominus et alios vasallos habuerit: ceteroquin sufficere extraneos, ut et supra dictum est 2. *tit.* 3. valere igitur factam investituram coram extraneis, si nulli fuerint pares, vel etiam si qui sunt, abfuerint, ut *supra* 1. *tit.* 28. Est enim in hoc contextu ita legendum, *Nec dicatur ideo investituram ubi sine paribus facta est non valere, quoniam tunc temporis aberant pares, quia etiam si absint, tamen temporis aberant pares, quia etiam si absint, tamen expectandi fuerint.* Et quod ait, *Quia*, ratio est opinionis improbatæ, quia in eam nos vult compelli non debere. Præterea docet hoc loco deficientibus probationibus jusjurandum modo reo, modo actori deferri, modo neutri, arbitratu judicis, quod et variis locis demonstratum est superioribus libris: et notandum quod ait ei plurimum deferri jusjurandum, a quo præsumptio facit, ut *tit. seq.* ubi si quæratur an unus testis præsumptionem sive probationem semiplenam faciat, dicam hujus rei disquisitionem totam esse positam in arbitrio et religione judicantium. Non haberi quæstionem ob unum testem, ne de servis quidem alienis probat *l. Maritum D. de quæst.* quam male interpretes adstringunt ad servos proprios, nec temere igitur jusjurandum deferri ob unum testem: quam tamen momentum aliquod adferre volunt vulgo ex *l. Theopompus. D. de do. præl.* male accepta, ut Alciatus docuit. Ad hæc duo facit hoc loco genera jurisjurandi, unum quod a judice, alterum quod a parte defertur, hoc voluntarium soleo dicere, quia ex pactione et conventione venit, *l.* 1. *l. Qui jurasse.* §. *ult. l. Sed et si servus.* §. *ult. D. de jurejur.* sive in judicio deferatur, sive extra judicium, de quo in *l.* 17. *in pr.* et *l.* 28. §. *ult. D. eod.* Illud judiciale. Necessarium est quod refertur, ὅρκος ἀντεπαγόμενος: necessario enim jurare debet is cui refertur, nisi velit rem amittere, ut 1. *tit. ult.* et 2. *tit.* 3. et 15. Refertur voluntarium quod delatum est. Judiciale non refertur. Jurare autem debet pars cui defertur jusjurandum cum XII. sacramentalibus. Vasallus cum sex cognatis, alios necesse non est esse cognatos. Dominus cum XII. cognatis, vel cum XII. vasallis, aut partim vasallis, partim cognatis, partim extraneis, partim cognatis: qua in parte erat hic contextus misere depravatus. Subjicitur et alia differentia inter dominum et vasallum. Vasallus jurat semper sine mentione conscientiæ, puta se investitum a L. Titio, non se credere aut existimare: nam et si successione ad eum feudum pervenerit, investitus fuit de veteri beneficio. Dominus autem de suo quidem facto jurat præcise, puta se investituram non fecisse, de facto parentum suorum non ita jurat, sed se nec scire nec credere factam a parentibus investituram, quia nec posset de eorum facto præcise jurare liquido, ut *infra* 72. ubi etiam adjicit, *semper*, ut hoc loco ex Veteribus reposui, *Et jurabit vasallus semper sine mentione conscientiæ. In quibus.* Regulariter qui defert jusjurandum, jurat ipse prius de calumnia, *l.* 11. §. *pen. D. rer. amot. l.* 34. §. *Qui jusjurandum l.* 37. *D. de jurejur. l. ult. C. de fidei. l. Delata. C. de reb. cred.* Sed remitti id legimus patrono, non liberto. At in his feudorum causis tam vasallo quam domino remittitur. Potes hujus loci argumento si tantum auctoritatis ei dederis, tentare idem dandum esse liberto, ut sit jus æquabile. Potes et hoc generaliter extendere in litem totam, et in litem omnem, ut etiam quod ultro uni ex litigatoribus concesserit princeps, eo fruatur pars adversa, ne plus oneretur unus quam alter, et quod remittitur uni, ut remittatur etiam alteri, *l. ult. C. de fruc. et lit. exp.* In formula jurisjurandi est inæqualitas, sed necessaria. In conditione sacramentalium est inæqualitas, sed parvi momenti. Id autem ne dominus feudi juret de calumnia refertur Fridericum constituisse in Roncalia: sic legendum, non Romandiola, et est similis error infra 49. Romandiola est exarchatus Ravennæ. Roncalia sive Roncalim, campi supra Padum non procul a Placentia, in quibus solebant olim Imperatores conventus agere solemnes. Abbas Urspergensis: *Roncaliæ mos Longobardorum est justitiam suam requirere, et ab Imperatoribus recipere.* Guntherus 2. Ligurini:

Roncaliam properat rapidis attingere castris.
Est locus Italiæ modicum sejunctus ab urbe,
Cui quia pulcra situ placet inde Placentia nomen.

Et alio loco:

Cura Roncaliis certo mandatur habenda
Tempore, etc.

Illud postremo adjicit, vasallum adversus dominum non audiri, nec in civili nec in criminali causa. Et quod ait, *Modica*, erat loco motum. Id inde reposuimus hoc modo. Quidam tamen dicunt in criminali non licere, in civili modica licere, qua de re lib. 2. titulo 5.

TIT. XXXVII. *Si inter dominum, et vasallum de beneficio contentio sit.*

Si inter dominum et vasallum controversia sit de beneficio, possidente domino, et vasallo in probatione deficiente, qui convenitur, nullo præstito sacramento absolvatur: vasallo vero possidente, et actore in probatione deficiente, si longa sit vasalli possessio, ejus juramento causa finiatur: ubi vero nova est possessio, sacramentum ei non præstabitur, sed domino deferetur, nisi aliud faciat pro possidente.

Poni videtur hoc loco alia differentia inter dominum et vasallum. Agente vasallo, nec probante, domino defertur jusjurandum, ut 1. *tit.* 1. *Si autem controversia.* Hic dicit ei jusjurandum remitti: quod ita abscisse accipiendum non est: alioquin remitteretur etiam vasallo, ut *sup. tit. prox.* §. *In quibus.* Sed remittitur domino officio judicis, ut *sup. tit. prox.* non jure ipso, licet frequenter remittatur. Domino non probante, vasallus jurat si longa ejus possessio fuerit: si nova, dominus nisi magna præsumptio faciat pro vasallo: quod totum pendet ex arbitrio judicis, ut 1. *tit.* 1. §. *Cum autem.* et 7. et 2. *tit.* 11. §. *ult.* et 15. et *hujus libri tit.* 2. 3.

TIT. XXXVIII. *De lege Conradi.*

Lex Conradi de beneficiis, quæ dicit: Si inter Capitaneos controversia sit, coram Rege finiatur: si inter valvasores, coram paribus curiæ. Mediolani non tenetur, sed talis distinctio ibi observatur: quia si inter duos, quicunque fuerint, de beneficio regali controversia fuerit, quorum uterque a Rege se dicit investi-

tum fuisse, tunc causa coram eo decidatur: Ceteræ vero causæ apud pares curiæ.

Si inter pares duos de aliquo beneficio controversia sit, quorum uterque suum feudum proprium esse dicat, sive assorant eundem investitorem, sive diversos, coram judice vel arbitro finiatur. Sed cum unum producunt investitorem, si possidenti sine fraude dominus guarentare voluerit, ipse obtinebit, nisi adversarius contra aliquid induxerit.

Ex eadem lege descendit, quod dominus sine voluntate vasalli feudum alienare non potest, quod Mediolani non obtinet: ibi enim sine curia etiam beneficium totum recte alienatur: dum tamen aut æquali domino, aut majori vendatur. Inferiori vero sine vasalli voluntate non licet partem alienare, etiam majori retenta parte alia feudi, verbi gratia, est vasallus qui ab eodem domino in pluribus locis feudum tenet, si partem feudi in uno loco vendat, in alio sibi teneat, is te non debet emptori, sed per priorem dominum totum beneficium recognoscere, cum curia vero cuicunque beneficium etiam rustico et sine vasalli voluntate potest, dum tamen totum alienet. Obertus. Quidam autem dicunt, ut Gerardus, non valere si fiat inferiori.

Similiter nec vasallus feudum sine voluntate domini alienabit, in feudum tamen recte dabit, si secunda persona sit talis, quæ feudum servire possit: ut si dans miles est, et ille, qui accepit, inveniatur miles, ad hoc ut feudum si contigerit, domino similiter servire, ut et prior possit, et hoc dare liceat in infinitum. In quibusdam tamen curiis ultra tertiam personam feudi consuetudo non extenditur, ut cum feudum pervenit in quartam personam, ei auferre dominus possit. Profecto ille, qui suum beneficium alii dat in feudum, non debet alia lege dare, nisi qua ipse habeat: ut si habeat sibi suisque hæredibus (quod intelligi debet de solis masculis) non debet alii dare, ut habeat ipse et sui hæredes masculi et feminæ. Unde quibusdam placet, quod eo ipso beneficium amittat. Gerardus et alii, et qui dedit, et cui datum est, beneficium perdit. Secundum alios vero, ut Obertum, tunc domino aperitur, cum masculi defecerint.

De primo capite Costitutionis Conradi diximus lib 1. sed dicit eam Mediolani non servari, nisi de beneficio regali lis sit. Ceteras capitaneorum lites agitari coram paribus, non coram Rege, id est, Imperatore. Adjicit auctor sequutus sententiam ejusdem Constitutionis, litem de feudo quæ est inter duos pares dirimendam esse a judice ordinario, vel compromissario. quod quemadmodum accipiendum sit diximus 1. tit. 15. et 2. tit. 15. et si forte unum eundemque investitorem producant, ait secundum possessorem dandam esse litem, cui dominus guarentare voluerit, id est, pro quo liti subsistere et defensionem suscipere voluerit. Est enim antiqua Germanorum vox *Guarent*, qua significatur auctor, qui de evictione tenetur. Is igitur quem dominus defenderit in possessionis causa obtinebit. In principali autem causa vincet, qui de jure suo melius docuerit. In contextu emendavi. *Si possidenti sine fraude, dominus guarentare voluerit, ipse obtinebit. Sine fraude*, id est, sine vitio, ut in Constit. Friderici de pace ten. §. *Si duo. In §. Ex eadem*, ponitur aliud caput legis Conradi, ut dominus sine voluntate vasalli feudum alienare non possit, quod exposuimus lib. 1. tit. 22. Contempserunt id aliam Mediolanenses, ut et Constitutionem Friderici de petenda investitura intra annum et diem, et alias plerasque, qui Imperatoribus prope natura fuere semper infensissimi. Et e contrario vasallum quoque non posse feudum alienare sine domini voluntate In feudum tamen alii rursus dare posse, dummodo militi dat, cum et ipse miles est, ut sup. 22. et eadem lege qua accepit: nam si accepit sibi et suis hæredibus, quod de masculis intelligitur, ut sup. 1. tit. 8. non potest dare alteri ejusque hæredibus tam masculis, quam feminis, aut si ita dederit, feudum statim domino aperietur, vel non statim, ut Obertus existimat, sed cum masculi defecerint: quæ sententia humanior est. Potest quidem arctiori lege quam ipse habeat in alium feudum transferre, ut est in fragmentis, sed non meliori, ne deteriorem feudi causam faciat, ut sup. 2. tit. 9. §. *E contrario.* Item ultra tertiam personam feudi consuetudo (sic legendum; non concessio, id est, proprium jus feudi, ut 2. tit. 3. § ult.) non extenditur. Capitaneus feudum suum dat majori valvasori: major valvasor minori: minor valvasino: sed in valvasino feudi consuetudo non servatur; nam ei feudum auferri quandocunque potest ab eo qui dedit vel a majori domino, cui tamen si concurrant præfertur qui dedit. In curia Mediolanensi feudi consuetudo in infinitum extenditur: idemque juris est valvasinis quod valvasoribus, ut sup. 1. tit. 1. et 3. et 2. tit. 10. quo jure utimur. Ejusdem Constitutionis, quæ integra proponetur sequenti libro, de successione feudi aliud caput Gerardus exposuit tit. 1.

TIT. XXXIX. *De pœna inficiantis feudum.*

Si fuerit inter dominum et vasallum de beneficio controversia, domino dicente, hoc, quod tenens in feudum a me habes: ille vero negaverit prorsus, si quidem probatum fuerit, ipsum ab eo auferatur. Sed eum dubitanter responsum fuerit, nescio, minime secundum quosdam, sed secundum alios ut Obert., et Gerard. tunc demum eo privabitur, si fraudulenter, id est sciens hoc negaverit.

Quæ scripta sunt ad tit. 5. et in hunc transferantur.

TIT. XL. *Ut successor clerici investitoris feudum tradere cogatur.*

Clerico investituram faciente de suis bonis, ejus successor omnifariam cogitur eam adimplere. cumque de bonis Ecclesiæ eam fecerit, si possessio rei pro beneficio investitæ penes eum fuerit, ipso et ejus successor ipsam adimpleant, quod etiam in laicis contingit. Ubi vero de alterius feudo fecerit investituram, si quidem pure, non valeat, sed si sub tempore vel conditione quo feudum sibi aperiatur, valebit investitura etiam sine voluntate vasalli facta. Si tamen ante decesserit investitor, quam feudum ad eum revertatur, successor non cogitur eam habere ratam: aut cum se vivente feudum apertum fuerit, possessionem tradat, et investituram adimpleat, et ideo sciendum est Archiepiscopum Mediolanen. non posse dare in feudum, quod tempore introitus sui in dominico invenerit, sed si ei postea feudum aperiatur, ipsum recte dabit. Profecto alii Episcopi et clerici ea quæ in dominico habent, et feuda his aperta olim dederunt, et hodie dant.

Aut de suis bonis clericus investituram fecit, aut de bonis Ecclesiæ, si de suis, ex ea investitura hæres ejus tenetur omnimodo. Si de bonis Ecclesiæ quæ tenuit, is etiam similiter qui ei in functione Ecclesiastica successerit, ex ea investitura tenetur: quod pugnat cum 1. tit. 27 et ibi explicatum est. Si de bonis Ecclesiæ quæ alios tenebat in feudum, aut pure eam fecit, aut in diem vel conditionem, Pure facta non valet. In diem vel conditionem ita demum si eo vivo qui investituram fecit dies venerit vel conditio extiterit, id est, si ad eum feudum redierit quod tempore secundæ investituræ alius tenebat, ut sup. 1. tit. 1. §. *Si vero Archiepiscopus.* et tit. 5. Ad hæc adjicit Episcopum quod invenerit in dominico introitus sui tempore, puta, feudum quod ad Ecclesiam redierat, alii recte in feudum, dare, rem nempe solitam in feudum dari. Excipit solum Archiepiscopum Mediolanensem, Ecclesiæ ejus amplificandæ studio, ut mos inolaverat, quæ et multa alia privilegia habuit, et Ambrosii nomine Christianis omnibus fuit in honore præcipuo.

TIT. XLI. *De vasallo imperfecto.*

Mutus et surdus, cæcus, claudus, vel aliter imperfectus, etiamsi sic natus fuerit, totum feudum paternum retinebit. Obertus et Gerardus, et multi alii. Quidam tamen dicunt, eum qui talis natus est feudum retinere non posse, quia ipsum servire non valet. Sic dicimus in Clerico, et in femina, et in similibus.

De mutuo diximus 1. tit. 2. §. ult. de clerico 2. t. 21. de femina variis locis. Eadem est ratio surdi, cæci, claudi, manci, debitis ad mandata servitia

TIT. XLII. *De vasallo qui occidit fratrem suum vel domini sui.*

Si quis interfecerit fratrem domini sui, non ideo beneficium amittit: sed si fratrem suum interfecerit ad hoc, ut totam hæreditatem habeat, vel aliam felonism commiserit; Verbi gratia, Hominem tradendo, ut in curia amplius stare non possit, privabitur beneficio; quia tamen erga dominum non fuerit facta, ad agnatum proximioreui feudum pertinebit, si paternum fuerit, eodem prorsus observando quantum ad ordinem gradus, qui continetur in legibus. Cum autem ad dominum respicit felonia, feudum tunc domino aperitur.

Hæc exposuimos lib. 1. *tit.* 2. et 3 *tit.* 2. *Eodem prorsus.* Observeri ordinem graduum, qui jure civili descriptus est.

TIT. XLIII. *Non teneri vasallum offerre servitium.*

Non cogitur vasallus omnino secundum usum Mediolanensem dominum adire, et servitium ei offerre, sed cum nunciatum ei fuerit, tunc domino si potest serviat.

Vide lib. 1. tit. 20.

TIT. XLIV. *De alienatione feudi.*

Si vasallus contra constitutionem Lotharii Regis beneficium alienaverit, si totum, perdit totum: si partem, partem perdit, et ad dominum revertitur: et ideo si contra unum dominorum, quorum communis vasallus erat, fecerit felonism, eum forte cucurbitando, ejus solitus parte privobitur: et si voluerit unius solius partem refutare, aliis sibi reservatis, hoc facere poterit, quia vasallus etiam sine domini voluntate recte feudum refutare potest. Post refutationem autem, ad serviendum quidem non tenetur, sed eum offendere non debet.

Ex constitutione Lotharii, vasallus qui feudum alienat sine voluntate domini, feudum amittit, feudum amissum ad dominum revertitur, et hoc est quod dicitur, alienatione feudum domino aperiri. De eo Constitutio Lotharii loquitur, qui totum feudum alienat, sed porrigitur a Friderico etiam ad eum qui partem alienat, quem tamen ob alienationem partis non dicemus totum feudum amittere, ut olim totum feudum amittebat qui supra dimidiam alienabat, sicut docui libro primo. Amittet igitur eam tantum partem quam alienavit, idemque dicemus in eo qui partem feudi inficiatur: idem in eo qui delinquit in unum ex dominis, et in eo qui unum ex dominis, partemve feudi refutat in manus domini sui: quæ refutatio liberat quidem servitio, sed non honore, ut exposuimus sup. 2 tit. 14.

TIT. XLV. *De alienatione paterni feudi.*

Alienatio feudi paterni non valet, etiam domini voluntate, nisi agnatis consentientibus, ad quos beneficium quandoque sit reversurum: nec in filiam vasallus feudum poterit confirmare, agnatis non consentientibus vel postea ratum non habentibus, et licet prohibeatur beneficii alienatio, inter agnatos tamen si paternum fuit, concederetur: et si libellum unus alteri fecerit de feudo paterno non est libellus, sed quasi refutatio.

Feudum aut novum est aut genearchicum. In alienatione feudi novi sufficit consensus domini, nec agnatorum exigitur. In alienatione feudi genearchici, et domini et agnatorum consensus necessarius est: agnatorum, inquam, proximiorum: nam proximiores agnati in his, quæ veniunt a communi parente, jus habent successionis, et jus προτιμήσεως, non in aliis bonis. In feudis ergo paternis non novis. Ratihabitio autem hac in re consensum imitatur et retrotrahitur, ut in aliis plerisque jure civili, imo omnibus sine ulla distinctione ex Constitutione Justiniani, sedata controversia inter Sabinianos et Proculianos, quæ fuit olim ea in re. Consensu consumitur jus successionis, et jus προτιμήσεως, et jus commissi, ut docui nescio quo loco supra. In refutatione non est necessarius consensus domini vel agnatorum. Sed si refutando feudum, id volit vasallus in filiam vel in extraneum confirmare volente domino, huic confirmationi etiam agnati consentire debent: idem ait in ulteriorem agnatum, secundum ea quæ diximus tit. 14. quia hæc refutatio alienatio est. Et sic a contrario ponitur hoc loco unus casus, quo in alienatione domini consensus non exigitur, si vasallus feudum alienaverit proximiori agnato: quia hæc alienatio refutatio est potius quam alienatio. Potest autem refutatio fieri invito domino, ut *tit. prox. supra.*

TIT. XLVI *De feudi controversia inter dominum et vasallum.*

Si inter dominum et vasallum de beneficio fuerit controversia, coram paribus finiatur. Ubi autem dicit vasallus prius de suo recto feudo debere se a domino investiri, si quidem sine controversia de alio sit vasallus, indubitanter primo investiendus est, et postea cognoscendum est quod sit suum rectum feudum, et quod non. Sed si nihil aliud ab eo tenet pro beneficio, nisi de quo controversia est, tunc tota causa prius ventilanda est: et sic videndum utrum postea investiendus sit.

Hic locus explicandus est ex tit. 20. lib. 2.

TIT. XLVII. *De infidelitate pugnam non fieri.*

Non est consuetudo Mediolani, ut de felonia aut de infidelitate pugna fiat, licet contrarium sit quod præcipit lex Langobardorum, ut de infidelitate pugna fiat.

Cum lex duellionum impia vigeret, non omnia tamen lis ea dirimebatur. Unde quæritur an si de commisso feudo ob turpitudinem aliquam aut perfidiam lis sit, hæc duello dirimi possit. Lex quidem Langobarda ita vult, et armis militaribus, non fustibus, *l. Quibuscunque. Lang. qual. se quis def. deb.* Itemque Henrici II. Constitutio quædam, sed ut ait, Mediolani non observatur. In aliis causis plerumque fustibus et clavis singulare certamen iniri solebat, *l.* 84. *Lang. de fur.* et inde Constit. Neap 2 tit. 37. præcipitur, ut singulares habeant clavas pluras, id est, sine spinis, sine aculeis Exercere etiam olim se milites solebant clavis ligneis, non invicem, ut decertant singulares, sed ad palos, auctore Vegetio 1. cap. 11. 12 14. quod Platoni est γυμνάζεσθαι πρὸς εἴδωλα ἄψυχα 8. Legum.

TIT. XLVIII. *Quando vasallus feudum perdat.*

Si a morte vasallus dominum liberare potuerit, et non fecerit, beneficio carebit, sed licet potuerit facere ne dominus in peccatum præcipitaretur veluti perjurium, non tamen feudo privandus erit.

De hac re diximus satis 3. tit. 1.

TIT. XLIX. *De Capitulis Conradi Regis factis in Roncalia.*

Hæc sunt capitula quæ res Conradus fecit in [1] Romandiola de beneficiis. Constituit enim ut post mortem domini vasallus, vel post mortem vasalli hæredes ejus per annum et diem steterint quod dominum vel hæredem ejus non adierint, fidelitatem pollicendo, et investituram petendo, si tale sit beneficium ut fidelitas sit præstanda, ipsum perdat, sicut et antiquitus consuetudo fuit, sed non Mediolani.

Præterea ut liceat dominis omnes alienationes feudi factas, nulla obstante præscriptione revocare. Similiter in petendis hostenditiis: hostenditiæ dicuntur adjutorium quod faciunt dominis Romam cum rege in hostem pergentibus vasalli qui cum eis non vadunt. Verbi gratia, in Lombardia dimidiam, in Theutonica terra tertiam partem fructuum facta computatione fructuum solummodo ejus anni quo hostem faciunt. Item si clericus, veluti Episcopus, Abbas,

(1) γρ. *Roncalia.*

beneficium babens a Rege datum non solummodo personæ, sed Ecclesiæ, ipsum propter suam culpam perdat, eo vivente, et Ecclesiasticum beneficium vel honorem habente ad Regem pertinest: post mortem vero ejus, ad successorem ejus revertatur.

Vetus liber pro *Romandiola* habebat *Roncalia* rectissime, ut supra 36. quo loco etiam Lotarius edidit Constitutionem de feudis non alienandis, et aliam Fridericus de privilegiis studiosorum. Sed perperam retinebat Conradi nomen, cum vero verius sit hæc quatuor capita Friderico deberi, Constitutione eodem loco promulgata. De tribus sane constat esse Friderici, ex Constitutione ejus proposita libro quinto, ut feudum amittat vasallus qui non jurat fidelitatem intra annum et diem, ut nulla præscriptione repellatur dominus revocans alienationem feudi sine suo consensu factam. Ut vasallus qui non respondet ad delectum, reditus anni certa parte multetur. Quartum autem, ut si clerico consensum sit feudum non tam personæ quam Ecclesiæ respectu, ob culpam clerici ad dominum redeat, mortuo clerico a domino ad Ecclesiam, etsi ea Constitutione non comprehendatur, tamen ab Othone Frisingensi, Friderico palam adscribitur 2. cap. 11. Quorundam, inquit, Episcoporum regalia personis tantum, quia nec personis, sed Ecclesiis perpetualiter a principibus tradita sunt, a Friderico Roncaliis abjudicata fuere, quod expeditione Italica sequuti Imperatorem non fuissent: quod ita Guntherus:

— Talia regalia jura
Amisere nota, personæ scilicet ipsæ
Non tamen Ecclesiæ: neque enim, quod pastor inique
Gesserit, Ecclesiæ fas est in damna refundi.

Nulla obstante præscriptione. Ergo nec præscriptione 30. annorum, quæ tamen in aliis feudorum causis valet, ut *sup.* 6. et *lib.* 2. *tit.* 9. §. *pen.* Sed putem etiam domino revocanti alienationem obstare præscriptionem 30. annorum, et Constitutionem Friderici esse tantum accipiendam de præscriptione longi temporis, ut recte Guntherus sic eam expresserit:

Nullaque vel longi præscriptio temporis obstat,
Quo minus ad dominum redeant translata priorem.

Constantinus Porphyrogennetus exigit præscriptionem 40. annorum. *In Lombardia* Emendavi 1. tit. 20 ex Constitutione Friderici et manuscriptorum integriori fide. *In Lombardia dimidium, in Theutonica terra tertiam partem fructuum, etc.* Duo erant regna, Lombardicum, et Theutonicum. In Theutonico, Bajoaria, Svevia, Saxonia, Thuringia, Frisia, Lotharingia, ut Otho Frisingensis scribit.

TIT. L. *Cujus juramento stetur in quæstione feudi.*

Item sciendum est quod si inter masculum et feminam controversia fuerit, masculo dicente hoc est feudum, femina negante, nisi apertis probationibus femina ostenderit non esse feudum, creditur masculo suo juramento affirmanti cum duodecim sacramentalibus. Sed si inter dominum et feminam, domino dicente feudum, femina negante, probationibus deficientibus detur feminæ sacramentum. Item si sit inter dominum et emptorem feudi: si emptor dicat non esse feudum, domino in probatione deficiente, sacramento emptoris finiatur. Quidam tamen distinguunt, ut si magna eorum pars, quæ vasallus ibi tenebat, feudum sit detur domino sacramentum.

Regula est reo dari jusjurandum, ut dixi supra 2. et 3. si lis sit inter dominum et emptorem, inter dominum et agnatum vel agnatam. Sed si lis sit inter agnatum et agnatam, agnato potius, quamvis actor sit, deferetur jurisjurandi conditio, deficientibus probationibus. Item si præsumptio faciat pro domino, defertur potius domino, quam feminæ vel emptori. Præsumptio est pro domino, si eorum quæ in eo agro venditor possidebat magnam partem constat esse feudum: nam et vendita adfinis pars præsumitur feudum. Quæ vasallus ibi tenebat, id est, venditor. In extremo delevi hæc verba, *alibi feminæ.*

TIT. LI. *Electionem dari emptori feudi cui feudum restituat, domino an vasallo ignoranti.*

Domino cum emptore feudi agente, si vasallus jurare poterit quod ignorans esse beneficium vendidisset, credens proprium, electioni emptoris committitur utrum domino, velit ipsum cedere an vasallo restituere. Obertus dicit omnia vasallo restituenda. Quo restituto, id beneficium vasallus retinebit, non nocente venditione eo quod ignorans alienavit, et quod dicitur alienatione feudum aperiri domino, intelligendum est cum a scientibus venditur beneficium. Et quod dicitur de venditione, idem est in omnibus alienationibus.

Feudum ex Constitutione Lotharii alienatione domino committitur, si vasallus sciens vendiderit, quia dominum contemnere videtur, qui eo invito vel ignorante feudum alienat, ut sup. 3. tit. 2. Ignorans est extra omnem culpam. Igitur si ignorans vendiderit, feudum domino non committitur, sed id vasallus ab emptore cognita veritate repetere potest, ignoranti emptori præstita indemnitate ut supra 20. Quod si id dominus ab emptore petere occupaverit, emptoris est electio cui feudum restituat, petitori an venditori. Si venditori, judicio absolvetur: si domino multo magis: sed id deinde a domino vasallus repetere poterit. Obertus sublato circuitu malebat soli venditori restitui.

TIT. LII. *Vasallum de feudo agere et conveniri posse.*

Si controversia inter vasallum et alium de beneficio fuerit, adversario proprietatem totius, vel partem, vel servitutem, vel aliud aliquod jus sibi vindicante, causa per vasallum etiam domino absente quasi propria ad finem perducatur: ipse enim solus utiliter agendi et excipiendi habet potestatem, et si pro eo aut contra eum judicatum fuerit, vel cum adversario transegerit dummodo fraudulenter factum non sit, etiamsi post beneficium domino speriatur, tale erit ac si eo causam agente judicatum fuisset et idem ab eo ratum haberi oportebit.

Vide supra tit. 23. et lib. 2. tit. 9. in princ.

TIT. LIII. *De feudi alienatione et recuperatione.*

Præterea si vasallus ante Constitutionem Lotharii Regis feudum alienabat, quod in quibusdam curiis pro parte, in quibusdam pro toto olim licebat, et ipsum postea recuperabat, pro feudo sibi retinebat, hoc est in causam feudi recadebat, hodie autem si ipsum alienaverit, si quidem illicite, licet postea recuperaverit, tamen penes eum non remanebit, utpote domino, ad quemcumque pervenerit, apertum. Profecto si domini voluntate vendiderit, vel per libellum, vel aliter alienaverit, si idem postea recuperaverit, penes eum remanebit, non jure beneficii, sed aut proprio, aut pro libello, aut aliter secundum quod idem recuperaverit dummodo sciat, quod si ad libellum domini voluntate id dederit, si quidem pro libello ei datur singulis forte annis, et hoc jure feudi censebitur. Illud vero jus quod per libellum transtulerit, et postea recuperaverit pro beneficio non tenebit, sed velut alterius rei datæ per libellum si feudum domino refutaverit, per libellum retinebit.

Jure antiquo feudum alienare vasallus poterat, jure libelli in totum vel pro parte etiam invito aut ignorante domino: jure libelli non jure proprio. Id ergo emptor jure libelli retinebat non jure feudi, ut dixi 1. tit. 2. Cum autem id postea recuperabat vasallus, rursus prædium veri feudi naturam recipiebat. Constitutionibus Caroli Magni cavetur, ne vasallus vendat feudum fiducia contracta, ut mox idem redimat in alodem ab eo cui vendiderit etiam in alodem, legis Francicæ 4. cap. 51. quia fidem fallere videtur qui per hanc causam ipse sibi mutat possessionis causam. Hodie Constitutionibus Lotharii et Friderici, ne partem quidem feudi alienare sine domini consensu vasallus potest, et alienatione feudum domino aperitur, usque adeo, ut et si id mox vasallus receperit, non possit retinere invito domino, quod cecidit semel in commissi causam: Sed si domini voluntate vasallus feudum vendiderit, et deinde recuperavit, id eo jure habiturus est quo recuperaverit, non feudi jure pristino invitus. Si tamen per libellum alienaverit, eoque nomine ei quotannis inferatur pensio certa, quia non omne jus abalienavit, pensionem retinebit jure feudi. In fine emendavi. *Sed velut alterius rei datæ per libellum, si feudum domino refutaverit, per libellum retinebit*, id est, si declaraverit se jam amplius ea re quasi feudali uti frui nolle.

TIT. LIV. *An agnatus vel filius repudiata hæreditate possit feudum retinere.*

Si contigerit vasallum sine omni prole decedere, agnatus ad quem universa hæreditas pertinet, repudiata hæreditate feudum si paternum fuerit, retinere poterit, nec de debito hæreditario aliquid propter feudum solvere cogitur, sed in fructibus ab quos reliquit, ut de eis debitum solvatur, quo tempore decesserit (secundum quod supra diximus) considerabitur. Ubi vero filium reliquit, ipse non potest hæreditatem sine beneficio repudiare: sed aut utrumque retinet, aut utrumque repudiat: quo repudiato, ad agnatos, si paternum sit, pertinebit, et licet alterum sine altero retinere non possit, agnatis tamen consentientibus poterit dominus eum si voluerit quasi de novo beneficio investire, quo facto licebit ei repudiata hæreditate feudum tenere: nullo onere hæreditario imminento.

Agnatus cui delata est hæreditas defuncti, potest separare bona feudalia ab alodiis, et feuda jure suo retinere quasi a communi parente profecta, alodia repudiare: quo casu alodia in solidum agnatæ si quæ sint ejusdem gradus jure accrescendi vindicabunt, vel agnati agnatæve sequentis gradus ex successorio edicto, vel cognati, vel uxor, vel fiscus secundum ordinem legum. Agnatus qui sola feuda retinet ære alieno defuncti non obligabitur: et fructus feudi ejus anni, quo vita functus est vasallus, dividentur inter eum, qui subierit hæreditatem, et agnatum vasalli, qui hæreditatem repudiavit eodem modo quo inter dominum et hæredem vasalli dividi eos dictum est supra 30. Est hac in re differentia inter agnatum et filium: nam filius non potest separare alodia a feudis, ut infra 64. nisi consentientibus agnatis, ut additur hoc loco: his enim consentientibus repudiata hæreditate potest amplecti feuda, ita tamen ut de eis quasi de novis beneficiis investiatur, non quasi de veteribus et suis rectis feudis. Hæreditatem repudiatam suscipient agnati ex successorio edicto. Est et in feudo repudiato locus successorio edicto, non in feudo refutato, ut 2. tit. 14. Repudiantur delata nondum acquisita. Refutantur acquisita. Post acquisitionem autem nec locus est successorio edicto, nec juri accrescendi. Rationem differentiæ inter filium et agnatum vulgo non explicant, quæ mihi videtur esse hujusmodi. Agnatus in feudo tantum genearchico succedit, non in feudo novo: et ideo non tam videtur id a defuncto accipere quam a communi parente, puta avo, vel proavo qui id primus acquisivit, ut si feudum acquisierit avus meus, et ab eo in patrem meum transierit, a patre autem obvenerit mihi, me mortuo sine liberis, in id succedet patruus meus quasi in feudum patris sui, non quasi in feudum meum, ut 1. tit. 18 et ideo repudiata hæreditate mea poterit feudum quasi patris sui feudum retinere, et debitis oneribusve hæreditatis meæ non obligabitur. Quin et ipse testamento non potero in fraudem patrui mei illud feudum in alium conferre: ut 1. tit. 4. Hæc de agnato. Filius autem succedit patri non tantum in genearchico feudo, sed etiam in novo, et genearchicum, puta quod descendit ab avo etiam capere videtur a patre suo, non ab avo, cum in ejus successione patruo suo præferatur, qui tamen erat proximior avo: qua de causa non aliter admittitur in feudum avitum, quam quasi hæres patris, et ideo separare bona non potest: hæreditas enim scindi non potest. Repudiata igitur hæreditate non poterit feudum retinere, nisi consentientibus agnatis. Quin et si agnati consenserint, id quasi paternum non retinebit, sed quasi novum, et consensione hujusmodi sibi perimeut agnati jus successionis, ut infra 58. Et consequenter si exhæredatus sit excluditur, cum tamen agnatus exhæredatus non excludatur a successione feudi antiqui. Item tentari hac ratione potest patrem uni ex filiis feudum prælegare posse, ut consuluit Paulus Castrensis Cons. 163. Sed obstat lib. 1. tit. 4. quo Gerardus ait filios æqualiter succedere, nulla ordinatione defuncti in feudo manente. Et sane licet capere id filii videantur a patre, tamen quia id pater conservare agnatis vel liberis suis debuit, non potest unum ex filiis eligere, exemplo lucrorum nuptialium, quæ superstes conjux servat liberis communibus, nulla electione concessa, *Nov.* 2. et 22. Et ita his libris quoties ponitur uni ex filiis feudum obvenisse in solidum, non electione patris, sed divisione ponitur obvenisse, *ut supra* 3. et *infra* 59. et 83. et 99.

TIT. LV. *Coram quo sit quæstio feudi ventilanda.*

Ex eo, quod supra diximus, ut si inter duos de beneficio fuerit controversia, coram judice vel arbitro finiatur, talis hic fit quæstio: quodam sine filio decedente, alius credens beneficium quod ipse tenebat, apertum domino esse, ab eo investitus est ejus beneficii nomine: e contra apparent agnati, qui feudum sibi vindicant quasi paternum. Est igitur quæsitum, an apud curiam domini vel judicem sit hæc quæstio terminanda? responsum scio, quia ad dominum quodam modo causa spectare videtur, ad quem investitus habebit regressum de evictione, ut coram paribus finiatur curtis, et licet alter per se non possit alterum trahere ad curiæ judicium, generaliter tamen etiamsi inter duos causa fuerit de beneficio, eos curia vocante non licebit eorum alicui ejus curiæ judicium declinare.

Quæ ad hunc locum pertinent, repetenda sunt ex *lib.* 1. *tit.* 15. et *lib.* 2. *tit.* 15. et 20. et *supra* 38.

TIT. LVI. *De pœna domini feloniam committentis.*

Ex facto quæsitum scio, et ego a pluribus quæsivi, si dominus contra vasallum apertam feloniam fecerit, an sicut vasallus feudum debet amittere, ita dominus proprietate privetur? Et quidam dicunt ex omni felonia, qua vasallus feudo privatur, et dominus proprietate privetur. Alii, non nisi ex magna felonia: alii, ex nulla. Sed prior sententia mihi placet, non habita distinctione qualis vasallus sit, utrum per sacramentum, vel non.

De hac re diximus 2. tit. 5. Vasallum per sacramentum vocat eum qui juravit fidelitatem: cui adversus est is cui pactione remissa est fidelitas.

TIT. LVII. *Quando feudum licite alienatur.*

Si quis ea lege alicui feudum dederit, ut ipse et sui hæredes, et cui ipse dederit habeant, quid juris sit quæritur. Respond. iste qui sic accepit, poterit id vendere vel donare: aliter, si sibi placuerit, etiam sine voluntate domini alienare, et ille etiam cui datum fuerit: non habebit ipsum pro feudo, nisi sicut ei datum est. Sed qualitercunque ei datum fuerit, sive ad proprium, sive ad libellum, licet propriam feudi naturam non habeat, jure tamen feudi censebitur, ut ex his causis ipsum amittat, quibus et verum feudum. Ubi ergo sic datum est feudum, et cui in feudum dederis, aliud est, et propriam feudi naturam habet.

Voluntate domini licite alienatur. Sed in hac specie voluntas domini strictius accipitur, ut supra 25.

TIT. LVIII. *Quando pactum non obstat successioni feudi.*

Tres erant agnati, vel plures: unus eorum habebat feudum, quod erat paternum, sed alter eorum finem et refutationem ei, suisque hæredibus, et cui ipse dederit fecit: decessit iste sine filio masculo. Alter, qui non refutavit, vindicat sibi totum. Alter vero, qui refutationem fecit, vult ad successionem venire, pacto non obstante. Sapientes quidam Mediolanen. interrogati responderunt non obstare illud pactum, nisi feudum omnino refutaverit, vel nisi ad hoc refutaverit, ut dominus eum quasi de novo beneficio investiret. Tunc enim secuta Investitura nova, quasi novum sit Feudum, non succedit.

Hoc exposuimus lib. 2. tit. 24.

TIT. LIX. *De natura successionis feudi.*

Successionis feudi talis est natura, quod ascendentes non succedunt: verbi gratia pater filio. Inferius vero filius patri succedit, et non filia, nisi ex pacto, vel nisi sit femineum. (Tunc enim succedit filia matri et patri: secundum quosdam succedit nepos ex filiâ solus) et sic usque in infinitum, si feu-

dum sit paternum. Paternum autem voco, quicunque ex superioribus id acquisivit dummodo scias, quod si quis habens beneficium quatuor superstitibus filiis decedat, et feudum ad unum solum ex divisione veniat, et iste superstitibus filiis duobus vel tribus decedat, qui patrueles dicuntur, et ad unum eorum beneficium feudi ex divisione perveniat, et similiter iste superstitibus filiis decedat, ad quorum unum feudum similiter pervenerit, sicut etiam ex aliis superioribus vel primis fratribus supersunt masculi, si ille qui feudum habet, decesserit nullo filio relicto, an ad omnes, vel ad quos perveniat, quæritur. Resp. ad solos et ad omnes qui ex illa linea sunt, ex qua iste fuit. Et hoc est quod dicitur, ad proximiores pertinere. Isti vero proximiores esse dicuntur, respectu aliarum linearum: sed omnibus ex hac linea deficientibus omnes aliæ alienæ æqualiter vocantur.

In feudum parentes non succedunt: rationem exposui lib. 1. tit 1. Id mores multarum nationum traxerunt ad alodia, sine ratione. Excipitur autem unus casus in fragmentis. Si contracta fiducia pater filium de feudo a domino suo curaverit investiri: nam ex pactione præmortuo filio recurret feudum ad patrem. In eodem, quod satis obscure scriptum est, Quidam dominus, etc. explicandum est ex his quæ sequuntur hoc loco, Paternum, etc. et linea ejus fratris cui divisione feudum obvenit quamdiu duraverit censeatur esse proximior, et præferatur lineæ alterius fratris. *Nepos ex filia solus.* Sic emendavi ex manuscriptis, et verissime. Si enim filiæ obvenerit feudum ex conventione, et filia decesserit relicto nepote et nepte nepos solus admittetur, et 1. tit. 12. et inf. 63. *Qui patrueles dicuntur.* Species ponatur hoc pacto: Titius feudum acquisivit, et reliquit filios quatuor, Primum Secundum, Tertium, Quartum. Primus duos filios suscepit, Quintum et Sextum, totidem et reliqui fratres suscepere, qui liberi invicem sunt fratres patrueles, Sextus duos quoque filios suscepit. Septimum et Octavum Feudum Titii obvenit Primo a Primo transiit in Sextum, e Sexto in Octavum. Mortuo Octavo sine liberis, succedat Septimus: hoc non existente Quintus, patruus Octavi: rursus Quinto deficiente atque ita linea Primi deficiente, in feudum æqualiter succedent Secundus, Tertius, Quartus, eorumve posteri. Patrui Magni Octavi, vel propriores sobrinis non succedent, quia ex Titio non prodierunt e quo feudum cepit causam et originem.

TIT. LX. *Beneficium in curiæ venditione non contineri.*

Quidam Capitaneus in quadam curte sua beneficium dedit militibus, et postea eandem curiam vendidit, non habita mentione beneficii. Controversia est inter Capitaneum et emptorem, dicente emptore se curiam cum beneficio emisse, domino vero contradicente ad eum beneficium non pertinere. Respondi illud beneficium in venditione non contineri, nisi expresse de eo actum sit.

Hanc quæstionem exposui supra 19.

TIT. LXI. *Utrum filius vasalli feudum amittat vivo patre.*

Quæsitum est apud me, si filius vivente patre dominum offenderit, ita quod feudum amitteret si pater decessisset, utrum feudum amittat, vel non: secundum istos, sic, secundum Gerard. et Obertum similiter.

Indignum esse filium successionis feudi ob feloniam commissam vivo patre. Agnatum igitur si feudum fuerit paternum, vel dominum filio præferri. In hoc consentiunt omnes auctores. et in fine omnium quos habui integerrimus et vetustissimus liber habebat, *Respondi secundum Stephanum sic: secundum Gerardum et Obertum, similiter.* Idemque confirmat Constitutio Friderici, quam his elegantissimis versibus Guntherus expressit:

Si patris dominum vasalli filius acri
Læserit offensa, festinet providus illum
Conciliare pater: quod si contemnet agendum,
Munere privetur, si vero audire monentem
Filius indomito neglexerit aure parentem:
Non erit in feudo successor idoneus illo,
Ni prius accensam domini placaverit iram.

TIT. LXII. *Non puniri vasallum ex sola cogitatione.*

Si voluerit vasallus dominum offendere, sed non laboraverit, feudum non amittit. Gerardus et Obertus similiter etiam si laboraverit, non amittit feudum, nisi insidiatus ei fuerit, et hoc probatum fuerit.

Solam cogitationem solumve conatum vasalli non puniri. Insidias puniri amissione feudi.

TIT. LXIII. *De successione nepotis ex filia.*

Similiter si quis investitus fuerit de feudo, ita ut ad feminas transiret, et duas filias tantum reliquerit, quarum una filium habeat, et altera filiam, utrum post mortem illarum masculus tantum feudum habere debeat? secundum Gerardum masculus tantum, Obertus contra: et e contra si filios ille habuerit.

Si placuerit, ut feminæ succederent, et filia reliquerit nepotem et neptem, nepos solus admittetur. Et hoc est quod dixi supra 59. secundum quosdam, nempe Gerardum, succedere nepotem ex filia solum, cum filia feudum obtinuit ex conventione: idemque est in nepote ex filio. Diximus hac de re 1. titulo 2. §. pen.

TIT. LXIV. *Differre agnatum a filio in successione feudi.*

Filius non potest recusare hæreditatem patris absque feudo, propinquus autem potest.

Rationem differentiæ explicui supra 54.

TIT. LXV. *De contentione feudi inter filiam et propinquum, vel inter vasallum et emptorem.*

Si contentio fuerit inter filiam et propinquum de hæreditate et de feudo, cum filia feudum habere non poterat, quia dicat ipsa, Hoc est de mea hæreditate, et ille dicat, imo de feudo, electio propinqui erit decernere veritatem jurejurando. Gerardus et Obertus. Similiter si contentio fuerit inter aliquem qui emisset a seniore, et vasallum, quia dicat vasallus, Hoc est de feudo meo, ille autem neget, electio emptoris est veritatem jurejurando decernere, cum pares curtis veritatem non testantur. Gerardus et Obertus.

Cum pares curtis veritatem non testantur, id est, deficientibus probationibus: et iis de rebus dictum est satis *supra* 2. 3. 50. *Decernere.* Forsitan discernere est rectius, ut *infra* 88.

TIT. LXVI. *De pacto legis commissoriæ.*

Similiter feudum lege commissoria datum non valet, id est si ad certum tempus pecunia non solvatur creditori, ut habeat in feudum. Gerardus: et secundum Obertum valet.

Non displicet inscriptio vetus hujus tituli, De pacto legis commissoriæ: nam ut pignoris hypothecam, et legem pacti, et pactum pacis, et actionem conditionis dicimus recte, cur non et pactum legis? De hac autem re tractavi 1. *tit.* 29.

TIT. LXVII. *Ut feudum ad certum servitium dari possit.*

Similiter potest feudum dari ad certum servitium. Gerardus et Obertus.

Hoc est feudum condicionale, et sumatur exemplum ex 2. *tit.* 3. §. *ult.* Et hoc etiam cur refutari non possit non video: quod hic interpres tamen cogitat.

TIT. LXVIII. *Quando feudum de camera sit dandum.*

Notandum est in feudo quod de caneva seu camera dicitur, non debere dari nisi cum sit in camera vel caneva, unde solvi possit: vel si ita evacuata sit caneva sine culpa promissoris, expectandum est donec interim de caneva vel de camera dari possit. Dominum autem feudi dare posse intelligitur, omni ære alieno deducto. Non enim æquum est eum videre egentem, quem prius habuit in conjugem.

Hoc exposui *supra* 2. *tit.* 2. et quod ait, *conjugem tit.* 5. volgo perperam additur, *vel amicum*.

TIT. LXIX. *Qui debeant interesse investituræ.*

Quod autem pares tantum debeant interesse investituræ feudi, et non alii, hoc tunc verum est cum dominus vasallos alios habuerit. Alioqui adhibeat dominus quos meliores poterit, liberos tamen, argumentatione legis de ultimis voluntatibus in Lombardia, scilicet illa quæ dicit. Si quis donationem facere voluerit de suis rebus alicui vel investituram, adhibeat sibi de pagensibus suis, et qui per eandem legem vivant duos testes idoneos, vel tres, vel plures: pluralis enim locutio, duorum numero contenta est. Idcirco pares necessarii sunt in instrumento investituræ, et non alii, ne quid excogitetur falsitatis in perniciem domini, aliis testibus inductis, corruptis forte pecunia, vel odio, vel gratia, quæ non sunt auspicanda in paribus.

Scriptum erat simpliciter, *l.* 7. *Lang. de ult. volunt.* ut adhibeat testes idoneos. Haec ergo ita accipit, ut sufficiant duo vel tres liberi homines, etiam estranei cum deficiunt pares, ut *supra* 36. et *lib.* 1. *tit.* 28. et 2. *tit.* 3. Ex d. l. 7. emendavi, *Adhibeat sibi de pagensibus suis, et qui per eandem legem vivant, duos testes idoneos, etc.* Pagenses sic dicuntur, ut Græco κωμῆται.

TIT. LXX. *De re communi in feudum danda, et per quos fiat investitura.*

Item sciendum est, non esse impedimento investituræ, et si investituram faciat de re quam communem dominus habeat cum aliquo, quia si sponte dividere noluerit ille cum quo habet rem communem qui investivit, potest cogere per judicem ille qui investitus est, ut dividat.

Item hæres ejus necesse habet tenere firmam investituram quam pater fecit. Item eadem lege, et eodem jure debet habere rem iste qui investitus est, quo haberet qui eum investivit, cum cohærede suo, scilicet ut adæquatio percurrat usque ad 40. annos. Item investitura per se vel per suum nuncium dari et accipi potest, quæ omnia supradicta colligi possunt per supradictas leges Langobar. titulo de ultimis voluntatibus, l. si quis. et C. com. divi. l. 4. et fi.

Non tantum rem propriam, sed et communem, id est, partem pro indiviso in feudum dare dominus potest: nam et quovis alio modo alienare eam potest ante acceptum judicium familiæ erciscundæ vel communi dividundo, *l. Portionem. C. de donat.* non post judicium acceptum, *l.* 13. *et* 14. *D. fam. ercisc. l.* 1. *C. com. divid.* et judicium familiæ erciscundæ dabitur feudatario, quia nemo invitus in communione detinetur, *l. ult. C. com. div.* et ei atque in eum omnes transeunt actiones, ut *supra* 23. 52. Adjicit idem omnino jus habere feodatarium in ea re communi, quod investitor habuit cum cohærede suo socio suo, et perimi id sola præscriptione XL. annorum. Cur XL. non XXX. quæ in omnibus feudorum causis recepta est: Hoc obtinet inter fratres aut cognatos, vel inter fratrem, ut hoc loco significatur, et vasallum qui alterius fratris partem in feudum accepit ex *l. Si inter. Lang. de præscript.* quæ confirmatur a Friderico II. *Const. Neap.* 3. *tit.* 37. unde usque ad XL. annos de adæquatione partium inter eos agi potest: et ita accipienda *l.* 3. *Lang. de proh. alien. minor.* Jure civili obstat præscriptio XXX. annorum. Quod sit hæredem investitoris, id est, filium factum patris mutare non posse, ut dixi, *supra* 14. est ex *d. l.* 7. *Lang. de ul. vol.* et congruit cum *l. Si ab eo. C. de lib. cau. l.* 3. *C. de reb. alien. non alienand.* Quod subjicit per nuntium investituram dari vel accipi posse, id exposui 2. *tit.* 4.

TIT. LXXI. *Si instrumentum feudi falsum dicetur.*

Si instrumentum diceretur falsum a domino, daretur denfensio vasallo qui instrumentum adferret, ut in Lomb. qualiter quis se defen. do l. de chartis, et auferetur domino qui veritatem noverit: quod iniquum erit si aliquis ex dono suo conveniatur cum domini sit defensio ex ordine, cum vasallus non possideat.

Notandum est, quod de controversia quæ inter dominum et vasallum oritur, si pares veritatem noverint, omnino cogi debent a domino et paribus dicere veritatem, qui si dicant se nescire, cum sciant et vasallus postulet, dominus eos coget jurare et veritatem dicere, ut C. de testib. si quando, et in Lomb. ut judex, De off. jud. et in tit. qualiter quis se defen. d. l. si qualiscumque causa. et tit. de testib. ut quicumque, et l. ult.

Si instrumentum investituræ quod profert vasallus, dominus dicat falsum, vasallo datur defensio ex *l. De chartis.* 2. *lang. qual. se quis def. deb.* et domino, qui veritatem novit aufertur. *Quod iniquum erit* (sic legendum) *si aliquis ex dono suo conveniatur*, id est, si ex beneficio suo, et investitura conveniatur agente vasallo, cum domini defensio sit ex ordine, cum vasallus non possideat, id est, agente vasallo: et ita *supra* l. *tit.* 4. §. *Si vero feudum.* Licet, inquit, domini esset defensio ex ordine. Hoc igitur casu melius erit totius rei defensionem domino dari cum XII. His additur pares cogi a domino, et alias comparibus testimonium dicere, vel si negaverint se quicquam scire, cogi etiam jurare, ut *supra* 1. *tit.* 28.

TIT. LXXII. *Qualiter juret dominus, aut vasallus cum defensio ei datur.*

Cum datur domino defensio de investitura, quæ dicitur a se facta, jurare debet se investituram non fecisse. Cum vero datur hæredi, vel successori ejus, jurare debet se nec scire, nec credere investituram factam esse ab antecessore suo, et si qua investitura facta esse dicetur, semper debet nominare dominum a quo investitura facta dicitur, cum multum discrepet sacramentum hæreditarium a principali sacramento, C. de re cre. et jurejur. l. generaliter, ut habes de tutore, qui jurat quod credit et existimat, ut C. de jura ca. l. 2. § sin autem: de conscientia enim sua jurare debet, et non de alieno facto (cum iniquum sit aliquem jurare de alieno facto) hæres vel successor, nec etiam filius, ut D. rerum amo. l. Marcellus: sed contrarium reperitur in Lombard. quia licet filius minorem virtutem habeat quam pater, tamen debet præcise jurare patrem suum non fuisse debitorem, ut in Lomb. qualiter quis se defendere bebet, l. si contigerit.

De hac re dictum est *supra* 36. *et lib.* 1. *tit.* 28.

TIT. LXXIII. *De alienatione feudi.*

Summopere mandare curamus, ut si quis aliquem de beneficio investiverit, quod ille qui investitus fuerit, non potest per proprium vendere, nec pro levissima re locare, nec infeudare, nisi majorem partem apud se retinuerit: et si in desperatione filiorum fuerit, nulla ratione, nec quolibet modo dare potest. Quæ omnia si facta fuerint, nullius momenti erant: et eo defuncto omnia ad priorem dominum revertuntur, et si dominus conquestus fuerit paribus, pares auditis rationibus intra anni spatium expedire faciant, vasallo non faciente satisdationem, domino dent possessionem, salvis suis rationibus, nisi diffinitivam promeruerint sententiam.

Ab hoc titulo incipiunt fragmenta sive extraordinaria capitula, quæ nobis Ardizo et Alvarotus conservarunt, hacteous neglecta ab omnibus, sed non minoris fructus quam libri superiores, quæ nos titulis distinximus nostro ingenio, non ope veterum librorum, ut superiores omnes titulos restituimus. Auctoritas vero cur non et tanta his quanta superioribus libris aut cur illis major? Et rursus quando ista juris parte nulla veterum prudentum scripta indigentior est, quæ malum hæc stultitia, ut has insuper reliquas nacti a superiorum librorum principiis minime discrepantes improbemus? Est autem hic titulus de alienatione feudi. Majori parte retenta feudum alienari posse. Paulatim increscit vel decrescit jus. Obtinuit et dimidia parte retenta alienari posse. De eo jure loquor, quod obtinuit ante Constitutionem Lotharii. Sed qui erat extra omnem spem suscipiendorum liberorum,

spem domini oulla parte frustrari potuit. Ait *Per proprium vendere* Bena, per proprium: nam per feudum dare potest. *Pro levissima re locare. Libro* 2. *tit.* 9. vilissima pensione: quæ libellaria fraudulenta est: et ideo quod sequitur, *Infeudare*, etiam de infeudatione, ut ita loquar, fraudulenta accipiendum est. A libellaria enim et infeudatione ut jure fiat, omnis fraus abesse debet, ut *supra* 22 et *lib.* 1. *tit.* 2. *Et eo defuncto.* Eo defuncto sine liberis, omnia ab emptore ad dominum revertuntur, si forte vivente vasallo de alienatione querelam apud pares dominus non instituerit.

TIT. LXXIV. *De feudis scutiferorum.*

Feuda scutiferorum, ut ad libitum dominorum possint adimi, rationis non est, dum tameo serviant secundum laudatiooem curiæ.

De hac re scripsi 1. *tit.* 1. §. *Item illud.*

TIT. LXXV. *De condicione feudi non impleta.*

Ut inter condicionalia, et non coodicionalia aliqua sit differentia, dicimus, quod si quis alicui dederit beneficium condicionale (utpote quæ dantur propter habitationem) deserta habitatione beneficium amittetur: et etiam cum certo constituuntur servitio, noo dato servitio oon poterit retineri beneficium.

Feudum amittit, qui feudo impositam condicionem non implet, ut 1. *tit.* 20. imo et qui inficiatur, ut *supra* 5.

TIT. LXXVI. *De fidelitate.*

Quooiam de fidelitate mentionem fecimus, super ea aliquid summatim despicîamus. Si beneficium est sine fidelitate, et vasallus aliquid, quod sit contra suum dominum fecerit, amittat beneficium laudatione parium: hoc idem dicimus in iis, qui fidelitatem jurant. Si cui militi fidelitas requisita fuerit a domino, dominus secundum quosdam librum militi ostendere debet, et miles eam facere debet, vel parium laudationi stare intra annum, quod nisi factum fuerit, miles secundum quosdam de beneficio damnari potest, quod contra præceptum domini Lotharii regis l'apiæ datum videtur. Librum autem quod vasallo ostendi soleat non necessitate fieri, sed voluntate. Est enim quoddam signum requisitæ fidelitatis memoriæ causa. Et venit aliquando, ut vasallus dicat domino se facturum fidelitatem, quam pares laudaverunt: tunc noo perdit beneficium, si stat per dominum, quod faciat curiam.

Qui fidelitatem jurant, si voluntate utrorumque separatio facta fuerit, fidelitas finitur, si sua voluntate vasallus, vel judicio parium feudum dimisit, fidelitas durat.

Fidelitatis nomine jusjurandum fidelitatis significatur: hoc non semper vasalli præstant. quibusdem enim pactione remittitur, ut *supra* 56. *et lib.* 2. *tit.* 4. non tameo ideo minus ex causa ingratitudinis feudum amittunt laudatione parium. Nulla ex causa ipso jure feudum amittitur, ne ob alienationem quidem, sine cognitione et pronuntiatione parium, ut *supra* 74. Is cui non est remissa fidelitas, similiter feudum amittit, si fidelitatem non fecerit intra annum, et *supra* 1. *tit.* 21. domino scilicet postulante, et ut plerumque fit ostendente librum memorialem feudorum suorum, ut fidelitatem sibi præstitarum. *Contra præceptum D. Lotharii.* Puto auctorem intelligere secundum Constitutionem Lotharii propositam libro sequenti, quæ eum qui dolo caret non vult feudum amittere ob non datam fidelitatem intra annum: quod et tunc locum habet cum per dominum stat quo minus ea detur, dum non cogit in unum pares, ut fidelitatis formulam vasallo præscribant jurare paratissimo. *Separatio*, refutatio feudi: *Fidelitas durat*, *ut supra* 58.

TIT LXXVII. *Si plures sint domini vel vasalli, an plures fidelitates vel servitia debeantur.*

Cum plures fratres vasalli paternum habent beneficium, donec illud indivisum possident, una fidelitas, et unum servitium domino fieri debet. Si vero partitum fuerit, quot partes, tot erunt fidelitates. Servitia vero non pro partibus, ut unum primum [1] videlicet graviora, sed pro quantitate beneficii moderanda. Plures autem domini, et si feudum inter se dividant, nullo modo nisi unam fidelitatem ex feudo habere poterunt. Servitium vero omnibus non gravitate, sed moderamine faciendum est.

(1) γρ. *ut cui plurimum.*

De hac re scripsimus *supra* 9. *Ut unum primum.* Legendum opinor: *ut cui plurimum videlicet graviora*: hoc sensu, ut servitia non imponantur pro amplitudine partium, veluti graviora ei cui divisione agri plurimum obvenerit, sed pro earum æstimatione, et pretio.

TIT. LXXVIII. *Culpam unius ex cohæredibus ceteris non præjudicare.*

Cum feudum bæreditarium uni ex cohæredibus propria culpa auferetur a paribus per judicium, ceteris non præjudicat. Hoc autem ita intelligitur, ut vivo eo, vel suis hæredibus feudum ad ceteros venire non intelligatur.

Si unus ex cohæredibus in dominum deliquerit, is solus partem suam amittit, eaque ad dominum revertitur, et a domino ad cohæredes ubi ille defecerit posterique ejus, ut *infra* 83. et 98. et nos attigimus *supra* 3. *tit.* 2.

TIT. LXXIX. *Ut ratio vasalli prius quam domini discutiatur.*

Si contentio fuerit inter domioum et vasallum, et dominus habuerit aliquam rationem contra vasallum, et vasallus contra dominum, vasalli ratio prius discutiatur: quoniam pares majorem jurisdictiooem babent de suo pari, quam de suo domino.

Par in parem majorem habet jurisdictionem, quam in dominum. Dominum pares verecunde compellant, et bonam fidem agnoscat, ut *supra* 2. *tit. ult.* Parem severius: nec mirum si sit jurisdictio pari in parem, cum ex consensu litigatoris eligatur, ut *supra* 2. *tit.* 16. Sed non posset tamen misso pari par qui de feudo litigat, extraneum judicem optare, quia feudi litem malius visum est quodammodo dirimi intra privatos parietes ab iis qui sunt ex eadem domo, et qui eundem dominum recognoscunt. Quia vero major est parium jurisdictio in parem quam in dominum, ideo ait petitionem vasalli discutiendam esse prius quam domini. De re igitur domini verecunde, ægre, lente cognoscunt.

TIT. LXXX. *De evictione.*

Generaliter verum est in feudis domioos de evictionibus teneri, ut si quis sciens investituram alterius beneficii acquisierit, eo evicto nullam adversus dominum vasallum actionem habere dicimus: quoniam in acquirendo malam habuit fidem.

De evictione feudi dictum est *supra* 2. *tit.* 8. et 4. *tit.* 1., et 55.

TIT. LXXXI. *De feudis impropriis quæ auferuntur dantis arbitrio.*

Unum quidem non minus utile, sed satis congruum superioribus adverti, et ex comprobato usu in scriptis bono arbitrio reducere procuravi. Si quis igitur pro vice dominicaris, vel villicaria, et ut dicam, pro decania, vel aliis quibuscunque aogariis feudum, quod improprium est, acceperit, nisi specialiter hoc actum sit inter contrahentes, id est, nominatim feudum cum honore feudi, et ita, ut non liceat domino auferre quod datum fuerit, etiamsi administratio illa auferatur: quod datum penitus ablata administratione sine omni obstaculo auferre liceat. Si autem quod superius dictum est probare conetur, et quodammodo possidere vasallum a quibusdam credatur, non jurejurando decidi oportet, sed testibus, vel instrumento aliisve legitimis probationibus causa firmiter approbetur.

Feuda quæ dantur pro mercede functionis, vel administrationis alicujus, ablata ea administratione finiuntur, ut *supra* 94. nisi aliud convenerit. puta ut obtineantur cum honore feudi etiam adempta administratione: hæc sunt feuda impropria: quod exposuimus 1. *tit.* 1. §. *Item illud.* Et si qua fuerit de hac feudi qualitate contentio inter dominum et vasallum, vasallus, qui proprium dicit, hoc probare debet per pares vel instrumento publico, ut *d.* §. *Item illud.* et §. *Item si al*, *uis.*

TIT. LXXXII. *Prius possessionem restituendam esse quam de principali causa agatur.*

Si qua contentio de beneficio inter aliquos (prout sæpe fieri solet) orta fuerit, si unus dominus vel loco domini habeatur, et alter vasallus vel loco vasalli habeatur: si per pares secundum usum regni judicium ventiletur, primo de suo recto beneficio investiri debet, et si possessio aliqua perturbata fuerit, modo restitui debet.

Ut fit in alodiis *l. Incert. C. de interd.* præcedit enim causa momenti semper: et hac de re dictum est *supra* 2. *tit.* 4. et 20.

TIT. LXXXIII. *Si unus ex fratribus dederit suam partem fratri, vel domino, vel extraneo.*

Si alter ex fratribus, qui paternum habeat beneficium, suam portionem dederit domino vel alicui extraneo: dominus vel extraneus tandiu teneat sine prejudicio quandiu ille, qui dedit, hæredem masculum habuerit: si vero sine hærede decesserit, alter frater si vixerit, vel ejus hæres sine ullo obstaculo et temporis præscriptione beneficium, quod hæreditarium est, vindicet a quocunque possidente. Hoc idem dicimus, et si fratres fuerint, et alter ab altero ex fratribus acquisierit, hoc enim verissimum ex usu comprobato didicimus.

Si frater fratri, vel si domino unus ex fratribus sua parte cesserit quam habet in feudo paterno, hæc cessio refutatio est, quæ agnatis præjudicabit quamdiu is qui cessit liberive ejus superfuerint: ea stirpe perempta, ad agnatos portio ea feudi revertetur. Idemque erit si suam partem extraneo dederit: quod jure fit: nec enim ea pars seorsim pro feudo aliquo solido accipitur: quod congruit cum *lib.* 1. *titul.* 2. § *Rursus.* Idem si in dominum deliquerit, ut *supra* 78.

TIT. LXXXIV. *Patrem in feudo filii* non *succedere.*

Quoddam usui traditum recordationis causa in scriptis ponere procuravi. Si quis igitur habens filium, ipsum per dominum investire fecerit, nisi nominatim cum domino pactus fuerit, ut si filius decesserit ante patrem quod feudum ad patrem revertatur: dicitur defuncto ante patrem filio patrem carere beneficio, et domino acquiri beneficium.

Diximus hac de re *supra tit.* 59.

TIT. LXXXV. *De investitura facta marito vel utrique conjugi.*

Si maritus de feudo suæ uxoris investiatur ea absente, nisi nominatim quasi gerendo uxoris negotium investiatur, sibi acquirit feudum ea sciente vel jubente: Si vero uterque insimul investiatur, pro parte sibi proficiunt; nisi cum jam dicta distinctione factum fuerit, et diximus etiam, ut si unus ante alterum sine hærede decesserit, quod alterius pars domino acquiratur.

Per gestorem accipi potest investitura, ut per procuratorem *supra* 2. *tit.* 4. Conjux conjugi in feudo non succedit, etiamsi id simul acquisierint, sicut nec frater fratri *supra*, 2. *tit.* 12. et 13. Marito si dominus investituram fecerit ut acquireret uxori, ille quasi sibi acquisiturus acceperit, uxori acquiritur feudi actio, *l. Qui mihi. D. de donat.* Si ea jubente vel sciente, et tacente ita acceperit marito acquiritur. Taciturnitas uxori jussum imitatur. Hoc cum maritus accipit suo nomine: nam si uxoris nomine quasi gestor, non dubium est uxori actionem acquiri. *Jam dicta distinctione.* Gesseritne maritus suum tantum negotium ea sciente vel jubente, an commune.

TIT. LXXXVI. *De fructibus feudi.*

Unum quidem satis usitatum dicimus, quod si aliquis decesserit nullo in feudo relicto hærede. jus feudi ad dominum pertinere dicimus: Fruges autem extantes non ad dominum, sed ad filias ipsius vasalli, vel etiam ad uxorem ejus pertinere: et hac ratione creditor eas retinere potest, licet pignus habere non possit: et hoc cum distinctione Imperialium Constitutionum.

Diximus hac de re *supra*, *tit.* 30. et distinctio Imperialium Constitutionum, quam dicit hoc loco, ea est quæ illo proponitur.

TIT. LXXXVII. *An præscriptione feudum acquiratur.*

In beneficiis ut in ceteris contractibus, præscriptiones currere satis humanum, et rationi congruum videtur. Si quis ergo feudum alienum bona fide ab aliquo justa traditione acceperit, licet dominus non sit, cum verus dominus in traditione putetur, longi temporis præscriptione jus sibi acquirit. Si vero malam fidem habuerit, nulla se poterit tueri præscriptione, nec etiam de evictione agere poterit.

Et hac de re etiam diximus *supra*, 1. *tit. ultimo.*

TIT. LXXXVIII. *De probatione investituræ.*

De ingressu curiæ a quibusdam varia ac diversa putantur: nos autem, quod sæpius ac rationabiliter in multis curiis et civitatibus intelleximus, in scriptis bonæ recordationis causa inserere procuravimus. Quicunque igitur beneficium per investituram acquisierit sine possessionis traditione, pares ad investituram habeat, ut pro ipso veritas discernatur, cum controversia inde fuerit. Sane si possidet, alii quibusdam adjuvetur adminiculis. Verumtamen quia milites inopes vasalli sunt, per testes vel per breve testatum probatio satis competens esse dignoscitur.

Aut vasallus possidet, aut non. Si non possidet, probare debet investituram per pares duos aut breviculum, ut variis locis dictum est superioribus libris. Porro duo sufficiunt aut breviculum, quod breve testatum dicitur, id est, tabellionis adnotatio brevis, ne inopes vasalli, ampliorum probationum simul ac sumptuum oneribus divexentur. Si possidet, aliis se potest adjuvare adminiculis, puta jurejurando aliove quo genere purgationis. *De ingressu curiæ*, id est, de qualitate vasalli et paris.

TIT. LXXXIX. *Condicionem tacite feudum sequi.*

Beneficia condicionalia, quæ in majoribus curiis a veteri tempore esse noscuntur: utpote Patriarcharum, Archiepiscoporum. Abbatum, Abbatissarum, Ducum, Marchionum, Comitum, Capitaneorum, sive etiam majorum valvasorum, si duobus, tribus, vel deinceps aliis dantur vasallis, tacite condiciones eos sequuntur, nisi nominatim in ipsis traditionibus ipsæ condiciones excipiantur. Hoc idem etiam de his condicionibus, quæ noviter constituuntur ad harum similitudinem verissimum fore sapientibus placet.

Beneficia condicionalia sunt quibus cohæret certi servitii vel administrationis onus, ut *supra*, 5. et 75. et *infra* 104. et *lib.* 2. *tit.* 3. §. *ult.* qualia sunt fere Ducum, Comitum, Episcoporum, Abbatum. Hæc si in alium conferantur, condiciones tacite sequuntur accipientem, etiamsi nihil dictum sit, quia prædiis cohærent, ut servitutes et qualitates aliæ prædiorum, *l. Via.* §. *Si fundus. l. Cum fundus. D. de ser. rust. præd.*

TIT. XC. *Fratrem fratri in feudo novo non succedere.*

Si duo fratres in hæredes masculos et feminas de beneficio investituram acceperint, altero decedente

filia relicta, oeptem cum patruo ad feudum venire dicimus: com unusquisque fratrum suæ soboli bene consuluit. Si enim frater suus sine ulls progenie decesserit, feudum non ad superstitem, sed ad dominum perveniet: nisi pactum de successione factum foret.

Frater fratri lu eo feudo quod communiter acquisierit non succedit, sed uno ex ais mortue sine liberis, dominus vocatur, ut *supra* 2. *tit.* 12. ulsi aliud lu traditione vel investilora convenerit. Unde etlam si unus morietur relicta filia, cum id actum esl, ut et filiæ in feudo succedant, filia sola in portionem patris sui veniet. *Neptem*, inquit, *cum patruo ad feudum venire dicimus.* Ad feudum scilicet totum, non ad portionem defuncti fratris: hanc filia capit, suam retinet patruus. Idemque erit, et si præterea hoc actum sit, ut fratres sibi invicem ut liberi eorum masculi ul feminæ in feudo succedant, ul *supra*, 2. *titulo* 18.

TIT. XCI. *De investitura veteris et novi beneficii.*

Beneficium intelligitur de veteri et novo: et cum de veteri fit investitura, satis sit si de recto beneficin fiat investitura. Hæc autem investitura ab unaquaque persona fieri potest, sive seculari, sive ecclesiastica, si sotiquitus eorum consuetudo fuerit: hæc secundum quosdam, et a femina, et a minore xxv. ann. fit. De novo si fiat investitura, oominatim et de certa re oportet fieri. Hæc investitura a muliere secundum quosdam non valet: quibusdam valere placet: quæ sententia mitior est. A minore autem xviii. annorum non valet: hoc etiam de mioribus ann. xxv. asseritur, ut quibusdam placet: A prælatis Ecclesiarum vero tradi, et legitime dici potest jure, ut valeat investitura, dum tamen dissipator videri non possit: quod si aliter intelligeretur, nullum beneficium ab ecclesiasticis personis datum retineri posset. Dicitur etiam quod si conjunctæ personæ gratia, vel etiam alicoi alteri tale dedit feudum, quod duos consimiles vasallos acquirere posset, inutile est beneficium.

Hæc exposita sunt *supra* 2. *tit.* 4. Illud notandum, a clericis recta investituram fieri etiam de nuvo feudo, rem Ecclesiæ bene gerentibus, non si ambitiose forte, quia cum duos sibi potuissent parare vasallos uno contenti fuerint: quod his addi velim quæ dicta sunt 1. *tit.* 1. *in princ.*

TIT. XCII. *Justo errore excusari vasallum, qui fidelitatem non fecit.*

Quicumque paratus est facere bene fidelitatem domino suo, prout pater fecerat fidelitatem patri vel antecessori domini, dum tamen hæc bona fide dicat, et noo dolose, sed justo errore, omnino condemnari non potest. Cum enim controversia est inter ipsos per antiquitatem feudi, vel per breve testatum, vel per testes, domino incumbit probatio, alioquin per vasallum veritas inquiratur.

Vasallus qui fidelitatem non facit intra annum et diem, feudum amittit, ut *supra* 1. *tit.* 21. nisi dolus malus absit, ul est in secunda Constitutione Lotharii libro sequenti. Dolus autem abesse videtur, si inter eum et dominum de qualitate fidelitatis controversia sit, vasallo per errorem contendente non ita patrem suum jurasse, aut non ea lege initio datum feudum: quod præscriptio temporis, vel instrumentum publicum vel testimonium parium enucleabit.

TIT. XCIII. *Factum fratris fratri in feudo paterno non nocere.*

Quoddam satis bene dispositum ad otilitatem, et ad perniciosam calliditatem destruendam io scriptis inserere curavimus. Quidam miles bina beneficia a duobus dominis, prout solitum est acquisivit: qui decedens duos reliquit filios, qui paterna beneficia inter se dividentes, alter eorum suo domino pro beneficio quod ad eum venit, fidelitatem oullo anteposito, sicut pater fecerat, fecit. Alter vero frater alteri domino similiter pro suo beneficio, quia alium oullum dominum habere videbatur, nullo ante posito fidelitatem fecit: defuncto posteriore fratre sine filiis, utrumque feudum in unam, ut prius, venit personam: et sic dominus talem fidelitatem quærit, qualem frater ejus fecerat: quas altercationes amputantes dicimus, illud, quod frater fecit, oihil superstiti obesse: licet in secundam et tertiam generatiooem, et usque ad infinitum pervenerit.

Hæc sententia accipienda est de eo feudi genere, quod vulgo ligium dicitur, ut illa verba demonstrant, *Nullo anteposito.* Ligius enim vasallus dicitur, qui contra omnes, ne Rege quidem excepto, vel antiquiori domino fidem et operam omnem suam domino promisit, *c. Pastoralis, de sent. et re jud.* Annonius v. cap. LIV. *Henrico filio Comitis Andegavorum Ludovicus Rex ducatum Normanniæ ejecto rege Anglorum restituit, et eum pro eadem terra in hominem ligium accepit.* Albertus Argentinensis in Chronicis: *Cum omnes quasi ejus essent vasalli, non ab Imperatore moverentur cujus essent ligii.* Krantzius 4. Chronicorum: *Ligius Italorum verbum est, et significat totalem subjectionem.* Homologum appellavimus 2. *tit.* 5. et aliis quibusdam locis supra, ex Constitutione Friderici de ducatu Austriæ apud Cuspinianum, ut colonum homologum, *l. ult. C. Th. de pat. vic.* et ex hoc forsitan appellatione illam imperiti fabricarunt, quibus hæc vox Homologus, ex Latina voce Homo composita videbatur. Quidam addunt et hoc esse proprium homologi Galliæ moribus, ut feudum domino committat, si id alienaverit sine domini voluntate, et ut plus inferat feudi redimendi causa quam non homologus. Species autem hoc loco proposita hæc est. Qui duo feuda habebat, unum ligium, alterum non ligium, moriens duos reliquit filios, Primum et Secundum. Primo obvenit feudum ligium, eademque fidalis se domino devinxit, dicavit, devovit. Secundo obvenit non ligium, et fidem tamen dedit domino quasi ligius. Mortuo Secundo sine liberis, an pertinebit feudum ad Primum, sub obnoxiæ fidelitatis promissione sicut promiserat Secundus, ita ut duobus Primus sit homo ligius et uni serviat per substitutum? ul *inf.* 99. Minime: quia in feudo quod origine non fuit ligium, fratris factum fratri obesse non potuit, ut *supra* 2. *tit.* 9. §. *E contrario, l.* 2. §. 1. *D. si quis aliq. test. prob.* Vasalli factum non mutat originem feudi in deterius. Vulgo perperam hæc sententia referebatur inter Lotharii Constitutiones, cum Jurisperiti esse alicujus et hæc verba demonstrent. *In scriptis inserere curavimus* ul supra, *In scriptis reducere procuravi, In scriptis ponere procuravi, In scriptis bonæ recordationis causa inserere procuravimus*; et illud verbum, *Dicimus*, quo significatur sententia prudentis, et pro quo male vulgo substituerant, *Sancimus.*

TIT. XCIV. *De feudo guardiæ et gastaldiæ.*

Quod nomioe gastaldiæ vel guardiæ in feudum datur, ablata gastaldia vel guardia jure auferri potest.

Ut *supra* 81. et *lib.* 1. *tit.* 1. §. *Item illud.*

TIT. XCV. *De successione feudi.*

Quidam dominus habens beneficium, reliquit duos filios, et unusquisque ipsorum habuit duos vel tres filios: unus illorum fratrum decessit, una tantum filia relicta, portionem illius non ad omnes superstites, sed ad patruos [1] illius et suis posterioribus pertinere dicimus.

(1) Tp. *Fratres.*

Secundum ea quæ diximus *supra* 59. hoc loco pro *patruos* legendum videtur, *fratres.* Et posteriores accipiendi pro posteris, ut *l.* 3. §. *Ex his. D. de injusto rup. test.*

TIT. XCVI. *De investitura alieni beneficii.*

Si quis acceperit investituram alterius beneficii, inutilis est hæc iovestitura: et qui sciens hoc agit, de evictione agere non potest.

Hoc de re diximus *lib.* 1. *tit.* 1. §. *Si vero Archiepiscopus.*

TIT. XCVII. *Non amittere feudum eum qui sine dolo cessavit per annum in petenda investitura.*

Inter dominum et vasallum oulla fraus debet esse, et iode potest accipi, si vasallus non dolose steterit

per annum quærere investituram sui beneficii, non damnabitur: dolus enim abest, si justa causa impediente steterit, vel etiam eum amore servitium fecerit domino conseio. Dicimus autem ut si eontra ea quæ in fidelitate nominantur fecerit, beneficio carebit.

Inter bonos beoe agier oportet: et judicium inter dominum et vasallum quod agitur apud pares bonæ fidei est: et ideo non aliter feudum amittit vasallus ob cessationem anni, quam si dolo malo cessaverit: quod congruit cum Constitutione Lotharii, de qua dictum est 78. et 92. Quod sequitur, *Dicimus autem, etc.* est sumptum ex Constitutione Henrici II. *Cum amore*: cum amore ductus aliis servitium fecerit.

TIT. XCVIII. *Ex delicto vasalli feudum ad dominum redire.*

Vasallus habens feudum deliquit eontra dominum, eui, judicatum est: agnati cum domino litigant: quidam domino dicunt pertinere: quidam agnato. Dicimus autem ad dominum non [1] pertinere, donec aliquis maseulus ex delinquenti vasallo superest, alii vero contradicunt.

(1) dele non.

Tollenda est negatio, et legendum, *Dicimus autem ad dominum pertinere*, ut supra 78.

TIT. XCIX. *De feudo ligio.*

Si quis investitus de feudo ligio, pro quo contra omnes fidelitatem domino debet, Lucio et Titio ex se descendentibus filiis, sibi hæredibus institutis, vita decesserit, divisione facta, si ad solum Titium feudum pervenerit, rationabiliter placuit eum solum fidelitatis sacramento esse obnoxium, ad quem solida feudi jura transierint: quod si ab alio domino Lueius postea feudum per investituram acquisiverit, pro quo similiter ei contra omnes homines fidelitatem feeerit: decedente Titio sine liberis, sed quem devolvatur feudum, quod ex divisione habuerat, an ad alium fratrem, an ad dominum quæri potest: et cum placeat quem ligium hominem duorum esse non posse, videri potest feudum ad dominum pertinere: sed rectius visum est feudum, quod per investituram acquisierit impedimento ei non esse, licereque ei per substitutum acceptabilem domino priori servire.

Vasallus ligios decessit relictis filiis duobus, Titio et Gajo. Titio divisione obtigit feudum ligium in solidum, isque domino fidem dedit quasi ligius. Deinde Gajus aliud sibi feudum acquisivit, et æque domino suo fidem dedit obnixam veluti devotissimus dicatissimusque auctoritati et dominationi ejus. Mortuo Titio sine liberis, quæritur an ei in feodo succedat Gajus frater: quod videtur quia feudum est paternum. Sed obstat, quod natura non patitur, ut quis sit homo ligius duorum in solidum: an igitur dicemus feudum domino aperiri? Minime. Verior est opinio prima, et licebit Gajo per substitutum priori posteriorive domino servire. Ait, per substitutum domino acceptabilem, ut in Constit. Friderici de feudis non alienandis, §. firmiter. Videnda sunt ea quæ scripsimus tit. 93. sup.

TIT. C. *Imperatorem feudum amittere vel alium pro se fidelem dare.*

Ex facto incidisse scio, Fridericum principem nostrum, eum ab initio Dux esset, et pro Ducatu fidelitatem faceret, divino nutu postea Imperatorem creatum, petita ab eo fidelitate pro ducatu, petenti, domino respondisse, non teneri se fidelitatem facere, cum omne hominum genus sibi fidelitatem debeat, et ipse soli Deo et Romano Pontifici. Sed eum insistente feudi domino de hoc contenderetur, proceribus prudenter visum est, feudum ammissum esse, vel alium ducem in Ducatu constituendum, qui feudo servire debeat, et domino fidelitatem faeiat.

Vasallum feudum amittere si eligatur Imperator, nisi domino per substitutum serviat, et fidelitatem exhibeat, quam ipse præstare salva Imperii majestate non potest.

TIT. CI. *Ecclesiam Fidelitatem non facere.*

De negotio super quo nos consulere voluisti, tibi secundum jus curiæ et usum feudi breviter respondemus, quatenus pro feudo, quod ab aliquo per Ecelesiam detinetur, nulla sit facienda fidelitas.

Ecclesiam ipso jure esse solutam jurejurando fidelitatis. Ceteri non nisi ex conventione, ut *sup.* 2. *tit.* 4 §. *Nulla.*

TIT. CII. *Non cogi vasallum pro uno feudo duas fidelitates facere.*

Insuper etiam te instructum esse volumus, quod si dominus a quo feudum tenebatur, diem suum pluribus hæredibus relictis obierit: vasalli, qui eommuniter illud tenent, non coguntur fidelitatem pro eo feudo facere, nisi domini illud feudum primo partirentur: quoniam secundum jus feudi non debet quis duas fidelitates pro eodem feudo facere.

Hoc vero exposuimus *supra tit.* 9

TIT. CIII. *Filios tantum secundi matrimonii matri in feudum succedere.*

Mulier quæ feudum secundi viri eontemplatione acquisierat, si ex utroque matrimonio superstitibus liberis decesserit, solos ex secundo viro susceptos filios ad feudi successionem admitti, usu euriarum obtentum est.

Et hoc quoque supra tit. 11.

TIT. CIV. *Casus quibus femina in feudo succedit.*

Si cui militi ad certum servitium feudum fuerit datum, isque relicta ex se descendente femina, decesserit, quæ id servitium juxta feudi conditionem non minus decenter præstare possit, quam masculus, et si in investitura minime cautum sit, ut et feminæ ad id aspirare valeant, eam tamen admitti rectum putamus: quin imo hoc casu, simul cum masculo in feudum eam succedere quidam putant, quod multo magis dignum observantia existimavimus, cum feudum sic datum est, ut nullum pro eo servitium fiat, ut pleraque hodie feuda dantur. Item si quis eo tenore de feudo aliquo sit investitus, ut in eo succedant feminæ, sicut masculi, sive feudum id ad certum fuerit datum servitium, sive pro eo indeterminate fuerit promissum servitium, investito moriente in feudum succedunt pariter et mares et feminæ: quamquam enim superstite masculo, ex eo qui primus feudum acquisivit feminæ excludantur, et si in maribus et feminis fuerat acquisitum (ut in feudis regulariter fieri solet), sermonem tamen investituræ, nec non vim verborum et sensum contrahentium intuentes, discretionem sexus in ejusmodi feudi successione non fecimus.

Jugales a quodam milite simul de eodem feudo investiti fuerant, ut in se descendentesque suos id haberent. Hi ex se filio, et filia superstitibus defuncti sunt, inter quos feudi quæstio agitatur: masculus enim universum feudum sibi vindicat: femina vero ad parentum feudum pariter cum fratre vocari se defendit: quidam pro masculo, quidam pro femina pronuntiant. Eorum qui pro filia judicant, sententiam sequendam esse censeo cum filia ex antedictorum jugalium contubernio superest ex prædefuncta uxore alio suscepto

masculo, qui consanguineus ad eam frater sit. In ceteris priorum sententia sane sequenda est: quod si sola ex eo matrimonio relicta filia, nullo ex eo vel alio connubio superstite masculo, ab hac luce subtracti fuerint, feudum scindi fert prudentum nostræ civitatis opinio, ut dimidiam quidem partem femina sibi acquirat: reliquam vero dominus aut ejus hæres accipiat.

Hæc etiam omnia explicata sunt *sup. 1. tit. 2. §. pen.*

TIT. CV. *De feudis habitationum.*

Feuda habitationum, nisi aliud specialiter cautum sit, morte accipientium finiuntur.

Et hoc *lib. 1. tit. 4. §. Item illud.*

TIT. CVI. *Servos post delatam successionem manumissos in feudum non succedere.*

Quæsitum scio, dudumque apud prudentes fuisse causam hanc: si servi, quibus macula servitutis obstaculo fuerat, libertate donati fuerint, an ad feudi successionem valeant aspirare? Denique post magnas varietates obtinuit sententia distinguentium, quo tempore libertatis donum assecuti fuerint: ut si quidem eo tempore, quo cohæres alter, utpote his constitutis inhabilibus, aut dominus quasi ad se devolutum vindicasset: ab ejus successione sint penitus alieni, ne quod legitime factum est, superveniente facto postea retractetur: qui si re integra manumissi fuerint, in feudum recte succedere queunt.

Item in clericis sup. 33. ut ergo in alodiis, ita et in feudis delatæ successionis tempus spectatur. Defertur autem successio a morte ejus de cujus bonis agitur.

TIT. CVII. *Ut vasalli sumptibus domini servitia præstent.*

Antiquatum esse ipsis rerum experimentis nos ipsi cognovimus, fideles, nisi aliud contractibus pactiones insertæ desiderent, dominorum sumptibus eisdem servitia ministrare. Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, quo tempore suum commodare reperiuntur obsequium, præsertim cum nec quisquam propriis cogatur impendiis militare, maxime cum extra civitatis suæ tentoria servitiis exhibendis eos convenit fatigari.

Multum hac in re et ceteris mores regionum possunt: alias vasalli diebus xv. alias tribus mensibus tantum suis sumptibus domino militant.

TIT. CVIII. *Vasallum feudum posse in alium arctiori lege transferre.*

Nulla juris constitutione aut consuetudinis, usuisque longævi observantia prohiberi sciscitatus invenio, vasallum arctiori, quam ipse habeat, lege feudum in alium ubilibet posse transferre.

Dixi hac de re *supra 1. tit. 38.*

TIT. CIX. *Clericatu feudum amitti.*

Et jure et moribus receptum est, vasallum clericali se militiæ dedicantem feudum amittere. Scriptum est enim in divinis eloquiis: Miles Christi serviat Christo; milites seculi serviant seculo.

De hac autem lib. 2. tit. 21.

DE FEUDIS

LIBER QUINTUS

QUO

VARIÆ CONSTITUTIONES

IMPERATORUM

Ad hanc Partem Juris pertinentes continetur.

Constitutio Conradi de beneficiis.

In Nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis: Conradus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, Omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus et nostris tam præsentibus quam futuris notum esse volumus, quod ad reconciliandos animos seniorum et militum, ut ad invicem semper inveniantur concordes et ut fideliter nobis et suis senioribus serviant et devote, præcipimus et firmiter statuimus, ut nullus miles Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, Marchionum, vel Comitum vel hominum, qui beneficium de nostris publicis bonis, aut de Ecclesiarum prædiis nunc tenent aut tenuerint, aut hactenus injuste perdiderint, tam de nostris majoribus valvasoribus, quam eorum militibus sine certa et convicta culpa suum beneficium perdat, nisi secundum consuetudinem antecessorum nostrorum et judicium parium suorum. Si contentio emerserit inter seniorem et militem, quamvis pares judicaverint, illum suo beneficio carere debere, et ille dixerit, hoc injuste vel per odium factum esse, ipse suum beneficium teneat, donec senior et ille quem culpat, cum paribus ad nostram præsentiam veniant, et ibi causa juste determinetur. Senior vero, et miles qui culpatur, qui ad nos venire debuerint, sex hebdomadas antequam iter incipiat ei cum quo litigaverit, innotescat. Hoc autem de majoribus valvasoribus observetur. De minoribus vero in regno nostro, aut ante seniores, aut ante missum nostrum eorum causa finiatur. Præcipimus etiam, ut si aliquis miles, sive de majoribus, sive de minoribus de hoc seculo migraverit, filios ejus beneficium tenere: si vero filios non babuerit, et aviaticum ex masculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat, servato usu majorum valvasorum in dandis equis et armis suis senioribus. Si vero forte aviaticum ex filio non reliquerit, sed fratrem legitimum ex parte patris, et si seniorem offensum habuerit, sibi vult satisfacere et miles ejus esse, beneficium quod patris sui fuit, habeat. Insuper et omnibus modis prohibemus, ut nullus senior de beneficio suorum militum cambium aut precariam aut libellum sine eorum adsensu facere præsumat. Illis vero quæ tenet proprietario jure, aut per præcepto suo porrectum libellum sive per precariam, nemo cum devestire audeat injuste. Fodrum autem de castellis, quod nostri antecessores habuerunt, habere volumus. Illud vero quod non habuerunt, nullo modo exigimus. Si quis hanc jussionem nostram infregerit, auri optimi libras c. componat, medietatem cameræ nostræ, et medietatem cui damnum illatum fuerit.

De primo capite, ne vasallo feudo aripiatur, nisi judicium parium cognita, et convicta culpa certa, lib. 1. tit. 20. et 23. De secundo capite, ut si reus culpæ valvasor major judicio parium condemnatus provocaverit ad principem, nihil innovetur, et sesquimense priusquam iter arripiat adversario innotescat provocatio, in d. tit. 23. De tertio, ut filii et nepotes ex filiis, atque fratres fratribus in feudo paterno succedant, in 1. tit. 1. §. *Cum vero Conradus*. Sed satisfacere prius domino debent si eum offensum habuerint, ut sup. 4. tit. 61. et solemnia munera offerre, arma scilicet et equos, ut sup. 2. tit. 18. De quarto, ne dominus feudum sui militis alienare possit, in 2. *tit.* 9. §. *ult.* et 4. *tit.* 38. §. *Ex eadem*. Proponitur et initio illius tituli aliud, quod deesse hoc loco videtur, licet possit deduci ex differentia quam statuit inter majores et minores valvasores. Quintum caput est de fodro, nolle se in eo exigendo morem antecessorum suorum excedere. Fodrum Annonius 5. cap. 3. annonam militarem esse interpretatur: ergo a Germanico vocabulo *Futer*. Fridericus de pace Constantiæ: *Nobis intrantibus Italiam fodrum consuetum præstabunt*: Lotarius et Carolus in suis legibus: *Missi curam habeant, ne homines nostri vicinos tempore æstatis quando ad herbam caballos suos mittunt, vel tempore hyemis quando marascalli illorum ad fodrum dirigunt, deprædentur, aut opprimant*. Guntherus:

> *Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,*
> *Et capitolicium certo sub tempore census,*
> *Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia, fisco.*

Sic in *cap. præterea, de ju. pat.* et Othonis 2. *cap.* 12. 23. Radevici 4. *cap.* 10. 15. 34.

Constitutio Henrici de causis amittendi feudi.

Imperator Augustus Henricus secundus. De militum beneficiis quoniam dubias variasque causas in regno nostro esse cognovimus, ideo ad Reipublicæ statum quædam statuimus. Si quis ergo dominum suum interfecerit, vel vulneraverit ipsum dominum, suamve dominam obsederit, vel cum cucurbitaverit, vel contra ea, quæ in fidelitate nominantur, fecerit, vel his supra dictis consilium dederit, parium laudatione beneficium amittat. Si vero de supradictis se defendere voluerit, testibus a parte domini deficientibus, cum tribus pari-

bus se expurget: si autem pares habere non potuerit, cum duodecim propinquioribus parentibus se defendat (usu vero curiali solus defendat). Si quis autem suorum parium, idoneus tamen exinde se veritatem scire dixerit, et per pugnam eum fatigare voluerit, ut per pugnam se defendat edicimus. Si quis autem fuit, qui domino non servierit, parium laudatione beneficium amittat: (curiali tamen usu id redimere potest pro medietate, quantum valuerit) sed si hoc defendere noluerit, duos vel unum saltem, parem ostendat, et cum his se servisse juret: et si pares parentive habere nequiverit, cum tribus vel duobus propinquioribus parentibus se intra annum servisse juret: (usu tamen curiali solus jurare conceditur. Qualiter autem juret, an solus, vel cum aliis nihil interest, dum tamen servitia nominet. Si autem concorditer cum domino suo se habuerit dominum sæpe videndo, tunc dicimus, ut probet, per testes servitium fecisse et per se non stetisse. Si autem aliqua inter dominum et vasallum discordia fuerit, vel si domicilia in longinquum habuerint, vasallus dominos se repræsentando servitium promittat, et si necesse fuerit, hoc probet jurejurando, saltem ad finem controversiæ vasallo a paribus dato. Si quidem intra annum servierit quod levissimum fuerit, et dominus aliud servitium imposuerit, quod vasallus neglexerit, unde damnum domino illatum fuerit usque ad fruges, feudatarius parium existimatione damnum resarciat. De aliis vero culpis unde beneficium non amittitur parium laudatione defendat se, ut supra, vel emendet.

Enumeratis quibusdam causis amittendi feudi, ait reum ingrati vasallum domino deficiente probationibus se expurgare debere jurejurando cum tribus paribus vel cum XII. cognatis. Aliter 5. tit. 36. cum de investitura lis est inter dominum et vasallum. Vel etiam se expurgare debere duello, si quis existat compar, qui eo nomine cum eo in pugnam descendere velit, ut sup. 5. tit 47. et dixi lib. 1. tit 2. Eum vero qui per annum cessasse in præstando servitio dicitur, se expurgare jurejurando cum paribus duobus, vel uno vel cognatis duobus, aut tribus, servitii genera, quod se præstitisse jurat, nominatim designato, vel si constet eum sæpe dominum salutasse, adiisse, convenisse benigne sine ulla querela, satis erit per testes quoscunque eum hanc sedulitatem probare. Sequitur: *Si quidem intra annum servierit, quod levissimum fuerit* id est, si minimum servierit, *et dominus aliud servitium imposuerit, etc.* hoc casu feudum non amittit, sed damnum domino præstare cogitur. Denique culpæ ratione vasallus aut feudum amittit, aut damnum præstat. Quæ inclusimus parenthesi, inseruit vel apposuit Constitutioni interpres aliquis, et usus curiarum studiosum commonefecerat, quo solus vasallus jurat, ut sup. 1. tit. 6. et servitii omissi culpa se liberat mercede certa, et diximus sup. 1. tit. 20.

Alia Constitutio Henrici de vasallo qui unum ex dominis refutavit.

Imperator Henricus: Si contigerit feudum incuriis, aut neglectu fidelis consortibus applicari, nullum ex eo levamen detrusus excipiat, ne senioris sui contemptus illusus fiat, ob quem feudum jure dimiserat. Sane qui aliter fecerint, quam quod mens saluberrimæ nostræ constitutionis exposcit, beneficio se carituros esse cognoscant, ita ut eis amplius sperare non liceat, seniori danda licentia tam ab ipsis eorumque posteris, quam ceteris detentatoribus prædictum beneficium vindicandi.

Si vasallus unum ex dominis refutaverit, non ceteros consortes, si quidem servitium non debet, sed et offendere eum non debet, ut sup. 5. tit. 44. alioquin feudo omni privabitur: et hoc item meminimerim me exposuisse lib. 2. tit. 14.

Alia Constitutio Henrici ejusdem, ut ingratitudo vasalli probentur testibus quinque.

IMP. HENRICUS AUG. universo populo.

Si vasallus inhonestis factis, atque indeceutibus machinationibus dominum suum offenderit, insidiisque eum clandestinis, vel manifestis appetiverit, vel inimicis ejus suas amicitias copulaverit, atque in aliis sic versatus est, ut potius inimicus quam fidelis esse credatur, vel si eum cucurbitaverit, seu in campestri bello suum dominum reliquerit, feudo privabitur. Quod non obtinere sancimus, nisi quinque testibus summæ atque integræ opinionis probatum fuerit manifeste. Datum VIII. Idus Augusti feliciter.

De hac re diximus lib. 1. tit. 2.

Constitutio Lotharii de feudis non alienandis.

LOTHARIUS DIVINA FAVENTE Clementia tertius Imperator Romanorum, pius, felix, inclytus, ac triumphator semper Augustus universo populo.

Imperialis benevolentiæ proprium esse judicavimus, commoda subjectorum investigare, et eorum calamitatibus diligenti cura mederi, similiter Reipubl. bonum statum, ac dignitatem Imperii omnibus privatis commodis præponere. Quocirca omnium fidelium nostrorum tam futurorum quam præsentium noverit universitas; qualiter dum apud Roncalias secundum antiquorum Imperatorum consuetudinem pro justitia ac pace regni componenda consideremus, omnia quæ ad honorem Imperii Romani spectare videntur solicite indagantes, perniciosissimam pestem, et reipub. non mediocre detrimentum inferentem resecare proposuimus. Per multas enim interpellationes ad nos factas comperimus milites sua beneficia passim distrahere, ac ita omnibus exhaustis, suorum seniorum servitia subterfugere, per quod vires Imperii maxime attenuatas cognovimus, dum proceres nostri milites suos omnibus beneficiis suis exutos, ad felicissimam nostri numinis expeditionem ullo modo transducere valeant. Hortatu itaque et consilio Archiepiscoporum, Episcoporum, Ducum, Comitum, Marchionum, Palatinorum, ceterorumque nobilium, similiter etiam judicum hac edictali lege in omne ævum Deo propitio valitura decernimus, nemini licere beneficia, quæ a suis senioribus habent, sine ipsorum permissione distrahere, vel aliquod commentum adversus tenorem nostræ constitutionis excogitare, per quod Imperii vel dominorum minuatur utilitas. Si quis vero contra hæc nostræ legis saluberrimæ præcepta ad hujusmodi illicitum commercium accesserit, vel aliquid in fraudem hujus legis machinari tentaverit, pretio ac beneficio se cariturum agnoscat. Notarium vero, qui super hoc tali contractu libellum vel aliud instrumentum conscripserit, post amissionem officii, infamiæ periculum sustinere sancimus. Dat. VIII. die mensis Novemb. M. C. XXXVII. Indictione XV.

Hæc est Constitutio Lotharii, de qua sæpius actum est supra, cujus Lotharii dixi 1. tit. 17. Ne feuda alienent vasalli sine consensu domini: quia alienatione feudorum ad militiæ servitia obeunda propter inopiam redduntur inhabiles. Hæc servitia cohærent feudis: at ob id Cornelio Tacito vasalli comites dicuntur, quod in bello sequi dominum cogantur. Jubet amoveri fraudes, et notario irrogari infamiam, ut *l. Jubemus. 2. C. de sacros. eccl.* et vasallum feudo mulctat et pretio. In contextu illo loco, *Vel aliquod commercium*, emendavi, *commentum*, quod figmentum in Constitutione Friderici eadem de re.

Alia ejusdem Lothorii Constitutio de investitura non petita intra annum.

IMP. LOTH. AUG. EUGENIO PAPÆ, et universo populo.

Quoniam inter dominum et vasallum nulla fraus, nec ullum malum ingenium debet intervenire, idcirco per hanc præsentem legem sancimus, si vasallus non

dolose per annum et diem steterit, quod a domino sui beneficii investituram non petierit: feudum non ob hoc amittat: dolus enim abesse videtur si justa causa impediente steterit. Datum VI. Kal. Septembris, anno a Nativitate Domini M. C. XXVII. Indictione V.

De hac supra 1. tit. 21. et 4. tit. 76. 92. 97.

Constitutio Friderici de feudis non alienandis et aliis capitulis.

FRIDERICUS DEI GRATIA Romanorum Imperator semper Augustus universo populo.

Imperialem decet solertiam ita Reipublicæ curam gerere et subjectorum commoda investigare, ut regni utilitas incorrupta persistet, et singulorum status jugiter servetur illæsus. Quapropter, dum ex prædecessorum nostrorum more universalis curiæ Roncaliæ pro tribunali sederemus, a Principibus Italicis, tam rectoribus Ecclesiarum quam aliis fidelibus Regni, non modicas accepimus querelas, quod beneficiati eorum feuda, quæ ab eis tenebant, sine dominorum licentia pignori obligaverant, vendiderant, et quadam collusione nomine libelli alienaverant: unde debita servitia amittebantur Imperii, et nostræ felicis expeditionis complementum minuebatur. Habito ergo consilio Episcoporum, Ducum, Marchionum, et Comitum, simul etiam et Palatinorum, judicum, et aliorum procerum, hac edictali, Deo propitio, perpetuo, valitura lege sancimus, ut nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quocunque modo alienare, vel pro anima judicare sine permissione majoris domini ad quem feudum spectare dignoscitur: unde Imperator Lotharius tantum in futurum cavens ne fieret, legem promulgavit. Nos autem ad pleniorem regni utilitatem providentes, non solum in posterum, sed etiam hujusmodi alienationes illicitas hactenus perpetratas, hac præsenti sanctione cassamus, et in irritum deducimus, nullius temporis præscriptione impediente, quia quod ab initio jure non valuit, tractu temporis convalescere non debet, emptori bonæ fidei ex empto actione de pretio contra venditorem competente.

Callidis insuper machinationibus quorumdam obviantes, qui pretio accepto, quasi sub colore investituræ, quam sibi licere dicunt, feudum vendunt, et in alios transferunt: ne tale figmentum, vel aliud ulterius in fraudem Hujus nostræ constitutionis excogitetur, modis omnibus prohibemus: pœna auctoritate nostra imminente, ut venditor et emptor, qui tam illicita reperti fuerint contraxisse, feudum amittant, et ad dominum libere revertatur. Scriba vero, qui super hoc instrumentum sciens conscripserit, post amissionem officii cum infamiæ periculo manum amittat.

Præterea, si quis infeudatus major quatuordecim annis, sua incuria vel negligentia per annum et diem steterit, quod feudi investituram a proprio domino non petierit, transacto hoc spatio, feudum amittat, et ad dominum redeat.

Firmiter etiam statuimus tam in Italia quam in Alamannia, ut quicunque indicta publica expeditione vocatus a domino suo, in eandem expeditionem spatio competenti temere venire supersederit, vel alium pro se domino acceptabilem mittere contempserit, vel dimidium reditus feudi unius anni domino non subministraverit, feudum quod ab Episcopo, vel alio domino habuit amittat, et dominus feudi in usus suos illud redigendi modis omnibus habeat facultatem.

Præterea Ducatus, Marchia, Comitatus, de cetero non dividatur, aliud autem feudum, si consortes voluerint, dividatur, ita ut omnes qui partem feudi habent jam divisi, vel dividendi, fidelitatem faciant, ita tamen, ut vasallus pro uno feudo plures dominos habere non compellatur, nec dominus feudum sine voluntate vasalli ad alium transferat.

Insuper si filius vasalli dominum offenderit, pater a domino requisitus deducat filium ad satisfaciendum domino, vel a se filium separet: alioquin feudo privetur. Si autem pater vult eum deducere, ut satisfaciat, et filius contemnit, patre mortuo in feudum non succedit, nisi prius satisfecerit domino, parique modo vasallus pro omnibus suis domesticis faciat.

Illud quoque præcipimus, ut si vasallus de feudo suo alium vasallum habuerit, et vasallus vasalli dominum domini sui offenderit, nisi pro servitio alterius domini sui hoc fecerit, quem sine fraude ante habuerit, feudo suo privetur, et ad dominum suum a quo ipse tenebat, revertatur, nisi requisitus ab eo paratus fuerit satisfacere majori domino quem offenderit, et nisi vasallus idemque dominus a domino suo requisitus, eum qui majorem dominum offenderit, requirat ut satisfaciat, suum feudum amittit.

Præterea si inter duos vasallos de feudo sit controversia, domini sit cognitio, et per eum controversia terminetur: si vero inter dominum et vasallum lis oriatur, per pares curiæ a domino sub fidelitatis debito conjuratos terminetur. Illud quoque sancimus ut in omni sacramento fidelitatis Imperatur nominatim excipiatur.

Proponuntur hac Constitutione tres aut quatuor causæ amittendi feudi. Lotharius in futurum tantum vetuit alienationes feudorum. Fridericus etiam jam olim factas alienationes vel pignorationes feudi totius vel partis sine consensu domini, nullas esse pronunciat, nulla obstante præscriptione temporis, quod de longi temporis præscriptione accipiendum esse ostendit 4. tit. 49. Obstabit enim certe præscriptio peremptoria xxx. annorum. Alia est conditio emphyteuseos, quod ad pignorationem attinet: nam etsi prædium emphyteuticum non possit vendi domino non denunciato, *l. ult. C. de ju. emphy.* pignorari tamen potest, *l. Tutor. §. ult. D. de pig. act.* Alia etiam conditio domini: nam et si alienare prohibeatur lege Conradi non tamen pignorare. Et valet quidem a minori argumentum ad affirmandum hoc modo. Si potest vendere, et pignorare, *l. 9. § 1. D. de p. pn. l. 1. C. rem. alien. g. r. non interd.* Fructuarius usumfructum vendere potest invito domino: ergo et pignorare. Dominus proprietatis vendere proprietatem potest, ergo et pignorare. Non tamen valent ad negandum hoc modo Si non potest vendere, nec pignorare. Adjicit hac Constitutione, venditione facta sine consensu domini feudum domino aperiri: emptori tamen bonæ fidei, id est, qui ignorans esse feudum emit, adversus venditorem competere ex empto actionem pretii nomine. Apud Guntherum corrupte scriptum est:

Prætorique bonæ fidei præstetur in illum,
Actio quæ pretium cogat reddibere solutum.
Legendum enim.
Emptorique bonæ fidei.

Malæ fidei emptor de evictione actionem non habet, *l. Si fundum. C. de evict.* quo casu æquum est venditori a domino pretium auferri, ut secundum Constitutionem Lotharii et pretio et beneficio careat. Amoventur etiam fraudes hac Constitutione, ut si vasallus in feudum dationem, quæ jure permissa est, pro venditione adsimulaverit, ut *supra 2. tit. 4. §. 1.* et ad hanc fraudem respicit etiam *infra §. Illud.* dum ait, quem sine fraude habuerit. Deinde proponit aliam caussam amittendi feudi de qua diximus 1. *tit.* 21. et 4. *tit.* 13. si pubes non petierit investituram intra annum, et aliam, si militiæ munere fungi nolit, vel alium pro se mittere, suumve laborem redita prædii redimere, ut *supra* 1. *tit.* 20. Adjicit aliquid de feudi divisione, quod exposui 4. *tit.* 9. et 1. *tit.* 9. et inde interpres Conradus de inhabili ambigit an succedat: quam quæstionem dirimit Caroli IV. aurea bulla. Sequitur quarta causa, si vasalli filius vel domesticus dominum offenderit, et nolit vasallus eum ad dominum perducere satisfaciendi causa. Sed si per eum non stat quo minus is domino satisfaciat, excusatur: et filius solus feudi successione indignus judicatur, ut *supra* 4. *tit.* 81. Et similiter si vasallus vasalli majorem dominum offenderit, nec satis fecerit, redit feudum ad minorem dominum, si per minorem fiat quo minus satisfaciat, utrique feudum eripitur: quod ita Guntherus explicat melius, quam tota Feudistarum fæculenta cohors:

Si tuus ex feudo cuiquam vasallus idipsum
Contulit, atque tuo vasallum munere fecit
Ipse sibi, si forte tuam jam tertius ille
Successor meruit factis atrocibus iram,
Ne tibi pro culpa domino mediante secundo
Fecerit ipse satis, reprobato protinus illo
Ad dominum redeant feudalia jura secundum
Si tuus ille suum tibi conciliare fidelem
Sprevit, et aut torpens aut perfidus esse probatur
Ambobus spretis ad te tua jura recurrent.

Quod ait §. *pen.* exposui 1. *tit.* 15. et 2. *tit.* 15. Quod §. *ult.* variis locis, ne alius quam Imperator habeat vasallum homologum, vel Rex, vel Dux, qui regnum vel ducatum a nullo tenet in feudum. *Beneficiatis.* Sic in veteri inscriptione, *Trib. spe beneficiatus.* De hac autem Constitutione Abbas Urspergensis. Fridericus, inquit, lege cavit ne feudorum injustæ fieri possint distractiones. *Obligaverint.* Emendavi, obligaverant, vendiderant et quadam collusione nomine libelli alienaverant ut *supra* 4. *tit.* 35.

Alia de jure fisci.

IMP. FRIDERICUS.

Regalia sunt armanniæ, viæ publicæ, flumina navigabilia, et ex quibus fiunt navigabilia portus, ripatica, vectigalia quæ vulgo dicuntur telonea, moneteæ, multarum pœnarumque compendia, bona vacantia, et quæ indignis legibus auferuntur, nisi quæ specialiter quibusdam conceduntur, et bona contrahentium incestas nuptias, et damnatorum, et proscriptorum, secundum quod in novis Constitutionibus cavetur: angariorum, parangariarumque et plaustrorum, et navium præstationes, et extraordinaria collatio ad felicissimam regalis numinis expeditionem, potestas constituendorum magistratuum ad justitiam expediendam, argentariæ et palatia in civitatibus consuetis, piscationum reditus et salinarum, et bona committentium crimen majestatis, et dimidium thesauri in loco Cæsaris inventi non data opera, vel loco religioso: si data opera, totum ad eum pertineat.

Regalia sive fiscalia jura hoc loco proponuntur, quæ Itali Friderico remiserunt, ut Guntherus et Abbas Urspergensis scribunt, atque etiam Radevicus 3. c. 41. et 4. c. 5. Et primum quidem Armanniæ. An potius Arimanniæ, quæ videntur officia esse apparitorum: nam Arimanni sunt qui magistratibus parent, *l.* 38. *Lang. de furt.* *l.* 2. *de s dit.* *l.* 10. *de præscr p* et personæ publicæ dicuntur *l. ult. Lang. Ne lib ho. op.* ita ut quemadmodum magistratuum creatio numeratur inter regalia, l. 1. *D. ad leg. Jul. de amb.* numeretur et apparitorum. Sed nihil mutandum. In breviculo quodam seditionum Ecclesiæ Romanæ, cujus auctor Deus dedit quidam, dicitur Benedictus locasse cuidam comiti Ariminensem comitatum et territorium integrum Castri Conchæ cum aula publicaria et armannia, et medietatem Comitatus Pesauri cum publicaria et armannia sua intra vel extra civitatem ipsam posita. Videntur esse fabricæ et publica armamentaria, quæ sibi semper principes vindicarunt, ut *Nov. de armis* Justinianus. Sequitur, *Viæ publicæ et flumina navigabilia, aut ex quibus alia navigabilia fiunt.* Radavicus. Omnis utilitas ex decursu fluminum proveniens. *Portus, ripatica* Portoria intelligit. In beneficio Caroli Magni concesso Ecclesiæ Parisiensi S. Vincentii et Germani, apud Aimoinum monachum, Portum donamus qui est inter pagum Senonicum et Milidunensem, ita ut nullus alius ibi portum habeat, neque teloneum aut rotaticum, seu vultaticum, seu pistaticum, ripaticum vel salutaticum: ubi pro pistaticum fortasse legendum, cispaticum, ut in Constitutione ejusdem Caroli de teloneis et cispaticis. *Vectigalia quæ vulgo dicuntur telonea.* Alias *Vectigalia, et quæ vulgo dicuntur telonea*: hujusmodi sunt pedatica, et navigia quæ tamen displicuerunt Carolo legis Francicæ 3. c. 12. et capitulis additis ad leges Langobardorum, cap. 18. ut cum navis per medium flumen, vel sub pontem transit, nec ripam appellit. *Monetæ* Guntherus, Cudendæ jura monetæ. Dedochinus Abbas: *Regalia*, inquit, *sunt civitates, Ducatus, marchiæ, Comitatus, monetæ, teloneum, mercatus, advocatiæ omnia jura centurionum .i. villicorum, turres, et villæ cum omnibus pertinentiis suis, militiæ et castra. Multarum pœnarumque compendia.* Vulgo banna. Nisi quæ specialiter quibusdam conceduntur. Ut legatum quod aufertur tutori excusanti se, quod pupillo cedit non fisco, *l.* 5. §. *Amittere. D. de iis quæ ut ind.* et quod aufertur ei qui celavit tabulas testamenti, *l. pen. C. de legat s.* *Secundum quod in novis Constitutionibus cavetur.* Intelligit Novellas Justiniani. Bona igitur contrahentium incestas nuptias, si desint liberi justi usque ad tertium gradum, vel parentes usque ad secundum et frater, soror, patruus, amita. Ceterorum si desint liberi vel parentes usque ad tertium gradum, *Nov.* 12. *et* 134. *Extraordinaria collatio.* Hæc est quæ fodrum dicitur. *Argentariæ* Argenti fodinæ, ut saliniæ. *Piscationum reditus.* Hoc sumptum est ex *l.* 17. *D. de verb. signific.* ubi corrupte majores nostri legebant piscatiarum, pro picariarum. Picariæ sunt e quibus foditur pix: eam et picem fossilem invenit Plinius scribit 16. c. 12. et simili errore in Bruto Ciceronis male Sebast. Conradus legit pecuarias. pro, picarias. Igitur usurpatione tantum defendi potest fiscus, qui sibi vindicat piscarias, ut privati, *l. Injuriarum.* § *ult. D. de injuriis*, contra jus gentium. Et dimidium thesauri in loco Cæsaris inventi non data opera, vel loco religioso. Hoc est ex *l.* 3. §. *Si in locis. D. de jur. fis.* Non sunt autem hæc sola jura fiscalia, sed et pleraque alia. Hic tantum præcipua enumerantur, quæ cum jam longo tempore deperiissent, Episcopi et proceres et civitates Italiæ Friderico Imperatori restituerunt.

Alia constitutio ejusdem Friderici de pace tenenda.

Fridericus Dei gratia Romanus Imperator semper Augustus, Episcopis, Ducibus, Comitibus, Marchionibus, et Rectoribus, ad quos literæ istæ pervenerint, gratiam suam et pacem et dilectionem. Quoniam divina præordinante clementia, solium regiæ majestatis conscendimus, dignum est ut cujus præcellimus munero, illi omnino pareamus in opere. Inde est quod nos tam divinas quam humanas leges in suo vigore manere cupientes, et Ecclesias sive ecclesiasticas personas sublevare, et ab incursu et invasione quorumlibet defensare intendentes, quibuscunque personis jus suum conservare volumus, et pacem diu desideratam, et antea toti terræ necessariam, per universas regni partes habendam regia auctoritate indicimus. Qualiter autem eadem pax tenenda sit et servanda in subsequentibus declarabitur evidenter.

Si quis hominem intra pacem constitutum occiderit, capitalem subeat sententiam: nisi per duellum hoc probare possit quod vitam suam defendendo illum occidit. Si autem omnibus manifestum sit quod non necessario, sed voluntarie illum occiderit tunc neque per duellum, neque quolibet alio modo excusabitur quin capitali damnetur sententia. Si vero violator pacis a facie judicis fugerit, res ejus mobiles a judice in populum publicentur et dispensentur: hæredes autem sui hæreditatem, quam ipse tenebat, recipiant tali conditione inter posita, ut jurejurando spondeant, quod ille violator pacis nunquam de cetero ipsorum voluntate aut consensu aliquod emolumentum inde percipiat. Quod si hæredes neglecto postmodum juris rigore, hæreditatem ei dimiserint; Comes eandem hæreditatem regiæ ditioni assignet, et a regio jure beneficium suscipiant.

Si quis alium intra pacis edictum vulneraverit, nisi in duello, et vitam suam defendendo hoc fecerit, probaverit: manus ei amputetur, et sicut superius dictum est judicetur, et judex in causa ipsum, et res ejus secundum rigorem justitiæ strictius consequatur.

Si quis aliquem ceperit, et absque sanguinis effusione fustibus percusserit, vel crines ejus aut barbam expilaverit: decem libras ei, cui injuria illata esse videtur, per compositionem impendat, et judici viginti libras persolvat.

Si vero temerarius absque percussione eum invadat, quod vulgo dicitur (1) *cisteros*, calida manu, ac verberibus contumeliisque male tractaverit; quinque libras componat: et judici pro tali excessu decem libras persolvat.

Quicunque judici suo pro excussu viginti libras invadiaverit, prædium suum pro pignore illi tradat, et intra quatuor septimanas invadiatam pecuniam persolvat. Quod si intra quatuor septimanas prædium suum solvere neglexerit hæredes sui si voluerint hæ-

(1) *sitterhand.*

reditatem recipiant, et Comiti intra sex septimanas viginti libras persolvant. Si autem Comes eandem hæreditatem regiæ potestati consignet, proclamatori etiam damnum restituat, et prædium a Rege beneficiali jure obtineat.

Si clericus de pace violata pulsatus fuerit, aut pacis violatorem in contubernio suo habuerit, et de iis in præsentia sui Episcopi sufficienti testimonio convictus fuerit: Comiti, in cujus comitatu idem clericus hoc perpetraverit, viginti libras persolvat, et de tanto excessu secundum statuta canonum Episcopo satisfaciat. Si autem idem clericus inobediens extiterit, non solum officio et beneficio ecclesiastico privetur, verum etiam tamquam proscriptus habeatur.

Si judex populi clamore aliquem pacis violatorem ad castrum alicujus domini secutus fuerit, dominus cujus castrum id esse cognoscitur, ad faciendam justitiam illum producat. Qui si de sua fuerit diffisus innocentia, et ante conspectum judicis venire formidaverit, si mansionem in castro habet, dominus ejus omnia bona mobilia sub sacramento judici repræsentet, et eum de cetero in domo sua tanquam proscriptum non recipiat. Si vero mansionem in castro non habuerit: dominus ejus secure eum abducere faciat, et postmodum judex cum populo eum tanquam pacis violatorem persequi non desistat.

Si duo homines pro uno beneficio contendunt, et unus super eodem beneficio investitorem produxerit, illius testimonium, cum investitor donum investituræ cognoscit, Comes primo recipiat: et si idem probare poterit idoneis testibus, quod absque rapina hoc idem beneficium habuit, remota controversiæ materia id obtineat. Quod si de rapina præsente judice convictus fuerit, rapinam dupliciter solvat, beneficio vero careat, nisi justitia et judicio dictante illud in posterum requirat. Si tres vel plures contendunt de eodem beneficio producentes utrinque diversos investitores, judex in cujus præsentia causa ventilatur, a duobus requirat boni testimonii hominibus in provincia eorumdem litigatorum commorantibus per sacramentum quod juraverint, quis illorum absque rapina ejus beneficii possessor extiterit, et cognita ex ipsorum testimonio rei veritate, possessor beneficium suum quiete obtineat, nisi judicio et justitia dictante alter de manu sua illud eripiat.

Si rusticus militem de violata pace pulsans manu sua juraverit quod non de voluntate sua, sed de necessitate hoc fecit: manu militari se miles expurgabit.

Si miles rusticum de violata pace pulsaverit, et manu sua juraverit quod non voluntate, sed necessitate hoc fecit, de duobus unum rusticus eligat: an divino, an humano judicio innocentiam suam ostendat: aut septem testibus idoneis quos judex elegerit, se purget.

Si miles adversus militem pro pace violata aut aliqua capitali causa duellum committere voluerit, facultas pugnandi ei non concedatur, nisi probare possit quod antiquitus ipse cum parentibus suis natione legitimus miles existat.

Post natale Sanctæ Mariæ, unusquisque Comes septem boni testimonii viros sibi eligat: et de qualibet provincia cum ipsis sagaciter disponat: et quanto precio secundum qualitatem temporis sit annona vendenda, utiliter provideat. Quicunque vero contra deliberationem ipsius intra anni terminum altius modium et carius vendere præsumpserit: tanquam violator pacis habeatur: et totidem viginti libras Comiti exolvat, quanti modios sive maldios altius vendidisse convictus fuerit.

Si quis rusticus arma vel lanceam portaverit, vel gladium, judex in cujus potestate repertus fuerit, vel arma tollat, vel viginti solidos pro ipsis recipiat a rustico. Mercator negociandi causa per provinciam pertransiens, gladium suum suæ sellæ alliget, vel super vehiculum suum ponat: non ut quem lædat innocentem, sed ut a prædone se defendat.

Nemo retia, aut laqueos, aut alia quælibet instrumenta ad capiendas venationes tendat, nisi ad ursos, apros, vel lupos capiendos. Ad palatium Comitis nullus miles ferat arma, nisi rogatus a Comite.

Publici latrones, et convicti vel compacti antiqua damnentur sententia. Quicunque advocatiam suam vel aliquod aliud beneficium inordinate tractaverit, et a domino suo admonitus non resipuerit, et in sua perdurans insolentia ordine judiciario tam advocatia quam beneficio exutus fuerit, si postmodum ausu temerario advocatiam vel beneficium invaserit, pro violatore habeatur.

Si quis quinque solidos aut valens vel amplius furatus fuerit, laqueo suspendatur: si minus, scopis et forcipe excorietur et tondeatur. Si ministeriales alicujus domini inter se guerram habuerint: Comes sive judex, in cujus regimine eam fecerint, leges, et judicia exinde prosequatur. Quicunque per terram transiens equum suum pabulare voluerit, quantum propinquo secundum viam stans in loco amplecti potuerit, ad refectionem et respirationem equi sui, impune ipsi equo porrigat. Licitum sit etiam ipsi uti herba viridi, et sylva sine vastatione qualibet utstur pro sua commoditate et usu necessario.

Constitutio hæc est Friderici primi, ut ceteræ omnes, quæ ad Germaniæ publicam pacem spectat, et vulgo appellatur a Germanis *Fridbreif*, id est, Breve pacis, ut Abbas Urspergensis scribit, et *Landfrid*: sive *Landfriden*, id est, publica pax, Jo. Frossardi 3. cap. 97. corrupte *Langurfride*. Edita hæc fuit Ratisbonæ quantum opinor rebus pacatis inter principes Germaniæ, qui diu dimicarant inter se ob ducatus Saxoniæ et Bajoariæ ereptum Henrico Superbo a Conredo Imperatore: qua de re Otho. Ne, inquit, Bajoaria ulterius totius regni quietis immunis esset, treugam proximo Pentecostæ ad annum jurari jussit. Et ideo forsitan recte huic Constitutioni in veteri libro hic titulus præponitur. De treugis et pace. Constituitur autem primum capitis pœna in eum quem constiterit pacis, sive induciarum tempore hominem occidisse dolo malo, et absolvi eum quem non constiterit cædem fecisse dolo malo, si paratus sit duello comprobare eam se fecisse ob tutelam sui corporis, quod naturalia et civilia jura permittunt. Bona mobilia absentis et fugitivi populo a judice diripienda dari, non fisco. Immobilia hæredibus ejus relinqui, si modo juraverint se nihil ex eis proscripto suppeditaturos, cui jurijurando si non paruerint, jam non amplius ea eos proprio, sed feudi tantum jure ab Imperatore tenere posse. Ei qui vulnus inflixerit, manum amputari: et ita in legibus ejusdem militaribus apud Othonem, eum qui vulnere illato inducias fregerit, manu aut capite plecti. Ei qui sine cæde et vulnere in ipsa injuriam atrocem fecerit, ut si barbam vulserit, aut crinem laceraverit, aut fustibus aliquem ceciderit, hanc irrogat multam, ut injuriam passo inferat quas libras a judici xx. Est hoc frequens in legibus Gothorum, ut judici pars mulctæ aut tota adjudicetur. Injuriam quæ verbis fit, levius coercet, de qua sic ait: *Si vero temerarius aliquem percussione cum invaderit, quod vulgo dicitur Zitterhand, calida manu ac verbis contumeliisque male tractaverit*, etc. Omnes libri scripti habent illud. *Haud*, sed illud *Zitter* est depravatum in *cisler* vel *cieteros*. Quid autem sit *Zitterhand*, mox explicat, calida manu scilicet, quod Germanicæ linguæ peritis exploratissimum est: aut legendum *haisterhand*, ut legibus Alamannorum, Si quis in curtem Episcopi armatus contra legem intraverit, quod Alamanni *Haistera handi* dicunt. Additur in §. *Quicunque*, in hanc causam prædia pignori capi. Debet enim condemnatus reus mox Comiti multam invadiare, quod est obligare dato pignore. Dixere etiam veteres, si Varroni credimus, alligare pecuniam, vel obligare. Id vero pignoris reus luere debet intra mensem: quod si non fecerit, addicitur hæredibus ejus ea lege, ut id reluant intra sesquimensem, aut in fiscum redigitur: ita tamen ut judex prædium sibi retineat feudi jure, et proclamatori litis æstimationem exsolvat. Proclamatorem vocat actorem, cui injuria illata est: nam et Germanis actio est clamor, et veteribus Gallis *clam* ou *clam*. Inde legibus Alamannorum, *Nemo*, inquiunt, *negligat ad placitum venire, ut in ipso placito pauperes conclament causas suas*. Post hæc clericis pacis violatoribus propriam pœnam indicit. Superiorem indixit laicis. Notandum ex §. *Si judex*. proscriptum non esse domo recipiendum: quæ vulgaris fuit olim adjectio,

cum interdicebatur aqua et igni et tecto: et lege Julia de vi puniuntur, qui recipiunt deportatos, auctore Paulo in Sententiis, qui relegatos, pecuniaria pœna, *l. 11. D. de interd. et rel.* In §. *Si duo*, tractat de contentione feudi inter duos vasallos, ut dirimatur a Comite: ergo a judice ordinario: quod exposui 1. *tit.* 15. *et* 28. Et ut primum ejus testimonium recipiatur, qui producit investitorem suum, qui recognoscat donum investituræ, puta scipionem, annulum, clypeum. Testimonium, id est, probatio et testes qui ab eo producuntur quibus ei constiterit eum jure feudum acquisisse, vincet in possessionis causa. Contra si vi probetur invasisse, damni æstimationem præstabit in duplum, possessione ac feudo carebit, etsi id in principali causa suum fuisse probaverit. Ex illa controversia duæ nascuntur lites, una est de possessione, altera de jure. Qui priori multatus est in duplum, non debet cadere etiam posteriori. Sed si forte priori non multetur, et possessionem tantum restituere compellatur, quamvis feudum suum invaserit, et posteriore judicio feudo privabitur, secundum *l. Si quis in tantam. C. Unde vi:* quæ ita re distincta nihil obstabit. Ex §. *Si rusticus. et seq.* intelligimus in causis criminalibus jurari de calumnia: nam si rusticus militem violatæ pacis reum deferat, jurare prius debet de calumnia, miles autem manu quarta (sic est legendum) se debet expurgare, id est, dato jurejurando cum tribus conjuratoribus. Et ita ex diverso si miles rusticum deferat, de calumnia dejerat, rusticus purgat se dato jurejurando cum vii. aliis, vel probat suam innocentiam humano judicio, id est, testibus legitimis, vel divino, id est, duello, nam per campionem miles cum rustico pugnare poterit, vel etiam per se si volit: alioquin rusticus militem ad pugnam compellare non potest: nam neque miles plebejus militem nobilem. Nobilis æstimatur ex genere et vita militari, ut *Const. Neap.* 3. *tit.* 59 et 60. Ceterum in causis criminalibus etiam jurari de calumnia ostendit Constitutio de incendiariis, quæ sequitur. Romano jure in causis criminalibus neque calumniæ jusjurandum datur, ut Leonis *Nov.* 107. et male contrarium elicitur ex *l. ult. C. de fide instr.* neque aliud quodlibet jusjurandum, excepto judicio injuriarum, *l. Lex Cornelia. §. Hac lege. D. de injur.* in quo tamen festivus poeta mavult Bithynica satisfacere quam jurare. Sed non ita in Græcia olim. Lysias ἐν τῷ κατὰ Θεομνήστου πρώτῳ. Καὶ κοινῇ χωρὶς ὅταν τὰς τοῦ φόνου δίκας διαδικάζωνται οὐ διὰ τούτου τοῦ ὀνόματος τὰς διωμοσίας ποιοῦνται, ἀλλὰ δι' οὗπερ ἐγὼ κακῶς ἀκήκοα· ὁ μὲν γὰρ διώκων ὡς ἔκτεινε διόμνυται, ὁ δὲ φεύγων ὡς οὐκ ἔκτεινεν. *Post natale.* Hæc Constitutio edita fuit paulo post Kal. Septembres, ut Otho Frisingensis scribit, et ideo jubet post natale S. Mariæ, quod est vi. Id. Septemb. a Comite certum annonæ pretium constitui, quod qui in vendendo excesserit, multatur quasi violator pacis: et ait, *Modios vel maldras.* Utrumque idem significat: nam et hodie nescio quot modios *Maltar* Germani vocant, et eodem sensu Abbas Urspergensis: *Ut quilibet*, inquit, *mansus rusticorum prædiorum solveret maldare unum avenæ.* Deinde interdicit armorum usu rusticis et mercatoribus, nisi in usum itineris, ut lex Julia de vi publica, atque etiam militibus in palatio Comitis. Venatione omnibus, præterquam ursorum, aprorum, luporum, et sane ab Imperatore etiam hodie in investitura feudorum specialiter jus venandi principibus et nobilioribus vasallis pro beneficio concedi solet. Adjicit §. *Quicunque advocatiam*, privari advocatia vel alio feudo eum qui in eo se gerit insolenter vel ignaviter, merito eum et ex ea causa expelletur conductor, et ereptum si invadat pro pacis violatore haberi. Advocatia dignitas est quædam sive urbis aut Ecclesiæ præpositura, *c. salvator*, 1. *q.* 3. *c. in quibusdam. de pœnis, c. præterea, De ju. pat.* ut advocatia Tigurinensis in Austria Lasil, advocatia Setonæ in Chronicis Flandriæ. Carolus in donatione Ulmæ regalis villæ facta abbati Augiæ majoris apud Nutium Germ. Chron. ix. *Eligant hoc loco advocatum et defensorem, eo tamen tenore ut quandocunque sui commissi prævaricator in rebus aut hominibus, quod vulgo Balmund dicitur, exstitit, statim sine mora, sine judicio advocatiam perdat*: et paulo post: *Si advocatus hæc nostra statuta transgrediatur, sine judicio et absque spe recuperationis advocatia statim privetur.* Abbas Urspergensis: *Mortuo Adelgoso sine hærede, qui fuit advocatus Augustæ Fridericus Imp. tam advocatiam, quam alia prædia ipsius sibi vindicavit*, et alio loco. *Laicam a clericis prohibens investituram, et recipiens ab Ecclesiis Ducatus, Marchias, Comitatus, advocatias, monetas, telonea, ceterarumque regalium quæ possidet summam.* Constituitur et in fures pacis violatores laquei pœna, si quinque solidos aut valens, vel amplius (sic legendum) furati fuerint, ut moribus Britanniæ in fures domesticos, c. 582. si minus, præcipit ut virgis cædantur et strictim tondeantur: et ita in pacis conventione inita in Alsatia apud Rhenanum: *Si quis sicli unius aut duorum pretii furtum aut prædam fecerit, corium cum capillis perdat*: et in legibus militaribus Friderici apud Guntherum:

> *Detonsaque coma post verbera nudus abibit.*
> *Vertice detonso supponet terga flagellis.*

Et in legibus Gotthorum frequentissime, ut turpiter decalvati rei flagellis cædantur: et Leonis Nov. 60. καὶ αὐτὸν πρῶτον μὲν εἰς τὸ ταῖς μάστιξι σῶμα καὶ ἐν χρῷ κουρᾷ ἀτιμάζεσθαι: et 92. τοὺς μὲν ὁρίζεται τὴν ποινὴν μέχρι τῶν εἰς τὸ σῶμα πληγῶν καὶ τῆς ἐν χρῷ κουρᾶς et 63. ἐπὶ ταῖς μάστιξι καὶ τῇ ἀτιμωτάτῃ τριχῶν ἀποβολῇ· et in Ls. βασιλικῶν sæpe. Cum §. *ult.* congruit *l.* 1. *Long. de itinerat. et Neap.* 3. *tit.* 58. Lege Laurentum sancitum erat auctore Festo, ne pomum ex alieno legeretur supra armum, id est, quod humeris esset oneri. Licebat ergo intra armum: et similiter licebit secundum hanc pabuli nomine transeunti equo carpere ex herba aut stipula aliena. Herbæ appellatione non continetur frumentum, ut de edicto Clodovei Gregorius Turonensis refert lib. 2.

Alia constitutio Friderici Imperatoris, De incendiariis et pacis violatoribus.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, et semper Augustus. Decet fidelitati nostræ, tempore generali populorum provinciarum tranquillitati circumspectionis nostræ studio provideri, ut dum in subjectis dominationis virtute pollemus, reprobos quoslibet ac scelerosos a subditorum injuriis arceamus æquitatis nostræ correctione. Considerantes quippe quæ damna, quantæque desolationes hominum et provinciarum, per seditiones et incendia provenerint, et quantos præterea futurorum timores reportent, ea quæ de conscientia et consilio principum, et aliorum fidelium nostrorum, tam liberorum, quam ministerialium, ad reprimendas incendiariorum insolentias, imperialis nostra sanxit auctoritas, universalis imperii fidelibus nota fieri volumus, et sicut in castro nostro Nurimberc hæc ordinata et confirmata sunt, firmiter indicimus observanda. Primum igitur de incendiariis demandamus generaliter, ut si liber homo, ingenuus, ministerialis, vel cujuscunque condicionis fuerit, incendium commiserit pro guerra propria, pro amico, pro parente, vel causæ cujusquam alterius occasione, de sententia et judicio imperiali, proscriptioni statim subjectus habeatur. Hic excipiuntur, si qui forte manifesta guerra castra manifeste capiunt: et si qua ibi suburbia, aut stabula aliave præjacent, igne succedunt. Excipiuntur et judices, quos in malefactores pœnam justitia exigente exercere contingit. Quod si aliquis in Ducatu alicujus incendium fecerit, ipse proscriptum pronunciet, ac deinde justitiæ suæ auctoritate eum proscribat. Idipsum faciant Marchiones, Palatini Comites, Lantgravii, et Comites alii, nec alicui eorum liceat talem absolvere, nisi domino Imperatori. Quicunque etiam incendiarium in domo sua scienter receperit, et consilium auxiliumve ei impenderit, damnum et injuriam passo pro facultate sua restituat. Judici vero x. libras monetæ de illa diœcesi in qua commissum est, persolvat, ac domino Imperatori pro voluntate et gratia sua disponat. Si quis autem super hac culpa innocentiam suam probare vel ostendere voluerit, cum duobus viris veracibus culpa in præsentiam judicis se expurget. Si quis autem cuiquam imposuerit, quod incendiarium receperit, et de hoc ipsum jure voluerit convenire, hoc nequaquam ei fieri liceat, nisi præstito primo calumniæ sacramento. Dominus etiam Imperator proscriptorum neminem a sententia proscriptionis absolvat, nisi de illicitis primo damnis cum injuriato componat, et nisi conosciente judice hoc faciat. Proscriptum vero, quem pro incendio sententiam proscriptionis incurrisse omnibus notum fuerit, Diœcesianus Episcopus, si ad satisfactionem inobediens extiterit, a communione Ecclesiæ Dei et fidelium Christi abjiciat, et extraneum eum reddat, nec eum absolvat, quoad usque læso damnum restituat: et e converso, quem Episcopus legitimis inducus citatum justitia dictante excommunicaverit, et hoc judici insinuaverit, judex eum banno proscriptionis condemnet, et nec prius eum absolvat, quam coram Episcopo de his pro quibus condemnatus est, satisfaciat. Quod si a proscriptione illa prædicto modo fuerit absolutus, et Episcopo suo voluerit obedire, incendium primo abjuret, deinde sit in arbitrio Episcopi, qualem ei pœnam injungat, ad visitandum sepulchrum Domini, aut limina Jacobi Apostoli. Si autem proscriptus eo, ut dictum est, modo absolvi desideraverit, domino

Imperatori fines Imperii per annum et diem abjuret. Si quis autem a proscriptione et excommunicatione similiter non fuerit absolutus infra annum et diem, universo jure, honore, et legalitate privatus habeatur, ita ut ferendo testimonio, vel ad judicandum, de cetero nequaquam sit amittendus. Omni quoque feudali jure carebit perpetuo. Item si in reisa alicujus domini, cum ipso domino cujus est reisa, aliquis fuerit, qui iocendium (ut sæpius contingit) faciat, dominus ipse, cujus est ipsa reisa, jurabit super reliquias, qnod non fecerit conscentia vel mandato vel voluntate sua. Reum autem abjicet a se et nunquam recipiet. Quod si illum post satisfactionem receperit, tenotur universum damnum, quod ille commisit, restituere. Item si contingat dominum aliquem in villa aliqua hospitari violonter, et fortuitu evenerit domum aliquam incendi, et ille cui fit damnum, dominum impetierit, quod mandato suo voluntate vel conscientis sua factum sit, damnum damnificato restituat. Item si incendiarius captus fuerit, et coram judico negare voluerit incendium se commisisse, si forte notorium non fuerit, per provinciam judex si possit eum cum VII. idoneis testibus convincere, capite plectatur. Sed si notorium fuerit, nullius requirendum est testimonium, sed statim decollandus. Item si Castellani cujusquam domini descendentes a castro domini sui, incendium fecerint domino absente a provincia, castrum domini propter hoc non erit comburendum, sod bona incendiarum quæcunquo extra castrum fuerint reperta, comburantur. Post revesionem vero domini, si dominus incondiarium retinere voluerit, et a se non repulerit, castrum ejus similiter erit comburendum. Item si proscriptus propter incendium in aliquam domum confugerit, do qua non possit haberi, nisi domus incendatur, propter hoc incendium non erit quis incendiarius, sed damnum pro incendio restituere debet. Item si incendiarius super castrum aliquod agitatus confugerit, et dominus, cujus est castrum, fortassis dominus, vel vasallus, vel consanguineus fuerit, dominus ille non debet eum persequentibus repræsentare, sed juvabit eum a castro in sylvam, vel alias, ubi securus sibi videatur. Quod si nec dominus, vel vasallus, nec cognatus fuerit, persequentibus eum statim repræsentet, vel cum eo in eadem culpa sit.

Statuimus etiam, ot eodem firmiter edicto sancimus, ut quicunque alii damnum facere, aut lædere ipsum intendat tribus ad minus ante diebus per certum ouncium suum diffiduciet eum. Quod si læsus diffiduciatum se fuisse negaro voluerit, nuncius idem si vivus est, juret quod contradixerit ei ex parto domini sui, locu et tempore designato. Si mortuus est nuncius, juret dominus junctis sibi duobus viris veracibus, quod contradixerit ei, ne dolo mediante de fide violata quis valeat inculpari. His sancientes adjicimus, ut quicunquo treugas alicui dederit, nisi ibi determinatum et exceptum fuerit, quo tenore servet vel non servet eas, contradicere ois ante terminum statutum nequaquam possit. Quod si fecerit, ut violator fidei judicetur: item qui nuncium aliquom, pro eo quod contradicturus mittitur, læserit, fidem suam violavit, ot de cetero omni honore suo carebit, et in postorum nullus ei contradicet.

De filiis quoque sacerdotum, diaconorum, rusticorum, statuimus, ne cingulum militare aliquatenus assumant, et qui jam assumpserint, per judicem provinciæ a militia pellantur. Quod si dominus alicujus eorum eum in militia cootra judicis interdictum retinere contenderit, dominus ipse judici in X. libras condemnetur, servus autem omni jure militiæ privetur. Statuimus etiam, ut si quis vineas aut pomaria exciderit, proscriptioni et excommunicationi incendiarorum subjiciatur. Ut autem hæc tam utilis ordinatio omni tempore rata permaneat, et eo quo dicta est tenorè inconvulsa consistat, eam legibus prædecessorum nostrorum Imperatorum atque regum jussimus interseri, et perpetuo jure servari. Cui si quis ausu temeritatis contraire præsumpserit, Dei omnipotentis et nostræ perpetuo indignationis sit reus. Fiat fiat. Actum Nurembere in præsentia Principum, consilio, et consensu eorum. Anno Incarnationis M. C. LXXXVII. III. Kalen. Jan.

Hæc etiam, quam sumpsimus ex Abbate Urspergensi, pertinet ad publicam pacem Germaniæ, et do feudis nonnihil habet: et etiamsi non haberet, semper pacem publicam, quæ tota consistit ex vasallorum fide et constantia, majores conjunxerunt cum feudis. Eos qui vites exciderint coercet ut incendiarios, ut latrones, *l. 3. D. arb. furt. cæs.* Ait, *Item si in reisa.* Excursio militaris hoc Germanico jam obsoleto vocabulo significari videtur. Olivarius Marchius: *Tost apres ceux de la verde tente, et autres Gandois firent una rese sur les marches de Hainaut.* Et Jo. Aventinus auctor est multam nos respondentis ad delectum appellari Raisogueldum, quod vulgo Herihannum vel Hosteoditiæ.

Alia constitutio ejusdem de pace componenda et retinenda inter subjectos, et aliis capitulis.

FRIDERICUS DEI GRATIA Romanorum Imperator semper Augustus, universis subjectis suo Imperio, Salutem.

Hac edictali lege in perpetuum valitura jubemus, ut omnes nostro subjecti Imperio, veram et perpetuam pacem inter se observent: et ut inviolata inter omnes perpetuo observetur. Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Valvasores, et omnium locorum rectores, eum omnibus locorum primatibus et plebeis, a decimo octavo anno usque ad septuagesimum obstringantur juramento ut pacem teneant: et rectores locorum adjuvent in pace tenenda atque vindicanda: et in fine uniuscujusquo quinquennii do prædicta pace tenenda omnium sacramenta renoventur. Si quis vero aliquod jus de quacunque re, vel facto contra aliquem se habere putaverit, judicialem adeat potestatem, et per eam jus sibi competens exequatur. Si quis vero ausu temerario prædictam pacem violare præsumpserit: si civitas est, pœns centum librarum auri cameræ nostræ inferenda puniatur: oppidum vero triginta libris auri multetur: Duces autem, Marchiones, et Comites quinquaginta auri libras præstent: Capitanei quoque et majores valvasores viginti auri libris puniantur: minores valvasores et omnes prædictæ pacis violatores, tres libras auri inferro cogantur, et damnum passo secundum leges resarciat. Injuria seu furtum legitime puniatur. Homicidium quoque et membrorum diminutio, vel aliud quodlibet delictum logaliter vindicetur.

Judices vero, et locorum defensores, vel quicunque magistratus ab Imperatore, vel ejus voluntate constituti seu confirmati, qui justitiam facere neglexerint, et pacem violatam vindicare legitime supersederint; damnum omne injuriam passo resarcire compellantur: et insuper si major judex est, sacro ærario pœnam decem librarum auri præstet, minor autem pœna trium librarum auri multetur. Qui vero ad prædictam pœnam persolvendam inopia dignoscitur laborare, corporis sui coercitionem cum verberibus patiatur: et procul ab eo loco, quem inhabitat, quinquaginta milliaria per quinquennium vitam agat.

Conventiculas quoque in civitatibus, omnesque conjurationes, et extra, etiam occasione parentelæ, et inter civitatem et civitatem, et inter personam et personam, sive inter civitatem et personam, modis omnibus fieri prohibemus, et in præteritum factas cassamus, singulis conjuratorum pœna uoius libræ auri puniendis. Episcopos vero locorum ecclesiastica censura violatores hujus sanctionis, donec ad satisfactionem veniant, volumus coercere. Receptatoribus etiam malefactorum, quis prædictam pacem violaverint, et prædam ementibus, nostram indignationem subituris, et eisdem pœnis feriendis. Præterea bona ejus publicentur, et domus ejus destruatur qui pacem jurarc et tenere noluerit, et lege pacis non fruatur. Illicitas etiam exactionea maxime ab Ecclesiis (quarum abusio jam per longa tempora inolevit) per civitates, et castella omnino condemnamus, et prohibemus, et si factæ fuerint, in duplum reddantur.

Item sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis: inviolabiliter custodiantur. Per vim autem et justum metum etiam a majoribus (maxime ne querimoniam maleficiorum commissorum faciant) extorta, nullius esso momenti jubemus.

Ad hæc, qui alodium suum vendiderit, districtum et jurisdictionem Imperatoris vendere non præsumat: et si fiat non valeat. Si vero contigerit alodium aliquod etiam infeudatum conferri Ecclesiæ, vel per oblationem fidelium, vel per emptionis et venditionis alteriusvo hujusmodi contractum, infeudatus, nisi per gratiam Ecclesiæ tanquam de novo receperit, feudum quod habebat retinere non poterit. Ut autem æquitas quæ in paribus causis paria jura desiderat; per universitatem totius Imperii servetur: firmiter statuimus tam in Italia, quam in Alamannia; ut quicunque indicta publica expeditione Romam ad suscipiendam Imperii coronam, Regem aut sub Rege dominum suum non adjuvaverit, aut eundo cum ipso, aut pro quantitate feudi stipendia militiæ persolvendo (si de vocatione legitima a domino suo convinci per compares suos poterit) feudum perdat, et dominus in suos usus illud habeat redigendi liberam facultatem.

Hæc et ea quæ sequitur pertinent ad publicam pacem Italiæ: et est conventionis publicæ confirmatio hæc, id est, pacis pactæ cum Mediolanensibus primo bello Mediolanensi. Illud primum constituitur, ut pacem jurent omnes ab anno XVIII. usque ad LXX. unde et constitutione sequenti legendum, a XVIII.: non a XVI. et Radevici 3. cap. 41 non XIV. Hæc est plena pubertas Romanorum jure, Langobardorum legitima ætas. *l. 1. Lang. de proh. alie. m n.* quod Accursius refert in *l. 2. C. de eo quod cer. lo.* et qui eam non compleverunt Gunthero impropria pupilli dicuntur, Civitates quæ pacem violaverint, multantur C. libris auri puri scilicet. Omnis pœna auri, auri puri intelligitur. Marcas dicit Urspergensis pro libris. Plus tamen est marca, continet enim duas libras. Sed quod Latinis olim fuit libra auri, et hodie marca fere, quod selibra, hodie libra: oppida multantur XXX. libris, ut vulgo scriptum est, Sed veteres habent XX. et Radevicus ita legit et Guntherus:

Urbs, inquit, *centum libris puri multabitur auri,*
Oppida vicenis.

Totidem libris multantur Capitanei et majores valvasores. Abbas Urspergensis: *Capitaneus seu alius inasor major XX.* corrupte, pro valvasor major. Minores vero valvasores, inquit, prædictæ pacis violatores, tres libras. Guntherus XII.

Magnates bis dena viri, bis trina minores.

Et Urspergensis. Alii vero X. et usque ad tres marcas prout eis facultas suppetit. Præterea inhibentur hac Constitutione, et coercentur conventiculæ, conspirationes, sodalitia: quod hinc repetitum est Caroli IV. aurea bulla: et scribit Conventiculas, non Conventicula, ut emendandum etiam est in l. *Conventicula. C. de Episc. et cleric. l. ult. Cod. de his qui ad Eccl. conf.* Proponitur et hoc edicto pœna gravissima in eum qui pacem jurare noluerit, his verbis. *Præterea bona ejus publicentur, et domus ejus destruatur, qui pacem jurare et tenere noluerit, et lege pacis non fruatur.* Publicentur, non est confiscentur, sed in populum publicentur et dispensentur e judice: ut in *Const. de pace tenen.* et ita Guntherus:

Qui pacis jurare modum formamque tenere
Improbus abnuerit, quæ possidet omnia vulgo
Diripienda patent, evertendique penates.

Item pœna dupli in eos qui quid ab Ecclesiis exegerint illicita. Illicitas exactiones dicit ex *l. 2. Cod. de Episc et cleric.* Guntherus angarias et Fridericus *II. de statut. et cons.* quæ Constitutio per partes ab Irnerio tota inserta est Codici Justinianeo. Ex hac est tantum insertum Codici, quod sequitur de sacramentis puberum, ad *l. 1. C. si adv. vend.* quo negatur minoribus restitutio in integrum adversus conventiones juratas corporaliter, puta tactis Evangeliis aut manu sublata, non ex scripto tantum, et sua sponte, id est, sine vi et metu: alioquin et majores ob vim aut metum restituuntur, maxime, inquit, si extorta sint ne querimoniam, etc. quod ita declarat Guntherus recte:

Juramenta metu mortisve dolore coacta,
Præcipue ne quis multis nocitura loquendo
Publicet, aut in se crudeliter acta queratur,
Nullius meriti vel ponderis esse jubemus.

Quod sequitur: *Ad hæc qui alodium*, id exposuimus 5. *tit.* 49. *Si vero contigerit.* Dominus non potest invitum vasallum delegare alteri. Potest tamen vendere curtem sive alodem, et si eam Ecclesiæ vendiderit vel donaverit, mox debent ejus curtis vasalli feudum ab Ecclesia recognoscere. Curtem Ecclesiæ alienatam sequuntur vasalli. Quod sequitur, *Ut autem æquitas*, est ex Topicis Ciceronis, et definitio banni et heribanni explicata est 1. tit. 20. His non apposui Constitutionem illam Friderici II. quia nihil pertinet ad feuda, nec eadem etiam ratione alias duas Henrici VII. quibus tamen hoc ex supplemento Chronicorum Uspergensis abscribi volumus. Die coronationis suæ more aliorum principum Romanorum legem edidit seu authenticam novam de summa Trinitate et fide Catholica. Deinde Pisam se recepit: ibi duas alias condidit. Primam de reis crimine læsæ majestatis: secundam qui debeant haberi rebelles et infideles imperio, quas leges Roma tanquam caput mundi insignivit et confirmavit, cujus confirmationis hæc sunt verba. Ego coronarum corona confirmo principi potestatem, eique subjicio civitates, gentiumque nationes. Tueantur Aquilæ gloriam meam. Hæc Roma

Alia Constitutio ejusdem Friderici de pace Constantiæ.

In Nominæ Sanctæ et Individuæ Trinitatis Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, et filius ejus Henricus sextus Romanorum Rex Augustus. Imperialis clementiæ immensa serenitas mansueta cum semper in subditis suis dispensationem favoris et gratiæ habere consuevit, ut quamvis districta severitate excessuum delicta debeat et possit corrigere: magis tamen studeat propitia tranquillitate pacis et piis affectibus misericordiæ Romanum Imperium regere, et rebellium insolentiam ad debitam fidem et debitæ devotionis obsequium revocare. Ea propter cognoscat universitas fidelium Imperii tam præsentis ætatis, quam successivæ posteritatis, quod nos solita benignitatis nostræ gratia, ad fidem et devotionem Lombardorum, qui aliquando nos et Imperium nostrum offenderant, viscera nobis innatæ pietatis aperientes, eos et societatem ac fautores eorum in plenitudinem gratiæ nostræ recipimus: offensas omnes et culpas, quibus nos ad indignationem provocaverunt, clementer eis remittentes, eosque propter fidelia devotæ sinceritatis servitia, quæ nos ab eis credimus certissime recepturos: in numero dilectorum nostrorum fidelium computandos censemus. Pacem itaque nostram, quam eis clementer indultam concessimus, præsenti pagina jussimus subscribi, et auctoritatis nostræ sigillo communiri, cujus est hic tenor et series. Nos Romanorum Imperator Fridericus, et filius noster Henricus Romanorum Rex concedimus vobis civitatibus, locis, et personis societatis regalia: et consuetudines nostras tam in civitate, quam extra civitatem, videlicet Veronæ et castro ejus, suburbiis etiam, et aliis civitatibus et suburbiis. locis et personis societatis in perpetuum, videlicet ut in ipsa civitate omnia habeatis sicut hactenus habuistis vel habetis.

Extra vero omnes consuetudines sine contradictione nostra exerceatis quas ab antiquo exercuistis, vel exercetis tam in foro. vel in nemoribus, et pascuis, et pontibus, aquis et molendinis, sicut ab antiquo habere consuevistis vel babetis, in exercitu, in munitionibus civitatum, in jurisdictione, tam in causis criminalibus, quam in causis pecuniariis intus et extra, et in ceteris, quæ ad commoditatem spectant civitatum. Volumus ut regalia, quæ vobis non concessimus, in hunc modum cognoscantur, per episcopum loci, et homines tam de Episcopatu. quam de civitate eligantur viri bonæ opinionis, et qui ad hoc idonei esse credantur, tales qui nec contra civitatem, nec nostram majestatem privato vel speciali odio teneantur, qui jurent quod bona fide et sine fraude perquirent, et inquisita consignabunt ea, quæ specialiter ad nostram excellentiam spectant. Si autem huic Inquisitioni supersedendum esse putaverint, censum duorum millium marcharum argenti per singulos annos petimus. Attamen competenti moderatione moderabimur etiam quantitatem istam si enormis visa fuerit.

Si quis autem super iis, quæ vobis concessimus vel permisimus, sive in civitate, vel extra civitatem, querimoniam apud majestatem ipsam deposuerit: ejus querimoniam non admittemus: et silentium et imponemus, hoc quod nos, vel noster antecessor Rex vel Imperator Episcopis, Ecclesiis, vel Civitatibus vel aliis quibuscunque personis clericis, vel laicis ante tempus guerræ dedit, vel quolibet concessionis titulo concessit, firmum et ratum babemus, salvis superioribus concessionibus, ut pro eo solita nobis servitia exhibeantur: sed census non præstetur. Commoditates, quas pro bono pacis civitatibus concessimus in civitatibus, vel extra, illorum regalium nomine non intelligimus, pro quibus census debeat præstari.

Privilegia omnia, et data, et concessiones, quæ in privilegium, vel damnum civitatum, vel locorum, vel personarum societatis occasione guerræ in alicujus injuriam prædictorum a nobis, vel nunciis nostris indulta sunt, cassentur et in irritum deducantur. In civitate illa, in qua Episcopus per privilegium Imperatoris, vel Regis comitatum habet, si Consules per ipsum Episcopum consulatum recipere solent, ab ipso recipiant sicut consueverunt recipere, alioqui una quæque civitas a nobis consulatum recipiat. Consequenter vero in singulis civitatibus Consules constituentur a nuncio nostro, qui sit in civitate, vel Episcopatu: et investituram recipient, et hoc usque ad quinquennium, finito quinquennio una quæque civitas a nobis recipiat, et intro quinquennium a nuncio nostro sicut dictum est, nisi in Lombardia fuerimus: tunc enim a nobis recipiet. Eadem observentur in successore nostro. Et omnes investituræ gratis fiant. Cum autem nos Imperator divina vocatione decesserimus, vel regnum filio nostro concesserimus simili modo a filio nostro vel ejus successore investituram recipietis.

In causis appellationum si quantitas XXV. lib. imperialium summam excesserit, appellatio ad nos fiat: salvo jure et moribus Brix. Ecclesiæ in appellationibus: ita tamen, ut non cogantur in Alamanniam ire: sed nos habebimus proprium nuncium in civitatibus, vel Episcopatu, qui de ipsa appellatione cognoscat, et juret, quod bona fide, et sine fraude causas examinabit, et definiet secundum leges, et mores ipsius civitatis intra duos menses a contestatione litis, vel a tempore appellationis receptæ, nisi justo impedimento vel consensu utriusque partis remanserit.

Consules, qui in civitatibus constituentur, tales sint, qui fidelitatem fecerint nobis, vel faciant antequam consulatum recipiant.

Vasalli nostri a nobis investituram recipiant, et fidelitatem faciant sicut vasalli ceteri omnes, sicut cives a XVI. annis usque ad LXX. nisi tales personæ sint quibus debeant, et possint sine fraude sacramenta remitti. Vasalli, qui tempore guerræ vel treugæ non postulaverint investituram, vel debita servitia nobis non exhibuerint; hac occasione feudum non amittant. Libellariæ et precariæ in suo statu permaneant secundum consuetudinem uniuscujusque civitatis, non obstante lege nostra, damna omnia et ablata, etiam injurias quas nos per nos et per nostros ab universitate societatis, vel ab aliquo de societate, vel coadjutoribus societatis sustinuimus, per nos cum nostra parte remittimus gratis, et plenitudinem nostræ gratiæ eis damus. Moram superfluam in civitate, vel episcopatu pro damno civitatis non faciemus: Civitates murare, vel extra munitiones facere eis licet. Item societatem, quam nunc habent, tenere, et quoties voluerint removere eis liceat: pactiones timore nostro vel per impressionem nuntiorum factæ cassentur, et pro infectis habeantur, nec pro eis aliquid exigatur.

Pacta Placentinorum, scilicet pactum pontis Padi, et fictum ejusdem pontis, et regalium et datium, et pactum quod Episcopus Hugo fecit de castro arquato, et si aliqua facta sunt similis ab Ipso Episcopo vel a communi vel ab aliis de societate nobiscum vel nostro nuncio, ipso ponte remanente cum omnibus suis utilitatibus Placentinis: ita tamen quod teneantur persolvere fictum Abbatissæ Sanctæ Juliæ de Brixia: et si quæ sunt similes.

Sententiæ quoque, quæ de jure, et secundum leges et consuetudines contra aliquem vel aliquos de societate latæ sunt, teneant, sicut de jure contra eos tenerent si gratiam nostram non habuissent. Quæ vero contra aliquem, vel aliquos de societate latæ sunt occasione guerræ seu discordiæ, in irritum deducantur. Possessiones omnes, quas quisque de societate tempore guerræ tenebat juste: si per vim ablatæ sint ab eis, qui de societate non sint, cum fructibus, et sine damno restituantur: vel si eas recuperaverit, quiete possideat, nisi per electos arbitros ad cognitionem regalium nobis assignetur. Opizoni marchioni omnem offensam, quam nobis vel alicui partis nostræ fecerit postquam in societate fuerit, vel per se, vel per aliquam personam cum societate, vel defendendo aliquem de societate: Imperiali clementia per nos, et nostram partem remittimus et in plenitudinem nostræ gratiæ eum recipimus, nec per nos, nec per interpositam personam, pro præteritis offensis sibi vel parti ipsius, aliquam inferemus injuriam, læsionem, vel coercitionem. Amplius eam jurisdict., quam Mediolanenses exercere consueverunt in comitatib. Seprii, Martexanæ, et Burgariæ, et in aliis comitatib. exceptis locis, quæ Pergamenses nomine nostro tenent inter Alduam, et Oleum excepto Romano veteri, et Bariano et eam, quam modo exercent, libere et quiete habeant, et possideant sine contradictione nostra, et successorum nostrorum salvis pactis, et datis et concessionibus in suo robore durantibus. quæ Mediolanenses per commune fecerunt civitatibus Pergamo, Novariæ; et Laudo: nec per hanc concessionem lædendis, nec ullum præjudicium fiat juri aut consuetudini alicujus civitatis, et societatis præter dictas concessiones. Pacta inter civitates, et societates quondam facta nihilominus firma, et illibata permaneant: nec aliquid intelligatur acquisitum Mediolanensibus in Episcopatu

Laudensi præter dictas concessiones salvo jure aquæ Lambri Mediolanensibus, si quod habent vel in pedagio. Omnes de societate, qui fidelitatem nobis jurabunt in sacramento fidelitatis adjicient, quod possessiones jura quæ nos habemus in Lombardia, et possidemus extra societatem jurabunt bona fide nos manutenere si opus fuerit, ot cum auper hoc per nos vel per certum nuntium nostrum fuerint requisiti, et si amiserimus, recuperare: ita videlicet quod finitimæ civitatea obnoxiæ aint principaliter ad hoc facendum: et si opus fuerit, aliæ teneantur ad competens auxilium præstandum. Civitates quæ sunt extra Lombardiam in suo confinio, similiter teneantur facere. Si qua vero civitatum ea, quæ in conventione pacis ex parte nostra statuta sunt, non observaverit: ceteræ civitates eam ad id observandum bona fide compellant, pace nihilominus in suo robore permanente. Nobis autem intrantibus Lombardiam fodrum consuetum et regalo quæ solent et debent, præstabunt: et vias et pontes bona fide et sine fraude et sufficienter reficient: in eundo et redeundo mercatum sufficiens nobis et nostris euntibus et redeuntibus bona fide et sine fraude præstabunt: in omni decimo anno fidelitates renovabunt in iis, qui eas nobis fecerunt, cum nos petierimus, vel per nos vel per nostrum nuntium. Si qui ex parte nostra de suis justis possessionibus expulsi sunt, restituantur sine fructibus et damno, nisi in causa principali suæ proprietatis jure possit se tueri possessor: salvis prioribus concessionibus: et omnes offensæ eis remittantur: eodem jure servando iis qui sunt ex parte nostra circa restitutionem: nisi civitas adstringatur juramento ut non restituat: quo casu arbitrium boni viri volumus pro restitutione succedere: et si qua controversia fuerit orta de feudo inter nos et alium qui sit de societate, per pares illius civitatis vel episcopatus in quo descendit, agatur, et secundum consuetudinem illius civitatis, in eodem episcopatu terminetur, nisi nos in Lombardia fuerimus: tunc enim in audientia nostra si nobis placuerit agitabitur. Item volentibus venire contra pacta, non per violentiam facta, et juramento firmata inter civitates et civitates, societates et societates, vel civitatem et alias personas: nos audientiam denegabimus. Item nos restituimus stratam Veronensibus: et nominatim recipimus Drolinum in plenitudinem gratiæ nostræ, et omnem offensam ei remittimus, etc. Dat. apud Constantiam solemni curia VII. Kalend. Jul.

Superior promulgata est Roncaliæ, hæc Constantiæ, de qua Abbas Urspergensis in hunc modum: Jam bellis omnibus fatigatus Imperator Lombardis omnibus condixit curiam apud Constantiam, ubi Principes et potestates eorum se repræsentaverunt, et pacta quædam de faciendo servitio Imperatori, de singulis civitatibus Lombardiæ ibidem statuta sunt, quæ adhuc dicunt se tenere in scriptis, nec ad serviendum ultra hæc compelli volunt. Concedit hac Constitutione regalia quædam civitatibus Lombardiæ, quædam sibi retinet, maxime fodrum, et investituram Consulum ac vasallorum. Gratiam delicti facit Opizoni marchioni Malaspinæ. Apicium vocat corrupte Guntherus pro Opitium. Otho 2. cap. 18. Marchio Opitios cognomento Malaspina. Fictum vectigal vocat, quasi fixum. Comitatus Seprii et Martexanam, Radevicus Comitatum Sefrenensem et Martusanum.

Alia Constitutio Friderici de jure προτιμήσεως.

Sancimus amodo in omni provincia et in omni civitate, si quis ex parentela habeat communem agrum, domum, vel vineam, vel rem immobilem divisam vel indivisam, aut ex communi emptione, vel aliquo hujusmodi titulo, vel alio modo aliquo conjunctim, et voluerit alienare supradictas res per venditionem, vel emphyteusim, vel locationem, non ante liceat ei alienare, quam denunciaverit illis quos vocavimus per ordinem in jus προτιμήσεως. In primis vocentur parentes, qui sunt conjuncti, post hos socii, post hos illi, qui sunt conjuncti, etiamsi extranei sint, post hos vocentur omnes, qui sunt sub uno servitio, et qui sunt conjuncti ex aliqua parte. Sin autem plures sint in jure προτιμήσεως, omnibus denuntietur, ut intra XXX dies solvendo justum pretium sine mora aut quantum quivis emptor sine fraude dederit, unusquisque portionem suam accipiat. Verum si intra statutum terminum, juxtum pretium non solverit, de cetero non habebit jus προτιμήσεως, nisi si quis eorum erat in captivitate, vel deportatus, vel in exilium missus, vel absens Reipublicæ causa, aut ex propria sua causa, vel minor XXV. annis: et licet isti fuerint absentes ex justa causa, tamen tutores eorum, vel curatores, vel procuratores, vel defensores intra 4. menses debent venire et solvere justum pretium cum legitimis usuris et expensis necessariis, et accipere jus προτιμήσεως, et extraneos emptores omnimodo expellere, et si neglexerint hoc facere, sarcient de propriis suis quicquid incommodi illi habuerint. Licet autem supra diximus omnes vocari ad jus προτιμήσεως, tamen si probatum fuerit quod atroces injurias vel manus impias venditori vel ejus familiæ intulerint, vel ipsius substantiæ gravem jacturam moliti sunt, vel contra ejus vitam nisi sunt, omnes isti nullo modo sine voluntate venditoris ad jus προτιμήσεως, veniunt. Ex causa tamen dotis vel donationis propter nuptias, vel simplicis donationis vel donationis causa mortis, vel ex testamento, permutatione, transactione, et parentes, et extranei omnes possunt alienare, nisi quis vendendo vel locando ei, qui non habuit jus προτιμήσεως, simulato donaverit, vel legatum dederit. Ideoque illi qui habent jus προτιμήσεως possunt exigere juramentum a venditore et emptore, et post juramentum si probatum fuerit contra Constitutionem nostram simulate hoc fecisse venditorem et emptorem, rem et pretium perdent, et fisco applicabitur, fiscus autem vendet rem illam illis qui habent jus προτιμήσεως. Sed si ante juramentum probatum fuerit hoc eos fecisse, venditio erit irrita, et venditor cogetur invitus vendere illis qui habent jus προτιμήσεως. Prohibemus autem potentiores personas aliquid accipere prætextu adoptionis, vel donationis simplicis, aut causa mortis, ex testamento, vel ex usucapione, aut sub prætextu defensionis, nisi forte parentes fuerint. Potentiores autem dicimus, qui non tantum per se, sed etiam per propinquos possint inferre timorem alienatoribus, aut promissionem beneficii. Quod si aliquis ex potentioribus hoc præsumpserit facere, sit alienus ab illa re, et æstimationem illius rei præstet fisco. Transcurso tamen decennio sine denunciatione, nulla de cetero moveatur controversia illis qui possident ex aliquo contractu, vel ex donatione, vel ex testamento, ab illis qui habent jus προτιμήσεως, vel etiam fisco.

Alia ejusdem de jure προτιμήσεως.

Quum omnibus hominibus qui legibus reguntur et moribus præceptum esse constet jus suum cuique tribuere, nec cuiquam jus suum detrahere, libertatis procedente gratia, qua naturaliter quod cuique facere libet nisi quid vi aut jure prohibetur, est concessa facultas, res suas unicuique liberum esse aut propter nuptias donationis aut dotis aut simplicis donationis aut cujuslibet alienationis aut ultimæ voluntatis dispositionis causa, sive testamentario jure in alium tran-

sferre non est ambigui juris. Sed quoniam et jure præcipitur, honeste vivere, alterum non lædere, ne hi qui cognatione vel communione, vel aliquo propinquitatis modo eorum qui vendunt urbanis rusticisve prædiis adhærendo ab his qui intromisceantur lædantur, vel aliter ipsa venditione impediantur jure προτιμήσεως præferri sancimus, etc.

Jus προτιμήσεως habent agnati et domini feudorum, vel ἐμφυτεύσεων, de quo supra lib. 2. tit. 4. et 9. et lib. 4. tit. 14. et ideo has Friderici Constitutiones hoc lib. inserere voluimus, quamquam de eo tantum sint, quod cognatis et aliis quibusdam competit, non etiam de illo quod feudorum dominis. Subjecimus et Romani Lecapeni Novellam de eodem jure, ex qua priorem Friderici constat esse translatam. Jure civili datur quidem hoc jus convicania, *lib. 1. Cod. non licere habit. metroc.* non tamen propinquis aut sociis, *l. Dudum. C. de con. emptio.* nisi ex conventione, *l. Qui Romæ. §. Cohæredes. D. de verb. obl.* vel in auctione honorum, *l. Cum bona. D. de reb. auct. jud. po. l. Imperator. D. de pac.* Meminit initio Novellæ Romanus *d. l. Dudum.* et *l. 1. Non. lic. hab. metr.* Parentes hac Constitutione militari sermone Fridericus appellat, quos Romanus συγγενεῖς, ut auctores superiorum librorum sæpe. Sequitur Novelle Romani. (a)

ΝΕΑΡΑ'

ΡΩΜΑΝΟΥ' ΤΟΥ' ΓΕΡΟΝΤΟΣ, περὶ ἐκποιήσεως κτημάτων, καὶ προτιμήσεως συγγενῶν, καὶ κοινωνῶν, καὶ ἀναμεμιγμένων, καὶ συμπαρακειμένων ὁλοτελῶς, καὶ συναπτῶς ἡνωμένων, καὶ τῶν νοουμένων ὁμοτελῶν χωρίων, καὶ κωλύσεως δυνατῶν προσώπων, καὶ ἐκποιήσεως στρατιωτικῶν κτημάτων.

Παλαιὸς νόμος ἐστὶν, ἵνα μηδεὶς παρὰ συγγενῶν, ἢ κοινωνῶν ἐμποδίζηται πωλεῖν οἷς ἂν ἐθελήσειεν· ἕτερος δὲ νόμος ἀντικρὺς τοὐναντίον ἀπαγορεύει μὴ ἐξεῖναί τινι πιπράσκειν ἑτέρῳ, ἢ μόνον τοῖς τῆς ἰδίας μητροκωμίας οἰκήτορσιν· ἡμεῖς δὲ τῶν ἡμετέρων ὑποτελῶν ἅμα καὶ τῶν δημοσίων φόρων τῆς τε ἄλλης στρατιωτικῆς καὶ πολιτικῆς λειτουργίας, καὶ συντελείας πολλὴν τιθέμενοι πρόνοιαν, τὸ ἐναντιοφανὲς αὐτῶν καὶ ἀδιόριστον διὰ ταύτης ἡμῶν τῆς θείας διατάξεως σαφεῖ καὶ συντόμῳ λόγῳ ἐπανορθοῦντες, θεσπίζομεν ἀπὸ τοῦ νῦν ἐν πάσῃ πόλει, καὶ χώρᾳ, καὶ ἐπαρχίᾳ, ἵνα εἴ τινες τυχὸν ὡς ἀπὸ συγγενείας διῃρημένως, ἢ ἀδιαιρέτως, ἢ ὡς ἐκ κοινῆς ἀγορασίας, ἢ ἄλλης τοιούτου τρόπου κτήσεως, ἢ οἱ μὲν ἐκ συγγενείας, οἱ δὲ ἐξ ἐπικτήσεως ἐπίκοινον οἰκίαν, ἢ ἀγρὸν, ἢ ἀμπελῶνα ἢ ἕτερον τὸ οἱονοῦν ἀκίνητον ἔχοντες, ἢ ἄλλως καὶ οὐχ ὡς ἐξ ἐπικοίνου τοῖς ἐγγίζουσι κτήμασι κατά τι μέρος ἀναμεμιγμένοι ἢ συμπαρακείμενοι ὁμοτελεῖς, ἢ ἁπλῶς πλησιάζοντες, βουληθεῖεν ἐκποιῆσαι τὰ ἴδια κατὰ πρᾶσιν, ἢ ἐμφύτευσιν, ἢ μίσθωσιν, μὴ πρότερον ἑτέρῳ τινὶ ταῦτα ἐκποιείτωσαν, εἰ μὴ πρὸς ἐκείνους διαμαρτύρωνται, οὓς καλοῦμεν κατὰ τάξιν πρὸς τὴν προτίμησιν, ἵνα πρῶτοι κληθῶσιν οἱ ἀναμὶξ συγκείμενοι συγγενεῖς, εἶτα οἱ οὕτως συμπεπλεγμένοι κοινωνοί, μεθ' οὓς οἱ μόνον ἀναμεμιγμένοι, εἰ καὶ ξένοι παντῇ τῷ ἐκχωροῦντι τυγχάνοιεν, ἔπειτα καὶ οἱ συμπαρακείμενοι ὁμοτελεῖς, μετέπειτα οἱ ἁπλῶς ἔν τινι μέρει συναπτῶς ἡνωμένοι· ὁμοτελεῖς δέ φαμεν πάντας τοὺς ὑπὸ τὸν αὐτὸν ὑποτεταγμένον ἀναγραφομένους, κἂν ἐν διαφόροις τόποις τὰ ἴδια τελέσματα καταβάλλωνται πολλῶν δὲ πέριξ τοῦ ἐκχωρουμένου κτήματος ὁμορούντων κατὰ τὴν αὐτὴν τάξιν ἑκάστῳ ἡ προτίμησις διαμαρτυρίας τελείσθω, ἵνα τῶν προτιμωμένων ἴσως παραιτουμένων οἱ ἐφεξῆς καλούμενοι εἴγε βούλοιντο συναλλάξωσιν. Εἰ τοι πάντες ἐκ τῶν ἴσων ἔρχονται προνομίων, ὥστε κατὰ μηδὲν ἀλλήλων προκεκρίσθαι ἐπὶ τῇ τοιαύτῃ προκλήσει, ἡ αὐτὴ πάλιν ὁμοίως γενέσθω προσώνησις, ἵνα ἐντὸς λ'. ἡμερῶν τὸ ἄξιον τίμημα, ἢ ὅπερ ἀῤῥαδιουργήτως ἀληθῆς δίδωσιν ἀγοραστὴς, αὐτοὶ ἀνυπερθέτως καταβάλλοντες ἀναλόγως ἀφ' ἑαυτῶν, ἢ ἔκ τινος ἀρχῆς τοῦτο ἐπιμεριζόνται· εἰ δὲ μὴ ἐμπροθέσμως τὴν ἐπιβάλλουσαν αὐτοῖς παράσχοιεν ἀποτίμησιν, οὐκέτι δίκαιον ἕξουσι προτιμήσεως, πλὴν εἰ μή τις αὐτῶν αἰχμαλωτός ἐστιν, ἢ περιωρισμένος, ἢ ἐξόριστος, ἢ ἐν δημοσίαις, ἢ καὶ ἰδίαις χρείαις ἀπόδημος ἀπολιμπάνεται, ἢ οὔπω τὸν καὶ χρόνον τῆς ἰδίας ἤνυσεν ἡλικίας· τούτων γὰρ οἱ τὴν διοίκησιν τῶν προσόντων αὐτοῖς ἀναδεδεγμένοι ἐντὸς δ'. μηνῶν μετὰ τῶν συμπαρακειμένων νέων ἀγοραστῶν πρὸς τὸ ἀναλογοῦν συνεισέρχονται ἀναπληροῦντες αὐτοῖς τὸ ἀνῆκον τίμημα μετὰ τοῦ νομίμου τόκου, καὶ τῶν ἀναγκαίων ἀναλωμάτων, τοὺς δὲ ξένους ἀγοραστὰς ἀπωθοῦνται τελείως τὸ τίμημα μετὰ τῶν αὐτῶν τόκων τε καὶ δαπανημάτων ἀναδιδόντες αὐτοῖς. Εἰ δὲ οἱ τῶν εἰρημένων προσώπων διοικηταὶ ὑφορῶνται μήπως τὸ παρ' αὐτοὺς πραχθὲν ἐκείνοις δεκτὸν οὐχ ἡγήσωνται, μετ' ἐγγράφου νομικῆς διαγνώσεως, ἢ ἀποβαλλέσθωσαν, ἢ καταδεχέσθωσαν τὸ συνάλλαγμα. Εἰ δὲ καὶ πρὸς τοῦτο ῥᾳθυμήσουσιν, οἴκοθεν αὐτοῖς παρεχέτωσαν πᾶν κέρδος, καὶ πᾶσαν ὠφέλειαν ἣν ἔμελλον ἕξειν ἐκεῖνοι εἴπερ ἔσπευσαν οὗτοι πρὸς συνάλλαγμα· καὶ ταῦτα μὲν ἐπὶ συγγενῶν, καὶ κοινωνῶν, καὶ ὁμοτελῶν, καὶ τῶν ἄλλως παρακειμένων, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῆς ὁμάδος τῶν καλουμένων χωρίων ἢ ἀγριδίων, πολλῷ μᾶλλον κρατείτω, ἵνα καὶ οἱ κτήτορες αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους ἔχωσι τὴν προτίμησιν. Εἰ δὲ πάντες παραιτήσονται οἷς δίδοται ἡ προτίμησις, ἢ δείκνυνται αἴτιοι χρηματικῆς ζημίας, ἢ σωματικῆς ἐπιβουλῆς τε καὶ ἀτιμίας τραχείας τῷ ἐκποιοῦντι, καὶ τῇ αὐτοῦ φαμιλίᾳ οὐ κατὰ τύχην, ἀλλ' ἐκπρονοίας δὲ ἑαυτῶν, ἢ διὰ τῶν προσηκόντων αὐτοῖς γεγονότες, τοὺς τοιούτους ἄκοντος τοῦ πεπονθότος κατ' οὐδένα τρόπον εἰς τὴν ἐκείνου κτῆσιν εἰσενεχθῆναι βουλόμεθα· κατὰ πρόφασιν μέντοι προικὸς ἢ προγαμιαίας δωρεᾶς ἢ ἁπλῆς, θανάτου αἰτίᾳ δωρεᾶς, ἢ ἐκ διαθήκης, ἢ ἀνταλλαγῆς, ἢ διαλύσεως, καὶ οἰκεῖοι καὶ ἐξωτικοὶ ἅπαντες ἐκποιεῖν δύνανται, μόνον μήτις κατὰ σκῆψιν λάθρα πωλήσας, ἢ μισθώσας τοῖς μὴ προτιμωμένοις, ἐν τῷ φανερῷ δωρεῖσθαι ἢ ληγατεύειν, ἢ τι τῶν εἰρημένων προσποιήσηται· διὰ ταῦτα γὰρ καὶ ὅρκον τοῦτο διδόντας, καὶ τοῦ λαμβάνοντος οἱ τὸ προνόμιον τῆς προτιμήσεως ἔχοντες δύνανται ἀπαιτεῖν. Εἰ δέ γε οἱ ἐκποιοῦντες πρὸς περιγραφὴν τῆς ἡμετέρας νομοθεσίας ἄλλο τι πρᾶξαι τολμήσουσι, καὶ ἄλλοτι ἐκ τοῦ φανεροῦ προσποιήσονται, εἰ μὲν μετὰ τὸν ὅρκον ἐλεγχθῶσιν αὐτοί τε καὶ οἱ οὕτω δολερῶς αὐτοῖς συναλλάξαντες τάς τε τῆς ἐπιορκίας ποινὰς ὑφέξουσι, καὶ ὁ μὲν τοῦ κτήματος, ὁ δὲ τοῦ λάθρα καταβληθέντος τιμήματος ἐκπεσεῖται, καὶ ἀμφότερα τῷ δημοσίῳ εἰσκομισθήσονται, ἵνα ἐκ τοῦ δημοσίου εἰς τοὺς πλησιάζοντας διαπραθῇ. Εἰ δὲ πρὸ τοῦ ὅρκου φωραθεῖεν τοιοῦτόν τι διαπραξάμενοι, καὶ τὸ πραχθὲν ἄκυρον ἔσται, καὶ τὸ κτῆμα ὁ ἅπαξ παραθεὶς κακῶς ἐκποιῆσαι, καὶ ἄκων ἀπεμπολῆσαι ἀναγκασθήσεται εἰς ἐκείνους οἷς δεδώκαμεν τὴν προτίμησιν. Τοῖς δὲ δυνατοῖς ἀπαγορεύομεν τοῦ λοιποῦ υἱοθεσίας τρόπῳ, ἢ δωρεᾶς ἁπλῆς, ἢ θανάτου αἰτίᾳ, ἢ ἐκ διαθήκης, ἢ κατὰ μόνην χρῆσιν, ἢ ὡς ἐπί τινι προστασίᾳ καὶ συνδρομῇ λαμβάνειν τι παρὰ τῶν εὐτελεστέρων, εἰ μὴ ἄρα συγγενεῖς αὐτῶν εἶεν, ἀλλὰ μηδὲ νέας ἀγορασίας ποιεῖσθαι, ἢ μισθώσεις, ἢ ἀνταλλαγὰς ἔν τισι χωρίοις, ἢ ἀγριδίοις ἐκ τῶν κτητόρων αὐτῶν. Εἰ δὲ δὴ τούτων αἱ στάσεις, ἀλλ' ἑτέρων προσώπων εἰσὶ τὰ διαπεπραγμένα προάστεια, εἴτε ἐκ τοῦ δημοσίου οἱ λεγόμενοι κλασματικοὶ τόποι, ἢ καὶ ἄλλη κτῆσις ἀνήκουσα αὐτῷ ἐκποιεῖται, καὶ ὡσαύτως οἱ αὐτοὶ κτήτορες προτιμάσθωσαν, τούτων δὲ ἑκουσίως ἀποταξαμένων, τότε καὶ τοῖς δυνατοῖς ἐξέστι συναλλάττειν. Ἐκεῖνοι δὲ νοείσθωσαν δυνατοὶ οἵ τινες κἂν μὴ δι' ἑαυτῶν, ἀλλ' οὖν διὰ τῆς ἑτέρων δυναστείας, πρὸς οὓς πεπαῤῥησιασμένως ᾠκείωνται ἱκανοί εἰσιν ἐκφοβῆσαι τοὺς ἐκποιοῦντας ἢ πρὸς εὐεργεσίας ὑπόσχεσιν τὴν πληροφορίαν αὐτοῖς παρασχεῖν. Εἰ δέ τις ἐκ τῶν δυνατῶν προσώπων τοιοῦτόν τι ἐγχειρήσει διαπράξασθαι, καὶ τοῦ κτήματος στερηθήσεται καὶ τὴν ἀποτίμησιν αὐτοῦ τῷ δημοσίῳ εἰσπραχθήσεται. Μετὰ μέντοι δεκαετίαν ἀνεπιφώνητον κατὰ τῶν ὁπωσοῦν συναλλαξάντων, ἢ δωρεὰς δεξαμένων, ἢ ἐκ διαθήκης τι κτησαμένων, οὐδεμία παρ' οὐδενὸς τῶν ἐντεῦθεν προτιμωμένων, ἢ καὶ ὡς ἐκ τοῦ δημοσίου ζήτησις ἔσται. Πρὸς τούτων δὲ θελήσομεν ὥστε πάντα τὰ στρατιωτικὰ κτήματα ὅσα ἐντὸς τριακονταετίας καθ' οἱονδήποτε τρόπον ἐξεποιήθησαν, ἢ μετὰ ταῦτα μέλλουσιν ἐκποιεῖσθαι, ἀναργύρως εἰς τὴν τῆς ἰδίας στρατείας ἐνοχὴν καὶ ὑπηρεσίαν πάλιν ἐπανακάμψαι, εἰ μὴ ἄρα καὶ μετὰ τὴν ἐκποίησιν τοσοῦτον τῷ στρατιώτῃ περιλαμβάνεται ὅσον τὸν στρατευόμενον πρὸς τὴν τῆς νέας στρατείας σύστασιν ἐξαρκεῖ, καθ' ὅσον γὰρ ἐλλείπει κατὰ τοσοῦτον ἡ ἐκποίησις ἀναιρεῖται.

Vocantur hac Constitutione in jus προτιμήσεως cognati primum consortes, veluti fratres, qui paterna prædia pro diviso aut pro indiviso possident: hi sunt qui dicuntur οἱ ἀναμὶξ συγκείμενοι συγγενεῖς auctoribus Græcis interpretibus, qui et inde adnotant recte consortes extraneos præferri cognatis non consortibus. Post cognatos consortes vocantur socii, deinde qui rem communem habent citra societatem, sive sint cognati sive exteri, tum ii qui communi census vinculo tenentur, licet non eodem loco censum exsolvant, postremo vicini et confines. Hi testato denunciandi sunt antequam venditio fiat extraneo. Denunciatis datur mensis, procuratoribus eorum menses quatuor, non denunciatis decennium, dominis ἐμφυτεύσεως et feudorum longe alio tempore, *l. ult. C. de ju. emphyt.* et *supra* 2. *tit.* 9. et ii qui præsentes venditioni adfuerunt, et tacuerunt, ut interpretes Græci adnotant rectissime, nec venditioni consensisse, nec pro denunciatis habentur, *l. Titia §. Lucia. D. de leg. 2. l. Gajus. D. de pig. act.* Consensu amittitur jus προτιμήσεως, et præscriptione temporis, et ingratitudine sive indignitate. Datur etiam hac Nov. jus προτιμήσεως convicanis, secundum *l. 1. Cod. non lic. habit. metr.* Est et aliud hac Novel. caput de locupletioribus, et potentioribus, ut ne quid ex bonis tenuiorum sequirant, ἔν τισι χωρίοις ἢ ἀγριδίοις ἐν οἷς οὐκ ἔχουσιν ἴδια κτήματα, ut explicatius enarrant interpretes: non igitur nisi ἀνακοινώσεως, aut πλησιασμοῦ jure: et ad definitionem potentiorum. Novel. Constantini Porphyrogennetæ, περὶ δυνατῶν τῶν εἰσελθόντων εἰς κτῆσιν πενήτων declarat nihil interesse potentior sit qui emerit, an is qui potentiori domesticus sive προσωκειωμένος fuerit, Fridericus male, propinquus. Igitur ne potentiores quidem derogare possunt juri προτιμήσεως, quinimo severius cum his agitur: nam neque donationis aut testamenti, aut transactionis, aut patrocinii, aut adoptionis jure ad bona tenuiorum pervenire possunt. Sed eadem et hos quæ superiores tuetur præscriptio decennii. Postremum caput vetat alienationem prædiorum militarium: quod omnino pertinet ad feuda, et consentit etiam cum Friderici et Lotharii Constitutionibus, ne milites per inopiam muneribus militaribus reddantur inhabiles, publicove depereat census qui eo nomine depeodi solet, qua de re visum est etiam proponere Novellam Constantini Porphyrogennetæ, cujus mentionem habuimus sæpe lib. 1.

ΝΕΑΡΑ' ΚΩΝΣΤΑΝΤΙ'ΝΟΥ ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗ'ΤΟΥ ΠΕΡΙ' ΣΤΡΑΤΙΩΤΩ'Ν.

Ὥσπερ σώματι κεφαλὴ, οὕτως ἐν πολιτείᾳ στράτευμα, ὧν οὕτως ἢ ἑτέρως ἐχόντων, ἀνάγκη καὶ τὸ πᾶν συμμεταβάλλεσθαι, καὶ ὃς μὴ ταῦτα ὑπὸ πολλὴν τίθεται πρόνοιαν, περὶ τὴν οἰκείαν σφάλλεται σωτηρίαν, εἴπερ οἰκείαν οἴεσθαι χρὴ τὸ κοινόν· καὶ ἐπειδὴ τῷ χρόνῳ τὰ

(a) Novellam hanc et sequentem emendatiores vide et in latinum versas, ad calcem V. hujusce libri.

τῶν στρατιωτῶν ἀῤῥωστήσαντα ὅθεν αὐτῶν καὶ ἡ τοῦ εἶναι, καὶ ζῆν προσῆν ἀφορμὴ πρὸς τὸ χαλεπώτερον ἐναπέκλινεν, ἡ ἐκ Θεοῦ βασιλεία ἡμῶν πρὸς τὸ εὐεκτοῦν, καὶ ἀμεινότερον ταῦτα μετήνεγκε, κοινὴν τῷ παντὶ χαρισαμένη τὴν λυσιτέλειαν. Θεσπίζομεν τοίνυν αὐτὸ δὴ ὅπερ ἡ συνήθεια ἀγράφως πρώην ἐκύρωσε, μὴ ἐξεῖναι τοῖς στρατιώταις τὰ ἐξ ὧν αἱ στρατεῖαι ὑπηρετοῦνται κτήματα διαπωλεῖν, συντηρεῖσθαι δὲ εἰς ἑκάστην στρατείαν, ἱππέων μὲν ἀκίνητον κτῆσιν δ΄. λιτρῶν, οἷς ἀριθμεῖσθαι κελεύομεν, καὶ τοὺς ἐπὶ τὸν στόλον τεταγμένους πλωΐμους τοῦ τε Αἰγαίου πελάγους, καὶ τῆς Σάμου, καὶ τῶν Κιβυῤῥαιωτῶν· αὐτόστολοι γὰρ καὶ οὗτοι, καὶ αὐθαίρετοι βαρείας μετιᾶσι τὰς ὑπηρεσίας, τοῖς δὲ βασιλικοῖς ἐπὶ ῥόγαις ὑπηρετουμένοις, καὶ τοῖς λοιποῖς πλωΐμοις ἤδη νῦν ἐκράτησεν ἐκ συνηθείας δύο λιτρῶν εἰς ἑκάστην στρατείαν ἀκίνητον διασώζεσθαι κτῆσιν, ὃ καὶ ἡμῖν ἀρκούντως ἔχειν δοκεῖ· εἰ μὲν οὖν ἐν τοσαύτῃ ἀκινήτῳ κτήσει εἶεν οἱ ἐν ἑκατέραις στρατείαις κατειλεγμένοι σώζοιεν ταύτην συντηροῦντες ἀνεκποίητον καὶ παραπέμποιεν εἰς τοὺς φυσικοὺς κληρονόμους καθ' ὃν ἂν βούλοιντο νόμιμον τρόπον μετὰ τοῦ οἰκείου μέντοι γε βάρους, εἴτε κατιόντες εἶεν πρὸς οὓς παραπέμπονται, εἴτε ἀνιόντες, εἴτε ἐκ πλαγίου, εἴτε ἐξ ἀδιαθέτου ἰσομοιρίᾳ τισὶν ἁρμόζει, εἴτε ἀπὸ διαθήκης ἐξ ἀνίσων μερῶν εἰκότως κληθεῖεν γνήσιοι, ἢ φυσικοί, ἢ ἐξωτικοί, παγανικοί, κληρονόμοι· τοὺς ἀξιωματικοὺς γὰρ παντὶ τρόπῳ ἀποκλείομεν πρὸς τὰς τοιαύτας διαδοχὰς καὶ κατὰ ἀναλογίαν τοῦ κέρδους τῆς κληρονομίας ἕπεσθαι ὁριζόμεθα καὶ τὸ βάρος τῆς συντελείας· κινητῶν δὲ οὐ περιεργαζόμεθα ὕπαρξιν. ἀλλ' ἐν ἐξουσίᾳ αὐτῇ κείσεται τοῦ κεκτημένου, εἰ μήπου κατὰ πολὺ ἡ ἀκίνητος ἐλαττοῦται· δέον γὰρ τότε ἀνδρὸς ἀγαθοῦ δοκιμασίᾳ τὸ ἐλλιπὲς τῆς ἀκινήτου ἐκ τῶν κινητῶν ἀναπληροῦσθαι. Εἰ δὲ ἐν περιουσίᾳ πολλῶν ἀκινήτων ὁ στρατιώτης καθεστήκοι, ὥστε κατὰ πολὺ τὴν δικαίαν ὑπερβαίνειν ποσότητα, εἰ μὲν ἅπαντα ἐν τοῖς στρατιωτικοῖς κώδιξιν ἀπογράφονται μὴ δύνασθαι μήτε ταῦτα, μήτε ἐκ τούτων τὸν στρατιώτην διαπωλεῖν κἂν μείζονα εἶεν ἠξιωμένα τιμῆς. μᾶλλον δὲ μὴ δύνασθαί τινα ἐκ τούτων ἀγοράζειν, καὶ μάλιστα περίβλεπτον, ἢ ἀξιωματικόν, ἢ δυνάστην μέχρι σχολαρίων, ἢ μητροπολίτην, ἢ ἐπίσκοπον, ἢ μοναστήριον, ἢ ἕτερον τὸν οἱονδήποτε εὐαγῆ οἶκον εἰδότας ὡς οὐκ ἔσται αὐτοῖς περὶ τῶν δαπανημάτων λόγος, κἂν εἰ τύχοιεν πολλὰ καταναλωκότες εἰς φιλοπονίαν τῶν ἠγορασμένων, λήψονται μέντοι γε τὰς ὕλας αὐτῶν μετὰ τοῦ μὴ βλάψαι τὴν προτέραν κατάστασιν. Εἰ δ' οὐ πάντα ἀπογεγραμμένα εἰσίν, ἀλλ' οὐ ἔχει ὁ στρατιώτης κτῆμα ἰδιοπεριόριστον καὶ τῇ στρατείᾳ ἀκαταδούλωτον. ἐξουσίαν ἐχέτω ᾧ δὴ βούλοιντο τρόπῳ τοῦτο ἐκποιεῖν, ἐν ᾧ μέντοι γε ἡ ἀπογεγραμμένη κτῆσις αὐτοῦ ἱκανή ἐστι ὑπηρετεῖσθαι τῇ στρατείᾳ. Εἰ γὰρ ἀπολείπεται ἀνάγκην ἕξει ὁ ἐκ τοῦ στρατιώτου λαβὼν ἔκ τινος αἰτίας τὸ ἐλλιπὲς δ. ἀκινήτου ἀναπληρῶσαι· εἰ δ' ἀδήλως ἀπογεγραμμένα εἰσὶ τὰ τοῦ στρατιώτου ἀκίνητα, τὰ εὐχρηστότερα σωτηρίας ὑποκείσθωσαν ἕως δ΄. λιτρῶν, καὶ τούτῳ τῷ προνομίῳ ἐξ ἡμετέρας προνοίας συγκροτείσθωσαν· τὰ δὲ περιττὰ ἐφεῖσθαι τούτοις ἐκποιεῖσθαι, καὶ εἴπερ συμβῇ ὧν μὲν τὰ εὐχρηστότερα ἀγοράσαι πρότερον, ὧν δὲ τὰ ἀχρηστότερα ὕστερον, ἐκνικηθῇ δὲ ἐκ τοῦ προτεθειμένου προνομίου τὰ εὔχρηστα, ἐχέτω τὰ τῆς ἐξωνήσεως δίκαια κατὰ τοῦ μεταγενεστέρου ὁ προγενέστερος· εἰ δὲ πολλὰς ἔχων τὰς ἀκινήτους κτήσεις καὶ πολυτίμους τὴν ἀπογεγραμμένην ἐκποιήσειεν, ἐκνικῆσαι δὲ ταύτην βουληθῇ ὕστερον ὡς ἀπογεγραμμένην, δίδοσθαι μὲν αὐτοῖς τὴν βοήθειαν τῆς ἐκνικήσεως ἐκ τῆς ἄλλης δὲ τῷ ἀγοραστῇ τὸ ἱκανὸν περιποιεῖσθαι ὅτε δηλαδὴ εὐποροῖεν ὑπὲρ τὰς δ΄. λίτρας οἱ ἱππεῖς, ὑπὲρ τὰς δύο δὲ οἱ πλωτῆρες· εἰ δὲ μέρος στρατείας ὑπηρετεῖ τις κατὰ ἀναλογίαν τοῦ μέρους αὐτοῦ, καὶ τὴν εὐπορίαν τυποῦσθαι· μὴ ἄλλως δὲ κυριεύεσθαι τὰ στρατιωτικὰ τοῖς ταῦτα οἵῳ δή τινι τρόπῳ κτωμένοις, εἰ μὴ ὁ τῆς τεσσαρακονταετίας ἀνεπιφώνητος διαῤῥεύσει χρόνος· σχεδὸν γὰρ τοῖς κακῇ πίστει νεμομένοις ἠρέμει τούτους ἡ πάλαι συνήθεια, πλὴν ὅσον οἱ μὲν ἐξ συναλλάγματος νεμηθέντες τὴν τῶν καρπῶν ζημίαν διέφευγον· οἱ δὲ πίστει κακῇ νεμόμενοι καὶ καρποὺς, καὶ προσόδους, καὶ πᾶσαν βλάβην κατετίθεντο, ὃ καὶ ἡμῖν ἀρέσκει· στρατιώτην δὲ νομίζεσθαι διατυποῦμεν οὐ τὸν καθωσιωμένον μόνον τοῖς ἱεροῖς λεγεῶσι στρατιωτῶν, ἀλλὰ γὰρ δὴ καὶ τούτους οἳ διά τινα τύχης ἐπήρειαν ἐνδεεῖς ὀφθέντες ἀπορίας ἐνδίκως τετυχήκασι καὶ τῶν αὐτῶν τούτοις δικαιοῦμεν ἀπολαύειν προνομίων. οὐ συγχωροῦντες οὔτε παρ' ἐκείνων πιπράσκεσθαι τὰ ἐξ ὧν αἱ στρατεῖαι ὑπηρετοῦνται, καὶ πολλῷ πλέον παρὰ τοῦ δημοσίου· ἃ γὰρ τοῖς κυρίως δεσπόταις ἐπιτιμῶμεν τοῦ κοινῇ συμφέροντος ἕνεκα, πῶς ἂν τῷ δημοσίῳ πιπράσκειν ἐπιτρέψαιμεν· καὶ τὴν πάλαι ἄγραφον ἀδικίαν ἐκείνην νόμου τάξιν ἔχειν μισήσομεν ἣν ἐχρῆν γῆς τε ἁπάσης ἐξελαύνεσθαι καὶ θαλάσσης, ὡς οὖσαν θηριωδεστάτην καὶ ἀπηνεστάτην, οἶμαι γὰρ ὡς οἱ ταύτην εἰσαγαγόντες τὴν αὐτὴν ταῖς ἄρκτοις φύσιν τῇ πολιτείᾳ προσάψειεν· λόγος γὰρ ἔχει μόνας θηρίας τὰς ἄρκτους λιμῷ πιεζομένας τοὺς δακτύλους παραλιχμᾶσθαι. εἴπου καλῶς τις εἰδὼς χεῖρας ὅλης τῆς πολιτείας, ἀλλ' οὐχὶ δακτύλους τοὺς στρατιώτας δοκοίη· ταῦτα μὲν οὖν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις ἐντελῶν ἅμα καὶ λυσιτελῶς κατὰ τὸ ἡμῖν δοκοῦν διατυποῦμεν, ἐπὶ δὲ τοῖς προλαβοῦσι πάλαι μὲν ἐπικρατεῖ ἀδιαίτητος καὶ παχυμερὴς συνήθεια ἀναργύρως τοὺς ἀγοραστὰς τῶν στρατιωτικῶν ἐξωθεῖσθαι· ἡ δὲ λεπτομερὴς τῶν κατὰ μέρος διοίκησις ἄλλοτε ἄλλως ἐν οἷς ἂν αὐτοῖς μετῆγον οἱ τῆς ψήφου κύριοι μεταφερομένη πολλήν τινα λώβην παρεῖχε τοῖς πράγμασι καὶ πᾶσαν ἀσάφειαν· ἡμεῖς οὖν ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω τοὺς περὶ τῶν συμφερόντων τρέποντες ἀναλογισμοὺς τὰς κεχυμένας ἐκείνας, καὶ ποικιλοτρόπους ἀποδιοπομπούμενοι πράξεις ἐν ῥυθμῷ καὶ λόγῳ τοῖς ἐν ἅπασι διαθέσεσι στέλλοντες, θεσπίζομεν εἰ μὲν εἶεν κληρονόμοι αὐτοῖς τοῖς γεγραμμένοις στρατιώταις κατιόντες τυχόν, ἢ ἀνιόντες, ἢ ἐκ πλαγίου μέχρι ἕκτου βαθμοῦ αὐτοὶ πάντως προσδεχθήσονται κατὰ τὴν τῶν βαθμῶν συγγένειαν προτιμώμενοι εἰς τὸ ἐκδικεῖν τὰ παρὰ τῶν στρατιωτῶν ἐκποιηθέντα κακῶς, ἢ παρὰ δυνάστου βίᾳ κατασχεθέντα, τῶν ἐγγυτέρου δὲ βαθμοῦ συγγενῶν μὴ βουλομένων, ἢ μὴ δυναμένων, καὶ οἱ πορρωτέρω εἰσδεχθήσονται συγγενεῖς, συγγενῶν δὲ οὐχ ὑπόντων, ἢ τῶν ἀπὸ νόμου καλουμένων ἀγχιστῶν οἱ συνδόται καὶ καὶ οἱ σύναιχμοι τούτων ἐκδικήσωσι προσερχόμενοι, τούτων δὲ οὐκ ὄντων οἱ συντελεσταὶ ἀπορώτεροι στρατιῶται, ἵν' ἐξ ἐκείνων τὸ ἐνδέον τῆς εὐπορίας ἀνασώζοντες ἐποικοδομηθεῖεν πρὸς ἰσχὺν ἱκανότητος· εἰ δὲ καὶ οὗτοι οὐκ εἶεν, ἀνάγκη καὶ τοὺς πολιτικοὺς συντελεστὰς εἰσακούεσθαι, πρὸς τὸ μὴ διαπίπτειν τὸν ἐκ τοῦ κήνσου φόρον. Εἰ δὲ στρατιώτης στρατιώτου ἑτέρου κτῆσιν ἠγόρασεν, εἰ μὲν ὁ εὐπορώτερος ἐξ ἀπόρου τὴν αὐτὴν ὑφέξει τοῖς δυνατοῖς ποινὴν ἀναργύρως ἐκπίπτων τῶν ἠγορασμένων· εἰ δὲ ἄπορος ἐξ εὐπόρου, τὸ ἀγορασθὲν ἕξει πάντως ἢ τὸ τίμημα λήψεται· εἰ δὲ ἀμφοῖν ἀπορία εὑρίσκεται τῷ ζημιουμένῳ χεῖρι προσβοηθεῖσθαι κελεύομεν, τὴν ἀγαθὴν πίστιν ἐνταῦθα τηροῦντες, ἥτις οὐκ ἐᾷ τινὰ κερδαίνειν ἐκ τῆς τοῦ ἄλλου ζημίας· ταῦτα περὶ τῶν στρατικῶν κτήσεων, ἃ μὲν εὑρηκότες ἃ δὲ ἐξευρηκότες δεῖν ᾠήθημεν μεταβῆναι καὶ ἐπ' αὐτῶν τῶν στρατιωτικῶν προσώπων, καὶ τὰ συμπεσόντα τούτοις μικρὸν ἄνωθεν ἀναγορεῦσαι· ἣν ὅτε ἡ ὁλοσχερὴς τῶν πραγμάτων ἀνατροπὴ καὶ φορὰ ὀλέθρου δυσκάθεκτος, καὶ πᾶς τις τῶν ἐν δόξῃ κραταιῶν πασσυδὶ χώρας ἀπεριγράπτους ἀποτεμνόμενος, ἐν ἀνδραπόδων λόγῳ τοῖς ἀθλίοις ἐνέταττε κτήτορας, σχέτλια ποιεῖν οὐχ' ἡγούμενος, πάσχειν δὲ μᾶλλον εἰ ἕτερος ὑπέρτερος τούτου ἐν πλεονεξίᾳ ὀφθείη, καὶ ἦν ὁλοσχερὴς ἅμιλλα κακῶν· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ μέχρι τῶν δυνατῶν ἦν, ἀλλ' ἐκεῖθεν ἀρξαμένη καὶ εἰς τοὺς ὀλιγογενεῖς, ἐτελεύτησεν· αἱ γὰρ τῶν ὑπερεχόντων ἕξεις διαδόσιμοι ὡς ἐπὶ πᾶν τῷ πλήθει γίνονται· ἐπειδάν τε οἱ ἀρχὴν τοῦ στρατοῦ λαχόντες, ὥσπερ ὄντες νόμου τὰ τούτων εἶναι τῶν στρατηγῶν, ἅπαντες εἶχον λαμβάνοντες, ἀντεδίδουν δὲ αὐτοῖς στρατείαν ἄνθρωποι ὤνιοι ἀμελεῖς, ἀπόλεμοι, μυρμήκων ἀγεννέστεροι, καὶ λύκων ἁρπακτικώτεροι, δι' ὧν τοὺς ἐχθροὺς δασμολογεῖν οὐκ ἔχοντες, ἠργυρολόγουν τοὺς ὑπηκόους, ὅθεν οὐκ ἐδεήθησαν χρόνου πρὸς τὸ πᾶν ἀνατρέψαι, ἀλλ' ἐκ τῆς σφῶν κατὰ φθορᾶς εἰς ἔσχατον κινδύνου τὴν τῶν Ῥωμαίων ἤλασαν ἀρχήν· ὅσην μὲν οὖν τὴν σπουδὴν περὶ τὴν τούτων ἀνατολὴν κατεβαλλόμεθα πολλοὶ τῶν χραστῶν καὶ μετρίων ἀναγωνήσευσιν, ἢ μᾶλλον ἡ πληθὺς τῶν εἰς τὸ πάτριον ἔδαφος ἐπινοστούντων βοήσεται ἄρτι τῆς δουλείας ἀπηλλαγμένοι, ἀναγγέλλουσι δὲ οἶμαι καὶ αἱ τῶν ἄλλων πραγμάτων πρὸς τὰ κρείττω μεταβολαί. αἷς πρὸς ταλαιπωρούμεθα ταῖς φροντίσιν ὑπομαχοῦντες, ἵνα μὴ κωφητεύσῃ καὶ διαπεφωρημένη ἡ ἐπινοηθεῖσα τῶν πλημμελῶς φερομένων διόρθωσις. ἣν ἐν τῷ παρόντι ἐδίκτῳ, ὡς οἷόν τε ἐστὶ ἀκριβῶς ἀνεστοιχειώσαμεν· καὶ τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ εἰς διαμονὴν ἀΐδιον παραδιδόντες θεσπίζομεν, εἴτις στρατιώτης ἐν παροίκου λόγῳ εὑρεθείη κατέχων, εἰ μὲν αὐτὸς ἐκεῖνος, καὶ τὰ ἐξ ὧν ἡ στρατεία ὑπηρετεῖται, αὐτόματα ἁρπάσας ἔχει ἐξ χρυσοῦ νομίσματα ποινῆς ἕνεκεν ἀποτίσει ἐξ ὧν ὁ στρατιώτης μὲν τὸ ἥμισυ λήψεται πρὸς ἐπανάληψιν τῆς ἀποκαταστάσεως αὐτοῦ. τὸ ἥμισυ δὲ ὁ δημόσιος ἧς χάριν ἐστερήθη δουλείας· Εἰ δὲ οὐχ' ἁρπάσας ἀλλ' ἀγοράσας εὑρεθείη, τὰ στρατιωτικὰ πρὸς μὲν τὴν δημόσιον γ΄. χρυσοῦ νομίσματα καταθήσει, πρὸς δὲ τὸν στρατιώτην ἀγωγὴν ὑπὲρ τοῦ τιμήματος οὐκ ἕξει· εἰ δὲ ἑτέρων ἐξελασάντων αὐτοὺς ἐκ τῶν οἰκείων ἢ αὐτῶν ἐκείνων ἐκστάσει χρησαμένων ἄλλοι τούτους κατοικιστεύσαντες ἐδέξαντο, εἴτε παροικεῖν, εἴτε θητεύειν, ἀνεύθυνοι ἔσονται· ὅσοι δὲ στρατιώτας ἱκανοὺς εἰς ἰδίας ὑπηρεσίας κατατολμήσαιεν ἔχειν τῶν φοσσάτων τούτους ἀποστήσαντες, εἰς ἕκαστον ἓξ νομίσματα ὁ ἐξκουσσεύσας εἰσπραχθήσεται, καὶ ταῦτα ὁ δημόσιος οἰκειώσεται, εἰ μήπου ἀπὸ στρατηγοῦ, ἢ τῶν ἄλλων τούτοις ἔτυχον δεδεγμένοι; καὶ οὗτοι ἐκ τῶν ἀποτεταγμένων εἰς ὑπηρεσίαν τοῦ στρατηγοῦ, ἢ τῶν ἀρχόντων καθεστήκεισαν· εἰ γὰρ ἐκ τῶν ἔξωθεν καὶ τῆς καινότητος εἰσὶν οὐκ ἀζημιωθήσεται, ὁ τούτους ἔχων, εἰ καὶ δεικνύειν ἑτοίμως ἔχει παρὰ τοῦ στρατηγοῦ, ἢ ἄρχοντος ἐπιτραπῆναι κεχρῆσθαι αὐτῷ.

Ut Lotharii et Friderici Constitutione feuda nullo modo possunt a militibus alienari, ita nec ea prædia militaria, quæ relata sunt in Codices militares ex hac Constitutione quæ feudis comparamus. Cetera autem quæ Codicibus militaribus absunt, possunt alienari usque ad certum modum, juxta secundum ejus distinctionem, si modo retineat alia tantum ex eis miles quantum conficiendis quatuor vel duabus libris auri sufficiat, ne scilicet omnino redactus ad inopiam, et militiæ reddatur inutilis: quæ est etiam ratio Constitutionum Lotharii et Friderici. Sed hoc distabant illa prædia militaria a feudis, quod illa a nemine recognoscebant, quippe cum eorum essent milites pleno jure domini et consequentes quod alienatione alia non aperirentur, sed illa ipsa restituerentur. Ceterum ut Fridericus nullam censet emptori præscriptionem temporis opitulari posse, quominus venditio rescindatur, ita nec Constantinus, nisi 40. annorum, quasi scilicet omnis qui ea prædia emerit in eo pro malæ fidei possessore habeatur, *l. 7. C. de agr. et cens.* licet in fructuum et ejus quod interest ratione distinguat inter bonæ et malæ fidei emptorem, sicut Fridericus in pretii repetitione. Et præterea longi tantum temporis præscriptionem excludere Fridericus voluit, ut docui 4. tit. 49. Militibus hac sive Novella sive edicto Constantinus adnumerat cursarios, et quid juris sit si prædia miles a militia emerit, definit, et alia quædam quæ exposuimus in præfationibus libri primi. His adnectere libuit pro coronide Caroli IV. auream bullam sive χρυσόβουλλον, ut tum etiam in Oriente loquebantur Nicetas ἐρυθρόγραφον, quia multum pertinet ad feuda, nec vulgo versatur in manibus. Superiores quoque Friderici de jure προτιμήσεως, Romani eadem de re, Constantini de prædiis militaribus nondum perfecte quisquam ediderat, extabant tantum Friderici fragmenta quædam apud Afflictum, et Baldum, et Oldendorpium, ceterorum apud Harmenopulum. Deo immortali omnipotenti sit laus, honor, et gloria, hominibus pax et salus per Jesum Christum Dominum nostrum.

AUREA BULLA CAROLI IV.

ROMANORUM IMPERATORIS

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS FOELICITER, AMEN.

CAROLUS IV. DIVINA FAVENTE Clementia Romanorum Imperator, et Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur: nam principes ejus facti sunt socii furum: ob quod dominus miscuit in medio eorum spiritum vertiginis, ut palpent in meridie sicut in tenebris: et candelabra eorum movit de loco suo, ut cæci sint, et duces cœcorum, et qui ambulant in tenebris, offendunt: et cæci mente, scelera perpetrant, quæ in divisionem contingunt. Dic superbia, quomodo in Lucifero regnasses, si divisionem auxiliatricem non habuisses? Dic Satan invide, quomodo Adam de Paradiso ejecisses, nisi eum ab obedientia divisisses? Dic luxuria, quomodo Trojam destruxisses, nisi Helenam a viro suo divisisses? Dic ira, quomodo Romanam Rempublicam destruxisses, nisi in divisione Pompejum et Julium sævientibus gladiis ad intestina prælia concitasses? Tu quidem invidia, Christianum Imperium a Deo ad instar Sanctæ et individuæ Trinitatis fide, spe et charitate, virtutibus Theologicis roboratum, cujus fundamentum super Christianissimo regno fœliciter stabilitur, antiquo veneno, quod velut serpens in palmites. Imperiales, et membra ejus propinquiora, impio scelere vomuisti, ut concussis columnis totum ædificium ruinæ subjiceres: divisionem inter septem Electores sacri Imperii, per quos (velut septem candelabra lucentia in civitate Spiritus septiformis) sacrum illuminari debet Imperium, multoties posuisti. Sane cum ex officio, quo Cæsarea dignitate potimur, futuris divisionum et dissentionum periculis inter Electores ipsos, de quorum numero (ut rex Bohemiæ, esse dignoscimus, ratione duplici tam ex imperio quam electionis jure quo fungimur, occurrere teneamur: infra scriptas leges ad unitatem inter Electores fovendam, et electionem unanimem inducendam, ac detestandæ divisioni prædictæ variisque periculis ex ea sequentibus aditum præcludendum; in solemni curia nostra Nurembergensi assidentibus nobis omnibus Principibus, electoribus ecclesiasticis et secularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium, et Civitatum, multitudine numerosa in solio Majestatis Cæsareæ Imperialibus infulis, insigniis, et diademate decorati, deliberatione prævia, de imperialis potestatis plenitudine edidimus, statuimus, et duximus sanciendas, etc. sub anno Domini millesimo, trecentesimo, quinquagesimo sexto, Indictione nona, quarto Idus Januarii: regnorum nostrorum an. decimo, Imperii vero secundo.

Decernimus, et præsenti edicto imperiali perpetuo valituro sancimus, ex certa scientia, et de Imperialis plenitudine potestatis, ut quotiescunque et quandocunque futuris temporibus necessitas sive casus electionis, regis Romanorum in Imperatorem promovendi, emerserit, et principes electores ad electionem hujusmodi, juxta antiquam laudabilem consuetudinem habuerint proficisci, unusquisque princeps elector, si et quando super hoc fuerit requisitus, quoslibet Principes electores suos, vel ipsorum nuntios, quos ad electionem ipsam transmiserint per terras, territoria, et loca sua, et etiam ultra sicut longius poterit conducere teneatur, et eis absque dolo præstare conductum, versus civitatem, in qua talis electio fuerit celebrata, et ab illa etiam redeundo, sub pœna perjurii ac perditionis (pro et illa dumtaxat vice) suæ vocis, quam in electione hujusmodi fuerit habiturus. Quas quidem pœnas, eos vel eum, qui in præstando memoratum conductum rebelles seu rebellem, negligentes seu negligentem se præbuerint, eo ipso decernimus incidisse.

Statuimus insuper, et mandamus universis aliis Principibus feuda a sacro Imperio Romanorum tenentibus, quocunque nomine censeantur, nec non Comitibus, Baronibus, militibus, clientibus, nobilibus, et ignobilibus, civibus, et communitatibus castrorum, civitatum, et locorum sacri Imperii universis, ut eodem tempore, dum videlicet regis Romanorum in Imperatorem promovendi electio celebranda occurrerit, unumquemque principem electorem ab ipsis vel eorum aliquo conductum hujusmodi postulantem, vel ejusdem nuntios, quos ad electionem ipsam direxerit, ut præfertur, per territoria sua, et alias quanto potuit remotius absque dolo modo præcedenti conducant. Si qui vero huic nostræ constitutioni contraire præsumpserit, subscriptas ipso facto pœnas incurrant. Omnes quidem principes, Comites, et Barones, nobiles, milites, clientes, ac universi nobiles contrarium facientes, reatum perjurii, et privationem omnium feudorum, quæ a Sacro Romano Imperio, et quibuscunque, aliis obtinent, et etiam omnium possessionum suarum a quocunque habitarum incurrant. Omnes quoque cives, et communitates, contra præmissa facere præsumen-

tes, similiter sint perjuri. Et nihilominus universis suis juribus, libertatibus, privilegiis, et gratiis a sacro obtentis Imperio, sint omnino privati. Et cum personis, et bonis suis omnibus, bannum et proscriptionem Imperialem incurrant. Et eosdem ipso facto ex nunc, prout extunc, omni jure privamus. Deinceps cuilibet hominum auctoritate propria, et sine judicio, seu invocatione magistratus cujuslibet, impune licebit eos invadere, nullamque pœnam propter hoc invadens ipsos debebit ab Imperio seu quovis alio formidare: præsertim cum contra Remp. ac Sacri Imperii statum ac dignitatem, ac etiam contra honorem proprium, et salutem tantæ rei temerarii neglectores, tanquam rebelles, inobedientes, et perfidi, infideliter, et perverse agere, convincantur. Decernentes insuper et mandantes, ut omnium civitatem cives et communia, jam dictis Principibus electoribus, et eorum cuilibet hoc poscenti, eorumque nuntiis victualia in communi pretio atque cursu pro suis, seu nuntiorum prædictorum hominumque suorum necessitatibus, dum ad prædictam civitatem causa celebrandæ electionis prædictæ accesserint, et etiam dum discesserint ab eadem, vendere seu vendi facere teneantur, nullam in præmissis fraudem quomodolibet adhibendo, alioquin contrarium facientes, pœnas illas volumus ipso facto incurrere, quas in præcedentibus contra cives et communitates duximus promulgandas.

Quisquis insuper ex Principibus, Comitibus, Baronibus, militibus, clientibus, nobilibus, seu ignobilibus, civibus seu communitatibus civitatum, Principi Electori ad electionem de Rege Romanorum celebrandam eunti, vel ab ipsa denuo redeunti, hostiles custodias tendere, seu insidias parare præsumpserit: aut ipsos, vel eorum aliquem, in sua vel suorum personis aut rebus, invadere, vel turbare, seu ipsorum vel alicujus eorum nuntios ante dictos sive conductum petierint, sive etiam non duxerint exigendum, hunc una cum universis militiæ complicibus, ipso facto supra dictas pœnas decrevimus incurrisse: ita videlicet, quod quævis persona pœnam incidat, sive pœnas, quas juxta præmissa pro qualitate personarum duximus infligendas.

Si vero aliquis Princeps elector, cum aliquo suo coelectore inimicitias gereret, et inter eos quæcunque contentio, controversia seu dissensio verteretur, iis nequaquam obstantibus, alter alterum, vel alterius nuntios ad electionem hujusmodi destinandos, præmisso modo conducere sit adstrictus sub pœna perjurii ac perditionis (ea vice dumtaxat) suæ vocis in electione, ut superius est expressum.

Si qui vero alii Principes, Comites, Barones, milites, clientes, nobiles ac ignobiles, cives vel communia civitatum cum aliquo Principe electore, vel pluribus ex eisdem adversam gererent voluntatem, seu quavis discordia inter ipsos ad invicem, vel guerra sive dissensio verteretur, nihilominus omni contradictione et dolo cessantibus, Principi Electori vel principibus, seu ejus, vel ipsorum nuntiis, ad electionem hujusmodi destinandis, et redeuntibus ab eadem, talem debeant præstare conductum: prout singuli pœnas jam dictas, per nos videlicet in se latas, voluerint evitare, quas eos qui secus fecerint incurrisse decernimus eo ipso.

Ad præmissorum autem omnium firmitatem et certitudinem ampliorem, jubemus et volumus, ut universi Principes Electores, et ceteri Principes, nec non Comites, Barones, nobiles, civitates, seu ipsarum communitates, præmissa omnia literis, et juramentis suis firmare, et ad ea bona fide, ac sine dolo implenda, efficaciter se debeant obligare. Quicunque vero literas hujusmodi dare renuerit, pœnas illas ipso facto incidat, quas pro personarum conditione per præmissa singulis duximus infligendas.

Si quis autem Princeps Elector alius, vel Princeps cujuscunque conditionis aut status, feudum, vel feuda a sacro tenens Imperio, aut Comes, Baro, vel nobilis, seu successores talium, vel hæredes supra et infra scriptas Imperiales nostras constitutiones et leges adimplere noluerint, aut eis contraire præsumpserint: et si quidam talis Princeps Elector extiterit, extunc ceteri sui Coelectores a suo ipsum deinceps excludant consortio, ipseque voce electionis, et aliorum principum Electorum loco et dignitate careat atque jure: nec investiatur de feudis, quæ a Sacro Imperio nisus fuerit obtinere. Alius vero princeps aut vir nobilis (ut præfertur) in has nostras leges committens, similiter non investiatur de feudis, quæ a Sacro Imperio, vel alias obtinet a quocunque. Et nihilominus omnes præmissas pœnas suam concernentes personam incidat eo ipso. Quamvis autem universos Principes, Comites, Barones, nobiles, milites, clientes, civitates quoque, et communitates illarum, ad præstandum cuilibet Principi Electori, vel ejus nuntiis præfatum conductum, ut prædicitur, indistincte volumus et decernimus obligari. Nihilominus eorum cuilibet singularis conductus, et conductorea, pro regionum et locorum adjacentis cuilibet magis apto duximus designandos, ut statim per sequentis plenius apparebit.

Primo namque regem Bohemiæ, Sacri Imperii Archipincernam conducent, Archiepiscopus Moguntin. Bamburgen. et Herbipolen. Episcopi, Burgravii Nurenbergen. Item illi, de Hohenloch, et Vvertheym, de Bruneck, et de Hanavv: item civitates, Nurenburg, Rotenburg, et Vvindesheym.

Deinde Archiepiscopum Colonien. Sacri Imperii per Italiam Archicancellarium conducent, et conducere tenebuntur Monguntinen. et Treveren. Archiepiscopi: Comes Palatinus Rheni, Lantgravius Hassiæ: item de Katzenellenbogen, de Nassau, de Dietz, Comites, Item de Isenburg, de Vvestenburg, de Runckel, de Limporg, et Falckensteyn: item civitates, Vvertflar, Geylnhusen, et Fridberg.

Item Archiepiscopum Treveren. Sacri Imperii per Galliam, et Regnum Arelaten. Archicancellarium conducent Archiepiscopus Moguntinen. Comes Palatinus Rheni: item de Spanheym, et de Feldentz, Comites: item Rugraven Vvildegraven, de Nassau, de Isenburg, et Vversterburg, de Runckel, de Limpurg, et de Dietz, de Katzenellenbogen: de Egesteyn, de Falckensteyn: item civitas Moguntinen.

Deinde Comitem Palatinum Rheni, Sacri Imperii Archidapiferum, conducere debebit Archiepiscopus Moguntinen.

Ducem vero Saxoniæ Sacri Imperii Archimarescalcum, tenebitur conducere rex Bohemiæ, Moguntinus et Mardeburgen. Archiepiscopi: item Bamburgen. et Herbipolen. Episcopi, Marchio Misnen. Lantgravius Hassiæ: item Fulden. et Hersfelden. Abbates, Burggravii Nurenburgen, item illi de Hohenloch, de Vvertheym, de Bruneck, de Hanavv, de Falckensteyn. Item civitates, Erffordia, Mulhusen, Nuremberg, Rotenburg et Vvindesheym.

Et hi omnes proxime nominati, Marchionem Brandenburgen. Sacri Imperii Archicamerarium, similiter conducere tenebuntur.

Volumus autem et expresse statuimus, ut unusqui-

squePrincepsElector, qui talem voluerit habere conductum, his a quibus ipsum postulare decreverit, hoc ipsum adeo tempestive, viamque qua fuerit transiturus, insinuet, et talem conductum exposcat, ut illi qui ad conductum hujusmodi impendendum deputati, et qui fuerint requisiti, ad hoc opportune se valeant et commode præparare.

Præmissas vero constitutiones circa materiam conductus editas, ita sane debere declaramus intelligi, ut unusquisque superius nominatus, vel forsan non expressus, a quo in casu præmisso conductum requiri contigerit, ad præstandum ipsum per suas dumtaxat terras et territoria, ac etiam ultra, quanto potest remotius, absque dolo, sub pœnis contentis superius est astrictus.

Præterea statuimus et etiam ordinamus, ut Archiepiscopus Moguntinensis qui fuerit pro tempore, singulis Principibus coelectoribus suis, ecclesiasticis et secularibus, electionem eandem, per suos nuntios patentibus debeat literis intimare, in quibus quidem literis talis dies et terminus exprimatur, infra quem eædem literæ ad singulos eosdem Principes verisimiliter possint pervenire: hujusmodi vero literæ continebunt, ut a die in literis ipsis expressa, infra tres menses continuos, omnes et singuli Principes Electores Franckfort super Moganum esse debeant constituti, vel suos legales ad eundem terminum atque locum nuntios destinare, cum plena et omnimoda potestate, suisque patentibus literis, majori cujuslibet sigillo eorum signatis, ad eligendum Romanorum Regem in Cæsarem promovendum. Qualiter autem, et sub qua forma tales literæ confici debeant, et quæ in eis solemnitas debeat immutabiliter observari, et in qua forma et modo Principes Electores nuntios suos ad electionem hujusmodi destinandos, ad potestatem, mandatum, seu procuratoria ordinare debuerint, ad finem præsentis libri scriptum invenitur clarius et expressum. Et eandem formam illic traditam mandamus, et de Imperialis potestatis plenitudine, usque quaque decernimus observari.

Cum autem ad hoc perventum fuerit, quod de Imperatoris vel Regis Romanorum obitu, in diœcesi Moguntinensi constiterit, extunc infra unum mensem, a die notitiæ obitus hujusmodi continue numerandum, singulis principibus, Electoribus, obitum ipsum et intimationem, de quibus præmittitur, per Archiepiscopum Moguntinensem, jubemus et decernimus suis patentibus literis declarari. Quod si idem Archiepiscopus in executione et intimatione hujusmodi negligens aut remissus fortasse existeret, extunc iidem Principes motu proprio, etiam non vocati pro fidei suæ virtute (qua sacrum prosequi tenentur imperium) post hæc infra tres menses, sicut in constitutione supra proxime posita continetur, in civitate Franckfort sæpe dicta conveniant, electuri Regem Romanorum in Cæsarem promovendum.

Debet autem unusquisque Princeps elector vel sui nuntii prædictam civitatem Frankfort, cum ducentis equitibus tantummodo præfatæ electionis tempore introire, in quorum numero quinquaginta tantum armatos vel pauciores introducere secum poterit, sed non plures.

Princeps vero elector, ad electionem hujusmodi vocatus et requisitus, et ad ipsam non veniens, vel legales nuntios cum literis patentibus sigillo suo majori sigillatis, plenamque et liberam ac omnimodam potestatem continentibus, ad eligendum Romanorum regem, futurum Imperatorem, non dirigens aut veniens, aut hujusmodi nuntios fortasse transmittens: si postea Princeps ipse aut prædicti nuntii a prædicto electionis loco recederent Rege Romanorum futuro Cæsare non electo, nec ad præmissa procuratore legitimo substituto: solemniter, et relicta electionis voce seu jure, quod in eadem electione habuit, et tali modo deseruit, careat ea vice.

Injungimus autem civibus de Franckfort et mandamus, ut ipsi universos Principes electores in genere, et quemlibet eorum in specie, ab invasione alterius, si quid inter eos adversitatis emergeret, et etiam ab omni homine eum omnibus eorum hominibus, quos ipsi et eorum quilibet in præfato ducentorum suorum equorum numero, ad præfatam duxerint civitatem in virtute juramenti, quod super hoc ipsos ad sancta præstare statuimus Evangelia, fideli studio et solerti diligentia protegant et defendant, alioquin perjurii reatum incurrant: et nihilominus omnia jura sua, libertates, privilegia, gratias et indulta quæ a sacro obtinere noscuntur Imperio, omnino amittant: bannum quoque imperiale cum personis, et bonis suis omnibus incidant eo ipso. Et liceat extunc omni homini auctoritate propria ac sine judicio, cives eosdem, quos eo casu exnunc prout extunc omni jure privamus, tanquam proditores, infideles et rebelles imperii, impune invadere: ita quod invadentes hujusmodi, pœnam quamcumque a Sacro Imperio, vel quovis alio nequaquam debent formidare.

Cives insuper antedicti de Franckfort per omne tempus illud, quo super electione sæpe dicta tractari et agi contigerit, neminem præfatam civitatem cujuscumque dignitatis conditionis vel status extiterit, intromittant: vel intrare quovis modo permittant, Principibus electoribus, vel eorum nuntiis et procuratoribus ante dictis duntaxat exceptis, quorum quilibet cum ducentis equis debebit (ut prædicitur) intromitti. Si vero post ipsorum Principum electorum introitum, seu in ipsorum præsentia in præfata civitate aliquem reperiri contigerit, illius exitum cives ipsi debebunt absque mora et cum effectu protinus ordinare sub omnibus pœnis contra ipsos superius promulgatis: et etiam in virtute juramenti, quod cives ipsi de Franckfort, super eo virtute præsentis constitutionis præstare debebunt, ad Sancta Dei Evangelia, ut in præcedentibus est expressum.

Postquam autem sæpe dicti Electores seu nuntii civitatem Franckforden. ingressi fuerint, statim subsequenti diluculo in Ecclesia Sancti Bartholomæi Apostoli ibidem in omnium ipsorum præsentia. Missam de Sancto spiritu faciant decantari ad finem, ut ipse S. Spiritus corda ipsorum illustret, et eorum sensibus lumen suæ virtutis infundat, quatenus ipsi suo suffulti præsidio, hominem justum bonum et utilem eligere valeant in Regem Romanorum futurum Cæsarem, ac pro salute populi Christiani expedientem. Peracta quoque Missa hujusmodi, omnes illi Electores, seu nuntii accedent ad altare, in quo missa eadem extitit celebrata: ubi Principes electores ecclesiastici coram Evangelio Beati Joannis, In principio erat Verbum, quod illic ante ipsos poni debebit, manus suas pectori cum reverentia supponant: seculares vero Principes electores, dictum Evangelium corporaliter manibus suis tangant, qui omnes cum tota sua familia, tunc ibi debebunt inermes assistere: et Archiepiscopus Moguntinensis formam juramenti eis dabit, et una cum ipsis, et ipsi vel absentium nuntii una cum eo, juramentum præstabunt vulgariter in hunc modum. Ego N. Archiepiscopus Moguntinen.

Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, ac Princeps elector, jure ad hæc Sancta Dei Evangelia hic præsentaliter coram me posito, quod ego per fidem qua ego Deo et Sacro Romano Imperio sum astrictus, secundum omnem discretionem et intellectum meam, cum Dei adjutorio, eligere volo temporale caput populo Christiano; id est Regem Romanorum in Cæsarem promovendum, qui ad hoc existat idoneus, in quantum discretio et sensus mei me dirigunt: et secundum fidem prædictam vocemque meam, et votum seu electionem præfatam, dabo absque omni pacto, stipendio, pretio, seu promisso, vel quocunque modo talia valeant appellari. Sic me Deus adjuvet, et omnes Sancti.

Præstito denique per Electores seu nuntios in forma et modo prædictis hujusmodi juramento, ad electionem procedant: nec ammodo de jam dicta civitate Franckfort separentur, nisi prius major pars ipsorum temporale caput mundo elegerit, seu populo Christiano, regem videlicet Romanorum in Cæsarem promovendum. Quod si facere distulerint infra triginta dies, a die præstiti juramenti præfati continue numerandos, extunc transactis eisdem triginta diebus, ammodo panem manducent, et aquam: et nullatenus civitatem exeant antedictam, nisi prius per ipsos vel majorem partem ipsorum, rector seu temporale caput fidelium electum fuerit, ut præfertur.

Postquam autem in eodem loco, ipsi vel pars eorum major numero elegerit, talis electio perinde haberi et reputari debebit, ac si foret ab ipsis omnibus, nemine discrepante, concorditer celebrata. Sique per tempus aliquod morari, abesse, et tardare contingeret aliquem de Electoribus seu nuntiis antedictis, dum tamen veniret antequam prædicta est electio celebrata: hunc ad electionem istam in eo statu admitti debere decernimus, in quo ipsa adventus sui tempore consistebat: et quia de antiqua approbata et laudabili consuetudine, tam inconvulse, quam immutabiliter semper extitit hactenus observatum. Ideoque et nos constituimus, et de electione Imperiali decernimus plenitudine potestatis, quod is qui modo præmisso in regem Rom. electus fuerit, peracta statim hujusmodi, priusquam in aliquibus causis aliis, sive negotiis, virtute Sacri Imperii administret, universis et singulis principibus Electoribus ecclesiasticis et secularibus, qui propinquiora Sacri Imperii membra esse noscuntur, omnia ipsorum privilegia, literas, jura, libertates, concessiones, antiquas consuetudines, et etiam dignitates, et quicquid ipsi ab Imperio usque in diem electionis suæ obtinuerunt et possederunt, absque dilatione et contradictione confirmare et approbare debeat per suas literas et sigilla, ipsisque præmissa omnia innovare, postquam Imperialibus infulis fuerit coronatus. Confirmationem autem hujusmodi Electus ipse cuilibet Principi Electori in specie, primo suo regali nomine faciet: et deinde sub Imperiali titulo innovabit, et in his ipsos Principes omnes in genere, et quemlibet eorum in specie nullatenus impedire, sed potius absque dolo gratiose teuebitur promovere.

In casu denique quo tres Principes Electores præsentes seu absentium nuntii, quartum ex se, seu eorum consortio, videlicet Principem Electorem præsentem vel absentem in Regem Romanorum elegerint, vocem illius electi, si præsens affuerit, aut nuntiorum ipsius, si eum abesse contigerit, plenum vigorem habere, et eligentium augere numerum, partemque majorem decernimus constituere, ad instar ceterorum Principum Electorum.

In Nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis feliciter, Amen. Carolus IV. Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus et Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Decor et gloria Sacrosancti Romani Imperii, et honor Cæsareus, et Reipublicæ grata compendia venerabilium et illustrium Principum Electorum concordi voluntate foventur: qui velut columnæ procerea sacrum ædificium circumspectæ prudentiæ solerti pietate sustentant, quorum præsidio dextra Imperialis potentiæ roboratur. Et quanto mutui favoris ampliori benignitate stringuntur, tanto uberioris pacis et tranquillitatis commoda feliciter profluunt populo Christiano. Ut igitur inter venerabiles Moguntin. Colonien. necnon Treveren. Archiepiscopos Sacri Imperii Principes Electores, omnium litium et suspicionum mala, quem et qui de prioritate seu dignitate sessionum suarum, in curiis Imperialibus et regalibus auboriri valerent in posterum, perpetuis in antea temporibus amputentur, et ipsi in cordis et animorum quieta conditione manentes et de opportunitatibus Sacri Imperii, concordi favore, et virtuosæ dilectionis studio convenientius meditari valeant pro consolatione populi Christiani habita deliberatione cum omnibus Principibus Electoribus, tam ecclesiasticis quam secularibus, et de ipsorum consilio decernimus, et de Imperialis potestatis plenitudine, hac edictali lege perpetuo valitura sancimus, quod supra dicti venerabiles Archiepiscopi, Treverensis videlicet, ex opposito et lineari directione, versus Imperatoris faciem: Moguntinensis vero in suis diœcesi et provincia, et extra provinciam suam in toto Archicancellariatu suo Germanico, provincia, Coloniensi dumtaxat excepta, et demum Coloniensis in suis diœcesi et provincia, et extra provinciam suam in tota Italia et Gallia in dextero latere Romanorum Cæsaris sedere possint, valeant et debeant in omnibus publicis actibus, Imperialibus puta judiciis, collationibus feudorum, et in refectionibus mensarum, ac etiam in conciliis, et in omnibus aliis agendis, propter quæ contingit seu continget, eos pro honore seu utilitate Imperiali tractandis mutuo convenire: et hunc modum sessionis, sub omni eo ordine, sicut expressatur superius, ad prædictorum Coloniens. Trever. et Moguntinen. Archiepiscoporum successores perpetuo extendi volumus, ut nullo unquam tempore super his quævis dubietas generetur.

Statuimus insuper, ut quotiescunque Imperialem curiam ex nunc in antea celebrari contigerit in qualibet sessione, videlicet tam in consilio quam in curia, quam in mensa, et locis aliis quibuscunque ubi Imperatorem vel Regem Rom. cum Principibus Electoribus sedere contigerit, a dextero latere Imperatoris vel Regis Romanorum, immediate post Archiepiscopum Moguntinen. vel Colonien. illum videlicet quem tunc temporis, pro qualitate locorum et varietate provinciarum, juxta privilegii sui tenorem dicto lateri dextro Imperatoris assidere contigerit; Rex Bohemiæ cum sit Princeps coronatus et unctus primum, et post eum continuo Comes Palatinus Rheni secundum sedendi locum debet obtinere: ad sinistram vero partem immediate post illum, quem ex prædictis Archiepiscopis a latere sinistro sedere contigerit, primum locum Dux Saxoniæ, et post eum Marchio Brandeburgen. alterum obtinebit. Ceterum quotiens et quod deinceps sacrum vacare continget Imperium, ex tunc Moguntinen. Archiepiscopus potestatem habebit sicut pote-

statem habuisse dignoscitur ab antiquo; ceteros Principes antedictos suos in dicta Electione consortes litteratorie convocandi. Quibus omnibus seu his qui potuerint et voluerint interesse in Electionis terminis invicem congregatis, dictus Archiepiscopus Moguntinensis, et non alter eorumdem Electorum suorum vota singulariter habebit inquirere ordine subsequenti. Primo quidem interrogabit a Treverensi Archiepiscopo, cui primam vocem competere declaramus, sicut invenimus hactenus competiisse. Secundo a Coloniensi Archiepiscopo, cui competit dignitas necnon officium Romanorum Regi primum diadema Regium imponendi. Tertio a Rege Bohemiæ, qui inter Electores laicos ex Regiæ dignitatis fastigio, jure et merito obtinebit primatum. Quarto a Comite Palatino Rheni. Quinto a duce Saxoniæ. Sexto a Marchione Brandeburgensi. Ilorum omnium vota, præmisso jam ordine, dictus Archiepiscopus Moguntinensis perquiret: quo facto, dicti Principes sui consortes, ipsum vice versa requirent, ut et ipse intentionem suam exprimat, et ipsis aperiat votum suum.

Prætcrea in celebratione Imperialis curiæ, Marchio Brandeburgensis aquam lavandis Imperatoris vel Regis Romanorum manibus ministrabit. Primum vero potum Rex Bohemiæ: quem tamen sub regali corona, juxta privilegiorum regni sui continentiam, nisi libera voluntate voluerit, non tenebitur ministrare. Comes etiam Palatinus Rheni cibum afferre tenebitur. Dux Saxoniæ mareschalcatus officium exercebit, ut solitum est fieri ab antiquo.

Quoties insuper (ut præmittitur) sacrum vacare continget Imperium, illustris Comes Palatinus Rheni, Sacri Imperii Archidapifer, ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Rheni et Sueviæ, et in jure Franconico, ratione principatus seu Comitatus Palatini, privilegio esse debet provisor ipsius imperii, cum potestate judicia exercendi, et ad beneficia ecclesiastica præsentandi, recolligendi reditus et proventus, et investiendi de feudis juramenta fidelitatis vice et nomine Sacri Imperii recipiendi: quæ tamen per Regem Romanorum postea electum, suo tempore omnia innovari et de novo sibi ipsa juramenta præstari debebunt, feudis Principum dumtaxat exceptis, et illis quæ *Vanlehen* vulgariter appellantur, quorum investituram et collationem soli Imperatori vel Regi Romanorum specialiter reservamus. Ipse tamen Comes Palatinus omne genus alienationis seu obligationis rerum Imperialium, hujusmodi provisionis tempore expresse sibi noverit interdictum. Et eodem jure provisionis illustrem Ducem Saxoniæ Sacri Imperii Archimascalcum frui volumus in illis locis ubi Saxonica jura servantur, sub omnibus modis et conditionibus, sicut superius est expressum. Et quamvis Imperator sive Rex Romanorum super causis, pro quibus impetitus fuerit, habeat (sicut ex consuetudine introductum dicitur) coram Comite Palatino Rheni, Sacri Imperii Archidapifero Electore Principe respondere: illud tamen judicium Comes ipse Palatinus non alibi, præterquam in Imperiali curia, ubi Imperator seu Romanorum Rex præsens extiterit, poterit exercere.

Decernimus ut in celebratione Imperialis curiæ, quotiescunque illam deinceps perpetuo celebrari contigerit, antedicti Principes Electores Ecclesiastici et seculares, juxta præscriptum ordinem atque modum a dextris et sinistris immutabiliter teneant loca sua, eisque vel eorum alicui in quibuscunque actibus ad curiam ipsam spectantibus, eundo sedendo vel stando, nullus princeps alius, cujuscumque status, dignitatis, præeminentiæ vel conditionis existat, nullatenus præferatur: eo signanter expresso, quod nominatim Rex Bohemiæ in celebratione curiarum hujusmodi, in omnibus et singulis actibus antedictis quemcunque Regem alium quacunque etiam singulari dignitatis prærogativa fulgentem, quem quovis casu venire vel adesse forte contigeret, immutabiliter antecedat.

Inter sollicitudines illas innumeras, quibus pro felici statu Sacri Imperii, cui auctore Domini feliciter præsidemus, cor nostrum quotidie fatigatur, ad hoc præcipue meditatio nostra dirigitur, qualiter desiderata et salubris semper unio inter Sacri Imperii Principes Electores jugiter vigeat, et eorum corda in sinceræ charitatis concordia conserventur. Quorum providentia suo tempore orbi fluctuanti tanto celerius, tantoque facilius subvenitur, quanto inter eos nullus error surrepserit, et purior fuerit charitas custodita, obscuritate succisa, et jure cujuslibet dilucide declarato, sane generaliter longe lateque est publicum, et quasi per totum orbem notorium et manifestum, illustres Regem Bohemiæ, nec non Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, et Marchionem Brandeburgensem, virtute regni et principatum suorum in Electione Regis Romanorum in Cæsarem promovendi, cum ceteris Principibus Ecclesiasticis, suis coelectoribus, jus, vocem, et locum habere, et una cum ipsis censeri, et esse veros et legitimos Sacri Imperii Principes Electores, ne inter eorundem Principum secularium Electorum filios super jure, voce et potestate præfata, futuris temporibus scandalorum et dissentionum possit materia suscitari, et sic bonum commune periculosis dilationibus impediri, futuris, auctore Deo, cupientes periculis salubriter obviare: statuimus, et imperiali auctoritate, præsenti lege perpetuis temporibus valitura decernimus, ut postquam iidem Principes Electores seculares, et eorum quilibet esse desierint, jus, vox et potestas Electionis hujusmodi, ad filium suum primogenitum, legitimum laicum: illo vero non existente, ad ejusdem primogeniti primogenitum, similiter laicum, libere et sine contradictione cujuspiam devolvatur. Si vero primogenitus hujusmodi absque hæredibus masculis legitimis laicis, ab hac luce migraret, virtute præsentis Imperialis edicti, jus, vox et potestas electionis prædictæ, ad seniorem fratrem laicum per veram paternam lineam descendentem, et deinceps ad illius primogenitum laicum devolvatur: et talis successio in primogenitis et hæredibus Principum eorumdem jure, voce et potestate præmissis, perpetuis temporibus observetur: ea tamen conditione, et modo, ut si Principem Electorem, seu ejus primogenitum, aut filium seniorem laicum mori, et hæredes masculos et legitimos laicos, defectum ætatis patientes, relinquere contigerit, tunc frater senior ejusdem primogeniti, tutor eorum et administrator existat, donec senior ex eis legitimam ætatem attigerit, quam in Principe Electore XVIII. annos completos censeri volumus, et statuimus perpetuo haberi; quam dum attigerit, jus, vocem et potestatem, et omnia ab ipsis dependentia, tutor ipse sibi totaliter cum officio teneatur protinus assignare. Si vero aliquem ex hujusmodi principatibus eorum, Imperio sacro vacare contingeret: tunc Imperator seu Rex Romanorum, qui pro tempore fuerit, de ipso providere debebit et poterit, tanquam de re ad se et Imperium legitime devoluta: salvis tamen semper privilegiis, juribus et consuetudinibus Regni nostri Bohemiæ, super Electione Regis in casu vacationis, per Regnicolas, qui jus habent eligendi Regem Bohemiæ, faciendi juxta

continentiam eorumdem privilegiorum, et observatam consuetudinem diuturnam, a divis Romanorum Imperatoribus sive Regibus obtentorum, quibus ex hujusmodi sanctione Imperiali in nullo præjudicare volumus: imo ipsa decernimus nunc et perpetuis futuris temporibus in omni suo tenore et forma, indubiam tenere roboris firmitatem.

Cum per duos Romanorum Imperatores et Reges prædecessores nostros illustribus Bohemiæ Regibus, et prædecessoribus nostris, nec non regno Bohemiæ ejusdem regni coronæ olim concessum sit in regno eodem a tempore cujus contrarii hodie non existit memoria consuetudine laudabili inconvulse servata diuturnitate temporum, et præscripta moribus utentium sine contradictionis aut interruptionis obstaculo introductum, quod nullus Princeps, Baro, nobilis, miles, cliens, burgensis, civilis nulla denique persona ejusdem regni et pertinentiarum ejusdem ubicumque existentium, cujuscunque status, dignitatis, præeminentiæ, vel conditionis existat, ad cujuscunque actoris instantiam, extra regnum ipsum ad quodcunque tribunal, seu alterius, præterquam regis Bohemiæ, et regalis curiæ judicum citare poterit, sive trahi nec vocari debeat, perpetuis in antea temporibus, sive possit. Ideo privilegium consuetudinem et indultum hujusmodi auctoritate Imperiali, et de Imperialis potestatis plenitudine, ex certa scientia innovantes, et etiam confirmantes, hac presenti nostra constitutione imperiali perpetuis temporibus valitura statuimus, ut si contra privilegium, consuetudinem, vel indultum præfatum, quispiam prædictorum, puta Princeps, Baro, nobilis, miles, cliens, civis, burgensis, seu rusticus, aut alia quæcunque persona præmissa, ad quodcunque tribunal, extra regnum prædictum Bohemiæ, in quacunque causa criminali, civili vel mixta, seu super quocunque negotio citatus fuerit quocunque tempore, vel citatus comparere, vel in judicio respondere minime teneatur: et quod si adversus hujusmodi non comparentes, vel non comparentem a quocunque judice, cujuscunque auctoritatis existat, extra regnum ipsum Bohemiæ constituto, judicialiter procedi, processus fieri, seu sententias interlocutorias vel diffinitivas, unam vel plures in quibuscunque prænominatis causis sive negotiis quovis modo fieri vel promulgari contingeret, auctoritate præmissa, de plenitudine insuper antedicta imperatoriæ potestatis citationes, præcepta, processus, et sententias hujusmodi, nec non executiones, et omnia quæ ex eis vel aliquo ipsorum quomodo libet sequi attentari possent, vel fieri, irritamus penitus, et cassamus. Adjicientes expresso et edicto imperiali perpetuo valituro, eadem auctoritate, et de præmissæ potestatis plenitudine decernentes, ut quemadmodum in prædicto regno Bohemiæ a tempore (cujus contrarii non habetur memoria) jugiter observatum existit, ita nulli prorsus Principi, Baroni, nobili, militi, clienti, civi, burgensi, seu rustico, nulli demum personæ, seu incolæ regni Bohemiæ sæpe dicti, cujuscunque status, præminentiæ, dignitatis vel conditionis existat vel extiterit, a quibuscunque processibus, sententiis, interlocutoriis vel diffinitivis, sive præceptis Regis Bohemiæ, aut quorumlibet suorum judicum, nec non executionibus eorumdem, contra se in regali judicio, seu coram Regis, regni seu prædictorum judicum tribunalibus, factis aut latis, habitis, vel ferendis in antea, seu fiendis, liceat ad quodcunque aliud judicium appellare: provocationes quoque seu appellationes hujusmodi, si quas contra hoc interponi contigerit, eo ipso viribus non subsistant: et appellantes ipsi pœnam perditionis causarum ipso facto se noverint incurrisse.

Præsenti constitutione in perpetuum valitura statuimus, et de certa scientia declaramus, quod successores nostri Bohemiæ Reges, nec non universi et singuli Principes Electores, ecclesiastici et seculares, qui perpetuo fuerint, universas auri et argenti fodinas atque mineras, stanni, cupri, ferri, plumbi, et alterius cujuscunque generis metalli, ac etiam salis, tam inventas quam inveniendas in posterum, quibuscunque temporibus in regno prædicto, ac terris et pertinentiis eidem regno subjectis, nec non supradicti Principes, in principatibus, terris, dominiis et pertinentiis suis, tenere juste possint, et legitime possidere, cum omnibus juribus nullo prorsus excepto prout possunt seu consueverunt talia possideri: nec Judæos habere telonia, in præterito statuta et indulta percipere. Quodque progenitores nostri, regna Bohemiæ ferme, ipsique Principes Electores, ac progenitores, et prædecessores eorum legitime poterant, usque in præsens, sicut hoc antiqua, laudabili, et approbata consuetudine, diuturnique ac longissimi temporis cursu præscripto noscitur observatum.

Statuimus præterea, ut regi Bohemiæ successori nostro, qui fuerit pro tempore, sicut constat ab antiquo illustribus Bohemiæ Regibus nostris prædecessoribus licuisse, et in possessione pacifica continua ipsos fuisse juris subsequentis, videlicet monetas auri et argenti, in omni loco et parte regni sui, et subjectarum sibi terrarum et pertinentiarum omnium, ubi Rex ipse decreverit sibi quæ placuerit cudi, facere et mandare sub omni modo et forma in regno ipso Bohemiæ, in his ad hæc usque tempora observatis: quodque futuris perpetuo Bohemiæ Regibus hac nostra Imperiali constitutione et gratia perpetuo valituris a quibuscunque Principibus, Magnatibus, Comitibus, ac personis aliis, quascunque terras, castra, possessiones, prædia sive bona liceat emere, comparare, seu in donum sive donationem, ex quacunque causa aut inobligare, recipere, sub talium terrarum, castrorum, possessionum, prædiorum seu bonorum conditione consueta, ut videlicet propria recipiantur vel comparentur ut propria, libera velut libera: et ea quæ dependent in feodum, similiter emantur in feudum, seu comparata taliter teneantur: ita tamen, quod ipsi Reges Bohemiæ, de iis, quæ hoc modo comparaverint vel receperint, et regno Bohemiæ duxerint applicanda, ad pristina et consueta jura de talibus sacro explananda et reddenda Imperio sint astricti. Præsentem nihilominus constitutionem et gratiam virtute præsentis legis nostræ Imperialis ad universos Principes Electores, tam ecclesiasticos quam seculares, successores et legitimos hæredes ipsorum, plene extendi volumus, sub omnibus modis et conditionibus, ut præfertur.

Statuimus etiam, ut nulli Comites, Barones, nobiles, feudales, vasalli, castrenses, milites, clientes, cives, burgenses, nullæque personæ Moguntinensi, Treverensi, et Coloniensi, Ecclesiis subjecti, vel subjectæ, cujuscunque status, conditionis, vel dignitatis existant, ad cujuscunque actoris instantiam extra territorium et terminos ac limites earumdem Ecclesiarum, et pertinentiarum suarum ad quodcunque aliud tribunal, seu cujuscunque alterius, præterquam Archiepiscoporum Moguntinensis, Treverensis, et Coloniensis, et judicum suorum judicum citari poterunt, temporibus retroactis vel trahi seu vocari debeant, perpetuis in antea temporibus sive possint, sicut in præteritis invenimus temporibus observatum. Quod si contra

præsens edictum nostrum prædictos Ecclesiarum Treverensis, Moguntinensis, seu Coloniensis subditos, vel eorum aliquem, seu aliquos, ad cujuscunque instantiam, seu ad cujuscunque tribunal pro quacumque causa criminali, civili, vel mixta, seu quocumque negotio, extra territorium, limites, seu terminos dictarum Ecclesiarum, vel alicujus earum citari contingeret, comparere vel respondere minime teneantur: et citatio et processus et sententiæ interlocutoriæ et diffinitivæ contra non venientes, a talibus judiciis extraneis latæ vel factæ, fiendæ vel ferendæ, nec non præcepta, et præmissorum executiones, et omnia quæ ex eis, vel aliquo eorum quomodolibet sequi attentari possent, vel fieri, irrita decernimus eo ipso. Adjicientes expresse, quod nulli Comiti, Baroni, nobili, feudali, vasallo, castrensi, militi, clienti, civi, rustico, nulli demum personæ Ecclesiis hujusmodi subjectæ seu ejus incolæ, cujuscunque status, dignitatis vel conditionis existant, a processibus, sententiis, interlocutoriis et diffinitivis, sive præceptis Archiepiscoporum, et Ecclesiarum hujusmodi, vel suorum officiatorum temporalium, aut executionibus eorumdem contra se in Archiepiscopali, seu officiatorum prædictorum judicio factis, aut latis, habitis vel ferendis, in antea, seu fiendis ad quodcunque tribunal liceat appellare, quamdiu in Archiepiscoporum prædictorum, et suorum judicio querelantibus, non fuerit justitia denegata, appellationes contra hoc factas non recipi statuimus, cassasque et irritas nunciamus. In defectum vero justitiæ, prædictis omnibus ad Imperialem dumtaxat curiam et tribunal, seu judicis immediate in Imperiali curia pro tempore præsidentis audientiam, et etiam eo casu non ad quemvis alium judicem, sive ordinarium, sive etiam delegatum, his quibus denegata fuerit justitia, licet appellare. Quicquid vero contra præmissa factum fuerit, sit irritum, eo ipso, eandem constitutionem virtute præsentis legis nostræ Imperialis, ad illustrem Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, et Marchionem Brandeburgensem Principes Electores seculares, sive laicos, successores, hæredes, et subditos eorum, plenissime extendi volumus, sub omnibus modis et conditionibus, ut præfertur.

Inter illas multiplices Reipublicæ curas, quibus assidue mens nostra distrahitur, multa consideratione necessarium fore prospexit nostra sublimitas, ut Sacri Imperii Principes Electores, ad tractandum de ipsius Imperii, orbisque salute frequentius solito congregentur, qui solidæ bases Imperii, et columnæ immobiles, quemadmodum per longinquas adinvicem terrarum consistant distantias; ita de incumbentibus regionum sibi cognitarum defectibus referre simul et conferre noverunt, sanisque providentiæ suæ consiliis non ignorant, accommodis talium reformationibus operam salubriter dare. Hinc est, quod in solemni curia nostra in Nuremberg, cum venerabilibus ecclesiasticis, et illustribus secularibus Principibus Electoribus, et multis aliis Principibus, et proceribus per nostram celsitudinem celebrata, habita cum eisdem Principibus Electoribus deliberatione, et de ipsorum consilio pro bono, et salute communi, cum dicti Principibus Electuribus, tam ecclesiasticis quam secularibus, duximus ordinandum: quod iidem Principes Electores de cetero per singulos annos semel transactis a festo resurrectionis Dominicæ, quatuor septimanis continuo numerandis, in aliqua civitate Sacri Imperii personaliter congregentur: et ad idem tempus proxime affuturum, seu anno præsenti colloquium seu curia et congregatio hujusmodi in civitate nostra Imperiali Metensi, per nos et eosdem Principes celebretur: ac tunc, et deinceps die quolibet congregationis hujusmodi, locus per nos quo sequenti anno conveniant, ipsorum consilio statuatur, hac nostra ordinatione ad nostrum et ipsorum dumtaxat beneplacitum duratura. Qua durante, ipsos sub nostro Imperiali conductu recipimus, ad dictam curiam accedendo, stando, ac etiam recedendo: Præterea ne tractatus communis salutis et pacis, per tractum et moram solatii, seu excessivam frequentiam convivii, retardetur, ut aliquando fieri est consuetum, concordi voluntate duximus ordinandum, ut deinceps curia, seu congregatione præfata durante, generales omnium Principum celebrare alicui non liceat invitatas: particulares vero, quæ agendorum expeditionem non impediant, non moderamine sint permissæ.

Præterea statuimus, et hoc Imperiali perpetuo sancimus edicto, quod universa privilegia et literæ, quibuscunque personis, cujuscunque status, præeminentiæ, vel dignitatis existant, seu civitatum, oppidorum, et quorumlibet locorum universitatibus, super quibuscumque juribus, gratiis, immunitatibus, consuetudinibus, seu rebus aliis, etiam proprio motu, seu alias a nobis, vel recolendæ memoriæ divis Romanorum Imperatoribus et Regibus, prædecessoribus nostris, sub quibuscunque verborum tenoribus concessa et concessæ, seu a nobis, vel successoribus nostris, Romanorum Imp. et Regibus, futuris temporibus concedenda, seu etiam concedendæ, non debeant aut possint libertatibus, jurisdictionibus, juribus et honoribus, seu dominiis Principum Electorum Sacri Imperii Ecclesiasticorum et secularium, aut alicujus ipsorum in aliquo penitus derogare. Etiam si in talibus privilegiis, et literis quarumlibet personarum cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, aut status extiterint, ut præfertur, seu universitatum hujusmodi expressatum sit, vel fuerit in futurum, quod revocabilia seu revocabiles esse non debeant, nisi de ipsis, et toto in eis comprehenso tenore, in tali revocatione fieret de verbo ad verbum seriatim mentio specialis: hujusmodi namque privilegia, et literas, si et in quantum libertatibus, jurisdictionibus, juribus, et honoribus, seu dominiis, que superius exprimuntur, dictorum principum Electorum, aut alicujus ipsorum derogare, vel obviare censetur, in aliquo quoad hoc revocamus ex certa scientia, et cassamus, revocataque, et revocatas intelligi, reputari et haberi decernimus de plenitudine Imperatoriæ potestatis.

In plerisque partibus vasalli et feudatarii dominorum feuda seu beneficia quæ a dominis ipsis obtinent intempestive, verbaliter, et in fraude renuntiant seu resignant eadem: et facta renuntiatione hujusmodi, dominos ipsos malitiose diffidant, suasque inimicitias eis denunciant, damna ipsis subsequenter gravia inserendo, et beneficia seu feuda sic relicta prætextu guerræ, seu inimicitiæ rerum invadunt et occupant, et detinent occupata. Ea propter præsenti constitutione in perpetuum valitura sancimus, quod talis resignatio seu renunciatio haberi debeat pro non facta, nisi libere et realiter facta fuerit per eosdem, ita quod possessio beneficiorum et feudorum hujusmodi, dominis ipsis corporaliter et realiter assignetur in tantum, quod nullo unquam tempore diffidantes ipsi in bonis feudis seu beneficiis resignatis dominos ipsos perturbent, per se aut alios, aut molestent, nec ad hoc consilium præstent, auxilium vel favorem. Contrarium faciens, seu dominos suos in beneficiis et feudis resignatis, vel non

resignatis, invadens quomodolibet, perturbans, vel damna ipsis inferens, seu consilium, auxilium præstans talia facientibus, vel favorem, feuda et beneficia hujusmodi eo ipso amittat, infamis existat, et banno Imperiali subjaceat, et nullus ad feuda vel beneficia hujusmodi pateat ei de cetero quocunque tempore aditus vel regressus, nec de novo concedi sibi valeant ullo modo, et facta eis contra hoc illorum concessio seu investitura sequuta viribus non subsistat. Postremo, omnes pœnas prædictos, illos vel illum, qui prædicto resignatione non facta contra dominos suos fraudulenter agentes, vel agens, scienter eos invaserint, vel invaserit, diffidatione quacunque prævia, vel omissa, vigore præsentis sanctionis incurrere decernimus ipso facto.

Detestandas præterea, et sacris legibus reprobatas conspirationes et conventiculas, seu colligationes illicitas, in civitatibus et extra vel inter civitatem et civitatem, inter personam et personam, seu inter personam et civitatem, prætextu parentelæ seu receptionis in cives, vel alterius cujuscunque coloris conjurationes, insuper confœderationes et pacta, nec non et consuetudinem circa hujusmodi introductam, quam censemus potius corruptelam, reprobamus, damnamus, et ex certa scientia irritamus, quas civitates seu personæ, cujuscunque dignitatis seu conditionis, aut status, sive inter se, sive cum aliis, absque auctoritate dominorum, quorum subditi vel ministeriales, seu in quorum districtu consistunt, eisdem dominis nominatim non exceptis fecerint hactenus, et facere præsumpserint in futuro, sicut per sacras divorum Augustorum prædecessorum nostrorum leges prohibitas non ambigitur, et cassatas: illis confœderationibus, et legibus duntaxat exceptis, quas Principes et civitates, ac alii super generali pace provinciarum atque terrarum inter se formasse noscuntur. Illas enim nostræ declarationi specialiter reservantes, in suo decernimus vigore manere, donec de his aliud duxerimus ordinandum: personam singularem, quæ de cetero contra tenorem præsentis constitutionis et legis nostræ antiquæ, super hoc editæ confœderationes, colligationes, conspirationes et pacta hujusmodi inire præsumpserit, ultra pœnam legis ejusdem, notam infamiæ et pœnam decem librarum auri: civitatem vero, vel universitatem in hanc legem nostram similiter committentem, centum librarum auri, nec non amissionis et privationis libertatum et privilegiorum Imperialium, pœnas incurrere decernimus, eo ipso medietatem pœnæ hujusmodi pecuniariæ fisco Imperiali, reliqua vero domino districtus, in cujus præjudicium factæ fuerint, applicanda.

Ceterum quia nonnulli cives, et sudditi Principum, Baronum et aliorum hominum, sicut frequens ad nos querela perduxit, jugum originariæ subjectionis quærentes abjicere, immo ausu temerario contemnentes, in aliarum civitatum cives sæpe recipi se procurant, et frequentius in præterito procurarunt: et nihilominus in priorum dominorum, quos tali fraude præsumpserunt vel præsumunt deserere, terris, civitatibus, oppidis et villis, corporaliter residentes civitatum, ad quas hoc modo se transferunt, libertatibus gaudere, et ab eis defensari contendunt, qui in partibus Alamanniæ Psalburgerii consueverunt vulgariter oppellari. Quoniam autem patrocinari non debent alicui fraus et dolus: de Imperatoriæ potestatis plenitudine omnium Principum Electorum Ecclesiasticorum et secularium sano accedente consilio, ex certa scientia statuimus, et præsenti lege perpetuo valitura sancimus, quod prædicti cives est subditi, eis quibus subsunt, taliter illudentes, in omnibus terris, locis et provinciis Sacri Imperii, a præsenti die in posterum, civitatum in quarum cives qui tali fraude recipi se procurant, vel hactenus procurarunt, juribus et libertatibus in nullo potiantur, nisi ad hujusmodi civitates corporaliter et realiter transeuntes ibique larem foventes continuo, vere et non ficte residentiam facientes, debita onera et municipalia subeant in eisdem. Si qui vero contra præsentis nostræ legis tenorem recepti sint vel fuerint, in futurum illorum receptio omni careat firmitate: et recepti cujuscunque dignitatis, conditionis aut status existant, in nullo casu penitus sine causa civitatum, ad quas recipi se procurant, juribus aut libertatibus gaudeant quomodo libet, vel fruantur: Non obstantibus quibuscunque juribus, privilegiis vel consuetudinibus observatis, quanto cunque tempore, et obtentis: quas et quæ, in quantum præsenti nostræ legi obviant, præsentibus ex certa scientia revocamus, de prædictæ Imperialis plenitudine potestatis, omnique carere decernimus robore firmitatis. Circa præmissa omnia Principum, dominorum, et aliorum hominum, quos taliter deseri contingit, vel continget in posterum, juribus circa personas et bona subditorum, quorumcunque ipsos sæpe dicto modo deserentium semper salvis, hos nihilominus, qui sæpe dictos cives et subditos alienos recipere contra præsentis nostræ legis dispositionem præsumpserint, vel recipere in præterito præsumpserunt, si eos omnino non dimiserint infra mensem, post intimationem præsentium eis factam, centum marcas auripuri pro transgressione hujusmodi, totiens quotiens deinceps factum fuerit, incurrere decernentes, quarum medietas Imperiali fisco nostro, reliqua vero dominis illorum, qui recepti fuerint, irremissibiliter applicentur.

Eos qui de cetero adversus aliquos certam diffidationis causam se habere fingentes, ipsos in locis, obi domicilia non obtinent, aut ea communiter non inhabitant, intempestive diffidant, declaramus, damna quæcumque per incendia, spolia, vel rapinas diffidatis ipsiscum bonore suo inferre non posse: et quia patrocinari non debent alicui fraus et dolus, præsenti constitutione in perpetuum valitura sancimus diffidationes hujusmodi quibuscunque dominis aut personis, cum quibus aliqui fuerint in societate, familiaritate, vel honesta quavis amicitia conversati, sic factas vel fiendas in posterum, non valere, nec licere, prætextu diffidationis cujuslibet quempiam invadi per incendia, spolia vel rapinas, nisi diffidatio per tres dies naturales ipsi diffidando personaliter, vel in loco quo habitare consuevit, publice fuerit intimata, possitque de intimatione hujusmodi per testes idoneos fieri plena fides: quisquis secus quempiam diffidare et invadere, modo præmisso præsumpserit, infamiam eo ipso incurrant, ac si nulla diffidatio facta esset, quem etiam tanquam proditorem per quoscunque judices pænis legalibus statuimus castigari. Prohibemus etiam et damnamus universas, et singulas guerras, lites injustas, cuncta quoque injusta incendia, spolia, rapinas, indebita et inconsueta telonia, et conductus, et exactiones, pro ipsis conductibus extorqueri consuetas, sub pœnis, quibus sacræ leges præmissæ, et eorum quodlibet sanciunt punienda.

Vobis illustri et magnifico Principi N. Marchioni Brandeburgensi, Sacri Imperii Archicamerario Electori, et amico nostro charissimo, electione Romanorum Regis, quæ ex rationabilibus causis jam Im-

minet, facienda præsentibus intimamus, vosque ex officii nostri debito ad electionem præfatam rite vocamus, quatenus a die tali, etc. infra tres menses continue computandos, per vos, seu nuntios, aut procuratores vestros, unum vel plures sufficiens mandatum habentes, ad locum debitum justa formam sacrarum legum super hoc editarum venire juretis, deliberaturi, tractaturi et concordaturi cum aliis Comprincipibus coelectoribus vestris et nostris, de electione futuri Regis Romanorum in imperatorem postmodum faveoto Domino promovendi: in eodem mansuri usque ad plenam consummationem electionis hujismodi, et alias facturi, et processuri, prout in sacris legibus super hoc deliberate editis invenitur expressum: alios non obstante vestra seu nostrorum absentia, in præmissis una cum aliis Comprincipibus et Electeribus vestris et nostris, prout legum ipsarum sanxerit auctoritas, finaliter procedamus.

Nos talis, Dei gratia, etc. Sacri Imperii, etc. notum facimus tenore præsentium universis, quod cum electio Romanorum Regis ex rationabilibus causis imminet facienda, nos de honore et statu Sacri Imperii sollicitudine debita intendere cupientes, ne tam gravibus et dispendiis periculose subjaceat, de fide, et circunspectionis industria delectorum nobis talis, etc. fidelium nostrorum obtinentes, utque præsumptionis iodub æ fiduciam singularem, ipsos et quemlibet ipsorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, se quod per unum eorum incœptum fuerit, per alium finiri voleot et licite terminari, omni jure, modo, forma, quibus melius et efficacius possumus seu valemus, modo veros, legitimos procuratores, ct nuncios speciales facimus, constituimus, et ordinamus, ad tractandum ubi libet una cum aliis Comprincipibus, ct coelectoribus nostris, tam ecclesiasticis quam secularibus, et cum ipsis concordandum, et conveniendum, et concludendum, de persona quacunque habili ac idonea in Regem Romanorum eligenda, ac ipsia tractatibus super electione talis personæ habendis, pro nobis loco et nomine nostris interessendum tractandum et deliberandum, nec non vice et nomine nostris eandem personam nominandum et in ipsam consenticodum, ac etiam in Regem Romonorum promovendum, ad Sacrum Imperium eligendum, oc in animam nostram præstandum quodcunquo juramentum necessarium, debitum seu consuetum fuerit circa præmissa, et quodlibet præmissorum alium vel alios procuratores, in solidum substituendum, et revocandum: et omnia ct singula faciendum quæ in præmissis, et circa præmissa etiam usque ad consummationem tractatuum nominationis, deliberationis, et electioois hujusmodi de præsenti faciendæ necessaria, aut utilia fuerint, seu ctiam quomodolibet opportuna, etiam si præmissa, vel eorum quodlibet mandatum exigant speciale, etiom si majora vel magis singularia fuerint supradictis, et quæ nosmetipsi facere possemus, si hujusmodi tractatuum, deliberationis, et Electionis futuræ negotiis præsentes, et personaliter adessemus, gratum et ratum habentes et habere volentes et oos perpetuo habituros firmiter promittentes, quicquid per onte dictos procurotores, seu nuntios nostros, nec non substitutos aut substituendos ab ipsis, seu eorum alte, ro, in præmissis seu eorum quodlibet actum, gestum, seu factum fuerit, aut quomodolibet ordinatum.

Cum universi et singuli principatus, quorum virtute seculares Principes Electores jus et vocem in Electione Regis Romanorum iu Cæsarem promoveodi obtinere noscuntur, cum jure hujusmodi, oec non officiis, dignitatibus et juribus aliis eis et cuilibet eorum annexis, et dependentibus ab eisdem adeo conjuncti, et inseparabiliter sint uoiti, quod jus, vox, officium et dignitas aliqua jura ad quem libet eorum principotuum eorumdem spectanctia, cadere non possint, in olıom, præter illum qui principatum ipsum cum terris, vassallagiis, feudis, et dominiis, ac ejus pertinentiis universis dignoscitur possidere, præsertim edicto Imperiali perpetuo valituro sancimus, unumquemque principatuum prædictorum, cum juie et voce electionis, ac officiia coteris, omnibus dignitatibus, juribus et pertinentiis ad ipsum spectantibus ita perseverare, et esse debere unitum perpetuis temporibus, indivisibiliter et conjunctive, quod possessor principatus cujuslibet, etiam juris, vocis, et officii, et dignitatis, et pertinentiarum omnium ad illum spectontium, quieta debeat et libera possessione gaudere, et Princeps electus ab omnibus reputari, ipseque et nemo alius præter ceteros Principes Electores ad Electionem et omnes actus alios pro Sacri Imperii bonore vel opportuoitate gerendos, omni tempore assumi sine contradictione qualibet, et admitti, nec aliquod præmissorum ab altero, cum sint et esse debeant inseparabilia, dividi, vel ullo tempore debeat separari, aut judicio vol extra divisim repeti valeat, vel evinci, vel etiam per sententiam separari, nec aliquis unum sine alio impotens audiatur. Quod si per errorem vel olias auditus quis fuerit, aut processum judicium sententia, vel aliquod hujusmodi contra dispositionem nostram emanaverit, seu quomodolibet attentare cootigerit, hoc totum et omnia ex his, et quodlibet corum sequentia, eo ipso viribus non subsistant.

Quoniam autem superius in priocipio coostitutionum nostrarum præsentium, circa ordinationem ecclesiasticorum Principum Electorum, in consilio et in mensa, et alias quoties Imperialem curiam celebrari, seu Principes Electores, deinceps cum Imperatore, vel Rege Romanorum congregari contigerit sufficienter duximus providendum, super quæ priscis audivimus temporibus pluries disceptatum, expedire credimus, etiam processioois, et deambulatiooia inter oos ordinem diffinire. Quoproptcr hoc Imperiali edicto decernimus, ut quoticscunque in congregatione Imperatoris, vel Regis Romanorum, ot Principum prædictorum, Imperatoro, vel Rege ipso deambulanto, insigna aoto faciam ejus portari contigerit, Archiepiscopus Troverensis in directa diametrali linea anto Imperatorem vel Regem transeat, illique soli medii inter eos ambulent, quos Imperialia vel Regalia contingent insignia deportare. Dum autem Imperator vel Rex obsque insigniis eisdem incesserit, extunc idem Archiepiscopus Imperatorem vel Regem præfato modo præcedat, ita quod nemo penitus inter eos medius habeatur, aliis duobus Archiepiscopis Electoribus loco sua justa distinctionem provinciarum suarum circa sessionem superius declaratam, etiam circa processionem perpetuo servaturis.

Ad declarandum autem in Imperatoris, vel Regis Romanorum deambulantis præseotis, processionis ordinem Principum Electorum (de quo supra fecimus mentionem) statuimus, ut quotiescunquo in celebratione Imperialis curiæ Principes Electores cum Imperatore, seu Rege Romanorum in quibuscumque actibus, vel solemnitatibus processionaliter ambulare contigerit, et Imperialia, vel regalia debueriot insignia deportari, dux Saxoniæ Imperialem vel Regalem

ensem deferens, Imperatorem seu Regem immediate præcedat, et inter illum et Archiepiscopum Trevirensem medius habeatur. Comes vero Palatinus pomum Imperiale portans, a latere dextro, et Marchio Bandeburgensis sceptrum deferens, a sinistro latere ipsius Ducis Saxoniæ linealiter gradiantur. Rex autem Bohemiæ Imperatorem, seu Regem ipsum immediate nullo interveniente sequatur.

Quoties insuper, in Imperatoris, vel Regis Romanorum præsentia, Missarum solemnia celebrari, ac Moguntinensem, Treverensem, Coloniensem Archiepiscopos, vel duos ex eis adesse contigerit in confessione, quæ ante missam dici consuevit, ac in porrectione Evangelii osculandi, et pace post Agnus Dei portanda, nec non in benedictionibus post finita Missarum solemnia, ac etiam ante mensam faciendis, et in gratiis post cibum acceptum agendis, id inter eos observetur, prout de ipsorum consilio duximus ordinandum, quod prima die hæc omnia et singula a primo, secunda die a secundo, tertia vero a tertio peragantur, primum autem seu secundum, vel tertium, hoc casu secundum quod prius vel posterius quilibet eorum consecratus exstitit debere intelligi declaramus, et ut se invicem honore condigno præveniant, et exemplum aliis invicem honorandi, is, quem circa præmissa ordo tetigerit ad hæc alterum convenientia, et charitativa inclinatione invitet, et tunc demum ad præmissa procedat, seu quodlibet præmissorum infra scriptæ leges promulgatæ sunt in curia Metensi per dominum Carolum IV. Romanorum Imperatorem, et Bohemiæ Regem Augustum, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimosexto, in die Natalis Christi, assistentibus sibi omnibus Sacri Romani Imperii Electoribus, præsentibus dominis venerabili in Christo patre domino I. Episcopo Albanensi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, ac Carolo Regis Franciæ primogenito, Normandiæ Duce Illustri, ac Delphino Viennensi. Si quis cum Principibus militibus, vel privatis, seu quibuscunque personis plebeiis etiam scelestam factionem, aut factionis ipsius inierit sacramentum, vel dederit de nece consilium venerabilium et illustrium Principum nostrorum et Sacri Romani Imperii, tam Ecclesiasticorum quam secularium Principum Electorum, seu alterius eorumdem: nam et ipsi pars corporis nostri sunt (eadem enim severitate voluntatem sceleris, qua effectum puniri jura voluerunt) ipse quidem (utpote majestatis læsæ criminis reus) gladio feriatur, bonis ejus omnibus fisco nostro addictis: filii vero ejus quibus vitam Imperiali specialiter lenitate concedimus, paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hæreditarii criminis metiuntur exempla, a materna vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate et successione habeantur alieni: ex testamentis aliorum nihil capiant, sint perpetuo egentes et pauperes: infamia eos paterna semper comitetur, ad nullum unquam honorem, ad nulla prorsus sacramenta perveniant: sint postremo tales, ut his perpetua egestate sordentibus, sit et mors solatium et vita supplicium. Denique jubemus eos esse notatos, sine venia, qui pro talibus unquam apud nos intervenire tentaverint. Ad filias sane eorum, quolibet numero fuerint, Falcidiam tantum ex bonis matris, sive testata, sive intestata defecerit, volumus pervenire, ut habeant mediocrem potius filiæ alimoniam, quam integrum emolumentum, aut nomen hæredis consequantur. Mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus. Emancipationes quoque quæ a prædictis, sive in filios post legem dumtaxat latam, sive in filias fuerint collatæ, non valeant, dotes, donationes quarumlibet: postremo item alienationes, quas ex eo tempore qualibet fraude, vel jure factas esse constiterit, quo primo memorati de ineunda factione ac societate cogitaverint, nullius statuimus esse momenti: uxores sane prædictorum recoperata dote, si in ea conditione fuerint, ut quæ a viris titulo donationis acceperint, seu accipiunt, filiis debeant reservare, tempore quo ususfructus absumitur, omnis ea fisco nostro se relicturas esse cognoscant, quæ juxta legem filiis debebantur. Falcidia etiam ex his rebus, filiabus tantum, non etiam filiis deputetur, id quod de prædictis eorumque filiis cavimus, etiam de satellitibus, consciis ac ministris, filiisque eorum simili severitate censemus. Sane si quis ex his, in exordio initæ factionis studio veræ laudis accensus, ipsam prodiderit factionem, vel cum incognita adhuc consiliorum arcana patefecerit, absolutione tamen ac venia dignus habebitur. Statuimus insuper, ut si quid contra prædictos Principes Electores ecclesiasticos vel seculares, commissum dicatur, etiam post mortem rei id crimen instaurari possit. In hoc item crimino, quod ad læsam in Principibus Electoribus suis majestatem pertinet, etiam in caput domini servi torqueantur. Volumus insuper, et præsenti Imperiali sancimus edicto, ut etiam post mortem nocentium hoc crimen inchoari possit, ut conjuncto mortuo memoria ejus damnetur, et bona successoribus ejus eripiantur. Nam ex quo sceleratissimum quis ceperit consilium, exinde quodammodo sua mente privatus est. Porro, ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare, neque manumittere eum posse, nec ei solvere jure debitorem decernimus: in hac causa in caput domini servos torqueri statuimus, id est propter causam factionis damnandæ, contra Principes Electores ecclesiasticos et seculares, ut præmittitur: et si decesserit quis, propter incertam personam successoris bona serventur, si in causa hujusmodi fuisse mortuus arguatur.

Si ceteros Principes congruit in sua integritate servari, ut corroborentur justitia, et subjecti, et fideles pace gaudeant et quiete, multo magis magnifici principatus, dominia, honores et jura Electorum Principum debent illæsa servari. Nam ubi majus incumbit periculum, majus debet adhiberi remedium, ne columnis ruentibus, basis totius ædificii collidatur. Decernimus igitur, et hoc perpetuis temporibus valituro Imperiali sancimus edicto, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus insignes et magnifici principatus, videlicet regnum Bohemiæ, Comitatus Palatini Rheni, Ducatus Saxoniæ, et Marchionatus Brandeburgensis terræ districtus, homagia, vasallagia, et alia quævis ad ipsa spectantia scindi, dividi, seu quavis conditione demembrari non debeant, sed ut potius in sua perfecta integritate perpetua maneant, primogenitus filius succedat in eis sibique soli jus ac dominium competat: nisi forte mente captus, fatuus, seu alterius famosi et notabilis defectus existeret, propter quem non deberet seu posset hominibus principari: in quo casu inhibita sibi successione, secundogenitum, si fuerit in ea progenie, seu alium seniorem fratrem, seu consanguineum laicum, qui paterno stipiti in descendenti recta linea proximior fuerit, volumus successurum. Qui cum apud alios fratres et sorores se clementem et pium exhibebit, continuo juxta datam sibi a Deo gratiam, et juxta suum beneplacitum, et ipsius patrimonii facultates divisione, scissione, seu demembratione principatus, et pertinentiarum ejus sibi omnibus modis interdicta.

Die vero qua solemnis Imperialis, vel regis fuerit celebranda, veniant circa boram primam Principes Electores, ecclesiastici et seculares ad domum habitationis Imperialis sive regalis, et ibi Imperator vel Rex ipse omnibus insigniis Imperialibus induetur, et ascensis equis omnes vadant cum Imperatore, vel Rege ad locum sessionis aptatæ, et ibi quilibet eorum in ordine et modo supra in lege de ordine processionis ipsorum Principum Electorum plenius diffinito. Portabit etiam Archicancellarius, in cujus Archicancellariatu hæc fuerint, super baculu argenteo, omnia sigilla et typaria Imperialia et regalia, seculares vero Principes Electores, sceptrum, pomum et ensem, secundum quod superius exprimitur, deportabunt. Portabuntur etiam immediate ante Archiepiscopum Treverensem suo loco transeuntem, primo Aquisgranensis, secundo Mediolanensis corona, et hoc ante Imperatorem dumtaxat, qui jam Imperialibus est infulis decoratus, quas gestabunt aliqui Principes inferiores, ad hoc per Imperatorem juxta placitum deputandi. Imperatrix etiam vel Regina Romanorum suis augustalibus amicta insigniis, post Regem vel Imperatorem Romanorum, et etiam post Regem Bohemiæ (qui Imperatorem immediate subsequitur) competentis spatii intervallo suis associata proceribus, suisque comitata virginibus, ad locum sessionis procedat.

Statuimus ut quandocunque Imperator, vel Rex Romanorum solemnes curias suas celebraverint, in quibus Principes Electores sua deservire seu exercere debent officia, subscriptus in his ordo servetur: primo enim Imperatore vel Rege ipso in sede regia seu solio Imperiali sedente, Dux Saxoniæ officium suum agat hoc modo: Ponetur enim ante ædificium sessionis Imperialis vel regiæ, acervus avenæ tantæ altitudinis, quod pertingat usque ad pectus, vel sellam equi super quo sedebit ipse Dux: et habebit in manu baculum argenteum, et mensuram argenteam, quæ simul faciant in pondere duodecim marcas argenti: et sedens super equo, primo mensuram eandem de avena plenam accipiet, et famulo primitus venienti ministrabit eandem: quo facto figendo baculum in avenam recedet, et Vicemarscalcus ejus, puta de Pappenheim, accedens, vel eo absente, Marscalcus curiæ ulterius avenam ipsam distribuat: ingresso vero Imperatore vel Rege ad mensam; Principes Electores ecclesiastici, videlicet Archiepiscopi, stantes ante mensam cum ceteris Prælatis, benedicent eandem secundum ordinem qui circa hæc eis in superioribus est præscriptus, et benedictione completa, iidem Archiepiscopi omnes (si adsint) aliquando duo vel unus sigilla et typaria Imperialia sive regalia a Cancellario curiæ recipient, eoque in cujus Archicancellariatu curiam ipsam celebrari contingat, in medio procedente, et aliis duobus ex alterutro latere sibi junctis sigilla et typaria, ipsa, omnes quidem baculum, in quo suspensa fuerint manibus contingentes ea portabunt, et ante Imperatorem vel Regem reverenter ponent in mensa. Imperator vero sive Rex, eadem ipsis statim restituat: et in cujus cancellariatu hæc fuerit (ut præfertur) is majus sigillum collo appensum, usque in finem mensæ gestabit, et deinceps donec ad hospitium suum perveniat, ab Imperiali sive regali curia equitando. Baculus vero (de quo præmittitur) esse debebit argenteus, duodecim marcas argenti habens in pondere, cujus tam argenti quam pretii partem tertiam unusquisque Archiepiscoporum ipsorum persolvet: et baculus ipse protinus una cum sigillis et typariis debet Cancellariis Imperialis curiæ assignari in usus suos placitos convertendo. Postquam autem is quem ordo tetigerit portando sigillum majus, ab Imperiali curia ad hospitium suum redierit (ut præfertur) statim sigillum ipsum per aliquem de suis familiaribus prædicto Imperialis curiæ Cancellario remittet super equo, quem juxta propriæ dignitatis decentiam, et amorem, quem ad Cancellarium curiæ gesserit, ipsi Cancellario tenebitur elargiri: deinde Marchio Brandeburgensis Archicamerarius accedat super equo, habens argenteas pelves cum aqua in manibus, ponderis duodecim marcarum argenti, et pulchrum manutergium: et descendens ab equo, dabit aquam Imperatori vel Regi Romanorum manibus abluendis. Comes Palatinus Rheni intrabit similiter super equo, habens in manibus quator scutellas argenteas cibis impletas, quarum quælibet tres marcas habeat in statera: et descendens ab equo, portabit, et imponet ante Imperatorem vel Regem in mensa. Post hoc Rex Bohemiæ Archipincerna veniat similiter super equo, portans in manibus cuppam, seu scyphum argenteum ponderum duodecim marcarum coopertum, aqua et vino permixtim impletum, et descendens de equo scyphum ipsum Imperatori vel Regi Romanorum porriget ad bibendum: sicut autem hactenus observatum fuisse comperimus, ita statuimus, ut peractis per Principes Electores seculares prædictis ipsorum officiis, ille de Falckenstein subcamerarius, equum et pelves Marchionis Brandeburgensis pro se recipiat; magister coquinæ de Nortemberg equum et scutellas Comitis Palatini, Vicepincerna de Lymburch, equum et scyphum Regis Bohemiæ, Vicemarschalcus de Pappenheim, equum, baculum et mensuram prædictam Ducis Saxoniæ. Si tamen ipsi in tali Imperiali curia se præsentes existant, et eorum quilibet in officio suo ministret: si vero ipsi vel eorum aliqui a præfata curia duxerint absentandos, extunc Imperialis vel regalis curiæ quotidiani ministri vice absentium, puta quilibet in loco ejus absentis, cui in vocabulo, seu in officio communicat, sicut gerit officium, sic tollat in præmissis et fructum. Imperialis insuper mensa vel regia sic debet aptari, ut ultra alias tabulas aulæ, sive mensas in altitudine sex pedum sit altius elevata, in qua præter Imperatorem dumtaxat vel Regem Romanorum die solemnis curiæ nemo penitus collocetur: sedes vero et mensa Imperatricis sive Reginæ a latere in aula, ita quod ipsa mensa tribus pedibus Imperiali sive regali mensa sit bassior, et totidem pedibus eminentior, supra sedes Principum Electorum, qui Principes suas inter se una eademque altitudine sedes habebunt, et mensas infra sessionem Imperialem, mensæ pro septem Principibus Electoribus Ecclesiasticis et secularibus præparentur, tres videlicet a dextris, et tres aliæ a sinistris, et septima directe versus faciem Imperatoris vel Regis, sicut superius in capitulo de Sessionibus, et ordine Principum electorum per nos est clarius definitum: ita etiam quod nullus alius cujuscunque dignitatis vel status existat, sedeat inter ipsos, vel ad mensas eorum. Non liceat autem alicui prædictorum secularium Principum Electorum, peracto officii sui debito, se locare ad mensam sibi paratam, donec alicui suorum Comprincipum Electorum ejus officium restat agendum: sed cum aliquis eorum, vel aliqui ministerium suum expleverint; ad præparatas sibi mensas transeant, et juxta illas stando expectent, donec ceteri ministeria sua expleverint supradicta, et tunc demum omnes et singuli pariter ad mensas suas sibi positas se locabunt: invenimus etiam ex clarissimis relationibus et traditionibus antiquorum illud a tempore, cujus contrarii jam non habetur memoria,

per eos qui nos præcesserunt, feliciter esse jugiter observatum, ut regis Romani, Imperatoris futuri, in civitate Franckfordiæ celebretur electio, et prima coronatio Aquisgrani, et in oppido Nurembergensi prima seu regalis curia haberetur. Quapropter certis ex causis etiam, præmissa servari debere temporibus declaravimus, nisi præmissis omnibus, seu eorum alicui impedimentum legitimum obviaret. Quantumcunque insuper aliquis Princeps Elector ecclesiasticus, vel etiam secularis justo impedimento detentus, ad Imperialem curiam vocatus, venire non valens, nuntium vel procuratorem cujuscunque status vel dignitatis transmiserit, missus ipse licet loco mittentis, juxta datum sibi ab eo mandatum admitti debeat, in mensa tamen vel sede, quæ illi, qui ipsum transmittit, deputata fuerit, non sedebit. Præterea, consummatis his quæ in Imperiali qualibet curia vel regali fuerint pro tempore disponenda, recipiet magister curiæ pro se totum ædificium sive ligneum apparatum Imperialis sive Regiæ sessionis, ubi sederit Imperator sive Rex Romanorum, cum Principibus Electoribus ad celebrandas solemnes curias, vel feuda (ut premittitur) Principibus conferenda.

Decernimus hoc Imperiali edicto, ut Principes Electores ecclesiastici, vel etiam seculares, dum feuda seu regalia ab Imperatore vel Rege recipiunt ad dandum vel solvendum aliquid, nulli penitus sint astricti: nam pecunia quæ tali prætextu persolvitur, officialis debetur. Cum ergo ipsi Principes Electores cunctis Imperialis curiæ præsint officiis, auosetiam habentes in officiis hujusmodi substitutos, datos ad hoc a Romanorum Principibus, et dotatos: videtur absurdum quod substituti officiales suis superioribus, quocunque quæsito colore encenia postularent, nisi forte ipsi Principes Electores sponte et liberaliter bis aliquid largirentur. Porro ceteri Principes Imperii, ecclesiastici vel seculares, dum prædicto modo eorum aliquis feuda seu ab Imperatore Romanorum vel a Rege suscipit, dabit officialibus Imperialis sive regalis curiæ sexaginta sex marcas cum uno fertone argenti, nisi eorum aliquis privilegio seu indulto Imperiali, seu regali se tueri possit, et probare se solutum, vel exemptum a talibus, aut etiam aliis quibuscunque quæ solvi in susceptione feudorum hujusmodi consuevissent, prædictarum, insuper septuaginta trium marcarum, et fertonis, divisionem faciet magister curiæ Imperialis seu regalis hoc modo.

Primo enim decem marcas pro semetipso reservans, dabit Cancellario Imperialis sive regalis curiæ decem marcas, magistris, notariis, et dictatoribus tres marcas, et sigillatori pro cera et pergameno unum fertonem ita videlicet quod Cancellarius et notarii Principis recipientis feudum, non ad aliud, quam ad dandum sibi testimonialem recepti feudi, seu simplicis investituræ literam sint astricti. Item dabit magister curiæ pincernæ de Lymburch de præfata pecunia decem marcas, magistro coquinæ de Nortenberg decem marcas, sive Marscalco de Pappenheim decem marcas, et camerario de Falckenstein decem marcas: tali tamen cum conditione, si ipsi et eorum quilibet in hujusmodi curiis solemnibus præsentialiter adsint in suis officiis ministrando. Si vero ipsi vel eorum aliqui absentes fuerint, ex tunc officiales Imperialis sive regalis curiæ, qui talibus præsunt officiis eorum, quorum supplent absentiam, singuli singulorum sicut vicem nomenque et laborem sufferunt, sic lucra et commoda reportabunt. Dum autem Princeps aliquis, equo vel alteri bestiæ insidens, feuda sua ab Imperatore recipit vel Rege, equus ille seu bestia cujuscunque speciei sit, debetur superiori Marschalco, id est Duci Saxoniæ, si præsens adfuerit, alioquin illi de Pappenheim ejus Vicemarschalco, aut illo absente, Imperialis sive regalis curiæ Marschalco. Cum Sacri Romani celsitudo Imperii diversarum nationum moribus vita et idiomate distinctarum linguis habeat gubernacula moderari, dignum est, et cunctorum sapientum judicio censetur expediens, quod Electores Principes illius Imperii columnæ et latera, diversorum et idiomatum et linguarum differentiis instruantur, ut plures intelligant et a pluribus intelligantur, qui plurimorum necessitatibus relevandis Cæsareæ majestati assistant, in partem sollicitudinis constituti. Qua propter statuimus, ut illustrium Principum, puta regis Bohemiæ, Comitis Palatini Rheni, Ducis Saxoniæ, et Marchionis Brandeburgensis Electorum filii, vel hæredes et successores, cum verisimiliter Theutonicum idioma sibi naturaliter inditum sciri præsumatur, et ab infantia didicisse, incipiendo a septimo suæ ætatis anno, in Grammatica, Italica, et Slavica linguis instruantur, ita quod infra quartumdecimum ætatis annum existant in talibus juxta datam sibi a Deo gratiam eruditi, cum illud non solum utile, immo ex causis præmissis summe necessarium habeatur, eo quod illæ linguæ ut plurimum ad usum et necessitatem Sacri Imperii frequentari sint solitæ, ut bis plura ardua ipsius Imperii negotia ventilentur. Hunc autem proficiendi modum in præmissis ponimus observandum, ut relinquantur optioni parentum in filios, si quos habuerint, seu proximos quos in principatibus sibi credunt verisimiliter successuros, ad loca dirigant, in quibus de hujusmodi possint linguagiis edoceri, vel in propriis domibus pedagogos, instructores, et pueros consocios in his peritos eis adjungant, quorum conversatione, pariter et doctrina in linguis ipsis valeant erudiri.

FINIS

CONSTANTINI IMPERATORIS

IN PORPHIRA NATI

NOVELLA

De alienatione fundorum ac prælatione cognatorum, et consortium, et permistorum, et sub eodem titulo collationis adiacentium, et conjuncte unitorum, deque prædiis et agris, qui sub eodem titulo pendere vectigal intelliguntur, et de arcendis personis potentibus, et alienatione fundorum militarium.

Vetus lex est, neminem prohiberi nec a cognatis, nec a consortibus, quo minus rem suam cui velit vendat, tam divise, quam indivise, quamvis alia lex a diverso interdicat, ne liceat alii vendere, quam metrocomiæ cuique suæ solis habitatoribus. Nos autem multum pro subditis nostris solliciti, perspicuam compendiariamque legem sancimus, in quavis civitate, loco, atque provincia, ut si qui deinceps velut ex cognatione divisa vel indivisa, vel tanquam ex emptione communi, vel alio tali dominio aut acquisitione, vel partim ex cognatione, partim extranea comparatione, domum aut agrum aut vineam aut aliam quamcumque rem soli habentes; vel aliter, quam jure consortii, vicinis fundis aliqua ex parte permixti, vel adiacentes, qui sub eodem titulo vectigal pensitant, alienare sua distrahendo, vel per emphyteusim, vel locationem voluerint; ne prius hæc in alium quemquam transferant, quam ad eos testationem fecerint, quos ad prælationem ordine vocamus: ut primi scilicet vocentur promiscue conjuncti cognati, deinde consortes inter se connexi, post quos ii, qui tantum permixti sunt, licet ei, qui rem alienam, omnino sint extranei; deinceps adiacentes, iisdem pensitationibus obnoxii, secundum quos ii, qui simpliciter ex aliqua parte juncti sunt. Iisdem vero pensitationibus obnoxios dicimus, quotquot sub eodem censitore descripti sunt, licet diversis in locis tributa sua solvant. Quum autem plures undique iis adiacent, quæ distrahuntur; aut fundi qui alienandus est, fines attingunt: ad omnes eodem ordine de prælatione denuntiatio fiat, ut ab eis intra diem trigesimum justo pretio, id est, quod alius absque dolo malo præstaret, sine mora soluto, pro rata vel per se ipsos, vel alicujus opera rem partiantur. Quotquot vero non intra diem præstitutum pro rata parte pretium præstiterint, nullum prælationis jus amplius habebunt, extraquam si quis eorum captus sit, aut deportatus, aut relegatus, aut ob publica vel sua negotia citra dolum malum absit, aut nondum XXV. ætatis annum impleverit. Nam qui honorum facultates administrandas susceperunt, intra quadrimestre spatium cum adjacentibus novis emptoribus pro rata portione admittuntur, exsoluto eis convenienti pretio cum usuris legitimis, et necessariis, impensis. Emptores autem extraneos in universum submoveant, pretium cum usuris, et impensas (ceu par est) eis restituentes. Quod si personarum indicatarum curatores vereantur, ne forte quod ab se gestum fuerit, illi ratum non habeant: cum legitima cognitione, quæ interveniente scriptura fiat, aut omittant aut acceptent contractum, qua in re si negligentes sese gesserint, de suo præstent eis omne lucrum et omne commodum, quod percepturi fuerant, mature contractum hi celebrare perrexissent. Atque hæc in cognatis, et adiacentibus, qui vectigal una pensitant. Quin et in universitate vicorum, qui dicuntur, et agrorum multo magis obtineat, ut et illorum habitatores jus inter se prælationis habeant. At si repudiarint omnes, quibus est concessa prærogativa, vel probetur eos pecuniarii damni, vel insidiarum corpori structarum, et infamiæ atrocis exstitisse auctores illi, qui rem alienat, ejusque familiæ; ac data quidem opera, per se, vel per homines ad se pertinentes: tales eo invito, qui ejusmodi perpessus est, nullo modo ad ipsius prædium pervenire volumus. Occasione tamen dotis, aut donationis propter nuptias, aut ex testamento, aut permutatione, aut simplicis mortisve causa donationis nomine tam propinquis quam extraneis omnes alienent: modo ne quis per simulationem re clam iis vendita vel locata, qui nullum prælationis jus habent, palam se donare, vel legare, vel quid aliud eorum, quæ commemorata sunt, præ se ferat. Nam propterea qui jus prælationis habent, tam ab eo qui dedit, quam qui accipit, jusjurandum exigere possunt. Si vero ii, qui alienant, in fraudem legis nostræ aliud quid agere fuerint ausi, et aliud aperte præ se tulerint; si quidem post jusjurandum convicti fuerint, tam ipsi quam qui adeo fraudulenter cum eis contraxerunt, et perjurii pœnas sustinebunt, et alter fundo, alter pretio clam numerato excidet; utrisque fisco inferendis, ut a fisco res iis, qui proximi sunt, venundentur. Sin ante præstitum jusjurandum tale quid egisse deprehensi fuerint, et quod actum fuerit irritum erit, et fundum qui semel nequiter alienare conatus est, vel invitus iis vendere cogetur, quibus jus prærogativæ concessimus. Potentibus autem de cetero interdicimus, ne per modum adoptionis, aut simplicis, aut mortis caussa donationis, aut ex testamento, aut nomine solius ususfructus, aut alicujus patrocinii vel auxilii, quicquam ab humilioribus accipiant, nisi forte cognati eorum fuerint. Nec item novas emptiones, aut locationes, aut permutationes in vicis vel agris, in quibus proprios fundos nullos habent, instituant. Potentes autem intelligantur, qui tametsi non per se ipsos, tamen per aliorum po-

tentiam, quibus cum fiducia familiares sunt, satis virium ad terrendos alienantes habent, vel ad efficiendum, ut de beneficio sibi promisso certi sint. Si qua vero ex personis potentibus aliquid ejusmodi perpetrare conata fuerit, et fundo spoliabitur, et ejusdem pretium ab ea fiscus exiget.

EJUSDEM NOVELLÆ

Argumentum et Epitome de libro Michaelis Proconsulis Atalensis.

Si de prælatione lis instituta fuerit, puta venditione a persona pari erga parem facta, sancivit (hic Imperator) ut primum vocentur promiscue conjuncti cognati, deinde connexi consortes, et post eos ii, qui duntaxat permisti sunt, licet alioqui sint extranei. Secundum hos qui adiacent, sub eodem titulo vectigal pendentes. Postea simpliciter ex aliqua parte conjuncti. Et vectigal sub eodem titulo pendentes vocavit, eos, qui sub eodem censitore descripti sunt. Occasione tamen dotis, aut donationis propter nuptias, aut simplicis, aut mortis caussa donationis, aut ex testamento, aut permutationibus, aut transactione, alienandi licentiam concessit, nec adversus hos agi nomine prælationis voluit. Quod si quis intercedere simulationem suspicatur, quasi palam quidem fiat donatio, clam vero venditio, vel locatio: licet, inquit, ei qui est in consortio, contrahentibus juramentum deferre.

SCHOLION LEUNCLA VII.

Exemplaria quædam Constantino, quæ iam Romano seniori novellam hanc adtribuunt. Sed sciendum est et hanc et alias quasdam constitutiones factas esse, quum Constantinus quidem esset imperator; socer autem ipsius Romanus dignitatem eam obtineret, ut imperatoris appellaretur. Idcirco Cedrenus etiam legem hanc a Constantino scriptam ait.

IMPERATORIS CONSTANTINI PORPHYROGENNETÆ

NOVELLA

De militaribus fundis, quam dictavit Theodorus patricius et quæstor Decapoleos.

Quale quiddam in corpore caput, tale quid est exercitus in republica. Quæ duo si recte vel secius adfecta sint, necesse est cum eis mutari omnia. Atque his qui magna cura non prospicit, de salute sua periclitatur si modo suum existimare debet quod publicum est. Et quoniam paullatim res militum laborantes, unde scilicet ipsis et existendi et victitandi suppetebat opportunitas, in deteriorem ac difficiliorem conditionem deflexerunt: constituta divinitus majestas nostra ad statum hæc recte comparatum et meliorem, publico ipsam rempublicam commodo adficiens, traduxit. Sancimus igitur id, quod ipsa consuetudo jamdudum citra scripturam confirmavit, ne militibus ea prædia de quibus militiæ functiones exhibentur, distrahere liceat; sed ad quamlibet militiam, equitum quidem possessio in rebus soli constituta, ejusmodi conservetur, ut quatuor libras æquet. Quibus adnumerari jubemus et classiarios ad classem ordinatos, tam Ægæi maris, quam Sami, et Cibyrræotarum. Nam quum hi et personaliter adesse classi, et remiges ipsimet esse cogantur, functiones sane quam graves obeunt. At in iis qui stipendiis acceptis operas imperatoriis classibus exhibent, et in classiariis ceteris, ex consuetudine jampridem obtinuit, ut in singulas functiones militares servetur in rebus soli constituta duarum librarum possessio, quod nobis etiam satis esse videtur. Quantum sane in rebus soli si possideant qui alterutram harum militiam obeunt, idque sibi servent citra ullam alienationem, ed ad hæredes naturales transmittant, quocunque modo legitimo voluerint, cum onere tamen suo; sive liberi ac descendentes sint ad quos transmittunt, sive parentes et ascendentes, sive ex transverso; sive ab intestato quibusdam portiones æquales competant, sive fortassis ab inæqualibus portionibus ex testamento vocentur, sui, vel naturales, vel extranei pagani hæredes: (nam in dignitate constitutos omni modo ab hujusmodi successionibus excludimus) ut pro rata lucri, ex hæreditate provenientis, etiam functionis onus sequantur. De bonis autem mobilibus nihil curiose statuimus, sed erunt hæc in potestate possidentis: nisi forte accidat ut rerum soli magna facta sit imminutio. Tunc enim arbitrio viri boni quod in rebus soli constitutæ possessioni deest, de mobilibus supplendum erit. Sin autem multis soli rebus abundet miles, ita ut longe justam quantitatem excedant: siquidem omnia descripta sunt in codicibus militaribus, neque poterit hæc, neque de his quicquam distrahere miles, quamtumvis multo majoris æstimentur quæ supersunt. Vel potius nemo quicquam horum emere poterit, præsertim spectabilis aut in dignitate constitutus, aut metropolitanus, aut, episcopus, vel monasterium, vel alia quæcumque religiosa domus, vel potens, ad scholarem usque: scituri se nullam de pretiis actionem habituros. Quin nec impensarum habebitur ratio, quamvis in excolendas res emptas multa expenderint. Materias tamen suas ita recipient, ut statum priorem non lædant. Quod si omnia descripta non sunt, sed forte possessionem miles seorsum suis inclusam terminis habet, nec ulli militiæ servituti obnoxiam: facultatem habeat ejus alienandæ quocumque modo volet: tantum ut descripta in rebus soli possessio ejus ad exhibendam functionem militarem sufficiat. Quippe si quid desit, cogetur is qui a milite prædium ex aliqua causa nactus est, quod deficit per illas ipsas res soli, supplere. Sin rex soli, quas miles possidet, prorsus descriptæ non sunt: quæ magis fertiles sunt, ad quatuor usque libras tacite sin obligatæ. Quo quidem illæ privilegio ex providentia nostra munitæ sunto. Eorum autem, quæ reliqua sunt, permissa sit eis alienatio. Ac si quidem usuvenerit, ut unus fertiliora prius emat, alius minus utilia posterius; et ex privilegio jam exposito, fertiliora fuerint evicta: jure prioritatis adversus posteriorem anterior habeat. Quod si possessiones in rebus soli plures et pretiosas admodum habentes, eam quæ descripta fuit alienaverint, posteaque ut descriptam evincere voluerint: evictionis subsidium eis damus, et ut aliis ex possessionibus emptori satisfiat, quum scilicet ultra quatuor quidem libras equites, classiari vero ultra duas in bonis habent. Quod si partem functionis militaris aliquis exhibet, pro rata partis ejus etiam de eo, quod in bonis habere debet, statuendum erit. Non aliter autem dominium prædiorum militarium iis acquiratur, qui ea quocumque titulo possident; nisi annorum quadraginta tempus adtestatione nulla interveniente affluxerit. Propemodum enim malæ fidei possessoribus hos olim quoque consuetudo numerabat: nisi quod ex contractu possidentes nullum fructuum damnum sentiebant: malæ vero fidei

possessores, et fructus et reditus, et omne detrimentum solvebant: id quod nobis quoque placet. Milites vero existimandos, statuimus, non eos modo qui sacris militum legionibus sunt devoti: sed et hos, qui ex injuria quadam fortunæ inopes facti, per edictum immunitatem consequuti sunt: quos iisdem cum illis frui privilegiis æquum censemus, non concedentes, ut vel ab ipsismet ea distrahantur, de quibus functiones militares exhibentur: multo minus a fisco. Nam si vere proprieque dominis interminamur ad id quod expedit publice: quinam fisco distrahere permittemus, et non scriptam illam veterem iniquitatem, legis obtinere vicem concedemus? quam quidem ubique terrarum et maris expulsam oportuit, utque maxime belluina sit et immanissima. Nam equidem arbitror illos, qui hanc introduxerunt, eandem cum ursis naturam reipublicæ tribuisse, quippe vulgo perhibetur, solas ex feris ursas fame pressa digitos suos sugendo circum lambere: licet qui recte rem æstimaverit, forte an potius manus totius reipublicæ quam digitos esse milites arbitretur. Atque hæc sequuturis temporibus plene simul et utiliter, de nostra quidem sententia, statuimus. Quod adtinet præterita, jam olim quidem obtinet rudis et simplex consuetudo, ut citra pretii restitutionem prædiis militaribus emptores ejiciantur. At particularis singulorum administratio, quæ alias aliter immutabatur, prout eam inflectebant illi, qui judiciis præerant, magnam quandam rebus perniciem, ac nullam non obscuritatem adtulit. Idcirco nos tam in anteriora, quam posteriora, cogitationes de iis, quæ expediunt, convertentes; et confusas illas atque varias actiones ablegantes; et administrationem in rebus omnibus ordine quodam ac ratione munientes: sancimus, ut siquidem hæredes extent descriptis militibus, descendentes puta, vel adscendentes, vel ex transverso, ad sextum usque gradum, ii prorsus admittantur, juxta graduum propinquitatem aliis alii prælati, ad evitionem eorum, quæ male a militibus alienata sunt, aut a potente per vim detonta et possessa. Quod si gradus proprioris cognati nolint aut non possint: etiam cognati remotiores admittentur. Nullis autem cognatis extantibus, aut adfinibus, qui ex lege vocantur: accedentes ejusdem militiæ, collationisque participes, audiantur: qui si nulli sint, milites inopes, easdem sustinentes onera; ut ex his sarcientes id, quod eorum inopiæ deest, eo usque proficiant ut satis habeant. Quod sine illi quidem extent, municipales quoque collatores audiri necesse est, ut ne vectigal census intercidat. Si vero miles possessionem militis alterius emit, si quidem locuples ab inope; eamdem cum potentibus pœnam sustinebit, citra restitutionem pretii res amittens. Sin inops a locuplete, omnino rem emptam habebit, aut pretium recipiet. Quod si ambo reperiantur inopes, parti damno affecte subveniri jubemus, bonæ fidei rationem in hoc habentes, quæ neminem cum alterius detrimento lucrum facere sinit. His de possessionibus militaribus partim ita repertis, partim a nobis excogitatis; ad ipsas quoque personas militares transeundum existimavimus, et quæ his contigerunt altius paulo repetenda. Erat aliquando id tempus, quum plena rerum eversio vigeret, ac infrenis impetus exitii: quum quivis eorum qui gloria præstabant, passim fundos citra modum abscindens, loco mancipiorum miseros possessores haberet; iniqui se nihil existimans facere, sed perpeti potius, dum alius ipsum avaritia superaret: ita malorum plenum quoddam certamen erat. Neque vero in potentibus insistebat hoc malum, sed ob ipsis exorsum, in minus valentes desinebat: nam superiorum adfectiones in vulgus plerumque propagantur. Adeoque qui in exercitu militibus præsunt, quasi lex aliqua talem esse ducem jubeat omnes sursum deorsumque milites agunt, acceptisque muneribus et donis immunitatem illis a militis rependunt: homines venales negligentes, minime bellicosi, formicis ignobiliores et lupis rapaciores! Quapropter quum ab hostibus exigere tributa non possent, a subditis pecunias exigebant. Itaque non longo eis ad evertendam rem publicam spatio temporis opus fuit, sed præcipitatione sua Romanum imperium ad extremum periculum impulerunt. In horum ergo repressione quantum studii posuerimus, multi boni moderatique viri prædicaturi sunt. Vel multitudo potius eorum, qui ad patrium solum reversi sunt recens servitute liberati, clamabit. Celebrabunt etiam, opinor, aliæ res in melius redactæ, quarum curis adsiduo crucimur, ipso cum somno bellum gerentes: ne futilis et evanida sit a nobis excogitata rerum quæ vitiose feruntur, correctio; quam in edicto præsenti, quantum ejus fieri potuit, accurate instituimus, et ævo sequuturo ad durationem æternam tradentes, sancimus, ut si quis militem coloni loco detinere deprehensus fuerit, si quidem is ipse fundos etiam de quibus functiones militares exhibentur, raptos habeat: triginta sex solidos aureos mulctæ loco solvat, quorum dimidiam quidem partem miles accipiet ad recuperationem restitutionis in integrum suæ; dimidiam vero fiscus ejus servitutis nomine, qua spoliatus est. Quod si eum prædia militaria non rapuisse, sed emisse compertum fuerit: fisco quidem viginti tres solidos solvet, adversus militem vero actionem de pretio nullam habebit. Si vero suis bonis ab aliis expulsos, vel per semetipsos cessione usos, alii miseriti receperunt, vel uti colonorum obeant munera, vel uti pro mercede serviant, extra culpam sunto. Si qui autem milites idoneos ad exhibenda ministeria sua, fossatis surreptos habere fuerint ausi, pro quolibet eorum ab excussore sive discussore publico solidi sex singulis vicibus exigentur, quos fiscus sibi vindicabit: nisi forte ab ipsis ducibus, aliisve magistratibus eos acceperint, ipsique milites ex eorum sint numero, qui ministerio ducis aut magistratuum destinantur. Nam si extranei sint, et gregarii; non liberabitur qui eos detinet, tametsi probare non difficulter possit, a duce vel magistratu potestatem sibi factam, ut eis utatur.

Ex hac novella Constitutione Constantini Porphyrogenetæ περὶ στρατιωτικῶν *de prædiis militaribus seu feudis*, Græcos æque ac Romanos, Germanos, et alios, hominibus, sive comitibus et συστρατιώταις sive vasallis usos, eandemque fere horum hominum apud illos conditionem fuisse, discere licet. Ut namque Lotharii et Friderici Constitutionibus feuda nullo modo possunt a militibus alienari, ita nec prædia militaria, quæ nunc dicuntur feuda, relata in Codices militares ex hac Constantini Constitutione: quæ autem Codicibus militaribus absunt, possunt ab iisdem alienari usque ad certum modum, puta secundum ejusdem Constantini distinctionem, si equites sint, usque ad quantitatem quatuor librarum auri: si classiarii, qui ab eodem Constantino πλώϊμοι et πλωτῆρες et οἱ τὰ βασιλικὰ πλώϊμα ἐπ' ῥόγαις ὑπηρετούμενοι, usque ad quantitatem duarum librarum tantum, ne scilicet omnino redacti ad inopiam et militiæ reddantur inutiles: quæ est etiam ratio Constitutionum Lotharii et Friderici. Ut militis possessio aliqua, militiæ functione libera et quasi fidei vinculo soluta, alode sive alodium ab iisdem dicitur, sic a Constantino κτῆμα ἰδιοπεριόριστον καὶ τῇ στρατείᾳ ἀκαταδούλωτον, quæ scilicet possidetur proprio jure non feudi, nec beneficii jure. Justinianus *Nov.* 21. *cap.* 2. hujusmodi possessionem vocat γενεαρχικὸν χώριον et γενεαρχικὸν, et Edict. 3. dicit γενεαρχικὸν πρᾶγμα, et τὸ καλούμενον γενεαρχικὸν χώριον: Vetus Novellarum interpres vertit, *progenitoriale prædium*. Haloander, *genearchicum*: qui, quod notare non incongruum, corrupte in dicta Nov. legit, ἐπὶ τοῖς ἤδη δὲ ἀναισθησίαν γενεαρχικοῖν χωρίοις· et vertit, *in his prædiis, quæ insuler genearchica, hoc est a principe olim*

generis familiæ suæ adscripta laudant, pro ἐπὶ τοῖς ἤδη διανεμηθεῖσι γενεαρχικοῖς χωρίοις, *super jam divisis progenitoralibus prædiis*, ut recte legit et vertit vetus interpres: cujus lectionem sequutus est Scrimgerus. Ut Vasalli ex eorumdem Imperatoribus constitutionibus, cum delectus edicitur, nisi in militiam eant, vel vicarium mittant, certum censum, id est, bannum et heribannum sive haribannum, domini vel senioris ærario inferre tenentur: sic possessores horum militarium prædiorum ex eadem novella Constantini, obnoxii sunt oneribus militum, vel si refugiant militiam, censui certo: ut intelligere licet ex ratione quam idem Imp. reddit cum ait, neque possessorem neque fiscum hujusmodi militare prædium vendere posse: vel si vendiderit, eidem possessori repetitionem competere, indemnitate præstita emptori: eo cessante, agnatos ejus possessionem revocare posse, neque adversus eos emptori esse repetitionem vel reputationem pretii aut meliorationum, auferre tantum posse ea quæ imposuit prædio si recipiant separationem: deficientibus agnatis succedere συνδότας καὶ συναχθέντας, id est, consortes, quibus simul militum nomine prædia adsignata sunt: consortibus succedere milites indigentiores: et his rursus paganos πρὸς τὸ μὴ διαπίπτειν τὸν ἐκ τοῦ κήνσου φόρον, id est, *ne census fisco depereat*. Denique ut Fridericus Lothari de eadem re constitutionem emendans nullam præscriptionem temporis opitulari posse quominus venditio rescindatur, constituit hac ratione, *quia quod ab initio jure non valuit, tractu temporis convalescere non solet*: ita nec Constantinus, nisi XL. annorum? hac etiam ratione reddita, σχεδὸν γὰρ τοῖς κακῇ πίστει νεμομένοις ἠρίθμει τούτους καὶ πάλαι ἡ συνήθεια, *propemodum enim malæ fidei possessoribus hos olim consuetudo quoque numerabat*. Namque ut ajunt Impp. in l. Quemadmodum. 7. C. de agric. et censit. *malæ fidei possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur*. Hæc autem Constitutio licet non semel edita sit a doctiss. Viris, Cujacio sempe lib. V. Feudorum, et Leunclavio in fine Synops. Basilicon, et Tomo 2 Juris Græco Romani, multis tamen et fœdissimis huc usque scatuit mendis, ut quivis videre poterit ex fœdioribus quas jam, reliquis prolixitatis vitandæ causa omissis, proponam. Ac primus hujus titulus ante mendose semper editus fuit περὶ στρατιωτῶν a Cujacio et Leunclavio, vel περὶ στρατιωτικῶν τόπων, ab eodem Leunclavio. Integrum restitui ex MSS. Codd. hoc modo, περὶ τῶν στρατιωτικῶν, ἣν ἠγόρευσε Θεόδωρος πατρίκιος, καὶ κοιαίστωρ ὁ δεκαπολίτης. Sic in eadem constitutione *prædia militaria, fundi militares*, non semel τὰ στρατιωτικὰ dicuntur. Non procul etiam ab initio corrupte legitur, ὅπερ ἡ συνήθεια ἀγράφως πάλαι ἐκύρωσε in MSS. ἀγράφως προεκύρωσε· unde restitui προεκύρωσε. Non multo post alia quasi lacuna quædam est in his verbis: κἂν μείζονος εἶεν ἠξιωμένα τιμῆς . . . . μᾶλλον etc. Corruptius in edit. Cujacii, κἂν μείζονα εἶεν ἠξιωμένα τιμῆς . . μᾶλλον. Supplevi et restitui ex MSS. κἂν μείζονος εἶεν ἠξιωμένα τιμῆς τὰ περιλιμπανόμενα μᾶλλον. Paulo post vitiose etiam legitur, ἀνάγκην ἕξει ὁ ἐκ τῶν στρατιωτῶν λαβὼν τὸ κτῆμα, τὸ ἐλλιπὲς ἔκ τινος αἰτίας δι' ἀκινήτου ἀναπληρῶσαι. vertit Leunclavius: *cogetur is qui a milite prædium nactus est, quod deficit, ex aliqua causa per illam ipsam rem supplere*. Restitui ex MS. ἀνάγκην ἕξει ὁ παρὰ τοῦ στρατιώτου λαβὼν ἔκ τινος αἰτίας τὸ κτῆμα, τὸ ἐλλιπὲς δι' ἀκινήτων ἀναπληρῶσαι et verti, *cogetur is qui a milite prædium ex aliqua causa nactus est, quod deficit, per illas ipsas res soli supplere*. Paulo post maxima diversitas lectionis est, quam adnotasse sufficiat, ut peritiores veriorem eligant: pro his nominibus καὶ τούτῳ προνομίῳ ἐξ ἡμετέρας προνοίας συγκροτεῖσθωσαν· in uno ex MSS. legitur, καὶ τοῦτο προνόμιον ἐξ ἡμετέρας προνοίας αὐτοῖς ἐφ' ὅτε δεδομένον. Item post corrupte Cujacius edidit, εἰ δὲ πολλὰς ἔχων τὰς ἀκινήτους κτήσεις καὶ πολυτίμους τὴν ἀπογεγραμμένην ἐκποιήσειεν, ἐκνικῆσαι δὲ ταύτην βουληθῇ ὕστερον ὡς ἀπογεγραμμένην δίδοσθαι μὲν αὐτοῖς τὴν βοήθειαν τῆς ἐκνικήσεως ἐκ τῆς ἄλλης δὲ . . . τῷ ἀγοραστῇ τὸ ἱκανὸν περιποιεῖσθαι: Leunclavius etiam, εἰ δὲ πολλὰς ἔχοντες τὰς ἀκ. κτ. καὶ πολ. τὴν ἀπογ. ἐκ ποιήσαιεν ἐκνικεῖσθαι δὲ ταύτην βουληθεῖεν ὕστερον τὴν ἀπογ. δίδομεν αὐτοῖς τὴν βο. τῆς ἐκν. ἐκ τῆς ἄλλης δὲ . . . . τῷ ἀγ. . . . τὸ ἱκ. . . . περιπ. Restitui ex MSS. εἰ δὲ πολλὰς ἔχοντες ἀκινήτους κτήσεις καὶ πολυτίμους τὴν ἀπογραφεῖσαν ἐκποιήσωσιν, ἐκνικῆσαι δὲ βουληθεῖεν ταύτην ὕστερον ἅτε ἀπογεγραμμένην, δίδοσθαι μὲν αὐτοῖς τὴν βοήθειαν τῆς ἐκνικήσεως, ἐκ τῆς ἄλλης δὲ τούτων οὐσίας τῷ ἀγοραστῇ τὸ ἱκανὸν περιποιεῖσθαι. Item post, στρατιώτην δὲ νομίζεσθαι διατυποῦμεν, οὐ τὸν κατεστρωμένον μόνον τοῖς ἱεροῖς λεγεῶσι τῶν στρατιωτῶν, ἀλλὰ γὰρ καὶ τούτους. Correxi ex MSS. στρατιώτας δὲ νομίζεσθαι διατυποῦμεν οὐ τοὺς κατεστρωμένους μόνον ταῖς ἱεραῖς λεγεῶσι τῶν στρατιωτῶν, ἀλλὰ γὰρ δὴ καὶ τούτους· Paulo post recte in edit. Cujacii ut et in MSS. codd. scriptum, ἀθωότητος ἐνδίκως τετυχήκασι· male Leunclavius· ἀθωότητος ἐντύχως τετυχηκέναι. Item post, μέχρι ἕκτου βαθμοῦ, αὐτοὶ πάντως προσδεχθήσονται κατὰ τὴν τῶν βαθμῶν συγγένειαν προτιμώμενοι. reposui ex MSS. μέχρις ἕκτου βαθμοῦ, τούτους πάντως προσδέχεσθαι κατὰ τὴν τῶν βαθμῶν ἐγγύτητα προτιμωμένους. Item pro, καὶ οἱ πορρωτέρω εἰσαχθήσονται, in eodem MS. legitur καὶ τοὺς προτέρους εἰς δέχεσθαι: emendavi et edidi: καὶ τοὺς πορρωτέρους εἰς δέχεσθαι. Nec multo post mutilus est hic locus, οὐδὲ γὰρ οὐδὲ μέχρι τῶν δυνατῶν ἦν, ἀλλ' ἐκεῖθεν ἀρξάμενα, καὶ τοὺς ὀλιγοσθενεῖς ἐτελεύτησεν. αἱ γὰρ τῶν ὑπερεχόντων ἕξεις διαδόσιμοι ὡς ἐπίπαν τῷ πλήθει γίνονται. ἐκεῖθεν τε οἱ ἄρχειν τοῦ στρατοῦ λαχόντες, ὥσπερ ὄντος νόμου, τὸ τούτων εἶναι τῶν στρατηγῶν. ἃ πάντες εἶχον λαμβάνοντες ἀντεδίδουν αὐτοῖς ἀστρατεύτους ἀνθρώπους, ὠνίους, ἀμελεῖς, ἀπολέμους, μυρμήκων ἀγενεστέρους, καὶ λύκων ἁρπακτικωτέρους. δι' ὧν τοὺς ἐχθροὺς δασμολογεῖν οὐκ ἔχοντες. Leuncl. vertit, *quod in potentibus esse non insistebat, sed ab ipsis exorsum, in minus valentes desinebat. Nam superiorum affectiones in vulgus plerumque propagantur. Inde factum, ut qui exercitus cum imperio præessent, quasi lex esset, ut horum facultates ad ipsos pertinerent: omnia omnium bona rapientes, vel militaris imperitos homines eis vicissim obtruderent, venales, negligentes, minime bellicosos, formicis ignobiliores, et lupis rapaciores. Quorum opera quum hostibus extorquere tributa non possent* etc. Restitui ope MS. et sententia clarissimi charissimique Rigaltii, οὐδὲ γὰρ οὐδὲ μέχρι τῶν δυνατῶν ἔστη τὸ δεινόν, ἀλλ' ἐκεῖθεν ἀρξάμενον καὶ εἰς τοὺς ὀλιγοσθενεῖς ἐτελεύτησεν· αἱ γὰρ τῶν ὑπερεχόντων ἕξεις, διαδόσιμοι ὡς ἐπίπαν τῷ πλήθει γίνονται· καὶ οὕτως οἱ ἄρχειν τοῦ στρατοῦ λαχόντες, ὥσπερ ὄντος νόμου τοιοῦτον εἶναι τὸν στρατηγὸν ἅπαντας ἦγον ἄνω καὶ κάτω τοὺς στρατιώτας, καὶ δῶρα λαμβάνοντες ἀντεδίδοσαν αὐτοῖς ἀστρατείαν· ἄνθρωποι ὤνιοι ἀμελεῖς, ἀπόλεμοι, μυρμήκων ἀγενέστεροι καὶ λύκων ἁρπακτικώτεροι· δι' ὧν τοὺς ἐχθροὺς δασμολογεῖν οὐκ ἔχοντες ἠργυρολόγουν τοὺς ὑπηκόους· et verti. *Neque vero in potentibus insistebat malum, sed ab ipsis exorsum, in minus valentes desinebat. Nam superiorum affectiones in vulgus plerumque propagantur; adeoque qui in exercitu militibus præerant, quasi lex aliqua talem esse ducem jubeat, omnes sursum deorsumque milites agunt, acceptisque muneribus et donis immunitatem illis a militia rependunt, homines venales, negligentes, minime bellicosi, formicis ignobiliores, et lupis rapaciores! Quapropter quum ab hostibus exigere tributa non possent, a subditis pecunias exigebant*. Notanda vero est hæc elegans ratio ab Imp. reddita, αἱ γὰρ τῶν ὑπερεχόντων ἕξεις, διαδόσιμοι ὡς ἐπὶ πᾶν τῷ πλήθει γίνονται, *nam superiorum affectiones in vulgus plerumque propagantur*. Eadem enim ratione motus Theodosius in Nov. de sepulchr. violat. dixit: *Clericos vero, quos tam diri operis constiterit auctores, dignos credimus majore supplicio; vehementius enim coercendus est quem peccasse miseris. Scelus omne gravius facit claritudo personæ. Intolerandum, nimis execrabile, non ferendum, induere nomen et titulum sanctitatis, et abundare criminibus*. Is namque plus exemplo quam peccato nocet ut Cic. lib. 3. de legibus ait his verbis. *Perniciosius de rep. mereri vitiosos Principes, qui non solum vitia concipiant ipsi, sed ea infundunt in civitatem, nec etiam solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur: plus exemplo quam peccato nocent*. Eadem quoque sententia utitur Hilarius Papa can. Nulli fas. 25. quæst. 1. *reatu majori delinquit qui potiori honore perfruitur: et graviora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium*. Et Nicolaus Papa can. præcipue 2. quæst. 3 pene similem ex B. Gregorio refert, *Deterius in populo prælati delinquunt: ac per hoc ipsi crudelius quam cæteri puniuntur*: rationemque hanc subjicit, *scire enim prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est, ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quæ faciunt, non soli moriuntur: exemplo namque eorum qui majori præeminent dignitate, facilius alii possunt ad similia provocari*, ut ait Urbanus in cap. Cum quidam. 12. de jurejur. Notandum quoque verbum δασμολογεῖν, pro, *tributa exigere, poscere, colligere*. Gloss. Græcolat. Δασμός, Simoitas: mendose in MS. Bibl. Reg. legitur Δασμός: Simultas, vectigal. Hinc verbum Gallicum, *Dace*, deductum. Rursus post corrupte legitur: ἐξ χρυσοῦ νομίσματα ποινῆς ἕνεκεν ἀποτίσει, ἐξ ὧν ὁ στρατιώτης μὲν τὰ ἡμίση λήψεται πρὸς ἐπανάληψιν τῆς ἀποκαταστάσεως αὐτοῦ τὰ ἡμίση δὲ ὁ δημόσιος, ἧς χάριν ἐστερήθη δουλείας. εἰ δὲ οὐχ ἁρπάσας, ἀλλ' ἀγοράσας εὑρεθῇ τὰ στρατιωτικά, πρὸς μὲν τὸν δημόσιον τρία χρυσοῦ νομίσματα καταθήσει, restitui ex MSS. τριάκοντα ἓξ χρυσοῦ νομίσματα ποινῆς ἕνεκεν ἀποτίσει, ἐξ ὧν ἡμίσεα μὲν ὁ στρατιώτης λήψεται πρὸς ἐπανάληψιν τῆς ἀποκατ. αὐτοῦ. τὰ ἡμίσεα ὁ δημόσιος, ἧς χάριν ἐστερήθη δουλ. εἰ δὲ οὐχ ἁρπ. ἀλλ' ἀγ. εὑρ. τὰ στρατ. πρὸς μὲν τὸν δημόσιον κδ' χρυσοῦ νομίσματα καταθήσει. Unde apud Harm. lib. 1. tit. 16. ubi deest hæc quantitas aureorum, restituendum λς'. χρυσοῦ νομίσματα, ποινῆς ἕνεκεν ἀποτίσει· et κδ'. χρυσοῦ νομίσματα καταθήσει· non η, χρυσοῦ νομίσματα, ποινῆς ἕνεκεν ἀποτίσει· et γ. χρυσοῦ νομ. καταθήσει, ut vult doctiss. Cujacius in præfat. lib 4. feudorum. Post editum est recte: ὡς ἕκαστον ἐκ ἑκάστῳ χρόνῳ ἓξ νομίσματα ὁ ἐξκουσσεύσας κατεπραχθήσεται· male vero versum a Leunclavio, *pro quolibet eorum ab illo, qui eos excusarit, solidi sex singulis vicibus exigentur*, ἐξκουσσεύσας enim hoc in loco, ut idem monuit olim in præfat. lib. 1. feudor. pro excussore sive discussore publico accipitur, non pro eo qui excusat: corrupte in MSS. Codd. scriptum, ὁ ἐξκουσσατεύσας. Excussor sive Discussor est velut cognitor et disceptator rationum fiscalium, toto tit. C. de discussor. et l. Cum post. C. de appellat. Glossæ vett. Latino-gr. discussor, Λογοθέτης. Glossæ Græco-lat. Λογοθέτης, Ratiocinator, Discussor, disputator: sic τὰς στρατιωτικὰς καὶ φοιδεράτικας ἐξκουσσεύσεις, *militares et fœderaticas discussiones* dixit Justinian. in Nov. 148. cap. 2. Glossæ vett. Discussio, Λογοθεσία. Λογοθέσιον, Ratiocinium. Paulo post male quoque Leunclav. vertit hæc verba, εἰ γὰρ ἐκ τῶν ἔσωθεν καὶ τῆς κοινότητός εἰσιν, *nam si extranei sint, et ipsius communitatis*: reposui, *nam si extranei sint et gregarii*. sicque ἐκ τῆς κοινότητος apud Harmenop. recte vertit doctiss. ejus interpres Joh. Mercerus. Duo namque et ex hac Constantini Novella, et ex Friderici constitutione de pace tenenda §. *Si miles*. sunt genera militum. Quidam ἐκ τῆς κοινότητος, plebeii, gregarii, sive χυδαῖοι ἄνθρωποι: ut in Gloss. Græco-lat. legitur, novitii, caligati: manipulares, solduri. Alii sunt nobiles, originarii, josti, et ut ait Fridericus in d. §. *Natione legitimi*.

IMPERAT. CONSTANTINI PORPHYROGENNETÆ.

NOVELLA

De potentibus in prædio pauperum succedentibus.

Ex multis cognovit divinitus constituta majestas nostra, potentes et locupletiores in provincia Thracensi, contenta imperiali lege, ipsoque jure naturali et mandato nostro, non desinere in prædia succedere titulo emptionum, et donationum, et hæreditatum: atque occasione hujusmodi miseros per tyrannidem opprimere pauperes, et sedibus suis expellere. Propterea de communi deliberatione legem atque decretum commune hanc in sententiam in omnibus provinciis nostris ferimus ac sancimus. Nam licet imperiali constitutione arcerentur tam personæ quam domus, augustæ pariter et religiosæ, quo minus emerent a vicorum universitate, vel a personis singulis; et aliter quidem de iis, quæ ante constitutionem latam a præterita prima indictione contigerant, statueretur; gravius autem post legem promulgatam: tamen ne sic quidem plerique potentiorum a perniciosissimis contractibus cum egenis abstinebant, ita ut etiam judices necessitate potius quam voluntate coacti, alias alia decreta sententiasque proferrent, quibus hæc moderarentur. Quamobrem publicum de his decretum cum imperiali determinatione nostra factum est, ut citra dubitationem et moram omnes expellantur, qui a lata constitutione, quam diximus, emere prohibentur, ita quidem ut nec impensarum repetitionem habeant: quotquot scilicet ab imperialis nostræ renunciationis die in vicos aut agros aut prædia pauperum succedere fuerunt ausi. De iis autem, quæ acciderunt a prima indictione, sive a tempore famis usque ad diem nostræ renuntiationis, citra discrimen unum et idem decretum heic sancitum valeat, ita ut omnis donatio, et hæreditas, et ad legis hujusce fraudem excogitatæ confirmatoriæ, atque transactiones inter personas jam prohibitas cessent, ac ne quidem pro factis habeantur: non metuentibus iis qui vendiderunt, ullam eorum quæ hoc nomine soluta sunt, repetitione. Præterea factæ permutationes rescindantur, recipiente quolibet id, quod ante ipsius erat: nisi forte nolit id fieri pauperior, ut cui prius esset cum altero consortium, quique non tantum possessionem suam peculiariter segregaverit quietis caussa, verum etiam potiorem partem receperit. Quod distractiones attinet, hæc quoque rescindantur, et venditæ res statim venditoribus restituantur, itidemque cohæredibus et sub eadem titulo vectigal pendentibus, justa primam constitutionem. Pretia quod attinet, tam personæ quam res ipsæ considerentur: ac si quidem ex potentibus erat emptor, aut familiaritate conjunctus alicui potenti, sive politico sive ecclesiastico, puta episcopo; venditor autem adeo inops est, ut ne quinquaginta quidem aureos habeat in bonis: pretii restitutio locum non habeat. Sin amplius quam quinquaginta solidos habet, sane post præstitutum triennii spatium haud gravate pretium restituet, iisdem cum universitate privilegiis utens fruens; licet scholaris sit, aut secretis inserviat. Quod si distractio facta sit ab universitate, cui pretium ob inopiam restituere difficile sit, tot annorom spatium ad solutionem habeat, quot annis judex de futuris fructibus pretium facile restitui posse computatione facta collegerit. Quod si probet venditor aut venditores, in venditione quocunque modo vim dolumve malum intercessisse, vel ante venditionem factam, ab emptore, vel ejus familia, ac per injuriam læsos, aut oppressos potentia: nihil restituant, licet emptor ex numero potentiorum non erat. Humiliora vero monasteria, et omnes inde usque a spathariis degentibus in hac urbe, quæ divinitus custoditur, itemque magistratus inferiores, si quid emerint absque vi et injuria quacunque nec patrociniis potentiorum defensi; non pretia duntaxat recipiunto, verum etiam lucrosas impensas: puta quæ factæ sunt in consitiones vinearum, et aquariarum molarum extructionem. Poterunt et materias ædificiorum suorum tollere, modo ne statum priorem lædant: nisi forte pro iis impensam factam recipiunt. Quod si ob inopiam reddi eis, quæ debentur, nequeant; ad tot annorum spatium sequestrentur ea, quæ alienata sunt, donec ex futurorum liquidorum fructuum perceptione debitum pretium, vel impensa facta, ceu dictum est, colligi possit. Vel ipsum prædium potius ab eo possideatur, qui alienavit; verum in collectione fructuum cura simul et cautio adhibeatur, ut ipsi fructus ad satisfaciendum ei, qui contraxit, serventur: atque hac in parte facultatem habebit, ut et ipse provideat, ne fructus amittantur: ac si quidem is, qui alienavit, aliunde sibi prospicere potest; universi fructus illi tradantur quo cum contractum fuit. Sin autem, retineatur ab eo, qui alienavit, quantum ad usum ipsius necessarium, agrique cultionem requiritur: reliquum totum restituatur illi qui cum eo contraxit. Quod si ab illustribus universitatis ad pares, vel paulo dignitatibus inferiores, velut a scholaribus ad milites, vel ab humilioribus ad paulo superiores, velut ab expertibus militiæ municipibus ad scholares vel secretis inservientes, alienatio facta, vel adhuc futura sit, inconcussa maneat. Similiter etsi ob incumbentem a fisco necessitatem aut quod fortassis alio in loco dotem filiæ suæ constituere velit, aliunde quis solvere nequeat id, quod fisco debet, aut quod impositum ei onus est, aut promissam in rebus soli dotem: hac ipsa quoque de caussa fieri alienatio poterit earum rerum quæ soli sunt; sed duntaxat ad convicanos, aut necessario ad ea prædia, quæ sub eadem metrocomia sunt, idest, sub eadem comitura. Quapropter eodem modo et potenti persona vendente, vel aliter alienante, optimum factu visum est præferri vicanos, quatenus consortes sunt, vel pascuis ejus, aut aquis, aut montibus carere nequaquam possunt. Ac pro emptore quidem hoc intelligitur, ut si certum duntaxat aliquid retinere velit, et ea, quæ consortii sunt, alienare, potestatem hoc agendi habeat. At licet prædii, quod alienatur, aliqua pars ab aliis separata peculariter existat; tamen emptores aut totum emere coguntur, aut toto cedere. Ceterum quatuor mensium diem habent ad collectionem pretii, quantum quidem alius daret, vel potius quanti fit æstimatio, si quidem hoc pauperes, qui emunt, optaverint. His in hunc modum ab imperio nostro decretis atque constitutis, præcipimus tibi, ut omnibus in provincia promulgationem hujusmodi legemque nostram, a personis potentibus ad extremum et ultimum usque, legi cures: ac prout in ea continetur, juxtaque vim ejus, de pauperibus atque potentibus inquiras et ordines: quæ sancita est mense Martio, indictione V.

FINIS PARTIS SEXTÆ

PARS SEPTIMA

JACOBI CUJACII J. C.

AD LIBROS II. III. ET IV.

DECRETALIUM

GREGORII NONI

RECITATIONES SOLEMNES

AD LIBRUM SECUNDUM

AD TITULUM I. DE JUDICIIS

Liber secundi Decretalium tit. 1. est de *Judiciis*. Judicia vocat non res judicatas, quæ lites causasque determinant, non actiones, quamquam et judiciorum nomine hæ nonnunquam significentur, sed judicia vocat litium, quæ inter aliquos versantur, disceptationes forenses et judiciales: quarum initium est litis contestatio, finis judicatum. Vulgo traditur, personarum in judiciis triplicem potissimum esse rationem, ex actore, et reo, et judice quamquam interveniant etiam patroni, et oratores, et exceptores, sive pragmatici, et procuratores, ac defensores. At certe judicia æstimantur, et censentur ex solis judicibus, qui juris, de quo utraque pars aperitur, et concertat (aperiri est verbum commune actoris et rei) disceptatores sunt legitimi juris, de quo controvertitur inter duos, pluresve disceptatores legitimi. Jus enim, ut ait M. Tullius in Top. judicii finis est, ex quo etiam nomen, nimirum quasi juridicium, ut Cassiodorus ait. 11. *Variar.* latius accepto *juridicii* nomine etiam pro cognitione nuda, quam habent pedanei judices. Hoc satis est ad titulum.

AD CAP. *De Quodvultdeo* I.

Hoc caput est ex Concilio Africano, et de Quodvultdeo Episcopo Centuriensi apud Concilium cujusdam criminis reo postulato a clerico quodam, vel etiam laico suam, vel suorum causam persequente. Nomen *Quodvultdei* frequens erat in Africa. Fit mentio in eodem Concilio alterius Quodvultdei Varensis Episcopi: et B. quoque Augustinus qui Africæ fuit Episcopus, de hæresibus scripsit librum ad *Quodvultdeum Diaconum*. Cum autem Quodvultdeus ille Centuriensis Episcopus accusaretur de crimine aliquo apud Concilium Africanum, et postulante accusatore introductus esset ad Concilium, totius Concilii nomine interrogatus est ab eo, qui præsidebat Concilio, num vellet apud Concilium causam suam agere, quod cum annuisset, altera die mutata sententia id abnuit, et recessit a Synodo, a Concilio. Qua in re non tantum inconstanter, sed etiam contumaciter et superbe se gessit: nam etsi ultro ab initio se judicio Concilii non subjecisset, ei tamen acquiescere, idque revereri, et observare debuisset: ut et recte sentiunt interpretes, supervacanea fuit illa interrogatio: quia et in invitum potuit Concilium ferre sententiam. Quamobrem, id est, propter hanc contumaciam, ex Concilii sententia jubetur esse ἀκοινώνητος, id est, *extra communionem ecclesiæ*, et uno verbo, *excommunicatus*, quoad satisfecerit, præstita scilicet cautione judicio sisti, in Synodo sisti, et absolutus fuerit a sententia excommunicationis, et redditus ecclesiæ. Cautio illa judicio sisti pro satisfactione est, *cap.* 21. *inf. de verbor. signifcat.* et purgat igitur contumaciam, et consequenter cautionem subsequi debet absolutio excommunicationis. Et hoc est, quod ait hoc loco: *placuit, ut nullus eidem communicet, donec satisfactione præmissa fuerit absolutus*. Verba sunt Raymundi, qui operam dedit huic collectioni Decretalium, non sunt antiqui canonis, qui integer extat in antiqua et prima Decretalium collectione, cujus auctor est Bernard. Papiensis: eademque integra extat apud Burchardum, et Ivonem: imo et in exemplaribus Græcis Concilii Carthagin. in quibus de Quodvultdeo hic canon extat: et ut glossa hoc loco notavit, in antiqua quidem collectione ita legitur: *nullus eidem communicet, donec causa ejus qualem potuerit terminum sumat*: in Græco autem hoc modo. μηδεὶς τῷ αὐτῷ Κοδουλδέῳ κοινωνήσῃ ἕως τὸ κατ' αὐτὸν πρᾶγμα περατωθῇ, eodem sensu, quia scilicet olim hoc jure utebantur, ne quis excommunicatus absolveretur ante discussum crimen, cujus reus postulabatur, ante discussam finitamque excommunicationis causam *can. si Episcopus forte* 11. qu. 3. qui et in hanc sententiam adducitur in c. *per tuas, inf. de sentent. excommunn.* At hodie excommunicatus ob contumaciam absolvitur statim atque satisfecerit, puta præstita cautione judicio sisti, etiamsi criminalis causa nondum peracta fuerit, *dict. cap.* 23. *inf. de verb. signif.* at ob id Raymundus verba antiqui canonis immutavit. Desiderabat autem in specie proposita adversarius Quodvultdei, ob solam contumaciam, cum statim episcopatu removeri regradari, deponi, quod Concilium non admisit, quia iniquum esse censet adimi episcopatum, antequam Episcopus peractus fuerit reus criminis quo postulatus est: *Nam, inquit, adimi ei episcopatum ante causæ ejus exitum, nulli Christiano jure videri potest*, quod est ex secunda epistola Decretali Felicis Primi ad Galliæ Episcopos, quæ extat in primo tomo Conciliorum. Id Alexius Aristenus Græcus canonum interpres (sunt plures Græci canonum interpretes, Alexius, Zonaras, Balsamon, Harmenopulus) id, inquam, Alexius sic interpretatur, καθαιρεθῆναι τινὰ πρὸ ἀποδείξεως οὐ δίκαιον. Recte. Nam depositio, sive regradatio Episcopi, sive clerici proprie καθαίρεσις dicitur, excommunicatio, ἀφορισμός. Et contumaciæ quidem refugientis judicium coercendæ sufficit excommunicatio, quam comitatur etiam subtractio redituum ecclesiæ: nam ut est in *cap. pastoralis, in fin. inf. de appellat.* illi proventus ecclesiastici merito subtrahuntur, cui communio ecclesiæ denegatur. Depositio, sive καθαίρεσις non infligitur contumaci, nonnisi condemnato: nemo autem ideo condemnatur, quod judicio contumaciter abfuerit non temere, puta, quod litem contestatus non fuerit, sed is tantum, qui litem contestatus fuerit causam cognita: nisi forte, qui ante litem contestatam evocatus, judicio non adfuit, in ea contumacia integro anno perseveraverit, ut vult glossa hoc loco ex can. *rursus*, et can. *seq.* 11. *quæst.* 3. qui tamen id liquido non probant, cum post annum contumaces non esse audiendos excusantes absentiam suam, non etiam damnandos esse dicant. Et hæc satis, abundeque ad cap. 1. sufficiant.

AD CAP. *Decernimus*. II.

Hoc cap. est ex Concilio Remensi habito sub Eugenio Secundo, ne laici, qui et privati dicuntur, judicent de negotiis ecclesiasticis, sed ecclesiarum Prælati tantum, ecclesiarum Primates, puta, *Episcopi*, ut ait, *Abbates, Archidiaconi*. Ordo dignitatum exigit, ut legamus hoc loco *Archidiaconi*, non *Archiepiscopi*, qui satis continentur sub Episcoporum appellatione, quæ primo loco posita est. Archidiaconi sunt Prælati, qui et vicarii Episcoporum, oculi Episcoporum, *cap.* 1. *et cap.* 7. *sup. de offic. Archidiac.* Chorepiscopi, et Archidiaconi idem est, quasi certarum regionum, sive villarum Episcopi, sub summo tamen sacerdote, sive Episcopo. *Sigebert. in Chron.* Ad hosce Prælatos ecclesiarum pertinet cognitio causarum ecclesiasticarum, maxime spiritualium, inquit, veluti de decimis ecclesiæ debitis, de ecclesiis, de jure matrimonii, de jure sacerdotiorum, de jure, inquam, id est, veluti proprietate, dominiove ususfructus: nam de possessione, vel quasi possessione, quæstio disceptatur apud laicos judices, vel seculares, et vocant, *cap. ult. h. t. cap.* 7. *inf. qui filii sint legit.* De causis autem spiritualibus suo jure, vel suo nomine laicos non judicare adeo verum est, ut nec si hæ causæ, quæ sunt spirituales inciderint in causam profanam, de qua principaliter agebatur apud laicos, de eis laici arbitrari, et cognoscere possint, hoc est certissimum, *cap.* 5. *inf. qui fil. sint legit.* Ergo ut Joannes prior scripsit, ac deinde Innocentius, *laici de causis spiritualibus, neque principaliter, neque incidenter*, ut loquuntur, *cognoscere possunt*, quin et consuetudo, si quæ invaluerit in contrarium, damnatur et reprobatur in *cap.* 3. *sup. de consuetud.*

AD CAP. *Quanto*. III.

In hoc cap. rebus spiritualibus, quamvis ipsæ revera non sint spirituales, adjunguntur causæ juris patronatus. Nam etsi jus patronatus laico competat, qui ecclesiæ, quam forte exædificavit et dotavit, patronus est, in hoc solum, ut defuncto rectore ecclesiæ alium in ejus locum nominet, et offerat Episcopo, ut ab Episcopo ordinetur, instituatur, et præficiatur ecclesiæ; tamen de causis juris patronatus ipse cognoscere non potest, et multo minus ordinare, vel instituere rectorem inconsulto Episcopo, *cap. cum laici, infr. de jur. patron.* Conjunctæ enim hæ causæ, ut ait hoc loco, et commixtæ sunt spiritualibus, puta regimini et administrationi ecclesiarum, conjunctum rebus spiritualibus, ut ait in *cap. de jure, inf. de jure patron. et cap.* 19. *eod. in prima Collect.* Qua de causa nec vendi jus patronatus, et pretio nummorum æstimari, et addici potest, *d. cap. de jure*: forte non tam, quod sit annexum rebus spiritualibus quam quod sit inæstimabile, quod sit sine pretio

pretiosum. Nam etsi revera jus patronatus sit jus seculare, jus laicale, utpote cum a laicis possideatur, tamen illud accidens cum rebus spiritalibus commune habet, ut ejus nullum sit commercium: sicut actio ex testamento, utamur hac comparatione, quæ revera est actio stricti judicii, ut constat ex *l. 8. de in lit. jurand.* hoc habet accidens commune cum judiciis bonæ fidei, ut in eam veniant usuræ legatorum, et fideicommissi ex mora citra stipulationem, *l. 3. C. in quibus caus. in integr. restit. non est necess.* Scripta est autem hæc constitutio ad Henricum Secundum Anglorum Regem, quod in eo regno laici quidam connivente rege imo et reges ipsi vindicarent sibi cognitionem causarum, quæ de jure patronatus ecclesiarum inter aliquos movebantur: imo et ordinationes clericorum in ecclesiis, quarum patroni erant, ut est proditum in *c. relatum, de jure patron.* quod est scriptum *ad Episcopos Angliæ.* Et hoc jure etiam sua ætate usos esse Reges Angliæ, Hostiensis testis est hoc loco: idque sumebant ex capitibus antiquis libertatum, et consuetudinum Anglicarum, in quibus ita est apud Matthæum Paridem in Henrico Secundo: *De advocatione*, inquit, (patronos ecclesiarum vocabant etiam ecclesiarum advocatos) *et præsentatione ecclesiarum* (hoc est de patronatu) *si controversia emerserit inter laicos, vel inter clericos, vel inter laicos et clericos, in curia domini Regis tractetur, et terminetur.* Verum ut liquet ex hoc cap. 3. id Pontifices Romani non probarunt.

AD CAP. *At si clerici.* IV.

Extat hoc cap. in antiqua collectione Bernardi Papiensis sub eodem titulo, inque eadem collectione magna ejus pars repetita est in *cap. 10. de appellat.* Ex eo autem intelligimus, laicum magistratum non esse clerici judicem competentem in criminalibus causis: ut et ex *cap. 8. 13. et 17.* ac proinde sententiam a laico, sive seculari, sive mundano, ut loquuntur, judice dictam in clericum non valere: imo nec si confessus, aut convictus fuerit clericus apud laicum de crimine aliquo, nihil horum valet. Ut enim sententia a non suo judice dicta non valet, non tenet, *l. ult. C. si a non compet. jud. cap. 3. sup. de consuet. can. pen. 12. q. 1.* Ita nec confessio, aut convictio, evidensve comprobatio criminis facta coram non suo judice valet. Quapropter qui apud laicum judicem clerici confessi, vel convicti sunt, nondum damnati, ab Episcopo damnandi non sunt, quia pro confessis, vel convictis non habentur. Confessionem fieri oportet in jure, ut ait in hoc cap. vel in judicio, *l. Post rem. De re jud. l. 1. § Proinde. D. si quid. in fraud. patr. l. Quædam. de donat. l. 4. § penult. ad leg. Juliam majest. l. 4. Cod. de repudiat. hæred.* Justinianus Novell. 90. ἐν βήματι, id est, quod alii ducunt, *in jure, pro tribunali*, et in jure quidem, et judicio congruo et competenti, alioqui inanis et illusoria confessio est, quæ non fit ἐν βήματι competenti, in jure competenti: congruus autem et legitimus clericorum judex est Episcopus: unde si apud eum confessi, vel convicti fuerint clerici, tunc merito damnantur ab Episcopo, et regradantur, aut suspenduntur, si crimen fuerit grave, quod commiserint, veluti sacrilegium, aut ambitus: id est, simonia, aut vitium contra naturam, quod longe vincit pœnam talem, sive remedium, quod ei imponitur in *cap. 4. inf. de excess. prælat.* Quod si levius crimen fuerit, Episcopus clerico pœnitentiam injungit certi temporis: non dicit quanti temporis, quia plerumque id Canones relinquunt arbitrio Episcopi, *can. mensuram, de pœnit. dist. 1.* quia apud DEUM non tam valet mensura temporis, quam doloris. Inter leviora autem, vel minora crimina Papa in hoc cap. ponit adulterium; illo loco, *de adulteriis vero, et aliis criminibus, quæ sunt minora:* quod tamen crimen Ulpianus numerat inter graviora *libro sing. reg. tit. de dotibus, § 9.* et Imperatores inter atrociora, *l. 7. C. Theod. de indulg. crim.* Et Clemens quoque in *cap. quid, inquit, in omnibus criminibus adulterio gravius? 32 quæst. 7.* nec sine calumnia accusari hic Papæ lapsus potest. In extremo hujus cap. additur, ab Episcopo, qui clericum regradavit ob crimen aliquod maximi sceleris, non esse eum clericum mox temere tradendum judici seculari, puta ut de eo, post regradationem, tanquam de laico supplicium sumat, *quia*, inquit, *semel Episcopus suo officio functus est, atque ita desiit esse judex in ea causa.* Quæ ratio sumpta est ex *l. Judex. de re judic.* et præterea (quod et hic attingit) *misericordiam unam, vel homini quidem esse affatim.* Dixi *non temere*: neque enim, qui regradati, aut exauctorati sunt ab Episcopo, negari potest, quin aliquando puniendi remitti possint ad magistratum secularem, veluti ex causa falsarum, et corruptarum literarum Romani Pontificis, *cap. 7. inf. de crim. fal.* vel causa hæreseos, *cap. excommunicamus, § 1. inf. de hæret.* Quod ne videatur fieri ab Episcopo, postquam officio suo functus est, ideo ibidem jubetur, et in *cap. novimus, inf. de verb. signif.* eum, qui regradatus est, in ipso articulo mitti ad magistratum secularem, qui regradationi præsens adfuerit. Male autem etiam in hanc rem Bernardus Papiensis, qui auctor est scholiorum hujus libri, affert *can. clericus 3. quæst. 4.* quoniam in eo, quod ibi jubetur clericus, qui insidiatus est vitæ sui Episcopi, quive per calumniam eum accusavit, deponi, id est, regradari, et curiæ tradi serviturus, id non est intelligendum de curia judicum secularium, sed de curia Decurionum, qui judices non sunt, cui pœnæ causa clericus addicitur, ut serviat, tanquam pistrino. Ad hæc non omittam, moribus nostris esse quædam crimina, quæ PRIVILEGIARIA vocantur, de quibus etiam clerici apud judices seculares respondere coguntur: cujusmodi est crimen læsæ majestatis, crimen falsæ monetæ, crimen vis publicæ: ex quibus tamen non ante clericus damnatur et plectitur a judicibus secularibus, quam ab Episcopo suo ordine clericali motus et regradatus fuerit, quod congruit cum Novel. Justin. 83. Non omittam etiam, quod plerisque videtur, clericum in flagranti crimine deprehensum habitu militari, aut laicali posse a judice seculari puniri tanquam laicum, non cæcere ratione, quia talis quia esse præsumitor, qualis reperitur in habitu, *l. Item apud. § Si quis virgines. de injur. cap. in audientia, inf. de sentent. excommun.* Exemplo est Lentulus quidam nobilis, quem vetus interpres Juvenalis refert suscepto servi habitu, et persona egisse mimum, et deprehensum in falso, crucifixum fuisse tanquam servum, in Satyra 8. His de hac quæstione addam alia quædam in cap. 8.

AD CAP. *Ceterum quia.* V.

Restituenda videtur inscriptio hujus cap. ex *cap. cum te, sup. de rescript.* hoc modo: *Idem Tornacensi Episcopo.* Species autem ejus, quæ non est in facili, ita, me judice, omnino ponenda est: quidam, quos jure feudi certum erat possidere quosdam agros ab Episcopo, et ecclesia Tornacensi, quamvis sub ea ipsi ecclesia, eove Episcopo non essent, sed sub alio Episcopo, super iisdem feudis inter se, ut Baldus ponit recte, controvertebant, et actoribus reos provocantibus ad suum Episcopum, cum rei nollent apud eum respondere, dicentes, se paratos esse de feudis, quæ tenerent, respondere coram Episcopo, tametsi ejus diœcesani non essent, a quo ea feuda tenerent, ejusque sententiæ obtemperare: ob id a suo Episcopo, coram quo nolebant respondere, non cognita, aut non bene perpensa causa, excommunicati sunt tanquam contumaces, et sacris interdictum est universis hominibus, qui in eis agris et villis commorabantur. Qua de re consultus Pontifex ab Episcopo Tornacensi, rescripsit, id eum pati non debere, imo et sententiam excommunicationis, vel interdicti ab Episcopo, cujus litigatores diœcesani erant, latam rescindere, et supradictos feudatarios, beneficiarios, vasallos suos absolvere posse. Unde colligitur, controversias, quæ de feudis moventur inter eos, qui feuda tenent, disceptandas esse a domino feudorum, id est, ab eo, a quo constat, ut ait, hoc enim exigitur, illos ea feuda tenere. Quod sane est certissimum, ubi inter ipsos vasallos, ut dixi, de feudo controversia est, ex constitutione Friderici *de feud. non alienand. § ult.* Imo et nonnunquam, si inter extraneos lis sit de feudis et vasallos, cum res, de qua agitur, principaliter dominum non contingit, ut *cap. 6. et cap. 15. inf. tit. eq.* alioqui, si res contingat, dominus principaliter judex esset in causa propria, quod jus non patitur ceteroqui, dominio feudi semper etiam jurisdictio conjuncta est. Et hoc est, quod præcipue notandum videtur ex hoc cap. 5.

AD CAP. *Dilecti filii.* VI.

Integrum extat hoc cap. in *cap. 1. de appell.* in prima collectione, quod non est notatum in editione Romana, in qua tamen fere semper accurate notantur loci antiquarum collectionum. Divisum autem est illud integrum cap. in duas partes: una posita est in *d. cap. 1. et 3 de appellat.* altera hoc loco. Et, ut hujus cap. sententiam paucis exponam, olim necesse erat actori exprimere speciem, genus, et nomen actionis, *l. 3. C. de eden. l. ult. C. de interdict. et Nov. Valentiniani de episcopali judicio.* Ex hoc cap. intelligimus, hodie id non admodum desiderari, et satis esse, ut ait, simpliciter et pure factum ipsum, et rei veritatem narrare, atque ita agere διηγηματικῶς, ut Theophilus noster loquitur in *tit. de except.* διηγηματικῶς, id est, in factum. Unde et in factum conceptam actionem, *l. 15. in princ. ad leg. Fal.* Philoxenus in glossis sic recte interpretatur, διηγηματικῶς.

AD CAP. *Intelleximus.* VII.

Cap. 7 quod etiam non est notatum in editione Romana, extat integrum in cap. ult. eodem titulo in prima collectione, et breviter hoc vult, excommunicatos quoque, si quem conveniant, si quem vocent in jus, in judicium, constat non esse audiendos, quoniam extra convictum, et consuetudinem hominum, qui excommunicantur, esse, et versari jubentur; si quem igitur conveniant, non esse audiendos in judicio, *cap. per tuas, inf. de sentent. excomm.* Sin autem conveniantur, etiam per se audiendi non sunt, eadem ratione, per defensorem tamen respondere coguntur. Denique neminem excommunicati per se, vel per alium convenire possunt: at conventi, non per se, sed per alium causam suam agere, et de jure suo experiri possunt et debent. Si per alium in jus vocati respondere non tenerentur, excommunicatio ipsis tribueret judiciorum exemptionem, sive immunitatem, denique prodesset eis, non noceret, quod non est ferendum. Ut autem unde cœpit hodierna recitatio, etiam finem accipiat, his addam interpretationem cap. 8. quod sequitur.

AD CAP. *Clerici.* VIII.

Hoc cap. respicit ad Novell. Justiniani 83. quæ differentiam facit inter crimina clericorum civilia sive communia, veluti *homicidium, adulterium, furtum*; et crimina ecclesiastica, veluti *sacrilegium, simoniam*: atque ita sicut leges nostræ faciunt alia crimina militaria, alia communia in *l. 2. de re milit.* ita Justinianus alia facit clericorum crimina civilia, quæ communia dici possunt, alia ecclesiastica: et de civilibus quidem criminibus constituit, ut cognoscat potestas secularis, de ecclesiasticis Episcopalis: quæ constitutio Justiniani relata etiam est in *can. si quis cum clerico, 11. q. 1.* At placuit aliis canonibus, ac tandem Pontificibus omnibus, *ut et de omnibus criminibus clericorum*

generaliter, ut ait hoc loco, id est, indistincte soli Episcopi cognoscant, non potestas secularis. Pontifices sibi persuaserunt olim fore, ut hoc jus etiam Principes reciperent, et approbarent, quorum leges, quod hic proponitur, ut et ipsi Principes profiteantur, non dedignantur sacros canones imitari et sequi, *Novel.* 5. et 83. et in chrysobul. (sic vocant auream bullam) Nicephori imperatoris Constantinopolitani, τὸν κρατοῦντα, id est principem συμφράζειν καὶ συνεξ φράζειν τοῖς καλῶς παρὰ τῶν ἀρχιερέων πεπολιτευμένοις καὶ ἐκνομοθετημένοις: *facit Principem subsequi decreta, quæ recte decreta sunt a Pontificibus.* Et ita etiam indistincte, ut de omni clericorum crimine cognoscant Episcopi, Fridericus secundus constituit in constitutione *de statutis, et consuetudinibus contra ecclesiæ libertatem.*

AD CAP. *Causam quæ.* IX.

Inscriptio hujus cap. ita restituenda est: *Clemens tertius Abbati de Evereshamo*, quod monasterium est in Anglia, sicut et monasterium Dunelmense, et Episcopus Dunelmensis. Erat autem, ut etiam in hoc cap. 9. ostenditur, idem Episcopus Dunelmensis, et Abbas monasterii Dunelmensis, quoniam ecclesia cathedralis erat monasterium, cujus scilicet canonici erant monachi regulares ordinis S. Benedicti, ut testatur Bonifacius octavus in *extravagantibus communibus*, sive in extravagantibus diversorum, in *cap.* 1. *de offic. jud. ordin.* Itaque ad Monachos Dunelm. pertinet Episcopi electio, ejusdemque Abbatis Dunelmensis ut constat *ex Matthæo Parisio in Henrico tertio.* Et ideo cum mota esset lis inter monachos Dunelmenses et monachos S. Albani, qui etiam sunt in Anglia (ut magna pars constitutionum horum librorum pertinet ad Anglos) ac proinde negligat ceteros. Verum ne interrumpam cœptum ordinem, et alio digrediar, cum lis orta esset inter monachos Dunelmenses et monachos S. Albani super ecclesia quadam, super beneficio quodam, utraque parte id sibi vindicante, constituit Pontifex in hoc cap. ne aliter judex delegatus, quem ipse Pontifex delegavit, ad causam agendam, et disceptandam admittat fratres, sive monachos Dunelmenses, quam huic rei consensum, et auctoritatem præbuerit Episcopus, idemque Abbas ejusdem monasterii, ne si forte vincant monachi Sancti Albani, judicium reddatur elusorium, vel ad irritum redeatur, causa ex integro retractata ab Episcopo Dunelmensi, sine cujus auctoritate res a monachis suis in judicium deducta fuerat. Res enim acta a monachis sine consensu Abbatis, ejusdem Episcopi, nocere Abbati non debet, juxta notissimam regulam juris. Nota vero, quod ait, *ne si fratres S. Albani forte obtineant, Episcopus idem ac Abbas monasterii proponens, litem sopitam valeat resuscitare:* ne redintegretur lis, inchoanda est a monachis ex sententia Episcopi alioquin Episcopus actum ageret, et denuo retractaret. Et ex eo, quod ait: *Ne si fratres S. Albani obtineant*, colligitur ex contrario, victis fratribus S. Albani, litem ob id non retractari, quod victoribus litigandi auctor Episcopus non fuerit. Et ita hoc loco Panormitanus definit recte. Metus est igitur ne lis retractetur vincentibus Albanis, non etiam victis Albanis, quoniam hoc casu judicium manebit ratum et firmum cum Episcopo nihil deperit, imo aucta fuerit res Episcopi ea victoria monachorum suorum.

AD CAP. *Cum non ab homine.* X.

Hoc cap. adscribendum etiam est eisdem Clementi, non Cælestino, ex *cap.* 14. *inf. de sent. excommun.* quod hujus cap. recte pars esse existimatur, et rursus ex *cap.* 3. *eod. tit. in secunda collect.* in qua ea pars extat integrior et plenior: cumque in ea fiat mentio Episcoporum suffraganeorum, ut vocantur, qui subsunt Archiepiscopo, sive Metropolitæ, cum inquam, in eo fiat mentio suffraganeorum ejus, ad quem Pontifex rescribit, certum indicium est, fuisse hoc rescriptum Archiepiscopo cuidam. Ac præterea cum in eodem cap. 3. significetur in remotissimis ab urbe Roma provinciis cum Archiepiscopatum fuisse, et fiat in eo cap. mentio Regis cujusdam, propius vero non abfuerit, qui conjecerit hoc fuisse rescriptum Strigonensi Archiepiscopo, qui est in regno Hungariæ, atque etiam eadem de re est Lucii tertii rescriptum in *cap.* 8. *sup. hoc tit.* ut constat ex, *cap. pen. eod. tit. in prima collect.* et *ex cap.* 20. *inf. de decim.* quod est pars *d. cap. pen.* mos hic inoleverat in Hungaria, ut Rex, vel a Rege alius quilibet judex secularis cognosceret de furto, homicidio, perjurio, vel alio quocunque crimine, in quo clericus deprehensus fuisset, nulla posita differentia inter civilia, et ecclesiastica crimina, quam tamen posuerat Justinianus. Hunc morem improbat Pontifex hoc loco, ut et *cap.* 8. *sup.* de criminibus clericorum, cognitione data ecclesiastico judici, id est, Episcopo, qui clericum, ubi res ita postulat, deponat ea causa delicti, et exuat ordine clericali, redigatque in ordinem laicorum, sive privatorum. Quo facto, si forte hanc pœnam a clerico laicus factus, et quodammodo damnatus, non emendationi, sed consuetudini delinquendi deputaverit, primum excommunicatur ab Episcopo, deinde si pergat male agere, et hic definitur, anathematizatur. Anathematismi major est, quam excommunicationis coercitio. Excommunicatio alia est major, alia minor: major separat a fraterna societate ad consuetudine, minor a sacramentorum perceptione tantum, non a consortio fratrum, *cap. pen. inf. de senten. excommun.* Anathematismus autem rescindit, et avellit ab ipso corpore Christi, quod ita aperte declaratur in magno decreto *Ivonis, part.* 14. *cap.* 51. Major autem excommunicatio in hoc cap. intelligitur, et ubicunque excommunicationis simpliciter mentio fit, non levior intelligitur, ut in aliis causis, secundum quod dicitur, *in ambiguis nos sequi quod est levius, vel minimum*; sed ubicunque excommunicationis mentio fit, semper major intelligitur, *d. cap. pen.* At, si dixisimus, clericus, qui ex causa delicti depositus ab Episcopo, et regradatus est, si denuo recidat in idem crimen, primum excommunicatur, deinde anathematizatur: quod si nec post anathematismum redeat ad bonam frugem, tum remittitur, ad judicem secularem, ut exilio, vel qua alia pœna legitima coerceatur. Nota etiam, de clerico regradato Episcopum suscipere cognitionem in memoriam scilicet prioris clericatus, ejusque coercitionem sibi vindicare, et iterum atque iterum in idem vitium relabatur, ex cujus causa regradatus est: at si nulla ratione emendari potest, tanquam deploratus rejicitur ad judicem secularem. Et hæc est sententia hujus cap. quæ proponitur etiam in *can. secul.* § *Ex his. in fin.* 11. *quæst.* 1. Nec debet confundi sententia hujus cap. cum eo, quod tractatum est in *cap.* 4. *sup.* quod est de clerico, qui regradatus ab Episcopo continuo remittitur ad judicem secularem puniendus ea causa criminis semel admissi, cum hic agatur de clerico regradato, de clerico non clerico, qui ea causa iterati criminis post regradationem adhuc admonetur primum ab Episcopo, inflicto, et vocant, fulmine excommunicationis, sicut a Quintiliano in Declamationibus exhæredatio appellatur *fulmen parentum*; inflicto, inquam, fulmine excommunicationis, et anathematismi: deinde, si in eodem crimine perseveret, relinquitur extrema pœna, sive extremo judicio afficiendus judici seculari, perinde atque si nunquam clericus fuisset. Et quod ait in hoc *cap. si in profundum malorum veniens contempserit*, est ex Proverb. *cap.* 18. et usurpatur etiam in *can. non licuit.* 17. *dist.* *Impius, qui in profundum malorum venit, contemnit*, καταφρονεῖ.

AD CAP. *Quia G.* XI.

Inscriptio hujus cap. ita restituenda est: *Cælestinus tertius Vintoniensi Episcopo, et Abbati S. Albani.* Hi vero duo prælati erant judices delegati a Romano Pontifice, ut cognoscerent de interdicto unde vi, quo agebat quidam adversus Lucium Titium, fingo, dicens se ab eo per vim dejectum possessione suæ Ecclesiæ: et Lucio Titio defuncto pendente judicio, nondum finito, cum et mox alius ejus Ecclesiæ possessionem apprehendisset, jubet Pontifex, quod maxime notandum est, ut iidem judices, qui dati erant inter actorem et Lucium Titium jam defunctum, ex formula sibi initio præscripta judicium idem exerceant adversus novum hunc possessorem, qui in defuncti locum statim subintravit; mutationem possessoris non solvere judicium: denique ab eo, qui vim intulit, judicium transferri ad novum possessorem, licet vim nullam intulerit, perinde ac si ad eum prædo ille ante litem motam, ante motum interdictum unde vi, possessionem transtulisset: quia (et hoc est singulare in jure Pontificio) etsi interdictum unde vi, vi ipsa jure civili sit in personam, nec sequatur quemcunque possessorem, sed detur tantum in eum, qui vim fecit, *l. Cum a te. de vi et vi arm.* aliter quam actio, *quod in metus causa*, quæ in rem scripta est, et datur in quemlibet possessorem, *l.* 9. §. *ult. quod metus causa*, hoc tamen jure ex Concilio Lateranensi interdictum unde vi sequitur quemcunque possessorem, *cap. sæpe contingit, inf. de restit. spol.* Et valde notanda est hæc differentia inter jus civile et jus Pontificium.

AD CAP. *Cum venissent.* XII.

Definitur in hoc *cap. de privilegio Romanæ ecclesiæ, vel Romani Pontificis*, solum Roman. Pontificem judicare posse, non ullos alios: et, ut facilius hoc intelligatur, conjungendum est hoc cap. cum *cap.* 2. *sup. de in integr. restit.* ex quo intelligimus, proprie pertinuisse definitionem hujus cap. ad Rhotonensem Britanniæ minoris monasterium, quod ex privilegiis Leonis, et Gregorii, et Clementis ad jus et proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinebat, et secundum hujus cap. igitur judicat Pontifex Roman. in causa propria, non quasi omnino propria tamen, sed quasi ecclesiæ causa communi: sicut magistratum injuriam sibimet factam legimus ulcisci posse, *l. Item apud* §. *Idem ait. de injur.* At non tam se ulcisci, quam magistratum, quem gerit, et Rempubl. quinimo imminuti magistratus, et quasi læsæ majestatis reum esse eum, qui potestatem suam in administrando non defendit, ut Asconius Pædianus scribit tertia in Verrem. Præterea dico etiam exortem, et ab omnibus eminentem potestatem, quam Romano Pontifici posteriores permiserunt, id pati, ut et de propria sua omnino causa judicet. Certe de Marcellino Romano Pontifice legimus, cum argueretur se quamvis coactum immiscuisse sacrificiis paganorum, et collectum ob eam remisisset in collegium sive Concilium multorum Episcoporum, nihil de ea re concilium pronuntiasse; imo acclamasse omnes: *Tua ore judica causam tuam, non judicio nostro: noli audiri in judicio nostro, sed collige in sinu tuo causam tuam: prima sedes non judicabitur a quoquam*, *can. nunc autem*, 21. *dist.* Secundum hæc Romanus Pontifex est ἀνυπεύθυνος πάσης δίκης, etiam hodie apud Christianos, sicut fuit olim apud Gentes auctore Dionysio Halicarnassæo, qui iisdem verbis utitur, ἀνυπεύθυνος: adeo ut, nec Senatus, nec Pop. Romani judicio obnoxius esset, sicut est proditum in *can. nemo.* 9. *quæst.* 3. Papam Roman. neque ab Imperatore, neque a Regibus, neque a clero universo judicari posse, et *can. si Papa.* 40. *dist.* cunctos ipsum judicaturum, a nemine judicandum esse.

AD CAP. *Novit.* XIII.

Controversia, de qua agitur in hoc cap. 13. fuit inter Philippum Augustum Regem Francorum, et Joannem Anglorum Regem, qui defuncto Rege, Richardo sine liberis fratre suo, ei successit in regnum excluso Arturo Duce Britanniæ filio fratris ejusdem Richardi; cui

quidem Arturo regnum potius debebatur tanquam repræsentanti patrem suum, fratrem ejusdem Richardi majorem natu. Joannes erat frater Richardi natu minor, et ut ferebat plurium Doctorum opinio, filius fratris majoris natu jure repræsentationis in successione regni, quæ consortii impatiens est, præferendus erat fratri minori, quamvis proximiori; longe tamen aliter, quam ferant rationes juris, ut docui Feudorum lib. 2. tit. 11. quæ quidem rationes præferunt fratrem filio fratris proximitatis jure, sicut in directo limite filium præferunt nepoti ex filio, ubi de successione regni agitur, ut et Carolo secundo Regi Siciliæ legimus successisse Robertum filium ætate minorem, excluso Carolo Martello nepote ex filio majore natu, ex sententia Jurisperitorum, et Bonifacii Pontificis Romani, ut Conradus Vecerius refert in Henrico VII. et facit hujus sententiæ Bonifacii etiam mentionem Baldus in *l. Cum in antiquioribus. C. de jur. de lib.* quam et probasse Clementem V. constat ex Clementina 2. *de sentent. et re jud.* ubi Robertum agnoscit pro Rege Siciliæ: imo et a Clemente V. Avenione, ubi ipse summam sedem, dimissa Roma, primus stabiliverat, Robertum utriusque Siciliæ, cis fretum, et trans fretum Regem declaratum idem Vecerius auctor est. At, ne longius errem a controversia hoc loco proposita, Rex quidem Philippus jus Arturi defendit totis viribus, quamdiu Arturus vixit; nefarie autem occisi a Joanne patruo suo, etiam necem ultus est, Joannem parricidii postulatum a Constantia Arturi matre, et a proceribus Britanniæ apud se et pares Franciæ damnando tanquam parricidam, et feudo, quæ a se tenebat in Francia, veluti *Ducatum Normanniæ*, et *Aquitaniæ et Comitatum Pictonum*, *Andium*, *Cenomanorum*, quasi commissa sibi ob tam nefarium facinus, adhibita vi magna armorum occupando, quæ et occupata omnia ejus posteri retinuerunt. Ea vero de re cum apud Innocentium III. Joannes viribus impar querelam instituisset, allegans violari a Philippo jurisjurandi religionem, qua pactas secum inducias confirmaverat, Innocentius III. Cardinalem quendam, ut se res tota habet, primum misit legatum ad Philippum Regem, qui admonitus ab eo nisi arma deponeret, et ex integro de jure suo experiretur apud Abbatem Casemarii, et Archiepiscopum Bituricensem (erat is Abbas legatus Innocentii, ideoque hoc loco præponitur Archiepiscopo, et fit ejusdem Abbatis mentio in alia causa quadam in *cap. 2. de probat. in tertia collect. et in inscriptione cap. 8. inf. eod. tit.*) nisi, inquam, apud eos Rex Philippus de jure suo legibus decertaret armis depositis, ut universo Regno sacris interdiceret. Extant hac de re duæ epistolæ Innocentii ad Philippum, *cap. 7. sup. de off. legat. et c. 43. inf. de appell.* quibus refellit Innocentius appellationem Philippi, qui a legatis suis, et a sententia interdicti ad futurum concilium appellaverat, ut Molinæus refert in commentariis ad interdictum Henrici secundi contra abusus Paparum, vel quod ille Cardinalis eam sententiam interdicti tulerat extra fines regni Francorum. Est etiam hac de re hoc cap. 12. scriptum ad Archiepiscopos, et Episcopos Franciæ ea mente, ut eos averteret a fide, et obsequio Regis, quasi non obtemperantis ecclesiæ, id est, suis præceptis. Ac primum protestatur in hoc c. aliud agere, aliud simulans se de feudis ad regem pertinentibus non suscipere, vel usurpare cognitionem, quam scit ad regem tanquam dominum feudorum, et pares Franciæ pertinere, sed suscipere se cognitionem de perjurio, id est, de violato induciarum cum Joanne factarum jurejurando: quo de re non debere regem ægre ferre, si Pontifex apud se, vel delegatos a se disceptari velit, cum, ut ait (hic utitur suasoriis argumentis) et in *can. Valentinianus 63. dist.* ex historia ecclesiastica Theodoreti videlicet *lib. 4. cap. 5.* sit relatum Valentinianum Imperatorem si forte delinqueret, professum, se subjectum esse judicio, et correctioni Mediolanensis Archiepiscopi; et generaliter sit proditum Constitutione Arcadii, Honorii, et Theodosii, (quæ extat in fine Cod. Theod. et in *cap. quicumque 11. quæst. 1.* et comprobata est a Carolo Magno, ut constat *ex can. volumus, ead. q. et causa*) uno ex litigatoribus eligente judicium Episcopi sui, ad eum protinus causam transmittendam esse. Hæc omnia scribit, ut demulceat Prælatos Franciæ, eisque persuadeat, se juste incessere regem Francorum, et propter eum universo regno sacris interdicere. Qua de re tamen Innocentius tertius nihil egit, nihilque potuit apud Philippum Augustum præstantissimum Principem. At notandum interim, quod in hoc cap. obiter ait Innocentius, Philippum Augustum (qui scilicet Augustus est appellatus, non quod esset Imperator) descendisse ex genere Caroli Magni: nam ex eo sequitur necessario Hugonem Capetum, cujus Philippus Augustus fuit trinepos, ex Carolo Magno originem genusque traxisse, quod et verius esse hodie plerique existimant tum Franci, tum Itali. Et de Dante, qui Hugonem illum scripsit fuisse lanium, Volaterranus et ipse Italus palam scripsit, se non satis scire, cur id Dantes dixerit cum sit manifesto falsum, *lib. 8. Geographiæ.* Neque vero quicquam est aliud, quod sit necesse adnotare ad hoc c. 13.

AD CAP. *Pastoralis.* XIV.

Utinam servaretur lex hujus cap. quæ vult litigatores ipsos per se, si intellectu capiant factum, de quo est controversia sive quæstio, narrare apud judicem, non per Advocatos. Ii enim plerumque in facto narrando callide nimis, et perfidiose se gerunt, ut decipiant judicum religionem et fidem, quia et sæpiusnumero ad causam orandam accedunt facto nondum bene perspecto et percepto, de quo (ut Ammianus Marcellinus lib. 30. scribit) *sub ore judicis inter ipsos conflictuum articulos instruuntur*, quod hodie fit vulgo: hisce hominibus committes jura tua, causas tuas, qui ad eas nondum cognitas accedunt temere, ac tunc demum incipiunt cognoscere cum et agere? Scripta est autem Constitutio ad Episcopum Heliensem in Anglia, qui de multis et variis juris articulis Pontificem consuluerat, ut patet ex sequentibus locis, qui omnes conjungendi sunt, et colligendi in unum fascem, *ex c. 18. de off. et pot. jud. del. et cap. 11. de off. jud. ord. ex c. 51. de appel. ex c. 8. de fid. instrum. ex c. 1. de sacr. non iter. ex c. 14. de rescript. ex c. pen. de iis, quæ fiunt a prælat. sin. consens. cap. ex c. 7. de donat. ex c. 28. de elect. ex c. 29 de jur. patr. ex cap. 19. de privil. ex c. 4. de except.* cui hoc c. 14. coaptandum esse, quod editio Item. non notavit, constat. ex c. 3. *de excep. in 3. coll.* Hæc omnia capita scripta sunt ad *Heliensem Episcopum*, et conficiunt librum satis magnum, quem Innocentius edidit ad *consulta Heliensis Episc.*

AD. CAP. *Examinata.* XV.

Prior pars hujus c. integra extat in *cap. 7. inf. de confirm. uti. vel inutil.* Utroque capitulo conjuncto speciem hanc esse apparebit, quæ est pulcherrima. Controversia erat de jure patronatus ecclesiæ S. Angeli inter nobilem virum Matthæum de Riparia, ad quem hoc cap. scriptum, est, et milites Campaniæ quosdam, nempe fratres certi ordinis in Campania, veluti milites S. Joannis Hierosolymitani, et agebatur interdicto uti possidetis, quo in judicio plerunque interveniunt tres sententiæ antequam veniatur ad judicium petitorium, quod est de proprietate: una, qua possessio, de qua agitur, sequestratur in mediam manum aliquam: altera, qua possessio adjudicatur uni ex litigatoribus et tertia, quæ præjudicium maximum facit judicio petitorio, ita ut, post eam vix a quoquam unquam judicium petitorium instituatur, qua quidem tertia sententia judex in possessione omnino tuetur eum, cui possessionem adjudicavit: vulgo dicimus *la sequestres, la recreance, la maintenue, avec la sentence.* In hac quidem causa de jure patronatus possessio primum supradictæ ecclesiæ, ne fructus dilapidarentur, sequestrata est apud Vicedominum Sabinensem (res agebatur in Italia) id est, apud administratorem episcopatus Sabinensis, qui quidem episcopatus respondet ecclesiæ Rom. et habuit Vicedominum, ut et fere omnes episcopatus olim, ut liquet satis ex *c. volumus, et c. seq. 89. distinct.* Episcopus appellatur domnus, ut cum ei occinitur, *Jube domne benedicere.* Vicedominus vicem gerit Episcopi in omnibus negotiis ecclesiasticis. Sigebertus in Chron. *Theophilus*, inquit, *Vicedominus secundas partes ecclesiasticæ dispensationis sub Episcopo agebat.* Anastasius Bibliothecarius facit etiam mentionem Petri cujusdam Vicedomini ecclesiæ lib. 23. At ut Hostiensis, et Panormitanus scribunt recte in *cap. 7. de confirm. ut. vel inut.* (quod hujus pars est, ut dixi) sex sunt Episcopi, qui circa latus agunt semper Romani Pontificis. *Hostiensis*, *Portuensis*, *Sabinensis*, *Albanus*, *Prænestinus*, *Tusculanus*, et ii habent proprie Vicedominos in suis episcopatibus, per quos administrent spiritualia et temporalia omnia, quæ per se quo minus administrare possint Rom. Pontifex facit, cujus consilio semper assident. In causa autem proposita, non tantum sequestrata est possessio apud Vicedominum Sabinensem, sed etiam de re tota partes in eum compromiserunt, qui et sententiam tulit de re tota, sed tulit eam contra formam juris et compromissi, ut ideo sententia judicatur esse nulla in *d. c. 7.* quamvis fuerit confirmata, quod notandum, a Cælestino Innocentii antecessore, quia non fuit confirmata (quod notandum) pure, et certe, atque districte, sed, ut fieri solet, adjecta clausula vulgari, *sententiam confirmamus sicut provide lata est, et ab utraque parte recepta*, quæ clausula conditionem facit. Quamobrem ad irritum deducta sententia Vicedomini, Matthæus denuo cœpit agere de jure patronatus cum supradictis militibus, et egit actione in rem, vindicans, et asserens sibi jus patronatus, qui repulsus est, quasi instituta actione incongrua et inepta. Nec enim actio in rem possessori datur, *l. 1. §. Interdictum, D. uti possid.* Denique non habet quisquam actionem in rem, quam non sibi dispendio possessionis comparaverit. Testibus autem probatur Matthæum jam ab eo tempore, quo supradictus Vicedominus supradictam ecclesiam S. Angeli tanquam sequester acceperat, fuisse possessorem juris patronatus, quo de agebatur: inepte igitur egere actione in rem, quæ possessori non datur, sed adversus possessorem. Merito igitur repulsus est, verum ex sententia hujus c. integrum ei est, post repulsam agere congrua et competenti actione, puta repetito interdicto uti possidetis: nam etsi inepta actio frustra instituatur, *l. Fidejussor. D. de neg. gest. l. 1. si mens. fals. mod. dix. l. 2. C. de form. et impet. act. subl.* tamen non consumit aptam, et negotio convenientem actionem, *l. Cum indebitum. de cond. indeb. et clem. ult. de appell.* quæ est sententia hujus cap.

AD CAP. *Deputati.* XVI.

Hoc cap. scriptum est Magistro, et fratribus militiæ templi in Italia constitutis; ii sunt, qui alibi *Templarii* dicuntur *cap. 3. 7. 10. 20 de privil.* ex eo deducta appellatione, quod primum consederint Hierosolymis ex parte templi Dominici ab Abbate templi, et Balduino rege eis ad habitandum concessa. Hic ordo cœpit Gelasii II. temporibus, et abrogatus est cum summa infamia a Clemente V. ob ingentia quædam facinora, bonaque ejus ordinis adjudicata sunt partim militibus S. Joannis Hierosolymitani, qui hodie Melitam tenent, et Hospitalarii, id est, Xenodochi olim appellabantur, partim militibus JESU CHRISTI in Lusitania, ut Raphael Volaterranus scriptum reliquit. Qui eis præest, et qui templariis præerat veluti princeps quidam, *Magister* appellabatur. Hic solebat domibus, sive prædiis ad Ordinem suum, sive ad militiam suam pertinentibus, præficere præceptores (sic vocantur hoc loco, vulgo *Commendeurs*) quibus illorum prædiorum tuitio præcipue curæ esset. De iis præ-

ceptoribus, ut vocentur, dubitabatur, an eorum prædiorum nomine agere et conveniri possent, quoniam non erat eis a magistro specialiter commissa illum procuratio: qua de causa et judices tam civiles quam Ecclesiastici eos non admittebant ad lites exercendas Ordinis sui nomine; adjicientes et eos sibi homines obscuros et incognitos, et eorum genus et nationem incognitam esse: propterea quod plerumque earum prædiorum cura a Magistro mandabatur exteræ nationis hominibus, et fit etiam hodie, verbi gratia, Syro, vel Chaldeo cura prædiorum, quæ erant in Gallia, Gallo cura prædiorum, quæ erant in Hispania. At in hoc cap. definitur non ob eas res, sive causas prohibendos illos esse ab actione causarum, ad ea prædia pertinentium, et generaliter rem ad suum Ordinem pertinentem eos in judicium deducere posse. Hæc est sententia hujus c. quod recte etiam trahit Panormitanus ad Præceptores S. Antonii, quibus rerum, quas is Ordo in Italia habet, cura mandatur, qui plerique omnes erant Galli: eam is Ordo primum cœpit in Gallia Viennensi.

AD CAP. *Qualiter*. XVII.

Certissima juris regula est, *actores sive accusatores sequi forum rei*, *l.* 2. *et* 5. *C. de jurisd. omn. jud. l.* 3. *C. ubi in rem act. exerc. deb. c.* 5. *et.* 8. *tit. seqn. can. si quisquam*, 110. *quæst.* 1. secundum quam regulam laici, quibus est cum clericis negotium aliquod, eos convenire debent in foro ecclesiastico, in foro Episcoporum scilicet, in quorum diœcesi clerici morantur. Et ob eam rem episcopis Pontifex Romanus injungit hoc loco, *ut laicis agentibus contra clericos, Episcopi jus reddant plene atque perfecte, et ne frustratorias clericorum appellationes recipiant.* Frustratoriæ, quæ et moratoriæ dicuntur, sunt, quæ in hoc tantum interponuntur, ut negotium trahatur de die in diem, ut quantum potest procrastinetur, ut mora judicii injiciatur, ut non emendetur sententia aliqua, quæ inique noceat ei, qui appellat. Quæ igitur interponitur sine causa, aut levi ex causa, ut his, qui nulla in re injuria judicis læsi, aut onerati sunt, c. 13. *inf. de appell.* Paulus 5. Sentent. *tit.* 35 *moratorias*, inquit, *appellationes recipi non placuit.* Ait, *ut laicis de clericis conquerentibus plenam faciant justitiam.* Plenam justitiam, quia plenam oportet esse rei, quæ in judicium venit, inquisitionem, *l.* 9. *Cod. de judic.* plenamque sententiam, *l.* 2. et 3. *C. Theod. de sentent. ex per. recit.* D. Augustinus, *in breviculo cum Donatistis collatione tertia: Legibus*, inquit, *prohibetur judex semiplenam proferre sententiam.* Quod si ita ad plenum judex ecclesiasticus jus laicis agentibus contra clericos non reddat, si jurisdictionem suam eis deneget, periculum est, ut hic indicatur, ne eo dimisso laici confugiant ad judicem secularem, quod tamen Pontifex hoc loco valde abominatur et prohibet: id fieri solebat tamen, idque æquitatis ratio suadere videtur. Nam si propter desidiam judicis secularis laici trahi possunt ad judicem ecclesiasticum, *cap.* 10. *tit. seq.* cur non etiam propter desidiam, vel injuriam judicis ecclesiastici, clerici ad judicem secularem? quod et Justinianus probat *Nov.* 83. *et glossa in can. filius* 16. *qu.* 7. Pars autem est hoc c. capituli 17. *inf. de accusat.* ut Constat. ex *c.* 4. *eod. tit.* in 3. *collect.*

AD CAP. *Causam*, *quæ*. XVIII.

Hoc cap. est de controversia quadam, quæ erat inter Abbatem et conventum Vindociensem, sic legendum, *Vindoniam* vocabant, quam veteres *Vindinam*, inter Abbatem, inquam, et conventum Vindoniensem ex una parte, et Archidiaconum Carnotensem ex altera, super procurationibus quibusdam, id est, super annonis, et pabulis jumentorum, quæ præstari solent Prælatis obeuntibus provincias suas, puta, Episcopis, vel Archidiaconis, qui et ipsi Prælati sunt, *cap.* 2. *sup.* Archidiaconus Carnotensis contendebat eas sibi procurationes esse præstandas obeunti provinciam suam ab Abbate et monasterio Vindoniensi ratione visitationis. Visitatori Prælato debentur annonæ, et capita, sic vocant *pabula equorum*: ratione, inquam, visitationis procurationes præstantur, *cap. procurationes. cap. cum sæper. inf. de censib. cap.* 2. *et* 3. *eod. tit.* in *sexto*, *cap. cum ex officii*, *inf. de præscript.* et recte in *cap. cum venerabilis*, *inf. de censib.* visitationi adnexam esse procurationem. Contra monachi Vindonienses negabant se eas procurationes debere præstare Archidiacono Carnotensi, et privilegio quodam suo se ab hoc onere exemptos esse asserebant. Pontifex hujus controversiæ decisionem delegavit Episc. et Archid. parisiensi, decisionem, inquam, ut est in antiqua Decretali: et si decisionem, ergo et cognitionem, ut *c. pen. inf. h. t.* qui delegat consequens, delegat et antecedens. At monachi Archidiaconum Parisiensem ejerarunt, tanquam suspectum, hac ratione, quod ipsi pene similis controversia esset cum aliis quibusdam monachis, et loco ejus postulaverunt delegari Decanum Parisiensis ecclesiæ, quod et Pontifex facit hoc cap. existimans, quod notandum, hanc esse justam causam ejurandi et recusandi judices, quod in simili causa, simili periculo versetur: nec enim videtur aliter judicaturus de causa aliena, quam optat judicari de sua, quæ non absimilis est. In hanc rem Constitutio est valde singularis. Huic vero controversiæ invenies parem in *cap.* 14. *inf. de censib.*

AD CAP. *Exhibita*. XIX.

Cum orta esset controversia de electione Virdunensis Episcopi in Lotharingia inter ipsum electum et Archidiaconum, et Canonicos quosdam ejusdem ecclesiæ, qui electionem contendebant non rite, et ordine, non legitime, non canonice factam: mandavit Honorius III. auctor hujus cap. Episcopo Parisiensi, et aliis quibusdam, ut vocatis iis quorum interesset, ea de re tota, omni ex parte et diligenter inquirerent. Coram quibus electus adversariis partim objecit, quod conspirassent in necem suam, quod sibi inimici essent capitales: quæ exceptio est legitima, *c.* 32. *inf. de simon. c.* 22. *inf. de sent. et re jud.* partim quod excommunicati essent: quæ exceptio etiam est legitima, *c.* 7. *sup. h. t.* Et cum electus utramque exceptionem probare judicibus paratus esset, judices ejus probationes admittere, et testes ab eo productos exceptionum probandarum causa audire noluerunt, sed se ultro ex officio suo iis de rebus, et de principali negotio simul inquisituros interlocuti sunt, interfati sunt, existimantes (hic fuit illorum error) se non tam judices, quam inquisitores datos. Sciendum est, triplicem vel quadruplicem viam esse, qua in judicium crimina reorum deduci possunt, *c.* 16. *et c.* 24. *inf. de accusat. c.* 31. *inf. de simon.* Una est accusatio, quæ accusatoris inscriptionem exigit: altera, denuntiatio, quæ inscriptionem non exigit: tertia, inquisitio, quæ ex mero judicis officio fit sine accusatore, sine delatore, rumore aliquo ad eum perlato: et quarta, quæ tamen primæ quodammodo inest, est exceptio, puta quoties quis in modum exceptionis refellendi adversarii causa crimen ei aliquod objicit in modum exceptionis, ut ait *h. loco*, atque etiam alibi, ut in modum contradictionis in *l. Papinianus.* §. *Si filius. D. de inoff. test.* In specie autem proposita Episcopus Parisiensis, et ceteri Syndicastæ, qui ei adjuncti judices erant, existimabant, ut dixi, sibi mandatam tantum inquisitionem eorum, quæ electus Episcopus Virdunensis opponebat adversariis suis, et, quod caput erat, inquisitionem de electione, an rite facta esset, necne, id est, *ut ipsi ultro per se*, ut ait, *de his omnibus inquirerent per testes a se conquisitos, et accitos, non per testes productos ab electo, vel adversariis electi.* Qua de causa cum in hac falsa opinione essent, lite nondum contestata, testibus audiendis, quos undique conquisierant, dederunt operam, contra quam fieri solet, ubi more judiciorum per testes res agitur: nec enim testes audiuntur ante litem contestatam, *cap.* 22. *de sent. et re jud.* Est hac de re sola titulus sextus hujus libri, *ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem.* Quamobrem (nempe quod de negotio principali testes recepissent ante litem contestatam) electus quasi injuria affectus provocavit ad summum Pontificem, qui in hoc cap. justam appellationem pronuntiavit, quod sibi fuerit animus non inquisitionis nudæ supradictis judicibus deferendæ, sed etiam cognitionis: nec sunt hæc verba, quibus usus est Pontifex in literis ad eos scriptis, *ut veritatem inquirerent*, continere accipienda de nuda inquisitione, cum et de cognitione plena accipi possint, quæ fiat servato more et ordine judiciorum, ut *l.* 9. *C. de judic.* itaque rescissa sententia Episcopi Parisiensis, causam ex integro Pontifex agendam remittit ad Archiepiscopum Remensem, et Decanum Bremensem; non ad eosdem, quia non solet ad eum, a quo appellatum est, causam remittere is, ad quem appellatum est, si is sententiam ejus infirmaverit, *l. Eos. C. de appellat. cap. accepta*, *inf. eod. tit. cap.* 8. *de matr. contr. interd. eccl.* Causam, inquam, remittit ad Archiepiscopum Remensem, et decanum Bremensem Coloniensis diœceseos, ut est in inscriptione hujus c. quia sub Coloniensi Archiepiscopo fuit tum Bremensis episcopatus, qui postea factus est Archiepiscopatus, ut Albertus Krantzius optimus auctor scribit secundo Metropolicos, cap. 19.

AD CAP. *Venerabilis*. Penult.

Controversia, de qua agitur in hoc cap. fuit inter Simeonem Archiepiscopum Ravennatem, et commune civitatis Cerviæ, Archiepiscopo Ravennate magna ex parte sibi vindicante jurisdictionem illius civitatis, Cerviensibus contradicentibus. Et facit hujus controversiæ mentionem adducto isto capitulo Hieronymus Rubæus lib. *Histor. Ravennat.* Porro hujus controversiæ decisionem mandavit Pontifex Magistro Tancredo Canonico Bononiensi, qui unus fuit ex glossatoribus antiquis Decretalium, et cum apud eum Tancredum dolo malo Cerviensium res protracta fuisset in triennium a tempore litis contestatæ, atque ideo Cervienses dicerent, periisse instantiam supradictæ causæ, et agere perseveranti Archiepiscopo post triennium objicerent præscriptionem triennii ex *l. Properandum. C. de judic.* quæ vult causas civiles, et privatas terminari intra triennium, aut si intra triennium terminatæ non fuerint, instantiam ejus judicii deperire, ex integro tamen de eadem re litigari posse, ut *l. Et post edictum.* §. *pen. de judic.* Pontifex Tancredo rescripsit: nihil Cerviensibus hanc præscriptionem triennii opitulari: quia per eos factum erat, quia dolo malo eorum factum erat, ne lis terminaretur intra triennium, alioquin ex dolo suo lucrarentur, ex dolo suo lucrum facerent. Hæc est vera ratio hujus cap. quam ex veteribus animadvertit Philippus glossator, quod Bernardus Parmensis non animadvertit, qui et stulte, ne quid dicam acerbius, cum aliis plerisque putat hoc cap. corrigi *d. l. Properandum.* Id vero ut instantia litis non pereat præscriptione triennii, si dolo malo adversarii lis protracta sit in triennium, confirmat optime *l. Arbitrio*, §. *pen. de dolo*: quæ adversarium, cujus dolo factum est, ut lis legitimis temporibus transactis perierit, ait, teneri actione de dolo, non quidem in hoc, ut res arbitrio judicis restituatur, quem in finem plerunque datur actio de dolo, quoniam res perempta non est, instantia judicii non periit, sed ut præstetur quanti interest actoris: id non esse factum, non esse litem prolatam ultra legitima tempora, puta et quid ob eam rem damni, si quid impendii actori accesserit, ut *l. Cum quis. eod. tit.* Alioqui si id impune ferret adversarius, si non teneretur ad id, quod interest, ad idem exemplum facile quis legem eluderet, circumscriberet, legi fraudem faceret, quæ certe tempore

lites circumscripsit: id videtur ante Justinianum, id est, ante *d. l. Properandum*, fuisse annum, ut Servius indicat in illum locum Virgilii: *Si omnes uno ordine habetis Achivos.* Certe in criminalibus fuisse annum certo certius est, quod hodie est biennium ex Constitutione ejusdem Justiniani, fuisse ante Justinianum annum, liquet ex *l. 1. et 2. ut int. tpm C. Theod. et tul. an. crim. quæst. term. l. c. C. Theod. ad l. Corn. de fals.* et omnino *ex l. 8. ex de muner. et honor.* ut et in omnibus causis fuisse annuam ante Justinianum. Censeo autem notandam esse interpretationem *d. §. pen. l. Arbitrio.* Non omittam, ad hoc c. plurimum facere *cap. ult. inf. de testib. c. g.* ex quo, quod Rubæus omisit, intelligimus etiam apud Cervienses illos tanto in odio fuisse Archiepiscopum Ravennatem, ut in ejus necem conjurarent pecunia corruptis duobus clericis ecclesiæ Ravennatis.

AD CAP. *Significaverunt.* Ult.

Hujus capitis ultimi inscriptio, simul et capitis ultimi *inf. de testibus cogendis*, sic restituenda est: *Id est Episcopi Bononiensi, et Magistris Tancredo Bononiensi, et Baldinno Pratensi, Romanæ commorantibus Curiones.* Species autem hujus c. ult hæc est: Abbas et Monachi S. Mariæ (quod monasterium est Florentiæ) agebant interdicto uti possidetis contra oppidanos vicini cujusdam castri, et contendebant se esse in possessione, aut verius quasi possessione (jura enim proprie non possidentur) hujus juris, ut in castro illo Rectorem, id est, Potestatem, sive judicem secularem, quem vellent eligerent, et constituerent ad tempus certum, eoque tempore finito alium. Ea agebatur apud potestatem Florentinam, qui summus in ea urbe magistratus est, inter Syndicum monasterii, et Syndicum ejusdem castri: et Potestas Florentina judicavit pro monachis, possessionem, de qua agebatur, addixit monachis, neque tamen sententiam suam Potestas perduxit ad effectum. Nam cum monachi quendam Rectorem fecissent supradicti castri (castrum accipit pro oppido) non coegit Potestas oppidanos ut eum reciperent: imo Abbatem et monachos coegit apud se de proprietate, vel quasi propr. supradicti juris litem contestari, cum, etsi quæstio de possessione pertineat ad cognitionem Potestatis, qui judex est secularis, judex civilis, sive mundanus *cap. 7. inf. qui filii sint legit.* non tamen pertineat ad eum cognitio de proprietate, aut verius quasi proprietate (quia juris proprie neque possessio, neque proprietas est, quo de causa aufert etiam Potestati Florentinæ Pontifex in hoc cap. cognitionem de proprietate, non habita ratione litis apud Potestatem a monachis ea de re contestatæ, qui se volentes quidem agendo de jure monasterii subjicere se poterant judici seculari, *cap. 12. tit. seq.* et ad judices ecclesiasticos causam de proprietate, vel quasi proprietate supradicti juris remittit, ea lege, ut prius Rectorem electum a monachis in castrum introducant, deinde de proprietate disceptent. prius exequenda et peragenda est causa possessionis, quam proprietatis, *l. Ordinarii. C. de rei vind. l. 1. C. de appellat. c. 1. inf. de caus. possess. et propriet.* nisi quis utramque causam copulare velit, et judex simul utramque disceptare potest, ut docui super ad *l. 12 §. Nil commune. de acquir. poss.* Et hæc quidem mandata, hasve literas Rom. Pontificis cum Syndicus supradicti castri se diceret paratum esse docere subreptitias esse, hoc est, impetratas per suppressionem veri, et assertionem falsi, sed quod instaret tempus feriarum vindemialium, antequam hæ præterissent, se ad id docendum teneri negaret propter ferias, idque faceret dolo malo trahendi negotii causa, quoad id tempus exiret, quo circumscriptum erat, ut fiaium illud electi Rectoris munus: ideo Pontifex decernit in hoc cap. ut non habita ratione feriarum vindemialium judices supradicti impleant mandata sua, puta, ut Rectore electo in castrum intromisso, secundum definitivam sententiam Florentinæ Potestatis, tunc de quasi proprietate illius juris cognoscant. Feriæ non observantur ubi res, de qua agitur, si differatur, in periculum cadat, ne elabatur, aut pereat, *l. 1. §. pen. l. 3. de fer. l. 2. in fi. de custod. reor.* ut apud Svetonium Tranquillum legimus Augustum, ne quod negotium mora eluderetur triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum, id est, juri dicundo accomodasse. Hæc est sententia hujus cap.

AD TITULUM II.

De Foro competenti.

Hic titulus est de *foro competenti*, id est, quo in foro quis agere, vel conveniri debeat. Idem dixeris etiam recte *forum congruum*, ut judicem competentem, judicem congruum, judicem incompetentem, judicem incongruum, *l. 1. C. de jurisd. omn. jud.* in quo titulo et id latet: est enim plenior titulus, *de jurisdictione omnium judicum, et foro competenti*: et in Nov. Martiani, *neminem exhiberi ad comitat.* Forum competens, quod scilicet reo competit, ut loquitur *can. si quisquam. 11 q. 1.* quod competit his, qui eo conferunt suas controversias, et quæ vendere volunt, et alia quæque, ut Varro ait. Unde nomen Isidorus virili genere dixit *forus*, nec sine exemplo: nam et Lucilius, *forus*, inquit, *olim ornatus lucernis*, et Sallustius apud Nonium, alio tamen significatu: nam et nomen hoc multiplex est. *Illum*, inquit, *nautis forum.* Et Victorinus Afer, qui simul ostendit, et multiplex hoc esse nomen, in fine libelli *de orthographia*: *Forus*, inquit, *status tam in foro, quam in navi, et torculari.* Hic autem titulus pars est superioris: nam et in titulo superiore Constitutiones quædam sunt de foro competenti, et aliæ de his, qui legitimam habeat personam standi in judicio, de ratione, more, ritu, et ordine judiciorum, officio judicum, de translatione judiciorum ab uno possessore ad alium, de narratione negotiorum, quæ in judicium veniunt, de congruis actionibus, et incongruis, de temporibus litium. Latius denique quam hic titulus superior patet diffunditurque. Tria autem capitula heic proponuntur initio hujus tituli, quæ simul explicabo. Non sunt ex Decretalibus epistolis Rom. Pontificis, ut quæ sequuntur, sed ex veteribus canonibus, atque conciliis.

AD CAP. *Si quis.* I.

Et cap. 1. quidem, quod repetitur ex *can. si clericus 11. q. 1.* hoc vult, ut clericus adversus clericum litem, si quam habet, instituat apud proprium Episcopum, non apud judicem secularem, quia, ut Zonaras ait, τοῦτο ὡς καταφρόνησις καὶ ὕβρις τοῦ ἐπισκόπου ἐστιν: quam rationem sumit ex *c. seq.* Prius igitur adeundus est proprius Episcopus, ut litis ipsemet cognitionem suscipiat, vel ut ex consilio, et permissu ejus in alios, in quos utraque pars consenserit tanquam arbitros, transferat, ut *c. 4. et 18. inf.* Hoc loco dicitur generaliter, *apud alios*, nulla facta distinctione inter laicos et clericos. Ergo ex consensu Episcopi, et utriusque partis causa clericorum laico permitti potest, quod ἐξ ἀντιδιαστολῆς, id est, ex contrario sensu etiam innuit *c. 2.* et aperte definit *can. clericum 1. et 2. 11. q. 1.* et Concilii Aurelianensis quarti *c. 20.* Et ita olim obtinebat. Aliud tamen visum est Gregorio IX. *cap. 13. inf. ne clerici* ab Episcopo, ne consentiente quidem Episcopo, possint causam suam permittere laicis, sed ecclesiasticis tantum. Quod non magna ratione nititur: Nam quod fit ex consensu Episcopi, et ex consensu utriusque partis permissa cognitione laico, cur non erit ratum et firmum? cur hoc invideas laicis? an deterior illis mos, quam ecclesiasticis?

AD CAP. *Nullus.* II.

Ait in cap. 2. *Nullus judicum, neque presbyterum, neque diaconum, etc.* Nullus judicum. secularium scilicet, ut glossa supplet recte, et confirmat *c. 1. de cler. conjug. in 6.* Nullus igitur judicum secularium, neque presbyterum, neque diaconum, aut clericum ullum, aut juniores ecclesiæ sine permissu Pontificis, id est, Episcopi proprii, per se distringere, aut condemnare præsumat. Legendum omnino, *juniores ecclesiæ*, ut *Concilii Altissiodorensis c. 43.* qui *juvenes* in *l. 10. Cod. Theod. de episc. et cler.* hi sunt acoluthi, lectores, ostiarii, et alii inferioris ordinis, qui λιτοὶ παῖδες, dicuntur in *Novella Isaaci. Imp. Constantinopolitani.* Et serva hoc loco, et in *d. l. 10.* juniores illos, sive juvenes ecclesiæ separari a clericis: non esse igitur clericos. Idem tamen in iis, quod in clericis jus servatur, ne ipsis judex secularis eos sine licentia Episcopi distringere, aut destringere, mulctare, castigare, aut condemnare audeat, alioquin ut ab ecclesia excludatur, quoad suum erratum agnoverit, et purgaverit, quod quidem repetitur *ex. can. 2. 11. q. 1.* Carolus *lib. 3. legum Longobardorum tit. 1. l. 11. Ne clerici*, inquit, *ad publica, vel secularia judicia trahantur vel distringantur.*

AD CAP. *Sane si.* III.

Sententia hujus c. quod est ex Concilio Africano, id est, Carthaginiensi, ut constat ex Concilii Carthaginiensis, quod græce scriptum exstat *can. 121* unde apparet, et conjungendum esse *hoc. c. cum c. 1 sup. de arbitr.* sententia, inquam, hujus cap. 3. hæc est: si duo Episcopi diversarum provinciarum inter se contendant de loco aliquo, unoquoque eum locum adscribente suæ provinciæ, suæ diœcesi, suæ cathedræ, ut loquuntur, ut hujus controversiæ dirimendæ causa judex detur Primas, in cujus provincia ille locus situs est. Primatem vocat Metropolitanum, teste Balsamone, id est, Archiepiscopum, et recte. Nam omnes olim Metropolitani dicebantur *Primates*, et *Patriarchæ*, et *Exarchæ* diœceseos, vel provinciæ, et primæ sedis Episcopi, ut constat ex Sardicensis Concilii c. 6. Hodie distincti sunt Primates a Metropolitanis: Primates scilicet sunt supra Metropolitanos, ut Chalcedonensis Concilii *can. 9. et 17. can. si clericus 11. q. 1.* Et initio quidem quatuor tantum Primates constituti sunt ex Concilii Constantinopolitani sexti *can. 36.* et Justiniani *Nov. 123.* nempe hi quatuor, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus. Deinde cum Romanus se super omnes sic in cælum extulisset, jam noluit se Primatem appellari, aut Primatibus adnumerari, quasi non habentem comparem: tum pro Romano subditus est Antiochenus Primas, *c. penult. 22. dist.* ex Concilio illo Chalcedonensi, sed depravate dedita opera a Gratiano, puta pro Romano substituto Antiocheno, *cap. antiq. inf. de privileg.* Post additi sunt Primates alii complures, Aquilejensis in Italia, Gradensis in Histria, Cantuariensis in Anglia, Bituricensis in Aquitania, et Viennensis in Gallia Narbonensi, qui se Primatem primatum vocat. Sunt etiam, qui addunt Toletanum in Hispania. His Primatibus, ut distinguantur a ceteris Episcopis solent præferri, ut scitis, plures cruces. Verum enimvero iidem esse censentur judicio fere omnium Primates, et Patriarchæ, ut *c. 1. et 2. 99. distinct. et c. conquestus 9. q. 3.* ubi fit mentio Primatis Bituricensis.

AD CAP. *Si quis contra.* IV.

Didicimus jam ex c. 1. clericum esse conveniendum apud proprium Episcopum, vel ex consensu Episcopi apud eum, quem utraque pars elegerit. Id ex hoc c. 4. sic intelligi oportet, ut si actori Epi-

scopus suspectus sit, tunc ex consensu Episcopi, et utriusque partis apud alium causa agatur, ac præterea, ut per executorem datum ab Episcopo, id est, per viatorem, vel si hunc nolit actor, quem executorem dedit Episcopus, per executorem datum a Defensore insulæ Corsicæ, quæ potestas est secularis, ad quam hoc scribit Gregorius primus in hoc cap. compellantur partes in alios judices, vel arbitros compromittere, nihil refert clericos an laicos, cum nec distinguat, sed generaliter dicat, *in alios*. Hæc fuit mens Gregorii, qui tamen nos idem omnino permisit Defensori Siciliæ c. *perveniit* 11. q. 1. nisi quatenus si cui res sit cum Episcopo, eam rem apud Defensorem Siciliæ disceptari decernat. Mentem autem Gregorii Raymundus auctor hujus Compilationis occu'uit, immutatis ejus verbis secundum novissimas Pontificum Constitutiones, quæ ne consentiente quidem Episcopo, et utraque parte volunt alios judices eligi, quam clericos, nulla autem ratione volunt laicos tractare, vel discepiare negotia clericorum, c. 18. *inf.* Sic scripserat Gregorius, ut patet ex lib. 9. Epistolarum, *Executor ab ipso Episcopo, aut si et hunc actor refugerit, a tua est experientia deputandus*, id est, *a defensore Corsicæ*, qui judex est secularis. Et hunc sensum etiam retinuit Bernardus Papiensis in secunda Collect. Verba autem, ut a Raymundo immutata sunt, nullum idoneum sensum referunt. At ratione eadem motus Raymundus in fine hujus cap. cum Gregorius ita scripsisset: *vel tua, vel Episcopi tui sollicitudine*, hoc sensu, ut sententiam dictam a judicibus datis ex consensu partium ad finem perduceret, id est, exsequeretur, vel Defensor Corsicæ, si ad eos deligendos judices partes compulisset, vel Episcopus, si Episcopus id fecisset: omisit Raymundus illa verba, *vel tua*, ne quid Defensori, qui est judex secularis, relinqueret, quod posset in causis clericorum. Quod autem ait, ut *quidquid fuerit diffinitum, servata lege compleatur*, puto omnino accipiendum esse de *l. A Divo Pio. in princ. de re judic.* quæ vult, judicum a se datorum sententias eos exsequi, qui dedere. Et plane judices dati videntur ab eo, qui compulit partes in eos consentire.

AD CAP. *Si Clericus.* V.

Scriptum est hoc c. Archiepiscopo Genuensi, et hoc vult, ut secundum regulam juris, actor sequatur forum rei, sive in personam sit actio, clericus adversus laicum agat judicio in rem apud forensem, sive secularem judicem, et ut jus sit laico revocare forum, si vocetur in jus apud judicem ecclesiasticum. Et quodammodo damnat consuetudinem, quæ invaluerat quibusdam in locis in contrarium, ita ut clerico agenti trahere liceret laicum ad judicem ecclesiasticum, non sequi judicem secularem, quod est contra ordinem juris, ut ait *lex. 2. C. de jurisd. omn. jud.* Et fit sæpe, id tamen ferente casu quodam, ex rescripto Rom. Pontificis, ut hoc loco glossa notavit, vel ex rescripto Principis ut *Novel. 83.* nempe, ut extra ordinem reos trahatur ad forum actoris. Id fieri etiam ex generali consuetudine regni Franciæ Innocentius notat in ca. 2. *sup. de alien. mut. jud. causa fac.* Et sane ita obtinuit diu in Francia ante Franciscum primum. Id fit etiam ex privilegio Friderici Imp. quod tamen hodie non servatur, quo quidem studiosis, id est, scholaribus, ut vocant, id similiter tribuitur, ut sive agant, sive conveniantur (immo et hoc hodie servatur in scholaribus) causam suam agant in suo foro, non in foro adversarii, ad exemplum, ut opinor, clericorum, quia tum idem juris ubique sibi clerici extra ordinem vindicabant. Loquitur in hoc c. de judicio in rem, quo experiebatur clericus in laicum, et ait, *si clericus laicum de rebus suis, vel ecclesiæ impetierit*, id est, *si clericus in laicum egerit in rem*, et ut subjicit, *laicus res ipsas non ecclesiæ esse, aut clerici, sed suas proprias asserverit*. Notandus est hic locus, qui demonstrat, quod verissimum est, hanc esse formam judiciorum in rem, ut actor vindicet, reus contra vindicet, §. 1. *Instit. de action.* alioqui nulla inter eos esset dominii lis, nisi uterque assereret se esse dominum rei, que de agitur, *l. 24. D. de petit. hæred.*

AD CAP. *Ex transmissa.* VI.

Hoc c. est scriptum Senonensi Archiepiscopo, sic est restituenda inscriptio, et sententia ejus hæc est: Tres erant milites, id est, vasalli Trecensis ecclesiæ, sive Tricassinæ ecclesiæ, sic legitur in uno vetusto exemplari secundæ Collect. ecclesiæ Trecensis, non ecclesiæ tuæ, melioremque hanc esse lectionem Hostiensis ait. His militibus faciebat quidam controversiam de feudo seculari, quod tenebant non ab eadem ecclesia Trecensi: a qua tenebant alia quædam feuda, sed non hoc, de quo agitur: quod igitur non tenebant ab eadem ecclesia Trecensi, sed a nobili quodam laico, et conveniebat miles ille, qui controversiam faciebat, apud Trecensem Episcopum, quos convenire debebat apud dominum feudi: namque in his causis, quæ de prædio, quod vasalli tenent feudi nomine, controvertuntur inter vasalles et extraneos, solus feudi dominus judex competens est, c. 5. sup. tit. prox. Qua de causa et merito militibus illis nobilis ille dominus feudi, ad quem res pertinebat, inhibuit, ne responderent coram Trecensi Episcopo, quod et Pontifex approbat in hoc cap. adjiciens; si dominus feudi hac de re in jure dicundo inter eos tardior, aut segnior fuerit, tum ut rei totius cognitionem suscipiat Archiepiscopus Senonensis, qui est Metropolitanus illius provinciæ. Certum illud est, propter desidiam judicis secularis a foro seculari causam transferri ad forum ecclesiasticum, c. 10. et 11. *inf.* c. 4. *eod.* in 2. *Collect.*

AD CAP. *Verum.* VII.

De feudo seculari agebatur c. superiori proximo, et ita posuimus: idem tamen obtinere etiam in feudo ecclesiastico hoc c. ostendit, ut de eo, vel de causis ad feudum ecclesiasticum pertinentibus Episcopus cognoscat tanquam dominus feudi, sicut de feudo imperiali Imperator. Quæsitio autem erat in specie hujus c. 7. de feudis quibusdam inter Præpositum ecclesiæ cujusdam Episcopo defuncto, necdum in locum ejus alio consecrato, sed electo forte nondum consecrato, et alios quosdam: quam quæstionem ubi consecratus fuerit Episcopus, tum vult Pontifex ab Episcopo disceptari si feuda ecclesiastica fuerint, ab Imperatore si Imperialia, a Rege si Regalia, Consecrationem Episcopi exigit, quæ fieri solet a Metropolitano, quia, ut antiqua Decretalis habet, ante consecrationem Episcopus plenam auctoritatem et potestatem non habet. Electio igitur et confirmatio sola non sufficit, ut jurisdictioni statim universæ præesse Episcopus possit ante consecrationem. Nec refragatur *cap. 15. sup. de elect.* quod adducit glossa, quoniam electo et confirmato nondum consecrato Episcopo non tribuit plenum officium juris dicendi in omnes, sed in clericos tantum contumaces, et turpibus lucris deditos laicum in morem. quinimo ait, ea quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt, ante consecrationem ab Episcopo expediri non posse. Porro ex hoc loco glossa in *cau. 1. 11. q. 1.* notat recte, clericum, veluti Præpositum, de quo hic agitur, sive Decanum ecclesiæ sio feudo seculari, veluti Imperiali, conveniri posse etiam coram Imperatore, coram judice seculari: hoc glossa notat illo loco, dum tres casus ponit, quibus clericus in causis secularibus conveniri potest coram judice seculari ex causa feudi, ut in hoc loco, et ex causa reconventionis, ut *ca. 1. 3. q. 8.* et *l. 2. §. Sed etsi ugiat, de judic. l. Cum Papia. C. de seat. et interl. omn. jud.* (qui est tertius casus) ex causa delicti, quod in clerico ita occalluerit, inveteraverit, irroboraverit, ut nulla ratione e judice ecclesiastico corrigi possit, ut c. 10. *sup. tit. prox.*

AD CAP. *Cum sit.* VIII.

Retuli in cap. proxime superiori casus tres, quibus clericus apud judicem secularem conveniri potest, illis quartum licet ex hoc *cap. 8.* ex quo est in arbitrio Rectorum, et Defensorum ecclesiæ, quibus injuriam fecere, damnumve dedere profani, et mali homines quidam, qui ob eam rem hoc loco sacrilegi esse dicuntur: est, inquam, in arbitrio eorum hosce raptores, et facinorosos homines convenire ex hac causa, vel coram ecclesiastico judice, etsi laici fuerint, non obstante regula juris: *Actor sequitur forum rei*, vel coram judice seculari, quod etiam ex consuetudine introductum et receptum esse ait in favorem ecclesiæ, ne ei quis temere injuriam, vel damnum inferat. Et Constitutio Friderici, de qua ante fecimus mentionem, dat similem optionem studiosis, ut reos conveniant vel coram judice ecclesiastico vel coram judice seculari. Quod autem hoc loco illam regulam, *Actor sequitur forum rei*, generalem vocat, eo respicit, ut intelligamus, tam ad clericos quam ad laicos eam pertinere, id est, actorem sive laicum, sive clericum sequi forum rei.

AD CAP. *Quod clericis.* XI.

Hoc cap. est de causis pecuniariis, quas clerici, qui Parisiis commorantur, habent contra laicos, vel laici contra eos, ut hæ causæ decidantur jure canonico, id est, secundum jus scriptum, non secundum consuetudinem. Opponit enim jus Canonicum consuetudini, ut consistat ex antiqua Decretali: opponit jus scriptum juri non scripto. Sed quæso a quo decidi eas causas oportet? neu enim id apparet ex hoc cap. quia inscriptio hujus cap. periit, quæ si exstaret, nullus esset labor hac in re. Communis tamen opinio hæc est, ut hæ causæ decidantur ab Episcopo Parisiensi, quem et Laurentius, ex quo id glossa mutuata est in hoc cap. et locus est singularis (nondum mihi perquirere licuit an sit verum, vel an fuerit olim verum) notat, inquam, Episcopum Parisiensem habere jurisdictionem temporalem, et Comitis vicem gerere, atque ideo bannus, id est, publicas denuntiationes fieri Regis, et Episcopi nomine. Ait, *Si quas causas pecuniarias*, in antiquo Decretali est, *causas seculares*, et nihil admodum refert, *can. clericum nullus præsumat* 11. qu. 1. Sunt qui perperam interjiciant, vel subaudiant, *scholares*, legentes hoc modo: *Si quas pecuniarias causas scholares clerici Parisiis commorantes, etc.* quod non est recte, quia hæc Constitutio generaliter loquitur de clericis, qui Parisiis, id est, Lutetiæ Parisius commorabantur. Sic loquebantur, nec inepte: nam et Frontinus libro de coloniis, cujus testimonio sæpe Volaterranus utitur, dicit colonia Vejus, colonia Gabius, colonia Tarquinius: et sic Lutetia Parisius, Mediolanum Sanctonus, *quæ sit Xaintes*, Avaricum Biturigus dixeris recte.

AD CAP. *Licet.* X.

In hoc cap. improbantur literæ, quas quidem laici ex populo Vercellensi, qui populus est in Liguria, impetraverant a Romano Pontifice, ut debitores suos traherent ad forum ecclesiasticum, ad quod nonnunquam trahendi sunt, nisi Consulum Vercellensium in jure dicundo manifesta sit incuria: ab horum tamen Consulum sententiis permittitur laicis appellatio ad Episcopum Vercellensem, vel Pontificem Romanum: quod valde novum est, ut a seculari appelletur ad ecclesiasticum, et non videtur etiam permitti in hoc cap. nisi temporis causa, vacante scilicet Imperio morte Imperatoris, necdum electo Imperatore novo. Vercellarum civitas erat Imperialis, et vacante Imperio hoc sibi adrogabat Romanus Pontifex esse juris, ut imperatoris vices agat in terris Imperialibus, *Clem. 2. §. ult. de sent. et re judic.* Ut igitur a Consulibus Vercellensibus appelletur ad Romanum

Pontificem, vel, ut ait, ad Episcopum Vercellensem, qui eam ulvitatem ab Imperatore tenebat feudi, seu beneficii nomine, ut Hostiensis scribit hoc loco: et simili modo si suspecti sint Consules Vercellenses, et ante terminum litis, ante definitivam sententiam ejurentur, recusentur causa recusationis probata, ut vacante Imperio cognitio rei, de qua agitur, pertineat ad Romanum Pontificem, vel ad Episcopum Vercellensem. Hoc satis ad hoc cap. est, nisi extra jus, quod facit, velis notare, Consules civitatis, qui jurisdictionem habent, hoc loco *Consules justitiæ* appellari, et *Commune Vercellensium* dici hoc loco, ut Marc. Tull. *Commune Siciliæ, Commune Cretensium*, et Ovid. *gentis Commune Pelasgæ*, et *l. 1. de appellat.* τὸ κοινὸν τῶν Φρυγῶν, ut *l. Si de ei. de judic.* τὸ κοινὸν Θεσσαλῶν, et Polybio, τὸ κοινὸν τῶν Ἀχαιῶν.

AD CAP. *Ex tenore*. XI.

Qui est finis cap. superioris, idem est finis hujus cap. ne scilicet causæ, quæ pertinent ad forum seculare, pertrahantur ad forum ecclesiasticum, ne fora, ne jurisdictiones confundantur. Lis erat in specie hujus c. in Comitatu Britanniæ minoris inter duos nobiles de hæreditate quadam, cujus quidem litis, sive causæ cognitio pertinebat ad forum seculare, id est, ad curiam Comitis Britanniæ. Comites primum habuit Britannia post tres regulos, quos habuit initio: deinde habuit Duces, primusque Dux appellatus fertur Joannes Secundus. Hujus vero causæ cognitionem literis impetratis a Pontifice Romano pars altera curaverat mandari Archiepiscopo Turonensi, qui Metropolitanus est totius Britanniæ minoris, *can. hæc quippe* 3. q. 6. Archiepiscopo, inquam, Turonensi, et Thesaurario ejusdem ecclesiæ Turonensis, qui Cellarius dicitur in inscriptione antiquæ Decretalis, ut *l. Quæsitum. §. Cellarium. de instr. et instr. leg.* Qua re cognita, simul et expostulatione Comitis Britanniæ, jubet Pontifex in hoc capite, cui subneptæ fuerant literæ supradictæ, ac si ejus causæ cognitio pertineret ad judicem ecclesiasticum, eam remitti, reddive ad curiam Comitis Britanniæ, si modo ea de re jus dicere promptus, paratusque sit, alioquin, ut jam sæpe dictum est sup. propter desidiam judicis secularis ab eo commutatur jurisdictio, et commeat ad judicem ecclesiasticum.

AD CAP. *Si diligenti*. XII.

Major est quæstio, de qua tractatur in hoc cap. 12. de qua et jus, quod in eo constituitur, novum omnino est. Vult enim clericum, qui pactione habita cum eo, quocum contrahit, renuntiat privilegio fori, quod habet, ne alibi conveniatur, quam in foro ecclesiastico, nihil agere, et nihilominus ex contractu in foro ecclesiastico conveniendum esse, renuntiationem illam nihil valere. Ratio, quæ movit Innocentium Pontificem ad hoc decernendum, quod ante nemo alius Pontifex decreverat, hæc est, quod juri publico pactis privatorum derogari non possit, quæ est vetus regula juris civilis: quæ tamen ratio hac in re, si verum amamus, fucus est, et color potius, quam ratio vera, quia initio contractus clericus renunciando præscriptioni fori, sane juri publico non derogat, jusve publicum non mutat, quo clericis data est, præscriptio fori ecclesiastici, sed proprium et privatum jus, quod statim ab initio contractus habet, ne secum ex contractu nihil agatur, quam in foro ecclesiastico, eo se abdicat, et non usurum paciscitur. quæ conventio etiam jure civili probata est, legibus nominatim loquentibus de præscriptione fori, quæ competit, ubi sacerdotii prærogativam, *l. pen. C. de pact. l. Si quis in conscribendo* (quæ est portio d. l. pen. C. *de episcop. et cler.* Ea igitur conventio jure civili probata est, et jure canonico, quod ante Innocentium obtinuit, improbata non est, ergo non est contra jus publicum, ergo non derogat juri publico alius, qui se subjicit jurisdictioni judicis non sui suo dimisso, *l. 1. et 2. de judic.* si non alius, ergo nec clericus, qui in contrahendo se subjicit seculari jurisdictioni. Constituat Innocentius quantum volet, ne ullus clericus se subjiciat jurisdictioni seculari, ut sit hoc ratum deinceps: et ne hoc prætextu utatur, quod pactis privatorum juri publico derogari non possit, quia hæc ratio juri non congruit. Clericus enim qui se subjicit jurisdictioni alienæ, et suo foro renuntiat, de jure et commodo suo proprio detrahit, non de jure publico: et id quidem plerumque facit ex usu et commodo adversarii, qui alioqui cum eo contracturus non erat, et sine ullo alterius incommodo, sine injuria aliorum clericorum, quibus in suis causis integra est præscriptio fori. Denique ut definitur in *l. 27. de reg. jur.* etiamsi privatorum conventione nihil ex jure publico convelli, infringi, immutari possit, contractuum tamen, et actionum, et obligationum privatarum causæ prout convenerit inter contrahentes ab initio contractus formari, et mutari possunt. Quidni? Et quod etiam legibus, et canonibus innumeris, qui notantur in glossa, cavetur, ut Asconius Pedianus ait 3. in Verrem, de commodo proprio unicuique licet detrahere. Præsertim cum adversario nihil possit esse incommodi, imo comodi plerumque plurimum. Neque vero me quidquam moveant canones Milevitani Concilii, et Toletani, et Carthaginensis, quorum auctoritate hic Innocentius utitur, id est, nihil me movent can. 41. *et can.* 42. (hos enim intelligit) 11. q. 1. Primum enim can. 41. vetat, ne clerici concilientes suos dimisso proprio Episcopo trahant ad judicem secularem: sed non vetat etiam, ne in contrahendo clericus se subjiciat jurisdictioni judicis secularis. Citra conventionem non trahit clericus, vel laicus clericum ad judicium seculare, fateor: at ex conventione cur recte non trahat? maxime conventione jurejurando confirmata, ut et proponitur in specie hujus cap. conventionem illam, sive renuntiationem fuisse jurejurando confirmatam. Nam jusjurandum de hoc adjectum, quod ait Innocentius hoc loco esse contra canones, id est, contra jus publicum, non videtur esse verum. Pactum et jusjurandum est contra jus publicum, si juravero me furti non acturum, si quando forte furtum mihi feceris, *l. 7. §. Et generaliter. de pact.* At si post furtum factum pepigero cum fure, et juravero me cum eo furti non acturum, hoc est contra privatum jus, quod jam mihi competit, quæsitumque est, non contra jus publicum. Hæc conventio, et jusjurandum valet. Eodemque modo, si extra contractum juraverit clericus, se fori præscriptione non usurum, si quando ex negotio postea quomodocunque contracto conveniatur, id facile concedam esse contra jus publicum: at si in ipso contractu id juraverit, tunc dicam id non a publico, sed a privato jure remotum esse. Unde et qui hoc casu pacti contenti, at jurisjurandi fidem frangere permittit, certe is longe magis aberrat a jure publico, bonisque moribus, quam qui eam tueri dicit, et servari oportere contendit. Deinde can. 42. hoc tantum vult, ne clericus judicio criminali, vel civili pulsatus, provocatus a judice ecclesiastico rem pertrahat ad judicem secularem, quod ita procedere satis manifestum est, si nulla se conventione obstrinxerit de sequendo, et subeundo foro seculari. Itaque duo canones illi conventionem illam non improbant, et consequenter conventio illa non est contra canones: hodie tamen non videtur esse contra canones ex hoc c. Quod autem ait Pontifex, *privilegium fori, quod clerici habent, universo ordini clericorum datum esse, non certæ personæ*, hoc sane est verissimum, at usurpantur eadem verba ab Honorio tertio in *cap. pen. de judic. in quinta Collect.* Ex eo tamen non efficitur recte quod vult Innocentius, non posse singulos in sua causa hoc privilegio non uti secundum fidem conventionis habitæ cum alio, quia nihil ea res præjudicat privilegio universali, et singulorum non est eadem ratio, quæ universitatis, *l. 2. l. 7. §. 1. quod cujusq. univers. nom.*

AD CAP. *Cum contingat*. XIII.

Ostenditur in hoc c. cum clericis agi ex causa delicti apud Episcopum ejus diœceseos, in qua deliquerunt, non apud collegium, vel capitulum, cui deputati sunt, ut divino cultui ministeria religionis impendant. Episcopum esse clericorum judicem ordinarium, non collegium, aut capitulum, cui deputati sunt proprie, nisi (addit hanc exceptionem) ex indulgentia et privilegio summi Pontificis, vel ex consuetudine, quæ semper pro jure et lege non immerito custoditur, nisi, inquam, Capitulum in eos exerceat jurisdictionem extra ordinem. At jurisdictio hæc, quam consuetudo, vel privilegium capitulo defert, cui clerici sunt adscripti, inanis videtur esse, si non sit ei conjuncta coercitio quædam, *l. ult. de offic. ejus, cui mand. cap. 28. sup. de off. jud. d. l. Jurisdictio*, inquiunt, *sine modica coercitione nulla est.* Et his proponitur Capitulum, quod sibi vindicabat jurisdictionem in clericos Capitulo adscriptos, addictosque servitio Capituli, sive ministerio, non potuisse tamen eos coercere, suspendere, deponere, excommunicare. Et est hac in re huic loco similis alius in *cap. dilectus, sup. de major. et obed.* Unde videtur in his locis, quod et verum esse arbitror, jurisdictionem accipiendam esse pro cognitione nuda. Nec novum est, ut judices quidam cognitionem tantum habeant, non etiam executionem, vel coercitionem, *l. Ait prætor. de re judic.* Et jurisdictionem pro cognitione nuda in jure accipi frequentissimum est.

AD CAP. *Postulanti*. XIV.

Capitis 14. species talis est. Sacerdos quidam, qui officium, sive beneficium obtinebat in Ecclesia quadam diœcesis Carnotensis, longe, in qua etiam morabatur, in diœcesi Silvanectensi, in qua domicilium habebat, crimen aliquod, veluti homicidium admisit, ex quo pœna beneficii seu officii privatus est: Quæritur utrius diœceseos Episcopus de eo crimine cognoscere, et pronuntiare debeat, id est, is, in cujus diœcesi ecclesiam habet Episcopus Carnotensis: an is, in cujus diœcesi patrimonium habebat, et in qua deliquit, id est, Episcopus Silvanectensis? Et definit Pontifex in *hoc cap.* ejus Episcopi esse de re cognitionem, esse, eumve Episcopum ea de re cognoscere, et in reum sententiam ferre debere, in cujus diœcesi deliquit, et in qua patrimonii ratione domicilium habet: pœnæ autem executionem, puta beneficii ademptionem, si beneficio ecclesiastico indignus judicatus fuerit, pertinere ad Episcopum, in cujus diœcesi ecclesiam et beneficium habet. Et ita sæpenumero dictam a magistratu unius provinciæ sententiam exequitur magistratus alterius provinciæ, vel dictam a magistratu urbano magistratus Provincialis, *l. A D. Pio. §. 1. de re judic.* Scripta est autem hæc constitutio Episcopo Silvanectensi, ut in veteribus legitur, *qui in appell. Senlis*: unde et mentio Regis in *cap. postulasti. inf. de homicid.* quod esse partem hujus cap. alteram constat ex quarta collectione Decretalium, *Regis* scilicet *Francorum*. Illud vero in comperto est ratione delicti nos sequi forum ejus provinciæ in qua delictum admisimus, nec posse revocare provinciam nostram opposita fori præscriptione, *l. ult. de accus. l. 1. C. ubi Senat. vel clariss. l. 1. C. ubi de crimin. agi oport. cap. ult. inf. h. t. can. 1. 3. q. 6.* Theodosius in Novella de amotis militantibus fori præscriptione: *Vetere*, inquit, *lege specialiter fori præscriptionibus, et contractus, et delicta, et negotia gesta subtrahere, nec pati aliquem, qui quid in qualibet provincia criminose commiserit memoratis*, ut ait, *se posse præscriptione defendere.* Symmachus in Epistolis: *Facinus*, inquit, *ubi admissum est, debet expiari.* Cyprianus prima Epistola ad Corne-

lium: *æquum* inquit, *et justum est, ut unusçujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum.* At non æque compertum hoc est, quod significatur hoc c. nos etiam domicilium ibi habere, ubi patrimonium habemus, nisi et ibi assidue versemur, ut in *l. 2. C. ubi Senat. vel. clariss. et cap. seq.* sicut nec domicilium ibi habemus, ubi beneficium ecclesiasticum habemus, nisi et ibi commoremur, ut hic proponitur, et *cap. 29. de rescript.* Utrobique non est dubium nos domicilium habere, et ubi patrimonium, et ubi beneficium ecclesiasticum habemus, si non minus hic, quam illic frequenter commoramur, l. *Ejus.* §. *Celsus. ad municip.* Duplex igitur in specie proposita ratio, fuit accusandi sacerdotis, et condemnandi apud Episcopum Silvanectensem, ratio domicilii, et ratio delicti.

AD CAP. *Ex parte B.* XV.

Species c. 15. quæ est pulcherrima, talis est. Berengaria filia Garsiæ Regis Navarreorum nupsit Richardo Primo Anglorum Regi, quod omnis Anglorum historia satis testatur. Defuncto autem Richardo Rege, ipsa contendebat castrum Segrei in diœcesi Andegavensi situm, quo fuerat spoliata a Guilielmo nobili quodam, ad se dotalitii jure sive donationis propter nuptias, quæ veluti dos quædam mariti est, pertinere, non quod id a Richardo Rege marito suo accepisset, sed a Joanne fratre Richardi, qui ei in regno successit, facta permutatione aliarum possessionum, quas Berengaria dotalitii nomine a Richardo acceperat cum castro supradicto, quod negotium antiqua Decretalis *Concambium* vocat voce Latina, a qua et verbum *Cambio*, ἀμείβομαι. Cum autem illa ageret interdicto unde vi possessionis reciperandæ gratia, vel interdicto de clandestina possessione adversus Guilielmum, a quo supradicto castro spoliata fuerat, apud Archiepiscopum, et Decanum, et Archidiaconum Turonensem, ex rescripto Innocentii tertii (perperam hic legitur Joannis) quo quidem rescripto hujus causæ disceptandæ ab Innocentio illi delegati judices erant, Archiepiscopus scilicet, et Decanus, et Archidiaconus Turonensis: apud quos ex rescripto illo conventus Guilielmus allegabat, et excipiebat quamplurima contra rescriptum. Ac primum, id rescriptum non valere, quoniam, inquiebat, extrahebatur in jus extra domicilium suum principale, in quo præcipue collocaverat sedem rerum, et fortunarum suarum, quod erat in diœcesi Rhedonensi (sic enim est legendum semper in hoc cap. non Rhodonensi, *de Renes*) non Turonensi in castro Guarchiæ, quod a Turonibus distabat ultra iter duorum dierum, vel ut barbare loquuntur, ultra duas dietas, id est, ultra XL. millia passuum, sive, ut mos est, Gallis metiri itinera, ultra leucas XXVI. et bessem; cum tamen concilio Lateranensi sit constitutum, ne quis ex rescripto summi Pontificis ultra iter duorum dierum trahi possit ad alienum et extraordinarium judicem, *c. nonnulli, et seq. sup. de rescr. cap. olim, de except.* Adjiciebat Guilielmus aliam exceptionem, quod de feudi controversia, si quæ exoriatur inter aliquos, non alius cognoscere debeat, quam dominus feudi, *cap. 5. et 13. sup. tit. prox. cap. 6. et 7. sup. h. t.* videlicet aliter, quam si dominus feudi in jura reddendo lentus et negligens fuerit, in *cap. 10. et 11. sup. h. t.* negligentia cujuscunque judicis cognitionem transfert ad alium. Hoc vero cum ita esset, de ea re tamen nullum verbum exstabat in supradicto rescripto. Unde contendebat Guilielmus, rescriptum esse subreptitium, quod ea res in eo suppressa esset, et quod facta in eo non esset mentio domini feudi (is erat Dux Andegavensis) quodve is eo domini feudi negligentia non argueretur. Imo et falsum id esse rescriptum Guilielmus dicebat, hoc argumento, quod nunquam eo castro Richardus Berengariam donasset jure dotalitii, quodque ex permutatione ei obvenisset inutili, facta nimirum cum Joanne Regni Angliæ subsessore, et incubatore potius, quam justo possessore, quoniam regnum, ut plerique omnes existimabant, pertineret post mortem Richardi ad Arturum Ducem Britanniæ, fratris Richardi natu majoris filium, ut dixi in *cap. 13. sup. tit. prox.* Arguebat etiam Guilielmus, ut constat ex *cap. ex parte: inf. de fide instrumentum.* (quod hujus particula est) falsitatem rescripti ex eo, quod in eo rescripto mendose omissa una littera scriptum esset *Spliabatur*, pro *Spoliabatur*: quod tamen argumentum tanquam leve rejicitur in *d. c. ex parte.* Ad hæc omnia, quæ adversarius objiciebat, Berengaria regina replicavit, adversarium suum non in Rhedonensi tantum, sed etiam in Andegavensi diœcesi domicilium habere; pluribusque in locis domicilium habere posse, *l. 6. §. Viris l. Ejus. §. Celsus. ad municip.* In Andegavensi scilicet diœcesi eum habere castra, et reditus plures, et quia hoc non sufficeret, illic interdum commorari solere; ac præterea castrum Segrei, de quo lis erat ibi, esse in Andegavensi diœcesi. Quæ vel sola ratio sufficeret in judicio in rem, ad quod tendit interdictum de reciperanda possessione, *l. 12. §. Nihil commune de acquir. possess.* nempe ut in eo loco potius ubi res litigiosa est, judicium exerceatur, non extrahatur foras, *cap. 3. et ult. h. tit. l. 3. C. ubi in rem act. exerc. deb. l. 1. C. ubi de hered. ag. l. ult. C. de præscr. long. temp. l. Quod legatur. de judic. l. 10. de rei vind.* Diœcesim Andegavensem propius abesse a Turonensi, ad quem trahebatur Guilielmus, certe minore intervallo abesse, quam itineris duorum dierum, quandoquidem Andegavum a Turonibus abesse tantum XVIII. millium intervallo, id est, leucarum duodecim, ut ait: utitur Gallico vocabulo Ammianus Marcellinus lib. 15. *Gallos non milenis passibus, ut Italos, sed leucis itinera metiri.* Verissimum enim est, quod Gordianus Episcopus Ravennas in historia Gothorum, et Isidorus in fine 15. originum scribunt, leucam finiri mille et quingentis passibus, et perquam aperte confirmatur eo, quod Ammianus Marcellinus lib. 16. scribit, *leucas XIV. efficere unum et viginti millia passuum:* nam si tot millia XIV. leucas efficiunt, ergo singulæ leucæ finientur mille et quingentis passibus. Et huic rationi convenienter XII. leucæ efficiunt XVIII. millia passuum, non XX. ut Hostiensis ait male XX. enim millia passuum efficiunt leucas XIII. et trientem unius. Huic item rationi convenienter X. leucæ, seu leuvæ, ut vocant aliter, efficiunt XV. millia passuum: XXVI. leucæ adjuncto besse, XL. millia passuum, quod bidui iter est legibus definitum, *l. 1. si quis caut. l. 38. ex quibus caus. major. l. 13. de excus. tut. l. 2. §. Si Præses. quis ord. in bon. poss. serv. l. 3. de verb. sign. l. 6. Cod. Th. de repar. appell.* et *apud Paulum 4. Sent. t. 6.* et *5. Sentent. t. 33.* Eadem vero ratione servata, ut nominatim Abbas Urspergensis scribit, C. leucæ efficiunt CL. millia passuum, LXX. leucæ, CV. millia, cum describit longitudinem et latitudinem camporum Catalaunicorum, qui insignes sunt victoria parta adversus Theodoricum regem Gothorum cædeque ejusdem Regis. Verum ad rem præter ea, quæ dixi, replicabat etiam Berengaria, non recte ei adversarium objicere, quod contempto domino feudi confugisset ad judicem ecclesiasticum: hoc enim viduam se dote sua, id est, dotalitio spoliatam inique, non incongrue fecisse, cum ad judicem ecclesiasticum etiam pertineat defensio viduarum et dotium, *cap. super, de donat. int. vir. et ux. cap. super quibusdam, in fin. de verbor. signific. c. 1. 87. dist.* Et tandem rejectis exceptionibus omnibus Guilielmi in judicium petitorium, cui congruunt propriæ pleræque ex eis, potioresque exceptiones, quam possessorio judicio, quo agebat Berengaria: jubet Pontifex hoc posteriori rescripto, ut si judicibus delegatis Archiepiscopo Turonensi, et collegis et adjunctis, constiterit, castrum, de quo agitur, situm esse in diœcesi Andegavensi: ibique adversarium domicilium habere, minusque id abesse a Turonibus, quam itinere duorum dierum, secundum tenorem prioris rescripti de causa cognoscant, et quam ocyssime possessionem reginæ reforment cessante appellatione, ut momenti causa postulat. Sic appellatur causa de reciperanda possessione, quæ et celeris reformatio, sive momentanea appellatur, ideoque nec a sententia de momento dicta, sive de momentaria possessione appellare licet ex *cap. seq.* et *l. un. C. si de mom. possess. appel. fuerit.*

AD CAP. *Conquestus.* XVI.

Sententia hujus c. est apertissima: eos, qui possessione, vel quasi possessione rerum, aut jurium ad ecclesiam pertinentium per vim Ecclesiam spoliarunt, vel homines ejus, puta procuratores, vel actores, vel judices, tanquam sacrilegos, ut *c. nulli liceat, et can. prædia 12. quæst. 2.* monitione præmissa subjici censuræ ecclesiasticæ, quoad satisfecerint ecclesiæ; simirum ecclesia restituta, unde dejecta est, simul cum utilitate, quæ ob eam rem ecclesiæ abest, ecclesiæ præstita, puta quanti ejus interest se vi dejectam non esse, ut *l. 1. §. Non solum. de vi arm.* In interdicto unde vi non tantum res venit, sed etiam utilitas, id est, quanti interest. Quæstio autem erat in specie hujus c. de quasi possessione jurisdictionis cujusdam, quam, cum pertineret ad ecclesiam Bononiensem, vi usurpabat Potestas Bononiæ.

AD CAP. *Dilecti.* XVII. et CAP. *Significasti.* XVIII.

Hæc duo capita simul explicabimus. Quidam cives Romani pecuniam crediderunt Episcopo Dunelmensi, qui episcopatus est in Anglia, cum Romæ ageret negotia ecclesiæ suæ, quod merito omnes interpretes subaudiunt in c. 17. quam pecuniam ille Episcopus promisit se Lutetiæ soluturum. Et iis quidem creditoribus civibus Romanis ex rescripto Pontificis data erat potestas eum Episcopum Lutetiæ conveniendi coram Abbate S. Genovefæ, quem constat præesse jurisdictioni *cap. 40. sup. de offic. deleg.* At priusquam illum convenissent, vita decessit, et alius in locum ejus Episcopus electus, et confirmatus est, cum quo ex eodem rescripto creditores Lutetiæ agere apud eundem Abbatem, et pecuniam creditam repetere pergunt, quasi creditam pro utilitate, et necessitate ecclesiæ Dunelmensis, quo casu procul dubio est, successorem Episcopi teneri ex contractu sive negotio gesto ab antecessore suo pro utilitate, ut dixi, et necessitate Ecclesiæ suæ, *cap. 1. infr. de solut.* At ille novus Episcopus objicit privilegium, quod Anglis dedere Rom. Pontifices, ne ultra mare in judicium trahi possent. Cui privilegio in *hoc cap.* Pontifex negat esse locum, ubi quis Anglus huic privilegio renuntiavit, cui utique etiam renuntiasse intelligitur cum se Lutetiæ soluturum cavit ei, cui pecunia credita est, quæ renuntiatio etiam successorem ejus tenet. Ergo in arbitrio creditorum est, ut vel eum conveniant in Anglia, ubi domicilium habet, vel Lutetiæ, ubi pecuniam solvi convenit, ut *l. Hæres. §. ult. de jud. l. 1. Contraxisse. de oblig. et act.* ubi, inquam, eum conveniant, et petant non tantum sortem, sed etiam id quod interest: usurarum petitionem illicitam esse hoc jure, petitionem ejus quod interest licitam, ut *cap. 2. inf. de fidejuss.* Nihil autem interest, certo quis loco, ut solveret obligarit se, an quod etiam est expressum in *hoc cap.* ut certo loco responderet, et se defenderet, *d. l. Hæres. §. Proinde.* quia unicuique licet renuntiare privilegio sui fori, et Constitutioni Lateranensi de duabus dietis, *cap. nonnulli, sup. de rescript. cap. ult. de for. comp. in quinta Collect.* quæ tamen nondum edita est. Verum his obstat primo *cap. 12. sup.* quo cavetur, clericum non posse renuntiare privilegio sui fori, et se subjicere foro seculari. Obstat etiam *cap. 18.* quod sequitur, quo cavetur, ut ne ex consensu quidem proprii Episcopi possit clericus se subji-

cere foro civili sive seculari, nec vice versa foro ecclesiastico incompetenti sine consensu proprii Episcopi, quod tamen olim non obtinuit etiam ex parte, ut docui in cap. 1. et 4. sup. Nam conventione Episcopo, et adversario suo ex conventione sane potuit clericus se subjicere foro seculari. At respondeo, in hoc cap. etiam Episcopum Dunelmensem se non subjecisse foro seculari, cum se in hoc obligavit, ut Lutetiæ solveret creditoribus pecuniam, sive Lutetiæ responderet creditoribus, quoniam hæc conventio non ita accipienda est, ut responderet coram judice seculari, sed ut coram ecclesiastico, quemadmodum et hic proponitur eum conventum fuisse, vel successorem ejus ex delegatione Romani Pontificis coram Abbate S. Genovefæ. Quod si dicas, ita promisisse Episcopum Dunelmensem sine consensu Metropolitani, dicam nec consensum Metropolitani requiri, et c. 18. loqui tantum de consensu proprii Episcopi, sine quo clericos nec judici ecclesiastico, si suus judex non sit, se subjicere potest. Facit autem in hoc cap. 18. differentiam inter laicos et clericos: hos, ut diximus, non posse se subjicere jurisdictioni judicis non sui, nisi sit judex ecclesiasticus, et nisi adhibito consensu proprii Episcopi, id est, proprii et competentis judicis: illos autem, quos privatos vocat, ut et alibi sæpe, quos Græci λαϊκούς, posse se subjicere jurisdictioni judicis cujuscunque suo arbitrio, l. 1. et 2. de judic. l. 1. lib. a quo. §. pen. ad Senatusc. Treb. l. 4. C. de jurisdict. omn. jud.

AD CAP. *Proposuisti*. Pen.

Idem omnino cavetur, nec quicquam amplius, in hoc quod est in l. 7. de judic. si quis postea quam in jus vocatus est, clericus, vel miles, alterius fori esse cœperit, in ea causa eum non habere jus revocandi forum, *de demander son renvoy, quasi præventum*, ut ait. Præventus autem est ab eo, qui illum in jus vocavit, antequam fieret clericus, vel miles, et aliud sortiretur forum. Præventus, inquam, est ab eo, qui eum in jus vocavit, quod initium est omnium actionum instituendarum, §. ult. *Instit. de pæn. tem. litig.* qui, inquam, illum in jus vocavit, priusquam alterius fori esse cœpisset; et multo magis si jam cum eo litem contestatus fuerit, l. pen. *de jurisd.* Et ita præventus videtur tutor, qui petitus est, nec eam petitionem excludere, vel effugere potest, postea excusatione aliqua, et immunitate quæsita, antequam tutor a Prætore, vel præside decerneretur, l. 28. in pr. *de excus. tut.* Neque his obstant, quæ vulgo objiciuntur, et diluuntur male. Non obstat *lex Qui autem. si quis caut. Qui novo privilegio utitur*, inquit, *non videtur in eadem causa judicio sisti*. Hoc nihil obstat superioribus, quia ea lex non loquitur de privilegio fori, quo nec qui in jus vocatus est, quique præstitit cautionem judicio sisti, uti potest, et id quæsierit postea, sed loquitur de alio privilegio, quo uti postea non prohibetur, quoniam ait, qui novo privilegio utitur. Nihil etiam obstat l. 4. §. *Reus. de re milit.* quæ majus negotium exhibet. Ideo autem non obstat, quia hoc non vult, ut arbitrantur, reum capitalis criminis postulatum, nondum peractum, si ultro se militiæ dederit, in ea causa capitali, velut ex privilegio militiæ, forum revocare posse: hoc, inquam, non vult: sed quia crimini civili adjunxit aliud quasi militare crimen, in reatu capitali militiæ nomen dando improbe, non eo remittendum esse, ubi reus postulatus est, sed ibi audiendum, et capite puniendum esse, ubi improbe et impudenter militiæ nomen dedit. Quod autem in eadem l. dicitur illo loco, *si dicta causa sit, vel requirendus adnotatus*, etc. id ex Basilicis didicimus initium esse alterius paragraphi, nec appingendum superiori paragrapho *reus*. Et hujus quidem sequentis paragraphi hanc esse sententiam; si dicta causa sit, id est, si peractus sit reus ubi capitalis criminis postulatus est, priusquam militiæ nomen daret, vel si absens, et profugus adnotatus sit inter reos, ut requireretur priusquam militiæ nomen daret, hunc ignominia missum ad suum judicem remittendum esse, ut a quo damnatus est, vel quasi damnatus, plectatur ab eodem: requirendus autem adnotatus, post annum habetur pro damnato, l. ult. *de requir. reis.*

AD. CAP. *Licet*. Ult.

Ex hoc c. intelligimus, non tantum, ubi quis domicilium habet, conveniri posse, sed etiam ubi contraxit, vel deliquit judicio in personam, vel ubi res est, quæ ab eo possidetur, et vindicetur judicio in rem, ut c. 14. et 15. sup. cap. 1. *de privileg. lib.* 6. Item Romæ conveniri quemlibet subjectum Romano Imperio posse, etiam si neque ibi contraxerit, vel deliquerit, neque ibi sit res, quæ vindicatur, neque deliquerit, neque ibi domicilium habeat, quod esse verum ostendit l. *Nec non*. §. *Si rem. ex quibus caus. major.* Atque ita absque dubio jus erat, cum Roma erat communis patria, ut l. *Roma. ad municip.* l. *Eos de vocat. mun.* l. 6. *de excus. tut.* l. 1. C. *de mulier. in quo loco munera sex. conge. et honor. agnosc. lib.* 10. l. 21. *Cod. Theod. de Prætor. et Quæst.* eum, inquam, Roma erat communis patria, quia tum omnes, qui erant in orbe Romano, id est; qui erant subjecti Imperio Romano, et cives Romani erant ex Constitutione Antonini Pii, l. *In orbe de stat. hom. Novell.* 78. quæ tamen ratio cessat hodie, quamvis idem jus non cesset. Nam et in hoc c. ostenditur, quivis Romæ repertus conveniri potest: jus idem manet: et tamen ejus juris ratio prima, et summa cessat, quia et Romanum Imperium evanuit, et qui Roma oriundus non est, non aliter censetur esse civis Romanus, quam si specialiter civitate Romana donatus fuerit. Qua de causa nec ea ratione utitur Pontifex in hoc cap. sed quia, ut ait, Romana ecclesia mater et magistra est omnium ecclesiarum, c. 2. *in fin. sup. de summ. Trinit.* c. *antiquam, inf. de privileg.* Ideo Christianum quemlibet si ibi reperiatur, ibi conveniri posse, nisi forte eo venerit legationis causa, vel ex alia causa, justa et necessaria, veluti judicandi, aut testimonii dicendi, aut appellationis exequendæ, quibus casibus jus habet revocandi domum, si Romæ conveniatur, l. 2. §. *Legatis. de judic.* c. ult. *inf. de dilat.* Multum vero sibi adrogat Romanus Pontifex, dum ait *ecclesiam suam esse omnium ecclesiarum dominam et matrem*, quod perinde est, ac si diceret *se esse Episcopum Episcoporum*; quod minus tamen cum se palam vocat *servum servorum*. id tamen veteres tantum abest, ut sibi adrogarent, ut ne de eo quidem cogitarent, imo et diris devoverunt eos, qui se *Episcopos universales*, vel *Episcopos Episcoporum* dicerent, c. *nullus* 99 *distinct.* et Gregorius primus *epistolarum lib.* 6. *epistola* 30 *ad Mauritium Imp.* item epist. 38. lib. 4. sæpe et Cyprianus, et omnis ecclesia Africana, et Græca. Et ea de re est elegans Tertulliani verbum in *lib. de pudicitia*. Edictum illud, quo quis se Episcopum Episcoporum vocat, edictum peremptorium tale esse, ait, ut ei adscribi non possit, Bonum Factum. Sicut olim in Senatusconsultis, et edictis solebant appingi singulares duæ literæ, quæ significarent bonum factum, B. F.

AD TITULUM III.

De Libelli oblatione.

Hic titulus est de libelli oblatione, et libellus, de quo hic agitur appellatur libellus conventionalis, c. 3. libellus conventionis, §. *Tripl. Instit. de action.* l. 3. C. *de annal. except.* Βιβλίον τῆς αἰτιάσεως vel τῶν αἰτιάσεων, sæpe in Novellis, *Novel.* 53. *et* 112. Theoph. in d. §. *Tripl.* libellus petitionis, postulationis: reclamationis idem est, c. 1. *h. t.* quem scilicet ex scripto actor reo offerre, et porrigere debet, et judici sua manu subscriptum, in eo, si agat in rem, perspicue designata re, quam petit, ut cap. 2. *h. t.* et l. 6. *de rei vindic.* vel si agat in personam, expressa causa obligationis, causa debiti, ut cap. 3. *h. t.* et l. *Et aura lem.* §. *Actiones. de re jud.*

AD CAP. *Ignarus*. I.

Hoc c. est ex Concilio Suessionis, *de Soissons*, habito in Basilica Sancti Medardi, quæ est celeberrima, cui quidem Concilio præfuit Hincmarus, sic est scribendum, Archiepiscopus Remensis, confirmatumque id Concilium a Benedicto, et Nicolao Pontificibus Romanis, ut constat ex magno Decreto Ivonis Carnotensis *part.* 4. *cap.* 136. *et cap. seq.* Et pars hujus Concilii, imo et causa ipsius, de qua agitur in hoc cap. 1. est in *can. legam* 2. *quæst.* 1. sententiam nosse operæ pretium est: in conferendo baptismo necessarium esse scripturam, quæ exprimat nomen ejus, qui sacro fonte ablui desiderat, *can. baptizandi, de consecrat. distinct.* 4. *can. quia passus, de consecrat. dist.* 2. Electionem quoque Episcopi ex decreto fieri relato in literas, et subscripto electorum manu, *can. Episcopus* 61. *dist. cap. innotuit, sup. de elect.* Itemque ordinationem, creationem, χειροτονίαν, ut vocat clerici, scripturam desiderare, quam in rem locus ille d. *can. legam* singularis est. Hæreticum quoque, in eo subjicit, agnito errore suo non recipi in ecclesiam Catholicam sine scripto, quo rectam fidem profiteatur, et abjuret pravam, *can. convenientibus, et can. si qui fuerint*, 1. *quæst.* 1. Item accusationem fieri ex scripto, quod est certissimum. Excommunicationem quoque, vel ab excommunicatione absolutionem et reconciliationem fieri ex scripto, *can.* 1. 2. *quæst.* 8. Item sententiam judicis ferri ex scripto, l. 3. C. *de sent. ex peric. recit.* Ex periculo, id est, ex scripto, ex libello, qui et recitatus periculum adducit, nisi jure judicaverit, d. l. 3. quod quidem verum est regulariter. Excipiuntur enim certæ causæ, quæ adnotantur ad finem ejusdem tituli ex Novelle Justiniani, in quibus fertur sententia verbotenus, sine scripto. Ex his vero omnibus Hincmarus in supradicto Concilio colligebat, et dicebat, etiam querelam, et actionem omnem in judicio ex scripto instituendam esse porrecto libello judici, et adversario, idque dicebat, et proculcabat, quibusdam clericis se ab eo Hincmaro ordine ecclesiastico suspensos esse in Concilio, in Synodo conquerentibus, nempe hujusmodi querelam per libellum Synodo insinuandam esse subscriptum expostulantium manu.

AD CAP. *Significantibus*. II. et CAP. *Dilecti*. III.

Hoc c. 2. repetitur in cap. 49. *inf. de appell.* Utrumque caput hanc habet inscriptionem, quam sic restituemus, *Innocentius tertius Magistro Gregorio Archidiacono, et Gulielmo Normanno, et Gregorio de Grevre Canonicis Suessionensibus*. Et ex vulgari clausula: in extremo utriusque cap. atque etiam in extremo cap. 3. *h. t.* supplenda sunt hæc verba, *audiatis causam, et appellatione remota sine debito terminetis*: vel quæ reperiuntur in fine *cap. exhibita, et cap. accepta, sup. de judic.* Et observandum, causæ, de qua agitur in hoc cap. 2. et seq. cognitionem aliis primum delegasse Pontificem Romanum, deinde cum juste ab eorum sententia interlocutoria appellatum esset ad eundem Pontificem, ab eo causam fuisse remissam, et delegatam non iisdem, sed aliis judicibus, juxta morem judiciorum, ut ad eum, a quo jure appellatum est, causa non recurrat, l. *Eos*, C. *de appellat.* c. *exhibita, et c. accepta, sup. de judic. cap.* 2. *de matr. contr. int. ecclesiam contr. cum placeat* 2. *quæst.* 6. Observandum est etiam ex specie cap. 2. *h. t.* jure appellatum esse a judicibus delegatis quod postulasset reo judicio in rem convento, ut sibi perspicue rem designaret actor,

quam suam esse petebat, judices eas præberent operam, neque ad id actorem compellere vellent. Et similiter ex specie cap. 3. quod reo convento judicio in personam postulante sibi exprimi causam obligationis judices hac in re jurisdictionem suam denegassent. Unde apparet non argui quidem, et culpari libellum, quod in eo res, quæ petitur, non sit perspicue designata, vel quod in eo non sit expressa causa obligationis, quam ob rem nec libellum vitiari verum est, *l. 3. C. de ann. excep. cap. 1. §. Secus autem. de sent. et re judic.* in 6. sed culpari judicem, quod id excipientem, ut postulantem reum non audierit. Justa enim hæc rei postulatio erat.

AD TITULUM IV.

De Mutuis petitionibus.

AD CAP. *Ex litteris.* I.

Mutuæ petitiones sunt mutuæ actiones, *l. 11. §. 1. de jurisd.* Græcis ἀντιγραφαί, ἀντικατηγορίαι, conventiones, et reconventiones, quæ fiunt in eodem judicio, et si me petente decem ex causa mutui, reus vicissim petat a me ex testamento totidem, vel amplius, quasi contrario judicio, ut Tertullianus secundo adversus Marcionem, Ægyptiis de Hebræis petentibus vasa aurea, et argentea, contra ait, Hebræos mutuas petitiones instituisse, allegantes sibi quoque mercedes restitui oportere operarum servitutis pro lateribus ductis, pro civitatibus, et villis ædificatis, quod postea *Compensationem* vocat recte. Compensatio vel fit ipso jure, vel per exceptionem doli inducitur, vel per mutuam actionem, *l. 1. C. rer. amot.* ad quam multum facit ille Tertulliani locus: jus autem hoc est, ut ubi quis secutus forum rei adversus eum expertus est, ibi etiam, si quid invicem ab eo reus petat, statim sive ex continenti respondere debeat, id est, in ipso articulo reconventionis, quamvis alias forum illud actori non sit competens forum, *l. 1. § ult. de extraord. cogn. l. 11. §. 1. de jurisdict. l. Lucius. mand. l. 22. de jud. l. 1. §. ult. quæ sent. sin. appel. resc. poss. Nov. 96.* quod confirmatur in *cap. 1. h. t.* hoc expresso nominatim, ut actor mutuæ petitioni adversarii apud eundem judicem respondere cogatur, qui utriusque petitionem, ut ait, vel concordia terminet, vel judicio, ut *cap. 19. inf. de testib. c. querelam. inf. de simon.* Concordiam accipit pro transactione, ut in idiotismo *accord.* Suadet sæpe judex partibus, ut transigant, *l. 7. C. de sent. et interl. jud.*

AD CAP. *Prudentiam.* II.

Plus adjicit in hoc capit. ut si actori ex rescripto Pontificis judex datus sit, qui de causa cognoscat remota appellatione, id est, ita ut ab eo appellare non liceat, debeat etiam ille judex, et possit de mutua petitione rei appellatione remota cognoscere, ut utriusque partis jus conditioque sit eadem, nec detur plus uni, quam alteri. Illis autem verbis, *appellatione remota*, non omnis prorsus appellatio inhibetur, sed ea tantum, quæ jure specialiter permissa non est, ut ostenditur in *cap. Pastoralis. inf. de appell.* Inhibetur appellatio ex conventione partium *l. ult. §. ult. C. de tempor. appel.* Inhibetur etiam rescripto Principis sæpe præ nimio studio expediendarum litium, *l. 1. §. ult. a quibus appell. non lic.* vel rescripto Pontificis, qui non minus sibi tribuit, quam Princeps: ne dicam plus. Ad hoc etiam notandum est, mutuis petitionibus locum esse coram judicibus ordinariis, vel delegatis, non coram, aliis, in quos de non tantum re compromissum est, *cap. 6. sup. de arbitris.* Atque demum notandum est, quod sicut actor coram iisdem judicibus mutuæ petitioni respondere debet; ita reus apud alios judices pendente priore judicio mutuam petitionem instituere non possit, etsi illos recusarit, ad quos vocatus est, tanquam suspectos intra constituta tempora, atque ita utramque litem, utramque petitionem pertraxerit ad alios judices, ut *Nov. 96. et 53. et c. 3. de resc. lib. 6.* Non est etiam omittendum certas esse causas, in quibus reconventiones non admittuntur, ut in causa momentaneæ possessionis, in causa interdicti unde vi, vel de clandestina possessione, *c. ult. inf. de ord. cog.* et in omnibus aliis causis, quæ celeritatem desiderant; neque item si quis agat cum excommunicato, excommunicato reconventio permittenda est, *cap. cum inter. in fin. de exception.* Excommunicatus convenire, vel reconvenire non potest interim dum ecclesia exsulat.

AD TITULUM V.

De Litis contestatione.

AD CAP. *Olim.* UNIC.

Libelli oblationem, et conventionem, de qua ante dictum est, sequitur litis contestatio, quam constitutio hujus tituli docet fieri per petitionem actoris *par la demande*, in jure propositam, inquit, id est, ad sellam judicis, et secutam responsionem, et contradictionem rei, exposito, narrato, et permisso omni negotio, de quo lis est, *l. 1. Cod. eod. tit. l. Rem. §. Patrono. C. de judic. l. 2. §. 1 et §. Sin autem reus. C. de jurejur. propter calum. 2. §. Partibus sup. de elect.* cujus cap. verba usurpavit Gregorius IV. in hac Constitutione. Simplex postulatio, id est, μονομερής, quæ fit ex una parte tantum, litis contestatio non est, litis contestatio est conflictus utriusque partis. Item positio facti sola, et responsio ad eam positionem facti, id est, disceptatio facti, quo de agitur litis contestatio non est. Imo hæc disceptatio agitur, antequam veniatur ad litis contestationem, ut de facto constet prius inter partes si fieri possit, deinde causa omnino agatur, proposita actione in jure, et exceptione, sive depulsione actionis, quo genere res plane in judicium deducitur, et litis contestatio fit: quod est valde notandum. Nam sæpius in foro etiam hodie quæritur, quando lis contestata sit, vel non, et multi in eo versatur, qui liquido id nesciunt quid sit sicut et nihil tale liquido sciunt tabulæ forenses, nati tantum ad conturbanda negotia hominum, confundenda, et permiscenda jura omnia: nihil eo genere hominum est in Repub. perniciosius, nihil imperitius. Porro in specie hujus cap. quia petitiones tantum, et responsiones super pluribus vel omnibus articulis litis coram judicibus factæ, erant disputationes de facto ultro citroque: non hoc solo lis fuit contestata etiamsi factæ fuerint coram judicibus, et consequenter, qui est finis hujus cap. nihil egerunt judices, qui tamen quasi lite ordinata atque perfecta, *le procès parfait*, rem judicandam remiserunt ad Romanum Pontificem. Sæpe mandatur judicibus, ut instruant litem, et ordinent omni ex parte atque informent, deinde ita instructam remittant ad mandatorem, qui, si non lite contestata eam remittant, nihil plane agunt, quia non potest videri lis informata, quæ contestata non est: non potest judicari lis, quæ nondum contestata est. Nemo litis contestationis nomo est, qui nesciat ex Festo venire ex eo, quod res in judicium per litis contestationem deducatur testibus præsentibus: quam in rem plurimum facere videtur huic loco Cæcilii dictum apud Macrobium 3. cap. 16. *Jubent*, inquit, *dicere quorum negotium est* (describit contestationem litis) *narrant: Judex testes poscit: ipsus* (id est, ipse judex) *it mictum: ubi redit, ait se omnia audivisse. tabulas poscit, literas inspicit; vix præ vino sustinet palpebras; it in consilium, etc.* Placet quod ait initio: *Jubent dicere, quorum negotium est*, id est, utramque partem. Nam et hodie volunt plerique, ut specialiter judex jubeat partes contestari, alioquin contestatas esse litem partes non videri, nisi id nominatim jussæ fuerint.

AD TITULUM VI.

Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.

Regula, quæ in hoc titulo proponitur, apertissima est, *de re, quæ in controversia venit ante litem contestatam testes recipi, nec sententiam ferri posse.* Quæ regula, etsi ita disserte non sit expressa in jure civili, congruit tamen cum eo, ut recte sentit Joannes; et rationem reddit, quia testes litibus adhibentur, et sententiæ quoque feruntur litium dirimendarum causa. Litem igitur prius esse oportet, quam testes producantur, et recipiantur, ac sententia definitiva proferatur. Quorsum enim sententia, quorsumve testimonia, si nulla lis est? Non est autem lis proprie, antequam res in judicium deducta, id est, in judicio ordinata, et contestata sit. Qua ratione etiam res, quæ in disceptationem venit, non dicitur esse litigiosa ante litem contestatam *l. 1. §. 1. de litigios.* Non quælibet controversia lis est, non jurgium quodlibet, sed ea res tantum, quæ ab utraque parte in judicium deducta, et contestata est. Videndum autem in primis hoc loco, quibus casibus hæc regula accomodetur, et valeat, et quibus non valeat: siquidem casus, quibus non valet, certi, et finiti sunt, illi infiniti. Hos igitur primum excutiamus, et excipiamus, ut sia semotis, in ceteris casibus regula consistat. Casus excepti, quibus scilicet ante litem contestatam testes recipi, vel res judicari potest, hi sunt: primum, si inter moras litis contestandæ periculum sit, ne testes, quibus res, qua de agitur, communiri, et comprobari potest, qui forte senes, aut valetudinarii sunt, vita absolvantur. Item, si qui forte iidem testes Reipub. causa peregre profecturi, ibique diutius moraturi sint. His duobus casibus, ne intereat rerum memoria et fides, vel si quid est in hominis vita diu, ne diu expectetur, in causis civilibus testes audiri, et recipi interim placet etiam ante litem contestatam, *c. ult. hoc t.* At interim receptis testibus necesse est, ut ibi ostenditur, actorem, qui eos produxit, id reo denuntiare intra annum, ut reo sit copia excipiendi eos, *pour les reprocher*, et se defendendi: alioquin, quod hac in re actor egerit non convento, aut non denuntiato reo, nihil valet. Additur tertius casus in *d. c. ult.* si sit controversia de electione Episcopi, vel alterius cujuslibet Prælati, jure sit facta necne, vel ut in cap. 1. hoc t. si agatur de matrimonio, quod una pars justum, altera injustum esse contendat, et per contumaciam adversarii fiat, ne lis contestetur: nam et his casibus, quia Ecclesiæ maxime interest, ne diu sit orba, sine Rectore, et conjugia etiam, ne causa trahatur conjugii in longum tempus propter votorum concupiscentiam, etiam ante litem contestatam non tantum testes recipi, sed etiam de re ipsa principali, puta de electione Episcopi, per quam utique, si confirmata sit, dicitur conjugium spirituale contrahi inter electum et ecclesiam *c. 2. de translat. Episc.* vel etiam de conjugio civili pronuntiari potest. Et hoc, sicut dixi, si per contumaciam rei fiat, quo minus lis contestetur his duobus casibus, non ceteris. Alioquin si nulla rei contumacia arguatur, primum in causa electionis electo plerumque dantur tres mroxes, intra quos veniat, et electionem amplectatur, ut *d. c. 2.*

electio autem et confirmatio tres, intra quos consecretur, can. 1. dist. 100. et interim causæ cognitio suspenditur, nullique testes recipiuntur: in causa autem matrimonii, qui ex conjugibus citra contumaciam abest, expectetur suspensa cognitione, quoad de ejus morte constiterit, nec habetur ratio hoc casu longæ moræ, vel petentium ejus, qui quæve conjugem petit. Et ad hunc casum respicit cap. 4. hoc t. ut patet ex his verbis, *absque culpa contumaciæ*. His vero casibus in d. c. ult. adduntur alii duo, *si non jure ordinario res agatur*, sed extra ordinem ex inquisitione, et mero judicis officio, ut cap. 10. sup. t. 1. ubi id exposuimus. Item, si conservandæ rerum memoriæ causa, et propagandæ in posteros quis testes audiri desideret, eorumque testimonia publicari, quibus jus aliquod, quod sibi aliquando obventurum speret, judici probare possit, eo quod forte, quo tempore jus illud illi obveniret, non sint illi testes futuri in rebus humanis: ut si agatur de pecunia debita sub conditione quæ adhuc pendeat, *l. In lege Aquilia. ad l. Aquil. l. Quidam. §. 1. de furt. l. 3. §. Si duo. de Carbon. edic. c. significavit, inf. de testib.* Id vulgo appellatur *examen a futuri*, quod tamen moribus nostris non permittitur nisi ex rescripto Principis. Et hi sunt præcipui casus in jure: quibus regulam hujus tit. vitiari invenio, et perdere suum officium. Addit Hostiensis, et Bartholomæus Brixianus glossator 3. *quæst.* 9. *in pr.* Addunt et alii Doctores istius juris multos alios casus, quos ab hac regula excipiendos esse censent, meo quidem judicio incongrue satis et inepte. Nam vel illi casus, quos adjiciunt sunt de negotiis, quæ agi solent μονομερῶς, non tantum parte præsente, nec exigunt litis contestationem, ut de causa appellationis, hæc semper agitur μονομερῶς *l. ult. ad Treb. l. ult. §. Illud. C. de temp. appel. c. interposita. §. ult. inf. de appell.* vel sunt de negotiis, quæ probationem non exigunt ut puta de notoriis et manifestis, *l. 11. §. Idem. l. 2. de act. emp. c. tuo inf. de coh. cler. cap. 2. de consang. et affin. cap. 9. de accusat.* vel omnino illi casus, quos adjiciunt, nihil ad hanc regulam pertinent. Neque vero alii casus ab ea excipiuntur recte, nisi sint ejusmodi, ut et in eis rigor juris litis contestationem, et probationes exigat: et consequenter nec ullæ causæ ad eam regulam pertinent, eive regulæ subjiciuntur, nisi quæ sui natura et origine agendæ sunt, vel agendæ videbantur, *historice*, sic loquuntur Constitutiones, *et cognitionaliter*, id est contradictu judicio, partibus cominus constitutis. Hactenus de casibus, qui ab hac regula excipiuntur. Nunc videndum est de cæteris casibus, quibus hæc regula locum habet, quemadmodum per ordinem ea regula judicia rite peragantur, vel ea non servata irrite et inutiliter: quod ut assequamur explicanda est species cap. 1. 2. et 4. quod facili negotio assequemur.

AD CAP. *Ad hoc*. I.

Species hujus c. 1. est ejusmodi: accusabat uxor virum adulterii: quæ accusatio hoc efficit, ut etiamsi ob eam rem non dissolvatur matrimonium, tamen repetat mulier dotem manente matrimonio, qui casus singularis et specialis est. Repetat, inquam, mulier dotem, et segreget se secernatque procul a viro, nec se illi commisceat. Et hactenus quidem etiam jure civili recepta accusatio est adulterii adversus virum agente uxore de violato matrimonio suo, *l. Consensu, C. de repud.* quæ actio civilis est potius, quam criminalis; nam et jure civili uxor criminaliter eum marito de adulterio experiri non potest, *l. 1. C. ad leg. Jul. de adult.* Hæc, inquam, accusatio, de qua agitur in hoc cap. 1. actio est potius civilis, quam criminalis, ut non sit mirum, si et per procuratorem causam agi hoc loco proponatur: causa criminalis non agatur per procuratorem, *l. pen. §. ult. de pub. judic.* Vir autem, quem mulier accusabat adulterii, prius desiderabat sibi uxorem restitui, quæ ab eo temere et inconsulto discesserat, prius dico, quam responderet libello accusatorio, et quasi criminationi uxoris. Contra uxor in domum viri ideo nolebat reverti, quod ne vis sibi ab eo fieret, extimesceret, quam experta jam erat semel, coacta apud eum falso confiteri, et de crimine eodem quasi a se commisso pariter: et quod etiam domi suæ vir mulierem impudicam haberet, quam si cupiens esset recipiendæ legitimæ uxoris, foras exigere debuisset. Quod item vir uxori, ut exigitur in c. *ex transmissa*, *vel literas, in fi. inf. de restit. spoliat.* ideo nullam idoneam cautionem offerret de securitate, de uxore recipienda, et tractanda amabiliter. Rursus vir, nisi sibi uxorem judices restitui juberent, etiam quasi denegata jurisdictione appellabat ad Romanum Pontificem, a quo judices hac in causa dati erant. Nunc accipe quid judices egerint. Hisce omnibus apud eos allegatis testes receperunt a muliere prolatos adulterii probandi causa, eorumque testationes promulgaverunt, evulgaverunt, non habuerunt rationem appellationis a marito interpositæ, cujus etiam forte non fuit habenda ratio, cum præmature fuerit interposita antequam pronunciaretur reddenda esset viro uxor, necne. Non habuerunt etiam rationem ejus, quod notandum est de causa adulterii, quæ principalis erat causa litis inter virum et uxorem, Et in hoc peccarunt, quia ante litem contestatam testes recipiendi non sunt. Itaque nec ea de re judices pronuntiare possunt, quæ non dum contestata, et in judicium deducta erat. Et hæc sufficiant ad hoc cap. 1. Nam quod in fine ejus additur, maritum non tantum propter suam contumaciam, quod judicio adesse nollet, et litem contestari, quod judicium accipere nollet, non tantum propter suam contumaciam excommunicari posse; sed etiam propter contumaciam procuratoris sui, si sciens maritus contumaciam procuratoris sui non purgaverit; id, inquam, non est in antiqua Decretali, et ut rationem aliquam habeat, non tamen debet ejus rei inspectio nos avocare a re proposita, quæ certe si susciperetur nos longissime avocaret: alio igitur cuidam, et propriori loco reservetur. Interim tamen dignum est, quod obiter ex hoc loco notetis, nobis imputari, quod procuratorem nostrum fecisse scimus, nec corrigimus, aut reprobamus.

AD CAP. *Accedens*. II.

Tyrus est metropolis Syriæ Phœnices, patria Ulpiani nostri, quem et ob id sæpe Athenæus vocat *Syriticum*. Hanc civitatem eam tenebant Veneti, rector sive plebanus (is est, quem nos appellamus curionem, *le curé*) ecclesiæ S. Marci, quæ est Venetiis, ecclesiæ etiam Tyrensis curam et administrationem usurpabat, in hac scilicet et illa quamvis longo dissitæ essent, jus parochiale exercebat in fraudem Tyrensis Archiepiscopi, sive Metropolitani. Qua de re cum Archiepiscopus egisset interdicto quasi possessorio, et restitutorio, necdum litem contestari potuisset propter contumaciam adversarii omni ratione, et solertia id agentis, ne secum lis contestaretur, ne judicium acciperet, ne, ut ita dixerim, veniret ad manus; tres Episcopi hac in causa judices delegati fuerunt a Pontifice Romano, Acconensis, *l'Evesque d'Acre*, qui dicebatur Ptolomais, Episcopus Berytensis, et Episcopus Tiberiensis, quorum duo priores erant suffraganei Archiepiscopi Tyrensis, cum tamen Berytus jure civili etiam metropolis esset, sicut Tyrus, ut constat ex *l. un. Cod. de metr. Beryt. lib.* 11. sed non eadem in civitate semper fuit observatio ecclesiæ, et fori civilis. Hi, inquam, tres Episcopi ab illo Archiepiscopo productos testes receperunt, eorumque dicta publicaverunt: et hoc amplius sententia sua definitiva Archiepiscopo possessionem juris parochialis in Ecclesia Tyrensi adjudicaverunt. Quod Pontifex maxime improbat in hoc *cap.* 2. scripto ad Patriarcam Hierosolymitanum et Archiepiscopum Cæsariensem, sic legendum omnino, quia ante litem contestatam testes recipi, et sententia definitiva ferri non potest. Accedebat, quod Rector ille Sancti Marci non abs re appellaverat a supradictis Episcopis; quorum duo erant suffraganei adversarii sui, cujus, appellationis, tametsi judices eos dedisset Pontifex, adjecta clausula *appellatione remota*, quia fuit justissima appellatio, rationem habere debuerant, ut *cap. pastoralis, inf. de appel.* Justissima igitur fuit appellatio, justissima eorum judicum ejeratio, sive recusatio, quod major eorum pars sint suffraganei adversarii, quod ostendum.

AD CAP. *Accedens*. IV.

Controversia erat inter Gulielmum Vicecomitem Conaici, *qui est en Bretagne*, et uxorem ejus, quæ ab eo temere divertarat, et confugerat ad Comitem Britanniæ, viri sui, ut proponitur, inimicum capitalem. Habuit Britannia hæc, minor scilicet, quæ *Armorica* dicitur, ut alias dixi, primum Reges, ut constat ex inscriptione *can.* ... *hac quippe 3. quæst.* 6. et ex Regione secundo Chronicorum, et ex Galfrido de Gestis Britannorum lib. 9. deinde habuit Comites, *cap.* 11. *sup. de for. compet.* et in hoc *cap.* 4. quod et Gregorius Turonensis scribit *lib.* 5. *cap.* 4. ad extremum Duces. Dicebat autem mulier illa, ideo se a viro discessisse, quod propter necessitudinem sanguinis, qua inter se conjuncti erant, jure inter se non consisteret matrimonium. Qua de re priusquam quæreretur, merito desiderabat vir sibi ante omnia restitui uxorem. Dati autem sunt, qui inter eos judicarent, Episcopus, et Archidiaconus Corisopitensis *aujour d'huy l'Evesque de Corbie*, et Petrus Burtensis quidam, quos maritus ejerabat et rejiciebat his rationibus; quod Episcopus Corisopitensis Comitem Britanniæ inimicum suum proximo cognationis gradu contingeret, quæ justissima est causa recusationis; quod item (quæ etiam est justissima causa) Archidiaconus ejusdem Comitis familiaris et domesticus esset: rursus quod Petrus ille subditus esset uxori suæ et vasallus: et postremo, quæ est gravissima causa, quod ad eos judices non esset sibi liber et facilis accessus, quia domicilium eorum erat sub ditione Comitis Britanniæ, nec alium locum ad agendam et disceptandam causam, quo liber esset marito, nec metuendus accessus, dare volebant, aut assignare: et quia omnes hæ justissimæ erant causæ recusandi eos judices, merito Pontifex in eorum locum judices dedit, Abbatem scilicet de Eleemosyna diœceseos Carnotensis, quæ Abbatia manet etiam hodie; *l'Abbaye de l'Aumosne*, nec longe remota erat a terris, a possessionibus illius mulieris, quæ nupserat supradicto Vicecomiti, et Abbatem de Curia Dei Diœceseos Aurelianensis, l'*Abbé de Nostre Dame de la Cour Dieu*. Hos, inquam, judices dedit Pontifex rejectis prioribus, et ad irritum revocatis his omnibus, quæ a prioribus gesta erant, et maxime depositionibus testium, quos ex parte uxoris receperant ante litem contestatam, contra regulas juris, nulla cum intervenisset culpa, mora, aut contumacia Vicecomitis, et sub hoc mandato, ut ante omnia et celerrime supradicti duo Abbates cogerent uxorem ad Vicecomitem maritum suum reverti, ac deinde cognoscerent de jure matrimonii, et prædiorum dotalium, quæ Comes Britanniæ detinebat simul cum uxore Vicecomitis, quæ ad eum dimisso marito confugerat. Hæc tria cap. quæ exposui, confirmant aperte regulam in ipso titulo propositam.

AD CAP. *Tuæ fraternitatis*. III. et CAP. *Quoniam*. Ult.

Ex hoc titul. restat hæc tantum inspectio, quemadmodum in reum contumacem, qui litem contestari, et judicium accipere detrectat, judicium peragatur, si, ut fert regula hujus tituli, adversus eum testes recipi, et sententia definitiva ferri non potest: an res, qua de actum est, manebit indecisa, an impunita contumacia rei? Coerceri quidem

ea potest excommunicatione, communi flagello non obedientium ecclesiæ, ecclesiasticisve judicibus, *cap.* 1. 2. 3. et *ult.* §. *ult. h. t.* Sed an etiam coerceri potest damno litis, sive rei, quæ in controversiam venit, perinde atque si litem contestatam deseruisset? (quæ desertio plectitur damno litis, *l. Contumacia. de re judic.* quæ intelligenda est de eo, qui litem contestatam deserit, et contrahit, quod dicitur eremodicium) an etiam qui ante litem contestatam contumaciter judicio abest, plectitur damno litis? hoc quæro, vel an plectatur alio modo? aut si adversus reum contumacem, ut fert regula, ante litem contestatam non possunt testes recipi, non potest sententia definitive ferri, qua via adversus illum rem exsequemur, quo ordine? Et Pontifex quidem in hoc *c. ult.* §. *In aliis vero casibus* ex jure civili, vel ex interpretibus juris civilis: fuit enim Innocentius, qui est ille Pontifex, juris peritissimus, et totum quidquid scribit in hoc *c. ult.* satis prolixe, est ex jure civili, vel ex glossis juris civilis, quarum plerisque factum est, ut juris vim sumpserint per Pontifices, qui ex eis Decretales confecerunt, et generales Constitutiones. Ex his, inquam, Pontifex in *cap. ult.* interesse putat, qua actione actum sit, in rem, an in personam: nam si actione in rem, reo absente per contumaciam, mittendus est actor in possessionem rei petitæ, rei quam vindicat, quam petit, custodiæ causa: ut ait in hoc *c.* 3. Recte, quia non tam possessio ei, quam custodia datur, *l. Is cui legatorum. ut in poss. legat. l.* 3. §. *ult. de acq. poss. l. Cum legatorum, quibus ex caus. in poss. c. pen. de dol. et contum. c. pen. et ult. inf. de eo qui mitt. in poss. serv. rei causa.* Datur inquam, ei custodia rei petitæ, ut saltem, quod etiam additur in *d. l. Is cui legatorum.* tædio perpetuæ custodiæ veniat in judicium; et obtemperet judici. Unde et Pontifex in *d.* §. *In aliis c. ult.* ait *tædio*, loquit, *affectus reus veniat responsurus, et d. c.* 3. *in antiqua Decretali, ut tædio affectus appellaturus saltem se judicis conspectui repræsentet.* Et hæc dicuntur de reo convento actione in rem, qui rem possidet suo nomine, et vel tribus edictis, vel uno peremptorio pro omnibus evocatus præsentiam sui facere contemnit (contumax a contemnendo dicitur) vel qui dolo malo id agit ut inveniri, et in jus vocari, et duci non possit, ut fiebat olim, vel qui dolo malo latitat, quæ tria contumaciæ genera notantur in *c. ult.* §. *Porro.* Quod si post missionem, id est, posteaquam actor missus est in possessionem rei petitæ, post illud primum decretum, quo actor missus est in possessionem vindicatæ rei, reus venerit intra annum, ut definitur in *cap. ult. ex l. pen.* §. *pen. C. de præscr. trig. vel quadr. ann.* et præstiterit cautionem judicio sisti, ac præterea actori refuderit impensas, quas fecit eo nomine, sane rei possessionem vacuam recipiet expulso actore, qui in eam missus est. Gallice, dicimus, *il aura main levée.* Sed si vel non venerit intra annum, vel non præstiterit cautionem judicio sisti, vel non refuderit actori impensas, tum ex secundo decreto, quod et Bernardus tutius esse arbitratur et cautius, nempe ut secundum decretum interponatur in *c. pen.* ex secundo, inquam, decreto jubetur rem petitam possidere civiliter jure dominii, et usucapere, si dominus non fuerit, reo de possessione dejecto, qua non exciderat propter primum decretum, ut fit in causa damni infecti, *l. Si finita.* §. *Ubi autem. de dam. inf.* vel ut quidam arbitrantur, ipso jure actor post annum reo perseverante in eadem contumacia verus rei possessor constituitur, quod indicare quodammodo videtur *c. pen. inf. de dol. et contum. et c.* 1. *inf. de eo qui mitt. in poss. rei serv. et c.* 11. *sup. de off. ord.* Et bis peracto de proprietate rei quæritur, si de ea quæri reus velit, in qua quæstione tamen reus est ex reo actor, ex possessore petitor: actor vero ex actore reus, ex petitore possessor, quia factus est verus possessor vel ipso jure, vel quod tutius est, secundo decreto, ut fit etiam in specie *l.* 15. *de dam. inf. l. Si priusquam. de nov. oper. nunt. l. De bonis.* §. *ult. de Carb. ed. l.* 1. *C. ubi possid. l.* 9. quæ proprie pertinet ad hanc rem, *C. quom. et quando jud.* Observa actorem non fieri reum propter contumaciam rei, id est non fieri possessorem, non transferri in eum possessionem civilem, nisi post annum e sententia Pontificis in *hoc cap.* quæ nititur *d. l. pen.* §. *ult. C. de præscript.* 30. *ann.* et opinione Pilei, et Bulgari dissentientium hac in re a Joanne, Martino et Azone, qui existimant actorem per missionem in possessionem solam, statim possessorem fieri, quorum sententiam merito Pontifex non sequitur. Hæc autem dicimus, quod ab initio ita proposui, de reo convento judicio in rem, et contumace, qui rem, qua de agitur possidet suo nomine. Nam in eo, qui rem immobilem possidet alieno nomine, veluti procuratore, vel custode prædiorum, custode saltus, vel conductore, alius ordo servatur, nempe quod et in *d. cap. ult.* §. *In aliis* proponitur iisdem verbis ex *l.* 2. *Cod. ubi in rem act. exerc. deb.* ut procurator, vel conductor conventus judicio in rem (potest conveniri judicio in rem, qui rei restituendæ facultatem habet, quia tandem receptum est judicium in rem non tantum dari in possessorem, sed etiam in non possessorem, si modo rei restituendæ facultatem habeat, *l. Officium in fin. de rei vind.* et procurator, vel conductor, qui alieno nomine possidet, sane non est possessor simpliciter vel absolute quia is possidet, cujus nomine possidet, non ipsemet, *l. Quod meo. in princ. de acq. poss.*) ut, inquam, procurator, vel conductor conventus judicio in rem statim dominum laudet sive nominet, cujus nomine rem immobilem possidet, cui et mox jussu judicis denuntiatur, ut intra certum diem judicio adsit, et causæ defensionem suscipiat per se, vel procuratorem, qui hoc loco, ut et alibi sæpe, in hoc jure appellatur *responsalis*, sive *apocrisiarius*, qui vice alterius respondet. Et huic vero denuntiationi si dominus non pareat, præscriptio longi temporis ex eo die interrupta esse intelligitur, quo procurator ejus conventus est judicio in rem, perinde atque si lis contestata fuisset. Præscriptio sane interrumpitur litis contestatione, hoc est certissimum, sed et conventione, aut vocatione in jus, *l. Sicut. l. Cum notissimi. in princ. C. de præscr.* 30. *ann. l. ult. C. de ann. except.* Rursus autem dominus, qui primæ denuntiationi non paret, tribus edictis evocandus est, quibus etiamsi non paret, tum sommatim, sive ταχυ-ρεῶς, ut loquitur Novell. 53. causa cognita actor mittitur in possessionem petitæ rei et contumax ex reo fit actor, si quidem velit adhuc de rei proprietate experiri, actor vero ex actore fit reus, sed non nisi post annum, ut supra dictum est, in reo, qui sibi possidet non alieno nomine, sed suo. Observa autem Constitutionem *d. l.* 2. quam in hoc *c. ult.* Pontifex suam facit, esse de eo, qui possidet rem immobilem alieno nomine. Aliud ergo est in eo, qui rem possidet immobilem alieno nomine, quia ab eo domino probat protinus actor rem evincit, et aufert officio judicis, nec suspenditur sententia, quoad domino absenti denuntiatum sit, et male glossæ, quæ ex Novell. 69. idem esse volunt in possessore rei mobilis, quia id illa *Nov.* non dicit aperte, neque innuit tacite: quin et illa Novella non est de judicio in rem, sed de judicio in personam ex causa delicti, quoties procurator, vel custos, aut villicus, vel colonus, aut inquilinus, qui rem mobilem alieno nomine possidet, in ea re excolenda, vel utenda, vel administranda aliquid agit in fraudem et injuriam alterius. Qui casus non est etiam commiscendus cum eo, quod sequitur in *c. ult.* §. *ult.* de judicio in personam. Est enim illa Novella de judicio in personam ex delicto, at *c. ult.* de judicio in personam ex contractu, et quod cavetur in eo est magna ex parte sumptum ex *Nov.* 53. nempe hoc, ut si conventus actione in personam (dictum est de actione in rem) id per contumaciam agat, ne secum lis contestetur, et tergiversetur, et moras trahat, actor mittatur in possessionem omnium bonorum ejus crediti servandi causa, primum in possessionem bonorum mobilium, ut Pontifex Novellæ adjicit secutus Doctores juris civilis ex *L. A Divo Pio.* §. 2. *de re jud.* quamvis illa lex ad executionem judicati pertineat, non ad rationem, et ordinem coercendæ contumaciæ debitoris nondum judicati; deinde si bona mobilia non suppetant, in possessionem bonorum immobilium: ut, inquam, hoc ordine servato creditor mittatur in possessionem bonorum debitoris debiti servandi causa eaque bona teneat pignoris vice, quod dicitur pignus Prætorium *pro qualitate debiti declarati*, διαγινομένου, inquit, *Novel.* 53. *nec ea bona recipiat, qu'il n'en aye point la main levée*, aliter quam si in judicio adfuerit intra annum, ut supra dictum est de judicio in rem: post annum quoque veniens, et de obligatione litigare paratus, ut debitor onus sustineat actoris, id est, onus probandi, se pecuniam, de qua actum est, non debere. His addit Pontifex in hoc *cap. ult. licere tamen judici hac via omissa ex communicationis viam eligere si expediat hoc magis*, id est communem remedium, quo in contumaces utitur ecclesia. Electio judici datur ab initio, ut in contumacem reum hac vel illa ratione utatur, ut contumaciam rei hoc vel illo modo coerceat: at ex post facto etiam jam electa via una, si nimis videatur superbia et contumacia rei, ut altera via uti potest, uti potest utraque via. Hæc omnia sciunt memoriter, qui in foro versantur, sed non ita distincte et enucleate. Ad extremum monendi sumus, ea, quæ hactenus dicta sunt esse de reo contumace: de actore contumace nondum dictum est. Quid fiet si actor ipse contumax fuerit, qui litem inchoavit? In actore contumace indistincte sive post litis contestationem, post vocationem in jus ante litis contestationem desistat, nec rem exsequatur servatur quod est in *Nov.* 112. ut et hic, postquam fuerit tribus legitimis edictis evocatus, si judici non obtemperaverit, habent adhuc annum, intra quem contumaciam suam emendare possit, redditis ante omnia reo sumptibus, quos fecit in judicio: post annum vero, et auditis rei allegationibus, et receptis testibus a reo productis judex μονομερῶς, id est, actore absente, possit procedere ad sententiam definitivam. Et in hoc postremo casu distat valde actor contumax a reo contumace. Nam propter hanc contumaciam extremam actoris, proceditur ad sententiam definitivam ante litem contestatam, non etiam propter contumaciam rei. Major et fœdior est contumacia actoris, qui controversiam movit, quam contumacia rei, quem non ita dedecet, judicium fugere vel subterfugere.

AD TITULUM VII.

De Juramento calumniæ.

AD CAP. *Inhærentes.* I. CAP. *Imperatorum.* IV. CAP. *Cæterum.* V. et CAP. *Cum in causa.* Ult.

Juramentum calumniæ, de quo in hoc titulo agitur, præstatur initio judicii cujusque civilis post litis contestationem, *cap. pen. h. t. l.* 2. *C. eod. tit.* Initium cujusque judicii est litis contestatio, *l.* 5. *de pet. hæred. l.* 5. *in fi. de publ. jud. l. Deferre.* §. *Sed cas. de jur. fisc. l. Adulteram. C. ad leg. Jul. de adult.* et *Novell.* 112. quæ in hanc rem est apertissima, ut tum lis inchoari dicatur cum contestatur apud judicem. Et præstatur quidem jusjurandum calumniæ tactis sacrosanctis Evangeliis, ut ait *Nov.* 124. *ut litigantes jurent, etc.* ab utraque parte, puta actore jurante se non calumniandi animo, non vexandi adversarii causa litem inferre, et reo similiter, se non calumniandi animo ad inficias ire, sed juris sui opinione adductum, atque fiducia præterea nihil se judicibus corrumpendi judicii causa dedisse, cavisse, promisisse, vel aliis personis suffragii nomine, prætarquam advocatis honoraria, et viatoribus sportulas, ut *d. l.* 2. et *d. Nov.* 124. Pœna autem non jurantis propo-

nitur in *cap. ult. §. ult. h. t. ex d. Nov.* et *d. l.* 2. ut actor, qui non vult jurare de calumnia, protinus causa cadat, et reus similiter pro confesso et judicato habeatur; ad quod etiam facit omnino *cap.* 4. *h. t.* Id tamen genus jurisjurandi in *cap.* 1. ostenditur interdici clericis, ex Constitutione Henrici Secundi Imperatoris, qui *Sanctus* est appellatus, quæ extat in 1. *collect. Decret.* et in lib. 2. *leg. Longobard. tit. de Advocat.* et ab Honorio Secundo Pontifice Romano confirmatur in hoc c. 1. scripto ad Episcopos Occidentales, atque ita, quod jam ante Marcianus Imperator constituerat specialiter de clericis Orientalibus, vel Constantinopolitanis tantum, et nullo adficerentur jurejurando, vel adigerentur, l. *Cum clericis. Cod. de episc. et cleric.* id generaliter porrigitur ab Henrico Imper. et Honorio Pontifice etiam ad clericos Occidentales, et monachos etiam, qui non sunt clerici totius Orbis Christiani, ita ut nemo per se quicquam jurare cogatur, vel possit ultro, inconsulto, ut ait, Rom. Pontif. vel Prælato suo, sed per alium jurare possit, puta per Procuratorem, vel Oeconomum, vel Syndicum, ut c. 3. 4. *pen. et ult. h. t. c. optatum* 100. *dist. can. indicentes* 17. *qu.* 4. sicut olim cum Flamini Diali, et Sacerdoti Vestali jurare fas nunquam erat, quod et Gellius refert 10. c. 15. his verbis fuisse expressum in edicto prætoris perpetuo, *Sacerdotem Vestalem, et Flaminem Dialem in omni mea jurisdictione jurare non cogam.* Et Dio 59. idem a C. Caligula constitutum fuisse, tum licebat ei alium dare, qui pro se juraret. Quod et plebiscito probatum fuisse T. Livius scribit in lib. 31. Et sic Episcopi, clerici, et monachi jurent per alios, vel etiam per se arbitratu summi Pontificis, vel Prælati sui, ut ait in hoc c. 1. Quo modo et in *c. ult.* Episcopus Belvacensis auctore Summo Pontifice jurat de calumnia, *propositis*, ut ait, id est, ante oculos positis, non, ut vulgus, *tactis sacrosanctis evangeliis*, ut fit etiam in testimonio dicendo, quod est ex *Nov.* 123. Clerici item auctore Summo Pontifice jurant de calumnia, et de quocunque alio re possunt arbitratu Summi Pontificis in specie c. 5. *h. t.* et c. 3. *inf. de perjur.* Observandum autem est in hoc c. 1. Honorium proponere verba ipsa Constitutionis Henrici jam defuncti, quoniam ait, *Henrici quondam Imperatoris*: ergo *Henrici secundi*, ut et condices habent, non *Henrici* V. ut quidam annotarunt, qui Honorio supervixit. Utrumque etiam Henricum et Honorium *Marcum* appellare, mendosum est, pro *Marciano Imp.* Item utrumque simul jeum Marciano Imp. nisi auctoritate veterum canonum, per quos clericis jurare nefas est, *can. pen.* et *ult.* 22. *q.* 5. *can.* 1. et 5. 2. *q.* 4. Et hoc etiam eosdem adjicere ex *Nov. Justiniani* 6. *et* 131. canones vim legum obtinere. Non omittam, Bernardum notare ex hoc c. 1. ex illo scilicet loco, *in quacunque causa sive criminali, sive civili*, etiam in criminali causa jurari de calumnia: quod et Fridericus Imp. sequitur in Constitutione quadam *de pace tenenda*: quasi jam jure proditum, cum id proditum tantum esset a Joanne, Bulgaro, Hugolino, et Azone, contra quos rectius Martinus sensit, in causa criminali non jurari de calumnia, sed in pecuniaria tantum. Neque vero adversus Martinum quidquam facit hoc *cap.* 1. quia non loquitur de solo jurejurando calumniæ, sed de quolibet jurejurando. Nihil etiam contra Martinum facit l. *pen. C. de fid. instrum.* qua Accursius nititur sententiam Joannis, et aliorum confirmare, quia ea lex non post institutam falsi accusationem dicit jurari de calumnia, sed ante accusationem ab eo, qui petit instrumentum exhiberi, quod postea falsi arguere paret. In judicio igitur ad exhibendum, quod civile est, non in judicio criminali, ut recte Martinus sensit, et constat ex *Nov. Leonis Philosophi*, 97. et 107. quia in judicio criminali sufficit subscriptio accusatoris in crimen, et reo omnia conservandæ salutis honesta sunt. Nec movere etiam nos debent hæc verba *l.* 1. et 2. *Cod. h. t. in omnibus causis, in omnibus litibus*, quia de civilibus tantum accipienda sunt, non de criminalibus. Movere etiam nos non debent loci *Nov.* 123. quibus agitur de puniendo judice, qui quid accepisse a reo convictus fuerit, vel de puniendo reo, qui falso judicem sordium insimulaverit vel in civili, vel in criminali causa, ut ajunt. Non enim agitur iis locis de juramento calumniæ, quasi id etiam in criminali causa præstari conveniat.

AD CAP. *Litteras.* II.

Ad *cap.* 2. hoc annotare satis erit, ex antiqua Decretali constare et apparere, litem, ad quam illud *cap.* pertinet, fuisse inter ecclesiasticas personas, inter Episcopum et Abbatem de decimis quibusdam, in qua Pontifex Romanus Eugenius Tertius, qui est auctor hujus *c.* 2. et duorum seqq. censet e neutra parte esse exigendum jusjurandum calumniæ, sed neque in ulla lite, quæ movetur de rebus spiritualibus, quales sunt decimæ, quod tamen Bernardus glossator exagitat valde in hoc cap. 2. imo et improbat Bonifacius VIII. in *cap.* 1. *§. ult. eod. tit. in* 6. quasi scilicet in causis spiritualibus major cautio sit adhibenda, majorque subsit ratio exigendi jurisjurandi de calumnia: Sed Eugenius, meo quidem judicio, separare voluit causas pecuniarias, in quibus de re familiari agitur, a causis spiritualibus, quasi in pecuniariis tantum, quæ aguntur contentione, et aviditate majore, exigi oporteat jusjurandum calumniæ, non in spiritualibus, quæ pertinent ad rem ecclesiæ potius, quam ad rem propriam. Quo argumento etiam confirmari potest, quod ante dixi, et in criminalibus causis, quæ scilicet ad ultionem et vindictam pertinent, non ad rem familiarem, *l.* 6. et *pen. de sepul. viol.* in causis, inquam, criminalibus non jurari de calumnia. Bernardus in hoc cap. 2. spiritualibus causis adjungit causas adnexas immixtas spiritualibus, et connexas, veluti de jure patronatus, ut dicitur in c. 3. *sup. de judic. et in c. de jure, inf. de jur. patr.* cum tamen non ideo, quod quæstio de jure patronatus sit connexa causæ spirituali, necessario consequatur et jus patronatus spirituale esse. Et cautior certe prudentiorque est Thomas Aquinas, dum jus patronatus scripsit ordinatum tantum esse ad spiritualia: nam si ad spirituale, igitur non est ipsum etiam spirituale: sicut iter ad locum religiosum, non est ipsum etiam religiosum, l. 15. §. 1. *de servit.* Non omittam in hoc cap. 2. esse legendum, *de decimis ecclesiæ, vel ecclesiarum*, ex veteribus, non *de ecclesiis, decimis, et rebus spiritualibus.* Et illo quoque loco, *canones juramentum calumniæ in hujusmodi casibus, vel causis nulli prorsus indicunt.* Rectissime in antiqua Decretali abesse hæc verba, *in hujusmodi casibus, vel causis*, id est, in spiritualibus, quia certe nec laico, nec clerico canones ulla in causa indicebant jusjurandum calumniæ, quo jure etiam non utimur, nec in foro indicitur unquam jusjurandum calumniæ, quod et quodammodo corroborat Bonifacius VIII. *cap.* 1. *eod. tit. in* 6. dum statuit, omissionem hujus jurisjurandi non vitiare judicium: ergo non esse id admodum necessarium. Clericum autem ne volentem quidem jurare etiam canones admittebant, ut dictum est in c. 1. *sup.* Inde igitur statuere licet, ubi causa agitur jure canonico, puta apud judicem Ecclesiasticum, jusjurandum calumniæ non exigi: ubi jure civili, exigi, quod tamen mores nostri non exigunt, ut dixi.

AD CAP. *In pertractandis.* III.

Ex hoc cap. notandum, Oeconomos non jurare in animam principalium personarum, quarum res agunt sed in animam suam: quod utique verum est si jurent de his, quorum scientes et experientes sunt, non si jurent pro principalibus, quia tunc jurant in animam eorum, ut scriptum est hoc cap. Nescio quæ res hanc varietatem fecerit post Concilium Lateranense habitum sub Alexandro III. *part.* 23. Et ad hoc etiam pertinet *c.* 2. *de testibus in* 6.

AD CAP. *Cum causam.* VI.

Ad hoc cap. pen. quia cetera exposuimus, quæ sunt in illo cap. et aliis, hoc tantum annotabo, causam, de qua hic agitur, quæ fuit Reipub. Faventinæ, de villis quibusdam cum Archiepiscopo Ravennatæ, fuisse cum Alberto Archiepiscopo, ut memorat hoc adducto c. Hieronymus Rubæus *histor. Ravennat. lib.* 9. et de eadem etiam causa agitur in *cap.* 37. *infr. de testib.* et *cap.* 9. *de probat.* Extra hæc, quæ delibavimus ex hoc tit. addam pro coronide, Bonifacium VIII. in *cap.* 1. *et* 2. *eod. tit. in* 6. tria constituere genera jusjurandi, jusjurandum de calumnia, jusjurandum de veritate dicenda, et jusjurandum malitiæ, ut vocat. Neque vero etiamsi jusjurandum de calumnia dicatur præstari ad veritatem eliciendam, *cap.* 5. *hoc. tit.* male separatur a jurejurando de veritate dicenda: hoc præstatur a testibus, et nonnunquam, ubi id res exigit, a partibus illud vero a partibus tantum. nec idem utriusque tenor est ut docet glossa in *c. pen. hoc tit. etc. ex literis inf. de jurejur.* At videtur, aut posset videri, non fuisse cur separaret jusjurandum malitiæ a jurejurando calumniæ: nam et calumnia malitia est nimis callida, et malitiosa interpretatio, ut M. Tullius ait, et quod malitiæ jusjurandum dicitur ab interpretibus, id calumniæ jusjurandum appellatur in *l.* 13. §. *Qui damni. de damn. inf.* cum quis juret se non calumniæ causa, id est, non malitiose vexandi adversarii causa postulare cautionem damni infecti, vel se non calumniæ causa jusjurandum deferre, l. 34. §. *Qui jusjurandum l.* 37. *de jurejur. l.* 11. §. 1. *rer. amot. l. Delata. C. de reb. cred.* vel se non calumniæ causa desiderare, ut ab urbe in municipium remittatur satisdationis judicio sisti præstandæ causa, *l. De die.* §. *Jubetur. qui satisd. cog.* vel non calumniæ causa postulare sibi edi rationes, non superflue, *l.* 6. §. *Exigitur. de edend.* vel cum nuntiat novum opus, *l. De pupillo.* §. *Qui opus. de novi op. nunt.* vel cum desiderat, ut sibi in alieno thesaurum suum, cujus memoria extat, quærere liceat, et effodere, l. 15. *ad exhib.* vel ut sibi fiat copia inspiciendarum, vel describendarum tabularum testamenti, *l. pen. C. quemadm. test. aper.* At dici potest, non male hoc interesse jusjurandum calumniæ a jurejurando malitiæ quod ita discretionis causa appellatur, quamquam calumnia et malitia idem sit, quod jusjurandum calumniæ sit de lite instituta calumniose proprie, aut quam veremur ne instituatur, vel suscipiatur calumniose: jusjurandum autem malitiæ de alia quacunque calumnia.

AD TITULUM VIII.

De Dilationibus.

AD CAP. *Dilecti.* I.

Agitur in hoc tit. de dilationibus, quæ dantur instrumentorum, vel testium exhibendorum, et producendorum gratia, ut in Codice Justiniani, *eod. tit. et D. de fer. et dilat.* Sed de dilationibus, quæ reo dantur citato per libellum ad deliberandum, et consultandum, cedere an contendere ultra debeat, quæ quidem dilationes ex *Novella* 53. sunt viginti dierum, hodie arbitrio judicis definiuntur. At si nimis breves datæ fuerint, in hoc cap. 1. quod extat etiam in prima *Collect. tit. de dol. et contum.* ostenditur, justam esse reo causam appellandi. Et nimis breves esse, si evocetur reus in jus edicto peremptorio, arctiore condicta die, maxime in rebus ecclesiasticis, ut ait in cap. 1. nisi quæ gravis necessitas urgeat, et exigat reum quantocyus in ju-

dicium venire, ut c. consuluit, *in fin. de offic. et pot. jud. del. sup.* Melius esse peragere ordinem trium edictorum, intermisso per singula edicta spatio 30. dierum, ut cautum est *Novell.* 112 eoque ordine peracto adhuc interponere edictum peremptorium, aut certe ab initio unum edictum peremptorium interponere pro omnibus, sed in diem longiorem, qui ordo in jure civili servatur in citandis reis, vel actoribus contumacibus post litem contestatam, pertinetque ad eos tantum l. *Contumacia. de re jud.* ut in l. *seq.* §. 1. demonstrant hæc verba: *si litem inchoatam deseruit:* inchoatur litis contestatione, *d. Novella* 112. Remque ad eos pertinet l. *Ad peremptorium* et *seqq. aliquot. de judic.* Græci interpretes demonstrant, qui eas leges omnes accipiunt de adversario absente post litem contestatam, μετὰ προκατάρξιν, de desertore litis contestatæ, qui et solus dicitur in jure contrahere eremodicium, quam vocem etiam circumforanei retinent, *l. Ait prætor* §. ult. *de minor. l. Cum quærebatur. judic. sol. l. Properandum, C. de judic.* Id vero etiam contumacis vel verbum indicat. Venit enim contumax a contemnendo, et proculdubio παρετυμολογεῖ Jurisconsultus in l. *Contumacia*, §. 1. cum ait, *contumacem esse eum, qui tribus edictis evocatus, vel uno peremptorio, præsentiam sui facere contemnit:* contumacem esse, qui contemnit. Et recte etiam in *l. De ætate.* §. *Qui tacuit. de interrog. in jur. fac.* contumacem Prætorem contemnere videri. Non contemnit autem prætorem, vel judicem quemcunque alium, qui vocatus per viatorem, vel per libellum, in judicium non venit, sed perhorrescit judicem potius, et reveretur, timidus est inquam, potius quam superbus: at qui litem contestatam deserit, plane contemptor judicii, et tribunalis est. Et hic igitur proprie contumax. Qui tamen ordo jure civili finitus est adversus contumaces, qui litem contestatam deserunt atque destituunt. Idem tamen productus, ut constat ex *Novell.* 69 et 112 et ex hoc c. 1. et *c. ult. sup. ut lite non contest.* et aliis plerisque locis, etiam ad eos, qui ante litem contestatam vocati judicio adesse refugiunt. Denique idem ordo hodie servatur in eum, qui deserit litem contestatam, et in eum, qui deserit vadimonium, id est, promissionem judicio sistendi causa factam, qui tamen non dicitur, ut ille, contrahere eremodicium, quia eo nomine significetur desertio litis, nec potest quisquam videri deserere litem, quæ nondum inchoata est. Et omnino eædem dilationes, sive induciæ dantur utrique parti ad deliberandum. Induciæ ad deliberandum dicuntur in hoc titulo induciæ legitimæ. Radevicus 3 de gestis Friderici Imperatoris cap. 27. *Legitimas, inquit, inducias Jurisperiti vocant judicis edictum unum, mox alterum, et tertium, et unum pro omnibus, quod peremptorium nominatur.* Male glossa in hoc cap. 1. *unum edictum peremptorium tantum temporis continere, quantum tria edicta solemnia;* quoniam hoc omne positum est in arbitrio judicis, qui hoc solum cavere debebat, ne peremptorii nimis brevem edictionem faciat.

AD CAP. *Præterea.* II.

In hoc cap. ostenditur, reum legitime tribus literis evocatum a judicibus delegatis, et litteris etiam adjecto exemplo delegationis Summi Pontificis, cum satis habuerit spatii ad deliberandum, satisque accepto illo delegationis exemplo de omni causa instrui potuerit, serius venientem frustra desiderare ut sibi aliud spatium deliberandi detur. Et huic simili alius casus subjicitur in c. 3. *inf.* quo etiam frustra petitur dilatio ad deliberandum.

AD CAP. *Litteræ.* III.

Cum esset controversia inter presbyterum ecclesiæ S. Priscæ in urbe Roma et nobiles quosdam de quibusdam possessionibus a nobilibus possessis, quas presbyter contendebat suæ Ecclesiæ debere pensiones certas; cognitionem ejus rei Pontifex Romanus delegavit Episcopo Farentino, sive Ferentinati: cui presbyter ecclesiæ suæ nomine, quo et agebat, libellum conventionis obtulit, quo narrabat jam per triennium, et ultra nobiles cessasse in solutione pensionum et rogatus a nobilibus ut præcise diceret certum tempus quo cessassent, ut apertius scilicet exponeret illam adjectionem, *et ultra*; presbyter respondit cessasse jam eos per *septennium*, atque ita quodammodo mutavit libellum: nam cum initio dixisset *triennium, et ultra*, postea dixit *septennium*. Quamobrem nobiles desiderabant, quasi instituta nova actione, sibi dari longiores inducias ad deliberandum, et iis denegatis ab Episcopo Ferentino, appellaverunt ad delegantem, ad Summum Pontificem, qui eam appellationem injustam, et moratoriam esse recte pronuntiat, quia declaratio illa actionis fuit primitus institutæ, et libello comprehensæ, non mutatio, et omnino eadem de re, non alia, de qua ex libello oblato adversarii a presbytero ecclesiæ nomine plene cumulateque adversarii instrui poterant. Et, ut dicitur in *l. Hæredes.* §. 1. *qui testam. fac. poss.* qui, quod obscurius in testamento scripsit post solemnia testamenti explanat, non nunc dat, sed datum significat: sic qui quod obscurius petit, vel scripsit, postea adversario postulante explanat, non nunc petit, vel scribit, sed petitum jam, vel scriptum significat, quæ comparatio congruere huic cap. potest.

AD CAP. *Exposuit.* ULT.

Ultimum cap. hujus tit. ut et cap. ult. *sup. de major. et obed. et c. ult. inf. de dol. et contum.* pertinet ad veterem illam controversiam de primatu Aquitaniæ, quæ durat etiam hodie inter Archiepiscopum Bituricensem, et Archiepiscopum Burdegalensem, utroque eum sibi vindicante, utroque dicente se esse Bituricensem. Nam et Burdegalenses, et Avaricenses, quæ vetus est appellatio civium hujus urbis, in qua nunc moramur, Bituriges sunt: hi Bituriges Cubi, illi Bituriges Vibisci. Et vitis Biturica, quam Plinius laudavit, non est vitis illa hujus provinciæ, sed vitis Burdegalensis, quæ excellit. Proinde uterque Archiepiscopus sibi adscribit quod T. Livius testatur lib. 5. *Penes Bituriges Celtarum summam imperii fuisse*, id est, ut hodie interpretari oportet, *Aquitanorum:* nam et Plinio utrique Bituriges locantur in Aquitania *lib.* 4. *cap.* 19. His non erit otiosum addere, non a Latina appellatione Biturigum hanc civitatem appellatam videri *Bourges*, sed quod hi populi *Burgigalli* dicerentur, unde et auctore Isidoro *lib.* 15. *Etymologiarum* Bourgigalliæ, et postea *Burdigalæ* nomen hujus urbis Coloniæ, ut idem ait. Sed ad rem. Cum cœpisset illa controversia inter Archiepiscopum Burdegalensem, et Archiepiscopum Bituricensem tempore Gregorii IX. is postulante Archiepiscopo Bituricensi diem dixit peremptorium Archiepiscopo Burdegalensi, *cap. ult. inf. de dol. et contum.* quod est de eadem re, puta initium Quadragesimæ proximæ, quod Græci vocabant ἀπόκρεω apud Gregoram octavo, ἀπόκρεω ἦν καιρὸς ὁπότε πρὸς τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας καὶ ἀκροποσίας ἐθέλειν ἀνθρώπους: intra quem diem scilicet judicio adesset et responderet Burdegalensis Bituricensi per se, vel per procuratorem idoneum in urbe Roma coram Gregorio IX. Qui tamen, cum diem fefellisset, postea in urbem venit ipsemet, non ex hac causa, sed ex causa publica Ecclesiæ Romanæ evocatus a Pontifice Romano ratione dissidii, ut Hostiensis et Joannes Andreæ notant, exorti inter Gregorium IX. Pontificem et Fridericum II. Imperatorem. Cumque ibi etiam adesset Archiepiscopus Bituricensis, ab eo Burdegalensis fuit appellatus, ut de primatu Aquitaniæ disceptaturus in jus ambularet, quod tamen non fecit, sed mox Burdegalam cogitans procuratorem reliquit ad respondendum, et defendendum cum hoc modo, *salvis exceptionibus sibi competentibus:* qui modus conditiove fecit, ut ex persona domini procurator exciperet, non potuisse dominum, qui Romam venerat publici negotii causa in auxilium ecclesiæ Romanæ, ut ait, ibi interpellari de alio negotio, et de alio interpellatum jus habuisse revocandi domum, c. *ult. sup. de for. competen.* Ac præterea, quia dominus non satis habuerat temporis ad deliberandum cum capitulo et suffraganeis suis de negotio illo primatus Aquitaniæ, procurator desiderabat sibi aliam dilationem dari deliberandi causa: quam et Pontifex ei concedit in hoc c. die, quæ condicta fuerat ad initium Quadragesimæ, prorogata ad diem Nativitatis Domini. Similis fuit controversia de primatu inter Toletanum et Bracarensem Archiepiscopos in Hispania, de qua est c. *cœrum, inf. de restitut. in integr.* et in 5. *Collectione Honorii III. cap. ult. de dilat.* quoniam et in illa controversia fuit quæsitum de dandis dilationibus, non quidem ad deliberandum, sed ad instruendum judicem, et ad producendos testes.

AD TITULUM IX.

De Feriis.

AD CAP. *Omnes.* I. et CAP. *Quoniam.* II.

Titulus IX. libri secundi est de *feriis*, id est, diebus feriaticis, ut loquitur *l.* 2. *eod. tit.* majestati Altissimi dedicatis, diebus devotionum, ut loquitur *l. ult. C. Theod. de navicular.* quibus opponuntur dies communes, *l.* 2. *C. de stat. et imag.* Inter feriatos vero frequentiores sunt, quos Apostolus *Apocalyps.* 1. et tota Ecclesia *Dominicos* vocat, a quibus quæque septimana incipit. Et quamvis more Romano dies quilibet a media nocte incipiat, et finiatur sequenti media nocte, *l. More. D. eod. tit.* et 24 *sup. de offic. et pot. jud. de leg.* tamen quod ad reverentiam, venerationem, observationem horum dierum attinet, *can. quod die* 75. *dist. can.* 1. *de consecrat. dist.* 3. et c. 1. *hoc tit.* definitur eam venerationem Dominicorum dierum incipere pridie vesperi, et desinere sequenti vespera, nisi loci et provinciæ consuetudo aliud introduxerit, ut *cap.* 2. *hoc tit.* idque exemplo festivitatis Paschæ, quam Dominus celebrari præceperat ab Hebræis inter duas vesperas: quæ tamen verba Hebræi, qui eorum optimi interpretes sunt, quippe cum ea diu in usum perduxerint, longe aliter accipiunt, quam *cap.* 2. Venerationem autem in eo consistere, ut abstineatur, ut ait *cap.* 1. ab omni opere illicito, quod scilicet illicitum dies ipse Dominicus facit. Facit autem omne opus illicitum, præterquam id, quod ad Dei cultum spectat. In sacra scriptura modo legitur, *ab omni opere servili*, et *cap.* 3. *hoc tit.* modo simpliciter et abscise, *ab omni opere*, *ab omni labore omnium molestiarum.* Ut item abstineatur a *mercaturis, sive nundinationibus faciundis, a litibus et jurgiis,* et ita ut sint his diebus, ut Plautus loquitur, silentio in foro, sive placita nulla, ut loquitur in c. 1. et *can. placita* 15. *q.* 2 voce vulgo recepta, vel ex vulgo ducta potius. Quod enim idiotismus *plaide*, id vocarunt *placitum*, id est, *jurgium forense, concertatio forensis.* Ut item abstineatur his diebus a suppliciis reorum. Quod et leges civiles constituerunt, vel Seneca teste in 5. *Controv.* qui diebus festis intercedentibus pœnam ex lege differri ait. At postremo ut abstineatur his præcipue diebus ab omni jurejurando, nisi si quando forte quidam copulent dexteras, pacis, vel transactionis firmandæ causa, vel ex alia causa necessaria, qua ex causa etiam diebus feriatis judicia exerceri possunt, *cap. ult. hoc. tit.* Quod autem dixi diem Dominicum totius septimanæ esse primum diem, id iis iisdem verbis scriptum est in l. *ult. C. Theodos. de spect.* Hunc tamen diem, et qui sequuntur dies etiam ecclesia ferias vocat nempe *secundam, tertiam, quartam, quintam, sextam feriam*, et postremum diem non feriam, sed *diem Sabbathi*, in memoriam Sabbathi Judæorum, a quibus Christiani profecti sunt. An igitur omnibus diebus feriæ? Minime: sed qui olim

ecclesia annum incipiebat a Pascha, atque adeo prima anni septimana erat septimana Paschalis et ejus primæ septimanæ dies omnes feriati, *cap. ult. hoc tit. l. 6. C. eod. tit.* hinc factum est, ut et reliquarum septimanarum dies feriæ dicerentur, quamvis non essent feriæ, capto scilicet omine, et auspicio bono ex prima anni septimana, quæ tota feriata erat, quod pauci norunt. Ad hæc notandum etiam hoc est ex c. 2. hunc fuisse priscum morem ecclesiæ, ut diebus Dominicis stantes orarent in signum resurrectionis, nec flecterent genua. quod etiam hodie servat Æthiopia, ubi ob eam rem scipiones quamplurimi, baculi quamplurimi in limine templi positi sunt in summo parvum temonem habentes, ut qui in templum ingreditur sumat quisque suum, cui in templo stans innitatur. Certe id ita Nicæna Synodo definitum est, ne quis vel castum, vel jejunum agat, ne genu flectat die Dominico, *can. quoniam, de consecrat. dist. 3. can. ultim. 30. dist.* Tertullianus de corona militis: *Die Dominico*, inquit, *jejunare nefas ducimus, vel de geniculis adorare: eadem immunitate*, ut subjicit, *a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus*: *ut stantes*, inquit, *oremus in publico cœtu totius ecclesiæ*: non in secreto, ut ait in *cap. 2.* παραβύστῳ. Nam in occulto quin quisquis orare possit die Dominico flexis genibus non est dubium. Itemque Episcopus dum consecratur, vel clericus dum ordinatur, quod fieri debet die Dominico, *can. quod dies 75. dist.* et is simul, qui Episcopum consecrat, vel clericum ordinat, genua flectere non prohibetur. In eodem *cap. 2.* de festo SS. Trinitatis, quod alii celebrant in octava Paschæ, alii Dominica prima ante Adventum Domini, valde singulare est, quod Alexander Tertius ait: illud festum Trinitatis nullo certo, statoque tempore celebrari in Romana Ecclesia, quia quod quotidie occinitur in fine Psalmorum ex instituto Damasi Pontificis, ut Carolus Magnus scribit in lib. de ritibus veteris Ecclesiæ, et Raphael Volaterranus in anthropologia, et alii plerique, quod, inquam, quotidie occinitur *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*, continua celebratio Trinitatis est. Ait Autem Alexander in hoc *cap. 2. Festivitatem illam SS. Trinitatis quosdam celebrare in octava Pentecostes*, id est octava die, *sive Dominica prima post Pentecosten*, et proculdubio nos intelligit, Gallos intelligit, qui octavam diem post Pentecosten SS. Trinitatis dicamus. Et Clemens Tertius *cap. 4. hoc tit. dum dixit Pentecosten carere octava*, proculdubio respicit ad morem nostrum, qui festum SS. Trinitatis colimus die octava post Pentecosten, nec recolimus Pentecosten. Octavam agere est recolere festum superius, et cludere. Observa vero in *d. c. 4.* Clementem octavam diem post Pentecosten agnoscere, non octavam Pentecostes. Hæc duo sunt diversa: non potest ille dies esse octava Pentecostes, quæ dicata est SS. Trinitati. Inscriptio autem c. 2. ita restituenda est: *Alexander III. Terdonensi Episcopo*, malo in secunda collect. *Archiepiscopo*, quia, ut ex notitia Episcoporum constat, quem codicem fiscalem Volaterranus vocat, Terdonensis est suffraganeus Archiepiscopi Mediolanensis.

AD CAP. *Licet.* III.

Multo majus mendum est in inscriptione hujus c. 3. quod dirigitur ad Archiepiscopum Triburiensem, et ejus suffraganeos, ut recte additur in antiqua Decretali, cum tamen notitia supradicta nullum ponat vel Archiepiscopum, vel Episcopum Triburiensem. Nam et Tribur villa tantum fuit quædam imperatoria prope Moguntiam, ut constat ex præfatione Concilii Triburiensis, et piscatio halecum, *qu'on appelle harens*, cujus fit mentio in hoc *cap.* 3 Nulla Triburi. Permittit in hoc cap. Pontifex, ut Diebus Dominicis, et natalitiis Martyrum, quibus diebus memoria celebratur non nativitatis, sed gloriosæ mortis Martyrum pro fide intemerata, et aliis diebus festis, si halecum copiam mare egerit in litus, quod non semper, sed per vices, facit, et certis temporibus, maxime post æquinoctium autumni: ut tum non habita ratione festorum dierum omnes concurrant ad halecum capturam. Loquitur de regionibus maritimis, in quibus homines ex ea potissimum re victitant frugum inopes, et quæstum faciunt, quod vel ad Daniæ insulas respicit, vel Scandiæ, vel Norvegiæ, ubi piscatio halecum exercetur luculentissima, ut salsamentarii mercatores omnes narrant, et ex literatis scribunt Krantzius, et Munsterus. In Belgii ora exercetur ea quoque, sed non ita copiose, nec ibi ex ea re victitant potissimum Belgæ. Qua ex re fit, ut hujus *cap.* 3. rescriptum fuisse directum putem ad Archiepiscopum Daniæ, vel Scandiæ, vel Norvegiæ, unde etiam provenit magna vis asellorum, quos vocant *Stolefis*, quod nisi ferula verberentur igne percoqui non possunt. Magna autem est ratio non interdicendæ illis istius piscationis quoquo se die offerat, ne, ut ait *l. 3. C. eod. tit.* occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa, quæ lex plus aliquanto permittit, quam hoc c. 3. nempe ut et opus rusticum cuique liceat facere die Dominico: quod tamen abrogat Leonis Nov. 54. quamquam et generaliter Laodiceni Concilii can. 29. permittat eo die cuique non cessare ab opere suo, vitæ suæ tolerandæ causa, post preces solemnes scilicet Deo in ecclesia redditas, a quibus non desistit, qui simul et vitæ suæ, suorumque curam agit. Verba Concilii hæc sunt: τὴν κυριακὴν, id est, *diem dominicum*, προτιμῶντας εἴγε δύναιντο σχολάζειν ὡς χριστιανοί. Modus hic additur, εἴγε δύναιντο, *si queant*, non dicit, ut vulgo redditur, *si hoc eis placet*, sed *si queant*, si hoc eorum conditio et res ferat, si ejus diei cessatio non sit sum, suorumve sustentationi noctura. Recte enim Scævola apud Macrobium consultus quid feriis agi liceret, respondit, *quod prætermissum noceret.*

AD CAP. *Capellanus.* Pen.

Certum est, nuptias contrahi et perfici posse quolibet die anni: perficiuntur nudo consensu collato in præsens tempus: at celebrari nuptias, et consummari, quod et concubitu contingit, non quolibet anni tempore posse. Exceptum enim est primum ab ea re Concilio Laodiceno tempus quadragesimæ, tempus feriarum esurialium, ut Plautus loquitur, *can. non oportet 33. q. 4. c. 4. de matr. contr. vet. eccles. in prima Collect.* Ac deinde exceptum est tempus, quod a Septuagesima excurrit ad octavas Paschæ, vel, ut servatur in ecclesia Romana, et refertur in *hoc. c.* 4 a Septuagesima usque in diem sextum post Pentecosten, quo quidem tempore includitur etiam Quadragesima, *d. can. non oportet*: cum tamen vetus Concilium Laodicenum nuptiis celebrandis tantum exemisset Quadragesimam ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ γάμους ἢ γενέθλια ἐπιτελεῖν. Imo ulterius res processit, et ab Adventu quoque Domini ad Epiphaniam, ac deinde ad Epiphaniæ octavam vetita nuptiarum celebratio, et consummatio est. Imo et tribus septimanis ante festum S. Joannis Baptistæ, ut est scriptum in *d. can. non oportet.* Unde orta est quæstio, quæ definitur in hoc c. 4. utrum tres illæ septimanæ sic accipiendæ sint, quæ præcipue antecedunt festum S. Joannis Baptistæ, quæ contingunt festum S. Joannis Baptistæ, an quæ a die Litaniarum excurrunt usque in octavum diem post Pentecosten, quod temporis spatium plane continet septimanas tres? Hoc erat satis difficile explicatu. At hæ solemnitates, festivitates puta Litaniarum, et quæ statim sequuntur, Ascensionis, et Pentecostes, præcedunt quidem festum Sancti Joannis, sed cum eo non continuantur. Remotæ igitur sunt illæ tres septimanæ, non conjunctæ festo S. Joannis: imo plerunque inter eas et festum Sancti Joannis longum intervallum intercedit, et hoc præsenti anno MDLXXXVI. inter octavum diem post Pentecosten, et festum Sancti Joannis sunt dies 23. Pontifex autem recte definit in cap. pen. tres illas septimanas ante festum S. Joannis, quas dicit *can. non oportet*, non sic esse accipiendas, quæ sunt conjunctæ festo S. Joannis, sed quæ longe ante festum illud concurrerunt, quæ scilicet impenduntur Litaniis, sive Rogationibus, et celebritati Ascensionis, et Pentecostes. Quod et nunc vulgus observat, et vulgari idiomate hoc narrare non erit inutile: omnis hæc temporum ad nuptias celebrandas religiosorum comprehensio his verbis expressa est lepidissimo: *Nopces nous donne S. Hilaire*, quæ est octava Epiphaniæ. *Septuagesime defend. de les faire.* Quasi modo, quæ est octava Paschæ, *veut qu'on les face. Les Rogations*, quæ sunt Litaniæ, *les dechassent. La Trinité*, qui est octavus dies post Pentecosten, *puis les octroye, les Advents les desenvoyent.* At hodie hic ordo plane mutatus est Concilio Tridentino, et superflua est quæstio hujus *c. pen.* quoniam nuptiarum celebritas permittitur etiam Litaniarum tempore, et Ascensionis, et Pentecostes; et Septuagesimæ temporibus dum prohibentur tantum a feria quarta Cinerum, *qui est les Mercredy des Cendres*, ad Octavam Paschæ, et præterea ab Adventu Domini ad diem ipsum Epiphaniæ, qui est dies Baptismi Dominici, non expectata octava Epiphaniæ, sive festo S. Hilarii.

AD CAP. *Conquestus.* Ult.

Ad cap. ult. hoc tantum notandum, enumerari in eo præcipuas ferias, quæ Deo dicatæ sunt, et separari eas hac in re a feriis usui hominum deputatis, veluti feriis messium, et vindemiarum: quod his volentes judicem adire, et coram eo litigare non prohibeantur, illis prohibeantur, quod congruit cum *l. 1. D. eod. titul.*

AD TITULUM X.

De ordine cognitionum.

AD CAP. *Intelleximus.* I. et CAP. *Tuam.* III.

In hoc tit. ostenditur, ubi duæ causæ, vel quæstiones in idem judicium veniunt, vel deducentur, de qua prius cognoscendum sit; qui locus latissime patet, et multo plura certe continet, quam in hoc titulo prodita sint: mihi tamen satis erit explicare ea, quæ sunt in hoc titulo: longius evagari, neque debeo, neque volo. In specie cap. 1. si mulier de jure matrimonii agat, quod secum Lucium Titium contraxisse dicit, Titius autem opposita exceptione agat de jure cognationis, quod sibi cum illa intercedere, et matrimonii impedimentum adferre dicit: definitur, prius esse cognoscendum de jure cognationis, quam de jure matrimonii, quia quæstio, quam vir in modum exceptionis induxit, præjudicium facit quæstioni principali de matrimonio. Probata enim cognatione, et lite data secundum Lucium Titium, actio mulieris peribit. Cognitio cujuscumque causæ præjudicialis causam non præjudicialem semper præcedere debet: si alio ordine peragerctur res, id est, si de actione prius quam de exceptione litis judicique, mora esset nimia longa: ille ordo breviorem litem facit, et studendum est brevitati litium. Ponendum autem est in hac specie Lucium Titium confiteri, quod mulier in judicium deduxit, videlicet se cum muliere matrimonium contraxisse, verum objicere supradictam exceptionem præjudicialem et peremptoriam: alioquin non confitente reo de intentione actoris, non ante est probanda exceptio, sive dilatoria, sive peremptoria, quam actor probaverit intentionem suam, *l. Emptor. C. de præsc. long. temp. l. Siquidem. C. de excep. l. Exceptionem. C. de probat.* nimirum, quia actore non probante, reus, etiamsi non probaverit exceptionem suam, absolvitur, *l. Qui accusare. C. de edend. can. Christiana 32. quæst. 5.* Ponendum item, ut recte notavit Innocentius, mulierem egisse judicio petitorio, non possessorio, id est, maritum sibi vindicasse, cujus in domicilium

nondum perducta erat, nec etiam ducta in domum mariti, ac deinde ob alio foras ejectam se marito restitui desiderasse; hoc enim casu prius satisfaciendum esset mulieri quam viro, prius restituenda esset viro, quem ageretur de jure matrimonii, a quo fuerat temere ejecta, c. exhibita, cap. de judic. c. ex conquestione, inf. de restit. spol. Idque secundum regulam juris, ut spoliatus statim, et antequam de re alia ulla agatur, restituatur in pristinum statum: quæ ex re ea causa dicitur causa momenti, et momentum, et celeris reformatio possessionis in jure nostro. Qui autem in specie cap. 1. servatur ordo, idem etiam eadem ratione servatur in specie cap. 3. quæ est hujusmodi magna ex parte petenda ex historia nostra: Aleidis, nomen mulieris, quæ in idiotismo dicitur *Alix*, vel *Alis*, filia Henrici II. Comitis Camporum Catalaunicorum in Gallia, a quibus tota illa regio Campania hodie dicitur, et Isabellæ reginæ Hierusalem, et Cypri, ob Isabella matre, obtinuit regnum Cypri, idque transmisit ad filiam suam, cui fuit idem nomen *Alix*: hæc sibi vindicabat Comitatum Campaniæ adversus Theobaldum VI. (Doctores non recte ponunt speciem) Comitatus Campaniæ possessorem, cui Theobaldus in modum exceptionis objiciebat natalium originem, dicens, non esse originem ejus legitimam, aviam scilicet non fuisse uxorem legitimam Henrici II. propterea quod illa (Isabella scilicet) prius nupserat Godefrido de Tholen, ut Joannes Tilius narrat, et ab eo temere discesserat, ut nuberet Henrico, et consequenter ob eo vitium permanasse ad filiam et neptem. Antiqua Decretalis, quæ exstat in quinta Collect. docet hac de re actum fuisse apud Philippum Augustum regem Franciæ, eoque defuncto pendente lite apud Ludovicum VIII. filium ejusdem Philippi, ad quem cap. 3. scriptum est, utrumque vero regem Honorium III. admonuisse, ne ante judicarent de proprietate Comitatus Campaniæ, quamvis ea esset quæstio principalis, quam Pontifex ipse cognovisset de exceptione, et causa natalium quasi præjudiciali, et peremptoria quæstionis principalis, et ad cognitionem utique suam pertinere causam natalium, quod insit in ea quæstio de matrimonio, ut in *cap.* 1. et 7. *inf. qui fil. sint legit.* Quæstio natalium pertinet ad forum ecclesiasticum, quod sit conjuncta quæstioni matrimonii: quæstio proprietatis ad forum civile.

AD CAP. *Cum dilectus*. II.

Si quis de damno illato prædiis suis agat adversus eum, qui damnum intulit, et is, proposita petitione mutua, agat interdicto unde vi, quasi ab eo, qui prior litem fecit, de possessione prædiorum vi dejectus: est quidem, ut definitur in *cap.* 2. utraque quæstio ab eodem judice definienda simul, una sententia, non saliva, *cap.* 1. *de mut. petit. sup.* sed qui prior litem fecit, ejus petitio prius tractanda et discutienda est, juxta regulam, ut ait *cap.* 2. *qui prior appellat, prior agat*, et ut intelligit, *l.* 29. *de judic.* in qua vulgo quidem ita legitur, sed in Florentinis longe aliter, et rectius, qui appellat, (quod verbum est subdistinguendum addito sicilico, seu virgula) *prior agit.* Et nihil est præterea in ea lege, quod et Basilica sequuntur, quæ sic habent, ὁ ἐκκαλεσάμενος ἐνάγων ἐστὶν, id est, qui a judicis sententia appellavit ad judicem superiorem, actor est. Et sane ita est, ut qui appellavit ad judicem, prior agat, et litem in judicium perducat. Itaque ea lex nihil omnino pertinet ad mutuas petitiones. At quid si is, qui damnum dedit, conveniatur lege Aquilia, vel alio jure, et non aliam petitionem instituat, puta interdictum unde vi de restituenda possessione sibi erepta, ut posset, sed opponat exceptionem removendi, repellendi actoris gratia hoc modo, si non tu me vi possessione prædiorum meorum dejecisti, quibus tu me damnum intulisse dicis. Et hoc casu Pontifex in *hoc cap.* 2. refert se pronuntiasse, se decrevisse, ut exceptio de vi prius discuteretur, et probaretur, eaque probata, ut non ante restitutionem possessionis, reus actori respondere teneretur: ceterum non idem statim esse restituendam possessionem reo, qui ea de re non egit interdicto, sed de vi tantum excepit repellendi actoris gratia. Quod Pontifex confirmat exemplo sumpto ex *l. Lucius. de his qui not. infam.* de exceptione opposita testi, *que vous appellez reproche*, veluti reatu aliquo, quo fiat ne sit idoneus testis: quæ exceptio, sive præscriptio etsi probata fuerit, non tamen ideo statim vel testis famam lædit, vel subjicit eum pœnæ reatus, sed testimonio tantum ejus non creditur. Nam et sic vi probata, quam actori objicit reus, non ideo statim possessio reo restituenda est, quia nec de ea restituenda directo egit interdicto unde vi, sed de vi tantum excepit repellendi actoris gratia quam repellit etiam, non tamen hoc quoque assequitur, ut sibi possessio restituatur, reformetur, redintegretur, verum ultro eam restituere poterit actor, deinde de damno dato agere.

AD CAP. *Super*. Ult.

Ex hoc cap. notandum, agenti interdicto *unde vi*, nec exceptionem, nec mutuam petitionem sive compensationem objici posse, *l. ult. in fi. C. de Compensat.* Interdictum unde vi dari sine exceptione. M. Tullius in Oratione pro Cæcina, et expediri protinus sine mora, sine cunctatione, præterquam uno excepto casu, si conveniua interdicto unde vi, et ipse mutua petitione instituta eodem interdicto experiatur ex alia causa adversus actorem, vel si excipiat in hunc modum; si non et tu me vi dejecisti possessione illius fundi. Hæc enim objectio, quoquo modo objiciatur, repellit actorem. *Qui alterum incusat vitii, eum ipsum intueri oportet*: Verba sunt Plauti in *Truculento*. Et hic est finis hujus tituli decimi.

AD TITULUM XI.

De Plus petitionibus.

AD CAP. *Consilium*. Unic.

Plus petitur re, vel summa; loco, tempore, causa, quod Gregorius IX. auctor hujus Constitutionis sumpsit ex Institutionibus Justiniani, et ex Pauli 1. *Sentent.* Et quoquo modo plus petierit actor, sane punitur, et si plus petierit re, vel causa, vel loco, omne damnum, quod ex ea contigit, actorem reo resarcire, omnemque utilitatem, quæ ob eam rem abest reo, eidem præstare: si plus tempore, spatium solvendi, quod reus habuit, reo duplicari, ac præterea sumptus, quos in litem fecit, ei restitui, quod est ex Constitutione Zenonis Græca, §. *Hod e. Instit. de except.* Et quicquid omnino est relatum in Constitutione hujus tituli, ex jure civili est, ac proinde secundum jus civile interpretandum, ex quo quidem solo jure habent quod petant Pontifices exornandorum suorum decretorum causa. Nec omittendum, quod in hac Constitutione significatur, licere actori corrigere petitionem suam, id verisimum esse, si modo id faciat tempore, id est, *ante litem contestatam*, post litem contestatam sera pœnitudo est, quæ pœna jam commissa actorem non liberet, *l.* 3. *C. de plus petition.* quæ vulgo est unica lex, sed facio tertiam, qui præcedere debent duæ Constitutiones Græcæ de plus petitionibus, una Zenonis, altera Justiniani, ut docet Observatio 12. *cap.* 21.

AD TITULUM XII.

De Causa possessionis, et proprietatis.

AD CAP. *Susceptis*. I. et CAP. *Ad ultimum*. II.

Certum est, ubi quæritur de possessione, vel quasi possessione, et de proprietate, vel quasi proprietate, prius cognoscendum esse de possessione, vel quasi possessione, quam de proprietate, *cap. ult. de judic. cap. l. Exitus, de acq. poss. l.* 3. *C. fin. regund. l.* 2. *C. de interdict.* His vulgo adducunt etiam *l. Si de vi, de judic.* quam Observatio quinta *cap.* 15. jamdiu docuit ad hanc rem non pertinere: sed convenienter addi possunt aliquæ pleræque leges, l. *ult. C. quor. bon. l. Si coloni, C. de agricol. et cens. lib.* 11. *l. Ordinarii. Cod. de rei vind.* ubi et hoc proponitur, ab eodem judice utramque quæstionem definiendam esse, ut in *l. Nulli. C. de judic.* quod et Gregorius 1. *In hoc cap.* 1. ait *legali provisione esse decretum*, nempe *d. l. Ordinarii.* et *d. l. Nulli.* Et causam sive quæstionem possessionis in hoc c. 1. vocat *causam momenti*, ut juris civilis auctores. Hujus appellationis præcipua ratio hæc est, quod sit expedienda causa possessionis celeriter, remota exceptione, compensatione, et appellatione omni, abjecta cunctatione omni, *l. un. C. si de moment. poss. appell. l. ult. in fi. C. de compens. l. Momentariæ. C. unde vi, c. ult. cap. de ord. cognit.* Isidorus quinto Etymolog. *Momentum dictum a brevitate temporis, quod tam cito*, inquit, *quam citius, salvo negotio principali, possessio reformetur: nec in ullam moram producitur, protrahitur.* Qua ex re etiam dicitur et momentaria possessio, quod momento temporis, ut quæ, reformanda, et restituenda, vel danda, vel tuenda sit ei, ad quem ea res pertinet, celeris reformatio *d. l. Si col.* et *l.* 5. *Cod. Th. de denunc. et edit. resc.* *celeris redhibitio, l.* 4. *C. Theod. unde vi, celeris executio, l.* 1. *C. Theod. de col. et inquil.* Denique omne interdictum, quod possessionis, vel adipiscendæ, vel recuperandæ causam continet, momentarium est. Species autem *cap.* 1. quæ fuerit satis constat ex epistolis Gregorii *lib.* 7. *cap.* 47. et 44. et cap. 100. et 101. *Actores*, qui et ibidem *actionarii* dicuntur, id est, Œconomi, et administratores ecclesiæ Syracusanæ invaserant prædia quædam Felicis viri clarissimi inscio Joanne Episcopo Syracusano, quem tamen ea de re Felix cum insimularet, nec judicio ejus stare vellet, nec rursus Pontifex Romanus auditus a Felice ea de re quicquam definierit inaudita parte altera, jussit ab utraque parte quamprimum adi judicem, qui de utraque parte cognosceret, de possessione scilicet primum, deinde de proprietate, quanquam et commistim de utraque, si res ferat, judex cognoscere possit, ut ex epistolis Symmachi ad Theodosium Imp. constat. Verum etsi de utraque cœperit commixtim judex cognoscere, tamen non prohibetur nondum finito judicio secernere alterum ab altera, et prius de possessione testationes, sive testimonia excutere, et secundum ea pronuntiare, quam de proprietate. Quæ est sententia *cap.* 2. Verba Symmachi hæc sunt: *Recitata est Constitutio, quæ judicibus tribuit copiam, non imponit necessitatem, ut qualiter de possessione judicant, continuo, si casus tulerit, etiam de jure cognoscant.* Quo ex loco patet non esse verum, quod ajunt, jus Pontificium non concordare cum jure civili.

AD CAP. *Susceptis*. III et CAP. *Cum dilectus*. VI.

Constat ex *cap.* 3. et 4. et 6. *hujus tit.* si simul actum sit possessorio, et petitorio, si, ut loquuntur Interpretes, cumulata sint hæc duo judicia, id est, si simul actum sit de possessione, et proprietate conjunctim, utramque quæstionem una sententia terminari posse, ita tamen ut illius sententiæ prima pars, prior pagina sit de possessione, posterior autem de proprietate prævaleat, et prædominetur

in executione sententiæ, d. c. 6. videlicet si forte vicerit in possessorio; nam qui vicit in petitorio, potior est eo, qui vicit in possessorio: quæ ex re etiam dici *momentariam possessionem* Doctores putant quod non sit diu mansura apud eum, qui eam, evicerit, si vincatur in petitorio judicio, quod et Græci probare videntur, qui vocant eam πρὸς καιρὸν καὶ πρὸς ῥοπὴν νομὴν, id est, *temporariam possessionem*, l. 1. §. *ult. de acqu. quæst. et act.* Atque ita fit, ut qui vicit in petitorio, potentior sit eo, qui vicit in possessorio, utque is, qui vicit in petitorio, potestior ab eo, qui vicit in possessorio, possessionem evocet: temporaria enim fuit possessio, quæ priori judicio ei adjudicata est. Petitorium judicium perpetuum jus tribuit: possessorium non ita semper, nisi quis et in sequenti judicio, id est, in petitorio vincat. Sæpe autem hoc evenit, ut qui vicit in possessorio, vincatur in petitorio, sicut in specie *cap.* 3. clerici Conventualium Ecclesiarum Sutrinæ urbis in Hetruria: qui cum essent in quasi possessione eligendi Episcopi Sutrini una cum Canonicis, sive clericis Cathedralis ecclesiæ, agebant possessorio simul et petitorio tanquam spoliati quasi possessione a Canonicis Cathedralis ecclesiæ, qui eis reclamantibus, et earum..., processerant ad electionem Episcopi: hi, inquam, clerici conventuales sive regulares, ut vocant, in specie proposita in hoc *cap.* 3. vincunt in possessorio, et restitui pristinæ possessioni jubentur: in petitorio autem, id est, in jure eligendi, quod se habere asserebant, vincuntur. Et vincunt quidem in possessorio, quia legitime probarunt, se interfuisse superioribus annis electioni trium Episcoporum continua serie succedentium in ecclesiæ Sutrinæ summo sacerdotio. Canonici autem nihil probarunt quod moverit judices, sempe quia testes a Canonicis prolati adversus fidem testationis suæ vacillabant, quos non esse audiendos constat ex l. 2. *D. de testibus*, et quia per eos testes negationem, cujus per rerum naturam probatio nulla est, l. *Actor. C. de probat.* canonici adstruere conabantur, puta non fuisse illis clericis conventualibus jus eligendi, et consequenter non aliis, quam sibi jus eligendi Episcopi competere. Vincuntur autem clerici regulares in petitorio, quia se jus eligendi habuisse non probaverunt. Nec enim quod electioni trium Episcoporum interfuerint, et suffragium tulerint, ideo sequitur et eos jus eligendi habuisse, nisi præscriptionem huic juri acquirendo necessariam impleverint. Et actore non probante, ut ait, reus, etiamsi nihil probaverit, absolvendus est; quæ verba sumpsit ex *l. Qui accusare. C. de edend. Probandum, inquit, actori, aut causa periclitandum est.* Sumpsit et in hoc *cap.* 3. alia verba ex l. *Solemus. de jud.* ut probet venisse in judicium, id est, in judicium perduxisse clericos conventuales agentes contra clericos Cathedrales interdicto restitutorio, etiam quasi proprietatis caussam, id est, jus eligendi suum esse potentes, quia ut ait *l. Solemus. id venit in judicium, non de quo actum est inter litigantes, ut veniret,* quia vix unquam ea de re bene inter se conveniunt, semper fugiente reo, et declinante judicium: id, inquam, venit, in judicium, non de quo actum est, ut veniret (sic enim legendum, ut in Florentinis, et in antiqua Decretali, male vulgo, *non solum de quo actum est ut veniret:* legendum, *non de quo actum est, ut veniret:* sed id non *venire in judicium, de quo nominatim actum est ne veniret.* Si igitur nominatim et specialiter actum non sit inter litigantes, ne quæstio proprietatis in judicium veniret, ea simul et de possessione litigantes agisse videntur, quod et eorum allegationes probant. Et hæc sufficient ad *cap.* 3. in cujus inscriptione pro *Archiepiscopo*, emenda *Episcopo*, quia Sutrium Episcopum habuit, non Archiepiscopum, quod et contextus hujus cap. satis ostendit pluribus in locis, maxime illo, *inter eligentes Sutrinos Episcopos.* Scribit autem Pontifex Sutrino Episcopo, cujus electionem Canonici Sutrini repetierant, priore electione rescissa, qua clericos Conventuales spoliaverat quasi eligendi Episcopi possessione, et in posterum jure eligendi concesso solis Canonicis, quod Conventuales clerici defecissent in probatione petitionis suæ, assertionis suæ.

AD CAP. *Cum super.* IV.

Quæstio hujus cap. non est valde absimilis a specie *cap.* 3. supra explicati. Species hujus *cap.* 4. de qua etiam agitur *cap.* 2. *inf. de confes.* quod conjungendum est cum hoc *cap.* 4. est de Episcopatu Bethleem, qui est sub Patriarcha Hierosolymitano, de quo erat controversia inter duos, Cajum et Titium, finge, utroque se gerente pro electo in Episcopum, et Cajo quidem suffulto auctoritate regis Hierosolymitani, qui tunc fuit Guido viri. et ultimus rex Hierosolymitanus, a quo quidem rege Cajus se spoliatum querebatur, proposito interdicto restitutorio, simul et agebat petitorio, se rite et ordine Episcopum factum asserens. Et censet quidem Pontifex, quod ad possessionem attinet, esse Cajo restituendum, petitorio autem agendi neutri jus fuisse, quod neutrius electio legitime facta esset: et consequenter etiam Cajo, elio electo, possessionem, cui restitutus est, ad extremum auferendam esse. De utroque judicio possessorio, et petitorio Pontifex pronuntiavit, quia et de utroque actum fuerat, et ipse de utroque cognoverat: quæ autem de re judex cognovit, ut idem est ex *l. De qua re. de judic.* etiam pronuntiare debet.

AD CAP. *Pastoralis Officii.* V.

Hujus cap. quæstio hæc est, an is, qui cœpit agere judicio petitorio, id est, rei vindicatione, quæ lis proprietatis dicitur, possit nondum finito judicio petitorio agere interdicto adipiscendæ, vel recuperandæ, vel retinendæ possessionis, licet hoc faciat præpostere, quatenus possessorio prius agere debuit, quam petitorio, ut dictum est initio hujus tituli. Et quod attinet ad interdictum recuperandæ possessionis, veluti *unde vi*, vel interdictum adipiscendæ, veluti *quorum bonorum*, vel *quod legatorum*, locunctanter definit Pontifex in *hoc c.* id etiam recte institui post inchoatum necdum finitum judicium petitorium, si modo in judicio petitorio nondum renuntiatum sit testium productioni ab utraque parte, necdum conclusa res sit, ita ut nihil desit finiendo judicio, quam definitiva sententia, immo, et posteaquam renuntiatum sit, vel conclusum in judicio petitorio, ex justa causa arbitrio judicis, *veluti* inquit, *cum ex perspicuis indiciis facile arguitur iniquitas invasoris, et spoliatio, casu, vel malitia adversarii actori præripuit omnem facultatem probandi dominii:* quod utique in petitorio judicio semper exigitur, l. *Factus. de adquir. poss.* Verba illa, *renuntiatum sive conclusum* mutatur est Pontifex ex *Nov. de testib.* ubi ea res tamen eno tantum exprimitur verbo ἀποτάξεως, sive ἀποταγῆς, pro quo Irnerius vertit *conclusionem*, Julianus *renuntiationem*, recte et *abrenuntiationem*, sive *ejerationem*, et Tertullianus loquitur, quæ fit in baptismo: Græci ἀποταγὴν sive ἀπόταξιν vocant. Pontifex in hoc cap. utrumque verbum conjunxit his verbis, *si renuntiatum, aut conclusum sit:* et infra, *si renuntiatum, vel conclusum sit*, utitur disjunctione, quasi ambiguus, quo verbo potius sibi utendum esset. Unde liquido apparet, quam sint stulti, qui inter renuntiationem et conclusionem differentiam faciunt Panormitanus, Joannes Andreæ, et alii. *Renuntiare* igitur et *concludere* idem est, nempe renuntiare omnibus aliis probationibus, et allegationibus, et palam profiteri se nihil aliud habere, quod in judicium afferat suæ caussæ muniendæ gratia. Jul. *renuntiare testium productioni*, Alexand. *III. renuntiare testibus*, *cap.* 17. *inf. de testib.* Denique mutuo consensu partium rem eo deducere, ut protinus de ea judicari debeat. Quod item ait in hoc cap. *cum ex perspicuis indiciis facile arguitur iniquitas invasoris*, id quoque Pontifex mutuatus est ex l. *Dolum. C. de dol.* ubi tamen hodie ut fatentur omnes, esse legendum *insidiis*, non *indiciis*, fecl ego, ex perspicuis indiciis, et in Gallica translatione, *per aperta signa*. Rursus, quod ait, *cum, qui rem vindicavit, postea agere posse interdicto unde vi*, quod etiam confirmat *cap.* 36. *inf. de testib.* id est, ex l. *Cum fundum*. §. *ult. de vi et vi armat.* Quod item is antique, et integriori Decretali ait: *non videri eum possessorio renuntiare, qui cœpit rem vindicare*, id est, ex l. 12. §. *Nihil commune. de acquir. poss.* qui tamen § non loquitur de interdicto unde vi, de quo est hoc cap. sed de interdicto uti possidetis, quod et Ulpianus recte illo loco docet institui pendente judicio in rem, cum tamen hoc tantum admittat Pontifex in hoc titulo in interdicto recuperandæ, veluti unde vi, vel adipiscendæ possessionis veluti quorum bonorum, non in interdicto retinendæ, quale est uti possidetis, et utrubi, de quibus Pontifex sensit absque dubio illo loco: *alias possessoris indicia in sur robore duratura, etc.* quibus plane verbis ne quid comminiscamur, abrogat d. §. *Nihil commune*, sed timide, non quia nominatim designetis aliis judiciis possessoriis. Et motus fortassis hac fuit Pontifex ratione diversitatis, quæ et omnes Doctores movit, quod interdictum unde vi, vel quorum bonorum facile admittat concursum actionis in rem, quia ut actio in rem, et illa quoque interdicta non possessori dantur: et interdictum uti possidetis, quod possessori datur ad tuendam possessionem, vel retinendam, videtur non posse ferre consortium, vel concursum actionis in rem, quæ non possessori competit, l. 1. §. *Hoc interdictum. uti possid.* §. *Æque. Inst. de act.* Hæc enim sunt pugnantia, et quis agat quasi possessor, et quasi non possessor. At consule interpretationem nostram, quam fecimus non ita dudum ad d. §. *Nihil commune:* et invenies nihil illam rationem diversitatis obesse, quo minus, qui rem cœpit vindicare, postea asperiatur etiam, si velit, interdicto uti possidetis, vel mutata forma judicii, vel pendente, vel omisso judicio in rem. Etiam contrarie judicia, ut Baldus dixit, cumulari posse subalternatim, nempe ut hoc, vel illo, qui egit, vincat. Et hæc omnia sunt conferenda cum iis, quæ diximus in d. §. *Nihil commune:* et hoc cap. et illo §. ad eandem quæstionem spectent. Sed de his hactenus. Cap. 6. jam exposui audiuestertius.

AD. CAP. *Cum olim.* Pen.

Lis erat inter Canonicos ecclesiæ Vicentinæ et Archidiaconum, cui nuper Episcopus Vicentinus Archidiaconatum contulerat vacantem. Canonici agebant interdicto possessorio tanquam perturbati quasi possessione, quam suam esse vocabant, nominandi et eligendi Archidiaconum, perturbata, inquam, ab Episcopo, a quo causam novus Archidiaconus habuit, cum quo et hoc nomine agebant recte interdicto possessorio sive restitutorio: quia hoc interdictum datur non tantum in eum, qui possessionem turbavit per vim, vel alio modo, et intervertit, sed etiam in eum, ad quem res pervenit, hoc jure scilicet, *cap.* 18. *tit. seq.* Contra novus Archidiaconus probabat, jam superiores duos Archidiaconos Episcopum Vicentinum creasse sine controversia, sine contradictione Canonicorum. Itaque possessorem hujus juris fuisse Episcopum, non Capitulum. Fuit hæc de re lis contestata apud Romanum Pontificem, ut est nominatim scriptum in antiqua Decretali, quæ exstat in quarta collectione sub tit. *de offic. et pot. jud. de leg. cap.* 1. et ad hoc cap. omnino supplendum est et subnotanda plerasque objectiones interpretum. Lis igitur fuit contestata hac de re apud Romanum Pontificem, qui et mox totius rei decidendæ addidit judices certos ex consensu procuratorum utriusque partis: et ideo non poterant recusari, qui editi erant, vel a partibus ipsis, vel a procuratoribus earum, videlicet si procuratores plenam agendi potestatem habebant, l. *Si procurator. C. de procurator.* Ili porro judices cum judicassent contra Canonicos in judicio possessorio,

Pontifex eorum sententiam confirmat reservata, quod est ex jure civili, integra quæstione quasi proprietatis, si parati essent agere contra Episcopum, et probare jus sibi esse conferendi Archidiaconatum, victos in judicio possessorio vindicare posse in petitorio, quemadmodum sæpe evenit, ut cujus causa non bona est in possessorio, sit bona in petitorio. Ac præterea res acta et judicata inter novum Archidiaconum et Canonicos, quamvis in ea de jure proprietatis nonnihil actum sit; Canonicis dicentibus ejus dignitatis collationem ad se pertinere, non ad Episcopum, tamen debet ea res, juxta regulam juris canonici præjudicare cum episcopo suo de proprietate actionem instituentibus. Canonicis hac in causa fuit adjunctus Archipresbyter ejusdem ecclesiæ, cui ægre animo erat subjici tali Archidiacono: nam Archipresbyter subjectus est Archidiacono, presbyter Diacono, quod prima fronte mirum videtur, et verum est tamen, *cap. 1. sup. de offic. Archipres. cap. 7. de offi. Archid. can. perlectis 25. distinct.* Quod dixi, in judicio possessorio, et de proprietate aliquid allegari sive in medium afferri, id si fiat, ut plerumque fit, non est inutile: nam ut Quintilianus ait 7. instit. in sponsionibus, quæ ex interdictis fiunt, etiam si non proprietatis est quæstio, sed tantum possessionis: tamen inquit, *non solum possedisse nos, sed etiam nostrum possedisse oportet docere.*

AD CAP. *In causa.* Ult.

Dicerem, quod et alii tentant, *hoc c. ult.* nihil ad hunc titulum pertinere, nisi antiqua Decretalis, quæ exstat integra in quinta collectione, cujus etiam hic glossa mentionem fecit, docerent evidenter, Patriarcham Gradensem et Episcopum Castellanum, qui sunt in illustris Venetis finitimis, egisse possessorio judicio adversus Abbatem et monachos S. Georgii, qui sunt Venetiis hac ratione quod quæ in signum subjectionis illis monachi exhibere soliti erant, exhibere desiissent, puta quod venientes illos ad monasterium non exciperent honorifice; non præberent lautia non præberent xenonam, ut solebant; nec donum sedeuntes prosequerentur honore solito, nec solverent Patriarchæ quinquaginta solidos Venetos, quos ei solvere olim consueverant; nec indicta Synodo a Patriarcha Gradensi vel Episcopo Castellano ad eam proficiscerentur; nec Abbates novi ab eodem Episcopo confirmationem peterent. Et horum quidem jurium omnium quasi possessionem decreto Pontificis Romani restitutam illi fuisse. Ac deinde, cum utrinque actum esset judicio petitorio, in hoc judicio vicisse Abbatem et monachos beneficio privilegiorum impetratorum a superioribus Pontificibus Romanis, quibus absolvebantur supradictis oneribus: contra quæ privilegia, nulla Patriarcha et Episcopos muniri earet præscriptione, nulla prærogativa diuturni temporis. Ac declarasse præterea Pontificem, monasterium illud recta, et ἀμέσως, id est, simpliciter pertinere ad Romanam Ecclesiam. Simul et hoc adjecisse de eadem sententia, de pensione illa quinquaginta solidorum Venetorum licere Patriarchæ alio jure experiri si quod aliud se habere comperisset, quam quod allegaverat jurisdictionis, et subjectionis jus, ac si ejus juris pensio illa idoneum argumentum esset, quod tamen non erat idoneum: pensiones præstantur variis ex causis. Et revera etiam monasterium illud pertinebat tantum ad jurisdictionem, et subjectionem Romanæ ecclesiæ sine medio: potuit olim pertinuisse ad Patriarcham illum, sed Pontifices illi nolim omittebant rationem augendæ rei suæ.

AD TITULUM XIII.

De Restitutione spoliatorum.

AD CAP. *Licet.* I.

Titulus superior fuit generalis de omnibus interdictis: hic titulus est specialis de interdicto unde vi, et de clandestina possessione, de interdicto reciperandæ et restituendæ possessionis per vim, vel alio modo possessori conturbatæ, quo scilicet, vel directo agitur, vel in modum exceptionis, ut *cap. 4. inf. hoc t.* Et primo quidem in c. 1. quod est Gregorii I. ad Constantinum Episcopum Mediolanensem, proponitur statim regula juris, quæ fusa per totum hunc titulum, expoliatum, privatumve possessione sua per vim, vel alio modo, ante omnia, prius scilicet, quam agatur de proprietate, vel ulla alia re, restituendum esse, nec moram restitutioni ullam esse faciendam. Qui ordo si forte prætermissus fuerit aut neglectus, et missa scilicet quæstione possessionis mutuo consensu partium, acta sit causa proprietatis, probaveritque is, qui perturbaverat possessionem alienam, se esse dominum rei, de qua agitur, et obtinuerit, non est quod jam agatur judicio possessorio. Pendente petitorio et possessorium agi potest, sive introduci, ut docuimus in *c. 5. sup. t. prox.* At prius finito petitorio consensu partium, et lite data secundum petitorem, esse frustra agitur possessorio, quia prævalet sententia, quæ de petitorio dicta est consensu utriusque partis, *c. 6 sup. tit. prox.* Speciem vero, ad quam hæc Constitutio prima pertinet, ex epistolis Gregorii esse didicimus: Philagrium quendam cæcum, cui oculum Deus abstulerat, cum prædia quædam possideret, actores ecclesiæ Mediolanensis eo spoliaverunt possessione, qua de re cum cæcus ille conquereretur, et expostularet, quidam ecclesiæ Mediolanensis nomine, eodem Philagrio consentiente, introduxit proprietatis causam, et probavit ea prædia ad ecclesiam Mediolanensem pertinere, ac vicit. Quamobrem jam non est Philagrio integrum, ut Pontifex ait, agere judicio possessorio: alioqui si non consensisset Philagrius de proprietate agi, statim missa quæstione possessionis, sibi agenti interdicto restitutorio exceptio proprietatis officeret: quæ tamen officerat agenti ad exhibendum, vel petenti fideicommissum, vel fideicommissi satisdationem, *l. 3. §. ibidem. ad exib. l. ille a quo. §. 1. ad Trebell.* Agenti interdicto restitutorio nihil exceptio proprietatis officit, nec ulla alia exceptio, ut infra demonstrabitur. Hoc interdictum sine exceptione est, ut quæ in id quæstio deducitur celerrime terminatur, nec objecta exceptio ullam moram possessionis restitutioni injiciat. De hoc ipso cæco est *c. 4. inf. de crimb.* quod huic cap. 1. conjungendum est. Fuit is cæcus natione Genuensis, et in eo c. 4. solvitur onere collationis sive intributionis faciendæ in publicum e Genuensibus, qui Mediolanenses incolæ essent, quod onus a Græcis μετοίκιον dicebatur, quasi incolatus tributum.

AD CAP. *Sollicite,* II. CAP. *Accepta.* III. et CAP. *Audita.* IV.

In cap. 2. hujus tituli ostenditur, agenti de possessione reciperanda interdicto unde vi, interdicto reintegrandæ possessionis, ut loquitur *cap. reintegranda. 3. q. 1.* ex quo factum est, ut hoc interdictum in foro appelletur *la reintegrande:* agenti, inquam, de reintegranda et restituenda possessione beneficii sive sacerdotii cujusdam, si reus objiciat, auctorem post amissam possessionem beneficio sua sponte renuntiasse, beneficium sua sponte ejerasse, et hanc exceptionem judici probare paratus sit, non ideo retardandam, aut impediendam esse restitutionem possessionis, quia præsumitur non sua sponte renuntiasse, cui possessio jam erat erepta, de qua etiam forte reciperanda desperabat. Contra vero præsumptionem justam et probabilem testes non recipiuntur, *c. 15. et 21. et cap. pen. inf. de sponsal.* Recte autem ponit eum ejerasse beneficium post spoliationem: nam si ante spoliationem ejeraverit beneficium, postea spoliatus videri non potest, qui desierat possidere, *l. 1. §. Interd. autem. de vi et vi arm.* Possessio omittitur solo animo: et renunciatio igitur sola, quamvis corpore non discesserit ab ecclesia sua, omissio possessionis est. Ergo ei qui renuntiavit, antequam vi dejiceretur, hoc interdictum non competit, quod ei soli datur, qui tunc cum dejiceretur possidebat. Et ita omnino est accipiendum *c. 3. h. t.* nempe de eo, qui antequam vi dejiceretur, de possessione ecclesiæ aut beneficii, sua sponte id dimiserat et ejeraverat: itemque *c. 2. eod. t. in secunda collectione.* Non notatur in eis *capitulis hoc t.* et in *d. c. 2. in secunda collectione*, tempus, quo ejeravit beneficium. Itaque non possunt ea nostro marte ea cc. intelligenda esse de tempore subsequente potius, quam de antecedente expoliationem: itaque, ut *c. 2.* monet, sollicite et diligenter distinguenda sunt tempora, quæ plane admonitione submonet, et eadem distinctione adhibita *c. 3.* cum 2. conciliandum esse, quod et confirmat *c. 4.* quod sequitur, in quo idem Pontifex Alexander 3. iisdem verbis repetit quod dixerat in c. 2. ut constat ex antiqua Decretali. Unde nec verisimile est Alexandrum in suo registro, sic vocatur, id est in compilatione, sive collectione suarum decretalium, inter *c. 2* et 4. medium inseruisse, quod ab iis discreparet. Hæc distinctio a vero venit, dissolvitque multas interpretum distinctiones hac in re misere elaborantium. At exponamus quæso integram sententiam c. 4. Cuidam clerico possidenti in Scotia certam ecclesiam, certum beneficium ecclesiasticum, Lucius Titius faciebat possessionis controversiam contra fidem jurisjurandi, quo ante ei caverat in conspectu ecclesiæ se ei ea de re nunquam facturum controversiam, et beneficium illud penitus ejeraverat: id est, adhibito jurejurando illi beneficio renunciaverat: renuntiatio non fit sine jurejurando, et hinc ejerationi, vel dejerationi nomen. Convento autem Lucio Titio interdicto uti possidetis, Pontifex edito rescripto judices dedit, qui causa cognita actorem tuerentur in possessione, efficerentque, ut ea libera et tranquille frueretur, nec inquietaretur a Lucio Titio. Postea Lucius Titius Romano Pontifici per nuncium significavit, se jam ante ab auctore dejectum fuisse vi de possessione ejusdem ecclesiæ, et ideo ejerationem postea factam, juxta præsumptione, non sponte sua factam videri, ut *cap. 2. sup.* Ad id Pontifex rescripsit, ut si res ita se haberet, Lucio Titio possessio pristina restitueretur, et redintegraretur, et si quid judices delegati pronunciassent de interdicto uti possidetis ex eo die scilicet, quo Lucius Titius misit ad Romanum Pontificem, ut id omne rescinderetur. Atqui antequam judices delegati rescriptum illud recepissent, et cognovissent, pronunciaverant jam pro actore, qui egerat interdicto uti possidetis contra Lucium Titium, duabus rationibus: quod Lucius Titius ejorasset beneficium, de quo agebatur, sua sponte, quod sua sponte se beneficio illo abdicasset: deinde quod in altera ecclesia beneficium obtineret, et neminem duarum ecclesiarum ministrum esse, vel duas dignitates ecclesiasticas, vel duos personatus habere posse, *cap. de multa, inf. de prebend. et dignit.* ubi cum dignitas hujusmodi, Archidiaconi scilicet, vel Decani, vel Præpositi dignitas separatur a personatu dignitates a personatibus; manifestum est, (qua de re tamen Doctores Canonici pungunt se mirum in modum, quibus aqua hæret in hisce verbis distinguendis) personatos specialiter dici beneficia sine dignitate, cum separentur a dignitatibus, veluti præbendam, aut rectionem, curamve parochiæ unius. Confirmat autem Pontifex in hoc cap. sententiam datam a judicibus delegatis secundum formam prioris rescripti priusquam quicquam cognovissent de rescripto posteriori, quod a Pontifice extorserat Lucius Titius. Et hoc posterius rescriptum, quod Lucius Titius impetraverat, ne quid scilicet interim judices delegati innovarent aut immutarent, sic interpretatur Pontifex, quasi eo excludere voluerit: quod vi et audacter immutatum esset contra rationem juris, non quod secundum formam prioris rescripti, quod posterius nominatim fecerat irritum.

AD CAP. *In litteris.* V. et CAP. *Item cum.* VI.

In cap. 5. ostenditur, eum, qui egit interdicto unde vi, quod vi dejectus esset possessione ecclesiæ suæ, non habita ratione, quam adversarius objicit, quod in ea ecclesia legitime institutus non esset, statim possessioni suæ per vim ereptæ, et malo more, restituendum esse, quia etiam prædo, inquit, restituendus est, si vi dejiciatur ab extraneo, a quo vi ipso non possidet, quod certe ita est, *l.* 1. §. *Qui a me. de vi et vi arm. l. ult. de acq. poss. l.* 16. *C. de don. int. vir. et uxor.* Conjungendum vero cum hoc cap. est *cap.* 9. *sup. de offic. deleg.* Conjungitur etiam cum hoc cap. recte, quod sequitur c. 6. *in parte* 22 post concilium Lateranense habitum sub Alexandro III. ubi eadem est inscriptio c. 6. quæ vulgo in *h. t. cap.* 5. puta Episcopo Brixiensi, non, ut alii codices habent, *Exoniensi.* Congruit autem perquam bene compilatio, sive conjunctio utriusque capituli. Nam ut in c. 5. ostenditur, agenti interdicto unde vi frustra opponi exceptionem institutionis illegitimæ: ita et in *cap.* 6. agenti interdicto unde vi, vel de clandestina possessione, quo minus statim restituatur in possessionem, nihil officere objectionem criminis alicujus, ad quod etiam adversarius propter inimicitias, quas cum actore gerere præsumitur, non est audiendus. Igitur priusquam de eo crimine agatur, reformanda est possessio, quæ erepta est actori malo more, malo exemplo.

AD CAP. *Conquerente.* VII.

Jure commune est, quod proponitur, ut et in ceteris fere omnibus in hoc cap. ut si quis clericum sibi subditum Archiepiscopus injuriose spoliaverit suo beneficio, quamprimum restituat possessionem cum fructibus, quos Archiepiscopus percepit, vel clericus ipse percipere potuit si ei possidere licuisset, ex eo die, quo spoliatus est, ex *l.* 4. *C. unde vi, cap.* 11 *inf. h. t.* Deinde si Archiepiscopus præscriptione temporis contendat per se, vel per procuratorem suum beneficium illud sibi quæsitum esse, ut de eo jure secunda actione experiatur coram judicibus a Pontifice delegatis. Ergo etiam adversus superiorem, qui quem injuriose deturbavit possessione sua competit interdictum *rec*uperandæ possessionis. Et hoc solum est, quod proponitur in *hoc.* c. 7.

AD. CAP. *Ex transmissa.* VIII. *et* CAP. *Ex conquestione.* X.

Docet c. 8. etiam ad instar interdicti uxorem temere deserentem, consortioque sui, et consuetudine privantem maritum suum, ei restituendam esse, nec repelli maritum agentem hac de re, ut sibi uxor reddatur, ut ad se redeat uxor, non repelli, inquam, maritum exceptione malæ tractationis, si modo offerat cautionem deinceps de ea tractanda bene et liberaliter, ut c. 1. *ut lit. non contestat. et* c. 13. *in fi. inf. hoc t.* Exceptionem malæ tractationis dico, sicut Rhetores, maxime Quintilianus, actionem malæ tractationis, cui respondet in jure *actio de moribus*, et *actio rei uxoriæ.* Repelli tamen maritum posse repetentem uxorem suam objecto capitulum inimicitiarum, quas cum uxore maritus gerere dicatur, puta si capitali judicio uxorem accusaverit, ei caput petierit uxoris, vitam, et fortunas ejusdem. Hoc enim casu suspensa cognitione restitutionis, mulier est sequestro deponenda apud matronam auctoritatis et verecundiæ feminam, *cap.* 14. *inf. de sponsal. l.* 3. § *ult. de lib. exhib.* donec de causa inimicitiarum, ut dissidii, et matrimonii plenius cognitum sit. Et sic e contrario uxor a viro temere dimissa, et forsan exacta jure desiderat sibi restitui virum, aut se viro prius, quam quæratur de jure matrimonii, quod propter cognationem, quam inter se maritus affirmat intercedere, dicit non esse justum, ut c. 10. *et* 13. *inf.* Et in c. 10 quod hic explicatur, aut quod explicatum jam est Pontifex rescindit sententiam Decani Aurelianensis, et abbatis S. Evurtii, sic est legendum in antiqua decretali, S. Evurtii, *Sainct Evurtt*, rescindit, inquam, illorum sententiam, quæ denegata mulieri restitutione viri sui, de jure matrimonii pronunciarant. Porro inscriptio hujus cap. 8. et *cap. seq.* restituenda ex antiquis, sine quibus cum tamen contemnantur ab omnibus, vix quisquam possit jus Pontificium bene interpretari, nec sine summa etiam cognitione juris civilis.

AD CAP. *Cum venissent.* IX.

Species hujus c. hæc est: Archiepiscopus Eboracensis concessit ecclesiam aliquam Canonicis et Capitulo S. Trinitatis ea lege, ut post mortem Lucii Titii cujusdam clerici, qui eam ecclesiam tenebat, pleno jure ecclesia ad Capitulum rediret, quæ concessio valet, *cap.* 4. *inf. de donat.* Potest scilicet, ut hoc exponam, Archiepiscopus ecclesiam, quam alius possidet, et regit, providetque, non quidem alii privato assignare sine justa causa removendi possessoris: sed etiam si nulla subsit justa causa ejus removendi, potest eam Capitulo, vel Collegio cuidam Deo dedicato assignare, hac lege tamen, ut non nisi post mortem possessoris ejus Ecclesiæ commodis Capitulum fruatur: sed etiam poterat hanc legem addere, ut interim possessor ecclesiæ præstet Capitulo quotannis certam pensionem, canonem certum de reditu ejusdem ecclesiæ; quo tamen genere præstationis videtur Archiepiscopus non posse onerare possessorem, ut patet ex *cap. prohibemus, infr. de censib.* Verum ponendum est omnino id Archiepiscopum non nisi jure fecisse, forte consentiente possessore, qui Capitulo favebat non minus quam Archiepiscopus: quod nisi ita esset, etiam credibile est id Romanum Pontificem, ut fecit, confirmaturum non fuisse. Ergo cum hæc lex dicta esset, ut Lucius Titius Canonicis, et capitulo quotannis persolveret pensionem certam, Canonici eam perceperunt quamdiu vixit Lucius Titius, utique auctore Archiepiscopo. Post obitum vero Lucii Titii Canonici per se venerunt in possessionem supradictæ ecclesiæ, sine nova auctoritate Archiepiscopi. Quæritur an vitiosa possessio sit, sicut dicitur in *l. Fundi, in princip. de acquir. possess.* vitiosam rei emptæ possessionem esse, si per se emptor in eam venerit, non inductus a venditore, ut in *c. pastoralis, inf. de privileg.* vitiosam esse possessionem, si religiosi, quibus hoc concessum erat, ut mortuis possessoribus, vel rectoribus (*les Curez*) ecclesiarum suarum, pertinentium ad suum monasterium, eas ecclesias in suos usus converterent: si, inquam, si religiosi in eam possessionem per se ingressi sint sine auctoritate Episcopi vitiosa possessio est, nec illis concessio sufficit, aut excusat illos a vitio. At in specie proposita Pontifex respondit, vitiosam non esse possessionem Canonicorum, optima ratione, quia jam ante per Lucium Titium Canonici ecclesiam supradictam possedisse intelliguntur: quandoquidem Lucius Titius eam tenebat canonicorum, sive Capituli nomine: et ut jure civili proditum est, is rem vel jus possidet, cujus nomine possidetur, *l. Quod meo, in pr. de acquir. poss.* hujusque rei argumentum præbere annuam pensionem, quam Lucius Titius Canonicis, quasi dominis suis inferebat. Præstatio pensionis argumentum est traditæ possessionis. Itaque non jure fecisse Archiepiscopum, qui possessionem Canonicorum perturbavit perceptis frugibus, et aliis bonis ecclesiæ, quæ Lucius Titius moriens reliquerat, et consequenter restituendos esse Canonicos possessioni suæ, antequam de jure, et quasi proprietate ipsius ecclesiæ quæratur, quæ est principalis quæstio. Antiqua Decretalis ponit Canonicos, cum timerent vexationem, et calumniam Archiepiscopi, cum timerent potentiam Archiepiscopi, appellasse ad Romanum Pontificem, antequam Archiepisc. quidem invasisset, quod valde notandum est. Nam ex eo intelligitur hoc jure tantum abesse, ut non possit appellari a sententia interlocutoria, vel alio quocunque gravamine, *c. super eo, inf. de appel. c.* 1. *eod. l.* 4 *s.* 6. *ca.* 2. *de dol. et contum. in* 6. contra quam ferat jus civile, quo jure non potest appellari nisi a definitiva sententia, exceptis certis casibus, *l. pen. C. quor. app. non recip.* tantum, inquam, abest, ut jure pontificio non liceat appellare a sententia interlocutoria, et quocunque gravamine, ut et hoc jure appellare liceat a gravamine, quod veremur, nondum sustinemus, quod confirmat c. 2. *de conjug. serv.* in *primo collectione.*

AD CAP. *Gravis.* XI.

Ex hoc c. intelligimus, in interdicto unde vi venire non tantum restitutionem possessionis ecclesiæ vi ereptæ: sed etiam mobilium rerum, quæ ibi erant, ut *l.* 1. §. *Quod autem, de vi et vi arm.* venire etiam omne damnum, quod sensit actor ob hoc, quod vi dejectus est: omnem utilitatem, quæ ob eam rem actori abest, omne id, quod actoris interest, *d. l.* 1. § *Qui vi dejectus*, et §. *Non solum.* Venire etiam fructus non tantum quibus prædo fruitus est, vel frui potuit, ut *l. Domum. C. de rei vindic.* sed etiam fructus, quibus actor frui potuit, si ei licuisset possidere, ut *l.* 4. *C. unde vi, l. Si navis.* §. *ult. de rei vind. l. Aut prætor.* §. *Per hanc. quæ in fraud. cred. l. Si ea res. de act. empt.* Species ad quam pertinet hoc c. fuit de Archiepiscopo, ut constat ex antiqua Decretali, non ut hic vulgo legitur, de Archidiacono, qui vim fecerat monasterio Dolensi: denique pro Archidiacono, legendum in hoc *cap. Archiepiscopo.*

AD CAP. *Olim causam.* XII.

Certum est, vim vi repelli, vim vi vinci, et virtute audaciam opprimi posse: hoc omnes leges omniaque jura permittunt, *l. Scientiam.* §. *Qui cum aliter, ad leg. Aquil.* si modo id fiat confestim, non ex intervallo, *l.* 3. §. *Eum igitur. de vi et vi arm.* quod ut articulus, mox, demonstrat in *l.* 12. §. 1. *de eo quod met. caus.* Mox autem, sive confestim fieri videtur, ut ex *hoc* c. constat, ex quo hoc præcipue notandum est; cum hoc sit valde singulare, non tantum, quod fit statim in ipso articulo vis illatæ ejus propulsandæ causa, sed etiam quod fit statim atque certiores facti sumus vi aut clam rei nostræ possessionem occupatam esse, quod contingit in specie hujus c. quæ est hujusmodi: Quidam Episcopus Terdonensis, qui est in Lombardia, sed olim in Liguria, in Lombardia ordine fratrum Humiliatorum, sic appellantur aut seipsos appellant, quos semimonachos Raphael Volaterranus vocat Anthropol. 21. et confirmatum hunc ordinem fuisse scribit ab Innocentio III. quod satis patet ex hoc cap. quod est Innocentii III. postea reprobatus fuit a Lucio III. c. *ult. de hæret. in primo Collectione*: quod is ordo omne genus jurisjurandi abhorreat, quam sententiam tamen postea mutarunt, et ita restituti sunt a Clemente IV. ut hic glossa refert recta. Episcopus Terdonensis, inquam, novo huic ordini, forte nihil minus quam Humiliatorum (hypocritas quidam definit recte eos, qui se nequiter humiliant) prædia quædam dedit redempta a feudatariis ecclesiæ Terdonensis, ut in eis scilicet Humiliati hospitale, et oratorium ædificarent: retinuit sibi Episcopus eorum prædiorum dominium et possessionem, usum tantum et fructum Humiliatis reliquit, quos cum ordo Templariorum, de quo dictum est c. 16. *sup. de judic.* spoliasset eorum prædiorum possessione sine consensu Terdonensis Episcopi, primum Pontifex permittit, ut statim atque id intellexerit Episcopus, et Canonici Terdonenses procul inde Templarios submoveant, vim vi repellentes, ut ait, deinde adversus

eos secundum ordinem juris, si quid juris scilicet Templarii in eis prædiis se habere putant, de eo experiantur, et omnino, ut non ante de jure agatur, quæ principalis quæstio est, cum spoliatis, quam spoliati pristinam possessionem receperint, vel per se, vim vi repellentes, vel per judicem.

AD CAP. *Litteras tuas.* XIII.

Hoc c. est de uxore, quæ temere discesserat a viro, sine venia Ecclesiæ, hoc obtentu, hoc prætextu, quod ei esset conjuncta quarto cognationis gradu, quæ de re cum maritus temere repudiatus ab uxore egeret veluti restitutorio interdicto inter cetera mulier excepit, habere in manu paratas cognationis proximæ probationes: non esse conjiciendam scientem se, eligente animo suo, in periculum incesti, quod plane incurreret si restitueretur viro, et cum eo rem haberet. Quæritur an hac exceptione rejecta in sequens judicium de jure matrimonii, prius mulier restituenda sit viro? Et quibusdam videbatur potiorem esse restitutionem viri omni alia quæstione, ex c. 10. *sup.* Contra vero aliis quibusdam, differendam esse censam restitutionis quoad cognitum esset de causa cognationis, *arg. c. 1. sup. de ord. cognit.* ubi ostenditur differri quæstionem de matrimonii jure, quoad cognitum sit de jure cognationis, videlicet muliere agente petitorio judicio, et marito opponente cognationem, quæ oppositio præjudicialis est. Est enim illud cap. 1. ut ibi docuimus, et in hoc c. Pontifex declarat, de petitorio judicio, quo prior mulier egit, non de possessorio, id est, de uxore ibi vindicante virum, cum quo nondum fuerat, non de uxore ducta in domum viri, et postea repudiata. Itaque ex diametro cum illud cap. 1. non distat ab eorum sententia, qui restitutionem viri differri non oportere censebant. Verum contrariæ sententiæ adserendæ, quæ differri restitutionem vult, nec confestim adjudicari in casu proposito, potest addi non esse hoc novum, cum et alii plerique sint casus, quibus differenda restitutio est; ut puta si capitales inimicitiæ ad extremam perniciem spectantes intercedisset, *cap. 8. sup.* vel si vir, qui de restitutione uxoris egit, non offerat cautionem, ἀσφάλειαν, ut Græci loquuntur, id est, cautionem de ea recipienda, et tractanda humaniter, ut in fine hujus cap. vel si mulier posteaquam temere divertit a viro, adulterio se commaculaverit, *cap. 4. inf. de divort.* Fuit et tertia opinio eriscundorum, sic vocatur a Servio mediæ sententiæ auctores mediam secantes viam, qui rem dividunt, discinduntque in partes, puta distinguentium hoc modo: *Si habeat mulier in manu probationes, quibus doceat se viro conjunctam eo gradu, qui dispensabilis non est, puta gradu prohibito jure divino, can. sunt quidam 25. q. 1. tum ut ne restituatur viro, c. pen. inf. de divort.* si gradu prohibito jure tantum humano, non jure Pontificio, qui certe dispensabilis et venialis est, tum ut confestim restituatur. At hæc vero omnia Pontifex seorsim ab his omnibus quodammodo sentiens, indistincte definit, restituendam viro uxorem esse, cum hac exceptione tamen, et modo, ut si uxor probationes habeat in manu omni exceptione majores, quibus liquido compenbet exceptionem suam, puta conjunctum sibi virum esse quarto cognationis gradu, et vel maxime si conjunctum eo gradu, qui jure divino prohibitus est, tum ita restituendam esse viro uxorem ut tamen non cum eo rem nuptialem peraget, propter periculum incesti, quoad de causa principali cognitum, et pronunciatum fuerit; ut restituatur igitur viro quoad cetera omnia, non quoad rem. Et modo, ut ipsa jusjurandum calumniæ præstiterit, puta se non calumniandi, et vexandi mariti causa eam exceptionem cognationis opponere. Hoc igitur casu plena restitutio non est, quia restituitur in domum mariti, non in lectum genialem. At si probationes uxor in manu non habeat, sane plena restitutio fiet statim, et poterit per excommunicationem mulier compelli ad τὴν ἀγκάλην, ut S. Paulus loquitur, viro reddendam: a qua re tamen, si conscientia eam sua deterreat, quia certo sciat se non esse uxorem justam, et incestum admissuram si viro ea in re se præbuerit morigeram, hoc sane casu eleganter ait Pontifex, quod notandum, tum in hoc loco, tum in *cap. inquisitioni. inf. de sentent. excom.* pluris mulieri conscientiam etiam, quam excommunicationem Episcopi esse debere, a qua etiam facile absolvetur, probatis quandoque causis injusti matrimonii; obediendum scilicet Deo, et momenti conscientiæ nostræ potius esse, quam hominibus. Hæc controversia agitata fuit apud Archidiaconum istius civitatis, Bituricensem absente Archiepiscopo, quia (nec quærenda est alia ratio) Archidiaconus vicarius est Episcopi, vel Archiepiscopi in omnibus, ut ait *c. 1. sup. de offic. Archidiac.* Et Archiepiscopus Bituricensis appellatur hoc loco, non primus Aquitaniæ, vel Patriarcha, quia in ejus Primatus possessione ab antiquo erat Archiepiscopus Burdegalensis: nunc Bituricensis etiam se gerit pro Primate, nescio quo modo, cum nondum finita sit controversia de Primatu, quæ jam ante cœpit inter hosce Archiepiscopos.

AD CAP. *Ex parte.* XIV.

In hoc c. ostenditur, interdictum restituendæ possessionis dari tantum ei, qui possidebat, vel quasi possidebat eo tempore, quo se spoliatum esse dicit, ut in *l. 1. §. Interdictum autem. de vi et vi arm.* et *cap. 2 sup.* et ideo puellam impuberem, quæ hanc rem procurante patruo suo nupsit infanti puero, id est, nondum septenni, et in domum patris ejus deducta est, et postea pubes facta emigravit, et ab episcopo alii nubendi licentiam petiit per procuratorem, repetitque res in domum illam illatas dotis nomine, Pontifex recte egisse ait per procuratorem de injusto, et nullo matrimonio, quamvis minor esset 25. annis: non contra recte egisse adversarium de ea sibi restituenda, quia neque uxor ejus fuit, neque sponsa, *c. 2. 4. et 5. et pen. inf. de despons. impub. c. 14. de sponsal.* Deductio in domum sole uxorem, vel sponsam non facit eam, quæ justam ætatem non habet, si et is, in cujus domum ducitur justam ætatem non habeat, nec ipse postea habeat ratum, quod parvula inopsque consilii gessit.

AD CAP. *Cum ad sedem.* XV.

In hoc cap. ostenditur, interdictum unde vi non dari nisi adversus eum, qui vi dejecit, quive, quod in æquo est, possessorem dejici mandavit, vel qui (quod etiam mandato comparatur) quod alius vi dejecit ratum habuit, ut *l. 1. §. Dejecisse.* et *§. Sed et si quod alius. de vi et vi arm.* Et ita in specie hujus cap. cum Hospitalarii, sic vocantur milites, de quibus actum est nonnihil in *cap. 16. sup. de judic.* ii sunt, qui Rhodum olim tenebant, hodie tenent Melitam: cum, inquam, Hospitalarii milites egissent interdicto unde vi, adversus Episcopum Cumanum in Sicilia, tanquam vi dejecti de possessione certæ domus Hospitalis, et ecclesiæ suæ, probassentque se vi dejectos ab hominibus ejusdem Episcopi, et cruces, quas in ea ecclesia fixerant, quarum figura propria quædam eorum est, nempe quadruplici latere a summo paulo latior, cruces, inquam, illas ab iisdem hominibus fuisse evulsas, quæ σταυρεῖα, vel σταυροπήγιον, ut loquuntur Novellæ, signi Salvatoris impositio argumentum certum erat possessionis supradictorum militum, cumque iidem milites vicissent, causam possessionis tenuissent apud judicem delegatum ad hanc rem a Romano Pontifice: sententiam hujus judicis delegati Pontifex merito in hoc c. rescindit, quia etsi se vi dejectos probassent ab hominibus Episcopi, non tamen probarunt id eos fecisse mandato Episcopi, factumve eorum ratum habuisse Episcopum. Ergo non poterant in Episcopum agere interdicto unde vi, quod in personam concipitur diserte, nempe his verbis: *Unde tu illum vi dejecisti*, ut patet ex *l. 11. D. de vi et vi arm.* omnia interdicta non concipiuntur in personam, non scribuntur in personam: vi tamen ipsa, τῇ δυνάμει, personalia sunt, *l. 1. §. pen. de interdict.* Sed et hoc quod dicitur unde vi, in personam concipitur, unde nec in quemlibet possessorem datur rei perversæ ab alio, nisi ab eo causam habeat, qui eam rem pervasit, cui in idem vitium successisse intelligitur, *c. pen. inf. h. t. cap. ult. part. 22.* post concilium Lateranense habitum sub Alexandro III. Hæc sunt tantum, quæ erant notatu digna in hoc cap. Nam semper omitto quæ superflua, vel inepta, vel inutilia, quæ glossæ congesserunt, dum affectant nimie etiam invito auctore multa conjicere in singula capitula: ego his conditionibus non utor.

AD CAP. *Olim verbis.* XVI.

Hoc c. pertinet ad regionem Legionis, et Castellæ in Hispania: nam et Ovetensis, et Zamorensis episcopatus, quorum in hoc cap. mentio fit, sunt in Hispania: et species hæc est; Ovetensis Episcopus cum magno ære alieno opprimeretur, rex Legionis, et Castellæ de suo absolutis creditoribus, et ipsum Episcopum absolvit atque liberavit: verum donec sibi Episcopus satisfaceret, id actum est, ut rex perciperet omnes reditus episcopatus, certa tantum pensitatione interim Episcopo summaria præbita: quæ cum ei non sufficeret, Episcopus occupavit malo more partem finitimæ diœceseos, sive episcopatus Zamorensis. Qua de re cum Zamorensis adversus Ovetensem experiretur interdicto restitutorio, simulque desideraret ex natura hujus interdicti fructus ex parte illa suæ diœceseos perceptos sibi restitui, ut *cap. 10. et 11. sup.* non esset autem Episcopus Ovetensis par hisce fructibus restituendis, cum non esset solvendo propter inopiam, nisi restitueretur episcopatui suo: respondit Pontifex, et rescribit in *hoc c.* usurpata sententia illa *l. 6. de dol.* quasi etiam usurpavit Arnulphus Episcopus Lexoviensis in epistola quadam ad Nicolaum monachum, *inanem esse actionem, quam inopia debitoris excludit, ἄπορον actionem,* ut ait *Nov. 97.* ideo suspendendam esse restitutionem fructuum, quoad Ovetensis episcopatum suum recepisset. Et hanc esse propriam speciem hujus cap. Enricus Cardinalis Hostiensis scriptum reliquit se didicisse ab Hispanis ipsis, quorum in patria illi episcopatus erant. Inscriptio c. ita restituenda est: *Idem Abbati et Priori de Elsec*, ut legi in vetusto libro.

AD CAP. *Olim inter.* XVII.

Idem in hoc c. ostenditur, quod in *c. 2. et 14. sup.* restituendæ possessionis interdictum ei tantum competere, qui tunc cum dejiceretur, cum exspoliaretur possessione, possidebat, quia nec alius vi dejici videtur, quam qui possidet, *l. 1. §. Interdictum autem. de vi et vi arm.* Et ideo cum Lutetiæ controversia esset de jure parochiæ S. Stephani de monte, quæ et hodie idem nomen retinet, inter Abbatem S. Genovefæ, et Episcopum Parisiensem, et Episcopus contra Abbatem ageret de restituenda sibi possessione ejusdem parochiæ, qua se spoliatum esse dicebat, recte responsum est; spoliatum non videri alium, quam qui possidebat: Episcopum autem illum nunquam parochiam illam possedisse. Et inane esse argumentum possessionis, quod ex interdictione sacrorum facta Parisiensi Episcopo ducebatur, qui populo ejusdem parochiæ sacris interdixerat, effeceratque, ut is populus sacris aliquandiu abstineret, quia interdictio illa sive excommunicatio possessorem parochiæ episcopum non facit: alioquin et quælibet excommunicatio non suæ parochiæ etiam injuste, et frivole Episcopum ejusdem parochiæ faceret possessorem, quod non est admittendum: nec enim est in arbitrio nostro, nobis, ut libet fingere possessionem.

AD CAP. *Penult.*

Hoc c. abrogatur jure civili, quo interdictum unde vi datur tantum adversus eum, qui vim fecit, qui vi dejecit possessorem, non adversus eum, ad quem res ab alio pervasa pervenit, *l. Cum a te. de vi et vi arm.* nimirum quia interdictum unde vi est scriptum in personam hoc modo: *Unde tu illum vi dejecisti:* ut docui c. 15. Verum ex sententia hujus *cap. et c. ult. partis* 22. post concilium Lateranense Alexandri III. etiam in eum datur interdictum unde vi, ad quem non ignarum vitii res ea pervenit, cujus possessione alius possessorem vi dejecerat. Hoc interdictum jure quidem civili datur etiam in hæredem prædonis, *l.* 1. §. *ult. l.* 2. *de vi et vi arm.* Sed non etiam in emptorem, vel donatarium, ad quem res transit, non jus universum, de quo in hoc c. agitur; et ex eo tamen etiam in eum interdictum datur, et sciens prædoni in rem ipsam vi pervasam successerit. Alia est jure civili conditio hæredis, qui est universalis successor: alia conditio singularis successoris; hæres succedit in omne vitium defuncti, *l. Cum hæres. de div. et tempor. præscript. l. pen. C. de acqu. e. poss. Vitia*, inquit, *possessionis a majoribus contracta perdurant, et culpa auctoris sui possessorem comitatur.* Verum ea sententia non est aptanda ad quemlibet successorem, sed ad hæredem tantum, vel bonorum possessorem, quod et verbum, *majoribus*, demonstrat: majores enim proprie sunt, qui olim nobis fuerunt, nunc non sunt, defuncti scilicet, quibus nos hæredes extitimus, vel honorarii successores, qui et veluti hæredes sunt. Et duxit procul dubio ex illa lege D. Ambrosius, quod ait, *facto auctoris damnari successionem hæredis*, *can. cit.* 1. *q.* 1. Emptor autem jure civili non succedit in vitium venditoris, nec alius quisquam successor singularis: et ex hoc c. ut dixi, malæ fidei emptor etiam in vitium venditoris succedit. Denique nihil refert abstulerit quis rem per vim, an retinuerit sciens prudensque per vim ablatam ab alio. Et hoc casu igitur, mala fides, id est conscientia deprædationis pro deprædatione est. Male quidem Constitutionem hujus c. existimant non pertinere ad interdictum unde vi, quod constat esse annuum: sed potius ad beneficium proditum in *can. redintegranda* 3. *q.* 1. quod quidem beneficium est perpetuum, id est, perpetuo competit: quod si ita est, sequitur nullam hac in re esse differentiam inter jus civile, et jus Pontificium, cum tamen hic dicatur aperte hanc constitutionem esse contrariam rigori juris civilis. Præterea illo *can. redintegranda*, nihil novi inducit, sed hoc tantum vult, quod etiam jure civili locum obtinet, ut etsi interdictum unde vi sit annale, tamen rerum ablatarum, quæ extant, ut sit persecutio perpetua, *l. pen. de interdict. l. Itaque. in fin. de dolo.*

AD CAP. *Pisanis.* Ult.

De bello, quod diu inter se gesserunt Pisani, et Lucenses in Etruria est hoc cap. Lucenses, non, ut hic loquitur, Lucani. Nam Lucani sunt in regno Neapolitano, in Campania, non in Etruria. Pisanis scilicet Lucam sibi vindicantibus ex dono Henrici Imperatoris, cui obtigerat ea civitas jure commissi per causam rebellionis. De hoc, inquam, bello fit mentio in hoc c. quæ frequens est apud Blondum, Platinam, et Volaterranum, et alios Historicos. Ideo autem fit de eo mentio in hoc cap. quod in illo bello vastatis et invasis Lucensium villis et castellis, quod et pariter in Pisanos Lucenses exercuerant, Pisani occupaverant quædam castra Episcopi Lucensis, quæ bello finito Episcopus ipse sibi restitui postulabat. Bellum fuit hostile, non civile. Quæ rapta sunt bello civili, quod notandum, si extant et cognoscuntur a dominis, qui bello civili se non immiscuerunt, utique eis restituenda sunt, *l. un.* quæ est expressa in hanc rem, *C. Th. de infirm. quæ temp. tyran.* De his autem, quæ hostes sibi invicem eripuerunt valde placet, quod Probus ait, scribens de bello civili adversus Lepidum, licet male ea capta sint, jure tamen eorum repetitionem non esse, quia civitate jam sedata et composita, et re labefactata expediret Reipub. quasi ægræ, et sauciæ, requiescere quomodocumque ne vulnera curatione ipsa rescindantur. Eodem vero modo dicimus, erepta hostili bello eis, qui in ejus belli societatem non venerant, licet ejusdem nationis fuerint, restituenda esse, et in specie hujus cap. Episcopum Lucensem apud Romanum Pontificem, jure videri hoc desiderasse, ut Pisani ea sibi castra restituerent plenissime cum fructibus et reditibus omnibus. Quam in rem etiam cum Pontifex delegasset subdiaconum quendam ecclesiæ Romanæ, eiusrum ut ejus interventu Pisani plenissime restituerent quæcunque certum erat Episcopum Lucensem invasionis tempore possedisse, de ceteris vero, quæ eum possedisse non liquebat, ut a Pisanis exigeret cautionem judicio sisti in urbe Roma, in curia Romana: atque ita re confecta, ut Pisanos absolveret e sententia interdicti, vel excommunicationis in eos emissa a Romano Pontifice. Subdiaconus autem exegit quidem supradictam cautionem, sed non curavit etiam Episcopo restitui castra, quæ constabat Episcopum eo tempore possedisse, nec fructus eorum, census, pensiones, reditus, quos affictus vocat in hoc cap. vulgari verbo Italorum, qui et affictare dicunt pro locare prædia sub pensione certa. Et fictum quoque eodem sensu legimus in constitutione Friderici I. de pace Constantiæ. Cum itaque subdiaconus exegisset cautionem illam, de restitutione nihil egisset, atque ita absolvisset Pisanos; id Pontifex mutat, et rescindit in hoc cap. ob non servatum a Subdiacono finem et modum mandati, non procuratam castrorum restitutionem plenam, liberam, et vacuam. Favit Pontifex Lucensibus potius quam Pisanis. Nam et Lucenses, ut Joan. Andr. hic annotavit, erant Guelphi, id est, partes tuebantur ecclesiæ. Pisani autem partes imperii, Gibellini dicebantur. Ortæ sunt hæ duæ factiones atrocissimo illo bello, quod inter se gesserunt Fridericus II. et Gregorius IX. auctor hujus c. et vigent adhuc in Italia. Appellationem earum, qui rectius sentire videntur, deducunt ex duabus potentissimis familiis Germanorum, quarum una duxit exercitum Imperatoris adversus Pontificem, altera Pontificis adversus Imperatorem. Scripsit singularem librum hac de re Bartolus, quem adire licet cuique cupienti nosse commenta in hanc rem de Guelphis et Gibellinis.

AD TITULUM XIV.

De dolo, et contumacia.

AD CAP. *Ad hæc.* I.

Additur in antiquis collectionibus decretalium epistolarum, *de dolo, et contumacia alterius partis punienda: alterius partis*, id est, actoris, vel rei. Recte. Capitulum I. pertinet ad interdictum *ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est*, vel ad actionem in factum ex causa ejusdem interdicti, qua, quave tenetur is, cujus dolo malo factum est, ne creditor missus in possessionem bonorum absentis, vel latitantis debitoris rei servandæ causa ea bona possideret. Hoc interdictum est annuum, ut et hoc c. significatur, et *l.* 1. §. *ult. ne vis fiat ei, qui in poss.* Ceterum ab eo interdicto, ejusve interdicti pœna (est enim pœnale) reus absolvitur, qui prohibuit creditorem venientem in possessionem, si sub finem anni creditori offerat cautionem judicio sisti, videlicet si reus fuerit ecclesiastica persona, et causa quoque ecclesiastica, negotium ecclesiasticum: quod est ex singulari beneficio hujus cap. longe enim alia conditio est privatorum, alia clericorum. Dolus privati, qui missum in possessionem possidere passus non est, coercetur, etiamsi sub finem anni offerat cautionem judicio sisti. Pœnitentia enim nocens esse non desinit, *l. Qui ea mente. de furt. l. pen. vi bon. rapt.* beneficio tamen cautionis possessionem a creditore vacuam facit, *l. pen.* §. *ult. C. de præscript.* 30. *ann. c. ult. sup. ut lit. non contest.* Mitius vero agitur cum clericis, ut et in specie *cap.* 2. Nam et in proposita specie clericus, qui sub finem anni offert cautionem judicio sisti, etiam non tenetur pœnali interdicto, *ne vis fiat ei, qui in possessionem, etc.* Dolus clerici agnoscentis bonam fidem, ante exitum anni non coercetur. Porro ut huic interdicto locus sit, omnimodo dolus malus exigitur hoc loco, ut et in edicto prætoris, et *l.* 1. §. *Si quis ideo. ne vis fiat ei, qui in poss.* Unde et in *d. l.* 4. §. *Sed sive ei*, rectius vulgo ita legitur, *sive dominus, sive alter prohibuerit, sive dominus, sive alter*, veluti tutor, aut curator, aut procurator prohibuerit missum in possessionem custodiæ causa: male in Florentinis, ut etiam in Basilicis, *sive dolo, sive aliter prohibuerit*, quoniam omnino necesse est, ut per dolum, et malitiam malam prohibuerit.

AD CAP. *Ex litteris.* II.

Hoc cap. est de contumacia reorum, qui evocati edictis solemnibus judicio non adfuerunt, vel qui ubi adfuerunt, et litem contestati sunt semel, postea judicium deserunt, et quod dicitur *eremodicium* contrahunt: nempe ut actor ex ordine juris hoc casu, vel mittatur in possessionem petitæ rei, si egerit judicio in rem, vel in possessionem bonorum omnium debitoris rei servandæ causa pro quantitate debiti, si egerit in personam, ut docuimus jam supra *cap.* 3. *et ult. ut lit. non contest.* aut si reus contumax clericus sit, et hoc ita judici videatur, rei petitæ sequestratur possessio in manum mediam. Et ita in specie hujus *cap.* 2. cum lis esset inter monachos quosdam, et canonicos de possessione, et jure quarundam ecclesiarum, jussu delegatorum judicum fuit possessio earum ecclesiarum sequestrata propter contumaciam Canonicorum quoad de jure eorum judicatum esset: cui sententiæ judicum delegatorum nihil obesse ait posterius rescriptum, quod a Pontifice Romano Canonici impetraverant, quo ejus rei disceptatio delegabatur aliis, quia, ut docet, per obreptionem κατὰ συναρπαγὴν impetratum erat. Quod probat hoc modo: *non fiebat in posteriori rescripto mentio prioris rescripti*, id est, mentio prioris mandati delegationis: itaque non potuit posterius priori abrogare, vel derogare: non fiebat etiam specialiter ulla mentio ecclesiarum, de quibus agebatur, sed generaliter tantum, et perfusorie his verbis: *Super quibusdam ecclesiis.* Perfusorius sermo argumentum est doli mali, *l. Qui libertatis.* §. *ult. de evictione.* l. *Quæro. de action. emp.* quem quidem dolum et in hac specie ita Pontifex coercet, ut Canonicos, qui eum dedolarunt, jubeat monachis expensas litis eo nomine factas, et viatica rependere, quod subreptitia, vel obreptitia rescripta nullius momenti sint. Subreptitia Imperatoribus sunt noxia, et detrimentosa sunt: quod præcipue notandum est ex hoc cap. quasi singulare. Est mitior illa ratio coercendæ contumaciæ clericorum per sequestrationem possessionis in personam tertiam, possessionis, qua de agitur arbitrio judicis, hac lege dicta sequestro, ut victori rem, possessionemque restituat cum fructibus, quos interim percepit.

AD CAP. *Causam.* III.

Hoc *cap.* conjungendum est cum c. 4. et 7. *inf. qui fil. sint leg. et cap.* 17. *sup. de offic. et pot. jud. deleg.* ex quibus etiam hujus *cap.* 3.

inscriptio restituenda est. Est autem hoc *cap.* 3. de coercenda contumacia actorum, non reorum. Lis erat in Anglia de hæreditate Primi inter Secundum fratrem Primi, et nepotem ejusdem Primi ex filia sua Agatha, quam Secundus dicebat adulterio fuisse quæsitam, ac proinde negabat filiam fuisse legitimam. Nepos agebat interdicto unde vi quasi a secundo, quod etiam ponendum est, vi dejectus de possessione eorum bonorum: agebat etiam petitione hæreditatis, et judices acceperat datos in hanc rem omnem a Romano Pontifice. Verum postea hic nepos cum judicio abesset, nec legitimo evocatus judicibus delegatis fieret obsequens; hoc *cap.* definitur, ut appelletur procurator ejus, si quem reliquerit, vel si neminem reliquerit, aut si is, quem reliquit, evocatus venire contempserit, ad domum nepotis programmata affigantur, quibus iterum evocetur quasi ex abundanti. Ad domum, inquam, ut in *cap. ult. t. seq. l. Vim. §. Nupta. ad leg. Jul. de adult. l.* 5. §. 1. *quod vi aut clam. l.* 2. *C. de ann. except. l.* 1. *C. Th. si cert. pet. de chirogr. et Nov.* 1. *Theodosii, de mensor.* Atque ita judicibus delegatis, ut liceat testes recipere, etiamsi nondum lis contestata fuerit, productos ex parte adversa; et ultimam ferre sententiam, videlicet post annum, si actor in eadem contumaciam annuum perseveraverit, ut Nov. 112. continetur. Et quod alias dixi, quodque hic Bernardus attingit, distat valde reus ab actore: nam si reus ante litem contestatam dolo malo, et per contumaciam judicio absit, non continuo sunt recipiendi testes, non continuo proferenda sententia definitiva: quandoquidem satis debet esse actori si mittatur in possessionem bonorum, quæ in petitionem deducta sunt, vel quæ in rei dominio sunt, ut in *cap. ult. sup. ut lite non contest. cap. ult. tit. seq.* Major et fœdior est contumacia actoris, qui litem fecit, quam rei, cujus proprium est fugere, et subterfugere, quod et Novella 112. notat.

AD CAP. *Prout nobis.* IV.

Hoc cap. est *de contumacia reorum.* Cum esset controversia de quibusdam decimis inter aliquos, et reus aliquandiu contumaciter abfuisset: deinde jurejurando interposito cavisset judicio sisti ad diem certum, et eo die tamen, cum venisset, noluisset respondere actori hoc obtentu, quod advocatum non haberet, nec posset invenire: hoc loco deficit, hunc obtentum, seu amictum eum non excusare a contumacia. Et est hanc in rem hic locus valde singularis, qui etiam quasi insignis quibusdam libris in ipsa rubrica annotatus est hoc modo: *De dolo, et contumacia alterius partis punienda, et de advocato non expectando.* Verum adhuc veluti ex abundanti censet Pontifex ad convincendam, ut ait, rei malitiam, πρὸς τὸ νικῆσαι τὴν αὐτοῦ πονηρίαν, ut ait Novella 115. ex qua id Pontifex sumpsit: censet, inquam, adhuc semel evocari in judicium, tum deinde, sive edicto audiens fuerit, sive non, sententiam definitivam pronuntiari, quia scilicet, quod notandum, in hanc contumaciam inciderat post litem contestatam, vel etiam si judices jurent sibi non liquere, præsenti decimarum quasi possessionem adjudicari debere, salva et integra manente quæstione proprietatis, ut *l.* 8. *C. quom. et quando jud.*

AD CAP. *Finem.* V.

Sententia hujus cap. hæc est: Si actori reus opposuerit exceptionem initio litis contestandæ, exceptionem peremptoriam, vel dilatoriam; primæ partes sunt actoris, ut probet intentionem suam, si de ea reus non confiteatur, deinde reus exceptionem suam. Sic probatio elidet probationem *l. Si quidem. C. de except. l. Emptor. C. de præscrip. long. temp. l. Exceptionem. C. de probat.* Et reo quidem ad exceptionem probandam a judice certa tempora præscribi solent, intra quæ si non id, quod in exceptionem deduxit, probaverit, ab eo die, quo huic rei impiendæ induciæ datæ ei sunt, vel ἀναλογία, ut vocatur, agnoscere debet expensas litis legitimas et moderatas, quas interim fecerit actor: præsumitur enim moram quæsiisse judicia potius, quam sincere fide exceptionem opposuisse: vel si expensis solvendis par non sit reus, extraordinaria ei irrogatur pœna corporalis arbitrio judicis, quod falsam exceptionem in judicium deduxerit. Calumniari est falsam exceptionem, vel petitionem instituere. Peremptoria exceptio significatur in hoc cap. his verbis, *ad impediendum processum.* Dilatoria his, *ad differendum.* Peremptoria enim exceptio est, quæ litem perimit, vel impedit, ne ulterius procedat, veluti exceptio doli mali, exceptio rei judicatæ. Dilatoria est, quæ differt, suspenditque negotium, ut exceptio procuratoria, quod procurator datus in litem non sit legitime institutus: vel exceptio fori, vel exceptio pacti temporalis, puta ne intra quinquennium petatur. Dilatoria negotium vulnerat, ut loquuntur, peremptoria interficit. Præterea dilatoria plerumque opponitur in ipso tempore litis contestatæ, *l. Exceptionem. Cod. de probat. l. pen.* et *ult. C. de except.* in ipso limine quæstionis, ut Symmachus ait in 1. *epistola*, loquens de procuratoria exceptione, de qua et idem proponitur nominatim in *l. Ita demum.* et *l. Licet. C. de procurat.* Exceptio autem peremptoria potest opponi etiam post litem contestatam, immo et quandoque post rem judicatam si appellatum sit, *l.* 4. et 8. *Cod. de except. l.* 2. *sentent. rescind. non poss.* Ergo ex sententia hujus cap. sive initio litis contestandæ, sive post opposita fuerit exceptio, quam reus probare nequiverit intra tempus a judice præscriptum, quasi calumniator, necessum est, ut damnum expensarum actori resarciat, vel pecunia, vel pœna depensa. Expensarum modicarum scilicet, quæ in judiciis fieri solent: *ad moderatas*, inquit, *expensas*, ut in c. 1. *in fin. inf. de sequestr. poss. ad expensas legitimas, cap. seq. in fi. ad expensas necessarias, c.* 3. *in fin. tit. seq.* Nam si actor, verbi gratia, immodica honoraria præbuerit advocatis, vel si sportularum nomine plus dederit viatoribus, quam oportet, id est, supra modum legibus comprehensum, has sane profusiones reo imputare non potest, sicut nec domino procurator alias, quam legitimas, necessarias, et probabiles, *l.* 31. §. *ult. de negot. gest. l. Qui mutuam* §. *ult. mand.* Quare et huic rei judex solet modum, et taxationem imponere, nec damnare in expensas, quas ultro fecit adversarius, qui causam tenuit, vel quas fecisse juravit, sed quas in judiciis facere moris est, *l. Properandum.* et *l. seq. Cod. de judic. cap.* 1. *de except. lib.* 6. Quarum et ipsarum recte Speculator, et alii Doctores censent nullam esse rationem habendam, si forte victori per gratiam remissæ fuerint, ut fit plerumque.

AD CAP. *Cum dilecti.* VI.

Quidam cum fuisset electus Episcopus Leodiensis a majore parte Capituli, sanior forte pars, quæ in eum non consenserat, eam electionem impugnabat, tanquam electo homine indigno, et cooperto multis sceleribus: ac re omni perlata ad Romanum Pontificem: cum electus edicto peremptorio evocatus non venisset, neque procuratorem ullum misisset, qui suo nomine responderet adversariis, sed nuntium tantum, qui excusaret absentiam suam, cum tamen præsentia ejus omnino non desideraretur, et sufficeret ad litem procuratoria institutio. Cum inquam, non venisset ad judices, quos hujus rei disceptatores Pontifex Romanus elegerat, quantumvis licet evocatus edicto peremptorio condicta die certa, qua judicio sisteret se, puta Dominica, ut ait in h. cap. *Ego sum pastor bonus, quæ est secunda post celebrationem Paschæ:* cum, inquam, ille electus Episcopus Leodiensis non venisset, aut procuratorem non misisset ad diem condictam, neque post diem diu expectatus ob eam rem; in hoc cap. judicatur esse contumax, et sumptuum ex altera parte legitime factorum damno subjicitur. Nam cui dies ad veniendum datur, sive condicitur is, etiamsi habuerit justam causam non veniendi, ad eum ipsum diem, tamen finita illa causa ad diem si non venerit, nulla se excusatione tueri potest. Continet enim, ut hic eleganter proponitur ex *l. Celsus. de recep. arbit.* condictio diei duo præcepta, unum purum, ut judicio adsit, alterum in diem, ut judicio adsit in diem illum. Igitur si vel alterius præcepto non paruerit, in contumaciæ pœnam incurrit. Potest una eademque obligatio et pura esse, vel conditionalis, et in diem, *l.* 8. *de verb. oblig.* sic et condictio, sive citatio una eademque. Et observa in hac specie, quod antiqua Decretalis perspicue demonstrat, citatum fuisse illum electum Episcopum auctoritate Romani Pontificis per nuntium, quem ipse miserat ad Romanum Pontificem, cum et is scilicet esset ecclesiastici ordinis, injungente nimirum ei Romano Pontifice viva voce, ut ait, eum reverteretur ad dominum suum, ut ei diceret, quod se sisteret in curia Romana: qui citationis modus est valde singularis. Quid non potest summa potestas? id quoque in hoc cap. singulare est, quod a gravamine non eo tantum quod sustinemus, sed etiam eo, quod imminet, quodque veremur, appellare licet, id quod et jam supra notavimus *tit. prox. cap.* 9.

AD CAP. *Cum olim.* VII.

Hoc cap. est de episcopatu Rosseensi, qui est in Hibernia sub Archiepiscopo Cassiliensi; quem episcopatum sibi delatum fuisse electione solemni Canonicorum ecclesiæ Rossensis cum Daniel quidam falso persuasisset Cœlestino III. Romano Pontifici, et nemine ei controversiam faciente ab eodem Pontifice consecratus fuisset: postea supervenere duo præcincti Monachi Franciscus et Guilelmus, quorum uterque asserebat, se electum fuisse episcopum Rossensem. Quapropter ejus rei disceptatione delegata Armachano, et Cassiliensi Archiepiscopis (quatuor sunt Episcopi in Hibernia, Armachanus, Dublinensis, Cassiliensis, Tuamensis) cum tribus edictis ad se Danielem evocassent, is nullis adfuit unquam: qua contumacia perciti illi duo Archiepiscopi cœperunt de meriti causa illo absente cognoscere, et deprehenderunt, neque Danielem illum, neque Guilielmum unquam fuisse electos, sed Franciscum solum, non cleri tantum, sed et populi judicio, ut olim penes populum constat Episcoporum electionem fuisse, *can. sacrorum* 63. *dist. c. querelam. sup. de elect.* atque etiam judicio regis Cortaciæ (sic legendum). Ut Anglia olim, sic Hibernia habuit multos regulos, et Hibernia in his regulum Cortaciæ, quæ una est ex quatuor nobilibus provinciis Hiberniæ, ac in ea Cassilia, et Rossia, de cujus ecclesia agitur, *ut Richardus Stanihurstus docet libro primo de rebus in Hibernia gestis*, qui in ea historia conscribenda potuisset nonnihil juvari hac Decretali si eam cognovisset: porro id, quod ante dixi, cum judices delegati ita se habere deprehendissent, explosis ceteris, Francisci electionem confirmavere. Quo genere etsi res omnis finita videretur, tamen ad pervincendam contumaciam et malitiam Danielis, ut *cap.* 4. et *seq. supra*, benigne adhuc censet Pontifex Danieli copiam defensionis faciendam esse intra tres menses, si rem defendere et judicio adesse velit: vel si nolit, et latitare perseveret, adhuc annum expectandum esse ex benignitate tantum et benevolentia: post quam quidem temporum præscriptionem, si in eadem contumacia Daniel permanserit, tum decernit pontifex, ut Franciscus omnino Episcopus consecretur. Annum vero illum numerari vult ex illo die, ex quo, ut hic narratur, Daniel accessit ad Pontificem Romanum questum injuriarum sibi factarum nomine a rege Cortaciæ, et Diacono Rosseensi, et Francisco supra-

dicto post Francisci confirmationem. Quam querimoniam Pontifex pro appellatione accipit statuens ad se appellari non verbo tantum, si quis dicat appello, *l. 2. de appell.* sed etiam facto, ut puta, si quis ad se questum veniat de gravamine, molestia, et injuria aliqua, ut *c. dilecti, 52. inf. de appell.*

AD CAP. *Veritatis.* VIII.

Est hoc cap. de Curiensi Episcopo in Germania, quem Canonici apud Pontificem Romanum reum postulabant alienationis rerum Ecclesiæ, et insuper homicidii atque incestus, et criminum aliorum hujusmodi, quæ sine offensa Romani Pontificis supprimere non potuerunt, ut *can. quapropter. 2. quæst. 7.* quam in rem datis judicibus, cum ad eos evocatus Episcopus Curiensis venire contempsisset per summam superbiam, ab eis auctore Romano Pontifice, officio et beneficio omni suspensus, non solutus fuit. Postea vero datis aliis judicibus Curiensis Episc. timens majorem animadversionem, in judicium venit, neque tamen cum canonicis litem contestari voluit: fretus, ut sit, frivolis quibusdam excusationibus. Quamobrem etiam illius suspensio confirmata est. Tertio autem loco velut ex abundanti ad pervincendam ejus malitiam malam cum dati essent alii judices, qui de objectis criminib. cognoscerent, nec ille rursus legitime evocatus in judicio stetisset per se, vel per procuratorem: judices protulerunt in eum sententiam excommunicationis hoc fulmine plerunque percuti contumaces *solent. cap. 1. 2. 3.* et *c. ult. §. ult. supra, ut lit. non contest.* Ac præterea iidem judices testes receperunt prolatos in eundem Episcopum. Qua re ita transacta cum nemo pro Episcopo verba faceret, et absentiam excusaret, quin etiam argueretur Episcopus in ipso reatu sacra fecisse, quod excommunicato non licet, *can. si quis presbyter 11. quæst. 3.* ideo etiam pontifex censet eum abdicandum omni honore sacerdotali, et Episcopatus sede supremo in perpetuum, sine spe restitutionis. Et hic est unus casus, quo contra regulam supradictam tit. 6. testes recipiuntur, et sententia definitiva fertur lite nondum contestata, videlicet cum agitur de degradatione, sive depositione Episcopi, sicut et cum agitur de electione Episcopi, *cap. ult. eod. tit. in 6.* eadem est ratio contrariorum, eadem ratio χειροτονίας, et ἀποχειροτονίας: eadem ratio αἱρέσεως, et καθαιρέσεως: eadem ratio electionis, et depositionis quod et hic Joannes notat. Adde, quod et contumacia, superbia, sive absentia pertinax nimia pro confessione habetur, *can. decernimus 3. q. 9.*

AD CAP. *Contingit.* Pen.

Ex hoc capite intelligimus, actorem propter contumaciam adversarii missum in possessionem petitæ rei, vel missum in possessionem bonorum debitoris pro quantitate debiti custodiæ causa, possessorem quidem fieri, at possessorem verum non fieri nisi post annum, etiamsi interim in possessionem venire, aut adeptam retinere vi, aut dolo adversarii prohibitus vel impeditus fuerit. Quod confirmatur etiam *cap. 1. tit. sequ. et cap. 2. sup. de offic. ordin.* et memini jam me id tradere *cap. ult. sup. ut lit. non contest.* Quandiu est in possessione vetus possessor, adversarius etiam possidet cum eo: sunt ambo in possessione: aut verius, unus in possessione, alter vero possessor: post annum vero vetus possessor dejicitur, solusque possessor constituitur actor, atque ita punitur contumacia rei.

AD CAP. *Venerabilis.* Ult.

Caput ultim. est de controversia primatus Aquitaniæ, *qui est encore pendu au crocq*, inter Archiepiscopum Burdegalensem, et Bituricensem, et de contumacia, et tergiversatione Archiepiscopi Burdegalensis, qui in Primatus quasi possessione erat. Qua de re satis jam abundeque diximus in *cap. ult. sup. de dilationibus.*

AD TITULUM XV.

De eo, qui mittitur in possessionem rei servandæ causa.

AD CAP. *Constitutis.* I. CAP. *Cum sicut.* II. et CAP. *Cum venissent.* III.

Hic tit. recte jungitur proximo superiori *de dolo, et contumacia.* Namque missio in possessionem rei servandæ causa, genus unum est coercendæ contumaciæ alterius partis *c. ult. inf. hoc tit. cap. 2. eod. tit. in 2. collectione, cap. 3.* et *cap. ult. ut lit. non contest. cap. 11. §. 1. de off. jud. ord. c. querelam, inf. de simon.* Unde et quod habuimus in *c. pen. sup. tit. prox.* ut qui missus est in possessionem rei servandæ causa, vel, quod idem est, custodiæ causa, ut *cap. 3. sup. ut lit. non contest. c. 3. et 4. hoc t. l. 28. D. de judic.* post annum verus solusque possessor effectus est, ut et eum eo simul adversarius possideret: post annum adversarius expellitur, et solus ipse possidet, solus possessor fit verus, vel ipso jure, ut quidam existimant, vel quod magis est, secundo decreto judicis: maxime si interim in possessionem venire, aut in possessione esse ab adversario prohibitus sit. Et secundo, inquam, decreto, ut diserte scriptum est, ut non sit hac de re amplius dubitandum, in *cap. 2. eod. tit. in 3. collectione. Si,* inquit, *et secundo decreto se verum possessorem constitui postulaverit* (locus est valde notandus). Ita vero demum, qui missus est in possessionem ex primo decreto, post annum verus solusque possessor fit ex secundo decreto, si intra annum reus contumax cautionem non præstitit judicio sisti, vel si per eum non stetit, quo minus eam præstaret, ut *cap. 2.* quæ cautio sola potest efficere ut vacuam et liberam possessionem obtineat solus, quam et obtinuit ante: cautio, inquam, quæ oblata et reipsa præstita fuit. Nam præstandæ cautionis nuda voluntas non sufficit sine effectu, *cap. 1. hoc tit.* Actore autem vero possessore constituto post annum ex secundo decreto, non ideo perimitur principalis quæstio de proprietate sive de jure petitæ rei, vel ecclesiæ, ut in specie proposita in hoc cap. 1. cui scilicet competat ea res, vel ecclesia, actori an reo, *cap. 1. eod. tit. in 3. collect. cap. 4. in fine. sup. tit. prox.* Notandum est in specie hujus cap. primi, fuisse quæstionem de jure cujusdam ecclesiæ inter aliquos: ergo de beneficio ecclesiastico. Quod interpretes tamen negant propter *cap. 1. eod. in 6.* quo cavetur, ut si de beneficio ecclesiastico agatur, propter contumaciam possessoris actor non mittatur in possessionem rei servandæ causa, et hoc colore hanc discordiam decretalium constitutionum sedant, quasi in hoc c. 1. fuerit de jure ecclesiæ actum, non ut de beneficio ecclesiastico, sed ut de proprietate cujuslibet rei: qui color est sine lumine. Nec potest sane sine calumnia negari, innocentium quartum in cap. 1. sive concilium Lugdunense habitum præsidente Innocentio IV. hoc cap. abrogasse. Et vero quorsum illud concilium ita decrevisset, nisi quia retro Pontificum Constitutiones aliud decernebant? Fuit etiam quæstio de jure certæ ecclesiæ in specie c. 2. cujus in possessionem cum actores inducti fuissent propter contumaciam adversarii, ac deinde adversarius intra annum obtulisse cautionem judicio sisti, recte Pontifex jubet possessionem illi restitui integram et plenam, *qu'il aye la main levée,* ut superioribus decretis cautum est, *ut l. pen. §. pen. C. de præscript. 30 ann.* Intra annum, sic accipimus, ut est expressum in *cap. 3. hoc tit. intra annum et diem.* Duobus, aut tribus, aut sex mensibus præscriptis additur unus dies pro corollario, *l. Ubi lex. de reg. jur.* et similiter mensi unico unus dies, *l. 2. C. de tempor. appell.* anno unico unus dies. Ex eod. cap. 3. intelligimus, non satis esse possessionis vacuæ obtinendæ causa, in quam missus est actor ex primo decreto, intra annum offerre cautionem judicio sisti, sed etiam actori misso in possessionem reddendas esse expensas litis necessarias, et probabiles, si quas fecerit per causam contumaciæ adversarii, aut ut *c. ult. §. in fin. sup. ut lite non contest.* Excipitur unus casus in eodem cap. 3. si, ut ibi proponitur, legatus Romani Pontificis dederit judices, qui inter actorem et reum secundum rectam consuetudinem regionis, non secundum jus publicum judicarent, et ipsis volentibus judicare secundum jus publicum, non secundum consuetudinem contra formam mandati seu delegationem, reus appellavit ad Romanum Pontificem, nec tamen ideo minus judices delegati actorem miserunt in possessionem petitarum rerum. Hoc enim casu reus intra annum oblata cautione judicio sisti possessionem suam reciperet, etiamsi expensas interim factas nullas resarcierit actori, si modo consuetudo illa, secundum quam ex mandatu legati rem judicari volebat, cum ratione conjuncta fuerit: alioqui si abhorruerit a ratione, et dispendium illud illum respicit.

AD CAP. *Si adversarius.* Ult.

Quod et in cap. ult. de adversario, qui ordine edictorum peracto peregre profectus est, nullo domi procuratore legitimo relicto, nulloque existente, qui ejus defensioni se offerret, ut ex hac causa in possessionem rerum petitarum veniat actor custodiæ causa, id jam sæpius dictum est supra et explicatum: quod item de nuntiatione facienda ad absentis et contumacis domum, vel, quod idem est, ob portum, ut XII. Tab. loquuntur, in c. 3. *sup. tit. prox.* Transeamus igitur ad tit. seq.

AD TITULUM XVI.

Ut Lite, pendente nihil innovetur.

Litis nomen in hoc titulo latius accipitur, quia non tantum litem contestatam significat, sed etiam controversiam motam, *cap. 2. eod. tit. in Clement.* sicut in Senatusconsulto de petitione hæreditatis, litis contestatæ mentio complectitur etiam controversiam motam. Controversia semper præcedit litem, quæ proprie non dicitur lis ante contestationem, *l. Sed si et lege. §. Si ante. de pet. hæred.* Itemque in specie *l. g. nec bonn., C. de præscript. long. temp.* nihil refert, post litem contestatam, an post controversiam motam, nihil mutat. Et in quæstione etiam de re litigiosa, litigiosa dicitur res etiam post controversiam motam, et ante litem contestatam. *Novell. 112* Quod autem hic titulus vetat, *ne quid innovetur lite pendente,* hunc sensum habet, ut omnia sint in integro, donec lis finita fuerit, puta ut possessor interim non privetur possessione, vel quasi possessione, *c. 1. et 2. hoc tit.* vel ut interim res, de qua controversia est, non alienetur, ut *c. 3. et 4.* vel ut super ea lite et controversia non impetretur jus novum, c. 5. quod est ultimum hujus tituli.

AD CAP. *A memoria.* I.

Hoc c. est de controversia, quæ diu fuit in Anglia inter Archiepiscopum Cantuariensem et Archiepiscopum Eboracensem, utroque sibi vindicante Primatum Angliæ, qua controversia finita, et Cantua-

riensi adjudicato primatu, exorta est alia controversia propter crucis antelationem, quod scilicet Eboracensi etiam superato in causa primatus, non desineret præferri crux triplicata, ut fit hodie Primatibus et Patriarchis, præsertim in comitatu Romani Pontificis, vel legati ejus, *c. antiqua. inf. de privilegiis*, quod et omnibus Archiepiscopis datur jure novissimo. *c. ult. de priv. in Clem.* nimirum ut omnibus Archiepiscopis præferatur vexillum crucis, non lituus: sic vocatur baculus a summo incurvus, ut Cicero definit, qui Episcopis præfertur. Episcopis igitur lituus, Archiepiscopis vero crux trina. Id vero jus anteferendæ crucis Archiepiscopis cum diceret Eboracensis se habere ex indulgentia Honorii II. contra Cantuariensis, cui primatus Angliæ adjudicatus erat, id ei juris competere pernegabat, et hoc salutare signum præferri tantum posse Primatibus contendebat, cum nondum edita esset supradicta Clementina. Et hac quidem controversia pendente censet Pontifex, nihil esse innovandum, id est, non esse Eboracensi præripiendum jus per totam Angliam præferendæ crucis, in cujus quasi possessione eum fuisse constabat. Non esse, inquam, præripiendum, ne ex sententia quidem ulla Romani Pontificis, quam et cum sequiorem tulisset hac in causa Alexander III. non fuit ei rubori eam reformare in melius in hoc c. 1. quod et in quolibet Pontifice, et generaliter in quolibet homine non nisi laudi adscribi debet: *can. sententiam, 35. quæst. 9.* Nec vero doctus unquam quisquam consilii mutationem et sententiæ inconstantiam dixit esse, ut loquit Marcus Tullius.

AD CAP. *Laudabilem.* II.

Superioribus convenienter additur in hoc cap. 2. constante matrimonio si exoriatur controversia inter conjuges impellente conscientia de jure matrimonii, propter justum aliquod impedimentum, quod interesse resciverunt, ea pendente controversia non ideo separandos eos statim esse conjuges, aut privandos geniali congressu. Quod et in antiqua Decretali ita decrevisse refertur Alexander. III. et similiter Symmachus Romanus Pontifex in *can. 18. quæst. 4. ne Prælatus, ne Episcopus, si qua accusatio adversus eum instituatur, ob ib lite pendente statim deseratur, ac destituatur a clericis suis.* Ut vero submoveam, quæ interpretes huic cap. 2. objiciunt, nec expediunt bene, non obstat huic cap. *cap. tenor. inf. de sent. et re jud.* in cujus specie cum penderet lis de matrimonium priore loco contracto, quod interim factum est, posterius matrimonium dissolvitur. Nec enim id dissolvitur, aut suspenditur, de quo lis pendet, sed id, quod illa lite pendente posteriori loco factum est. Eademque est ratio *cap. veniens, inf. de regularib.* Non obstat etiam huic cap. 2. *cap. literas, sup. de rest. spol.* quo mulier, quæ temere discessit a viro sine venia ecclesiæ, si in promptu habeat probationes justi impedimenti, restituitur quidem viro, verum ea lege, ne cum eo rem habeat. Ergo non restituitur ad plenum, et potest quidem, ut brevi faciam, hac in causa quasi possessionis imperfecta, sive minus plena restitutio fieri: retineri autem possessio lite pendente non potest, quin retineatur tota. Denique restitutio uxoris non recipit hunc modum, ne cum eo congrediatur ut in *cap. 2.* restitutio, recipit hunc modum, *ut in cap. ult.*

AD CAP. *Ecclesia.* III. et CAP. *Ecclesia.* IV.

Utrumque caput pertinet ad eandem ejusdem litis speciem, de qua disceptatum fuit in urbe Roma. Est vero ea species explicatu difficillima, certe non offendi difficiliorem in his libris. Est etiam ea species certissimum indicium longioris moræ judiciorum, quæ per diverticula, et flexiones, et veluti meandros quosdam quæritur ab utraque parte etiam hodie in urbe Roma. Et nullus profecto est in orbe locus, in quo lites prolixioribus majoribusque ambagibus et fallaciis implicatæ sint. In urbe Roma S. Mariæ ecclesia agit apud Laurentium rei vindicatione contra Joannem laicum quendam possessorem quorundam prædiorum ejusdem ecclesiæ. Et Laurentius quidem causa cognita Joannem absolvit. A qua sententia ecclesia S. Mariæ appellavit ad Senatorem urbis, de quo infra dicemus. Contra objecit Joannes, Laurentium non ut judicem, sed ut arbitrum editum fuisse, et ideo ab ejus sententia appellari non posse. A sententia scilicet arbitri compromissarii appellari non potest, *l. Non distinguemus, §. Et idem cum a judice. de recept. arb. l. 1. C. eod.* et in *Carthaginensis concilii can. 98.* et 123. et in *epistola Nicolai Papæ ad Carolum regem apud Reginonem Cronic. 2.* et *cap. ult. de for. compet. in 3. collectione,* quod conjungendum est cum *cap. 3* et 4. *hujus tit.* et *c. 10. sup. de constit.* et *c. 1. sup. de restit. spol. in 3. collectione*: pertinent hæc omnia capita ad eandem speciem, et eandem causam. Verum ut eam speciem persequamur, actor ecclesiæ S. Mariæ Laurentium arbitrum non fuisse ex eo colligit, quod sumptus et editus esset sine compromisso, sine constipulatu pœnali. Non fuisse igitur arbitrum compromissarium, sed arbitrum non compromissarium: et ab arbitro non compromissario appellari posse, *l. Ex consensu. D. de appellat.* multo certe fortius, ut ait in *d. c. ult.* quam a judice. Fuit autem ab illo arbitro appellatum ad Senatorem, qui in urbe etiam hodie præest jurisdictioni et curiæ Capitolinæ, sic vocatur, cui assident consiliarii aliquot, qui et Senatores et collaterales dicuntur, quorum primus in *d. cap. ult. de for. comp. in 3. collectione* appellatur Primicerius judicum, id est, primus, qui et vicarius est Senatoris, τοποτηρητής, ut Justinianus vocat, *c'est a dire Lieutenant,* ut constat ex Statutorum urbis hodie reformatorum a Gregorio XIII. *lib. 1. cap. 4.* Et causam quidem, de qua agitur Senatorem delegasse Primicerio judicum, sive primo collateralium, ostenditur in *d. c. ult.* apud quem Joannes dicebat, non recte agi secum rei vindicatione, eo quod prædia, de quibus erat quæstio, non ipse possidebat, sed monasterium D. Sylvestri, quod est in urbe. At quis constabat Joannem lite pendente ea prædia transtulisse ad monasterium S. Sylvestri, constituendo scilicet se possidere ea nomine monasterii tanquam colonum sub pensione certa, ut *l. 19.* et *21. §. ult. de acquir. possess. l. Quædam. de rei vindic.* et ob id lite cœpta coram Laurentio proponitur in *d. cap. ult.* Joanni adfuisse Syndicus monasterii: jure autem civili et canonico vetita est alienatio rei litigiosæ, *l. 1. de litigios. l. ult. C. eod. Nov. 112 can. ult. 11. quæst. 1.* Ac tum in urbe remanserat lex quædam sive institutum populi Romani tale, ut possessio rei litigiosæ, quam reus alienasset, auferretur ei, in quem translata fuisset, et addiceretur petitori; ideo Senator possessionem supradictorum prædiorum addixit ecclesiæ S. Mariæ, quæ ea sua esse petebat judicio in rem, hac lege tamen, ut salvo et integro jure ecclesiæ pensionem monasterii inferret ecclesiæ, quam Joannes inferre solebat. Post hæc de sententia Senatoris rescindenda actum est magna controversia et contentione apud successorem ejus (hic magistratus erat semestris in eadem Curia Capitolina) et de possessione restituenda monasterio. Successor vero Senatoris pro monasterio sententiam dixit, rescisso sententia antecessoris sui, qua scilicet possessionem addixerat ecclesiæ. Dum hic existebant sententiæ contrariæ, una pro ecclesia, quam tulerat prior Senator, altera pro monasterio, quam posterior Senator. Et judicum Capitolinorum cum alii confirmarent sententiam dictam pro ecclesia alii dictam pro monasterio, extitit quidam ex eis, qui temere et contra bonos mores ecclesiam vi dejecit de possessione, eamque restituit monasterio. Quod cum accidisset, totius rei cognitionem in se recepit Cœlestinus III. qui tum tenebat in urbe sedem summam, qui tamen priusquam eam litem definiret, vita decessit. Post decessum Cœlestini Innocentius III. successor ejus in irritum revocavit quæcunque gesta erant in Capitolio super hoc negotio post diem supremum Cœlestini: immo et quæ post eum diem, quo hujus rei cognitionem Cœlestinus in se receperat: et possessionem censuit ecclesiæ, quæ per vim exspoliata erat ab uno ex Consiliariis sive Assessoribus Capitolii, restituendam esse, sicut in jure proditum est, etiam injusto possessori, et prædoni vi ereptam restitui debere: *c. 5. sup. de restit. spol.* At quia non poterat monasterium in præsentiarum eam possessionem eorundem prædiorum ecclesiæ restituere, propterea quod finita conductione Joannis supradicta prædia aliis locaverat, quibus ea avellere non poterat: ideo censuit idem Pontifex, ut in locum eorundem prædiorum aliis prædia monasterium ecclesiæ restitueret libera et soluta ab omni pignoris, aut hypothecæ jure. Rursus vero repetente monasterio priorem causam de restitutione possessionis, qua se prius inique expoliatum esse asserebat per sententiam prioris Senatoris, his rationibus, quia lex sive institutum illud Urbis, quo nixus Senator sententiam illam tulerat, nullius erat momenti, forte quasi non rite facta, aut non rite populi consensu approbata. Et quia (hæc est altera ratio) laicis, qualis est Senator, tantum abest, ut quicquam statuere liceat in præjudicium ecclesiarum vel monasteriorum, ut nec quod decreverint in eorum commodum consistere possit sine approbatione Romani Pontificis *can. 1. 96. dist. c. 10. sup. de constitut.* Quod objici etiam poterat sententiæ posterioris Senatoris. Idcirco Innocentius III. recte perpensa monasterii expoliatione priori, et quæ hanc secuta est, expoliatione ecclesiæ (potest expoliatio una opponi alteri, *cap. ult. sup. de ord. cog.*) ad extremum pronuntiavit pro monasterio, monasterium tanquam prius spoliatum et prius restituendum esse. Denique monasterio possessionem restituendam esse prædiorum, quæ dederat ecclesiæ in vicem et locum prædiorum, de quorum possessione principaliter agebatur, sub hac lege tamen; ut ne ea prædia alienaret quoad de quæstione principali, puta de jure, et proprietate ecclesiæ S. Mariæ judicatum esset, sive pergeret ecclesia prædia vindicare, sive repetere actione in factum ob vitium litigiosi contractus habiti inter Joannem et monasterium, juxta *l. ult. C. de litigios.* Interim vetita fuit alienatio prædiorum, quæ restituebantur monasterio, ut in causa principali si vinceret ecclesia, haberet, quod evincere posset, *cap. 3.* Et ita est explicanda hæc omnis species, quam qui tenet, non est amplius quicquam requisiturus. Non omittam ex hoc cap. 4. notandum esse, redditionem cautionis pignoratitiæ factam debitori argumentum esse idoneum remissi pignoris, ut *l. 7. Cod. de remiss. pign.* sicut redditionem cautionis principalis, remissio sortis, *l. 2. de pact.* Quo pertinet illud Epigramma Martialis.

Quod Cajetano reddis, Polycharme, tabellas,
Millia te centum non tribuisse putas:
Debuit hoc, inquis, Tibi habe, Polycharme, tabellas:
Et Cajetano millia crede duo.

Cui omnino simile est illud:

Quadringentorum reddis mihi, Phœbe, tabellas,
Centum da potius mutua, Phœbe, mihi.
Quære alium, cui te tam vano munere jactes:
Quod tibi non possum solvere, Phœbe, meum est.

AD CAP. *Ult.*

Cum lis esset inter monasterium quoddam in Anglia, et rectorem certæ parochiæ de decimis novalium, quod quid sit postea explicabitur, juxta fines illius parochiæ positorum, et ad monasterium pertinentium, nolente monasterio eas novalium decimas Rectori persol-

vero, lite pendente, suppressaque mentione ejus litis pro monasterio impetrata est indulgentia et remissio decimarum a Romano Pontifice; et quia lite pendente, quo tempore nihil innovari oportuit, nihil supplicari Imperatori vel Pontifici, *l.* 2. *ut lit. pend.* *Novell.* 82. et 113. merito Pontifex decernit in hoc cap. ult. non habita ratione illius indulgentiæ cœptam litem a judicibus datis definiendam esse. Novalia vocant *novelleta*, ut vocantur in Digestis, puta *olireta*, vel *vineta*, recenter instituta ex agris, qui ab omni memoria inculti fuerant, ut c. 21. *inf. de verb. significat.* quæ quidem novalia si instituta sint, et excolantur a monachis, eorum decimas, aut eorum novalium decimas plerumque monachis Romanus Pontifex remittit, *dict. cap.* 31. et *cap.* 10 et 17. *inf. de decim. cap.* 31. *et ult. inf. de privil.* Novalium, inquam, quæ exercent monachi, quæque instituerunt, monachis Romanus Pontifex remittit, fraudatis Rectoribus parochialis, ubi magna ea fraus non est, sicut distinguitur in d. *cap.* 21. Observandum etiam in hoc cap. quoniam anxie quæritur ab interpretibus juris Pontificii quid sit personatus. Constat quidem personatum esse genus beneficii ecclesiastici, quod quale sit, et ubi sit separandum a dignitate ecclesiastica dubitatur. Verum cum in hoc loco persona appelletur Rector parochiæ, sive Curio, consequens est, et parochiæ curam personatum esse, aut certe parochiæ curam ex hoc cap. ult. pro certo personatus exemplo in medium afferri posse.

AD TITULUM XVII.

De Sequestratione possessionis et fructuum.

AD CAP. *Ad hoc.* I.

Cum possessore convento judicio in rem, et contumace, judices, qui mitius agunt inter clericos, non mittunt plerumque ut fit, actorem in possessionem petitæ rei custodiæ causa, sed sequestrant possessionem in mediam manum, *cap.* 2. *de dolo et contum.* quod et factum est in specie *cap.* 1. *hoc tit.* quæ est ejusmodi. Controversia erat inter Archiepiscopum Mediolanensem et monasterium quoddam de possessione, et jure quorundam prædiorum, cujus disceptatio a Cœlestino Tertio delegata fuit Veronensi Episcopo, qui cum cognovisset, et pronuntiasset de possessione ex parte forte majori pro Archiepiscopo, postea procuratore monasterii volente agere secunda et principali actione de proprietate judicio petitorio apud eundem Episcopum Veronensem secundum id, quod jure proditum est, eundem oportere esse judicem possessorii, *cap.* 1. *sup. de cau. poss. et prop.* *l. Ordinarii. Cod. de rei vind.* Archiepiscopus objecit, non judicio petitorio fuisse additum Episcopum Veronensem, sed possessorio tantum. Contra procurator monasterii dixit, Episcopo Veronensi fuisse causam absolute et indistincte demandatam, nec continentiam ejusdem causæ scindi vel dividi oportere, quæ verba sumpsit ex *l. Nulli. Cod. de judic.* Continentiam, id est, περιοχὴν, sive συνοχὴν τῆς δίκης. At nolente Archiepiscopo in causa proprietatis subire judicium Episcopi Veronensis, et per contumaciam judicio absente, procurator nomine monasterii missus est in possessionem, quæ fuerat Archiepiscopo adjudicata judicio possessorio. At eum procuratorem Archiepiscopus postea vi coegit de possessione discedere. Tum deinde Cœlestinus decisavit quidem se Episcopo Veronensi tam proprietatis, quam possessionis causam delegasse, sed mitius egit cum Archiepiscopo contumace, quam Veronensis Episcopus: namque possessionem rerum controversarum abstulit utrique parti, et sequestravit in manus Episcopi Vercellensis, et Episcopi Novariensis, ut est in antiqua Decretali. Sequester solus possidet, cum id agitur, ut neutra pars possideat, *l.* 39. *de acquir. poss.* Delegavit autem idem Cœlestinus hoc in negotio judices Regiensem et Mutinensem Episcopos, qui omnes sunt sub Archiepiscopo Mediolanensi, qui scilicet de causa possessionis et proprietatis plenius cognoscerent, et possessionem ad extremum ei adjudicarent, quem in proprietate potiore jure habere animadvertissent. Proprietas enim prævalet et retrahit ad se semper possessionem, etiam alii adjudicatam momentario judicio, *cap.* 6. *sup. de caus. possess. et propriet.* Porro Innocentius Tertius successor Cœlestini in hoc *cap.* 1. non improbat rem a Cœlestino gestam, sed Archiepiscopo Mediolanensi tantum permittit, quod omnino cum jure communi congruit, ut reus oblata cautione judicio sisti, et refusis impensis moderatis actori possessionem recipiat, quam propter contumaciam suam emisit, intra annum scilicet, ut *cap.* 3. *sup. de eo, qui mitt. in poss. cap. ult.* §. *In aliis. sup. ut lit. contest.*

AD CAP. *Dilectus.* II. et CAP. *Ab eo.* Ult.

Sequitur in hoc cap. 2. quæstio de causa quadam, quæ fuit in Anglia agitata coram judicibus delegatis inter Rectorem certæ ecclesiæ et monasterium quoddam super jure cujusdam Ecclesiæ, qua lite nondum finita, cum Rector certa ex causa appellasset a judicibus delegatis ad Pontificem Romanum, judices delegati perperam et contra jus, per appellationum cognitione suspensa, monasterium custodiæ causa miserunt in possessionem ecclesiæ tanquam Rectore contumace, qui tamen contumax non erat. Appellare non est contumacis. Ac præterea Abbas et monachi missi in possessionem ecclesiæ, fructus medio tempore perceptos, quos servare debebant, passim divendiderunt aut dilapidaverunt. Quamobrem jubet Pontifex in hoc cap. 2. ut fructus sequestro deponantur apud virum idoneum, donec lis finem accipiat, et qui distracti sunt, ut revocentur, et sub custodia sequestri collocentur, quod congruit cum *l.* 7. §. *ult. qui satisd. cog.* *l. Imperatores.* §. *ult. de appell.* *l. Si eam dotem.* §. *Si vero dotem. sol. matrim.* *l.* 5. *Cod. quorum appell. non recip.* Et proprie admodum cum cap. 3. *hujus tit.* congruit *dict. l. Imperatores.* §. *ult.* in hoc, ut si a possessore superato judicio in rem, qui appellavit, fructus dissipentur interim, vel, ut ea lex loquitur, *populentur*, ii, donec lis finiatur, apud sequestrum deponantur. Paulus etiam hac de re eleganter 5. *Sentent. tit. pen.* *Quoties*, inquit, *possessor appellat, fructus medii temporis deponi convenit. Quod si possessor provocet, fructus in causam depositi esse non possunt, nec recte eorum nomine satisdatio postulatur.* Et sequitur apud eundem: *si propter prædia urbana, vel mancipia appelletur, pensiones eorum vectaræ etiam, si de navi agatur* (quæ scilicet loco fructuum sunt) *deponi solere.* Symmachus in Epistolis: *Interea Constitutionis memor* (et intelligit *d. l.* 5. *Cod. quorum appell. non recip.*) *sequestrantur mobilia, fructusque percepti, ne temporis usurpatio ab iteretur indebita.* His vero, quæ diximus hactenus de sequestratione possessionis et fructuum, cui opponitur titulus *C. de prohibita sequestrat. pecun.* quemadmodum accipienda sit, satis Paratitla docent. Consule Paratitla Codicis, nihil videbis apertius.

AD TITULUM XVIII.

De confessis.

AD CAP. *Cum monasterium.* I.

Ex cap. 1. quod etiam exstat in 2. collectione *c.* 2 *de homicid.* intelligimus, reo homicidii de seipso confesso fidem non haberi adversus alios, quorum se consilio crimen admisisse dicat, non interrogari eum, qui de se confessus non convictus est, de conscientia aliorum: quod est ex *l. ult. C. de accus.* *l. Repeti.* §. 1. *de quæst.* *Nemo*, inquit, *de se confessus juste credere possit crimen alienum*: et Julius Papa *can. ult.* 15. *qu.* 3. *Nemini*, inquit, *confesso de se super alienum crimen credi oportet.* Et periculosa confessio rei adversus quemlibet admitti non debet. Periculosa etiam dicitur in hoc cap 1. ut opinor ex *l.* 1. §. *Quæstioni. de quæst.* Huic constitutioni addi potest ratio Pauli 1. *Sentent. tit.* 12. quam confirmat etiam *l. Deferre.* § 1. *de jur. fisci*: ne alienam salutem in dubium deducat, qui de sua desperavit, et quod ait *l. ult.* §. *Sic autem. de bon. eor. qui ante sent. mort. sibi consc. qui sibi non pepercit, multo minus alii parceret.* Et simili fere modo Quintilianus Declamatione 292. *Ne credibile est*, inquit, *eum pepercisse hospiti, qui sibi non pepercit.* Verum et si confessus non convictus non interrogetur adversus alios, convictum tamen adversus conscios et participes, et socios interrogari moris est, *l. D. Adrianus.* § 1. *de custod. reor.* imo et confessum et convictum interrogari moris est adversus conscios, sed in crimine læsæ majestatis tantum, ut proponitur in hoc *cap.* 1. et in *d. can. ult.* 15. *q.* 3. In cæteris criminibus confessus de seipso non interrogatur adversus alios. His consequens est, ut quos de seipso confessus quis nominavit, ob id solum nulli pœnæ, nullisve tormentis subjiciantur, quoniam ea delatio de se confessi nulla est: sed si ei etiam accedat fama vulgi, necesse est, quod et in hoc cap. 1. proponitur, ut nominatim purgent innocentiam suam interposito jurejurando, et adhibitis saltem tribus Sacramentalibus, ut vocant, qui idem quod ipse conjurent: aliquando tres adhibentur, aliquando septem, vel, ut loquuntur, aliquando 3. manus, aliquando 7. *can.* 33. *inf. de testib. can. requisisti* 33. *quæst.* 1.

AD CAP. *Cum super.* II. et CAP. *Ex parte.* ult.

Conjungendum est hoc cap. 2 cum c. 4. *sup. de caus. possess. et propriet.* Pertinet enim utrumque ad eamdem controversiam, quæ fuit inter duos de Episcopatu Bethleem in Syria, in qua neuter obtinuit, ut docuimus supra in *dict. c.* 4 Quin et, ut hic ostenditur, Canonicus unus, qui in jure confessus erat, se ut unum eligeret ei certam pecuniam, puta 500. Saracenos, quæ tum in Syria moneta erat in usu, stipulatum, dejectus fuit ob eam rem tanquam simoniæ reus (Simonia est non tantum accipere pecuniam, sed etiam stipulari) dejectus, inquam, fuit ab omni beneficio et officio ecclesiastico. Unde non male interpretes notandum censent, judicio constituto inter duos, et in id incidente criminatione tertii cujusdam, licet cum eo principaliter actum non sit, si de crimine confiteatur, id ab eodem judice coerceri posse. Item, quia ait in hoc cap. 2. *in jure confessus*, recte notant, confessionem pro explorato crimine non haberi aliter, quam si facta sit in jure, vel in judicio, et quod addi convenit omnino ex *cap.* 4. *sup. de judic. in judicio competenti* c. 3. *hoc. t.* Nam facta in judicio incompetenti nihil nocet. Item requiritur, ut facta sit citra errorem facti, quæ est sententia c. 3. *hoc. tit.* Nam erranti in facto, nec in jure facta confessio nocet: erranti in jure nocet: et hoc est, quod ait *l.* 2. *de confess.* non confiteri eum, qui errat, nisi jus ignoraverit. At qui in judicio competenti non ignarus facti confitetur, procul dubio pro condemnato, sive judicato habebitur ex illis lege duodecim Tabularum: *Æris confessi, rebusque jure judicatis*, quæ comparat judicato confessum, quia suo quodammodo sententia judicatur. Confessus, inquam, in jure, vel judicio: nam confessus extra judicium pro judicato non habebitur, nisi confessus fuerit consulta opera rogatis, et præsentibus testibus

quinquen, ex *Novell. de testib.* nam quæ ita fit confessio extra judicium, confessionem in judicio factam imitatur, quia solemnis quædam veluti confessio est, et dedita opera, propensiore consilio instituta. Non omittam, falsum esse, quod interpretes utriusque juris notant, in hoc titulo *de confessis*, et similibus, quæ sunt in Digestis et Codice, agi de iis, qui confessi sunt post litem contestatam: in titulo autem Digestorum *de interrogationibus in jure faciendis*, agi de confessis ante, vel post litem contestatam. Sed hæc differentia est falsa, quia et hic titulus est *de confessis* in ipso limine judicii, ipso ingressu judicii ante litem contestatam: et ille est tantum de confessis post litem contestatam, quia ante litem contestatam interrogationes, quæ fiebant olim, fieri desierunt, l. 1. et l. *penult. de interrog. in jur. fac.* Sed hoc est discriminis revera inter hunc et illum titulum, quod hic est de ultro confessis, ille de his, qui dum a Prætore interrogantur, respondent, et confitentur, aut negant, volunt quasi coacti: vel enim verum, vel falsum respondent. Ac præterea hic titulus est de confessis de intentione actoris, ille de confessis de eo, quod instruit intentionem actoris, quod et ad ejus litis pertinet articulum aliquem.

AD TITULUM XIX.

De Probationibus.

AD CAP. *Ex epistolæ.* I.

Congruit hoc caput omnino cum *l. 7. C. de testibus*, et *l. ult. Cod. de edend.* quæ generaliter definit, unumquemque in judicio intentionis suæ probationes adferre debere, non desiderare, ut ab adversario exhibeantur adversus semetipsum, non oportere originem petitionis fundari ex instrumento ejus unde petitur. Nam in hoc cap. Gregorius primus Rechareda, Wisigothorum regi in Hispania rescribit, non jure eum desiderare, ut sibi ex archivis, ut loquuntur, Justiniani Imperatoris exhibeantur conventiones habitæ inter Justinianum, et reges Gothorum antecessores suos, quibus exhibitis inde probare se Recharedus arbitrabatur posse quædam jura sua, quæ tum sibi vindicabat adversus Mauritium Imperatorem, quoniam unusquisque qui agit, probationes adferre debet, quibus instructus veniat ad agendum, non petere ab adversario, quibus se instruat, et lædatur adversarius. Recharedus hic est, qui Gothos, quos constat fuisse Arianos, ex perfidia Arii traduxit ad fidem Catholicam. Idem etiam leges Gothorum, quæ extant, composuit, digessitque in libros duodecim, et concilio Toletano tertio, quo damnata fuit Arii perfidia, interfuit, vel potius præfuit. Inscriptio hujus cap. erat valde depravata. Ant. August. Hispanus eam restituit ex epistola Gregorii lib. 7. quæ incipit ab his verbis: *Explere verbis*, etc. quomodo etiam legendum est initio hujus cap. non ex epistolæ verbis.

AD. CAP. *Sicut.* II.

In hoc cap. damnatur consuetudo, quæ jusjurandum, quod nonnisi deficientibus omnibus aliis probationibus defertur, l. *Tutor. de jurejur.* exigebat ab eo, qui probationes implesset suæ intentionis prolatis instrumentis et testibus idoneis, quasi hæc probationum genera non sufficerent ad fidem faciendam, nisi adjuncto jurejurando ejus, qui eas protulisset. Quæ consuetudo est contra jus publicum et rationem omnem, quam utique nulla consuetudo vincere potest, l. 2. *C. quæ sit long. consuet.* et *Novella Justin.* 52. *in princ.*

AD CAP. *Ex litteris.* III.

In hoc capite ostenditur, in judicio finium regundorum, quod constat esse duplex, quoniam in eo singulæ partes actoris, et rei sunt, l. 10. *D. fin. regund.* probationes etiam exigi ab utraque parte. Quod si etiam ab utraque parte testes producti sunt æquo numero, et honestate, existimatione, dignitate pari, censet Pontifex prævalere, et præponderare ea testimonia, quæ pro possessore faciunt: quasi potiora sint, et potentiora, quæ adjunctam possessionem habent, secundum quam in dubiis causis, vel paribus fortuna litem dare videtur semper. Et hoc est, quod ait regula juris, in pari causa meliorem esse conditionem possessoris, quæ exstat in locis innumeris juris civilis, cum qua et congruit id, quod dicitur in *l. Arrianus. de oblig. et act.* et proponitur in hoc cap. 3. quod totum conflatum est ex jure civili, quia procliviores sumus ad absolutionem, quam ad condemnationem. Excipitur in hoc capite causa liberalis, in qua si testes non dispari numero tam pro libertate, quam contra libertatem dixerint, pro libertate pronuntiandum est, *l. Lege Junia. de manumiss.* eo non inspecto, qui possessor sit, vel non. Nam pro libertate pronuntiatur, etiamsi is, pro quo pronuntiatur, non fuerit in possessione libertatis: ut si ex servitute proclamaverit ad libertatem: quo casu non ipse possessor est sed is, qui servum suum esse dicit, *l.* 7. §. *ult. de liber. caus.* et tamen non secundum possessorem pronuntiatur, sed secundum non possessorem, qui ex servitute reclamavit ad libertatem. Hoc favor libertatis extorsit. Non est autem novum, ut a possessore probatio exigatur, ut e possessori onus probationis incumbat, cum et reo possidenti, qui actori opponit præscriptionem longi, vel longissimi temporis, incumbat onus probandi, imo et opponenti etiam quamcumque exceptionem, quia reus in exceptione actor est, l. *In exceptionibus. de probat.* l. 1. *de except.* ut mirum non sit, si et in duplicibus judiciis, in quibus possessor non rei tantum, sed etiam actoris partes sustinet, a possessore probationes exigantur. Hæc est sententia hujus capitis 3. Species fuit de judicio finium regundorum moto inter Decanum, et Archidiaconum Cicestrensem in Anglia: nam in inscriptione legendum est *Cicestrensi Decano*, non *Cestrensi Episcopo*; moto inquam, inter Decanum, et Archidiaconum Cicestrensem ratione fundorum affinium, sive vicinorum, quos jure præbendarum, sive beneficiorum suorum sibi quisque possidebat.

AD. CAP. *Proposuisti.* IV.

Docet hoc cap. cum quæritur, cognita fuerit uxor a viro necne, potius credendum mulieri juranti, se integram esse et inviolatam, et cum ea septem obstetricibus, sive honestis matronis idem affirmantibus, quam jurejurando solius viri. Ex aspectu partis, qua quæque mulier est, putaverunt olim deprehendi posse deintegrata sit puella, necne, et ex attactu τῆς ὑμένος fictitiæ membranæ cujusdam, *cap. ult. inf. de frig. et malef. cap. pen. inf. hoc tit.* Hoc tamen plerique medici etiam veteres, ut Oribasius, negant, affirmantes nullam esse ὑμένα puellis, et oculos etiam sæpe manusque obstetricum falli proditum est in d. *cap. pen. et can. nec aliqua 27. quæst.* 1. Verum huic rationi probandæ virginitatis locus est, si non multo post contractum matrimonium queratur puella de imbecillitate viri. Nam si multo post querelam instituat hac de re, viro potius credendum esse, tanquam præstantiori, tanquam capiti, *cap.* 1. *inf. de frigid. et malef. cap.* 6. et 12. *inf. de despons. impub. can. si quis acceperit* 23. *quæst.* 1.

AD CAP. *Tertio loco.* V.

Conjungendum est hoc cap. 5. c. 3. *inf. de confirm. util. vel inut. et cap. pen. inf. de transact. et cap. 2. sup. de caus. poss. et prop.* quæ omnia cc. pertinent ad consulta quatuor, aut quinque cujusdam Alani Canonici, et hoc cap. 5. ad consultationem tertiam ut ait; *tertio loco fuit a nobis quæsitum.* Species hæc est. *Quidam Canonicus instrumentum venditionis quorundam prædiorum Ecclesiæ fecit solemniter*, ut instrumento continebatur (quod omnino ponendum est, alioqui venditio non valeret rerum immobilium Ecclesiæ) *instrumentum*, inquam, *illud obsignavit sigillo communi Capituli. Id vero sigillum Capitulum, vel procurator nomine Capituli negat esse verum sigillum Capituli*, ut ait, *adulterinum esse, furtivum esse sigillum, et testibus juratis, quod semper in testibus exigitur, ex corpore Capituli probat, nunquam animum fuisse Capitulo alienandorum eorum prædiorum.* Et Pontifex definit testibus potius, quam suprædicto instrumento esse credendum. Et merito, quia et instrumenti fides in dubium vocabatur, alioquin, ut Paulus scribit 5. Sentent. *tit. de testib. testes, cum de fide tabularum nihil dicitur, adversus scripturam interrogari non possunt.* Canonicum appellavi quem hoc cap. appellat *regularem*, ut Canonicos similiter regulares: nam etsi utraque appellatione idem significetur; tamen vulgus eo nomine separat, ut regulares vocentur, qui certis se votis obstrinxerunt, veluti monachi, quidam Cannaici, qui nullis se votis obstrinxerunt, quomodo etiam vulgus differentiam facit inter Quinquagesima et Pentecosten, inter carbunculum, et anthraca.

AD CAP. *Juravit.* VI.

In hoc cap. docet, sponso volente sponsam ducere in matrimonium, si intervenient idonei juratique testes, quibus probetur eos inter se conjunctos esse quinto cognationis gradu, matrimonium impediri, et contra hanc probationem legitimam, si et partibus publicata fuerit, quod notandum, aliam probationem in contrarium non admitti. Nec mirum, cum nec contra præsumptionem legitimam c. 21. *infr. de sponsal.* c. 6. *inf. de condit. appos. cap.* 2. *sup. de restit. spol.* Obstare videtur *cap. series, inf. tit. prox.* quo ostenditur, post probationem legitimam contrariam probationem admitti, quæ offertur ab altera parte. Sed ut Bernardus notat hoc loco, nihil plane illud caput obstare videbitur, si respicias ad hanc decretalem, ut integra exstat in antiqua collectione, in qua hæc decreta ia ponit in contrarium unum tantum testem introductum fuisse, et de unius testimonio, ut ait, producti in contrarium non esse curandum. Verum etsi plures producti sunt, verius est potius post publicationem priorum testium alios non admitti, ut in hoc capite proponitur, omissa illa clausula antiquæ decretalis de testimonio unius ante publicationem priorum testium, sive testimoniorum alios testes admitti. Et hanc esse sententiam *d. c. series.*

AD CAP. *Post cessionem.* VII.

Ex hoc cap. intelligimus, excommunicatum, ut suo nomine, *cap.* 7. *sup. de judic.* ita alieno nomine in judicio experiri non posse. Excommunicato igitur procuratori esse non licere ad litem alienam agendam, vel suscipiendam, quia consortio, et consuetudine fidelium ei interdictum est. Cum autem quæritur, excommunicatus quis sit nec ne, unius testimonio fidem haberi, puta Episcopi, cui excommunicandi jus fuit, cujus etiam solius, vel unius testimonium in omnibus aliis causis judices accipere jubentur constitutione Arcadii et Honorii impp. de episcopali judicio, quæ extat in fine *C. Theod.* testimonium, inquam, unius Episcopi dictum ab ipso ultro, non interrogato, non evocato testimonii dicendi causa, *can. ult.* 6. *quæst* 2. quia et adversus testimonium Episcopi alii testes admitti, et interrogari possunt, *cap.* 16. *inf. tit. seq.* Quod præcipue notandum ex hoc c. 7. est de excommunicato, cui procuratori ad lites esse non licet.

AD CAP. *In præsentia.* VIII.

Hoc c. longe majoris momenti est, quam superius cujus speciem si teneas, et omnia teneas, quæ ad illud dici possunt: ceterum in ea ponenda, et explicanda non minimus est labor. Species hæc est: *Amarus quidam nomine Milonem filium suum hæredem instituit, et si sine liberis decederet*, quæ conditio etiam omissa semper intelligitur, *l. Cum avus. de condit. et demonstr. et substituit verbis precariis fratres suos Milonis patruos. Post mortem patris Milo nullis sublatis liberis cum ægrotaret, se et sua bona omnia monasterio quidam devovit, obtulit, donavit mortis causa. Quam tamen donationem sanitate recepta revocavit.* Donatio causa mortis revocatur pœnitentia, et convalescentia, *l. 30 de mort. caus. don. l. Non omnis. de reb. cred. At postea idem Milo eidem monasterio rursus se, et sua devovit, nam jam mortis causa, sed inter vivos, addito jurejurando, se eam donationem nullo tempore revocaturum. Deinde mortuo Milone sine liberis, substituti jure fideicommissi, sive precariæ substitutionis, quod idem est, partim occuparunt bona, quæ Milo acceperat a patre, partim repetierunt, a monasterio, quæ in id Milo contulerat. Contra monasterium jure donationis inter vivos jurejurando firmatæ ea bona retinebat, et alia, quæ occupaverant, a substitutis repetebat, ac dicebat, conditionem fideicommissi defecisse, hac ratione, quia non videtur sine hærede decessisse, qui monasterium hæredem reliquit. Sine hærede* sic est accipiendum, *sine liberis*, quia conditio fideicom. hæc fuit, *si sine liberis nata decesserit*. Et certum est etiam rogato aliquo hæreditatem restituere, *si sine hærede decesserit*, hanc conditionem accipi de liberis, puta, *si sine liberis decesserit*, *L. Ex facto §. ult. ad Trebell.* Dicebat ergo Syndicus, *conditionem substitutionis precariæ defecisse, quod non videtur sine liberis decessisse, qui monasterium hæredem reliquisset Monasterium enim esse loco filii*, ut recte ait Accursius, sive Odofredus. Nam hoc est proprie ex Odofredo in *Authen. Nisi rogati, C. eod. tit.* Itaque post devotionem illam, et donationem juratam Milonis, quam contulit in monasterium, consequens est, fideicommissum expirasse, ut et nominatim definitur constitutione Justiniani Græca, quæ est, aut esse debet *l. 53. C. de episcop. et cler.* quæ repetitur etiam in *Novel. de sanct. episc.* 123. *§. Sed et hoc præsenti*, secundum vulgarem translationem. Itaque recte, et convenienter Constitutioni Justiniani Pontifex in hoc cap. judicat pro monasterio contra substitutos per fideicommissum, quasi substitutione extincta per devotionem illam, et donationem Milonis posteriorem, cui certe nihil officit, quod allegabant probabantque substituti, Milonem, cum erat minor ætate, eam donationem fecisse simpliciter nullo alio adjecto, vel expresso, quia incerta hæc et ambigua allegatio, et probatio erat. Nec enim exprimebant, quam donationem fecisset minor, priorem, an posteriorem, et potuit in faciendo posteriore esse major. Non exprimebant etiam minor fuisset, id est, impubes, an minor, id est, pubes minor quam 25. annorum natus. Nam et impubes minor est, et pubes etiam quoad attigerit vigesimum quintum annum; et potuit valere facta donatio a pubere, adhibito jurejurando ex Constitutione Friderici *de pace tenenda inter subditos*, *§. Sacramenta puberum*. Probatio probationem elidit, fateor, sed ea tantum, quæ certa et liquida est. Nam quæ certa et liquida non est, quæque etiam interveniente judice explicata, et elucidata non est, merito nullius momenti esse censetur: quæ non est liquida, non elidit liquidam: Species est elegantissima.

AD CAP. *Licet.* IX.

Pertinet hoc caput ad eandem controversiam, de qua actum est *sup. cap. pen. de juram. calum.* quæ fuit mota proposito interdicto uti possidetis inter Albertum Archiepiscop. Ravennatem, et Rempublicam Faventinorum super jurisdictione, et dominio supremo quorumdam locorum, in qua cum Pontifex præscripsisset menses tres, intra quos ab utraque parte testes producerentur, quibus probaretur tam principalis intentio cujusque, puta, jamdiu homines illorum locorum se habuisse pro dominis in exhibendis obsequiis, operis tributis, et vadimoniis, judicatisque faciendis, quam exceptiones, qu'on appelle *reproches*, et quas objiciunt testibus vicissim ex altera parte productis: cum, inquam, ad eam rem Pontifex præscripsisset menses tres, transactis tribus mensibus, publicatisque jam dictis testium ab utraque parte productorum, extitit Syndicus sive Procurator Reipublicæ Faventinorum, qui testibus productis ab OEconomo Ecclesiæ Ravennatis objiceret exceptiones quasdam earumque probationem offerret. A qua re cum fuisset exclusus præscriptione trium mensium, tentavit aliam viam, et querelam falsi testimonii adversus testes illos instituit, quam constat nulla nisi viceno temporali præscriptione excludi, sicut cetera crimina, quæ fere omnia extinguuntur viceno præscriptione, quo jure utimur, *l. Querela. C. ad leg. Cornel. de fals.* Querelam, inquam, falsi nullis claudi temporibus viceno brevioribus, ut ait *l. 2. Codice Theod. eod. tit.* Ergo et sonte, et post sententiam, et quandocunque institui posse, ut *cap. 6. de exception. inf. cap. 4. supra, de procurat.* Et hac quidem via Procurator Faventinorum exclusus non est præscriptione trium mensium. At cum in causa nullos testes produxisset, vix ex illis fuere sex, qui non varia testimonia dicerent, vel qui non in suo testimonio singulares essent. Reprobantur et puniuntur, qui varie testimonia dixerunt, *l. Qui falso. de testib.* Reprobantur quoque testes singulares, *cap. bona, inf. et cap. cum dilectus, sup. de elect. cap. tam literis, tit. seq.* Arnulphus episcopus Lexoviensis in Epistolis: *Cognovimus*, inquit, *singulos testes de singulis actibus singulare testimonium perhibere.* Et infra: *probationis privilegium solitaria testimonia non merentur.* Reprobantur illi sex qui unum eundemque sermonem attulerant, tanquam non bonæ existimationis viri, et generaliter improbantur omnes, quos pars Faventinorum produxerat, quia non id omnino per eos probabat quod intenderat, nempe testes Ecclesiæ Ravennatis pecunia corruptos falsa dixisse. Corruptos enim fuisse probabat aliquatenus, et falsa dixisse non probabat. Quamobrem et pro ecclesia Ravennate Pontifex judicat contra Faventinos, quæ justæ possessionis suæ, sive probationis causa multo plures, et fide digniores testes produxerat, per quos et diutius se possedisse, quam Faventinos ostendebat, et consequenter Faventinos, qui sine justo titulo quædam jura in locis seu villis, de quibus agitur, quandoque usurpaverant, non possedisse: quia ejusdem rei possessio apud duos in solidum esse non potest, *l. 3. §. Ex contrario, de acquir. poss.* Faventinos, inquam, non possedisse, sed vim turbativam, ut loquitur secutus interpretes juris civilis, et inquietativam intulisse possidenti Ecclesiæ Ravennati. Qua de causa etiam Ecclesia agit interdicto uti possidetis, ut modo posui, quod datur turbato et inquietato possessori: dejecto autem seu expulso datur interdictum unde vi. Hæc est sententia hui. c. 9. Verum addit, *duo insimul eandem rem, et eodem modo in solidum possidere non possunt.* Adjecit Pontifex imbutus disciplina interpretum juris civilis, verba illa, *et eodem modo*, quia diverso modo duos posse eandem rem in solidum possidere cum Doctoribus juris civilis existimabat, puta unum civiliter, alterum naturaliter: unum juste, alterum injuste; cujus sententiæ ex veteribus Trebatius fuit in *l. Si duo, uti possid.* Verum hæc sententia non obtinuit, et eam satis abundeque amolitus sum non ita dudum in titulo de acquirenda possessione.

AD CAP. *Per tuas.* X.

In hoc capite proponitur hæc species: *Lucius Titius, qui in concubinatu mulierem quandam habuerat per septennium, nec ullos ex ea liberos procuraverat, eam dimisit, ac deinde reduxit domum, ubi illa cum jam morata esset per justum concipiendi et pariendi tempus, peperit filium, quem ipsa Lucii Titii filium esse dixit. Lucius Titius negavit ab initio suum esse, deinde victus importunitate mulieris agnovit eum esse suum. Is vero major factus cœpit deperire consobrinam suam, filiam amitæ suæ*, id est, *sororis Lucii. Titii, eamque subarravit, et cognovit. Quod cum damnaret, et reprehenderet passim omnis cognatio omnisque populus, cujus opinione omnis is habebatur pro filio Lucii Titii, mater, ut hunc omnibus scrupulum adimeret, prodiit in medium, et juravit se eum revera non suscepisse ex Lucio Titio, sed ex alio quodam pendente jurgio, et mora, quæ inter eos intercesserat: quæritur, an mulieris jurijurando standum sit? Et recte Pontifex non esse ferendam inconstantiam mulieris, quæ ab initio eum filium esse Lucii Titii asseveravit, coegitque Lucium Titium, ut eum agnosceret pro suo; deinde se injecit ultro, ut juraret, juravitque filium eum non esse Lucii Titii, quod genus jurisjurandi Prætor non tuetur, l. 3. §. 4. de jurejur.* et ex *l. Generaliter. C. de non num. pec.* Pontifex tradit etiam nimis indignum esse, quod quisque sua voce dilucide protestatus est, id eum in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere. Ex quo sequitur, non justum esse matrimonium, quod ille contraxit cum consobrina sua, nepte Lucii Titii. Neptem accipit, ut vulgus pro *filio sororis*, et nepotem pro *filio fratris*. ut *cap. 12. inf. de despons. impub. cap. 7. inf. de consang. et affin.* Item ex eo sequitur, majorem esse vim fidemque assertionis prioris ipsius mulieris conjunctam omnium assensione, et agnitione viri, quam jurisjurandi posterioris, quod mulier sibi ultro juravit non deferenti cuiquam.

AD CAP. *Quoniam.* XI.

Hoc caput est pars concilii Lateranensis habiti sub Innocentio III. ut judex ordinarius, vel extraordinarius dum judicat adhibeat publicam personam, puta tabellarum, *§. Cum autem. Instit. de adopt. l. Orphanotrophos. C. de episc. et cler. l. pen. C. de defens. civit.* ad acta duos habeat viros idoneos, qui acta omnia judiciaria conficiant. Extraordinarium judicem vocat eum, qui datur ex rescripto Principis, vel Summi Pontificis, ut *l. 2. C. de dilat.* Et apud Paulum 5. *Sentent. tit.* 5. in princip. *Res judicatas etiam videri ab ex, qui a principe extra ordinem petantur.* Et apud Gellium 12. *cap.* 13. illo loco: a *Consulibus judex extra ordinem datus.* Quid hoc est *extra ordinem?* Id est, ex rescripto Principis, ut *l. 1. §. Denique. de appellat.* Acta solem judicaria, quæ sint, recensentur hoc loco subtilius et diligentius, quam ullo alio, nempe acta judiciaria esse citationes factas per libellum, et dilationes impetratas a judice instrumentorum, vel testium exhibendorum gratia, et in scripta redactas: et recusationes judicum, quæ ex scripto etiam fieri solent, et exceptiones oppositas partibus, vel testibus, quæ etiam literis mandari solent, et petitiones, id est, conventiones, et reconventiones et responsiones, et interrogationes judicis, vel partis, et confessiones factas in judicio, quæ etiam literis perscribi solent, et testium depositiones, et instrumentorum productiones, et interlocutiones judicum, et appellationes, et renuntiationes, quoties partes declarant se jam satis probationum exhibuisse, nec ullam amplius exhibere velle, quoties probationibus omnibus, et allegationibus finem imponunt, quibus conclusiones in causa adjiciuntur, quæ et ultimæ cognitiones dicuntur, *l. ult. C. de præscript. 30. annor.* et *Justiniani Novel.* 53. Atque ita post renuntiationem, et conclusionem res eo perducitur, ut sententia definitiva tantum supersit: hæc vero omnia, ut dixi, literis mandari solent et olim mandabantur per judi-

ces ipsos, qui et contractus excipere, hoc est certissimum, etiam in hoc regno olim, et in scriptis redigere solebant. Hodie literis mandari solent per actuarium accurate annotato loco et tempore, quo hæc gesta sunt, designatisque personis, inter quas gesta sunt. Nam periculosum erat solius judicis scripturæ stare, litigatore sæpenumero veram negationem judicis assertioni contrariam approbare nequeunte, quia ut ait ex *l. Actor. C. eod. tit.* et l. 10. *C. de non num. pec.* factum negantis per rerum naturam, id est, naturali ratione nulla directa probatio est, ut *cap. 1. eod. tit. in 4. collectione, et cap. bonæ memoriæ 1. sup. de elect. et cap. 5. sup. de renunt.* quia, ut Aristoteles ait, *negationis nulla subest causa, nulla directa probatio.* Nam tramite quodam occulto vel ex circumstantiis ducto argumento negatio probari potest: ut si negem me occidisse hominem, qui illo die, et illo loco occisus est, et probem me illo die alibi fuisse, l. *pen. C. de contrah. stip.* ut Valerius uno absentiæ argumento sacrilegium defendisse se dicit. Et Clodius Romæ violatæ religionis accusatus eo quod tempore, quo ab eo violata religio dicebatur, Interamnæ fuisset, non Romæ, defendebatur. M. Tull. 1. de invent. *Si quo die*, inquit, *ista cædes Romæ facta est, ego Athenis fui, eo die in cæde interesse non potui: sui autem Athenis eo die: hoc si non constat*, inquit, *indiget adprobatione, et sufficit* (absolvendo reo scilicet) *si approbatur.* Sequitur in hoc capite omnium horum actorum judicialium exempla edenda esse partibus ea sibi edi postulantibus ab actuariis, *l. 2. C. ut lite pend. cap. 12. inf. de fid. instr.* Exempla, inquam, authentica remanere debent apud actuarium. Ex hac vero tanta multitudine actorum, quæ hic enumerantur, intelligere licet, quantis ea sumptibus vexent, qui lites sequuntur, quibus ob eam rem leges, dum sublevare volunt eos, quibus indulgeat, quorumve misereatur, lites eorum disceptare jubent more παρασημειώσεως in *Novellis Justiniani*, sæpe, id est, per annotationem brevem, non per longum tenorem scripturæ.

AD CAP. *Ad nostram.* XII.

In inscriptione hujus cap. legendum est, Londensi Archiepiscopo, ut et in inscriptione *cap. 2. sup. de consuetud.* civitas est in Dania, ut Albertus Krantzius refert *lib. 1. rerum Danicarum, cap. 1.* Unde et in contextu hujus cap. legendum Daniæ, non Daciæ, quanquam vetus hic error est in omnibus libris etiam in libro fiscali Romani Pontificis, Daciam scribendi, non Daniam, et Lucanos, pro Lucenses semper: Januenses, pro Genuenses. In hoc autem *cap. 12.* damnatur consuetudo, quæ invaluerat in Daniæ regno, ut clericum reum criminis postulatum, qui testibus idoneis convinci poterat, admitteret ad probationem negationis purgationemve innocentiæ suæ per testes quoscunque, sine delectu, qui confecto argumento ex circumstantiis quibusdam negationem rei adfirmaret esse veram: neque enim ubi criminis probatio est in promptu, vult Pontifex admitti probationem inficiationis, vel purgationem rei; sed tum demum ubi suspectus tantum est criminis reus, non etiam crimen approbatum, ut *cap. 1. sup. de confessis, cap. 6. inf. de purg. canon.*

AD CAP. *Cum causam.* XIII.

Inscriptio hujus cap. quæ valde depravata est, ita ex veteribus restituenda est. Idem Vicensi, et Lamecensi Episcopis, et Abbati de Palumbaria Braccarensis diœceseos: hi omnes sunt in Lusitania, atque etiam Colimbriensis et Egitanus Episcopi, de quibus agitur in hoc *cap. 13.* inter quos quæstionem, quæ erat de finibus diœceseon suarum censet Pontifex, esse dirimendam et determinandam ex antiquis commentariis, et monumentis, ut l. *Cratus. eod. tit. l. 12. fin. reg* et ex publica fama, et testibus, et aliis, inquit, quibuscunque adminiculis, sive auxiliis, quæ etsi per se non prosunt singula, ut ex Ovidio vulgo refertur, universa tamen juvant, si non fulminet, saltem ut grandinet: Quintilianus 4. *cap. 12.* Sic M. Tullius in partitionibus. *Verisimilia*, inquit, *partim singula movent suo pondere, partim etiamsi videantur exigua esse per se, multum tamen cum sint coacervata proficiunt.* Et alio loco: *Quæ singula forte inter se non movent, universa tamen inter se connexa, atque conjuncta movere debebunt.* Et quod ait, aliis adminiculis, sumpsit ex *l. Instrumento. C. eod. tit.*

AD CAP. *Causam.* Pen.

De hoc cap. diximus jam aliquid in *cap. 4. sup.* Si quæ puella repetatur in matrimonium, quæ se virginem dicat, et devotam cuidam monasterio, constituitur in hoc cap. ut in illo monasterio maneat, donec cognita sit ex aspectu, et contactu honestarum matrumfamilias a viro illa cognita fuerit, qui eam uxorem suam esse repetit, necne, et donec prolatæ fuerint probationes ab utraque parte, vel obstetricum, quæ virginem eam esse retulerant, dicto refutando, vel suæ intentionis cujusque confirmandæ causa. Nam si probetur a viro fuisse cognitam, procuidubio viro restituenda est, si integra reperiatur, in monasterio retinenda, cui se devovit. Res est aperta.

AD CAP. *Cum bonæ.* Ult.

Hoc caput ait. decet, cognitione litis, quæ fuerit contestata apud certos judices delegatos, ex causa jussu Romani Pontificis translata ad alios, acta authentica priorum judicum etiam ad posteriores transferenda esse, non exempla, sed authentica, ac præterea novas probationes utriusque partis a posterioribus judicibus recipiendas esse, sive authentica acta priorum judicum reperiri potuerint, sive non, modo si inter partes constet de litis contestatione, id est, si uterque fateatur litem contestatam fuisse apud priores judices. Nam et hæc est via præcipua hujus capitis, ante litem contestatam probationes non recipiuntur, aut sane præpostere recipiuntur, ut dictum est *sup. ut lit. non contest. non proced. ad test. product.*

AD TITULUM XX.

De Testibus, et attestationibus.

Testes qui sint, notissimum est: superstites dicuntur in 12. tabul. illo loco, *superstitibus præsentibus*: quasi qui negotiis, quæ geruntur inter alios præsentes supersunt fidei faciendæ causa. Dicuntur et *alligati, auctore Isidoro lib. 5. orig. cap. 23. M. Tull. in Cluentiana, et in epist. ad Quintum fratrem.* Attestationes autem sunt testimonia, sive dicta testium, quæ in judiciis publicari solent utraque parte præsente. Neque enim idem est, testes, et testimonia, ut sententia illa Adriani demonstrat, *testibus, non testimoniis esse credendum, l. 3. §. Idem Divus. D. de testib. cap. tua. inf. de cohabit. cler. et mul.* Testimoniorum mortua vox est, testium viva, testimonia publica scriptura tuetur, testes jusjurandum.

AD CAP. *Placuit.* I.

De testibus in hoc cap. 1. ex concilio Matisconensi, vel quod idem est, Matisconensi proponitur, testes jejunos interrogari et audiri oportere, et nonnisi idoneos ac fideles, omnique exceptione majores, et incorruptos, mercenarios procul rejiciendos esse, ubi glossa *fideles* interpretatur Orthodoxos, non paganos, non Judæos, non hæreticos ex *Nov. 45. §. ult.* quod etsi verum sit, puta testes nonnisi Orthodoxos in causis Orthodoxorum recipiendos esse, tamen antiqua decretalis, *et can. placuit, 4. qu. 1.* qui habet *fideliores, ut nulla*, inquit, *eis calumnia inferri possit*, satis ostendit aliam fuisse concilii mentem. Denique concilium *fideles* dixisse fide præstantes viros et auctoritate.

AD CAP. *In nomine.* II.

In hoc cap. 2. proponitur ex Gregorio I. sive ex Justiniani *Nov. de testib.* quæ congruit ea in re etiam cum *l. pen. C. eod.* et *l. Judices. C. de fide inst.* ut testes producantur et interrogentur συστάδην, ut Græci loquuntur, cominus utraque parte præsente: testium productionem factam μονομερῶς, sive κατὰ μίαν μοῖραν, ut Nov. loquitur, id est, *præsente una parte tamen*, altera parte absente, non valere, nisi forte adversarius, in quem testes producuntur, admonitus a judice, ut veniret, et testium productioni interesset, cum ei non esset difficile venire, nulla re districto necessarie, venire contempserit: hoc enim casu contumaciter absente reo μονομερῶς facta productio testium valet: *quia contumax ubique pro præsente habetur*, ut ait *Nov. 69. §. Si vero.* Non omittam exemplum rei absentis ex causa necessaria et inevitabili, adeo ut productioni testium interesse non possit, quamobrem judicatur non abfuisse per contumaciam, quo scilicet exemplo utitur Julianus antecessor in *Nov. de testibus: ut si*, inquit, *intra septa sanctorum fuerat*, quod exemplum sumsit Novellæ de suo, non ex Nov. *si*, inquit, *intra septa sanctorum fuerat*, ubi procuidubio ex Ivone Carnotensi parte 16. cap. 156. legendum est, *fugerat, si intra septa sanctorum fugerat: templi septa* dixit, *l. Patenat. C. de iis, qui ad eccl. conf.* Ecclesiæ septa, *Concilii 4. Aurel. can. si quis*, inquit, *necessitatis impulsu ad Ecclesiæ septa confugerit, et intra ea quodammodo incluserit se, nec inde sibi exire tutum sit, justa causa hæc est excusandi eum a contumacia.*

AD CAP. *Quoniam.* III. et CAP. *In omnis.* IV.

Ejusdem Gregorii I. est cap. 3. In delatione sive accusatione presbyteri etiam mulieres audiri, non quaslibet, sed conscias tantum et participes ejusdem facinorosi, et audiri non tanquam accusatores, quia nec ad accusationem mulieres admittuntur, nisi suam suorumque injuriam persequantur, *l. 1. de accusat.* sed audiri tanquam testes: quo sensu ut ita hoc cap. accipiatur titulus exposcit. Conscias igitur, vel conscios haberi pro testibus, et audiri tanquam testes, sed non temere tamen fidem adhiberi eis, ut *cap. 1. sup. de confessis, cap. 10. inf. hoc tit. non omnibus testibus esse credendum.* Conscios autem prorsus repelli a testimonio non est verum: neque enim hic est sensus *l. Quoniam. C. de testibus*, quam tamen in hanc rem Bernardus attulit. Verum hoc vult tantum illa lex, testibus evocatis testimonii dicendi causa sumptus itineris suppeditandos esse ab eo, qui eos produxit, non esse hoc mercedem testimonii, sed viaticum, *Nisi*, inquit, *sint socii et participes ejusdem criminis.* Namque ii suis sumptibus in judicium venire debent. Tantum igitur abest ut ea lex probet conscios et participes ejusdem criminis non admitti ad testimonium dicendum, ut maxime probet admitti, sed venire suis sumptibus, sicut reum ipsum principalem: huic vero sententiæ similis et proxima est quæ proponitur in *cap. 4.* etiam accusatorem ipsum numerari in testibus, ac propterea accusatori adjunctum testem unum, efficere duos testes, adjunctum alterum, tres. Sed ii ex sententia *cap. 4.* ad fidem faciendam in judicio non sunt idonei, *cap. 1. de consang. et affin. in 4. coll.* ubi hujus cap. mentio et interpretatio extat hujusmodi, non posse eundem in judicio esse accusatorem et testem, hoc est certissimum *can. in primis 2. qu. 1.* At extra judicium admonere proximum suum

fratremve quemque posse et debere, si non audierit seorsim factam admonitionem adhibito uno aut altero, *non secundum judiciorum ordinem*, ut ait, sed secundum regulam Evangelicam, quod etiam testimonia ex Evangelio deprompta in hoc cap. satis demonstrant. Ac præterea aperta est in *d. cap.* 1. *de consang. et aff. in* 4. *coll.* omnes, qui adhibentur admonendo proximo, qui obduruit, occalluit in aliquo crimine, nec redit ad bonam frugem, omnes, inquam, pro testibus haberi, *non quidem*, inquit, *pro testibus communis crusus, sed pro testibus fraternæ communitionis*, et ita accipiendum est caput 4. ex alio cap.

AD CAP. *Quoties*. V.

In hoc. cap. ostenditur, dissolvi matrimonium ex causa cognationis, quæ delegitur esse inter conjuges, si existant duo, vel tres testes ex eadem cognatione, qui affirment conjuges inter se esse conjunctos eo cognationis gradu, quo vetitæ sunt nuptiæ: unus testis non sufficit *cap.* 22. *inf. h. t.* duo vel tres requiruntur, vel deficiente cognatione omni, ut *can.* 1. 35. *qu.* 6 si existant duo vel extranei ætate provectiores, et auctoritate, atque existimatione graves, qui jurati a majoribus suis se accepisse affirment, eos inter se proximo cognationis gradu seu genere esse conjunctos, et neque ad testimonium se duci odio, vel amicitia, vel pecunia, vel cautione alia, aliave qua re, qua testes plerumque pariat, ut *Quintil.* 5. *cap.* 7. ait, *testem gratia, metu, pecunia, ira, odio, amicitia, ambitu fieri.*

AD CAP. *Insuper*. VI. et CAP. *Cum nuncius*. XII.

Ex cap. 6. intelligimus, quod est valde notandum, lite mota monasterii nomine, vel contra monasterium non admitti quidem in ea lite ad testimonium dicendum eos, qui agunt et defendunt rem monasterii nomine, quos actores, et responsales vocant. Vox, quæ apparet, responsales, quos Græci ἀποκρισιαρίους vocant proprie esse defensores Ecclesiarum. Actores igitur et defensores Ecclesiarum nomine constitutos, quoniam ipsarum Ecclesiarum vicem gerunt, non admitti ad testimonium dicendum in ea causa, quam agunt: sed admitti tantum testimonium reliquorum fratrum ejusdem monasterii, deficientibus scilicet aliis testibus, ut *cap.* 26. §. *ult. inf. de jurejur.* quod et de clericis statuitur *cap.* 12. *inf. h. t. et can.* 1. 14. *qu.* 2. Ut in lite instituta Ecclesiæ nomine clericorum testimonia, qui eidem Ecclesiæ adscripti sunt, deficientibus aliis testibus recipiantur, quia scilicet non in propria causa, sed in causa Ecclesiæ testimonium dicant, jurati scilicet, nec enim eis jusjurandum remittitur, *cap. tuis, inf. hoc. t.* Et præterea horum nemo melius novit jura, quæ Ecclesiæ competant.

AD CAP. *Ex parte*. VII.

Patet ex hoc cap. eum, qui possessione Ecclesiæ, cujus minister erat, dejectus est, si egerit interdicto unde vi, licet dicatur filius esse antecessoris sui, vel palam in concubinatu mulierem habere, si modo testes, quibus reus, cum quo interdicto agitur, id probare tentat, sint homines notati infamia latrocinii, vel perjurii, vel raptus, vel cujuscunque alterius atrocis criminis, absque dubio restituendum esse in possessionem: causa illa ad eum removendum tanquam indignum fuit satis idonea, quod filius antecessoris sui sit, *cap.* 3. *sup. de fil. presb.* Arnulphus Episcopus Lexoviensis in *epist. ad Legatos Albertum et Theodinum. Non expedit*, inquit, *provinciæ nostræ, in qua quotidie tam impudenter impudicitia convalescit, filios presbyterorum paternis altaribus adhiberi.* Itemque illa causa satis idonea erat, quod publice domi focariam haberet, *cap. vestra. inf. de cohabit. cler.* Sed hæc qui allegabant, non probabant, per testes idoneos: et ideo beneficio momenti merito Pontifex definit contra pravam judicum quorundam delegatorum sententiam, ministrum vi dejectum de possessione Ecclesiæ, quamprimum in eam restituendum esse.

AD CAP. *Si qui testium*. VIII.

Ostenditur in hoc cap. si evocati testimonii dicendi causa adversa valetudine, vel senio (quod et ipsum adversa valetudo quædam est, *Terent. in Heautont. senectus ipsa morbus est*) vel debilitate, sive infirmitate, quæ non multum ab adversa valetudine distat, certe valetudinis adversæ sequela est, si inquam, per hasce causas impediantur, quo minus in judicium veniant, mitti homines honestos et prudentes arbitrio judicis, qui eos domi interrogent, ut de Urgulania potentissima femina Cornelius Tacit. refert 2. *Annal.* cum testis in causa quadam, quæ apud Senatum tractabatur venire dedignaretur, missum esse prætorem, qui domi eam interrogaret singulari quodam beneficio, quod tamen hodie trahitur ad omnes egregias personas, etiamsi infirmitate non impediantur, ex *l. Ad personas egregias, de jurejur.* quæ tamen verba *ad egregias personas* Triboniani esse videntur, quia egregiatus dignitas, de qua extat titulus Cod. quam cognovere novissimi Imperatores, vel distinxere ab aliis, non fuit nota Jurisconsultis nostris olim. Eodemque Cornelio auctore, ne virgines quidem Vestales quoties testimonium dicebant, alibi, quam in foro et judicio audiebantur: quod tamen sub Imperatoribus non obtinuisse Dio indicat *lib.* 54. dum ait sub Tiberio et Cajo flaminem Dialem in foro jusjurandum non dedisse: nam quæ ratio flaminis Dialis, eadem et Sacerdotis Vestalis, ut in edicto illo prætoris: *Sacerdotem Vestalem, et flaminem Dialem in omni mea jurisdictione jurare non cogam*, de quo diximus in *cap.* 1. *de juramento cal. sup.* Verum additur etiam in hoc *cap.* 8. ad pauperum domum mitti excipiendi testimonii gratia, *quoniam*, inquit, *ad judicium perduci non possunt:* non certe suis sumptibus, at sumptibus litigatorum perduci possunt, quos utique et litigatorem, qui eos producit, suppeditare debere constant ex *l.* 3. §. *Gabinio. eod. l.* 11. *C. eod. l. Eos qui.* §. *Si quis. C. de app. l. ult. C. Theod. de abolitionib. cap.* 11. §. *pen. de rescript. in* 6. Itaque rectius scriptum est in antiqua decretali hoc modo, *si qui paupertate depressi sunt, et non potuerit eos idem ad vestram præsentiam ducere:* ut hæc sit sententia: si nec ipse, qui eos testes producit, per inopiam possit eos suis sumptibus in judicium producere, ut tum mittatur in domum eorum, qui eos audiat.

AD CAP. *Sicut*. IX.

Diximus jam ex *cap.* 5. *sup.* dissolvi matrimonium si duo, vel tres jurati affirmarint conjuges proximæ cognationis necessitudine esse conjunctos: at si matrimonio dissoluto ob eam rem ex sententia judicis Ecclesiastici, postea apparuerit testes illos pecunia corruptos fuisse, ut id dejerarent, quid fiet? et distinguit Pontifex in hoc cap aut nondum migrarunt ad alias nuptias, et tunc rescissa sententia divortii redeunt in matrimonium: aut migraverunt ad alias nuptias alter, ambove, et hæ quoniam revera adulteria potius sunt, quam justæ nuptiæ, non jure diremptis prioribus, et non est integrum tamen redire ad priores, quas secundæ contaminaverunt: hoc casu, testes tantum manet perjurii, et adulterii pœna, cui causam præbuerunt. Ceterum, ut dixi, vis rescinditur posterius matrimonium, ut hoc cap. satis aperte demonstratur: quia, ut quod ex causa judicati solvi, non possum repetere vel condicere, *l. De qua re.* §. *ult. D. de judic.* ita quod divortium feci, et matrimonium contraxi cum alio vel alia, auctore judice, videor, ab eo discedere non posse: Bernardo aliud judicium est, sed non ego crediderim, qui potius adhæreo verbis hujus cap.

AD CAP. *Veniens*. X.

Ostenditur in hoc cap. canonice non esse institutum presbyterum, qui ad ministerium Ecclesiæ pervenit remissa parochiali, aut ex parochianis potioribus quibusdam, quibus nominandi ministri jus erat: remissa, inquam, certa vini pensitatione, quam pro beneficio Ecclesiæ ministro dependere soliti erant, liberatis parochianis ab obligatione ejusmodi, hunc Presbyterum, qui hac via pervenit ad ministerium Ecclesiæ, non esse canonice institutum, id est, simoniæ reum esse, nec enim tantum pecuniæ, sed et cujuscunque rei alterius datio vel cessio, vel promissio, vel remissio simonia est, *cap.* 2. *sup. de confess. cap.* 11. *de simon.* sicut calumniator non tantum is, qui dedit pecuniam negotii facessendi alteri causa, sed et si promiserit, vel remiserit obligationem, qua ei erat obstrictus is, quem submittit calumniando alteri, *l.* 1. §. *ult.* et *l.* 2. *de calumniat.* At hoc genus simoniæ, qui allegat, nequaquam id probat recte prolatis duobus testibus tantum, quorum cum uno depectus ea de re presbyter fuerat, quia hic neque est testis idoneus, cui credatur, neque alter, qui superest solus, quia ut Q. Scævola ait apud *Valer. Max. lib.* 4. unius testimonio credere pessimi exempli est, et ut legimus in *cap.* 21. *inf.* nulla est causa, quæ unius testimonio, quasi legitimo terminetur.

AD. CAP. *Causam*. XI.

A Judicibus delegatis causæ cognitione translata ad alios judices auctoritate pontificis, ad eos transmittendas esse attestationes utriusque partis receptas a prioribus judicibus post litem contestatam, docet hoc cap. Additur in antiqua decretali, quæ extat integra in coll. 1 eod. tit. et post concilium Later. habitum sub Alex 3. parte 3. cap. 2. si attestationes receptæ a prioribus judicibus publicatæ non fuerint, si patefactæ adversario non fuerint, apud posteriores judices alios testes novos et idoneos produci et audiri posse ante publicationem in integro esse productionem aliorum testium, ut *cap. ult. sup. tit. prox.* post publicationem priorum attestationum, non item, ut *cap.* 24 et 35. *inf. h. t. cap.* 6. *sup. tit. prox.* videlicet si super articulo, sive capitulo, sive re eadem, post publicationem priorum, novi testes producantur. Nam super alio capitulo, de quo nondum actum sit, novi testes audiri possunt, *cap.* 17 et 19. et 25. *inf. h. t.* Itemque testes veteres, qui priore judicio auditi sunt, et posteriore judicio audiri possunt, etiam post publicationem testationum aliarum priorum, ut *cap.* 38. et 44 *inf. h. t.* De cap. 12. dixi sup. ad cap. 6. sequitur cap. 13.

AD CAP. *Super eo*. XIII.

Sequitur in hoc cap. idoneos nullo in judicio esse testes eos, qui de crimine aliquo confessi et convicti sunt olim, ut *cap.* 7. *sup.* quive post productionem reprehensi, et refutati sunt ab eo, in quem producti sunt, et de crimine aliqua convincuntur, ut *cap.* 54. *inf.* et *cap.* 13. *eod. tit. in* 1. *collect.* Reprobatum est eorum testimonium, qui vel jam ante convicti sunt, vel confessi de crimine aliquo, vel qui nunc convincuntur ab eo, adversus quem testificantur. Quæ res tamen non subjicit eos ejus criminis pœnæ legitimæ, quia nec objectum est eis crimen solemniter accusatione instituta, et criminaliter secundum ordinem judiciorum, sed civiliter tantum refellendorum eorum testimoniorum causa, *pour les reproches*, *d. cap.* 13. *resp.* 1. *in fi. inf. de exceptionib.* ubi tamen additur hæc exceptio, nisi crimen

testi objectum contingat causam, de qua agitur, ad quam exceptionem plurimum facit *cap. 2. sup. de confess.*

AD CAP. *De cetero.* XIV.

Constituitur in hoc capite ne in causa criminali laici admittantur ad accusationem clericorum, nisi suam suorumve injuriam persequantur, sed neque ad testimonium contra clericos. Quod et veteribus canonibus sancitum est hac ratione, quod alii sint mores laicorum alia instituta vitæ, et laici plerumque in clericos feruntur infestius, et indignum est, ut clerici ab iis accusentur, vel insimulentur, qui eorum gravitatem colunt imitari, *can. laicos, can. laici*, 2. *quæst.* 7. Excipiuntur tamen laici, qui socii sunt, et participes cum clericis criminis ejusdem: hi enim ad testimonium admittuntur, quamvis non admodum eis fides adhibeatur, *cap. 3. sup.* Excipiuntur crimina quædam, quæ glossæ notant, quibus clericos laici reos postulare, vel in eos testimonium perhibere possunt, quibus criminibus, quæ glossæ notarunt, ut dixi, maxime in *cap.* 10, *inf. de accusat.* adnumerari potest irregularitas, ut vocant, quam clerici contrahunt per bigamiam, ut *cap.* 33. *h. t. inf.*

AD CAP. *In causis.* XV.

Congruit omnino hoc cap. cum Novelle Justiniani *de testibus*: in causis Ecclesiasticis, sive civilibus, id est, secularibus sine distinctione criminales an civiles fuerint, ut Hostiensis interpretatur non male, denique in omnibus causis ei, qui testes tertium produxit, publicatis eorum testimoniis, et præscriptionibus (*ce sont les reproches*) eis oppositis vel objectis non permitti quartam productionem testium facere, ut *cap.* 29. *inf.* Denique productionem quartam testium non permitti aliter, quam si tres priores publicatæ, discussæ, et dispunctæ nondum fuerint, et præterea juraverit, qui quarta productione utitur, se priora testimonia comperta non habere, et citra fraudem quarta productione uti, quæ Novellæ sententia refertur etiam ad verbum in *cap. pen. inf.* Et hæc quidem est solemnitas, quam in *hoc cap.* 14. et in *cap.* 36. *inf.* ex legibus requiri dicitur, ut ad quartam productionem perveniatur. Productiones autem plures alii volunt æstimari ex vicibus quidem, quibus testes producti sunt: alii ex dilationibus datis testium exhibendorum causa: ego sequor Novellam Græcam Leonis et Constantini, quæ productiones testium æstimet ex singulis diebus, unaquaque productione occupante diem unum, ἑκάστης φησὶ παραγωγῆς μίαν ἡμέραν λαμβανούσης. In fine hujus cap. additur, post publicationem testimoniorum de eis posse palam disputari in foro, in judicio. Quid hoc est? Posse scilicet testimonia refelli post publicationem oppositis præscriptionibus (*les reproches*) *cap.* 35. *inf.* non etiam eum hisce alia contraria opponi testimonia, *cap.* 25. *inf.* Et ita procul dubio disputare pro refellere, dispungere, discutere, in hoc cap. accipiendum est, ut in Novella *de testibus*. Interpres Latinus sæpe παραγραφὰς, *les reproches*, appellat disputationes.

AD CAP. *Intimavit.* XVIII.

In præsenti rep. hoc habetur: si quis testes contra se producendos jurejurando adstrinxit, ne contra se testimonium, vel consilium, vel opem adversario ferrent: non habita ratione jurisjurandi (quod nec legitimum est) quandoquidem eo id agitur, ut veritas supprimatur *cap.* 45. *inf. h. t.* antequam eorum testium, qui producti jam et recepti ac interrogati sunt, dicta publicata, renuntiatumque testibus fuerit, nihilominus, quia res est integra, non dum secuta publicatione, vel renuntiatione testium, et ipsos, quos ille jurejurando constrinxerat, et alios testes recipi posse in eadem causa, etiamsi contra eum dicant, qui eos adjuraverat, ne dicerent, ut *cap.* 4. *inf. tit. seq.*

AD CAP. *Causam.* XIX.

Proponitur in hoc cap. 19 hoc, testationibus publicatis, et secuta renuntiatione productione testium, cum nihil aliud superest, quam ut res judicetur, non esse integrum alios testes super iisdem articulis exhiberi; super aliis, qui conjuncti sunt superioribus exhiberi posse. Neque vero per renuntiationem, et publicationem testationum re eo deducta, ut judicaretur, posse adversam partem judicium remorari oblato privilegio aliquo, quod impetraverit lite pendente, sive post litem contestatam, aut controversiam motam, delegatosque judices, ut *cap. ult. sup. ut lit. pend.* Pertinet vero ad litem, de qua agitur in *hoc cap.* etiam *cap. pen. sup. de mut. petition.*

AD CAP. *Personas.* XX.

Quæstio erat de personatu ecclesiæ cujusdam, velut præbenda, vel curatione, quem quidem personatum, defuncta ecclesiæ persona, quæ eo fungebatur, filius defuncti quasi jure hæreditario, aut propinquus, aut vicarius ejus ad se pertinere contendebat, contradicente altero, cui forte id beneficium Episcopus contulerat. Et in hanc rem proferebantur testes ex utraque parte: alii qui affirmabant, collationem ejus beneficii ad Episcopum pertinere, sive, conferre id beneficium Episcopum solere: alii, qui asserebant filio, vel vicario id beneficium ex consuetudine regionis solere cedere. Et in hoc casu Pontifex censet, neutros testes esse idoneos, videlicet, *si*, inquit, *communi morbo laborent*, id est, si par eis sit controversia cum aliis, sicut in *cap.* 48. *sup. de judic.* habetur, idoneos non esse judices quosdam ejus controversiæ, qui similem litem ipsi habent cum aliis; quia et hi et illi non aliter jus, et testimonium dicturi præsumuntur, quam optant sibi dici: ideo refelluntur et repelluntur jure et merito. Conjungendum autem est hoc cap. cum *cap.* 4. *inf. de appell.*

AD CAP. *Judæi.* XXI.

Sequitur in *hoc. cap.* Christianos adversus Judæos testes admitti in omnibus causis civilibus et criminalibus, cum et Judæi adversus Christianos testimonium dicant, etsi si apostatæ fuerint, ut perfidi adversus Deum, qui merito præsumuntur et perfidi fore adversus homines quacunque rapta occasione, puta qui conversi sint ad Christianismum, et tincti sacro fonte post ad Judaismum redierunt, *can. non potest.* 2. *quæst.* 1. 7. Damnantur autem in *hoc cap.* qui Judæis permittunt adversus Christianos testimonium dicere, sed contra Judæos Christianorum testimonia recipere nolunt, ut *cap.* 1. *eod. tit. in Clem.* cum potiorem esse Christianorum causam oporteat, sub quorum potestatem se Judæi subjecerunt excepti a Christianis humaniter. Conjungendum autem cum hoc cap. est *cap.* 5. *sup. de Jud.* et notandum, quamvis initium hujus cap. hoc sit: *Judæi sive Saraceni, etc.* quæ verba extant etiam in *cap.* 5. *de Judæis*: tamen in hoc parte de testibus eodem jure non esse Saracenos, quo et Judæos. Saracenorum testimonium omnino improbatur adversus Christianos: nam et Saraceni bellum ἄσπονδον gerunt cum Christianis: hi sunt Turcæ, quandoquidem a Saracenis, quasi successores religionem et regna acceperunt: Judæi autem serviunt Christianis, vivunt sub imperio Christianorum: quæ discriminis ratio notatur et in *can. dispar.* 33. *quæst.* 8.

AD CAP. *Super eo.* XXII.

Hoc cap. est de muliere, quæ dicit se ab aliquo desponsam, idque probat per matrem, et aliam mulierem, non recte, ut hic definitur, quia matris testimonium suspectum est, et alterius mulieris, quæ unica superest, nullum. Cui sententiæ nihil obstat *cap.* 3. *inf. qui matrim. accus. poss.* vel *can.* 1. 35. *quæst.* 6. quæ jura Bernardus objicit, quoniam de cognatione ibi quæritur, puta an conjuges inter se cognatione juncti sint, qua in causa parentes audiuntur non tam sponte juris auctorum, quam necessario, quod nulli alii hujus rei certiores possint esse testes. Parentes, inquam, et propinqui, non unus, puta pater solus, non mater sola, ut in secunda parte hujus capitis, sed duo, vel tres ex eadem cognatione ut propter causam cognationis, quæ probatur per eos esse inter conjuges, matrimonium dissolvatur, *cap.* 5. *sup.* Matrimonium, inquam, quod jam contractum est; aliter quam si matrimonium nondum contractum sit. Hoc enim casu, vel matris affirmatio sola nuptiis impedimento est, quæ dirimendis jam contractis non sufficeret, ut prima parte hujus cap. cui, ut dixi, objicitur *cap.* 3. *qui matr. accus. poss.* et *can.* 1. 35. *quæst.* 6. In hac prima parte, inquam, de sponsalibus quæritur, contracta sint nec ne, qua in re nemo non videt parentum perquam suspecta mendacii testimonia esse propter affectionem naturalem, et plerumque stultam, ut est in proverbio Græcorum. Omnem parentem esse stultum, πᾶς πατὴρ μωρός, ergo liberos scilicet.

AD CAP. *Licet.* XXIII.

In hoc cap. rejicitur unius testimonium in omnibus causis, quæ aguntur, vel inter Christianos et Judæos, vel inter Judæos et Christianos, ut *cap.* 10. *sup. l. Jurisjurandi. C. eod. tit.* Legendum autem in contextu hujus cap. *inter vos.* Scribit autem ad quosdam clericos, et quoscunque Christianos, vel Judæos, ut in antiqua collectione decretalium Alexander III. Vulgo dicitur, *unus testis, nullus testis*, *Unius testimonium etiam jurati non esse legitimum.* Unde et in fine hujus cap. legendum, *ut a testimonio quasi legitimo*, non, *quamvis legitimo*, ne scilicet ulla causa terminetur, ut in princip. *hujus cap.* recte legitur, *quam*, non, *quamvis. Redeant Catones et Scipiones*, inquit Quintilianus in declamatione quadam, *vel alia quæcunque clarissimo nomina: unius testimonium nunquam habebitur pro legitimo.* Olim tamen unius Episcopi testimonio plerisque in causis, cum erant sanctissimi Episcopi, fides habebatur, ut docui *cap.* 7. *sup. tit. prox.* Sed et vulgo putant interpretes cujuscunque testimonio unico fidem haberi in specie *cap. prox. sup.* et in specie *can. cum itaque. de consecrat. dist.* 4. quod ego non admitto. Nam impedimento quidem unum hominem fateor esse posse ne quid fiat, puta, ne matrimonium contrahatur, ut *cap. prox. sup.* vel ne Baptismus iteretur, ut *can. cum itaque.* non etiam ut id, quod factum est infirmetur, vel confirmetur sententia judicis. Addunt et aliam exceptionem ex *l. Theopompus. de dote prœl.* Male. Nam in hujus l. specie duabus filiabus hæredibus institutis ex æquis portionibus minori filiæ dotis nomine eadem quantitas ex communi pecunia danda est, quam majori dedit pater dum vixit, non quod Pollianus, de quo ibi agitur, cujus providentiæ filiam minorem natu pater nuptam collocari voluit, juravit hanc fuisse voluntatem defuncti patris: sed quod etiam citra jusjurandum Polliani id satis appareat voluisse patrem, qui filias hæredes fecit ex æquis portionibus. Unde argumento ducto, et omnibus in rebus videtur eas pares esse voluisse. Addunt et aliam exceptionem ex *l. Si quis decurio. C. ad l. Corn. de fals.* quasi ex sententia hujus l. tabellionis unico, et singulari testimonio credatur, si in dubium vocetur instrumenti fides. Et hoc quoque male: nam est alia mens hujus *l. Si quis decurio:* nempe hæc: si tabellio arguatur

eisnm testamentum scripsisse, etiam postea Senator municipalis, id est, decurio factus fuerit, subjici eum tormentis, seu quæstioni, veritatis eruendæ causa. De torquendo igitur decurione ibi agitur, qui ante decurionatum, cum fungeretur tabellionis officio, arguitur falsum instrumentum scripsisse: de recipiendo testimonio unius testis ibi non agitur. Non est etiam verum, testes, qui instrumento subscripserunt, si mortui sint, vel si peregre sint, solius tabellionis testimonio fidem haberi, ex *Nov. de testib.* §. *Si vero moriatur:* quoniam ex ea Novella ita demum tabellionis testimonium recipitur, si publicum instrumentum fuerit, id est, si publice in foro confectum, cujus rei publica est fides. Ac certe publica fides plus potest quam testis unus, aut certe testis unus nihil potest, aliter quam si conjuncta sit publica omnium fides. Non est etiam verum, quod interpretes notant, unum testem facere præsumptionem, vel facere probationem semiplenam, ut loquuntur. Unde enim hoc sumpserunt, unum testem inducere præsumptionem? Prudentem certe virum gnarum temporum, et hominum nullam in præsumptionem unicos testis induxerit, et præsumptio est, quod quisque præsumit animo. Et ita quoque Jacobus sentit, unum testem non inducere præsumptionem ex *l. Quæsitum. de testib.* congruenter. Unde item semiplenam probationem dixerunt? nisi quod plerumque duo testes faciant plenam fidem, plenam probationem: ergo, inquiunt, unus semiplenam, quæ collectio est vitiosa: alioqui quod numerus incipiat a duobus, cuilibet licebit colligere, unum esse seminumerum, et quis unquam audivit de seminumero? Immo hujus opinionis adserendæ causa aliud argumentum sumunt ex l. 1. §. *ult. quemadm. testam. aper.* ubi dicitur, unum ex testibus, et signatoribus tabularum testamenti non agnoscentem sigillum suum, cum aperiendæ sunt, et resignandæ tabulæ testamenti, suspectas tabulas facere. Hoc argumentum non est idoneum. Nam etsi unus testis moveat suspicionem, qui non agnoscit sigillum suum, unus signator: non tamen ideo dicitur recte etiam semiplenam probationem facere, vel præsumptionem. Aliud enim est suspicio, longe aliud præsumptio, vel probatio. Qui suspicatur, plus se videre putat, quam qui præsumit: confidentior item est, qui probatione utitur, tametsi imperfecta, quam qui suspicione movetur sola. Ac præterea cum unus ex signatoribus sigillum suum non agnoscit, hic suspectas tabulas facit magis ex reipsa, quod sigillum recognitum non sit, quam ex persona. Quod res loquitur plus movet, quam quod homo loquitur.

AD CAP. *In literis.* XXIV.

Ex hoc cap. intelligimus, testes, quos quis de domo, sive familia sua producit, non esse idoneos, ut *l. pen. eod. tit. l.* 3. *C. eod. c.* 1. 4. *quæst.* 2. *et can. accusatores,* 3. *qu.* 5. maxime si adversus eum, qui testes producit de domo sua, manifesta argumenta faciant, ut si qui usus est consuetudine mulieris fere per septennium, quam legitime et solemniter, uti oportet, duxerat in matrimonium, nunc per testes domesticos et familiares probare nititur, causam divortii quærens, se antequam cum ea muliere nuptias contraxisset rem habuisse cum consobrina soceri sui, quæ ratio contractæ affinitatis ex stupro nuptias postea secutas illegitimas facit, quia, ut Bernardus notat recte, consobrina soceri est genero affinis in primo genere affinitatis ex tertio gradu: ex concilio autem Lateranensi in primo genere affinitatis usque ad tertium gradum nuptiæ prohibentur, *cap. pen. inf. de consang. et affin.* Ex stupro autem affinitatem contrahi ex parte viri cum cognatis stupratæ mulieris, et ex parte mulieris cum cognatis stupratoris, certi et explorati juris est, *can. nec eam,* 35. *qu.* 2 *cap.* 6. 7. *et pen. inf. de eo, qui cognov. consang. cap.* 3. *inf. de sponsal. c.* 2. *inf. de consang. et affin.* Non omittam, domesticos et familiares testes idem esse, hoc scilicet esse, qui in eadem domo nobiscum degunt, hoc non est satis addo, et quibus imperari potest, ut testes fiant. Sic Balsamon recte definit Carthaginensis Synodi *cap.* 32. et confirmatur *l.* 6. *D. eod. l. Respiciendum.* §. *Furta. D. de pœn.* l. *Præsenti.* §. *pen. C. de his, qui ad eccles. confug.* l. *Pridem. C. de quæst.* In hanc definitionem cadunt non servi tantum, sed et coloni conditionarii, qui nobis veluti quadam quasi servitutis conditione obnoxii sunt, veluti coloni censiti, vel adscriptitii. In hanc conditionem cadunt etiam mercenarii, qui in eadem domo, vel colonia degunt, qui et servorum loco esse dicuntur, id est ἀντίδουλοι, *l.* 1. §. *Familiæ,* conjuncto §. *Si fideliter. de vi et vi arm. l.* 4. *de usu et hab.* conjuncta interpretatione Theophili in §. 1. *Inst. eod.* Itemque liberti, si in domo patroni morentur. Et procul dubio uxor et maritus, vel si non maritus, uxor saltem, cui imperari potest, et quorum etiam una dicitur esse domus, *l.* 1. §. *Si vir. ad Senatusc. Syllan.* Aliter igitur in litibus domestici testes accipiuntur, et longe aliter in testamentis. Nam in testamentis domestici testes ii tantum dicuntur, qui sunt in potestate testatoris, vel qui testatorem habent in potestate, §. *Sed et si filius. Inst. de testam. ordin.* quos scilicet patria potestas commiscet, et efficit unos ex pluribus, et contra manumissio ex unis plures: hi non sunt classici testes. Classici testes, auctore Festo, ii sunt, qui testamentis signandis adhiberi possunt.

AD CAP. *Cum venisset.* XXV.

Ex hoc cap. intelligimus, appellationi, quam interposuit, renuntiasse videri eum, qui appellavit, et post appellationem causam eandem apud eosdem judices agere perseveravit, testesque produxit apud eosdem. Intelligimus etiam, delegati judicis officium, si apud eum lis contestata fuerit, atque ita si res non fuerit integra, non finiri, supervenienta morte delegantis, et utrumque probat etiam *cap. gratum, sup. de off. et pot. jud. deleg.* quod pertinet etiam ad eandem speciem, ad quam hoc *cap.* 25. et facit ad alterum *l.* 8. *D. de jurisd.* Sequitur aliud, quod et præcipuum est in hoc cap. et consonat prorsus iis, quæ habuimus *sup. cap.* 11. 15. 17. 18 *et* 19 post publicationem, testationem, et renuntiationem factam de testibus producendis ab utraque parte, puta utraque parte testes valere jubente, satisve dicente se produxisse testium, aut se nescire quid sit satis, ut quidam dicunt, in quæstionem eandem alios testes produci non posse, in aliam posse.

AD CAP. *Series.* XXVI.

Quidam cum diceret matrimonium contractum inter Titium, et Caiam, non esse legitimum, quod eo cognationis gradu juncti essent, quo legibus nuptiæ vetitæ sunt; id probabat testibus legitime, et perspicue distinguentibus gradus, et personas cognatorum, ut jus exigit, *cap.* 7. *inf. de consang. et affin. cap.* 47. *inf. h. t.* initio facto, quod et jus exigit, a primo gradu ex transverso, puta a fratre, et sorore, qui hoc jure sunt in primo gradu, jure civili in secundo. At quæritur, an his testibus adversa pars, quæ matrimonium legitimum esse adserit, audiatur si velit ex contrario opponere alios testes, qui quos illi dixerunt esse fratres, jurent non esse fratres? Et respondet Pontifex eam audiri, et ex utraque parte recipi testes, non quidem post publicationem priorum, sed re integra: sic enim intelligendum est, nec valere consuetudinem huic juri contrariam.

AD CAP. *Præterea.* XXVII.

Sequitur in hoc cap. stuprum recte probari testibus juratis, qui se vidisse rem dicant, vel de ea re inaudisse ab iis, qui rem ipsam perpetrarunt, vel ab aliis. His, inquam, testibus probari stuprum, non quidem iis solis: sed si et iis consentiens fama, et alia legitima adminicula accedant: *Etenim,* inquit, *circumspectus judex atque discretus motum animi sui ex argumentis, et testimoniis, etc.* Quæ verba sumpsit ex *l. Ob carmen.* §. *ult. eod.* De auditione testimonium recipitur, tanquam adminiculum alterius probationis, non tanquam ipsum per se sit ratum, et legitimum testimonium, *c.* 47. *inf. h. t. c* 7. *inf. de consang. et affin. cap* 2. *de sobole susc. ex secund. nupt.* in prima collectione, et in *Nov. Justin. de testib.* Famæ quoque consentientis, sive rumoris eadem ratio est, *l.* 3. §. *Ejusdem. D. eod tit. cap.* 27. *inf. de sponsal. cap.* 4. *inf. de eo, qui cognov. cons.* Fama consentiens pro adminiculo est, non pro certa et firma probatione.

AD CAP. *Cum a nobis.* XXVIII.

Ostenditur in hoc c. unius testimonium usque adeo rejici et repudiari, ut dictum est sup. *cap.* 23. ut nec unius judicis cujuscunque dignitatis, et auctoritatis, testimonio singulari fides habeatur, *etiamsi Præsulali præfulgeat dignitate,* ut ait *cap.* 47. *inf. h. t.* loco illorum verborum, quæ sunt in *l.* 9. *eod. etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat:* quibus Senator significatur, non præses. Idem tamen est in præside. Immo et idem in Episcopo, et Archiepiscopo, *c. post cessionem, sup. tit. prox.* sed non in Romano Pontifice, qui, vel cujus vox instar esse debet multorum, qui etiam excipitur in fine hujus cap. Igitur contra dictum, vel scriptum uniuscujusque judicis, majoris, vel minoris, secularis, vel ecclesiastici probationem admitti, majoremque esse fidem duorum, vel trium testium quam unius judicis. Et hoc obtinere non tantum in causis, quæ ex contractibus, sed et quæ ex testamentis descendunt.

AD CAP. *De testibus.* XXIX.

Ostenditur in hoc cap. testes productos ad probandam exceptionem aliquam, si juraverint se pro ejus rei veritate dicturos, si interrogentur super negotio principali, non cogi respondere, nec ultro, si velint testificari de re principali, audiendos esse: quia nec super ea re jurejurando conventi sunt, sed super exceptione tantum, et sine jurejurando nullus est testis idoneus, *l.* 9. *Cod. eod. tit. cap.* 51. *inf h. t. cap.* 5. *sup cap.* 4. *inf. de consang. et affinit.* Et hoc est, quod in priore parte hujus cap. scriptum est generaliter, *de testibus productis ad probandam exceptionem:* generaliter, inquam, et legitur in tertia collectione, et in registro Innocentii III. auctoris, hujus cap. Vulgo tamen additur, dilatoriæ *ad probandam exceptionem dilatoriam,* quod probo. Nam et hæc exceptio cum principale negotium non dirimat, sed differat, nihil attinet cum ea confundi principalis negotii disquisitionem, contra quam in posteriori parte hujus cap. ostenditur, productis ab alterutra parte testibus ad probandam exceptionem, jam non dico dilatoriam, sed peremptoriam, alteram partem recte desiderare: ut iidem testes jurati audiantur super negotio principali, quod cum ipsa exceptio pertingat, prorsusque perimat, proxime exceptioni junctum est, quoniam exceptio peremptoria negotium principale recta petit, hoc agens, ut id extinguat. Ergo non male ab eo, qui fert testimonium de exceptione peremptoria, desideratur, ut de principali negotio verum dicat, quia parum abest exceptio peremptoria a negotio principali, aut nihil. Quod vero subjicit, *nisi forsan sufficiens productio testium, etc.* etiam convenit tantum exceptioni peremptoriæ, quæ opponi potest, et probari quocunque tempore post litem contestatam, et ante rem judicatam, etiam post publicationem testimoniorum quasi novus articulus, ut *cap.* 17 *sup.*

veluti exceptio rei judicatæ, vel doli mali. Immo et quandoque opponitur recte, et probatur post rem judicatam in actione judicati, ut *l. Si fidejussores. §. ult. de fidejuss. l. Tamen. ad Senatusc. Macedonian. l. Nesennius. §. ult. de re judicat. l. 1. §. Non tantum. l. 20 §. ult. de tut. et rat. distr. l. 1. C. de juris, et fact. ignor.* cum tamen exceptio dilatoria, veluti exceptio temporalis, ne pecunia petatur intra annum, vel exceptio fori, vel exceptio procuratoria sit opponenda in ipso limine judicii, in ipso tempore litis contestandæ. Qua de re satis diximus supra in *cap. 5. de dolo, et contum.* Unde sumes, quæ transferas in hunc locum. Quod autem legitur in 3. *collectione hoc ipso c.* ubi extat integrius, et hoc quæsiisse Archiepiscopum Tyrensem, ad quem hoc cap. an testes, qui ad purgandam alterius infamiam producuntur, qui vulgo Sacramentales dicuntur, districte sint examinandi, sicut ceteri testes, id definitur in *cap. 13. inf. de purg. can.* quod cum illo conjungendum est, nempe ita ut de opinione tantum sua, et credulitate interrogentur, an credant verum esse, quod reus asserit, qui purgat innocentiam suam, non etiam de veritate, et certa quadam animi sui conscientia.

AD. CAP. *Constitutus*. XXX.

Ad speciem hujus *cap.* 30. pertinet etiam *cap. 7. concess. præbend. et cap. 3. de suppl. neg. Præl.* Pendet etiam ea species ex eo, quod constitutum est in Concilio Lateranensi habito sub Innocentio III. *cap. 3. inf. de concess. præb.* ut vacantes præbendæ, vacantiave officia, aut beneficia ecclesiastica intra sex menses computandos ab eo die, quo sciverint, aut scire potuerint ea vacare, ut *d. cap.* 3. et 8. *de concess. præb.* personis idoneis conferantur ab Episcopo, vel a Capitulo, ut cuique hæc collatio competit: et ubi quidem Episcopo hæc collatio competit, si Episcopus intra sex menses non peregerit: ut jus conferendi vacantis beneficii ipso jure devolvatur ad Capitulum: contra, ubi collatio ad Capitulum spectat, cessante Capitulo devolvatur ad Episcopum: vel utroque cessante, ad Archiepiscopum sicut Metropolitanum: et rursus hoc quoque cessante, ad Romanum Pontificem, ut *d. cap. 3. de suppl. negl. Præl. et cap.* 6. et 9. *inf. de concess. præb. et cap. unico. inf. ut eccles. ben. sin. dim. conf.* Et hæc Constitutio Concilii Lateranensis viget etiam hodie ubique, et vulgo, qui hæc jura persequuntur, dicuntur persequi devolutiones. Ita vero vacante Archidiaconatu quodam in Anglia, Archiepiscopus Eboracensis cum Honorio eum Archidiaconatum contulisset, Capitulum vero Rogerio quasi collatione ad se devoluta ex Concilio Lateranensi, et proprio privilegio quodam Cœlestini III. ob cessationem, et moram Archiepiscopi Eboracensis longiorem, qui sero admodum eam dignitatem Honorio contulerat, nempe post sex menses, post quos hoc casu moræ emendatio non est, ut recte sentiunt omnes, quia ipso jure statim jus conferendi devolvitur ad Capitulum. At quia Capitulum etiam eam dignitatem Rogerio sero admodum concesserat, puta post sex menses, et quia igitur Capitulum in eodem vitio versabatur, definitur in *cap. 3. de suppl. neg. Præl.* ejus dignitatis collationem devolutam esse ad Romanum Pontificem, et neque Honorium igitur, neque Rogerium ea rite, et ordine donatum esse. Pronuntiaverat idem Pontifex primum pro Honorio, *cap. 7. de concess. præb. inf.* Deinde cognito jure suo pronuntiavit pro seipso, *d. cap.* 3. Ac priusquam hoc ita definiretur, Rogerius, quæ est species hujus capitis, factus in possessionem Archidiaconatus, quia Honorius eum de possessione detruserat, egerat in eum interdicto restitutorio coram judicibus a Romano Pontifice delegatis. Qua delegatione postea revocata ab eodem Pontifice postulata Honorii, desiderabat Honorius quædam dicta testium ad eam causam pertinentia aperiri, et publicari, contradicente Rogerio, qui eos testes in ea causa, quæ vertebatur inter ipsum et Honorium, dicebat non fuisse productos, sed in alia causa, quæ acta fuerat inter ipsum, et Archiepiscopum Eboracensem; et secundum Rogerium Pontifex judicat in hoc capite, quod in alia causa non possit quis eorum testimonio uti, qui id in alia causa perhibuerint pro eodem. Denique quod quis non possit uti testimonio eorum: quos ipse non produxit in hac causa, etiamsi produxerit in alia, ut possit tamen eos ipsos in hac causa producere, sed non productis in causa, quamvis productis in alia, ut non possit uti testimonio eorum quæ est sententia ultimæ clausulæ hujus capitis, cui locus est generaliter, et in quolibet alio genere probationis. Quæ enim mihi probatio profuit in una causa, non etiam prodest in alia, aliter quam si in aliam eamdem probationem exhibuero, *l. 12. de jurejur.* quam plurimum certe facit ad hunc locum, non notatur tamen.

AD CAP. *Præsentium*. XXXI.

Quod habuimus ante in *cap.* 15. idem ostenditur in hoc cap. 31. testes etiamsi eorum testimonia publicata jam sint, excipi, et refelli posse post publicationem, hoc tamen addito, ut qui eos refellit non aliter audiatur, quam si prius præstiterit juramentum calumniæ; puta se sincera mente non calumniæ causa eos refellere: exceptis duobus casibus, quibus juramentum illud remittitur, si ante publicationem protestati fuerint se habere justas causas testes excipiendi, et reprobandi: item si docuerint se post publicationem demum didicisse exceptionum causas, quas nescierant ante. Etiam hoc additur in extremo huj. cap. ut qui post publicationem testes refellit contra se productos, non possit postea eos pro seipso producere ulla in causa, ut quemadmodum testes, quos quis probavit semel, qui vulgo testes affideti dicuntur, postea reprobare non potest, *l. Si quis testibus. C. eod. tit.* ita reprobatos semel, postea probare non posse. Quæ est sententia, ut alibi docuimus, *l. Produci. D. eod. tit.* hanc inconstantiam ferendam non esse.

AD CAP. *In nostra*. XXXII.

Quod est in hoc *cap.* 32. sumptum est ex *l. Ob carmen. §. ult. D. eod. tit.* ut et pars *cap. 27. sup.* nempe hoc, productis testibus utraque ex parte impari numero non eumdem sermonem afferentibus, sed diversum, vel adversum, si omnes sint qualitatis, honestatis, dignitatis, et æstimationis ejusdem, prævalere eam partem, quæ numero præponderet; sin vero non omnes sint pares, et alii boni sint, alii mali, eorum testimonia potius esse credendum, qui meliores sunt, etiamsi pauciores sint, dicitque tunc præponderanda esse testimonia, non numeranda, et, ut ait *d. l. Ob carmen*, non ad multitudinem testium respiciendum esse, sed ad sinceram testimoniorum fidem, et testimonia, quibus potius lux veritatis adsistit. Ubi autem testes ab utraque parte producti, non dispari sunt numero, nec dispari qualitate, eis potius credi oportet, qui pro reo faciunt, *cap. 3. sup. tit. proæ.* favorabiliores sunt rei, quam actores. Et sic re acta inter duos sine testibus, si ambo sint pares, seu boni pariter, seu mali, reo potius credendum esse censet Cato apud Gellium *lib.* 14. *cap.* 2.

AD CAP. *Tam literis*. XXXIII.

Hoc cap. est de electo in Episcopatum Lucensem, cui objiciebant quidam ex Capitulo Lucensi bigamiæ irregularitatem, quod cum vidua matrimonium contraxisset olim, quo in quæstione censet Pontifex etiam laicum, et fœminas testes natæ et expertæ fidei admitti contra electum. Hoc est speciale in causa tantum irregularitatis, ut ait. Excipiuntur et alia quædam vitia, sive crimina. Ceterum regulariter in causa criminali laicus adversus clericum non auditur, ut docui in *cap. 14. sup.* At si causa irregularitatis, quæ per bigamiam contrahitur, per testes illos irregularitas probata perspicue, et plene non fuerit, recte censet Pontifex, non ante absolvendum electum, quam se purgaverit a diffamia illa (ut utar verbo D. Augustini) productis septem scilicet Sacramentalibus, ut vocantur, sive conjuratoribus ex eodem corpore, sive Capitulo, vel ex alius ecclesiæ ejusdem civitatis, qui jurent se credere quod ille jurat de innocentia sua esse verum, quæ purgatio canonica dicitur, quia jure comprobata est. Alia est purgatio vulgaris, quæ improbatur, ut quæ fit sub incerto duelli, vel quæ manu prehensa, et ignito vomere, vel manumissa in ignem, vel in frigidam, vel fervidam, *cap.* 1. 2. 3. 7. *inf. de purg. vulg.* Ivo Carnotensis Episcopus in epistola 91. *Nonomachiam, id est, duellum*, inquit, *et ferri calidi examinationem, nec consuetudo ecclesiastica in discutiendis causis ecclesiasticis recipit, nec canonica auctoritas instituit.* Bene, in *discutiendis causis ecclesiasticis*: nam in aliis causis idem ipse Ivo suo tempore eam probandæ suæ innocentiæ rationem admittit in epist. 251. At eidem electo Lucensi præter irregularitatem supradictam, quædam alia crimina iidem accusatores objiciebant, quia ea non probabant testibus legitimis, vel singularibus tantum; quæ testimonia non recipi jam didicimus supra *cap.* 9. vel de auditione tantum, vel fama loquentibus, quæ probationes etiam per se solæ infirmissimæ sunt, ut docimus *cap.* 20. et 27. *sup.* Ideo ii accusatores exclusi sunt, et absolutus Episcopus, sive electus: quia et iidem accusatores, qui falsas literas quasi scriptas ex consensu senioris, et majoris partis Capituli ad Romanum Pontificem attulissent, suspenduntur hac conditione ab omni officio, et beneficio tanquam falsarii. Qua de re est etiam *cap. 8. tit. seq.*

AD CAP. *Cum autem*. XXXIV.

Agebat Archidiaconus Menevensis ecclesiæ, sic est legendum, qui *est in principauté de Galles* nec enim idem est Anglia, et Vvallia, sub eodem tamen rege, *c'est un autre pays*: agebat, inquam, Archidiaconus Menevensis, quæ est prima Ecclesia Episcopalis in Vvallia, hodie vocatur illa ecclesia S. Davidis, ut Polydorus Virgilius scribit; unde et Petri, et S. Davidis episcopi mentio apud Matthæum Westmonasteriensem: ille, inquam, Archidiaconus agebat apud Pontificem Romanum contra Archiepiscopum Cantuariensem, quod absente Episcopo Menevensi (cujus vicem Archidiaconus gerit in omnibus, *cap. 1. sup. de offic. Archidiac. cap. 13. sup. de restitut. spol.*) Archiepiscopus Cantuariensis, ac si ei subesset Episcopatus Menevensis, omnia ageret, et administraret tanquam Metropolitanus: cum ex contrario Archidiaconus contenderet Menevensem esse Archiepiscopum Vvalliæ, nec ullo modo subesse Archiepiscopo Cantuariensi, qui est in Anglia, non in Vvallia. Quam in rem datis judicibus Pontifex Romanus mandat, ut post litem contestatam testes recipiant ab utraque parte, quos scilicet Archiepiscopus in Anglia, et Archidiaconus produxerit in Vvallia, vel etiam ut testes recipiant ante litem contestatam, quos produxerit Archidiaconus, videlicet si Archiepiscopus per contumaciam abesit, nec appareat, nec procuratorem idoneum mittat, et periculum sit, ne testes, qui forte senio confecti, aut valetudinarii sunt, homines esse desinant, ut *cap. ult. ut lite non contesta*. illo loco *Senes et valetudinarii*, cui et in hoc *cap.* 34. similis hic est: *Testes maxime senes et valetudinarii.* Hoc quoque ostenditur in *d. cap. ult.* quemadmodum in contumaces lite non contestata procedatur ad testium receptionem quorumcumque, etiamsi juvenes, robusti, et valentes sint, et ad definitivam sententiam, quod et nos fusius ibi exposuimus. Et in casu quoque hujus cap. 34. sententiam definitivam ferri

posse, quamvis lis contestata non sit, extrema verba indicant *sententiam receptam*, quæ proculdubio definitiva sententia accipienda sunt.

AD CAP. *Ex tenore.* XXXV.

Species hujus cap. hæc est: *Lucius Titius cum diceretur Semproniam duxisse in matrimonium, et ob eam idem peteretur suus esse maritus, contra objiciebat, id matrimonium, quod dicebatur cum Sempronia contraxisse, justum non fuisse, propterea quod jam ante aliam duxerat uxorem, quod etiam probabat testibus a se productis, qui loco et tempore expresso affirmabant, eum jam antea cum alia matrimonium contraxisse. Testes autem producti a Sempronia, sequenti tempore tantum, posteriore tempore dicebant eum duxisse Semproniam.* Inde quærebatur, *post publicationem attestationum utriusque partis an admittenda et audienda esset mulier, quæ alios testes habebat in promptu, quibus probaret eo tempore, quo Lucii Titii testes certo quodam loco et tempore dixerant, eum priorem uxorem duxisse, Lucium Titium non eo loci, sed alibi fuisse, si eos testes Sempronia producere vellet?* Et respondet Pontifex, *novum hunc articulum fuisse, et super articulo novo recte admitti novam productionem testium, etiam post publicationem priorum, qui super aliis causis interrogati sunt.* Qua de re diximus satis in cap. 17. 19. 25. et 29. sup.

AD CAP. *Significaverunt.* XXXVI.

Lis erat in agro Parisiensi de Prioratu Argentolii, qui propriius Lutetia abest inter Canonicos Sancti Dionysii, et Moniales *de Forcelles*, hodie dicitur, *de Celles*, et cum egissent primum moniales adversus monachos judicio petitorio, et testes produxissent, quibus proprietatem ejus prioratus ad eo pertinere probarent: mox mutato, vel suspenso judicio petitorio de proprietate transierunt ad possessorium, quod jura permittunt, cap. 5. *sup. de caus. possess. et propr. l. Cum fundum*, §. *ult. D. de vi et vi arm.* Et id quoque in antiqua Decretali proponitur, judices delegatos in hanc litem per interlocutoriam sententiam pronuntiasse de consilio prudentum, et declarasse jure licitum esse, nempe ei, qui cœpit agere petitorio, nondum finito eo judicio, et possessorium judicium introducere posse. Egerunt autem Sanctimoniales illæ interdicto unde vi, quod de possessione ejus Prioratus antecessores suæ vi dejectæ fuissent, quasi eo interdicto ad se transmisso successionis jure, sicut legibus proditum est, interdictum unde vi hæredi, et cuilibet successori ex persona defuncti competere, l. 1. §. *Hoc interdictum. de vi et vi arm.* Et cum in eo judicio possessorio testes producti essent ab utraque parte ex parte Sanctimonialium, quæ probarent decessoribus suis vi ereptam possessionem, ex parte monachorum, qui probarent, eos diu sine vitio Prioratum possedisse: cumque jam pro sua parte monachi testes tertium produxissent, et inibi res esset, ut testimoniorum apertura et publicatio fieret, desiderarunt ante publicationem illarum trium productionum, ut sibi liceret tribus illis productionibus quartam adjungere. Quo desiderio frustrati per sententiam interlocutoriam judicum delegatorum, appellaverunt ad Romanum Pontificem intra dies decem a tempore sententiæ interlocutoriæ, ut oportet ex *Novel. Justin.* 33. et *cap. cum dilectus. in fine, sup. de elect.* ubi tamen in editione Plantini male legitur *decennium*, pro *decendium*, quæ tamen barbara vox est. Et Pontifex rescribit quidem in hoc cap. quartam productionem testium monachis esse permittendam juris aut communiendi causa: si modo eam petierint servata solemnitate juris, ea scilicet, quam jam ante exposui *sup. cap. 15. ex Novel. Justin. de testib.* et *cap. pen. hoc t. inf.* Quam quidem solemnitatem si forte monachi eos probaverit se observasse, et consequenter si constiterit repulsos eos a quarta productione non jure appellasse, vel etiam non appellasse intra decem dies, censet Pontifex damnandos esse eos ad solvendas monialibus ejus litis expensas legitimas, in simplum scilicet, olim jure Romano in quadruplum, ut Paulus scribit 5. *Sentent. in fine.* Præcipit autem judicibus delegatis, ut prius cognoscant de possessione quam de proprietate qui est solemnis ordo juris, l. *Ordinarii. C. de rei vindic. cap. ult. sup. de judic.* vel etiam simul de utroque cognoscant, *C.* 3. 4. et 6. *sup. de caus. poss. et prop.* quod et licere Symmachus in epist. ad Theodosium docet, *si casus tulerit*, inquit, puto quod in hoc cap. traditur, si de proprietatis causa jam judici liqueat satis. Hoc casu cur non et de proprietate judicabit simul?

AD CAP. *Cum causam.* XXXVII.

Hoc caput est de causa, quæ vexata diu fuit inter Albertum Archiepiscopum Ravennatem, et Rempub. Faventinorum in Italia ob villam Luci, et Sancti Politi, et oppidum Aureorum, quod situm est in colle Foroliviensi, ut Hieronymus Rubæus scribit in 2. et 6. historiæ Ravennatium, ad quam causam didicimus jam ante etiam pertinere, c. 9. *sup. tit. prox.* et c. *pen. sup. de juram. calum.* In hac vero causa sive lite, cum super ea lis fuisset contestata, præstitumque ab utraque parte jusjurandum calumniæ apud Romanum Pontificem, *d. cap. pen.* et nimis onerosum ac molestum esset utrique parti suis sumptibus, ut fit, testes producere ad eundem Pontificem, ideo mandat in hoc cap. Pontifex Episcopo Placentino, ut testes productos ab hac, vel illa parte super negotio principali, vel super exceptionibus testium, *sur les reproches*, ex adversa parte productorum recipiat, et eos diligenter examinet, et interroget de circumstantiis singulis, quas Græci Rhetores περιστάσεις, etiam singulæ per se circumstantiæ ad rem, de qua agitur, confirmandam non admodum valeant: quia etsi singulæ parum valeant, tamen coacervatæ multum valent. Vox est Hilarii Episcopi, *circumstantiæ illuminant dicta.* Et sic, ut testes interroget de causis, quibus inducti fuerint ad perhibendum testimonium, de personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, certitudine. Hæ sunt circumstantiæ, de quibus testes rogandi sunt sigillatim veritatis eruendæ causa. Et hæc omnia literis præscripta, et sigillo Episcopi Placentini obsignata jubet Pontifex in hoc cap. ut Episcopus Placentinus ad se transmittat, sibi enim reservat judicium hujus litis. Mandat etiam Pontifex eidem Episcopo, ut Faventinos, si forte per eos fiat, quo minus testes ab Archiepiscopo Ravennate producantur et audiantur, coerceat inflicta excommunicatione, ut *cap.* 33. *sup.* Cohibet etiam Pontifex in hoc *cap. effrenatam*, ut loquitur, *multitudinem testium*, definiens, ne plures, vel Archiepiscopus, vel Respublica pro sua parte testes in judicium producat quam quadraginta, quod refert etiam idem Pontifex in *cap.* 4. *de probat. in tertia collectione.* Respicit autem Pontifex ad id, quod ait, *l.* 1. §. *ult. D. eod. tit.* ex Constitutionibus Principum licentiam producendorum in medium multorum testium ad sufficientem numerum eo coarctari, *ne effrenata*, inquit, *potestate ad vexandos homines superflua multitudo testium protrahatur. Ad sufficientem*, inquit, *numerum*, quod et de quolibet probationum genere dici potest, ut *cap.* 10. *eod. t. in tertia collectione. Postquam*, inquit, *fuerit sufficienter allegatum, ut celerius lites expediantur*, ut *cap.* 30. *sup. h. t. si sufficiens*, inquit, *productio testium facta fuerit.* Qua ratione etiam dicitur in *cap. prox. sup. ne adhibita quod in solemnitate legitima quartam productionem testium admitti, si effrenata sit multitudo testium.* Quod nimirum est, resecari oportet: vitiosum enim ubique est, quod nimium est. Non est etiam omittendum quod et hoc cap. ostenditur, prius in hac causa ex parte Faventinorum productos testes quosdam receptos esse ab Episcopo Ferrariensi, a quo, ut puto, appellatum fuit ad Romanum Pontificem, quos quidem testes vult, in hoc cap. volentibus Faventinis cedere in numerum quadragenarium apud Episcopum Placentinum sine nova productione, quia alia causa non est. Mutatio judicii non facit aliam causam, *l. Ita demum. C. de procurat.* si alia causa esset, opus esset eorundem testium productione nova, si et iis in alia causa quis uti vellet, *cap.* 30 *sup.* ut et si necesse fuerit eosdem produci apud Episcopum Placentinum, hic, ostenditur recte eos produci, si modo eorum attestationes clausæ hactenus, non apertæ et publicatæ fuerint. Hæc est sententia extremæ clausulæ hujus cap. quam glossographi non tenent.

AD CAP. *Veniens.* XXXVIII.

Controversia erat inter Cajum et Titium de Decanatu ecclesiæ Arvernorum, sive Claromontis, quem Cajus ad se pertinere dicebat, fretus quadam sententia Lemovicensis Episcopi: Titius vero fretus electione Capituli ejusdem ecclesiæ, de qua electione et protinus faciebat fidem prolatis testibus, instrumentisque, nempe ut moram faceret executioni sententiæ, quam Cajus persequebatur, et fieri omni contentione postulabat coram Romano Pontifice. Probata vero electione, et hoc sequebatur, Titii maxime interesse, ne ea sententia temere ad effectum perduceretur. Unde et impleta ea probatione, quæ impleri, ut dixi, protinus debet et incunctanter, morandæ executionis causa Pontifex interlocutus pronuntiavit, justam causam videri Titio esse litigandi adversus Cajum de dignitate, seu Decanatu supradicto, et mox lite contestata inter Cajum et Titium de re omni, quæ venerat in controversiam, quærebatur, an probatio illa, quæ recepta fuerat ante litem contestatam, et praiste ex parte Titii, suæ electionis approbandæ causa, esset recipienda post litem contestatam. Et Cajus quidem illam admittebat salvo jure exceptionum suarum, *de ses reproches.* Titius non admittebat, nec admittendam esse censebat sine productione nova, adjiciens sibi esse integrum post litem contestatam eosdem, vel alios testes in hoc judicium producere. Ex diverso Cajus contendebat, quia jam facta erat publicatio supradictæ probationis, non licere Titio alia productione uti, ex *cap.* 17. *sup.* quod et alia pleraque consentientia habet. At Pontifex pronuntiavit utrique parti in hoc judicio, quo principaliter quæritur ad quem Decanatus pertinet, licere testes producere tam super quæstione illa principali, quam super sententia Lemovicensis Episcopi lata pro Cajo, quæ dicebatur injusta, vel nulla, et super electione Titii facta ex consensu Capituli. Ergo, quod maxime notandum, post publicationem testimoniorum productorum super articulo aliquo ante litem contestatam, licet post litem contestatam, super eodem articulo simul, et negotio principali omni alia testium aliorum, et eorum productione uti. Hæc est summa sententiæ hujus cap. eaque valde singularis, cujus ratio probabilis hæc est, quod videatur prior productio, ante litem contestatam scilicet, ex necessitate facta potius nimia præpropere et festinanter executionis morandæ causa, quam jure legitimo. Non puto extare similem locum in hoc jure, ideoque summe notanda est. Nam sententia cap. 44. *inf.* quam eandem esse putant, longe alia est, ut ibi a me explicabitur, et liquido demonstrabitur. Causa vero, qua de hic agitur definienda mandatur *Abbati novem fontium*, sic est legendum in inscriptione: non, *de novo fonte*, et *Abbati Casæ Dei, de case Dieu en Auvergne.* Constat hodie Abbatiam esse in diœcesi Arvernorum. Et additur etiam in extremo hujus cap. ut Canonici Claromontensis ecclesiæ, *de Clairmont*, si forte excommunicati fuerint, absolvantur, quo possint liberi in hac causa rogati de electionis jure et ordine testimonium dicere, quia ea res non facile probari potest nisi per Canonicos, qui electionem fecerunt. Et sic Honorius III. in *cap. ult. de judic.* in quinta collectione: *Si contra illos*

monachos, inquit, *excommunicationem ad impediendum causæ processum opponi contingat, absolvimus eos ad cautelam.* Quid hoc est *ad cautelam*? quibus verbis utitur etiam in cap. *ad cautelam*, ne tali prætextu valeant, inquit, repelli an agendo, vel testificando, qui locus hunc maxime illustrat.

AD CAP. *Tuis quæstionibus.* XXXIX.

Jam didicimus in cap 6 et 12. *sup.* in causis ecclesiæ, vel in causis monasterii clericorum ejusdem ecclesiæ, et monachorum ejusdem monasterii testimonium admitti, sed non injuratorum, nisi adversarius eis jusjurandum remiserit, quod solum in hoc cap. proponitur, et ad idem facit cap. 51. *inf.* ne religiosis quidem hominibus invito adversario jusjurandum remitti, si producantur testimonii causa. Non admittitur etiam eorum testimonium, nisi ex inopia aliarum probationum, quia causa Ecclesiæ quodammodo propria ipsorum causa est, *cap* 26. §. *ult. inf. de jurejur.* Idem Pontifex Innocentius III. in registro, sive regesto suo scribens, *Decano, et Capitulo Eboracensi, ne,* inquit, *pro defectu testium, causa maneat indecisa, quæ est inter Episcopum et Capitulum super consuetudinibus Ecclesiæ, liceat Procuratori Capituli tres, vel quatuor de Canonicis ejusdem ecclesiæ viros omni exceptione majores (sans reproches) inducere ad testimonium perhibendum veritatis, quibus tanquam legitimis testibus, sine dubitatione credatur.* Locus est insignis. Conjungendum autem est hoc cap. cum *cap.* 23. *inf. de præb.* cujus inscriptio est eadem, et initium idem.

AD CAP. *Dilecto.* XL.

Ex hoc cap. intelligimus, si ex pluribus judicibus delegatis in causa aliqua, cui res, super qua litigatur, cognita liquido et comperta sit, quem unus ex litigatoribus evocet in testimonium, id est, quo desideret uti teste potius, quam judice, in locum ejus alium judicem subrogandum esse, ut deposito munere judicandi testis personam suscipiat: nec enim potest esse testis, et judex, et vel hujus, vel illius personam suscipere debet. Hoc vero æquissimum esse videtur, cum et judex ipse ultro in re sibi nota testis, quam judex esse malle debeat, maxime si quod in veritate est, non probetur, vel si contra id quod in veritate est, quicquam falso approbetur. Et huic Constitutioni omnino congruit conventque lex illa Platonis II. de legibus ἐάν τίς τινὰ δικάζοντα ἀνγκάσηται μάρτυρα, καὶ μαρτυρήσῃ οὐκ ἐπιδικάσει δικάζειν. Id est, *Si quis quem ex judicibus vocaverit ad testimonium dicendum, et testimonium dixerit, jam non potest amplius in ea causa judex esse.* Causa vero, de qua hic agitur, vertebatur inter Præpositum Atrebatensis ecclesiæ: corrupte hic legitur *Ariensi*, pro *Atrebatensi*, et inscriptione etiam, atque textu corrupte, *Abbati Pedemensi*, pro *Abbate de Danis, vel Dunensi*, qui est in diœcesi Montensi, et duxit nomen a civitate Duaie, cujus in Annalibus Flandriæ meminit sæpe Jacobus Mejerus: vertebatur, inquam, inter Præpositum Atrebatensis Ecclesiæ, et Joannam Byzantinam comitem Flandriæ, quæ jus sibi esse asserebat conferendi in Ecclesia Atrebatensi sacerdotales præbendas sex, contradicente Præposito, et earum collationem ad se, non ad aliam pertinere asserente. Etiam laici, aut feminæ jus concedendi præbendas habere possunt, tanquam patroni patronæve ecclesiarum, in quibus præbendæ fundatæ et constitutæ sunt, quod et de hac ipsa comite Flandriæ significat *cap. ult. inf. de concess. præb.* In hac vero causa a Romano Pontifice datis judicibus Episcopo, et Decano Atrebatensi, et Abbate Dunensi, desiderante Præposito, qui Decanum testimonio in ea causa ferendo, tanquam gnarum totius rei, super qua litigabatur, quam judicando aptiorem esse dicebat, propter inopiam probationis, quia alii non erant, qui ea de re testificari possent, quam Decanus ipse, et alius quidam, merito in locum Decani substituitur Abbas Ursicampi, *qu'on appele d'Ourchamps*, qui est in diœcesi Noviodunensi, et uterque Abbas Dunensis, et Ursicampi ordinis Cisterciensis. Rescissa autem est suspensio Præpositi, qui suspensus fuerat a donatione earumdem sex præbendarum sacerdotalium, suspensus, inquam, post appellationem a se interpositam a judicibus delegatis, eo quod non admisissent supradicti Præpositi petitionem desiderantis, aut illos judices remoto Decano, de causa cognoscere, aut omnino non cognoscere, quoad alium judicem in locum Decani Romanus Pontifex subdidisset, quæ est decisio hujus cap. Ait, *præbendarum sacerdotalium*, quia aliæ sunt sacerdotales, quas soli sacerdotes obtinent cum onere faciendi sacra; aliæ non sacerdotales, quæ isto onere solutæ sunt, aliæ item integræ, aliæ dimidiatæ, aliæ majoris emolumenti, aliæ minoris, *cap.* 27 *de præbend. in* 6. *cap.* 11. *inf. de concess. præb.*

AD CAP. *Significavit.* XLI. et CAP. *Albericus.* XLIII.

Sequitur c. 41. cui adjungam etiam interpretationem c. 43. quoniam ad idem spectant. Pertinet cap. 41. ad diœcesim Sabinensem, cujus quidem diœceseos Episcopus non discedit a latere Pontificis Romani, discedit semper ab Ecclesia sua, cui tamen ob eam rem quasi vicarium præficit, quem vocant *Vicedominum*: ipse est dominus, omnesque Episcopi domini, unde vox illa: *Jube domne benedicere*, quæ dirigitur ad Episcopum, qui præsens adest, et hoc jam ante docuimus in *cap.* 15. *sup. de judic.* In inscriptione, hujus *cap.* Vicedominus ille judex appellatur *judex Sabinensis*. Cum autem in ea diœcesi quidam fundasset Ecclesiam S. Nicolai nullo sibi retento jure patronatus, ne periret hujus munificentiæ memoria, atque probatio, presbyter in ea Ecclesia constitutus, superstites præsentes, et scientes hujus liberalitatis desiderabat audiri, eorumque testimonia in literas referri, quod Pontifex annuit in hoc cap. ut *cap. ult.* §. 1 *sup. ut lite non contest.* et nunc recepit, eamque rationem conservando memoriæ rerum gestarum, et transferendæ ad posteros vocat examen ad futuram et æternam rei memoriam. Verum exigit Pontifex, ut qui ita fit testium ex scripto commentarius, fiat denuntiatis quoque ex scripto, et præsentibus, si adesse velint, Ecclesiæ fundatoribus, vel hæredibus eorum. Eadem ratio servatur in cap. 43. cujus interpretationem huic cap. conjungam. Si ex non scripto pronuntiaverit Ecclesiæ Capitulum inter virum et uxorem divortii sententiam, ne pereat hujus rei memoria, quia religiose conservari maxime liberorum interest, quos postea vir creaverit ex justa uxore, testes, qui judicio interfuerunt, quod fecit hoc Capitulum, audiuntur, et interrogantur, eorumque dicta in publica monumenta rediguntur, *c'est un autre examen à futur.* Et inde obiter notandum, de causa matrimonii retinendi, vel dissolvendi Capitulum ecclesiæ Episcopalis cognoscere posse, vacante scilicet Episcopatu, ut Hostiensis supplet recte hoc loco. Idemque Hostiensis negat esse verum, quod hinc Tancredus et Bernardus colligunt, in causa matrimonii sententiam dictam valere, etiamsi ex libello, sive periculo recitata non fuerit: cui quidem Hostiensi etiam hoc in re subscribo, non qua ratione ille nititur, qui verba hujus cap. manifeste calumniatur, sed quia non in causa matrimonii tantum, sed etiam in qualibet alia causa idem statui potest Capitulo judicante, qui Senatus ecclesiæ dicitur a D. Hieronymo: nam si illustris judex verbo sententiam dicit definitivam, interlocutoria enim cujuslibet judicis verbo fertur, non scripto, et regulariter definitiva scripto fertur: verum, ut dixi, excipitur judex illustri dignitate præditus, qui verbo sententiam dicit. Et si judex illustris, cur non etiam licebit senatui Ecclesiæ verbo definitivam sententiam dicere? De illustri judice proditum hoc est in *l.* 2. *C. de sent. ex peric. recit.* et a Cassiodoro in formula præfecti prætorio: *Verbo*, inquit, *sententiam dicit, quid est, quod non habeat commissum cujus est ipse sermo judicium?*

AD CAP. *Cum causa.* XLII.

Cum hoc cap. conjungendum, est *cap. pen. inf. de empt. et vend.* Abbas, et Monachi S. Martini Viterbiensis, qui sunt Cisterciensis ordinis, adversus cives quosdam Viterbienses, quibus vendiderant possessiones quasdam, egerunt apud Romanum Pontificem actione ex vendito ad rescindendam venditionem, ex *l.* 2. *depos.* egerunt hoc modo, quod dicendo minoris eas possessiones vendidissent, sive quod in venditione circumscripti fuissent ultra dimidiam justi pretii, qua in judicio ab utraque parte testes producti sunt: ex parte monachorum, qui dicerent simpliciter non redditis causis circumscriptos illos esse ultra dimidiam justi pretii, ex parte Viterbiensium civium, qui dicerent longe secus. Et Pontifex *inspectis, diligenter*, ut ait, *attestationibus, publicatisque*, uti fieri solet, ante rem judicatam, pronuntiavit circumscriptos monachos videri ultra dimidiam justi pretii: et ideo juxta *l.* 2. *C. de rescind. vend.* aut restituendas venditoribus possessiones esse, ac vicissim restituendum emptoribus pretium, quod solverunt, aut supplendum, quod justo pretio constaret defuisse venditionis tempore, prout emptores elegerint, *d. cap. pen.* Unde orta est alia quæstio, quanti revera possessiones essent venditionis tempore, in qua, qui ab utraque parte producebantur testes jubet Pontifex recipi ab Episcopo, et Archidiacono Viterbitano, sic legendum, quæ civitas vicina Viterbo in Thuscia, et causam audiri, ac deinde omnia testimonia, et acta ad se remitti. Inde etiam suborta est alia quæstio, an in hac quæstione, quanti possessiones essent venditionis tempore, admittendi essent idem testes, qui priori judicio a monachis producti erant apud Romanum Pontificem. Dubitationem faciebat publicatio eorum testium, quæ peracta erat, ut posui. At quia non eadem quæstio prioris judicii fuit, quæ posterioris: illa enim de circumscriptione, hæc de pretio vero et justo venditarum possessionum, quasi in quæstione, sive articulo novo, recte definit Pontifex, eosdem testes produci, et recipi posse, ut *cap* 17. 19. 25. et 35. *sup.*

AD CAP. *Cum in tua.* XLIV.

Proponitur in hoc cap. alius casus, quo etiam post publicationem iidem testes rursus admittuntur, si non sit eadem causa posterior, in quam rursus admittuntur, et prior, in qua jam admissi, et publice evulgati sunt, ut puta, si cum quæreretur de contrahendo matrimonio, an scilicet contrahi possit inter aliquos, tales producti sint, iidem etiam post publicationem, si matrimonio jam contracto quæratur, an jure contractum, testes produci possunt, quia alia quæstio hæc est, illa de contrahendo, hæc de jam contracto. Species est ejusmodi: *Cum ageretur de matrimonio contrahendo inter aliquos, si nullum subesse inter eos cognationis impedimentum per undecim, vel duodecim propinquos, eosdemque juratos probatum fuerit, potiores hi testes sunt, quam qui post contractum matrimonium ob causam proximitatis cum jurejurando testificantur, id non esse justum, videlicet si et in hoc posteriore judicio propinquiores illi, prioresque testes idem affirmaverint: quibus*, inquit, *in hoc casu non potest objici exceptio, si non parti sua jam eorum testimonia innotuerunt, vel si non jam eorum testimonia publicata fuerunt, quod idem est. In hoc casu*, inquit, non in hac causa. Nec enim speciale est in causa matrimonii, quod gl. volunt tamen, ut post publicationem iidem testes admittantur. Hoc, ut dixi, volunt, non minus falso, quam quod in *cap. prox. sup.* in causam matrimonii speciale esse, ut sententia definitiva ex non scripto nuncupari possit. Sed in hoc certo

caeu, nbi scilicet alia causa est, in qua iidem testes producuntur, puta si prior de contrahendo, posterior de jam contracto matrimonio fuerit, nihil vetat, etiamsi qum in priore dixerunt publicata fuerint, eos audiri in posteriori. Specialis quidem hoc est in causa matrimonii, ut propinqui sint testes idonei, *cap. 5. sup. cap. 27. inf. de sponsalib.* quod cum isto conjungendum est, *can. 1. 35. quæst. 6. cap. 1. de consang. et affin. in quarta collectione,* sed non etiam speciale, quod glossæ adscrant, illud est, ut post publicationem iidem testes in eadem causa admittantur. Quod desideratur in principio hujus cap. replere licet ex *cap. 30. in fin. de decim.* quod etiam cum isto conjungendum est. Et ita explicandum est hoc *c.* 44.

AD CAP. *Constitutis.* XLV.

Quod didicimus *sup. ex cap.* 33. *et* 37. excommunicationem infligi iis, per quos fit, quo minus in litibus testes exhibeat pars altera, cujus interest exhiberi eas et exaudiri; idem habetur in *hoc. cap.* 45. Quod item habuimus in *cap.* 18. *sup.* eos, qui de re qua de litigatur, testes interrogari possunt, non ideo minus interrogari, et interrogationibus respondere, quod jurejurando adacti fuerint ne illud deferrent, ab uno scilicet ex litigatoribus, cujus maxime intererat eos facere, et non interrogari: nec enim huic jurijurando standum esse: idem habetur in *hoc cap. et cap. pen. inf. de accusat.* Etiam hoc additur in hoc cap. Archiepiscopum Surrentinum simoniæ reum postulatum suspendi ab officio Episcopali, seu Pontificali, nisi caverit cognatos suos, qui impedimento sunt, quo minus accusator testes, quos habet, producendos in eum, ob audaciam et temeritatem ea omni temperare, qui prohibere eos potest, et non prohibendo crimen facit suum, *l. 4. C. de noxal. act.* Vox est in canonibus frequentissima, non carere scrupulo societatis, et consensionis occultæ eum, qui manifesto crimini desiit obviare, *can. facientis* 86. *distinct. can. error.* 83. *dist. can. quod potest* 23. *qu.* 3. *can. negligere,* 2. *qu.* 7. *cap.* 47. *inf. de sentent. excommun.* Additur etiam in hoc cap. hæc ratio suspendendi Archiepiscopi ex *l. pen. C. de postul.* quia iniquam se litem fovere ostendit, et asperiri debet judicis auctoritatem a se delosam, qui adversario subtrahit defensionis et probationis copiam. Qua ratione etiam utitur in *cap. 4. tit. seq.* Et est similis lex apud Platonem 12. ἐάν τίς τινα παραγίνεσθαι δίκῃ κωλύσῃ βίᾳ, ἢ μάρτυρας etc. id est, *si quis aliquem prohibuerit in judicium venire, vel ipsum, vel testes,* et subjicit demum pœnam, quæ nec deest in jure civili extat enim tit. *ne quis eum, qui in jus vocatus est, vi eximat.* Id quod produci etiam potest ad testes vi exemptos.

AD CAP. *Cum venisset.* XLVI.

Controversia, de qua agitur in hoc c. fuit inter Annam sororem Marchionis Misnensis, et Othocarum Principem Bohemiæ, qui et Primislaus dictus est. Hic cum duxisset Annam uxorem, diuque in matrimonio habuisset, creavissetque ex ea liberos, postea repudiata ea, duxit Margaritam sororem Ducis Austriæ, quod Munsterus narrat huic cap. congruenter in *Bohemia lib. 3. Cosmographiæ.* Qua de re cum Anna querelam instituere vellet apud Pragensem Episcopum, qui in Bohemia primus est Episcoporum, et hodie Archiepiscopus est ex instituto Caroli IV. Imperatoris, et Clementis VI. Pontificis Romani, prohibita est a satellitibus Othocari ad Episcopum ingredi: idemque Episcopus coactus ab eodem Othocaro, illa inaudita inter eum et illam divortii sententiam tulit, quamvis jam ante illa appellasset ad Romanum Pontificem, quod ei non pateret aditus ad Pragensem, et ad eundem Romanum Pontificem rursus etiam provocavit a divortii sententia. Pontifex autem judices dedit sive delegavit, qui de causa appellationis cognoscerent, a quibus cum Bohemus appellasset ad eundem Romanum Pontificem, et ipsi judices delegati nihilominus in causa processissent, et testes productos ab Anna recepissent; Princeps Bohemorum testium productionem nullam esse dicebat, quasi factam post appellationem legitime a se interpositam, quo genere plane desierant esse judices, et quasi factam ante litem contestatam, contra regulam tituli, *ut lite non contestata,* etc. vel eo maxime quod Princeps diceret se non abfuisse per contumaciam, quo scilicet casu tolerari potuisset receptio testium ante litem contestatam, ut *cap. ult. eod. tit. et cap. 34. sup. hoc tit.* Contra Anna dicebat necesse esse Bohemo, etiamsi res non ita se haberet, confiteri, litem fuisse contestatam apud Episcopum Pragensem, cujus sententia nitebatur, alioquin ea niteretur frustra. Et hoc quidem confesso, consequens erat, apud judices delegatos in causa appellationis, cum in ea causa μονομερῶς agi possit, aut agi potuerit etiam Bohemo absente per contumaciam, *l. ult* §. *Illud. C. de temp. appell.* non fuisse necessariam in causa appellationis litis contestationem, sufficere litis contestationem factam apud Pragensem Episcopum, cujus sententia cum niteretur Princeps Bohemiæ, necesse erat eum fateri litem fuisse contestatam apud Pragensem, alioqui sententia divortii non valeret, dicta scilicet ante litem contestatam. At Bohemus dicebat, se paratum esse purgare contumaciam, si quæ subesset, aut argueretur, atque ideo neque se repelli ab agendo debere, neque testes a se productos a testimonio perhibendo. Ad hæc omnia Pontifex mandat Magdeburgensi Episcopo, et Præposito Salisburgensi, sic legendum in inscriptione, ut testes utrinque productos recipiant eosdem, vel alios, vel testes, quos duxerint producendos super his, quæ hoc in negotio gesta sunt, vel a Pragensi Episcopo, vel a posterioribus judicibus delegatis, præsertim cum testimonia eorum, quos Anna produxit, publicata nondum fuerint, nec renuntiaverit etiam ipsa ampliori productioni testium: nam post publicationem, et renuntiationem iidem, vel alii testes in eadem causa non admitterentur, *Novel. de testibus, cap.* 17. 29. 35. *sup.* Hæc vero omnia, ut narravi in controversia hac processisse, xxx non sunt expressa in hoc cap. Ceterum ea concinnavi partim ex antiqua Decretali, quæ extat in quarta collectione, eodem tit. partim ex alia eademque, quam legi in registro Innocentii III. Proposita enim fuit in duobus locis, et utroque vario, et imperfecte, ut plerumque omnes Decretales decurtatæ sunt, verum alia ex alia sarciri et repleri potest. Illo autem loco hujus c. *sed a satellitibus ejusdem prohibita,* intellige ejusdem Principis Bohemiæ, ut Hostiensis, quod et in antiqua Decretali expressum est. Male vulgo interpretantur, *ejusdem Pragensis Episcopi,* qui sane satellites non habet, Satellites sunt δορυφόροι, sive stipatores, custodesque corporis.

AD CAP. *Licet.* XLVII.

Cum erant olim affinitatis, et cognitionis ratione vetitæ nuptiæ usque ad septimum gradum, non immerito in causis matrimonii, in quibus quærebatur de cognatione sive affinitate conjugum, aut sponsorum vel speratorum, testimonium de auditione recipiebatur, *cap. 2. de sobol. susc. ex secund. nupt. in prima collectione, cap. 1. de consanguin. et affinit. in quarta collectione, can. de parentela* 35. *quæst.* 6. *cap. 5. hoc t.* quia plerumque omnis de auditione testimonium testes, qui in ejusmodi causa proferebantur, ferre poterant. Non poterant scilicet liquido dicere se vidisse, aut scivisse, propter brevitatem humanæ vitæ, sed poterant tamen dicere se a duobus, aut tribus ex majoribus suis fide dignissimis audivisse, jam diu accepisse, didicisse cognationem inter sponsos, vel conjuges intercedere. Hoc igitur, ut ait in princ. h. c. necessitas extorsit, ut de auditione testimonium reciperetur, quod vix ferret brevitas humanæ vitæ, ut testificari quisquam possit de visu vel certa scientia. At hodie Concilio Lateranensi habito sub Innocentio tertio prohibitione nuptiarum coarctata ad quartum gradum, *cap. pen. inf. de cons. et affin.* coarctatur quoque de auditione testimonium. Vix enim admittitur, præterquam si conjurati dederint plures: unius testimonium semper reprobatur, et plures fide, dignitate, auctoritate præstantes, bonæque rei homines, ut *d. cap. 5 sup.* distincte, et enucleate designatis gradibus cognationis, vel affinitatis, ut dictum est *sup. cap.* 26. et 44. Ac præterea, ut hic additur, testificantibus iisdem se aliquos ex ea cognatione, vel uno quodam graduum prædictorum quasi inter se cognatione junctos, vidisse familiariter vitam agere. Et hæc est summa sententiæ hujus capituli.

AD CAP. *Per tuas.* XLVIII.

Post publicationem testium, quod jam sæpe diximus, ait, non jure desiderare illum, qui illos testes produxit, ut iterum interrogentur, nisi ab initio ante publicationem, cum postularet eos super certis articulis audiri et interrogari, vel dolo malo, vel culpa judicis id fuerit omissum. Nam super articulis omissis, quasi super novis recte interrogantur, *cap.* 17. 19. 35. *sup.* Articuli eduntur et proponuntur, ab eo, qui testes producit, super quibus eos interrogari vult, deinde interrogantur a judice. At si super omnibus articulis interrogati fuerint, sane post publicationem denuo non interrogantur, nisi ex mero judicis officio, ubi obscura eorum testimonia sunt *cap.* 35. *inf.* Sin vero quidam articuli omissi fuerint a judice, de quibus commonefactus fuerat ab eo, qui testes producebat, super his eos interrogari iterum etiam post publicationem testium postulante ejus, qui edidit articulos necesse est. Olim interrogari testes solebant etiam ab adversario ipso, vel patrono. Asconius Pedianus in Milonianа: *Testes,* inquit, *interrogaverunt, M. Cicero, M. Marcellus, et Milo ipse qui accusabatur.*

AD CAP. *Licet dilectus.* XLIX.

Cum esset lis quædam in Hispania Episcopo Burgensi cum clericis Ecclesiæ S. Mariæ de Zoile, scribendum cum Z, idque refero, ut corrigatur, quæ quidem lis cœperat ab antecessore suo, qui hisce clericis abstulerat possessiones quasdam, et jus liberum sibi optandi Episcopum sede vacante. At cum testes productos a clericis novus Episcopus Burgensis excepisset et refutasset, quæritur, an amplius, etiamsi quæ alia se habere dicat, quæ testibus objiciat, eos refellere et refutare possit? Et respondet Pontifex, posse, productis aliis testibus: Testes testibus refelli posse ex utraque parte, sicut scriptum scripto, *l. 3. C. si minor se major. dix. l. pen. C. de contr. stipulat. l. Generaliter. C. de non num. pec.* Testes, inquam, testibus refelli posse semel, et iterum, non tertium: alioqui nullus esset litium finis, nullus calumniarum modus. Tertia igitur refutatio testium improbatur, cum tamen trium testium productio in eadem causa non reprobetur, *cap.* 15. et *pen. hoc tit. Nov. de testib.* tertia testium refutatio, ut puta, si primos secundi refuterunt, et secundos tertii, tertiorum refutatio non recipitur. Hæc est sententia. Recte autem testes refelli et refutari etiam post publicationem didicimus, *sup. cap.* 31. cum tamen post publicationem iidem, vel alii non producantur. Ex quo apparet quanto intervallo distet reprobatio a productione. Ad hoc cap. valde pertinet caput 2. *eod. tit. in* 6. quod adduxit glossa, ex quo illius capitis inscriptio restituenda est. Nec omittam, quod est in antiqua Decretali, Episcopum Burgensem fuisse protestatum, nullius momenti esse receptionem testium a clericis productorum Epi-

sopali vacante, et Ecclesia Burgensi indefensa. Quod et confirmat idem Pontifex in *cap. ult. inf. ne sed. vac. aliq. innovet.* quod scriptum est ad eundem Episcopum Burgensem, et absque dubio cum hoc cap. conjungendum.

AD CAP. *Præsentata*. L.

Inter Archidiaconum Suessionensem, et Capitulum S. Petri Suessionensis orta est controversia de jurisdictione, quam in ea Ecclesia S. Petri se habere ratione Archidiaconatus sui Archidiaconus contendebat. Archidiaconatus dignitas quibusdam in locis tribuit jurisdictionem, ut *cap. ult. sup. de offic. Archidiac.* Tres autem arbitri electi ex compromisso partium finiendæ controversiæ, qui recepto arbitrio testibus utrinque productis, receptis, publicatisque, cum eo rem perduxissent, ut sententiam ferri oporteret, accidit, ut unus ex eis arbitris moreretur, alter vero fieret Archiepiscopus Ebredunensis. Morte, et sacerdotio solvitur compromissum, et arbitrium, ita ut solus is, qui superest, non cogatur sententiam dicere, *l. Item si unus. §. 1. l. Non distinguemus. §. Sacerdotio l. Arbiter Calendis. de recept. arb. cap pen. sup. de offic. judic. del g.* itaque soluto compromisso dati, sive delegati sunt judices a Romano Pontifico, qui hac de re disceptarent, Præpositus Remensis, et Canonici duo ejusdem Ecclesiæ, apud quos definitur in hoc cap. testes productos coram arbitris, quamvis eorum testimonia arbitri publicaverint, adversario, contra quem faciunt, non recipiente ea, in judicium iterum produci posse salvo jure exceptionum opponendarum testibus, testimoniisve iis, contra quos faciunt, quæ definitio tota ducta est ex *l. pen. C. eod.* Et sane si ante litem contestatam judicio summario, ut vocant, producti testes, postea in judicio directo et plenario lite contestata iterum produci possunt super eadem re, etiamsi publicati ante litem contestatam fuerint, *cap. 38. sup.* cur non et producti in judicio compromissario recte producuntur in sequenti recto et ordinario judicio, maxime consentiente eo, contra quem faciunt, ut hic proponitur, cui datur optio ex *d. l. pen.* ut vel eos testes recipiat perinde atque si in judicio ordinario testimonium dixisset, vel consentiat iterum in judicio ordinario testimonium dicere? Compromisso, sive arbitrio opponitur judicium ordinarium.

AD CAP. *Nuper*. LI.

Sequitur in hoc cap. 51. quod scriptum est Episcopo Muliensi (sic corrigenda est inscriptio) ne religiosorum quidem virorum, veluti Franciscanorum, aut Dominicanorum, qui se religiosos, non monachos appellari volunt, ne eorum quidem testimonium recipi sine jurejurando, sicut nec monachorum, *cap. 39 sup.* Loquitur hic de Franciscanis, sive fratribus minoribus, ad quorum æmulationem alii se appellarunt Minimos. In quorum quidem Minorum ordinem cum se temere injecisset presbyter quidam, ab eo mox pœnitentia actus resilierat intra annum probationis, intra annum δοκιμασίας, de quo in *c. ad. apostolicam, et cap. ex parte, inf. de regularib. can. 1. 2. et 17. quæst. 2.* Custode Fratrum Minorum, ut loquitur, qui vulgo Guardianus dicitur, *le pere Gardien*, contendente cum presbyterum jam voto se et professioni illius ordinis adstrinxisse, idque contradicente presbytero, probante per fratres ejusdem ordinis, injuratos tamen, et dicente etiam eodem Custode, secundum regulam ordinis, quod erat falsum et impium, fratres minores jurare neque posse, neque debere. Quapropter definit Pontifex in hoc capit. fratrum minorum testimonio in fraudem alterius, sine jurejurando credi non oportere.

AD CAP. *Venerabili*. LII.

Ex hoc c. intelligimus, qua ratione, et via utatur Romanus Pontifex, qui hoc jus sibi vindicat solus, cum quem censet in numerum Sanctorum referendum, atque ideo memoriam ejus quotannis sancte colendam. In Corisopitensi diœcesi, quæ est in Britannia minore, in Aremorica, *qui s'appelle Cornouaille*, Mauricius quidam fuit Abbas monasterii S. Mariæ, sic habent veteres libri, non, S. Martini, Cisterciensis ordinis, per quem cum Deus multa edidisset miracula, quæ utique solius Dei sunt opera contra naturam mirabiliter edita, non hominis opera, non Dæmonis: Dæmon, aut homo mira aut mirabilia efficere potest, miracula solus Deus, vel per se, vel per homines: cum itaque per Mauricium Abbatem Deus multa miracula edidisset, in hanc venit opinionem, ut vulgo haberetur colereturque pro Sancto et vivus et mortuus, atque monasterium commutato nomine ex nomine ejus duceret nomen, diceretur que monasterium S. Mauricii, non S. Mariæ, ita ut vita defuncto ad sanctitatem nihil videretur deesse, quam ut auctoritate Romani Pontificis referretur in Divos. Qua de re rogatus Pontifex a Capitulo Corisopitensi, et a generali capitulo Cisterciensis ordinis, et ab Abbate præcipue, et monachis ejusdem monasterii S. Mariæ, mandavit primum Episcopo Leonensi, qui est etiam in Britannia, et Abbati S. Chaidæi de Lodoveneck, *qui est encore aujourd'huy*, ut est in antiqua Decretali, quæ extat in quinta collectione nondum edita, ut in vitam, et miracula a Deo per Mauricium edita inquirerent. Ili peracta inquisitione rescripserunt Romano Pontifici, quæ per testes juratos cognovissent. At quia ex eorum rescripto non liquebat, an eos testes sigillatim interrogassent, quod utique necesse est, sigillatim nempe, id est, per se singuli, non turmatim, ut interrogentur, *cap. inquisitionis, inf. de accusat. cap. 2. de testib. in 6. cap. 2. 6. et 7. eod. tit.* quia etiam ex eorum literis non liquebat an exacte de circumstantiis singulis, ut oportet, *cap. 37. sup.* testes interrogassent, ideo tantisper hoc negotio dilato eadem de re Pontifex Romanus iterum quærere jubet Episcopum Corisopitensem, et Episcopum Trecoriensem, et Abbatem S. Crucis Caronparellæ, ut est in antiqua Decretali in inscriptione antiquæ Decretalis, quæ confirmatur libro fiscalis Pontificis, simul et emendatio superior monasterii S. Mariæ, pro S. Martini. Jubet, inquam, hosce tres de vita, et miraculis Mauricii quærere, iterum auditis, et diligenter examinatis testibus ad miraculorum fidem faciendam, vitæque anteactæ castitatem productis ab Abbate, et monachis S. Mariæ, sive, ut jam vulgo loquebantur, S. Mauricii. Et eleganter Pontifex Romanus tutius esse inquit, diligenter, et iterato de eadem re inquirere, priusquam quis cooptetur in divorum numerum. Vox est de vie collecta, cujus fertur primus auctor esse D. Augustinus, multorum quasi Sanctorum corpora homines venerari in terris, quorum animæ cruciantur in inferis. Nam quandoque evenire posse, ut Ecclesia aberret in consecratione sanctorum, quam vulgo canonizationem vocant, glossa affirmat apertissime in *cap. un. de rel. et ven. sancta. in 6.*

AD CAP. *Cum clamor*. LIII.

Quod est in hoc cap. id jam tradidimus in *cap. 48.* testes semel interrogatos, denuo non interrogari, nisi tam confuse vel obscura testimonia dixerint, ut ex eorum dictis liquido, quod in re est erui non possit. Hoc enim casu officio judicis congruit, ut eos iterum interroget, quasi nec interrogatos. Nec enim interrogatus esse, et interrogationi respondisse videtur, qui obscure respondit vel ambiguo, ut incertum dimiserit interrogatorem, *l. De ætate. §. Nihil. de interr. in jur. fac.* Nec quo minus ex hac causa judex interroget iterum, nihil officit apertura, et lectio attestationum, quia non apertura sola, sed publicatio eorumdem testium, vel aliorum receptionem impedit.

AD CAP. *Testimonium*. LIV.

In omnibus causis civilibus et criminalibus reprobari et rejici testes, qui infames sunt ipso jure, veluti damnatos judicio publico, in absoluto est, *cap. 47. sup. cap. 7. tit. seq. l. 2. de Senat. l. 3. §. Lege. l. 15. D. hoc tit.* Sed et ii reprobantur, qui ipso jure infames non sunt, id est, ex edicto Prætoris, quo continentur omnes infamiæ causæ. Sed qui re tantum ipsa, id est, turpitudine vitæ pristinæ diffamati sunt, et opinione hominum, quod et hoc *cap. 54.* probat, *et cap. ult.* Item ii etiam testes, qui turpi judicio nullo damnati sunt, refelluntur, et repelluntur si quod eis adversarius, in quem producti sunt, crimen objiciat, in quo adhuc volutentur et permaneant, idque testibus convincat. Nam et hoc necesse est, *cap. 13 sup. cap. 1. inf. de except.* Crimen enim, quod jam abjecerunt salva existimatione, objicitur frustra, crimen cujus pœnitentiam egerunt, *cap. Per tuas. inf. de simon.* excepto crimine perjurii, ut hic proponitur, videlicet si in alia causa quandoque pejerasse probentur, etiamsi de perjurio illi damnati non fuerint, *cap. 7. hoc t. can. quicumque, 6. quæst. 1. can. si quis convictus, et can. parvuli, 22. quæst. 5.* Quod tamen ita procedere dicendum est in actionibus civilibus tantum. Verum in actionibus civilibus quibuscumque, etiamsi non rem, sive quanti interest, sed pœnam persequantur ex delicti causa. At in criminalibus actionibus, seu accusationibus, quibus potissimum agitur de publica vindicta, licet in iis plerumque præferatur is, cujus interest, testes omnino rejiciuntur, quos adversarius probat crimen aliquod contraxisse, etiamsi ab eo crimine jamdiu destiterint anteactæ vitæ acta pœnitentia. Quæ est sententia valde notanda hujus cap. Et rejiciuntur quidem tantummodo, non etiam ex ea re sola infamiam incurrunt, licet probati fuerint crimen aliquod admisisse, quia de eo cum eis non jure, et ordine actum est instituta actione, sed obiter per modum exceptionis, *par maniere de reproche*. Exceptiones quantumlibet famosæ, quæ objiciuntur testibus, qui damnati ex ea causa non sunt, non faciunt eos famosos, *l. Lucius. de his, qui not. infam. cap. 2. de ord. cogn. cap. 13. de testib. in prima collectione.*

AD CAP. *Ultra*. PEN. et CAP. *Non debet*. Ult.

Cap. penultimum, quod totum translatum est ex Novel. Justiniani, jam exposui *sup. cap. 15.* Porro in cap. ultimo ostenditur, reum criminis postulatum, etiamsi nondum confessus, convictus, damnatus, atque adeo ipso jure infamia notatus nondum sit, hoc ipso, quod inter reos relatus est, nulla in causa esse recipiendum in testem; exceptis, ut ait, certis criminibus, veluti crimine simoniæ propter immanitatem hujus criminis, *cap. tanta. cap. pen. de simon. cap. 1. de testib. in 6.* et crimine læsæ majestatis, *cap. licet, infra de simon.* quia in his criminibus, qui ipso jure infames sunt, admittuntur, *cap. tantæ, et cap. licet.* Ivo Carnotensis in epistola 20. *Cum in aliis accusationibus accusatorum, et testium innocentia quæratur, ad insinuationem tamen Simoniacorum etiam infames personas admitti.* Exceptis his atrocibus criminibus, et discriminibus reus delatus etiam ante sententiam a testimonio repellitur, quod testem oporteat non tantum infamia, sed et suspicione vacare, *c. 1. inf. de except. c. non est credendum, 3. q. 11. can. testes 2. q. 7.* Nam et eadem ratione, nec qui in reatu alicujus criminis est ante sententiam, et eam quidem absolutoriam, alium accusare potest, *l. Neganda. C. de his qui acc. non poss.* Nec, ut ait hoc loco, ad ordines Ecclesiasticos promoveri, vel ad alios honores quoscumque, *l. Reus. de mun. et hon.* Hic est finis hujus tituli. Hostiensis tempore, quo nondum erat editus Sextus Decreta-

lium, extra hoc volumen pleræque circumferebantur Gregorii Constitutiones, quarum unam libri quidam positam habebant in extremo hujus tituli, et liber etiam ipsius Hostiensis, eamque ideo ultimam facit Hostiensis, atque interpretatur, quæ tamen hodie cum extat in *cap. 1. de testib. in 6.* in illum locum rejicienda est. Est autem illa Constitutio de sequestre, sive mediatore simoniæ committendæ inter aliquos, quem sit, si nihil acceperit, propter immunitatem hujus criminis admitti ad testificandum simoniæ probandæ causa, contra quam videatur definitum a Justiniano in *Nov. de testib. §. Quoniam vero.* Mediatores, sive μεσῖται dicuntur sequestres, interpretes, conciliatores sceleris,

AD TITULUM XII.

De Testibus cogendis, vel non.

Hujus ego tituli non ut consuevi singula capita sigillatim, sed simul omnia permistim explicaturus sum, quoniam ita res ipsa fert postulatque, ut faciam. Testium Quintilianus *lib. 5 cap.* 7. duo facit genera, aut voluntariorum, aut eorum, quibus judex in publicis judiciis lege denuntiare testimonium solet, id est, quibus invitis testimonium denuntiat, exceptis certis personis, quæ nec publicis judiciis inviti pertrahuntur ad dandum testimonium, veluti cognatis et affinibus in cognatos vel affines, l. 4. 5. 8. 19. *D. de testib.* in publicis judiciis, inquam, invitis testimonium denuntiare judicibus, et accusatoribus permissum erat. Quod et Plinius indicat in epistola quadam ad Minutianum lib. 3. quo loco facit mentionem testis cujusdam, qui iratus, quod invitus avocatus esset, omnem accusationem suo testimonio perturbarat, et exarmaverat, ut loquitur. In privatis autem judiciis utraque pars nonnisi voluntariis testibus utebatur. Romana certe ecclesia non consuevit invitos cogere, sed monere tantum ad testimonium perhibendum pro causæ veritate, *cap.* 1. et 5. *eod. t. in prima collectione, cap.* 13. *de testib. in eadem collectione, cap.* 3. *hoc. t.* Et idem *cap.* 7. *in fine, sup. tit. prox.* ait, *testes monere curetis*, non cogere, et in *cap.* 1. *hoc tit. moneas, et inducas.* Verum in hoc ipso *cap.* 1. et 3. et 6. et 9. et *penult. hujus t.* excipitur unus casus, si gratiæ quis, vel inimicitiæ, vel metus adversarii causa detrectet, et refugiat dare testimonium. Hoc enim casu deficientibus aliis probationibus, testes cogendi sunt. si sint clerici, per suspensionem officii, et beneficii, et tandem per degradationem, sive καθαίρεσιν, si laici, per censuram Ecclesiasticam, ut *cap.* 2. *hoc. t.* Caput 1. loquitur de causa matrimonii; et similiter cap. 6. et de causa civili agitur. Ergo illo etiam casu in causis civilibus testes cogendi sunt si, ut dixi, id est, illo casu si gratia, vel odio, vel metu adversarii cohibeantur a dicendo testimonio, et deficiant aliæ probationes. Hoc enim primus introduxit Justinianus, atque ita tandem cœpit in causis civilibus invitis denunciari testimonium, exceptis cognatis et affinibus et aliis quibusdam, l. 5. quæ est scripta græce, et *l. Si quando. C. de testib. et Novel.* 90. *eod. t.* Et hoc est quod ait in *cap.* 3. *in fine hoc. t.* de rigore humani juris testes passim, id est, in omnibus causis testimonium dicere compelli, et jurare consequenter tam in criminalibus, quam civilibus. De rigore, inquam, humani juris. Nam jure Pontificio monendi tantum, et persuadendi sunt veritati adserendæ ne desint, non cogendi aliter, quam si inopia probationum urgeat, et gratia, vel odio, vel metu adversæ partis a ferendo testimonio absterreantur. Hoc enim casu, et in civilibus, et in criminalibus causis testes cogendi sunt, etiam jure Pontificio, tam clerici, quam laici, ut *cap. ult. eod. t. in prima collectione*, idque probat evidenter *capit.* 9. *hoc. t.* quod est de crimine falsi, *et cap.* 4. quod est de crimine adulterii, et simoniæ, *et cap. ult.* quod est de crimine conjurationis sive conspirationis a clericis factæ contra proprium Episcopum, *et cap.* 5. quod est de crimine injuriarum atrocium clericis per laicos illatarum. Idem probat etiam *cap.* 8. *hujus t.* si conjungatur, ut oportet, cum *cap.* 33. *sup. t. prox. et cap.* 16. *inf. de accusat. et cap* 6. *inf. de pœnis.* Hoc, inquam, probat, cum agitur de criminibus invitos evocari ad testimonium, sive de criminibus agatur civiliter, sive criminaliter, Non omnis actio de crimine est criminalis, *d. cap.* 16. *in fine, de accusat. §. penult. Institut. de injur.* Nam de crimine modo agitur civiliter, quo genere persequimur quanti interest nostra. Constituamus igitur, sive de criminibus agatur criminaliter, sive civiliter in proposito casu, ut iterato jam sæpius, testibus invitis denuntiari testimonium. Et hoc etiam ita decrevisse Urbanum IV. in causa electionis Tolatani Episcopi, Hostiensis refert in *cap. pen. hoc t.* qui et hujus sententiæ est assertor valens, et fortis: scilicet ut jure civili, ita et jure Pontificio in omnibus causis, vel civilibus, vel criminalibus testes supradicto casu compelli ad dicendum testimonium, et jurejurando adigi posse. Neque vero ab hac sententia dimovere nos debet illud *cap. pen.* ex quo sole plerique statuunt, hoc jure in causis criminalibus testes nunquam esse cogendos, quod ibi ita sit scriptum, testes nominatim esse cogendos, si gratia, vel odio, vel metu a dicendo testimonio deterreantur, et urgeat penuria probationum, præterquam, inquit, de criminib. Ergo, inquit, ubi agitur de criminibus testes cogendi non sunt. Prava collectio, quia non animadvertunt in specie hujus cap. rem fuisse Episcopo cum suo Capitulo variis de causis, et inter cæteras de criminibus quibusdam: litem autem inter se egisse, et inchoasse per procuratores, per quos constat causam criminalem agi non posse, *l. ult. C. ubi senat. vel clariss. cap.* 15. *inf. de accusat.* in causa criminali præsentia opus est rei, et accusatoris, immo et præsentia testium, nec enim sufficit tabella, aut testimonium quod dicitur, ut constitutum est in *Nov. de testib.* Quia ergo inter eos lis cœpta erat, cujus varia erant capitula, per procuratores recte dicitur excipienda esse capitula criminalia, non quod et in criminalibus causis testes cogi non possunt, sed quod lite cœpta, et agitata per procuratores excipienda necessario ab ea sint crimina, de quibus disceptari potest præsentibus iis tantum, quorum res est. Ergo hic murus aheneus esto, non tantum in civilibus, sed et in criminalibus causis utroque jure supradicto casu, non temere testes esse cogendos, extra illum casum commonefaciendos tantum esse, ne rei veritatem occultent. Quod autem Bernardus in *cap.* 1. supprimere veritatem, et nolle testimonium dicere, delictum esse mortale, quod non probant bene, verissimum tamen esse constat ex *cap. pen. eod. t. in prima collectione*, ubi id aperte proditum est, delictum esse mortale, non veniale. Id vero palam est, in omnibus causis similiter delinqui suppresso vero, non minus, quam contra verum dicto mendacio. Denique tam delinquo supprimendo verum in causa criminali, quam in causa civili, et hujus delicti coercendi causa, merito in utroque judicio compellor ad veritatem adserendam, præstito, ubi oportet, jurejurando. Et hæc quodammodo satis sunt ad hunc titulum, nisi et hoc notare velis ex *cap.* 3. manifesta, evidentia, notoria (nam faciunt inter hæc tria discrimina, quæ ideo ut hanc distinctionem amoliar, conjungo) manifesta, inquam, evidenter notoria probationem non requirere, vel accusationem, vel ordinem judicialem: sed ea tantum, quæ manifesta non sunt, quæ scilicet negatio ejus, qui convenitur dubia, et incerta facit, *l. ult. C. quib. ad libertat. proclam.* Sunt autem de manifestis similes loci complures, *cap.* 3. *inf. de eo, qui cogn. cons. uxor. cap.* 2. *de consan. et affinit. cap. tua. de cohab. cler. et mul. cap.* 21. *de jurejur. cap.* 9. *inf. de accusat. can. manifesta* 2. *quæst.* 1. *l.* 11. *§. Idem libro secundo. de action. emp.* Appius apud Livium 39. *Rem evidentem pro dubia non esse quærendam.* M. Tullius in Acad. *Nihil clarius, aut illustrius ipsa evidentia esse posse.* Possis et hoc notare ex *cap. ult. hujus t.* eum, qui ab alio in quem testimonium dicturus erat, jurejurando obstrictus est, ne testimonium diceret, a jurejurando ejusmodi absolvendum esse sententia judicis competentis, quæ scilicet potius declarat absolutum eum esse, quam absolvit, quia ipso jure absolutus est, *cap. pen. inf. de accusat.* Jusjurandum tale relaxari et *c.* 4. *hoc. t.* quod in causa criminali, qua quis simoniæ, et adulterii reus postulatur, veniam facit jurisjurandi testi, a quo reus jusjurandum de non ferendo testimonio extorserat. Neque enim ideo minus compellitur in ea causa testimonium dicere, quinimo reus ipse perinde damnatur, ac si is testis in eum productus fuisset, quia non, ut ait, debuit accusatori instrumenta subtrahere, quorum etiam appellatione testes continentur, ut ait *l.* 1. *de fide instrument.* Dicuntur enim instrumenta ab instruendo, *l.* 5. *§. ult. de Carbon. edic.* et causam itaque non instruunt minus personæ testium, quam testimonia, vel conventiones scriptæ. Addit etiam in *cap.* 4. *ex l. pen. C. de postulat.* quod etiam usurpavit in *cap.* 45. *sup. t. prox.* tam illum, qui adversario surripit instrumenta, quam qui palam ei advocationis et defensionis copiam subtrahit, satis aperte ostendere, iniquam se fovere litem, et a se delusam judicis auctoritatem experiri debere. Non est omittendum, quod de testibus synodalibus dicitur in *cap* 7. *h. t.* testes synodales, id est, ut statim definiam, quinam sint ii testes synodales, publice receptos, et probatos in synodo provinciali, et constitutos quasi observatores, et custodes sive μαρτυροφύλακας iis, quæ fierent decerenturve contra decreta synodi provincialis: hos, inquam, testes Synodales semel interrogatos causa matrimonii coram Episcopo, vel Capitulo, vacante Episcopatu scilicet, ut in *cap* 43. *sup. t. prox.* non cogi iterum respondere in eadem causa eorum judicibus delegatis, nisi deficientibus aliis probationibus, vel nisi emergat quædam quæstio nova, de qua coram Episcopo, vel Capitulo hi testes synodales, vel publici interrogati non fuerunt. De iisdem in altera parte hujus cap 8. hoc constituitur, tametsi selecti semel, et probati in synodo fuerint, postea tamen eos reprobari posse ex causa infamiæ, quæ subvenerit, quæ irrogata eis postea fuerit, si post infamiam irrogatam nihilominus ad testimonium vocentur. Illud est extra omnem controversiam infames repelli a dicendo testimonio, si nunquam, ad testimonium dicendum vocarentur probati non fuerint, *cap.* 54. *sup. t. prox.* Sed et si probati ante fuerint, et ii, qui publici, vel synodales, dicuntur, ex causa infamiæ subsequentis repelli posse hic locus ostendit, qui in hanc rem est valde notandus. De iisdem etiam in parte tertia hujus cap. 7. hoc habetur, eorum testimonia non reprobari, si quid falsi eis per errorem exciderit non data opera, non consulta opera, dummodo id confestim sive incontinenti, ut ait, correxerint, et mutaverint: ex intervallo non esse correctioni locum: ex intervallo nempe emendationem esse: et ideo non minus falsi coargui testimonium refutarique posse, quam si postea testis corrigere paratus non esset. Et facit satis ad hanc rem *l. Si falsos. C. ad leg. Cornel. de fals.* et *c.* 7. *inf. de crimine falsi.*

AD TITULUM XXII.

De Fide Instrumentorum.

AD CAP. *Si scripturam.* I. et CAP. *Scripta.* II.

In cap. 1. ex libro secundo Epistolarum Gregorii I. unde totum desumptum est, omnino sic est legendum: *Si scripturam authenticam non videmus, aut exemplaria* (hic est addenda subdistinctio hoc modo) *si scripturam authenticam non videmus, aut exemplaria, nihil facere*

praesumus. Quod Gregorius primus scripsit de prædio quodam, quod commune habebat cum quodam monasterio, verum id prædium ab extraneo possidebatur, et cum ab extraneo possideretur, deque jure suo monasterium ageret, ait, nihil se de jure monasterii statuere posse non oblato authentico instrumento auctoritatis, et originis, neque authentico exemplari ullo. Exemplari uti licet deficiente authentico, *l. In fraudem. §. Neque. de jure fisci.* Quia et exemplaris non minor est auctoritas, quam authentici, si modo id publice manu conscriptum fuerit, et jussu judicis, *cap. ult. inf. h. t.* Et rata authentici non minus per se interdum infirma vis, et fides, quam exemplaris; puta si testes, quibus communitum est authenticum, desierunt esse in rebus humanis, vel si authenticum non fuerit forense, vel ἀγοραῖον, ut Justinianus vocat, id est, publice confectum obsignatumve, *cap. 2. hoc t.* Authenticum dicimus, quod et originale dicitur, ut *l. C. de divers. rescr. cap. 11.* et *ult. sup. de probation. cap. ult. sup. hoc tit.* Male glossæ definiunt quid sit authenticum, quod nihil aliud certo est, quam originale.

AD CAP. *Ex litteris.* III.

In hoc cap. 3. ostenditur, rescripta Pontificis quibus causæ alicujus cognitionem et definitionem mandat certis hominibus non ideo esse falsa, et suspecta, quod in narratione facti quædam literæ sint erasæ. Hæc enim in parte litura ei qua sit, ea non vitiat scripturam. Et argumentatur a privilegiis ad rescripta, sive mandata ejusmodi: nam si privilegia, quæ extra ordinem a Romanis Pontificibus conceduntur, quæque majoris sunt momenti, non ideo suspecta sunt, quo in positionibus eorum (*in propositionibus* legendum videtur, vel ut vulgo, *in possessionibus*) id est, in appellationibus possessionum, quarum in iis privilegiis mentio fit. Si, inquam, privilegia non ideo sunt suspecta, quod in eorum positionibus literæ quædam suffusæ sint, et multo minus ob eam rem suspecta illa ordinaria rescripta erunt, quæ in narratione facti, a quo positiones privilegiorum non multum absunt, *c. 1 sup. de lite contest.* lituram aliquam, vel inductionem, vel superinductionem, vel superscriptionem habent, quia, ut est in antiqua Decretali, quæ extat post Concilium Lateranense *part. 49. cap. 3. vel 4* in loco non suspecto est litura, vel inductio est. Positiones, propositiones, narrationes facti loco non sunt suspecta: sed dies, et Consul, nomina actoris, rei, judicis, hæc sunt maxime suspecta, et in his locis suspectis litura falsi satis idoneum argumentum habet, *cap. 6. hoc t.*

AD CAP. *Accepimus.* IV.

Sequitur in cap. 4. privilegia monasterii S. Augustini, quod unicum est in Angliæ provinciæ Cantuariensi, quæ Archiepiscopus Cantuariensis falsi insimulabat, priusquam ea inspexisset, perperam ea insimulavit, quæ nondum inspexit. Nam inspectio necessaria est prius, et lectio, quæ satis etiam significatur inspectionis nomine, *l. 2. §. Inspect., quemad. test. aper.* ut ut Quint. ait Instit. 5 *Inspectio ipsa sæpe falsum deprehendit, alioqui deprehendi et coargui, qui potest?* Unde et in c. 1. eod. tit. in 2. collectione recte, *Literarum*, inquit, *sibi copiam fieri postulavit: his siquidem litteris ejus inspectis, cum eas argueret falsitatis ea causa, quod in narratione facti abrasæ sint,* etc. ut *cap. prox. sup.* Inspectionem autem illam fieri oportet testib. adhibitis, quorum numerum etiam Pontifex definit in *hoc. cap. 4.* ut non sint, neque plus, neque minus quam duodecim. Et quia sententia dicta pro monasterio hac in causa fuerat appell. suspensa, vel potius extincta, appellatione facta ad sedem Romani Pontificis, quamvis consentaneum, et consequens esset etiam Romæ privilegia illa exhiberi inspicienda: quia tamen id difficile ac periculosum videbatur propter longinquitatem itineris, ideo Pontifex cum exhibitionem privilegiorum, et inspectionem fieri jubet in ipso monasterio, vel alio quodam loco congruo, et tuto intra diem certam, et cessante Archiepiscopo, nec Romam veniente, nec mittente procuratorem juris sui disceptandi causa, sententiam dictam pro monasterio ad effectum produci. Pro monasterio dico, quod Pontifex hoc loco pro statu monasterii, et *cap. 35. sup. de testib. super statu Menevensis Ecclesiæ*, id est, super libertate ipsius Ecclesiæ, vel monasterii.

AD CAP. *Contingit.* V.

Diximus in *cap.* præcedenti, inspectionem litterarum sæpe falsum deprehendere. At non est ignorandum, inspectionem literarum etiam falsa fabricanda sæpe materiam instruere: ejusdem rei sæpenumero sunt effecta diversa, imo contraria, eadem res causave et calorem ciet et frigus: sic inspectio sæpe falsum deprehendit, sæpe falso fabricando aperit viam, *l. 2. §. Item quemadm. testam. aperiant.* Et ideo in patefaciendis tabulis testamenti, et ubi earum describendarum potestas facienda est his, quorum interest, semper supprimi oportet diem, et Consulem, ne quid falsi fiat, et ait *d. §. Item.* ne quid prælato die fiat, ut *l. 1. §. Editiones. de eden.* quod προχρονισμόν, vocant, idest, *ante datam*. Et hac quidem ratione constituit Pontifex in *hoc cap.* ut quoties inspectio, vel editio privilegiorum, quibus utitur monasterium, vel quodlibet aliud corpus, sive collegium, aliquo in causa ab adversario desideratur, ut non omnes articuli privilegiorum edantur, et describantur, sed ii tantum, vel is tantum articulus, qui ad ipsam causam pertinet, ne descriptis omnibus articulis privilegiorum, et integro denique contextu privilegiorum, vel indulgentiarum, vel aliorum quorumlibet instrumentorum, quidam inde mali homines sumant materiam fabricandi, vel falso, vel litigio quodam. Malitiis hominum quantum potest obviam eundem esse. Recitari quidem posse totum instrumentum præsente judice, aut superstitibus præsentibus bonis viris, quos judex elegerit, et præsente adversario; sed non etiam describi, nisi quod ad causam propria, de qua agitur, spectat, et quo solo usurus est is, qui eo utitur, et *l. 1. §. Edenda. D. de edendo.*

AD CAP. *Inter dilectos.* VI.

Hoc cap etsi sit prolixum valde, tamen non erit longi subsellii: nam facilia sunt omnia, quæ in eo proponuntur, et scitu digna tamen, quia ut soleant fabricari, et deprehendi falsa instrumenta docet. Lis erat inter Archiepiscopum Mediolanensem, et Abbatem S. Donati *de Sexto Calendarum*, sic appellatur in libro fiscali Romani Pontificis, aliter S. Donati de Scorule, ut *cap. 1. sup. de sequestr. posses.* quod pertinet ad eandem litem, unde et in antiqua Decretali modo hoc, modo illo nomine appellatur. Et vero lis erat de prædiis, et territoriis quibusdam quæ Abbas cum obtinuisset in possessorio judicio ex sententia Veronensis Episcopi, quod etiam refertur in *d. cap. 1.* postea vindicabat monasterio suo instituto petitorio adversus Mediolanensem Archiepiscopum, qui ea prædia possidebat, quæ Abbas, proprietatem monasterii nomine eorum prædiorum suam esse dicens, postulabat sibi restitui cum fructibus. Probabat autem proprietatem eorum ad monasterium pertinere variis argumentis, sed debilibus satis et infirmis, quale est illud, quod sumebat ex locatione eorundem prædiorum facta sæpius ab Abbatibus ejusdem monasterii, quod futile est argumentum, quia ea res neque dominium arguit, *l. Ad probationem. C. de loc. l. Ad probationem, C. de liber. caus.* neque possessionem civilem: quo in loco hujus cap. qui est in extremo antiquæ Decretalis, quæ formis expressa est, perperam habet, *cum juxta Canonicas sanctiones ad probationem rei propriæ, sive ad defensionem non sufficiat facta locatio.* Rectius enim veteres pro *Canonicis*, habent *legitimas*, et intelliguntur illæ duæ leges, quæ incipiunt, ad probationem. Idem Abbas proferebat privilegium Luithardi Comitis quondam, et Episcopi Ticinensis, qui monasterium illud condiderat, quique prædia illa, de quibus agebatur monasterio donaverat, proferebat instrum. donationis factæ a Luithardo, sic legendum, ut textus indicat paulo post aperte. At in eo instrumento donationis multa erant argumenta falsi. Primum, quod annotatio Indictionis, *qui est in data*, abolita esset aut erasa, aut vitiose alique modo, qui locus est valde suspectus, et quod charta vetus erat, scriptura recens, quod est aliud maximum argumentum falsi: ac præterea, quod sigillum non Episcopi Ticinensis, qui eam donationem fecisse dicebatur, sed Imperatoris videretur esse, quod declarat prolixius. Quod, inquam, potius sigillum Imperatoris videretur, quodque in eodem sigillo in expressione nominis proprii deletæ essent duæ litteræ, secunda, et sexta, et aliæ suppositæ, quodque spatium secundæ, quo contineri debuissent duæ litteræ ad exprimendum Luithardi donatoris nomen, non sufficeret nisi ad unam literam, spatium vero sextæ literæ esset arctius, quam ut recipere posset literam Dissetam, ita ut plane videretur hoc nomen Lotharius permutatis illis litteris coarctatisve depravatum in Luithardo, ut pro Lotharius legeretur Luithardus. Et hic quoque locus nominis proprii ipsius donatoris maxime attendendus erat tanquam locus suspectus. Etiam in sigilli cera erat inæqualitas, erat enim interior cera vetus: exterior recens. Eadem vero vitia etiam observata sunt in privilegiis Imperatoris oblatis ab eodem Abbate nomine monasterii, et in sententia quadam Mediolanensis Archiepiscopi, cui etiam idem Abbas innitebatur, et quam idem Archiepiscopus tulisse dicebatur ex delegatione Ludovici Imp. pro monasterio, contra nepotem quendam Luithardi. In qua sententia præter cetera, et hoc vitium peculiariter inerat, quod non eadem manu perscripta erat, qua et subscripta a Notario, qui tamen in subscriptione se omnia perscripsisse αὐτόχειρ, id est, *manu propria* profiteretur, sicut olim fieri solebat. Neque enim subscriptio erat nuda nominis appositio, sed cons. et rei gestæ enuntiatio brevis, ut vel constat ex Nov. 136. et ex hoc cap. satis evidenter illo loco, cum tamen Notarius in subscriptione profiteretur se instrumentum manu propria conscripsisse. Ubi paulo ante legendum est, *tamen quia subscriptio Notarii manus videbatur alterius, quam scriptio instrumenti* legendum est, *scriptio*, non *subscriptio*: ut sit sensus, alia manu fuisse scriptum instrumentum, alia manu subscriptum, cum tamen, qui subscripsisset et se scripsisse instrumentum in subscriptione profiteretur. Nos ibidem notatur aliud in ea sententiæ instrumento vitium, quod encaustum, quo significatur ardor cocti muricis, enclæve ceræ, et *l. pen. C. de divers. rescr. l. Extraordinariorum. C. Th. de extraordin. sive sordidis muneribus*, quod inquam, encaustum, *qui est le cachet de cire*, aqua videretur quodam conspurcatum, et infectum ut antiquius appareret. Hæ sunt artes falsariorum monachorum: nam hi falsarii monachi erant. Ad hæc etiam objiciebatur, eam sententiam dictam fuisse inter alios, et testationes quoque sententiæ insertas fuisse prolatas inter alios, quæ ratio est optima, qui secundum regulam juris, *res inter alios acta, aliis non obest, aut obesse debet.* Res acta inter monasterium, et nepotem Luithardi non potuit obesse Archiepiscopo Mediolanensi, qui postea litigavit cum monasterio. Adversus privilegium Henrici Imp. quod idem Abbas proferebat, licet in eo satis idonea extarent vestigia falsi, tamen hoc quoque objiciebatur ex abundanti, quod ita conceptum esset illud privilegium, ac si eodem privilegio Henricus confirmaret, et donaret eadem prædia sæpedicto monasterio: quæ duo *confirmare*, et *donare*, quod notan-

dum, simul commeare non possunt, non potest scilicet, quod jam monasterio donatum est, amplius donari eidem, nisi ejus esse desierit, §. *Sic itaque. Instit. de action.* Vel igitur id privilegium tantum confirmare, quamvis in eo sit insertum donandi verbum, id, inquam, privilegium tantum confirmare jam ante factam donationem, quæ si nulla facta est, vel si quæ facta est, irrita sit, aut quæ falsa dicitur, falsa appareat, nec confirmatio donationis, quæ nulla extat, quicquam prodest, juxta regulam juris, qua utitur hoc loco, *cum principalis causa non consistit, nec ea, quæ sequuntur locum habere.* Cum igitur donatio non consistat, nec confirmationem quoque donationis locum habere; quod potest accomodari ad varias species et quæstiones. Vel certo dicendum est, illud privilegium Henrici non easdem confirmare et donare, sed alia atque alia. Hoc vero, ut dixi, ex abundanti proponebatur, quia id refellendo privilegio Henrici sufficiebat, quod omni ex parte vitiosum esset. His vero rationibus omnibus motus Pontifex, cum videret monachos jus nullum habere, pronuntiavit pro Archiepiscopo contra monachos nullo instrumento idoneo suffultos, denique pronuntiavit pro possessore contra petitores, ut cum obscura sunt jura utriusque partis, jure civili proditum est pro possessore pronuntiandum esse, in *Instit.* §. *Commodum. de interdict.* Non habuit etiam Pontifex rationem famæ, cujus meminit in propositione hujus cap. quæ increbuerat, ea prædia Luithardum donasse monasterio. Nam ex fama non ducitur idonea probatio, ex rumore, *cap. 5. inf. de eo, qui cogn. cons. uxor. c. 27. de sponsal.* Non habuit etiam Pontifex rationem testium, quibus monachi conabantur probare ea prædia se diu possedisse supra 50. annos, vel citra annos 50. quia ut glossa monet recte, id testarent quidem productis testibus monachi probare, sed nihil effecerant.

AD CAP. *Quod super.* VII.

Hoc c. ut intelligatur, aptandum est ad *c. de vot. et vot. redempt.* utrumque est de cruce signatis, sic vocantur, qui scilicet appicto, seu assuto vestibus, aut scutis signo crucis, voto se militiæ adstringunt adversus Sarracenos in Judæa (quod jam ferore olim plerique Principes Christiani) ac postea pœnitentia ducti voto se absolvi petunt a Romano Pontifice, redditis causis, quæ supervenerunt, ut voto persolvendo impedimentum attulerunt, qui si indulgentiam, et absolutionem impetraverint, votique veniam, Pontifex constituit in hoc cap. ut ne litteris absolutionis, quas impetraverint a Pontifice, vel Cardinalibus, quibus etiam jus est concessum a Pontefice dandæ hujusmodi veniæ, ut ne inquam, temere hisce litteris fides habeatur: sed ut causæ revocandi voti expressæ in literis absolutionis excutiantur diligenter a judicibus, quibus insinuatæ illæ literæ fuerint, quibusque notæ conditiones, qualitates eorum cognitæ fuerint, qui voti sunt rei. At si inveniantur literæ subreptitiæ, vel obreptitiæ esse, ut omnino compellantur votum, quod fecerunt, adimplere, quasi non absoluti: votum, inquam, adimplere, vel redimere, ut est in antique Decretali, cogantur. Votum redimitur erogationibus, et nonnunquam ære collato Romano Pontifici, ut factum in Anglia quandoque refert Matth. Paris, sub Henrico III. Anglorum Rege, Anno a nato Rege Messia filio Dei 1240.

AD CAP. *Pastoralis.* VIII.

In c. 8. hoc docet breviter, eas tantum Decretales Epistolas Romanorum Pontificum esse probandas, et sequendas judicibus, quæ consentiunt cum jure communi, cum jure publico: dissidentes autem a jure publico non esse recipiendas inconsulto Pontifice. De decretalibus loquitur, quæ circumferebantur passim in scholis, et in foro, necdum erant relatæ in Corpus juris, in collectionem ullam, sive compilationem, quam Romanus Pontifex fieri jussisset, vel factam approbasset. Hoc est apertissimum, nec in hoc est requirendum, si inepti nolumus esse, quicquam amplius.

AD CAP. *Cum dilectus.* IX.

Ex hoc cap. notandum est maxime, post publicationem testium, eosdem quidem, vel alios recipi non posse, ut tandem aliquis sit finis producendorum testium, *cap. 29. sup. in fin. de testib.* sed si nondum renuntiatum sit, si nondum renuntiaverit utraque pars probationibus omnibus, si nondum facta conclusio fuerit, quæ et ultima cognitio dicitur in jure civili, quod alibi docui, alia instrumenta proferri posse a partibus juris sui tuendi, confirmandi, comprobandi gratia. Et hanc unam esse differentiam, quod notandum, inter testes et instrumenta, quia et testes facilius corrumpuntur et turbantur, si sæpius interrogentur, et a diversa parte in laqueos inducuntur facilius, quam instrumenta, quæ sunt muta testimonia. Pertinet autem hæc Constitutio ad regnum Scotiæ, eique conjungenda est constitutio *cap. 6. sup. de cons. poss.* et *cap. 6. sup. de arbitr.* quæ ad idem regnum pertinent: in quo quidem regno sequente parte hujus cap. Pontifex probat receptam consuetudinem, ut sub Regia nomine edita instrumenta fidem faciant plenam, et potiora sint testibus omnibus. Hæc consuetudo invaluerat in Scotia. Alioqui potiores sunt testes instrumento publico, si sint plures, puta quatuor, aut quinque, quod ex cap. seq. mox intelligemus.

AD CAP. *Cum Joannes.* X.

Hujus cap. species hæc est valde notanda. Egit Mævius adversus Lucium Titium condictione ex causa mutuæ pecuniæ. Cui Lucius Titius objecit compensationem debitæ sibi ab eodem paris quantitatis ex causa venditionis. Replicavit Mævius, non esse huic compensationi locum, eo quod venditæ domus possessio vacua et libera nondum sibi tradita fuisset, prius tradi rem oportere vel offerri, quam pretium peti vel compensari, ut *l. Qui pendentem. de act. emp. l. Pure. §. Si servus. de dol. except.* Judices pronuntiaverunt Lucium Titium, Mævio domus venditæ possessionem vacuam et liberam, puta omni hypotheca solutam, tradere oportere, priusquam pretium compensaret, scilicet priusquam L. Titius pretium compensaret, sibi debitum ex causa venditionis. A qua sententia Lucius Titius appellavit ad Romanum Pontificem. Res agebatur in Italia. Pontifex delegavit judicem, qui ea de re cognosceret. Lucius Titius dixit, se nondum teneri ad traditionem domus, quia venditio erat conditionalis, non pura, nempe facta hac lege et conditione, ut Lucius Titius venditor eam inhabitaret domum, quamdiu viveret, et post mortem ejus filii ejusdem, quæ pactio cedit in partem pretii, *l. 21. §. pen. de act. emp. l. 6. in fine, de serv. rustic. præd.* id est, eo minoris Lucium Titium domum vendidisse, qui alioqui detracta ea conditione, id est, pactione, eam domum alii eandem pluris vendere potuisset. Idque totum productis testib. L. Titius approbarat, excepto, quod testes se ejus temporis, quo venditio hæc facta fuisset, non meminisse dicebant: factam tamen esse omni adseveratione affirmabant, non sub conditione, quæ suspenderet venditionem, ut puta, vendo si navis ex Asia venerit, sed sub lege, pactione, conditione illa, quæ in partem pretii cederet. Contra Mævius, prolato instrumento venditionis publico, cui erat certum tempus factæ venditionis adscriptum, et producto tabellione, qui id confecerat. Publicum instrumentum est, quod tabellio conficit, *Nov. 73.* quod et forense dicitur, *l. 20. C. de fid. instrum.* Prolato igitur instrumento publico venditionis, et producto tabellione, qui id confecerat, producto etiam uno ex testibus, qui instrumento subscripserant, probabat venditionem fuisse puram. Nam et scripturæ instrumenti nullam præ se ferebat pactionem, nullam modum sub quo venditio facta videretur, et tabellio quoque testisque ille affirmabant, quamvis ab initio fuisset ne pure, aut conditionaliter contractus habitus se non meminisse dicerent: potuit enim minus scribi in instrumento, quam conventum fuisset inter contrahentes. Ergo cum ex utraque parte diversæ probationes exhiberentur, inde quæsitum est, utrius partis probationes prævalerent, Lucii Titii, qui conditionalem venditionem fuisse dicebat, an Mævii qui puram? Et breviter respondet Pontifex, prævalere Titii probationem, quia constabat ex confessione utriusque partis in jure sive in judicio facta post appellationem ad interrogationem judicis delegati, qui ubicumque eum æquitas movet, partes de facto, de quo agitur, interrogare potest, *l. pen. de interr. in jur. fac.* etiamsi fuerit in causa conclusum, quia, inquam, ex confessione partium constabat unicum tantum fuisse contractum inter eos, venditionem, quam quatuor testes omni exceptione majores conditionalem fuisse asserebant. Ideo, ut dixi, prævalere intentionem probationemque Lucii Titii, potiores esse quatuor testes instrumento publico, quoniam instrumenti publici fides non debet esse major quam duorum testium, ut *cap. 11. sup. de probat.* Et ita est accipiendum quod dicitur in *l. in exercendis.* (cujus verba referuntur in hoc cap.) *C. de fid. instrum. in exercendis litibus eandem vim obtinere fidem instrumentorum, quam depositiones testium,* ubi recte Accursius, tantum scilicet valere duos testes, quantum instrumentum publicum, et vicissim tantum valere instrumentum publicum quantum duo testes; et non tantum quantum quatuor. Quatuor igitur testes potiores esse duobus: quod cum dico, hoc dico, quatuor testes potiores esse instrumento publico, quod est tantum pro duobus testibus, quod cedit duorum tantum testium loco. Sane hoc est valde notandum. Nec omittendum, ex definitione hujus cap. nos intelligere, non ideo minus valere testimonia data super contractu aliquo, quod testes non meminerint temporis, quo contractus habitus est: nam hæc memoria, ut Papinianus loquitur, quid officit veritati rei gestæ? Non semper quisquam ad liquidum de tempore, quo res gesta est, respondere potest. Id etiam notandum, sive quis agendo, sive excipiendo proponat in judicio venditionem, qua de agitur, fuisse conditionalem, non ideo minus, si res ita fuerit pro eo sententiam dicendam esse. Et quod propono in modum exceptionis, sufficit ad superandum adversarium exprimendamque secundum me sententiam. Dixi in extremo recitationis inter cetera ex cap. 10. hoc esse notandum, venditorem, quem jussit judex rei venditæ emptori tradere possessionem vacuam, omnique nexu liberam, si interposita appellatione in modum exceptionis proposuerit, venditionem fuisse conditionalem, id est, factam sub conditione, sub modo, qui nondum impletus est, pro se, consequi sententiam posse in judicio appellationis, etiamsi non in modum actionis, sed exceptionis hoc proposuerit, et eluderet intentionem victoris, qui priori judicio vicit; hoc certe est verissimum, quia non minus, imo plus favere debet judex reo, quam actori, exceptioni, quam actioni. Neque vero, ut existimo, huic sententiæ quicquam obstat *cap. 2. sup. de ord. cogn.* vel *cap. 1. inf. de except.* quoniam et in specie earum Constitutionum exceptio suum effectum habet, et omnino parem effectum, quem et in specie hujus cap. repellit actorem, in specie cap. 2. repellit testem refellitque in *cap. 1.* et in *hoc cap. 10.* æquo repellit actorem sibi rem venditam tradi postulantem. Notandum etiam est ex hoc cap. exceptionem peremptoriam non oppositam coram priore judice, a quo appellatum est, posse opponi coram posteriore in causa appellationis, si modo ea exceptio pendeat ex priore judicio, ex quæstione in prius judicium deducta, ut proponitur in hoc cap. puta quod venditio, de qua actum est priore judicio, conditionalis, sive modalis fuerit, non pura. sicut et testes jam diximus in *cap. 17. sup. de testib.* in causa appellationis produci posse super articulo novo, si modo pendeat ex

quæstione et judicio priore. Postremo illud quoque ostendum est ex hoc cap. 10. judicem, ad quem appellatum est, sententiam prioris judicis partem confirmare, partim infirmare posse, sicut factum est in specie proposita in hoc cap. 10. et jure fieri ostendit, *l. ult. de jurepatron. et c. 15. in fin. inf. de privileg. et cap. Raynutius, etc. Raynaldus, inf. de testament.* Hæc erant addenda ad cap. 10.

AD CAP. *Ex parte*. XI.

De specie hujus c. 11. sententiaque satis abundeque diximus *sup. in cap. 16. de for. compet.* ex quo hujus cap. inscriptio restituenda est.

AD. CAP. *Perpetuus*. XII.

Sciendum est, in Ecclesiis parochialibus alios esse vicarios perpetuos earum, ad quos cura Ecclesiæ proprie pertinet, alios vicarios temporales. Et perpetuos quidem constitui in locum monasterii, cui parochiæ cura præcipue incumbit, vel in locum ejus, qui curam et administrationem Ecclesiæ sive parochiæ remittit Episcopus: Ecclesiæ, inquam, sive parochiæ, quæ annexa est dignitati, vel personatui, ut ea dignitate, sive personatu liberius fungatur in Ecclesia Episcopali. Et solet utique debetque ab eo, qui vice sua perpetuum vicarium constituit, ei adscribi et assignari certa et congrua portio redituum et decimarum Ecclesiæ, cui sufficitur, *cap. Extirpandæ, §. Qui vero, inf. de præbend. cap. Postulasti. sup. de rescript. cap. 3. sup. de offic. vicar.* Regulariter nemo per alium potest regere Ecclesiam sive parochiam, cujus cura ei demandata est, *d. §. Qui vero.* Verum excipiuntur supradicti, qui perpetuum vicarium habere possunt, per quem regant parochias suas, sicut Episcopi, qui semper assident Romano Pontifici, habere possunt Vicedominos in Diœcesibus suis ipsis interim nunquam discedentibus a latere Romani Pontificis, qua de re diximus in *et de judic.* Excipiuntur etiam ii, quibus Pontifex Maximus studiorum gratia vacationem dedit regendæ parochiæ ad tempus, qui certe interim per vicarium temporarium parochiam suam regere possunt, constituta ei pariter portione congrua tolerandæ vitæ suæ, *cap. cum ex eo, de elect. lib. 6.* Hoc cognito accedamus ad speciem hujus cap. 12. quæ est de decimis, quas perpetuus vicarius quidam cujusdam monasterii velut pro portione sua congrua percipiebat, monachi contra contendebant ad se pertinere. Quos imo ex diverso reconveniendo perpetuus vicarius contendebat, alias quasdam decimas debere percipere, simul et desiderabat ab iisdem monachis edi sibi communia instrumenta ad causam decimarum ejusdem Ecclesiæ pertinentia, juxta *l. Procurator. C. de edend.* quod vicarius perpetuus, cum non impetrasset a judicibus delegatis, hoc cap. ostenditur jure appellasse eum ad Roman. Pontificem, et subjicitur clausula imperfecta tamen, quæ ita supplenda est ex *cap. 67. de appel. et cap. 19. sup. de judic. et c. 2. sup. de lib. oblat.* quatenus si est ita, revocato in statum debitum si quid post appellationem hujusmodi inveniret attentatum, audiant hoc inde propositum.

AD CAP. *Imputari*, XIII.

Quod est in hoc cap. 13. sumptum est ex *l. Scripturæ. C. eod. tit.* et hoc vult, eum, qui in judicio diversa instrumenta profert inter se pugnantia, neutro ex instrumento commodum ullum referre posse: *qui profert,* inquit, *scripturas inter se contrarias, fidem sibi invicem derogantes: d. l. Scripturæ* ait, *scripturas diversas, et fidem sibi invicem derogantes.* Quo loco Accursius notat duo genera contrariorum, aut contrariarum scripturarum, ad quæ sententiam illam existimat pertinere. Alia, inquit, sunt contraria, sive adversa directo, alia per medium. Directo sunt contrariæ hæ duæ propositiones, quod sumit ex Dialectica Boetii: *Homo est animal, Homo non est animal.* Contrariæ autem per medium, non directo, sunt hæ propositiones: *Homo est animal, Homo non est substantia.* Nam per medium illud, *Homo non est substantia,* efficitur hominem non esse animal: id non efficitur directo et aperte, sed per medium illud, et obscure. Hoc vel illo modo si contrariæ sint scripturæ, quæ ab una parte proferuntur in judicium, nullius momenti sunt, quia, ut Pontifex ait, de se queri debet, qui quo potius uteretur instrumento non elegit, sed utrumque inconsulto protulit. Eademque ratione idem de testibus videretur esse dicendum ex sententia Martini, ab una eademque parte productis, quia et hos eligere, et domi versare, antequam in judicium produceret, et alligare potuit. Qui ex re etiam a Cicerone allegati appellantur, *quos,* ut Isidorus interpretatur, *quisque ante judicium sibi pactis alligat, ne cui sit postea liberum, aut dissimulare, aut subtrahere se adserendæ veritati.* Nec obstat huic sententiæ Martini Novel. Justiniani *de testibus, §. Si vero quidam,* quia non de testibus loquitur ab una eademque parte productis, sed ab utraque parte, *cap. 16. et 32. sup. de testib.* Si testes ab utraque parte producti sint inter se contrarii, non rejiciuntur omnes, sed singulorum testimonia excutiet judex, eligetque ea, quæ veriora videbuntur, et secundum ea sententiam feret; sed si ab una parte producantur testes, qui sint contrarii invicem, omnes rejiciantur tanquam vani et futiles.

AD CAP. *Si cautio*. XIV.

Hoc cap. sumptum est ex *l. Cum de indebito, §. ult. de probation.* et est de instrumento cautionis, quo quis per errorem cavit se pecuniam debere, quam non debet. Et hæc quidem cautio, si fuerit indiscrete concepta, ut ait *d. l. Cum de indebito,* ἀδιακρίτως, ἀσαφῶς, puta non expressa causa debiti, frustra agit ex ea cautione stipulator, nisi probet pecuniam sibi deberi ex certa causa, pecuniam cautione comprehensam. At si causa debiti in cautione expressa sit, veluti mutuum, aut legatum, onus probandi indebiti incumbit promissori prolato alio quodam scripto, veluti, prolatis codicillis, quibus ademptum sit legatum, quod ex testamento se debere caveret, vel prolata apocha, id est, professione solutæ pecuniæ, ut *l. Generaliter. C. de non num. pec. l. Testium. C. de testib.* vel prolatis testibus quinque, quibus rogatis et præsentibus pecunia creditori soluta sit, *d. l. Testium.* et *Nov. de testib. §. 1.*

AD CAP. *Cum P. tabellio*. PEN. et CAP. *Si instrumenta*. Ult.

In cap. pen. ostenditur, instrumenta, quæ tabellio notis excepit, si morte præventus ea complere et absolvere non potuerit, postulantibus iis, ad quos ea res pertinet, ab alio tabellione auctoritate judicis ordinarii, hoc enim exigit, absolvi, et in publicas literas referri posse. Extat hac de re omnino simile decretum Honorii III. *collect. 5. eod. tit. cap. ult.* quod etiam prorsus congruit cum *cap. ult. hoc tit.* Privilegia sive instrumenta quælibet, Collegii aut monasterii si deficiant, id est, instrumentis vetustate exolescentibus, posse ea instrumenta refici et renovari a tabellione publico, auctoritate judicis ad ea instrumenta vetera inspicienda. Et ita fit sæpe.

AD TITULUM XXIII.

De Præsumptionibus.

Ab iis, quæ judex comperta habet ex testibus, vel instrumentis, diversa sunt, quæ ex facto ipso, quo de agitur, vel circumstantiis, ex antecedentibus, vel consequentibus animo præsumit. Quarum tamen, si jure approbatæ eæ præsumptiones sint, non minor vis est, quam instrumentorum aut testium, imo et tanta vis nonnunquam, ut vix contrariæ probationes admittantur, *cap. 2. sup. de restit. spol. cap. 15. et 21. et pen. inf. de sponsal. cap. 6. inf. de condit. appos. cap. 10. inf. hoc t.* Quas tamen probationes sæpenumero admitti non nego, contra præsumptiones scilicet. Ab eo quidem, pro quo præsumptio facit, nulla probatio exigitur, *cap. ult. hoc. tit.* Contraria tamen probatio contra eum sæpe recipitur, etiamsi præsumptio jure recepta et prodita sit, maxime si ita relata sit ea præsumptio in Corpus juris, et recepta, ut ei stetur donec contrarium approbaretur, ut *l. Generaliter. §. Si petitum. in fine, de fideicom. libert. l. 24. et l. seq. et l. 27. de probat. et præsumpt. l. ult. in princ. quod met. caus.* Præsumptioni igitur sæpenumero opponitur probatio, etiam justæ et legitimæ præsumptioni, id est, jure proditæ. Et operæ est me hoc loco in medium proferre exempla aliquot præsumptionum jure proditarum, earum maxime, quibus Græci interpretes, vel auctores juris κατὰ πρόληψιν quid fieri decernive dicunt. Ac primum Justinianus *Novel. 39.* ex generali pignoratione omnium bonorum, et ex generali fideicommisso omnium bonorum, quædam excipi κατὰ πρόληψιν. Et in *Nov. 22.* κατὰ πρόληψιν ex tacita voluntate nubentium lucra nuptialia reservari filiis communibus, etiamsi parentibus hæredes non extiterint. Et *Nov. 136.* argentarios, qui de usuris præstandis pacti sunt, κατὰ πρόληψιν de bessibus tantum usuris pepigisse videri, quæ in centenos aureos quotannis redduntur octonos, quæ civiliores usuræ sunt. Et interpretes Græci ad *l. 8. §. Quarta. de inoffic. testam.* legata relicta ab instituto κατὰ πρόληψιν videri repetita a substituto. Et tacitas hypothecas, vel stipulationes tacitas induci justa præsumptione. *l. ult. C. in quib. caus. pig.* justa præsumptione, id est, κατὰ νόμιμον πρόληψιν. Et in *l. Nesennius. de neg. gest.* aviam alutarse nepotem videri de re, de patrimonio nepotis, non de suo. Et in *l. 8. C. de donation.* mulierem κατὰ πρόληψιν donasse videri filiis prædia sua, quæ filiorum nomine in censum retulit, nisi contrarium probetur, id est, nisi alium animum habuisse probetur. Et in *l. Qui hominum. §. Si Titium. de solution.* eum, qui omnibus negotiis suis procuratorem præposuit, κατὰ πρόληψιν debitoribus suis mandare videri, ut ei solvant. Et *l. ult. fine, C. ad Senat. Maced.* filiumfamilias militem ex præsumptione, ut ait, quod est κατὰ πρόληψιν, pecuniam mutuam accepisse, et expendisse videri in causam castrensis peculii. His addi possunt, quæ notavi in fine *Nov. 22.* et multa alia. Eas vero præsumptiones jus inducere ex eo, quod plerumque fit, indicat aperte *lex 3. et 9. de probat. et præsumption.* indicant et complures alii loci: certe in hoc titulo, quo non nisi justæ præsumptiones exponuntur, eas si excusseris diligenter, invenies ex eo duci, quod plerumque fit: regulæ juris ex eo ducuntur, quod plerumque fit, quod ve fieri solet, sicut et præsumptiones juris.

AD CAP. *Sicut*. I. CAP. *Affert*. II. et CAP. *Ex studiis*. III.

Ostenditur in *cap. 1.* eum, qui clam lædit amicum, per jocum id fecisse non videri, non magis quam eum, qui in eum jacit telum. Et in *cap. 2.* mulier, quæ facile annuit Salomoni jubenti secari corpus pueri, de cujus matre disceptabatur, præsumitur non esse mater, quæ vero id magnopere abominabatur, præsumitur esse mater vera, quod relatum extat in *1. Regum. cap. 3.* Et simili modo apud Svetonium in *Claudio cap. 15.* mater, quæ filium suum, quem scit esse suum, nescio qua ratione ducta, non agnoscit tamen esse suum, ob id solum judicatur esse mater, quod indicto ei matrimonio juvenis,

id maxime refugiat, et abominetur. Congruenter autem cap. 2. statim annectitur aliud ex Bonifacio in prima collectione Bernardi Papiensis, dilectione sola discerni eo quo quis genitus sit, puta filiusne Dei, an diaboli: eum semper, qui ex Deo est, diligere proximum suum; eum, qui ex diabolo, odium habere in proximum suum: et recte ait, dilectione sola. Nam, ut testis est Hieronymus cap. ult. ad Galat. quod censeo summe notandum, hic sermo semper fuit in ore S. Joannis jam præ senio pedibus præpediti, et elati humeris fratrum, *filioli diligite vos invicem*: et cum rogaretur, cur id toties iteraret, ita respondisse, quia *præceptum Domini est, et hoc solum si fiat sufficit*. Nec ab eo longe D. Petrus, quia sate omnia commendat charitatem, eamque dicit esse κάλυμμα, tegumentum omnium peccatorum: quod et Jacobus, Paulus, et Salomon docuerunt. In cap. 3. cum dixisset Salomon in Proverbiis, ex studiis pueri cujusque, quibus adjicit animum, præsumi mores et conditiones pueri si munda sint, et recta opera ejus; id ita interpretatur Hieronymus, ut munde et recte sint opera ejus, quia pueritiæ omne suum studium ponit in virtute colenda, et modestia (sic legendum in hoc capit.) in continentia, et auditione sapientum, et observatione mandatorum domini, et maxime in amplectenda humilitate et simplicitate omni, quæ sunt aurea verba.

AD CAP. *Nullus*. IV.

In hoc c. 4. præsumptionem adversus seipsum inducit reus, qui judicium, et veritatis inquisitionem fugit, adeo ut pro confesso et damnato habeatur, ut *l. Si in liberum. de bon. libert. l. 7. §. Præterea. de suspect. tut.* Novel. 53. §. *Si vero*, illo loco, *qui fugit, aut ipsius accusator est*. Unde et vox illa Senecæ: *Fatetur facinus, qui judicium fugit*. Et cum hoc quidem cap. 4. conjungendus est can. *diceramus* 3. q. 9. qui eamdem inscriptionem habet, nempe Bonifacii ad Episcopos Galliæ, quæ quidem Epistola extat integra apud Burcardum et Ivonem, et constat ex ea fuisse eam emissam adversus Maximum quemdam Episcopum Valentinæ civitatis in Gallia, quem clerici Ecclesiæ suæ multis magnisque criminibus reum postulabant, ipso in jus evocato sæpius, et per contumaciam absente et refugiente omnino Synodi, omniumque judicum judicium.

AD CAP. *Nonne*. V.

Hoc cap. proponitur, eum, qui tacet, consentire videri, quod esse in Proverbio Nazianzenus scribit 2. *de pace*: τὴν σιωπὴν συγκατάθεσιν εἶναι δίδασκει ἡ παροιμία, *Taciturnitatem esse consensum parœmia docet*, quod et plerumque verum est, *l. Item quæritur. §. pen. loc. l. 2. §. 1. ad municip. l. 12. de sponsal.* et *Novel. 123. de sanctiss. Episc. §. Si servus*. Plerumque verum hoc est, sed non ubique semper. Vitiatur enim hæc parœmia in multis casibus, et perdit officium suum, in quibus voluntas expresse requiritur, consensus expressus, nec sufficit tacitus.

AD CAP. *Mandata*. VI. CAP. *Quosdam*. VII. CAP. *Quanto*. VIII. et CAP. *Scribam*. IX.

In cap. 6. ex anteacta vita ducitur præsumptio morum cujusque, qua et Rhetores sæpissime utuntur. In cap. 7. et 8. vicini præsumuntur melius scire vicinorum negotia. Utrumque cap. pertinet ad Africam: nam et 8. scriptum est ad Victorem Episcopum, qui et Primas fuit Africæ, et in cap. 7. nominatim fit mentio Africæ. In cap. 9. qui priores leges eis datas a Domino contempserunt, et posteriores contempturi præsumuntur, quod de Judaico populo dictum est.

AD CAP. *Quia verisimile*. X.

In hoc cap. non tantum declaratur ubi sit præsumptioni locus, sed etiam ubi non sit, ut l. *ult. C. de condict. indeb.* præsumptionem transactionis non induci contra eos, qui dubii et incerti pecuniam quasi debitam persolverunt, et consequenter agentes eos condictione indebiti non posse repelli aliter, quam si ii, a quibus pecuniam repetunt, probent eam sibi debitam fuisse. Et sic in specie hujus cap. 10. justa præsumptio non est, si quis præsumat eum, qui dignitatem, aut personatum aliquem obtinebat in majore Ecclesia, eum cessisse alteri, et in locum ejus subiisse perpetui vicarii munus, quod non est verisimile: *d'estre devenu de Prestre clerc*: et ideo vindicantem eum personatum, vel dignitatem eamdem, non aliter posse repelli, quam si liquido probetur, eum personatum Ecclesiæ, aut dignitatem deposuisse, et suscepisse vicarii. Probari hoc potest testibus idoneis omni exceptione majoribus. Consentiens etiam fama ad movendam præsumptionem nonnihil facit, *l. 3. §. Ejusdem. de testib.* Denique probatio contraria præsumptionem elidit, nisi si qua sit præsumptio omni luce clarior, vel contra quam jure sit proditum, probationem non esse recipiendam.

AD CAP. *Illud*. XI.

Species in hoc capit. talis proponitur. Cum libera mulier longo tempore in consuetudine fuisset servi, non ignara conditionis ejus, et cum uxoris cum eo egisset, ac postea ab eo divertisset: servus egit præjudicio suam esse uxorem petens: idque probat ex instrumento publico donationis propter nuptias a se in eam collatæ vice dotis. Hoc quoque in argumentum nuptiarum testibus probat eam tanquam nuptam annulos gestasse in digitis: quod tamen argumentum levissimum est, cum et licitum, ubi hæc lis agebatur, pellices innuptæ gestent annulos. At prius illud argumentum de instrumento publico donationis propter nuptias, satis idoneum est, eo si cum eo concurrat consentiens fama viciniæ, quæ confirmet eam fuisse uxorem servi, et tanquam uxorem, eadem mensa, eodemque cum illo cubili semper usam, plane quasi justa uxor ad maritum redire compellatur. Hoc enim jure, non jure civili, et inter servos et cum servis justum conjugium est, ut *cap. 1. et 2. inf. de conjug. serv. can. si quis liber, can. si fœmina*, 29. q. 2. Eadem mensa et cubili uti matrimonii argumentum est, apud Poetas argumentum quæsitæ, et adeptæ divinitatis est, si Deus quem mensa, Dea cubili exceperit. Et ex jure civili argumentum libertatis, si servo dominus fecerit potestatem accumbendi suis epulis apud Theophilum, §. *ult. Instit. de libert.* et *Cajum 1. Instit.* Fama item viciniæ idem argumentum, eamdemque nuptiarum præsumptionem præbet, *cap. prox. sup. et cap. ult. de sponsal. in secunda collectione*. Sed omnium maxime valet ad nuptiarum faciendam fidem publicum illud instrumentum, quod tabellio confecit, qui officium, inquit, suum fideliter adimplevit, ut scilicet præsumitur id semper fideliter adimplere, cum ad hoc teneatur ex jurejurando, quod ita est proditum nominatim in *cap. 1. de fid. instrument. in 4. collectione*, et facit ad idem etiam *cap. 13. inf. de præscrip.* Neque vero Pontifex in hoc c. habet rationem ullam eorum, quæ mulier allegabat, instrumentum illud fuisse conscriptum in fraudem domini, puta, quod in eo diceretur, domino sciente, aut volente servum donasse propter nuptias, et nuptias cum illa muliere contraxisse, quia non ideo intelligitur dominus domicium servi amisisse, etiamsi voluntate ejus servus duxerit liberam mulierem. Stat enim matrimonium etiam salvo jure domini, *cap. 1. inf. de conjug. servor.* Quod item testibus mulier illa approbat recusasse se nuptias sæpius interpellatam, et conjunctionem illius hominis, merito rejicitur: quia non ideo consequitur, quod in nuptias postea quandoque consenserit. Denique non probat quid non esse, qui probat id aliquando non fuisse, et ex diverso non probat quid esse, qui probat aliquando fuisse, vel non fuisse. Quod ad matrimonii definitionem attinet, quæ ex instit. Justiniani in hoc capit. proponitur, matrimonium scilicet esse maris et fœminæ conjunctionem, individuam vitæ consuetudinem retinentem, ex ea definitione colligit Pontifex, mulierem, quæ temere a viro discessit, ut ad eum redeat compellendam esse, quia scilicet societas ejusmodi individua est, quia matrimonium est conjunctio vitæ consuetudinem individuam retinens. Pontifex legit, *retinens*, vulgo tamen in institutionibus omnibus legitur continens, quod tamen idem est. Verum inde apud Theophilum pro παρέχουσα, legendum περιέχουσα. Qui rursus cum dicat ἐπαγγελλομένη, ἤγουν περιέχουσα, duplicem lectionem notasse videtur, condicens, sive continens individuam vitæ consuetudinem.

AD CAP. *Literis*. XII. et CAP. *Tertio*. XIII.

Ex cap. 12. hoc intelligimus, justam, certam, et vehementem, aut, ut ait, violentam suspicionem adulterii esse, et incestus, si visa fuerit uxor aliena in eodem cubili nuda cum affini quodam suo cognato mariti æque nudo, ita ut hoc approbato jure possit vir uxorem domo exigere, et ea mortua aliam ducere, non etiam eo mortuo illa alii cuiquam unquam nubere, ut *can. in eo*, 32. *qu.* 7. qui maxime ad hoc caput facit, et tamen non annotatur. Quod autem in hoc cap. dicit, eam suspicionem ex eo esse, quod sæpe illi duo amantes conspecti fuerint per agros, et loca sola oberrantes, idem confirmatur in *cap.* 13. quanquam et detracta hac suspicione in cap. seq. ponatur etiam, quia arguuntor adjurati de stupro fuisse confessi, quod et in facto capituli 12. adulteros, eosdemque incestos fuisse confessos integra Decretalis ponit. Unde et in specie cap. seq. merito dissolvuntur sponsalia præsentibus verbis contracta, quæ matrimonium imitantur, si modo probetur sponsus antea rem habuisse cum cognata suæ sponsæ.

AD CAP. *Literas vestras*. XIV.

Species hæc est: Lucius Titius hæreticus cum resipuisset, et errorem suum palam in Eccl. confiteretur, ei excidit, ut et fratrem suum nominaret quasi imbutum errore pari; at postea negavit se fratrem suum nominasse, juravitque fratrem suum esse Catholicum. Convictus est nominasse. Aut igitur pejeravit posteriore loco, aut ante mentitus est hæreseos insimulando fratrem. Unde ex hac varietate et inconstantia ducitur justa præsumptio, eum aut serio non pœnituisse pristini erroris, aut subito in eundem errorem recidisse, et consequenter præsumptio est pejerasse eum quoque, jurando fratrem esse Catholicum, quem ante dixerat esse hæreticum. Quamobrem etiamsi ex hac suspicione sola Lucius Titius damnari non possit ut hæreticus, sicut nec alio crimine quoquam unquam constat, quemquam ex suspicionibus esse damnandum, *l. Absentem. de pen.* Apulejus 10. Milesia; *Veritatem*, inquit, *criminum, fidemque probationibus certis instrui, nec suspicionibus tantum conjecturam permitti placuit*. Tamen licet, ut dixi, non damnetur statim ut hæreticus, injungenda eidem Lucio Titio est pœnitentia quædam magna, vel explorandæ et pertentandæ ejus fidei, vel pœnitentiæ causa, et de ea quoque pœnitentia peragenda ab eo exigenda est satisdatio idonea sub pecuniaria, sive temporali certa pœna, ut eam pœnitentiam peregerit. Satisdatio, inquam, quia in eo, qui perjurii suspe-

cins est, juratoria cautio non sufficit, *cap. 54. sup. de testib.* Hæc est summa et præcipua sententiam hujus cap. Verum extra ea notari ex eodem cap. potest, quia in eo proponitur quibusdam civibus Charitatis, quæ civitas ad Ligerim sita est, ab Episcopo Altissiodorensi, Episcopo suo, de hæresi insimulatis, cum illi appellassent ad Romanum Pontificem, et Pontifex dedisset judices, qui ea de re omni cognoscerent; partes in eosdem judices compromiserunt. Notandum, inquam, est in judices ipsos partes sub pœna certa, ut fit, compromittere posse, nempe, ut judices non observato rigore juris, si hoc malint, rem ex æquo, et bono inter eos disceptent, dijudicentque ut arbitri, non ut judices, quamquam non desinant esse judices, quod probat etiam *cap. 7. et 12. sup. de arbitr. et c. 21. de præbend, et dignit.* et valde notandum est. Neque huic rei quicquam obstat, quod dicitur, de causa criminali compromitti non posse, quod est verissimum, *l. Non distinguemus. §. Julianus. de recept. arb.* quia et in specie hujus cap. causa non fuit criminalis ordine juris contra hæreticos instituta: sed fuit tantum ex officio Episc. in sua diœcesi de hæreticis habita perquisitio forte gravior, quam par esset.

AD CAP. *Cum in juventute.* PEN.

Species hujus cap. hæc est. Rex Ungariæ apud Innocentium III. per nuntium, et litteras Episcopum Quinqueccclesiensem, quæ civitas olim dicta est Penet in Pannonia inferiori, quæ hodie Ungaria dicitur: Rex, inquam, Ungariæ hunc Episcopum apud Pontificem Romanum deferebat tanquam incesti crimine infamem admissi in neptem suam. Idque Rex faciebat non tam studio castitatis tuendæ, quam vexandi Episcopi gratia, quem non diligebat, quod et populus omnis in Ungaria ferebat, et improbabat. Verum Pontifex non neglecta statim denuntiatione Regis, cum mandasset Jauriensi Episcopo, vulgo Javarin, sic legendum in hoc c. quod sciunt qui periti sunt historiæ Ungaricæ, ut ceteros Episcopos Ungariæ conveniret, et hac de re consuleret, nempe de vita et moribus Episcopi Quinqueecclesiensis, et illi respondidissent omnia præclara de virtute et sanctitate hominis jam ætate provecti, quia etiam verisimile non erat eum in hoc prolapsum dedecus, sive probrum. Et remota ætatis ratione etiam naturale fœdus, ut ait, inter cognatos nihil permittebat sævi criminis suspicari, quæ verba sumpsit ex *l. Cum qui. Cod. de Episc. et cler.* et scribendum, ut in C. Th. *sævi*, ut *sævi dogmatis* in *l. 19. et 53. C. de hæret.* eodem C. Th. Ex antecedente vita etiam suppetebant summæ probitatis argumenta plurima, quæ ejusmodi fuerunt, ut a Romano Pontifice donaretur ille Episcopus jure pallii, qui est summus honos Episcoporum, de quo *sup. de auctorit. et us. pal.* pallii coccinei, et plerumque pallii cum genio, pallii genialis ut Cassiodorus loquitur, *qui est fulcimentum.* Exitum vero hujus negotii fuisse pro Quinqueecclesiensi Episcopo constat ex *c. 12. inf. de purgat. can.* quod cum isto conjungendum est, ut etiam glossa notat.

AD CAP. *Dudum.* ULT.

Hoc tantum in hoc cap. ostenditur, cum presbytero cujusdam Ecclesiæ Pontifex Romanus jubet in ea Ecclesia studiosum quendam nuper prodeuntem ex scholis adscribere numero clericorum, adjecta hac conditione, sive clausula, si idoneus fuerit, hanc clausulam non imponere studioso necessitatem probandi se idoneum esse, cum ab eo præsumptio faciat. Præsumitur enim quicunque nuper ex schola prodiit, idoneus esse, nisi contrarium probetur. Itaque non ipse se idoneum esse, sed presbyter, qui eum non vult recipere, idoneum eum non esse probare debet, secundum ea, quæ diximus in principio hujus tituli.

AD TITULUM XXIV.

De Jurejurando.

AD CAP. *Ex administrationis.* I. CAP. *Pervenit.* II. et CAP. *Si vero.* VIII.

Titulus vigesimusquartus est de jurejurando. Romanus Pontifex tria ante proposuit genera probationum, testes, instrumenta, præsumptiones, his nunc addit quartum, jusjurandum, quod et Rethores addunt, mox additurus, ut et illi, quintum, res judicatas scilicet, sive præjudicia. Et in cap. 1. ostendit, creditores vigore potestatis ecclesiasticæ compelli posse, ut jurisjurandi de solvendis usuris, quod dederunt eis debitores, debitoribus veniam faciant, maxime si subsit justa causa remittendi jurisjurandi, et remittendarum usurarum, ut puta, causa est expressa in antiqua Decretali, si debitores militiæ nomen dederint adversus Saracenos, alioqui jurisjurandi hujus fidem, etsi non exigendam a creditore, implendam tamen a debitore esse, constat ex *cap. 6. hoc. t.* Jurisjurandi, inquam, de solvendis usuris, quod inopia et necessitas debitori extorsit, cum et jurisjurandi, quod vi et metu potentioris caret extortum, fidem servandam esse censuerint, apud quos jusjurandum omne inviolatum, sancteque, observabatur, ut de M. Pomponio Trib. pleb. refert Cicero 3. Offic. qui quod terrore coactus juraverat, servavit. Et similiter adversus jusjurandum, quod minores quam 25. ann. nati dederunt in contrahendo constitutio Friderici non vult dari restitutionem in integrum, quæ subdita est, *l. 1. C. si advers. vend.* sed in iis exigitur, ut vis et metus omnis abfuerit, alioqui restituuntur adversus jusjurandum vi aut metu extortum. Nec mirum, cum et majores 25. annis restitui probet, et solvi jurisjurandi religione, *cap. 2. hoc. t.* quod est de Episcopo Laodiceensi, qui juraverat se non repetiturum, quod ex rebus suis per vim et metum Arenlphus Comes Laodicensis abstulerat, quo tempore in Syria Christiani rerum potiebantur. *Ex rebus*, inquit, *suis*. quæ verba male accipiunt de rebus ecclesiæ, cum in iis minor sit dubitandi ratio. Idem etiam probat *cap. 8. hoc. t.* quod est de iis, qui terrore coacti renuntiant beneficio ecclesiastico, cum obstentatione jurisjurandi, de eo beneficio non repetendo. Qua religione facile absolvuntur a Romano Pontifice. Absolutione opus est: nam certe etiam metu extortum jusjurandum obligat. Ergo restitutione adversus jusjurandum, sive absolutione opus, quod tamen facile impetratur, vi aut metu approbato judici.

AD CAP. *Pervenit.* III.

Ostenditur in hoc cap. eum, qui quid juravit se daturum, facturumve sub conditione, si quid vicissim daret, faceretve is, qui illum adegit jurejurando, illo non implente conditionem, eo jurejurando non obligari, quod est certissimum, *cap. 29. hoc tit.* quia conditionale jusjurandum imperfectum est, et nihil hac in re distat fides nuda a fide jurata, ut hujus capit. 3. illa verba demonstrant: *Juramento, vel fidei obligatione*, id est, fidei nudæ, et *cap. pervenit. in fine, inf. de fidejuss.* et *cap. 3. sup. de his, quæ vi met. caus.* Vox est juris, et legum: frangi posse fidem, ei, qui fregerat prius fidem qualemcumque, fidem nudam, vel juratam.

AD CAP. *Ego N.* IV. et CAP. *Nullus.* V.

In capit. 4. proponitur formula jurisjurandi, quod singuli Episcopi Romano Episcopo, et Metropolitanis suis, ut *cap. dilecti, sup. de major. et obed.* jurare solent, dum confirmantur, vel consecrantur coram positis tactisve sacrosanctis Evangeliis, quod jusjurandum fidelitatis dicitur, eoque adiguntur omnes Episcopi, cum tamen singuli Episcopi non possint a clericis suis idem jusjurandum exigere, nisi si eis committant dispensationem rerum ecclesiasticarum, ut habetur in *cap. 5.* quod cum adscribatur Urbano II. in *can. ult. 22. q. 5.* merito suspicamur superiora quatuor capitula esse Gregorii VII. non III. ut vulgo putant, cujus tempore etiam nondum tale jusjurandum exigebatur ab Episcopis, quale proponitur in *cap. 4.* teste Alberto Krantzio Metropoleos *libro 7. c. 3.* non item Gregorii IX. cujus Constitutiones in hoc volumine, cujus ipse auctor est, non primum, sed ultimum locum cujusque tituli occupant.

AD CAP. *Debitores.* VI.

In hoc cap. quæ alibi non solet fieri differentia inter fidem et jusjurandum, fit tamen in causa usurarum, ita ut si quis, sine jurejurando promiserit usuras creditori, hoc jure, quo omnino vetitæ sunt usuræ, non cogatur eas solvere, si adhibito jurejurando, cogatur eas solvere, non quidem ab ipso creditore, ut dictum est *c. 1.* sed conscientia et religione jurisjurandi cogente sola. Quod illa verba hujus cap. significant, *cogendi sunt domino reddere juramentum.* Domino, non creditori; usuræ hoc jure illicitæ sunt. Hæc igitur est sententia hujus cap. Rei illicitæ jusjurandum Deo reddendum esse, adjecta tamen hac cautela, sive consilio commentitio, ut ubi debitor solverit usuras creditori, quas juravit se soluturum, mox eidem easdem creditor, qui accepit restituat, dicis scilicet causa, ut hoc qualecumque genere Deo satisfaciat. Quis vero lusus hic est? quæ derisio Dei? Melius esset non ita Deo satisfacere, sed de jure pœnitentiam facere. Et similis fere tamen cautela proponitur in *cap. 16. inf. de sponsalibus*, videlicet, ut qui interposito jurejurando fidem dedit sponsæ, si postea mutata sententia monachus fieri præoptet, prius jurejurando satisfaciat contracto matrimonio cum sponsa, mox ea relicta, et intacta transeat ad monachismum, quas ego cautiones duas nullo modo probare possum.

AD CAP. *Ad nostram.* VII.

Creditor pignori accepit prædia, et reditus quosdam hac lege, ut fructus prædiorum, et reditus perciperet, donec sors ei oblata, aut soluta esset, quæ lex pignoris vocatur in jure civili ἀντίχρησις, et jure civili probata est, *l. Si ea pactione. l. Si ea lege. C. de us.* jure autem Pontificio improbata est, et in hoc cap. et in *cap. 1. inf. de feudis*, quia conventioni, usurarum proxime accedit. Idem quoque creditor adegit debitorem jurejurando, per eum non fieri, quo minus ipse prædiis, et reditibus pignori datis libere uteretur frueretur, donec omnis pecunia sibi solveretur. Qua ex causa Archiepiscopus Rothomagensis, qua in provincia ita res gesta erat inter creditorem et debitorem, creditori ad postulationem debitoris tanquam usurario inflixit excommunicationem, cum tamen creditor ex fructibus (qui utique, ut et hic significatur, intelliguntur semper deductis expensis fructuum percipiendorum causa factis, *l. Fructus eo. mat. tit. l. Quod in fructus de usur.*) eum, inquam, creditor ex iis fructibus deductis impensis nondum sortem recepisset, qua recepta se contentum esse dicebat, nec supra sortem quicquam amplius desiderabat. Debitor quoque eidem creditori contra fidem jurisjurandi abstulit prædia, quæ dederat, et reditus. Quod cum iniquum videretur, se plane

iniquum esset, jubet Pontifex creditorem absolvi vinculo excommunicationis oblata cautione idonea parendi judicio Archiepiscopi. Jubet item creditori restitui prædia pignorata, et reditus, donec sortem integram ex fructibus percepisset. Fructus imputentur in sortem, non etiam cedunt hoc jure lucro creditoris in vicem usurarum. Unde si quid supra sortem ex fructibus creditor perceperit, id protinus restituere debitori debet, ut *capit.* 1. 2. 8. *inf. de usur.* Additur in antiqua Decretali in banc rem, usurarum crimen esse detestabile, et horrendum valde, et utriusque Testamenti paginis damnatum, usurarum scilicet, quæ propter lucrum infliguntur: nam quæ propter moram debitoris petuntur, hoc jure non prohibentur, ut glossa notat recte in c. *conquestus. inf. de usur. et l.* 5. *C. de act. emp.*

Cap. 8. jam conjunxi *sup.* cum. c. 2.

AD CAP. *Ex rescripto.* XI. et CAP. *Cum contingat.* XVIII.

Scripta est constitutio cap. noni Senonensi, et Cabilonensi Episcopis (sic est corrigenda inscriptio) cui etiam congruit mentio Tremensis monasterii, quod est in Diœcesi Cabilonensi. Species autem, quæ in ea proponitur est hujusmodi. Credidit quidam certam pecuniam Abbati Tremensi, qui quosdam ex monachis suis creditori eo nomine obsides dedit, quod et potuit quasi homines suos, quia etsi liber homo a nemine pignori dari possit, tamen obses dari potest ab eo, cujus juri subjectus est. Et separanda omnino est datio pignoris, imo et datio fidejussoris, a datione obsidis. Monachum Abbas obsidem dare potest: fidejussorem non item. Ipse quidem monachus pro alio fidejubere potest Abbate auctore, *c. pen. inf. de fidejuss.* sed non potest etiam ab Abbate fidejussor dari, sicut nec pignori, quia liber homo est, *l. ult. quæ res pign.* Monachismus non aufert libertatem. At in specie proposita Abbas creditori Monachos obsides dedit, qui jurati se creditoris quodammodo potestati subjicerent quoad credita pecunia soluta esset, addita hac lege, ut his monachis defunctis nondum soluta pecunia, alios in eorum locum monachos obsides Abbas substitueret. Dedit etiam in causam idem Abbas hujus crediti laicum quendam locupletem, et uxorem ejus fidejussores, qui idem adpromiserunt, quod Abbas ipse, et obsides interposito jurejurando, ut hic proponitur. Atque ita distincte separantur obsides a fidejussoribus. Ac præterea ostenditur recte mulierem juratam fidejubere pro alio, nec juvari Senatusconsulto Vellejano; quam sententiam Bartol. tuetur in *l. Si quis pro eo. de fidejuss.* et confirmat *cap. cum contingat. infra, et istud. cap.* evidenter, quo quæ sub potestate viri et uxoris qui pro Abbate fidejusserunt cum jurejurando, quæ, inquam, sub potestate eorum sunt possessiones, interdictionis sacrorum subjiciuntur, ni quod uterque jurati caverunt adimplerent: simul et Abbati, et monachis interdicitur ingressus ecclesiæ, si jurijurando non satisfecerint. Sed prius illud abrogatum ex Constitutione Bonifacii, quæ extat in Extravagantibus, ut loquuntur, communibus, *c.* 2. *de sent. excomm.* qua cavetur ne propter senioris, ut vulgus loquitur, sive domini perfidiam, aut perjurium in solvendo ære alieno villis ejus, aut castris sacris interdicatur, vel propter æs alienum. Mulieres autem, quæ intercedunt pro alio interposito jurejurando non juvari Senatusconsulto Vellejano, etiam hac ratione confirmari potest, quoniam minoribus comparantur, *l. ult. C. de jur. et fact. ignor. l. ult. C. Th. de integr. restit.* Cum autem hodie ex Constitutione Friderici, quæ solet inseri titulo *C. si adversus vendit.* minoribus non subvenistur adversus jusjurandum: ergo nec mulieribus subveniri debet, cum alias utriusque jura impense, et prolixe opitulentur et faveant. Magnum etiam hujus sententiæ argumentum præbet *d. c. cum contingat*, quod est 28. *infr.* nam, ut ibi cavetur, si jusjurandum mulieris hoc efficit, ut alienatio rerum dotalium, vel rerum donatarum propter nuptias facta e merito consensu mulieris, quæ ex Constitutione Justin. non valet, *l. Un.* §. *Et cum lex. C. de rei ux. act.* et *Nov.* 61. valeat tamen propter jurisjurandi religionem: si, inquam, jusjurandum hoc efficit, cur non valebit etiam intercessio mulieris adhibito jurejurando? Ita sunt vires jurisjurandi, cujus certe est major vis, quam fidei nudæ, ut et in aliis quibusdam, quæ studiose collegit Petrutius quidam, atque conjecit in unum librum singularem, inscriptum de viribus jurisjurandi, nec tamen collegit omnes vires, certe non illud, quod introduxit Novella Leonis 72. ut pactum non censeatur esse nudum adhibito jurejurando, vel nomine divino, sive sanctissimæ Trinitatis adscripta invocatione in ipso contractu, ut fit hoc modo: *In nomine Domini*, vel *in nomine Sanctæ, et individuæ Trinitatis*, vel etiam adscripto signo crucis salutiferæ. Neque vero etiam sunt quas ille refert omnes veræ jurisjurandi vires. Nam quod tentat, ut et glossa hoc loco, pactum legis commissoriæ valere in pignoribus adhibito jurejurando, tantum abest, ut comprobetur *cap. pen. inf. de pignor.* quod in hanc rem adducitur, ut contra ex eo cap. potius approbetur, ut sive pacto, sive jurejur. ea lege pignus detur, ut eo die sorte non soluta pignus creditoris dominio cedat, quæ lex commissoria dicitur, et olim fiducia dicebatur, ut inquam, potius hoc approbetur, eam conventionem non valere, ut *l. ult. C. de pact. pign.* Nihil etiam ad majores vires jurejurando adjiciendas, quamvis id Procopius 2. de bello Vandalico dicat, ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἀπάντων ὕστατον etc. nihil, inquam, facit *l. Si quis major. C. de transact.* quoniam ut major 25 annis non possit pacto, vel transactioni contradicere, non tam jusjurandum id facit, quod pacto subjectum est, quam pœna, ut significat supradicta *Novella Leonis* 72.

AD CAP. *Querelam.* X.

Coercetur etiam hoc cap. 10. is qui jurijurando non satisfecit. Quendam enim presbyterum certæ ecclesiæ, cui eam Canonicus quidam concesserat sub onere præstandæ sibi modicæ pensionis annuæ cujusdam in pecunia numerata, quam et is juraverat præstaturum se, et longo tempore præstiterat, postea præstare desierat, ita coercet in hoc cap. 10. Pontifex, ut ecclesiæ administratione presbyter ille exutus eam Canonico restituat, a quo eam acceperat. Canonicus, qui concedit alii ecclesiam, cujus ipse rector est, reservare sibi potest pensionem certam in annos singulos, ut *cap.* 6. *sup. de pact.* quod etiam recte fit transactionis causa, *cap. ult. de præbend. et dign.* vel auctoritate Romani Pontificis, *cap. quamvis. eod. t. in* 6. Et constituitur pensio, vel in nummis, ut in specie hujus cap. in duobus Byzantiis, vel in fructibus beneficii. Sed nimium quidem constitui poterat pensio, ut legi ego in Taxa, sic vocatur, Cancellariæ Apostolicæ, tertiæ partis fructuum: post cœpit constitui mediæ partis: specialiter autem in Francia omnium fructuum, ita scilicet, ut omnes fructus cederent pensionario, beneficiarius habeat quotidianas fidelium erogationes, vel si quæ alia emolumenta ecclesiæ, quam regit, obvenirent. Quod tamen hodie non servatur coarctatis plerunque pensionibus ad tertiam partem fructuum. Quod autem ponit in hoc capit. pensionarium per biennium continuum a pensionis solutione cessasse, ex eo liceat colligere, biennii cessationem hoc jure requiri, ut ecclesia a pensionario ad eum, qui eam concessit, recurrat, ut ei committatur. quod forte receptum est exemplo coloni, vel inquilini, qui biennio cessavit in pensionis solutione, et ob eam rem expelli potest, *l. Quæro.* §. *Inter.* et *l. Cum domini. loc. cap. pen. inf. locat.*

AD CAP. *Tua nos.* XI.

De pensionibus, quæ beneficiis imponuntur, est etiam cap. 11. et de pœna perjurii, sive incauti, et illiciti jurisjurandi. Monachis sæpe jus est clericis conferendi curam et administrationem certarum parochiarum, sive ecclesiarum, quod non faciunt tamen nisi imposita, et excepta sibi pensione certa, quam si clerici ab eis nominati iisdem juraverint se majorem præstaturos, olim moris, et consuetudinis fuerit, ac deinde cum instituerentur rectores in illis ecclesiis ab Episcopo, nominationem enim monachorum sequi debet institutio Episcopi, juraverint Episcopo, se solemnem tantum pensionem præstaturos, quam scilicet antecessores præstare soliti essent; hoc posterius scilicet jusjurandum plane congruit concilio Lateranensi, quo cavetur, pensionem aut censum ab antiquis ecclesiis impositum augeri non posse, *cap.* 7. et 15. *inf. de censib. cap.* 6. *sup. de pact.* ideoque servandum omnimodo est posterius jusjurandum, quod clerici dederunt Episcopo cum instituerentur, *quand l'Evesque les installoit*, non etiam prius jusjurandum, quod monachis dederant. Et tamen, quia id dederunt temere, et inconsulte contra tenorem concilii Lateranensis, et quod igitur jure implere non poterant, beneficio, quod iste mala ratione adepti sunt, indigni esse censentur.

AD CAP. *Cum quidam.* XII.

Duæ sunt partes hujus cap. 12. In priori dicit, perjurium in Episcopis tanto gravius coerceri, quanto majori Episcopi eminent dignitate. Recte. Nam, ut est in *can. nulli fas.* 25. *quæst.* 1. *majore reatu delinquit, qui potiore honore fruitur, et graviora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium.* Et Theodosius in Novel. de sepulchris *Vehementius*, inquit, *est coercendus, quem peccasse miseris: scelus*, inquit, *omne gravius facit claritudo personæ.* Et similiter M. Cato apud Valerium lib. 2. cap. 4. *magis notandum eum esse, qui amplissimi honoris majestatem tetro facinore inquinarit.* Et Ennodius in epistolis: *excellentibus crimen esse, quod digna veneratione persona commiserit.* Et additur ratio in hac priori parte, quia exemplo eorum, qui præstant ceteris dignitate, alii provocantur ad similia facinora perpetranda, ut *can. præcipue* 11. *quæst.* 3. Et regulariter M. Tullius tertio de legibus: *Perniciosius de Repub. mereri vitiosos Principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem, nec solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed quod corrumpunt: plus exemplo*, inquit, *quam peccato nocent.* In posteriori parte hujus cap. ostenditur, illicitum esse jusjurandum impium, inhonestum, inhumanum, si quis juravit se nunquam verba commuraturum cum patre, vel matre, fratre, vel sorore, nec quicquam eis ad cultum, et victum suppeditaturum: et ideo nec esse servandum, absolvi eo juratorem ipso jure, ut docuimus in *cap. ult. de test. cog.* et perperam et temere etiam dati tam impii jurisjurandi juratori pœnitentiam injungendam esse.

AD CAP. *Sicut.* XIII.

Simile est quod cavetur in *cap.* 13. de Priore monasterii cujusdam ordinis B. Benedicti (Beatum vocant Pontifices, non sanctum) qui προπετῶς, temere, ut jura loquuntur, et iracundiæ calore quodam juraverat contra fidem devotionis, et professionis in eo monasterio se nunquam esse moraturum quamdiu in eo esset alius quidam monachus, cum quo ei non bene conveniebat: vel quem ferre non poterat; cujus inconsulti jurisjurandi etiam dicitur monacho esse injungenda pœnitentia. Jusjurandum igitur temere datum calore quodam iracundiæ, coercendum esse, ut *l.* 2. *C. de. reb. cred. l.* 2. *C. ad leg. Jul. majest.* Et in monacho illo hæc erat specialis ratio, quæ est expressa in antiqua Decretali, quod regula B. Benedicti, quam fere omnes monachi profitentur, omnino jurare prohiberet, ut legitur in eadem regula, quæ formis jamdiu expressa est, nec lectio ejus inutilis, *cap.* 4. non jurare, ne forte perjuretur.

AD CAP. *Veritatis*. XIV.

Hæc Constitutio scripta est ad Guilielmum II. Siciliæ regem, qui Bonus appellatus est, et incipit a notissimo illo verbo Euripidis, ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας, *Veritatis simplex oratio est*. Cum vero esset Rex Siciliæ, ut est etiam hodie, feudatarius Romani Pontificis, atque ideo obnoxius præstando juramento fidelitatis, et hominii, *qu'on appelle homage*, Romano Pontifici: id quidem juramentum Clemens III. singulari quadam indulgentia remisit Guilielmo, non remisit fidem non hominium; sed onus subeundi jurisjurandi: ita tamen, ut id jusjurandum hæredes, sive successores singuli ejus Guilielmi omnino darent sibi, et singulis successoribus suis. Unde orta est quæstio, vivo adhuc Guilielmo, vivoque Clemente, an si id semel quandoque successores Guilielmi præstitissent Romano Pontifici, eo Pontifice defuncto, id etiam rursus præstare cogerentur novo Pontifici? Et respondet Clemens, quod notandum, satis esse jusjurandum semel præstari uni Pontifici, sequentibus autem Pontificibus id non esse præstandum, reipsa tantum exhibendam eis fidelitatem esse, et clientis, hominisve officium, et obsequium esse perinde, ac si eisdem jusjurandum dedissent. Homagium vulgo scriptum est in hoc cap. et rectius in antiqua Decretali habetur *hominium*, ut plerique alii auctores melius loquuntur. Ivo Carnotensis dixit in Epistolis *hominatum* non male: nam promiscue dicimus *dominium*, et *dominatum*.

AD CAP. *Verum*. XV.

In secunda collectione Decretalium annotatur hoc cap. partim esse cap. *cum non ab homine*. Quod partim scilicet extat in *cap.* 10. *sup. de jud.* partim in *cap* 14. *inf. de sentent. excommun.* Verum eam annotationem non puto esse veram: quia res omnis cap. *cum non ab homine*, quatuor quæstionibus concluditur, et ea, qua de agitur in hoc c. est quinta, quæ Pontifici proposita fuit a Brundusino Archiepiscopo, ut habetur in eadem collectione secunda. Propositæ igitur ab eo sunt quinque, cum quatuor illæ tantum propositæ fuerint a Strigoniensi Archiepiscopo, ut certis conjecturis memini me probare in *d. c.* 10. *de judic.* Varietas igitur est summa in numero quæstionum, et in persona consultoris, forte, et in summæ personave consulti Pontificis, qui in illis cc. est Clemens III. in hoc cap. Cælestinus III. Sed iis omissis videamus, quæ sit sententia hujus cap. Omnia conservandæ salutis honesta et licita sunt, *l. 1. de bonis eor. qui ante sent. mort. sibi consc.* M. Tullius, pro Milone: *Omnis*, inquit, *est honesta ratio conservandæ salutis*. Imo et per consequentiam conservandarum quoque rerum suarum: quia his rebus sustinetur vita salusque nostra, hæ sunt nobis pro viatico. Unde si quid juravero conservandæ salutis meæ causa, nec id postea servavero, est sane causa, qua absolvi me jurejurando oporteat, ut pejerasse lethale non sit animæ meæ. Et ita definit Cælestinus in hoc cap. idque confirmat ex *can.* 3. 4. et 5. 15. *qu.* 6. Hos enim proculdubio canones intelligit, quibus quidem canonibus constituitur, subditis Principi excommunicato, vel abdicare se principatu jusso, etiamsi ab eo jurejurando adacti fuerint servandæ fidelitatis, gratia fit jurisjurandi, quod id jurasse videantur conservandæ suæ salutis causa, metu sive terrore Principis, ideoque a jurejurando absolvantur.

AD CAP. *Veniens*. XVI. et CAP. *Quintavallis*. XXIII.

Erat inter cives quosdam Venetos lis vel controversia de maledictis et conviciis factis invicem, et quia ea lis sive controversia facile perimitur, veluti pacto ex XII. Tab. et transactione, et jurejurando, et dissimulatione, vel satisfactione qualicunque, *l. Non solum.* §. 1. *f. Sed si unius.* §. *Si ante. de injur.* l. *Si tibi.* §. 1. *de pact.* et brevitate quoque temporis, nempe silentio anni. injuriarum actio est annua. nec ulla est in jure infirmior actio. Cum cives illi Veneti arbitrium satisfactionis permisissent Lucio Titio, jurassentque se ei obtemperaturos, et Lucius Titius nimium acerbe in unum ex iis arbitratus fuisset, puta ut satisfactionis gratia abstineret curia Ducis Venetorum, cui erat a consiliis, et in qua plerisque ecclesiis in jure suo defendendo adesse solebat; Pontifex censet jurisjurandi religione absolvendum eum esse, quia si existimasset tam acerbe arbitraturum fuisse Lucium Titium, id est, si existimasset iniquum arbitraturum fuisse, id quod juravit non jurasset: vel, ut dicam apertius, quia non comprehenduntur jurejurando casus, de quibus verisimile est eum, qui juravit, non cogitasse, ut c. 21. *inf. illo loco, nec habebas in mente etc.* et in c. 23. *h. e ipso tit.* in quo etiam iniquissimum et acerbissimum fuit arbitrium in causa injuriarum. Pater enim earum mulierum, quæ injuriam aliis mulieribus fecerant, iisdem mulieribus, quæ injuria affectæ erant promiserat, jurejurando adhibito promittens se pariturum arbitrio earum, id est, se satisfacturum injuriis pro arbitrio earum. Ita autem decreverant illæ mulieres, ut si deinceps, vel uxor, vel filii, vel filiæ ejus litem sibi injuriam inferrent verbo vel facto, uxorem domo exigeret, filios autem, vel filias exhæredaret. Quod arbitrii tam iniqui et vesani genus nunquam patri venerat in mentem, itaque nec id jurejurando comprehendisse intelligitur. Sicut in pacto, vel transactione venire non intelligitur id, de quo cogitatum non docetur, *l.* 7. §. *ult. de transact.* ita nec in jurejurando. Et facit proprie ad hanc rem *l. Si libertus. de oper. libert.* Libertus juraverat se tot operas patrono daturum, quot patronus arbitraretur: sensisse intelligitur non de quolibet arbitrio, sed de arbitrio boni viri tantum: et ideo non aliter arbitrium patroni ratum habendum est, quam si æquum arbitratus fuerit, quia ut subjicit ea lex, plerumque ea mens est personam certam arbitrio substituentium, vel certæ personæ arbitrium eligentium, ut id faciant, quia recte eam arbitraturam putant, non quod vel immodice obligari velint. Facit etiam ad hanc rem, *l. ult. in princ. ad municip.* ubi Impp. ajunt gratiam se facere jurisjurandi Decurioni, qui juraverat se Ordini sive Curiæ non interfuturum, si postea ille Decurio Duumvir creatus fuerit, qui in ordine semper est primus, quasi magistratus municipalis, vel quasi Princeps Senatus municipalis. Nam cum juravit se Ordini non interfuturum, non intelligitur de hoc casu cogitasse, si Duumvir fieret, sed se non interfuturum, ut Decurionem.

AD CAP. *Brevi*. XVII.

Breve est, quod annotari oportet ad hoc cap. 17. Superioris cap. constitutio, et est integrior in tertia collectione, *cap.* 2. *eod. t.* mentionem facit advocati, qui jurejurando obstrictus erat, ut interesset consiliis Ducis Venetorum (legendum enim in eo cap. 1. *consiliis* non *conciliis*) qui item jurejurando obstrictus erat, ut adesset causis agendis defendisque certarum ecclesiarum. Unde quia posset quæri, an is excusaretur a perjurio si interpellatus per judicem, ut adsit causis ecclesiarum defendendis, ad Romanum Pontificem appellet, quasi in ea re a judice gravatus injusto, merito subjicitur hoc cap. quo definitur, appellationem non excusare a perjurio, imo magis innectere perjurium, appellationem non esse perjurio obtentui.

AD CAP. *Quanto*. XVIII.

Constitutio hujus cap. scripta est Petro II. Regi Aragonum, sive Aragonim. Sic depravate appellatur hodie Tarraconensis Hispania, Aragonia, pro Tarraconia, Petro, inquam, scripta est cognomento Catholico, cui persuaserunt quidam, ut juraret, se ad certum tempus non reprobaturum, ut constituerat, certam monetam non justi ponderis, quæ vivo patre suo Alphonso II. inolinverat. Quæ res cum esset populo inutilis, atque damnosa, et actus pœnitentia Petrus desideraret a Romano Pontifice jurisjurandi veniam, Pontifex rescripsit in hunc modum adhibita distinctione: aut falsam eam monetam esse credebas, aut legitimam. Si falsam, non debes servare jusjurandum: quia jusjurandum æquitatis, non iniquitatis tuendæ, et introducendæ causa conditum est, *can. inter cetera.* 22. *quæst.* 4. *cap* 3 *de jurejur. in* 3 *collectione*. Imo hoc casu jurisjurandi temere effusi pœnitentiam agere debes, quam indixerat Cæsar, Augustanus Episcopus, ut est in antiqua decretali, *qu'on appelle Saragosse*, qui est hodie Aragonim Metropolitanus ex constitutione Joannis XXII. Sin vero monetam legitimam omnino, ut conceptum est, sed hac ratione, et via servata, ut in locum monetæ paternæ, quæ non est justi ponderis, aliam justi et debiti ponderis formari jubeas sub nomine et imagine patris tui, ceterum, ut abroges, et conflari jubeas veterem, quæ deficit in pondere. Hoc est consilium, quod Regi dat Pontifex, quo, si verum amamus, falsam monetam aliam falsæ monetæ supponi suadet, et clavum, ut dicitur clavo trudit. Est enim falsa non minus quæ nomen Alphonsi præ se fert, qui nunquam cudi eam jussit, quam quæ jussu ejus causa postea justo pondere diminuta est. Verum, ut excusemus Pontificem, major illa, quam hæc falsitas fuit, ac plane minor corrigit majorem. Ac rursus illa Reipublicæ detrimentosa fuit, hæc non item.

AD CAP. *Veniens*. XIX.

Hic erat usus et mos communis in civitate Tudertina, quæ est in Umbria, *qui est le Duché de Spoleto*, ut qui in ea crearentur Consules annui jurarent, ex causa mutui, vel fidejussionis quoties ageretur apud se, secundum consuetudinem civitatis pronuntiaturos se, et quod pronuntiassent executuros se intra dies XXVIII. Qua ex re fiebat, ut si ab eorum sententia fuisset appellatio interposita ad Romanum Pontificem, tamen non habita ratione appellationis, plus deferendo jurijurando, quo devincti erant, quam appellationi suas sententias exequerentur intra dies XXVIII. Id vero Pontifex in hoc cap. maxime improbat, quia jusjurandum illud non potuit derogare juri superioris, id est, Romani Pontificis, sive juri publico, quo quidem damnato appellare permittitur, quandoquidem in omni jurejurando semper exceptum intelligitur jus superioris, quod scilicet non fiat in injuriam et præjudicium superioris. Quod et de voto est expressum in *can. manifestum*. 33. *q.* 5. ubi hoc de re est glossema valde suave, ut videtur. Fidejussiones, sive intercessiones in hoc cap. idiotismi verbo vocat plegiarios, *pleiges* non ut est editum, plagiarios.

AD CAP. *Ad nostram*. XX.

Ad cap. 20. hoc annotare satis erit, usuras hoc jure illicitas esse, *cap.* 6. 7. et *tot. t. de usur.* et ut in hoc cap. proponitur, si debitores usuras solverint creditori fœneratitio, addito jurejurando, de non repetendis usuris, quas tamen postea moriens creditor in testamento damnaverit hæredes suos restituere his omnibus, quicunque approbarent se pecuniæ creditæ usuras defuncto persolvisse, quod et plerique hodie fœneratores faciunt in extremo vitæ periculo: esse quidem hujus legati petitionem debitoribus salva religione non posse: sed tamen ultro hæredes debere officio judicis extra ordinem compelli ad reddendas usuras, ad implendam voluntatem defuncti, ut *l. Servos. de alim. leg. l. Hæreditas. de petit. hæred*

AD CAP. *Ad nostram.* XXI.

Archiepiscopus Neapolitanus initio Pontificatus jurare coactus quodammodo fuerat, se in omnibus causis ordinem judiciorum solemnem servaturum. Ejus jusjurandum interpretatur Pontifex de causis dubiis et controversis, non de manifestis et notoriis, ut vocant, quæ accusationem, et ordinem judiciorum non requirunt, *can. manifesta* 2. qu. 1. c. 3. *sup. de testib. cogend.* ubi id fusius exposuimus.

AD CAP. *Ea te.* XXII.

Hoc cap. est de jurejurando fidelitatis quod cum præstare deberet Romano Pontifici judex Caralitanus, qui est in Sardinia (Caralis præcipua civitas Sardiniæ) cum, inquam, id jusjurandum præstare deberet Romano Pontifici, qui totius tum Sardiniæ dominationem obtinebat, *c. Si diligenti, inf. de præscript.* quod cum isto conjungendum est, cumque ut id fidelitatis jusjurandum exigeret ab eo judice nomine Romani Pontificis, Romanus Pontifex mandasset Archiepiscopo Turritano, qui etiam est in Sardinia: judex id præstare maluit Archiepiscopo Pisano, forte secutus morem priscum majorum, quia dum Pisanis parebat Sardinia, id solebat præstare tum Archiepiscopo Pisano. Verum id ita præstitit Archiepiscopo Pisano judex Caralitanus ut adjiceret hanc clausulam, salvo Apostolicæ sedis honore: cui tamen maxime detrahebat, cum quod ei sedi exhibendum erat jusjurandum, dabat alteri: et ideo ea clausula eum non excusat, quia si id fidelitatis jusjurandum, quod Pisano dedit, repugnat fidelitati et hominio debito Pontifici Rom. ab eo desciscere debeat tanquam illicito et indebito, et Romano Pontifici, quod debet, exhibeat. Sicut Panormitanus hoc loco solet, non excusat a convitio objecti mendacii hæc adjectio, mentiris salva reverentia tua, quæ adjectio plane derisoria est potius, cum quis aliud agit, aliud loquitur. Et hoc, ut dixi, si fidelitatis jusjurandum, quod Caralitanus Pisano dedit, repugnet fidelitati debitæ Ecclesiæ Romanæ: alioquin si id contrarium non sit juri debito Ecclesiæ Romanæ, definitur hoc loco, utrique recte præstari hoc jusjurandum, Romano et Pisano Pontifici, et utrique esse servandum: præstari fidelitas pluribus dominis potest ex variis causis. Judex vero Caralitanus, cujus hic fit mentio, fuit Marchio Massæ in eadem insula, ut constat ex d. *cap. si diligenti.* Ut judex Arboreæ in eadem provincia insula, hodie est Marchio Arboreæ. Unde et in antiqua Decretali *cap. 8. hujus t.* in 3. collectione, judicis Caralitani nobilitatem appellat, quia Marchio erat, et ex genere illustri. Nobilitas est virtus generis, ut Aristoteles definit 3. *Polit.* εὐγενεία ἐστιν ἀρετὴ γένους.

De cap. 23. quod sequitur, dixi satis supra in cap. 19.

AD CAP. *Tua nos.* XXIV.

Hoc cap. est de jurejurando, quod divortio facto jurarunt conjuges invicem, puta se nunquam redituros in gratiam, neque mulierem virum repetituram unquam, nec virum mulierem. Quod jusjurandum, quia temerarium et illicitum est, ut c. 13. *sup. et c. seq. §. Illud*, et quia etiam post illud jusjurandum, et divortium consecutum est adulterium ex utraque parte: ideo Pontifex censet, viro repetente uxorem, cogendam eam esse omnimodo, ut ad eum revertatur, nisi malit uterque vovere castitatem et continentiam. Certe si ex diverso uxor virum repetat, et uxor absolvitur religione jurisjurandi, et vir, qui eam recipit non committit jusjurandum, quia uxorem non repetiit ipse, sed recepit, qui de non recipienda ea nihil juraverat, sed de non repetenda. Et ita est proditum in Constitutione quadam Innocentii ad Vivariensem Episcopum, quæ extat in Registro ejus sub titulo de divortiis, sub quo etiam in eodem Registro ponitur Constitutio hujus cap. quod satis ostendit in specie hujus cap. divortio fuisse adjectum jusjurandum, de quo hic agitur.

AD CAP. *Quemadmodum.* XXV.

Hoc cap. est de jurejurando, quod viri aliquando initio matrimonii contrahendi uxoribus jurant, se nunquam eas dimissuros vel repudiaturos. Cui quidem jurijurando Pontifex definit justa præsumptione inesse tacitam conditionem, sive exceptionem, si matrimonii fidem non violaverint. Namque sine metu religionis ex causa adulterii vir etiam si id juraverit, quod ante proposui, uxorem domo exigere potest. Hæc enim videtur fuisse mens ejus, quid id juravit. Eademque ratione in sponsalibus dicimus, hanc conditionem inesse, cum quis scilicet juratus promittit se aliquam ducturum in matrimonium, hanc conditionem, inquam, si interim spem matrimonii non violaverit. Quod comprobat argumento a minori ad majus, ut Aristoteles loquitur, Quintilianus vocaret a *majori ad minus;* si justa uxor ex causa adulterii dimitti potest, quod erat minus probabile, et sponsa quoque ex eadem causa poterit repudiari, et uxor non duci domum, quod est magis probabile, nempe ut facilius solvantur sponsalia, quam nuptiæ. Affert Pontifex in hanc rem illud Ovidii

Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes. Utitur etiam alio argumento: sponsam, quam ante nuptias invasit vitiligo, id est, lepra, vel sideratio, sive nervorum resolutio, quæ paralysis dicitur, vel cæcitas, vel quæ alia corporis truncatio fœda, uxorem ducere non licet. Cur non etiam post sponsalia stupro conspurcatam? Ante sponsalia sponsa, vel ante nuptias uxor, ut se gesserit non spectatur, sed post sponsalia, vel post nuptias. Denique post fidem datam viro, si vel sponsaliorum, vel matrimonii fidem violaverit, proculdubio, aut non duci, aut ducta dimitti potest, non habita ratione jurisjurandi mulieri a viro præstiti, de ea nunquam dimittenda, vel de ea ducenda in matrimonium, quia in jurejurando vir hos casus non comprehendisse, imo a jurejurando hos casus animo suo exclusisse et excepisse videtur, si fidem violaret, si ante nuptias incideret in lepram, vel alium morbum sonticum. Quæ posteriores causæ licet non dirimant contractum matrimonium, impediunt tamen contrahendum: sicut de furore dicitur, furore superveniente non dirimi matrimonium, impediri tamen, quod nondum contractum est, ne contrahatur. Et aliis etiam casibus plerisque, quæ causa non dirimit contractum matrimonium, impedit tamen contrahendum, *cap. 22. sup. de testib. cap. pen. et ult. inf. de divort. cap. ult. qui fil. sint leg. c. 4. inf. qui cler. vel vovent. l. Patre furioso. de his, qui sunt sui vel alie. jur. l. Oratione §. ult. de rit. nupt. l. Furor. de sponsal.* Tertullianus 2. ad uxorem: *Dominus*, inquit, *magistratum habet matrimonium cum gentili non contrahi, quam contractum ante conversionem omnino disjungi.* Unde et hoc loco Pontifex de sponsa scribens, quæ leprosa facta est post sponsalia, vel quæ in alium morbum perpetuum, et sonticum, atque deformem incidit, quærit, an uxorem ducere cogatur sponsus, quamvis, inquit, interdum contractum non dirimat, quod impedit contrahendum, id est non obstante eo, quod vulgo dicitur, et ab eo repetitur ex Accursio, contractum matrimonium non dirimere, quod impedit contrahendum. Verum ita sane Pontifex censet, impediri matrimonium superveniente inter moras contrahendi matrimonii morbo sontico. Illa additur hoc ipso cap. §. *Illud*, si vir juraverit, se uxorem nullo unquam de crimine accusaturum, jusjurandum esse illicitum, et contra bonos mores, quia tali conventione mulieres ad peccandum invitantur. Unde si uxor postea desciverit a fide Christiana, et transierit ad Paganismum, infert impune eam accusari, et judicio ecclesiæ dimitti posse, et aliam uxorem duci, ex *can. si infidelis 28. quæst. 1.* et *can. si infidelis 28. quæst. 2.* et *cap. 7. inf. de divort.* Quod tamen cap. 7. non admittit, ut scilicet alia uxor ducatur, nisi cum ex duobus paganis, sive gentilibus alter fit Christianus, alter paganus manet, repudiatque Christianum, vel Christianam. In casu autem hoc loco proposito, cum ex duobus Christianis alter manet Christianus, alter fit paganus, statuit cap. 7. *de divort.* manere matrimonium. Nec igitur aliam uxorem duci posse, cum tamen hic dicatur uxore facta pagana, virum, qui in fide Christiana permansit, et ab ea repudiatus est, uxorem omnimodo dimittere posse, quoad lectum scilicet, et quoad jus connubii, quod plane est, etiam uxorem ducere posse. Verum additur hic modus in hoc cap. qui rem omnem expedit, si interpellata mulier, quæ pagana facta est, noluerit resipiscere, et ad virum reverti, nisi et ipse fidem Christianam ejuraverit, et accusata damnataque muliere apostaseos judicio ecclesiæ, eam dimiserit. Ilis omnibus concurrentibus sane eam omnimodo dimittere potest, dirempto matrimonio omnimodo, et aliam igitur impune ducere. Improbum etiam videtur esse jusjurandum, ut etiam in hoc §. proponitur, si quis stultus juravit initio nuptiarum, se mulierem nunquam adulterii facturum reum, verumtamen quia se eo jurejurando adstrinxit, qui etiamsi uxor committat adulterium, ei veniam facere potest hoc jure, non poterit quidem ex sententia Pontificis eam accusare adulterii, et dimittere, cui videtur veniam fecisse adulterii, sed poterit ecclesiæ denuntiare reatum uxoris ut ei pœnitentia injungatur. Majus igitur facit in hoc c. apostaseos, quam adulterii crimen: nam apostaseos accusare mulierem solemniter potest contra quod juraverit, adulterii non potest, sed denuntiare tantum, aliud est enim accusatio, aliud denunciatio. Quod autem in hoc §. affert ex scriptura, ut ait, patronum esse turpitudinis uxoris suæ, qui crimen ejus celat, id non est in scriptura sacra, sed in Homiliis Chrisostomi, et perperam in hunc locum ora libri adscriptum habet Levitici c. 18. in quo nihil tale est.

AD CAP. *Et si Christus.* XXVI.

In hoc cap. multa sunt præclara et facilia, quæ ad hanc quæstionem pertinent: an Christiano homini jurare liceat, vel non liceat, et an monacho saltem non liceat. Respicit enim hæc Constitutio monachos. Et ea quidem omnia, quæ hic proponuntur, non recitabo, quia lectione tantum opus est, et sumpta sunt ex intima Theologia, ex litteris sacris, ex Augustino, et aliis divinis auctoribus, nempe ut approbetur jurare licere ex necessitate, et ex honesta et justa causa, non temere, non inconsulto, non improbe et illicite; et ut exploratur illorum sententia, qui nulla omnino ex causa jurandum esse censent. Quod et Humiliati, qui dicebantur, contendebant olim, et monachi sive religiosi quidam, ut *cap. 51. sup. de testib.* Nec desunt hodie hæretici, qui idem affirment, Anabaptistæ appellati. Inter multa autem et varia, quæ hac de re proponuntur in hoc cap. valde mihi placet, sumpta ab effectu et usu proprio jurisjurandi definitio. *Jusjurandum est confirmatio veritatis.* Is est proprius usus, propriusque effectus jurisjurandi. Placet item, quod ait, per creatorem ipsum, non per creaturam esse jurandum. Jusjurandum speciem esse cultus divini, qui utique non est dandus creaturæ, sed Creatori. Apulejus de Deo Socratis, loquens de jurejurando: *Summo Deorum hic honor proprius est. Nam jusjurandum dicitur, ut Ennius:* hæc sunt verba Apuleii, quibus significat jusjurandum, vel ut veteres scribebant, jurandum, dici, quasi Jovis jurandum, ut Ennius dixit, *Fides alma, apta pennis, jurandum Jovis.* Et Nævius apud Nonium, *Ius sacratum Jovis jurandum sagmine.* Adde quod et Tertullianus *libro de Idol. quia per quos dejerat non honorat?* Verba sunt interrogantis, significans honore affici eum, per quem juratur. Per solum igitur Deum esse jurandum, quia soli Deo honor

est et gloria. Placet etiam quod notat in *h. cap.* secundum Græca exemplaria, hæc verba Apostoli, *quotidie morior per gloriam vestram, quam habeo in Christo Jesu*, 1. *ad Corinth.* 15. pro jurejurando accipienda esse, quoniam in Græco ita est : καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν.

AD CAP. *Sicut.* XXVII.

Docet in hoc cap. 27. non esse servandum jusjurandum, quod vacante sede Episcopali Canonici juraverint in præjudicium juris episcopalis, et contra utilitatem ecclesiasticam, et iis, qui id temere juraverint omnibus injungendam esse pœnitentiam. De canonicis loquitur Tudertinæ ecclesiæ, qui vacante sede Episcopali decretum aliquod fecerant, sive Constitutionem aliquam in fraudem juris episcopalis, sive futuri Episcopi, quem ipsi electuri erant; eamque Constitutionem jurejurando confirmarant, quod ratum habendum non est. Unde et hoc c. in tertia collectione ponitur sub titulo de Constitutionibus, quæ fiunt a Capitulo, a Senatu ecclesiæ, sic vocatur: hanc vero rationem, ut emendent Canonici Tudertini arbitrio Episcopi Hameliensis, qui et ipse est in Umbria sicut Tudertanus, *dans le Duché de Spolette*, mandat, inquam, Episcopo, ut eam rem causa cognita emendet.

De capite 28. quod sequitur, dixi jam satis in capite 9. sup.

AD CAP. *Sicut.* XXIX.

Quod est in hoc cap. confirmat ea, quæ diximus in c. 3. Hoc enim ait, Ducem, vel Comitem, qui alteri vicino suo illato injusto bello eripuit bona quædam, et extorsit ob eo juratam promissionem aliquam sub pœna infligendæ excommunicationis personæ ejus, territorii autem ejus subjiciendi sacrorum interdictioni, esse compellendum, ut bona, quæ eripuit, vicino restituat, et jusjurandum, quod extorsit ob eo, ei remittat, vel ea ratione, quia et ipse vicissim, quod ei promisit non præstat. Vulgo dicitur, *frangenti fidem fides frangatur eidem*, c. 28. *de simon.* c. 7. *inf. de pœn.* et in regulis lib. sexti. *frustra*, inquit, *quis sibi fidem postulat servari, qui fidem a se præstitam servare recusat.* Et hujus regulæ præclarum exemplum extat apud Guilhelmum Tyrium belli sacri 14. *cap.* 24. ubi et hoc subjicit, iniquum esse ei fidem servari, qui contra pacta versari nititur.

AD CAP. *Nimis.* XXX.

Sequitur in hoc cap. ne viri ecclesiastici, sive clerici laicis præstare teneantur jusjurandum fidelitatis et hominii, si nulla ob eis teneant bona feudi jure. Clericus non habet alium dominum, quam eum, qui est in cœlis, hæc est ratio hujus capit. huic soli stat, aut cadit, στήκει ἢ πίπτει, ut Apostolus ait, servum Domino stare, aut cadere, huic debet fidelitatem et hominium in omnibus. In spiritualibus certe nulli alii hominium debet, *cap. ult. inf. de regul. jur.* in temporalibus seu secularibus, non nisi ratione feudi, ei, a quo feudum tenet, et ratione possessionum, propriorum etiam fisco censum debet, ut laicus, non etiam ratione possessionum, quæ ad ecclesiam pertinent, *l.* 15. *C. Theod. de episc. et cler.*

AD CAP. *Petitio.* XXXI.

Quoniam in hoc cap. agitur de Principe Antiochiæ, sciendum est eo tempore, quo Christiani, et Syriam, et alias quibusdam Orientis provincias dominabantur, omnem eorum ditionem fuisse divisam in quatuor imperia, in Regnum Hierosolymorum, Comitatum Tripolitanum, Comitatum Edessenum, et Principatum Antiochenum, unum scilicet universa illa in ditione fuisse Regem, duos Comites, et unum Principem, et hic præcipue dicitur est Princeps Antiochiæ, non Comes, ut ceteri, vel Rex, quod cui primo cessit ea dominatio Antiochiæ ante Princeps appellabatur, quia filius erat Ducis Apuliæ Boemondus primus, qui nupsit Constantiæ filiæ Philippi primi Francorum Regis. Cum autem tempore Honorii tertii Princeps Antiochiæ Raymundus (ut præfert antiqua Decretalis, quæ præfert literam R.) metueret, ne qua in urbe Antiochena fieret conjuratio contra dignitatem suam, vocante ecclesiæ Antiochenæ, jurejurando adegit canonicos ejusdem ecclesiæ, ut ita jurarent, *non erimus contra te*, sic proponitur. Unde quæritur, an salva religione possint canonici adversus eum litigare, quia litigare est stare contra aliquem, an, inquam, possint illæso jurejurando adversus eum litigare pro defensione sui, vel pro defensione ecclesiæ, si quid forte sibi, vel ecclesiæ eripere, vel si quo jure se ecclesiamve defraudare conetur. Et recte Pontifex ita jusjurandum interpretatur, ut nihil possint Canonici moliri, vel agere pro aliis, quo vel persona Principis lædatur, vel majestas, nempe quia hæc videtur fuisse mens jurantium, non etiam, ut ne possent causas suas, vel ecclesiæ in judicio legitimo tueri adversus eum. Denique hæc verba, *non erimus contra te*, sic accipienda esse, non erimus pro aliis contra te, non etiam hoc modo, non erimus pro nobis, vel pro ecclesia nostra contra te. Jusjurandum interpretari Pontificum est, *cap.* 18. *sup.* in contextu recte legitur, *pro juribus, et honoribus ipsius ecclesiæ, etc.* nam et ita in fine antiquæ Decretalis, pro defensione juris, sive honoris ecclesiæ vestræ, vel vestri.

AD CAP. *Ex literis.* XXXII.

Jam didicimus ex capit. 7. sup. quod creditor ex fructibus pignoris sibi dati supra sortem percipit, id debitori restitui oportere. At quid fiet, si de pignore quidem liqueat, id est, si constet fundum pignori esse datum, de sortis autem quantitate non liqueat, atque ideo non sit certum fructus percepti sortis quantitatem exsuperent necne. Et in specie quidem proposita fama differebatur, fructus sortem exsuperare. Sed famæ imbecilla probatio est, sive infirmum argumentum est, quod ex fama ducitur. Itaque veritatis eruendæ causa censet Pontifex partibus esse deferendum jusjurandum de veritate dicenda, hoc est, jusjurandum calumniæ, quod in litibus post litem contestatam præstari solet, *cap. pen. sup. de juram. cal. l.* 2. *C. eod. t.* Dico iterum jusjurandum de veritate dicenda hoc loco esse jusjurandum calumniæ: nam et hoc Capitulum in quinta collectione ponitur sub titulo de juramento calumniæ quod hujus rei magnum argumentum esset. Bonifacius quidem facit differentiam inter jusjurandum calumniæ, et inter jusjurandum de veritate dicenda, *cap.* 1. et 2. *de jur. calumn. in* 6. Sed non male tamen etiam jusjurandum de calumnia dicitur jusjurandum de veritate dicenda, *cap.* 5. *sup. de jur. calumn. cap. Dudum.* 2. § *Partibus. sup. de elect.* Opus autem est hujusmodi jurejurando in specie proposita, quia fama communis non sufficit, quamvis, quod fama differtur, quasi notorium esse censeatur testimoniumque publicum, ut *Quintil. ait* 5. *Institution.* Sed hoc testimonium parum judicem movet, nisi accedant alia adminicula, veluti jusjurandum calumniæ in hac specie, quod et aliis locis multis, ex quo cœpi in hoc jure versari, me docuisse memini.

AD CAP. *Intellecto.* XXXIII.

Non ita dudum quærebatur in aula Regia, quæ lex vel constitutio vetasset, ne Regi esset potestas illa alienandi ea bona, quæ sceptri, sive regni Francici propria sunt, *qui sont de son domaine*, et longe magis ne liceret regnum ipsum abicere, cum hanc dubitationem animo Principis nescio quis genius ingessisset. Nihil est verius. Et ea de re cum nemo non consuleretur, et ipse, qui tum eo veneram certis de causis ea de re consulerer, respondi, nullam esse legem specialem, quæ id prohibuisset, sed hanc esse legem generalem omnium regnorum, cum ipsis regnis natam, et quasi jus gentium, jus quod et initio regni Rex quisque jurare et ferre quodammodo solitus esset, ut in Instituit. de lege Regia dicitur, sive de Augusta, cum ipso imperio natam eam esse. Et adducebam hoc caput 33. quo ostenditur, Regem Ungariæ, qui juravit se jura regni sui, et honorem coronæ conservaturum, postea nihil agere, si quæ jura regni sui bonave alienaret, etiamsi jusjurandum interposuerit de nunquam revocanda alienatione, liberum ei esse eam quandoque revocare, prævalere prius jusjurandum, quod fuit legitimum posteriori, quod illegitimum est, ut *cap.* 16. et 23. *sup.* sicut ex diverso prævalet posterius jusjurandum, quod legitimum est si prius fuerit illegitimum, ut *cap.* 11. *sup.* Scripta autem hæc constitutio est ad Colossensem Archiepiscopum quem constat esse in Ungaria.

AD CAP. *Mulieri.* XXXIV.

In specie hujus capituli merito absolvitur vir, quem mulier quædam jurato affirmabat suum esse maritum, non proferens alia hujusce rei argumenta vel testimonia, quia uni ex jurato quidem, et maxime adversario fides habenda est. At quæritur absoluto viro an possit mulier, quæ juravit illum eum suum esse maritum alteri nubere, et an si petat veniam nubendi alii ab Episcopo, eam Episcopus concedere debeat? Et ait, nec eam Episcopum concedere debere, ne auther sit perjurii, si illa forte verum juravit, neque denegare, ne sit legitimi matrimonii interpellator, si ea falso juraverit eum suum esse maritum, sed eam suæ conscientiæ esse relinquendam, si sciens sciente animo suo falsum juravit, nubat alii, sin verum, ne nubat alii, non Episcopum hac de re arbitrari debere, sed ipsammet. Est sane elegans decisio, in quam tamen nihil est amplius inquirendum. Mittendæ sunt glossæ, quæ malunt ineptias quam pauca dicere.

AD CAP. *Clericus.* Penult.

Ostenditur in hoc capit. clericum, qui juravit se observaturum instituta et constitutiones editas in ecclesia sua, in quam scilicet cooptabatur, aut cooptatus erat, ea tantum ut jurarat observare teneri, quæ tum edita erant, non quæ postea edita sunt, etiamsi non interposito novo jurejurando, postea promiserit se observaturum instituta, quæ postea ederentur, si modo non simpliciter id promiserit, sed habita relatione ad jusjurandum, quod initio dedit de servandis jam editis institutis, sive constitutionibus secundum tenorem et legem jusjurandi a se initio præstiti. Hoc enim est quod ait in hoc cap. obscure et incondite, *per idem juramentum.* Hæc nempe est vis juramenti ab initio præstiti de servandis jam editis, non ea etiam servaturum, quæ postea edita sunt, quia id eo juramento non continebatur retulit ea ad id, in quo nihil tale. Jusjurandum non porrigitur ad ea, de quibus dictum aut cogitatum non est, *cap.* 16 *et* 25. *sup.*

AD CAP *Juramentum.* Ult.

Hoc cap. totum sumptum est ex jure civili. Multum interest litium dirimendarum causa, jusjurandum a judice deferatur, an a parte, jusjurandum a judice actori vel reo delatum, non potest ab eo, cui delatum est, recusari, quin pro confesso habeatur, nisi ex justa

causa recusetur: ut si dicatur superfluo deferri, defensionibus, quæ in judicio allegatæ sunt, sufficientibus, vel si dicatur non rite esse concepta formula jurisjurandi, *l. penult.* §. *Sin autem. Cod. de reb. cred.* Jusjurandum autem in judicio delatum a parte, parti, potest recusari, et referri, id est oblata conditio jurisjurandi recusari, et in eum, qui obtulit, rejici potest. Excipitur actio famosa, veluti furti vel quasi furti, vel injuriarum, in qua delatum jusjurandum reo an furtum, an injuriam fecerit, referri non potest, *l.* 11. 3. *ult. l.* 12. et 13. *rer. amot.* Cujus rei ratio verior hæc est, quia actio, quæ ex maleficio descendit, neque pacto, neque jurejurando tollitur, nisi quatenus id lex nominatim permisit; ut lex 12. Tabul. quæ nominatim permisit pacisci de furto, et de injuriis, *l. Jurisgentium.* §. *Si paciscar* et *l. Si tibi.* §. 1. *de pact.* Lex autem ea id in furti et injuriarum actione permisit, ut jusjurandum deferri possit, et jurejurando, sicut pacto, ea lis finiri: sed non permisit etiam nominatim, ut jusjurandum posset referri. Lex igitur sequenda est, legisve scriptum omnino, nec amplianda ad exemplum earum actionum, quæ ex contractu veniunt, vel quasi contractu, in quibus referre delatum jusjurandum licet, sed non etiam sine lege. Hoc enim Prætor introduxit, *l. Jusjurandum et ad pecunias* §. *Ait prætor. de jurejur.* Ait hic, *quemvis quod in judicio a parte parti defertur, recusare posse licite, ac referri.* Ait *in judicio.* nam extra judicium, quod defertur ex conventione, a parte parti referri non potest, *l. Jusjurandum. eod. tit. cap. quod ex conventione, hoc tit.* Et ratio hæc est, quia id agi videtur inter partes, cum una ex conventione alteri defert jusjurandum, ne is, cui defertur, id referat et rejiciat in deferentem: at in judicio interventus judicis facit, ne jusjurandum, quod a parte parti defertur, omnino videatur venire ex conventione sola, utque auctore judice, et ex edicto prætoris reo referendi facultas datur, *d.* §. *Ait prætor.* Defert autem judex, vel pars parti jusjurandum, quod et hic declaratur, in dubiis causis tantum, *l. Admonendi. eod. t.* Quid hoc est in dubiis causis? Cum dubia est argumentorum probatio, ut Svetonius loquitur in Claudio, forte propter probationum ex utraque parte conflictum, vel propter rumorem publicum, ut cap. 32. *sup.* vel, ut hic proponitur, propter præsumptionem aliquam, quæ faciat pro altera parte. At si deficiant probationes omnes omnino et argumenta omnia, tum sequenda est regula juris, actore non probante reum absolvi, etiamsi nihil præstiterit. Ergo etiamsi non juraverit, si non probaverit exceptionem, quam contestatus erat, *l. Si quidem. C. de except.* absolvendum esse, *l. Qui accusare. C. de edendo.*

AD TITULUM XXV.

De Exceptionibus.

AD CAP. *Denique.* I.

Post titulum de Jurejurando datur titulus de Exceptionibus. Exceptiones sunt defensiones reorum, quæ in judicio actoribus opponuntur elidendarum vel eludendarum actionum causa. Exceptiones sunt clypei oppositi telis, id est, actionibus, vel, ut M. Tullius ait, sunt arietes subjecti actionibus, in Topic. Sed et reorum exceptionibus, quæ ab actore opponuntur replicationes, exceptiones dicuntur, *l.* 2. *eod. tit.* itemque refutationes testium, vel testimoniorum, ut *l.* 13. *C. de testib.* Et ad has quidem exceptiones, id est, reprobationes et refutationes testium proprie pertinet *cap.* 1. *hoc tit.* quo ostenditur, si ante vel post datum et publicatum testimonium testes refellantur objectis criminibus quibusdam, quorum ante rei postulati non sunt, ejus exceptionis probationem incumbere ei, qui ea utitur, et implendam utique eam esse ante definitivam sententiam. Probatis autem objectis criminibus testimonia quidem eorum refelluntur quasi nullius fidei, nullarumque virium testimonia, quoniam, ut est *in canone testes* 2. *quæst.* 7. cujus auctoritate Pontifex in hoc capit. utitur *testes absque ulla infamia* (hæc sunt verba) *vel suspicione, vel manifesta macula in dicendo testimonio requiruntur.* Probatis igitur criminibus objectis, probata exceptione, qua fretus reus testes refellit, rejiciuntur quidem eorum testimonia, sed non ideo læditur eorum existimatio, nec pœnæ ideo ulli subjiciuntur ordinariæ, *l. Lucius de his qui not. inf cap* 2. *sup de ord. cogn. cap.* 13 *de testibus, in prima collectione.* Et ratio hæc est, quia nec objectum eis crimen est accusatione instituta criminaliter et solemniter, sed civiliter tantum in modum exceptionis. Quod tune præcipue locum habere in hoc capitulo ostenditur, si crimen, quod testibus objectum et probatum est, causam, qua de agitur, non contingat: nam si causam contingat, ut si cum causa esset de simonia, testis ex parte rei productus probatus fuerit unus ex ejus negulis, sive mercimonii administris, et sequestribus fuisse, *cap.* 2. *sup. de confess.* hoc testis crimen impunitum, inultumque dimitti non oportet. Et hæc de criminibus, quæ in excipiendis testibus opponuntur, quorum ante confessi vel convicti non fuerunt. Nunc dicamus de criminibus, quæ testibus objiciuntur, quorum jam ante confessi vel convicti, et damnati sunt. Et hos ait protinus sine cunctatione, sine controversia esse repellendos, hac allata ratione ex Stephano, et Adriano Pontificibus, id est, ex *can.* 1. *et* 3. *quæst.* 11. *quia non est credendum,* inquit, *contra alios eorum confessioni, id est, testificationi, qui criminibus implicantur, aut premuntur, nisi prius se probaverint innocentes.* Quæ ratio proprie pertinet ad eos, qui sunt in reatu, nondum peracti rei, quia peractis reis jam non est integrum probare innocentiam suam: sed porrigitur etiam hoc loco ad peractos reos, et majore quidem ratione. Bernardus hunc locum aliter interpretatur; sed per quam rudiler et infeliciter.

AD CAP. *A nobis.* II.

Sciendum est, differentiam esse hanc inter excommunicatum, et eum, qui sciens excommunicato communicat, (ignoranti parcitur) id est, qui colloquio excommunicati, convictu, et familiaritate utitur: quod excommunicatus ab ecclesia omnino repellatur: qui excommunicato communicat a Sacramentorum perceptione tantum, non ab ecclesia prorsus, quæ excommunicatio minor dicitur in hoc jure: illa est major, quæ ecclesia prorsus excludit, *cap. pen. inf. de sentent. excommun. cap. ult. inf. de cleric. excommun.* Excipiendus tamen est clericus, qui excommunicato a Romano Pontifice communicat, eumque participem facit muneris et officii ecclesiastici. Nam ejus conditio eadem est, quæ excommunicati, *cap.* 18. *eod. tit.* Excipitur etiam clericus, qui mulierem excommunicatam ob id, quod in concubinatu ejus esset, domo non abigit, *cap* 55 *eod. tit.* Est et alia differentia, quæ pendet ex superiori, et quadam ex parte proponitur in hoc cap. quod accusatus alium accusare non potest, ne familiarem quidem, et quotidianum convictorem suum. Ergo nec alium, qui excommunicatus similiter sit. Denique excommunicatos neque excommunicatum, vel majore, vel minore excommunicatione accusare potest, quia nec civiliter agere potest suo, vel alieno nomine, *cap.* 7. *sup. de judic. cap.* 7. *sup. de probation.* At non invenio accusare etiam prohibitum illum, qui excommunicato communicat. Major excommunicatio, qua ille affectus est, majorem vim habet, quam minor, quam incurrit is, qui excommunicato communicat.

AD CAP. *Cum ecclesiasticæ.* III.

Hoc cap. est de clerico, cui in ecclesia Novariensi, quæ est in tractu Mediolanensi in Insubribus: clerico, inquam, cui in Ecclesia Novariensi Romanus Pontifex præbendam contulerat, cujus collationis beneficio etiam, ut est in antiqua Decretali, in corporalem ejus præbendæ possessionem inductus fuerat. Corporalem dicit antiqua Decretalis, ut *lex Debitor.* §. *ult. de pignor. act.* pro naturali aliquo jure subnixa, ut possessio creditoris pignoratitii jure pignoris subnixa est, et hæc, de qua hic agitur, jure beneficii Pontificalis. Cum autem ejus Ecclesiæ Canonici perturbarent possessionem illius clerici, nec libere eum illum perfrui sinerent, et conventi interdicto retinendæ possessionis, opponerent actori exceptionem hujusmodi, si non aliam præbendam in alia ecclesia habet, fulti Concilio Lateranensi, quo prohibetur quis duas habere præbendas sine venia summi Pontificis, vel personatus duos, *cap. de multa, inf. de præbend.* quia iidem Canonici, quid id objiciebant in eodem vitio versabantur, et plures scilicet præbendas in diversis ecclesiis possidebant; merito in hoc capitulo dicuntur, non esse audiendi, si quod in aliis reprehendunt vitium, in eo ipsi deprehenduntur; non esse ferendum Clodium si accuset mœchos, non Verrem, si fures: non Gracchum, si seditiosum civem: non Milonem, si homicidas: non Augustum, vel Domitianum, si adulteros. Nam hi duo Principes in reprehendendo eo crimine, in quo mirum in modum sibi indulgebant, fuere vehementissimi. Hic est mos hominum. Scripta autem est hæc Constitutio Laudensi Episcopo, qui Novariensi vicinus est: sic legendum in inscriptione, Laudensi, non Laudunensi, Laudunum est in Gallia, *Laon:* Lauda, sive Laus Pompeja, et Novaria in Italia.

AD CAP. *Pastoralis.* IV.

Sciendum est, exceptiones alias esse peremptorias alias dilatorias, *l.* 3. *D. hoc tit.* Peremptoriæ sunt, quæ, rem, qua de agitur, sive litem omnino perimunt, ut exceptio rei judicatæ, vel jurisjurandi, si judicatum, vel juratum sit, rem dare non oportere: exceptio pacti perpetui de nunquam petenda pecunia: exceptio doli mali, et quod metus causa factum erit. Nam et hæc rem omnem, litemve perimit, nec si probetur evitari potest ab eo, cui objicitur. Et omnino, quod notandum, eadem vis est sententiæ definitivæ, et exceptionis peremptoriæ, ut ait *l.* 37. *C. Theod. de appellation.* quia utroque genere, vel lis consumitur, et finitur, vel non admittitur aut non procedit, sed interrumpitur. Quamobrem et peremptoria exceptione a judice non recepta, id est, a judice reprobata, non minus quam lata definitiva sententia appellari potest, *l.* 2. et *d. l.* 37. *Cod. Theod. de appellat. l.* 23. *Cod. Theod. quorum appellat. non recip.* Dilatoriæ autem exceptiones sunt, quæ causam morantur, et differunt ad tempus, non perimunt prorsus causam: veluti exceptio pacti temporarii, puta ne pecunia petatur intra triennium: hæc exceptio rem differt quoad tempus pacto comprehensum exierit: ut exceptio procuratoria, vel exceptio fori, quæ exceptio declinatoria dicitur, quoad alius idoneus procurator datus, aliusve competens judex aditus sit, et similiter exceptio excommunicationis, quoad absolutus actor fuerit, *cap.* 12 *hoc tit. cap.* 1. *eod. tit. in* 6. Et peremptoria quidem exceptio opponi potest quandocunque ante rem judicatam, *l.* 4. et 8. *Cod. de exception. l.* 2. *Cod. sentent. rescind. non poss.* etiam post publicationem testium, *cap.* 27. *et* 29. *sup. de testibus:* et interdum etiam opponi potest post rem judicatam, ut ibidem docui. Dilatoria autem exceptio opponenda est in principio litis, non lite jam progressa ulterius, in ipso limine quæstionis, ut Symmachus ait in epistolis, et hoc probat evidenter *lex pen. et ult. eod. de except. l. Exceptionem. Cod. de probation.* et *cap. inter, inf. de sentent. et re judic.* Et, ut in hoc cap. definitur, opponendis ab initio

omnibus exceptionibus dilatoriis, quas quis habet, vel habere possit plures, judex certum præfigere diem debet, intra quem omnes eas opponat, ne diu trahatur negotium, aut negotii disceptatio, atque progressus, post quem diem non licet alias opponere, nisi si quæ exoriantur novæ, quæ ante locum non habuerunt, vel nisi jurejurando confirmabit, qui eas post diem opponit, se ante eas cognitas non habuisse, ut fit in specie *cap. 6. inf. qui matrimon. accus. poss.* Inde vero apparet, non quocumque tempore dilatoriam exceptionem opponi posse, sed ab initio opponendam esse intra diem præstitutum a judice, atque præscriptum cum tamen exceptio peremptoria, et perpetua, quocumque tempore admittatur, nec ullo certo tempore præfinito ad opponendam eam circumscribatur. Verum ab his omnibus excipienda semper est exceptio excommunicationis, quæ in qualibet parte litis opponi potest, atque etiam post diem a judice præstitutum opponendis exceptionibus dilatoriis: hoc est, ut ait *cap. 12.* in exceptione excommunicationis speciale, ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare, id est, cum eo judicio experiri cogatur, *cap. 12. hoc tit. cap. 1. eod. tit. in 6. cap. un. eod. tit. in Clementin.*

AD CAP. *Cum inter.* V.

In hoc capite ostenditur, excommunicato quidem non permitti actionem, vel accusationem, conventionem, vel reconventionem, ut *cap. 2. sup. cap. 7. sup. de judic.* sed permitti tamen exceptionem et defensionem juris, causæ suæ, vel causæ ecclesiæ suæ tuendæ causa, ut *cap. 8. 10. et 11. h. t.* Ac præterea exceptionem objicere testibus contra se productis excommunicatum posse, vel etiam judicibus ipsis tanquam iniquis, meritove suspectis, saltem per alium, si non per se, ut *d. cap. 7.* Et hoc quidem permittitur excommunicato, non favore ejus, cum nec jura illi faveant ullo modo, sed juris naturalis id exigente, et efflagitante ratione summa. Defensio est juris naturalis, *cap. 2. in fin. de sentent. et re judic. in Clement.* Excommunicatus non est expers juris naturalis, sive gentium, sicut nec deportatus, *l. Sunt quidam. de pœn.* cui excommunicatum glossa comparat in *§. Minor. Institut. de cap. diminut.* Qua ratione etiam excommunicato si aliqua in causa condemnato appellatio permittitur, maxime si in causa absolutionis sit, ut ait hoc loco, quamvis in appellatione exequenda litem ipse faciat agatque prior, *l. Qui appellat, D. de judic.* Nec obstat *cap. per tuas, inf. de sentent. excommun.* vel *cap. pastoralis, inf. de appellation.* quo videtur denegari excommunicato commune appellationis beneficium, remedium, auxilium: quoniam, ut breve faciam, ibi a sententia ipsa excommunicationis, quæ interponitur, appellatio dicitur esse inefficax: propterea quod tametsi causam transducat ad eum, ad quem appellatum est, tamen judicatum non extinguit, non eluit excommunicationem semel inustam, quæ tamen est perpetua virtus appellationis, ut judicatum extinguat omnino, *l. 1. § ult. ad Turpil. l. 2. § ult. de pœn. l. Furti. § 1. de his qui not. infam.* At appellatio quæ ab excommunicato ab alia sententia interponitur condemnationis pronuntiationem extinguit, ut dicitur in hoc *cap.* et *cap. 11.* et *cap. ult. inf. h. t.*

AD CAP. *Cum venerabilis.* VI.

Erat lis inter Joannem Episcopum Sabinensem, et monachos Sanctæ Mariæ Parcensis, qui erant ordinis Sancti Benedicti, ed in diœcesi Sabinensi, ut constat ex libro fiscali Romani Pontificis: erat, inquam, inter eos lis de jure ecclesiæ Sancti Viti, quod totum sibi Episcopus Sabinensis vindicabat, tam spirituale scilicet, quam temporale, quod in prædiis quibusdam consistebat, et molendinis. Contra monachi contendebant, id omne jus supradictæ ecclesiæ Sancti Viti ad se pertinere jure permutationis factæ jam olim cum Theodosio quondam Episcopo Sabinensi, ejus ecclesiæ Sancti Viti vice ei datis aliis quibusdam ecclesiis, et possessionibus. Inde vero, id est, ex hac responsione monachorum, pro se, pro sua intentione Joannes sumebat argumentum confessionis monachorum, videlicet ac si eam ecclesiam Sancti Viti tempore permutationis fatterentur fuisse in dominio, vel quasi dominio (nec enim Episcopus est omnino dominus) Episcopi Sabinensis, quia a non domino contracta permutatio non valeret, *l. 1. §. ult. de rer. permut.* Quod adjicit in hoc cap. quia permutatio est contractus bonæ fidei, ut *l. 1. C. de rer. permut.* parum ad eam rem, vel nihil facit. Quot enim sunt bonæ fidei negotia, quæ a non dominis contrahuntur? Venditio certe, et commodatum, et depositum alienæ rei valet. Utebatur autem Episcopus collectione ejusmodi: Ex vestra, o monachi, responsione sive confessione patet ecclesiam Sancti Viti olim pertinuisse ad Episcopum Sabinensem: si pertinuisse, inde infero, et hodie pertinere, quia instrumentum, quo quasi publico permutationem illam approbatis, fidem non facit. Neque enim tabellionis auctoritate, et testium subscriptione ulla communitum est. Imo et falsum est, quia, quod in exemplo illius instrumenti a vobis prolati est scriptum, permutationem illam Theodosium Episcopum Sabinensem fecisse vobiscum, id non est ita in authentico, sive originali, quandoquidem in eo Theodosius Episcopus nominatur, simpliciter, nec additur cujus diœceseos Episcopus ille fuerit. Quæ exceptio falsitatis, quia est peremptoria, quocunque tempore opponi potest, etiam post rem judicatam, ut ait, intra vicennium, quo querela falsi legibus circumscribitur, *l. Querela. C. ad l. Corn. de fals. cap. 9. sup. de probat. cap. 4. sup. de procurat.* Et ita quidem Episcopus infringebat defensionem monachorum. Nam etsi dicerent monachi ex *l. 9. D. eod. tit.* non videri reum de intentione actoris confiteri, qui exceptione utitur, et inde efficerent, nec se videri de intentione Episcopi confiteri, opposito et prolato illo permutationis instrumento, quod et verum est, tamen quia id instrumentum non erat publicum, neque sincerum omni ex parte, et congruens cum authentico, sane neque monachis, neque Episcopo prodesse poterat, et inanis fuit hæc velitatio omnis. Nihil etiam pro Episcopo faciebant testes ab eo producti, qui affirmabant anteriores Episcopos aliquanto tempore bona ejusdem ecclesiæ Sancti Viti possedisse. *Aliquanto tempore*, inquit, non tamen justo tempore ad proprietatem, vel quasi proprietatem acquirendam, quia non de possessione quærebatur, sed de jure sive quasi proprietate potissimum quasi ad se omnimodo pertinere nullis testibus idoneis Episcopus approbabat. Itaque merito Pontifex dirimit ita hanc controversiam in hoc cap. ut statuat, temporalia bona ecclesiæ Sancti Viti monachis auferenda non esse; Episcopo autem spiritualia sive Episcopalia jura adjudicanda esse, quæ neque privilegio ullo, neque præscriptione temporis legitimi probabatur Episcopum amisisse. Et jura quidem Episcopalia omnia, quæ recensentur in *cap. conquerente, cap. de offic. judic. ordin.* obedientiam scilicet, et subjectionem, institutionem, et destitutionem, correctionem, et reformationem, censuram ecclesiasticam, causarum ecclesiasticarum cognitionem, pœnitentiarum indictionem, sacrorum ordinum collationem, Synodatici, vel Cathedratici nomine certam summam, quæ canonibus definita est, quartam partem decimarum et funerationum, annonas ac capitum pro modo facultatum tempore cujusque visitationis annuæ. Hæc sunt jura Episcopalia quæ omnia in hac specie adjudicantur Episcopo Sabinensi, exceptis iis scilicet inquit juribus, *quæ authenticis scriptis*, id est, originalibus, nec enim exemplaria sufficiunt *l. 2. de fide instrum.* probabuntur Episcopo Sabinensi detracta fuisse. Non auferuntur autem monachis temporalia propter falsitatem instrumenti eorum nomine in judicio prolati, quia eam falsitatem non ipsi commiserunt, quod notandum in hoc cap. sed procurator eorum, et delictum procuratoris non debet in damnum ecclesiæ, vel monasterii redundare, *can. si Episcopum. 15. quæst. 6.* maxime si conscii ejus delicti monachi non fuerint, ut *cap. 1. sup. ut lit. non contest. test. non recipiant.*

AD CAP. *Olim.* VII.

Certum est ex concilio Lateranensi neminem trahi posse rescripto summi Antistitis ad alienum, et extraordinarium judicem extra suam diœcesim ultra iter duorum dierum, et, ut loquuntur, ultra duas dietas: *deux journées, παρὰ τῶ δύο γαθμῶ, c. Nonnulli. et c. seq. sup. de rescript. c. 15. sup. de for. compet.* Et ideo in specie hujus c. qui erant in diœcesi Trajectensi, ut proponitur in antiqua Decretali, non jure literis Innocentii III. trahebantur ad diœcesim Trevirensem, ad Archiepiscopum Trevirensem, quæ duæ diœceses longiore intervallo distant inter se. Una autem hac exceptione apud Archiepiscopum Trevirensem proposita, quod contra leges, aut canones traherentur in judicium, eam exceptionem Archiepiscopus non recepisset, hic narratur eum, ad quem res pertinebat, eo nomine ab Episcopo Trevirensi appellasse ad Honorium III. successorem Innocentii. Quam appellationem hic definitur justissimam esse si probaverit exceptionem suam esse veram, id est, ultra iter duorum dierum distare diœcesim unam ab altera. Reus in exceptione actor est ac si de ea certus non fuerit, judex eam velut actionem quandam probare debet, *l. In exceptionibus. D. de probat.*

AD CAP. *Dilecti.* VIII.

Canonici quidam ecclesiæ Sanctæ Mariæ Gracensis, sic legendum, in diœcesi Bituricensi, *qui vous appellez Grace*, Priorem sibi elegerunt Martinum quendam. Quæ electio cum aliis quibusdam Canonicis ejusdem ecclesiæ displiceret, verbi gratia, Titio, Cajo, Mævio nec vellent eam approbare, Martinus eo nomine eis Canonicis diem dixit, quo sisterent se litis inchoandæ causa coram judicibus delegatis a Romano Pontifice, Decano scilicet et Canonico quodam Altissiodorensi, ut est in antiqua Decretali. Apud quos Canonicos Martino opposuerunt exceptionem excommunicationis, et perjurii, eamque probarunt, atque ita contendebant Martinum non esse audiendum. Contra Martinus Titio quidem opposuit etiam replicationem excommunicationis, Cajo, et Mævio perjurii. Ad quam replicationem probandam imperite judices Martino certum diem condixerunt, imperite, ut dixi, et perperam, quia non fuit ea replicatio recipienda, quæ erat inefficax, quandoquidem etiam excommunicato, vel perjuro juris sui, vel ecclesiæ suæ defensio permittitur, ut diximus in *cap. 5. sup.* erga probationem inefficacis replicationis, vel alterius cujuscunque appellationis supervacuæ, et inutilis non esse laborandum, ut ait *lex 21. C. de probation.* quia nec impleta hujusmodi probatio quicquam actori proficit, vel nocet reo, quo minus se, ecclesiamque suam defendere possit. Addam in hoc cap. 8. replicationem non recipi, quia actor objicit reo idem vitium, quod exceptio rei objicerat actori; ut si excommunicationis, et perjurii notam, quam reus objecit actori, actor tanquam pilam retorqueat in reum. At longe secus in *cap. 3. sup.* replicatio recipitur, qua actor retorquet in reum, quod reus excipiendo torsit in actorem: ut si quem agentem de retinenda possessione certi beneficii, sive præbendæ, reus dixit plura obtinere beneficia, replices et eum quoque plura obtinere. Cur vero hoc tam varie? Cur replicatio recipitur in *cap. 3.* in *cap. 8.* non recipitur? Et ratio differentiæ hæc videtur esse, quia in hoc cap. reus opponendo actori exceptionem excommunicationis, et perjurii suscipit defensionem ecclesiæ, cujus interest maxime excommunicationis, vel perjurii nota affectum non cooptari, sive conscribi in suum corpus, in numerum clericorum suorum. At in cap. 3. exceptio de pluribus beneficiis nihil proprie

spectat ad defensionem ecclesiæ, cujus quid interest, si quis plura beneficia habeat, modo superesse possit omnibus; neque vero in specie hujus cap. 3. Canonicis, qui eam exceptionem opponebant, in mente erat utilitas ecclesiæ, sed sua propria, ne cresceret Collegarum numerus, vel etiam invidiæ motus quidam. Ac præterea in specie cap. 8. replicationem, si reciperetur, infringeret statim duplicatio rei hujusmodi, si non et te agendo mecum excommunicato communicasti. In specie cap. tertii nulla replicationi duplicatio opponi potest.

AD. CAP. *Apostolicæ.* IX.

Canonici quidam Pragenses in Bohemia cum egerent apud curiam Romanam, quæ ipsius ecclesiæ ordinationem respiciebat, veluti ordinationem clericorum, qui in ea ecclesia desiderabantur, ut in cap. *proposuit, inf. de cler. excommun.* et objiceretur canonicis exceptio suspensionis beneficiorum, quæ in ea ecclesia obtinebant; quæ sane exceptio si probetur esse vera et legitima, repellit eos ab agendo, *cap. 7. sup. de probat.* eadem enim hac in re vis est suspensionis, et excommunicationis; contra Canonici testibus, et instrumentis parati essent probare sententiam suspensionis contra se datam, ipso jure nullam esse: cum hoc perpenderet caute, et prudenter Pontifex, ne diutius retardaretur ordinatio Pragensis ecclesiæ, canonicos interim absolvit, restituitque beneficiis suis. Quod est hoc loco absolvere ad cautelam, ne quam videlicet ejus rei disceptatio moram afferat ordinationi Pragensis ecclesiæ, ut fit *cap. 38. sup. de testibus, cap. cum desideras, cap. per tuas, et cap. venerabili, inf. de sentent. excommun.* Panormitanus non male, *ad cautelam*, interpretatur, ad majorem securitatem, quia rei agendæ nullus residet scrupulus, qui eam rem moretur, et impediat. Conjungendum autem est hoc c. cum *cap. 9. inf. de cler. excommun.*

AD. CAP. *Dilectæ.* X. CAP. *Significavit.* XI. et CAP. *Venerabilem.* Ult.

In cap. 10. præcipue definitur, excommunicato non permitti quidem actionem, sed permitti defensionem, sive exceptionem, ut et sup. dictum est *cap. 5. et 8.* et eodem jure permitti appellationem, et persecutionem appellationis, sive excommunicationem præcedat appellatio, sive sequatur, ut et ex alia causa appellationem sequi posse docuimus in *cap. 16. sup. de testibus,* id est, post appellationem recte excommunicationem infligi ab Episcopo, ex aliis causis, a quo appellatum est ad Romanum Pontificem, ei qui appellavit. Verum in specie hujus cap. 10. ad quam illa definitio pertinet, varie res acta est, multis et variis appellationibus hinc inde interpositis ad Romanum Pontificem. Primum enim cum in Anglia de decimis novalium, ut est relatum in *cap. 31. inf. de privileg.* quod pertinet ad hanc speciem, et de aliis rebus quibusdam egissent monachi quidam adversus sanctimoniales quasdam apud judices delegatos a Romano Pontifice, et ab his judicibus moniales ad eundem Pontificem appellassent *ex certa causa*, ut ait, *ex sufficiente gravamine*, ut loquitur etiam in *cap. ult.* quod in omni appellatione requiritur, ut subsit aliquod gravamen, quod causam præbeat appellationi; moniales eam quidem appellationem per nuntium exposuerunt Romano Pontifici: sed quod ab iisdem judicibus post appellationem interpositam excommunicatæ fuissent, id reticuerunt: et nihilominus dati sunt judices alii, qui de causa appellationis cognoscerent. Apud quos monachi opposuerunt exceptionem excommunicationis ante celatæ a monialibus. Opposuerunt, inquam, hanc exceptionem, ac si non liceret excommunicatis persequi causam appellationis. Qua exceptione a judicibus non recepta, cum nec recipi jure deberet, quia excommunicationis exceptio inutilis est ad excludendum quemquam ab appellatione, vel appellationis persecutione, rursus monachi quasi gravati appellaverunt ad curiam Romanam et acceperunt alios judices, qui de appellatione cognoscerent. Hi vero postremi judices, quam priores judices jure, meritoque pronuntiaverunt exceptionem excommunicationis non esse admittendam, id est, quam sua sententia rejecerant, et reprobaverant, pronuntiaverunt esse admittendam. A quibus cum appellassent sanctimoniales, infirmata quoque eorum sententia, et priorum confirmata est, quia exceptio excommunicationis nihil officit appellanti, vel persequenti appellationem, ac defendenti se per nuntium, aut per procuratorem, sed agenti tantum, provocanti alium in judicium, non provocato, quod cavetur etiam in cap. 11. et exemplo infamis comparatum videtur, qui etsi agere, vel accusare non possit alieno, vel publico nomine, tamen ad defendendum procuratorem dare potest, *l. 4. et 5. D. de popul. act.* Nam et excommunicatus licet jure civili infamis non sit, tamen jure Canonico pro infami habetur ad tempus, quoad absolutus fuerit, ut Panormitanus notat in *c. Proposuit, de cler. excommun.* Species autem cap. 14. est hujusmodi: Cum elegisset sibi Capitulum Conarcense, ut Panormitanus legit, in diœcesi Mediolanensi clericum quendam in Archipresbyterum, et eam electionem noluisset confirmare Archiepiscopus Mediolanensis, immo et alium quendam clericum ipse suo arbitratu Archipresbyterum in ea ecclesia constituisset: Capitulum ab Archiepiscopo appellavit ad Romanum Pontificem. A quo judices dati electionem quidem Capituli confirmaverunt, sed ab aliis petitionibus, sive postulationibus, a Capitulo adversus illum, quem Archiepiscopus Archipresbyterum fecerat, institutis, capitulum submoverunt, et illum absolverunt. Quamobrem Capitulum rursus appellavit ad Romanum Pontificem, et judices alios sumpsit: coram quibus cum proposuisset Archipresbyter ille non jure creatus ab Archiepiscopo Mediolanensi, cum, inquam, proposuisset Capitulum, vel potius, quæ hodie universitas, Collegium, Corpus excommunicari non potest, *cap. Romana, § ult. de sentent. excommun. in 6.* vel ergo potius homines, qui nomine Capituli rem persequebantur, non esse audiendos, quod excommunicati essent, in hoc *cap. 11.* ut et in superiore hæc exceptio rejicitur, quia excommunicatio non aufert cuiquam defendendi jure sui, vel persequendæ appellationis, et impetrandi rescripti, impetrandorumque judicum, qui de appellatione cognoscant, facultatem: quæ est etiam sententia *cap. ult. hujus t.* ad quod sufficiunt, cum nihil præterea in eo habeatur, quæ jam diximus ad *cap. 10. et 11.*

AD CAP. *Exceptionem.* XII.

Quod est in principio hujus cap. id jam aliqua ex parte exposui in *cap. 4. sup.* specialis hoc esse in exceptione excommunicationis, ut quamvis sit dilatoria, non peremptoria, opponi possit quocunque tempore ante rem judicatam, et quandoque post rem judicatam executionis morandæ causa, *cap. 1. eod. t. in 6.* etiamsi reus sciens prudensque eam exceptionem sibi competere ab initio non opposuerit, vel contestatus non fuerit: cum tamen scientes alias exceptiones omnino opponere debeant in exordio litis. Et ratio specialitatis, ut ita dixerim, redditur in hoc capit. ne quis periculo animam suam objiciat, quod utique fecerit, si sciens etiam litem suscipiendo excommunicato communicaverit, qui certe excommunicatus dicitur, non tam quod alius communicare non possit, quam quod nec ei alii. Et hoc quoque additur in hoc cap. eum tamen, qui sciens consulto opera initio litis exceptionem excommunicationis omisit, et distulit in proximum rei judicandæ tempus, ut in majores sumptus interim conjiceret actorem, sumptuum nomine actori teneri. Item, quod maxime notandum, excommunicatum publice, pro tribunali scilicet, vel προνόμῳ ipso jure ab agendo repelli officio judicis, etiam non opposita exceptione. Proinde excommunicationis publicæ exceptionem cuilibet judicio tacite inesse, ut *cap. 1. eod. t. in 6.* quod totum ad interpretationem hujus cap. pertinet.

AD CAP. *Adversario.* Penult.

Quod est in hoc cap. pen. sumptum est ex *l. Si rem meam. de except. rei judic.* cujus, quæ sequitur lex rationem subjicit, quia alia res est. Si rem meam a te petiero sive vindicavero, et tu ideo absolutus fueris, quod probaveris te sine dolo malo desiisse possidere, puta te fortuito casu, cui resistere non poteras, eam amisisse: deinde postea eam rem possidere cœperis, et ergo denuo eam rem a te petam, an noceat mihi exceptio rei judicatæ, quod priori judicio absolutus fueris? Minime, quia alia res est, et hæc exceptio obstat tantum ei, qui eandem rem in judicium deducit.

AD TITULUM XXVI.

De Præscriptionibus.

AD CAP. *Placuit.* I.

Præscriptionis nomen modo generaliter accipitur, modo specialiter. Generaliter pro exceptione omni. Specialiter pro exceptione temporis, ut in hoc titulo, veluti, triennii, decennii, aut vicennii, aut tricennii, vel 40. aut 100. annorum, quæ temporum exceptiones peremptoriæ exceptiones sunt. Capitulum primum est de exceptione triennii ex concilio Carthaginensi VI. quo inter cetera grassantibus in Africa hæreticis, qui Donatistæ dicebantur, et Montenses, cautum est, ut si quis forte vicinus Episcopus, cessante proprio Episcopo, aliquem locum, id est, regionem, vel parochiam quandam ab errore Donatistarum revocaverit ad fidem Catholicam, eamque possederit per triennium sine interpellatione Episcopi, cui proprie ejus parochiæ vindicatio competit, quasi constitutæ in sua diœcesi, eam sibi habeat jure perpetuo, quod eam reduxit, et reddidit ecclesiæ Catholicæ, abduxit Donatistis: et si eo tempore nullus fuerit in diœcesi Episcopus, ut ex possessione triennii nullum præjudicium fiat matrici, ut ait, id est, ut Zonaras interpretatur, matriculæ, sive ἀπογραφῇ, id est descriptioni numerove locorum, quæ illi diœcesi respondent. Certe qui numeri dicuntur, sive ἀριθμοί Novellæ 85. Juliano ejus Novellæ Latino interpreti sunt matriculæ, quæ et patriculæ dicuntur in *l. 5. C. Theod. de domest. et prot.* et in antiqua inscriptione quadam, eodemque modo idem concilium Carthaginense cap. 87. ματρίκιον interpretatur χαρτοφυλάκιον, ubi chartæ deponuntur, et asservantur, et ἀρχεῖον, quod alii archium, ut Latina conversio ejus concilii habet, archium, et grammatophylacium in *l. Maria §. 1. de pign.* At si legas hoc loco non matrici simpliciter, sed ut vulgo legitur, matrici ecclesiæ, ut *cap. 10. inf.* Zonaræ interpretatio non congruit. Matrix ecclesia est Episcopalis, sive cathedralis ecclesia: matrix cathedra, concilii Milevitani cap. 25. et Carthaginensis cap. 124. illo loco, ἐν ταῖς ματρικίαις ἤγουν ταῖς καθέδραις. Hic vero est sensus hujus loci, quamdiu diœcesis vidua est Episcopo Catholico, non currere triennii præscriptionem, sed tunc demum incipere currere, cum diœcesis Episcopum habere cœperit Catholicum, vel cum is, qui ei præerat Episcopus Donatista, resipuerit, et se ecclesiæ Catholicæ reconciliaverit. Porro huic cap. opponitur *can. placuit. 16. quæst. 3.* qui non triennii hac in re præscriptionem constituit, sed annorum sex textum ex concilio Milevitano:

verum limitat idem etiam in concilio Carthaginensi paulo post hoc cap. Mitto quod Bernardus comminiscitur, quod relatu indignum esse arbitror, et sic statuo perspicue: si admonitus a vicinis Episcopis intra sex menses Episcopus parochiam in sua diœcesi constitutam aberrantem a fide, ab errore non revocaverit intra illos sex menses, eam parochiam ei cadere, qui eam postea ab errore revocavit, quæ est sententia *d. can. placuit* Sed, quæ est sententia hujus cap. 1. si quis ex vicinis Episcopis eam parochiam quamprimum ab errore revocaverit, non admonito, vel expectato proprio Episcopo, esse proprio Episcopo jus vindicandæ ejus intra triennium: non etiam post triennium. Has duas sententias, quæ sunt utriusque Constitutionis sententiæ, si ita exposueris, et contuleris, statim videbis nihil eas inter se pugnare. Nolim autem hanc constitutionem hujus cap. primi ad omnes hæreticos trahi, neque ad provincias omnes, cum sit specialiter conscripta de Donatistis tantum, quorum perfidia, et dissidium, quod vocamus Schisma, diu afflixit Africanam ecclesiam.

AD CAP. *Nihil prodest.* II.

Ostenditur in cap. 2. taciturnitatem, conniventiam, patientiam Episcopi, qui res pauperum ab aliis possideri patitur, nihil officere successoribus ejus, quo minus eas res vindicare possint, et quandocunque, sine præfinitione temporis, si mala fide possideantur: vel intra tempus legitimum, si bona fide. Nec enim hæc Constitutio, ut putant, denegat bonæ fidei possessoribus præscriptionem justi temporis, quod jus est vetustissimum tributum bonæ fidei possessori. Res autem pauperum, quæ hic dicuntur, et res ecclesiæ idem sunt, *can. quia juxta,* 16. *quæst.* 1. *Res ecclesiæ,* inquit, *patrimonia sunt pauperum. Et can. ult. quicquid habent clerici, pauperum est.* Qui loci sunt notandi.

AD CAP. *Sanctorum.* III.

Ex cap. 3 intelligimus, præscriptionem XXX. annorum, cujus auctor est Theodosius Magnus, etiam Episcopis prodesse, qui aliena prædia per tot annos sine interpellatione Synodali, vel legitima, fide ecclesiæ suæ nomine possederunt. Quod utique verissimum est, si ea prædia laicorum fuerint: sed si alterius ecclesiæ, vel diœceseos fuerint, quæritur an sufficiat præscriptio 30. annorum? Et olim quidem sufficiebat, ut patet ex plerisque canonibus, qui habentur. *can.* 16 *quæst* 4. hodie vero non sufficit, quandoquidem ecclesiæ adversus ecclesiam necessaria est præscriptio XL. annorum, ut definitur *Novella Justiniani* 131. cujus sententia Juliani Antecessoris verbis proponitur in *can. ult.* 16. *quæst.* 5. et in *capitul. Caroli Magni lib.* 5. *cap.* 236. et confirmatur perquam evidenter in *cap.* 8. *hoc tit.* et in *cap.* 4. quod sequitur, de cujus sententia videamus.

AD CAP. *De Quarta.* IV.

Hoc cap. est de quarta decimarum, et funerationum cujusque parochiæ, quæ inter jura Episcopalia connumeratur, *cap. conquerente, sup. de off. Jud. ordin.* Hoc vero jus quartæ si sibi vindicet Episcopus agendo contra clericum parochianum, cui cura parochiæ incumbit et administratio, jure repellitur præscriptione quadraginta annorum, non triginta, subducto scilicet eo tempore, quo episcopatus vacaverit, quo præscriptio illa non currit *cap.* 14. et 15. *inf.* sicut nec præscriptio triennii in specie cap. 1.

AD CAP. *Vigilanti.* V.

Docet hoc cap. 5. malæ fidei possessori nihil prodesse præscriptionem 30. vel 40. annorum, et hanc esse summam discrepantiam inter jus civile et Pontificium: nam jure civili etiam malæ fidei possessori prodest præscriptio 30. vel 40. annorum: jure Pontificio non nisi bonæ fidei possessori, ut *cap.* 3. *sup.* in illo loco *sincer.* Sincere enim est bona fide, quod in παραλλήλον, sive cum geminatione bona fide sinceriter in *l.* 10. *C. de distract. pignor.* Sincera fides, bona fides, l. 2. *C. si propter, penul. publ.* Titus Livius lib. 29 *quod non sincera fide in gratiam rediisset.* Epitome Livii pro *sincera* habet *bona.* Idem ergo est bona fides, et sincera fides. Illis vero consequens et mala fides interveniens, quod est certissimum, jure civili non interrumpat præscriptionem sive possessionem triginta annorum, jure Pontificio interrumpat, *cap. pen. et ult. h. t. can. si virgo,* 34. *quæst.* 2. At quid est quod præscriptionis 30. annorum, vel 40. Alexander in hoc cap. auctorem facit Ephesinum quendam, sic nominat cum certo certius sit, præscriptionis 30. annorum auctorem esse Theodosium Magnum, præscriptionis 40. Anastasium, ut docet *Observ.* 18. *cap.* 26.? Quid igitur sibi vult hic Pontifex, dum utriusque præscriptionis auctorem facit Ephesinum, cujus nulla alibi memoria extat? Et proclivius est quidvis aliud divinare, quam qui Ephesinus iste, vel, ut alii codices habent, Euphegius fuerit, forte scripsit Eugenius, quem constat, cum rerum potiretur in Oriente Theodosius Magnus, se pro Imperatore gessisse in Occidente, ubi exemplo Theodosii introduxisse præscriptionem 30. annorum. Verum hoc refutat quod adjicitur in antiqua Decretali, hunc commentitium Ephesinum fuisse patrem Origenis, qui quidem Origenes multis seculis Theodosium, Constitutionemque dictæ præscriptionis 30. annorum antecessit. Hunc locum serva interim, ut probes quam cynici, et fuci olim fuerint, quæve imperitia, et incuria curiæ Romanæ.

AD CAP. *Ad aures.* VI.

Quod sequitur in hoc cap. 6. confirmat, quod diximus in cap. 4. ecclesiam adversus ecclesiam, si forte quæratur de jure percipiendarum decimarum, se tueri posse præscriptione 40. annorum, XL. requiruntur, ut et cum agitur de finibus parochiarum, vel diœceseon, *cap.* 9. *inf.* nec sufficiunt hodie 30. anni, nisi cum de privilegiis ecclesiæ agitur, quæ amitti constat usu, id est, non utendo, intra 30. annorum, *cap. si de terra, inf. de privileg. cap.* 1. *de decim.* in 4. *collectione* Privilegia semper restrictius accipiuntur, et facilius amittuntur.

AD CAP. *Causam.* VII.

De decimis est etiam quod habetur in cap. 7. non posse eas deberi, vel detineri a laico, nimirum quia tributa sunt egentium animarum, quarum cura præcipua est clericorum, ut ait *can. decimæ* 16. *quæst.* 1. id est, quia dependuntur in hoc, ut clerici, qui eas percipiunt, inde alant se, si aliunde se alere non possint, et pauperes, quod et quæ sequuntur in eodem cap. evidenter ostendunt. Eodem modo dicitur in *can. decimas,* 17. *quæst.* 7. decimas esse concessas in usum pietatis, non, ut fit, in usum qualemcunque nostrum. Proinde laicus neque ulla præscriptione temporis, neque alio quocunque jure jus decimarum sibi acquirere potest, ne id quidem concedente et consentiente Episcopo et capitulo, quod ecclesiæ Senatus est, ut *cap.* 17. *inf. de decim.*

AD CAP. *Illud.* VIII.

Quæ sequuntur in cap. 8. omnino confirmant ea, quæ supra diximus de præscriptione 30. annorum, obtinuisse eam olim adversus ecclesiam, hodie non obtinere, sed præscriptionem solam 40. annorum, quam *e stabilem* leges et jura vocare voluerunt, ut est scriptum in *l.* 2. *C. Theod. de cong. temp. præscript.* Hoc tantum additur in cap. 8. ubi inter aliquos vertitur quæstio de præscriptione temporis, et interruptione, uno scilicet præscriptionem allegante, altero interruptionem sive interpellationem præscriptionis, ab utraque parte testes recipi, quod fit et in aliis plerisque causis, *l. Falloctes, C. de usol.* Nov. 36. Quint. 5. *Aliquando utrique testes esse, et quæstionem sequi ex ipsis, utri meliores viri: et ex causis, utri magis credibilia dixerint: et ex litigatoribus, utri gratia magis valuerint.*

AD CAP. *Quia indicante.* IX.

Cap. 9. falso adscribitur Alexandro III. cum sit Gregorii I. ad Joannem Syracusanum Episcopum, ut constat ex libro 6. Epistolarum ejusdem Gregorii cap. 200. et collocari igitur debet hoc cap. initio, aut circa initium tituli inter constitutiones Gregorii I. vel ante cap. 4. Porro in hoc cap. agitur de finium regundorum judicio, quo duo Abbates controvertebant inter se, et docet huic controversiæ dirimendæ necesse esse vocari agrimensorem, qui in re præsenti in fines determinet atque distinguat, ut *l.* 8. *§. ult. fin. reg.* *l.* 3. *C. eod.* ita tamen, ut subjicit, ut utrique parti servetur præscriptio 40. annorum: nec enim sufficit præscriptio triennii, quæ tamen sufficit inter privatos, *l. ult. C. eod. t.* et sufficiebat etiam olim inter ecclesiasticos, *can. inter memoratos.* 16. *q.* 4. qui male tribuitur Innocentio Papæ, cum sit ex concilio Hispalensi 2. can. 2.

AD CAP. *Ex transmissa.* X.

Ex hoc cap. notandum est, jus percipiendarum decimarum, et oblationum, et aliarum obventionum ecclesiasticarum, posse quidem acquiri per possessionem justam, id est, bonæ fidei 40. annorum, ut demonstratum est sup. cap. 6. sed in hunc annorum numerum non computari annos quibus hostes his locis incubuerunt, in quibus ecclesiæ constitutæ sunt, puta si non fuerit, vel quod non fuerit his, quorum interest, eo tempore interrumpendæ præscriptionis bona copia, ut *can. primis actionis,* 16. *quæst.* 4. et *Nov. Valentiniani de* 30 *ann. præscript.*

AD CAP. *Accedentes* XI. et CAP. *Cum ex officii.* XVI.

Ex cap. 11. intelligimus, procurationes, id est, cibaria, annonas, et capita, quas ratione visitationis ecclesiæ pro modo facultatum suarum debent Episcopis, Archiepiscopis, Archidiaconis, decanis, et legatis, vel nuntiis Romani Pontificis, contra has, inquam, procurationes nullius temporis præscriptionem opponi posse, quod etiam cavetur in *cap.* 17. *inf. de censibus, et procur.* qui titulus est de hac re, id est, cibariis, annonis, et conviviis: quod quidem cap. 17. cum isto cap. omnino conjungendum est. Idem etiam cavetur in *cap.* 24. *eod. tit. et cap.* 1. *de præscript. in quarta collectione.* Et ita etiam contra visitationem ipsam, quæ incumbit Episcopis, vel Archidiaconis, vel Decanis, ut dixi, majorum ecclesiarum, vel legatis, et nuntiis Romani Pontificis, contra visitationem ipsam nullius temporis præscriptio admittitur, ut additur in *cap.* 16. *inf.* quod cum isto simul explicabitur, id est, non idcirco amittit jus visitandi bis in anno, ut Canonibus cautum est, ecclesias suæ diœcesi subjectas Episcopus aut ratione visitationis sibi debitas annonas, quas procurationes vocant, quod diu ipse, vel prædecessores sui iis juribus usi non fuerint. Potest quidem unus Episcopus, ut cavetur in *d. cap.* 16. hæc jura

sibi bona fide quærere per possessionem 40 annorum adversus alterum Episcopum, cui ea jura competebant: at ecclesiæ nullo tempore possunt sibi acquirere immunitatem ab hisce oneribus citra speciale privilegium Romani Pontificis, ut cavetur in hoc *cap.* 11. et in *l. cap.* 17. *de censib.* est autem *cap.* 16. hujus tit. et Archiepiscopo Senonensi, cui Abbas S. Maglorii, *qui est a Paris*, et alii quidam ecclesiastici in ipsius diœcesi constituti visitanti ecclesias suæ diœceseos, visitanti, et circumeunti provinciam suam justas procurationes præstare recusaverant, in quos ab eam rem ab Archiepiscopo Senonensi latam sententiam suspensionis pridem, deinde excommunicationis in perseverantes in eadem contumacia Pontifex confirmat in *d. cap.* 16. In hoc autem *cap.* 11. ostenditur, sine speciali privilegio Romani Pontificis nullam ecclesiam ab hoc onere immunem esse, nullosve clericos, aut Canonicos, aut monachos, nec, quod longissimo tempore id oneris non sustinuerint, ullam eis præscriptionem opitulari posse: idque id specie hujus *cap.* 11. constituitur adversus *ordinarios* ut sit, majoris ecclesiæ Mediolanensis, in qua Canonici vocantur ordinarii, ut Ravennæ Cardinales olim, Lugduni etiam hodie Comites. Ii scilicet ordinarii majoris ecclesiæ Mediolanensis, ceteris altarum ecclesiarum Canonicis et clericis ejusdem diœceseos conferentibus in procurationem legatorum Pontificis exhibendorum causa, hi, inquam, soli ordinarii nihil quicquam in hanc causam conferre volebant. Hæc autem Constitutio jubet etiam eos eadem onera subire.

AD CAP. *Cum non liceat.* XII.

Ex juribus Episcopalibus, quæ fere omnia numerantur in *cap. conquerente. sup. de off. jud. ord.* alia non utendo amittuntur opposita præscriptione legitima, ut quarta decimarum, et funerationum, *cap.* 4. *sup.* et institutio, vel destitutio presbyterorum: sic oportet accipere institutionem, et destitutionem, cum ita simpliciter nuncupatur, ut in *d. cap. conquerente*, et in *cap.* 18. *inf.* quæ est institutio, et destitutio clericorum, ut in *cap.* 2. *de præscript. in quarta collect.* Hæc facultas, inquam, instituendi, et destituendi, augurandi, et exaugurandi presbyteros non utendo amittitur. Itemque ordinatio sacerdotis parochiani, quem vulgo Pontifices vocant Plebanum vulgari voce, ut in Italia *Plebano, le Curé.* Ordinatio igitur sacerdotis parochiani, et plebani, et clericorum, qui ei opem ferunt in divinis mysteriis, et baptismi collatio, et pœnitentiæ levioris irrogandæ facultas, et decimarum perceptio, et sepeliendi, excommunicandi, interdicendi, absolvendi, jura hæc non utendo amitti possunt, et utendo bona fide, et ex justa causa acquiri, *cap.* 18. *inf.* Alia sunt jura Episcopalia, quæ non utendo non amittuntur: ut jus visitationis: et quod eam consequitur sive annexum est, ut ait *cap.* 25. *inf. de censib.* jus petendæ procurationis, sive alimoniæ, ut superiore cap. Reverentia item; et obedientia Episcopo debita nullo tempore intercidit, etiamsi per annos innumeros in ea exhibenda ecclesiæ quædam suæ diœceseos cessarent, ut in hoc cap. videlicet, si quæ forte prætendunt se exemptas esse ab obsequio Episcopi fretæ solo lapsu temporis longissimi. Opus est Romani Pontificis speciali privilegio, quo eximantur ab obsequio diœcesani Episcopi, nec sufficit temporis prolixitas. Quod etiam in visitationum, et procurationum causa servari jam ante dictum est. Et privilegium quidem illud, quo plerique eximuntur ab obsequio atque etiam jurisdictione diœcesana, ut in hac urbe Biturigum Canonici S. Sacelli, et Capitulum S. Stephani, et monasterium S. Sulpicii, et qui communem societatem Christianorum omnium ex nomine Jesu propriam suam fecerunt; privilegium, inquam, illud jure Pontificio approbatur *cap.* 1. *de privileg. in* 6. *cap. un. de excess. prælat. in Cle. cap.* 15. et 18. *h. t.* at improbatur sane vehementer passim ab omnibus Episcopis quorum interest. sed fremant quantumlibet, id privilegium jure Pontificio receptum est, quamvis eo concesso rem suam augeat Romanus Pontifex, et minuat ceterorum Episcoporum. Sunt Ordines et monasteria innumera hodie, quæ eo privilegio fruuntur, ratione ducta ex *can. luminoso.* 18. *q.* 2. et ex iniquitate plerumque, oppressione, et injuria Episcoporum: et quandoque conventione habita cum Episcopo diœcesano, et remuneratione interveniente. Quæ tamen conventio non videtur esse rata, sicut nec si ex conventione Episcopus jus visitationis remittat, aut procurationis, *cap.* 21. *inf. de censib.* Sunt etiam Episcopatus plerique, qui non subjacent Metropolitano, sed soli Romano Pontifici ἀμέσως, immediate, ut Aniciensis Episcopatus in Gallia, *le Puy.* et Papiensis, sive Ticinensis in Italia, et alii multi.

AD CAP. *Ad audientiam.* XIII. et CAP. *Cum nobis.* XIV.

Cum cap. 13. simul explicabo cap. 14. de præscriptione centum annorum, quæ sola singulari quodam jure Romanæ Ecclesiæ obstat: non sufficiente adversus eam XL. vel LX. vel alia quacumque temporis præscriptione cum tamen adversus aliam ecclesiam, ut in superioribus demonstratum est, sufficiat præscriptio XL. annorum. De hac singulari præscriptione C. annorum agitur in hoc cap. 13. et 14. Olim etiam adversus Romanam Ecclesiam currebat præscriptio XL. annorum, ut adversus aliam ecclesiam quamcumque. Primus Justinianus constituit, ut ne ulli ecclesiæ alia præscriptio noceret jus suum persequenti, quam C. annorum, *l.* 21. *C. de Sacros. Eccl. Nov.* 9. *item* 5. edicto Justiniani, cujus etiam Suidas mentionem facit in Prisco Emeseno. Qui tamen Justinianus postea mutata sententia in Nov. 111. et 131. adversus ecclesias omnes sufficere voluit præscriptionem XL. annorum, sublata C. annorum, seculi, ut ait, magis quam temporis præscriptione τοῦ αἰῶνος μᾶλλον ἤπερ τοῦ χρόνου παραγραφῆ, quod et Gregorius I. probavit, non excepta Romana ecclesia, *can. volumus.* 16. *q.* 5. Recentiores Pontifices, Joannes VIII. Innocentius III. Bonifacius VIII. in Ecclesia Romana conservari voluerunt Justiniani priores Constitutiones, ut scilicet ei non possit alia præscriptio temporalis opponi, quam C. annorum, idque constat ex hoc *cap.* et *cap. seq.* et *cap.* 17. *in fin. hujus tit.* et *cap.* 2. *eod. tit. in quarta collectione,* et *cap.* 4. *inf. de confirmat. ut. vel. inut.* et *can. ult.* 16. *qu.* 4. Hoc denique præcipuum habuere voluerunt ecclesiam Romanam, quamquam difficile, immo pene impossibile sit probare C. annorum possessionem, vix enim ulli completis C. annis superesse possunt homines, qui de ejus possessionis justo initio perducto ad C. annos testificari possint. Rumor quidem et fama communis, vel de auditione testimonia, quæ dicant ii, qui se a majoribus suis id audisse et accepisse dicant, proferri possunt, sed harum probationum subtestior est fides. Porro cum hoc proponitur cum ecclesiam Romanam excipiunt, procul dubio intelligunt ecclesiam Sancti Petri, idque patet manifeste ex *cap. un. de præscript. in* 5. *collectione:* ubi Honorius III. idem privilegium, quod habet ecclesia Sancti Petri, dat ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis in eadem urbe, quæ propria est sedes Romani Pontificis. Nunc videamus, quæ sit species *cap.* 13. et *cap. seq.* Alexander III. cuidam nobili feudi jure concessit pensionem annuam certæ pecuniæ impositam cuidam castello, et debitam ecclesiæ Romanæ, et omnia jura, quæ in eo castello ecclesia Romana habebat, veluti cibatus, sive procurationis, et banna ut ait, idest, jus edicta proponendi; et jurisdictionem, quæ hoc loco significatur Placitorum nomine, quia barbare Placita vocant *plaids*, sive litigia, et coercitiones, sive mulctas delinquentium, quæ etiam in idiotismo forisfacta, *forfaiture.* Huic vero nobili quo minus hoc jure et beneficio Pontificio uteretur, cum Castellanus ejus castelli faceret controversiam, et neque solveret pensionem annuam, neque cetera jura redderet nobili supradicto: Pontifex pro nobili pronuntiat adversus Castellanum hac potissimum ratione, quod etsi diceret Castellanus hoc jure nobilem non fuisse usum per XXX. annos: tamen quia ea res principaliter contingebat ecclesiam Romanam, quia ejus rei principale negotium erat ecclesiæ Romanæ, a qua beneficium illud proficiscebatur, et pendebat, nihil agere Castellanum objiciendo nusum, sive præscr. XXX. annor. adversus ecclesiam Romanam necessariam esse præscriptionem C. annorum. Hæc fuit ratio præcipua, cui adminiculabatur etiam beneficium Pontificis, quod nobilis proferebat: itemque liber censualis Romani Pontificis, ex quo apparebat, superiora jura pertinuisse ad ecclesiam Romanam. Qui quidem liber sane plenam fidem facit, etiamsi non inveniatur, ut ait, in archio ipso ecclesiæ Romanæ, sed apud Cardinalem quendam, qui olim fuerit Camerarius Romani Pontificis, id est, qui præfuerit archio, sive grammatophylacio ecclesiæ Romanæ. Testes quoque hujus rei approbandæ causa ab eodem nobili producti recipiuntur ut idonei, nec ideo rejiciuntur quod diceret Castellanus verbo tenus tantum, scriniarium, sive tabellionem non ex fide dicta testium in litteras retulisse: quia non est credibile pejerasse scriniarium, qui in eo officio accipiendo juravit, se eo perfuncturum bona fide. Quare etiam præsumit Pontifex in *cap.* 4. *de fid. instrum.* in quarta collectione, tabellionem suo officio functum fideliter, *cum,* inquit, *ad hoc ex jurejurando teneantur.* Ex cap. 14. præter id, quod in eo habetur de non minori, quam C. annorum præscriptione ecclesiæ Romanæ objicienda, notandum est, in eum C. annor. imputationem non numerari tempora schismatum ecclesiæ, quorum plura intercessisse tempore Alexandri III. historia probat, tribus, vel quatuor ordine Pontificibus, quos vocarunt Antipapas, Alexandro oppositis factione Cardinalium, et Principum quorundam, Octaviano scilicet, et Guidone, et Joanne, et Landone, quos omnes cum mors eripuisset ex rebus humanis superstite Alexandro, nemo post eos ausus est in possessione summæ cathedræ ullam deinceps Alexandro, inferre molestiam, verebantur enim ne mortem obirent, ut priores illi quatuor, atque ita diu Alexander, qui fuit vir magnus, fruitus est sede illa.

AD CAP. *Auditis.* XV.

Conjungendum est cum hoc cap. *cap.* 5. *sup. de in integr. restit.* utrumque pertinet ad litem, quæ erat in Anglia inter Episcopum Vigorniensem, et Abbatem *Eveshamum*, sive *de Evesham*, sic legendum hoc loco, ut in inscriptione *cap.* 9. *sup. de judic.* quem solum abbatem liber fiscalis Romani Pontificis ponit in diœcesi Vigorniensi, ubi tamen corrupte legitur Evesanna, ordinis Sancti Benedicti, cum sit legendum *Eveshama;* quod et historia Anglica manifestum facit multis in locis. Fuit autem lis ea de quibusdam ecclesiis vallis et villæ Eveshamæ, quas diœcesana lege, ut ait, id est, tanquam constitutas in sua diœcesi Episcopus jure communi ad se pertinere dicebat. Abbas contendebat eas esse prorsus exceptas et liberas a ditione et jurisdictione Episcopi ex privilegio Henrici et Offæ, qui Reges Marciorum omnium, qui in Anglia fuerunt potentissimi, et ex privilegio Constantini Papæ (corrupte in hoc cap. *Cœlestinus prædecessor noster*, pro *Constantinus Papa*, ut recte legitur in antiquis) Idem etiam Abbas Episcopo opponebat præscriptionem XL. annorum: quod tot annorum spatio cessasset Episcopus in Vallis Eveshamæ jurisdictione usurpanda. Deficienti abbati in probatione privilegii superenat exceptio possessionis XL. annorum, sicut, ut hic etiam ponitur, deficienti Episcopo in probatione ejus temporis, quo dicebat ecclesiam Vigorniensem caruisse Episcopo, atque ideo ex præscriptione XL. annorum tempus illud vacantis ecclesiæ deducendum esse, ut *cap.* 1. *et* 4. *sup.* superorat exceptio usurpationis. Usurpatio interrumpit præscriptionem, ut potuit probaverit in ecclesia quadam ejus

vellis Archidiaconorum quendam Vigorniensis ecclesiæ eo profectum illius ecclesiæ invisendæ causa, fuisse benigne receptum, eique præbitas annonas et capita. Si et per Archidiaconos suos idem probaverit Episcopus, se coegisse, sive collegisse denarium Sancti Petri: sic vocabatur nummus argenteus, quem singulæ familiæ in Anglia olim pensitabant Romano Pontifici, quod tributum etiam ob eam rem dicebatur *Romescot*, *comme la taille de Rome*, ut scribit Matthæus Vvestmonasteriensis, et Polydorus Virgilius, ultro concessum ab Offa et aliis regibus Anglorum, ecclesiæ Romanæ. Id vero exigi ab Episcopo per Archidiaconos ostendit cap. 12. *inf. de censib.* in quo sic legendum est, *cum Beati Petri denariorum collectam per Archidiaconos vestros feceritis, etc.* Usurpationis etiam, sive interruptæ possessionis argumentum erat, ut hic proponitur, publica processio, quæ δημοσία πρόοδος apud Justinian. *Novel.* 67. quam a civitate Vigornia in eam vallem tempore Pentecostes Episcopus ducere solebat. Argumentum etiam aliud erat interruptæ præscriptionis, cognitio causarum matrimonialium, quæ in ea valle movebantur, quam Episcopus semper usurpaverat, et Cappellanorum, ut ait, suspensio, vel interdictio. Et hæc sufficiant ad c. 15.

Cap. 16. jam exposui *sup. in c.* 11.

AD CAP. *Si diligenti*. XVII.

Quod habetur in hoc cap. conjungendum est cum his, quæ dicta sunt *sup. in cap.* 22. *sup. de perjur.* de jurejurando fidelitatis, quod præstare judex Caralitanus in Sardinia, quæ tota parebat Romanæ ecclesiæ, debuit Romano Pontifici non Pisano Archiepiscopo, qui neque privilegio, neque præscriptione ulla id sibi unquam juris acquisierat: namque id semper exegerat a judice Caralitano, non suo nomine, sed nomine sedis Romanæ: ex quo apparebat non Archiepiscopum Pisanum, sed Pontificem Romanum fuisse in quasi possessione juris supradicti, quia is solus possidet, cujus nomine possidetur, *l. Quod meo d. acq. v. possess.* Itaque non poterat Archiepiscopo, qui non possidebat sibi, procedere præscriptio temporis. Imo et hoc posito, Archiepiscopum Pisanum jus illud Ecclesiæ suæ, non ecclesiæ Romanæ nomine: atque ideo Archiepiscopum Pisanum ejus juris possessorem fuisse, dicendum est, præscriptionem Archiepiscopo non prodesse, quia mala fide possedit, sciens id juris ad Romanam ecclesiam pertinere, cum et jusjurandum ab eo judice exigeretur sub hoc modo, salvo honore sedis apostolicæ, *d. cap.* 22. Malæ autem fidei possessori, et justum possessionis titulum non habenti præscriptio non procedit. Ac præterea, sic gradatim procedit Pontifex in hoc capitulo, hoc concesso, præscriptionem procedere, non aliam posse adversus Romanam ecclesiam procedere, quam c. annorum, quam probare perdifficile, imo pene impossibile est, ut diximus in cap. 13. *sup.* In contextu hujus cap. illo loco, *juramentum, quod per se jam Apostolicum*, legendum ut in sequentibus, *quod pro sede Apostolica*, id est, nomine ecclesiæ Romanæ, non Pisanæ, et sic habet antiqua Decretalis. Quod autem ait in hoc *cap. in præscriptione rerum ecclesiasticarum bonam fidem, et justum titulum requiri*, id obtinet hoc jure in omni omnium rerum præscriptione, ut ait *cap. ult. inf. hoc t.* non tantum canonica, quæ secundum canones inter ecclesiasticos procedit, sed etiam civili, quæ inter laicos. Nam et inter laicos semel tempore bona fides intervenire debet, quoad justum præscriptionis tempus adimpletum sit. Incidens mala fides medio tempore interrumpit præscriptionem vel usucapionem hoc jure, sed non etiam jure civili. Quod si in præscriptionibus omnibus bona fides hoc jure requiritur, ut in *cap.* 3. 5. *pen.* et *ult. hoc t.*, si justus titulus igitur, id est, justa et legitima causa possessionis adipiscendæ et obtinendæ, ut *cap.* 31. *inf. de decim. cap.* 9. *sup. de probat.* nam ubi justus titulus absit, vix est ut non etiam absit bona fides. *l. ult. C. unde vi.* Cum igitur constet, sine bona fide præscriptionem non procedere, consequens est, nec eam procedere posse sine justo titulo. Quod tamen non videtur per omnia admittere *cap.* 1. *de præscript. in* 6. nisi et ibi dicas, eum, qui possidet sine titulo, modo non possideat contra jus commune, non omnino carere titulo, vel eo, quod ejus possessio velut juri contraria coargui non possit; sicut nec si origo possessionis hominum memoriam excesserit.

AD CAP. *Cum olim*. XVIII.

Episcopus Lucensis vindicabat sibi in villa quadam jura Episcopalia; veluti institutionem, et destitutionem presbyterorum, ordinationem rectoris parochiani, et clericorum, et vindicabat quidem ea jura fretus jure communi, sive communi lege diœcesana, ut *cap.* 15. *sup.* atque etiam ea sententia quadam arbitrorum, hac in causa pro se data adversus Abbatem S. Salvatoris, qui nunc denuo de hisce juribus cum eo Episcopo controvertebat, prolato privilegio Gregorii VII. ante sententiam illam arbitrorum impetrato, quo hæc jura, quæ abjudicabantur Episcopo, adjudicabantur Abbati, et villa illa eximebatur potestate Episcopi: prolatis etiam multorum Pontificum Rom. similibus privilegiis concessis post sententiam arbitrorum. Ac præterea opposita præscriptione xxx. annorum, quam initium duxerat e concessione illa privilegiorum, et e justo titulo igitur, et bona fide cœpta et continuata sine interpellatione legitima. Quapropter etiam pro Abbate Pontifex pronuntiavit in his causis, ut ait, quibus quæsiisse se jura Episcopalia præscriptione legitima Abbas docuit post sententiam arbitrorum: in aliis in quibus quod idem non doceret, præscriptione uti non potuit, Episcopo juxta sententiam arbitrorum jure suo conservato.

AD CAP. *Veniens*. Pen. et CAP. *Quoniam*. Ult.

Erat in Ungaria quæstio de decimis Comitatus Simigiensis, sic est legendum. Comitatum hic vocat, quem Ducatum Bonfinius scriptor doctissimus historiæ Ungaricæ. Et hæc quidem quæstio de decimis, ut corpi dicere, erat inter Episcopum Vesprimiensem et Abbatem S. Martini, qui est in diœcesi Vesprimiensi. Abbate decimas illius Comitatus vindicante interdicto uti possidetis, ex privilegio Stephani primi Ungarorum Regis, quem S. Stephanum vocant, quod relatus fuerit inter divos, confirmato a Paschali II. Romano Pontifice, quod in decimarum jure conferendo non sufficeret auctoritas regia, cum nec regi id juris competere possit, *cap.* 31. *inf. de decim.* Quod pertinet etiam ad ecclesiam Vesprimiensem. Episcopo autem easdem decimas contra vindicante, et argumentis quibusdam refellente privilegium illud Abbati concessum. Quibus tamen argumentis tanquam infirmis Pontifex locum non dedit, et omnino privilegium illud ratum et firmum esse jussit, ac jubet in hoc cap. Verum, ut subjicit, quod attinet ad electionem, consecrationem, et erogationem chrismatis sive olei, ex quo fit post baptismum unctio benedicta (ut Tertullianus loquitur in libro de Baptismo, et eadem de re Cyprianus ad Januarium in hunc modum. *Ungi necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto*, inquit, *Chrismate*, id est, *unctione, esse Dei unctus, et habere in se gratiam Christi possit*). Item quod attinet ad consecrationes altarium, et basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines promovendi sunt, Pontifex jubet clericos parochiales supradicti monasterii (nam et monachi parochias habere possunt, *cap.* 10. *sup.* id est, regimen quarundam parochiarum) illos, inquam, clericos non posse ea beneficia, quæ ante retuli, ab Abbate consequi, sed e solo Episcopo Vesprimiensi, si Catholicus fuerit, et gratus Romano Pontifici, et quidem gratuito, non ære collato, alioqui simonia contraheretur, *cap.* 16. et 36. *inf. de simon.* et si Episcop. Vesprimiensis Catholicus non fuerit, ab alio quolibet Episcopo Catholico: hæc enim dare Pontificum est, non monachorum. Et vero ab alio quolibet Episcopo Catholico, deficiente proprio, id esse sit ex privilegiis Paschalis et Alexandri concessis Abbati supra dicti monasterii, quibus quidem privilegiis cum nihil nominatim derogaverit privilegio Clementis, quod subsecutum est, et datum Abbati generaliter, ut a quocunque Episcopo, ut diximus, beneficia illa rectores parochiarum supradicti monasterii accipere possint; concludit pristina privilegia concessa Paschali et Alexandro sub distinctione in illis expressa, et paulo supra exposita generali sermone abrogata non esse; nec abrogata quoque ea privilegia esse præscriptione XL. annorum jam completa, quæ hoc jure legitima præscriptio est adversus ecclesiam, aut monasterium, cum Abbas allegando pro se illa privilegia Paschalis, et Alexandri, præscriptioni omnino renuntiasse videatur: et post ea quoque privilegia impetrata præscriptionem implere non potuerit malæ fidei possessor constitutus. Impetratio enim privilegii, quod notandum, argumentum est malæ fidei. Quo enim opus est mihi privilegio si bonæ fidei possessor, si mihi bene conscius sum? Mala autem fides, sive initio possessionis intervenerit, aut quasi possessionis, sive supervenerit, sane hoc jure impedit et interrumpit præscriptionem, ut *cap.* 5. *sup.* et ratio redditur in *cap. ult.* ex Epistola ad Romanos, *quia omne quod non est ex fide, peccatum est*, ac si ille locus Apostoli sic accipiendus sit, quod quæ præcedunt quodammodo innuunt, quod fit contra animi nostri conscientiam, contra fidem bonam: ut si quid edamus, aut bibamus aliud dictante conscientia: si quid faciamus, quod intelligamus, aut existimemus non esse faciendum: si quid possideamus, quod sciamus esse alienum, aut quod idem est nostrum non esse, peccatum est. Et sic Gratianus interpretatur in *can. quæras, de pænit.* 3. *distinct.* sic et alii multi. Hic est finis hujus tituli de præscriptionibus.

AD TITULUM XXVII.

De Sententia, et re judicata.

AD CAP. *Sententia*. I.

Hic titulus est de sententia, et re judicata. Sententia est causa, res judicata effectus, condemnatio puta, vel absolutio, ut *l.* 1. *D. de re judic.* Lis, quæ definitur sententia transit in rem judicatam, *l. Si fundus. §. Si placit. de pignor. cap.* 13. *inf. h. t.* Sententiam enim in hoc titulo non accipimus pro qualibet interlocutione judicis, sed pro sententia definitiva, *l. Quod jussit. D. de re judic.* et pro sententia, quæ non sit concepta contra leges, aut canones, aut bonos mores, ut *Institut. initio tit. de offic. judic.* alioquin ipso jure nulla sententia est, *cap.* 1. *h. t.* licet ab ea appellatum non sit. A sententia ipso jure nulla, appellare non est necesse, *l. Si expressim. de appell. l.* 1. *§. Item cum contra. quæ sent. sin. appell. rescind. l.* 2. et *h. C. quand. prov. non est nec.* aut si qua a sententia ipso jure nulla interponitur appellatio, ut fit sæpe, ex abundanti interponitur, ut est in epistola Gregorii I. ex qua sumptum est cap. prim. quod notandum. Nam ex eodem exemplo, modo recte dicas, ex abundanti opponi exceptionem, quæ judicio bonæ fidei inest ipso jure. Eleganter autem Græci interpretes volunt multum interesse sententia judicis sit ἄδικος, an παράνομος: quia παράνομος est ipso jure nulla, ἄδικος valet, nec citra appellationem rescindi potest: hæc de jure litigatoris iniqui pronuntiat, ut si volentem se excusare e tutela beneficio liberorum,

et probantem se tot habere liberos, quot sunt necessarii ad excusationem, judex pronuntiaverit eum non probasse numerorum liberorum. illa autem, quæ est, *παράνομος*, de jure publico pronuntiat inique, ut si pronuntiet numerum liberorum, non prodesse ad excusationem tutelæ, quod etiam ostenditur in *d.* §. item cum contra.

AD CAP. *Jurgantium.* II et CAP. *Non potest.* III.

Ex eodem Gregorio etiam est *cap.* 2 et 3. quorum uno ostenditur, rem, quæ in judicium deducta est, jamque perducta ad ultimam cognitionem, celeriter, et ex tempore judicandam esse pro qualitate ejus, puta, ut si qua de re turpissima agatur, ea maxime, et maturissime judicetur, ut M. Tul. ait pro Cæcinna, nisi forte de vita hominis agatur; *nulla enim unquam*, inquit ille, *de morte hominis cunctatio longa est*. Quamobrem etiam pro qualitate causarum judicibus delegatis certa tempora præstitui solent, intra quæ sententiam dicant, *l. 32. de judic.* Et generaliter ex constitutionibus causæ civiles ad summum finiendæ sunt intra triennium, *l. Properandum. C. de judic.* causæ criminales intra biennium, *l. ult. C. ut intr. cert. temp. crim. quæst. termin.* fiscales intra sex menses, *l. ult. C. de jure fisci*, quæ est Græca constitutio Justiniani. Et causæ quæ sunt de conditione Decurionum intra tres menses, *l. Generali C. de decur. lib.* 10. Altero cap. nempe 3. idem Gregorius definit, eum, qui dejectus est sede sacerdotali, id est, Episcopali, quam obtinebat, sine auctoritate Synodi, non esse jure dejectum, veluti dejectum ab Archiepiscopo non adhibito solemni conventu, sive Synodo, ut in specie *cap.* 1. Et hunc esse verum sensum cap. tertii, probat aperte integra epistola Gregorii, quæ est lib. 2. epistola 8. et apertius quæ sequitur epistola 9. Vulgo sic accipitur cap. 3. ut sola Synodus in hanc rem specialiter coacta possit justa ex causa Episcopum sede sua dejicere et regradare. Quod et verum est, extatque ejus rei exemplum apud Ammianum Marcellinum 15. de Athanasio Episcopo Alexandriæ, quem, hoc agente Constantino Imperatore, Synodus removerat ab Episcopatu et sacramento, quod obtinebat ea injusta causa, aut causa non probata. Cui decreto Liberius Pontifex Romanus noluit subscribere, nec urgente Constantio quidem, qui vehementer cupiebat decretum illud Synodale confirmari a Romano Pontifice, qui etiam tum eminebat supra omnes ceteros, ut ille Marcellini locus evidenter demonstrat. Et de ea omni controversia extat dialogus elegans habitus inter Liberium, et Constantium post Decreta Liberii tomo primo Conciliorum. At quamvis hoc sit verissimum, solius esse Synodi, id est (ut Marcellinus interpretatur) cœtus in unum quæsiti ejusdem loci multorum, solius, inquam, esse synodi Episcopum justa ex causa Episcopatu movere, tamen cap. 3. alius est sensus, et idem omnino, qui cap. 1., ipso jure nullam esse sententiam, qua ab Archiepiscopo Episcopus, qui ei suberat, sine auctoritate synodi Episcopatu motus est. Nam et species cap. 1. fuit, ut constat ex integra epistola Gregorii, de Episcopo, quem Archiepiscopus proprio Marte, ut ita dixerim, et sententia sua Episcopatu abire jusserat, non adhibita auctoritate synodi.

AD CAP. *Ea quæ* IV.

Quod sequitur in *cap.* 4. est ex epistola Leonis I. ad Episcopos Cæsarienses Mauritaniæ, de iis, quæ juste decrevit, et definivit synodus Africana, ut a Romano Pontifice comprobentur, et confirmentur. Unde nota, synodos provinciales indigere confirmatione summi Pontificis. Et adi, si libet, integram Epistolam Leonis, quæ in Codice epistolarum ejusdem est epistola 87. et hoc habet in extremo quod hic legis, quod poni sane debuit ante tres superiores Gregorii constitutiones, qui fuit longe post Leonem, si servanda est, ut plerunque servatur, series Pontificum.

AD CAP. *De cetero.* V.

Sequitur in *cap.* 5. executione sententiæ Romani Pontificis ab eodem alii demandata, si qua fraus intervenerit, inquit, ut de omni negotio non cognoscat executor, sed rem omnem remittat ad Romanum Pontificem, quia executor, neque judex est, vel cognitor, neque arbiter, ut *l. 6. C. de execut. rei jud. l. 1. C. Th. de litigios. Et si fraus intervenerit*, inquit, hoc si interpretari velim, ut si falsis precibus oblatis Romano Pontifici elicitum dicatur ab eo rescriptum, quod ad eam litem finiendam pertinuerit, de qua Pontifex pronuntiavit. Sic hæc verba, *si fraus intervenerit*, accipienda esse locus unde ea sumpta sunt demonstrat. Is est enim in *l. 4. C. si contra jus, vel util. publ.* quæ tamen lex pugnat omnino cum hoc cap. 5. Nam etsi non cognitio, sed executio nuda, sive mera, ut loquuntur, alicui mandata sit, executorem inquirere debere ait de veritate precum, quæ falsæ dicuntur, ut si falsæ preces esse videantur, *de toto*, inquit, *negotio cognoscatur*, ab eodem scilicet executore. Quam constitutionem vere dixeris extorsisse falsi, et subreptionis aliquid, ac mendacii nomine: nec probari tamen eam a Romano Pontifice in hoc cap. quod et verba hæc demonstrant: *de cetero noveris*, inquit, quorum virtus hæc est, *aliud quidem olim fuisse observatum*: nimirum ex sententia *d. l.* 4. ceterum deinceps idem non esse servandum, non esse permittendam nudo executori totius causæ cognitionem.

AD CAP. *Cum aliquibus.* VI.

Potest etiam ad executores rerum judicatarum referri cap. 6. qui res judicatas ad emolumentum sive ad effectum perducunt, plerumque eo, qui vicit, jussu Prætoris misso in possessionem bonorum ejus, quem vicit, judicati servandi causa: quod pignus Prætorium dicitur: vel extra ordinem captis et distractis pignoribus, *l. A divo Pio. §. ult. de re jud. l. 2. C. de execut. rei jud.* Et ubi quidem exequendi judicati causa mittitur, qui vicit, in possessionem bonorum ejus, quem vicit, non verbo tenus eum mitti sufficit, nisi mittatur, ut sit, in possessionem corporalem, naturalem, realem: quomodo loquitur etiam *l. Debitor. §. ult. de pignor. act.* Et hoc est, quod ait in hoc c. 6. cum aliquibus est adjudicata possessio, non sufficit eis dare pignora, nisi corporali possessione lætentur: quod proculdubio Pontifex sumpsit ex *l. Non est §. 1. de pig. act.*

AD CAP. *Lator.* VII.

Hoc cap. est de sententia divortii lata inter virum et uxorem ex mutuo consensu utriusque, colore quæsita quasi injusti matrimonii, et decepto judice ecclesiastico, quam sententiam retractari et rescindi Pontifex jubet, si postea apparuerit justum fuisse matrimonium, quia obreptum est judici. Et hoc quidem ita fit recte etiam ad postulationem viri, si postea pœnitentia actus detexerit fraudem et errorem, ne animæ suæ periculum adiret. Unde colligitur contra quod vulgo fertur, adversus factum quemque suum venire, et erratum suum corrigere posse salutis æternæ conservandæ gratia. Sententiam quoque per errorem latam posse veritate comperta, cognito errore judicis rescindi posse, vel a Principe, vel a summo Pontifice, vel Senatu, ut *c. pen. de frig.* et *malef. cap.* 11. *hoc tit.* quo jure utimur. Neque enim tanti momenti, aut ponderis est res judicata, ut vincat veritatem, quamvis ipsa sane pro veritate habeatur interim, dum nullus error detegitur, juxta regulam, *res judicata pro veritate habetur*.

AD CAP. *Cum causa.* VIII.

In hoc cap. 8. proponitur alia causa rescindendæ sententiæ, si Romani Pontificis legatus, cui Pontifex delegaverat cognitionem causæ, quæ vertebatur inter laicos quosdam Veronenses, et clericos ecclesiæ S. Anastasiæ, quæ Veronæ ecclesia episcopalis, adversus quos laici agebant ex empto, nomine domus sibi venditæ ab Archipresbytero eorundem clericorum, sine consensu Capituli: si, inquam, legatus ille, post appellationem ab eo, tanquam suspecto, nomine clericorum interpositam ad Romanum Pontificem, clericis submotis præscriptione temporis, intra quod persequi debebant appellationem, sententiam dixerit adversus clericos, et domum, qua de agebatur, secundum consuetudinem Veronensis civitatis, quæ confirmabat venditiones prædiorum ecclesiasticorum factas ab Archipresbyteris: si, inquam, domum illam laicis adjudicaverit, quam et postea re perlata ad Romanum Pontificem Brixiensis Episcopus delegatus ab eodem Pontifice confirmaverit: nam hoc casu ipso jure nulla utraque sententia est, quippe cum lata sit contra canones, *cap. 1. sup.* qui quidem canones, nec ab Episcopo factam unquam tuentur venditionem prædiorum ecclesiasticorum sine consensu cap. Quapropter domum clericis Romanus Pontifex adjudicat, laicis abjudicat, a quibus etiam dicit nihil facere consuetudinem Veronensem, canonum decretis facientibus pro clericis, usurpata illa sententia *l. 2. C. quæ sit long. consuet.* ut et in *cap. ult. sup. de consuet. consuetudinem non esse tanti momenti, ut rationem vincat, aut legem*, aut canones scilicet.

AD CAP. *Inter ceteras.* IX

Sequitur in c. 9. quod extat etiam Concilii Lateranensis habiti sub Alexandro III. *part. 7. c.* 4. et est facillimum, sententiam, quæ iniquitatem continet manifestam, veluti sententiam latam expressim contra jus publicum, etiamsi ab eo dicta est, cui causa delegata fuerit adjecta hac clausula, *appellatione remota*, rescindendam esse. Et his igitur tribus continuis casibus *c.* 7. 8. 9. sententiam rescindi citra appellationem quasi ipso jure nullam, *cap. 4. sup. de rescrip.* quod et similitudo inscriptionis suadet.

AD CAP. *Tenor.* X

Hujus cap. species est de viro, quem cum apud judicem delegatum a Romano Pontifice mulier maritum suum esse peteret, et is negaret se illius maritum esse, judex absente citra contumaciam muliere, absentes justa aliqua et necessaria ex causa, absolvit, quæ sententia non tenet, *l. De unoquoque. de re jud. cau. omnia, cap. absente*, 3. *q.* 9. quia non utraque parte præsente, vel, ut est in XII. Tab. præsente ambobus, quia non præsente ambobus lata est. Quamobrem et eam postulante muliere, iterum alius judex datus est a Romano Pontifice, qui denuo de negotio omni cognosceret. Ad quem vocatus vir, cum morbo se teneri, nec adesse judicio posse finxisset, mox tamen aliam uxorem duxit. Ex hac causa, quod temere pendente judicio prioris matrimonii aliud contraxisset, excommunicatus, ac deinde absolutus est, et post absolutionem judicio adfuit: alioquin manente excommunicatione per se judicio adesse, et experiri non potuisset, *cap. 7. sup. de jud. c. per tuas, inf. de sent. excom. c. cum inter, in fin. sup. de except.* Et re omni tandem apud judicem posteriorem disceptata ex utraque parte, cum vir proferret absolutionis sententiam, mulier testes, quibus probabat se a viro publice annulo pronubo fuisse oppignoratam, et subarratam, ut loquuntur, quæ vel sola res matrimonium facit, *cap. ult. de despons. impub.* si in præsens tempus non in futurum verba collata sunt. De annulo isto pronubo fit mentio in multis aliis juris

pontificii locis, atque etiam in *l.* 36. §. 1. *de donat. int. vir. et uxor.* et a Plutarcho in problemat. qui, ut fit b die, et illum annulum olim non habuisse σφενδόνην, id est, palam sive fundam, *que vous appellez chaton*, narrat. De hoc vero negotio omni proposito jubet judicem posteriorum Pontifex cognoscere, non habita ratione absolutionis prolatæ pro viro, quæ illicita est, ut ait, utpote facta absente altera parte citra contumaciam. Jubet et illum districtius viro injungere sub pœna excommunicationis, ne pendente judicio hujusmodi ad eam mulierem, quam audacter et temere nimis superduxit, accedat. Hæc omnis sufficiont ad cap. decimum: nam quisquiliarum Doctorum piget. Nulli sunt Doctores ineptiores, quam qui in jus Pontificium scripserunt.

AD CAP. *Consanguinei*. XI.

Cap. 11. docet, judicio ecclesiæ, quod est judicio Episcopi, inter virum et uxorem facto divortio per causam συγγενείας, id est, cognationis spiritualis, et compaternitatis contractæ ex baptismo cujusdam infantis, quæ idoneis testibus comprobata fuerit, quæ divortii causa justissima est, *cap.* 3 6. 7. *de cognat. spirit.* c. 1. et 3. *eod. tit. in* 5. *l. Si quis alumnam. C. de nupt.* quæ sola in jure civili extat de compaternitate constitutio. Ita vero re transacta judicio ecclesiæ, non ob id solum rescindi sententiam Episcopi, quod postea mulier confiteatur tempore matrimonii contracti nulla se fuisse viro spirituali cognatione conjunctam, sed post contractum matrimonium commatrem ei esse cœpisse. Quæ cognatio superveniens sane non dirimit matrimonium: quamvis res in eam causam reciderit, a qua incipere non poterat, *c.* 2. *inf. de cognat. spirit.* Assertio igitur mulieris sola non est justa causa rescindendæ sententiæ rite, et ordine legitimo prolatæ, *nisi*, inquit, *accedant aliæ probationes legitimæ*, quibus scilicet pateliat, errasse Episcopum in judicando, qui utique potuit in judicando servare ordinem juris, nec tamen ideo minus libere judicare.

AD CAP. *Cum olim*. XII.

In cap. 12. Innocentius rescindit sententiam Cœlestini prædecessoris sui, cui subrepserat, quem vi dolo malo circumvenerat litigantium alterus, usurpato illo Nicolai Pontificis verbo, sententiam Romanæ sedis posse in melius commutari cum aliquid Pontifici subreptum est, *can. sententiam*, 35. *qu.* 9. quam usurpavit etiam in *cap. cum ex litteris, sup. de restit. in integr.* Species hæc erat: inter Episcopum Magalonensem, qui nunc dicitur Montis Pessulani Episcopus in Gothia, sic vocabant provinciam illam, quæ nunc dicitur *Languedoc*; inter Episcopum igitur illum, et Præpositum ecclesiæ orta controversia de Archidiaconatu ejusdem ecclesiæ vacante, et ad Archidiaconatum illum alium nominante Præposito, alium Episcopo, atque etiam eodem Episcopo a se electum et nominatum, ut ait, investitura per annulum, et inducente in possessionem. Annulum Fridericus ait esse donum investituræ in constitutione de pace tenenda. Annulo jungi sceptrum, vel fustis solebat. Inde in idiotismo, *investir per rain, et par baston*. Nam et veteribus Gallis, ut et Germanis sonitus dicebatur *rain*. Ea vero re omni perlata ad Cœlestinum, Cœlestinus irritam fecit nominationem utriusque, et pollicitus est brevi se electurum idoneos homines ejusdem provinciæ, quorum opera Archidiac. aliquis in locum defuncti substitueretur. Post ipsemet Cœlestinus non recordatus pronuntiationis, et pollicitationis suæ alii cuidam eum Archidiaconatum contulit, cui Innocentius hac constitutione, licet habuerit consensum Episcopi Magalonensis, abrogat Archidiaconatum etiam absenti, non est quærenda ratio longius, abrogat absenti in odium subreptionis, et imposturæ, de qua liquido constabat satis: liquido, inquam, constabat obreptum fuisse Cœlestino. Archidiaconatus autem vacantis electionem permittit Capitulo Magalonensi. Et nihil est præterea in *cap.* 12. nisi et illud annotare velis, quod Præpositus ille contendebat, vel prætendebat, vocem suam, suffragium suum computandum esse pro duobus, quod dignitates etiam hodie pleræque in plerisque ecclesiis sibi vindicant, et consuetudo admittit, jus hac in re nullum extat certum, quæ et satis nova est, ut una vox pro duabus habeatur, et computetur, et jure hoc fiat perne latissime hic Panormitanus disputat.

AD CAP. *Cum inter*. XIII.

Ad cap. 13. notandum est, a sententia judicis intra decem dies appellandum esse, ut cavetur Justiniani *Nov.* 23. quam Pontifices sequuntur, *cap.* 15. *inf. h. tit. cap. cum dilectus, in fi. sup. de elect. cap.* 36. *sup. de testib. cap.* 5. *eod. tit.* in quinta collectione Decretalium. Sunt sex collectiones, et sexta ea, in qua versamur, Gregorii IX. A sententia igitur intra decem dies appellandum est, aut si intra decem dies ab ea appellatum non sit, sententia, etiamsi per injuriam lata sit contra jus litigatoris, ut *l.* 1. §. *Item cum contra, quæ sent. sin. appell. rescind.* auctoritate rei judicatæ censetur, quasi silentio ejus, qui condemnatus est, confirmata, *l. ult. C. de sent. quæ sine certa quant. profer.* et *d. cap.* 15. *inf.* sententia, inquam, post decem dies transit, ut loquuntur, in rem judicatam, vel quod idem est, sententia cujus, quamdiu appellari potest, parva aut pene nulla auctoritas est, post decem dies acquirit auctoritatem rei judicatæ, quæ auctoritas tanta est, ut nullo remedio attentari possit, ut loquitur *l. Et generaliter*. §. 1. *de condict. indeb.* quod vix alibi in jure civili reperies verbum, et tamen eo verbo nullum est in foro frequentius. Auctoritas denique tanta est sententiæ, quæ censetur auctoritate rei judicatæ, quæ tempore quæsivit auctoritatem judicati, ut nullo remedio rescindi possit, quæ statim atque rei judicatæ auctoritatem assumpsit, jus facit, *l.* 3. *in princip. de liber. agnosc.* et pro veritate habetur, *l. Ingenuum. de statu homin.* Et hoc potissimum Pontifex hoc c. rescribit ad Abbatem S. Zenonis Veronensis, pro quo adversus Archipresbyterum S. Proculi ejusdem civitatis judicatum erat, nempe ecclesiam S. Proculi pleno jure, id est, sine ulla exceptione, ut *cap.* 15. *de præscription.* et *cap.* 16. *de for. compet.* esse subjectam monasterio S. Zenonis, a quo judicato appellatum non erat. Jus autem summum et plenum potissimum consistit, ut hic enarratur, in fidelitate et obedientia manualii, ut hic loquitur, et in *cap.* 11. *sup. de major. et obed.* et *cap.* 12. *sup. de restitut. spol.* quam quidem fidelitatem et obedientiam Archipresbyterum S. Proculi, et clericos ejus judicatum erat debere Abbati S. Zenonis. Consistit etiam plenum illud jus in jure conferendi ordines sacros in eadem ecclesia S. Proculi, in jure conferendi primam tonsuram clericalem. Quod non est novum Abbatibus quasi Episcopis, concedi a summo Pontifice, *cap.* 3. *de privileg. in* 6. et fit ea vero tonsura raso vertice capitis, *can. duo*, 12. *qu.* 1. *can. prohibente.* 23. *distinct.* Et inde fit, ut Hieronymus in quadam epistola obtestetur Augustinum per suam coronam. Consistit etiam in chrismate, sive oleo, quo qui baptismum petunt inunguntur, derogando supradicto Archipresbytero. Consistit quoque, ut ait, in Litaniis in ecclesia S. Proculi agendis ducendisve, certis statisque temporibus, quod etiam non leve juris sui, et quasi possessionis, et majoris potestatis, sive dominationis argumentum est, *cap.* 15. *sup. de præscript.* Litanias, vel lites dicunt, quas vulgus, rogationes, vel processiones. Extat vero hæc constitutio plena primo epistolarum Innocentii III. hæc decurtata est, ut sunt fere omnes constitutiones in hunc librum relatæ.

AD CAP. *Causam*. XIV.

Ex hoc cap. intelligimus, a sententia definitiva judicis dati ex consensu litigantium, reum, qui superatus est, quamvis ex consensu ejus datus judex sit, posse appellare ad eum, qui judicem dedit, ut *l. Ex consensu. de appell.* quod tamen *l.* 8. *C. de episc. audient.* videtur non admittere in Episcopo, qualis fuit, qui in specie hujus cap. judex delegatus proponitur a Summo Pontifice ex consensu partium: Laudensis scilicet Episcopus inter Canonicos Novarienses, et Albertum Siccum clericum, cujus delegationis ad Laudensem Episcopum exemplum extat lib. 1. Epistolarum Innocentii III. epistola incipiente, *cum illius vicem*, etc. At d. l. 8. non loquitur de Episcopo judice dato ex consensu partium, a quo appellare licet, sed de arbitro sumpto ex consensu partium, ut *l.* 7. *eod. t.* a quo appellare non licet. Consensum autem partium, quo adhibito judex datus est, tanti momenti esse hic ostenditur, ut si a sententia ejus judicis appellatum sit, judex, qui de appellatione cognoscit eam infirmare non possit, si modo iniquitatem non contineat manifestam, etiamsi is, quod notandum, qui appellavit, quodammodo probaverit sententiam contra formam mandati, sive delegationis fuisse prolatam: quodammodo, non ad liquidum, alioqui nulla esset sententia. Et ratio hæc redditur, quod ad unam, vel quamlibet speciem probationis judex solum tolendere non debet, si alia argumenta suppetant, quæ animum ejus ab ea probationis specie dimoveant, ut *cap.* 6. *sup. de renuntiat.*

AD CAP. *Quod ad consultationem*. XV.

Quod diximus initio c. 13. *h. t.* de præscriptione decem dierum, qua tollitur appellandi facultas, confirmatur etiam in hoc *cap.* 15. in quo etiam hoc additur, tametsi judicato exequendo Constitutiones præscripserint menses quatuor, ut *l.* 2. et 3. *C. de usur. rei jud.* tamen arctari illud tempus, et produci posse arbitrio judicis, *l.* 2. *de re judic.* vel etiam voluntate ejus, qui judicatus est, ut puta si, ut in specie hujus cap. proponitur, sententia judicis reo indicta purgatione canonica, quæ fit præstito juramento, et adhibitis conjuratoribus certis, reus receperit se eam purgationem impleturum intra viginti dies, post XX dies exequendam sententiam esse, nec ab executione posse appellari, nisi, ut ait, executor modum judicationis excedat, quod sumpsit ex *l. Ab executione. C. quor. appell. non recip.* et cetera quoque fere omnia sumpsit ex jure civili: et omnino quicquid præclarum est in hoc jure, ex jure civili est, nec hujus interpres idoneus quisquam, nisi sit juris civilis peritissimus. Initium vero hujus c. in quo ita est, *quod ad consultationem: et infra, etc.* repleri potest ex rescripto pleniori ipsius Innocentii, quod extat primo Epistolarum.

AD CAP. *Sicut*. XVI.

Hoc cap. est de exceptione rei judicatæ, cujus effectus hic est, ut iterum de ea re non quæratur, quæ judicata est, etiamsi per injuriam contra jus litigatoris sit, si modo appellatione rescissa non sit: sed judicata, ut hoc tantum quæratur, an judicatum sit, *l.* 1. §. *Pari. de liber. exhib.* Quod probari duobus idoneis testibus satis est, qui omni assevera tione confirment, sententiam de ea re, quæ iterum in judicium deducitur, jam olim fuisse prolatam, etiamsi testes causas non dicant, quibus judices moti talem sententiam protulerint, propter auctoritatem scilicet rerum judicatarum, quæ efficit, ut præsumamus, quod maxime notandum, omnia legitime et solemniter judicem egisse, etiamsi in sententiis omnes causæ, quæ judicem moverunt, expressæ non sint. Denique omnis sententia, quæ censetur auctoritate rei judicatæ, præsumitur esse justa, nisi aliud approbetur, *cap.* 13. *in fine, sup.* Ex hoc igitur cap. 16. recte consti-

tuos, quamvis ex scripto sententiam ferri oporteat, *l. ult. C. de sent. ex peric. recit. cap. ult. de sent. et re judic. lib. 6.* tamen sententiam latam esse, etiam sine scripto, recte probari. Quod summe notandum esse censeo.

AD CAP. *Cum super.* XVII.

Ex hoc cap. intelligimus, quamvis amplius constitutum sit, sententiam inter alios dictam aliis non nocere, aliorumve jus invitorum, vel ignorantium non lædere, non mutare, ut est proditum in *l. C. res inter al. act. vel jud. al. non nocere*, et *l. pen. de re judic.* et *l. Is qui fundum. de usufr. leg.* tamen quæ in causa possessionis sententia inter alios dicta aliis nocere potest, in jure quod habet, puta in proprietate aliis nocere non potest: verum quia in causa possessionis aliis sententia, quæ inter alios dicta est, nocere potest, puta si sententia mandatur executioni, et is, qui vicit inducitur in possessionem rei controversæ: idcirco ne id eveniat, ne id fiat, aliis, inter quos judicatum non est, permittitur ab eo judicato appellare, et hoc remedio executionem remorari, quod et ex aliis justis causis permitti ostendit *l. 4. §. Alio.* et *l. 5. de appell.* Quæstio erat de monasterio quodam Hispaniæ, quod Episcopus Auriensis, qui nunc dicitur Auriensis in Gallecia, contendebat juri suo esse subjectum: quæstio, inquam, erat de statu illius monasterii, ut loquitur hoc loco, et c. 34 *sup. de testib.* et *cap. 4. de fid. instrum.* et cum esset dicta sententia pro Episcopo Auriensi adversus monasterium, recte proponitur in hoc cap. ab ea sententia appellasse Ovetensem Episcopum, qui alius est Episcopatus in Hispania, cum quo res judicata non erat, quia ad suam ecclesiam potius ajebat illud monasterium pertinere, atque ideo ejus intererat sententiam illam temere non perduci ad emolumentum.

AD CAP. *Cum Bertholdus.* XVIII.

Ex initio hujus c. notandum est, quod alibi non est tam evidenter expressum, jus patronatus, quod laicus habet in ecclesia aliqua, id est, jus in ea defuncto rectore nominandi alterius, et deducendi ad Episcopum, ut eo auctore inducatur in possessionem ecclesiæ jus, inquam, patronatus transmitti in hæredem cum ceteris omnibus facultatibus defuncti. Itemque jus patronatus pignori dari posse cum fundo, sive curia, ut vocat, aut villa, in qua ecclesia illa ædificata est. Et similiter locari posse, *bailler à ferme*, cum fundo, cum universitate, ut ait, *cum universitate quadam prædiorum locari posse jus patronatus: vel in emphyteusin dari, cap. ex litteris, inf. de jur. patron.* Et pignori dato fundo, tacito intellecto, et jus patronatus, quod ei fundo adhæret, pignori suppositum videri, nisi specialiter in dando fundo dominus exceperit jus patronatus, ut *d. cap. ex litteris.* Et in specie hujus c. sicut scriptum est *in antiqua Decretali collectione tertia*, Bertholdus miles fundum, quem et curiam vocat, creditori pignori dedit, expressim recepto et retento sibi jure patronatus. Quamobrem, et in fine hujus cap. Bertholdus verus patronus dicitur. Itaque vacante ecclesia in illo fundo sita, cum hæres creditoris pignoratitii nominasset Primum quasi patronus, et Bertholdus, qui erat verus patronus nominasset Secundum, *qu'on appelle presenter, l'un en presentât l'un, et l'autre l'autre*, re varie disceptata, tandem ad extremum ex sententia Romani Pontificis vicit Secundus, qui ante victus fuerat sententia Remensis Archiepiscopi ab eo per obreptionem extorta, cujus obreptionis hæc argumenta erant. Primum quod in sententia Archiepiscopi falso erat scriptum, hæredem creditoris approbasse legitime, eo tempore, quo nominavit Primum, se fuisse quasi in possessione juris patronatus: quod non probaverat, quia probaverat tantum, sibi tanquam patrono rectorem illius ecclesiæ quotannis solvisse pensionem certam. Quæ sola pensitatio idoneum juris patronatus argumentum non est, *cap. 6. in fi. sup. de fid. instrum.* non probaverat se esse in possessione nominandi ministrum ecclesiæ vacante ministerio. Hoc modo recte probasset possessionem: illo non idonee probatur jus patronatus, ejusve juris quasi possessio. Item quod falso erat in ea sententia expressum, Secundum non probasse intentionem suam, qui eam vero probaverat perquam idonee. Item, et hoc est tertium, quod Archiepiscopus de ea re pronuntiavit non acceptis attestationibus utriusque partis. Quæ omnes sunt justissimæ causæ rescindendæ sententiæ, latæ nimirum ex falsis causis, circumvento judice fraude litigatoris. Non additur hæc causa quarto loco, quæ tamen addi posse videbatur, quod de omni eo negotio Archiepiscopus pronuntiaverat μονομερῶς, id est, una tantum parte præsente, præsente Primo, absente Secundo, nec probata justa absentiæ causa. Non additur, inquam, hæc quarta ratio, quia Secundus quasi contumax ex edicto peremptorio, et rite igitur absens, condemnatus est, quod et nominatim proponitur in antiqua Decretali, quam et in hanc rem rectissime Bernardus adduxit hoc loco.

AD CAP. *In Causis.* XIX.

Constitutio hæc scribitur ad eundem Archiepiscopum Remensem, cujus mentio habita est in *cap. sup. rior.*, et breviter hoc vult, auctoritatem rei judicatæ a Summo Pontifice vim legis, decreti, sive canonis generalis obtinere, et in similibus causis esse sequendam, nisi, ut dicitur de Constitutionibus Principum in *l. 1. C. de Const. Princ.* Pontifex alicui sine exemplo subvenerit, vel ob merita alicui specialiter indulserit, quia hæc beneficia personalia sunt. Quin et in rebus judicandis hoc exigit Nov. Leonis 92. ut eximus ei fuerit, τὸ κριθὲν πουλὺ νομοτέθημα

AD. CAP. *Inter monasterium.* XX. et CAP. *Suborta.* XXI.

Hoc cap. 20. est de lite, quæ fuit inter monasterium S. Leofridi de Cruce, quod est Rotomagi, quod vulgo dicitur *S. Leu*, et monasterium S. Odoeni, vulgo *S. Ouen*, quod est in eadem civitate: monasterio S. Odoeni contendente ex suo corpore Abbatem esse eligendum, et dandum, qui negat monasterium S. Leofridi: contra monasterio S. Leofridi jus sibi esse asserente, Abbatem eligendi, quem mallet ex monachis monasterii sui, non accersito aliunde alio, ex privilegio quodam sibi dato a Lucio Papa. Cujus litis disceptationem cum mandasset Innocentius certis judicibus, et apud eos lis contestata, et jam ex utraque parte producti testes essent, procurator S. Odoeni protulit aliud quoddam mandatum novum ejusdem Innocentii, quod per obreptionem eum extorsisse præbebat argumentum omissa in eo mandato mentio Luciani privilegii et omissa mentio litis actæ apud priores judices, productæque jam ad publicationem testium. Faciebat etiam obreptionis suspicionem in eo mandato, nulla reddita idonea ratio, ob quam monasterio S. Odoeni suspecti essent, et recusarentur judices priori mandato hac in causa dati. quos etiam posterioris mandati eliciendi causa monasterium S. Odoeni, recusaverat nimis sero, quia exceptiones dilatoriæ, quales sunt quæ judices rejiciunt et recusant, opponi debent ante litem contestatam in ipso limine quæstionis, *l. pen.* et *ult. C. de excep. l. Exceptionem. C. de probat. cap. 62. tit. seq.* alioqui litem contestando approbare judices, et recusationum causis renuntiare litigator videtur, nisi qua forte causa post litem contestatam emergat et exoriatur, quæ ante litigatori incognita fuerit, *cap. 4. sup. de excep.* Quapropter Innocentius confirmat sententiam judicum datorum priori mandato, quo Abbas S. Leofridi ex monachis ejusdem monasterii electus, jure electus dicebatur, non habita ratione ejusdem sententiæ, quæ late dicebatur jam ante pro monasterio S. Odoeni: dicebatur, inquam, a procuratore S. Odoeni, non etiam in medium producebatur, quia nec si in medium producta esset, amictu ejus, obtentuve, ut dicitur, novorum instrumentorum res judicata infringi potest, *l. 4. C. de re jud. l. Imperatores eod. tit.* et *cap. seq.* nec exceptio peremptoria, qualis est exceptio rei jam ante judicatæ, opponi potest post sententiam alteram, nisi ab ea appellatum sit, ut *l. 2. C. sent. rescind. non poss.* Usque adeo autem Innocentius probat electionem Abbatis S. Leofridi assumpti ex ipso monasterio, ut et ei munus εὐλογίας ultro, sive benedictionis impendebat, quod proprium erat Archiepiscopi Rothomagensis, *cap. 1. sup. de suppl. neg. prœl.* quodque in aliorum electionibus benedicendis, et confirmandis eidem Archiepiscopo testatur se velle salvum manere et integrum. Denique electo S. Leofridi Romanus Pontifex ultro impertit benedictionem, et absque præjudicio in posterum benedictionis faciendæ ab Archiepiscopo Rothomagensi. Extat vero hæc Constitutio perscripta latius *lib. 2. Epistolarum Innocentii*, in qua quod ait, et jam attigi supra, sub prætextu novorum instrumentorum res judicatas restaurari non posse, confirmatur etiam in *cap. seq. 21.* in in quo agitur de controversia, quæ fuit inter Episcopum Meldensem, *l'Evesque de Meaux*, et monasterium Rubescense, sic legendum in c. 21. non *Atrebatense*, vel Resuascense, vulgo dicitur hodie S. Petri de Rebesco monasterium, et est ordinis S. Benedicti, *c'est l'Abbaye de Rebais*, Agitur, inquam, de controversia, quæ inter eos fuit super statu, libertate, et subjectione supradicti monasterii, quod ex parte monasterii dicebatur esse liberum, nec Episc. Meldensem cognoscere, ex parte Episcopi, suo juri et potestati subjectum. Et in ea quidem controversia judicio possessorio vicit Episcopus, et restitutus est in quasi possessionem obedientiæ ab eodem monasterio sibi debitæ, qua spoliatus fuerat. Abbate monasterii nimirum non negante, eum Episcopum olim habuisse quasi possessionem obedientiæ in eodem monasterio. Vicit etiam Episcopus judicio petitorio, quia pronuntiatum est, subjectionem ejus monasterii ad eum pertinere, quamvis Abbas pro monasterii sui libertate protulisset privilegium quoddam Innocentii II. privilegium scilicet exemptionis, ut vocant. Sed Episcopus fortioribus rationibus nitebatur, et præcipue sententia Alexandri III. lata pro Episcopo contra illud privilegium exemptionis, quod Abbas allegabat, quodve post sententiam Alexandri pro Episcopo latam tunc frustra allegabat. Cur frustra? quia prætextu post reperti instrumenti sententia retractari non potest.

AD. CAP. *Cum. I. et A.* XXII.

Hoc cap. est scriptum Abbati S. Crispini in Cavea, *qui s'appelle encor encore aujourd'hui, S. Crespin en Caye*. sic legendum in inscriptione, et Abbati Vallis secretæ, *de Vaux secret*, qui sunt in diœcesi Suessionensi. Eodem vero sensu dixit Ovidius Caveam, de Ponto:

Cum bene sint clausæ cavea Pandione natæ.

Et Petronius. *Super limen cavea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat.* Varro caviam dixit 3. de re rust. Græci καλιὰν, et καλιὸν dicunt. Verum ad rem. Cum canonici quidam S. Dionysii Heniensis objicerent Abbati suo varia crimina, insimulantes eum simoniæ, et perjurii, et malæ administrationis, et judices inter eos dati a Romano Pontifice Abbatem illum removissent ab ecclesiæ administratione: Abbas appellavit ad Romanum Pontificem, iniquam sententiam esse judicum delegatorum proclamans, tum quod lite apud

eos non contestata cognitionem snacepissent, tum præterea quod testimonium eorum, qui in Abbatis criminationem malitiose conspiraverant, recepissent quos non esse recipiendos satis constat, *can. conspiratores*, 3 *q.* 4. sicut nec de re pronuntiandum esse ante litem contestatam ex tit. 6. hujus lib. tum quod testimonia, quæ receperant, non publicassent, nec Abbati reo postulato ea patefecissent, uti oportet, *cap.* 24. *et cap. pen. inf. de accusat.* Quæ omnia si vera sunt, jubet Pontifex sententiam judicum delegatorum infirmari, at falsa, confirmari. Hoc tantum exigit ad infirmandam sententiam judicum delegatorum, ut constet crimine objecta Abbati non nisi ab iis, qui in ejus vitam, et existimationem conspiraverant, fuisse probata. Nam si vel testes conspiratores non esse appareat, vel alia de re, puta de statu illius ecclesiæ, interrogatos respondisse, cujus correctio supradictis judicibus ex parte omni mandata erat in capite et in membris, ut Pontifices loqui solent in *cap.* 17. et *pen. inf. de accus.* de statu, inquam, illius ecclesiæ, vel de re quadam alia ad ejus ecclesiæ emendationem pertinente, non de criminibus Abbati objectis, vel si remotis conspiratoribus appareat crimina satis esse probata, probata per alios: his casibus procuIdubio sententiam judicum delegatorum confirmari oportet.

AD CAP. *Cum te.* XXIII.

Species hujus cap. est elegans de actione injuriarum, quæ Lucius Titius verbi gratia egerat adversus Cajum, quod Cajus contumeliose dixisset, equum suum non minoris esse, quam Titii capillos, *mon cheval vaut autant, que tes cheveux*, quæ tamen, ut Pontifex ait, vel nulla, vel modica contumelia est. Quamobrem et ex hac causa damnatum ait non esse infamem, et frustra igitur desiderari a Principe, vel Pontifice restitutionem famæ. Principis est, vel Summi Pontificis, qui dicitur summus ecclesiæ Princeps, restituere famam, *l. Imperialis. C. de nupt. l. Si qua. C. ad Senatuscons. Tertull.* Cassiodorus 3. Variarum. *Fas est*, inquit, *Principi maculosas notas vitiosæ opinionis abstergere.* Symmachus 3. epistolar. *Notatus judicio*, id est, factus infamis sententia judicis, inquit, *exploratissimum remedium venia Imperialis implorat, ut judicati remissione famæ suæ vulnus excludat.* Svetonius in Vitellio: *Vitellium ultro ignominiosas notas, reis sordes, damnatis supplicia dempsisse.* At, ut dixi, non indiget famæ restitutione, qui injuriæ modicæ, ac pene nullius nomine damnatus est in certam pecuniæ summam, ut hic proponitur, quamvis alias injuriarum actio secuta condemnatione irrogare soleat infamiam, *l.* 2. *de his qui not. infam.*

AD CAP. *Ad probandum.* XXIV.

Species hujus cap. 24. quæ est satis obscura, lucem accipit ex *cap.* 22. *sup. de rescript.* Ea fuit de electione Custodis, *c'est a dire Gardien*, præficiendi monasterio cuidam puellarum in Germania, eademque electione confirmata sententia judicum delegatorum, quam tamen sententiam Pontifex in hoc cap. rescindit, eo quod unus ex judicibus tempore rei judicatæ excommunicatus fuisset publice, id est, pro tribunali, vel πρωνάῳ ecclesiæ, et ideo ex integro de electione ipsius Custodis alios judices cognoscere jubet. Unde intelligimus publice, non etiam privatim aut secreto, excommunicatum judicis officio fungi non posse, nec ei alios conjudices adjungi posse. Hæc est vis publicæ excommunicatione, ut arceat excommunicatos homines, ut *cap.* 12. *sup. de except.*

AD CAP. *Quamvis.* Pen. et CAP. *Duobus.* Ult.

Duo hæc cc. sunt Gregorii auctoris hujusce collectionis, qui ut in ea collectione aliquid de suo insereret, ex jure civili ultro non aditus a consultoribus ullis, vel litigatoribus pleraque sumpsit et inseruit, quo fit, ut in ejus constitutionibus plerumque nemo inscribatur, ad quem constitutiones dirigantur. Et fuit hæc collectio Gregorii ultima nempe sexta. Collectio autem Decretorum facta a Gratiano fuit prima, quæ præcessit sex collectiones Decretalium. Et hoc quidem, quod est in cap. pen. hujus tit. est de re inter alios judicata, an aliis nocere aut præjudicare possit, qua de re nihil ante dictum est: id, inquam, est ex *l. pen. de re jud.* a me satis explicata Observ. 12. c. 25. inde assumes, quod ad hoc c. pen. pertinet. Quod autem est in c. *ult.* est in *l. Inter pares. eod. tit.* Facit, quod notandum, in hoc *cap. ult.* tria genera judicum, alios esse judices ordinarios, alios delegatos, alios compromissarios. Inter pares numero judices ordinarios, si dissonæ sententiæ proferantur eam prævalere, quæ pro reo facit, quæ reum absolvit. Denique reum paribus sententiis absolvi, qui vulgo dicitur Ἀθηνᾶς ψῆφος, Minervæ sententia, Minervæ calculus. Aliquando tamen prævalet sententia, quæ pro actore facit, ut si de libertate egerit, prævalet sententia, quæ facit pro libertate, quæ res valde favorabilis est, *d. l. Inter pares l. Lege. de manum.* vel si agat de testamento, *l. Si pars. de inoff. testam.* vel, ut in hoc cap. definitur apertius, quam ullo alio loco, quo maximo nomine propter hunc casum memoriæ mandandum est, si quis egerit de dote, vel matrimonio: nam ea sententia obtinet, quæ pro dote facit, vel pro matrimonio. Et hæc de sententiis plurium judicum ordinariorum. At inter pares numero judices delegatos sive judices datos, si dissonæ sententiæ proferantur, ea prævalet, quam is, qui judices dedit, confirmaverit, secutus fuerit, et approbaverit, *c'est à luy à les departir.* Judices autem compromissarii, id est, arbitri sumpti ex compromisso partium certa pœna compromissa vicissim, si diversas sententias dixerint, nullis partes, quæ in eos compromiserunt stabunt invitæ, omnes contemnent impune, *l. Diem. §. Si plures. de rec. arb.* quia de eo non est actum inter partes, quæ ex compromisso arbitrum ediderunt, non est actum scilicet inter eas, vel conventum, cui potius sit standum; si inter pares numero arbitros diversæ sententiæ fuissent.

AD TITULUM XXVIII.

De Appellationibus, recusationibus, et relationibus.

Titulus XXVIII. est de appellationibus, recusationibus, et relationibus, quo prolixior nullus est in hoc libro secundo. Appellatio est remedium juris, quo, aut cujus auxilio is, cui sententia judicis non satisfacit, ex integro eandem causam agit apud majorem judicem. Recusatio vero est rejectio, vel ejeratio judicis, cujus ea de re, sive lite notio est, quæ vertitur inter aliquos. Et fit quidem ea recusatio ante litem contestatam, vel ex causa etiam post litem contestatam, ut docui in *cap.* 20 *sup. tit. prox.* Relatio autem est consultatio judicis ad Principem, vel Pontificem Maximum super ea re, cujus cognitionem suscepit, nec dum implevit. Ac de appellatione quidem, et recusatione sunt multa in hoc titulo, de relatione est solummodo c. 68.

AD CAP. *Dilecti.* I.

Ex hoc cap. 1. hoc solum notandum est, post appellationem legitime interpositam, si judex, a quo appellatum est, non intermiserit jurisdictionem, ut in specie hoc cap. proposita, si Archiepiscopus Priorem cujusdam ecclesiæ, qui ab eo appellaverat ad Romanum Pontificem, submoverit ab administratione ecclesiæ: si ecclesiam interdicto subjecerit: si sacram rem fieri in ea ecclesia prohibuerit: si Canonicos Priori subjectos imperio, vel mandato ejus obtemperare prohibuerit, post appellationem interpositam ab eo, si item beneficia, quorum collatio ad Priorem pertinebat, ipse suo arbitratu contulerit, nulla interveniente mora, aut cunctatione malitiosa, ut ait, puta quærendam interim fructuum beneficii vacantis causa, ut recte supplet Hostiensis: si, inquam, nulla interveniente mora Prioris, quæ ad Archiepiscopum juxta concilium Lateranense devolveret beneficii vacantis conferendi potestatem, breviter nulla interveniente mora Prioris, qua de re concilii Lateranensis sententia extat in *cap.* 2. *inf. de concess. præb. vel* 30. *sup.* quo definitur, ut si intra sex menses is, cui jus conferendi competit, non contulerit beneficium, ut ejus conferendi potestas transeat, vel devolvatur, ut loquuntur, *qu'on appelle les devolus*, a Priore ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum, ab Archiepiscopo moratore et cessatore ad Romanum Pontificem. Si igitur post appellationem beneficia, quorum collatio pertinebat ad Priorem, Archiepiscopus ipse contulerit: quicquid is Archiepiscopus et hoc et aliud post appellationem egerit non habita ratione appellationis, id omne irritum fieri oportere, ut *cap.* 62. et 63. *inf.* et *l.* 11. *D. eod.* Est autem cum hoc cap. 1. conjungendum *cap.* 6. *de jud.* quod etiam eandem inscriptionem habet, et incipit ab iisdem verbis.

AD CAP. *Inter cetera.* II. et CAP. *Consuluit.* XVIII.

In inscriptione hujus cap. 2. pro Archiepiscopo Remensi scribendum est, Archiepiscopo Ravennatensi, ut *cap.* 28. *col. 1. in prima collectione*, cujus quidam cap. 28. pars est hoc cap. 2. Nam et Abbatem S. Apollinaris ex codice fiscali Romani Pontificis, quo de agitur nominatim in contextu *d. cap.* 28 et *cap. quoque*, 2. *in prima collectione*: ex eo, inquam, codice fiscali satis constat esse in diœcesi Ravennatensi, nullum vero talem in Remensi. Et dicitur Abbas S. Apollinaris in clausto, ad differentiam Abbatis S. Apollinaris novi, qui est in eadem diœcesi Ravennatensi: hic ordinis S. Benedicti: ille ordinis Camaldulensis. Valde autem notandum est, quod hac parte continetur, non valere appellationem, si quis appellaverit ab Archiepiscopo, non in speciali causa aliqua, sed generaliter in omnibus causis quæcunque quandocunque adversus eum coram Archiepiscopo intenderentur. Quod et ad alios judices ordinarios trahi potest, *cap.* 18. *inf. h. t.* ubi additur recte appellationem esse recipiendam, si quis appellaverit ab omni gravamine, quod sibi in una causa inferri posset, quia specialis hæc, quæ causa una circumscripta est, non generalis appellatio est. Et hoc jure constat, non tantum a gravamine vel injuria, quam quis patitur, sed etiam ab ea, quam prospicit atque veretur, nondum sentit et perfert, appellari posse. Denique hoc verbo uti litigatorem posse, appello ad superiorem, quod vereor ne hic mihi judex injuriam faciat, moveorque ut ita existimem illis et illis conjecturis, c. 6. *sup. de dol. et contum. cap.* 2. *de conjug. serv. in prima collectione*, quia mulier, inquit, gravari timebat, ad nostram audientiam appellavit.

AD CAP. *Ad nostram.* III.

Hoc cap. scriptum est Abbati S. Petri super Diva, ut legitur in antiqua Decretali, cujus etiam contextus declarat monasterium illud esse ordinis S. Benedicti. Codex fiscalis id ponit in diœcesi Sajonsi,

de Sez, qui est en Normandie, et vocat monasterium super Dive, quod nomen etiam retinet hodie, *S. Pierre sur Dive.* Sententia autem hujus cap. hæc est, ut monachis, dum Abbas incumbit castigationi et correctioni secundum regulam et institutionem Ordinis S. Benedicti, non liceat ab eo appellare, vel hoc remedio effugere castigationem, ut *cap. 26. §. ult.* et *cap. 61. in fin. inf.* Recte: quia monachi, qui appellant ab ea castigatione, a regula ipsa et ordine institutionis appellare videntur, quod non licet, cur a pœna legitima non licet appellare? *l. Si qua pœna. de verb. signific.* nimirum quia appellare hoc est a lege ipsa. Cicero in Præturâ urbana in Verrem: *lex est*, inquit, *pœna est, qua ad eum quod jus dicit?* Similis est ratio hujus cap. appellatio comparata est juris publici tuendi, non infringendi gratia. Hodie tamen a pœna appellatur, quia non legitimæ, sed extraordinariæ, et arbitrariæ omnes sunt, *l. Hodie. D. de pœn.* qua lege etiam confirmatur exceptio, quam huic cap. Bernardus adscripsit, nisi in castigando Abbas moderationem, seu συμμετρίαν, ut est in Basilicis, excedat. Quæ exceptio etiam locum habet, et apponi debet ad id, quod dicitur, ab executione appellari non posse, *l. Ab executione. C. quor. app. non recip.*

AD CAP. *Personas.* IV.

Docet in hoc cap. 4. ei is, qui appellat ab Episcopo, appellationi exequendæ longiorem diem præstituerit, sive dixerit, sive condixerit dolo malo (appellantis est diem condicere appellationi exequendæ, *cap. 57.* et 64. *inf. hoc t. cap. 3. de matrim. cont. contr. interdict. eccles. in prima collectione*, sicut actoris est reo præstituere tempus, quo se judicio sistat, ut patet ex *Nov. Justin.* 53). Sed et judicis, a quo appellatur, dies exequendæ appellationis protracto longius frustrandi et morandi gratia; judicis, inquam, partes sunt, ut diem coarctet, quem is, qui appellavit, victori condixit: et ad eum diem, quem judex dixerit, si is, qui appellavit, judicio non adfuerit, ut judex sententiam suam ad effectum perducat quasi deserta appellatione. Et cum hoc c. conjungendum est c. 20. *sup. de testib.* ut prima collectio docet, in qua hæc Decretalis est integra et perfecta omni ex parte.

AD CAP. *Cum sit.* V. CAP. *Ad hæc.* VI. et CAP. *Si duobus.* VII.

In cap. 5. ostenditur, sive ante sententiam definitivam quis appellaverit, sive post (ante sententiam definitivam appellari potest hoc jure, veluti ab interlocutoria, ab interlocutione judicis, vel a quocunque alio gravamine, vel ratione justæ suspicionis de futuro quodam gravamine, si pergat idem judex de eadem re cognoscere. *Canones*, inquit, *etiam extra judicium*, quod maxime notandum, præsente parte scilicet, *passim appellare permittunt*, quamquam hæ, ut subjicit, non tam sint *appellationes*, cum fiant extra judicium, quam *provocationes*, id est, interpellationes, vel ut alii legunt, *vocationes*, ad causam, aliudque judicium. Id vero canones permittunt multis in locis, *cap. 1. eod. t. in 6. c. 2. de dol. et contum. in fi.* quod tamen jus civile non admittit exceptis certis casibus; *l. pen. C. quor. appel. non recip.* Jure civili ab interlocutione judicis appellare non licet regulariter. At sequimur hac in re jus Pontificium. Ut igitur cœpi dicere, definitur in hoc *cap. sive ante sententiam definitivam* (sic est intelligendum: nam interlocutio non est proprie sententia) *appellatum est, sive post sententiam*, appellationi exequendæ præstitutum esse annum, nisi intervenit evidens quædam et necessaria causa, quæ rem differri suadeat in alterum annum; quod omne est ex Novella Justiniani 49. Et hunc quoque legitimi temporis finem, anni puta, ut dixi, vel ad summum biennii, pars ipsa, ut dictum est paulo supra, sibi arctare potest, vel etiam judex ipse ex causa id tempus rectius facere potest, non minus quam tempus legitimum judicati faciendi, *l. 2. de re judic.* Qui autem intra tempus præfinitum non exequitur appellationem sententiæ judicis, a quo appellavit, acquiescere debet omnino quasi appellatione deserta. Hoc est, quod præcipue definitur in hoc c. quod sumptum est, ut dixi, ex illa Novella Justiniani. Verum additur etiam illud, quod jam satis dixi appellari etiam posse a quolibet gravamine. Et in extremo etiam, hoc damnatum quasi raptorem, aut prædonem appellare posse, non ut dixi, quasi inflicta pœna legitima, sed quasi inflicta extraordinaria, *nisi*, inquit, *sit raptor, vel adulter, vel incestus manifestus*, qualem hominem etiam refert D. Paulum, absentem, et invocatum damnasse, qui esset incestus, sive incestuosus: utrumque dicitur recte, et stuprator manifestus, et vero damnat eum absens *primæ*, non ut notant in margine, *secundæ, ad Corinth. cap. 5.* et quia jam satis perspicue exposui omnia, quæ pertinent ad cap. 5. primum admonebo sex ejus cap. partes esse faciendas, conjuncto ei scilicet cap. 6. et 7. in quibus tres posteriores partes ejus cap. continentur, tres priores jam attigi. Primam, quæ est in *Novella* 49. de tempore, intra quod is, qui appellavit, prosequi appellationem debet, de qua re est *cap. 8. inf.* secundam, quæ docet a gravamine futuro, quod quis veretur ne sibi fiat a judice, et ante litem contestatam appellari posse, ut *cap. 1. eodem. t. in 6. cap. 2. de dol. et contum. in fi. cap. 12. inf. hoc t.* et appellari quidem posse passim, ut ait in secunda parte, id est, ubique locorum. Nam vel in vico extra judicium, nedum in foro, vel in judicio. Sed hoc interesse, quod si in judicio appelletur, forte ante sententiam post judicium acceptum, post litem contestatam, sane appellatio hæc dicitur proprie, quæ in jure, vel in judicio fit, atque adeo standum est omnino sententiæ judicis, ad quam appellatum est. At si extra judicium appelletur judex, non tam appellatio hæc est, quam provocatio, id est, interpellatio, vel, ut quidam codices habent, vocatio ad causam agendam, puta controversia quadam exorta inter aliquos altero alteri denuntiante litem, his verbis: *Appello judicem*, vel *appello te ad judicem*. Cujus generis vocationem subinde intermittere, subinde condicere licet, nec qui semel eam condixerit, per se sine libello profecto a judice in ea perstare cogitur, nec qui appelletur etiam ei parere hodie tenetur: olim autem ducebantur, aut sequebantur vocantem in judicium: hodie vocatio parum firma est, si non fiat judicis auctoritate, quo jure utimur. Et videtur sane hæc verior esse interpretatio hujus secundæ partis. Tertia pars est de raptore, vel prædone condemnato, ut appellare ei liceat in judicio apud ecclesiasticas personas, quasi inflicta non pœna legitima, sed extraordinaria, ut dixi *erecitat. proæ.* nisi sit raptor, vel adulter, vel incestus, quod satis perspicuum est. Quarta pars est in hoc *cap.* 6. quod a 5. separari non debuit, sicut nec 7. quia partes sunt cap. 5. sup. ut annotatum est in concilii Lateranensis sub Alexandro III. habiti parte decima, quod et præfatio istius cap. 5. quæ extat integra in prima collectione indicat, qua Pontifex se ab Archiepiscopo Remensi de variis quæstionibus juris fuisse consultum ait, et verba etiam, quæ sunt in extremo cap. 7. in ead. collectione prima demonstrant. *Quod in fine quæstionum tuarum.* Hoc autem definitur in 4 parte, eum, qui aliqua in causa appellavit a judice, exorta alia quadam nova lite, ne de hac nova lite apud eum experiatur, a quo appellavit ex alia causa, ne is, a quo appellavit, de nova causa cognoscat, si qua moveatur justa suspicione, posse eum recusare. Suspicionis causa frequens hæc est, quia plerunque judices infensi iis sunt, qui ab eorum sententiis appellant, dum existimant ab eis sibi injuriam fieri, *l. 20. et 30. C. eod. t.* Quam tamen causam si non probaverit is, qui ab eo judice appellavit una in causa, vel si opponere noluerit, sequenda est omnino definitio Ulpiani, quæ extat in titulo Digestorum, *Apud eum, a quo appellatur, aliam causam agere compellendum.* Hæc sunt tituli verba. Quæ tamen definitio non videtur olim obtinuisse, quoniam ait Ulpianus, *et hodie hoc jure utimur.* Hodie certe, si quod post appellationem crimen commiserit is, qui appellavit, quod grave et notum sit in vulgus, omnino cogitur apud eum judicem competentem et congruum respondere, tametsi ab eo ex alia causa appellaverit, ut ita constituitur in c. 25. *inf. hoc t.* His addenda est quinta et sexta pars ex cap. 7. In quinta parte ponitur, utramque partem a judice suo appellasse, quoniam utrique parti displicebat sententia judicis. Et hoc fieri posse, ut utraque pars appellet, ostendit etiam *l. ult. C. eod. tit. et cap. Rainaldus, et cap. Rainutius, inf. de testam.* Ponitur, inquam, utramque partem appellasse ad superiorem judicem, verum non ad eundem judicem utramque, sed unam ad judicem ordinarium, alteram ad Romanum Pontificem. Nam hoc quoque jure recte licet appellare ad Romanum Pontificem omissis intermediis judicibus, ad quos jure ordinario appellari debuit: quamquam recte ad Imperatorem appellari leges non sinant, *l. Imperatores. eod. t.* Cum vero una pars appellasset ad ordinarium, altera ad Romanum Pontificem, qui dicitur ordinarius ordinariorum, ut in Novella 15. prisca provincia ἄρχων ἀρχόντων, in sua provincia scilicet, ut etiam illud dictum de Romano Pontifice coangustant Doctores ad Territorium ecclesiæ Romanæ ex § ult. c. 7. Cæterum si is, qui appellavit ad ordinarium judicem, velut ab Episcopo ad Archiepiscopum, agendo apud Archiepiscopum reticuerit adversarium suum appellasse ad Romanum Pontificem, atque ideo judicio absentem adversarium, nec obtemperantem edicto peremptorio quasi contumacem Archiepiscopus, cum ignoraret eum appellasse ad Romanum Pontificem, excommunicationi subjecerit, quæ propria est pœna contumacium: definitur hac in parte quinta, excommunicationis sententiam valere, sequi facile posse absolutionem, sed tamen valere excommunicationem. Justa ignorantia judicis facit, ut excommunicatio ab eo judice facta valeat post appellationem, contra quam definitur in cap. 4. *sup.* et *cap. per tuas. inf. de sent. excom.* Sexta et ultima pars, quæ est etiam in d. c. 7 docet, a civili, id est, e seculari judice, vel post sententiam appellari posse ad Romanum Pontificem in territorio ecclesiæ Romanæ, non extra territorium, quamvis aliud consuetudo ferat, quam Pontifex hic improbare videtur.

AD CAP. *Ex ratione.* VIII.

Quod autem dictum est initio cap. 5. eum, qui appellavit, intra annum, vel ad summum biennium exequi debere appellationem, huic præscriptioni in hoc cap. additur hæc exceptio, nisi morbo vel qua alia necessaria et sontica causa districtus fuerit, adeout non fuerit ei otium, et facultas intra biennium exequendæ appellationis, si et hoc probaverit verum esse probationibus manifestis, alioquin appellatio pro deserta habetur, *cap. 3. eod. tit. in Clementinis.*

AD CAP. *Meminimus.* IX.

Ut nulla fuit ratio, ex epistola una ad Archiepiscopum Remensem de variis quæstionibus, faciendi tres partes, vel tria ca. 5. 6. 7. ita nec hoc loco ex una epistola ad Vigorniensem Episcopum, qui est in Anglia, faciendi quatuor, ex quibus prima est in *cap. 3. inf. qui cler. vel vov. matr. cont. poss.* secunda in hoc *cap.* 9. tertia in *cap.* 10. quarta in c. 11. Quod si non fuisset factum, vel si nunc corrigere liceret, quod numeratur 12. esset. 9. Hoc autem cavetur initio hujus cap. eum, cui causæ cognitio a Romano Pontifice demandata est remota appellatione, non posse tum de causa cognoscere, si ab eo interposita appellatio fuerit ad Romanum Pontificem, vel

verbo, vel facto ipso: ut licet facto ipso appellare, *cap. dilecti.* 59. *inf. hoc. t. c. 7. sup. de dol. et contum.* puta nulla omissa voce appellationis inito itinere ad Romanum Pontificem, modo id fuerit, antequam ad eum judicem, cui cognitio causæ mandata est, vocaretur in jus. Post vocationem in jus nullum appellationis remedium judici partibus jam ob eo susceptis impedimentum creare posset; ante vocationem in jus appellatio admittitur, licet causa fuerit appellatione remota commissa. Hæc enim clausula, quæ sæpe apponitur in rescriptis Pontificiis, remota appellatione, non removet vel excludit omnem appellationem, sed eam tantum, quam frustratoriam et moratoriam esse constat, vel quæ jure publico specialiter comprobata non est, *c.* 63. *in pr. h. t.* quo de clausula etiam consule *cap.* 1. *sup. de resc. et c.* 2. *sup. de mut. petit.* Non omittam, hujus cap. testimonio etiam Innocentium III. uti in *c.* 22. *sup. de offic. jud. deleg.*

AD CAP. *Super eo.* X.

Parte sequenti illius epistolæ, de qua superiori cap. diximus, cavetur, licet causæ cognitio *appellatione remota*, mandata fuerit, ut est in antiqua Decretali, appellatione interposita ob incidentem articulum quendam, ob incidentem quæstionem quandam, veluti ob causam exceptionis cujusdam in judicium deductæ, non tantum ab ejus articuli, sed etiam a totius causæ cognitione judici abstinendum esse, maxime si principalis quæstio absque illa, quam movet exceptio, definiri non possit, quod etiam confirmat *c.* 34. *eod. t. in prima collectione.* Verum ut significatur in extremo hujus cap. cujus sensus est satis obscurus, et in eo explicando Doctores pungunt se suis acuminibus, si quasi rescripto quodam oblatis falsis precibus per obreptionem impetrato, quod ad causam, quæ de agitur, finiendam pertineat, appellatur a judice, non continuo intermittenda, aut differenda causæ cognitio est: si ut additur in antiqua Decretali, causæ cognitio mandata sit remota appellatione, quia plerumque hoc fit frustrandi et morandi causa, *l.* 2 *C. ad leg. Cornel. de fals.* et non ob injuria ulla judicis appellatur, sed a fraude adversarii, qui per obreptionem a Summo Pontifice rescriptum eripuit. Quamobrem et hujus quoque rei disceptatio ad judicem ipsum spectat, qui cœpit de causa cognoscere, falsæ scilicet an veræ fuerint preces oblatæ Summo Pontifici, ut *l.* 4. *C. si contr. jus. vel util. publ. cap.* 2. *inf. de crim. fals.*

AD CAP. *De appellationibus.* XI.

Tertia vel quarta pars ejusdem epistolæ est cap. 11. quo cavetur non in gravioribus solum, sive majoribus casibus, aut litibus, sed etiam in levioribus sive minorib. interpositam appellationem esse recipiendam, ut l. 20 *C. eod. tit.* et eleganter Julianus Antecessor Constantinopolitanus in Nov. Justin. 69. *quamvis res*, inquit, *de qua agitur, minima videatur; tamen justitiæ ratio non ex quantitate, sed ex suis regulis æstimari debet: nam quod et nobis*, inquit idem, *vilissimum esse videtur, hoc aliis pretiosius est.* Et hæc verba aptabuntur ad hoc cap. commodissime, quia ejus rationem ostendunt evidenter. Porro huic Constitutioni locum esse puto, si in parvis et minimis causis ad Episcopum, vel etiam ad Archiepiscopum appellatur, non si ad Summum Pontificem, vel ad Principem, ex *Nov.* 27. Et ex eo quod Constantinus ait eleganter in *l.* 2. *C. Theod. de op. publ. de rebus*, inquit, *præcipuis maximisque, non de quibuscunque vilissimis nostrum debent interpellare consilium.* Hæc Constantinus. Et similiter Marcell. lib. 2. *Infra imperiale culmen esse minutias causarum mutare.*

AD CAP. *Super eo.* XII.

Hoc cap. scriptum est Senonensi Archiepiscopo, et conjungendum cum *cap.* 1. *sup. de rescript.* Sunt vero ejus tres partes: in prima differentiam constituit inter jus civile, et jus Pontificium unam, quod jure civili ante sententiam appellatio non recipiatur, *l.* 5. et *pen. C. quor. appell. non recip.* atque ideo, quod appellare non liceat ab interlocutione judicis, vel ut loquuntur, ob articulo aliquo, casu, sive a præjudicio, exceptis casibus sex: si quæstionem in civili negotio habendam judex interloquatur, vel in criminali, si hoc fiat contra leges, *l.* 2. *de appell. recip.* quo jure utimur, *on appelle de la gehenne, de la torture.* Item si mulctam graviorem, quam par sit, *l.* 2. *Quis et a quo appell. l.* 25. *C. eod. t. de appellat.* si relationem judex promiserit se de omni negotio facturum ad Principem, ejusque exemplum litigatori ediderit, *l. ult. quand. appell. sit:* si oppositam in judicio exceptionem peremptoriam temere improbaverit, *l.* 37. *C. Th. eod. t.* si locum postulanti ad agendum, vel si dilationem petenti instrumentorum, vel testium causa, eam denegaverit, *l.* 18. *C. Theod. quor. appell. non recip.* Jure autem Pontificio generaliter et indistincte appellatio recipitur, et ante sententiam, et ante litem contestatam ut *c.* 5. *et* 7. §. *ult. sup. cap.* 59. *inf.* Videntur Pontifices ex tot exceptionibus juris civilis, quas recensui ante, fecisse novam regulam, quæ absorberet veterem regulam juris civilis. Consumunt sæpe exceptiones regulas, et subvertunt. Paulatim enim exceptiones plures coacervatæ abeunt in regulam. In secunda parte docet, quibus casibus appellationi locus non est, ut si causæ cognitio delegata sit remota appellatione, et appellatio, quæ interponitur non sit jure publico specialiter approbata, non esse etiam recusationi locum, ut *cap.* 18. *eod. t. in prima collectione. c.* 43 *inf. hoc t.* In tertia et ultima parte præscripto judicibus delegatis certo tempore ad judicandum, ut fit sæpe. *l.* 32. *D. de judic.* tempus illud numerari ab eo die, quo mandatum acceperint, non citeriore die. Quod rationem summam habet, quia nec antequam cognoverint se esse delegatos, causæ cognitionem habent.

AD CAP. *Pervenit.* XIII. et CAP. *Consuluit.* XIV.

Cap. 13. scriptum est Dunelmensi Episc. qui est in Anglia, et ut intelligatur, sciendum est, privilegium hoc esse summum clericorum, ut qui eorum aliquem pulsaverit, vel verberaverit, statim *ipso facto*, ut loquitur *l.* 1. *C. quib. ex caus. serv. pro præm. libert. ipso facto*, quod verbum etiam est frequens in ore Dd. *et ipsa manus injectione*, ut ait antiqua Decretalis, excommunicationem incurrat, *cap.* 5. *inf. de sent. excom.* Clerici sunt sacrosancti. Nec is item, qui clericum pulsavit, potest vitandæ excommunicationis causa ad ecclesiam Romanam appellare, videlicet si clerico palam, et in conspectu populi talem fecerit injuriam. Nam si eam non fecerit palam, vel si ea non innotuerit omnibus, appellatio ejus recipienda est, et exsequenda ab eo, qui appellaverit intra tempus legitimum, quæ est sententia hujus cap. idemque cavetur *cap. seq.* 14. Et ei, qui clerico palam fecerit injuriam, adjungitur adulter manifestus et diffamatus passim. Nam et huic denegatur appellationis auxilium, *cap.* 5. §. *ult. sup.*

AD CAP. *Suggestum.* XV.

In hoc cap. Pontifex eorum calliditati occurrit, qui adversarium, qui appellavit ad Romanum Pontificem, non sequuntur: sed consulto opera expectant dum is Roma redierit, ac tum ipsi appellatione interposita Romam proficiscuntur. Et censet Pontifex eorum appellationem non esse suscipiendam, nec cognitionem judicis delegati postulante priori appellatore propterea interrumpendam, vel intermittendam esse, licet antequam vocaretur in jus, posterior ille appellaverit, fretus *cap.* 9 *sup. h. t.* cui hoc cap. derogat in hac specie, quia illius cap. 9 decretalis epistola, ut ait, *iniquitati corrigendæ non inducendæ condita est.* Scripta vero hæc Constitutio est Dunelmensi Episcopo, quod refero ut inscriptione repleas.

AD CAP. *Ad præsentiam.* XVI.

Licet excommunicatio, quæ est fulmen Pontificium, sive judicum ecclesiasticorum, jure non teneat, quam judex ecclesiasticus, a quo appellatum est post appellationem tulerit, ut dictum est in c. 1. et 7. *sup.* quia et appellatione interposita judex esse desinit, ut ait eleganter *l.* 13. *C. Th. eod. t.* in omnem eventum tamen hæc excommunicatio desiderat qualem, qualem absolutionem ad majorem cautelam, ut loquuntur, ut presbyter, qui non jure excommunicatus est, sacra faciat interim impune et libere, sublato omni scrupulo. Supervacua absolutio, proficit ad aliquid, scilicet absolutio, quæ fit ad cautelam, ut loquuntur, *cap.* 9 *sup. de except. cap.* 38. *sup. de test.*

AD CAP. *Cum teneamur.* XVII.

In hoc cap. constituitur, judicem, a quo appellatum est, si interim possessione prædii, quo de agitur, dejiciatur is, qui appellavit, vel si alia quacunque ratione possessio ejus perturbetur, statim sine cunctatione posse eum in pristinam causam possessionis suæ formæ, et loco restituere beneficio interdicti: quod et beneficium momenti dicitur, et pleraque alia singularia habet; ut ob eo beneficio appellari non possit; et ut quilibet admittatur ad momenti actionem instituendam pro alio, *l. un. C. si de mom. poss. fuer. app. l.* 1. *C. si per vim. vel al. mod. poss.* ut non sit mirum, si et judex, a quo appellatum est, perturbatam possessionem ei, qui appellavit, quamvis desierit esse judex appellatione interposita, confestim reformare possit: reformandi verbum usurpari congruit frequenter, quia et hoc momentum, aut hoc beneficium momentariæ possessionis appellant celerem reformationem, quoniam sine mora et statim eum possessioni restituendus est, qui pulsus est, vel spoliatus est. Cap. 18. exposui jam sup. cap. 2

AD CAP. *Cum. parati.* XIX.

Hoc cap. docet, Episcopo Auriensi, qui est in Hispania, qui vocatus ad synodum, ut est in antiqua Decretali; auctoritate legati Romani Pontificis præsentiam sui facere contempsit, jure a legato irrogatam fuisse excommunicationem tanquam contumaci, ac si appellaverit ad Romanum Pontificem, frustra id esse, nisi apud eum purgaverit innocentiam suam, probatis causis absentiæ justis et necessariis, ac maxime legatione, qua maxime dicebatur occupatus pro rege Galleciæ. Nam res hæc acta est in Galleciæ regno, et in inscriptione legendum sane Auriensi Episcopo, de quo et in *cap.* 17 *sup. t. proæ.* Is Episcopus agnoscit Compostellanum Archiepiscopum, unde et hujus Archiepiscopi mentio fit in antiqua Decretali. Zamorensis, qui vulgo præfertur in inscriptione ejus cap. novus est Episcopatus.

AD CAP. *Ad hæc.* XX.

In cap. 20 constituitur, ut omnino stetur judicio ecclesiæ, si qui juraverint se judicio ecclesiæ obtemperaturos in causa aliqua, nec appellatio aliqua eorum recipietur ad Romanum Pontificem sicut nec

appellationem recipi placet eorum qui arbitrum adierunt ex jurejurando sive compromisso. *l. 4. C. de recept. arbit.* quod tamen genus arbitrorum, qui ex jurejurando solo adeuntur, Justinianus tollit *Nov.* 82. Verum additur in hoc cap. hic modus, ut in casu proposito non sit rata appellatio, nisi intra dies XL. qui appellarunt pergant ad Romanum Pontificem. Porro conjungendum hoc cap. videtur cum *cap* 2. *inf. de excess. prælat.*

AD CAP. *Quæstioni.* XXI.

Proxima huic cap. videtur esse sententia cap. superioris, Excommunicatus propter contumaciam si præstito jurejurando, se jussa facturum ecclesiæ, absolutus fuerit, ut plerunque fit, *ut mos est*, loquit, nempe excommunicatos absolvi, si se ecclesiæ obtemperaturos juraverint, *cap.* 15. et 52. *de sent. et excommun.* et hoc modo, ut dixi, si excommunicatus propter contumaciam absolutus fuerit, et priusquam ei aliquid mandaret vel imperaret ecclesia, vel etiam postea quam ei aliquid mandavit ecclesia, idem appellaverit a judicio ecclesiæ, non est recipienda appellatio: quinimo iterum, nisi morem gerat ecclesiæ, ecclesiasticæ censuræ sive excommunicationi subjiciendus est, ut *cap.* 48. *sup. de off. judic. ordin.* *cap.* 32. *eod. t. de appell. in prima collectione.* Non est omnino eadem sententia cap. superioris, quod non est de excommunicato. Conjungendum cum hoc cap. est *cap.* 11. *sup. de off. jud. del. et cap. pen. de test. cog. in prima collectione.*

AD CAP. *Præterea* XXII.

Quod habetur in *cap.* 22. extat etiam in fine *cap.* 24. *h. t.* et a nobis explicatum est in *cap.* 6. *sup.* ut qui appellavit a judice, non possit se tueri appellatione, et ejus obtentu effugere jurisdictionem judicis a quo appellavit, si quod postea grave delictum admiserit. Non potest, inquam, obtentu appellationis non respondere ex hac causa coram judice, a quo appellavit: appellationem iniquitati arcendæ, non accersendæ comparatam esse, vel tuendæ.

AD. CAP *Constitutis.* XXIII.

Species seu quæstio hujus cap. est de electione Episcopi Corcellani in Histria, qua in electione Archidiaconus ejusdem ecclesiæ nominaverat hominem quemdam macula excommunicationis adspersum, quamvis eidem Archidiacono jam ante denuntiatum fuisset a ceteris ejusdem collegii sive capituli clericis, excommunicatum eum hominem esse, et ab ipsa quoque nominatione Archidiaconi interposita appellatio, si ab ea non desisteret. Primicerius autem ejusdem ecclesiæ, qui alias dicitur Scholasticus, alias caput Scholæ, postea consentiente majori parte Canonicorum, et clericorum elegerat alium quendam, a quorum electione Archidiaconus appellavit. Unde quæritur an appellatio Archidiaconi sit, recipienda? Et Pontifex respondet, quod in plerisque aliis causis valet, indignum esse Archidiaconum honore recipiendæ appellationis suæ, qui contempsit contra se prius factam appellationem, ut in *cap.* 42. *inf. hoc tit. cap.* 23. *sup. de elect.* indignum esse auxilio legum eum, qui contra leges commisit, *l. Auxilium. in fin. de minor.* alioqui ludibrio ei essent leges, si modo eas contemnere, modo complecti liceret, quod non est ferendum, *l. ult. §. Non autem. C. de bon. quæ liber.* Denique qui appellationem contra se factam contempsit, pati debet, ut etiam appellatio, quam ipse facit contra alios in eadem causa ab aliis contemnatur. De c. 24. quod sequitur dixi jam satis in *cap.* 6 et *cap.* 22.

AD CAP. *Qua fronte.* XXV.

Hæc Constitutio scripta est Ricardo Archiepiscopo Cantuariensi in Anglia successori illius Thomæ, qui dictus est Thomas Becquet, illius, inquam, Thomæ, qui post multas turbas excitatas in Anglia adversus Henricum regem, tandem jussu, nutuve regis necatus est, et in martyrum numerum cooptatus, quod tuitio libertatum ecclesiæ adversus potentiam, et impressionem regis ei fuisset causa occis. cujus rei etiam meminit antiqua Decretalis, quæ extat in 1. *Collectione. eod. t.* Cum vero non eodem modo se strenuum et diligentem præberet in tuendis libertatibus ecclesiæ adversus regem, Richardus successor ejus, eo quod contra juris ordinem, et contra Pontificalis dignitatis officium electiones Episcoporum confirmaret, arbitratu ipsius regis in cubiculo ejus, in camera regis, nulla habita ante inquisitione morum ejus, qui confirmari volebat, quæ tamen inquisitio omnimodo in confirmationibus Episcoporum præcedere debet, *cap.* 44. *sup. de elec.* (Et hoc Richardi vitium etiam refert auctor historiæ Archiepiscoporum Cantuariensium in medium adducto isto cap. Sunt multa in eo auctore præclara, nomen ejus ignoratur, et liber tantum extat in Anglia, unde accersitur, et accersitus est a me magno pretio). In hoc vero c. Romanus Pontifex Alexander Richardum eo nomine vehementer increpat, nec tamen propterea illius consultationibus respondet minus. Consultus enim ab eo, an is, qui excommunicatus, vel sacris interdictus est propter contumaciam, vel aliud quodcunque vitium, errore cognito et mutato consilio, qui optimus pœnitendi portus esse dicitur, absolvi possit si resipiscat, invito adversario suo, et quo minus absolvatur appellante ad Romanum Pontificem? Respondit eum absolvi posse, si modo præstiterit cautionem idoneam, puta si dederit jusjurandum, ut *cap.* 21. *sup.* vel si dederit fidejussorem, quo interveniente confirmet factorum se, quod juriscumque, et æquitatis ratio dictabit. Quæ cautio etiam exigitur ab eo, qui se non jure excommunicatum dicit, si is, qui eum excommunicavit, quod dicatur non jure excommunicatus, quasi sibi injuria facta ob eam rem appellaverit ad Romanum Pontificem: nec enim appellatio ejus recipitur aliter, quam si eandem cautionem caverit.

AD CAP. *Reprehensibilis* XXVI. et CAP. *Ad hæc.* XXVII.

Sequitur in *cap.* 26. nihil valere excommunicationem factam ab Episcopo, vel Archidiacono nulla monitione, sive denuntiatione præmissa. Monitio præcedere excommunicationem debet, *cap.* 48. *de sentent. excommun. cap.* 61. *inf. hoc tit.* nisi quis forte (addenda est hæc exceptio) ipso facto, vel, ut loquitur in hoc cap. quod idem est, ipso suo jure inciderit in excommunicationem, exempli gratia, quod clericum percusserit, ut docuimus in *cap.* 13. *sup.* et ita excommunicatum eum esse ipso facto et ipso jure Episcopus declaraverit: nec enim necesse est, ut hanc declarationem præcedat monitio. Constituuntur et pleraque alia in hoc cap. contra disciplinam ecclesiasticam, quam exercent Episcopi, vel alii Prelati in subditos suos, appellari non posse, certe nec religiosi, vel monachi contra regularem disciplinam ordinis sui, ut *cap.* 3. *sup.* Item constituitur appellantibus, etsi jure ipso præfinitum sit certum tempus, intra quod exequantur appellationem, tamen aliud tempus præscribi ab Episcopo, vel quolibet alio judice posse, a quo appellatum sit, ut *cap.* 5. *sup.* et *cap.* 33. *inf.* et *cap.* 27. et 28. *eod. tit. in prima collectione,* aliud, inquam, tempus, quam jure publico præscriptum sit, intra quod nisi appellationem executi fuerint, tum Episcopus, vel alius judex quicunque libere sententiam suam quasi non interposita appellatione ad emolumentum perducere potest, vel si nondum sententiam dixerit, in causæ cognitione perseverare, vel, ut additur in cap. seq. cujus explicatio cum hoc conjungenda est, si suspectus fuerit judex alterutri ex litigatoribus aliqua ex justa causa, alium utraque pars juris sui disceptatorem edere, et assumere debet. Et cum seq. cap. quoniam in prima collectione adnotatur, partem esse cap. *cum te,* non male censent esse conjungendum *cap.* 4. *de ætate, et qual. ordin. præf.* et *cap.* 22. *de ju. cjer.* Id quoque cavetur in hoc. cap. 26. si appellatione interposita adversarius, contra quem appellatum est, ad condictum diem venerit, appellator non venerit, appellatorem adversario suo viatica, et litis sumptus reddere oportere adversario, adversus quem, aut contra quem appellatum esse dixi, ut *l. 1. §. ult. l. 3. in prin. D. eod. tit.* qui vulgo dicitur *l'intimé*, perperam hoc loco, is, qui appellatus est, quia non adversarius appellatur, sed judex superior, ut inferioris iniquitatem, vel imperitiam corrigat. Unde et *l. 2. §. Qui vero. C. de temp. appel.* appellare judicem pro appellare a judice, Græco potius, quam Latino more dictum est appellare judicem, ut exigere debitorem, pro exigere a debitore pecuniam.

AD CAP. *Pervenit.* XXVIII.

Capitulum 28. est de Canonico quodam, qui monitus ab Episcopo, ut resideret in ecclesia, ut ecclesiæ ministerio debito fungi perseveraret, quo minus id faciat appellat ad Romanum Pontificem condicto die certo, quo appellationem consequatur, sempe ut auditor, ut admittatur appellans, etiamsi frustratoriæ dilationis causa, ut sit, videatur appellare. Nam et quandoque appellatio frustratoria recipitur, ut indicat Concilii Lateranensis sub Alexandro Tertio habiti para 10. *cap.* 6. Sed addendæ sunt hæ exceptiones, nisi si cui causæ cognitio remota appellatione delegata sit. hoc casu non recipietur frustratoria, *cap.* 53. *inf.* vel nisi frustratio, sive tergiversatio sit evidentissima, qualis est, qui nulla, aut levi ex causa, nulla injuria affectus appellat, qualis est confessi, qualis in flagranti crimine deprehensi, *cap.* 17. *sup. de judic.* Et ita accipiendum quod Paulus ait in 5. *Sent. Moratorias appellationes non recip.* et Constantinus in *l. 1. Cod. Theod. quor. appell. non recip. moratorias dilationes, frustratoriasque non tam appellationes, quam ludificationes non admitti.* Additur autem in hoc cap. ut is Canonicus appellationem exequatur intra condictam diem, et interim in locum ejus vicarium Episcopus substituat: qui vice ejus obeat ministerium ecclesiæ, congrua scilicet portione vicario assignata ex beneficiis, sive præbitis, ut Latini loquuntur, canonicis, quæ et parochiæ dicuntur, et præbendæ: et si neutrum Canonicus impleverit, puta si neque resideat in ecclesia, neque appellationem persequatur, quam interposuit, ut ei beneficium suum Episcopus auferat, et concedat alii viro honesto et idoneo. De congrua portione vicario danda, de qua sæpe litigatur in foro, sunt similes loci in *cap. extirpandæ, §. ult.* et *cap. exposuisti, inf. de præbend. et dignit.* c. *postulasti, sup. de resc. cap.* 3. *sup. de off. vic.*

AD CAP. *Consuluit* XXIX.

Cum hoc cap. absque dubio conjungendum est *cap.* 13. *inf. de Judæis.* Sciendum est ex Constitutionibus Imperatorum, et ex canonibus sacris Judæus Christiana mancipia habere non posse, *l. unica, C. ne Christ. manc. hæret. vel Jud.* et *can.* *mancipia,* 54. *dist.* ac præterea, veteres quidem Synagogas a Judæis refici, aut restitui posse, servata tamen forma, et statu antiquorum ædificiorum, non etiam construi novas, *l. ult. C. de Jud.* Quas Constitutiones, quos et canones cum Episcopus Parisiensis omni ope niteretur ad effectum perducere, id quo minus fieret pro Judæis Rex Ludovicus, qui junior dictus est, ad quem multa tributa redibant a Judæis, appellavit ad Romanum Pontificem, quam appellationem suscipi et proferri Pontifex vetat, quia a legibus,

sive canonibus, et jure publico frustra appellatio interponitur. Post Ludovicum filius ejus qui dictus est Philippus Augustus, etiam fertur expilasse Lutetiæ Synagogas omnes, et Judæos regno exegisse, quod et alii plerique reges fecerunt, cum subinde essent expulsi, subinde revocati.

AD CAP. *Ad hæc* XXX.

In cap. 30 idem statuitur, quod in cap. 9. idem prorsus: nam et de eo judice loquitur, ut patet ex secunda collectione, cui causæ cognitio remota appellatione delegata est, a quo tamen nihilominus appellare licet ante citationem, ut loquuntur, ante vocationem in jus, non etiam post citationem. Denique idem omnino in hoc cap. cavetur, quod in *cap.* 9. *sup*

AD CAP. *De Priore.* XXXI.

In hoc cap. Priori ecclesiæ cujusdam, a cujus injuriis Canonicus ei subditus appellaverat ad Romanum Pontificem extra judicium: quam appellationem jam dixi supra *cap.* 5 non tam appellationem esse, quam vocationem ad causam agendam, ad jus experiundum: si venire contemnat, districte injungitur ut veniat, et si stat se judicio ad condictum diem, ut injuriarum veritate comperta Canonico satisfaciat auctoritate summi Pontificis. Plerunque contemnitur appellatio, quæ fit extra judicium ut dixi in *d. cap* 5. Verum hoc casu cum de injuriis agitur non contemnitur. Vocatos enim ad agendam causam injuriarum, vel sustinendam omnimodo venire oportet. Scripta hæc Constitutio est Eboracensi Archiepiscopo, sic restituenda inscriptio.

AD CAP. *Quia nos.* XXXII.

Denegatur in hoc cap. appellationis auxilium Abbatibus quos commune concilium Capituli generalis ob crimina quædam manifesta, præfectura, et administratione monasterii abire jubet, quia pertinet hæc res ad publicam disciplinam et correctionem Ordinis, et appellatio non criminibus fovendis aut obtegendis condita est, sed detegendis potius et ulciscendis.

AD CAP. *Ad aures.* XXXIII.

Quod est in hoc cap. 33. idem jam ante constituit *cap* 4 et 5. sed hoc amplius antiqua Decretalis habet, ut cui causæ cujusdam cognitio delegata est, adjecta in delegatione hac clausula, remota appellatione, si qua alia inciderit quæstio, non possit etiam de ea, remota appellatione cognoscere, quia quod notandum, incidentes quæstiones plerumque principales, atque adeo magni momenti sunt, ut *l.* 1. *C. de ordin. jud* Verum appellanti præfiniri oportet certum tempus, intra quod exequatur appellationem, cujus quidem temporis præscriptione summotus omnimodo cogitur stare sententiæ judicis delegati, ut cautum est Concilio Lateranensi: cujus caput habemus in *cap.* 26. quodque etiam refertur in *cap* 39 et 44. *inf* cogitur, inquam, stare sententiæ judicis delegati tam de incidenti, quam de principali quæstione prolatæ. Et in eadem quoque antiqua Decretali, quæ exstat in 2. *collect. eod tit. cap.* 6 placet quod appellationem vocet commune remedium, ut commune auxilium, *l* 3. §. *ult. rem rat. hab.*

AD CAP. *Ad audientiam.* XXXIV.

Constituitur in hoc cap. non tantum post appellationem dictam ab Episcopo sententiam excommunicationis non valere, ut jam ante constitutum est in c. 1 7. et 17. *sup.* et 37. *inf.* sed etiam si dicta ea excommunicationis sententia fuerit, post quam si quis et ante, dum opprimitur ab Episcopo ordinario judice suo, subjecerit patrocinio et tuitioni Romani Pontificis Aliud quidem est appellare, aliud patrocinio se subjicere: verum eadem vis utriusque, quia utroque jure ordinarius judex esse desinit, si specialiter, hoc enim exigitur, adversus eum tuitio postulata fuerit, non si generaliter adversus quemcumque, ut *cap. ex parte* 2 *inf. de privileg.* De Zamorensi Episcopo, qui est in Hispania, species hæc est, qui multas exhibebat molestias presbytero ecclesiæ S Jacobi Zamorensis, quam ecclesiam glossa ait propriam esse ecclesiæ Compostellanæ: profecto vere: nam et hæc verba sumpsit glossa ex antiqua Decretali. Et hoc sane privilegium habuit ecclesia S Jacobi Compostellani inter multa alia, ut ei responderet ecclesia S Jacobi Zamorensis, non Zamorensi Episcopo.

AD CAP. *Accepta.* XXXV.

Hoc cap. pertinet ad querelam, quam expoliati bonis suis Canonici Pompelonie (Pompelon dicitur Straboni, et Ptolemæo hic, ut vulgo, Pampelona, *qui est en Navarre*) ad querelam, inquam, quam expoliati bonis suis Canonici Pompelonis instituerant adversus Ducem Navarrorum, ut est in antiqua Decretali. Fuit olim Dux tantum, qui hodie Rex. De qua quidem querela cum dedisset Pontifex cognitorem Archiepiscopum Tarraconensem, ignorans jam ante ab eo ad se appellatum fuisse: cognito errore, merito revocat mandatum suum, quia non debet ad eum causa remitti, a quo appellatum est, nisi ex consensu partium, *l. Eos. C. eod. tit. cap* 2 *de matr. contr. contra interd. eccl. cap.* 2. *et* 3 *sup. de libel. oblat. can. placuit,* 2. *qu.* 6. vel nisi pars, quæ appellavit mutato consilio velit causam ad priorem judicem remitti, *cap.* 11. *sup. de except. cap.* 70. §. *lite. inf. h. t.*

AD CAP. *Postremo.* XXXVI

Scripta est hæc Constitutio Gualtero Episcopo Lincolniensi in Anglia, ut *cap.* 8. *sup de rescrip.* quod cum isto conjungendum est. Matthæus Paris tradit eum fuisse appellatum Gualterum de Constantiis, et ex Archidiacono Oxoniensi Andegavi factum Episcopum Lincolniensem a Richardo Cantuariensi Archiepiscopo, de quo supra in *cap.* 25. nonnihil. Est autem hæc constitutio de recusatione, non de appellatione; justam esse recusationem judicis delegati, si cognatus sit, si cognatione junctus sit ei parti, quæ illum in causa sua judicem dari postulavit, vel si in ea causa advocati officio functus sit, quamvis remota appellatione ei causa delegata fuerit: nec iis igitur casibus locum habere, quod nota definitum est *cap* 12 *sup.* et definitur *inf. cap.* 43. ubi removetur appellatio, removeri etiam recusationem, hoc iis casibus non obtinet. Et confirmatur etiam sententia hujus cap. *c.* 4. *sup. ut lit. non contest* et quatenus loquitur de eo, qui in eadem causa patrocinium præstitit, confirmatur etiam *l. Prætor, de jurisd. et l. ult. C. de assessor.* Et eadem ratione dicendum est, jure ac merito testem excipi et refutari productum in causa, in qua advocatus fuit, *l. ultim D. de testibus* .

AD CAP. *Ad hæc.* XXXVII.

Constitutio *cap.* 37. hoc vult, ut quemadmodum post appellationem excommunicari nemo potest ab eo, a quo appellavit, ut paulo supra dictum est *cap.* 34 ita ante appellationem excommunicatus, vel interdictus sacris frustra appellet, frustrave conetur appellationis remedio abolere injustam semel excommunicationem, vel interdictionem, quod est apertissimum, nec in eo, ut utar verbis Hostiensis, est magna Philosophia.

AD CAP. *Cum in ecclesia.* XXXVIII.

Constitutio 38. scripta est Cantuariensi Archiepiscopo, quod et glossa notat recte: omittitur in inscriptione, ut ab Episcopo Lincolniensi. Nullius Romani Pontificis tot sunt constitutiones in his libris, quot Alexandri Tertii auctoris horum cc. neque tot etiam, quæ pertineant ad alias provincias, aliave regna, quot sunt, quæ pertinent ad Angliam. Unde recte constitui potest, aut tentari saltem, plerisque Constitutionibus, quæ ad Angliam pertinent, non obstringi alia regna Cavetur autem in hoc cap. ut ab Episcopo Lincolniensi, qui subest Archiepiscopo Cantuariensi, a clericis Lincolniensis ecclesiæ interpositas appellationes Archiepiscopus Cantuariensis non recipiat aliter, quam si cognoverit ab interlocutione Episcopi quadam onerosa, vel ab iniqua sententia, ex justa scilicet causa eas interpositas. Constare prius judici, qui appellatur, quod notandum, justa appellationis causa debet, quam appellationem admittat. Unde et appellantes necesse est statim ab initio causam appellationis exponere, et probare. Et hinc etiam observa, Archiepisc. nullam potestatem habere in subditos suffraganeorum suorum, id est, Episcoporum, qui ei subsunt, ut *cap.* 11 *sup. de off. jud. ord.* nisi justa ex causa ad eum provocatum sit, ut in hoc *cap.* 38

AD CAP. *Directæ.* XXXIX.

In cap. 39 agitur de causa matrimonii, quæ vertebatur coram judice ecclesiastico inter virum, matrimonium judicio ecclesiæ dirimi postulantem, prætextu cognationis, quam dicebat post contractum matrimonium in suam notitiam venisse, et uxorem, quæ ab eo judice appellaverat ad Romanum Pontificem, nec tamen intra tempora constituta appellationem persecuta erat, immo et appellationi renuntiaverat. Qui appellavit, appellationi renuntiare potest, *l.* 28 *C. eod. tit.* quia unicuique non uti licet eo, quod lex ei sua causa dedit, præsertim cum inde adversario nihil infertur incommodi. Et appellatio causa litigantis introducta est, ad privilegium scilicet, et utilitatem ejus, ut sit, *l.* 11. *C. Th eod tit.* quod et ita expressit Theodorus in d. l. 28. ὑπὲρ τούτου ἐπενοήθη ἡ τῆς ἐκκλήτου βοήθεια Qua ratione ex conventione partium amittit provocationis auxilium, *l. ult.* §. *ult. Cod. de temp. appell* et professione sola *l.* 1. *a quib. appell. non lic* Appellationi autem renuntiare licet re integra, donec appellatio superiori fuerit oblata, *cap. quamvis, de elect. lib.* 6. Immo et moribus nostris quandocunque appellationi renuntiare licet, antequam de causa pronuntiaverit is, ad quem appellatum est. Quæritur autem in hoc cap. an mulier, quæ semel appellavit, ac deinde appellationem omisit, eique nominatim renuntiavit, pœnitentia acta iterum appellare possit? Et respondet posse Est quidem mulier jure ipso tempore exclusa ab omni appellationis remedio, et auxilio ex Concilii Lateranensis *cap.* 26. *sup. cap* 44 *inf.* est item exclusa renuntiatione, sed quia de matrimonio conservando, vel dirimendo agitur, quæ causa est, inquit, favorabilis, ut *cap.* 3. *qui matr. accus. poss. cap ult inf. de condit. appos.* ideo iterum appellans hac in causa, non in qualibet alia, auditur, quamvis submota jam sit præscriptione temporis, et renuntiatione, ne temere matrimonium rite contractum infirmetur: et appellatio, inquit, eam eximit a jurisdictione ejus, a quo appellat, hoc est quod ait *l.* 13. *C Theod. eod.* appellationem efficere ut is, a quo appellatur, judex esse desinat.

AD CAP. *Præterea.* XL.

Docet in hoc cap. dictam excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti sententiam sub hac exceptione, *nisi actori solveris, quod te ei debere ait intra decem dies, excommunicatus esto*, posse impediri quo minus effectum habeat appellatione interposita intra decem dies antequam excommunicatio, vel suspensio, vel interdictio effectum habuerit. Verum etsi hoc manifesto ita cautum sit in hoc cap. tamen hujusmodi sententia conditionalis non admodum probatur in c. *Romana*, §. *Caveant. de sentent. excommunic.* in 6

AD CAP. *Secundo.* XLI.

Ad hoc cap. notandum est, Cœlestinum III. variis de quæstionibus consultum a Decano Rhotomagensis ecclesiæ, una epistola omnibus respondisse: ac primæ quidem quæstioni in *cap.* 2. *de mutu. petit.* secundæ et tertiæ in hoc *cap.* quartæ in *cap.* 26 §. *ult. eod. tit. in* 2. *collectione*: quintæ et sextæ, tot enim erant quæstiones, in *cap.* 21. *sup. de offic. jud. deleg.* Agam tantum de secunda et tertia, de quibus est tantum hoc cap. Secunda quæstio, quæ hoc loco proponitur, hæc est, an si unius litis variæ sint species, varii articuli, varia capita juncta invicem atque connexa, ne quis objiciat *cap.* 71. *inf.* de mandato Romani Pontificis, cognitio illius litis certis judicibus delegata sit, et uni tantum articulo adjecta clausula vulgaris, remota appellatione, ceteris articulis non item, an pro eo res habenda, ac si ceteris adscripta etiam esset? Cui respondet Pontifex, hujus definitionis quæstionem esse petendam ex mente Pontificis Romani, a quo mandatum exiit, adducto illo Gregorii I. verbo, quod extat in *can. humanæ*, 22. *quæst.* 5. non ex verbis pendere consilia hominum, sed verba servire hominum consiliis et auctoritatibus: propter sensus verba esse, non contra: quod et Cicero iisdem verbis scribit pro Cæcinna. Tertia quæstio hæc est, an qui judicem datum rejicit et recusat tanquam suspectum, causam suspicionis debeat palam exponere et probare eidem judici? Cui ita respondet: causam quidem recusationis apud eundem judicem esse proponendam porrecto libello recusationis, ut ait *l. Apertissimi, Cod. de judic.* verum probandam apud alios esse, in quos partes consenserint, instante, et urgente judice recusato: apud quos ea non probata, sane judex manet is, qui temere recusatus est. Ut appellatione, ita recusatione judex esse desinit, sed non tamen antequam causa ejus approbata fuerit. Et in fine usurpat illud Nicolai antecessoris sui, quod extat in *can. quod suspecti*, 3. *quæst.* 5. suspectos et inimicos esse judices non debere

AD CAP. *An sit.* XLII.

Quod constituitur in hoc *cap.* 42. ante traditum est in *cap.* 23. qui contempsit appellationem adversarii sui, æquo animo ferat, si se et suam appellationem adversarius contemnat. si quod fecit petiator, ut loquitur *l.* 12. §. *Quæri. quod metus caus.* juxta illud Pindari: ῥέζοντά τε καὶ παθεῖν ἔοικε: *Æquum est ut quod quisque fecit, patiatur*

AD CAP. *Novit.* XLIII.

Hoc cap. pertinet ad controversiam, quæ fuit inter Philippum Augustum Francorum regem, et Joannem Anglorum regem, de qua diximus satis in *cap.* 13. *sup. de judic.* cujus initium idem quod hujus c. *Novit ille, qui nihil ignorat*, id est, novit Deus. Quamvis non ad eundem utrumque: nam illud ad Episcopos Franciæ, hoc vero ad Philippum ipsum, quo declaratur, non valere appellationem, quam Rex Philippus interposuerat ad futurum concilium adversus interdictionem sacrorum promulgatam in regno Franciæ a legato Romani Pontificis, quia is legatus executor tantum erat sententiæ Pontificalis, et ab executore appellare non licet, etsi litigatori suspectus executor sit, nisi modum executionis excedat, ut *cap.* 15. *sup. de sent. et re jud. l. Ab executore. D. de appell. l. Ab executione. D. quor. appell. non recip.* Ab executore enim sero appellatur, ut inquit *l.* 3. *C. Th. de appell.* quia res non est integra, cum peractum sit judicium, lisque finita. Inde Paulus 5. Sentent. tit. 35. *Appellationes*, inquit, *quæ ab executoribus, et confessis fiunt, recipi non placet.*

AD CAP. *Sæpe contingit.* XLIV.

Hoc cap. respicit ad eam partem Concilii Lateranensis, quæ extat in *cap.* 26. §. *pen. sup.* ut ei, contra quem appellatum est, si ad diem condictum judicio adfuerit, appellator, qui non adfuerit condemnetur in expensas, necessarias scilicet, ut est expressum in *cap.* 8. *eod. tit. in* 2. *collectione*. et *cap.* 3. *in fin. sup. de eo, qui mitt. in poss.* Cum vero hæc condemnatio in expensas non videretur Innocentio III satis idonea esse ad deterrendos homines a desertione appellationis, Innocentius adjecit aliam pœnam desertæ appellationis, cui locum esse vult hoc tantum casu, si judex, a quo appellatur, appellationem receperit, vel admiserit, vel pars adversa approbaverit eam: hoc nempe casu, si is, qui appellavit, non persequatur appellationem, si post diem condictum agendæ causæ apud judicem, ad quem appellavit, non adfuerit, perinde in absentem eum Innocentius agi vult, ac si edicto peremptorio evocatus præsentiam sui facere contempsisset, id est, perinde atque in contumacem ex edicto peremptorio, nisi, addit enim hanc exceptionem, *justas causas absentiæ suæ praeferat*, ut *cap.* 8. *sup.* et §. *pen. hujus cap.* veluti valetudinem adversam, vel majoris causæ occupationem, l. *Contumacia.* § 1. *de re judic.* His consequens est, ut in absentem a judice appellationis forte dicta sententia rei judicatæ auctoritatem obtineat, *l. ult. ad Senatusc. Trebell.* licet, ut ibi loquitur, ea causa apud eum acta sit μονομερῶς, id est, una tantum parte præsente, non ambobus litigatoribus, *l. ult.* §. *Illud. C. de temp. appell.* Ut item absens quasi ex contumacia ex edicto peremptorio damnetur, nec appellare possit, vel alio modo litem redintegrare, *l. Et post edictum* §. 1. *de judic. l. Properandum.* § *Sin autem ex gratis. Cod. eod. l. Contumacia. in pr. de re jud. l.* 1. *C. quor. appel. non recip.* Et hoc, sicut dixi, si appellatio a judice fuerit recepta, vel ab adversario comprobata, si appellanti adversarius assensum præbuerit. At si appellatio a judice, a quo appellatum est, nec admissa fuerit, ut sæpe aliquo appellante judices respondere solent, *non admittimus*, nec approbata ab adversario etiam fuerit, contra quem appellatum est, valet quidem appellatio, *l. Ei cujus. de appellat. recip.* Sed appellationem, quis, hæc est ratio, quodammodo excusandus videtur qui appellationem a judice non admissam, vel ab adversario non approbatam, deserit: tunc certe in eum non agitur ut contumacem ex edicto peremptorio, sed id tantum servatur, quod antiquis Constitutionibus cautum est, ut pareat sententiæ judicis, a quo temere appellavit, et adversario victica rependat, et ceteras legitimas expensas, *l. ult.* §. *Illud. C. de temp. appel. Nov.* 99. et c. 4. *sup.* et 33. *sup.* et 64. *inf.* Is autem videtur non persequi appellationem, qui eam neque per se persequitur, neque per procuratorem idoneum sive per responsalem, quem apocrisiarium vocant. Quis vero hac in re censeatur procurator idoneus explicabitur in *cap.* 64. et in *cap.* 70 *inf.* nec enim quilibet est idoneus ad appellationem persequendam, non quilibet procurator appellationem persequendam, non quilibet procurator appellatorem excusat periculo desertionis. Non omittam quod recte colligere licet ex initio hujus cap. hac in re procuratoris idonei factum sive dolum malum, puta si mandatum non exequatur, vel si id rogatus non proferat in judicium, domino nocere. Cur enim talem procuratorem elegit, quod etiam confirmat *l. Procuratoris. de tribut. act.* et *cap.* 1. *sup. ut lit. non contest.* Non omittam etiam differentiam, quæ hoc loco proponitur inter quæstionem facti, et quæstionem juris: hanc facilius expediri, quam illam, quia jus certum et finitum est, *l.* 2. *de jur. et fac. ignor.* nec ullis indiget externis probationibus testium, vel instrumentorum: illam non nisi productis testibus, vel prolatis instrumentis definiri posse. Adde, judicibus datis de facto consulentibus, præsides, qui eos dederunt consilium non impertiri, quandoquidem nec possunt, quia quæstiones facti in judicum arbitrio et æstimatione sunt: at de jure consulentibus respondere, et consilium impertiri solent Jurisconsulti, vel præsides, quibus in consilio Jurisconsulti semper assident, inde dicuntur Assessores, vel Principes, qui et se Jurisconsultos dici affectant, *l. ult. C. de leg.* hi omnes judicibus de jure consulentibus respondere solent, *l. Eum quem temere* §. 1. *D. de judic. l. pen. ad leg. Fab. de plag. l.* 1. §. *Sed non utique. ad Senatusc. Turpil. l. Ordine, ad municip. l. Voluntatis. def. quæst.* (quæ est facti quæstio, quæ in æstimatione judicis est, *il n'y a que cela*) *C. de fideicom.* Et Principes quidem de jure respondere solent, si credimus Bernardo, quia, ut ait hoc loco ex *l. Omnium. C. de testam.* Principes omnia jura habent in scrinio sui pectoris, quamvis plerumque sint juris imperitissimi, quod etiam certe Imperatores in *d. l. Omnium.* non dicunt, sed hoc tantum dicunt, jus omne in scriniis suis esse constitutum, *en leurs thresors*, puta in scriniis memoriæ, et dispositionum, sic vocantur, ut Plinius 10. epistolarum ad *Trajanum*, *Constitutiones*, inquit, *vestro Principum ad te non misi, quia et parum emendatæ, et certæ quædam fidei non videbantur, et quia veras, et emendatas in tuis scriniis esse credebam.* Non omittam etiam, quod est in extremo hujus cap. non valere rescriptum, quod appellator super ea re, de qua litigat, impetravit a Romano Pontifice intra diem præfinitum exequendæ appellationis, nulla facta mentione appellationis interpositæ, nec temporis a se, vel a judice præscripti ad appellationem exequendam, nimirum quia subreptitium id rescriptum est.

AD CAP. *Constitutus* XLV.

Species hujus cap. est ejusmodi. Vacante Decanatu Claromontanæ Ecclesiæ, quæ major dignitas ecclesiæ est, sive collegii ecclesiastici, *cap.* 4. *eod. tit. in secunda collectione*, et electione sive collatione Decanatus pertinente ad Capitulum, sive collegium ejusdem ecclesiæ; quidam Canonici vota et suffragia sua transtulerunt ad Episcopum Claromontanum, qui est Arvernorum Episcopus, ut quem ipse eligeret et nominaret, is quoque studio, et suffragio suo electus censeretur. Licet igitur suffragium suum in Episcopum transferrent, hanc tamen legem adjecerunt, ut inconsultis ceteris Canonicis, qui in eum sua suffragia non transtulerant, Episcopus non procederet ad electionem Decani. Et cum inibi esset Episcopus, ut Archidiaconum ejusdem ecclesiæ, et Decanum esse declararet, re adhuc integra, undecim ex Canonicis, qui in eum vota et suffragia sua non transtulerant, timentes ne ad electionem procederet Episcopus ipsis inconsultis, si id forte auderet, ab eo appellarunt ad Romanum Pontificem: post appellationem Episcopus ipsis inconsultis peregit electionem. Quæritur an valeat electio? Et causa omni instructa ab Abbatibus S. Andreæ, et S. Ilidii (sic legendum, qu'on appelle. *S. Ilide*) in hanc rem delegatis a Romani Pontificis legato quodam, ac deinde ea causa perlata ad Romanum Pontificem; idem rescribit Lemovicensi, et Cadurcensi Episcopis, ut si ita se rem habere comperierint, electionem Archidiaconi pronuntient esse nullam, nec moveantur eo

quod Canonici appellationem, quam interposuerint, executi non sunt intra annum, ut oportuit ex *Nov.* 49. *et cap.* 5. *et* 8. *sup.* nec ullam habuerint justam causam producend. hujus negotii in alterum annum, quia, et hoc posito semper verum est, nullam esse electionem Archidiaconi, quia facta post appellationem, et contra formam præscriptam legemve datam Episcopo: et quia Archidiaconus etiam sua sponte declaraverat, se nolle ex facto Episcopi jus ullum in Decanatu vacante sibi vindicare, nullam etiam electionem esse, quam supradicti undecim Canonici seorsim fecerant de quodam Subdiacono Romanæ ecclesiæ, ut est proditum in *cap.* 38 *sup. de testib.* quod est de eodem negotio.

AD CAP. *Constitutis.* XLVI.

Vacante Præpositura cujusdem ecclesiæ Mediomatricorum, *de Metz*, quod quidem munus consistit in administratione bonorum temporalium ecclesiæ, ut est in antiqua Decretali, atque ideo recte OEconomo conjungitur Præpositus in *can. Salvator*, 1. *quæst.* 3. vacante, inquam, Præpositura illius ecclesiæ, cum Canonici ejusdem ecclesiæ eligendi Præpositi, et suffragii ferendi causa certo et statuto die convenissent, una pars elegit Cantorem majoris ecclesiæ, altera Cancellarium, qui et Bibliothecarius dicitur. Et Cancellarii quidem electionem, quasi potentiorem cum numero suffragiorum, tum et conditione, honestate, dignitate electi Cancellarii, Episcopus Metensis confirmavit, dono et investitura Præposituræ collata in Cancellarium. Legendum hoc loco, *donum et investituram porrigere,* non ut vulgo: *domum. Cum vellet tibi,* Episcopus scilicet, *donum et investituram porrigere*, inquit, *ut est moris.* Id vero donum plerumque est annuus *cap.* 12. *sup. de sent. et re judic. cap.* 3. *inf. de iis, quæ fiunt a maj. part. cap.* quod et donum investituræ Fridericus Imperator vocat in Constitutione de pace tenenda. Cum vero a sententia Episcopi pars altera Canonicorum, quæ Cantorem majoris ecclesiæ elegerat, appellasset ad Romanum Pontificem, nulla alia allata causa, quam quod non possit Cancellarius superesse administrationi bonorum temporalium ecclesiæ; licet et alias plerasque causas se redditurum dixisset, quia id non fecit, et quia ea etiam causa, quam reddidit, probabilis visa non est, Pontifex confirmavit electionem Cancellarii. Potuissent, qui appellaverant alias causas allegare; et eas, quas allegaverant omittere agendo causam appellationis, ut est notandum valde in *l.* 3. *D. eod. tit.*

AD CAP. *Ex parte.* XLVII.

Antiqua decretalis ostendit, hanc Constitutionem emissam fuisse eo tempore, quo inter se Angli, et Walli in Britannia graves inimicitias, et sæpenumero bella gerebant omni imbuta odio, atque ideo quo tempore tutus non erat Angliæ aditus ad Wallos. Quare duris controversiis, quæ sunt inter Anglos, si forte a Romano Pontifice dentur judices Walli quidam, qui in Wallia morentur ipsi, quia ad eos Anglis non est tutus aditus, recte censet Pontifex in hoc cap. justam esse causam hanc appellandi a supradictis judicibus, vel recusandi eos tanquam suspectos, etiamsi cognitio causæ, quod notandum, sit delegata sit remota appellatione. Neque enim, ut sæpe diximus, hæc clausula removet omne appellationis genus, omnemve appellandi causam. Et hoc quidem ita procedit nisi supradicti judices litigatores ad locum adesse jubeant, quo sine suo incommodo et periculo venire et adesse possint, quod confirmatur etiam *cap.* 4. *sup. ut lit. non contest.* Wallos vero ab Anglis ad extremum fuisse subactos notissimum est, et Walliæ principatum reservatum destinatumque fuisse Regis Angliæ filio nato majori, *qu'on appelle le Prince de Galles,* ut Delphinatum Allobrogum regis nostri filio natu majori.

AD CAP. *Significavit.* XLVIII.

Ex hoc cap. hoc præcipue notandum est, nihil valere eorum, quæ judex, a quo appellatum est, post appellationem tanquam judex in ea re, qua de agitur, gessit; quia appellatione ejus rei judex esse desiit, *l.* 13. *C. Theod. de appellat.* id quod Constitutio prima, et quamplurimæ aliæ in hoc titulo demonstrant, et id denique ipsum, quod vulgo dicitur, et de quo est titulus in Digestis, appellatione interposita nihil innovari oportere. Notandum etiam ex hoc cap. sigillum, quod libello applicitur, quo solet corpus aliquod collegii, vel Capituli, vel societatis suos evocare, idem sigillum non sufficere, eundemve accusum signatorium non sufficere etiam obsignando mandato collegii, vel Capituli, vel alterius cujuscunque universitatis, quo Actor constituitur, vel Syndicus, per quem, quod communiter agi fierique oportet, agatur, fiat, majore sigillo opus esse: omnis collegii sive universitatis varia esse sigilla. Species autem, ad quam hæc respiciunt, fuit ejusmodi. Mortuo Xenodocho sive Rectore, vel Magistro Hospitalis, vel Xenodochii Eboracensis in Anglia, quod Polydorus Virgilius in Eduardo IV. vetus, et opulentissimum Xenodochium esse scribit D. Leonardo dedicatum, Archiepiscopus Eboracensis presbyterum quendam præfecit eidem Xenodochio repugnantibus Decano, et universis Canonicis ecclesiæ Eboracensis, qui ad se, non ad Archiepiscopum contendebant pertinere creationem, et institutionem Xenodochi. Qui quidem Canonici, et ejus rei causa ex rescripto quodam impetrato a Romano Pontifice Archiepiscopum, et Xenodochum ab eo institutum in jus vocarunt ad judices in hanc speciem rescripto Pontificis Romani delegatos, et actorem certum in eam rem nomine Capituli totius constituerunt sub sigillo, sub quo solebat Capitulum ad se vocare subditos suos, quod tamen sigillum non erat satis idoneum ad Actorem, vel Syndicum legitime constituendum. Et hoc cum allegaret Xenodochus ab Archiepiscopo electus coram judicibus delegatis: et præterea cum allegaret jam antea in eam rem alios fuisse datos cognitores et disceptatores, hoc tamen reticuisse procuratorem Capituli cum peteret judices eos, ad quos Archiepiscopus, et Xenodochus ex rescripto Romani Pontificis vocati erant; quæ reticentia est vitium rescripti summum, *cap.* 27. *sup. de rescript. cap.* 57 *inf. hoc tit.* has, inquam, duas objectiones cum objiceret Xenodochus, quarum vel altera sufficiebat, nec eas reciperent judices novissimo rescripto dati merito Xenodochus ab eis judicibus appellavit, meritoque, quicquid ab eis judicibus post appellationem actum est, constituitur in hoc cap. inane et irritum esse. Quod est in fine hujus *c. Partes, etc.* quæ est imperfecta oratio, supplendum est ita ex antiqua Decretali: *Partes ad vestram præsentiam convocatis, et auditis diligenter appellatione remota, quæ hinc inde duxerint proponenda contendentes.*

Cap. 49. iisdem verbis repetitum est in *cap.* 2. *sup. de libel. oblat.* ubi satis abunde id me exposuisse memini.

AD CAP. *Ex insinuatione.* L.

Cum lis de prædi cujusdem proprietate ageretur coram judice ordinario inter Canonicos quosdam et Camerarium de Tancravilla in Istria vel in Normannia, Camerarius a judice ordinario appellavit ad Romanum Pontificem, et nullum quidem ipse certum diem condixit ad exequendam appellationem, verum judex ordinarius, a quo appellatum est, diem certum condixit, intra quem scilicet, quod notandum, utraque pars Roma reverteretur perorata causa appellationis: quod fecit contra morem receptum, et contra jus. Contra morem, quia dies præscribi solet a judice, a quo appellatur perferendæ, et inchoandæ causæ appellationis, non peragendæ, ut ex multis cc. jam ante didicimus. Contra jus, quod non potuit judex inferior Romano Pontifici legem dicere, sive præscribere ei diem, intra quem de appellatione pronuntiaret, et utramque partem dimitteret: et quia etiam Justinianus constituit in *Novel.* 23. cujus hac de re particula exstat in *tit. C. de tempor. appel.* Latina facta ab Irnerio, cujus etiam verba ipsa in hoc c. usurpat Pontifex: ut lis maneat integra, quæ introducenda est in consistorium Principis, donec princeps consilium suum advocaverit, donec Principi otium fuerit, et operam advocandi consilii sui, et præbendi jus litigantibus, nec interim liti quicquam officiat vel obstet mora vel cunctatio Principis, vel ut scriptum est in *Novel.* eodem sensu; οὐδὲν ἐκ παραδρομῆς τοῦ χρόνου τῇ δίκῃ γίνεται πρόκριμα: ut nullum ex mora, vel lapsu temporis liti præjudicium fiat. Itaque præscribendo diem ita ut dixi, judex ordinarius sane nihil egit. Ex quo sequitur, nullo die præscripto ab adversario, ut posuimus, ab appellatore ipso, vel a judice, a quo appellatum est, annum diem, qui lege præscriptus est, *Novel* 49. *cap.* 5. et 8. et 65 *sup.* esse observandum, intra quem si appellator obrepserit Pontifici, et elicuerit ab eo rescriptum, quod ad eam causam faciat, perinde nullius momenti id rescriptum esse, atque id quod eadem calliditate impetravit intra diem a se, vel a judice condictum, *cap.* 44. *in fi. sup.* Et hæc est sententia hujus capit. in quo sane, ut et Joannes, et Innocentius, et Hostiensis sentiunt contra Bernardum glossographum, hæc verba, *usque ad terminum legitimum,* verius est esse accipienda de anno præscripto a Justiniano appellatori, intra quem suam causam agat, et ad jus suum perveniat.

AD CAP. *Bonæ.* LI.

Species h. cap. hæc est. Defuncto Othone rectore ecclesiæ de Faversau in Anglia, Abbas S. Augustini Cantuariensis cum monachis suis per se in possessionem venit ejusdem ecclesiæ, quasi vacantis ejus custodia ad se pertinente, et interposuit appellationem, quod fit recte, etiamsi fiat præmature, ad Romanum Pontificem, si quis forte possessionem suam deinceps perturbaret vel interpellaret. Post a laicis quibusdam per vim possessione cum dejectus esset, mox Archidiaconus Cantuariensis ecclesiæ possessionem non retentam a prædonibus, atque adeo vacuam apprehendit. In quem recte definitur in hoc c. Abbatem S. Augustini et monachos jure experiri interdicto unde vi, etiamsi nullam ipsis Archidiaconus vim intulerit, quia hoc jure interdicto unde vi, sive beneficium momenti, quod idem est, datur non tantum in eum, qui vim fecit, sed etiam in eum, ad quem res vi pervasa pervenit, *cap.* 18. *sup. de restit. spol. cap.* 11. *sup. de judic.* Fuit ea ecclesia monasterium jam olim a fundamentis extructum a Stephano Rege, ut Matthæus Westmonasteriensis scribit in historia Anglica. Nihil vero, quo minus ita definiret moverunt Romanum Pontificem, quæ allegabantur ab Archidiacono, custodiam vacantis ejus ecclesiæ (quam custodiam pro possessione accipit καταχρηστικῶς) ad se pertinere, non ad illos monachos: illos nunquam possedisse supradictam ecclesiam, sive monasterium, se possedisse per Othonem, qui suo nomine eam ecclesiam possidebat, *c.* 9. *sup. de restit. spol.* cujus rei Archidiaconus argumentum sumebat non satis idoneum ex pensione quadam summaria, et commessatione annua, quam ei præbere Otho solebat. Commessationem illam, sive epulationem, vocat procurationem, voce in hoc significatu hoc jure recepta. Et regimen sive administrationem illius ecclesiæ vocat personatum. rectorem, personam, quod scilicet in illa ecclesia, qui præest, prælati personam gerat. Quo modo et Decanus, et Archidiaconus, et quicunque ecclesiasticis dignitatibus præditi sunt, etiam personæ ecclesiæ dicuntur, *cap.* 8 *sup. de rescript.* ut et ceteri, qui quocunque alio officio in ecclesia sive dignitate funguntur. Magis vero pontificem movit suprema illa lex, ut spoliato possessore, etiam si prædo et malæ fidei possessor fuerit, ante omnia prius, quam sci-

licet de proprietate quæratur, possessio redintegretur et restituatur, ut *l. 1. §. Qui a me. de vi et vi arm. l. 10. C. de donat. int. vir. et uxor. l. ult. C. de acquir. poss. cap. 5. sup. De restit. spol.* et fructus quoque medio tempore percepti aut percipiendi, ut ei restituantur, *cap. 7. 11. 16. sup. de restit. spol. l. 4. C. unde vi.*

AD CAP. *Dilecti.* LII.

Ex hoc cap. intelligimus, nullam esse excommunicationem, quam Episcopus adversariis suis inflixit, post appellationem ab eis interpositam ad Romanum Pontificem, sive verbo tenus appellaverint, sive facto ipso. Duplex est modus appellandi: verbo hujusmodi, appello vel provoco: facto ipso, veluti itinere jam directo Romam, ut *cap. 7. de dol. et contum.* vel implorato patrocinio Romani Pontificis, *cap. 34. sup.* Hæc vero constitutio, atque etiam constitutio *cap. 2. inf. de nov. oper. nunt.* pertinent ad controversiam eandem, quæ agitabatur in Anglia de jure parochiæ cujusdam dictæ Lamate, inter Archiepiscopum Cantuariensem et priorem ac monachos ejusdem ecclesiæ, de qua scribit et auctor ἀνώνυμος historiæ Archiepiscoporum Cantuariensium in Huberto, adducto *d. c. 2.*

AD CAP. *Pastoralis.* LIII.

Hoc cap. est de vulgari clausula, *appellatione remota*, quam solet frequenter inseri rescriptis summorum Pontificum, imo et principum, *l. 1. §. ult. a quibus appell. non lic.* non rescriptis aliorum quorumcumque. Nec enim aliorum quorumcumque est auferre partibus commune auxilium appellationis. Et hac clausula ostenditur initio hujus cap. eam tantum appellationem removeri, quæ jure publico specialiter approbata non est, veluti appellationem interpositam morandi tantum et frustrandi causa: vel appellationem, cujus nulla justa causa est, quæve nullo gravamine interveniente, vel imminente, præsente, vel præterito, vel futuro interponitur: vel quæ interponitur antequam vocatus quis fuerit ad eum judicem, a quo appellat, *cap. 9. et 30. sup.* non si justa fuerit appellationis causa, *cap. 16. sup. de rest. spol. cap. 36. et 47. sup. hoc. tit. cap. 9. sup. tit. prox.* Et hoc est, quod proponitur initio hujus cap. Quod autem sequitur in §. 1. est de excommunicationis sententia, quam definitur non posse suspendi, vel extingui appellatione interposita. quamvis legitima et servato ordine juris interposita fuerit, nec si ea excommunicatio denuntiata nondum excommunicato fuerit: quia statim major excommunicatio vim suam exercet etiam in ignorantem, statim hominem eximit consortio ecclesiæ, et privat commodis, quæ ex beneficiis ecclesiasticis proveniunt, si quæ beneficia possederit. Excommunicatio secum trahit executionem, quod tamen perperam Accursius improbat in *l. ult. C. si a non compet. judic.* et cum Accursio alii plerique. Conjungenda autem cum hoc cap. esse multa alia c. jam satis ostendi in *cap. 14. de judic.*

AD CAP. *Solicitudinem.* LIV.

Hoc cap. non est de appellatione interposita post irrogatam excommunicationem, ut superiori cap. sed ex diverso de excommunicatione irrogata post appellationem, quam constat nullius esse momenti, *cap. 1. et 16. sup. cap. per tuas. inf. de sentent. excommun.* At quæritur, si is, qui appellavit ab Episcopo suo ad Romanum Pontificem, et mox ab eo, quasi contumax, appellationem scilicet Episcopo accipiente pro contumacia, excommunicatus est, si hac de re querelam instituerit apud Metropolitanum, id est, Archiepiscopum, an possit Archiepiscopus de hujusmodi querela cognoscere, et an possit declarare eum, qui ad se confugit, ipso jure absolutum esse sententia excommunicationis lata ab Episcopo suo, et an Archiepiscopus audire debeat Episcopum illum a se appellantem in hoc, ut absolutionem impediat ejus, quem ipse excommunicavit? Ad primum quidem respondet Innocentius, ea, quæ post appellationem innovata, vel attentata sunt, quia ita attingunt appellationem, itave pendent ex causa appellationis, vel denique ita sunt connexa appellationi, ut eorum cognitio divelli et secerni non possit a cognitione appellationis, sive quæstionis principalis. Officio solius Romani Pontificis, qui de appellatione cogniturus est, incumbere, ut de iis etiam judicet atque cognoscat, quæ post appellationem temere innovata sunt: nisi forte post appellationem interpositam, excommunicationem inque inflictam esse perquam notorium et evidens sit, puta, quod in comperto sit justissimam eum, qui appellavit ab Episcopo, habuisse appellandi causam. Quo casu Archiepiscopus potest declarare excommunicationem esse ipso jure nullam, quia in iis, quæ notoria sunt, ut loquuntur, nec rigor vel ordo juris observatur, nec probatio, vel accusatio necessaria est, *cap. 9. sup. cap. 3. inf. de eo, qui cognov. consang. uxor. cap. 2. inf. de consanguin. et affin. cap. tua, de cohabit. cleric. cap. 3. sup. de testib. cog. cap. 21. de jurejur. can. manifesta, et can. seq. 2. quæst. 1.* Et omnes loci sunt de iis, quæ notoria dicuntur, quibus simul junctis plerique hac de re in medium proferri possent. His additur in hoc cap. eo, qui injuste ab Episcopo suo excommunicatus, est, post appellationem interpositam ad Romanum Pontificem, non tantum de excommunicatione, sed etiam de injuria et iniquitate sui Episcopi admissa in causæ cognitione querelam instituente apud Archiepiscopum, sive Metropolitanum, posse Archiepiscopum etiam de toto negotio principali cognoscere, quia appellationi factæ ad Romanum Pontificem renuntiasse videtur, qui eadem de re questum ivit ad Archiepiscopum: nisi protestatus sit se eidem appellationi non renuntiare, alioqui renuntiasse præsumitur. Protestatio præsumptionem excludit.

AD CAP. *Dilectis.* LV.

In hoc cap. proponitur species hujusmodi. Altissiodorensis Episcopus presbyterum, sive rectorem Xenodochii Altissiodorensis, quod domum Dei vocat Gallico more, *l'Hostel Dieu*, cujus quidem Xenodochii ordinationem et dispositionem, ut ceterorum, quæ in eadem diœcesi sunt, certi juris est ad Episcopum pertinere, *cap. 3. inf. de relig. domib.* Presbyterum, inquam, Xenodochii illius Episcopus conjecit in vincula, et excommunicavit, ob bona quædam ejusdem Xenodochii, quæ is furtim subtraxerat, nec restituere volebat. Decanus autem ecclesiæ Altissiodorensis, cum diceret eum presbyterum suæ et Capituli, cui præest, jurisdictioni esse subjectum, desiderabat eum ab Episcopo ad se remitti puniendum, vel committi suæ fidei, quod vocat recredere illo loco, *vel saltem recrederet*. et paulo infra in antiqua Decretali, *eum recredidisset Decano Presbyterum*. Vox est in idiotismo nostro recepta. Unde et recredentia pro fiduciaria possessione, sive custodia, *que vous appellez Recreance*. Episcopus autem intellecto desiderio et allegatione Decani, ad Metropolitanum, id est, Archiepiscopum Senonensem appellavit, die condicto exequendæ appellationi, submittens se et suos subjectioni et patrocinio sive tuitioni Archiepiscopi: quæ vel sola submissio pro appellatione est, *cap. 34. sup.* Quo facto Decanus statim interdixit sacris ecclesiæ Altissiodorensis, ne qua scilicet in ea sacra fierent Episcopo illo præsente. Et cum dies venisset exequendæ appellationis, utraque pars judicio affuit, cui præerat Officialis Archiepiscopi Senonensis. Et Decanus quidem, ne de causa omni Officialis cognosceret, antequam presbyter carcere solveretur, appellavit ad Romanum Pontificem. Mox vero Officialis interdictionem Decani pronuntiavit esse nullam, recte, ut videtur prima specie, non secunda: quia interdictionem illam Decanus fecerat post appellationem Episcopi, cum post appellationem omnia in eodem statu esse, nec quicquam novi fieri oportebat. Et hæc est summa, et præcipua sententia hujus cap. secundum quam etiam in hoc cap. concluditur, non recte officialem interdictionem illam sustulisse post appellationem Decani ad Pontificem Romanum: quam quidem appellationem etiam ipse Officialis approbaverat et receperat, Decano concedendo apostolos, ut etiam vocantur in jure civili, id est, litteras vel libellos dimissorios ad Romanum Pontificem, quos idiotismus noster vocat *des postes*, in curia ecclesiastica scilicet. In curia enim seculari apostoli non sunt in usu. Et ex eo certo conjicere licet, unde cursoribus, aut veredariis vulgo idem inditum sit nomen, *qu'on appelle des postes*, quasi apostolos, nihil verius. Eadem vero ratione, qua interdictio facta post appellationem, et interdictionis abolitio facta similiter post appellationem improbatur. Id quoque, quod post appellationem Decani Episcopus fecit, quod nondum propositum erat, eundem scilicet Decanum excommunicandum, quod temere sacris interdixisset, quod sacra perturbasset: non probatur, quia per appellationem, quam decanus fecit ad Romanum Pontificem, non tantum principalis negotii, quod fuit de jurisdictione et exercitione in Xenodocum exercenda, sed etiam ceterorum omnium, quæ huic negotio accesserunt, veluti interdictionis sacrorum, et excommunicationis ab Episcopo promulgatæ in Decanum, cognitio ad Romanum Pontificem translata erat per appellationem, ut dixi. Quamobrem etiam in fine hujus cap. decernit nullam esse excommunicationem in Decanum post appellationem Decani ab Episcopo promulgatam, et ab Archiepiscopo Senonensi eandem quoque excommunicationem inutiliter fuisse confirmatam: et consequenter eos, qui usi sunt convictu et societate Decani, non incidisse in pœnam excommunicationis, in quam incidunt, qui scientes prudentesque excommunicato communicant, quasi contagione excommunicati ad eos pertinente, *c. cum desideres. inf. de sentent. excommun.* Scripta hæc constitutio est Episcopo, Cantori, et majori Archidiacono Trecensis ecclesiæ, sic legendum in inscriptione.

AD CAP. *Ut nostrum.* LVI.

Cum vacaret officium Cancellarii in ecclesia Mediolanensi, quod præcipue consistit in obsignandis litteris quæ Ecclesiæ illius auctoritate sive nomine Capituli conficiuntur: quo sensu Cancellarius Metensis ecclesiæ dicitur in *cap. 46. sup.* nec ullus est in hoc jure locus, qui apertius declaret, quod sit Cancellarii officium in ecclesiis, quam hoc cap. Cum igitur, ut cœpi dicere, in ecclesia Mediolanensi vacaret officium Cancellarii, et Archiepiscopus Mediolanensis in eodem officio alii conferendo cessasset per annum, et interim fructus sigillorum ipse scilicet percepisset. cum, inquam, cessasset per annum, ut constat ex *c. unico, inf. ut eccl. benef. si. dimin. confer.* quod cap. omnimodo cum isto conjungendum est, atque ideo juxta concilium Lateranense ex eo tempore potestas conferendi beneficii, aut officii ejus devoluta esset ad Romanum Pontificem, ut *cap. 3. sup. de suppl. negl. prælat.* Pontifex Romanus suo jure usus semel, et iterum mandavit Archiepiscopo Mediolanensi, ne de alio Cancellario creando quicquam decerneret, sibi enim rem curæ fore, et se denique ejus rei cognitionem, quasi sibi jure competentem ad se avocare. At nihilominus post mandatum Pontificis, Archiepiscopus alii munus illud contulit, traditis ei sigillis ejusdem ecclesiæ, *traditis bullis*, ut vocant, id est, sigillis sive iconiis. Nam et sigillum vocat iconium: *d'ou est le mot de coin.* εἰκὼν, est Græca vox imaginem significans,

quæ et sigillo impressa sit: enim imprimere solent iconem quandam. Id vero factum Archiepiscopi declarat Pontifex esse nullum, hac ratione, quia si quod fit post appellationem factam ad Romanum Pontificem, irritum et inane est, ut dictum est cap. superiori: et multo magis, quod fit postquam omne negotium Romanus Pontifex ad se avocavit, ut *cap. pen. sup. ut lit. pend. nihil innovet.*

AD CAP. *Oblatæ*. LVII.

Hoc capitulo nullum est in hoc titulo explicatu difficilius: et tamen nullum est, in quod interpretes pauciora scripserint; sunt in rebus facilibus multi, in difficilibus muti. Sententia hujus cap. hæc est. Qui sententia judicum delegatorum superatus erat si appellaverit ad Romanum Pontificem, qui eos judices dederat, ece appellationi persequendæ ipse, vel judices illum dixerint diem: servari oportet tempus lege definitum ad appellationem, persequendam, annum puta, vel ex justa causa biennium, ut sæpe proditum est in *cap. 5. 8. 44. 50. sup. ex Nov. Justin. 49.* At quæritur an interim postulatu ejus, contra quem appellatum est, recte alii judices dentur, qui de appellatione cognoscant: vel ut idem aliter exprimam, an possit is, contra quem appellatum est, anteferre tempus legitimum, et impetrare rescriptum a Romano Pontif. quo judices veri dentur, qui de appellatione cognoscant *anticiper comme l'on dit* in foro? Et respondet Pontifex, posse eum anteferre tempus legitimum, modo id non faciat nimium festinanter, veluti statim post appellationem ab adversario interpositam, nulla data appellatori respiratione, aut justa intercapedine temporis, qua se comparet ad appellationem exequendam. Quinimo definit in hoc cap. quod notandum, et superiorem judicem, ad quem appellatum est, etiamsi apud eum nondum lis contestata sit, nondum lis introducta, ex causa posse legitimum tempus anteferre, ut puta, si agatur de confirmatione electionis cujusdam Episcopi, ne scilicet diutius, quod maxime cavendum est, ecclesia sola maneat, et vidua sine pastore, quæ causa est justissima antevertendi judicii rebus omnibus, prætextusdique, *c. ult. §. Porro sup. ut lit. non contest. cap. 5. sup. de dol. et contum.* Ad hæc, si quæratur an et idem dici possit de appellatore, ut ei quoque liceat diem legitimum anteferre? dicam posse ex illo loco hujus cap. qui apertissimum est, ubi ait terminum legitimum posse restringi, et ab appellatore, sive procuratore, et a provocante, et a judice, a quo appellatum est. Ergo et a judice, ad quem appellatum est, ex causa, ut dixi paulo sup. et a judice, a quo appellatum est, *ut cap. 45. sup.* Rursus ad hæc notandum est, nos loqui de rescripto post appellationem impetrato in hoc, ut maturius de causa appellationis judicetur. Nam si nulla facta mentione appellationis interpositæ intra tempus exequendæ ejus legitimum ab adversario, aut a judice præstitutum aliquod rescriptum alterutra pars impetraverit, quod ad causam eam dirimendam pertineat, id quasi subreptitium nullius momenti esse censetur, *cap. 44. et 50. sup.* Unde et hoc quoque cap. evidens est loqui de variis rescriptis a partibus impetratis post appellationem, in hoc solum, ut appellatio facta ejus mentione, vel infirmetur: ut si qui in causa superior fuerit, qui causam tenuit, impetraverit rescriptum, quo certi judices dentur, qui de appellatione rei superati cognoscant: superatus autem iens postea, nulla facta mentione prioris rescripti, priorisque delegationis, sive mandati, et aliud ipse impetraverit rescriptum, quo alii judices in eandem rem dentur. Quo casu censet Pontifex prius rescriptum potius esse sequendum, quam posterius, quo prioris nulla facta mentio est, ut oportuit.

AD CAP. *Per tuas*. LVIII.

In hoc cap. definitur, post sententiam judicis, vel post publicatas apud eum, et lectas depositiones testium, si qua pars ab eo appellaverit ad Romanum Pontificem, posse eam causam apud posteriorem judicem, quem Pontifex delegaverit, agi μονομερῶς, sive κατὰ μόνο μέρος, ut loquuntur, id est, parte altera absente per contumaciam, *ut cap. prox. sup. l. ult. ad Senatuscons. Trebell. l. ult. §. Illud. C. de temp. appellat.* etiamsi lis, quod notandum, coram eo contestata nondum fuerit, si modo contestata fuit apud priorem judicem, a quo appellatum est, quia et hoc casu priori judicio causa potuit agi μονομερῶς, *l. ult. C. quom. et quand. jud.*

AD CAP. *Ut debitus*. LIX.

In hoc cap. definitur, ne cuiquam temere appellare liceat ante sententiam definitivam, nisi a gravamine, ut loquuntur, præsenti, præterito, vel futuro, ut dicitur in *cap. 9. eod. tit. collectione tertia*, et ut non audiatur, qui causam agere frustatur hoc prætextu, quod se libellum Principi, vel summo Pontifici (qui et ipse se Principem dicit ecclesiæ: imo, et Cardinales Principes ecclesiæ illustrissimos) quod se, inquam, libellum Principi, vel summo Pontifici dedisse dicat, et sacrum rescriptum exspectare quæ pars hujus cap. est ex *l. 4. ff. de appellat. recip.* Postremo additur, ut si justa et probabile fuerit appellationis causa, eam judici, a quo appellat, exponat, et probet apud alios; nam et, a quo appellat, vix æquum probaret, quod traditum est etiam in *cap. 41. sup.* Temere autem appellantem, id est, sine justa et probabili causa, ut remittat ad priorem judicem; qui nec appellatione hujusmodi judex esse desiit, quæ habetur pro infecta, et ut remittat eum temere appellantem damnatum alteri parti expensarum nomine. Et hoc est quod continetur in hoc

cap. Nec vero quem perturbet, quod in id pauca attulerim. Fateor Interpretes, et Scholiastas ipsum multa ex hujus tituli hic coarcinasse, sed quæ ego malui, ut debui, distinctim et separatim explicare.

AD CAP. *Cum cessante*. LX.

Docet te hoc cap. comminationem judicis auctoritatem rei judicatæ non habere, ut est constitutum in *tit. C. commun. epist. auctor. rei jud.* et ut Symmachus ait in epistolis, effectu et executione comminationes judicum vacare. Ex quo sequitur, quæ est sententia hujus cap. frustra etiam ab eis appellari, maxime, ut fit, si quod comminatus est judex, executus non fuerit, si non ut comminatus fuerat oneraverit eum, cui minas intentarat, quia cessante causa, puta cessante gravamine, cessat effectus appellationis. Unde sumpserunt illud vulgare verbum, et unde illam regulam, *cessante causa, cessat effectus*, de qua fuit Senator quidam adeo otio abundans et tempore, cujus impensa nulla est major, ut librum scripserit de illa vulgari regula, Cessante causa cessat effectus.

AD CAP. *Cum speciali*. LXI.

Ad hoc cap. notandum est, Concilium Lateranense, quod habitum est sub Innocentio III. improbare excommunicationem indictam nulla ante facta monitione congrua, et competenti testibus præsentibus, puta de repente excommunicato aliquo, nec ante admonito sui officii, *cap. 18. inf. de sentent. excommunic.* Quod cum hac constitutione hujus cap. conjungendum esse indicat, quod ait in fine, *duas constitutiones*, hanc enim intelligit, et illam. Idem concilium, si is, qui denunciatus et admonitus est, puta, ut resipisceret, statim a monitore suo appellaverit, vel si eum recusaverit, jubet causam appellationis, sive recusationis monitori, et judici ipsi protinus exponi per libellum, ut etiam dictum est *d. cap. 41. et 59.* Ac deinde probari arbitris sumptis ex consensu adversarii, vel judicis, si forte nullus existat adversarius, si nulla sit controversia: ex consensu, inquam judicis sui ultro admonentis; aut si in sumendis arbitris convenire non possit appellator scilicet, et adversarius ejus, vel judex, ut ipse quidem appellator unum arbitrum eligat, adversarius, vel judex alterum, ea lege, ut si hi duo arbitri dissentiant, tertium assumere possint, ut *l. item si unus. §. Si in duos. de recept. arb.* et apud hosce arbitros causa appellationis, vel recusationis reprobata, idem judex maneat inter eos, qui fuit ante: causa vero probata, ut is judex, qui recusatur, vel a quo appellatur, ex consensu partium negotium omne transmittat ad alium, quem elegerit, vel ex ordine juris ad judicem superiorem, præstituto tempore certo appellatori, intra quod persequatur appellationem: quod si præterlabi sinat illud tempus, ut sententia judicis, a quo appellavit, rata, vel jurisdictio integra maneat, *cap. 4. 5. 33. 44. sup. eod.* Eodem concilio cavetur, ut non recipiatur appellatio reorum, qui confessi, et ἐπ' αὐτοφώρῳ, sive ἐν ἔργῳ manifesto deprehensi, et oppressi sunt, ut *cap. 5. §. ult. cap. 13. et 14. sup.* Et hoc est, quod dicitur, in notoriis non admitti appellationem, appellationem non ad criminis manifesti defensionem, ed ad innocentiæ præsidium comparatam esse. Hoc quoque cavetur concilio eodem, vel ejusdem concilii parte ista, qua constat hoc cap. ut non recipiatur appellatio, vel recusatio monachorum, Abbato, vel Episcopo operam dante emendationi, et castigationi eorum secundum regulam, et institutionem Ordinis, ut *cap. 3. et 26. sup.* et ut necesse non sit in eorum correctione juris ordinem observare. Et hoc est, quod in hac parte Concilii continetur, quorum nihil est, quod non sit repetitum ex anterioribus constitutionibus. Sæpenumero Concilia, quæ habentur, habentur tantum in hoc, ut præteritæ constitutiones renoventur, sive restaurentur, aut inculcentur.

AD CAP. *Cum causam*. LXII.

Notandum est exceptionem dilatoriam, veluti exceptionem procuratoriam, vel exceptionem, sive rejectionem judicis, quasi suspecti, vel exceptionem fori esse opponendam ante litem contestatam, vel in ipso limine litis contestandæ, ut *cap. 20. sup. tit. prox. l. Exceptionem, C. de probat. l. pen. et ult. C. de except.* Item sciendum est, ante litem contestatam, quo genere judex suscipit cognitionem rei, qua de agitur, non posse etiam judicem procedere ad testium receptionem et examinationem, quia nondum suscepit hujus rei cognitionem, quod est constitutum proprio titulo *sup. ut lit. contest. non proced. ad test. prob. vel sentent. def.* Et his cognitis, animadvertendum est in specie hujus cap. quæ est satis difficilis, Lucium Titium, verbi gratia, qui petit sibi inducias, sive dilationem dari ad exceptiones dilatorias proponendas, quas se habere dicebat, id quidem petiisse ante litem contestatam, id tempori petiisse, id est, tempestive, sed advocatum ejus per errorem postea litem contestatam fuisse adversario suo petitionem suam in judicio proponenti, respondendo opposite ei præscriptione XL. annorum, quo spatio temporis dicebat Lucium Titium eam rem, de qua controversia erat, possedisse sine vitio, sine interpellatione. Quamobrem et judices delegati hac in causa, quasi lite contestata testes ab altera parte productos receperunt. Quod Lucius Titius contendit non jure factum esse, quia rite lis nondum contestata erat, quandoquidem per errorem advocatus responderat adversario suo, ac præterea ipse Lucius Titius eodem die advocati sui errorem revocaverat, nec debere igitur sibi advocati sui errorem officere, ut *l. ult. C. de error. advocat.* Ac si

quidem ita se res habeat, Pontifex, ad quem ex hac causa Lucius Titius appellaverat, pronuntiat litem non fuisse contestatam, ac consequenter testes non jure esse receptos ante litem contestatam. Notat et aliud vitium fuisse in receptione testium, quod eos testes recepissent judices subdelegati a judicibus subdelegatis, a primis judicibus in hac controversia delegatis a Romano Pontifice, eo quod primi quidem judices, qui dati sunt a Romano Pontifice, subdelegare alios potuerint, ut delegati a principe, *l. 5. C. de jud.* c. Judex vero datus non potest alium judicem dare, nisi datus sit a principe. Idemque extat in *cap. 27. sup. de offic. judic. deleg. cap. 7. eod. tit. in prima collectione.* Primi ergo judices, qui dati sunt a Principe ecclesiæ, subdelegare alios potuerunt, verum subdelegati ab iis non potuerunt alios subdelegare: et consequenter a posterioribus subdelegatis constat, testes quasi ab incongruis judicibus non potuisse recipi, atque nec primos judices, quos dederat Romanus Pontifex, debuisse testium receptionem coram subdelegatis subdelegatorum factam approbare, maxime post appellationem Lucii Titii. Quæ est sententia hujus cap. sane elegantissima, et notatu dignissima.

AD CAP. *Dilecto.* LXIII.

Romanus Pontifex quendam presbyterum fecerat Canonicum Salmaticensis ecclesiæ, sic vocanda est, et est in Hispania, mandaveratque Archidiacono Civitatensi, qui est etiam in Hispania, et aliis quibusdam, ut beneficientiam suam erga presbyterum exequerentur, puta, ut eum cooptarent in numerum Canonicorum Salmaticensium. Coram quibus quidem executoribus procuratores Episcopi, et Capituli Salmaticensis, nolentes presbyterum illum recipere, opposuerunt, eum factum Canonicum ultra numerum, supra quem jamdiu juraverant se neminem recepturos. Certus in ea ecclesia erat numerus Canonicorum, quem excedere non licebat Canonicis legitimis, quod etiam hi se non facturos jurejurando confirmaverant. De eo vero certo numero Canonicorum presbyter ille, cum a Romano Pontifice se in eorum numerum conscribi postularet, nullam mentionem fecerat, atque ita facile ab eo impetraverat beneficium illud, ut supernumerarius Canonicus esset, non tamen facta mentione numeri, ut dixi. Hanc autem exceptionem de certo numero Canonicorum, si executores non admitterent, procuratores Episcopi professi sunt se appellare ad Romanum Pontificem. Verum hac appellatione contempta executores in Episcopum, et Capitulum Salmaticense, quasi contumacem Episcopum, vel quasi ob contumaciam Capituli, cum tamen appellatio neminem unquam faciat contumacem, excommunicationis sententiam protulerunt, ut est in antiqua Decretali quintæ collectionis, quæ nondum edita est (hodie edita est) quam tamen Panormitanum legisse, casus, quem ponit in hoc cap. in quo facit ejus excommunicationis mentionem, satis infert. Eam vero excommunicationem esse ipso jure nullam, cum facta sit post appellationem, notissimi juris est, *cap. 54. sup. et aliis plerisque locis.* Et justam quoque esse appellationis Episcopi, et Capituli causam Pontifex declarat in hoc cap. si constiterit eam fuisse interpositam ob non admissam ab executoribus supradictam exceptionem, vel quam aliam exceptionem legitimam. Dices, an ergo ab executoribus appellari potest, contra quam definitur in *c. 43. sup.* et in *l. Ab executore. C. eod.* Dicam posse appellari, si modum executionis excedant, ut *cap. 15. sup. l. prox.* quod et ii fecerunt, qui capituli, et Episcopi exceptionem debuerunt remittere ad Romanum Pontificem, non rejicere, ut *cap. 15. sup. l. prox.*

AD CAP. *Nicolao.* LXIV.

Hoc cap. pertinet ad Scotiæ regnum: nam in inscriptione legendum est, Canonico Dumquelensi, quæ civitas est in Scotia, et in diœcesi Candidæcasæ, ut indicat antiqua Decretalis. Porro in hoc cap. ostenditur, eo, qui appellaverat ad Romanum Pontificem, cessante nec persequente appellationem per se, vel per procuratorem idoneum, eo vero, contra quem appellatum erat, veniente ad diem condictum, et per se agente causam appellationis priusquam de ea disceptetur μονομερῶς, ut fieri solet, appellatorem, tanquam contumacem ei esse damnandum, ut exsarciat et reddat impensas legitimas omniaque alia dispendia, quæ fecit a tempore appellationis interpositæ. Et idoneum procuratorem esse eum cui tota ea causa agenda vel defendenda commissa est, non eum, qui procurator tantum constitutus est ad impetrandum, vel ad contradicendum: qui potius est procurator ad negotium gerendum, quam agendum, ad impetrandum scilicet rescriptum aliquod a Romano Pontifice, et contradicendum iis qui aliquid in contrarium impetrare tentarent. Quod servatur etiam eo solo cessante, contra quem appellatum est, qui utique cessare videtur, etiamsi miserit procuratorem ad impetrandum tantum et contradicendum, *cap. veniens, sup. de renunt. cap. 1. de appellat. lib. 6.* At sciendum est huic constitutioni ita locum esse, si ut species etiam hoc loco ponenda est, appellatio fuerit recepta a judice, vel approbata ab adversario, quia hoc casu ad eam persequendam procuratore idoneo opus est, nec sufficit procurator specialis ad impetrandum, et contradicendum. At si nec recepta a judice, nec approbata ab adversario appellatio fuerit, satis idoneus censetur esse procurator ad eam appellationem persequendam, qui tantummodo constitutus est ad impetrandum, et contradicendum, *cap. 70. §. 1. inf.* Quod maxime notandum est. Contigit mihi aliquando interrogare Doctorem juris Canonici, quis diceretur procurator ad impetrandum et contradicendum, ille obmutuit non meminens hujus *cap.* et *cap. 70. inf.*

AD CAP. *Sua nobis.* LXV.

Ex hoc cap. intelligimus, trino judicio superatum non posse amplius appellare, quod est ex *l. Unica. C. ne lic. in una eademque caus. tert. provoc.* Quod si damnatus ab ordinario judice, velut ab Episcopo suo, appellaverit ad Romanum Pontificem, et datis a Romano Pontifice judicibus, qui de appellatione cognoscerent, ab iis quoque damnatus sit, confirmata sententia judicis ordinarii, ac rursus ab iis appellaverit ad eundem Pontificem, et acceperit ab eo alios judices, qui de appellatione cognoscerent, si ab eis quoque damnatus fuerit, non licebit ei tertio appellare. Atque adeo si forte a Romano Pontifice impetraverit per obreptionem, vel alio modo, ut sibi tertium dentur alii judices: nihil datio eorum judicum valebit. Denique bis tantum licet appellare. Verum non solum a diversis judicibus, ab uno semel, et ab altero iterum, sed etiam ab uno eodemque judice in una eademque causa, in uno eodemque articulo litis, ut *cap. 39. sup.*

AD CAP. *Dilecti.* LXVI.

Ex hoc cap. notandum est, a judice, quem dedit Episcopus, appellandum esse ad ipsum Episcopum, qui judicem dedit, non omisso Episcopo ad Metropolitanum. Et ideo, quæ est species hujus cap. eum, qui a judice, quem dederat Episcopus Lemovicensis, præterito Episcopo appellavit ad Archiepiscopum Bituricensem, non jure appellasse. Ad Romanum Pontificem prætermissis mediis judicibus forsitan jure appellasset, ut *cap. sup.* Quod tamen interpretes non admittunt extra territorium Romanæ ecclesiæ. Cæterum ad Metropolitanum præterito Episcopo non jure appellasse. Quam exceptionem apud Officialem Metropolitani oppositam, quæ est sane legitima, si officialis non admiserit, merito ait appellari ab eo posse ad Romanum Pontificem et quicquid in ea causa post appellationem gessit Officialis Archiepiscopi Bituricensis irritum et inane esse: ut si, quod est in antiquo decretali, interdicti, vel suspensionis in appellatorem sententiam tulerit. Neque vero huic cap. obstat, quod refertur in *cap. referente, inf. de præbend.* et *cap. pen. inf. de novi oper. nunt.* omisso Episcopo appellari ad Archiepiscopum, quia id refertur tantum, cum usu ita evenisset, ut loquitur *l. Si pignore. § pen. et ult. de pignor. act.* nec ullus opposuisset supra dictam exceptionem, non etiam probatur. Et sic, quod ex facto refertur in *cap. 18. sup. l. prox.* a judicibus datis ab Archiepiscopo, alios vice sua judices subdelegatos, quod iis tantum licet, qui dati sunt a Principe vel Summo Pontifice, ut dictum est *cap. 62.* ex eo, inquam, non dicimus, et id jure quoque factum videri, quia non omnia, quæ in constitutionibus referuntur esse facta, justa et legitime facta sunt, nisi id expressum sit aperte.

AD CAP. *Ex parte.* LXVII.

Alia in hoc cap. proponitur species superiori similis, in qua scilicet merito appellatur a judice, qui rei exceptionem legitimam non admisit, ut puta, hæc est species hujus cap. si matre agente rei vindicatione in aliquem filiorum suorum impuberum nomine, reus excipiat hoc modo: si non filiorum tuorum tutrix esse desiisti transeundo ad secundas nuptias. Quam exceptionem esse legitimam constat *ex l. 2. C. quand. mul. tut. offic. fun. poss.*

AD CAP. *Intimasti.* LXVIII.

Ex legibus etiam est, quod habetur de relationibus in hoc cap. judicem, qui promittit litigatoribus se relaturum ea de re, qua de agitur inter eos, quod sibi nimium dubia videatur, ad Principem, vel Summum Pontificem debere litigatoribus apud acta edere exemplum relationis et consultationis suæ, ut ei si velint adjungant refutationes suas, sive preces refutatorias, ut vocant, *l. ult. quand. appell. sit. l. pen. de appel. recip. l. 1. et 2. C. de relation.*

AD CAP. *Significante.* LXIX.

Magdunum est oppidum in Senonibus, quod Melodunum Cæsari, *que vous appellez Melun.* Magduni est certum Collegium Canonicorum, qui cum hoc juris se dicerent in eo oppido habere, ut in suis tantum stationibus mensisve lanionis lanii, quos hic barbare carnifices vocat, carnes venditarent certa sibi mercede præstita, qu'on *diroit en François, qui pretendoient, que leurs boucheries estoient bannieres, et que les bouchers ne pouvoient vendre ailleurs leur chair que là.* Unde plerique sumunt exemplum, qui furnum habent, sive fornacem ejusdem conditionis, sive moletrinam, *au moulin bannier*, imo et equum bannissarium. Cum vero hoc intenderent Canonici, et contradiceret Episcopus Aurelianensis, qui et jura quædam in eo oppido, et lanieria habuit; sumptis judicibus ex consensu utriusque partis, et die præstituto ad litigandum, ad litem contestandam coram eis judicibus, ante diem, et ante litem contestatam Episcopus Aurelianensis carnes Meloduni in aliis, quam Capituli officinis divendi fecit. Qua de re querela a Canonicis perlata ad judices illos ante diem desiderantibus in pristinum statum omnia restitui clusis officinis Episcopi: contra Episcopo asserente rectissime, non posse judices illos ante diem constitutum ex consensu utriusque partis, et ante litem contestatam ea de re cognoscere, quia nondum erant ju-

dices. Non est judex, qui nondum suscepit cognitionem, quam utique non suscepit antequam sit lis apud eum contestata, quia eum recusare integrum est ante litem contestatam. Nec igitur ante diem omnino judex est. Et hoc quidem allegante apud eos judices Episcopo, nec auscultantibus judicibus, merito dicitur Episcopus in hoc cap. ab eis appellasse ad Romanum Pontificem, quasi non admissa exceptione legitima, quam sæpissime dictum est esse justissimam appellandi causam: ac præterea Episcopum appellationem persequi posse etiam post annum lege præstitutum exequendæ appellationi, *Novel.* 49. *et cap.* 5. *sup.* quia quantum in eo fuit, ut hic ponitur, intra annum appellationem persecutus est, quatenus intra annum misit procuratorem idoneum, qui eam exequeretur, qui tamen contra mandatum Episcopi in negotio versatus est, petendo sibi judices dari, qui suspecti erant Episcopo domino suo. Igitur merito Episcopus post annum admittitur ad persequendam appellationem, cujus executio, ut eadem Novella cavetur, ex justa causa, qualis fuit in hac specie, proferri potest in alterum annum.

AD CAP. *Interposita.* LXX.

Erravi audiutertius in cap. 69. Magduonm accipiendo pro Meloduno. Tria sunt ejus nominis oppida in Gallia: Magduoum, quod situm est ad Ligerim prope Gennabum Aurelianorum, quod vulgo dicitur, *Meun sur Loire*, de quo agitur in cap. 69. Aliud est Magdunum in hac Provincia, *qui s' appelle Meun sur Leure.* Aliud Magdunum in agro Turonensi, *qui s' appelle Meun sur Indre.* Magdunum autem dicitur quasi Metildis Dunum, quæ fuit uxor Roberti Ducis, *du Duc d' Arthois*, cujus mulieris sepultura etiam visitur hodie in Magduno hujus Provinciæ. Dunum autem est oppidum vetere lingua Gallica, ut Occelodunum, Noviodunum, et innumera similia. Ad rem. Certum est, eum, qui appellat, causam appellationis reddere debere, vel ei, a quo, vel ei, ad quem appellat, non tantum si appellet a sententia interlocutoria, sed etiam si appellet a sententia definitiva, *il faut qu' il propose ses griefs*, l. 4. §. *ult. eod. t.* et *t. un. per sl. caus. appell. red. pos.* et *l.* 6. *C. de his, quibus ut indig.* et *Pauli lib.* 5. *Sentent.* *t. in hanc rem specialis, de reddendis causis appellationum:* quæ causæ etiam merita dicuntur, merita appellationum. Idem ostenditur in *cap.* 46 et 59. et *cap.* 61. §. *Porro*, *sup.* et *cap.* 10. *eod. t. in* 6. At quæritur, an causam appellationis etiam probari oporteat huic, vel illi judici? Certe ex initio hujus cap. non male colligitur probari causam appellationis debere judici, a quo appellatur, quod jus plerisque novum esse videtur, quasi aliud obtinuerit olim, ut et in superioribus memini me docuisse, non tantum probari probabilem eam causam esse, sed etiam veram. Qui tamen judex, a quo appellatur, si appellationem non recipiat, atque adeo, nec oblatas probationes causæ appellationis apud se in medium prolatas recipere velit: constituitur, ut ex sola causa appellationis, quæ non ideo minus valet, quod ipse eam non receperit, pro justa habeatur et legitima, nec necesse sit de ea appellantem docere aliquid judicem, ad quem appellavit. Igitur ex diverso, si judex appellationem facile receperit et admiserit, tum demum dicam causam appellationis esse probandam judici ad quem appellavit, *cap.* 61. §. *ult. sup.* Et hæc de appellatione. Nam quod de probanda causa apud arbitros assumptos ex consensu partium est in *cap.* 41. et 61. §. 1. *sup.* et *cap.* 2. *eod. t. in* 6. et *cap. Licet, in fine, de for. compet.* id proprie de recusatione est judicis, non de appellatione. Quod sequitur in §. 1. hujus cap. id jam exposui in *cap.* 64. Illud tantum observandum, verba illa §. 1. *etiam quoque permittitur si non recipiatur appellatio, etc.* aut illud quoque satis indicare, et initium hujus cap. accipi debere de eo, cujus appellatio non recipitur, cui satis est obtulisse judici, a quo appellat, probationes causæ appellationis, quam allegavit, vel si et has probationes judex non receperit, ut justas præsumatur habuisse appellandi causas, nec alias hujus rei probationes adferre opus sit apud judicem appellationis. Post hæc in §. *Ille denique*, ostenditur, eum, qui appellavit, ante susceptam, vel delegatam cognitionem ab eo, ad quem appellavit, audiendum esse etiam invito et renitente adversario, si mutato consilio renuntiaverit appellationi, et postulaverit se remitti ad judicem, a quo appellavit. De qua re dictum est satis in *cap.* 35. et 39. *sup.* si modo quod omnino requiritur, adversario reddat sumptus legitimos, quos dum eum sequitur in aliud forum, impendit. Additur in §. *ult.* eo, contra quem appellatum est, non veniente ad diem condictum, et absente per contumaciam, si is, qui appellavit paratus sit probare causam appellationis, et agere, audiendum eum esse etiam adversario absente. Denique causam recte peragi μονομερῶς coram judice ad quem appellatum est, etiamsi lis coram eo contestata non sit. Quod et ante sæpe traditum est, et maxime in *cap.* 58. Et nota quod sit in fine hujus cap. ubi agitur principaliter de corrigenda iniquitate judicis, non esse servandum ordinem strictum, sive rigorem juris.

AD CAP. *Inquisitioni.* LXXI.

Hoc cap. est de clausula, remota appellatione, quæ apponitur in rescripto aliquo Romani Pontificis, non extremo loco, ut fit plerumque, sed medio, utrum referenda ea clausula sit, quæ in medio, posita est, ad species eas tantum, quæ præcedunt, an etiam ad species, quæ sequuntur. Et sit eam clausulam referri tantum ad præcedentia, si species, de quibus rescriptum conditum est, quæ præcedunt illam clausulam, aptæ inter se et connexæ non sint. Si, inquam omnes species, quæ præcedunt, quæque sequuntur (addendum hoc est) aptæ inter se et connexæ non sint. Alioquin ea clausula pertinet ad omnes, quod memini me docere etiam *sup. cap.* 31. In extremo certe rescripti apposita ea clausula refertur ad omnes species exemplo stipulationis ultimo loco subjectæ post plures conventiones. *l. Titia.* §. *ult. de verbor. obligat.* De effectu hujus clausulæ vide *sup. cap.* 33.

AD CAP. *Una sententia.* Pen.

Hoc cap. est ex *l. Si qui separatim*, §. *ult. eod. t.* et *l.* 1. *et* 2. *C. si un. ex plur. appella.* ut si ex pluribus reis priore judicio damnatis, in una eademque causa negotioque communi unus appellaverit, victoria ejus proficiat cæteris, qui non appellaverunt, videlicet si infirmata prioris judicis condemnatio fuerit. Quod tamen aliquando Senatum Parisiensem improbasse Papo refert, cui tamen non nisi intra modum est adhibenda fides. Nam et expers est omnino juris nostri, et mendax, aut falsus sæpe numero in Senatusconsultis referendis: nec aberravorim, si dixerim perniciosissimum ejus esse librum, quo collegit Senatusconsulta summi Senatus, quod ex hoc plerique libro sumant ansam litigandi. Lucius quæ collegit Senatusconsulta veriora, et certiora sunt.

AD CAP. *Si justus.* Ult.

Hujus cap. fons et origo est *l.* 7. *eod.* et *l.* 2. *C. de his qui propter met. judic. non appella.* ut qui justo metu, aut vi majore perterritus non appellat, hic intra dies, quibus appellare licet, id est, intra decem dies publice contestetur, expressis causis appellationis, et ea contestatio pro appellatione cedet. Contestatio pro petitione, et litis contestatione est, *l.* 2. *de naut. fœn.* atque adeo etiam pro interruptione præscriptionis, *l.* 2. *C. de annal. except.* Non mirum igitur si et pro appellatione in hac causa.

AD TITULUM XXIX.

De Clericis peregrinantibus.

AD CAP. *Conquerente.* Unic.

In hoc titulo est una tantum constitutio, eaque facillima. Vicinitas tituli superioris suadet, ut et constitutio hujus tituli accipiatur de clericis Romam profectis aut proficiscentibus appellationis exequendæ causa, ut bona eorum, quæ in patria reliquerunt, ipso jure, etiamsi tuitionem ipsi nullam petierint a Romano Pontifice, constituantur interim, et sint sub tuitione et protectione Romani Pontificis, ne invadantur aut diripiantur. Formulam petitæ tuitionis invenies apud Cassiodorum 7. Varior. *qu'on appelle Sauvegard*

AD TITULUM XXX.

De Confirmatione utili vel inutili.

AD CAP. *Si quis.* I. et CAP. *De confirmationibus.* II.

Titulus ultimus hujus libri secundi est de confirmatione utili vel inutili. Confirmatio sententiæ prioris judicis, quam posterior judex, ad quem appellatum est, connumquam facit, ut titulo de appellationibus hic subjiceretur titulus, fecit, qui tamen est generalis de confirmatione utili vel inutili, in quo et de sententiæ confirmatione, *cap.* 3. et 7. Alia vero capitula sunt, vel de confirmatione possessionis, vel confirmatione privilegiorum, officiorumve, aut transactionum. De confirmatione possessionis in cap. 1. hæc distinctio proponitur: aut res quam quis possidet, controversa est litigiosa est, aut non. Si litigiosa est, id est, si de ea inter aliquos lis contestata est in judicio, et alterutram partem Romanus Pontifex confirmaverit in possessione ejus rei pendente lite, ea confirmatio inefficax est et inutilis, juxta titulum *ut pendente lite nihil innovetur.* Si litigiosa non est, confirmatio Romani Pontificis efficax et utilis est: hoc enim præstat, ut non possit ea de re judicari et moveri controversia inconsulto Pontifice, videlicet si ea confirmatio subreptitia, rescriptumve confirmationis subreptitium non fuerit, ut *cap.* 2. hoc tit. quod conjungendum est cum *cap.* 11. *inf. de accusat.*

AD CAP. *Bonæ.* III.

De Confirmatione sententiæ est cap. 3. quam confirmationem sententiæ, qui causam obtinuerat per obreptionem, impetraverat a Romano Pontifice, nulla facta mentione appellationis ab adversario interpositæ antequam adversarius quem vicerat, de eadem sententia infirmanda rescriptum ab eodem Pontifice impetrasset, datis scilicet judicibus, qui causa cognita sententiam infirmarent. Quo casu Pontifex decrevit posterius rescriptum, quod adversarius impetravit, potius esse sequendum, aliter quam in specie *cap. 57. sup. de appellat.* in qua prius rescriptum potentius esse dicitur, eadem ratione quia posterius ab adversario per obreptionem impetratum erat, ut *cap 2. sup. de dol. et contum.* At in specie hujus cap. posterius rescriptum, quod impetravit is, qui victus erat, et appellaverat, de infirmanda sententia prioris judicii, potentius est priore, quod obreptitium est, quia qui id impetravit dolo malo, reticuit adversarium interposuisse appellationem. Et hoc ita maxime procedit, si in posteriori rescripto specialiter adjecta sit clausula derogatoria non obstante rescripto confirmationis, non etiam si generaliter et defunctorie his verbis usus sit: nullis aliis rescriptis veritati et justitiæ præjudicantibus, vel aliis verbis sensus ejusdem, quo casu nihilominus constituerit de iniquitate sententiæ, priori rescripto standum esse ait: et hæc est sententia cap. 3.

AD CAP. *Cum dilecta.* IV.

De confirmatione et renovatione privilegiorum est hoc *cap.* 4. Vetustate senescentibus litteris privilegiorum monasterii cujusdam puellarum diœceseos Hildeshemensis in Saxonia, cum ea privilegia renovari puellæ, et quæ eis præerat domina postularent, quibus scilicet hoc monasterium eximebatur ditione et potestate Episcopi Hildeshemensis, cum tamen jure communi omnia monasteria in episcopi potestate sint, cujus in diœcesi sita sunt, *can. monasteria* 4. 18. *quæst.* 2 et Episcopus iis contenderet monasterium illud esse subjectum ecclesiæ suæ, juxta jus commune, et allegaret hujus juris ecclesiam suam in quasi possessione fuisse, amplius quam centum annorum spatio sine interpellatione vel interruptione ulla, in possessione libera et continua, et in eam rem judices dedisset Romanus Pontifex, ab iis certis ex causis Episcopus appellavit ad Romanum Pontificem. Pontifex vero motus exemplo testium, quibus veritas patefieri potest, quos constat etiam ante litem contestatam audiri et recipi posse, si senio confecti aut valetudinarii sint, ac proinde periculum sit, ne interim homines esse desinant, *cap. ult. sup. ut lit. non contest. capit.* 34. 41. *sup. de testib. l. In lege. ad legem Aquil. l. Quidam, de furt. l. 3. §. Quæ. de Carbon. edic.* Ex quibus locis intelligitur verum esse, quod ait in hoc capit. *jure civili statutum esse, ut quando periculum testium formidatur*, etc. Et eodem, inquam, exemplo Pontifex instrumenta privilegiorum, quæ jam sentiebant situm et seriem, ne obsolescerent, renovari, id est, recentari, sive denuo in litteras referri et obsignari permittit, non quidem eo animo, ut ipsemet testator, ut jus novum tribuat, sed ut antiquum si quod sit monasterio conservet. Hujus controversiæ cognitionem delegavit Decano Pedeburgensi, sic legendum est in inscriptione quæ diœcesis etiam est in Saxonia, ita ut si potiorem esse cognoverit causam Episcopi Hildeshemensis, privilegia quæ interim Pontifex renovari permisit, aboleri jubeat. Cum vero id monasterium recta ad jus et proprietatem Romanæ ecclesiæ sanctimoniales illæ dicerent pertinere nullo medio, ut loquuntur, *c. 2. de in integr. rest.* Liber fiscalis in recensitione Ordinum mendose. *Ordo Camaldulensis ad Romanam ecclesiam nullo modo pertinens.* Et inf. *Privilegia monasterii conventus de Sancta Pegu, sive de Sampingham in Anglia ad Romanam ecclesiam nullo modo pertinentis.* Et inf. *Abbas et Conventus monasterii S. Spiritus ad Romanam ecclesiam nullo modo pertinent.* Semper *nullo modo*, quod mendosissimum est, et tamen Rebuffus non admodum callidus vir eam omnem mendam sequitur, cum sit legendum, *nullo medio*, id est, immediate, ut loquuntur etiam. Cum igitur moniales illæ, sive nonnæ dicerent monasterium suum ad Romanam ecclesiam pertinere, ob id Pontifex Romanus dominam monasterii, sive Abbatissam supradictam ad defendendum Romanæ ecclesiæ jus, et agendum denique tam suo, quam Romanæ ecclesiæ nomine procuratricem facit. Mulier procuratrix, vel defenstrix, quo verbo usus est Cicero, in judicio esse non potest in rem alienam, ut *l. 2. de regul. jur. l. 4. C. de procurat.* Hoc est generaliter verum. Abbatissa potest, maxime in rem Summi Pontificis, aut in rem sibi communem cum Summo Pontifice. Et similiter mulier non potest regulariter judex esse ex arbitrio, vel compromisso: et illustrissima domina potest, ut docet Obser. 13. cap. 23. Nec omittam, quod obiter ait in hoc capit. cum de jure, quod Romanæ ecclesiæ in eo monasterio dicebatur competere, agitur, annis centum annorum præscriptione possessiones et jura Romanæ ecclesiæ perimi posse, ut *cap.* 13. et 14. et 17. *in fine, sup. de præscript. cap. 2. eod. l. in fi. can. ult.* 16. *q.* 4. Et hæc quidem sufficiunt ad hoc capit. 4. Verum illa non inutiliter adjecero de confirmationibus privilegiorum et officiorum, quæ a novo Rege aut Principe peti aut concedi solent, vetustissimum hunc morem esse, et ex instituto Tiberii, auctore Svetonio in Tito Vespasiano cap. 8. *Cum*, inquit, *instituto Tiberii omnes de hinc Cæsares beneficia a superioribus concessa Principibus aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent; primus præterita omnia confirmavit uno edicto, nec a se peti passus est.* Aurelius Victor in eodem Tito. *Cum donata concessave a principib. prior.bus firmare insequentes solerent, simul ut imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte cavit prospexitque.* Dio in eodem Tito καὶ γὰρ γράμματα ἐξέθηκε βεβαιῶν πάντα τὰ ὑπὸ τῶν προτέρων αὐτοκρατόρων βεβαιωθέντα τισίν, ὥστε μὴ καθ' ἑκάστους σφᾶς αἰτοῦντας αὐτῶν πράγματα ἔχειν, id est, *Edictum proposuit, quo firmavit omnia beneficia, quæ a prioribus principibus, firmata erant, ut ne singuli ea petere a Principibus cogerentur.* Huic vero Titi edicto exstat simile Nervæ imperatoris apud Plinium 10. Epistolarum cum eleganti obtestatione ejusmodi: *Nolo existimet quisquam, quod alio Principe vel privatim vel publice consequutus est, ideo saltem a me rescindi, ut mihi potius debeat, si illa rata et certa fecero, nec gratulatio ullius instauratis egeat precibus.* Quin etiam in legibus nostris extat memoria moris hujus, quod interpretes non animadvertunt, *l. 6. de excus. tut. illo loco*, est enim Modestini Græca lex, τούτοις ἅπασιν ὁ θειότατος πατήρ μου παρελθὼν εὐθὺς ἐπὶ τὴν ἀρχήν, διατάγματι τὰς ὑπαρχούσας τιμὰς καὶ ἀτελείας ἐβεβαίωσεν. *Princeps*, inquit, *omnibus iis* (puta Philosophis, Rhetoribus, Medicis, Grammaticis) *statim atque iniit principatum*, id est, tutelam humani generis; hæc est enim propria definitio Principatus, *sua privilegia et immunitates confirmavit.* Qui mos et in hoc regno Franciæ perquam religiose servatur.

AD CAP. *Ad nostram.* V. *et* CAP. *Porrecta.* VI.

Cap. 5. et 6. una eademque sententia est. Qui in ecclesiis Episcopalibus, vel aliis non Episcopalibus sunt Canonici, hi plerique erant olim, et quidam hodie quoque sunt regulares, puta monachi obstricti certis votis, certæque disciplinæ. Canonici non regulares iisdem non sunt obstricti votis. Et in Canonicorum quidem regularium nullus qui præesse eis constituebatur abbas, sed Prior, ut in ecclesia Cantuariensi Prior, qui eis præesset post Archiepiscopum, *cap. 52. sup. de appellat.* Constituebantur et alii plerique officiales rerum et negotiorum Ecclesiæ administrandorum causa, verum ad tempus, non in perpetuum. Quinimo si forte, qui in eo officio ad tempus constituti sunt, confirmarentur in eo a Romano Pontifice, ut eo officio nimirum quamdiu viverent perfungerentur, per obreptionem, impetratis litteris, eo scilicet suppresso, quod regulares essent, hujusmodi confirmationes quasi subreptitias in hoc cap. 5. et 6. definiuntur esse inutiles et inanes. Plus dicit in cap. 6. quod scriptum est abbati Immolensi, sic restituenda est inscriptio, inutiles quoque esse confirmationes esse quasi falsas, etsi non suppresserint se esse regulares: quia non consuevit Romanus Pontifex in fraudem ecclesiarum, quas dilapidant sæpenumero, qui non sunt perpetui administratores, eos facere perpetuos. Itaque litteræ præsumuntur esse falsæ.

AD CAP. *Examinata.* VII.

In cap. 7. agitur de confirmatione sententiæ judicis compromissarii. Quæ quidem confirmatio dicitur esse inutilis si sententia ista fuerit contra formam juris compromissi, et maxime si confirmatio non fuerit pura, sed sub hac clausula concepta, quæ clausula vulgaris est cap. 8. seq. sub hac, inquam, clausula, *sicut sententia provide lata est, et ab utraque parte recepta confirmamus et probamus.* Quæ quidem formola plerumque conditionem facit, ut notat Joannes hoc loco, et cap. seq. Speciem vero hujus cap. memini me exponere ad *cap. 45. sup. de judic.* Quod cum isto omnino conjungendum est.

AD CAP. *Venerabilis.* Pen.

Cap. penult. est de confirmatione transactionis de lite quadam incerta decimarum, et possessionum quarumdam nomine facta inter Episcopum Cypri ac Regem et nobiles ejusdem insulæ, interveniente legato Romani Pontificis, ea tamen lege, ut et a Romano Pontifice ea transactio confirmaretur, et post confirmationem Romani Pontificis statim utraque pars eam transactionem exequeretur et adimpleret. Quod tamen secuta confirmatione Romani Pontificis, cum Rex et nobiles Cypri fieri non paterentur, cum pro sua parte non exequerentur transactionem, rationibus quibusdam nixi infirmioribus, et ineptis, vel frivolis, ut ipse Pontifex ait, jubet Pontifex transactioni omnimodo acquiescere, eam adimplere, et omnino admittere. Ineptæ illæ rationes, quibus nitebantur, hæ erant, quod in confirmatione Romani Pontificis, cui erat insertus transactionis tenor, quod notandum, verbum *Confirmamus*, præcederet tenorem transactionis hoc modo: *Confirmamus transactionem inter illos et illos habitam, cujus tenor sequitur.* Quæ ratio plane inepta est, cum hic sit stilus curiæ Romanæ, nimirum ut confirmatio præcedat, tenor sequatur, vel exemplum instrumenti, quod confirmatur: quod si stilus non fuisset observatus, merito confirmatio falsi coargui potuisset, *c. 6. in fin. infra de crim. falsi.* Stilus consistit in verbis, quibus uti consuevit, verbis, inquam, conceptis curia Romana, a quo stilariorum præmium stili apud Senecam epistola 97. ubi tamen perperam vulgo *Salarii*, pro *Stilarii*, quod novi concinnatores Senecæ non animadverterunt. Fuit autem hæc altera ratio eorundem, quod non fuerit confirmatio simplex et pura, ut oportet, nimirum

quia ei inserta erat hæc clausula vulgaris, de qua jam dictum est cap. superiori, sicut sine pravitate provide facta transactio est. Hæc etiam ratio improbatur: quia illa clausula non apponitur confirmationi transactionis, quæ in manus et sub oculos Pontificis venit, quæque confirmationi ipsi subjicitur: sane tunc conditionem non facit, sed causam exprimit confirmationis, ac si diceret, quia sine pravitate provide facta transactio est, quam scilicet nos inspeximus, et inseri confirmationi jussimus. Et breviter, ut Doctorum verbis utar, aut confirmatio fit ex certa scientia Pontificis, et tunc illa clausula pro causa habetur, aut fit in forma communi, et tunc habetur pro conditione, ut *cap. prox. sup.*

AD CAP. *Sua nobis*. Ult.

Cap. ultim. scriptum est universis Abbatibus, et Prælatis, ac conventibus, et clericis in Constantinopolitana et Chalcedonensi diœcesi constitutis. Scilicet Patriarchæ Constantinopolitano obtemperare nolebant, quasi exempti, solutique ditione, et potestate ejus, eo quod Rom. Pontificis legatus quibusdam ecclesiis et clericis monasteria sua contulisset, id est, monasteriorum suorum, in quibus constituti erant, correctionem, et administrationem eis permisisset, eamque collationem, Rom. Pontifex confirmasset. Quod argumentum declarat Pontifex non esse idoneum ad probandam exemptionem, ut *cap. 2. inf. de relig. domib.* nec enim hujusmodi collatione derogatum videri juri debito diœcesanis Archiepiscopis vel Episcopis, speciali derogatione opus esse, speciali exemptione, *cap. 15. sup de offic. jud. deleg. cap. dudum, in fine, inf. de decim. cap.* 15. et 18. *sup. de præscript. c.* 4 *de privileg. lib.* 6. Ad hæc postremo monendi satis, quod pauci animadvertunt, ubi Pontifices Romani mentionem faciunt Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi Constantinopolitani, ut in hoc *cap.* et in *cap. inter sup. de major. et obed. et cap. quanto, sup. de consuetud.* de eo tantum Patriarcha, vel Archiepiscopo Pontifices loqui, et sentire, qui eo tempore fuit, quo Franci tenuerunt Constantinopolim fugatis Imperatoribus Græcis, quam utique tenuerunt per annos LVIII Rom. Pontificem tanquam Optimum Maximum Pontificem agnoscentes, a quo Græci semper alieniores fuerunt. Et hic est finis libri secundi Decretalium, non finis totius, quod instituti operis. Mihi est in animo reliquos libros primum, tertium, quartum, et quintum interpretari, non quidem actutum ad rem aggrediundo, sed ubi majores progressus fecero in ff. Juliani, quæ mihi tantum hactenus licuit perducere usque ad librum XXXII. a quo incipiam die perendino. Et hunc finem dedit Deus cui soli sit laus et gloria.

JACOBI CUJACII J. C.

AD LIBRUM TERTIUM

DECRETALIUM

RECITATIONES SOLEMNES

AD TITULUM I. DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM

AD CAP. *Ut laici*. I.

Primus titulus, quoniam est de Vita et honestate clericorum, præfabor aliquid de hac appellatione clericorum. Clericorum nomen, quod commune est omnium Christianorum, usus et auctoritas Ecclesiæ proprium fecit eorum, ut est in *l. 2. C. Theod. de episc. et cleric.* qui divino cultui ministeria religionis impendunt, qui Ecclesiastici ministerii gradibus coordinati, sunt, ut Augustinus ait in *Ps.* 67. Sicut Paparum nomen, quod sane commune erat omnium clericorum, qui ministerium Ecclesiasticum habent, etiam juniorum, et inferiorum, quales sunt ἀκόλυθοι, qui plerumque funalia cereos præferunt cæteris, et sunt ad omne reliquum Ecclesiæ servitium parati, et in ecclesia veluti mediastini servi in domo patrisfamilias, qui et Pisinni Papæ, *petis*, vel quod idem est, Græce λυτοὶ παπαὶ dicuntur in Nov. *Isaaci Comneni Imperatoris de Consuetudinibus, quæ ordinationis nomine dantur, et de canonico.* Id, inquam, Paparum nomen usus et auctoritas Ecclesiæ fecit proprium summi Pontificis. Et secundum illam quoque specialem clericorum significationem Cyprianus sæpe dixit *clericam ordinationem, clericam epistolam,* quam vulgo clericalem, clericum ministerium in *can. Cyprianus* 21. *q.* 3. Est enim illo loco legendum, *in clerico ministerio*, ut invenio etiam, Ulpianum Rhetorem in orat. Demosthenis contra Midiam dixisse, κληρικὰς δίκας, *clericas lites*, vel *causas clericorum*, dum ait παρέδρους, id est, *assessores* juris peritos dari præsidibus ætate minoribus, ne quid in disceptandis litibus secularibus, aut clericis, per ignorantiam juris peccent. Initio nascentis Ecclesiæ etiam de clericorum controversiis suis præsides et prætores cognoscebant extra ordinem. Et præter illum locum, ad quem nondum quisquam animadvertit, Ulpianum illum fuisse Christianum satis liquet ex initio interpretationis ad secundam Olynthiacam, ubi utitur auctoritate Gregorii Nazianzeni ad Basilium Magnum. Porro de cultu, convictu, moribus, quibus clericos imbutos, et instructos esse oportet, qui in Ecclesia Dei proprie selecti sunt, ut sint in ejus ministerio, est primus, ut jam dixi titulus hujus libri, quo statim initio proponitur Concilii Turonensis secundi Decretum *cap.* 4. ut cum sacra peraguntur, clericis secus altare Dei psallentibus fœminæ et laici non permisceantur, et omnino intra cancellos, quibus clerici continentur, et coercentur, ne laici stent, vel sedeant, atque adorationis (sic in decreto Ivonis legitur recte) et communionis tantum causa pateat laicis et fœminis aditus, ut ait, ad Sancta Sanctorum, id est, ad altaria. *Sancta Sanctorum* more Hebræorum vocat loca maxime sancta, ut *Cantica Canticorum* omnium, quæ fecit Salomon, præstantissima Cantica: et *Sabbatum Sabbatorum* præstantissimum sabbatorum, quod dominus celebrari jusserat quotannis 10. die mensis septimi, ut est proditum Levit. 16. Quod autem Accurs. testat in *l.* 2. *C. de sacrosanct. Eccles.* ad sententiam hujus capit. 1. accommodare hujus legis verba, *Apostolorum, vel Martyrum sedem humandis corporibus non esse concessam,* omnino rejiciendum est, quia non de gradu, et ordine, vel de dignitate clericorum ea lex loquitur, sed de sepulcris Apostolorum, et Martyrum conditoriis, quæ sunt in urbe, ut in ea mortui non inferantur, sed extra urbem. Quamobrem et posita ea lex est in *C. Th. in tit. de sepulc. violat. ult. loco.* Sedem igitur pro sepulcro, sive loco referto sepulcris Apostolorum, vel Martyrum accipe, ut in antiquis inscriptionibus sepulchrorum eodem sensu legimus, *hanc sedem sibi Divi posuerunt.* Et valde ad eam legem pertinet Concilii Triburiensis canon. 17.

AD CAP. *Clerici*. II.

Sequitur in *c.* 2. *hoc tit.* ex concilio Pictaviensi clericos, qui cum talo ambulant, vel fœnus exercent, excommunicandos esse, quod est abstinendos in *can. si quis clericorum* 47. *dist.* quomodo et Cyprianus plerumque loqui solet eleganter *epist.* 65. Ut tutor, vel curator dicitur *abstinere pupillum*, qui in jure declarat, pupillum bona paterna sibi delata agnoscere et attingere nolle, *l. pen. de auctor. tut.* et apud Plinium 29. cap. ult. *Paterfamilias inclusum abstinet gallinaceum*, cui alimenta non præbet, ut Oribasius: *sanguisugas adhiberi, ita ut abstineantur die una.* Ivo vero Episcopus, *abstinere clericum, vel laicum, qui eum non admittit ad communionem sacram*, uno verbo, *qui eum excommunicat.* Neque vero cum hoc decreto hujus capit. 2. pugnat, quod in alio scriptum est: fœneratorem clericum, qui monitus non resipiscat, ordine moveri, vel quod idem est, regradari, *can. si quis,* 14. *quæst.* 4. et *can.* 1. et 2. 47. *dist.* Quoniam clericus ordine motus redigitur in numerum laicorum. Et consequenter, si in eodem studio, veluti arte quadam fœnoris exercendi causa perseveret, tanquam laicus excommunicandus est. Quo fit ut gravior sit clerico regradatio, quam excommunicatio sola, quia regradationem, qua ordine movetur, e vestigio sequitur venabulum excommunicationis, quod ex hac causa laicis fœneratoribus semper infligitur, *cap.* 4. 5. 15. si non resipiscant, et Ecclesiæ obtemperent, et regradatus clericus, ut dixi, suo ordine motus utique laicus est, non clericus. Et ita *ex cap.* 8. *hujus tit.* licet clerici, qui virginum devotarum monasteria frequentant, ordine moveantur, laici excommunicentur, ut et in specie *cap.* 4. *inf. de excessib. prælat.* tamen non minor, imo major est pœna, regradari clericum, quod est in laicos referri, quam excommunicationis pœna, nisi resipiscant non potest non statim regradationem sequi. Distinguitur etiam excommunicatio ab anathemate, tanquam excommunicatio sit minor, anathema majus

AD CAP. *Ut quisque*. III.

Decernitur, Presbyterum, qui vici cujusdam, aut pagi plebem regit, qui plebanus vulgo dicitur maxime in Italia *Plebano*, clericum unum sibi adjungere debere, tanquam adjutorem, et ὑπουργόν, qui concinat cum eo Psalmos, et aliam quamcunque lectionem legat, quique pueros una secum doceat fidem Catholicam. Lectio recitatio est, et interpretatio vernacula lingua, ut veteres canones sanciunt, certi loci ex scriptura sacra, puta ex Prophetis, vel epistolis Canonicis Apostolorum, vel ex scriptis Doctorum Ecclesiæ. Quos ea re etiam lectores in Ecclesia, quos Græci ἀναγνώστας vocant præcones, et proclamatores dictos Isidorus refert: cautum autem est Laodiceni Synodi Can. 17. quod licet certe non observetur, tamen probe constitutum est, ut singulis Psalmis, qui cantantur in Ecclesia, subjiciatur ἀνάγνωσις, *lectio*, nec statim fiat transitio ad alterum psalmum, ne psalmi psalmis coaptentur, nulla lectione interjecta.

AD CAP. *Si quis*. IV.

In tertio *cap.* quod est Gregorii primi, non Gregorii noni: *Si quis*, inquit, *ex clericis comam laxaverit, anathema sit.* Anathematismus major est excommunicatione. Bene ait, *laxaverit*, ut legitur in regesto ejusdem Gregorii primi, quia ipsa tantum et diffusa, qualis et fœmi-

narum, et promissa cæsaries, laxi crines, quales fuerunt olim Regum, Franciæ, prohibentur. Crines, inquam, laxi prohibentur, quia et maribus natura indecoram esse promissam cæsariem Apostolus ait. Non igitur quælibet coma prohibetur. Nam et furium tenus eam clericus nutrire potest. *Can. si quis* 23. *dist.* arce tantum cerebri, seu vertice capitis paulum attonso orbiculatim, ut Anicetus constituit in *can. prohibere, ead. dist.* Quod et Marianus Scotus, et Martinus Polonus in Chronicis testantur. At Marianus comæ tantum interdictæ meminit, ut ait Anicetus in *d. can. prohibere*, et Innocent. 3. *epist.* 2. *ad Tarisum Episcopum.* Martinus etiam comæ adjicit barbam. Idemque Martinus Aniceto quoque eandem constitutionem tribuit de coma, et barba non alenda, quæ tribuitur etiam Concilii Carthagin. 4. in *can.* 5. Hujus tituli alii canones de coma tantum loquuntur, et intelliguntur de coma, quæ imitatur comam muliebrem: quam etiam invitis et resistentibus clericis esse rescindendam, scilicet auctoritate Archidiaconi, ad quem omnis disciplina clericorum post Episcopum spectat, potissimum definitur *cap.* 7. *hoc tit. et can. clerici* 23. *dist.* et in constit. Caroli Magni *lib.* 7. *cap.* 165. Et hunc quidem muliebri more comatum clericum etiam definitur in *cap.* 4. *inf. de sentent. excommunic.* impune pulsari citra metum excommunicationis: non modice comatum fine aurium, ut constitutum est, et attonsum per pectinem. De attonso stricte id tantum legi, quod dominos vetat *Ezechielis* 44. ne quis Levitarum, quorumdam profanorum sacerdotum ritu radat caput suum. Et quod in Levit. 19. et 21. et Deuter. 14. ne quis funeris ergo, luctus ergo, aliquo defuncto comam radat, aut barbam, aut stigmata inurat corpori, quod ex paganis plerique factitabant. De barba autem, ne clericus eam nutriat, hoc jure proditum tantum inveni in c. 5.

AD CAP. *Clericus*. V.

Quod est ex Concilio Carthaginensi. *Clericus*, inquit, *neque comam nutriat, neque barbam alat*, quæ tamen scriptura nos est admodum certa. Legebatur enim in ipso capit. et in Concilio ipso Carthaginensi, et legitur etiam hodie in manu exaratis plerisque exemplaribus Concilii Carthaginensis: *Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat:* quam scripturam, ut eluderet Monachus quidam, in quem aliquando incidi, hunc canonem ita distinguendum esse ajebat, ut post vocem, *barbam*, punctum adfigeretur, et per se solum cum impetu quodam efferretur verbum *radat.* Similis huic est ille, quem Servius doctissimus Virgilii interpres deridet, qui illo versu: *Lac mihi non æstate novum, non frigore defit*, post vocem *novum*, punctum affigebat, ut superesset, quod solum pronuntiaretur, ultimum verbum *defit.* Cui adjungi potest etiam literator quidam hujusce temporis, qui illo versu: *Urbem, quam statuo, vestra est*, post *statuo*, censet affingendam esse notam interrogationis. Verum ut ad rem redeam, constitutionibus Apostolorum fertur, et Epiphanius, et Clemens Rom. Pontifex testes sunt, non licere clericis, aut monachis abscindere barbam, μὴ τέμνειν τρίχας δαψιλεῖς, ne fœminis similes videantur, et batali. Sic enim eos propudioso nomine Clemens Alexandrinus designat, *Pædagog.* 2. *cap.* 3. μᾶλλον δὲ οὐκ ἄνδρας, βατάλους δὲ καὶ γυννίδας καλεῖν τούτους χρή.

AD CAP. *Clericus*. VI.

Sciendum est ex Clericis alios esse majoribus gradibus constitutos, et ut dicitur, in sacris ordinibus, ut *cap. a multis, sup. de ætate, et qualit. ordin. pr.* veluti presbyteros, diaconos, hypodiaconos, qui soli sunt in sacris ordinibus, in majoribus ordinibus, iidemque soli uxores ducere non possunt, ne faciant contra votum, quod faciunt initio, dum in majoribus gradibus locantur: alios esse in minoribus gradibus, velut Acolytos, lectores, ostiarios, exorcistas, cantores, sive psaltas, quos psalmicines, Sidonius Apollinaris, copiatas, sive fossarios, qui in sacris ordinibus constituti non sunt, et uxores ducere non vetantur. Ceterum illi proprie dicuntur non esse in grado, vel sacris ordinibus, qui non sunt in majori gradu. et exceptis quidem acolytis, quibus radi totum caput solet usque ad vivam cutem, ceteris clericis modice abraditur arx cerebri, ut supra dixi, quæ tonsura dicitur, et prima tonsura, *cap. pen. inf. de cleric. conjug.* Coma autem rotundatur aurium fine, quæ corona dicitur, hæc est differentia inter tonsuram, et comam, *cap. pen. infr. hoc tit. et tit. de cler. conjug. can. duo sunt.* 12. *quæst.* 1. Et hanc differentiam satis aperta Isidorus 2. *de offic. ecclesiastic.* dum ait, detonderi clericis caput superius, inferius coronam relinqui. Et inde, ut suspicor, cum alia non pateat causa, Hieronymus ad Augustinum epistola 81. tom. 2. ita Augustinum obtestatur, *per coronam tuam.* Sententia autem hujus cap. 6. uti perscriptum est, valde est obscura. Nec mirum, cum et scriptura ejus sit varia et incerta, quandoquidem in fine hujus capitis, apud Yvonem, et Burchardum, et in 1. collect. Decretal. cap. 1. *de Apostatis* rectius legitur, *nec in alia sua tonsuram dimittere, vel negligere audeant*, cum vulgo legatur, *uxorem*, non *tonsuram.* Sensus autem hic est, ut ex minorum gentium clericis, si quis dimissa tonsura, quæ tonsura maxime aliena esset a nuptiis, uxorem duxerit, quem parentes jam Ecclesiæ obtulerunt, et addixerunt monasterio: parentum est liberos offerre monasterio, sicut offerre curiæ: si quis, inquam, uxorem duxerit, uxorem quidem eum retinere posse, at vero debere, sed resumere etiam tonsuram debere, quam dimisit, neque unquam postea schema illud clericum deponere. Quod tamen de illo solo clerico accipiendum est, qui jam stipendia meret in clero, qui officio aut beneficio aliquo Ecclesiastico potitur, *can. qui tua* 12. *quæst.* 1. *cap.* 7. *inf. de cler. conjug.* Cap. 7. et 8. jam exposui *sup.*

AD CAP. *Quorum*. IX.

In hoc cap. Gregorius VIII. universis Episcopis scribens statuit, ut habeant rationem, ut curent rationem bonorum, quæ suarum Ecclesiarum propria sunt: simul et onerum, quæ suæ Ecclesiæ sustineant, ut pro modo ejus, quod deductis oneribus superest, singulis Ecclesiis constituant certum numerum clericorum, qui ex bonis Ecclesiæ alantur, et vivant in communione sub eodem tecto et conclavi, et bonis propriis in commune collatis, ut *can. scimus, et can. qui tua, et can. necessaria* 12. *quæst.* 1. Qui ita vivunt clerici (nec enim hoc statuitur de omnibus clericis) hi sunt, qui Canonici regulares appellantur. Et olim, si Francisco Turriano credimus in constitutionum Apostolicarum lectarum a Clemente Romano libro secundo, olim dicebantur κοινόβιοι: appellantur, et Canonici Augustini, et clerici religiosi, clerici claustrales. Ex his si qui regulam migraverint, si qui ferantur sursum, neglecta regula castigantur arbitrio Episcopi, ut in hoc cap. definitur. Item ex hoc genere Canonicorum, si qui injuriose invicem sibi manus intulerint, atque ideo ordine moti, et abstenti fuerint, nisi atrox fuerit injuria, quæ majorem judicem desideret, ut ad Episcopum, peracta pœnitentia quæ injuncta fuerit, ordini et societati reddi, et reconciliari possint, nec sit necesse eam ob rem adire summum Pontificem, ut *cap.* 2. 22. et 32. et 50. *inf. de sentent. excommun.* Si atrox sit injuria, quæ graviorem animadversionem desideret, rejicienda res est ad summum Pontificem, exemplo juris civilis, sicut nimirum solet legatus, quoties id atrocitas facti exigit, rem remittere ad proconsulem, l. *Si quid erit. de offic. proc.* Prætor vel præfectus vigilum, vel curatores regionum, aut vicorum ad præfectum urbi, *l.* 2. 3. §. 1. et l. 4. *de offic. præf. vigil. l.* 1. §. *ult. de suspect. tut.* et apud Julium Capitolinum in Marco Philosopho.

AD CAP. *Cum ab omni*. X.

In hoc cap. constituitur, clericos judices specialiter datos a Romano Pontifice disceptandi certi negotii causa, judicandi officio liberaliter, ut ingenuos homines decet, et gratis fungi debere, nullis cum litigatoribus habita conventione salarii, vel δικαστικῆς decimæ, ut in Novellis vocantur de Decimis, vel qua alia parte litis, quod plerique etiam sub pignore in Lombardia tunc temporis turpiter depecisci solebant. Et usque adeo omnis concessio talis, et turpitudo, sive sordities prohibetur in hoc cap. ut nec prætextu quidem, aut nomine assessorum, *ceu de omni*, quos plerumque, nec ullos adhibeant, ulla talis exactio permittatur, ne sint venales judicum sententiæ, ut sit *lex Verres. C. quando provoc. non est nec.* et *lex* 4. *C. ad leg. Jul. repet.* Hoc tantum videtur judicibus delegatis permitti hoc loco præter expensas victuales, ut a litigatoribus accipiant quantum victui eorum sufficit pro tempore, quo commissioni operam dant, vel, ut loquuntur, *qui ils præstent epices.* Quo nomine ea tantum significantur, et significabantur olim in hac Republica, quæ ad parcum et frugalem victum facerent. Et malo, ut opinor, illa verba (præter expensas victuales) ab interprete restringantur ad expensas itineris, quotiens judices accersuntur ex longinquo, cum et testibus longe petitis, citatis, et evocatis, quorum exemplo utimur, non tantum sumptus itineris, sed etiam si detineantur, victus impendia præberi conveniat, l. 3. §. *Gabiano. de testib.* l. *Quoniam.* 11. *C. eod. l. ult. C. Th. de abolit.* Quod iniquum sit, ut est in comœdia quadam Pisoti, *tam testem, vel judicem gratis, et operam dare tibi, et ad eam operam facere sumptum de suo.* Invenio et in *l. Titio. ad municip.* eadem ratione viatici nomine non tantum τῆς ὁδοῦ δαπάνημα, *sumptum itinerarium*, sed τῆς ὁδοῦ μνῆστρον, ut ibi Basilica habent, id est, *suscepti pro Republica sua itineris premium*, quo utique continentur sumptus, quem fecit legatus quamdiu Romæ moratur, et agit negotia Reipubl. suæ.

AD CAP. *Deus*, *qui*. XI.

Hoc cap. continetur, ut Monachi, et Canonici regulares, sive Augustiniani, vel religiosi, et quicunque aliam districtiorem regulam sequuntur, ut eodem, non diverso habitu amicti incedant, et ratione vivendi ac regula utantur eadem. Hæc, inquam, constitutio non est generalis, quia pertinet tantum ad Livoniam terram, quæ non ita dudum abjecto paganismo Christianismum receperat, propterea quod plerique in ea novi, vel, ut scriptura loquitur, neophyti, offendebantur diversitate habituum, ut et regularum sive institutorum, quibus nostrates clerici, vel Monachi, eo religionis stabiliendæ causa profecti, utebantur. Ubi est, inquiebant, unum Evangelium, unus Deus, et pater omnium, unus Dominus, Spiritus unus, una fides, unum baptisma, unus animus, cur non est etiam amictus unus, isque concolor? et cur non una eademque vivendi ratio sit? hujus constitutionis partes alias in *cap. ult. inf. de divort.* et *cap.* 8. *de pœnit. et remiss.* Quibus, et alia quædam teneris adhuc et mollioribus Livoniæ populis specialiter indulgentur, ne in ipso initio amplectendæ religionis Christianæ offensi varietate ista regularum et vestium, aut vivendi conditione duriori, vel quo alio more nostro, in fide vacillent, vel penitus ab ea desciscant. Livonia regio est septentrionalis ad mare Balticum, ut omnes sciunt, quæ Christum dominum nostrum professa est sub Innocentio III. auctore Capit. cujus maxime tempora examina regularum exstiterunt multa, omnisque regularum discolores, et varii. Est igitur hæc constitutio τοπική id est, localis et temporalis, non generalis, vel perpetua.

Generalis tamen postea non secuta est sub eodem Innocentio, ne quis deinceps novam ullam regulam institueret, aut fundaret, *cap. ult. inf. de relig. dom b.* Quod ideo non servatur, quia ex priscis depravantur quotidie, aut inveterascunt quamplurimæ, quarum loco non sit impar aliæ succedere.

AD CAP. *Cum decorem.* XII.

In hoc cap. damnantur lubrica spectacula, quæ, ut est in antiqua, et integra Decretali quibusdam locis moris erat tribus diebus post festum Natalis Domini continuis clericos personatos populo dare, ut in hac Ecclesia equidem aliquando factitatum scio, ac postea repressum ab Archidiacono, non concessum. Summa vero est hujus constitutionis ratio, cum nec clericis liceat spectaculis, quæ eduntur ab aliis, interesse, *can. non oportet, de consecrat. dist.* 5. Immo nec filiis eorum, quos forte susceperant ante clericatum, ut est scriptum in *Conc. Carthag.* 3. *cap.* 11. Merito igitur hoc loco ille mos, illa consuetudo damnatur. *Consuetudo*, inquit, *vel potius, corruptela.* Quod genus loquendi libenter, et frequenter Pontifices usurpant, cum de prava aliqua consuetudine loquuntur: *Consuetudo*, inquit, *vel potius corruptela, ut cap. 5. de consang. et adfin. c. 14. de excess. prælatorum, c. 7. et ult. de consuetud.* et multis aliis locis: in quo tamen nullum cerno schema, nullum ornatum, nullam elegantiam, qua, aut similitudine vocum, aut paritate, aut contrarietate vertat in se aures, et titillet animos. Ac sane puto, etiam eos nullum in ea affectasse lumen orationis, sed id sumpsisse ex illo Synodi Sardicensis loco, quo dicitur, radicitus extirpanda esse consuetudo quædam, de qua ibi agitur, *non tam prava*, inquit, *consuetudo, quam perniciosa rerum corruptela*, οὐ τοσοῦτον φαύλη συνήθεια, ὅσον βλαβερωτάτη τῶν πραγμάτων διαφθορά, initio Sardicensis Synodi.

AD CAP. *Ut Clericorum.* XIII.

In cap. 13. damnantur, et puniuntur clerici incontinentes et impuri, morbo venereo corrupti, quos vocat filios diffidentiæ, υἱοὺς ἀπειθείας ut in *cap. 4. de excess.* ex epistola ad Ephes. *cap.* 5. id est, desperatos homines, qui se tam fœda libidine infamant. Eadem forma, quo filios perditionis, perditos et conploratos, Phrasis est Hebraica. Et ne impunitate alatur tam effrenatus furor, non tantum clerici puniuntur arbitrio Episcoporum, sed etiam ipsi Episcopi a Metropolitanis, si quid tale admittant, vel si ad cleric. suorum connubia conniveant. Et quod observatu dignum est, clerici ceteri gravius puniuntur ob hanc causam, qui uxores habent, veluti clerici inferioris ordinis, quibus uxores habere permissum est, Apostolorum can. 16. vel etiam clerici majoris ordinis, quibus juxta veteres canones uxorem retinere, et liberos ex ea procreare licere iidem canones decernunt, quam scilicet duxerint, antequam cooptarentur in clerum (nam post cooptationem in clerum, non ducunt uxores) dum modo ita caveant dum cooptantur in clerum, se non ducturos. Ceterum ante contractum matrimonium clericatus non solvitur, neque clericatus spem adimit, *l. Eum qui probabilem, C. de episc. et cler. can. Sicena, can. quoniam* 21. *dist. can. si quis eorum,* 32. *dist.* Quod Græci ita semper observarunt, *c. 6. inf. de cler. conjug. c. 7. de poenit. et remis.* ad quos quidem Græcos respicit extrema clausula hujus cap. *Qui autem secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam conjugalem*, id est, Græci, idem et Latini olim, *can. ministri* 81. *distinct. can. lex.* 31. *distinct. cap. 2. inf. de clericis conjug. et Concil. Pistens. cap.* 9.

AD CAP. *A crapula.* XIV.

In hoc cap. damnantur clericorum commessationes et ebrietates, neque se vino, neque sibi vinum temperantes, ut ait eleganter. Damnantur propinationes, quæ fiunt paribus poculis, ut *can. nullus* 44. *dist.* specialiter et nominatim hæ, quæ fiunt in bibendo obtestationes pro salute animæ suæ, pro incolumitate amici nostri communis, pro amore sanctorum: teterior illa Joannis 10. animalis in omnia flagitiorum exempla geniti, pro amore Diaboli, *c'est ua qui beuvoit pour l'amour du diable*, de quo Ubræus Ticinensis, *de rebus per Europam gestis lib.* 10. Qui quidem Joannes, qui turpiter etiam sede depulsus fuit, in ludo aleæ solebat Diabolum, Jovem, et Venerem invocare, et in agenda missa non communicare, et clericos ordinare passim, quosdam ordinasse in stabulo, equorum et alia pleraque nefarie fecisse. Verum ad rem. Quod ad sententiam hujus cap. attinet, placet valde soleoque frequenter hoc testimonio uti adversus combibones illos, quod et Persarum Rex Artaxerxes parato lautissimo convivio, edixit ne cui propinaretur invito, neve quis cogeretur educere plura, quam vellet, pocula, ut est proditum *Esther cap* 1. Caroli Magni etiam Constitutione continentur *lib. 1. c.* 144. et ab eodem hoc maxime prohibentur in exercitu *lib. 3. cap.* 72. Multa quoque alia damnantur in clericis, *cap. pen. hoc. tit.* ut puta negotiationes, et mercaturæ, ut *cap. ult. hoc. tit.* et *can. 14. quæst.* 4. Itemque scurriles, et mimici joci, et popinarum ingressus, ut *can. non oportet clericos. et seqq. aliquot.* 44. *dist. et Apostolorum can.* 54 Itemque alearum, talorum, tesserarum lusiones, ut *can.* 1. 35 *dist.* Item larvales habitus, et laicales, aut militares, veluti sagum, lucerna, chlamis, et fibula juncta clamidi, et sago fibula, qua ex una tantum parte chlamis, vel sagum induitur, ut recte Isidorus notat, eaque pars fibula, aut fibulis infrænatur. Quamobrem et chlamidi jungitur fibula *l. un. C. nulli lic. in frænis, equest. sellis, etc. libro* 11. Et Suetonius in Tiberio, et Pollio in Gallienis, et Cornelius Tacitus de moribus Germanorum, sagum fibulæ conseri: vel si desit, spina. In Synodo Francica, quæ extat, laicos sagis, casulis clericos uti, quia sua cuique ordini sunt propria indumenta. Hic adducetur in hoc capitulo pen. et alia quædam, quæ pertinent ad ornatum cultumque corporis, et ex his pleraque sumpta sunt ex Gregorii VIII. *cap. 9. eod. tit. in 1. collec. Bernardi Papiensis.* Etiam hoc capite clericis usus annuli interdicitur cum hac exceptione, nisi quibus competit ex officio dignitatis, quod recte Panormitanus ex libro Pontificali refert ad Episcopos, et Abbates quosdam porrigi, qui jus habent aurei annuli. Quod autem initio hujus *capit. penult.* cavetur, ne clerici negotientur, aut negotiatores ne clericorum munere fungantur, id etiam confirmatur *cap. ult. hoc. tit.* quod dirigitur ad Ambianensem Episcopum, cujus in diœcesi est Comitatus Pontiviensis, *de Pontieu*, et Monstriliensis *dont la ville s'appelle Montreuil*, in quo plerique erant clerici negotiatores, ut in *hoc cap. ult.* Honorius Pontifex ex litteris accepisse refert *Comitis Pontiven*, sic legendum. Et quod additur in antiqua Decretali, *Monstriolensis*, quæ civitas, et in Chronicis Rodulfi Monstrolicum dicitur et in *can. multorum* 35. *quæst.* 6. Et quod hic Hostiensis scribit, proximum esse eum comitatum comitatui *de Guines* est verissimum, *tous les deux sont en Artois, et le Comte de sainct Pol est Comte de Boulogne.* Quoniam autem in eo comitatu clerici negotiabantur, freti privilegiis clericorum, nolebant vectigalia, vel portoria, vel quæ alia publica vectigalia persolvere, et modo pro commodo suo agebant se pro clericis, modo pro laicis, quod Honorius in hoc cap. vehementer improbat, generaliter constituens, ob negotiationis causam amitti clericorum privilegia, ut ait, *cum facto*, id est, ipso actu, ipso facto, etiam citra sententiam judicis, si post trinam monitionem Episcopi non desinant facere mercaturam. *Ipso facto*, sæpissime in his libris, id est, sine judice, ut ipso ingressu monasterii, ipsa devotione, se, et sua bomines dedicarent monasterio citra alium actum solemnem, ad differentiam eorum, quæ sine judicis sententia explicari non possunt, ut in *l. Ejus. de jure fisci*, dicitur, non ipso facto quem pro convicto haberi, sed secuta demum condemnatione judicis. Id vero genus loquendi *ipso facto, ipso actu*, vel *cum facto* sumpsere Pontifices ex *l. pen. §. ult. de ritu nupt.* et *l. 1. C. quib. ex causis servi pro præm. libert. accip.*

AD TITULUM II.

De Cohabitatione Clericorum, et mulierum.

AD CAP. *Inhibendum est.* I.

Tituli II. Lib. III. Decretalium de *cohabitatione clericorum, et mulierum*, idem est sensus qui tituli *de singularitate clericorum* apud Cyprianum, vel Origenem, περὶ μονώσεως τῶν κληρικῶν, nimirum ut ne aliquam clerici domi suæ mulierem habeant vel recipiant, quam si ea sit, quæ honeste cum eis habitare possit, veluti mater aut amita, aut matertera, quæ matris loco est, vel filia, aut soror, vel filia fratris, aut sororis, ut *l. Eum qui. C. de Episc. et cleric.* ex Nicena Synodo *can. interdixit* 32. *dist.* Gregorius Tur. historiæ suæ 8. *Clericos*, inquit, *canonum statuta extranearum mulierum consortio non potiri volunt, præter eas, de quibus crimen non potest existimari.* Ennodius ad Faustum. *Nullus extraneus secum habeat mulieres, præter personas canonibus designatas.* Extraneas mulieres vocant, ut et *d. l. Cum. qui*, quas Antiocheni συνεισάκτους appellaverunt, teste Eusebio *Historiæ Ecclesiasticæ 7. cap.* 30. et mox ceteri Græci dixere συνεισάκτους. Synodus Ancyrana *can.* 18. συνερχομένας. At ex concilio aliquo veteri (Africanum fuisse puto) cujus sententia proponitur in *cap. 1. hoc tit.* omnes mulieres extraneæ et adventitiæ sunt clericis, nec ullæ omnino excipiuntur, non mater, non amita, non filia, non soror: quod adeo probavit Carolus Magnus, ut hæc verba hujus cap. retulerit in librum 7. legum suarum, cap. 291. Ratio autem, quæ redditur in hoc cap. optima et verissima est, quia et his mulieribus, quæ nobis necessitudine conjunctissimæ sunt, vel ancillis, aut comitibus earum, instinctu pravi dæmonis, et occasione aut consuetudine concinnante rem, fieri potest, ut commisceantur. Qua ratione et Augustinum optimum illum Episcopum nullas habuisse secum mulieres, Possidonius in ejus vita refert: quia personæ illæ, quæ canone exceptæ sunt, sine aliis necessariis, et secum commorantibus mulieribus esse non possunt, et recipere quoque aliquando possunt amicas, et familiares invisentes domum. Unde nasci potest suspicio non mediocris, qua vacare clericum oportet, nedum culpa, nasci et offendiculum non leve in Ecclesia. Quæ ratio etiam, ut puto, efficit, ut subjiciatur in hoc capit. primo, nec mulierem ullam posse in Ecclesia intra conseptum altaris consistere, vel altari servire, presbytero faciente sacra. Et hæc quidem posterior pars hujus capitis abrogata non est: prior videtur abrogata ab Innocentio III. in *cap. pen. hoc tit.* Cui conjungi velim *cap. 24. inf. de decim.* In eo restituitur jus vetustissimum canonum et excipiuntur fœminæ, ut ait, in quibus naturale fœdus nihil permittit fœdi criminis existimari, scribendum sævi, id est, nihil sinistri, quæ verba sumpsit, ex *d. l. Eum qui.* Excepta igitur mater, et ceteris, quæ excipiuntur Concilio Niceno, de quibus, ut est in Agathensi Concilio *can.* 10. nefas est aliud quam natura constituit, suspicari. Quid ergo, an dicemus cap. 1. abrogari *cap. pen.* Hoc forte recte dicitur, cap. 1. loqui tantum de sacerdote, quo nomine proprie significantur Episcopi, et Presbyteri.

Presbyteri quoque nomine, quod etiam cap. primum usurpat, modo dicit sacerdotem, modo presbyterum: clericos non dicit generaliter: sed sacerdotes presbyteros. Utroque nomine sacerdotis, et præsbyteri significabatur olim Episcopus, *can. olim*, 95. *dist. c. legimus*, 93. *dist.* quod Apostolus etiam in Epistolis ostendit perquam aperte, et adi etiam, si libet, ut hoc verum esse cognoscas Isidori II. *libr. de offic. Eccles. capit. de presbyteris.* In cap. 1. igitur, Sacerdos sive presbyter est Episcopus. De cæteris clericis in eo non agit, quasi rejiciens ad caput seq. quod loquitur de ceteris clericis extra Episcopos, quasi major Episcopis continentia inesse debeat. In summa es constituit indistincte *can. sed si forte*, 81. *dist.* in habendo fœminarum delectu, quæ cum clericis honeste vivere possint, summa cautione, cura, et sollicitudine opus esse. Porro, quod prætermisi, excipienda est inter ceteras mulieres, et ea præcipuo quidem uxor, quam clericus duxit, antequam fieret clericus, vel postquam factus est clericus minorum gentium, ut *d. l. Eum qui.* et *can. volumus.* 81. *dist.* Sed de his satis. Priusquam ad alia transeam, quæ decernuntur in hoc cap. dicam generaliter de inscriptione hujus capit. primi, et simul de omnium priorum capitulorum hujus tit. quæ scilicet præ se ferant, sumpta esse cap. ex Conciliis, et utique cum primo loco ponantur, verisimile est, ea esse ex vetustioribus Conciliis. Verum appellatio, quæ iis Conciliis attribuitur, plerumque varia, incerta, falsa, depravata est, ut in cap. 1. *sup. tit. prox.* Alii habent ex Concilio Toronensi, alii ex Concilio Magoriensi, alii ex Concilio Africano, et in cap. 1. alii Nannetensi, alii Mancicensi, alii Maguntino: cui scripturæ stabitur? Facile autem mihi persuadeo, utrumque *cap.* 1. et 2. *hujus t.* esse ex eodem aliquo Concilio Africano, quod Augustinus Africanus Episcopus plane viserit, ut dixi, secundum hujus capit. decretum, nulla omnino muliere in domum suam admissa: tum etiam, quod idem in posteriori parte hujus capitis primi, ne mulieres ingrediantur septa altarium, sicut cautum in *cap.* 1. *sup. tit. prox.* Multa sunt, et præclara, et vetusta Concilia Africana, quorum appellatio latet plerosque homines, ut patet ex Fulgentii Ferrandi Carthaginensis Diaconi Breviario, quod super exiit in lucem, veluti Concilium Zellense, Juncense, Hipponense, Thenitanum, Thusdritanum, Marazanense, et Concilium Septimunicense, et Concilium Macrianense: aut sicubi horum Conciliorum fit mentio, eorum appellatio sane valde corrupta est. Nomina illa exotica facile depravantur, ut in *can. sacrorum*, 63. *distinct.* Ubi fit mentio ejusdem breviarii Fulgentii Diaconi Carthaginen. illo loco, *sicut in abbreviatione Canonum Fulgentii Diaconi Ecclesiæ Carthaginensis invenitur in septimo Niceno, et Macraneum Concilio statutum*: dubio procul legendum est, *in Septimunicensi, et in Macrianensi*, non *in septimo Niceno, et Macranensi Concilio*. Nunc ut reliqua persequamus, quæ sequuntur in hoc capit. decernitur etiam in hoc capit. ne clerici concubinam, vel focariam in contubernio suo habeat: focariam nec superioris, nec inferioris ordinis clerici, *capit.* 6. *hoc. tit.* Concubinam forte superioris tantum ordinis clerici, puta Episcopi, Presbyteri, Diaconi, hypodiaconi. Cum focaria stuprum, cum concubina stuprum non committitur, si mos vetus habendæ concubinæ spectatur, qui legitimus sit, et viget etiam hodie in quibusdam locis in Pyrenæo Erat enim concubinatus legitima conjunctio, *l.* 3. *de concub. l. Stuprum. ad l. Juliam. de adult.* et honestum concubinæ nomen. At hodie turpe est. Concubina, inquam, justam uxorem imitabatur, ut eleganter ait Julianus antecessor in *Nov.* 18 et confirmat *canon is qui. et canon Christiano*, 34. *dist.* Pœna autem clericis post trinam admonitionem, sive denuntiationem Metropolitani, Primatis, vel Episcopi domo non jubentis facessere concubinam vel focariam, quam habet, extrema pœna hæc est, ut ab officio et beneficio Ecclesiastico removeatur, et excommunicetur fœmina vero alia pœna legitima, sive canonica fœminæ congruenti adficiatur, ut cavetur in *cap.* 2. *hoc tit.* quod exstat, et in *canon.* 17. 81. *distinct.* et utroque loco vulgo, sed mendose, ita legitur: *si quisquam sacerdotum*, id est, *Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus*, sed castiores, sive emendatiores codices habent: *si quisquam Sacerdotum, Presbyterorum, Diaconorum, et Subdiaconorum.* Recte. Sacerdotes sunt proprie Episcopi: Presbyteri secundum a sacerdotibus sive ab Episcopis obtinent gradum. Possidonius in vita Augustini, locum Presbyterii appropinquare Episcopatui, ut Episcopi passim dicuntur sacerdotes per eminentiam, κατ᾽ ἐξοχὴν, qui sunt summi sacerdotes in sua quisque Ecclesia, *can. si Episcopus*, 18. *distinct. can.* 1. et 2. 59. *distinct. can. accusatio* 2. *q.* 7. *can.* 1. 2. *quæst. ult. can. miserum*, 61. *dist can. minus, et seq. de consecrat. distinct. quinta.* In his omnibus summi sacerdotes, id est, Episcopi, summum sacerdotium, id est, Episcopatus. Tertul. *lib. singulari de Baptismo, Dandi*, inquit, *baptismi jus habet summus sacerdos, qui est Episcopus, dein Presbyteri, et Diaconi, non tamen sine auctoritate Episcopi propter Ecclesiæ honorem.* Porro quod trina denuntiatio exigitur *cap.* 2. et 6. *hoc. tit.* id jure Canonico receptum est exemplo juris civilis, quod quibus in causis denuntiatio est necessaria, plerumque trina denuntiatio exigatur, *l.* 4. *de pignorat. act. l. Contumacia. de re jud. l.* 8. et 9. *C. quomodo et quando, l. ult. C. Th. de Senatuscons. Claud. Nov* 117 § *pen.* Quamobrem et quæ trina vice fit denuntiatio, et legitime dicitur et canonica, quasi utroque jure probata conventio, monitio, ut *cap. ult. sup. t. prox. cap. contingit* 2. *inf. de sentent. excom.* Denuntiatur autem clerico, ut abstineat concubina, vel focaria, non etiam ut juret se eam ædibus exacturum, se eam dimissurum, *cap.* 3 *hoc tit. ne ex necessitate legis, et Sacramento colorato perjurium committatur, l.* 2. *C. de indic. viduit. tol.* Canones, qui perjuria puniunt, visos perjuriis aperiunt, et tamen in uxore dimittenda, quæ non jure ducta est, jusjurandum hujusmodi recipitur, *cap.* 2. *inf. qui cler. vel vov. mat. contrah. poss.* Jusjurandum, inquam, ita conceptum, ut habetur in *can. ab isto die*, 35. *quæst.* 6.

AD CAP. *Vestra.* VII.

Præterea, quæ diximus nudiustertius in *tit. de cohabit. cleric.* definitur hæc quæstio, an rite possit quis, et impune sine fraude interesse sacris, quæ facit is, qui concubinam habet vel focariam, qui, inquam, quo in alio flagitio dedecoro volutatur, vel etiam, an de manu ejus rite, et legitime sacramenta sumere possit? Qua in re canones invicem pugnare videntur. Alii enim vetant scientem interesse sacris, quæ ille homo sacratus tractare audet, *can. nullus* 32. *dist. can. si qui sunt*, 81. *dist. c.* 2. *eod. t.* 5. *in coll.* Alii vero canones interesse permittunt, nec probrum quicquam clerici obesse ajunt, aut infuscare fidem Christianam ejus, qui ad eum accedit, *can. ult.* 15. *quæst. ult.* quam pugnam Lucius 3. in *cap* 7. *hoc tit.* in tranquillum confert, scribens magistro, et fratribus militiæ sancti Jacobi de Spada (sic restituenda est inscriptio cap. 7.) qui ordo est in Hispania. Adhibet autem sedandi hujus dissidii causa distinctionem hujusmodi: aut notorium est crimen clerici, aut occultum. Si notorium, ut puta si hujus criminis peractus sit reus, vel si de eo crimine in jure confessus, vel si res adeo manifesta est, ut neque accusatorem requirat, neque testem, neque judicem, ut *cap.* 8. *et cap. ult. hoc t. cap.* 3. *de test. cog. cap.* 21. *sup. de jurejur cap* 9. *inf. de accus. cap.* 3. *de eo, qui cogn. consang. can. manifesta, et can. seq.* 2. *quæst.* 1. Hoc vero casu, neque ministeriis ejus clerici interesse oportet, neque sacramenta ab eo percipere scientem prudentem, nisi forte baptismum in ultima necessitate: cum et salutarem aquam recte conferat hæreticus, et schismaticus, modo id faciat ritu, et more ecclesiæ universæ, ut ait Pontifex in *can. præter hoc*, § *pen.* 32. *dist.* Ergo et Arrianus rite dat baptismum, si modo id faciat, ut faciebat quoque, more ecclesiastico, puta in nomine Trinitatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: licet non idem sentiret de essentia Patris. et Filii, *can. de Arrianis, de consecr. dist.* 4. et *conc. Arelatensis* 2. *can.* 17. non si alia in tingendo formula, qua alii hæretici utuntur, ut Paulianistæ, et Cataphryges, qui non tingebant in Trinitate, *can. si quis confugeret* 1. *quæst.* 1. *can. si vero, de consecr. dist.* 4. Ubi tamen, qui Cataphrygib. junguntur Bonosiani, a Bonoso Episcopo dicti, non recte jungi videntur, qui Bonosiani Baptizabant in Trinitate, ac sane puto pro Bonosiani, esse legendum Paulianistæ, et Cataphryges, ut in *sup. d. canonibus.* Nam sicut Arriani, ita Bonosiani baptizabant in Trinitate, ut patet ex *canone* 17. Arelatensis 2. Synodi. Sed de his satis. Hoc tantum addam, non esse servandam scrupulosam, et contumacem illam differentiam, quam interpretes faciunt, cum de iis, quæ notoria dicuntur, tractant, inter manifestum, et notorium. Hæc enim quatuor, publicum, manifestum, evidens, notorium, εἰς ταυτὸν φέρονται, idem possunt, *cap.* 3. *de consanguin. et affin. cap.* 1. *qui mat. accus. cap* 4. *de divort.* At ut ad alteram partem Lucianæ distinctionis veniamus, si probrum clerici fuerit occultum quid est occultum? puta, quod Ecclesia, vel accusator nemo publice coarguit, et damnavit, pro occulto et incognito nobis haberi debet, quamvis de eo publice nonnulla increbuerit fama. Nec enim famæ, aut rumori temere credendum est, *cap.* 2. *hoc tit. cap.* 5. *de eo qui cog. consang. uxor. cap* 6. *sup. de fide instr.* alioquin inquit Fabius, *fraude inimicorum falsa vulgantium sæpe fama noceret etiam innocentibus. Famæ sæpenumero malignitas initium credulitas incrementum dat.* Qua de re etiam multa Æschines contra Timarchum. Fama igitur notorium non facit, sed ut cautius scriptum est in *cap.* 33. *sup. de jurejur.* quasi notorium: aliud est notorium, aliud longe, quasi notorium. Illo articulo, quasi in utroque jure dici non potest, quam multæ solvantur quæstiones et difficultates. Pertinent vero etiam ad hoc, quod de fama dicimus, quod ait in *cap.* 8. *hoc tit.* non testimonia, quæ rumor spargit, atque circumfert, etiamsi dicantur esse quorundam bonæ existimationis hominum, sed testibus tantum in judicium productis esse credendum in *l.* 3. §. *Idem Divus de testib. c.* 2. *inf. qui matrim. accus. poss.* M. Tullius pro Prosthumio: *iisdem testibus*, inquam, *et quidem non productis, sed dictis testium recitatis, quasi præjudicata res ad has causas deferentur*: quasi dicat, minime vero. Corn. Tacitus libro de oratoribus: *Testimonium in judiciis publicis non absentes, nec per tabellam dare, sed coram, et per præsentes.* Potest tamen Episcopus, ut decernitur in hoc cap. 8. si quam premit fama nimie, atque differat domi habere scortillum, et concubinam: potest, inquam, hoc casu Episcopus, neganti se habere, indicere purgationem Canonicam unacto jurejurando, tam ab eo, quam ab aliis, quos dixerit innocentiæ suæ testes, qui vulgo sacramentales dicuntur, qui jurati dicant se credere ita esse, ut ille juraverit, nullam se domi alere concubinam vel focariam, ut *cap.* 5. et 13. *de purg. canon.* nolentem vero præstare purgationis jusjurandum, potest Episcopus quasi confessum et convictum ab omni officio et beneficio removere, *d. cap.* 8. *hoc tit. cap.* 7. *de purgat. can.* Et perinde igitur esse, atque si notissimum et compertissimum esset, eum habere concubinam et focariam, et iterum admonitus eam domo ejicere, non exegisset. Hujus vero jurisjurandi, quod purgationis jusjurandum dicitur, origo, et exemplum sumptum est ex jure civili, *l.* 4. §. *Sed si serens. de edend. l.* 6. §. *Sicubi. de iis, qui ad Eccl. confug. l. ult. in fin. C. de bon. auct. jud. poss.*

AD TITULUM III.

De Clericis conjugatis.

Titulus III. libri 3. Decretalium est *de clericis conjugatis*, cujus decreta corroborant distinctionem, quam veteres canones faciunt inter

clericos in sacris ordinibus constitutos, et clericos inferiores in causa contrahendi matrimonii, quam distinctionem exposuimus satis emple in *cap.* 12. *t.* 1. *h. lib.* Etsi vero decreta h. t. indistincte cujuscunque gradus clerico post clericatum uxorem ducenti auferant quodvis officium aut beneficium Ecclesiasticum, administrationem quoque et dignitatem Ecclesiasticam, et omne privilegium clericale, tamen inferioris gradus clericum veluti cantorem, aut lectorem, uxorem, quam duxit, retinere jubent, *cap.* 4. *in* 1. *coll. eod. tit.* Superioris autem gradus clericum jubent uxorem dimittere, quam duxit post clericatum, c. 1. *hoc tit.* quod pars est *d. cap.* 4. *cap.* 2. *eod. t. de cler. conjug.* in 5. *coll.* nondum edita. Jubent inquam, uxorem dimittere, simul et officio, ut ante dixi, privant beneficio ac dignitate Ecclesiastica, quoad scilicet post longam pœnitentiam longave jejunia tormentaque corporis ex indulgentia Episcopi officio et beneficio suo restituti fuerint. Sufficit indulgentia Episcopi, nec necessaria est indulgentia summi Pontificis, *cap.* 4. *hoc. t. cap.* 1. *inf. qui cler. vel vov. cap.* 4. §. *ult. de jud. sup. can. si qua virgo,* 27. *qu.* 1. Ad hæc notandum, etiam inferioris ordinis clericum, si uxorem duxerit, non solum eam retinere posse, sed etiam conivente Episcopo, beneficium Ecclesiasticum, modo simplex fuerit, id est, sine cura animarum, *cap.* 1. et 2. *hoc tit. cap. pen.* et *ult. eod. tit. in* 1. *coll.* Quod et Hostiensis probat in *cap.* 8. *hoc tit.* contra Bernardi scholia. Et de hoc genere beneficii, simplicis scilicet, cui non cohæret curatio animarum, accipi debet c. 7. *hoc. tit.* beneficium cui cohæret cura animarum, non posse retineri. *Ceterum oblata cura animarum quasi indignis.* ut ait cap. 3. ne, ut fit, *per eos minuantur Ecclesiæ facultates, et augeatur res familiaris uxoris, et liberorum gratia,* in quos homines propensissimi sunt, ut ait cap. 5. atque ita paulatim fiant beneficia hæreditaria, ut olim erant inter sacrificulos vanæ superstitionis paganorum. Ablato, inquit iis, qui in clericatu inferiori uxorem duxerint, beneficio habente curam animarum, et quæ bona proprie forte antequam matrimonio conjungerentur, possiderent, Ecclesiæ, cujus curam gerebant, continuo eorum dominium ipso jure recipiunt, ex sententia cap. 3. quod singulare admodum est: auferri autem eis beneficia per causam matrimonii, quo abstinere non potuerint, quibus antequam uxorem ducerent amicti, ut honestati sunt; vel etiam, quibus ab Episcopo ignorante, postea eos uxorem duxisse: imo et quæ sciens Episcopus beneficia eis donaverit: quo tamen casu Episcopus ipse, qui sciens eos uxores habere, ea beneficia donavit, non aufert, ne revocet, quod indulsit semel, sed ea aufert Metropolitanus, *cap.* 5. *hoc. t.* in quo quod ait, *ideo clerico uxorem ducenti beneficium Ecclesiasticum auferri, quia divisus est, quod est, quia si et uxorem et beneficium retineat duplici cura distrahitur, uxoris et Ecclesiæ.* Qua ratione utitur etiam Alexand. III. in *cap.* 2. *eod. tit. in* 1. *collat.* Id vero ducit ex c. 7. ad Corinth. vulgaris translationis. Ceterum alia est Tertulliani translatio in lib. *de virg. veland.* nimirum hæc, *divisa est mulier et virgo,* quod est, longe aliter esse mulierem, id est, nuptam atque virginem. Virginem cogitare, quæ Dei sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu, mulierem, quæ sunt hujus seculi satagere, cogitare, curare, puta, ut placeat viro, ut liberos procreet, ut tueatur rem familiarem. Et congruit sane magis hæc lectio contextui Græco, quam vulgari. Hieronymus modo hanc, modo illam sequitur. Nobis igitur et hoc sit ἀδιάφορον. Et ut cetera, quæ sunt in hoc titulo expediam in *capit.* 2. et cap. 8. quod pars est *cap.* 12. *tit.* 1. definitur, eos qui uxorem habent, non posse admitti in clerum, non posse admitti ad officia, administrationes, dignitates, beneficia Ecclesiastica: etsi qui forte clerici facti per obreptionem impetraverint, quam primum eis adimenda esse. Quod tamen Græci nunquam observarunt, atque ideo nec filios procreatos ex legitimo clericorum matrimonio unquam a clero removent, *d. cap.* 12. *in fin. sup. tit.* 1. et *cap.* 6. *hoc tit.* Quod quidem cap. 6. id observatu dignum est, scriptum est ad Acherontinum Archiepiscopum, qui est in magna Græcia, id est, in Apulia, vel Calabria, et sub eo Aglionensis Episcopus, et Triaricensis. Sic legendum in illo cap. 6 et in libro fiscali Romani Pontificis. Refert autem in illo c. 6. perquam aperte Innocentius, Orientalem Ecclesiam, id est Græcos, votum continentiæ non admittere. Quoniam, inquit, *Orientales in minoribus ordinibus constituti matrimonia contrahunt, et constituti in majoribus utuntur matrimonio jam contracto, antequam conscriberentur* in *clerum.* Nec absurdum esse existimant, si in eadem sede morentur eodemve homine matrimonium, et clericatus, si votum matrimonii, quod est prius, et firmius igitur, statuemus, non elidi sequenti voto clericali. Et hoc sane, ut docui in d. cap. 12 congruit omnino cum antiquis canonibus. Et consequens igitur est, filios ex his clericis procreatos, qui sunt in magna Græcia, Episcopos nominari, et eligi recte riteque de sententia Canonicorum cujusque Cathedralis Ecclesiæ: nisi, ut ait in d. cap. 6. aliud suadet contraria consuetudo, quæ invaluerit, et obtinuerit in Græcis versantibus inter Latinos. Nam etsi Apulia et Calabria dicatur magna Græcia, et exotica Græcia apud Plautum, tamen est in Italia, in Latio, in Occidente, non in Oriente. Quamvis autem in ipsa Græcia Orientali et transmarina mos ille consentiens cum antiquis canonibus, isque illud antiquum approbetur a Romanis Pontificibus, *d. cap.* 12. et *d. cap.* 6. *hoc tit.* tamen in Occidentali et Latiali Ecclesia, idem Romani Pontifices non probaverunt. Imo et maritos majoribus ordinibus indignos esse existimaverunt, ut patet ex antiqua et integra Decret. *cap.* 2. *hoc tit.* nec ullos omnino clericos uxores habere voluerunt. Proinde illos tantum clericos ordine clericali dignos esse censuerunt, qui cælibes semper fuissent, vel qui unam tantum, eamque virginem, non viduam uxorem habuissent et ante clericatum habere desiissent, *d. cap.* 2. *hoc tit.* Nam qui duxit viduam pro bigamo habetur. Bigamus, ut vidua, bigamum facit. Et bigami nunquam recipiuntur in clerum. Jus vero illud Occidentale non admittendi maritos in clerum, nisi ab uxoribus diverterint, in Italia fertur introduxisse Gregorius VII. idque Lambertus Schafnaburgensis Monachus Harveldensis in libro *de rebus gest. Germanorum* scribit, Gregorium VII. fecisse secundum instituta antiquorum canonum, quod non est verum. Galliam autem et Germaniam jus illud non recepisse, aut certe tardius, et perquam ægre recepisse, ut constat ex Epistola ad Nicolaum III. Udalrici Episcopi Augustani de cœlibatu cleri. Et ex eo etiam, quod de S. Hilarii, et Episcoporum Gallorum matrimonio Baptista Mantuanus, alter Mantuanus Poeta, cecinit in hunc modum:

Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor
Legitimo conjuncta thoro, non horruit illa
Tempestate Deus, thalamos, cunabula, tædas,
Sola erat in pretio, quæ nunc incognita virtus
Sordet, etc.

Versus elegantissimi. Calixtus vero secundus tandem effecit atque perfecit, ut et Gallia non reciperet, vel retineret maritos in Clerum, denique nec sivit clericos ullos sibi uxores adsumere. Quamobrem et in illum, ut credo vos audisse, feruntur hi versus Leonini:

O bone Calixte, nunc omnis clerus odit te,
Olim Presbyteri poterant uxoribus uti.
Hoc destruxisti tu, quando Papa fuisti,
Ergo tuum festum nunquam celebratur honestum.

In Gregorium septimum etiam fertur hoc distichon:

Nudipes Antistes, non curat clerus ubi stes:
Dum non incedis, stes ubicunque velis.

Et de his satis. Quod dixi supra obiter, clericum ducta uxore privilegio clericali excidere, utique verum est, etiamsi, quod plerunque faciunt quidam in fraudem fisci, ne solvant portoria, vel subeant munera publica, quandoque habitu clericali procedant; id habetur in *cap.* 7. et *cap. pen. hoc tit.* et cum cap. pen. quod est scriptum ad Berengariam, quandam Reginam Angliæ, cujus etiam fit mentio in *cap.* 15. *sup. de for. compet.* conjungendum est, quod et ad eandem Reginam scriptum est, *cap.* 27. *de privileg.* Nupserat illa Richardo primo Regi Anglorum, quo defuncto cum illa se contulisset in agrum Cœnomanensem, ut est in antiqua Decretali, *d. cap.* 7. et *pen. collect.* 5. In eo agro, sive territorio Cœnomanensi clerici quidam, quos in hoc *cap. pen. literatos* vocat, ut idiotæ nostrates vocant, uxorem habentes certis in prædiis, quæ ad jurisdictionem ejus pertinebant, jurisdictionis ejus evitandæ, et onerum publicorum evitandorum causa, se quandoque gererent pro clericis, modo insigniti schemate, et habitu clericali, modo comati laicorum more, ut ex usu eorum erat. Generaliter definit Pontif. in hoc cap. pen. non posse clericos, qui uxores duxerunt, uti privilegiis clericalibus, et non coguntur quidem Clerici hujus generis incedere habitu clericali, vel tonsi, vel etiam erasi clericorum more, ut est constitutum *cap.* 7. et *cap. ult. hoc tit.* quod scriptum est Episcopo Lincolniensi. Sed hoc tamen Cœnomani illi homines astuti, et ad rem suam attenti ultro usurpabant, assumpto scilicet schemate et habitu clericali in fraudem juris fiscalis, quod Pontifices summopere improbant.

AD TITULUM IV.

De clericis non residentibus in ecclesia, vel præbenda.

Titulus IV. est *de cleric. non residentibus in Ecclesia vel præbenda.* Et in eo scilicet agitur de clericis, qui emanent, et evagantur, vel deserunt Ecclesias, in quibus summum sacerdotium obtinent, vel qui deserunt ministerium Ecclesiæ, cujus gratia ex divisione, quæ fit inter clericos; partem, et annonam, et justa, ac sufficientia præbita quotannis ferunt, panesve præbendarios, ut loquitur antiquus interpres Juvenalis. Et sub nomine Ecclesiæ in hoc *tit.* significatur episcopatus, sub nomine præbendæ ministerium, aut beneficium in *cap.* 4. Utrumque nomen idem potest. Ac primum quidem in hoc tit. agitur de parte prima, de Episcopis, ne ex una ecclesia temere migrent in aliam lucri et majoris emolumenti gratia, ut puta ex minore civitate ad majorem. *Viæ enim illi,* ut ait, *sunt, qui ex majori ad minorem transeant.* Episcopi plerique nihil, nisi lucrum spectant. Quo lucri verbo et in causa sacerdotiorum Hieronymus utitur in *can. legimus,* 93. *dist.* Est enim ibi legendum hoc modo absque dubio, ut constet ex autographo Hieronymi: *si ex Diacono ordinatur Presbyter, noverit se lucris minorem, sacerdotio autem esse majorem.* Et de Paulo Samosateno, a quo dicti sunt *Paulianistæ,* vel *Pauliani* hæretici apud Eusebium 7. *hist. Eccl. cap.* 30 etiam legimus eum, quod et de plerisque aliis hoc maxime exulcerato tempore dici potest, eum, inquam, accepisse cultum Dei pro reditu, et veluti obventione quadam pecuniaria: πορισμὸν ἡγούμενος τὴν εὐσέβειαν: *il estimoit la pieté pour le revenu.* Est autem hoc cap. 1. ex Synodo Sardicensi. Idem tamen cavetur etiam Antiochena *can. si quis Presbyter,* cum *seq.* 7. *q.* 1. Et Nicena: sed non de Episcopis tantum fuit, et de reliquis clericis, veluti de Presbyteris et Diaconis. Imo et de Monachis, *can. ult.* 20. *q.* 4. ne de civitate in civitatem transeant, nisi urgente necessitate aliqua, aut justa, et probabili causa. Hujus exempla quædam proponuntur in sequentibus capite, inquam, a minore civitate transfugiant, et ad majorem aliam

devolent. Idem quoque cavetur Synodo Calcedonensi, *can. clericos*. 71. *dist.* Et ratio hæc est, quia non potest quisquam clericus ordinari simpliciter et absolute, ἀπολελυμένως, ut Paulus loquitur, quin adscribatur et ut loquitur *cap. 3. sup. hoc tit.* et *can. Sanctorum*, 70. *distinct.* quia intituletur Ecclesiæ certæ, ex cujus reditu alatur, vel Martyrio, vel Monasterio. Quo vero in loco sacro semel dederit nomen, quo adscriptus, locatus, titulatus fuerit, perpetuo in eo perseverare debet, nec potest, ut desertor vel emansor, vel desultor, vel transfuga levissimus ab uno loco ad alium emigrare. Verum huic decreto Patrum Synodus Sardicensis addit sanctionem gravissimam, ut Episcopus, qui ita transfugerit, deserueritve militiam Ecclesiasticam, qui ex una Ecclesia transit ad aliam, ordine, sive Episcopatu moveatur, et excommunicetur, adeo ut nec cum laicis fidelibus communicare possit: quod tamen aliis clericis desultoribus permittit *canon Apostolorum*, 15. Puto et ex sententia Synodi Sardicensis nec talem Episcopum cum laicis convivia agitare posse, ut *can. constituimus*, 17. *q.* 4. *can. de his, de pænit. distinct.* 5. Quoniam interpretes Græci hujus Canonis Sardicensis talem Episcopum excludunt, et arcent omni conventu (vel ut loquuntur, καθαρῶνται) fidelium. Eandem vero ob causam in *c.* 2. *hujus t.* refertur ex gestis Romanorum Pontificum in Synodo Romana, quam habuit Leo quartus consilio, ut ait, Lotharii et Lodovici Imperatoris, Anastasium quendam Cardinalem presbyterum ordine motum fuisse, quod sua Parochia longe abesset, et jam per quinquennium abfuisset, ubi parochia, sive parœcia, ut multis aliis locis, proprie dicitur, quæ hodie vulgo διοίκησις. Est enim proprie parochia Episcopatus uni civitati attributus. Diœcesis verbum plures continet. Episcopatus, qui uni respondent Primati, vel Patriarchæ, vel Archiep. Scribendum autem esse in hoc *cap. 2. Leo*, 4. non, ut vulgo, *Leo*, 3. quod Ant. Augustinus adnotavit, verissimum esse comprobat inscriptio *canon. Beatina*, et *canon. inter nos*, 63. *dist.* Et Lotharius quidem, et Ludovicus, quorum consilio dicitur Leo 4. hanc Romæ Synodum congregasse, est Lotharius filius Ludovici Pii, et Ludovicus nepos ejusdem Ludovici Pii ex Lothario, ut fideliter exposuit Lupoldus in libro de jur. Imp. Rom. Consilio igitur Lotharii et Ludovici, id est, consilio patris et filii. His vero, quæ decernuntur in *cap.* 1. *et* 2. *h. t.* consequens est, et necessario consequens, quia duobus in locis nemo unus consistere potest, nec duobus rebus necessario sufficere, ut ait *l. ult. C. de assessorib.* hic, inquam, consequens est, quod proponitur ex Concilio Lateranensi *cap. 3. h. t.* et *cap. 2. de instit. in 3. coll.* Concilium Lateranense intelligitur quod habitum est sub Alexandro III. et semper, ubi legis Concilium Lateranense in jure canonico, intelligas id Concilium, quod Romæ habitum est in Basilica Lateranensi sub Alexandro Tertio semper. Cum vero leges ex Concilio generali, nullo alio addito, intelligas Concilium aliud Lateranense, quod habitum est sub Innocentio Tertio. Proponitur igitur in *cap. 3. hoc. tit.* ex Concilio Lateranensi habito sub Alexandro Tertio neminem duabus aut pluribus parochiis præesse posse, aut plures dignitates Ecclesiasticas in una Ecclesia, vel diversis Ecclesiis obtinere, et non tantum ei, qui obtinuit, auferri posteriorem parochiam, vel dignitatem, vel etiamsi eam retinere tentaverit, utramque, sed etiam ei, qui contulerit posteriorem, auferri potestatem amplius dignitates, aut beneficia conferendi. Quod confirmat Concilium Lateranense generale habitum sub Innocentio Tertio, *cap. de multa, inf. tit. prox. cap. dudum*, 2. *sup. de elect. cap. litteras, de concess. præb.* et in *cap. 2. de offic. vicar.* Et verum sane est in dignitatibus, etiamsi eis nulla sit annexa cura animarum, et generaliter, ut habetur in *cap. 1. et 2.* 21. *quæst.* 1. nullus clericus duplici titulo duarum Ecclesiarum fungi potest, id est, in duarum civitatum Ecclesiis ministeria religionis impendere non potest. Negotiationis enim, ut ibi dicitur, et αἰσχροκερδίας, turpis lucri hoc est proprium, et a Christiana religione alienum est, et omnino avaritiæ certissimum argumentum, si quis affectet præbendas plures, plura beneficia, ministeria, dignitates, Episcopatusve plures, quinimo nemo duobus monasteriis, ut Abbas præesse potest, *cap. unum*, 21. *dist.* 1. *quæst.* Usurpare hæis liceat vocem illam de via collectam Græcorum, ἓν πρὸς, ἓ un à un, una Ecclesia unius sacerdotis, ut est scriptum in *cap. 15. inf. tit. prox.* Quod præterea ex Concilio Lateranensi definitur in *cap. 3.* convenienter iis, quæ præcedunt his verbis: *ut ministerium, beneficiumve Ecclesiasticum ei committatur, qui in loco residere possit*, mallem *permanere et perseverare in ministerio suo*. Nam residere est desidis et ignavi hominis, quique possit et per seipsum ejus loci curam agere, nec indigeat vicaria alterius opera. Idem inquam, repetit Alex. Tertius in *cap.* 4. ut addat ea verba, *qui possit residere per seipsum* ea verba esse accipienda cum effectu, et auctores juris civilis monent sæpe, verba edictorum, vel verba legum esse accipienda cum effectu, *l.* 1. § *ult. quod quisque juris ut in al. stat. l. ult.* §. *Antepen. ne quis eum, qui in jus. voc.* Verba itaque concilii superioris, synodi superioris, esse accipienda cum effectu, nempe, ut talis constituatur in Ecclesia minister, non qui possit residere simpliciter, si velit, sed et qui resideat. Eum itaque, qui non residet, vel qui non decrevit residere in Ecclesia, vel præbenda sibi concessa, ab ea repellendum et removendum esse, nisi Episcopo exhibitus fuerit: removendum si in ea institutus fuerit, *s'il y a été installé deja:* nisi permissu Episcopi superioris, vel Metropolitani studiorum causa, vel qua alia ex causa honesta abait ad tempus, ut *cap. 1. eod. tit. 2. coll. cap. 2. inf. hoc. t. cap. 3. eod. t. 5. coll.* Studiorum causa justissima est absentiæ causa: imo præsens potius, quam absens videtur esse, qui alio profectus est ad tempus studiorum causa, nec est fraudandus divisionibus, sive erogationibus ecclesiasticis, aliisve, emolumentis interim, dum agit alibi studiorum causa, et eum non haberi pro absente etiam leges nostræ confirmant, *l. Quæsitum. de leg. 3.* et *l. Seja.* §. *Pamphilæ. de instr. vel inst. leg.*

AD CAP. *Fraternitati*. V.

In hoc capit. Pontifex rescribit Eboracensi Archiepiscopo, sic est restituenda inscriptio, clericum Ecclesiæ, in quam electus et conscriptus est, discedere, et in aliam se conferre, ibique ministerio Ecclesiastico non posse fungi sine commendatitiis litteris sui Episcopi, vel Metropolitani, vel Patriarchæ, vel mandatu summi Pontificis. Quæ constitutio patrum vetustissima est, e quibus commendatitiarum illæ epistolæ ex 2. *ad Corinth. cap.* 3. dicuntur συστατικαὶ epistolæ, ut *Justin. Nov.* 6. et *can. Apostolorum*, 12. et 33. *et Sardic. Synodi can.* 9. et *cap. 3. sup. de cler. peregrin. can. duæ sunt*. 19. *quæst.* 2. His etiam addi velim Calcedonensis Synodi Canonem 13. in quo tamen, quod residet mendum, non patiar inolescere. Vulgo ita legitur: Ξένους καὶ κληρικοὺς, καὶ ἀναγνώστας ἐν ἑτέρᾳ πόλει δίχα συστατικῶν γραμμάτων τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, μηδὲ ὅλως μηδαμοῦ λειτουργεῖν, id est, *peregrinos clericos, et lectores extra civitatem suam sine commendatitiis litteris proprii Episcopi, ministerio Ecclesiastico fungi non posse.* Cur lectores potius dixit, quam psaltas, vel ἀκολύθους, vel alios clericos? aut cur lectores separat a clericis, ac si lectores, sive ἀναγνῶσται, non sint clerici? Zonaras rectius perspicue ἀγνῶτας non ἀναγνώστας, *peregrinos clericos et ignotos sine commendatitiis litteris etc.* Inde vero factum est, ex delicto nimirum illo, sive mendo, ut in translatione latina, *can. extraneo*, 71. *dist.* legatur, *extraneo clerico, et lectori*, cum sit legendum, *extraneo clerico, et ignoto.* Et idem tamen mendum, aut simile etiam ipsum Zonaram invasit in interpretatione Apostolorum can. 12. Porro commendatitias, sive συστατικὰς Epistolas etiam Canonicas vocat, quæ tamen appellatio generalis est, ut Laodicenæ Synodi can. 41. et Antiochenæ can. 7. et *canon.* 36. ex eadem Antiochena *de consecr. dist.* 5. Quem locum excutiam breviter. *Non oportet*, inquit, *ministros altaris*, id est, *sacerdotes*, ut Ivo recte interpretatur parte 6. sui Decreti, *vel alios clericos sine litteris canonicis sui Episcopi iter facere, aut peregre proficisci.* Ubi vulgo additur, idem et laicos servare debere. Quam scripturam etiam Ferrandus sequitur, Diaconus Carthaginensis. Caret tamen et auctoritate et ratione, ut laici non possint peregre proficisci sine commeatu Episcopi. Nec juvatur *canone* 12. *Apostolorum*, qui loquitur tantum de excommunicatis, vel non receptis in Ecclesia. Porro commendatitias litteras vocat εἰρηνικὰς, id est, *sequestras pacis*, quæ pacem adferunt et conciliant, *d. can.* 7. et can. 8. Synodi Antiochenæ vocat et dimissorias, sive ἀπολυτικὰς, *can. ult.* 72. *dist.* et Constantinopolitanæ Synodi habitæ in Trullo, quod erat palatium Imperatoris, *can.* 17. Vocant et formatas plerumque, ac sæpissime formatas epistolas. Etiam Sidonius Apollinaris *lib. 6. Epistolar. profecturo*, inquit, *cum me epistolam clerico debuisse formatam.* Et formula quoque formatæ extat 73. *dist.* Dictum autem est, illud formatæ nomen ex eo, quod verbis certis et solemnibus formata conciperetur, adhibitis notis et signis quibusdam, sive permistis. Et invenio eo quoque nomine Græcos uti, Carthaginensis Synodi *cap.* 23. in quo commendatitiam Epistolam patres vocant τετυπωμένην, id est, formatam, hoc addito, τὴν παράκλησιν, est; *intercessionem.* Quo exemplo fretus recte dicas, sine intercessione sui Episcopi clericum, sua Ecclesia deserta, non posse adspirare ad aliam, non posse recipi in alia. Non est omittendum, quod Chalcedonensis Synodi *can.* 11. proditum est a commendatitiis litteris, sive systaticis εἰρηνικὰς separari modico intervallo, quasi hæ scilicet tantum dentur humilioribus, illæ honestioribus, τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει *qui sont en reputation.* Quod autem Gratianus in *can. Ecclesiis*, 63. *dist.* separat formatas a commendatitiis et pacificis litteris, quasi scilicet hæ dentur etiam a Chorepiscopis, illæ non nisi ab Episcopis, id tu quæso fuge credere, cum et ipsemet Gratianus *distinct.* 73. confundat has omnes appellationes, et aperte scriptum sit in *can. ult.* 71. *distinct.* ex Synodo Antiochena, *nullum absque formata, quam, inquit, Græci εἰρηνικὴν vocant, peregrinorum clericorum suscipi oportere ab Ecclesia:* vulgo legitur fateor, sed perquam inepte, quam Græci epistolam vocant, pro εἰρηνικὴν, ut legitur in ipsa Synodo. Non est etiam verum, formatas dari ab Episcopis, et commendatitias, vel pacificas dari a Chorepiscopis: quod Gratianus detorsit prave ex Antiochenæ Synodi can. 8. quo cavetur, *Presbyteros, qui secundi sunt ab Episcopis, non dare Canonicas*, idest, *systaticas*, *Chorepiscopos tamen dare εἰρηνικὰς, humilioribus scilicet.* Chorepiscopos, idest, Vicarios Episcoporum, ut Ferrandus et Cresconius interpretantur. Interpretatione vero Sigeberti, Archidiaconos. Sed de his satis.

AD CAP. *Conquerente*. VI.

Cap. 6. scriptum est ad Lincolniensem Episcopum in Anglia, et omnino congruit cum Concilio Lateranensi, quod jam supra propositum est *capit.* 3. et 4. Hoc enim vult, ut clericus qui una in Ecclesia idoneum beneficium adeptus est, quo vitam tolerare possit, non ambiat aliud, vel teneat alia in Ecclesia, cui non det operam, cui non serviat. Dico idoneum beneficium, quo tueri se et alere possit, non quod si quo primum donatus est, vitæ non sufficiat, aliud ei optare et obtinere liceat: quod sane non licet uni Ecclesiæ semel adscripto: quin si quid sibi desit, id potius parare sibi debet sua industria et sudore, *can. clericus*, 91. *dist.* 8. ut sit imitator Apostolorum, et Doctoris nostri et comitum ejus, qui suis sibi manibus parabant, quæ suppeterent ad cultum et ad victum.

AD CAP. *De cetero.* VII.

Adnotandum c. 7. est, multas esse causas, vel necessarias, veluti causas adversæ valetudinis, vel justas et honestas, quibus excusari absentia clericorum potest, ne sportulas et fructus beneficiorum amittant, veluti studiorum causa, ut didicimus *sup. ex capit. quarto*, et constat etiam ex *cap. super ult. infr. de magistris*, si modo clerici, qui sibi degunt studiorum causa, studiis serio invigilent, et in schola et universitate aliqua celebri, non si dolo malo per speciem studiorum in villis, aut castris morentur, indulgentes genio, aut ubi nulla vigeant aut exerceantur studia litterarum, quæ est sententia *cap. 12. h. t.* Ubi usurpatur illud, quod est tritum in jure civili, neminem dolum suum patrocinari posse. Est et hæc absentiæ justa causa si unus, vel ad summum duo clerici: nec enim supra duos excusari tertius potest: si, inquam unus, vel duo clerici sint in obsequio Episcopi sui occupati, et multo magis si in obsequio maximi Pontificis, c. 14. et 15 *h. t.* ut qui semper agunt circa latus maximi Pontificis Episcopi sex, Hostiensis, Portuensis, Sabinensis, Albanus, Prænestinus, Tusculanus. Illis, qui sunt in obsequio sui Episcopi, simulque cum Episcopo dant operam his rebus, quæ Ecclesiæ universæ utilitatem respiciunt, et multo magis his, qui sunt in obsequio Maximi Pontificis, quasi præsentibus servandi sunt fructus omnes, et distributiones summariæ, διανομαὶ sive quæ fiunt in vices divisionis quotidianæ. Sic vocantur in jure civili, *l. Si quid relictum. l. Civitatibus. de leg.* 1. *l. Cum quidam. de ann. leg.* et a quibusdam etiam manualia vocantur, *cap.* 1. *de cleric. non resid. in sexto.* Ab his diversa sunt victualia, in hoc *capit.* 7. ejusmodi sunt panes præbendarii, qui in dies consumuntur: hi non reservantur absentibus, ne his quidem, qui sunt in obsequio superiorum. Et ea forte intelligit Pontifex in *capit.* 13. *h. t.* quod scriptum est præposito de Valerna, qui residet in Ecclesia Turonensi S. Martini, *Præpost. de Valera*, sive Præpositus, de quo specialiter agitur in hoc cap. 13. Ecclesiæ Turonensi abesse cogatur, jurium præpositura competentium conservandorum, et persequendorum gratia, nec dolo malo huic absentiæ suæ colorem quæsiverit. Atque ita cum capite septimo exposui caput 13. 14. et 15.

AD CAP. *Ex parte.* VII.

Hoc cap. scriptum est capitulo Magdeburgensi. Archidiaconus quidam Cenomanensis Ecclesiæ in Gallia, erat etiam Diaconus Ecclesiæ Magdeburgensis in Germania, morabatur autem in Gallia, et per se in Ecclesia Cenomanensi Archidiaconi ministerio fungebatur, Decanatu vero in Germania forte per Vicarium, quod ei tandem ei etiam indulsit Innocentius III epistola, quæ incipit *Sacrosancta*, libro secundo, cum Cœlestino III. successisset auctori hujus c. 8. Cum vero Cœlestini tempore ille clericus jam ita se gessisset per decennium, soli Archidiaconatui suos operam, neglecto Decanatus ministerio, non emolumento, Capitulum sive universitas Ecclesiæ Magdeburgensis de sui Decani negligentia conquesta apud Cœlestinum, etiam, ut sibi eligere liceret, Decanum postulavit (Capituli est eligere Decanum, non Episcopi). Et hoc impetravit a Cœlestino facile, sub hac exceptione tamen, nisi monitus ille semel et iterum ac tertium, Decani officium per se ipsum expleret, contentusque esset alterutra dignitate, quia nec utraque fungi, vel utraque in Ecclesia considere potest. Decani officium est, ut ait hoc loco, præesse et prodesse. Præesse scilicet Presbyteris, quia Decanus et Archipresbyter idem est, *can. in capite* 50. *dist. cap.* 7. *sup. de off. Archidiac.* Et quanquam possit videri in clero tanto major esse Archipresbyter Archidiacono, quanto major est Presbyter Diacono, tamen Archidiaconus Archipresbytero præponitur, *cap.* 1. *sup. de offic. Archipresbyt. et can.* 1. 25. *dist.* Et Arnulphus Episcopus Lexoviensis in Epistolis etiam scribit, Archipresbyterum ab Archidiacono eligi, et confirmari ab Episcopo. Ex quo sequitur Archidiaconum esse Archipresbytero majorem, nisi dicas, ut Hieronymus dicit de Presbytero, et Diacono in *can. legimus, in fin* 93. *dist.* Archipresbyterum esse sacerdotio majorem, lucro minorem et emolumento. Præesse etiam Archipresbyterum Ecclesiæ dicitur hoc loco, puto, quia ei non minus, quam Archidiacono cura animarum incumbit, *c.* 7. §. *Inferiora. sup. de elect.* ut in vita S. Amandi legi Archidiaconum eorum pastoralem agere vice Episcopi. Quod autem ponit in hoc capit. Decanum abfuisse per decennium, id ponit, quia sic evenerat, non quod tot annorum absentia requiratur, priusquam Capitulum possit alium eligere, et in absentis locum substituere, cum idem in cap. seq. permittat Pontifex universitati Ragusinæ, capitulo Ragusino, si eorum Archiepiscopus vel ultra quadriennium abfuerit, et Synodus Remensis, si per quinquennium, *c.* 2. *sup. h. t.* Et innocentius III. lib. 1. Epistolarum, scribens Cisterell et Tuelini Abbatib. de Thesaurarie Ecclesiæ Byzantinæ, si per biennium abfuerit. Ac præterea, *cap.* 10. *inf. hoc t.* non circumscribitur absentiæ certum tempus, sed generaliter hoc tantum dicitur, congruo medio tempore expectatum clericum, si non revertatur Ecclesiæ suæ post admonitionem privandum esse beneficio. Quod de clericis ibi constituitur in illo *cap.* 10 qui excesserant urbe Constantinopolitana desertis suis Ecclesiis eo tempore, quo urbe expulsis Alexio et Isacio, qui de Imperio inter se certabant, capta est a Francia, et Venetis, duce Balduino Comite Flandriæ: quem aibis casnei io antiqua Decret. significant hæc verba: *Qui Ecclesias vel præbendas in hac deserunt novitate*, et in *c. inter, sup. de majorit. et obed.* quod est conjungendum cum hoc cap. utrumque est scriptum ad *Patriarcham* Constantinopol. in *cap. inter*, hæc verba *priusquam Constantinopolis Civitas caperetur*, a Francis scilicet, et Venetis, Fuit autem is Patriarcha Thomas Mauroceaus Venetus, confirmatus a Romano Pontifice, cui etiam is Patriarcha se subjecit, cum qui ante eum fuerunt Patriarchæ, Romano Pontifici nunquam se subjicere voluerint imperantibus Græcis. At urbe capta is electus Patriarcha, et confirmatus a Romano Pontifice se ei subjecit, quem et Rom. Pontifex in *c.* 5. *inf. de instit.* reprehendit pro imperio suo, quo Venetos tantum suæ nationis homines in Ecclesiis Constantinopolitanis constitueret, et Venetis cum instituerentur promiserat. Ab eo tempore cœperunt Constantinopolitani, vel Constantinopolitana Ecclesia Rom. Pontificem agnoscere, quam antea non agnoscebant, sibi arrogantes primam sedem orbis Christiani. Qua de causa et in *d. c. inter.* dicitur Constantinopolis fuisse inobediens et rebellis Ecclesiæ Romanæ, scilicet, quæ omnia nosse plurimum interest. Porro quod ait in *d. cap.* 8. non esse in locum desertoris Ecclesiæ suæ, vel emansoris, alium substituendum aliter, quam si admonitus ille prius ut reverteretur, dicto audiens non fuerit, idem confirmat *cap. ult. et penult. h. t.* Et trina monitione, vel edictione, trino programmate opus esse, etiam est expressum in *cap.* 11. *hoc. t.* Ut plerumque non censetur esse legitima monitio, vel legitimum edictum quicquam, nisi quod iterum et iterum factum, vel propositum sit, ut didicimus *sup. cap.* 2. Et origo hujus moris est in Apostolorum *can.* 30. Post trinam vero denuntiationem, et edictionem dari 6 menses ad revertendum solemne est, ut ostenditur in *cap.* 11. *hoc. et et can. placuit*, 16. *quæst.* 3. et *cap. ult.* §. *Quod. si forman, sup. ut lite non contest.* et *Concilii Milevitani can.* 25. Et ad extremum constituitur in *d. cap.* 11 non revertentem Episcopum, non tantum sua Ecclesia privari, suspendi, et excommunicari posse, sed etiam penitus ab spiritualium administratione removendum esse, non etiam discingendum omnino, id est regradandum, non movendum omnino ordine Ecclesiastico, vel clericali.

AD CAP. *Cum ad hoc.* XVI.

Hoc cap. pertinet proprie ad clericos absentes Antiochenæ Ecclesiæ, et ut ait, ad assisios ejusdem Ecclesiæ. Hi sunt, qui in aliis vicarii, in aliis Cappellani dicuntur, et Assisi, ut Hostiensis scribit. Hi sunt in servitio perpetuo Ecclesiæ, in perpetuo ἀεὶ: liberiores illis multo canonici: *ceux là ne bougent de l'Eglise.* Bernardus existimat eos etiam mansionarios appellari, quod non est verum. Hi sunt mansionarii, qui Paramonarii dicuntur in *l.* 46 *C. de Episcop. et cleric.* et *can.* 2. *Chalced. Synodi*, cujus latina interpretatio est in *can. si quis*, 1. *quæst.* 1. Villicorum genus, sive administratorum rerum Ecclesiæ, non clericorum. Revocari, inquam, absentes clericos Antiochenos, et rescindi indulgentias quibusdam eorum concessas a Rom. Pontifico, vel a Patriarcha Antiocheno. Nimirum, ut eis abesse Antiochia, sine fraude liceret, forte propter Sarracenorum Antiochiæ quotidie insidiantium incursus, impressiones, qui tandem ad extremum Antiochiam Christianis eripuerunt. Et rescindi illas indulgentias ait propter penuriam clericorum, quæ tunc temporis Antiochiæ erat non modica, ut in *l. Ut gradatim* §. 1. *de mun. et hon.* dicitur, quoties penuria est, ut ait, eorum, qui magistratum suscipiunt, immunitates ad aliquid infringi, ut Aristoteles tertio Politicorum, *Spurios civitate donari*, et *l.* 3. §. *Spurios. de Decurion. Spurios decuriones creari propter penuriam*, δι' ἔνδειαν τῶν γνησίων, et Plutarchus quodam loco, διὰ ἐρημίαν ἀνδρῶν, βελτιόνων.

AD TITULUM V.

De Præbendis, et dignitatibus.

Venio ad interpretationem tituli 5. *de præbendis, et dignitatibus*, qui titulus in commendatione famaque multa est. Priusquam vero ut decrevi, singula hujus tituli capita, ea quibus tantum ordine à explananda suscipiam, hæc præcipienda videntur: Beneficia Ecclesiastica modo appellari præbendas, ut Gulielmus Tyrius scribit libro 10. *de rebus gestis in Oriente*, modo ordinationes, ut *can. ex multis* 1. *quæst.* 3. modo Canonicas, vel Canonias, sic appellantur variis, vel Canonicatus quod Canonicis dentur et debeantur. Nec enim semper statim, atque institutus quis Canonicus est, ei præbenda datur, sed postea, cum se facultas offert, et vacat aliqua præbenda: neque enim præbendæ beneficio Canonicus fraudandus est, et interim, dum expectatur occasio, sive facultas dandæ alicujus præbendæ Canonico, usus est communis cum ceteris Canonicis in choro, et capitulo, et in participatione divinorum, et in recitatione lectionum, et Evangelius, et in divisionibus quotidianis, *c.* 9. et 19. *hoc. t.* Non omnes igitur Canonici continuo et Canonici præbendarii sunt, non omnes Canoniæ præbendæ, at ex contrario, non omnes præbendæ sunt Canonicatus, *cap. pen. inf. de magistr.* c. 25. *de præbend. in* 6. Et ad differentiam quoque earum Canoniatam, quæ nondum præbendis auctæ et locupletatæ sunt, sane dicuntur Canoniæ præbendæ, *cap.* 7 *e-d. in* 1. *coll.* et Canonici præbendarii, *can. sanctorum* 70 *dist.* Canonici qui percipiunt fructus præbendarum, *can.* 14. *et* 15. *sup. t. prox.* Sicut panes, qui Canonicis præbendariis plerisque in locis quotidie præbentur, panes præbendarii: sumpto exemplo a Cornuto, vel nescio quo alio veteri Juvenalis interprete, nondum excusso, qui *panes præbendarios* vocat panes, qui in dies servis eroganiur, quæ sufficientia dixit Ulpianus lib. 8. de offic. proconsulis, apud Licinium Rufinum, justa præbita, Columella 1. *cap.* 8. Yvo Carnotensis Epist. 75. *Canonicis*, inquit, *dedi dimidiam præposituram, ut inde facerent panes quotidianos, qui eis erogarentur.* Idem Yvo epist. 93. *Canonicos*

appellari, quod Canonicas regulas se observare ceteris arctius devoveant. Nec tamen ideo omnes Canonici regulares dicuntur, sed alii seculares, qui seorsum et liberius vivunt, alii regulares qui communem vitam agunt, *cap. 5. inf. de relig. domibus, cap. 9 sup. t. t. hujus libri.* Nec multum illi, qui regulares dicuntur, distant a monachis, *can. præcip. 20. quæst. 3. can. victum. 81. dist. cap. 3. de appellat. 2. coll. cap. ult. de filiis presbyt. in* 1. Et quamvis hæc duo, Canonici et regulares idem significant, et hoc tantum intersit, quod una Græca altera Latina appellatio sit, tamen, quia ita loquendi mos est, ita loquimur, vel discretionis gratia, ut scilicet discernantur a secularibus. Quemadmodum scriptura sacra consimiliter ait, *Abba pater*, quorum unum Siriacum, alterum Græcum. Utrumque idem potest. Et vulgus quoque Pharmacopolarum viticem arbusculam Græco simul, et Latino conjuncto nomine *castum agnum.* Porro a præbendis in hac rubrica, et in *cap.* 8. et 18 et *c. pen.* separantur dignitates, quales sunt Archidiaconi, et Decani, et Præpositi, et Præcentores, et Thesaurarii, non quod hisce dignitatibus non sint adjuncta etiam sua præbita, sive præbendæ, et quidem longe ampliores, quam ceteris sive divisiones, annonæ, sportulæ, sic vocantur a Cypriano stipendia militiæ clericalis, sed quod præcellant, et prædominentur, quod celsiores sint ceteris præbendis. Ut Rex, quatenus Rex est, separatur a magistratibus, quod celsior magistratu sit, quem ipse creat. Et in Repub. primus Tiberius, apud Cornel. Tacitum 3. annal. *non ædilis*, inquit, *aut prætoris, aut Consulis partes sustineo: majus aliquid, et excelsius a Principe postulatur.* Parique ratione dignitates separantur a personatibus in *cap.* 13. *et* 28. *h. t.* Non quod et ipsæ dignitates personatus non sint Ecclesiarum. Sunt enim et ipsæ, dicunturque personatus, ut *cap.* 8. *de rescript.* et *cap. dudum*, 2. *de elect.* et Masoni *lib.* 5. *de Episcop. urbis* extat rescriptum Martini 2. quo is Pontifex refert, se in Ecclesia Turonensi olim suscepisse Canonicatum præbendamque, ac nobilem personatum Thesaurarii. Verum ideo dignitates a personatibus separentur, quod celsiores sint, et præstantiores illustrioresve ceteris personatibus, qui sunt sine dignitate, quibusque funguntur non ceteri quidem omnes clerici, non diaconus, non hypodiaconus, si nullum aliud ei munus certa in Ecclesia mandatum sit, *cap. 3. qui clerici, vel voventes, in prima collect.* Sed præsertim quibus Ecclesiæ alicujus præcipua cura injuncta est, ut *can. quæsitum*, 1. *quæst.* 3. *cap.* 2. *sup. de offic. vicar.* Certe qui in *cap* 4. *de filiis presbyt.* personatus dicitur, presbyteratus nuncupatur in antiqua Decretali eadem. Inde tamen non efficitur esse personatum, etiamve adjunctam habere curam animarum, cum et quidam personatus, ut et dignitates quædam sint citra curam animarum, *cap. ult. eod. t. in* 1. *coll. et cap.* 6. *eod. t. lib.* 6. *et cap. dudum*, 2. *sup. de elect.* Quod ostenditur, aliquando Archidiaconatui non esse annexam curam animarum, ac tum personatum esse potius, quam Archidiaconatum. Non omittam, personatus vocabulum usurpasse tantum ab Alexandro III. novissimos Pontifices, et sumpsisse a Gallia, ut colligere licet ex *c. quæsitum.* 1. *quæst.* 3. quo veteres nunquam usi sunt, ac ne Carolus quidem Magnus in suis constit. Ecclesiasticis: an quod novissimo clerici hujusmodi personæ tantum sint, non homines? His cognitis, quæ non reperiuntur ita distincta alibi, et enucleata, jam tempus est, ut ad singulorum capitum interpretationem accedamus.

AD CAP. *Ut nullus.* I.

In cap. 1. definitur, quod extat et aliis plerisque locis, bona ecclesiastica non posse defunctis clericis, qui ea possederunt, jure stirpis, vel sanguinis, veluti ab intestato transmitti ad filios, vel cognatos defunctorum: non posse filium, vel clericum, vel laicum patri in beneficiis, et bonis Ecclesiæ succedere, *cap.* 3. *de filiis presbyt. conj. cap.* 4. *de cler. conjug.* 1. *coll. c. personas, de appell.* 1. *coll.* non posse etiam bona Ecclesiæ testamenti jure ad alios transferre. Hoc est certissimum, *c. cum nos, inf. de testam.* Ratio hæc est, quia bona Ecclesiastica clerici possident usufru. non proprietatis jure. Denique beneficia ipsa cohærent personis, et cum personis intereunt, *cap.* 25. *hoc. t. c. ult. inf. de pecul. cleric.* Et, quo jure utimur in hoc regno, fructus tantum perceptos, et solo separatos exemplo fructuarii ad hæredes suos transmittunt, non fructus pendentes.

AD CAP. *Non liceat.* II. et CAP. *Episcopus.* IV.

Cap. 2. cum quo explicabitur etiam *cap.* 4. sumptum est ex Justiniani Nov. 3. quod inscriptio tamen ejus attribuit corpori canonum, nec male, cum et ea pars Novellæ Justiniani inserta sit corpori canonum condito auctoritate Adriani Papæ, et dedicato Carolo Magno, quod Moguntiæ formis expressum est: et eum librum significat inscriptio cap. 2. dum ait, ex corpore can. Hoc autem in hoc cap. decernitur, Clericum inopem victus, qui nulla a parentibus bona habet, quibus vitam tolerare possit, non posse, aut non debere Episcopum ordinare aliter, quam si ei simul adsignet certum quid, unde vitæ necessaria sumat aut ministrum eum constituat in Ecclesia aliqua, ex cujus reditibus alatur, exhibeatur, et titulo, ut vocant sive beneficio donet aliquo, ut *cap.* 2. 70. *dist.* Alioquin Episcopum, qui eum ordinavit, eum alere suis sumptibus, et tueri debere, donec, ut ait *cap.* 4. et c. 16. *hoc t.* et c. 37. *eod. in* 6. in Ecclesia aliqua convenientia ei stipendia, id est, juste præbita constituat. Olim ex Concilio Chalced. ordinatio clerici facta absolute sine titulo, erat ipso jure nulla, *can.* 1. 70. *dist.* Verum hoc postea Innocentius III. abrogavit cap. 16. infra, quod benignius sit manente ordinatione clerici, Episcopum, qui clericum ordinavit sine titulo, ei de suo alimenta præbere, quoad eum stipendio aliquo clericali adfecerit. Et observa interim, Pontificem Romanum derogare Concilio generali, Concilio Oecumenico, quale fuit Concilium Chalcedonense. Quamvis autem in hoc cap. 2. dicat generaliter, *clericum non liceat ulli Episcopo ordinare*, hoc decretum tamen non pertinet ad inferioris ordinis clericos, veluti lectorem, psaltem, acolytum, sed ad superioris tantum, veluti præsbyterum, et diaconum, *cap.* 4. Possis addere, et hypodiaconum ex *cap.* 23. *inf.* Nam et hypodiacones hodie in sacris ordinibus constitutus esse intelligitur. Quod non erat in primitiva Ecclesia, *cap. a multis, sup. de ætate, et qual. c. pen. de serv. non ordin.* Ergo inferioris gradus clerici ordinari possunt sine titulo.

AD CAP. *Ratio nulla.* III.

Quod est in *c.* 3. *hoc. t.* ratio nulla permittit, ut quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur, propriis cujusdam usibus applicetur. Quæ est veluti regula quædam hujus juris. Ita recte accommodatur ad hunc tit. ut quod commune est Ecclesiæ veluti reditus, qui sunt Ecclesiæ communes, nulla ratione possit quisquam sibi vindicare, et ἰδιοποιεῖν, nulla ratione possit quisquam usu suum facere, ut *cap.* 7. *eod. t. in* 1. *col.*

AD CAP. *Quia in tantum.* V.

Caput hoc est de pluralitate, ut loquitur, beneficiorum inhibenda, id est, ne in unam personam concurrant duo, vel plura beneficia vel duo personatus, veluti duo presbyteratus, sive curæ Ecclesiarum duarum, vel duæ dignitates, veluti Archidiaconatus, et Decanatus, *cap.* 8. *sup. t. prox. cap.* 7. *de testament. in* 1. *col.* vel duo Archidiaconatus, *cap.* 14. *hoc t.* Quo jure tamen Gallia diu usa non est. In Gallia enim ut nominatim refert Alexander III. in *cap.* 1. *eod. t. de præb.* 2. *col.* hæc invaluerat consuetudo contra sacrorum canonum instituta, unum hominem admittendi ad plura beneficia, quam tamen consuetudinem ipse Alexander improbat, et improbavit quoque Concilium Lateranense, quod auctore eodem Alexandro, et præside habitum est Romæ, *cap.* 3 *sup. t. prox. et hoc cap.* 5. Parisiis, quoque post multas disputationes, et controversias refert Varnerius in fasciculo temporum, referunt et alii plerique, vix tandem decretum et definitum fuisse, ne in hoc quidem regno, unum duo, aut plura beneficia retinere posse citra periculum animæ, ut est etiam scriptum in *hoc cap* 5. id est, citra noxam lethalem. Quin et Gulielmus Episcopus, quo auctore id Parisiis definitum est, Cosmas interpres Pragmaticæ sanctionis refert hoc in ore habuisse semper: absit, ut habeam cum sponsa concubinam. Provisum idem fuit, et institutum etiam vetustissimis canonibus, ut Synodo Chalcedonensi, qua decernitur, non licere clerico in duarum civitatum Ecclesiis καταλέγεσθαι, conscribi, *can. clericum* 21. *quæst.* 1. *in duarum civitatum Ecclesiis*, inquit, addo, vel etiam in una eademque Ecclesia nemini duo beneficia obtinere licere ex *cap.* 13. *et* 28. *hoc t.* Item Synodo relata a Carolo Magno *lib.* 6. *sui Capitularis, cap.* 73. *ne presbyterorum quisquam amplius, quam unam Ecclesiam sibi vindicet.* Et Synodo Toletana *can. unio.* 10. *quæst.* 3. Quibus addi possunt ea, quæ hac de re diximus in *cap* 3. *t. prox.* Id vero jus cum vel intermitteretur, vel passim non observaretur, reduci et restitui necesse fuit utraque Synodo Lateranensi sub Alexandro III. et Innocentio III. Ex his vero omnibus constitutionibus consequens est, quod idem Alexander scribit Lugdunensi Episcopo *cap.* 6. *hoc t.* si forte si Pontifex mandet ut certo homini beneficium aliquod conferat, ignorans hominem illum esse jam idoneo beneficio præditum, ne Episcopus mandatum exequatur. Imo etsi sciens idem mandet Romanus Pontifex, venia quadam, et indulgentia singulari, quam *dispensationem* vocant, et Græci, quod miror, vertunt οἰκονομίαν. Sicut dispensationis nomine significatur, et dispensatio rei familiaris, et venia singularis: ita etiam οἰκονομίας vocabulum Græci usurpant in utraque significatione. Si, inquam, sciens Pontifex aliquem justo beneficio in Ecclesia donatum esse, mandet Episcopo, ut ei adjungat aliud beneficium, quod jure singulari summum Pontificem statuere posse definitur, ubi et hoc fusius explicabitur in *cap.* 28. *inf.* hoc vero mandatum etiam non debere episcopum exequi, si quod inde sentiat offendiculum, sive scandalum in Ecclesia gliscere et oboriri posse. Qua ratione etiam, id est, vitandi offendiculi causa coercendive electio infringi potest, quæ facta est etiam de eo, qui jam alio beneficio fruebatur, *cap.* 15. *hoc t.* Consequens etiam iisdem constitutionibus est, quod idem Alexander scribit in *cap.* 7. *hoc. t.*

AD CAP. *Referente.* VII.

Eum, qui duabus Ecclesiis præest jussu Archidiaconi, ulterutra se abdicare, quam elegerit, debere. Quam elegerit, inquam, ut *cap.* 4. *sup. de ætate, et qualit. cap.* 14. *hoc t.* Quam tamen electionem Concilium generale adimit, quod factum est postea *cap.* 28. *hoc t.* cum decernit, eum, qui aliud beneficium affectavit et obtinuit, priori excidere ipso jure. Ergo non eligit, quod malit retinere: invitus enim amittit, id quo non contentus transivit ad aliud. Verum ante concilium illud, qui duo obtinebat beneficia, in ejus potestate erat alterutrum, quodcunque vellet, retinere, et altero se abdicare, alterum ejerare, et quo se abdicaverit, ait in hoc *cap.* 7. id eundem Archidiaconum alii conferre posse, honesto ut idoneo, nec habenti aliud beneficium Ecclesiasticum. Hæc est summa constitutio cap. 7. Ceterum sunt alia quædam, quæ in hoc cap. observari velim. Primum observa, quanta sit potestas Archidiaconi, ut dandi et conferendi beneficia, vel auferendi jus si sit potestasque. Quod tamen sic accipi velim, si absit Episcopus:

quia Archidiaconus vicarius est Episcopi, *cap. 1. sup. de officio Archid.* Imo et præsente Episcopo Archipresbyteratus, non cujuscunque beneficii collatio, ad eum spectat: quin et electio adhibito consensu Capituli et populi, ut fiebat olim, ut est scriptum in *can. si in plebibus* 63. *dist.* Et hoc quidem de Archipresbytero eligendo judicio Archidiaconi confirmatur ex epistolis Arnulphi Episcopi Lexoviensis, et *cap. 8. sup. tit. prox.* Etiam illud observa ex hoc cap. ab Archidiacono non appellari, si quam sententiam dixerit coram partibus apud eum litigantibus, non appellari Episcopum, sed Archiepiscopum ab Archidiacono. Verum adde, et ab officiali Archidiaconi, ut Lutetiæ in majori Ecclesia Archidiaconi habent suos officiales: quo fit, ut in Ecclesia sint tres officiales diversorum, quod comprobat etiam *cap. pen. de novi operis nuntiat.* Sic igitur statue: ab Archidiacono, vel officiali Archidiaconi, non appellari Episcopum, sed Archiepiscopum. In causa hoc est, quia si Episcopus appellaretur, idem a se ipso appellari videretur, quia Archidiaconus, vicarius est Episcopi. Qua ratione etiam jure civili proditum est ab eo, cui prætor mandavit suam jurisdictionem, non appellari prætorem, sed ad perfectum urbis, vel præfectum prætorio, *l. 1. §. ult. quis a quo appell.* quia is, cui prætor mandavit jurisdictionem, vice prætoris fungitur, non sua, *l. Solet. de jurisd.* Neque vero huic observationi et sententiæ, quæ omnino cum jure et ratione congruit, objici potest *c. dilecti, sup. de appell.* quia non loquitur de Archidiacono, vel officiali Archidiaconi, qui vicarii sunt Episcopi, sed ut indicat antiqua Decretalis, de judice dato ab Episcopo. Et eodem jure civili proditum est a judice dato appellari eum, qui dedit, quoniam judex datus non est vicarius dantis, cum jurisdictionem non habeat, sed cognitionem tantum, cum item non habeat executionem sententiæ suæ, *l. A Divo Pio. de re jud. l. 1. §. ult.* et *l. 3. quis a quo appell.* Fortius tamen obstat *c. Rom. §. 1. de appel. lib. 6* quo aperte constituitur, ab Archidiacono non posse appellari ad Archiepiscopum, omisso Episcopo: verum illud jus novum est introductum ab Innocentio IV. nescio qua ratione, forte imperitia juris. Innocentius III. fuit juris peritissimus, non Innocentius IV. Nescio qua ratione separentur Archidiaconi ab officialibus, cum ambo vice Episcopi jus dicant, et ille velit ab officialibus appellari ad Episcopum, nolit autem ab Archidiacono appellari Episcopum, aut contra in *c. Rom. §. 1. de appell. lib. 6.* Observari etiam hoc velim, maxime ex cap. 7. eodem appellari Metropolitanum, et archiepiscopum illo loco, *Ad Metropolitanum:* videlicet Remensem Archiepiscopum appellavit, quamvis olim, et ætate quoque ipsa Alexandri tertii, hæ appellationes distinctæ fuerint. Nec enim idem erat Metropolitanus et Archiepiscopus, sed Archiepiscopus, superior erat Metropolitano, ut constat evidenter ex Justin. *Nov. 6. de episc. et cler.* Et hoc quoque caput in antiqua Decretali non est ita scriptum ad Metropolitanum, videlicet Archiepiscopum Remensem, sed ad fratrem nostrum carissimum Archiepiscopum Remensem. Metropolitanus enim est inferior Archiepiscopo. Et eadem ratione in *can. 1. in fin. 99. dist.* dico etiam Anacletum scripsisse, eos, qui non sint Primates, aut Metropolitanorum, aut Episcoporum nomine frui, non Archiepiscoporum. Restant alia quædam de pluralitate beneficiorum, quæ reservamus, quia nova sunt ex eis plerique.

AD CAP. *Majoribus.* VIII.

Hoc caput est de sectione, aut divisione prohibita unius præbendæ, vel unius parochiæ, ut est in *cap. 10.* vel unius beneficii cujuscunque emolumenti, quia, ut est scriptum in *can. ult. 21. quæst. 2* sicut in unaquaque ecclesia unus presbyter esse debet, *unus ad unam,* juxta proverbium: ita, ut ait, *ipsa Ecclesia,* quæ sponsa presbyteri dicitur, non potest dividi inter duos, non potest duorum esse communis pro diviso. Et hoc primum fuisse constitutum Concilio Toronensi præter hoc cap. 8. quod pars est illius Concilii, etiam testatur *cap. 20. 25.* et 26. *hoc t.* et *c. 3. eod. t. 2. coll.* et *c. 5. inf. de rerum permut.* Et exstant hujus Concilii partes, sive capita omnia Guillielmi Neubrigensis libro 2. rerum Anglicarum, qui est optimus liber. In tomis 5. Conciliorum complura, quod miror, desiderantur. Et hac vero ratione fit, ut etsi Episcopo mandaverit Pontifex Roman. Canonico, quem donavit dimidia præbenda, ut suppleat, non ob eam rem scindere Episcopus possit aliam præbendam, non deplere unam, ut repleat alteram, *cap. 36. hoc tit.* Sed cum primum vacaverit aliqua, quæ præbendam illam dimidiam impleat, tunc demum ut Canonico satisfiat non habenti justam præbendam, ut *cap. 26. hoc tit.* Ex quo capite intelligimus tamen aliquando ex justa causa unam præbendam posse scindi in duas, si adeo sit pinguis et luculenta, ut duobus Canonicis sufficere possit ad præbenda vitæ necessaria. Et ita ubicunque leges datam dimidiam præbendam: datam interpretari debes ex justa causa, et Ecclesiæ utili, ut *c. 27. eod. t. lib. 6.* At ubi pars præbendæ non sufficit tuendo, et exhibendo clerico, quæso quid est, quod dicitur in *c. 20.* et *25. hoc tit.* collationem præbendæ hujusmodi factam duobus æquis portionibus rescindi oportere, cum ut ante dictum est, supplenda potius cuique sit sua portio, ita ut unusquisque plenam et justam præbendam habeat? Dico hæc non esse contraria: nam sectio hæc præbendæ, sive partitio, et collatio, ita demum rescindenda est, si quod cuique parti deest, non suppleatur, ita ut infractam quisque clericus, et justam præbendam habeat: sicut inofficiosum testamentum rescindi constat, si filio minus relictum sit, quam efficiat portio legitima, nisi quod deest legitimæ repleatur arbitrio boni viri juxta *l. Omnimodo. C. de inoffic. testam.* Quod additur in hoc cap. 8. nec dignitatum Ecclesiasticarum permutationem fieri posse, puta ut ex Archidiacono quis fiat Decanus, vel contra ex Decano Archidiaconus, conventione scilicet habita inter duos: trahitur etiam ad præbendas, *c. 5. de rer. permut.* quia hujusmodi conventiones, sive pactiones vix unquam fiunt inter aliquos sine commercio, et condictione aliqua illicita. Itaque dignitatum et præbendarum permutationes non sunt legitimæ et canonicæ, nisi fiant causa cognita, et probata decreto Episcopi, *d. c. 5* Atque ita recte dixeris, ut *c. 6. eod. tit.* eas permutationes per se illicitas non esse, sed per accidens. Conjunxi cum hoc *c. 8. hoc t.* etiam c. 20. et 25. et 26. nec omisi quicquam eorum, quæ in eis continentur, præterquam unum hoc, quod residet in cap. 20. ex Concilio Lateranensi, ne cui Episcopus se collaturum polliceatur, vel promittat beneficia ulla, antequam ea vacare contigerit, ut *cap. 10.* et *13.* et *cap. ult. inf. de concess. præb.* Optima ratione, quia ea ratione inducit votum capiendæ mortis alienæ, quod jura civilia bonique mores abhorrent maxime, *l. 11. C. de transact. l. ult. C. de pact.* Ait autem in *d. cap. 20.* sub expectatione præbendam nulli posse dari, spem præbendæ nulli Episcopum facere posse, nefariam esse hanc spem, sicut Seneca pactum futuræ successionis vocat, *nefariæ spei factum.* Sub exspectatione, inquit, unde appellatæ sunt *Gratiæ expectativæ,* quæ a Romanis Pontificibus quandoque confirmantur, a nostratibus nunquam recipiuntur, et sunt reprobatæ Concilio Basiliensi sess. 3. His vero objiciat forte aliquis cap. 9. hoc tit. ubi Canonico, quem in Ecclesia instituit Episcopus nulla ei adsignata præbenda, si is promiserit, se postea præbendam collaturum, quæ primo vacaverit, dicitur promissionem ratam et implendam esse. Breviter, me auctore respondeas, promissionem illam per se hoc efficere, ut impleatur Canonico postea collata præbenda: sed magis necessitatem officii, quod Episcopo incumbit etiam citra promissionem ullam, nimirum ut neminem instituat Canonicum, quem vel statim, vel paulo post quantocius fieri potest, non afficiat, et muneretur justa præbenda, justis præbitis. Quod mihi debes ipso jure naturali, vel civili, etiam debes ex stipulatione, vel pollicitatione. Quibus casibus pollicitatio obligationem parit. At quod nullo jure mihi debes, nec id potes convenienter bonis moribus debere mihi, nec si id promiseris igitur, vel mihi obligari, et vel tu ipse probe feceris. Denique promissio facta contra leges, aut bonos mores, et sine justa causa, non valet. Promissio, cujus necessaria et justa causa est, valet. Distinctio est perspicua.

AD. CAP. *Avaritiæ.* X.

Explicabimus etiam capitulum 10. quo hoc tantum cavetur, non esse in potestate Episcoporum, vel Abbatum, ut clericorum, qui in Ecclesiis, quibus ipsi præsunt, destinati et deputati sunt, minuant reditus, aut portiones, ut quod resciderint scilicet convertant in rem suam, et usus suos, sine consilio et consensu Archidiaconi, qui juste aliqua causa moveatur ad minuenda commoda clericorum, et augenda Episcopi, vel Abbatis, *cap. insuper prohibemus, de censibus.* Auctis tamen facultatibus Ecclesiæ, fateor argumentum cedere Episcopo, vel ecclesiæ (utrumque idem est Episcopus, et ecclesia) potius, quam clericis, si clericorum reditus tempore minores facti non sint, *cap. ult. in fin. de verb. signific.* Et quoniam vitium illud, quo se implicant Episcopi, vel Abbates, qui minuunt reditus, et obventiones, sive stipendia clericorum, ut augeant sua, quia, inquam, vitium illud oritur ex avaritia, ideo huic vitio remedium adhibiturus summus Pontifex in hoc cap. sic incipit, *Avaritiæ, quæ est idolorum servitus,* ex epist. ad Coloss. c. 3. τὴν πλεονεξίαν εἶναι εἰδωλολατρείαν Similiter ad Ephesios 5. πλεονέκτην εἶναι εἰδωλολάτρην. Quod non alia ratione Apostoli, quam quod omnem vitæ suæ spem possit avarus in suis opibus eas que observet, et potius colat, quam Dominum, qui dat vitam omnibus, qui panis vitæ est, qui vita et resurrectio est, quodve, ut etiam Dominus ait, *Ubi thesaurus avari est, ibi est et totum cor ejus.* Ad quem locum eleganter facit illud Æsopi de avaro defodiente aurum, simul defodere etiam τὴν ψυχὴν, καὶ τὸν νοῦν, *cum thesauro defodere animam, mentemque suam.* Quamobrem satis patet, cur avarus dicatur idololatra, avaritia idololatria. Possent si mem essent partes, ex novo Testamento multa proferri præclara, inaudita.

AD CAP. *Significatum.* XI.

Caput 11. est de præbenda cuidam presbytero collata a Præposito et Capitulo Insulensis Ecclesiæ in Belgico, *de l'Isle,* ea lege modoque, ut quotidie, quod suum est onus, in ea Ecclesia beatæ Mariæ virginis, matrisque magnæ perageret Missam, id est, in honorem et memoriam virginis, ut sacrum ageret mysterium Christianæ Cœnæ, qualem impositam præbendæ conditionem legi etiam 2. Epist. Innocentii III. epistola incipiente: *Cum venisset ad sedem Apostolicam.* Et probetur etiam ea conditio, sive modus a Romano Pontifice, qui et vim ejus bono esse declarat in hoc capit. ut non possit clericus, quam semel sub eo onere præbendam acceperit, dimittere, vel onere illo, functioneque præbendæ anniversaria defungi per alium, quod et in præbendis catariis locum habet, quæ sine onere aliquo speciali collatæ sunt. Nec enim, qui semel Ecclesiæ alicui nomen dedit, eam deserere potest sine auctoritate ejus, qui concedendi jus et potestatem habet, *cap. 4. de renunciat. sup. can. sanctorum,* 70. *dist.* Neque item per vicarium ejus præbendæ ministerium exequi, exceptis certis casibus, *cap. 5. sup. cap. 30 § Qui vero. inf.* Onus autem præbendæ injunctum vocat in hoc cap. anniversarium, quia non opus est multis verbis, quamquam offundunt tamen multa interpretes in hunc locum, ut Poeta quidam ait, *Redit labor actus in annum.* Missæ autem verbum, quo utitur, quodque vulgo receptum est, noli putare, ut plerique, eruditissimi tamen, esse id Hebraicum, vel Syriacum. Est enim vere Latinum, et antiquum. Promiscue enim dicitur *missa,* et missio, *remissio,* et *remissa,*

promissa, et *promissio*. Et est missa igitur, quæ Græcis dicitur ἄφεσις, *missio populi*, quem peracto sacro Diaconus pronuntiat, hoc sermone, vel sensu illo, *ire licet*, vel, *ite missio est* id est, jus abeundi, λαοῖς ἄφεσις Græci, *res peracta est*. Idque patet satis ex Laodicenæ Synodi can. 19. quo ostenditur, res in Ecclesia peragi solitas olim missione auditorum, qui et catechumeni dicuntur, missionem pœnitentium, et ad extremum missionem sive missam fidelium. Missam, et remissam hoc sensu dixerunt Ambrosius, Cyprianus, Tertullianus: quinimo, et Cicero in Orat. *Brachii porrectione in contentionibus, contractione in remissis*, id est, remissionibus, *opus esse*. Promissam vero secundum Florent. scripturam aperte, *l. 9 de præscript. verb.*, *Promissa*, inquit, *præstabitur*, id est, promissio. Hinc factum est, ut et in legibus Caroli Magni, et in novis historiographis, et in idiotismo Germanico etiam dicatur, *Missa S. Joannis, missa S. Andreæ, missa S. Martini*, non pro mercatu, sive nundinis, ut quidam putant, quod in eos dies festos plerumque nundinæ incidant, sed pro ipsis diebus festis, quod festis potissimum diebus peragantur mysteria dominici corporis et sanguinis.

AD CAP. *De monachis*. XII.

Sunt monasteria quædam, quibus competit in Parochiis jus patronatus, id est, jus nominandi Episcopos, commendandi et offerendi vicarios perpetuos, quorum cura et providentia Parochiæ regantur, quos utique Episcopus instituere necesse habet, nisi perspicue incapaces sint ex patronorum voluntate, *cap. 10. cap. 1. eodem t. in 6.* ubi et ipsa hujus cap. verba referuntur, *cap. 3. de privileg. cap. 7. de donat. inf.* Quod jus tamen Monachi exequi, et ad effectum producere non possunt, *ut h. t.* definitur, et in dicto cap. 1. Etiamsi sint exempti potestate Episcopi ordinaria, aliter quam ei vicario, quem nominant, portionem constituant congruam, ut *cap. 30. §. Qui vero, et cap. 33. hoc t. cap. postulastis, de rescript. cap. 3. de offic. vicarii, cap. 28. de appellat.* Congruam scilicet portionem ex reditibus Ecclesiæ, qui vicarios præficitur, unde se alere, et egenos transeuntes hospites benigne excipere possit: nam et vicarium hospitalem esse oportet, et clericum omnem beneficiarium, *cap. 2. sup. de supplen. negl. præl. can. ult. 16. quæst. 7. et can. 1. 42. distinct. Hospitalem sacerdotem esse oportet, etc.* Bona enim Ecclesiæ sunt patrimonia pauperum, decimæ tributa pauperum, *d. can. ult. cap. 2. supra de præscript. cap. 26. inf. de decim.* Præterea congruam portionem, ut et inde possit jure Episcopalia persolvere, exempli gratia, Synodaticum, quod quotannis dum agitur Synodus provincialis ærario Episcopi infertur. Et præterea cathedraticum, sive enthronasticum, quod solvitur in honorem throni, sive cathedræ Episcopalis officii ergo, *cap. conquerente, de offic. jud. ordin. cap. Ecclesiis, inf. de censib. cap. 7. de don. can. 1. 10. quæst. 3.* et *Justin. Nov. 113.* De capitulis duobus 13. 14. 15. diximus satis in cap. 7. tractantes de prohibita pluralitate beneficiorum. De 16. autem cap. diximus etiam satis in cap. 2.

AD CAP. *Inter cetera*. XVII.

Duo Canonici Guillelmus et Hugo, unus Laudunensis, *de Laon*, alter Sicliniensis Ecclesiæ, cujus etiam fit mentio in capitulo seq. cum hoc egerent apud Cœlestinum Romanum Pontificem Antecessorem Innocentii tertii auctoris hujus capituli, ut Cœlestino auctore, nec enim aliter poterant, nisi vel Episcopo suo, vel summo Episcopo auctore, præbendas, et beneficia inter se commutare, ea, ut oportet, exposito desiderio suo pure resignaverunt, et cesserunt in manibus Cœlestini, qui mox secutus eorum voluntatem, mandavit Decano Remensis Ecclesiæ, ut beneficium Guilielmi largiretur Hugoni, et vicissim Hugonis Guilielmo, quod priusquam Decanus adimpleret, Episcopus Laudunensis non ignarus eorum, quæ gesta erant apud Cœlestinum, atque ideo sciens, se nihil agere jure legitimo, præbendam Guilielmi Canonici suæ Ecclesiæ, quasi vacantem per cessionem Guilielmi contulit Petro cuidam simplici homini, et nescio fraudis hujusce, qui investitus cum ceteris Canonicis consedit in choro, et capitulo: mox vero Episcopi fraude cognita, Cœlestinus collationem Petro factam irritam fecit, quasi factam contra voluntatem et destinationem Guilielmi, contra voluntatem et destinationem animi sui, contra voluntatem summi Pontificis, qui eam præbendam Hugoni servari et adsignari jusserat: at quia ille Petro cuidam, qui præbenda sibi collata dejectus est, ac denique, qui se ab Episcopo illusum et ludibrio habitum sentit, et conqueritur (est elegans species) ait Innocentius, Episcopus aliud beneficium præbendale, stipendium præbendale, *ut in capit. dilecto, vigesimoquinto, infr.* conferre debet, quod scilicet primum vacare contigerit. Nec interim antequam Petro satisfactum sit, ulli alii antequam vacarit, conferri posse, ne, quod indignum est Episcopo, clericum decepisse et illusisse videatur. Extat vero integra et satis prolixa constitutio ejusdem Innocentii III. epistolarum, epist. incipiente *inter cetera, quibus ad gubernationem*, ex qua possunt repleri, quæ desiderantur in hoc cap. Et miror neminem adnotasse hunc locum epistolarum.

AD CAP. *Cum jamdudum*. XVIII.

Hujus capituli species partim ex historia repetenda est. Est enim de Præposito Siclinensis Ecclesiæ, cujus mentio facta est in cap. prox. et huic Capitulo magnam lucem adferunt duæ Epistolæ Innocentii tertii, quæ sunt in *lib. 1. Epistol. Decretalium*. Una incipit, *Sicut officii nostri*, et scripta est ad Remensem Archiepiscopum, altera, quæ totam causam, speciemve continet, originemve ejus, et scripta est ad Episcopus Atrebatensem, Tervanensem, et Morinensem, *de Therouane*, incipit ab his verbis: *cum illius vicem, etc.* Ejusque epistolæ magna pars extat in *ca. 1. de sent. et re jud. 3. coll.* ad quod caput etiam nos remittit Bernard. hoc loco. Inde vero inter cetera patet, Siclinum fuisse oppidum Flandriæ prope Tornacum, et in Ecclesia ejus oppidi, quæ est dignitas præposituræ, ejus electionem plenam pertinere ad Comites Flandriæ, quo jure Mathildis filia Alphonsi primi Regis Portugalliæ præmortuo marito in Syria Philippo I. Comite Flandriæ, cum uti vellet, illa, inquam, Mathildis, *que nous disons en Françoiz Mahaut*. Siclinensi scilicet territorio, morte Philippi dotalitii nomine sibi quæsito, mortuo Præposito illius Ecclesiæ, elegit, in ejus locum procuratorem, et clericum quendam suum: quam electionem Canonicis Ecclesiæ Siclinensis respuentibus, omnino Mathildis appellavit ad Romanum Pontificem, et quamvis pendente appellatione jus hoc [illegible] certum, ne quid innovetur, quidam tamen ex supradictis Canonicis absentibus, et invocatis ceteris, eum sunt aliquot Joannem de Bethune, *Jean de Bethune*, et in possessionem quoque Præposituræ eum inducere, vel intrudere potius, quia rite facta non sit electio invocatis collegis. Et intrusus dicitur, qui non recte electus, vel institutus est, vel qui per se venit in possessionem, ut *cap. 3. de excess. prælat. cap. 5. de concess. præb.* Et intrusi pœna hæc, ut detrudatur. Eam vero ob rem Mathildis appellavit iterum ad Romanum Pontificem, et post multa variaque Pontificis rescripta super ea re, post multas dilationes, delegationes, disceptationes diversorum judicum a Pontifice delegatorum, quarum magna pars auctoritate Pontificis postea rescissa est tandem, cum objiceretur Joanni de Bethune eum plura beneficia possidere, Prælaturas plures, seu dignitates, nimirum 7. ut est in illa Innocentii epistola, *plures præbendas*, et ad Præpositorem Siclinensem fuisse electum malo more, corruptis 5. Electoribus: ac præterea ante confirmationem electionis se immiscuisset administrationi Præposituræ, quod jure prohibitum est, *cap. 17. supra, de elect.* atque etiam secuta confirmatione, qualis electionis, post rescissionem ejus confirmationis, in ea administratione pertinaciter perseveraverit, eaque omnia liquido probarentur, Pontifex Romanus eum de Præpositura depellendum videri pronuntiavit. Ex tribus, vel quatuor, quæ Joanni objiciebantur, vel unum sufficiebat ad eum repellendum, pluralitas beneficiorum aut ambitiosæ sordes, aut præpropera administratio. Et quod posset quis opponere Romano Pontifici, in plerisque aliis vitia tolerari, propter quæ Joannes possessione præposituræ detrusus est, maxime ut obtineant plura beneficia, id Pontificem non movit. quia, inquit, per patientiam multa tolerantur: quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent tolerari, quia patientia tamen, dissimulatio, vel conniventia pro dispensatione non est, *cap. 3. de cognat. spir.* vel non dispensatio mera, sed quasi dispensatio, ut *cap. 2. qui mat. accus. poss. 3. coll. dicitur Ecclesiam quodammodo dispensando dissimulare, et dissimulando dispensare: quodammodo*, inquit, et plerumque unum trium patet his, qui habent plura beneficia, et retinere cupiunt, vel dispensatio, vel dissimulatio illa Rom. Pontificis, qui neminem destituit indicta causa, vel etiam hic color, qui tamen non est idoneus, quod beneficia, quæ obtinent, non sufficiant sibi, familiæve suæ: qua de re plenius tractabitur in *cap. de multa, infra.*

AD CAP. *Dilectus*. XIX.

Cum Episcopus Lingonensis, *de Langres*, ex mandatu Romani Pontificis Tancredo cuidam adsignasset canoniam præbendariam in Ecclesia Lingonensi, idque Pontifex confirmasset, Capitulum Lingonense tamen nullo modo ad eam præbendam, nec post multas interpellationes recipere vellet, contumacia ejus capituli permotus Romanus Pontifex ei interdixit sacris, et commodis omnibus Ecclesiasticis: quæ res effecit tamen interveniente Remensi Archiepiscopo, ut inter se transigerent, auctore Archiepiscopo (alioquin non possent) Tancredus et capitulum, ita ut Canonici Lingonensis Ecclesiæ Tancredum reciperent in canonicum et fratrem, eique darent locum in capitulo, et statum in choro, ut solent, stallum accipientes pro statione, sive stabulo, cum et stalla quoque eodem sensu dicantur equorum in epistolis Petri de Vineis Cancellarii Friderici Imperatoris: unde etiam installandi verbum fecere, quo significatur inductio in possessionem: an postea eundem Tancredum participem facerent divinorum officiorum, sed non etiam fructuum præbendæ, nisi quæ vacaret primo loco, quam postremam transactionis clausulam, id est, exceptionem fructuum præbendæ, quoad vacaret alia, Pontifex improbat in hoc capitulo, quasi contrariam Concilio Lateranensi, quo cavetur, ne cui fiat spes ulla præbendæ nondum vacantis, *cap. 2 de concess. præb.* et *cap. 29. hoc tit.* Et quia valde etiam novum et incongruum hoc est, ut quis sit canonicus sine præbenda, *capit. 9. sup. hoc tit. capit. 8. de concess. præ.* quapropter Pontifex amendandi hujus erroris, et purgandi causa ipsemet jubet non quidem, ut quæ prima vacaverit prebenda Tancredo adsignetur, quod esset contra Concilium Lateranense, quod etiam ipsum Pontificem tenet, et Concilio Basiliensi constitutum est; verum jubet Pontifex, cum se facultas obtulerit, ut Episcopus et Capitulum Lingonensis Ecclesiæ Tancredo adsignent præbendam certam, et interim, ut faciant eum participem divisionum quotidianarum. Qui dicit, *cum se facultas obtulerit*, non hoc vult, ut protinus atque vacaverit præbenda aliqua, ea conferatur, sed cum commodum erit, ut conferatur aliqua. Simile jussum, *cum se facultas obtulerit*: habes in *capit. 8. de concess. præb.* vel *cum poterit Episcopus*, vel *capitulum*, *cap. 14. eod. tit.* *Quod* ibi etiam aperte multum distare sit ab illo jusso, *cum primum vacaverit*. Observanda est maxime hæc differentia, multum interesse dicas,

cum *primum vacaverit, præbendam illi dato*, vel *cum poteris*, vel *cum facultas se obtulerit*, vel *cum commodum erit*, et ad eamdem rem plurimum pertinet *l. Nepos. de verbor. signif.* et *l. 8. §. ult. de testam. tut. l. Rogo, quando dies leg. ced. l. ult. qui sine manum. ad libert. pervenit.* Quibus in locis similes formulæ proponuntur. Possunt vero hæc, quæ hactenus dixi, accomodari ad cap. 20. quod sequitur, de quo tamen satis jam abunde diximus in *cap. 8. sup.*

AD CAP. *Nisi essent.* XXI.

Constitutio hujus cap. est valde singularis, et merito commendatur hoc loco a Panormitano, cum de eligendo priore cujusdam Ecclesiæ tractaretur in Capitulo, Canonicis in unum non consentientibus, sed aliis hunc, aliis illum eligentibus, tamen delegatis judicibus hujus controversiæ dirimendæ causa, et utraque parte in eos judices compromittente, quod fieri jure potest, *cap. 7. et 12. sup. de arb. et capit. 14. de præsumpt.* nempe ut iidem sint judices delegati, et judices sive arbitri compromissarii; placuit iisdem, ut unus ex electis frueretur Prioratu, alter vero partem ex reditibus Capituli partem ex reditibus Prioratus perciperet quotannis: iidem judices erant delegati, qui et compromissarii, qui ut judices quidem delegati recte Prioratum uni adjudicaverunt. Sed quæritur, an etiam recte, ut judices compromissarii, ex bono et æquo pronuntiaverint alteri certam summam annuam præstari ex reditibus Prioratus et Capituli. Et Pontifex censet hac quoque in parte ratam eorum judicum sententiam esse oportere, ita tamen ut pensio illa nominaria sit personalis, non realis, id est, ut eam debeat Prior, non Prioratus. Itaque præmortuo Priore, consequens est, pensionem illam extingui. Rata, inquam, illa pensio est, quia sententia judicum bonorum virorum constituta est pacis et concordiæ conciliandæ causa inter duas partes: sententia, inquam, judicum, non ex conventione partium, non ex compromisso, alioquin resiperet Simoniam. Est elegans ut dixi hujus cap. constitutio, cum alibi non sit similis.

AD CAP. *Pro illorum.* XXII.

Cum mandasset Romanus Pontifex Archiepiscopo Burdegalensi, ut L. Titio, verbi gratia, curaret in aliqua Ecclesiarum suarum diœceseos suæ, præbendam, sive canoniam præbendariam dari, Archiepiscopus Burdegalensis, Decano et Capitulo Xantonensis Ecclesiæ, quæ est sub diœcesi Archiepiscopatus Burdegalensis, scripsit, ut L. Titium in Canonicum reciperent, et fratrem in suum numerum, quod Canonici Xantonensis Ecclesiæ exequi detrectabant, per causam indulgentiæ sis concessæ a Romano Pontifice, quæ sane extat etiam apud eumdem Innocentium III. *lib. 2. epistolarum, epist.* quæ incipit, *Constitutionibus*, etc. Indulgentiæ, inquam, ne transcenderent numerum. 40. Canonicorum in ea ecclesia, qua de indulgentia etiam fit mentio in *cap. ult. de verbor. signif.* et ejusdem Innocentii epistolarum l. *epistola* incipiente, *cum scimus omnibus, etc* cum tamen tunc temporis plures essent canonici in ea ecclesia, quam 40. Quo cognito Archiepiscopus Burdegalensis, adhibito consilio et consensu Episcopi Xantonensis L. Titium in eadem Ecclesia præbenda una investivit, ut loquitur, per suum annulum, ut fit, *cap. 12. de sent. et re jud.* et contradicentes Canonicos investituræ excommunicavit. Hoc vero factum Archiepiscopi Innocentius laudat, et approbat in hoc capite, hac ratione, quia etsi ea indulgentia de certo numero Canonicorum concessa sit Canonicis supradictis, tamen eam ipsimet infregerunt aliis sua auctoritate in suum collegium adscitis Canonicis supra numerum, nec par, conveniensve, sit legem eos dicere Romano Pontifici, quam ipsi non servant. Ac præterea (quod maximi momenti est) in eadem indulgentia, cujus supra locum indicavi in epistolis ejusdem Pontificis, adjuncta fuit hæc clausula, *Salva Apostolicæ sedis auctoritate, salvo Apostolicæ sedis mandato*, et idem Innocentius refert in epistola, cujus initium, *Constitutus in præsentia*, *lib. 1.* Ubi etiam adjicit, eam clausulam, si forte omissa sit, semper subintelligi. Hinc vero notandum est, capitulum posse augere numerum præbendarum: etiamsi certus earum numerus indulgentia speciali determinatus sit. Quod ita tamen intelligi velim, ut explicabitur ab eodem Pontifice in *cap. 25. inf.* Item non labefactari propterea indulgentiam concessam Capitulo Xantonensi, quod Capitulum adjunxerit sibi alios Canonicos supra numerum, id est, non ideo non posse eos quandoque postea uti beneficio indulgentiæ, et custodire distincte numerum, sicut *l. 2. de privil. vet.* et *l. Voluntariæ. C. de excus. tut.* dicitur, non labefactari immunitatem, vel excusationem, quam quis habet, vel privilegium, si quandoque eo uti noluerit. Item notandum, Canonicorum exemplo, imo et sine exemplo, summum Pontificem numerum Canonicorum, etiamsi ab initio certus constitutus sit, augere posse, Episcopum non posse, id est, summum Pontificem posse propter illam clausulam, *Salva Apostolicæ sedis mandato*. Minuere autem numerum præbendarum integris facultatibus, et reditibus Ecclesiæ Capitulo non posse constat ex *cap. 3. hoc. tit. sup. de constitution.* Etiam notandum arbitror, quod in hoc capit. Bernardus observat, non esse ideo investituram et inductionem in possessionem corporalem, ut loquuntur etiam nostri auctores juris Civilis Investitura jus tribuit, jus cedit beneficii, non possessionem, et cum jure possessio nihil habet commune, investituram non facere possessorem etiam ostendit *cap. 5. inf. de donat. et canon. vitis, 16. quæst. 2.* et *Feudorum lib. 4.* ut nos distribuimus, *cap. 15.* Scribito autem hoc loco, et in omnibus aliis *Santonensis* cum S, non cum X, cujus Parochiæ civitas Mediolanum. Santonum (*qui est Saintes*) et in inscriptione hujus capitis ita legitur, *Idem Santonensi Episcopo*, et *Abbati Blaniaco*, qui hodie retinet nomen, *Blasac en Saintonge*. Sequitur in cap. 21.

AD. CAP. *Tuis quæstionibus.* XXIII.

Clericos minorum ordinum posse promoveri ad sacros, et majores ordines puta ad Diaconatum, vel Presbyteratum, si idonei facultatibus, et moribus fuerint. Possunt quidem fieri clerici minorum gentium, qui egeni sunt, et propemodum inopes victus, quales etiam fiunt quotidie. Majorum vero gentium non nisi mediocres, vel divites: opes pro titulo sunt, *capit. 4. supra.* Nec potest quisquam majoris gradus clericus fieri sine titulo. Titulus autem est beneficium, quo donari eum oportet, aut patrimonium proprium. Quæ constitutio utinam observaretur.

AD CAP. *Accedens.* XXIV.

Caput vigesimumquartum scriptum est Zamorensi Episcopo, ut et *cap. 16. sup.* qui est Episcopatus in Hispania, et est pars Asturicensis (quam appellant *les Asturies*) diœceseos, unde quidam putant appellari pisces illos delicatissimos Asturiones, cum sint Siluri, non Asturiones. Zamorensem esse partem diœceseos Asturicensis idem Innocentius scribit in epistola, *cum scimus in sede, 2. epist.* Hoc autem definitur hoc cap. 24. absentem et ignorantem beneficio ecclesiastico donari posse, et de eo investiri posse per alium, per interpositam personam. Ut donatio per interpositam personam consummari potest, *l. 4. de donat.* ita et investitura beneficii, imo et possessio beneficii per alium acquiritur, *l. 1. §. Per procuratorem. l. Possessio. §. ult. de acquir. possess.* Nihil vero refert, dicas, posse absentem investiri de beneficio per procuratorem, vel nuntium, an alium pro ipso, quod puto, et in hoc cap. significari, non etiam hæc duo separari, sed conjungi, quasi eadem: sicut nihil refert, dicas, per procuratorem pecuniariam causam agere, vel appellare pro alio posse, ut *l. Servi. D. de appellationib.* an alium agere, vel appellare posse per procuratorem. Rursus nihil interest dicas, procuratorem acquirere posse possessionem pro alio, vel alium per procuratorem.

AD CAP. *Dilecto.* XXV.

Lucius Titius in manibus, ut loquitur, Remensis Archiepiscopi, et legati Romani Pontificis libere et pure resignavit præbendam, quam habebat in Ecclesia Trecensi, *a Troyes*, vel Tricassina, ut Archiepiscopus mox eam conferret nepoti suo filio fratris Archiepiscopi, quem idem Archiepiscopus in illa Ecclesia cupiebat præbendam obtinere. Et hoc sentiens L. Titius, ut ei gratificaretur, sua præbenda benigne et libenter cessit: Archiepiscopus vero gratiæ referendæ causa, utrique eam præbendam dedit fruendam, nepoti suo scilicet et L. Titio, ut communiter fructus perciperent, et inter se partirentur, idque fecit consentiente Capitulo Trecensi, et præsente Archiepiscopo Senonensi, et ratum habente procuratore generali Trecensis Episcopi. Quæ tamen ratihabitio parum aut nihil adjecit, quia sine speciali mandato non potuit hoc ratum facere. Sic vero L. Titius per biennium in Ecclesia functus est officio Canonici, recitando sua vice publice Evangelio, dum sacra peraguntur, et lectione, atque suffragiis ferendo in Capitulo, et deosculando manum Episcopi Trecensis honoris causa, et aliis exequendo, quæ proprie competunt Canonicis, ac præterea emolumenta præbendæ pro sua parte percepit. Imo et a Capitulo impetravit domum, quam non solet nisi Canonicis attribui. Capituli est dare habitationem, ut ex hoc loco patet. At quamvis hæc ita omnia transacta fuerint, tamen in hoc capit. definitur, eam institutionem L. Titii vitiosam et nullam esse, quasi factam vel contra Turonense Concilium, quia non potuit illa præbenda scindi in duas, vel contra Lateranense Concilium, quia non potuit uni tota adsignari, et promitti alteri proxime vacatura *cap. 8. et 20. sup.* Qua de re est etiam epistol. Innocentii lib. 1. elegans, quæ incipit, *cum in Turonensi Concilio.* Item quia in Ecclesia Trecensi erat certus numerus præbendarum a Canonicis jurejurando confirmatus, ne unquam eorum numerum excederent, et admisso L. Titio, nunquam fuit capitulo animus, ut is numerus augeretur. Itaque re disceptata inter Episcopum Trecensem et L. Titium, merito præbenda illa pulsus est, quia et ea initio tota cesserat in manibus Archiepiscopi, quæ res tamen non præjudicat nepoti ejusdem Archiepiscopi juxta regulam juris, rem inter alios judicatam aliis non nocere, *l. pen. de re jud. l. 10. de except.*

AD CAP. *Vacant.* XXVI.

Pertinet hoc capit. ad Concilii Turonensis caput, quod extat in *cap. 8. sup.* et cujus mentio frequens in hoc jure, de non scindenda una præbenda in duas. Quod et in *d. c. 8.* et ex hoc loco satis ostenditur, ita excipiendum esse, nisi quæ vacet præbenda adeo sit opima, ut possit sufficere duobus: alioquin scindentem Episcopum unam præbendam in duas, etiamsi hoc faciat de consensu capituli, eamque aut ejus emolumenta dividentem inter duos, utrique suam partem replere debere ad finem modumque justæ præbendæ.

AD CAP. *Dilectus.* XXVII.

Agitur in hoc Capitulo, de mandato Romani Pontificis ad Novariense Capitulum, *Novara en Lombardie*, quo rogabatur Capitulum, ut si qua

præbenda vacaret, eam L. Titio conferret, quod Pontificis jussum mandatumve Capitulum implere recusabat, et quod plus est, vacantem præbendam Capitulum alii contulit, quam L. Titio, cui Romanus Pontifex eam conferri jusserat. eam, inquam, alii contulit, non commendato homini a Pontifice Romano, ut refertur in antiqua Decret. hoc colore vel prætexta, quod tempore impetrati mandati ille Rom. Pont. suggessisset, vacare præbendam in Ecclesia Novariensi, quæ tunc nulla vacabat, et mendacem precatorem impetratis carere debere, *l. pen. C. contra jus. vel utilit.* Quod et Divus Augustinus in Evangelium Joannis ex jure forensi esse ait. *Juris*, inquit, *forensis est, ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetravit.* Verum hanc rationem parum aut nihil opitulari Pontifex respondit, si modo tempore oblati Capitulo mandati canonia sive præbenda aliqua vacaverit. Itaque collationem quidem præbendæ tunc vacantis factam alii a Capitulo Pontifex non rescindit, sed jubet etiam L. Titium recipi in Canonicum, et ali de reditibus Capituli, quoad se aliquo obtulerit occasio, ei quoque L. Titio conferendæ justæ præbendæ: hinc duo colliguntur singularia, ut mendacium non officiat ei, qui mandatum extorsit a Romano Pontifice, si id mendacium reipsa purgatum deprehendatur oblati Capitulo mandati tempore, id est, si eo tempore vacaverit præbenda quædam, ut item collatio beneficii facta alii, prætorito eo, quem summus Pontifex Capitulo commendavit, non rescindatur, quod ita Bernardus accipit, si mandato non fuerit subjecta clausula prohibitionis, de qua in *cap.* 17. et 25. *sup. si quid Canonici adversus mandatum fecerint, id inane irritumque esto.* Quam tamen Bernardi exceptionem non probo, quia hæc clausula semper intelligitur, et comminatio est potius, quam decretum rescissorium. Et casum hujus capituli dico esse singularem, quod justa aut probabilis ratio fuerit Capitulo rejiciendi ejus, qui in ipsa impetratione mandati mentitus fuerat. Verum tamen non ideo minus culpæ aut mulctæ Capitulum affore esse, quod contempsit mandatum summi Pontificis, et in elusionem, ut ait, ejus mandati alii clerico contulit vacantem præbendam. Namque ita mulctatur Capitulum, ut eum, quem commendaverat summus Pontifex, alat de reditibus Ecclesiæ, donec præbenda eum affecerit aliqua: alioquin in elusionem hujus mandati factam collationem rescindi oportere constat ex ejusdem Innocentii Epistola 185. 2. *epistol.*

AD. CAP. *De mulcta.* XXVIII.

Etsi jam multa diximus de pluralitate beneficiorum inhibita Concilio Lateranensi in *cap.* 3. *sup. t. prox. et cap.* 5. *sup. hoc t.* adhuc tamen et alia supersunt, quæ reservavimus in hoc capit. quo pleraque alia nove super ea re constituta proponuntur alio Concilio Lateranensi. Sic appellatur utrumque, quod habitum utrumque est Romæ in Basilica Lateranensi, quæ et Constantiniana dicta est, et fuit olim Lateranorum nobilium civium Romanorum Palatium, de quo Juvenalis Satyra 10. *et egregias Lateranorum obsidet ædes tota cohors.* Et initio quidem hujus capitis proposita verba ipsis Concilii Lateranensis, quæ sunt in *d. cap.* cui præsedit Alexander III. ex sequenti Concilio Lateranensi, cui præsedit Innocentius III. in hoc capitulo definitur, beneficiarium clericum, cui incumbebat cura animarum, si aliud beneficium ambierit, et obtinuerit, ut priore ipso jure cadat, ac si forte id contumaciter retinere conatur, ut cadat etiam posteriore ipso jure, ipso facto, quod novum est, quoniam olim in ejus arbitrio erat hoc vel illud, quod mallet retinere, et aliud derelinquere, *cap.* 7. et 14. *h. t. cap.* 4. *de ætate, et qualit.* et *Innocentii III. Epistola* 82. *ad Auxitanum Archiepiscopum libro primo.* Hoc vero Concilio hæc ei optio aufertur, et ipso jure definitur, vacare beneficium, quod habuit, priusquam captaret et nancisceretur aliud, ut *cap. dudum,* 2. *sup. de elect.* Atque ideo eum, cui jus est conferendi beneficii vacantis, sive sit Episcopus, sive Capitulum, prius illud beneficium quasi vacans, aut vacuum alii conferre posse, vel si id alii Episcopus non contulerit intra 6. menses ex eo die computandos, quo sciverit, aut scire potuerit, id beneficium vacare, præfinitos Concilio Lateranensi habito sub Alexandro tertio, collationem ejus devolvi ad Capitulum, et contra cum jus conferendi competit Capitulo, id non conferente Capitulo intra 6. menses devolvi ad Episcopum vel Archiepiscopum, et rursus Archiepiscopo cessante, ad Romanum Pontificem, *cap.* 2. et 5. *de concess. præb. cap.* 3. *de neg. prælat. cap.* 20. *de electibus, cap. un. ut Eccles. benefic. sine demin. confr. et Innocentii III. epistola* 120. *lib.* 1. Cujus constitutionis causa triplex, ut plectatur incuria et desidia collatorum, et ut eorum cupiditati occurratur, ne forte vacantia beneficia, quæ aliis conferre debent, sibi habeant, et in rem suam convertant, ut Innocentius scribit *epistola*, 458. *lib.* 1. ac postremo, ne diutius Ecclesiæ sint sine pastore, vel ministro, aut ministris propriis. Præterea decernitur in hoc capite, ut a die vacationis prioris beneficii, id est, a die indepti, vel adepti posterioris beneficii, qui appetit, et acquisivit posterius, nec frui priore destitit, fructus, quos percepit, restituat Ecclesiæ, ex qua beneficium illud descendit, et generaliter, neque in una eademque Ecclesia plures dignitates, aut personatus habet, ut *capit.* 13. *hoc t.* et *capit.* 6. *de jure patron. in* 6. *collat.* Etiamsi, ut adjicit, quod novum est, cura animarum non sit ei adjuncta, quod in *d. cap. dudum*, adsignificatur articulo adjecto, *præsertim in tot beneficiis*, inquit, *præsertim habentibus curam animarum.* Novum est etiam, quod postremo loco subjicitur, sedi Apostolicæ licere sublimibus et litteratis personis facere veniam hujus constitutionis, hoc est dispensare cos, ut plura beneficia in una, vel diversis Ecclesiis obtineant: cujus rei exemplum est apud *Gulielmum Tyrium* 10. *Belli sacri* de Balduino 2. Rege Hierosolymitano, quem ait, in sua adolescentia liberalibus disciplinis imbutum, et clericum factum in Remensi, et Cameracensi, et Leodiensi Ecclesiis præbendas obtinuisse, generositatis gratia, inquit, quæ in eo præcellebat. Novum autem hoc esse dico, non quatenus dispensationem, exceptis personis, Concilium pollicetur, sed quatenus dandæ dispensationibus facultatem videtur tribuere, et conservare sedi Apostolicæ, cum eadem olim Episcoporum fuerit potestas, *can. Sanctorum*, 70. *distinct.* Per dispensationem autem hujusmodi non omnino male Vernerius in Fasciculo temporum, maxime hortatur clericos, ne se excusari putent, et Provincialis Concilium Coloniense 1. *partis, cap.* 32. *Videant*, inquit, *ut causam dispensationis obtentæ Deo comprobent.* Joannes 22. quoque eas dispensationes pollicitus est Cardinalibus, et filiis Regum, *capit.* 4. *de præbend. in Extravag.* Unde si dispensatio ægre, vel non admodum probata; nec ea dissimulatione quoque Romani Pontificis justa excusatio sumitur præsumptione tacitæ dispensationis. Qua de re memini me dicere in *cap.* 18. *sup.* Non est etiam illa caussatio probabilis, si quis dicat, beneficium, quod habuit, esse angustum et tenue, nec sufficere tolerandæ vitæ, cum hoc casu, quod deest beneficio, veteres canones velint clericum sibi parare suo labore et industria, *can. clericus* 91. *distinct. canone* 1. et 2. 21. *quæst.* 1. Nec illa etiam est probabilis, quæ sumitur ex decreto Leonis in *canone qui plures* 21. *quæst.* 1. Ut possit quis unum beneficium habere, ut proprium titulum, alterum vero, ut commendatum sibi, aut custodiæ suæ commissum, cum in constitutionibus generalibus Angliæ, et Archiepiscoporum Cantuariensium legamus, nec quenquam consequi posse unum beneficium titulo institutionis, et aliud titulo commendæ vel custodiæ: quæ duo verbis quidem sunt diversa, re certe sunt eadem, si usum fructumque beneficii spectes. Quamobrem et in constitutionibus Bonifacii, *cap.* 2. *de præbend. in Extrav.* generaliter hujusmodi commendæ improbantur.

AD CAP. *Grave nimis.* XXIX.

Post cap. vigesimum octavum, quod ex Concilio Lateranensi habita sub Innocentio III. quodque postrema recitatione jam satis vobis exposui: dantur ex eodem Concilio tria cap. quæ sequuntur, vigesimumnonum, trigesimum, et trigesimum primum, et est vigesimumnonum de Episcopis sive prælatibus quibuscunque, et de capitulis, qui quæve indignis beneficia Ecclesiastica conferunt, veluti illiteratis ac male moratis hominibus, ut post primam et secundam correptionem, sic legendum est, et sic legit etiam Gellioe interpres Decreti, id est, post primam et secundam admonitionem in eodem vitio perseverantem, id est, indignis beneficium conferre contempta admonitione perseveraverint, Concilium provinciale, quod singulis annis semel aut bis Episcopus Metropolitanus cogere debet, convocatis Episcopis totius diœceseos, ut suspendat eos a jure conferendi beneficia, in eorum locum alio collatore substituto. Quod si Metropolitanus ipse, id est, Episcopus civitatis, qui totius provinciæ tenet principatum, quibus verbis Metropolis significatur in *l.* 3. *C. de natur. lib.* quæ et his verbis civitas provinciæ, *l.* 12. *de pub. jud.* si inquam, Metropolitanus ipse in eodem vitio beneficia indignis conferre deprehensus fuerit, ut id Concilium denunciet Archiepiscopo. Archiepiscopus olim erat supra Metropolitanum, ut patet ex Justiniani Auc. 6. Item ut suspensionis sententiam, quam Concilium provinciale dixerit in aliquem, vel aliquos ob culpam supra dictam, solus Romanus Pontifex, vel proprius Patriarcha remittere possit, quæ est sententia hujus capituli. Et Patriarcha hic est non Archiepiscopus quilibet, ut olim, sed unus ex quatuor, Constantinopolitanus; vel Antiochenus, vel Alexandrinus vel Hierosolymitanus, nisi unus ex quatuor. Addo, vel ut olim, unus ex quinque: nam et Romanus Patriarchis adnumerabatur, ut patet ex Justiniani Novel. 123. et *cap. pen.* et *ult.* 22. *distinct.* Hodie Romanus celsior est omnibus Patriarchis, id est, plus quam Patriarcha, *cap.* 23. *inf. de privil.* Hodie quoque illis quatuor sunt additi alii Patriarchæ complures, in Anglia Cantuariensis, in Istria Aquileiensis, in Provincia Narbonensi Narbonensis, in Aquitania Bituricensis aut Burdegalensis. Nam hi duo etiam de Primatu sive Patriarchatu certant, sicut Gangrensis et Aquileiensis. Itemque Cantuariensis et Eboracensis. His etiam in Hispania conjungitur Toletanus, et in Oriente Cæsariensis, Ephesinus, Corinthius, Tessalonicensis, auctore Zonara. Viennensis etiam Allobrogum Episcopus proscribit se Primatem primatum, quia sub se habet Primatem Aquitaniæ, et Primatem Narbonensem, sub quo Primate Narbonensis est Gothia. Sic enim Narbonensis provincia vocatur in libro fiscali summi Pontificis, et in testamento Caroli Magni, et in Decreto Yvonis parte 3. *can. Joannes.* Et vocantur etiam Gallia Gothica in *can. cum longe* 63. *distinct.* ut Stephanus de Garybai ibi legit, historiæ totius Hispaniæ, quam scripsit Hispanica lingua accuratissime, libro primo *cap.* 19. cum vulgo legeretur in eo canone, *Hispaniæ, et Galliciæ*, ipse legit pro *Galliciæ Galliæ Gothicæ*, quæ tota respondebat in Hispania Primati Toletano, idque mendum in his locis vocat non ineleganter sua lingua *dauno de pluma, une faute de la plume.* Malim autem legere illo loco Galliæ, simpliciter, et intelligere Gothicæ, ut in *d. canone Joannes.* Vocatur etiam hodie ea provincia, quoniam diu possessa fuit a Gothis *Languegoth*, vulgo corrupte *Languedoc.* Porro quod de Provinciali Concilio in hoc capitulo dicitur, ineundo quotannis bis, aut semel Metropolitani jussu, vetus est constitutio Ecclesiæ, ut patet ex *can. habeatur, et can. propter, et can. quoniam* 18. *distinct.* et ex Justiniani *Novella*, 123. et quæ in ejus generis Concilio decernuntur de hæreticis, de disciplina Ecclesiæ, et moribus clericorum, rata sunt omnia, si modo accesserit confirmatio summi Pontificis, *cap.* 3. *sup. de sent. et re judic.* Hæc de Concilio sive Synodo provinciali. Aliud est Concilium, quod

dicitur Episcopale, vel Synodus Episcopalis, *nous disons le sene*, quam Synodum quotannis indicit Episcopus Presbyteris, et Parochianis, qui in suo Episcopato sunt, ut *cap.* 25. *inf. de accusation.* Metropolitanum hodie non habetur quotannis, nec nisi perraro, et jussu summi Pontificis. Episcopale vero his habetur semper per annos singulos. Hodie in hoc habendo sunt diligentiores, quam in alio. In Episcopali Presbyteri in ærarium Episcopi inferunt stipem certam, quod Synodaticum appellatur *in cap. conquerente, de offic. judic. ordin.* Et hæc sufficiant ad cap. 29. Cetera erunt breviora.

AD CAP. *Extirpandæ*. XXX.

In cap. 30. definitur, ut Episcopus, vel patroni Ecclesiarum, qui jus habent nominandi Presbyteros, quibus parochia aliqua pastore vidua regenda, et pascenda committitur ut inquam, Presbyteris singularum Parochiarum constituant congruam portionem, sive sufficientia præbita, unde se et sua exhibere, et alere possint, improbata consuetudine, qua Episcopi quidam, vel patroni modica parte redituum Ecclesiæ Presbyteris relicta, veluti decimarum parte 16. vel semuncia, et sicilico reliquum omne sibi vindicabant. Et in hanc rem utitur testimonio legis divinæ Deuteronom. 25. *Non obligabis os bovis triturantis*, et Apostoli 1. ad Corinthios capite nono. Quem tamen locum offert aliter, quam ab Apostolo scriptus sit, nimirum hoc modo, *qui altari servit, de altari vivere debet*, cum Apostoli sententia hæc sit, qui altari assiduam operam impendit, altaris particeps fiet. Sensus tamen est idem. Idem constituitur in hoc capit. ut Presbyteri, vel, qui alii Rectores Ecclesiarum parochiis per se ipsos ministerium religionis exhibeant, non per vicarium, ut *cap.* 3. *de cler. non resid. sup.* nisi scilicet præbendæ, vel dignitati Ecclesiasticæ sit annexa Parochia quædam, sive Parochiæ cujusdam cura. Nam qui præbendam, vel dignitatem habet in majori Ecclesia, cui annexa sit Parochia quædam, potest Parochiæ hoc casu per Vicarium perpetuum, si idoneum elegerit, operam dare congrua vicario portione attributa, ut *cap. postulasti, de rescript. cap.* 3. *de off. vic. cap.* 28. *de appel.* Quod si non faciat, ipso jure Concilii hujus auctoritate Parochia privetur, eaque confertur alteri. In extremo hujus cap. constituitur, ne Episcopus cuiquam pro beneficio constituat ex reditibus Parochiæ pensionem certam, veluti pro beneficio: hoc est, ne dispertiatur, et dissipet Parochiarum reditus, ut *cap.* 10. *sup.*

AD CAP. *In Lateranensi*. XXXI.

In cap. 31. confirmatur, quod cavetur concilii Lateranensis habiti sub Alexandro III. *cap.* 9. quod extat. in *cap.* 9. *inf. de privileg* ne quis scilicet Monachus, vel Abbas, vel Canonicus regularis a laicis quasi patronis, sine consensu Episcopi recipiat Ecclesiam, vel decimas, ut *cap.* 1. *de jure patron.* 2. *coll.* quod est de Rege Scotorum, ne quis ab eo prætexto juris patronatus accipiat Ecclesiam, aut decimas sine consensu Episcopi. Patroni nominationem habent, ut collationem: nominatio pro collatione est: non institutionem. Institutio reservatur Episcopo. Collationem habere dicuntur in *capit.* 4. *de testib. capit. ult. de concess. præbend. cap.* 3. *de dec.* 4. *coll* Jus igitur nominandi, et conferendi habent patroni, jus instituendi non habent. Jus etiam destituendi sive removendi semel ab Episcopo approbatos, et institutos non habent. Ad hæc animadvertendum, ad Monachos, vel regulares Canonicos interdum Ecclesias pleno jure pertinere jure patronatus, id est, ita ut habeant jus in spiritualibus et temporalibus: et hoc casu instituere, etiam et destituere possunt non consulto Episcopo. At in hoc cap. agitur de his, ad quos Ecclesiæ pleno jure non pertineat, et qui ab eis jure patronatus nominantur Presbyteri, a solis Episcopis institui et destitui possunt, non a patronis, ut cavetur in hoc capitulo, ex concilio Alexandri tertii. Alioquin si Ecclesiæ ad eum pleno jure pertineant, id est, si Ecclesiæ exemptæ sint a jurisdictione Episcopi, ut *capit. Quoniam, inf. de privil.* etiam neglecto Episcopo, arbitratu suo Presbyteros instituere, et destituere possunt. Etiam hoc additur in hoc cap. ex eodem Concil. Lateran. cap. 9. ne excommunicati, vel nominatim Ecclesia interdicti, admittantur ad sacramenta divina, vel etiam ad sepulturam, ut additur in *d. cap.* 9.

Quæ restant in hoc cap. absolvam hodie, si prius repetiero paucis sensum cap. 31. In eo cap. confirmatur cap. 9. Concil Lateranensis habiti sub Alexandro tertio, quod extat in *c.* 3. *de privil.* scilicet, ne qui regulares Canonici vel Monachi, vel religiosi a laicis quasi patronis sine consensu Episcopi accipiant beneficia, vel decimas, ut *cap.* 1 *de jure patron.* 2. *coll.* Patronos nominationem habere, et præsentationem, *cap.* 3. *de Capell. monach.* 1. *collat.* quæ præsentatio pro collatione habetur: institutionem vel destitutionem non habent hoc est Episcopale, non patrocinium, videlicet, si ad patronos Ecclesiæ pleno jure non pertineant, id est, si exemptæ Ecclesiæ non sint a jure, et ditione Episcopali: nam si pleno jure ad eos pertineant, et instituere ipsi Presbiteros in Ecclesiis sine Episcopo, et quos instituerint removere ex causa possunt, et cura eis omnis incumbit eam spiritualium; tum temporalium rerum, alioquin temporalium dumtaxat, ad Episcopum spiritualium.

AD CAP. *Licet*. XXXII.

In hoc cap. decernitur, clericos beneficiarios, qui studiorum causa peregre absunt, fructus beneficiorum non amittere, sed diaria tantum, sive panes præbendarios, qui erogari his tantum solent, qui intersunt horis Canonicis, ut *capit.* 7. *sup. tit. prox.* et mandato Pontificis, qui jubet, proventus Ecclesiarum ministrari in assem absentibus studiorum causa, diaria non contineri, quod Pontifex scribit Abbati, et Priori Sanctæ Genovefæ Lutetiæ, quos hac in causa dat executores, et scribit hoc de Archidiacono Ebroicensi Lutetiam profecto studiorum causa. Legendum, ut in quibusdam libris, *Ebroicensis*, non *Eboracensis*. Eboracum est in Anglia Ebroicum in Normania, *Eureux*.

AD CAP. *Exposuisti*. XXXIII.

Scriptum est Episcopo Vesprimiensi in Ungaria, ut Canonicis suæ Ecclesiæ, quibus post Concilium Lateranense habitum sub Innocentio III. quæ olim cedi solebant, capellæ sive Parochiæ nullæ concedebantur, quia contra decreta illius Concilii, plura quisquam in eadem Ecclesia beneficia obtinere non potest, *cap. de multa, sup.* quibus, inquam, ob id non sufficiebat ad vitam tolerandam, quod percipiebant ex reliquis commodis præbendarum suarum, ut ex hac causa Canonici illius Ecclesiæ possint annectere capellis quædam in perpetuum, servata Presbyteris capellarum, id est, vicariis portione congrua, ut *cap.* 30. *sup.* Quod cap. adnexas quidem jam præbendis Parochias, et capellas confirmat, ut *cap.* 8. *de preb. lib.* 6. non etiam generaliter statuit, ut deinceps præbendis capellæ, vel Parochiæ annecti possint, quod etiam fieri nequit sine speciali mandato, aut permisso summi Pontificis, ut in hoc cap. 33.

AD CAP. *Dilectus*. XXXIV.

Caput 34. scriptum est Episcopo, et Priori, et Archidiacono Maclovienai. Sic est restituenda inscriptio, et ita malo legere. De mandato Romani Pontificis, quo Pontifex Decanum, et Capitulum Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensis rogat simul, et ei præcipit, ut clericum quemdam, quamprimum ei facultas obtigerit (qua de formula diximus satis in *cap.* 19. *sup.*) in Canonicum reciperent, et fratrem. Hoc est mandatum, de quo hic agitur, quo, ut sit, Pontifex direxit preces, et præcepta ad Decanum Ecclesiæ Andegavensis. Solet semper Pontifex precibus adjungere præcepta, mandato adjugere præceptum, *cap. litteris, sup. de rescript.* Mandatum est precarium, et ob id mandato etiam adjicit præceptum. Et hujus mandati exequendi causa idem Pontifex executores dedit supradictum Episcopum Maclovicensem, Priorem, et Archidiaconum: et definitur in hoc cap. mandatum illud non ideo minus exequendum esse, quod in eo sit expressum, præbendarum ejusdem Ecclesiæ collationem pertinere ad Decanum ex donatione Regia, cui olim earum præbendarum collatio competebat, ut etiam in plerisque Ecclesiis. Hodie Rex præbendarum plenam collationem habet, ut in capella hujus civitatis, quæ dicitur sancta Capella.

AD CAP. *Super inordinata*. XXXV.

In cap. 35. definitur, impuberes non esse idoneos ad obtinenda Ecclesiastica ministeria, quia Ecclesiæ, et curæ animarum operam præbere non possunt. Eademque ratione, nec beneficiarios puberes, id est, eos, qui jam in Ecclesia obtinent beneficia, non posse aliud obtinere, ne sub titulo quidem vicariæ, ut *cap.* 1. et 2. *sup de offic. vic.* quia duobus ministeriis, et duabus curis Ecclesiæ superesse non possunt. Et jam dictum est *supra cap.* 30 *§. ult.* vicarium idoneum esse oportere. Quis non sit idoneus, hic definitur. Impuberem non esse idoneum ad capessendam curam animarum, nec puberem, inquam, qui jam alio beneficio, aliave curatione Ecclesiastica donatus est.

AD CAP. *Cum causam*. XXXVI.

In cap. 36. constituitur, non posse scindi præbendam alterius, nec justæ, et integræ præbendæ supplendæ causa. Qua de re dictum est satis *cap.* 6. *supra*.

AD CAP. *Venerabilis*. XXXVII.

In hoc cap. proponitur, Legatum Romani Pontificis in Argentinensi Ecclesia vacantem jamdiu præbendam quasi ejus conferendæ potestas esset devoluta ad Rom. Pontificem, contulisse cuidam clerico, cui cum objiceret capitulum Argentinense, non esse eum nobilem, non esse eum liberum, id est, ingenuum, ut in jure civili liber, id est, ingenuus, non libertinus: cum, inquam, objiceret capitulum Argentinense eum non esse nobilem, et allegaret, in illa Ecclesia illam consuetudinem semper observatam fuisse, quod et pleraque alia Capitula multis in locis sibi adrogant, ne quis nisi nobilis recipiatur in Canonicum: Pontifex non habita ratione hujusce moris et consuetudinis, confirmat collationem sui legati hac ratione, ut ait eleganter, quod non generis, aut claritatis majorum, sed virtutis nobilitas, vitæque honestas Deo gratum, et idoneum ministrum faciat, ut *can. nos qui*, 40. *dist.* quodque apud Deum non sit acceptio, προσωποληψία personarum, recte quidam Poeta.

—— non census, nec clarum nomen avorum,
Sed magnum probitas ingenuumque facit.

Et Euripides τὸ φρόνιμον εὐγένειαν εἶναι. Quam in rem, et multa alia ex auctoribus proferri possent.

AD. CAP. *Cum olim.* Ult.

In hoc cap. definitur ex mandato Romani Pontificis, quo jubet alicui in Ecclesia aliqua provideri de beneficio, quod vulgo dicitur, mandatum de providendo, de simplici beneficio accipiendum esse, puta, quod est sine dignitate, et sine cura animarum: hoc est, simplex beneficium, ut *cap. 2. de cler. conjug.* 1. *vol.* Mandatum igitur illud de simplici beneficio accipiendum esse, non de dignitate Ecclesiastica, non de beneficio, cui est adjuncta cura animarum, cura regendæ plebis, regendæ Parochiæ certæ. Hujusmodi mandatorum inventor fuisse dicitur Alexander III. Nam veteres Pontifices ordinariis collatoribus beneficiorum, puta Episcopis, vel Capitulis, non solebant præripere jus suum, et eam ob rem mandata illa restrictius accipiuntur semper quasi odiosa, et nova, quod variis exemplis propositis ostenditur in *cap. 16. de præbend. lib. 6.*

AD TITULUM VI.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

AD CAP. *Cum percussio.* I.

Post titulum *de præbend. et dignit.* datur titulus *de clerico ægrotante, vel debilitato*, in quo ostenditur, adversam valetudinem clericum excusare a ministerio, et assiduitate, quam debet Ecclesiæ: quia ministerio debito fungi intelligitur, qui ægrotat. Et ideo nec diaria, salaria, et commoda solemnia redituum Ecclesiæ ei deneganda, minuenda, vel intercipienda sunt, *cap. 2. hoc tit. cap. pen. sup. de cler. non resid. cap. 11. sup. tit. prox. cap. 1. de cler. non resident. in 6.* Et in hanc rem facit etiam maxime *l. 7. de usufr. leg. et l. 4. §. Stichus. de statulib. Debilitatem autem*, id est, *membrorum damnum*, ut Juvenalis loquitur, ut si cui clerico a prædone, non a se ipso abscissa sit pars manus, quam et deformitatem vocat, ut *l. 2. C. Th. de Tiron.* et *cap. ult. sup. de corp. vitiat.* debilitatem, inquam, excusare, imo repellere ab altaris functione sacra, non etiam a ceteris muneribus Ecclesiasticis, *cap. 2. hoc tit.* quod post Concilium Lateranense parte 2. dirigitur ad Sarsenatem Episcopum in Flaminia provincia Italiæ.

AD CAP. *De rectoribus.* III.

Tertium caput, quod sequitur, ut hujus quoque inscriptionem emendem, scriptum est ad Episcopum Lincolniensem in Anglia, ut etiam caput 4. Utrumque est de rectore Ecclesiæ post ordinationem fœda vitiligine, sive lepra correpto, ut ei jungatur adjutor, assignata portione congrua, quæ se tueatur et alat adjutor, qui vice ejus fungatur in omnibus, optio accensus, non etiam alius rector constituatur, et ille removeatur, et ut similiter ei quoque Archidiacono, cui lingua syderata fuerit, γλώττα ἐπιληπτική, ut Græci loquuntur, id est, qui motum et sensum linguæ amiserit, quam παράλυσιν vocant, ut, inquam, ei adjutor detur, per quem obeat munera Ecclesiastica. Eodemque modo, si cujus alterius morbi perpetui et sontici causa fuerit, Episcopo, vel clerico adjutor dandus est, ut infirmis sæpe tutoribus adjutores dantur, *l. Solet. de tut.* Et ita in *cap. ult. hujus tit.* summus Pontifex rescribit. Quod de paralysi dixi paulo ante est ex cap. ult.

AD CAP. *Ex parte.* Pen.

In hoc cap. pen. rescribit summus Pontifex Episcopo Arelatensi, et Episcopo Avenionensi, qui ei suberat, ut et Massiliensis, et Tolonensis, cui quidem Episcopo Arausiensi morbus sonticus, quo detinebatur, detentusque jam diu fuerat, erat impedimento, ne officio suo fungeretur, dandum ei esse adjutorem, non alium subdendum Episcopum. Quod constituit ex suggestione Principis Arausicensis et civium, qui principatus etiam hodie manet, et vulgo dicitur *le Prince d'Aurange*, et civitas Arausio Secundanorum. Porro Arelatensis Archiepiscopus, qui dicitur in inscriptione hujus capit. penult. Metropolitanus appellatur in contextu. Ex quo apparet hujus summi Pontificis ætate eundem fuisse Archiepiscopum, et Metropolitanum, ut cap. 7. *sup. tit. prox.* Olim Archiepiscopus major fuit Metropolitano.

AD TITULUM VII.

De Institutionibus.

AD CAP. *Non amplius.* I.

Instituere est facere possessorem beneficii eum, in quem collatum id est, et eum scilicet collocare in Ecclesia, cui devotus et destinatus est. Institutio est inductio in possessionem corporalem beneficii in aliquem collati. Male hic Hostiensis investituram, et institutionem confundit, quia investitura jus tribuit, non possessionem, ut docui in *cap. 22. de præb.* Jus nihil habet commune cum possessione. Fit autem institutio ab Episcopo, aut Vicario ejus, vel a Patrono regulari, ad quem Ecclesia pleno jure pertinet, *cap. 19. sup. de præbend.* vel sede vacante, a Capitulo, si quem idoneum offerat Patronus Ecclesiæ, *cap. 1. de inst. in 6.* vel etiam ab Archidiacono ex consensu Episcopi, sive hoc jus ei cesserit, vel personæ ejus Episcopus quamdiu vixerit, etiam sine Archidiac. non personæ, perpetuo scilicet ut Archidiaconis quicumque futuri essent, jus esset instituendi clericos, et destituendi. Institutio non fit a laico, non fit etiam a seipso: non potest quis seipsum instituere in beneficio aliquo, non potest beneficium sibi ipsi conferre, in eoque se ipsum instituere, *cap. ult. hoc tit.* quod est de ecclesia Peronensi. Sic est legendum in inscriptione, et in contextu, quæ ecclesia est in Picardia. Et quod de Archidiacono dixi, est in *cap. pen.* non potest quis seipsum instituere, quoniam, ut sit, inter dantem et accipientem debet esse distinctio personalis. Nemo potest sibi ipsi dare, seipsum instituere. Patronus item non potest seipsum offerre patronum, cui jus est offerendi alium Episcopo, qui Ecclesiæ vacanti præest, non est jus offerendi seipsum, alius est exhibendus, *cap. per nostras, de jure patron.* Quamvis in curiis, et collegiis, cum de aliquo eligendo agitur, receptum sit, posse quemque ex eo corpore seipsum eligere. Et ita servatur, *cap. cum jure, de elect. l. 4. quod cujusque universit. nom.* Qui vero clericus Ecclesiæ, aut beneficio incubat, quod est proprium verbum malæ fidei possessoris sine institutione Canonica, qui non est institutus in ea Ecclesia, vel beneficio ab Episcopo, vel ab officialibus ejus, ut ait in *cap. 3.* ubi officiales accipere oportet pro vicariis, quoniam Capit. illud pertinet ad Angliam, in qua vicarii Episcoporum vocantur officiales, ut Alanus vocat in hoc cap. qui fuit Anglus. Nobis officiales Episcoporum non sunt Vicarii, sed qui vice Episcopi jus reddunt. Et illud cap. 3. pertinere ad Angliam, manifesto patet ex eo, quod Alexander III. id dirigit ad Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, quem Henricus Rex neci dedit, et idem Alexander postea in Sanctorum numerum retulit, quam historiam explicat late Antonius Archiepiscopus Florent. *hist. tit. 17. cap. 1. et 3.* Porro de clericorum, aut Monachorum instituendorum numero, et modo, hoc primum constituitur in hoc titulo, cap. 1. et 4. ne plures instituantur invito ordine universo clericorum cujusque Ecclesiæ, ne plures admittantur, quam facultates Ecclesiæ tueri, et ferre possunt. Qua de re et extant pleraque alia testimonia in hoc jure, et in *cap. 2. ne supra numerum instituantur*, supra numerum, ab initio scilicet conventum, puta inter Canonicos, et constitutum, ut plerisque in Ecclesiis de consensu Capituli constituitur certus numerus Canonicorum, quem excedere non licet, ut intelligere licet ex *cap. 22. de præbend.* ut hic in Ecclesia Bituricensi idem est receptum, ut certum numerum invito aliquo, non possit capitulum excedere. Et præterea in hoc cap. 2. districte prohibetur, ne in eum numerum, qui certus constitutus est, laici constituantur, vel computentur, Canonicos esse eligendos ex clericorum numero et ordine, non ex populo. Postremo his addendum est, quod cavetur in cap. 5. de quo memini me dicere in *cap. 10. sup. de præbend.* non esse inspiciendum, cujus nationis sit is, qui instituitur, sicut nec, cujus sit gentis et stirpis, modo legitime conceptus fuerit, ut *cap. pen. sup. de præbend.* sed quibus moribus præditus sit, et quibus litteris imbutus sit.

AD TITULUM VIII.

De Concessione præbendæ, et Ecclesiæ vacantis.

AD CAP. *Nulla.* I. et CAP. *Qui in vivorum.* II.

Alia quæstio de concessione præbendæ, vel Ecclesiæ vacantis: alias legitur, de conces. pr. vel. Eccl. non vac. ut in *cap. 2.* beneficia, vel Ecclesiæ præbendæ sunt, quæ beneficia, seu ministeria dicuntur. Ecclesiarum autem nomine significantur curationes, ad administrationes certarum Ecclesiarum. Non vacare autem dicuntur ea beneficia, eæve Ecclesiæ, quarum possessor certus extat, et vivit. Vacare vero dicuntur, quarum possessor interiit, aut possessione cecidit vitio suo, vel sua sponte. Et proponuntur quidem sub hoc titulo duo potissimum decreta ex Concilio Lateranensi: primum est prohibitorium, ne scilicet unquam concedatur, vel conferatur, vel promittatur præbenda, vel Ecclesia non vacans. Alterum est de jure conferendi beneficii vacantis ob negligentiam ejus, cui jus illud proprium competit, post certum tempus devolvendo ad superiorem collatorem, veluti a Capitulo ad Episcopum. Et quod ad primum attinet, ex *cap. 1. h. t.* intelligimus eum, qui vivi sacerdotis beneficium appetierit, et impetraverit, pelli Ecclesiastica communione: *Qui*, inquit, *in virorum sacerdotum locum ponuntur*, id est, Episcoporum (Sacerdotes proprie sunt Episcopi) qui ponuntur igitur in locum Episcoporum, qui non desierunt hominem vivere, ut in Aurelianensis Concilii 5. *capit. 12.* et *can. Episcopo. 8. quæst. 1.* Et Episcopi quidem, nec si velint, ex sacerdotio abdicare possunt, et quasi divertere ab Ecclesia sua. Quod tamen in Aurelio Augustino servatum non est, qui volens nolens, vivo Valerio Episcopo Hipponensi in locum vicemque ejus factus est Episcopus, ut Possidonius scribit in vita Augustini. Non fuit etiam servatum in Cœlestino V. Romano Pontifice, quo vivo, et se sua sponte eximente summo Pontificio, Benedictus Cajetanus in locum ejus suffectus est, et appellatus Bonifacius VIII. Qua de re Dantes, et Petrarcha, et plerique alii, et latius Antoninus *historiæ parte 3. tit. 20. cap. 1. et 2.* At cum vellet Bonifacius alter Archiep. Germanus, deponere Archiepiscopatum et alium loco suo substitui desideraret, Zacharias Pontifex respondit hoc modo, ut est in Tomis

Conciliorum : *Nimis reprehensibile esse, ut te vivente alium substituam. Hoc enim est contra omnem regulam Ecclesiasticam, et instituta Patrum. Sedem*, quam *obtines sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ*, inquit, *nequaquam relinquas, ut impleatur in te dominicum præceptum : qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, in Epistol. Zachariæ tom. 1. Concil. Quod vero de Episcopis dicitur ex hoc cap. 1. trahitur etiam ad omnes clericos Concilio Lateranensi, cujus verba proponuntur in c. 2. *h. t.* generaliter, ne cujusquam viventis Ecclesia, aut beneficium alii concedatur, donetur, tribuatur, conferatur, vel promittatur, ita ut postquam excesserit rebus humanis, qui Ecclesiam, aut beneficium possidet, alius in eo beneficio succedat, vel nullius possessoris expressa persona certa, ut si quodcumque beneficium vacare contigerit, id omnino L. Titio, si superstes fuerit, concedatur. Hoc fit improbe, quandoquidam ea res inducit votum captandæ mortis alienæ. Qua ratione subjicitur etiam in hoc cap. jure civili improbari pacta futuræ successionis, pacta nefariæ spei, ut Seneca loquitur, *l. 11. C. de transact. l. ult. C. de pact.* Et quamvis olim quidem non potuerit propalam promitti beneficium nondum vacans, quod quandoque vacaverit, tamen potuit promitti tectioribus verbis, ut puta hisce verbis, *cum facultas se obtulerit, polliceor me tibi collaturum in Ecclesia tali, cum potuero, cum commodum erit, cap. 14. inf. h. t.* juxta id quod dicitur in *l. Si quis Sempronium. de hæred. instit.* Quædam, si exprimantur, nullum affectum habent: quæ si verbis tegantur, momentum aliquod habent. Unde orta est illa regula juris: *Expressa nocent, non expressa non nocent.* Bonifacius tamen hoc correxit in *cap. 2. eod. tit. in 6.* emendato *d. cap. hujus tit. 14.* quoniam decrevit, ne hoc quidem modo promitti viventium beneficia posse, puta his verbis, *cum potuero, cum commodum erit*, tam nocere non expressa, quam expressa. Hæc in causa etiam de patronis Ecclesiarum, qui laici esse possunt, et principes quoque cujuscumque sexus, fœminæ possunt esse patronæ Ecclesiarum : de patronis, inquam, hoc cavetur in *c. ult. hoc tit.* non posse eos patronos, easve patronas nominare quemquam ad Ecclesiarum, in quibus jus patronatus habent, administrationem, eamque, vel promittere, vel cedere, antequam Ecclesiæ vacaverint, præmature. Quod in d. c. constituitur de Joanna Comitissa Flandriæ, meminit Comitissæ Flandriæ, et Joannæ nomen omittit, quod tamen extat in 5. collectione, qua continentur Constitutiones Honorii III. de Joanna igitur Comitissa Flandriæ filia Balduini VIII. Cujus prior maritus fuit Ferrandus filius Regis Portugalliæ, quem bello captum Philippus Augustus per decennium detinuit in carcere. Posterior autem maritus fuit Thomas filius Ducis Sabaudiæ. Hæc vero Joanna Ecclesiis, in quibus jus patronatus obtinebat, solebat præpropere, nondum vacantibus præficere rectores, aut destinare, quod improbatur in *d. cap. ult.* ne illa sibi id adrogare possit, nec alius quilibet, *cap. 13. hoc tit. cap. 19. de appellat. 1. coll.* Solus Romanus Pontifex hoc sibi tribuit, veluti pro imperio quodam extraordinario ut viventium beneficia polliceri, et conferre possit, quibus scilicet fruatur is, cui collata fuerint post mortem justi possessoris in *c. p. 4. hoc t.* Secundum plenitudinem potestatis, inquit, de jure possumus supra jus dispensare, quod multum est. Igitur excepto Romano Pontifice, si quis alius contra Concilium Lateranense promiserit alicui Ecclesiam, aut beneficium priusquam vacaret, quod postea vacaverit, ea Ecclesia, idve beneficium cuilibet alii protinus quamvis promissum ei non fuerit, conferendum est sine metu appellationis ab eo interpositæ, cui promissum fuerit, *cap. 3. hoc tit.* Ad hoc etiam cap. Concilii Lateranensis pertinet cap. 4. hujus tit. Cælestinus Romanus Pontifex, qui præfuit Ecclesiæ ante Innocentium III. auctorem d. cap. mandavit Collegio sive Capitulo Cameracensi, ut præbendam proxima vacaturam Capitulum conferret L. Titio, et decanus Remensis Ecclesiæ ejus mandati executor constitutus, eum quoque L. Titium investivit de præbenda primo vacatura, quod fecit nimis Propere, et satis illicita, puta contra Concilium Lateranense. Decano mortuo contigit paulo post, ut vacaret præbenda quædam, quam Cap. Cameracense alii contulit, quam L. Titio. Cælestinus autem contulit L. Titio improbata investitura Decani, quasi facta contra Concilium Lateranense, de præbenda vacatura, non de vacante. Cælestinus vero contulit jam vacantem, et de ea L. Titium per annulum investivit, ut fieri solet, *cap. 12. de sentent. et re jud.* Vacantis beneficii investitura recta est, et ideo potior erit L. Titius illo, in quem Capitulum præbendam vacantem contulerit: alterum vero caput Concilii Lateranensis, quod proponitur in posteriore parte *cap. 2.* est de beneficiis vacantibus, ut ne diu Ecclesiæ sint sine rectore, aut ministris, quamprimum clericis idoneis conferantur, saltem intra 6. menses, vel si forte Capitulum, quod conferendi jus potestatemque habuit, semestri integro cessavit in beneficio vel officio ecclesiastico vacante alii conferendo, ut a Capitulo potestas conferendi transeat, et devolvatur ad Episcopum : ac retro, si Episcopus, ad quem primore loco jus conferendi pertinet, tanto tempore cessaverit, ut ab eo devolvatur ad Canones sive Capitulum, utroque vero cessante, ad Metropolitanum sive Archiepiscopum, et rursus Metropolitano, sive Archiepiscopo cessante, ad summum Pontificem, *cap. 6. hoc tit.* Quod si collatio vacantis beneficii pertineat ad Capitulum simul, et Episcopum, vel Archiepiscopum, et intra sex menses beneficium vacans in alium non contulerint, tunc etiam ad Metropolitanum, vel Romanum Pontificem jus conferendi devolvitur a Capitulo et Episcopo, quibus initio jus conferendi simul, et communiter propria competebat. Non igitur conferendi jus competit soli Episcopo, quoniam a jure conferendi exclusus est simul cum Capitulo præscriptione temporis sex mensium. Verum elegans est, quæ additur exceptio, nisi Episcopus, non ut Episcopus, sed ut Canonicus jus habeat una cum Capitulo conferendi vacantis beneficia. Nam hoc casu post sex menses jus conferendi ad eum ut Episcopum, devolvitur, si modo dolo malo non fecerit, ut re infecta tempus id elaberetur: quia nemini dolus suus patrocinari debet: quæ est sententia *cap. pen. hoc tit.* Unde et præterea intelligimus, non esse novum, ut idem sit in eadem Ecclesia Episcopus et Canonicus : quoniam plerisque in Ecclesiis hic mos increbuit, ut statim atque electus quis Episcopus est, conferatur ei Canonicatus, vel ut in *cap. 8. hujus tit.* præpositura, forte, si angustus sit Episcopatus. Atque ita fit, ut idem sit ejusdem ecclesiæ Episcopus et Præpositus. Ad hæc notandum est, hanc constitutionem Lateranensis Concilii, habiti scilicet sub Alexandro III. initio pertinuisse tantum ad inferiora beneficia, ad inferioris ordinis ac minoris emolumenti, aut majoris quidem, sed inferioris dignitatis beneficia, non ad Episcopatus. Nam etsi defuncto Episcopo, Capitulum intra sex menses alium Episcopum non elegisset, non transferebatur jus eligendi ad Metropolitanum *cap. 12. inf. hoc tit.* Non ergo a Capitulo Geruntinensi (sic est restituenda inscriptio capit. 12.) quod Capitulum sive Collegium est in Calabria : non transferebatur, inquam, ad Archiepiscopum sanctæ Severinæ, sub quo ille Episcopatus est. Hodie tamen ex altero Concilio Lateranensi habito sub Innocentio tertio, electio Episcopi, vel Abbatis, cessante Capitulo, devolvitur ad Archiepiscopum, vel ad Romanum Pontificem, non quidem post sex menses, ut collatio aliorum beneficiorum, sed maturius: quod Ecclesia magis indigeat Pastore, quam alio ministro, nempe post tres menses *capit. 41. sup. de elect.* Qua ex re intelligitur, Capit. illud 41. abrogare capit. 12. hoc tit. Concilium scilicet aliud ab alio abrogari, vel derogari, prius a posteriore. Notandum etiam est hac in quæstione, sex illos menses computari ex eo die, quo primum sciverit, aut scire potuerit beneficium vacans, is, ad quem ejus collatio pertinet, ut definitur in *cap. 5. hoc tit.* ut scientibus jure præscripta tempora utilia cedunt, ignorantibus non cedunt, *l. 2. quis ordo in bon. possess. serv. l. 7. §. ult. de bonor. possess. l. 1. §. ult. C. de annali except. l. In rebus. C. de jure dot.* Unde veteres formulæ juris, *in diebus tot, quibus sciverit, potueritve, quibus sciveris, poteris*, qui dies utiles dicuntur, adversi continuis omnino : nam continui etiam ignorantibus cedunt, *l. Genera. de his, qui not. infam.* Ac præterea in hac causa tempora 6. mensium his tantum cedunt, quibus nihil impedimento est, quo minus vacantia beneficia conferant. Non etiam iis, qui obstante causa aliqua nondum conferre possunt beneficia, quæ vacant. At, ut integram sententiam hujus capit. 5. exponam, quæ fit in eo mentio Archiepiscopi Eboracensis, suspensi potestate, et dignitate sua ex *epistola 54. et 56. libro 2. Epistol. Innocentii III.* et ex historia Anglica Matthæi Paridis constat, eam esse de Gaufrido Archiepiscopo Eboracensi, quem Richardus primus Rex Angliæ suspendit administratione, et fruitione Ecclesiæ suæ, atque aliquamdiu exsulare coegit. Hic vero Archiepiscopus antequam restitueretur, atque etiam aliquandiu post restitutionem, et reconciliationem Regis, quæ vacabant beneficia in diœcesi ejus, et dignitates ad ejus collationem pertinentes plerique per se occupabant, quos jubet Pontifex post Canonicam admonitionem ea omnia beneficia, quæ temere usurpaverant, dimittere sub pœna excommunicationis, et subtractionis aliorum beneficiorum, si forte plura ex indulgentia summi Pontificis, vel ex alia legitima causa obtinuerint beneficia, etiamsi eis beneficia illa, quæ malo more perVaserunt, confirmata fuerint rescripto summi Pontificis, omisso, ut ait sub forma communi, id est, adjecta clausula hujusmodi, *beneficia ubi jure, et sine controversia possidentur, confirmamus.* Quæ confirmatio parvi aut nullius momenti est, et merito hoc loco separatur a speciali mandato summi Pontificis, quo quasi jure singulari, non jure possessa beneficia nominatim possessori confirmantur, et fit hoc modo justa possessio, cujus initium fuit injustum atque vitiosum. Archiepiscopo autem Eboracensi, de quo agitur in hoc capit. quinto, restituto in integrum, rescissa suspensione, beneficia, quæ vacantia repererit, eorum collatio, etiam præteritis jamdiu sex, pluribusve mensibus, ad eum pertinet, ut hic definitur : quia tempus suspensionis, quo ea conferre non potuit, non cedit, aut computatur, vel eo maxime, quod præscriptio illa temporis, et præscriptiones pleræque omnes, *l. ult. C. de ann. except.* comparatæ sunt pœnæ causa, vel mulctandæ negligentiæ causa, adversus desides, et juris sui contemptores, non adversus eos, per quos non stat, quo minus jure suo utantur, et multo magis adversus eos, qui hoc omni conatu agunt, ut jus suum recipiant, qui non cessant agere de jure suo, *l. Contra. C. de inoff. test.* Quamobrem in *d. l. ult.* præscriptiones odiosæ esse dicuntur, id est, compositæ in odium negligentiæ. Et inde sequitur, quod etiam in hoc *cap. 5.* est expressum, suspensionem Episcopi non esse justam causam devolvendæ ad Capitulum collationis vacantium beneficiorum, sed expectandum esse, quoad Episcopus in integrum restitutus fuerit. Suspenso Episcopo etiam suspendi collationem beneficiorum interim vacantium: quia, ut sit, tempore suspensionis Episcopi, vel Archiepiscopi, etiamsi culpa sua in eam inciderit, ad eundem ipsum pertinet collatio beneficiorum, non quidem statim, ut eam exequatur, atque peragat, sed cum primum restitutus fuerit: ad eundem ipsum, inquam, pertinet collatio beneficiorum, qui præter desidiam et negligentiam suam poterat præbendas donare, præter, id est, citra, ut in *canone, cum societas, 27. qu. 2. Cum societas*, inquit, *nuptiarum ita a principio sit instituta, ut præter commixtionem sexuum*, id est, *citra, non habeant in se nuptiæ conjunctionis Christi, et Ecclesiæ sacramentum.*

AD CAP. *Cum nostris.* VI.

Ad capitulum sextum, quod sequitur hæc pauca adnotare satis erit. Præpositura Lausanensi vacante, Præposito electo in Episcopum con-

cordi suffragio Capituli, idem Capitulum postea etiam Episcopatui adjunxit præposituram, quam olim obtinebat. Vacabat ipso jure Præpositura per electionem. Qui Episcopus est electus et consecratus, ejus beneficia omnia, quæ ante electionem habuit, vacant ipso jure, *Capit. cum in cunctis, sup. de elect.* Sicut dicitur in l. 23. *ad municip.* quo exemplo utuntur, municipem esse desinere eum, qui senatoriam dignitatem adipiscitur, et sic etiam beneficiorum et præbendarum esse desinere eum, qui Episcopatus dignitatem adipiscitur. Vacabat igitur Præpositura ipso jure, et non vacabat re ipsa, facto ipso, quia statim, aut paulo post præposituræ possessionem, quæ res est facti potius, quam juris, ut *l. Possessio quoque de acquir. possess.* Capitulum restituerat eidem. Itaque non deerat præposituræ possessor, et hac ratione, quasi ad Romanum Pontificem devoluta potestate conferendæ præposituræ, cessantibus Canonicis et Episcopo, definitur in hoc capite, non jure fuisse delatam præposituram Thesaurario ejusdem Ecclesiæ, ex mandatu summi Pontificis, quia non cessaverat utique Capitulum, quod eidem Episcopo præposituram restituerat. Verum hæc definitio ita procedit, si mos hic fuerit Ecclesiæ, ut Episcopatui jungeretur præpositura, vel si hæc fuerit indulgentia specialis summi Pontificis, vel si id necessitas, aut utilitas Ecclesiæ vel quæ alia justa causa exigebat: alioquin parendum est mandato Pontificis, ut scilicet in obtinenda Præpositura potior sit Thesaurarius Ecclesiæ Lausanensis.

AD CAP. *Post electionem.* VII.

Quod diximus in sexto capit. beneficium vacare, quod habuit is, qui ante Episcopus electus et consecratus est, ad omnia beneficia, quæ habet, id servatum initio hujus capituli 7. fuisse ostenditur in Anglia, Archidiacono Richemundiæ facto Episcopo Eliensi: ob eam nempe causam Gaufridum Archiepiscopum Eboracensem, ad quem ejus dignitatis collatio pertinebat, quoniam ejus Archidiaconatus sedes erat in Ecclesia Eboracensi, eam dignitatem id est, Archidiaconatum Richemundiæ, Honorio cuidam contulisse, et mandasse Capitulo Eboracensi, ut eum reciperent, quod tamen Capitulum Eboracense exequi noluit, privilegio fretum, a Cælestino Papa concesso, de nemine recipiendo in suum numerum, nisi quem Decano, et Episcopo Archiepiscopus Eboracensis obtulisset, et commendasset. Honorium autem Archiepiscopus Capitulo tantum commendaverat, non Decano, ad quem præcipue Archidiaconi investitura pertinebat, atque adeo collatione Episcopi quasi habita pro infecta, et transactis jam 6 mensibus, quasi ad se devoluto jure conferendi Archidiaconatus, Capitulum Rogerio cuidam eam dignitatem contulisse. Verum rejecta ea ratione, qua nitebatur Capit. propterea quod oblatus et commendatus Capitulo, etiam oblatus et commendatus esse Decano censetur, cum in Capitulo etiam contineatur Decanus, sicut pars in toto, sicut præses in ordine Decurionum, *l. 1. §. Sed etsi præses. quando appellan. sit.* Sicut Princeps in ordine amplissimo Senatorum, *l. Quisquis C. ad leg. Jul. majestat.* Ideo definitur in hoc capitulo, potiorem esse causam Honorii in Archidiaconatu supradicto, quia non potuit ea dignitas jam Honorio jure legitimo collata, eo vivente Rogerio conferri. Ac præterea Honorio nihil officere, quod dicebatur, Honorium se abdicasse et renuntiasse Archidiaconatui, eumque tum deinde etiam Archiepiscopum, supradicto contulisse Rogerio. Nihil, inquam, hoc Honorio officere: quia ut quidam ajunt, aut fingunt, id non probabatur, se abdicasse Honorium Archidiaconatu, sicut in capite 8. quod sequitur, frustra objicitur, recepto in Canonicum, fuisse eum receptum contra decreta Lateranensis Concilii, si id non probetur: quamvis Canonici, quasi suæ famæ prodigi, et male sani, non erubescant dicere, se eum recepisse contra decreto Lateranensis concilii, se improbe fecisse, ut vulgo jactatur illud, non audiri eum, qui dum litigat, tuetur se allegatione vitii, improbitatis, vel turpitudinis suæ. Quocirca recte in capite octavo definitur, si prior ille, quo de agitur, receptus et institutus fuerit in Canonicum, ei quoque priori præbendam, si quæ vacaverit, esse conferendam, ne sit Canonicus sine præbenda quia Canonicatus sine præbenda nihil est, *ca. 9.* et *19. sup. de præbend.* Vel igitur ut cœpi dicere, ideo non habetur in hoc capite septimo, renuntiationis ratio factæ ab Honorio, quod liquido non probaretur eam fecisse Honorium: vel potius ideo, quia Rogerius, non tam secunda illa collatione, quam fecit Archiepiscopus, post renuntiationem Honorii in gratiam Rogerii, non tam inquam, illa Rogerius nitebatur, quam prima collatione, quam fecerat Capitulum Eboracense: quod subindicat extrema clausula hujus capit. dum remittit ad jus ordinarium eum, qui de renuntiatione Honorii certare velit, aut ea præmunire. Ad hanc vero spem, et dignitatem Archidiaconatus Richemundiæ, etiam pertinet *cap. pen. sup. tit. prox.* et *caput. 30. sup. de test.* et *cap. 3. sup. de suppl. neglig. prælat.*

AD CAP. *Cum litteras.* IX.

In hoc cap. ostenditur, si quis de una præbenda minoris Ecclesiæ vocetur, et eligatur ad aliam præbendam majoris Ecclesiæ, priorem præbendam statim, quamvis ei simpliciter confirmata fuerit ab Archiepisc. in plena Synodo, ut est in antiqua Decretali ipso jure vacare, ex *Concilio Lateranensi, cap. 1. de multa. sup. de præbend. cap. dudum 2. supra, de elect.* atque adeo recedere a priori illa præbenda ipsum debere, quæ ipso jure vacat, id est, discedere a possessione, ejus, ut quæ vacat ipso jure, vacet, etiam ipso facto, ac proinde alii conferatur, ut *cap. 6. supra hoc tit.* Ex quo simul, et ex hoc capite, notanda sunt illa vacantium beneficiorum genera, quasi alia vacent de jure, alia de facto, alia de jure, et reapse. Notandum etiam ex hoc cap. non valere confirmationem Archiepiscopi vel Episcopi, factam contra decreta Concilii generalis, sive Oecumenici, nec consuetudinem quoque, puta, si qua in Ecclesia consuetudo aliqua inoleverit, ut unus in ea plures præbendas habere possit: quia pugnat hæc consuetudo omnino cum Concilio Oecumenico. Et hoc satis est adnotatum ad cap. 9.

AD CAP. *Ex parte.* X.

In cap. 10. ostenditur, quod summe notandum, capiti Lateranensis Concilii de præscriptione 6 mensium, locum esse non in omnibus Ecclesiis, sed in Ecclesiis, in quibus certus et definitus est præbendarum numerus, quem excedere non liceat. Nam si qua præbenda in iis Ecclesiis vacet, eam nisi is, ad quem collatio ejus pertinet, intra 6 menses alii contulerit, collatio devolvitur ad alium propter negligentiam prioris collatoris. Verum hæc præscriptio sex mensium non habet locum in iis Ecclesiis, in quibus multiplex, varius, et incertus est numerus præbendarum, quandoquidem in iis Ecclesiis subinde, et quandocunque alii clerici præbendari institui possunt ex consensu totius Capituli, vel majoris et sanioris partis, si modo omnibus Canonicis tuendis, et exhibendis sufficiant Ecclesiæ facultates citra Capituli consensum, nec in iis Ecclesiis augeri posse numerum præbendarum, ut *cap. 22. sup. de præbend.* nec prætextu quidem collationis devolutæ ad Episcopum, vel Archiepiscopum, ut in specie hujus capit. quæ proponebatur, quadriennio integro vacasse præbendas aliquas, atque adeo etiam præscriptione temporis Episcopum, et Archiepiscopum exclusos jure conferendi, et omne hujus rei pontificium jus transiisse ad summum Pontificem. Itaque præbendas illas non jam conferri ut vacantes, quia nec vacant, sed nunc primum institui intelliguntur aucto numero præbendarum in Ecclesia. Denique ubi non est certus numerus Canonicorum, mortuo uno Canonico, non vacat ejus Canonicatus, quia non est præscriptus certus Canonicorum numerus, et præscriptio illa sex mensium pertinet tantum ad vacantia illa beneficia. Quamobrem si quis postea Canonicus instituitur, non in locum defuncti instituitur, sed novus homo est, qui constituitur in numerum ceterorum, quem augere licet de consensu Capituli, pro modo facultatum Ecclesiæ.

AD CAP. *Constitutus.* XI.

In cap. 11. definitur, quod etiam notandum, posse Episcopum uni ex Canonicis suæ Ecclesiæ dare, vel delegare potestatem, cui voluerit, conferendæ præbendæ sacerdotalis generaliter, quandocumque vacare quandoque contigerit. Denique jus conferendi posse uni delegari Canonico, ut *cap. pen. sup. tit. prox. Præbendæ*, inquit, *sacerdotalis*: quoniam aliæ sunt præbendæ sacerdotales, quas soli sacerdotes obtinere possunt, aliæ non sacerdotales, *cap. 26. de præbend. lib. 6.* Et ratam igitur esse ab eo factam collationem præbendæ, quæ postea vacaverit, cui jus conferendi delegavit Episcopus, quo genere ademit sibi jus conferendi ejus præbendæ: dum id delegat alii, adimit sibi, præcipit sibi. Verum ab eo Canonico factam pollicitationem, vel concessionem præbendæ proxime vacaturæ, obtentu hujus privilegii personalis, quod personæ ejus legavit Episcopus, non valere, quoniam Concilium Lateranense hoc improbat, ne conferatur beneficium, aut promittatur antequam vacet. At in hoc c. quod scriptum est Capitulo, et Episcopo Laudunensi, *de Laon*, *cohis filii Capituli*, quæ forma loquendi est observanda: nam Episcopo sic loquitur, *tu frater, Episcope*: Capitulo autem his verbis, *filii Capituli*, id est, filii, quibus constat Capitulum. Et sic loquitur in c. 3. *de testam. 3. coll.* De cap. 12. jam dixi sup. illo adeptato, abrogatum id esse posteriori Concilio Latereo. cap. 13.

AD CAP. *Ex tenore.* XIII.

Cap. 13. pertinet ad priorem partem cap. 2. de non promittendis beneficiis cuiquam, antequam ea vacare contigerit. Qua de re satis dixi supra. Exposuimus etiam *sup. cap. 14.* et *cap. pen.* et *cap. ult.*

AD TITULUM IX.

Ne sede vacante aliquid innovetur.

AD CAP. *Novit.* I.

Venio ad tit. 9. *ne sede vacante aliquid innovetur.* Cujus Constitutionis, sive Regulæ, ne sede Episcopali vacante aliquid innovetur, tria exempla proponuntur in hoc titulo. Primum in cap. 1. de Cœnobio Glasconiensi amplissimo in Wellia oppido Angliæ, quod Cœlestinus Papa erexit in Ecclesiam Cathedralem, et Abbatiam denique ejus cœnobii in Episcopatum, eumque Episcopatum coadunavit Episcopatui Bathoniensi. Qua ratione Matthæus Westmonasteriensis historiographus Anglus, et Polyd. Virgilius etiam conjungit semper Bathoniensem, et Wallensem Episcopatum, nimirum quia utriusque Episcopatus, facta est unio, sicut in Delphinatu Episcopatus Valentini, et Diensis, et in Regno Neapolitano Episcopatus Camosl, et Miscualis, *can. et temporis.* 16. qu. 1. At quia per causam coadunationis, sive unionis Abbas cœnobii Glasconiensis siti in diœcesi Wallensi cum

Episcopatu Bathoniensi, eveniebat, evenerat que jam, ut cessarent, quæ in eo cœnobio ante fieri quotidie solebant pauperibus præ erogationes, et quæ domus ante apertissima omnibus, et perhospitalis erat, sola pateret Episcopo. Denique exorta inde confusione et perturbatione ordinis, et pietatis antiquæ, cum his rationibus moti ejus cœnobii Monachi desiderarent ab Innocentio Tertio, Cœlestini successore, se in antiquum statum restitui, et adversante Saverico Episcopo Bathoniensi, ut est in antiqua Decretali, cujus Saverici etiam mentionem facit Scholiastes illo loco. Bathoniensis Episcopus, et Matthæus Vestmonasteriensis anno 1192. et 1205. Id vero Monachi ab Innocentio non impetraverunt, vivente Saverico: neque enim Innocentius unionem a Cœlestino factam omnino rescindere voluit, sed pro Abbate Monachis Priorem constituit, et Episcopo ex reditu ejus cœnobii aspersit aliquid. At postea defuncto Saverico Episcopo Bathoniensi, quasi omni impedimento sublato, instabant iterum Monachi, postulantes plenam restitutionem sui Cœnobii, et rescissionem unionis supradictæ, adhibito pari postulato Ecclesiæ Bathoniensis, et Richardi Regis Angliæ, quos omnes censet Innocentius non esse audiendos duplici ratione: quia vacante sede et destituta, legitimo defensore mortuo, nimirum Saverico, nihil innovandum est, quod attingat causam, et jus Episcopale. Cyprianus epistola 31. *Ante constitutionem* (id est, ante ordinationem) *Episcopi mediocriter nihil innovandum putamus, sed lapsorum culpam temperandum esse credimus, ut interim, dum Episcopus dari a DEO nobis sustinetur, in suspenso causa teneatur.* Itaque jus hoc vetus est, ut sede vacante nihil innovetur. Motus præterea est Innocentius altera ratione: quia si defuncto Saverico id Cœnobio concederet, quod eo vivo plene concedere noluit, videretur tunc temporis, contra quam deceat, plus favisse Saverico, quam ecclesiæ, puta si ecclesiæ Glasconiensi faveret post mortem demum Saverici. Itaque hac de re omni definit, se nihil statuere posse, antequam novus aliquis Episcopus Bathoniensis existat, qui Monachis contradicat, si velit, et adversus eos tueatur jus Episcopale, desiderantes unionem supra dictam infringi. Et ita explicanda est species sive historia cap. 1.

AD CAP. *Illa*. II.

Alterum exemplum hujus regulæ est in *cap.* 2. de præbendis vacantibus post mortem Episcopi ante electionem: et consecrationem novi Episcopi: de beneficiis, inquam vacantibus, quorum si sedes non vacaret, collatio pertinet ad Episcopum: ut Capitulum scilicet vice Episcopi eas conferre non possit, nec quicquam ei, cui eas Capitulum contulerit, collatio prosit, etiamsi confirmata fuerit rescripto summi Pontificis, impetrato in forma communi, ut *cap.* 5 *sup. tit. prox.* Quod parvi aut nullius momenti rescriptum est, ac nec quasi jure conferendi ad se devoluto, eam collationem Capitulum, quam fecit sede vacante, tueri possit: quum ubi sedes Episcopalis vacat, nullus sit Episcopus, a quo propter ejus negligentiam, jus conferendi ad Capitulum devolvi possit, non fit devolutio scilicet, nisi sit a quo fiat, et ad quem. Nec obstat huic cap 2 *cap. cum olim, sup. de major. et obed* quia, ut breve faciam, non collatio præbendarum ibi sede vacante Capitulo permittitur, sed confirmatio tantum Abbatis electi a Monachis quibusdam. Quæ res non pertinet ad jus Episcopale nihilve præripit futuro Episcopo. In inscriptione capituli nihil est innovandum: sunt variæ lectiones, sed vulgaris est certissima, cui etiam congruit mentio Archiep. Capuani, quæ fit in contextu h. cap

AD CAP. *Constitutis*. III.

Tertium vero exemplum est in *cap.* 3. *h. t.* quod est de interdicto restituendæ possessionis, quod et actio momenti dicitur, quo interdicto agebat ecclesia quædam dicens, se ab Episcopo Burgensi in Hispania spoliatam jure eligendi sibi Prælatum, Episcopo jus in ecclesia eligendi et constituendi Prælati, Prioris puta, vel Abbatis, sibi adrogante, et se quoque ab eodem Episcopo Burgensi expoliatam aliis plerisque rebus. Quam in rem ecclesia producebat testes, sed post mortem Episcopi Burgensis defuncti lite pendente: quam productionem et receptionem tertium factam sede vacante, Pontifex improbat in hoc cap. 3. quasi factam μονομερῶς. Debent enim produci et recipi testes utraque parte præsente.

AD TITULUM X.

De his, quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli.

AD CAP. *Irrita*. I.

Summa regulæ hujus tit. hæc est: irritam esse donationem, venditionem, permutationem rei Ecclesiasticæ factam a Prælatis, puta Episcopo, aut Archiepiscopo, aut Patriarcha, vel Abbate sine consensu Capituli, aut ratihabitione, ut est expressum in *cap* 3. *hoc. t.* Ratihabitio retrotrahitur, et consensui comparatur. Et hoc generaliter definitum extat in cap 1. quod repetitur etiam in *can. sine exceptione* 12. *quæst* 2. Et ad hæc etiam notandum, non tantum ratihabitionem pro consensu haberi, sed etiam taciturnitatem, puta, si quid Episcopus concesserit de rebus Ecclesiæ tacente, et non contradicente Capitulo, *cap.* 2. *hoc. t.* quo casu cavetur specialiter, concessionem, donationem, sive remissionem decimæ cujusdem alicui factam valere, si facta sit a Prælato, tacente et non contradicente Capitulo, et prior fuerit tempore ea, cui concessa decima est: sed si facta sit contradicente Capitulo, vel ignorante, potior est concessio sive donatio decimæ, quæ postea alii facta est, non contradicente Capitulo. Species hæc est, ut patet ex constitutione integra, quæ exstat post Concilium Lateranense Alexandri Tertii, *parte* 47. *cap* 6. Abbas decimam quandam ecclesiæ suæ, Monasterii sui Nicolao contulit aliquo concessit certa ex causa, quam N. perciperet, et sibi haberet. Ceterum eam concessit contradicente Capitulo: post deinde idem Abbas eandem decimam concessit Huberto de consensu Capituli. Sane posterior concessio potior est priore, quæ non habuit consensum Capituli. Et ex integra illa constitutione legendum in hoc cap. et ignorante convento, aut contradicente, decimam prius prædicto N. vulgo male, Huberto, et in fine, *decimam concessit eidem*, loco *eidem* legendum, *Huberto*, ut patet ex eadem constitutione integra. Quam sententiam aperte confirmat de assensu conventus, eidem decimam dedit id est Huberto. Et sic omnia erunt plana. Præterea non potest Episcopus, vel Archiepiscopus Abbatem, vel alias ecclesiasticas personas instituere, aut destituere: privilegia, aut confirmationes alias cuiquam concedere. Et generaliter non potest negotia suæ ecclesiæ tractare sine consensu fratrum, id est, sine consensu Capituli totius, aut majoris partis. Quod de Patriarcha Hierosolymitano constituitur in *cap* 4. et 5 *hoc t.* non posse Patriarcham Hierosolymitanum sine consensu Prioris, et fratrum Canonicorum sancti Sepulchri, quicquam eorum, quæ ante dicta sunt, agere, nec satis esse, si quid agat eorum adhibitis aliis quibusdam clericis, vel laicis, qui non sint e corpore Ecclesiæ, quia ii non sint justi adsessores, sive consiliarii Patriarchæ, vel cujuslibet Episcopi sed fratres tantum Canonici. Id tamen ille Patriarcha sibi adrogabat, ut instituerat, et destitueret personas ecclesiasticas inconsulto Capitulo. Idem etiam, quod est pejus, in privilegiis, quæ aliis concedebat, solebat falso adscribere nomine absentium Canonicorum quasi præsentium, contrahebatque crimen falsi, *l.* 13. *C. ad l. Cornel. de falso.* Cujus etiam Cicero in epist. arguit Cæsarem, quod actis quibusdam suis adscriberet quasi præsentes senatores quosdam, qui absentes erant. Hoc valde improbatur in hoc cap. 5. Quod optime coaptabis *d. l.* 13. *ad l. Corn. de fals.* Hæc sunt, quæ continentur in quinque prioribus capitulis.

AD CAP. *Ea noscitur*. VI.

In cap. 6. *de his, quæ fiunt a Prælatis, sine consensu Capituli*, ostenditur, quotiens jus patronatus quorundam ecclesiarum, aut præbendarum pertinet ad Monasterium, Abbatem non habere jus offerendi, vel ut loquuntur, præsentandi Episcopo cujusque clerici, quem in præbenda vacante instituat Episcopus, vel præficiat ecclesiæ vacanti sine consensu Capituli, et collegii sui, aut majoris et sanioris partis. Et si quem præterito collegio suo obtulerit, et Episcopus secutus judicium ejus instituerit, licet idoneum, neque oblationem valere, neque institutionem. Verum adduntur duæ exceptiones, quæ aptari possunt etiam ad omnia capitula hujus tit. nisi Abbas probaverit, hanc esse diuturnam et inveteratam consuetudinem sui Monasterii, ut Abbas in collatione beneficiorum, vel Ecclesiarum non requirat collegii sui voluntatem, vel sententiam. Item, nisi docuerit, hoc sibi privilegium, et hanc sibi libertatem esse concessam, ut in collationibus beneficiorum, vel Ecclesiarum, non consulat Capitulum, ut id faciat sine Capituli sui, sive Collegii sibi commissi, consensu. Dum igitur sunt exceptiones ad hunc tit. nisi alia sit consuetudo, et nisi Prælatus donatus sit hoc privilegio speciali, ut non teneatur consulere suum Capitulum in ea re, qua de agitur, id est, ut eam solus peragere possit sua auctoritate. Oblationem, quam præsentationem vocant, in hoc cap vocat collationem. Conferre enim videtur patronus, qui quem exhibet Episcopo clericum, ut eum faciat possessorem beneficii, vel Ecclesiæ vacantis, *cap. ult sup. de concess. præb. cap.* 4. *de testib* Confert, qui nominat, et exhibet idoneum: quia non potest non Episcopus sequi judicium ejus, quem Episcopus instituit.

AD CAP. *Cum apostolica*. VII

Sequitur cap 7. quod pertinet ad hanc civitatem Bituricensem. Controversia erat inter Capitulum sancti Stephani et Monachos de Prates, sic leg. *les moines de la Prée*, de quadam decima, quam sibi donatam a laico quodam, puta, feudi jure ab hac ecclesia eam possidente: alioquin laicus non posset possidere decimas, nisi id juris haberet ab ecclesia. Et ita in *cap.* 2. *h. t.* cum agitur de Abbate, qui decimam laico concesserat modo Nicolao, modo Huberto, sic pone concessisse, ut eam non haberet pleno jure, vel proprietatis jure, sed feudi jure, tanquam vassallus ecclesiæ. Verum, ut ad rem redeam, Monachi illi contendebant, decimam illam sibi fuisse donatam a laico, feudi jure ab Ecclesia quadam ea possidente, et confirmatam quoque eam donationem fuisse consensu Bituricensis Archiepisc. atque adeo ad se jure optimo pertinere ex *can ult.* 16. *quæst.* 1. quam significat hoc loco sub Hieronymi nomine: namque est ille canone ex epistola Hieronymi. Contra Capitulum S. Stephani, dicebat, consensum Archiepiscopi nihil valere, cum adhibitus fuerit sine consensu Capituli, et contendebat Capitulum ad se potius eam decimam rediisse, quoniam a se profecta erat, et data in feudum supra dicto laico, non etiam sine consensu Capituli, transferri eam debuisse ad illud Monasterium. Denique non posse Episcopum confirmare donationem, sive cessionem decimæ factam a laico monasterio, qui eam in feu-

dum possidebat a Capitulo S. Stephani, sine ejusdem Capituli consensu. Idque comprobabant ex *can. sine exceptione*, 12. *quæstione* 2. Quod notatur hoc loco sub nomine Leonis: nam est Leonis Papæ: utraque pars nitebatur suo canone. Conflictus hic erat inter duos canones. De hac vero controversia utraque pars compromisit in Archiepiscopum, et magistrum scholarum, et in Petrum de Vico, Canonicum S. Austregisili Bituric. Sic est emendanda inscriptio, quæ vulgo depravata, maxime in 3. collect. Et magister scholarum dicitur, qui nunc Cancellarius, qui in ecclesia Aurelianensi Scholasticus. Et hi quidem arbitri compromissarii, priusquam hanc controversiam dirimerent, consuluerunt Romanum Pontificem, rogantes, an laico cedente decimam, quam jure feudi possidet, alii ecclesiæ, quam ei, a qua eam possidet vel habet, veluti Monasterio de Pratea, non Capitulo S. Stephani, a quo eam habet, an sufficiat ad eam concessionem, sive donationem confirmandam solius Episcopi consensus, sine Capitulo? Pontifex respondit sufficere solius Episcopi consensum, cum de Monasterii utilitate agitur. Nec obstare huic responso *d. can. sine exceptione*: quoniam ille can. loquitur de alienatione rei ecclesiasticæ, quæ jure non fit ab Episcopo, sine consensu Capituli. Species autem proposita hoc loco, et in *d. can. ult.* 16. *quæst.* 1. est de revocando jure ecclesiastico, quod laicus possidet ad usum ecclesiasticum donante laico, quod fit recte adhibito solius Episcopi consensu, ut et ex Concilio Lateranensi confirmat, quod exstat in *cap.* 3 *de privil.* et in *cap.* 31. *de præbend.* Ducto inde argumento ἐξ ἀντιδιαστολῆς, id est a contrario sensu. Itaque concludit Pontifex, propositiones eorum canonum, quæ invicem pugnare videntur, diversas esse, non contrarias vel adversas. Separant Dialectici adversas propositiones a diversis. Separant et sæpe juris auctores, ut *l.* 3. *D. ut legat. nom.* diversas conditiones a contrariis. Porro ex eodem *can. sine exceptione* 12. *q.* 2. cujus auctoritate Pontifex usus est in hoc cap. 7.

AD CAP. *Tua.* VIII.

Idem Pontifex in cap. 8. statuit, non posse Episcopum, nec adhibito Archidiacono, et solum eum adhibuerit sine Capitulo universo, non posse, inquam, conferre perpetuo jure vacantem ecclesiam Baptismalem, in qua solent cruce signati pueri tingi unda salutari, ecclesiam Parochialem: non posse, inquam, eam conferre sine consensu Capituli Monasterio quidem habenti jus patronatus in ea ecclesia: quia collatio illa, quæ fit Monasterio, vel conventui certo, perpetua est: quoniam monasterium nunquam est interiturum. Et collatio perpetua ecclesiæ sane pro alienatione habetur, et omnium sane maxime collatio est inhibenda, quæ fit monasterio, sine consensu Capituli.

AD CAP. *Pastoralis.* IX.

In cap. pen. ostenditur, Episcopum etiam sine consensu Capituli, vel sine auctoritate Romani Pontificis, non posse unius Parochiæ, vel Parochialis ecclesiæ reditus, vel obventiones in totum, vel pro parte, nec consentiente patrono ecclesiæ, piis et religiosis locis conferre, constituto nimirum in ea ecclesia vicario perpetuo, eique reservata, ut oportet, portione congrua, ut se alat et tueatur, videlicet si idem antea religiosi in ecclesia non obtinuerint: quia nova onera Parochiæ imponi, vel imposita jam olim augere Concilium Lateranense non patitur, *cap. prohibemus, inf. de censibus* Et divisio Parochiarum religiose observanda est: divisio vetus juxta decretum Dionysii Papæ, id est, juxta *can.* 1. 13. *quæst.* 1. Hoc tantum Monasteriis datum est, sed jure antiquo, non novo, et in iis ecclesiis, quas constituit Episcopus in Parochia sua, et si Monasterium constituet, in id transcribat, aut transcribere, etiam sine consensu Capituli possit quinquagesimam partem redituum suæ ecclesiæ, ut significat satis aperte *hoc capit. pen.* vel si constituat aliam ecclesiam, ut possit in eam transferre centesimam partem redituum suæ ecclesiæ, *can. bon. rei* 12. *q.* 2. et *cap. pen. inf. de donat.* Cum hoc vero cap. etiam conjungi velim *c.* 7. *inf. de don.* quod est ejusdem Pontificis, et eandem sententiam exprimit.

AD CAP. *Etsi membra.* Ultim.

Cap. ultimum h. tit. est Honorii III. Sic est corrigenda inscriptio h. tit. et extat in 5. coll. ut non possit Archiepiscopus habere Concilium provinciale, de quo diximus satis in *cap.* 26. *sup. de præbend.* non vocatis, vel non admissis in tractatu negotiorum, quæ in eo Concilio agitantur, Capitulis diœceseos suæ Episcopis suffraganeis, qui sibi subjacent, et Capitulis eorum, sive collegiis, maxime si negotia, de quibus tractatur, contingant Capitula: quoniam durum est et iniquum, non interesse Capitula tractatui, qui ad ea respicit. Sententia breviter hæc est: cum habetur Concilium provinciale, sive Metropolitanum, ab Archiepiscopo scilicet, non tantum omnes Episcopos suæ diœceseos vocandos esse, seu admittendos in Concilio, sed etiam fratres Canonicos eorumdem.

AD TITULUM XI.

De his, quæ fiunt a majori parte Capit.

AD CAP. *Cum in cunctis* I.

Sequitur Tit. XI. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli*, ut scilicet, quod major et sanior pars Concilii, Collegii, Capituli statuerit, id jus ratumque sit. Lex hæc est curiæ, et judiciorum, et Conciliorum omnium, corporum, sive Collegiorum, ut quod major pars statuit, id omnes statuisse intelligantur, *l. Quod major. ad munic. l.* 160. §. 1. *de reg. jur. l.* 5. *in fin. C. de legat. lib.* 10. *Lex est curiæ*, inquit Symmachus, *ut majoris apud me numeri antistet auctoritas*: κύριον τὸ δόξαν τοῖς πολλοῖς, inquiunt Græci, et Aristoteles κρεῖττον τὸ πλεῖον. Lex judiciaria, est caput unum legis judiciariæ in Epistolis Cœlii ad Ciceronem: *Quod judicum major pars judicassit, id jus ratum esto.* Quod igitur majori parti Capituli placitum est, si rationi congruat, quod semper intelligitur, et utilitati Ecclesiæ, id minor pars impedire non potest, quo minus obtineat, etiamsi consuetudinem aliquam obtendat, quam se observaturum, dum in collegium reciperetur, juraverit, quia non dejurium, sed injurium est, quod a ratione et utilitate Ecclesiæ alienum est. Non omne jusjurandum est servandum, imo et qui id juraverit se servaturum, quod in more est contra utilitatem ecclesiæ, arcetur communione, ut in cap. 1. donec pœnitentiam egerit, quasi perjurii jusjurandum pro perjurio habetur, quod est παράδοξον.

AD CAP. *Quæsivit.* II.

Sequitur in cap. 2. quod est scriptum Gileberto Claromontano Episcopo, interdicere sacris in ecclesia aliqua quosdam ex Canonicis Capitulum non posse sine consensu Episcopi, et totius sive majoris partis Capituli. Quod tamen plerique Canonici audebant, rapta occasione, vel ex pensione non soluta, quæ debebatur Ecclesiæ, vel ex delicto, quod admisisset clericus, aut Parochianus laicus aliquis. Verum si quis quid deliquerit adversus ecclesiam, is solus ecclesiastico more coercendus est, non interdicenda universa ecclesia: quia, ut ait, quod sumit ex *l. Sancimus. C. de pœn. Peccata suos tantum auctores tenere debent, nec pœna vinere noxiam.* Seneca in Hercule Œtæo: *Culpa par odium exigit, cur extra modum statuis?* Res est aperta.

AD CAP. *Ex ore sedentis.* III.

Sequitur *cap.* 3. *et pen.* Quod deest, suppleri oportet ex 1. *epist. Innoc. epist.* 289. et quod sequitur, ita legendum hoc loco: *Accedentibus ad præsentiam nostram, etc.* Scribit autem ad Siffredum Præpositum Augustanum, et Bernardum. Vulgo, male, T. et B. ac si scripsisset, Tancredo, et Bernardo. Species est de Præposito Augustanæ ecclesiæ, qui electus in Episcopum Brixiensem, desierat esse Præpositus, ut *c.* 6. *et de concess. præb. sup. c. cum in cunctis, sup. de elect.* Nec tamen sibi Capitulum alium Præpositum elegerat, quod fidem electo in Episcopum Brixiensem dedisset, se alium non electorum Præpositum in locum suum, antequam Roman. Pontifex eum inaugurasset, et confirmasset in Brixiensi Episcopatu. Verum ante confirmationem Pontificis Cœlestino Papa, antecessor Innocentii Tertii auctoris hujus cap. mandavit Capitulo Augustano, ut Bernardum in Præpositi locum eligeret, cui Bernardo etiam transmisit annulum aureum pro symbolo investituræ, ut *cap.* 6. *sup. de conc. præb. cap.* 12. *de sentent. et re jud.* Annulus aureus, et scipio est symbolum investituræ: investitura dignitatis ecclesiasticæ, investitura feudi cujuscunque fit per annulum, et virgam, per scipionem, *par rain, et par baston*: quoniam Germanica lingua annulus dicitur *Ring*, et Gallice *Rain.* Pontifex, inquam, pro symbolo investituræ Bernardo misit annulum. Qua ex re tamen, id est, ex sola missione annuli, per quem investiratur, certe investitura fuisse non intelligitur. Missio annuli non investit, sed datio, traditio. Unde postea confirmatione secuta electi Episcopi Brixiensis, rite videtur Capitulum, neglecto mandato Cœlestini, processisse ad electionem Præpositi, et elegisse H. Decanum ecclesiæ suæ, et confestim defuncto H. Siffredum, ad quem scribit, de consensu majoris partis Capituli, majoris, inquam, tam numero, quam dignitate. Sicut in *l. Majorem. D. de pact.* dicitur, majorem partem creditorem æstimari, non tantum ex numero, sed etiam ex dignitate personarum: ita in electionibus, quod statuerit major et dignior pars, est sequendum. Rite igitur, et legitime esse electum H. et mox Siffredum: quia et B. ille, qui nitebatur mandato Cœlestini II. adhuc vivente honorem quasi Præpositi, exhibendo quasi tacite juri suo renuntiare videbatur. Et quia erat etiam B. in minoribus ordinibus constitutus, nondum erat in sacris, nondum pervenerat ad sacros ordines, puta subdiaconatum diaconatum, ideoque non poterat promoveri ad dignitatem ecclesiasticam, *cap.* 6. *sup. de ætate, et qualitate ord. præfic.*

AD CAP. *Ex parte.* Ultim.

Cap. ultimum scriptum est ad Archiepiscopum, et Capitulum Rhotomagense, ut cum agitur de restauranda Ecclesia, de sartis tectis Ecclesiæ, cum Archiepiscopo ad eam rem contribuat quisque Canonicus, quisque beneficiarius, ut *cap.* 1. *inf. de Eccles. ædif.* et ut contribuat, quod Capituli major et senior pars decreverit. Et hoc quoque apertum. Et extat integrior, et emendatior hæc Constitutio in *epist. Innocentii, epist.* 258.

AD TITULUM XII.

Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

Titulus XII. unam tantum constitutionem habet Innocentii III, quæ extat integrior in epistolis ejusdem lib. 1. epist. 365. Præcipua autem ejus definitio hæc est, ut is, qui confert beneficium ecclesiasticum, vel Ecclesiam alteri administrandam, id beneficium, officiumve conferat integrum pleno jure sine ulla diminutione, non retento sibi reditu, exempli gratia, anni, biennii, aut triennii, aut quotannis reditus parte certa. Hæc retentio resipit simoniam. Et ita est decretum Concilio Lateranensi. *cap. prohibemus.* *inf. de censibus*, *can. pen.* 1. *qu.* 3. Distinctio tamen hujusmodi adhibenda est: aut Episcopus ante collationem beneficii vacantis fructus certo tempore percepit ex certa causa, veluti dissolvendi æris alieni causa, quod defunctus contraxerat, ut *cap. pen. inf. de verb. sign.* et post Concil. Lateran. Alexandri Tertii *part.* 29 *cap.* 6. Aut fructus percepit ex conventione, ex compacto habito cum eo, cui postea contulit beneficium, vel habito cum interprete, et parario ejus, *le truchement*, *le proxenete*. Hoc postremum illicitum est, prius illud licitum. Aut post collationem beneficii Episcopus ejus beneficii fructus percepit, etiam ex conventione habita cum eo, qui contulit beneficium. Et hoc quoque illicitum est, imo multo magis illicitum, id est, simoniacum est. Agitur in hoc cap. de Cancellaria Mediolanensis Ecclesiæ, quod officium, sive beneficium Pontifex plane censet esse spirituale, quia in eo conferendo simoniam contrahi dicit, si fructus collator sibi retineat, et nudum officium conferat: et quia multa ad Cancellarii officium pertinent, quæ spiritualia sunt. Qui vero in Ecclesia aliquo hoc officium exercet, is etiam inter cetera præest Bibliothecæ Ecclesiæ, qua de causa et Bibliothecarius dicitur, et de eo quoque officio per librum investiri solet, ut est in integriore epistola Innocentii. Dicitor et Cancellarius, quia sigillum tenet Ecclesiæ, idque appendit litteris Ecclesiæ eove obsignat litteras, quæ concipiuntur Ecclesiæ, nomine. Et merito sigillum illud dicitur sigillum Ecclesiæ, non sigillum Episcopi, quod aliud est. Sigillum Episcopi mutatur morte Episcopi. Sigillum Ecclesiæ non mutatur morte Episcopi. Sigillum, et bulla dicitur in eadem epistola Innocentii, et in 3. *coll. Dec.* Ut Harmenopulus quoque vocat βουλλωτήριον, et in constitutionibus Imperatorum Constantinopoleos χρυσόβουλλον, et μολυβδίνη βούλλη, *aurea bulla*, *plumbea bulla*, in libro officiorum palatii Constantinopolitani nuper edito. Et non hac ratione tantum improbatur collatio Cancellariæ facta ab Archiepiscopo Mediolanensi, quod is sibi Cancellariæ fructus retinuisset, sed et quod eam collationem fecisset obscure, et modo negans, se eam collationem fecisse inconstanter, modo affirmans se fecisse eam, et suppressisse per annum integrum: atque ita in errorem induxisse Romanum Pontificem existimantem jus conferendæ Cancellariæ ad se devolutum. Ac postremo, quod majus, idoneo quoque homini illud beneficium contulisse. Plenior, ut jam indicavi, hujus constitutionis species extat in illa epistola.

AD TITULUM XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

Titulus XIII. est *de rebus Eccles. non alien.* Regula hæc est utriusque juris, quæ proponitur in hoc titulo exemplo prædiorum, quæ ad minores, quam 25 annorum natu pertinent, quorum jure Ecclesia censetur, ut est *cap. ult. ejusdem tit. in* 1. *collect.* Nemini licere prædium ecclesiæ rusticum, vel urbanum, aut mancipium rusticum, quod ut Julianus antecessor ait in *Novella* 7. veluti membrum est prædii rustici: nemini, inquam, id licere alienare, vel specialiter pignori obligare, ut *dict. Nov.* 7. et *l. Jubemus* 2. *Cod. de SS. Eccles. et cap.* 5. *hoc t.* Nec quidquam interest, prædium illud sit proprie destinatum mensæ Episcopi, vel Capituli, an in alios usus Ecclesiæ, *cap.* 8. *et* 10. *hoc t.* Nihil etiam interest prædia sint ecclesiastica, an decimæ, vel jura regalia, Ecclesiis munificentia Regum collata, *cap.* 8. *hoc t.* De quibus regalibus etiam Episcopum investiri moris est nominatim, *cap.* 1. *de iis, quæ fiunt a maj. par. cap.* 3. *collect.* nam et hæc regalia, quæ a Regibus collata sunt Ecclesiis, vel decimæ non possunt alienari: dari tamen posse in feudum, jam diximus superioribus titulis, et repetemus paulo infra. Ait in *cap.* 5. nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ, nulli: nec Episcopo igitur, vel Abbati, nec Presbytero, vel Diacono, vel defensori Ecclesiæ. Et dico, Ecclesiæ, vel etiam Regi. Qui res Ecclesiæ a Rege accipit, excommunicatur, *cap.* 2. *hoc t.* nisi, ut fit intervenerit consensus summi Pontificis. Excommunicatur etiam Presbyter, vel Diaconus, vel Œdicus, vel Syndicus Ecclesiæ, qui alienanti rem mobilem Ecclesiæ subscribit, *cap.* 6. *hoc t.* Porro alienationis verbo ait in *cap.* 5. contineri venditionem, donationem, permutationem, et emphyteusin, sive locationem perpetuam, non temporariam, quod sumptum est ad verbum ex dicta Novel. 7. et Juliani ad eam interpretationem. Et usurpantur hæc eadem verba in Capitulis Caroli Magni additione 3. Unde patet in hoc *cap.* 5 expungendam esse vocem *conditionem*. Ait. *alienationis autem verbum continet conditionem, etc.* Facessat illud *conditionem*. Hoc enim non est in supradictis locis nam quis unquam audivit conditionem esse alienationis genus? Ex hoc vero, quod prohibetur alienatio rerum Ecclesiæ, apparet etiam manumissionem servorum Ecclesiæ, prohiberi, ut *l. Obligari. de auct. tut. l. Rebus alien. non alieno.* §. *Qui fideicommissariam de fideicom. libert. l. ult. C. de reb. alien. non alien.* At ex *cap.* 3 et 4. *hoc t.* adhibenda hujusmodi distinctio est: ut si Episcopus de suis bonis Ecclesiæ nihil contulerit, servos Ecclesiæ manumittere non possit. Si quid vero de suo Ecclesiæ donaverit, vel alio modo auxerit facultates Ecclesiæ, pro modo ejus Canonibus definitur, ut servos quosdam Ecclesiæ manumittere possit, jure tamen patronatus Ecclesiæ conservato. Ad hæc notandum est, posse etiam Episcopum, vel Abbatem, sub quo plures sint Ecclesiæ, ex una Ecclesia sumptam possess. applicare alteri, vel unius Ecclesiæ possessionem commutare cum possessione alterius Ecclesiæ, non quidem temere, et pro libidine, sed ex consensu utriusque Ecclesiæ, *cap.* 1. *hoc t.* Itemque aliam quamcumque possessionem Ecclesiæ ex justa causa Episcopum alienare posse, de consensu Capituli nimirum, ut ex ejus pretio reparet meliorem et fructuosiorem possessionem, *cap.* 1. et 6. *sup. de his, quæ fiunt a prœl. sine cons. cap.* 8. §. *ult. hoc t.* Ac præterea si quis ex sylva Ecclesiæ novale fecerit, si sylva cæsa illic sationes fecerit, ei, qui agrum meliorem fecit hoc modo novalia perpetuo jure sub annuo canone, annuo vectigali, vel censu, annua pensione concedi posse jure emphyteuseos, *cap.* 7. *h. t.* Emphyteusis est contractus, quo dominus fundi deserti, et squallidi, et non admodum fructuosi usum et fructum alteri concedit, quam sua industria percipere poterit, inserendo plantando, arando, poliendo, ea lege, ut pro eo pendat domino vectigal certum quotannis. Vel sic: emphyteusis est contractus, quo fructus fundi, quem quis excolit, ei conceduntur a domino, ea lege, ut si eum fundum excoluit, excolat, præstito quotannis certo canone, certo vectigali. Eodem modo, si justa interveniat causa, et id usus Ecclesiæ postulet, etiam potest prædium ecclesiasticum in feudum dari, *cap.* 10. *hoc t.* Prædium, inquam, vel decima, ut *cap.* 8. *hoc t.* et *cap.* 2 et 7. *sup. de his, quæ fiunt a prœl. cap.* 7. *sup. de constit.* Attigi fere omnia cap. h. tit. ex quibus necessario consequitur, quod tamen nondum attigi, quodque est ex *cap. ult. h. t.* et multo minus laicos religiosos (sunt quidam laici religiosi, *on les appelle les freres convers*) in *can. laicis* 16. *q. ult.* et *can.* 1. 96 *dist.* et *cap.* 10. *sup. de constit. Laicos*, inquam *quamvis sint religiosi, multo minus posse vendere feuda*, *nat prædia Ecclesiæ*, *vel usurpare jurisdictionem Ecclesiæ*, *vel mortuaria*, inquit, id est, commoda, quæ ad Ecclesiam redeunt morte alicujus, vel jure legati, si quid defunctus Ecclesiæ legaverit, vel jure oblationum, quæ nomine defunctorum offeruntur. Hæc sunt, quæ mortuaria dicuntur hoc loco, et *cap. congruente, sup. de offic. jud. ordin.*

AD TITULUM XIV.

De Precariis.

Precariæ sunt conventiones, sive contractus, quibus hoc agitur, precario rogante eo, qui prædiorum suorum quorundam proprietatem cedit Ecclesiæ, veluti remunerationis, et beneficii loco, ut ea prædia, vel sola vel adjunctis aliis prædiis ejusdem Ecclesiæ, possideat naturaliter, et fructus percipiat sub onere certo ad tempus certum, vel in perpetuum, ita scilicet, ut etsi non possit eas conventiones ad jus suum quandocunque Ecclesia revocare, vel Episcopus, aut Rector Ecclesiæ, renoventur tamen eædem conventiones, sive precariæ quinto quoque anno, ut cavetur *cap.* 1 *hoc tit.* et possunt quidem precariæ hujusmodi etiam vinculo pœnæ obstringi, quam incurrat Episcopus, vel rector Ecclesiæ, qui eas fecit, vel successor ejus, si eas precarias solverit, si non servaverit, maxime, si justa et probabilis earum faciendarum causa fuerit nam si nulla fuerit causa justa nulla ratio, revocari quandocunque possunt. Quæ est sententia *capit.* 2. *Successor*, inquit, *antecessoris sui pœna non obligatur*, ubi *antecessorem*, pro *decessore*, accipit, ut Tertullianus aliquando. Hoc autem dictare precarias ostenditur in *cap.* 3. *hoc tit.* ob eo negotio, quod precarium dicitur in jure civili, quod precariæ, ut dixi, temere non revocentur, si earum origo, et causa rationabilis, et Ecclesiæ utilis fuerit. Precarium solvitur et revocatur quandocunque ei, qui id concessit, libuerit. *l.* 1. *D. de precar.* statim atque id concessit, si statim mutaverit voluntatem, sicut depositum quoque revocatur, quandocunque depositori placuerit, etiam statim, l. 1. §. *Est autem depos.* et *cap.* 2. *inf. de depos.* Precarium etiam morte ejus, cui concessum est, solvitur, quia personæ tantum concessum videtur, *l.* 12. §. *ult. de precar.* Solvitur etiam alienatione rei precario concessæ, facta ab eo, qui id concessit, nisi accesserit voluntas et confirmatio emptoris, *l.* 8. §. *Illud. eod. tit.* et in hoc *cap.* 3. quod totum sumptum est ex jure civili. Præterea precarium est gratuitum, precariæ plurativo numero non item quia conceduntur sub onere certo. Utrumque tamen, precariæ, scilicet, et precarium beneficium est, et liberalitatis species quædam, ut Tertullianus ait adversus Hermogenem, *Tribus modis aliena sunt, jure, beneficio, impetu*, id est, ut ipsemet interpretatur, *dominio*, *precario*, *vi*. Neuter quoque tit. possessionis, vel precariæ, vel precarii, etsi justus sit, l. 7. §. *Inter. commun. divid. l. Quæcunque.* §. 1. *de Public. in rem act.* neuter, inquam, per diuturnam possessionem Ecclesiæ præjudicat, *can. sæpe fit.* 12. *q.* 2. *canon. clerici.* 16. *quæst.* 3.

AD TITULUM XV.

De Commodato.

AD CAP. *Cum gratia.* I.

Commodatum etiam precibus impetratur, precibus adhibitis contrahitur, cum quis a domino rem utendam rogat, et inde commodatarius precarius possessor dicitur a Salviano Episcopo l. *lib. ad Eccl. Cathol.* Verum differt commodatum a precario, quia revocetur, et repetitur a domino: et a precario, quia non revocatur, quandocunque libuerit commodatori, sed usu demum expleto, in quem res commodata est. Nec enim intempestive, et importune revocari commodatum potest, ut est expressum in *cap. un. hoc. tit.* quod sumptum est ex jure civili, puta ex *l. In commodato. §. Sicut. commod.* Adjicitur etiam in hoc cap. ex jure civili, quia plerunque commodatum fit gratia commodatarii. Qui re commodata utilitatem habet, in re commodata præstat omnem culpam, id est, exactissimam diligentiam in ea servanda, et etiam levissimam culpam, non etiam casum fortuitum, sive damnum fatale nisi post moram, vel nisi et casum fortuitum in se receperit, *l. Contractus, de reg. jur. l. Si ut certo. §. Commodatum. D. commod.*

AD TITULUM XVI.

De Deposito.

AD CAP. *Gravis.* I.

Hoc caput scripsit Alexander Tertius *Episcopo Lugdunensi*, ut est in 1. compil. et in Concil. Lateren. Ait cum Canonico, qui pecuniæ apud se depositæ furtum fecit, esse actionem, non cum Ecclesia universa, si in Ecclesiæ utilitatem pecunia versa non sit: quia persona commendata est, non Ecclesiæ. Commendare, est deponere, *l.* 186. *D. de verb. sign.* Ergo cum Ecclesia non est actio depositi, vel furti. Ac præterea in *cap.* 1. *hoc tit.* censet Pontifex, Canonicum illum, penes quem Episcopus pecuniam suam deposuit, vinculis et tormentis coercendum esse a judicibus ecclesiasticis. Quod notandum, ut possint ecclesiastici judices, puta Episcopi, hac coercitione uti, donec satisfecerit, et confessus fuerit, reddideritque depositum. Plerunque deposita secreta sunt citra probationem. Qua de causa ex 12. tab. etiam depositi actio irrogabat infamiam. Si vero ea pecunia conversa fuerit in rem Ecclesiæ, tum fateor cum Ecclesia esse actionem in factum hoc jure, ut eam pecuniam reddat, et reficiat ex reditibus Ecclesiæ, ut est in fin. *cap.* 1. aut debet Ecclesia pro ea pecunia, cum Episcopo certa parte redituum decidere, transigere.

AD CAP. *Bona fides.* II.

In cap. 2. ostenditur, a depositario in servando re deposita præstari dolum malum duntaxat: quia non fit depositum gratia depositarii, sed deponentis. Proinde satis est, depositarium præstare dolum malum. Quod et in eo, qui precario rogavit observatur, quod precarium sit negotium instabile et infirmum, sicut et depositum, cum utrunque possit revocari confestim. Dolum malum, inquam, et latam culpam, ut puta, si minus diligens fuerit, et attentus in rebus depositis, vel precario concessis, quam in rebus propriis, *l. Quod Nerva. depos. l.* 8. *§. Cum quoque.* et *§. Et generaliter. de precario.* Culpam autem depositarius non præstat, nisi post moram, etsi in mora fuerit reddendi depositi: post moram præstet omnem culpam, et casum fortuitum, omne periculum, vel nisi ultro se deposito obtulerit, vel, nisi mercedem pro custodia acceperit. Quo genere depositum fit utriusque gratia: vel, nisi id actum est pacto convento, ut omnem culpam, et omne periculum præstaret *l. Si ut certo. §. Nunc videndum. commod. l.* 1. *§. Sæpe. depos.* Quæ omnia sumpsit ex jure civili. Suave fuit Gregorio Nono ea in compendium redigere, suaque vel compendii nomine facere ea omnia. Ex quo etiam jure civili additur in cap. 2. reposcenti depositum, non posse objici compensationem, vel deductionem debiti, vice versa, vice mutata, *l. ult. C. de compens.* Et inde Paulus 2. *Sent. tit. de depos. in actione depositi compensationi locum non esse, compensationem non posse remorari restitutionem rei, vel pecuniæ depositæ.*

AD TITULUM XVII.

De emptione et venditione.

AD CAP. *Placuit* I.

In cap. 1. hoc constituitur, ut Presbyteri plebes suas admoneant, ut hospitales, et benigne sint nec transeuntibus carius vendant panes, ut ceteras res venales, quæ ad victum quotidianum usui sunt, quam veneant in foro rerum venalium, ne olera carius, quam habeantur in foro olitorio, ne vina pluris, quam in foro vinario, ut *l.* 2. *C. Theod. de pub. comp. ut species distrahantur pretiis, quæ in foro rerum venalium*, inquit, *habeantur*, et *l. ult. C. ut nemini liceat in compt. specier. lib.* 10. quæ est Græca constitutio, τὸν σῖτον κατὰ τὰ ἐπ᾽ ἀγορᾶς ὤνια, καὶ μηδὲν περιττέρω: præbeant, inquit, frumentum juxta id, quod servatur in foro rerum venalium. Et in Pragmatica sanctione Justiniani Imperatoris, quam fecit ad petitionem Vigilii Papæ: *Pretia*, inquit, *pro specierum venalitate, quæ tunc temporis in foro rerum venalium obtinere noscantur.* Et Cassiodor. 12. variar. *Quoniam*, inquit, *in Istria vinum abunde natum est, exinde quantum de civitatibus illis speratur, postulate, sicut in foro rerum venalium reperitur, quatenus nec ipsi lædi possint, cum eis pretia justa serventur.* In hoc cap. ait: *ne carius vendant, quam in mercato vendere possint*, id est, in foro rerum venalium. Dixit, *admoneant.* Verum mox addit, *et compellant, jure potestatis suæ, et pro censura Ecclesiastica, modo justo et præsenti pretio vendere.* Hujus rei curam ad Presbyteros pertinere, quod valde notandum, nec pluris quicquam veneat extra forum, seorsum a foro quam in foro venire soleat. In ponendo justo pretio spectatur fori lex et usus. Presbyteros autem Scholiastes recte Episcopos interpretatur, ut probavi in *cap.* 1. *sup. de cohab. cler. et mul.* Certe, qui in Actis Apostolorum cap. 20. initio Presbyteri, paulo post Episcopi vocantur, sed postea separati sunt Episcopi a Presbyteris, et cœperunt Presbyteri secundi esse ab Episcopis, tertii Diaconi, quarti Subdiaconi. Hi soli in sacris constituti esse dicuntur, non qui minorum gentium, sive ordinum sunt clerici.

AD CAP. *Ut mensuræ.* II.

In cap. 2. hoc tit. indicitur certa pœna, seu pœnitentia iis qui falsas mensuras, et pondera publico habent. Jure civili hujusmodi pœna est relegatio in insulam, et in duplum actio, quæ datur ei, cujus interest. *l. pen. ad leg. Corn. de fals.* Sic coercentur, qui falsant pondera, vel mensuras, quive (ut Salomon loquitur) *habent pondus, et pondus, mensuram, et mensuram*, id est, mensuram parvam, et magnam, ut modo hac, modo illa pro libidine utantur in rem suam, et perniciem emptorum.

AD CAP. *Cum dilecti.* III.

Quod habetur in *cap.* 3 *et pen. h. t.* congruit omnino cum *l.* 2. *C. de rescind. vend.* ut venditore postulante possit rescindi venditio rei immobilis (nam in mobili hoc jus non obtinet) si pretium, quod venditori numeratum est minus est dimidia parte veri et justi pretii. Venditore postulante, inquam, et emptore quoque non abnuente rem restituere, et pretium quod dedit, recipere. Nam si emptor omnino venditionem rescindi nolit, sane non rescinditur, modo paratus sit supplere, quod justo pretio deest: si paratus sit integrare justum pretium: quod confirmat etiam *l.* 8. *C. eod. tit.* et *l.* 1. *C. si major. fact. alien. fact. rat. hab.* et Romani senioris Novellæ quædam Græca. Sed omnia hæc jura de venditore fraudato loquuntur, non de emptore. Hoc jus interpretes temere porrexere etiam ad emptorem: quod jamdiu multis in locis refutavi, et evici etiam, cum et secuta sunt plerunque Senatusconsulta, quæ hoc juris statuunt habere tantum locum in venditore, quem inopia quadam, aut necessitas eo perduxit, ut minoris rem suam venderet, et adeo minoris; ut nec pretii nomine ferret dimidiam partem justi pretii. Cum vero, ut dixi, in arbitrio sit emptoris, agente venditore de rescindenda venditione (ex supra dicta causa, vel adsentire, vel dissentire rescissioni, integrato justo pretio: inde efficitur, venditionem ex hac causa ipso jure non rescindi, venditionem non omnino rescindi, ut *l.* 1. *§. Si quid in fraudem, et §. seq. si quid in fraud. patr.* Quamobrem in specie hujus cap. male judicarunt delegati judices a Romano Pontifice, qui venditionem non tenere, venditionem nullam esse pronunciarunt ob id, quod minoris res venisset, quam quod efficeret dimidiam partem justi pretii. Quoniam venditio esse valet, nec rescinditur ipso jure, nec facto quoque ipso, nisi ex voluntate emptoris. Species hæc est: Capitulum Bellovacensis Ecclesiæ conquerebatur de venditione cujusdam sylvæ, nuncupatæ *Nigra vallis. Noirval, en Beauvaisis*, quam quidem Canonici suæ Ecclesiæ, ceteris Canonicis ignorantibus, ut inconsulto Capitulo, dicebantur fecisse decem libris Abbati Cariloconsi, et monachis. Sic vocatur illud Monasterium in libro Fiscali Romani Pontificis, in quo etiam ponitur Monasterium illud in diœcesi Silvanectensi *Senlis.* Sic legendum etiam in inscriptione cap. 10. supra. Vulgo dicitur *l'Abbaye de Charlieu.* Quidam, inquam, Canonici inconsulto, et invocato Capitulo sylvam illam Abbati Cariloconsi decem libris vendidisse, quæ tunc temporis erat digna 40. marcis, ut sit. Quamobrem quasi sylva dimidio minoris vendita; Capitulum agebat de venditione rescindenda, et judices in hanc rem dati a Romano Pontifice, Episcopus scilicet Morinensis, *qui est de Terouene*, et Decanus Remensis testibus quibusdam fidem habentes, qui dicebant, esse sylvam venisse dimidio minoris, pronuntiaverunt venditionem non valere: male. Si ita capitulum egisset, quod non adhibito consensu suo facta venditio sine consensu suo fuisset: recte judices pronuntiassent, venditionem non valere, *c.* 2. *sup. de his, quæ fiunt a maj. part. cap.* Sed quia Capitulum egit hoc modo, et perperam, quod dimidio minoris sylva venisset, male pronuntiaverunt, venditionem non valere, quia eripuerunt emptori electionem, et facultatem supplendi justi pretii, atque ita conservandæ venditionis emptionis. Et vero etiam, quod testes dicebant, pretium, quod Abbas numeravit (numeravit autem 10. libras) non efficere dimidiam partem justi pretii, si bene subducta ratione, inspexissent judices, non esse verum. Nam si, ut vulgo existimatur, Marca selibram efficit, *duas libras*,

consequens est 40 marcas, quanti digna fuit sylva, ut hic proponitur, 20. libras efficere. Et Abbatem igitur, qui pro pretio numeraverat decem libras, non minus dimidia justi pretii numerasse, sed dimidiam ipsam. Quamobrem, et in fine hujus cap. ait, Capitulum Bellovacense in disceptationem deducere posse, non pretium, quod numeratum est, minus fuisse dimidia parte justi pretii. Itemque in judicium deducere posse Capitulum, quod omiserat non adhibita in venditione explorataque voluntate sua. Quo genere actionis pisos rescinderet venditionem totam. Dices, Ecclesia jure minorum censetur *cap. ult. de reb. Eccles. non alien. in 1. coll.* Hoc omnes probant, Ecclesiam comparari minoribus 25. annis. Atquin in minoribus vendentibus res suas immobiles cum decreto, uti oportet, non servatur finis pretii, qui definitur *d. l. 2. C. de rescind. vend.* ut scilicet ad eum finem usque possint circumveniri reipsa citra dolum malum tamen. Nam semper excipitur dolus malus: etiam vendentibus majoribus circumveniri reapse venditor potest. Nam et ubi magna est fraus, in quam incidit minor vendendo rem soli, etiamsi non superet dimidiam justi pretii, ætatis beneficio rescindi penitus venditio potest, aut rescindi venditio potest non penitus, sed ad finem justi pretii, id est, ita ut justum pretium minor consequatur, *l. Quisquis. C. de rescind. vend. l. Si quidem C. de præd. et aliis reb. min.* Rescindi etiam a minoribus potest beneficio restitutionis in integrum omnimodo. Et ad idem exemplum videtur dicendum, etiam ab Ecclesia factam venditionem etiamsi fraus minor sit fraude, propter quam, si eam passi sunt majores, qui rem soli vendiderunt, uti possunt beneficio *d. l. 2. C. de rescind. vend.* Dicere, inquam, possumus, idem esse dicendum in Ecclesia, ut Ecclesia, si vendiderit rem soli, vel utatur beneficio *d. l. 2.* vel quasi minor penitus rescindat venditionem beneficio prætoris. Et ita hoc in Ecclesia admittendum esse, sicut in minore 25. annis definit Panormitanus hoc loco, si Ecclesia uti malit extraordinario, quod est restitutio in integrum, quam ordinario remedio *l. 2.* Quæ Panormitani definitio summe notanda est.

AD CAP. *Pervenit*, IV.

Capituli 4. definitio hæc est: si vir uxori domum quandam donaverit propter nuptias, dotis vicissim ab ea datæ repensandæ gratia, et idem vir postea cum haberet satis in bonis, unde satisfaceret uxori, consentiente uxore, eandem domum extraneo vendiderit, et pretium in usus utriusque viri et uxoris conversum fuerit, ac deinde emptor, manente inter eos matrimonio, eam domum sine controversia per annos 30 possederit, ut in hoc cap definitur, præmortuo marito nulla superest mulieri causa rescindendæ venditionis. nulla ratio jure donationis propter nuptias domus sibi vindicandæ, quasi lucri nuptialis sibi obvenientis morte mariti ex donatione propter nuptias: regulariter, ut prædii dotalis, ita prædii destinati in causam donationis propter nuptias alienatio non valet, etiamsi alienationi consenserit mulier, *Nov. 61.* Valet tamen in specie proposita, in qua præter consensum mulieris, cui donata est domus propter nuptias, in vicem aut pensationem dotis, multa alia concurrunt, quæ alienationem corroborant, quod pretium domus in rem communem versum sit viri et uxoris: quod tempore alienationis maritus satisfacere uxori par et idoneus fuerit: quod triennio emptor domum alienatam sine controversia possederit constante matrimonio, et utroque facile ferente, emptorem possidere rem a se sibi venditam. Quæ singulæ rationes etsi videantur exiguæ per se, multum tamen coacervatæ, et connexæ proficiunt emptori. *Itaque si non possunt valere, quia magna sunt (argumenta) valebunt, quia multa sunt: singula levia sunt, et communia, universa vero nocent, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine*, ut Quintilianus loquitur lib. v. cap. xii. juxta illud Ovidii;

Et quæ non prosunt singula, multa juvant.

l. Instrumenta. Cod. de probat.

AD CAP. *Ad nostram.* V.

Quidam fœnerator crediturus L. Titio pecuniam sub usuria, cum id non auderet palam committere metu pœnæ Concilio Lateranensi fœneratoribus manifestis irrogatæ, *cap. 3. inf. de usur.* quæsito titulo commentitio emptionis venditionis, a L. Titio emit, et accepit domos quasdam, et olivarum certum modum in Sicilia, constituto pretio certo, et hac lege, ut venditori, puta L. Titio offerenti pretium 40. tarenorum, non quandocunque vellet, sed offerenti post annos 7. et intra annos 9. ut, inquam, L. Titio liceret domos redimere, et repetere, simul et olivas. Quo genere ita agebatur, ne venditor pretium offerre illud posset, et domos atque olivas recipere intra annos 7. ut scilicet fœnerator fructus medii temporis lucraretur in vicem usurarum. Quæ conventio, quæ resipit usuram, quia color est usuræ, improbatur, et jubetur emptor, si fœnerator venditori domus, et olivas quandoque restituere, offerenti pretium, quod ab eo accepit, quasi ex pacto de redimenda re vendita, quod justum et ratum est, *l. 2. C. de pact. inter empt. et vend.* Fit hoc loco tarenorum mentio, quorum usus est in Sicilia, ut Albericus scribit in Dictionario suo, et acta res est, qua de agitur hoc loco, in tractatu illo Siciliensi. Quod et integra Decret. indicat, quæ fœneratorem illum ait fuisse ex diœcesi Trancasi, in qua est Episcopus Pasanensis, ad quem hæc Epistola scribitur. Sic enim est legendum in inscriptione, Episcopo Pesanensi, quod probat liber Fiscalis Romani Pontificis. Inde patet, qui sint Tareni. Talori sunt alterius generis in Germania, sic dicti, quod cudantur in valle Divi Joachimi. Et ideo dicebantur olim Joachimstal, vel *Taler*: novissimo appellati sunt tantum *Taler*. Nam Germanis *Tal* est vallis, *Tal* dicunt, pro *Val*.

AD CAP. *Cum causa.* Pen.

Cum cap. pen. hoc tit. est conjungendum c. 42. de test b. Sententia autem ejus jam exposita est in *cap. 3. sup.*

AD CAP. *Si venditori.* Ult.

Restat tantum caput ult. in quo ex jure civili ponuntur tres casus, quibus re evicta emptori adversus venditorem evictionis nomine non competit ex empto actio, vel ex stipulatu. Quibus igitur re evicta emptor non habeat regressum, ἀναφορὰν adversus suum auctorem, id est, venditorem. Primus casus hic est, si lite mota emptori, confestim emptor non laudaverit auctorem, *s' il n' a sommé son garent*, ut liti subsisteret, *l. 8. C. de evict. l. 1. C. de peric. et commodo rei vend.* illaudatus auctor non tenetur de evictione, *si l'acheteur ne l'a sommé.* Secundus casus hic est, si ideo contra emptorem judicatum sit, si ideo res jure judicioque evicta sit emptori, quod judicio contumaciter abfuerit, ut *l. Si ideo. de evict.* Tertius casus est, si per incuriam judicis emptori res evicta sit, *l. Si per imprudentiam. D. eod. tit. et d. l. 8. C. eod.* Vix potero sequentibus diebus vobis operam dare. Par enim est, ut ea agamus, quæ respiciunt conscientiam et salutem nostram, nec nisi post ferias, quo tempore revertar ad responsa Scævolæ, et nihilominus solis diebus persequar reliquos titulos hujus libri.

AD TITULUM XVIII.

De Locato, et Conducto.

AD. CAP. *Ex rescripto.* 1.

Cap. 1. pertinet ad universitatem Bononiensem, quæ semper fuit celeberrima, et dirigitur etiam ad Episcopum Bononiensem ut ex professoribus, vel ex iis, qui in ea universitate juri, vel aliis disciplinis operam dant, nemo oblata majori mercede, hospitia, vel cœnacula, quæ alii studiosi conduxerunt, conducat in annum proximum, sine priorum conductorum consensu, et antequam tempus prioris conductionis exierit, propterea quod ex ea re sæpe oriebantur rixæ inter studiosos. Quæ constitutio cum sit, ut apparet, relata in corpus juris Pontificii, ideo plerique existimant, porrigendam eam esse etiam ad ceteras universitates. Ceterum, quod notandum, etsi quam studiosi non prohibeantur conducere hospitia in annum sequentem, quæ in hunc annum aliis locata sunt, etiam sine consensu priorum inquilinorum, vel cœnaculariorum, id est, conductorum, et ante expletum prioris conductionis tempus. Constitutio hujus cap. hoc satis indicat ex contrario sensu.

AD CAP. *Vestra.* II.

Capit. 2. inscriptio sic restituenda est: Innocentius III. Abbati et Conventui S. Petri de *Pratellis Lexoviensis diœc. sex*, non *Londonensis*, ut vulgo legitur, quæ Abbatia hodie vocatur. *l'Abbaye de S. Pierre de Preaux en Normandie.* Erratum etiam est in nomine Pontificis, et in eadem inscriptione legendum, *Honorius III.* pro *Innocentius III.* quoniam ea constitutio est ex quinta collectione, quæ tota est Honorii III. nec usquam invenitur in Decret. Innocentii III. In ea autem cap. constituitur, ut fructus decimarum possint Ecclesiæ vel Monasterio, etiam invitis Episcopis, locare, *bailler à ferme*, quibuscunque, qui modo conditionem Ecclesiarum meliorem faciant, non etiam vendere jure perpetuo, vel in feudum dare inconsulto, aut vetante Episcopo et Capitulo, ut *cap. 2. et 7. in fin. sup. de his, quæ fiunt a Prælatis sine consensu capituli. Dare ad firmam* dicit hoc loco ἰδιωτικῶς pro locare sub mercede, sive pensione certa et firma, sub vectigali fixo, quo etiam dixere fictum promiscue, ut infixum et infictum. Fridericus I. in *const. de pace Constantiæ*, fictum, pro fixum, vectigal scilicet, fixa merces locationis: in antiqua inscriptione, sic legitur: *Senatus populusque Rom. urbem Mesvilinam, a provinciæ tributis cujuslibet vectigalis fixi, mobilisque pondere liberavit.*

AD CAP. *Propter.* Pen. et Cap. *Potuit.* Ult.

Quæ sequuntur capitula duo in hoc titulo, sumpta sunt omni ex parte ex jure civili. Ac primum, quod est in priori parte cap. tertii, et pen. ut remissionum levationem, exonerationem mercedis, pro rata temporis, Ecclesia, vel alius quilibet dominus colono dare teneatur, si vi divina, sive alio casu fortuito, cui resisti non potuerit, si vi tempestatis, si damno fatali fundi conducti sterilitas contigerit, quæ magno incommodo colonum et Emphyteuticarium (nam et in emphyteuticario idem servatur) adficiat. Vel si sterilitas contigerit, ut sit, sine culpa coloni, nisi sterilitatem ejus anni repenset ubertas superioris, vel sequentis anni. Id vero sane ex *l. Ex conducto.* §. 1. et 2. et §. *Papinianus. locati.* Quamobrem eleganter Plinius 10. Epistolarum, *continuæ sterilitatibus se cogi ad cogitandum de remissionibus le rabès* Et quod ait in cap. pen. *magno incommodo*, sic accipiendum

ut si fructus ipsi fuerint plus, quam sit tolerandum ex *l. Si merces. §. Vis major. eod. tit.* Quod autem ait, vitio rei sine culpa coloni, id videtur adjecisse, quoniam si culpa coloni vitium ex re ipsa oriatur, damnum est coloni, nec colonus ex ea re remissionem petere potest, damnum non est domini, *d. l. Ex conducto. §. Si qua tamen.* Aut sane Gregorius auctor hujus cap. scribere debuit, ut est scriptum in *l. 8. C. eod. vitio cœli*, non *vitio rei.* Vitio, inquit, cœli, non culpa coloni. Utrumque idem est, quoniam vitium cœli non contingit culpa nostra, sed ira divina, indignatione divina, ut Græci etiam vocant θεοβλαβίαν. Scribere, inquam, debuit vitio cœli, sine culpa coloni, seu casu fortuito, et seu casu fortuito pro seu alio casu fortuito, qui contigerit citra vitium cœli, ut si vi hostium, si vi prædonum, vi fluminis, si sturnorum, vel graculorum, vel murium, ut fit nonnunquam, vel locustarum pernicie irruente vastatæ sint fruges. Et quod ait de compensatione sterilitatis cum ubertate aliorum annorum: idem lego in Hexameron Ambrosii, *Terra*, inquit, *fidelis est, et si quando non solverit, alio anno superioris anni damna compensat.* Quod autem est in posteriore parte *d. cap. pen.* ut locator possit expellere conductorem ante impletum tempus conductionis tribus casibus, si domus locata usibus locatoris, quæ non erat necessaria tempore locationis, hodie sit valde necessaria, si in prædio conductor male versetur, si ut est in Epist. Symmachi, prædio conducto abutatur, si prædio labem consulto intulisse dicatur. Qui duo casus sunt ex *l. 3. C. eod. tit.* Tertius casus hic est, si biennii continui pensionem conductor non solverit, qui est ex *l. Cum domini. l. Quæro. §. Inter. D. eod. tit.* nec post biennium emensum scilicet moram purgaverit statim oblatis debitis pensionibus. Moram enim emendare licet, modo quam primum emendetur, re integra, nondum læso domino ob tardiorem solutionem. Et hoc quidem de cessatione conductoris, cessatione biennii continui etiam servatur, non in emphyteuticario paganico, ut vocant emphyteutic. privato, sed in emphyt. Ecclesiastico, ut si biennii continui canonem, sive mercedem non solverit domino, emphyteuticarius cadat jure emphyteutico et expelli possit. In privato emphyteuticario exigitur cessatio triennii, in Ecclesiastico biennii, sufficit: biennium etiam servari in emphyteuticario Ecclesiastico constat *ex cap. ult. hoc tit.* quod est sumptum ex *Nov.* 120. Et verum hoc est omnino, etiamsi interpellatus non fuerit conductor, vel emphyteuticarius Ecclesiasticus, si interpellatus non fuerit a domino, ut mercedem, vel Canonem solveret: quia, ut ait, dies solutioni dictus interpellat pro domino ex *l. 2. C. de jure emphyt.* et *l. Magnam, C. de contrah. stipul.* Græci dicunt, ὁ ἐφ' ἡμέραν ὀφείλων ἑαυτὸν ὑπομιμνήσκειν ὀφείλει *apud Harmenop. III. Epit. Qui debet ad diem seipsum appellare, et commonefacere debet, nec expectare interpellationem creditoris.*

AD §. *Emphyteut.* CAP. Ult.

Ut extraneo emphyteuticarius vendere possit meliorationes, quas in prædio emphyteutico fecerit, Græci vocant βελτιώσεις, et ἐμπονήματα, et καλλιεργήματα, meliorationes: ut extraneo emphyteuticarius vendere possit meliorationes, vel jus ipsum emphyteuseos, quod habet consentiente domino, eodemque denuntiato ante venditionem factam extraneo, ut ipse, si velit, emat. Habet enim jus προτιμήσεως, *jus prælationis*, et præfertur extraneo, si tanti emere paratus sit jus emphyteuticum, vel meliorationes, quanti extraneus. Ut igitur extraneo possit emphyteuticarius jus suum vendere, vel meliorationes, denuntiato domino: vel etiam post denuntiationem, si intra duos menses non accedat dominus ad emptionem, et ab emphyteuticario emat jus, quod habet, vel meliorationes: ut post duos menses igitur a denuntiatione possit cuilibet emphyteuticarius etiam invito domino distrahere jus suum, vel meliorationes: cuilibet, inquam, qui modo in contractu emphyteuseos non sit exceptus, et prohibitus ad emptionem ejus juris accedere, quique sit par et idoneus ex salvando canoni emphyteutico. Id omne quod ita habetur scriptum in *cap. ult.* est *ex l. ult. C. de jure emphyt.* simul et hoc, ut expelli possit jam emphyteuticarius, quam is, qui omissa denuntiatione, et inexplorata voluntate domini emit ab eo meliorationes, vel jus Emphyteuticum. Nihil præterea habemus in hoc t. præterquam, quod in inscriptione cap. 2. de loc. et cond. erratum est etiam in nomine Pontif. et pro Innocentio III. legendum est, Honorio III. ex quinta collect. quæ tota est Honorii III. nec usquam invenitur in Decretalib. Innocentii.

AD TITULUM XIX.

De Rerum permutatione.

AD CAP. *Si Princeps* I.

Cap. 1. est ex Concilio Silvanectensi, *de Senlis*, habito sub Ludovico Pio Francorum Rege, et ex Justiniani Novel. 7. Sunt sane hujus cap. 1. verba, verba ipsa Juliani antecessoris, qui eam Novellam, et ceteras Justiniani Novellas in Epitomen Latinam redegit, et hoc vult, ut Imperatori liceat possessiones suas, ubi id usus Reipubl. exigit, cum modo sint ejusdem, vel majoris pretii, permutare cum possessionibus Ecclesiæ, promulgata hac de re Pragmatica sanctione, id est, solemni et consulta jussione, et instrumento Imperatoris, quod permutationi hujusmodi tribuat auctoritatem.

AD CAP. *Ut commutationes.* II. CAP. *Mancipia* III. et CAP. *Injustum.* IV.

Sequitur in cap. 2. permutationes rerum Ecclesiasticarum temere et inconsulto factas ab antecessore, successorem Episcopi, vel Rectorem Ecclesiæ infringere, et revocare posse, *cap. 2. sup. de precar.* et in *cap. 3. et 4. h. t.* Quod quartum exstat etiam in *can. injustum, 12 q. 2.* et est ex Concilio habito apud Carisiacum, quæ fuit villa quondam Regum Francum, cujus fit frequens mentio in Historiis eorundem Regum, maxime in Carolo Magno et Ludovico Pio, ut scilicet servi Ecclesiastici non commutentur cum servis privatorum, nisi libertatis causa, nempe ut protinus manumittantur a privatis, qui vice eorum alia mancipia Ecclesiæ tradiderint. Verum additur in c. 4. fugitivos tamen servos Ecclesiæ recte distrahi. Quod non est accipiendum de his, qui in fuga sunt, quoniam l. Fabia de plagiariis, quam non abrogavit jus Canonicum, fugam servorum distrahi vetat, *l. 2. ad l. Fabiam de plag. l. 6. C. eod. tit.* Sed de his servis, quibus hoc est in more positum, ut subinde dominum relinquant, ut *can. fugitivus, 12. q. 2.* Tales servos veteres non servos nuncupabant, sed cervos, quorum, si mansuefacti fuerint, hæc natura est, ut subinde in Sylvas eant et redeant. Et hujus rei testis est Festus, cum de servorum festis scribit.

AD CAP. *Quæsitum.* V. CAP. *Ad quæstiones.* VI. CAP. *Cum olim.* VII. CAP. *Cum universorum* VIII. et CAP. *Exhibita.* Ult.

Capitulo quinto cavetur, ut et *cap. pen. h. t. et c. 8. sup. de præbend. et dign.* nec dignitatum, nec præbendarum, sive beneficiorum inter clericos permutationem fieri posse, et factam rescindi, utroque expoliato suo beneficio, ut *cap. 7. h. t.* Ratio hujus juris hæc est, quia vix unquam fiunt ullæ inter eos permutationes, quin interveniant nummi, quod resipit simoniam. Quia et permutatio omnis proxima et affinis est emptioni venditioni, *l. 2. C. eod. t. Resipiunt*, inquam, *ejusmodi permutationes, et subolent simoniam.* Permutationes, quæ fiunt, ut ait hoc *cap.* 5. circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, circa spiritualia, veluti præbendas, dignitates, Ecclesias, vel etiam decimas ecclesiarum, ut *cap. ult. h. t.* Ut si fiant permutationes decimarum cum pecunia certa summa, *d. cap. pen. h. t.* et *cap. 5. de decim.* in 1. *coll.* quod incipit, *Intelleximus.* Quodque Bernardus Glossographus significat plane in ipso extremo suarum glossarum ad hunc tit. dum ait: *Hoc idem habemus in antiqua compilatione*, id est, prima, de decimis. *Intelleximus*, id est, in tit. *de decimis, cap. intelleximus*, quæ non debuit inseri in hunc librum. Connexa autem spiritualibus sunt veluti jura patronatus, *cap. 3. sup. de jud. cap. de jure inf. de decim.* Dixi inter clericos ipsos, scilicet per se, ut caute loquitur in *cap. seq.* et in *cap. pen. h. t.* permutationem spiritualium rerum, vel earum, quæ spiritualibus connexæ sunt, per se fieri non posse, non adhibito, et consulto Episcopo, qui causam probet, et examinet, conditionemque permutationis, nec pecuniam ullam intervenire patiatur. Dixi item, quoties agitur de spiritualibus, vel de his, quæ spiritualibus connexa sunt, spiritualia dicamus semper, non, ut delicatiores, spiritalia, cum et ritualia dicamus. Quoties, inquam, de his agitur, permutationes non admitti, nisi probabilibus casibus, et non interveniente pecunia. Ecclesiæ, aut beneficia Ecclesiastica non possunt permutari interveniente pecunia, ut possessiones, prædia Ecclesiarum invicem permutari possunt: quia temporalia bona hæc sunt, non spiritualia. Permutari, inquam, possunt, etiam interveniente pecunia, quæ permutationem redigat ad æquitatem, et æqualitatem, quæ vis est pecuniæ propria, quoniam ut ait Aristoteles, πάντα ποιεῖ σύμμετρα, omnia redigit ad æqualitatem, maxime in contrahendis permutationibus, in divisionibus rerum communium. Et hæc est sententia cap. 6. summe notanda, in quo cap. omnino legendum est illo loco: *Respondemus, quod cum de dictis Parochialibus Ecclesiis per se nequeat commutatio celebrari.* Perperam *queat*, pro *nequeat*. Et paulo *inf. si altera ratione possessionum alteri præponderet.* Delendum illud *ratione*, et ut ait, si altera possessionum alteri præponderet. Quod confirmat epitome antiqua *d. cap. 6.* quæ sic habet: *Ecclesia*, inquit, *commutatur cum Ecclesia, sine aliqua refusione pecuniæ. Possessiones vero unius cum possessionibus alterius refusa quantitate pecuniæ, si aliæ sint, videl. digniores ceteris. Et separatim*, inquit, *fiunt istæ commutationes, non commixtim*, separatim scilicet Ecclesia commutatur cum Ecclesia, sine pecunia: et separatim possessio cum possessione, etiam interveniente pecunia. Quod igitur in hoc *cap. 6.* et *cap. pen.* Glossographus notat, spiritualia cum spirituali commutari posse, longissime aberrat a vero, vel a ratione juris vera. Ad hæc non est omittendum, quamvis clerici non possint ipsi per se beneficia Ecclesiastica permutare, tamen placito permutationis inter aliquos facto, verbi gratia, inter Titium et Gajum clericos, et ex parte Titii impleta permutatione, beneficium puto, quod obtinuit, eo facile ferente, a Gajo aliud adsignari, *se despondisset de suo beneficio le premier*, si postea Gajus ex sua parte nolit implere permutationem, æquum est, Titio, cui imposuit Gajus, restitui beneficium suum: quia deceptis, ut ait, non decipientibus subveniendum est, ut *l. 2. ad SC. Vellejan.* quia nemo ex dolo suo lucrari debet, *l. Ne ex dolo. de dolo.* Et hæc est sententia *cap. pen.* Ergo Titius non privatur beneficio suo, et tentari posse ex *cap. 7. sup.* Utrumque esse privandum suo beneficio, quod de permutatione

beneficii mutua inter se convenerint. At sane Titius in hac specie non privabitur suo beneficio, sed beneficium ei restituitur ex indulgentia Pontificis, et miseratione quadam venia tributa simplicitati ejus

AD TITULUM XX.

De Feudis.

AD CAP. *Insinuatione* I.

Titulus XX. *est de feudis*, et continet tantum duo capita. Ad prius sciendum est, fructus, quos creditor percipit ex fundo pignori dato, imputari in sortem, minuere sortem, ut *l.* 1. et 2. *l. ult. C. de pign. act. l.* 1. *C. de dist. pign. cap.* 6. *tit. seq.* Et ideo si fructus, quos percepit creditor, æquaverint sortem, debitorem liberari: quod ita procedit, nisi nominatim ea lege contractum et traditum sit pignus, ut fructus creditoris lucro cederent in vicem usurarum, nec imputarentur in sortem, quæ lex sive pactio injure dicitur ἀντίχρησις in *l. Si pecuniam. D. de pig. act. l. Si is qui bona.* §. 1. *de pig. l.* 14. et 17. *C. de usur.* Quæ tamen pactio jure Pontificio improbata est, tanquam usuraria, quod ea id agatur, ut fructus creditori cedant usurarum vice, quæ omnino sunt prohibitæ jure Pontificio, videlicet, quæ infliguntur propter lucrum, non quæ infliguntur propter moram, ratione ejus quod interest: improbatur ἀντίχρησις in *c.* 7. *sup. de jurejur. c.* 1. 2. 8. *inf. de usur.* Duo sunt casus tamen, quibus non improbatur, ne jure quidem Pontificio. Unus casus proponitur in c. 1. *h. t.* et in c. 8. *inf. de usur.* Si vasallus, sive beneficiarius fundum, quem jure feudi possidet, domino feudi pignoraverit ea lege, ut fructus non imputaret in sortem, quæ est lex ἀντιχρήσεως: cui et hæc lex tacite inest, ut fructibus contentus sit dominus, idemque creditor ne etiam interim, dum fructus percipit pignoris, desideret sibi a vasallo, eodemque debitore servitium exhiberi, quod ratione feudi debet. Nec enim æquum est, ut et servitium domino consuetum exhibeat, et præterea dominus fructus feudi lucrifaciat. Denique fructus in hac specie, non sunt loco usurarum, sed vice servitii. Idem hæc lex hoc casu non improbatur. Alter casus proponitur in *cap.* 16. *de usur. Si socer genero pro dote numerata* etc. Sic est legendum in illo cap. non, *pro dote numeranda*: nam dos numerata non desiderat pignus. Si, inquam, socer genero pro dote numeranda pignori obligaverit prædia quædam ea lege, ut fructus gener sibi habeat, nec computet in sortem in pecuniam dotalem, quæ ei debetur quia et in hac specie ii fructus non sunt vice usurarum dotis, sed vice repensationis onerum matrimonii, quæ interim gener sustinet.

AD CAP. *Ex parte.* II

Sequitur in *cap.* 2. *hoc tit.* Vasallo Ecclesiæ defuncto, feudoque reverso ad Ecclesiam morte Vasalli, sive feudatarii, vel quia vasallus sine hærede obiit, vel quia id tantum acceperat in tempus vitæ suæ, ut *lib.* 1. *Feud. tit.* 1. §. 2. Episcopum hoc casu, vel Archiepiscopum; posse idem feudum alii concedere, quod morte vasalli redit ad Ecclesiam, quamvis juraverit, se inconsulto Romano Pontifice novum feudum in Ecclesia non introducturum. Quod et juris est, ut Episcopus nova feuda in Ecclesia instituere et introducere non possit, *cap.* 2. *sup. de loc. cap.* 5. *inf. de donat.* Quid ergo? novum feudum instituitne Episcopus? Minime quia ut posuimus speciem, novum feudum non constituit, sed quod jam erat feudum, id ad se reversum mortuo vasallo, continuat, et confert in alium. Eademque ratione, non habita ratione supradicti jurisjurandi, quod de novo tantum feudo est, constituitur in hoc c. ut feudum alienatum a Vasallo sine consensu domini, atque ideo reversum, ad dominum, ut *lib.* 2. *Feud. tit.* 9. et *lib.* 3. *t.* 2. ut ego lib. illos tit. distinxi: et *lib.* 4. *tit.* 54. *et* 57. ut, inquam, Episcopus possit de illo feudo filium vasalli, qui id feudum alienavit inscio domino, vel fratrem ejusdem feudi consortem sive socium investire: consortem utique ejusdem feudi præferre debet ceteris. Imo potest etiam id se reversum feudum, quod id vasallus se invito vel ignorante vendiderit, concedere potentiori cuidam viro, per quem ab emptore feudum Ecclesiæ revocetur, si forte Episcopo id revocare perquam difficile sit: quia et his casibus Episcopus nihil facit contra jus, vel contra jusjurandum: nec enim novum feudum instituit, sed quod jam institutum erat feudum ex rebus Ecclesiæ, de eo investit alium, cum ad se feudum redit. Eadem ratione idem erit in specie *d. cap.* 2. si feudum, quod Episcopus concessit auctoritate Rom. Pontificis, uti oportet, dicto certo modo agri dati in feudum nunc primum: si inquam, invento minore modo agri, quam dixerit Episcopus, eum modum implere Episcopus velit, inconsulto Romano Pontifice. hoc enim potest per se: quia hoc faciendo non novum feudum instituit, sed institutum integrat, absolvit et implet

AD TITULUM XXI.

De Pignoribus, et aliis cautionibus

AD CAP. *Nullus.* I. et CAP. *Ex præsentium* III.

Hic titulus est de *pign. et aliis caut.* veluti de satisdatione, aut repromissione, ut *cap. ult. h. t.* Plura sunt cautionum genera. Pignus est cautio, ἀσφάλεια et securitas Satisdatio est cautio, repromissio, id est, nuda promissio est cautio. Primum autem, ut cœpi dicere, ex *cap.* 1. *et* 3. intelligimus non posse vasa sacra, quæ destinata sunt sacris mysteriis, quæ sacrificuli obeunt, nec vestimenta sacra, aut libros ecclesiasticos pignori dari, nisi, inquit, urgente maxima necessitate ecclesiæ, veluti redimendorum captivorum causa, *l. Sancimus* 1. *C. de SS. Eccles.* Ambros 2. offic. *Nos aliquando*, inquit, *in invidiam incidimus, quod confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus.* Et paulo infra *Ornatus Sacramentorum*, inquit, *sacrorumve vasorum redemptio captivorum est. Et vere sunt illa vasa pretiosa, quæ redimunt animas a morte.* Est etiam elegans hac de re locus apud Socratem *hist. Eccles.* 7. *cap.* 21. Additur præterea, ut si quis rector Ecclesiæ vasa aliqua, aut vestimenta aut scripta sacra appignoraverit, hæres, aut successor ejus, qui in patrimonium ejus succedit (nec enim in rebus ecclesiæ successorem habere potest) ut, inquam successor ejus qui succedit temporalibus, cogatur ea luere, et rapignorare de suo, *cap.* 3

AD CAP. *Lator.* II.

His addamus etiam ex cap. 2. liberum quoque hominem, puta debitorem ipsum, vel debitoris filium ob æs alienum pignori dari non posse, quamvis non sint debitori alia bona, quæ pignori opponat. Et hoc ita rescripsit ex jure civili Gregorius primus rescripsit, inquam, Faustino defensori illius civitatis. Sic est emendanda omnino inscriptio cap. 2. quod etiam exstat inter epistolas ejusdem Gregorii primi integrum lib. 3. Registi, ut vocatur epistola 43. *aut lex habet, ut homo liber pro debito non teneatur:* pro debito, id est, ob pecuniam creditam. Nam ob redemptionis pretium, quod pro captivo quis dedit, eum sane pignoris jure redempto retinere potest, *l. ult. C. de postlim. rev.* quod pignus naturale dicitur in *l.* 2. *eod.* at ait, *lex habet.* id est, *l. Ob æs. C. de obligat. et act.*

AD. CAP. *Illo.* IV.

Capituli quarti species explicatu satis difficilis est, quod non admodum latine sit expressa, quæ mihi tamen ita facile poni posse videtur. Lis erat inter debitorem et fœneratorem de fundo, certo, quem debitor dicebat, se fœneratori pignorasse pro sorte viginti et sex librarum, quas a fœneratore mutuas acceperat. Creditor vero dicebat, se eum fundum a debitore tanti emisse, id est 26. libris, non pignori accepisse, et proferebat instrumentum emptionis venditionis, quo continebatur, ea lege venditum eum fundum fœneratori 26. libris, ut si intra biennium displiceret fœneratori emptio rescinderetur. Qua lege facta emptio venditio sane pura est ab initio, sed resolvitur sub conditione, si displicuerit emptori intra biennium, ut *l.* 6. *de resc. vend.* Quæ conditio si forte extitisset, puta si displicuisset emptio fœneratori intra biennium, convenit, ut ipse redderet fundum debitori: debitor vero persolveret fœneratori 40. libras, id est, 14. libras supra sortem, fructibus tamen interim a fœneratore perceptis, computatis in sortem. Quæ conventio quamvis et in instrumento prætexatur nomine emptionis venditionis, maxime aliena est a contractu emptionis venditionis, quo certum pretium constituitur, nec quicquam amplius pretio convento adjicitur, quam, ut conventione hujusmodi actum est. Ex quo etiam contractu emptionis venditionis licet resolvatur sub conditione supradicta, non id agitur, ut fructus interim percepti remaneant apud emptorem, cui displicet emptio, sicut nec remanent apud emptorem agentem redhibitoria actione, *l. Cum autem.* § *pen. de ædil. edict.* Itaque Pontifex hoc genere contractus, maxime cum habitus sit cum eo, qui fœnerari solebat, censet, quæsitum usuræ colorem et fucum. Et improbandam igitur hujusmodi emptionem esse, ut *cap.* 5. *sup. de empt. et vend.* Denique quasi contracto pignore potius hujus rei præsumptionem, vel conjecturam facit, vel movet, quod cautum est instrumento de fructibus in sortem computandis, quod congruit tantum naturæ pignoris, *cap.* 1. *sup. titul. prox.* Ideo compelli fœneratorem fructibus computatis in sortem et oblato, si quid sit, residuo 26. librarum restituere fundum debitori: vel si plus perceperit ex fructibus, quam sit in sorte, compelli restituere fundum, et quod ex fructibus amplius sorte percepit. Et hæc est sententia cap. 4.

AD CAP. *Ex litteris.* V.

Cap. 5. est de tacito pignore, sive tacita hypotheca, quam mulier habet in bonis mariti dotis nomine ex *l. Unica, C. de rei uxor. act.* Cujus hypothecæ jure, bonis mariti fisco vindicatis, damnati quasi obsessoris viarum, et grassatoris, quod in itinere mercatorem adortus vulnerasset, et spoliasset pecunia, reque omni sua; cujus conditionis homines, ut hodie vulgo, ita etiam olim Volerones dicebantur, quod involarent aliena: Livius lib. 2. *A centurionibus*, inquit, *corruptum exercitum dicere Tribunos plebis. carnifices interdum, et Volerones vocare:* bonis, inquam, damnati mariti fisco vindicatis, vi tacitæ hypothecæ, potest mulier cum quolibet possessore bonorum mariti, vel cum fisco, vel cum leviro, id est, fratre mariti, quo de agitur in hac specie, si quid levir possideat ex eis bonis frater mariti levir dicitur, non ut est in antiquis Decretali, sororius est sororis maritus non frater mariti: potest, inquam, mulier cum quolibet possessore agere hypothecaria actione, et possessionem avocare dotis servandæ causa, cum eam dedisse constiterit: eamque plecti mulierem dote propter crimen viri iniquissimum est, *l. Quisquis.* §. *Uxores. C. ad leg. Jul. majest.*

l. 9. *C. de bon. proscr.* Et, ut ait non inelegantor, mulieribus favor multus in recuperandis dotibus debetur, juxta *l.* 1. *sol. matrim.*

AD CAP. *Cum contra.* VI.

In cap. 6. constituitur aperte, quod jam sæpe diximus, fructus pignoris creditorem imputare in sortem, ac proinde si fructus sortem æquaverint, quos percepit creditor, absumi æs alienum, debitorem liberari. Et consequenter, quasi soluta omni pecunia, agere posse pignoratitia actione de recipiendo pignore. Ponitur in hoc cap. creditor, pignus quod acceperat, alii creditori suo pignori obligasse quod jure fit: sed extincto priore pignore, extinguitur etiam posterius, *l.* 1. *C. si pign. pignori datum sit.*

AD CAP. *Significante.* Pen.

Ex cap. penult. intelligimus. pactionem, sive legem commissariam, quæ probatur in venditione, non probari etiam in pignoribus, ut si convenerit, ut ad diem sorte non soluta creditor sibi habeat pignus, sive, ut creditori pignus committatur jure dominii. Quæ conventio fiduciæ olim dicebatur, et erat recepta, post a Constantino Imp. improbata est, *l. ult. C. de pact. pign.* quia sæpenumero huic pactioni inest fraus intollerabilis, maxime, ut fit pro ære modico pignorata re immensi pretii. Itaque non habita ratione pactionis hujus, vel jurisjurandi, quo offirmata est, censet Roman. Pontifex, quandocunque oblata debitori pecunia, etiam longe post diem solutioni dictum, et fructibus pignoris a creditore perceptis computatis in sortem, debitori esse restituenda prædia pignori obligata.

AD CAP. *Cum constet.* Ult.

Cap. ult. non est plane de pignore, vel hypotheca, sed de cautione idonea, quam fructuarius proprietario cavere debet, usurum se prædiis, vel etiam aliis rebus mobilibus, ut est in *l.* 1. *D. usufr. quemadm. cav.* quæ modo usu non consumuntur, quæ non sint in abusu, usurum se his rebus boni viri arbitratu, et cum usufr. ad se pertinere desierit, restituturum, quod inde exstabit, τὸ ἐυρισκόμενον *d. l.* 1. et *l. Eum qui* §. *ult. de injur.* quæ cautio, sive stipulatio fructuaria dicitur, *l.* 4. §. *ult. de verb. oblig.* Pecuniam vero numeratam tantundem, non eamdem ipsam, sed quantitatem eandem pecuniæ, non quod exstabit ex ea pecunia, sed parem quantitatem pecuniæ finito usufructu se proprietario restituturum, quæ cautio SC. dicitur, *l. ult. usufr. quemadm. cav.* Pecuniam, inquam, vel etiam aliam rem similem, quæ usu consumitur, veluti, vini, olei, frumenti, cujus usufr. ei relictus est, parem quantitatem. Ceterum hæ duæ cautiones satisdationes sunt non nudæ repromissiones, *l.* 4. *C. de usufr.* §. *Constit. Inst. eod. t.* Satisdationes, id est dationes fidejussorum: non male huic cap. subjicitur *tit. de fidejussorib.* Satisdare est cavere fidejussoribus datis, vel etiam cavere pignoribus.

AD TITULUM XXII.

De Fidejussoribus

AD CAP. *Clericus.* I.

Quod est in cap. 1. hujus tit. quis primum fluxit ex *Apostolorum* can. 20 par est, ut etiam restituta inscriptione, ei acceptum restituatur. Et sunt ejus canonis verba hæc: κληρικὸς ἐγγύας διδοὺς καθαιρείσθω· quibus verbis non hoc significatur, *clericus dans fidejussorem:* cur enim clericus in sua causa, et suæ rei causa non dabit fidejussores creditoribus, quibus mutuas pecunias accipit, vel aliis, quibus cum contraxit quocunque genere? Ergo non prohibetur dare fidejussores, sed prohibetur dare fidejussiones, id est, spondere, fidejubere pro aliis. κληρικὸς ἐγγύας διδοὺς, vertunt, clericus fidejussiones dans: unum verbum sufficit, *clericus fidejubens*, καθαιρείσθω, inquit, vertunt, *abjiciatur*, rectius καθαιρείσθω, *ordine clericali moveatur*, καθαίρεσις, quæ et depositio dicitur, est pœna clericorum propria. Denique sententia cap. hujus est, clericum fidejubentem pro aliis, se immiscentem hac ratione negotiis secularibus esse pellendum ordine. Id vero Zonaras et Aristenus Græci interpretes canonum Apostolorum sic interpretantur, ut non debeat clericus pro publicano fidejubere, qui conduxit vectigalia publica, vel proconductore alienarum possessionum, vel pro procuratore rei alienæ, sive litis. Pro reo vero, aut debitore laico, vel clerico, nihil refert, forte egeno, et ob æs alienum detento in carcere, pietatis officio functus, si fidejubeat, vel pro alio pecuniam solvat, vel judicio sisti, laudandum magis, quam accusandum esse, ut proponitur in *cap.* 2. *hoc tit.* Conventum clericum ex stipulatu, quod fidejusserit pietate ductus pro inope, si solverit creditori, recte agere mandati adversus eum, pro quo fidejussit, quanti sua interest: et principali debitore non solvente, recte mitti in possessionem prædiorum ejus, si quæ habeat, ut ex fructibus ferat, quod sibi debetur. Et cum hoc cap. 2 conjungendum *c.* 5. *sup. de juram. calum.* ex cujus inscriptione legendum in inscriptione c. 2 *Archidiacono Norvicensi*, non *Archiepiscopo*, in quo cap. 2 et illis verbis, *fidei, et juramenti*, non omittam significari duo genera cautionum, nudam cautionem, quæ repromissio dicitur, et cautionem juratoriam, ut *cap.* 2. *sup. de jurejur.* et *cap.* 3. *de his quæ vi, metusve causa gesta sunt.*

AD CAP. *Constitutus*, III. et CAP. *Eum pro quo.* Ult.

In cap. 3. ponitur unus casus, quo fidejussor, antequam solverit, imo et antequam cum eo agat creditor, apud quem fidejussit, potest cum debitore principali agere mandati, ut liberetur, puta si a creditore multas molestias perpetiatur assiduis conventione, et si debitum crescat in dies ex mora, si crescat nimia usurarum accessio, usurarum scilicet licitarum, puta, quæ propter moram infliguntur: nam quæ infliguntur propter lucrum, vetitæ sunt hoc jure, etsi debitum sit liquidum, et certum. Quamobrem ut liqueat, nempe de debito, sit in *hoc* c. 3. ab utraque parte exigi posse jusjurandum calumniæ, ut *d. cap.* 5. *de jur. calum.* quodque par est, ut dixi, *cap.* 2. quæ repetitur iisdem verbis in *hoc c.* 3. Jusjurandum calumniæ defertur utrique parti ad eliciendam veritatem si sit in obscuro, *cap.* 32. *sup. de jurejur. cap. dudum* 2 §. *Partibus. de elect.* Hic vero casus, qui proponitur in hoc cap. quo fidejussor, antequam conveniatur, appellator et solvat, agit cum reo principali, ut liberetur: hic, inquam, casus non est alius, quam qui proponitur in *cap. ult. hoc tit.* ex *l. Lucius. D. mand.* si diu in solutione debitor cessaverit. Ex qua *l. Lucius*, et alii duo subjiciuntur in *cap. ult. h. t.* si bona sua debitor dissipare incipiat, et prodigere. Item si fidejussor condemnatus sit, si forte renuntiavit beneficio excussionis, ut vocant, a Justiniano concesso, quamvis nondum sit exactus, nondum sit actum judicati, ut *l.* 10. *C. mand.*

AD CAP. *Quod quibusdam.* Pen.

Hactenus dictum est de clericis. Sequitur de Monachis *c. pen.* quo prohibitio ampliatur ex Concilio Lateranensi, ne pro ullo ulla ex causa Monachi fidejubeant sine consensu Abbatis, et Capituli, ac ne etiam sine eorum consensu pecuniam mutuam accipiant, nisi catenus, quatenus id Capitulum eis mandaverit, nomine Capituli, ut tot puta nummos rogarent, et acciperent. Alioquin ut ex mutui causa, et fidejussionis, neque ipsi obligentur, nec Monasteria, nisi pecunia, quam mutuam acceperunt, versa sit in rem Monasterii. Clerici fidejubentes etiam, quo casu fidejubere vetantur, puta pro publicanis, aut conductoribus alienorum prædiorum suos obligantur. Et imperfectus est ille canon, qui vetat fidejubere, et fidejubentem tamen non absolvit.

AD TITULUM XXIII.

De Solutionibus.

AD CAP. *Ad hoc.* I.

Comparat hoc cap. 1. filium, qui successit patri jure hæreditario, Prælato Ecclesiæ: filius tenetur ex contractu patris: Prælatus etiam tenetur ex contractu antecessoris sui, non ex quolibet contractu, non ex eo, quem habuit sui commodi causa, privatæve rei causa, sed ex contractu, quem miscuit cum alio, urgente inopia, aut necessitate ecclesiæ. Uterque obligatur jure successionis, et hac ratione, quod decessor se obligavit vel ecclesiæ causa vel etiam rei familiaris causa, in quam successit filius patri. Additur in *cap.* 2. si qua debita contraxerit Prælatus, puta Episcopus, vel Abbas, extra rem, et causam ecclesiæ, ecclesiam non teneri ex facto Prælati, pro alio ecclesiam obligari non posse, et Prælatum, qui hoc egerit, suspendi, quasi pravum administratorem, ab administratione temporali et spirituali. Prælati officium est, non ut obliget, sed ut liberet Capitulum, et allevet. Res est aperta.

AD CAP. *Odoardus.* III.

Constitutio *cap.* 3. quodammodo tracta est ex jure civili, quæ hoc vult, ut debitor, qui lapsus est facultatibus casu quodam, vel qui debitum agnoscens bona fide, quod exigit *l. pen. D. de cess. bon.* ultro creditoribus suis bonis cessit, ut hic, inquam, quam in rem, c. 3. vulgo adjicitur *cap. Oldradus*, ut hic, inquam, non possit ob non solutum debitum excommunicari, vel ut excommunicatus protinus absolvatur: quia nec conveniri potest cum effectu, qui cessit bonis, aliter quam si postea aliquid acquisierit, unde creditoribus satisfacere possit, ut §. *ult. Instit. de action. l.* 4. et *l.* 7. *de cess. bon.* Qua de re etiam ab eo debitore idonea cautio exigi potest, puta, ut dat fidejussoribus, vel pignoribus caveat, se soluturum pecuniam debitam, cum primum ampliatæ suæ facultates fuerint.

AD. CAP. *Is qui.* IV.

Cap. ult. tractum est ex *l. Cum de indebito, de probat.* Eum, qui dicit, se indebitam pecuniam solvisse per errorem, et agit condictione indebiti, probare debere indebitam pecuniam fuisse. Eum quoque, qui dicit se solvisse simpliciter, probare debere solutionem, etiamsi reus sit, qui conventus dicat se solvisse, ut *l. In exceptionibus. de probat.* videlicet, si contra negetur solvisse si contra actor neget eum solvisse: ille vero affirmet se solvisse. Quod si impleverit, id est, si probaverit se solvisse, et convicerit actorem, id est, creditorem, tunc onus probandi transfertur in actorem, nimirum ut probet, se ac-

cepisse debitam pecuniam. Hoc casu, rei partes non sunt probare indebitum. Imo actoris hæ sunt partes, ut probet debitum, et sic agat: non solvisti, aut si solvisti, aut docueris te solvisse, me existimante te non solvisse, paratus sum probare te solvisse pecuniam debitam.

AD TITULUM XXIV.

De donationibus.

AD CAP. *Prudentes* I.

Auctor hujus collectionis Decretal. epistolarum, sive compilationis, ut principes invitaret ad donandum Ecclesiis, ad augendas facultates Ecclesiarum, initio hujus titul. proposuit statim illud Gregorii I. quod in 12. epistolarum retulit ad Francorum Regem, *Nobilibus hoc esse proprium, innatum, ingenitum, ut facile donent et largiantur aliis*, ut in *l. Filiusfam.* §. 1. *de donat.* significatur, Senatorum esse donare. Ac præterea nobilium hoc esse proprium, ut existiment se debere quod largiantur ultro, quodque donarunt deperiisse, nisi id aliis, atque aliis, subinde beneficiis cumulaverint. Qui mos etiam, sed hic plane ignobilis, et illiberalis eorum fere omnium, qui beneficio acceperunt, ut nihil se accepisse putent, nisi veteribus beneficiis continenter adjiciantur nova. Nam Plinius ait 3. epistol. *Quemlibet sæpe obligatum, si id unum neges, hoc solum meminerit, quod negatum est*

AD CAP. *Fraternitatem.* II. et CAP. *Ceterum.* III.

Sequitur in cap. 2. si quis Episcopus, vel Abbas Ecclesiæ cum inconsulto Capitulo donaverit, nullam esse donationem, et a successore ejus revocari posse, ut *capit. 2. sup. de precar. capit. 2. sup. de rer. permut.* Et omnino procuratoris exemplo, ut *l. Ignorantia. D. de procur.* Episcopum, vel Abbatem Ecclesiæ meliorem conditionem facere posse, ut *cap. 2. sup. de loc.* non deteriorem, ut *cap. 1. de in integr. restitut.* Nam et Episcopus, vel Abbas veluti procurator quidem est rerum ecclesiasticarum, non dominus, *can. ult. 12. q. 1.* Nec tamen ei prorsus interdicenda donatio est: nam ut ostenditur in capit. 35. si ea sit consuetudo loci, quæ Episcopum quædam erogare permittat, causa cognita, erogatio illa, quæ suffulta est consuetudine loci, et justa causa, nec Ecclesiæ onerosa, confirmatur, etiamsi prælatus non adhibuerit ea in re consensum Capituli. Quod tamen etiam in hoc cap. 3. indicatur, ita excipiendum esse, si rei donatæ parva quantitas sit: neque enim, ut et interpretes omnes adnotant, rem soli, aut quæ ei semper in jure comparetur, rem mobilem magni pretii, vasave Ecclesiæ pretiosa Episcopo donare licet. Notandum est, quod dico, rei immobilis appellatione rem mobilem pretiosissimam contineri, veluti monile magni pretii. Et merito, quod de re immobili in celeberrima illa l. 2. *C. de rescind. vend.* venditor circumscriptus est ultra dimidiam justi pretii, trahendum videtur ad rem mobilem sive pretiosam, quia hæc comparatur immobili in omnibus juris articulis.

AD CAP. *Consultationibus.* IV.

In hoc cap. definitur: beneficium viventis possessoris, non posse Episcopum privatis, id est, laicis (nam legi sæpe laicos significari in Decreto privatorum nomine sive appellatione) donare, vel conferre ullo modo. Monachis autem suis sive religiosis, sive Canonicis, si Episcopus concesserit viventis beneficium, eo beneficio, frui illos non posse, quamdiu possessor fuerit in rebus humanis: post mortem ejus eo perfrui posse, ut *cap. 9. sup. de rest. spol.* Quoniam et privato si beneficium viventis contulerit Romanus Pontifex, quod ei soli licet, inest huic collationi sive donationi semper hæc lex, ut eo donatarius non nisi post mortem justi possessoris perfruatur, *cap. 4. sup. de concess. præb.* Scriptum autem est hoc cap. 4. Abbati Sancti Albani, qui est in Anglia.

AD CAP. *Per tuas.* V.

Orto dissidio, ut frequenter olim eveniebat inter cives Florentinos, aliis faventibus Romano Pontifici, qui Guelfi dicebantur, aliis Imperatori Friderico I. Pontificis Maximi, et Pontificum summo adversario, nobiles quidam Florentini eo tempore Episcopum Florentinum domi suæ occuluerunt, et celaverunt, ne interciperetur, vel aliquid secus, ut a dignitate sua alienum agere, aut pati compelleretur a Gibellinis, qui partes tuebantur Imperat. Postea vero composito et sedato omni dissidio, Episcopus Florent. auctoritate Alexandri tertii, ut Nobilibus referret gratiam feudi nomine, ex bonis Ecclesiæ donavit eis quatuor modios, qui singuli dicuntur actus quadrati a veteribus, agri cujusdam. Auctoritate opus fuit Romani Pontificis in constituendo feudo novo ex bonis ecclesiæ. Ac præterea consensu Capituli totius, vel majoris partis, ut *cap. 2. sup. de feud.* Quo quidem Episcopo mox defuncto, successor ejus ut debuit, de recto feudo nobiles illos investivit. Legendum sane in hoc cap. *de recto feudo*, non, *de certo feudo.* Et ita sane legitur in 3. coll. Rectum feudum est, cujus origo et causa rectissima est, ut *Feud. lib. 2. tit. 4.* et *lib. 4. tit.* 46. et 91. Inciderat gravis error de certo feudo. Sed si minor agri in feudum concessi illis nobilibus Florentinis, numerus inveniatur, ut si inveniatur duo tantum modii, cum dixisset se concedere quatuor, etiam successor supplere debet, quod deest modo, quem dixit antecessor suus, ne videatur Ecclesia, aut Episcopus Ecclesiæ nomine quicquam egisse per fraudem dolo malo. Qua de re tamen successor ille consuluit Romae. Pontificem: an scilicet modum agri supplere sibi liceret eo, quod etsi nobiles illos investisset de recto feudo, secutus donationem antecessori sui, tamen eos nondum induxerat in possessionem. Ex quo apparet investituram jus tribuere tantum, non possessionem ut ex *cap. 22. sup. de præbend.* et *can. Cum,* 16. *qu.* 2. et *feud. lib. 4. tit.* 15. Investitura jus tribuit, ergo non possessionem, quia possessio facti est potius, quam juris. Itaque verebatur successor ille, ne videretur inducendo illos in possessionem, sicuti desiderabant, constituere novum feudum ex bonis ecclesiæ quod non licet inconsulto Rom. Pontifice. Qua re tenuit Rom. Pontifex, moveri eum non debuisse, quia non constituit novum feudum, qui, quod jam recte constitutum est ab antecessore suo, aut concessum auctoritate summi Pontificis, ad emolumentum, et effectum perducit bona fide: hæc est sententia cap. quinti.

AD CAP. *Cum dilecti.* VI.

Capitulum sextum pertinet ad monasterium de Melros, quod est in Scotia in diœcesi Glascuensi, ut didici ex libro fisc. Rom. Pontificis. Cui monasterio nobilis quidam, ea de re conscripto instrumento, pure donaverat possessiones quasdam, et alias possessiones eodem instrumento, sub ea conditione modoque, ut monasterium filio suo quotannis præstaret pensionem certam, vel cessante Monasterio in præstatione pensionis, ut filius eas possessiones ad se revocaret, et ex eis faceret sylvam, sereret sylvam, *qu'on appelle forest en ce chapitre.* Quod vero cessaret monasterium in præstatione pensionis, filius utramque donationem rescindere, et revocare nitebatur, qui merito repellitur: quia conditio illa, sive modus non ad priorem donationem pertinet, quæ pura fuit, et libera sed ad posteriorem tantum. et in contractibus, ut subjicit, quæ est sententia vulgo jactata, plena interpretatio facienda est, in testamentis, plenior, ut ait *l. In testamentis. de reg. jur.* Et plenior sic accipitur, plenior, quam in contractibus in beneficiis autem, et liberalitatibus sive donationibus plenissima interpretatio facienda est, *c. quia circa, de privil. l. pen. D. de constit. princ.* quod in beneficiis principum facile concedo plenissimam interpretationem esse faciendam: in donationibus aliorum nunquam id concedam, tametsi id scribat Pontifex, in gratiam scilicet Ecclesiarum. Nam eas tantum donationes vult accipi plenissime, quæ fiunt ecclesiis, scilicet quibuscunque fiant. Dico eas semper esse accipiendas strictius, si jus, et verum sequamur, si rationem juris. Idque patet ex *l. Cum de modo donation.* et *l. Cum qui. de donat.* Sunt fatui, ut vulgo dicitur, qui, suis prætermissis, sua exteris donant. Et invenio etiam legislatores restrictius donationes accepisse. Primum lex Cincia eis modum imposuit, ne liceret in immensum donare. Constitutiones autem nullas donationes valere sine insinuatione, quæ fiat apud acta, et ut legere est in *Cod. Th.* etiam olim donationes omnium bonorum non valebant, nisi singulis rebus nominatim enumeratis, quæ constitutio valde placet. Nam plerique stulti bona sua donant, nescientes quid habeant in bonis. Itaque solebant veteres donationes valere, cum singulæ res adnumeratæ essent. Unde sane apparet, strictius donationes accipi, ut ut ait *d. l. Eum qui*, non adnumerari eas bonæ fidei contractibus.

AD CAP. *Pastoralis.* VII.

In cap. 7. quæritur, quid videatur donasse Episcopus, qui Ecclesiam aliquam suæ parochiæ, permissu maximi Pontificis, et consentiente suo capitulo uti oportet, *c. pen. sup. de his, quæ fiunt a prælat. sine cons. cap.* quod est conjungendum cum hoc c. 7. et consentiente etiam patrono ejusdem ecclesiæ, religiosis quibusdam donavit his verbis: *Concedimus vobis Ecclesiam illam.* Quæritur, inquam, quid donasse videatur? Concedendi verbo donatio plena, et directa significatur, ut *l. Donari videtur. et l. ult. in princ. D. de don.* non donatur tamen pleno jure omne, quodcunque conceditur, ut quod in nudum usum, ut *l. pen. in princ. de leg.* 2. vel in peculium, vel quod precario conceditur. Omnis donatio concessio est, sed non retro, omnis concessio donatio est. Illis autem verbis, quæ proposui, Pontifex in hoc capit. definit jus patronatus, quod habuit in ea Ecclesia, religiosis illis contulisse patronum videri. Episcopum vero portionem fructuum, si quam ex ea ecclesia ferre solebat, non etiam videri donasse cathedraticum, quia, quantumcumque generaliter Episc. ecclesiam det, intelligitur semper sibi correctionem retinere, ut *can. visæ* 16. *q.* 2. et procurationem, et visitationem, *cap. venerabilis, de censib.* et cathedraticum, ut in *hoc. c.* 7. id est, duos solidos, quos Episcopo debent singulæ ecclesiæ in honorem throni, et cathedræ suæ, ut *cap. conquerente, de off. jud. ordina et cap. eccles. sup. de censib.* et *can.* 1. 10 *q.* 3. et *Nov. Justin.* 123.

AD CAP. *Inter dilectos.* VIII.

In civitate Luca, civitate Hetruriæ, *Luques en Toscane*, hospitale S. Aluci, de cujus possessione hospitalari S. Sepulchri Pisis consistentes, quæ proprius abest Luca, qui et hospitalarii dicuntur S. Joannis Hierosolymitani, cum egissent semel interdicto quorum bonorum, et iterum interdicto uti possidetis, et neutro judicio obtinuissent, postea egerunt adversus magistrum, sive rectorem, et fratres ac patronos hospitalis S. Aluci petitorio judicio, et obtinuerunt. Sæpe evenit, ut qui vincitur in possessorio judicio, vincat in petitorio,

ut *cap.* 3. *de caus. poss. et propiet.* Obtinuerunt autem in petitorio judicio, quia probarunt liquido, id sibi hospitale, vel Xenodochium fuisse pure, et simpliciter donatum a rectore, sive magistro ac fratribus, et patrono ejusdem hospitalis, vel Xenodochii S. Aluci, nec habita est ratio eorum, quæ allegabant donationis infirmandæ causa, fratres illi S. Aluci, dicentes nimirum, se quo tempore huic rei adsensum præbuissent, fuisse excommunicatos, et id agendo in perjurium incidisse. Denique se esse perjurii reos, itemque donationem se fecisse dolo malo in fraudem Plebani, *qui vent nutant h dire qur Cure*, Plebani de Piaia oppido Lucæ vicino. Qui quidem Plebanus in eo hospitali aliquid juris habebat, ut liquet etiam ex c. 9. *sup. de orb.* in quo et ejusdem Plebani de Pieia, et hospitalis ejusdem fit mentio. Ideo autem nulla earum allegationum a judice habita est ratio, quia qui turpitudinem suam allegant, non sunt audiendi qui excommunicationem, perjurium, fraudem a se commissam, *l. Si servus plurium.* §. 4. *de leg.* 1. nec enim tam improbe causari potest, *l. Si creditorib. C. de servo pign. dat. manum. l.* 4. *C. de revoc. don. l.* 3. *C. de transact. cap.* 8. *sup. de concess. præb.* Non audientur etiam, qui quod fecerunt: mutare, et rescindere conantur temere, qui veniunt contra factum suum, *l. Post mortem de adopt. l. Vindicantem. de evict.* Quare donationis jure hospitale illud S. Aluci Pontifex recte addixit hospitalariis S. Sepulchri, salvo tamen jure Plebani de Pieia, si quod habet, atque etiam Episcopi Diœcesani, quia, ut est in *reg. jur.* quem usurpat hoc loco, res inter alios judicata, aliis præjudicare non potest.

AD CAP. *Apostolicæ.* Pen.

Sequitur *cap. pen.* Sciendum est, Episcopum ad extructionem monasterii donare posse quinquagesimam partem bonorum, sive redituum ecclesiæ suæ, et ad amplificationem cujusdam ecclesiæ, quæ sita sit in parochia sua, centesimam partem, puta si in ea ecclesia se velit sepeliri, vel si eam monasticis Regulis informare. Sic enim cautum est Conc. Toletano, quod extat in *can. pen.* 12. *q.* 2. cujus canonis verba aliquantulum immutata hoc loco referuntur. Neque vero in eo canone exigitur consensus Capituli. Imo indistincte in eo permittitur Episcopo ex ea causa, quam, dixi, donatio centesimæ, vel quinquagesimæ. Quod confirmatur etiam *cap. pen. sup. de iis, quæ fiunt a prælatis, et hoc cap. nostro.* Quo etiam ex verbis ipsius can. additur hæc interpretatio, ut nec 50. vel 100. donare in rem supradictam Episcopus possit. Imo nec minus quinquagesima, vel centesima, si quod ex ea grave damnum sentiat Ecclesia; vel si secus fecerit in detrimentum Ecclesiæ, si quid, vel minimum donaverit etiam in rem supra dictam, et detrimentum Ecclesiæ, id successor ejus revocare potest cum effectu, nisi præscriptione temporis communita sit Ecclesia, qua cum successor agit rescindendæ donationis causa, vel quavis exceptione justa. Plus vero quam 50. vel 100. secundum distinctionem illius canonis in illam rem, quamvis non sit ea donatio Ecclesiæ detrimentosa, etiam Episcopus donare non potest neglecto modo, quam donationi Concilium Toletanum imposuit, sine auctoritate et permissu superioris. Quod autem ait in *sup. d. can.* unam tantummodo, quæ placuerit, Episcopum posse ex his duabus remunerationem adsumere, quod non explicat, et obscurum est tamen, et plane desiderat explicationem aliquam, hoc est, meo judicio, non posse Episcopum munerare, et largiri utramque partem 50. scilicet, et 100. sed alterutram tantum. Et notandum etiam, non posse eum vel 50. vel 100. ita scindere in partes, ut quæ particulatim donaverit, non coacerventur, et coerceantur, ad modum finemque, vel 50. vel 100. Denique nec particulatim ex sup. d. causa factam donationem 50. vel 100. excedere posse modum Concilio Toletano præstitutum.

AD CAP. *Propter.* Ult.

Capituli ult. auctor est Gregorius nonus, qui, ut solet, id mutuatus est ex jure civili: ex causa ingratitudinis donationem actione ingrati a donatore revocari posse, puta, si donatarius in donatorem, manus intulerit, si atrocem ei injuriam fecerit, si damnum rebus ejus intulerit grave, si vitæ ejus insidiatus fuerit, si capitis eum accusaverit, nec obtinuerit, ut *l. ult. in fin. C. de revoc. don.* Quæ tamen actio, ut sit ex eadem *l. ult.* hæredi donatoris non competit soli donatori competit non hæredi ejus, ex offensa, quam sustinuit defunctus, quia actio ingrati vindictæ potius, quam pecuniæ persecutionem habet, ut *l. 7. C. eod. tit. de revoc. don.* ubi *vindicationis*, id est vindictæ.

AD TITULUM XXV.

De peculio Clericorum.

AD CAP. *Investigandum.* I.

Peculium clericorum aliud dicitur esse quasi castrense, quia et clerici militant, et stipendia merent, puta, quod per occasionem clericatus acquirunt, quod a collegis sive conclericis, vel a parentibus, vel cognatis eis in clero agentibus donatur inter vivos, vel relinquitur testamento, aut ab intestato, de quibus rebus omnibus etiamsi sint in potestate patris, vel avi (Clericatus non solvit patriam potestatem, imo nec Episcopatus, nisi ex Nov. 81.) de his, inquam, rebus omnibus libere testari possunt, sicut et de rebus, quas habuerunt proprias ante clericatum, qui erant ante clericatum sui juris, suæ sponte, *l. Sacrosanctæ. l. Cum lege. C. de Episc. et cler.* et *Nov.* 123. et 131. et *can. Episcopi, can. sunt manifestæ* 12. *q.* 1. Aliud est peculium, quod sibi palam clerici ex reditibus Ecclesiæ parasse præsumuntur, ut in *cap. pen.* in quo ex Concilio Remensi proponitur, eum, qui egenus et inops venit in clerum, si quid postea emerit suo nomine, id eum juste præsumptione videri ex reditibus Ecclesiæ acquisisse, et ecclesiæ relinquere debere, non vel ex testamento, vel quo alio modo id alienare, et transferre in alium. Res denique ex pecunia Ecclesiæ comparatas a clerico, Ecclesiasticas esse videri sicut res, quæ dotali pecunia comparatæ sunt, dicuntur esse dotales, *l. Res. D. de jure dot. l. ult. C. de ser. pig. dato manum.* Res item, quæ ex castrensi peculio comparatæ sunt, castrenses esse videntur, sive castrensi peculio connumerentur, *l.* 1. *C. de cast. pec. mil. lib.* 12. Ait vero in hoc c. 1. si quis pauper in clerum cooptatus fuerit, quod post clericatum emerit, ad Ecclesiam, in quam adscriptus et cooptatus est, pertinere juxta canonicam auctoritatem, inquit, id est, juxta *can.* 32. *Carthag. Concilii*, in quo tamen ait, id subjacere potestati ecclesiæ. Utrumque idem potest: nam et Episcopi vicem sustinent Ecclesiarum. Qui Episcopum dicit, et Ecclesiam dicit, et contra. Verum objicitur eidem canoni 32. aliud quod Latine expressum extat in *can.* 1. 12 *q.* 3. posse quidem Episcopos, et clericos testari de iis, quæ donationis jure, vel successionis legitimæ, aut honorariæ adepti fuerint, non etiam si nihil habentes in bonis, in clerum venerint, de his scilicet, quæ post Episcopatum, vel clericatum emerint, quæ omnino Ecclesiam conservare debeat: alioquin pro invasoribus habentur, et sacrilegis ut *cap. pen. h. tit. can. sacrilegium*, et *can. qui rapit* 17. *qu.* 4. *can. gloria* 12. *qu.* 2. In can. illo 32. Carthag. Concilii perperam legitur, ὡς ἱερῶν πεπονθότες ἔνοχοι εἰσί, quoniam illud ἱερῶν nihil significat, et legendum omnino ἱεροσυλίαν, id est, impressionem, invasionem, ut *d. can.* 1. 12 *q.* 3 *Tenentur*, inquit, *ut qui fecerint impressionem, qui quid pervaserint, et rapuerint.*

AD CAP. *Unusquisque.* III.

Et ex hoc c. Concilii Carthaginensi etiam est *cap.* 3. *h. t.* ut unusquisque presbyter, id est Episcopus, qui proprie dicitur consecrari: clericus ordinari, non consecrari: res, quas post diem consecrationis acquisierit, propriæ ecclesiæ relinquat, ut ergo de his rebus testari non possit, *cap.* 9. *tit. seq.*

AD CAP. *Presbyter.* II.

His addamus ex c. 2. hoc tit. quod repetitur etiam in *can. ult.* 12 *q.* 4. ex Concilio Agathensi, ut presbyter diœcesanus, qui est Episcopus, si quid emat, id nisi velit pelli episcopatu, emat ecclesiæ suæ nomine, videlicet, ut Gratianus indicat aperte paulo ante d. can. ult. si id emat ex reditibus ecclesiæ, et subdistingue in hoc c. 2. τὸ *superemerit, faut une virgule après*, et post hanc subdistinctionem continenter legito, *ad ipsius Ecclesiæ nomen scripturam faciat*, id est, emat ad ipsius Ecclesiæ nomen: ad Ecclesiæ nomen emere, in ecclesiæ nomen emere, ut in *l.* 2. *D. quando ex fac. tut.* in nomen suum emere. Confirmantur etiam hæc omnia *cap. pen. hoc tit.*

AD CAP. *Inquirendum est.* Pen.

Hujus cap. sententia hæc est, quod emerit presbyter ex reditibus ecclesiæ, vel ex oblationibus et votis fidelium, alieno vel suo nomine, suppresso nomine Ecclesiæ, in fraudem Ecclesiæ, revocari, et notari factum quasi sacrilegium sive pervasionem, aut deprædationem, quod ante dictum est, quasi crimen simile illi, quod Judas ille Iscariotes proditor Domini admisit, qui ut habetur Joan. 12. fur erat, et quæ inferebantur in fundam communem, *en la bourse commune*, asportabat, et furabatur, ἐβάσταζεν. Denique sicut presbyter nec suo nec alieno nomine fœnus exercere potest, ut *can. ult.* 46. *dist.* ita nec suo nec alieno nomine, sed Ecclesiæ tantum nomine de facultatibus Ecclesiæ quidquam emere.

AD CAP. *Si quis.* Ult.

In cap. ult. ostenditur, etiam in solo Ecclesiæ, si clericus novale fecerit, vel vineam instituerit, atque ita meliorem agrum Ecclesiæ fecerit, id Ecclesiæ cedere proprietatis jure, vel juste regulam juris et civilis et naturalis, superficies cedit solo. Posse quidem novali, aut vinea, quam fecit seu conseruit, clericum uti frui, quamdiu vixerit, pro cultura et cura, sed post mortem ejus ad Ecclesiam redire, quod solo Ecclesiæ immolitus est, vel superposuit, nec posse ab eo clerico, testamento, vel codicillis, ad hæredes, aut prohæredes, suos transmitti. Prohæredes vocat veluti bonorum possessores, et fideicommissarios Trebellianos, ut Romanæ Synodi *can.* 3. *Hanc,* inquit, *pœnam placuit hæredes prohæredesque respicere.* Et in formula manumissionis apud Yvonem *parte* 5. *cap.* 131. *Nulli*, inquit, *hæredum meorum ac prohæredum, nec cuiquam personæ alii quicquam debeat servitutis*, et in titulis, quos alias legi, Ecclesiarum Sancti Irenei et Justi Lugduni: *Si quis de hæredibus, aut prohæredibus nostris contra hanc donationem, vel venditionem nostram fecerit.* At in hoc cap. *si quis sane clericorum agella, vel vineolas*, celuy, qui avoit escrit cela, ne sçavoit sa *Grammaire.* Corrige, si *quis sane clericorum agellos, aut vineolas*, ut *l. Prædia.* §. *Liberto. de instr. vel instit. leg.* Corriga etiam

in exceptione, quæ est in extremo clausulæ h. cap. *nisi forsan Episcopus pro servitiis ac protributione*, sic legi in vetustissima compilatione omnium decretorum, et *protributione Ecclesiæ*, non *præstatione*, *largiri voluerit*.

AD TITULUM XXVI.

De Testamentis, et ult. voluntatib.

AD CAP. *Quorundam*. I.

Hujus quidem tituli capita sumpta sunt ex epistolis Gregorii I. sive ut vocatur ex regesto ejus. Et primum quidem cap. ex epistola 52. lib. 7. ad Anthemium Subdiaconum Campaniæ, sic restituenda est inscriptio. In quo cap. et mentio fit Importuni, est nomen proprium Episcopi civitatis Attellanæ, quæ civitas est in Campania, au *Royaume de Naples*. Et ex hoc cap. et ex ejusdem Gregorii lib. 2. ep. 10. quæ scripta est ad Importunum Episcopum, non addito nomine civitatis, supplendum id nomen est. Constituitur autem in hoc cap. quod et jam dictum est satis tit. superiore de peculio Cleric. ut Episcopus possit quidem testamentum facere de his bonis, quæ habuit propria ante episcopatum, ut et cavetur Justiniani Nov. 131. non etiam de iis bonis, quæ Ecclesiæ fuerunt ante ipsius consecrationem, vel quæ ipse post consecrationem acquisivit, quia Ecclesiæ sunt ea quasi justa præsumptione parta ex redditibus Ecclesiæ, omnino Ecclesiæ sunt relinquere debet. *ut cap. 3. sup. tit. prox.* et *cap 7 et 8 hoc tit.* cujus inscriptio restituenda est hoc modo, *Cenomanensi Episcopo*, et *cap. 9. cap. 12. h. t.* et *cap. 6. eod tit. in 1. collect.*

AD CAP. *Quia ingredientibus*. II.

Secundum caput hujus tit. est ex eodem lib. 3. Gregorii I. epistola cujus initium supplere possis ex can. *quia ingredientibus, 19 q. 3.* Et hoc c. 2. atque etiam 3. dirigitur ad Januarium Episcopum Caralitanum Sardiniæ, cujus civitas auctoribus promiscue dicitur modo Caralis modo Calaris. Ad quem Episcopum etiam extant multæ aliæ epistolæ in regesto ejusdem Gregorii, et hoc cap. 2. ut plenior ejus epistola indicat, scriptum est Januario supra dicto ad postulationem Gabiniæ Abbatissæ sancti Gabinii, et Luxorii, ut vulgo legitur in Martyrologio S. Sabini et Crispi: quorum memoria celebratur mense Majo, et est conditum illud monasterium in civitate Sardiniæ, quæ dicitur Turris, vel potius Turria. Constitutio autem hujus cap. congruit cum Novellis Justiniani 5. et 123. ex quibus prodiit illud vulgare verbum, ingressos monasterium ipso facto, ipso ingressu se sua dedicare Deo sive monasterio. Constituitur igitur huic verbo convenienter in hoc cap. 2. ut ante ingressum monasterii, possit qui cogitat monachismum testamentum facere; post ingressum non item: quia se devovendo monasterio, etiam bona sua eidem devovisse intelligitur. Quamobrem Syricam Abbatissam ejusdem monasterii, cui successit supradicta Gabinia, solemni more ab Episcopo ordinata Abbatissa, ait, non jure testamentum fecisse, quamvis habitum monachicum nunquam induerit; sed presbyterarum more tantum indutа processerit: neque enim habitus facit monachum, sed professio regularis, *cap. 13. inf. de regularibus.* Et hoc culpæ potius Episcopi adscribitur: qui eam Abbatissam ordinavit, nec veste monachali induit. Est autem omnino ex epistola illa Gregorii in hoc cap. legendum: *In vestibus, quibus utuntur loci illius presbyteræ*, non *presbyteris permansisse*. Presbyteræ dicit, quas πρεσβυτίδας Apost. in Epist. ad Titum cap. 2. ubi et illud monet, ut sint ἐν καταστήματι, *en leur habit*, ἱεροπρεπεῖς, ut sint honestæ, et sanctæ in vestitu Laodicenæ Synodi Canon 11. πρεσβυτίδας interpretantur καθημένας, id est, præsidentes, quæ puellis præsunt, easque docent, quæ honesta sunt, quæque Dei voluntati congruunt, ut idem Apost. præcipit illo loco. Placet valde, quod Epiphanius scribit lib. 3. contra Collyridianos hæreticos, quod inquam ille ait, et observat, eas mulieres dici πρεσβύτιδας, id est, anus, non πρεσβυτερίδας, quia in Ecclesia ordinari non possunt, sicut mares ex illo Concilio Laodiceno, cujus sententia exstat in *can. ult. 32. distinct.* ubi aliter hæ mulieres dicuntur veluti viduæ, univiræ, matricariæ, sic legendum, unde le *nom de Marguilliers*. Harum quoque mulierum mentionem facit Clemens Apostolicarum Constitutionum *lib. 2. cap. 28.* Ex quibus locis omnibus intelligimus male Antonium Augustinum scripsisse, sic appellatas, πρεσβυτέρας, id est, anus (neque enim hoc nomine significatur ordo, sed ætas) πρεσβυτέρας, sive πρεσβυτίδας, appellari Presbyterorum uxores, cum quibus, ut sorores vivebant, quæ interpretatio falsa est.

AD CAP. *Nos quidem*. III.

Cap. 3. sententia hæc est, ut hæres, quem testator ædificare, et dotare jussit monasterium aliquod intra annum, quæ præscriptio temporis est ex Justiniani Nov. 1. et 131. ut intra annum, inquam, exequatur et impleat voluntatem defuncti urgente et imminente Episcopo: ut ait secundum leges, id est, secundum jus civile, dilatas defunctorum pias voluntates Episcopali decet studio adimpleri, ut *l. 39.* et *l. 46.* quæ est Græca, *C. de Episc. et Cler.* Pontificali auctoritate hæredes compelli ad obsequium supremæ voluntatis, ut ait *l. Hæredibus. D. de pet. hæred.*

AD CAP. *Indicante*. IV.

In cap. 4. quod est ejusdem Gregorii, non tantum quod testamento, vel codicillis moriens quis dari fieri-ve jussit, sed et quod nudis verbis, et ait, citra ullam solemnitatem, imo et quod nutu fideicommissum reliquit, ad effectum perducendum et præstandum est, ut *l. Nutu. de leg. 3.* et *l. Et in epistola. Cod. de fideic.* Quod Gregorius hoc loco rescribit Petro Subdiacono Campaniæ, de muliere quadam, quæ nudis verbis conchам suam argenteam vendi, et pretium ejus libertis suis dari jusserat, quæque scutellam argenteam monasterio reliquerat. Recte ita concipitur titulus de testamentis et ultimis voluntatibus: nam ultimæ voluntates omnes non sunt testamenta, non sunt codicilli, cum ut ex hoc loco apparet, nudum præceptum faciat, et constituat ultimam voluntatem.

AD CAP. *Filius*. V.

In sequenti cap. 5. quod est ejusdem Gregorii, quod dirigitur, sic restituenda inscriptio, *ad dominum Episcopum Messanensem, Messine en Sicile*, in hoc, inquam, cap. ostenditur, quod notissimum est jure civili, rei alienæ legatum, ac fideicommissum valere, maxime si sciens qui rem alienam esse, eam legaverit, et hæredem ut effectum habeat legatum, velit eam redimere a domino, vel si non possit redimere, veram æstimationem ejus præstare debere, *§. Non solum. Instit. de leg. l. Cum alienam. C. eod. tit.* Neque huic juri prorsus in hoc cap. derogatur. Sed si quis tam hujus Ecclesiæ, verbi causa Consentinæ Ecclesiæ, ut in Epistola Gregorii latius exprimitur, Ecclesiæ Messanensi legaverit, quæ sit in possessione ejus, tantum abest, ut Episcopus Messanensis eam retinere possit jure legati, ut potius eam restituere debeat Ecclesiæ Consentinæ, hæc est species hujus cap. 2. Et hæc sunt quinque cap. Gregorii.

AD CAP. *Si hæredes*. VI.

Quod est in c. 6. ex Concil. Moguntiæ, ut hæres, qui non obtemperat voluntati defuncti, intra annum scilicet, ut dictum est supra cap. 3. hæreditatem amittat, consentit omnino cum Justin. *Novel. 1. de hæredibus, et Falcidia.*

AD CAP. *Cum in officiis*. VII. CAP. *Ad hæc*. VIII. et CAP. *Quia nos*. IX.

Cap. 7. 8. 9. jam satis exposui in tit. superiore, et in cap. 1. hujus tit. et quod amplius est in cap. 8. id exponam in cap. 12.

AD. CAP. *Cum esses*. X. et CAP. *Relatum*. XI.

Decimo et undecimo cap. abrogatur jus civile, ea ve pars juris civilis, quæ in testamentis exigit septem signatores et testes, ut rata sint, in codicillis, quinque, *l. ult. C. de codic.* Namque statuitur in his sufficere duos, vel tres legitimos et idoneos testes, nec enim omnes recipiuntur in testamentis adhibito Presbytero, sub quo testator agit, *son Curé appellé*. Quod ut si Velitrensibus scribatur utroque cap. qui subjecti erant Romano Pontifici: tamen et pleræque aliæ civitates hodie, etiam quæ profitentur se sequi jus scriptum, et quibus non dominatur Romanus Pontifex, hoc sequuntur, et probant, non tantum si Ecclesiarum utilitatem testamenta respiciant, sive piæ causæ, sed et si rem aliorum quarumcumque.

AD CAP. *Relatum*. XII.

Cap. 12. de testamentis pertinet, ad interpretationem cap. 7. supra, quo cavetur clericum de bonis, quæ in Ecclesia, sive contemplatione Ecclesiæ, in quam scriptus est, acquisivit, testamentum facere non posse, quod ea omnia bona Ecclesiæ omnino cedere oportet, vel Ecclesiis, si in pluribus Ecclesiis beneficia habuit, si plurium Ecclesiarum fructus participaverit, facta eorum bonorum divisione inter Ecclesias pro rata, sive ἀναλόγως. Huic enim constitutioni cap. 7. definitur in hoc cap. 12. locum esse indistincte, sive mobilia, sive immobilia bona acquisierit. Ac præterea definitur in hoc cap. nomine Ecclesiæ significari non Episcopum, quamquam alias, ut sæpe monui, plerumque dicatur promiscue Episcopus, vel Ecclesia, quod Episcopus sit in Ecclesia, et Ecclesia in Episcopo. Non item significari eum, qui in Clericatus officio defuncto successit, verum significari Collegium, sive Capitulum, ex quorum numero defunctus fuit: vel si nulli Collegio Clericorum defunctus Clericus addictus fuerit, tunc Ecclesiæ nomine significari Clericum, qui ei successit in munere Clericali. Et in extremo hujus cap. addit, de bonis supradictis morientem Clericum, quod Ecclesiæ omnino cedere debeat, nihil statuere, arbitrari, testari posse, nisi modicum aliquid erogare velit pauperibus, aut locis pietati dedicatis in cap. 8. sup. vel famulis suis, quorum vivus ministerio usus est, ut *cap. ult. sup. tit. prox.* De bonis autem, quæ non per Ecclesiam, non respectu, vel ratione Ecclesiæ acquisivit Clericus, sed quæ hæreditate ei obvenerunt, quæque artificio, vel doctrina sua acquisivit, libere testari potest: in his bonis Ecclesia nihil juris habet invito Clerico, ut *cap. 9. sup. hoc tit. can. 1. 12. qu. 3.* Scribitur autem hæc constitutio, sive dirigitur electo cuidam Episcopo

Cassanensi, quæ civitas est in magna Græcia, sive in Calabria, electo, inquam, Episcopo, et cap. Cassanensi.

AD CAP. *Cum tibi*. XIII.

Cap. 13. quod sequitur, existimant plerique omnes derogare juri civili, quo cautum est, hæredis institutionem alieno arbitrio permitti non posse, *l. Illa institutio de hæredib. instit.* Hæc enim constitutio cap. 13 decernit testamentum conferri posse in alterius dispositionem, quod nihil est quam hæredis institutio. Testamentum fit his verbis, ille hæres esto. Decernit, inquam, testamentum conferri posse in alienam voluntatem, puta his verbis: is mihi hæres esto, quem Titius voluerit. Sed hoc ego intelligi meo quidem animo ita velim, ut possit testamentum conferri in alienam voluntatem, quasi in conditionem, ac si dixisset: Si evenerit, ut quandoque Titius declaret quem optet mihi hæredem esse, sicut in l. 1 *de leg.* 2. dicitur in arbitrium alterius conferri legatum posse, quod nisi aliud adjiciatur est falsum, veluti in conditione. Et ita dicimus testamentum ex sententia summi Pontificis Innocentii, qui noluit mutare jus civile, conferri posse in alienam voluntatem quasi in conditionem, non quasi in merum et solutum arbitrium Titii. Qua interpretatione bene percepta apparet hac in re nullam inter jus civile et jus Canonicum discrepantiam esse. Initium vero hujus Cap. supplendum est ex cap. 8. infra de verb. sign

AD CAP. *Officii* XIV.

Sciendum est ex his, quæ quis qualicunque Ecclesiæ reliquit, pro salute sua, pro redemptione animæ suæ, Episcopo suo, vel Ecclesiæ parochiali, deberi pro varietate locorum, vel tertiam, vel quartam, vel dimidiam partem, plerumque quartam, ut *cap. seq.* et *cap.* 1. 2. 8. 9 10 *inf. de sepulc* At si quis nominatim aliquid vel modicum legaverit Episcopo suo arbitratu, si certam summam, certam portionem, quam portionem, mortuariorum vocant, quasi mortis causa Episcopo relictam, ut *cap. ult. sup. de reb. Eccles. non alien.* et *cap. conquerente, sup. de off. jud. ordin.* si, inquam, vel modicum aliquid legaverit Episcopo, ac deinde variis monasteriis, vel Ecclesiis, aut sacellis plura legata dederit, ex his legatis nihil decerpere Episcopus potest, si ea lege modoque sit ei propria, et separatim relictum legatum, ut eo contentus abiret, et ipse Episcopus agnoverit judicium defuncti: quia hoc genere videtur renuntiasse portioni Canonicæ sive legitimæ, quam ex reliquis legatis ferre potuit jure suo. Verum additur exceptio, nisi modicam portionem Episcopo adscripserit sub ea conditione modove dolo malo, ut nihil detraheret ex ceterorum legatis, et imprudenter ipse Episcopus acceperit legatum. Sed si legatum Episcopo reliquit pure, is sane hoc casu potest ex aliorum legatis detrahere portionem Canonicam sive legitimam, id est quartam, vel tertiam, ut dixi. In extremo autem hujus cap. confirmantur indulgentiæ a Romanis Pontificibus concessæ quibusdam regulariter viventibus, veluti hospitalariis, puta, ut ne quid ex rebus quibusdam eis relictis veluti ex armis, vel equis, ut *cap.* 10. *inf. de sepulc* Episcopus detrahere possit. Et conjungendum cum hoc cap est *cap.* 38 *sup. de elect.* et *cap.* 9. *de pœnit. et remiss.* et *cap* 12. *de sentent. excommunic.* quæ omnia diriguntur ad eundem Cardinalem sancti Laurentii.

AD CAP. *Requisisti*. XV.

Merito autem cap. sup. subjectum est cap. 15. quoniam ad præcipuam constitutionem hujus juris de portione Canonica legatorum priorum, quæ debetur Episcopo vel Ecclesiæ parochiali, adhibentur in hoc cap. distinctiones, et exceptiones variæ, quas exponam breviter. Aut testator legat tantum Episcopo, et hoc casu si extraneus sit testator, is legasse videtur Episcopo contemplatione Ecclesiæ Cathedralis, cui præsidet Episcopus, debetque ex Ecclesia ex eo legato ferre portionem Canonicam, veluti dodrantem, aut bessem, aut semissem, pro varietate consuetudinis cujusque loci, ut dictum est supra: Episcopus autem, vel trientem, vel semissem, plerumque quadrantem tantum, ut fit etiam hodie nisi aliud nominatim caveat testator, puta ut totum id quod legaret, cederet Episcopo sine ulla diminutione, quæ exceptio addenda est etiam, ut in hoc cap declaratur, et ad *Can. Pontifices*, 12 *q.* 3 Si autem testator fuerit propinquus Episcopi, Episcopo legasse videtur affectione ipsius Episcopi sola, favore personæ, ut ait *cap* 8. *eod. tit.* 1. *collat.* Nisi (nam et hic additur exceptio) manifesta probetur aliud sensisse testatorem. Quod si non probetur totum id quod propinquus legavit, Episcopo cedit, neque ex eo quicquam rescindere Ecclesia Cathedralis potest. Denique in partem ejus legati Ecclesia Cathedralis venire non potest. Aut testator legat Ecclesiæ Cathedrali, at hoc casu ex eo legato Episcopo debetur portio legitima sive Canonica, quam dixi, attamen, quod notandum est, testator caverit nominatim ut id totum cederet Ecclesiæ Cathedrali: quia nemo potest facere ne leges, aut canones in suo testamento locum habeant, *l. Nemo. de leg* 1. *Potentius est,* inquit Quintil. in declam. quadam, *quod in albo legitur, quam quod in testamento.* Non potest denique testator Episcopum fraudare portione Canonica, Falcidia Canonica. Idemque erit omnino, si Ecclesiæ et Episcopo conjunctim legatum relinquatur. Aut testator quædam legat Ecclesiæ Cathedrali, quædam Episcopo separatim: et hoc casu commiscentur legata utriusque, et inter Episcopum et Ecclesiam divisio fit eorum legatorum pro quadrante, et dodrante, ut Canones præcipiunt: nisi ita transegerint inter se Episcopus et Ecclesia bona fide, excipitur enim semper dolus et fraus, ut suum Ecclesia, Episcopus æque suum in solidum legatum retineat.

Aut legavit testator quædam Episcopo, quædam non Ecclesiæ Cathedrali, quæ socia est Episcopi, quæ communionem veluti quandam habet cum Episcopo, ac si unum corpus efficiatur Episcopus et Ecclesia Cathedralis: sed si quædam legavit Episcopo, quædam ut corpi dicere non Ecclesiæ Cathedrali, sed monasteriis, vel aliis piis locis, ut hoc casu in legato Episcopo relicto servetur Canonica divisio inter Episcopum et Ecclesiam Cathedralem In legato vero, quod monasterio reliquit, vel aliis piis et venerabilibus locis, ut præter proprium legatum hoc amplius etiam Episcopus habeat portionem Canonicam. Breviter suum legatum Episcopus percipiet, et communicabit Ecclesiæ suæ Cathedrali secundum divisionem Canonicam, et ex ceteris legatis, quæ sunt relicta monasteriis, feret quadrantem, sive portionem legitimam, sive Canonicam. Aut Clerico ulli Ecclesiæ præfecto, nulli Ecclesiæ præposito legatum reliquit testator extraneus, vel propinquus, nihil refert; et id sane legatum Clericus ille totum sibi habet et retinet, quod Ecclesiæ contemplatione relictum non possit videri, quod ei relictum est, qui nulli præest Ecclesiæ. Nisi, quæ exceptio est translatitia, et fere semper in causa testamentorum intelligitur, nisi manifeste doceat Ecclesia, cui subest ille clericus, aliud sensisse testatorem, puta, ut et in portionem ejus legati veniret Ecclesia, vel ut totum id legatum cederet Ecclesiæ.

AD CAP. *Raynatius*. XVI.

Jam accedamus ad explicationem cap. Raynutius magni nominis, et usus. Ut vero sit ejus species facilior, non utar nominibus illis mixto barbaris, quæ sunt in capitulo, sed latinis. L. Titius cum haberet duas filias, unam puberem, alteram impuberem, fac puberi Primæ nomen fuisse, impuberi Secundæ, eamque haberet matrem etiam filiarum suarum, et uxorem matrem earundem: testamento facto filiæ puberi id est Primæ, præter dotem, quam pro ea dederat, reliquit domum et hortum titulo institutionis, eodemque titulo Secundæ impuberi filiæ suæ reliquit cetera bona sua: cui tamen si sine liberis uno pluribusve moreretur, substituit Primam sororem ejus, et filium, quo Prima erat gravida. Quæ substitutio quoniam ita facta intelligitur, quandocunque Secunda decederet sine liberis, substitutio precaria sive fideicommissa etiam esse ab initio, quod notandum, intelligitur. non directa intra pubertatem, post pubertatem precaria: quia nec quæ ab initio substitutio directa fit impuberi in testamentis parentum post pubertatem valere potest jure fideicom. *l. Verbis. de vulg. et pupill. substit.* nisi id expressum sit nominatim. *l. Cohæredi.* §. *Cum filiæ. eod. tit.* §. *ult. Instit. de pupill. substitut.* Porro mortuo testatore tutores filiæ impuberis testamento dati eam jam nupturientem ut jussi tamen testamento erant, quemadmodum est scriptum in antiqua Decretali, quæ extat in 3. collect. ca 11. sub tit. *de sentent. et re jud* eam, inquam, nuptui collocaverunt viro Lombardo cuidam nomine Petro, sic est legendum hoc loco Vulgo ita legitur: mortuo testatore tutores impuberis eam cum omnibus bonis ut derelicta a patre, jure Lombardo cuidam Petro nomine tradiderunt. At legendum, *viro Lombardo cuidam Petro,* ut legitur etiam in uno veteri exemplari, quod penes me est, perspicuis verbis, et ita etiam legit Gallicus interpres Decretalium, qui etiam ita vertit prisca lingua Gallica. *Et quand il fut mort c'il qui avoit en mambournie, c'est à dire, en garde, la plus Jeune, la donna à un Lombard, qui avoit en nom Pierre. En mambournie, c'est à dire, en tutele.* Ergo, ut dixi, perperam legitur, *jure Lombardo Petro nomine,* quod jus quale esset, aut quo loco legum Longobardarum nulli interpretes certo adhuc et liquido constituerunt, et hujus capituli facto accommodare potuerunt, nec ulli etiam eorum hoc tam grave mendum animadverterunt. Verum ad rem. Tutores ergo Secundam eam nuptui collocaverant viro Lombardo cuidam datis in dotem omnibus bonis, quæ ad eam pervenerant testamento patris. Post deinde extitit conditio fideicommissi sive fideicommissariæ substitutionis. ut *l. Ex facto.* §. *pen. ad SC. Trebell.* quia etsi filium Secunda ex Petro susceperit, viva tamen eum amisit, et mortua est sine liberis hærede instituto Petro marito suo, ut Vincentius notat recte: ergo extitit conditio fideicommissi ut dixi, ac proinde fideicommissi petitio Primæ sorori superstiti, et filio ejus, qui Secundæ substituti sunt, competit, deducto quadrante, id est, deducta Falcidia sive quarta Pegasiana, quæ dicitur Trebellianica a SC. Trebelliano, in quod Justinianus transtulit quidquid erat SC Pegasiani. Hæc quarta debetur hæredibus institutis quibuscunque, et rogatis hæreditatem restituere hæredibusve eorum. Verum in eam quartam quartæque fructus in hac specie Petro hæredi Secundæ, aut filio ejus, non imputabuntur fructus percepti ex hæreditate antequam mora fieret restitutioni, fideicommissi, ut est constitutum in *l. Jubemus C. ad SC. Trebell.* Sed imputabuntur tantum fructus percepti post moram, id est, post litem contestatam, et ita Joannes hujus capituli locum interpretatur recte. At valde nova hæc distinctio est, ex percepti fructus sint ante moram, an post moram, ut qui post moram, imputentur in quartam Trebellianicam, quartæque Trebellianicæ fructus: qui ante moram non imputantur: valde, inquam, novum est, ut et pleraque alia sunt nova in hoc cap. quod tamen omni ex parte est in usu. Nam. illa lex *Jubemus,* non utitur hac distinctione. Pontifex hanc addidit distinctionem ad l. *Jubemus.* Itaque petente Prima fideicommissum a filiis Petri, quos ex Secunda uxore Petrus creaverat, ut hic proponitur, a filiis, inquam, Petri sub tutore agentibus, dicebat tutor, eorum se id tantum restituere debere, quod superesset ex bonis Secundæ deducta quarta Trebellianica. Adjiciebat deducendum etiam esse triantem integrum, quem debuit testator matri suæ aviæ filiarum ex rebus certis secundum consuetudinem Tuscanensis civitatis, in qua hæc res sive lis disceptabatur, quæ civitas est Hetruriæ, et hodie Tuscanella vocatur, *la petite Tu-*

scone, a qua forte, et tota Hetruria Tuscia, vel Tuscana dicitur hodie, sicut ab oppido Thausca prope Coloniam Agrippinam, quod eversum fuit superioribus annis bello Coloniensi, plerique putant universæ Germaniæ inditum nomen Theutonicæ. Eum vero trientem avia donaverat Secundæ, et Petro marito ejus: atque ita triens ille, quia erat Secundæ et Petri proprius, fideicommisso non continebatur: quoniam fideicommisso testator onerare sua bona tantum potest, non bona hæredum suorum, vel extraneorum, *l. Cohæredi. §. Cum filiæ. de vulg. substit. l. 2. de dote præleg.* Ac præterea dicebat idem tutor, alium quoque trientem integrum secundum consuetudinem ejusdem civitatis esse deducendum, quasi debitum uxori testatoris matri utriusque filiæ, quem trientem Petro marito Secundæ vendiderat, et consequenter, quia etiam fideicommisso non continebatur, quia erat in bonis testatoris. Judex Tuscanensis, apud quem hæc lis disceptabatur, deductis his omnibus, quæ commemoravit, quæ tutor filiorum Petri ante omnia deduci desiderabat tuturem, quod superesset, Primæ ex causa fideicommissi restituere jussit; a qua sententia utraque pars appellavit, ut potuit, *l. 1. in pr. C. de appellat. c. 16. inf. utraque pars scilicet*, id est, Prima et tutor filiorum Petri appellavit ad Romanum Pontificem, sub cujus ditione est Tuscanella. Prima appellavit, quod is judex integrum trientem matris, integrumque trientem uxoris testatoris deduci jussisset. Tutor vero appellavit, quod eum damnasset ad restitutionem reliquorum bonorum, quæ ipse contendebat Petro, et pupillis fuisse quæsita per usucapionem pro dote, et per anni, utilis scilicet longiorisque temporis, id est, decennii, aut vicennii præscriptionem, eo quod ea bona Petrus, post mortem uxoris diu possedisset sine ulla controversia. Quæ allegatio, sive causatio, quam fuerit inepta, et falsa ostendam in fine hujus recitationis. Cognitor vero datus a Romano Pontifice, ad quem utraque appellaverat dicta sententia, quam Pontifex probat in hoc cap. et ratam facit, partim confirmavit, partim infirmavit sententiam judicis Tuscanensis; infirmavit scilicet, quatenus jusserat supradictos trientes duos in solidum, sive integros deduci a bonis, quia neque Secundæ fuit unus triens in solidum jure donationis sibi ab avia factæ: neque Petri alter triens fuit in solidum jure venditionis sibi factæ a socru matre Secundæ uxoris suæ: quandoquidem Primæ in bonis aviæ medium, et matris medium Secundæ: debetur etiam portio legitima, quod naturale debitum dicitur in *l. Scimus. §. Illud. C. de inoff. test. l. un. C. de impon. lucr. descr. lib. 10* et in Nov. 1 τὸ κατὰ τὴν φύσιν ὀφειλόμενον μέρος. Hoc cap. et in ca. 18. dicitur jure naturæ debitum, quod idem est, et legitima debita jure naturæ. Et triens unus est ex bonis aviæ, et triens alter ex bonis matris; ergo in utrumque trientem sorores concurrunt: non etiam uterque integer triens debetur Secundæ, nec potuit avia, vel mater in causa portionis legitimæ debitæ neptibus se filiabus, ut fecit, vel avia donare alteri nepti aut marito ejus, vel mater ejus marito alterius filiæ, vendere solidum, ut patet ex hoc cap. quod hac in re est etiam valde novum, nec conveniens admodum jure civili, quo neque dos, neque donatio revocatur a liberis ad fidem portionis legitimæ, nisi sit immodica, et inofficiosa; neque venditio ullo modo, etiamsi parentes vendiderint inter vivos, ut fit, omnia sua bona, et hoc genere fraudaverint liberos suos portione legitima, ut aperte ostendit *l. 2. si a parent. quis manum.* Confirmavit autem idem cognitor in cæteris articulis sententiam judicis Tuscanensis. Ac præterea, quod judex ille omiserat præter quartam Trebellianicam, jussit Secundæ nomine ex fideicommisso deduci portionem legitimam si debitam, id est, trientem integrum, non quidem de universo fideicommisso, sed de rebus certis tantum, ex quibus detrahi solebat portio legitima, et portio legitima, id est, portio legitimæ portionis obvenientis ab intestato secundum consuetudinem ejusdem civitatis, et deduci jussit integram portionem legitimæ Secundæ nomine, quæ portio legitima filiis plena et pura debetur, sine onere fideicommissi, *l. Omnimodo. l. Quoniam. C. de inoff. test. et cap. 18. inf.* sicut portio debita patrono debetur etiam sine onere fideicommissi, et non continetur etiam fideicommisso, *l. 28. D. de legat. 2. l. Si patronus. D. de donat.* Hinc ortum est jus, quod occupavit, et invaluit, et valet ubique hodie, ut filius sub conditione rogatus restituere hæreditatem paternam, si sine liberis decesserit, detrahat non tantum quadrantem Trebellianum, quem et extraneus hæres quilibet simili fideicommisso oneratus detraheret: sed etiam portionem legitimæ portionis proprio jure ut filius, id est, trientem, vel semissem bonor. juxta Nov. 18. quod et ita constituitur in d. cap. 18. Certe contra jus civile, quod unius tantum Falcidiæ deductionem admittit, ut patet ex *l. Jubemus. C. ad Treb.* et Juliani Antecessoris *Nov. 37.* vel 39. in qua filium rogatum restituere hæreditatem ait, deducta Falcidia, quæ cedit vice debiti naturalis, reteras res hæreditarias fideicommissario restituere integras, id est, illibatas et intactas. Idem patet ex multis aliis locis juris, civilis et fusius hoc docet Obser. 8. c. 3. Rectius autem in hac compilatione Decretalium, quæ est sexta, hæc constitutio posita est, sub hoc tit. *de testamentis*, quæ tamen in 3. collectione sub tit. *de sentent. et re jud.* e. quia admodum tenuis, aut sane nulla est causa, propter quam sub tit. *de sentent. et re judic.* poni debeat: hæc tamen adferri potest, sane levis, quod ex hoc cap. intelligimus judicem, ad quem appellatum est, sententiam prioris judicis partim confirmare posse, ut cap. 10. *sup. de fid. instr. cap. 14. inf. de privileg. cap. 18. inf. hoc tit. l. ult. de jur. patron.* Et quamvis id evenerit in specie hujus cap. tamen ea de re in hoc cap. non quæritur: est enim hujus cap. una tantum, et præcipua quæstio de fideicommisso testamento relicto, et deductionib. quæ fiunt ex eo, aut quæ jure ex eo fieri possunt. Non omittam quod supra dixi, ineptam et frivolam esse Petri, aut tutoris filiorum Petri allegationem, omnia bona dotis nomine Petro data a tutoribus prioris uxoris retineri, et nihil ex eis Secundæ restituere volentis prætextu usucapionis pro dote, et præscriptionis anni utilis, et longi temporis: hujus enim prætextus nullam esse rationem patet ex hoc cap. in quo nulla habetur etiam ratio ejus allegationis, sive causationis; et ut non habeatur, suadet optima ratio: quia primum, quæ olim obtinuit in Italia præscriptio anni utilis, qua tollebantur actiones personales, hodie est a Justiniano sublata in tit. *de annali except.* Ac præterea, quod actio fideicommissi, vel quæ alia actio personalis non tollitur præscriptione longi temporis, id est, decem annorum inter præsentes, aut viginti inter absentes, sed præscriptione tantum 30. annorum, si intra ipsos 30. annos in judicium deducta actio personalis non sit, *l. 3. C. qu 5. non obs. long. tempor. præscript.* Ac postremo quia usucapio pro dote non potest habere locum soluto matrimonio morte uxoris, quia post solutum matrimonium dos esse desiit, *l. 1. §. pen. et ult. D. pro dote.*

JACOBI CUJACII J. C.

AD LIBRUM QUARTUM

DECRETALIUM

RECITATIONES SOLEMNES

AD TITULUM I.

DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS

Anno 1585

PRÆFATIO

Quod de hominibus sui temporis M. Tullius in scientia juris se efferre aliquem posse, sed non ejus quidem universi: nam Pontificium, quod est conjunctum, inquit, *nemo discit; id vere etiam de nostris hodie nobis usurpare licet. Quotus enim quisque est, qui non a juris Pontificii cognitione abhorreat, vel quod inconditum, et insuave, et jejunum esse videatur, vel quod nihil a Pontificibus Romanis, vel Christianis Principibus (quod non est sine probro) vel conciliis eorum auctoritate convocatis proficisci possit, ut autumant, imo contendunt impudenter, quod eorum animus sanctum, et sincerum omni ex parte concipere, et sibi persuadere possit: et hoc tamen jure in causis plerisque majoribus utimur: nec si verum amamus, sine eo bene distrahi magna pars controversiarum potest. Ac præterea totus ordo judiciorum, qui ubique Gentium in orbe Christiano observatur, hunc solum veluti fundum habet. Certe quod M. Tullius dixit conjunctum id esse; quanquam suæ ætatis jus Pontificium aliam religionem haberet, cum jure civili negari non potest: nam quæcunque tandem religio fuerit, quæ valeat in republica, conjungi semper necesse est jus Pontificium cum jure civili: nostrum certe negari non potest ex juris civilis rationibus magna ex parte depromptum esse. et retro jus civile, ut Nicephorus Imperator dixit,* συμπράττειν καὶ συνεδριάζειν τοῖς καλῶς παρ. ἀρχιερίων ψηφισθεῖσι, *et Justinianus noster (Nov. 83. cap. 1.)* τοῖς κανόσι κατακολουθεῖν οὐκ ἀπαξιοῦσι νόμοι. *Denique duo esse jura quasi cognata, et inter se revincta communi quodam vinculo, adeo ut nec unum sine altero constare possit, id quod meus vobis ostendere gestit animus in hac, quam suscepi interpretatione libri 4. Decretalium, simul et qua parte discrepet alterum ab altero, et qua iterum parte jus Pontificium sit proprium, neque discrepans, neque consentiens cum jure civili, idque cum Deo, qui mihi semper studiorum meorum solus Princeps fuit; quod longe alia ratione præstare, exequi, agere conabor, quam vulgus interpretum soleat, quorum culpa factum est, ut nihil hoc jure rudius, nihil insuavius, aut insulsius plerisque videatur esse.*

Libri quarti titulus primus est *de sponsalibus, et matrimoniis*. Quid sit matrimonium, quid sponsalia, quia prope notius est, quam ut inculcandum sit, idcirco de ea re nihil libandum existimo: satis habebo initio hujus tituli illorum opinionem amoliri, qui Pontifices his vocabulis promiscue, et indifferenter uti arbitrantur: Nam et si verba sponsalium collata sint in præsens tempus, jure tamen Pontificio sponsa nondum maritus est. Non potest quidem illa alii nubere, vel hic aliam uxorem ducere: nondum tamen, vel illa uxor, vel hic maritus est, etiamsi præsentis sint sponsalia non collata in futurum tempus, antequam invocatum nomen Dei, et secuta ἱερολογία fuerit, quæ dicitur benedictio vulgo. *can.* 1. 30. qu. 1. Leonis Philosophi Nov. 89. Tertullianus in fine libri secundi ad uxorem: *ecclesia*, inquit, *conciliat matrimonium, et confirmat oblatio, et obsignatum Angeli renuntiant, pater et licet coelestis ratum habet*. Non conciliatur ergo matrimonium sine Ecclesiæ assensu et auctoritate. Unde, et in *cap.* 14. *sup. de præsumpt.* etsi sponsalia pura, et præsentia fuerint, tamen sponsa nondum habetur pro uxore. Et sicubi in jure Pontificio sponsi dicuntur conjuges, vel sponsæ uxores, recte Gratianus dixit in *can. sic quippe*, 27. *q.* 2. uxores eas esse, ut sic dicam κατ᾽ ἐλπίδα, uxores speratas, non justas uxores. Et quod in idiotismo nostro dicimus, sponsalia fecisse eos, qui inter se nuptias contraxerunt, *qu'ils se sont espousez*, id est, perfecisse potius sponsalia, et implesse, quam fecisse nuptias sive matrimonium, sponsalium perfectio nuptiæ, sive matrimonium est: sponsalia inchoatum et imperfectum est matrimonium, aut initia ad matrimonium. Nec movent etiam *can. suffic. ut.* 27. quo præcipue moventur, ut movetur Petrus Lombardus, qui in illa opinione fuit, ubi dicitur: in nuptiis contrahendis solum consensum sufficere secundum leges, ut sit, consensus scilicet præsentis temporis, non qui ex tempore futuro dilationem capiat, ut in *cap. ult. inf. de sponsa duor.* Quod congruit omnino cum illo *can. sufficio*. Id vero dicitur excludendi concubitus gratia, ut illorum locorum integer contextus satis demonstrat. Solus consensus sufficit, id est non necessarius concubitus. Id enim est, quod leges volunt: concubitus non facit matrimonium sine consensu, et consensus tamen facit matrimonium sine concubitu. Non nego tamen in plerisque causis, sponsalia, si modo sint legitima, si modo, quod quidam ea contraxerint temere, legi non obstent, quibuscunque verbis concepta fuerint, loco nuptiarum haberi in quibusdam causis, ut in decreto Synodali legimus facto Constantinopoli sub Joanne Xiphilino Patriarcha, τὴν νομικὴν μνηστείαν γάμων τάξιν καὶ κατάστασιν ἔχειν. Nam, ut ex iis causis quædam recenseantur, et patris, et filii naturalis, vel adoptivi sponsam, nec post mortem filii, qui excessit ante nuptias contractas, uxorem ducere possum, quod sit mihi loco nurus, licet nurus vere non sit nuptiis non secutis, *l.* 12. §. 1. *de rit. nupt.* Et qui sponsa ante nuptias mortua cum alia nuptias contraxit, qui vel alii desponsatam duxit uxorem, pro bigamo habetur, ita ut nec presbyter, nec diaconus, nec subdiaconus fieri possit, ex sub. dicto Decreto, quod tamen hac in re in Occidente obtinuisse non videtur, *c. debitum, sup. de bigam. can. ult.* 39. *distinct.* Ac præterea quæ ex causa sunt illicitæ, aut nefariæ nuptiæ, ex eadem etiam illicita sunt sponsalia, *l. Tutor. l. Oratio. de sponsal.* Et in sponsa non minus, quam in uxore adulterium committitur, *l. Si uxor. §. Divi. ad l. Jul. de adult.* et *can.* 99. *sextæ synodi Constantinopolitanæ*, adeo ut et jure mariti, quamquam nondum sit maritus, sponsus eam accusare possit, ut docui Observat. 6. *c.* 16. Postremo sive uxori, sive sponsæ fiat injuria, viro competit injuriarum actio, *l. Item apud Labeonem. §. Sponsum, de injur.* Sed de his satis.

AD CAP. *De Francia.* I.

Hoc cap. notatur esse ex Concilio Triburiensi, quo sub Arnulpho Imperatore decreta sunt multa ad communem ecclesiæ utilitatem. Habitum id, et celebratum est Triburi, quæ fuit villa Regia, sive imperatoria, ut legimus in præfatione ejusdem Concilii, villa Imperatoria in Francia Germanica, quæ continet Turingiam, et Franconiam, non procul a Maguntia. Unde et in hoc cap. 1. Francia est accipienda Francia Germanica, quæ Saxoniæ finitima est, non pro Francia Gallica, pro Francia Orientali, non pro hac nostra, quæ est Occidentalis. Id vero concilium Triburiense inter cetera nobis conservavit elegans illud dictum Bonifacii Episcopi et Martyris, quod exstat in *can. vasa, de consecrat. dist.* 1. quondam sacerdotes aureos ligneis calicibus usos, et nunc vice mutata, sacerdotes ligneos aureis calicib. uti. In hoc autem cap. definit sancta illa synodus, eum qui exteræ nationis uxorem duxit, non legibus, et moribus patriæ suæ, sed patriæ suæ uxoris, si ideo ab illa diverterit, et duxerit aliam, improbe fecisse, et ad priorem reverti debere, quæ sola ei est uxor legitima. Species hæc est: nobilis quidam natione Francus in Saxonia, quæ Franciæ finitima est, duxit uxorem æque nobilem: non fuit impar matrimonium. e Saxonia oriundam, et duxit eam legib. Saxonum, non legibus Franciæ, id est, ut plenius est scriptum in Breviario Bernardi Papiensis Præpositi, *eam desponsavit*, hæc sunt verba, *accepit, et dotavit legibus Saxonum, non legibus patriæ suæ*. Quid est, quod sit, *dotavit*, ac qui mos fuit olim Germanorum, ut Cornelius Tacitus scribit, dotem maritus obtulit uxori, non uxor marito? Minime. Dotem offert uxor marito, non contra, sed quasi vice dotis, unde et nomen ἀντίφερνον, aut vice donationis propter nuptias maritus uxori offert, quod dicitur dotalitium, a *ex parte. de foro compet. c. plerunque de donat. inter. vir. et uxor.* quod quidem dotalitium post mortem mariti superstes mulier capiat ex mariti bonis. Id pro consuetudine regionum, vel amplius, vel exiguum est, nisi aliud convenerit inter sponsos. Consuetudo hac in re, vel conventio partium omnia potest, quæ et in constituenda dote omnia potest. Cum autem alia esset apud Saxones consuetudo in constituendo dotalitio, alia apud Francos, vir qui natione erat Francus, consuetudine patriæ suæ neglecta, in eo constituendo servavit formam, quam in Saxonia uxoris suæ patria inoleverat: an ideo si eum pœnituerit facti, ac sic quasi a non justa uxore deverterit, et aliam duxerit, incidit in crimen, quasi reus violatæ legis divinæ, violati connubii? Sic videtur, ut ita definitur in hac synodo, ac præterea expiandum esse id hoc crimen priori uxore reducta, et acta pœnitentia, vel eo maxime, ut glossa notat recte, quod diverterit inconsulta ecclesia, quam utique etiamsi divortii justam causam habuerit, semper consulere debet is, cui animus divertendi est. Augetur crimen eo, quod proponitur in Breviario Bernardi, et apud Burchardum lib. 9. dixit eum cum priore uxore fuisse, et ex ea liberos suscepisse. Sed etsi hæc non intervenerint, idem esse dicendum, omissio harum circumstantiarum in hoc n. 1. satis indicat. Ratio autem hujus definitionis, sive canonis est elegans, quia et sine dote matrimonium esse potest, *l. ult. C. de donat. ante nupt. l. ult. C. de repud.* et *Nov. Justin. an.* 18. et 22. ita et sine dotalitio. Quidni? quod nec esse potest, nisi sit dos cui respondeat. Substantia igitur matrimonii non consistit ex dote, vel dotalitio, et consequenter nihil refert quibus legibus constituatur, cum et non constitui possit. Verum quod diximus matrimonium, et sine dote consistere, id pugnat cum *can. nullum*, 30. *q.* 5. *nullum*, inquit, *sine dote fiat conjugium*: quod ibi tamen glossa consilium esse ait, ego libenter præceptum esse affirmavero Arelatensis Concilii, cui ille canon adscribitur: nam et illa verba sunt directa, nullum sine dote fiat conjugium. Et similiter invenio legitimum matrimonium non esse, nisi femina legibus dotetur in *can.* 1. eadem causa, et quæstione, nisi interveniat dotalis titulus, *can. consanguineorum*, 3. *q.* 5. et in Novel. Majoriani Imp. *de sanctimon. et vidua*; matrimonium non esse sine dote exorta, et abscisa, imo nec justos liberos, qui ex eo matrimonio nascuntur: nec justam igitur uxorem eam, quæ indotata est, quæ dote cassa, et ut Tertullianus loquitur, *quæ invesitis dotatur*. Nec negare certe possumus, quin varia hac de re Patrum, et Principum constituta fuerint. Ceterum iis, qui sine dote noluerunt rata matrimonia esse, eadem fuit ratio, quæ exigentibus εὐλογίαν, sive benedictionem, eadem quæ exigentibus consensum parentum, quorum in potestate sunt, qui coeunt, nempe ut obviam iretur fraudibus innumeris, ut nuptiæ propalam innotescant omnibus, et hoc genere furtivæ et clandestinæ coerceantur, ut ne cui præbeatur occasio suspicandi concubinatum id esse potius, quam matrimonium non intervenientе dote, juxta illud Plauti in Trinummo: *Me germanam meam sororem in concubinatum tibi sic sine dote dedisse, magis quam in matrimonium.* Verum obtinuit, et sine dote justum matrimonium esse, non etiam sine benedictione: nam si in quærendis liberis legitimis per adoptionem

necessaria est benedictio, et adoratio divini numinis ex Novella Leonis 24. par, et consequens est, ut et in matrimonio, quod liberorum naturalium quærendorum causa contrahitur, nempe ut vir fiat pater, mulier vero mater, a qua et matrimonio nomen, quod semper patre sit certior, eadem benedictio adhibeatur: non etiam sine consensu parentum, quod suo loco inferius explicabitur.

AD CAP. *Præterea*, II.

Ex hoc cap. 2. intelligimus, sponsalia discuti, dissolvi contrario consensu, id est, mutuo dissensu. Sponsalia scilicet collata in futurum tempus, non sponsalia præsentis temporis: quoniam hæc propius ad matrimonium accedunt. Et mutuo consensu puberum, non impuberum, qui quid agant nesciunt, quidve egerint ante, *cap.* 7. et 8. *tit. seq.* Utitur autem Pontifex in hoc cap. exemplo societatis, quæ mutuo dissensu dissolvitur, *l. Actione. §. Diximus pro soc.* et sponsalia futuræ societatis repromissiones sunt, aut societatis initia quædam. Rursus sponsalia hujusmodi solvi dissensu, etiamsi pura, et sine ulla conditione, ut ait, contracta fuerint: quo tamen casu omnimodo videretur adimplenda esse, quia firmiora sunt sponsalia pura, quam conditionalia, non quia, ut glossa Bernardi Compostellani ait, quæ pure debentur pure solvuntur, id est, pure exsolvi, et præstari debent. Sic est glossa accipienda, quandoquidem etiamsi verum sit, invito creditori, quod pure debetur sub conditione recte non solvi, nihil tamen vetat, quin mutuo consensu solutio, vel quo alio genere dissolutio obligationis fiat sub conditione, veluti pacto convento. Si quid mihi debes pure, quid vetat quo minus pacto convento te liberem sub conditione? Pacto, inquam convento: nam acceptilatio sub conditione fieri non potest, *l. 4. de acceptilat. §. Actus. de regul. jur.* Quod autem ait in hoc cap. sponsos fidem dedisse de contrahendo quandoque matrimonio, id est, fidem nudam, ex Breviario Bernardi Papiensis, in quo idem Innocentii rescriptum exstat, intelligimus, idem esse dicendum, si fidem jurejurando firmaverint, nempe, quæ est sententia hujus cap. sponsos monendos, et si fieri potest, persuadendos esse, ut verba sanciant reipsa, et fidem suam liberent, ac si parere detrectent, ut mutuo consensu se absolvere, et vinculo, quo tenentur, liberare possint: hanc scilicet mutuam inconstantiam ecclesiam boni consulere, et tolerare, ne quid forte inde, inquit, deterius contingat, videlicet si volentes nolentes cogantur fidem implere. Qua ratione etiam quod plus est, in *c. Requisivit. inf. h. c. tit.* cavetur, unius voluntate, unius renuntiatione dissolvi sponsalia posse in futurum concepta, et ad ea exsequenda monendum quemque, non cogendum esse (monitionem non semper sequitur censura, aut destrictio ecclesiastica: at censuram, sive destrictionem ecclesiasticam semper præcedit monitio). Dic igitur monendum quemque non cogendum esse, quia, inquit, coactiones solent difficiles exitus frequenter habere. Nec huic sententiæ quicquam obloquitur *cap. ex literis, inf. hoc tit.* quod glossographus in aliam sententiam traduxit: quia ibi non cogendum esse ait sponsum, vel sponsam ad sponsalium fidem implendam, sed nolentem stare sponsalibus cogendum esse, pactorum conventorum verba sequi, servare, et accipere, juxta loquendi usum, et consuetudinem, quæ in omni sermone domina est, non juxta captum sensumve suum. Quod nihil pugnat cum superiori sententia. Quod dixi de jurejurando, non plus tribuens jurijurando, quam fidei nudæ, etiam glossa hic approbat in verbo *interpositione*, quum ex *can. juramenti*, 22. *q.* 5. nihil interesse putat sponsio fiat sine jurejurando, an cum jurejurando. Quod etiam congruit cum jure civili, adeo ut sicut ex pacto, ita ex jurejurando non nascatur, vel tollatur obligatio *l. Stichum. §. Naturalis, de solution.* Nondum ære levantur, qui jure Pontificio ex utroque putant nasci actionem, ex pacto, et ex jurejurando. Quo argumento quæso? nempe quia in *c. 1. sup. de pact.* ait, pacta custodiantur, pacta pacis, ut ibi est, serventur. Idem prætor ait in edicto, pacta servabo: et tamen constat, prætorem ex pactis non dare actionem, exceptionem tamen dare: denique pacta servare datis exceptionibus, non datis actionibus. Cætera argumenta quibus utuntur solo silentio, et contemptu digna sunt. Iidem etiam illi ex *c. Debitores, sup. de jurejur.* statuunt differentiam inter simplicem, et juratam promissionem, quasi debitor, qui jurato promisit usuras dare, eas persolvere cogatur, non item qui simpliciter: male: neque enim est hæc sententia illius *cap. debitores*, neque vero illius sententia admodum recta: vult enim eum, qui se jurejurando obstrinxit, ut Deo satisfaciat, solvere usuras creditori, quas jurato promisit, sed mox eas creditorem illi reddere, quod lusorium, et perridiculum est. Inter Christianos, quos cum dico, bonos viros dico, non plus virium habere debet jusjurandum, quam nuda pactio. Laudat Isocrates Evaguram optimum virum, quod servaret ὁμοίως τὰς ἐν τοῖς λόγοις ὁμολογίας, ὥσπερ ἐν τοῖς ὅρκοις. Fateor tamen Leonem Philosophum pactum jurejurando firmatum fecisse legitimum, ut ex eo nasceretur actio, *Nov.* 72. alioquin, ut eamdem Nov. demonstrat, non magis legitimum id erat, quam quod jurejurando destituebatur. Sane decreta Pontificalia nullum faciunt discrimen inter fidem, et jusjurandum, *cap. pervenit, in fine, de fidejussor.* illo loco *fides, et juramenti:* patria hæc faciunt, fidem et jusjurandum, id est, fidem nudam: et similiter in *cap. 3. de jurejur, et in cap. 3. de iis, quæ vi met. causa fiunt.* Et hæc quidem ad explicationem hujus cap. satis abundeque sufficient. Sed non omittendum est vitium, quod illius inscriptioni hæret. *Innocentius tertius*, sic vulgo legitur, *Exoniensi Episcopo*: legendum, *Innocentius secundus*, ut legi in veteri Gregoriano Antonius Augustinus refert, et ut legi ego in Gallica translatione Decretalium, quam habeo *Innocent le second.* Et hoc quoque pervincit ordo Pontificum, qui semper servatur in his libris, sicut in Codice Justiniani Imperatorum. Cap. 3. est Eugenii tertii, et cap. 4. Alexandri tertii. Ergo necesse est ut hoc caput 2. sit Innocentii secundi, non Innocentii tertii, qui fuit post Eugenium, et Alexandrum illum. Ac præterea Innocentii tertii constitutiones in unum corpus redactæ exstent, in quo cum hæc desint, consequens est, eam non esse Innocentii tertii. Scripta autem est Exoniensi Episcopo. Exonia est Angliæ civitas in Comitatu Devonio, quæ alluitur flumine Exi, a quo nomen trahit, ut Polidorus Virgilius scribit lib. 5. neque vero existimes eandem illam esse cum Oxonia, in qua Angliæ Universitas est. Alia est Exonia, alia Oxonia, alius Exoniensis, alius Oxoniensis Episcopus.

AD CAP. *Juvenis*, III.

Hujus cap. inscriptio varie legitur, et verius quidem hoc modo, Eugenius tertius presbytero Osculano: Osculum in Tuscia. Unde proverbium, *Osculana pugna.* Et presbyter in hac inscriptione videtur accipi pro Episcopo, sicut D. Paulo, et Petro, et Lucæ idem est presbyter, et Episcopus. Nam et quidam codices habent, *Episcopo non presbytero*, et quod jubet in hoc cap. Eugenius, ut ab eo matrimonium, de quo hic agitur, dirimatur, id argumento est fuisse eum Episcopum, non presbyterum. Hæ enim partes sunt Episcopi, non presbyteri, qui Episcopus non est. Species autem, de qua hic agitur satis explicatu difficilis, hæc est. Juvenis quidam puellam immaturam, id est, minorem quam septem annorum, uxorem duxit domum, neque est uxor, neque est sponsa legitima, *l.* 14. *d. sponsalib. cap.* 4. et 5. et *pen. tit. seq.* et *Leonis Nov.* 119. sponsa legitima non est, nisi quæ excessit infantiam: at quæ nondum septennis est, nondum excessit infantiam, nondum et omnes dentes primuli deciderunt, quod est argumentum completæ infantiæ. Porro cum juvenis ille puellam nondum septennem, quasi uxorem duxisset domum et dubitaretur numquid eam deintegrasset, vel tentasset deintegrare, atque adeo, ea puella defuncta in ea ætate, consobrinam ejus uxorem ducere posset: consultius esse Eugenius censet, ne consobrinam ejus ducat uxorem, vel si jam duxerit, ut protinus eam dimittat, duplici ratione, quia inquit, defuncta ejus uxor fuisse dicebatur, et uxoris scilicet quondam meæ ducere consobrinam non possum, quæ hoc jure mihi conjuncta est tertio affinitatis gradu. Quæ ratio, quod debilis esset admodum, et infirma, quia etsi uxor ejus fuisse diceretur, vel æstimaretur cum tamen nec uxor, nec sponsa fuerit, non est cur propter illum rumorem a consobrinæ illius nuptiis abstinere, vel ab ea jam ducta in matrimonium disjungi debeat, *cap.* 6. *inf. de eo, qui cognov. consang. uxor. suæ*, ideo addit rationem aliam, quia prior non erat satis idonea, posterior est idonea, quia de re ipsa dubitabatur, tentasset ne juvenis an patrasset aliquid, et in dubiis, ut ait *tenere debemus, quod certius existimatur, quod certius et modestius est*, ut ait, *l.* 14. *§. Serviles in fin. de rit. nupt.* Et quod igitur in hac specie juvenilis ætas vero similius facit, ideo honestius et modestius esse Pontifex ait, ne defunctæ consobrinam in matrimonio habeat. nam et cum consobrina ejus, quam stupro cognovit, vetitæ sunt nuptiæ, licet congressus ille citra jus uxorem, vel sponsam non fecerit, *can. nec eam*, 35. *qu.* 2. *cap.* 7. *infr. de eo, qui cogn. consang. uxor.* Et hoc est, quod dicitur, etiam ex stupro affinitatem conjungi inspecta publica honestate, quæ utique semper in nuptiis spectanda est. Unde et in hoc capit. *propter honestatem*, inquit, *ecclesiæ*. Qua ratione sæpe Pontifices utuntur in nuptiis prohibendis, *cap.* 7. *tit. seq.* *cap.* 6. et *pen. de eo, qui cog. consang. uxor et* congruit cum jure civili, quo proditum est, in nuptiis non publicum jus, sed publicam honestatem spectari, non jus civile, sed jus naturale, et pudorem, ut ait *lex* 14. *§. Serviles. de ritu nupt.* pudorem, inquam, et verecundiam, quæ libidinis et voluptatis moderatrix est. Male autem huic cap. opponitur *cap. ult. hujus tit.* quo dicitur, eum, qui sponsæ, quam sibi designaverat in futurum tempus, zonam, ut loquuntur, sæpius tentavit, nec quicquam peregit, si postea verbis conceptis in præsens tempus aliam desponderit, huic adhærere debere, qui tamen si cum priore rem peregisset, priori potius adhæreret: et hoc esse discrimen inter tentare, sive conari, et perficere: conatu sine effectu, ut dicitur in illo *cap. ult.* non impediri, quo minus sponsalia futuri temporis per sponsalia præsentis temporis, quæ subsecuta sunt, solvantur: nec igitur illos conatus ullam rationem haberi: factum censeri, non voluntatem nudam et inanem: et conatum tamen in specie hujus c. 3 efficere, ne quis consobrinam ejus, cujus zonam frustra tentavit, uxorem ducere possit, conatus igitur haberi rationem. Verum negandum est, hoc recte inferri ex hoc c. quia dubitanter ait, forsan juvenis ille tentavit, quod complere non potuit. Ergo subintelligitur, forsan et rem peregit: quot enim adeo sunt idoneitæ, et infrenatæ libidinis, ut etiam nondum viri potentes adeant? in quos et pœnæ constitutæ sunt, si nondum viripotentes corrumpunt, *l. Si quis aliquid. §. Qui nondum de pæn. l. Si stuprum. de injur.* Dubia res erat in hac specie, non quæ certo citra effectum subsedisset, et quia dubia res erat, ideo cum consobrina defunctæ prohibentur nuptiæ, non quia conatus habeatur ratio. Male etiam huic c. opponitur *can. extraordinaria*, 35. *qu.* 2. qui extraordinariam conjunctionem, sive congressionem asserit non esse impedimento nuptiis. Id enim sic accipi oportet, non esse impedimento nuptiis cum exteris scilicet contrahendis: incestum incestamve conjunctionem esse quidem impedimento, quo minus, qui in hoc scelus incidit, se matrimonio cuiquam unquam jungere possit: extraordinariam autem conjunctionem, veluti præmaturam, ut Panormitanus interpretatur recte, esse quidem impedimento nuptiis contrahendis cum cognatis puellæ, quæ præmature devirginata est, ut in *hoc. c.* et *c.* 7. *inf. de eo, qui cogn. cons. uxor.* sed non etiam nuptiis cum exteris contrahendis, ut *d. can. extraordinaria.* Alii in-

terpretes in extraordinaria coitione definienda, nescio quid cogitant infandum et turpe, quod nec unquam auctoribus canonum venit in mentem. Recte Panormitanus, extraordinarium congressum esse intempestivum, importunum congressum, qui non servat tempus, quod naturæ quam fieri potest convenienter leges definierunt. Ad hæc, quod ex glossa Bernardi colligitur, cum infante puella recte contrahi sponsalia si malitia suppleat ætatem, ut loquitur *l. 3. C. si min. major. se dix.* τῆς κακίας ἀναπληρούσης τὸ ὑστέρημα τῆς ἡλικίας; id verum esse posset, modo illa proxima fuerit ætati legitimæ, id est septennio, exemplo matrimonii, quod recte contrahitur cum ea, quæ est proxima pubertati, *c. 9. tit. seq.* Et ita etiam idem Bernardus definit in *c. sponsam, hujus tit.* et Aquinas probat, quia, ut Aristot. ait, quod parum abest de eo ita sentimus, ac si nullo modo abesset, τὸ παρὰ μικρὸν, ὥσπερ οὐδὲν ἀπέχειν δοκεῖ. Parum abest ab ætate legitima. Ergo si intelligat quid agatur, si prudentia suppleat ætatem, nihil ea res officere debet, vel sponsalibus, vel nuptiis contrahendis.

AD CAP. *Ad audientiam.* IV.

Inscriptio hujus capit sic corrigenda est, *Alexander tertius 'nnnni Papiensi electo:* electo scilicet ad Episcopatum, nondum instituto, vel confirmato, cui tamen jam quasi confirmato Pontifex potest mandare ea, quæ proprie spectant ad officium Episcopi, quod et Alexander facit in *hoc. c.* cujus species hæc est. Hugo quidam cum in animo haberet filiam suam Cajo filio Lucii Titii uxorem dare, juravit si quo casu eveniret, ne id posset efficere, veluti obstante necessitudinis jure, quod inter Cajum Lucii Titii filium et filiam suam intercederet, se eam daturum alteri filio ejusdem Lucii Titii ex alia uxore suscepto, quo cum filia sua cognationem vel necessitudinem nullam habuit. Et contraxere illi quidam sponsalia inter se verbis præsentibus auctoritate patrum. Sed detecta postea, et juratis testibus probata cognatione, qua inter se conjuncti erant, matrimonium sponsalia subsequi non potuit. Denique sponsalia irrita facta sunt, vel potius pronuntiatum est, irrita et nulla sponsalia esse ratione cognationis, qua ratione et nullum est matrimonium inde sequi potest. Quæritur, an, ut juravit, ita recte possit Hugo, quando non potest Cajo, ut præoptabat, an, inquam, possit alteri filio Lucii Titii filiam suam nuptum collocare? Quod Pontifex negat, quia, ut ait, Lex Dei vetat sponsam fratris ducere uxorem. Imo non sponsam, sed uxorem fratris defuncti, *Levitici* 20. id est, eam quæ fuit uxor fratris defuncti. Cujus legis assertio Joanni Baptistæ causa necis fuit, et nostra memoria Thomæ Moro eadem asserenti apud Henricum VIII, Regem Anglorum. Ab ea vero lege hic tantum casus excipiebatur, si frater sine liberis vita decessisset, Deuteron. 25. quam tamen exceptionem nec *l. pen. C. de incest. nupt.* admittit, quæ et morem illum ducendi uxorem fratris, qui decessit sine liberis, morem Ægyptiorum vocat, Ægyptios accipiens pro Judæis. An igitur dum Alexander ait, legem Dei vetare, ne quis sponsam fratris ducat uxorem, cum lex Dei de uxore tantum loquatur, non de sponsa accepit sponsam pro uxore more Hebræorum? Sic videtur, ac præterea hanc sponsam fratris, quamvis nec jure fuerit sponsa, propter cognationis necessitudinem, qua invicem conjuncti erant Cajus filius Lucii Titii et filia Hugonis, Alexander videtur habuisse pro uxore, quia, ut posui desponsa fuerat verbis præsentibus. Et hoc colore similiter videtur Alexander legem Dei, quæ erat de uxore tantum, traxisse etiam ad sponsam talem. Unde et in Breviario Bernardi Papiensis, ubi hæc constitutio extat integra, quæ hic decurtata est, quod dicimus de sponsa fratris, non tam legi divinæ tribuitur, quam canonicæ rationi, *cum*, inquit, *suum implere propositum, quod canonicæ rationi obviat, non permittam.* Propositum autem ejus, nempe Hugonis, erat filiam suam fratri Germano sponsi vita defuncti nuptum collocare quod ait obviare canonicæ rationi. Non ergo directe legi divinæ, quæ de uxore est non de sponsa. Et belle poterat se hac ratione tueri Henricus ille VIII. quia directo non faciebat contra legem Dei, sed contra canonicam rationem. Nec enim uxorem, sed sponsam fratris ducebat uxorem. Ergo ex sententia hujus constitutionis, neque sponsalia vel matrimonium consistere potest cum Cajo filio Lucii Titii, propter causam cognationis, qua filiæ Hugonis conjunctus est, sed neque potest idem Hugo ex jurejurando filiam suam despondere alteri filio, quia fuit sponsa fratris ejus germani. Verum addit Alexander, jurisjurandi ab Hugone temere dati nec satisfacti, quia nec jure ei satis fieri potuit, Hugoni venia opus esse, et pœnitentia, et ad eam compelli debere per censuram et districtionem ecclesiasticam, monitione scilicet præmissa. Monitio, ut et *sup. ad cap.* 3. dicebamus, censuram semper præcedere debet, sed non contra censura semper monitionem sequi, *cap. requisivit, h. t.* Illud præcipue ex hac constitutione notandum, quod et probatur aperte in *cap. 1. eodem tit. lib.* 6. Sunt Decretalium octo libri: quinque continent variorum Pontificum decreta: sextus decreta Bonifacii solius, qui liber nunquam fuit receptus in Gallia, propter inimicitias capitales, quæ intercesserunt inter Reges Gallorum et Bonifacium illum: septimus autem continet Clementis decreta: octavus decreta Joannis. Et non tantum libri quinque dicuntur esse extra, et ita adduci solent, ut *cap. 1. extra, de sponsal. c. 1. extra de elect.* sed etiam reliqui libri tres, sextus, qui continet Bonifacianas constitutiones, septimus, qui Clementinas, octavus qui Joanninas, dicuntur etiam extra, id est, extra, corpus Canonum, quod primore loco compositum fuit, id est, dicuntur esse extravagantes constitutiones. Verum ad rem. In illo cap. 1. *de sponsal. lib.* 6. ostenditur quod et in *hoc. cap.* 4. etiam ex sponsalibus, quæ jure non valent affinitatem conjungi, videlicet si consensum habeant utriusque partis; puta si inter puberes et sanos habita fuerint, non si inter impuberes vel insanos, qui nec sentire, nec consentire intelliguntur, *cap. 7. et 8. tit. seq.* item si pura, non conditionalia fuerint. ut *d. c. 1.* ubi et hoc dicitur justitiam publicæ honestatis, sive τὸ εὐπρεπὲς hoc exigere, quæ semper in hisce conventionibus observatur, hoc, inquam, exigere, ut non ducat frater sponsam fratris sui, licet justa sponsa non fuerit, modo pura, et mutuo consensu perfecta sponsalia fuerint.

AD. CAP. *De illis.* V.

Duo inter se sponsalia contraxerunt, maritus fide data uxorem sibi illam, fœmina maritum sibi illum fore, et uterque cum jurejurando. At culpa mulieris, vel qua alia ex causa vir mutavit animum simul ac solum, et alio se contulit consulta opera, ne mulieri conjungeretur: an possit mulier alii nubere, confestim scilicet, non expectato biennio, aut triennio, qua de re hic Doctores importune tractant. Quæstio enim est, an illa statim possit alii nubere? Et respondet Alexander, posse, maxime re integra, si vir se illi non commiscuerit; injungendam tamen mulieri esse perjurii pœnitentiam, si per eam mora, vel causa fuerit, quo minus matrimonium sequeretur: quæ et pari ratione viro injungitur, si ipse auctor fuit dissidii, *cap. sicut, inf. h. t.* Et conjungendum est cum hoc cap. *c. 3. inf. de condit. appos.* quo idem Alexander ad eundem rescribens addit, posse tamen virum, qui in hæc verba juraverat sub conditione: *ego te in uxorem accipiam, si mihi centum dederis*, eam repudiare sine periculo perjurii, si per eam steterit, quo minus centum daret, cum hac exceptione tamen, nisi postea res confirmata fuerit concubitu, vel præsentaneo consensu, quia his duobus casibus, etiam conditione non impleta, vir cogitur fidem implere, quam dedit, et solemnia matrimonii jam inchoati exsequi, ac fere perfecti, secuto concubitu, vel præsentaneo consensu. Et in hanc rem etiam Urbanus, qui post Alexandrum solium Romanorum tenuit, ipsius Alexandri auctoritate utitur in *cap. 5. inf. de condit. appos.* Illud non est omittendum, speciem quidem in hoc c. poni de fide jurata, sed idem esse dicendum de injurata. Sive enim fides nuda intervenerit, sive jusjurandum, frangenti fidem injungenda pœnitentia est, nec quicquam huic causæ, sive negotio jusjurandum adjicit, ut exposui supra in *c.* 2. Et ita nominatim Urbanus Pontifex post concilium Lateranense partis sextæ cap. 22. *mulier*, inquit, *ab impetitione prioris viri debet absolvi injuncta pœnitentia de læsione fidei, vel violatione jurisjurandi, si dedit fidem, vel præstitit juramentum.* Non facit differentiam inter fidem et juramentum.

AD CAP. *De muliere.* VI.

Consularat Alexandrum Pontificem Eberhardus Paduanus Episcopus, sic est restituenda inscriptio, de muliere, quæ invita ad virum perducta erat, quæque invita a viro quasi uxor retinebatur. Ad quam consultationem Pontifex negat se liquido respondere posse, quod obscurius, vel inexplicatius proposita esset. Neque enim Eberhardus exposuit, quo modo, quove genere vis mulieri fuisset illata. Et, ut ait, inter vim et vim differentia est: non quælibet vis est ejusdem generis, aut ponderis, aut momenti. Non exposuit etiam, consensus mulieris postea fuisset subsecutus nec ne, quæ necessario distinguenda erant. Nam et vis levissima est plerunque gratissima puellis, juxta illud Ovidii:

Vim licet appelles, grata est vis ista puellis.
Quod juvat, invitæ sæpe dedisse volunt.
Vim passa est Phœbe, vis est illata sorori,
Et gratus raptis raptor uterque fuit.

Hæc vero vis non est cujus ulla habeatur ratio. Vis potuit constanti viro terrorem incutere vis est magna, et nuptiarum, quæ ita per vim extortæ sunt, exceptio justissima, ut *cap. 15. et 28. inf. h. t.* Item etiamsi majore vi illata in domum viri mulier pertracta fuerit, tamen ratihabitio ejus, sive consensus vitium illud, si quod intervenit, emendasse intelligitur, *cap. 21. inf. hoc. t. cap. insuper, inf. qui matr. accus. poss.* Conjungendum autem cum hoc cap. est *cap. 3. inf. de matrim. contra interd. eccles.* ut conjunctim legitur in Breviario Bernardi. Nec quicquam est præterea, quod ad sententiam hujus cap. pertineat. Ceterum ex eo liquet, etiamsi aliquando consulentibus Pontifices respondeant distinguendo, quod et Jureconsulti faciunt sæpe, et glossa hic notat ex duobus *cc. hujus tit.* et ex *cap. 1. sup. de ordinat. ab Episc. qui renun. Episcop.* juste tamen eos posse rejicere consultationem propositam ἀσαφῶς, et indefinite.

AD CAP. *Ex literis.* VII.

De hujus c. sententia jam memini me dixisse aliquid in *c. 2. sup.* Sponsalia verbotenus contraxerunt, qui sciebant, quod agerent ætate legitima, nec dubium erat, quin esset eis animus perveniendi ad matrimonium. at quia forte non ejusdem linguæ societate conjuncti erant, vel qua alia ex occasione, seu causa, alter asserit se pactorum, et conventorum verba quædam non bene percepisse, aut longe aliter accepisse, quam pars adversa facit, nec tamen propterea a sponsalium fide se abducit, sed, ut dixi, de pactorum tantum sensu controversiam facit. Et Pontifex in interpretatione verborum est, non sensum vel

opinionem alterius ex contrahentibus, sed communem usum loquendi, qui in omni sermone dominatur, spectandum et sequendum esse. Rectius hoc cap. positum fuisset sub titulo de verborum significatione, sicut post concilium Lateranense ponitur etiam hoc ipsum cap. sub titulo de interpretatione verborum. Eleganter vero in hanc rem *l. Labeo. de supell. leg.* quam et hic glossæ non omittunt, non ex singulorum opinionibus, sed ex communi usu nomina exaudiri oportere, et *l. Amiculum. de verb. sign.* in interpretatione verborum consuetudinem loquendi esse sequendam, quæ cum omnium rerum, tum maxime verborum domina est. Quintilianus lib. 10. *verba intercidere invalescereque temporibus, ut quorum*, inquit, *certissima regula sit in consuetudine.* Hoc vero annotare ad hanc constitutionem satis est.

AD CAP. *Sponsam* VIII.

Scriptum est hoc cap. ad Episcopum Vigiliensem, qui Episcopatus est in Apulia, et hæc sententia ejus: ex sponsalibus conjungi affinitatis speciem, et causam, ex sponsalibus acquiri, et propagari affinitatem inter uxorem et cognatos sponsi, et retro inter maritum et cognatos sponsæ. Quod quidem est certissimum, si sponsaliorum verba præsentis fuerint, quia hujusmodi sponsalia matrimonium imitantur, et plane matrimonium sunt, si intercesserit εὐλογία, sive benedictio. An idem dicemus, si verba sponsalium fuerint futuri temporis? Sic sane inspecto jure civili, quo proditum est, ex sponsalibus affinitatem acquiri, *l. Servius. de grad. et affin.* Ergo ex sponsalibus conceptis in futurum, quæ jus civile non novit sponsalia concepta in præsens tempus. Idemque jure Pontificio obtinere omnes existimant ex hoc cap. 8. quo cavetur sponsam alterius neminem ex cognatis ejus uxorem ducere posse, neminem ex cognatis ejus, qui scilicet sit intra quartum affinitatis gradum. Nam hoc jure ultra quartum gradum prohibitio cessat, *cap. non debet, inf. de consangu. et affin. Sponsam*, inquit, *alterius, maxime si sit nubili ætati proxima*, id est, si cum ea sponsus matrimonium contrahere potuerit. Nam infantem, aut paulo majorem infante, necdum tamen proximam pubertati, quæ nubilis ætas est, cognati uxorem ducere non prohibentur, modo non sit a sponso deintegrata, ac præterea si deintegratæ ejus nulla suspicio subsit, ut *cap. 3. sup.* Ea tantum sponsalia gignunt affinitatis speciem, quæ cum ea contracta sunt, quæ uxor esse potuit, non quæ cum ea, quæ per ætatem nondum uxor esse, et virum pati potuit, nisi forte sponsus stultus, et intemperans cum ea immature rem habuerit. Nam vel ex sola coitione inducendæ, et propagandæ quasi affinitatis causa fit, ut docui *d. cap. 3.* Illud *maxime*, quod est in hoc *cap. maxime si sit nubili ætati proxima*, abundat plane, et abest quoque ab authentico sive originali, et obrepsit ex glossa Alani antiqui interpretis Decretalium. Nec omittendum, quod est in *cap. 6. in fin. et seq.* non licere cognato sponsi eam ducere, quæ illi desponsa est infra nubilem ætatem, non adversari sententiæ hujus cap. quia id accipiendum est de ea, quæ desponsa est infra nubilem ætatem, sed non longe, immo proxime nubilem ætatem, id est, quæ erat pubertati proxima, quod et expressim additur in authentico, et in illo *cap. 6.* repetendum est ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, id est, ex proxime superiore clausula.

AD CAP. *Ex parte*. IX.

Inscriptio hujus cap. sic est emendanda, ut legatur, Abbatibus Sancti Edmundi, et de Rameseja, quæ cœnobia in Angliæ. Et Sancti Edmundi, Regis scilicet, et martyris. Rameseja autem dicitur apud Matthæum Paridem Angliæ historiographum, et in *cap. ultim. de institut. in secunda collectione Decretalium*, Remisio Polydoro Virgilio, qui pleraque verba suo arbitrio temere commutavit. Sententia autem hujus cap. hæc est: si vir juravit se ab eo tempore mulierem aliquam habiturum pro uxore, et tanquam uxori suæ fidem servaturum, et vicissim illa se ab eo tempore illum habituram pro marito, et quasi marito, suo fidelissimam futuram, eamque vir deduxerit in domum suam, quod domicilium est matrimonii, ut eleganter ait *l. 5. de rit. nupt.* et hæc species etiam extat in § *Quoniam, Nov. Justin.* 74 hoc vero genere inter se matrimonium coiisse videntur, quia hæc verba sunt præsentis temporis, *ab hoc tempore*, id est, ex præsenti tempore, quæ firmitatem, et constantiam pollicentur in omne tempus, et statim deductio secuta est in domum mariti, quod, ut dixi, domicilium est matrimonii. Et hoc dicendum est multo magis, si secutus fuerit concubitus, si nati fuerint liberi, ut etiam proponitur in integriori constitutione, quæ extat in Breviario Bernardi Papiensis. Itemque, quod et ibidem proponitur, si fidem hanc sibi mutuam dederint invicem jurati, vel injurati, nihil refert, præsente sacerdote et aliis plerisque tam clericis quam laicis convocatis, id est, rogatis adscitisque, ut in *l. Hæres. de milit. testam.* In hoc scilicet, ut negotio huic peragendo interessent aut præessent. Rogatis, inquam, ex abundanti cum et irrogati fidem faciant, *l. 11. ad fidem, de testib.* etiam in causa matrimonii, ut et ibi Alanus notat, et ex eo hic refert Joannes Andreæ. Quod equidem tamen non admodum probo, qui didici ex Nov. Justiniani 90. ἐπὶ τῶν συμφώνων, in conventionibus adhibendos esse testes rogatos, nec irrogatos fidem facere, nisi ἐπὶ τῶν συμβεβηκότων καὶ παρεργατικῶν, ut si in transitu audiverint aliquem alteri facientem injuriam, hæc res recte probatur per testes fortuitos: et cum conventiones fiunt, cum solutiones pecuniarum, cum commiscentur contractus, cum testamenta fiunt, sane testes rogari oportet. Verum ad rem. Quia Raymundus, qui est compilator harum Decretalium, et Pœnitentiarius Gregorii Noni, in hoc capit. superiores illas omnes circumstantias omisit de concubitu subsecuto, natisque liberis, de præsentia sacerdotis, et plurium in hanc rem corrogatorum, quas habet integre constitutio Alexandri, id satis idoneum argumentum præbet, etiamsi illæ circumstantiæ non intervenerint, idem esse dicendum. Unde in hac ipsa specie, si vir ille hac uxore dimissa aliam duxerit, sive superduxerit, recte definit Pontifex, ut sejungatur et separetur a posteriore, et redeat ad priorem, quæ justa uxor est, fretus auctoritate verbi divini, quo vetatur maritus uxorem suam dimittere, præterquam si adulterii rea peracta fuerit, quod in hac specie non proponitur. Et addit, quod notandum maxime, etiam dimissam ex causa adulterii, virum aut reducere debere, aut quasi cœlibem in posterum vitam agere: et consequenter ipsam quoque quasi viduam manere oportere, id est, nulli viro conjungi. Nec enim vir ille proprie cœlebs est dimissa uxore propter adulterium, aut vidua hæc mulier adultera, quam domo maritus exegit foras, quia dum vivit mulier, et ille maritus manet, et dum vivit maritus, hæc ideo non desinit ejus esse uxor: alioquin posset, impune alii nubere. Et in hac sententia fuit D. Augustinus, quem et plerique alii magni viri certatim sequuntur. Contra D. Ambrosius hac in re distinguit mulierem a viro, mulierem, si a viro recesserit luxurioso ob causam adulterii, alii nubere non posse: virum, si ob eandem causam uxorem dimiserit, aliam uxorem ducere posse: quia, inquit non ita lege constringitur sicut mulier, quia est caput mulieris. Sic aperte scribit D. Ambrosius 1. Corinth. cap. 7. cujus verba tamen audet Gratianus modo falsitatis arguere Ambrosio impositæ, modo cavillari in *can. proposuit*, 32. *quæst.* 7. Et invenio in eadem causa, et quæstione *can. si vera*, recepta D. Augustini sententia, quæ etiam invaluit, aliam differentiam superesse inter virum et uxorem: nempe quod si dimissa uxore ex causa adulterii, possit vir muliere defuncta aliam ducere in matrimonium, non etiam mulier viro defuncto alii nubere: eadem ratione, quæ lex adstringit, et coarctat magis fœminam, quam marem, ut in aliis plerisque causis deterior est conditio fœminarum, quam masculorum, l. *In multis. de stat. hom.* Quin et hanc quidam statuunt differentiam inter marem et fœminam non tam veraciter, quam probabiliter, quod Dominus in Evangelio loquatur de viro, non de muliere, cum ex causa adulterii dissidium permittit, quasi scilicet ex eadem causa idem mulieri non liceat. Quod tamen Ecclesia non probat, *can. Apostolus* 32. *quæst.* 7. *can. præcepit*, 32. *q.* 6. Et similiter, quæ est alia differentia, adulterii accusationem viris permitti adversus uxores, non fœminis adversus viros, *l. 1. C. ad leg. Jul. de adult.* quæ est in hanc rem apertissima. Quam differentiam ecclesia vix admittit, *can.* 32. *quæst.* 5. servanda enim fides ab utroque alteri est. Vetus est etiam illa differentia, ut possit vir etiam extra causam adulterii uxorem dimittere misso libello repudii. Id obtinuit olim inter eos, quibus Evangelium erat incognitum: nec tamen apud eos poterat uxor virum temere dimittere quacunque ex causa. Et hanc differentiam D. Augustinus in quæstionibus utriusque Testamenti refert obtinuisse ante Juliani edictum, quod idem datum est fœminæ, quod mari. Et locus ille de edicto Juliani est singularis.

AD CAP. *Ex literis*. X.

Ex hoc capit. intelligimus, sponsalia collata in futurum tempus, et, exempli gratia, facta inter filium Caji et filiam Mævii, auctoritate parentis utriusque, et jurisjurandi religione interposita tam a patribus, quam a filiis imminente, et urgente Episcopo adimplenda esse. Posse quidem ea dissolvi uno ex sponsis, vel sponsalia præsentis temporis, vel matrimonium cum alio, aliave contrahente, ut *cap. ultim. inf. hoc. tit.* sed quominus id fiat, Episcopum videre, et intervenire debere. Ponit sponsalia facta, sic loquitur, inter duos impubescentes, id est, inolescentes, et prope puberes, molli jam incipientes pubere veste, ut Lucretius loquitur. Ii sunt, quorum vox gallulascit, ut Novius loquitur, quorum jam ramus roborascit. Sponsalia igitur omnimodo valere quasi facta inter eos, qui proxime jam accedebant ad pubertatem. Ponit etiam cum id Episcopus Santonensis (cujus in diœcesi erant ii, de quorum conjunctione agebatur *l'Evesque de Saintes*, quæ civitas appellatur Mediolanum Santonum) sat a ageret, ne filius Caji aliam caperet uxorem, intentata censura ecclesiastica: ob eam rem filium Caji ab eo Episcopo appellavisse ad sedem Romanam. Et hujus quidem rei, sive causæ Pontifex Romanus cognitionem non suscipit, sed omnium causam remittit, non ad Episcopum Santonensem: usum ad eum, a quo appellatum est nunquam is qui appellatus est causam remittit, *cap. accepta*, *cap. de appellat. l. 6. C. eod.* et post Concilium Lateranense partis sextæ cap. 20. sed causam remittit ad Episcopum Pictaviensem, cui dat in mandatis, ut omnino filium Caji, qui reluctatur, et se abducit a fide, et religione, compellat ad fidem præstandam irrogata excommunicatione: quod recte dixeris esse fulmen Episcoporum, et Ecclesiæ, eodem exemplo, quo Quintilianus exhæredationem vocat fulmen patrum. Si filius ille Caji alii convenisset in manum, aliamve desponsasset verbis præsentibus, quæ desponsatio matrimonium imitatur, non adigeretur ad fidem priori præstandam, quia res non esset integra, sed injungeretur tantum ei pœnitentia jurisjurandi, aut fidei violatæ, ut *cap. 4. et 5. hoc. t. cap. 1. inf. de sponsa duor.* non etiam ei irrogaretur excommunicatio, quia qui injustus est, exulat ab ecclesia. Item si qua justa subesset causa renuntiandi sponsalibus, vel renuntiationis etiam admittendæ, quæ sine causa facta essent, tum ille, qui reluctatur monendus esset non cogendus, ut ait in *cap. 7. hoc t.* quod et in hoc cap. significatur his verbis, *nisi rationabilis causa obstiterit.* Et, exempli gratia, rationabilis causa est, si illo coacto ad peragendas nuptias

prospiciator periculum aliquod grande discordiæ, et odii acerbioris. Quam causam etiam attigit Pontifex in d. cap. 17. dum ait, sæpenumero difficiles et incertos esse exitus invitarum nuptiarum.

AD CAP. *Non est.* XI.

Causam huic constitutioni dedit Henricus Secundus Rex Anglorum, a quo cum descivisset filius major natu Henricus Tertius Rex et ipse Anglorum vivo, et volente patre appellatus, et arma adversus patrem sumpsisset, ac transfugisset ad Ludovicum Septimum, qui junior appellatus est, Francorum Regem socerum suum, ut ab eo suppetias ferret: cujus impietatis nomine satis vehementer arguitur a duobus Archiepiscopis, Archiepiscopo Rhothomagensi, et Archiepiscopo Cantuariensi apud Petrum Blesensem *epistola*, 33 et 47. cum vero etiam fratres duo eum secuti fuissent Richardus Dux Aquitaniæ, et Gofredus Comes Britanniæ, quibus falso Hostiensis ad ungit etiam Joannem tertium fratrem, quem Gulielmus Neubrigensis, Matthæus Paris, Polydorus Virgilius, et alii, qui hanc historiam conscripserunt, omittunt: tum Henricus Secundus pater uxores filiorum, qui rebellionem fecerant, nurus suas retinebat invitas, et agentibus filiis de eis habendis, et deducendis (quam in rem nemo ignorat jure civili in patrem proditam esse actionem, *l. 2. de liber. exhib. l. ult. Cod. eod. l. 11. Cod. de nupt.*) Henricus Secundus dicto audiens non erat, nec filiis suis ante confectum bellum unquam voluit uxores reddere. Quamobrem rogatu Ludovici regis Francorum, et generi sui Henrici Tertii, cui Margarita filia Ludovici nupserat, Henrico II. Alexander diem certam præfinivit, intra quam filiis uxores suas exhiberet et redderet, comminatus ni id faceret, ni fieret sibi obsequens, sacrorum omnium, divinorumque officiorum interdictionem in ea provincia, in qua nurus suæ retinerentur, vel in quam transferrentur: sacrorum, inquam, et divinorum omnium officiorum interdictionem, excepto, ut ait, baptismate parvulorum, et pœnitentiam morientium. Hæc exceptio cuilibet sacrorum interdictioni apponi solet, ut *cap. responso, inf. de sent. excomm.* et post Concilium Lateranense partis sextæ cap. 26. *in fin.* quod pars est cap. proximi supra Matthæus Paris in Joanne Rege Angliæ. *Cessarunt,* inquit, *in Anglia omnia ecclesiastica Sacramenta, præter confessionem, et viaticum in ultima necessitate, et baptisma parvulorum.* Ait confessionem, et viaticum. Pius dicit, quam Alexander hoc loco, qui pœnitentiam tantum dicit, quam ut detur, accipiaturque declarat *can. pœnitentes 50. distinct.* et repulsis quidem, ejectisque a communione fidelium, vel interdictis primum licebat cum mortem obibant pœnitentiam delictorum accipere, postea datum est, ut simul cum pœnitentia possent viaticum accipere, *cap. quod in te, inf. de pœnitent. et remiss.* Viaticum, id est, εὐχαριστία, sic in moribundis appellatur, quod abeuntibus ex hac vita, et Deum cogitantibus, ac veluti iter instituentibus ea detur, veluti, pro subsidio viæ, *can. qui recedunt 26. qu. 6.* in aliis εὐχαριστία tantum dicitur, non viaticum. Ea exhibetur in pane non fermentato. Alia erat panis fermentati, hic benedicebatur, ille consecrabatur. Et de ratione hujusce fermenti consule Innoc. 1. *Epist. c. 5.* et Nicolaum de Cusa *Epistola 7. de amplectenda unitate Ecclesiæ.* Quod autem Alexander hoc loco etiam excipit baptisma parvulorum, id est, secundum eorum opinionem, qui censent in parvulis non aboleri peccatum originale per fidem, et votum parentum, *can. firmissime, de consecratione dist.* 4. a quibus tamen secrum sensit Cajetanus, et alii quidam. At illorum opinioni consequens est, ut baptisma parvulorum neque omittatur, neque differatur ulla ex causa, ullove tempore. Nec enim ex voto proprio possunt parvuli tincti, aut baptizati videri, qui nullum votum, nullam intelligentiam habent. Adolescentum, qui fidei, et sensus capaces sunt alia conditio est: iis fides, et votum sufficit ad baptisma urgente necessitate, si desit aqua, si sacerdos fusor aquæ, et orationis, carminisque legitimi minister: scripta autem hæc constitutio est Archiepiscopis, sic restituenda inscriptio, Episcopis, Abbatibus, et aliis ecclesiæ Prælatis, et universo clero per Angliam, et Cismarinam terram illustris Regis Anglorum constitutis. Et Cismarinam terram vocat Aquitaniam, Normanniam, Britanniam, quæ tum in ditione Anglorum regis erant.

AD CAP. *Praeterea* XII.

Scriptum est hoc cap. Episcopo Sanctæ Agathæ, videlicet in Regno Neapolitano, et quod ad ejus sententiam attinet, jam diximus supra cap. 3. affinitatem conjungi etiam ex scortatione, et vulgivaga venere. Unde si cum ea muliere se fuisse cognatus tuus etiam tibi denuntiaverit, cum qua feceras sponsalia nuptiis dilatis in aliud tempus, debes ab ejus nuptiis abstinere, nisi sponsalia, ut ait, jurejurando confirmata fuerint. Quæ exceptio jurijurando plus tribuere videtur, quam fidei nudæ, quod equidem semper negavi esse admittendum. Verum hoc emplastro Pontifex utitur, non quod in illis causis major sit vis jurisjurandi, quam fidei nudæ, quæ semper quasi Deo præsente dari videtur inter sponsos, res sacra scilicet inter eos peragi, Deo cum teste, tum arbitrio: sed quod matrimonio complendo studeret magis, vel ex eo maxime, quod nec illius cognati inverecunda professio audienda fuit, vel palam, vel secreto, juxta l. *Mercalem. Cod. de condict. ob turp. caus.* non est audiendus, qui allegat probrum suum, turpitudinemve suam. Accedit, quod nec eam professionem cognatus ille proposuit in publico propter metum, inquit, et potentiam, et opes violentas mulieris, quæ in eum verti potuissent, si mulierem publice traduxisset. Adde, quod nec testibus ea res comprobata est. Itaque nec admodum justa illa causa est, nempe delatio sola cognati, sive professio turpitudinis suæ: non admodum, inquam, illa causa justa est inhibendi matrimonii, ut *cap. 3. inf. de eo, qui cogn. consang. ux.* Inhibetur tamen hoc loco matrimonium, extra quam si jusjurandum intervenerit. Quare inhibetur? Non sine ratione magna. Ratio autem hæc est, quia, quod etiam non frustra Alexander proponit, quo minus rem cognatus notam faceret in vulgus, et testibus approbaret, metus obstitit, et potentia mulieris, a qua vim timebat et injuriam, alioqui id palam divulgaturus erat. Et pro eo igitur esse debet, ac si divulgasset, qui voluit quidem, sed non potuit sine periculo. Et interveniente quidem jurejurando, sane nuptiæ non inhibebuntur, ut illa verba ferunt, *nisi jusjurandum intervenisset*, quæ tamen Hostiensis sic accipit rectissime, meo quidem judicio, maxime si jusjurandum non intervenerit. Suppletur sæpe in legibus et constitutionibus hic articulus *maxime*: maxime, inquit, si jusjurandum non intervenerit, ut *nisi*, sit εἰ μή, id est, si non, et hic sensus: idem esse dicendum si jusjurandum intervenerit, nempe vel interveniente vel non interveniente jurejurando tutius et honestius esse non impleri sponsalia, et cognato credere, qui bona fide rem detulit, non composito dolo, ut sponsum a proposito deflecteret. Quod et ratio, qua utitur Alexander hoc loco indicat, et evincit, *ne*, inquit, *... conjugat*: verba illa mutuatus est ex Evangelio, puta ne incestum committat, nempe cum illa, quæ jam pridem fuit cum cognato suo, et per hanc causam ne se tam hisce, quam aliis nuptiis omnino faciat indignum, ut in incestis servari solet, *can. nec eam, 35. quæst. 2. cap. ex litteris, inf. de eo, qui cogn. consang. ux.* Ac præterea, ne ad eam se applicet, quæ ei grata esse desiit post delationem cognati, ut *cap. 2. sup.* Fuit quidem ei grata ab initio quia ut ponit initio *hujus cap.* eam appetebat vel impetebat, ut ait, quod est petebat in matrimonium appellans ejus fidem. Impetere est inquietare, interpellare, *capit. 1. unic. sup. de sent. et re judic.* at postea dissuasus a cognato deposuit animum ducendæ ejus. Hæc vero ratio non minus valet omisso in sponsalibus, quam adjecto jurejurando. Itaque jusjurandum nihil adjiceret, ut recte Hostiensis censet.

AD CAP. *Veniens* XIII.

Scripta est constitutio hujus cap. ad procuratorem et Canonicos Soranos. Sora est Italiæ civitas Episcopalis in regione Volscorum, et principatus olim, Soræ et Serogalliæ princeps apud Raphaelem Volaterranum. Notandum autem ex hac inscriptione, eum, qui præest Capitulo Sorano, id est, principem ejus Capituli, sive collegii, appellari Procuratorem, qui alibi dicitur Decanus, vel Primicerius vel Præcentor, vel Prior. Proponitur autem hoc loco puellam quandam inscius parentibus suis privato coram tribus testibus fidem dedisse Cajo Sejo, quem diligebat, de contrahendo matrimonio. Parentibus inquit, inscils vel ignorantibus, qua appellatione hoc loco significantur non genitores, sed cognati, ut et in aliis auctoribus, militari et vulgari usu, vel Divo Hieronymo teste adversus Rufinum: nec enim potuisset, aut debuisset, puella hanc fidem dare absque consensu et auctoritate patris. Et eam quoque fuisse sui juris argumento est, quod suæ causæ agendæ gratia ipsamet Romam profecta sit, quod utique non fecisset, vel potuisset si sui juris non fuisset. Cum autem, ut dixi initio, ultro fidem contrahendi matrimonii Cajo Sejo spopondisset, parentes, sive propinqui hujusce rei ignari postea invitam eam, et reclamantem Janos, et Fannos Lucio Titio nuptum collocaverunt, quem illa abhorruit semper nec unquam ei se præbuit morigeram, dictitans palam, se jamdiu Cajo Sejo non tantum fidem dedisse, sed etiam benigne fecisse. Cum vero hac de re omni disceptaretur apud Episcopum Soranum, Episcopus deprehendit non posse eam Cajo Sejo conjungi propter vinculum propinquitatis, quo invicem constricti erant: ideoque censuit sponsalia inter eos habita nullius esse momenti. Et quod ad Lucium Titium attinet, nondum finita quæstione Lucius Titius, quia nec illa potiri poterat, aliam duxit uxorem, et illa pariter Ptolomæo cuidam nupsit solemniter et publice in conspectu ecclesiæ, in facie ecclesiæ ut loqui solent, et ex eo filium procreavit, ac paulo post mortuus est Lucius Titius. Hoc capitulo definitur Ptolomæum ei justum maritum esse, non Cajum Sejum, qui ei erat propinquitate conjunctus, non Lucium Titium, cui nupserat invita, nec consenserat unquam. Igitur nihil officere, quod eo tempore, quo Ptolomæo nupsit, jam fuisset a parentibus Lucio Titio nuptum collocata, quia ut dixi, invita illa et reluctante factum id est, et postea quoque Lucius Titius fungi hominem desiit superstite Ptolomæo justo marito. Quamobrem mandat Pontifex Capitulo Sorano, quod tunc forte vacaret sedes Episcopalis, vel Episcopus Soranus hostium pateretur, ut ad illam recipiendam tanquam justam uxorem compellat Ptolomæum, cujus pater illam domo exegerat, alioqui, ut pronuntiet in eum, et in patrem, et in aliam mulierem si quam forte superduxerit sententiam excommunicationis. Capitulum sede vacante jus habet ligandi et solvendi, *cap. his quæ, et cap. cum olim, sup. de major. et obedient. et eod. tit. inf. lib. 6. cap. un.* Ponit autem initio hujus c. eam cum Cajo Sejo sponsalia fecisse sub trium personarum, ut ait, testimonio, quia, ut arbitror, ad sponsalium fidem faciendam sufficiunt tres testes. Unde et in objurgatione Divi Hieronymi in Susannam illo loco: *si tredecim testibus sponsalibus consummatis, quæcit fœmina viro conjuncta, etc.* pro tredecim, scribendum putamus *tribus*, per notas III. Notandum etiam ex hoc capit. non ideo matrimonio ullum vitium inesse, quod

id aliquis contraxerit eo tempore, quo de altera conditione in jure, vel judicio litigabat, si modo in ea lite postea superior evaserit, ut *cap.* 18. *inf. hoc t.* et *cap.* 2. *inf. de matrim. contract. contr. interd. eccl.* quod et hic Bernardus annotavit recte. Ptolomæum autem dixit pro Tolomæo, ut alii plerique auctores, et Ptolemaida pro Tolemaida quæ est Phœniciæ civitas alio nomine appellata Acon. Guillelmus Neobrigensis, et alii plerique putant eam esse, quæ vulgo appellatur Acra, falso. Acra enim, quæ et Accaron, dicitur, vetera sunt et propria nomina alterius orbis, ut constat ex Josepho. Acon autem hodie est, quæ Ptolemais olim. Consule Eusebii librum de locis Hebraicis.

AD CAP. *Cum locum*. XIV.

Jubet in hoc cap. Pontifex, puellam ἐπίδικον (sic Græci uno verbo vocant eam, de cujus nuptiis duo, vel plures controversantur) jubet, inquam, eam, ut liberius exponat animi sui sententiam abduci a suis, vel ab iis, a quibus detinetur, qui vi forte, aut metu majoris mali eam adigunt, et urgent ad optandas nuptias hominis animo suo ingratissimi. Jubet, inquam, eam donec res judicetur, ut *l.* 3. *§. ult. de liber. exhibend.* interim veluti sequestro deponi apud patrem matremve familias aliquam, ubi soluta ei sit eligendi mariti optio. Matrimonium solo consensu contrahitur, et consensu soluto atque libero, *cap.* 5 *de cond. appos.* nihil autem est consensui contrarium magis, quam vis aut metus, ac præterea invitæ nuptiæ sæpe difficiles et periculosos exitus habent, *cap.* 17. *inf. ne sequatur*, inquit, *exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire.* Quæ verba detorsit ex hisce Ambrosii verbis primæ ad Corinth. c. 7. *invitæ nuptiæ*, inquit D. Ambrosius, *solent malos proventus habere.* Eadem vero ratio servatur cum de procuratore a puella constituendo agitur. Nam et hac in re consensu expedito, soluto, libero opus est, *c. accedens, sup. de procurator.*

AD CAP. *Veniens*. XV.

Ex hoc cap. intelligimus, sponsalia collata in futurum tempus dissolvi per sponsalia collata in præsens, quæ vir postea fecerit cum alia, etiamsi a patre cum ea deprehensus ἐπ' αὐτοφώρῳ, in mediis amplexibus, eodemque cubili compulsus fuerit, eam capere sponsam verbis præsentibus citra vim majorem tamen, citra magisterianum timorem, ut Fulgentius loquitur in continentia Virgiliana. Et hæc quidem sent. hujus cap. vera est, etiamsi priorem sponsam jam deduxerit domum, et ex ea liberos susceperit, ante sponsalia tamen. Deductio in domum sola matrimonium non facit. Quid enim, si quod etiam hic ponitur, ut concubinam deduxerit, non ut uxorem? Liberorum item procreatio per se sola matrimonium non facit. At ut sent. hujus c. sit locus, necesse est, ut post sponsalia eam non attigerit: nam si eam attigerit post sponsalia, si cognoverit, ei adhærere cogitur potius quam posteriori, tametsi posteriorem in conspectu ecclesiæ uxorem duxerit palam, eandemque postea cognoverit. Priorem conjunctionem matrimonium esse præsumptum: posteriorem vero matrimonium nullum esse, ut *c.* 30 et *c. ult. hoc t.* Unde valde notandum est commixtionem, quæ præcessit sponsalia collata in futurum tempus, non esse impedimento, quo minus vir cum alia matrimonium, vel sponsalia præsentanea contrahat, etiamsi ex ea commixtione, quæ præcessit sponsalia, nati sint liberi; sed commixtionem tantum eam, quæ sponsalia secuta est, hominem arcere ab alterius nuptiis. Hanc commixtionem, quæ sequitur sponsalia, inducere præsumptionem contracti matrimonii, non illam: et præsumptionem justam, id est, jure receptam, ita ut nec adversus eam testimonia, vel aliæ probationes admittantur, ut *cap.* 21 *inf. hoc t. cap.* 6. *inf. de cond. appos.* Et hinc satis liquet, quid sit matrimonium præsumptum.

AD CAP. *Commissum*. XVI.

Hujus cap. sententia hæc est: qui sponsalia contulit in futurum tempus, etiamsi jurato promiserit se intra triennium sponsam ducturum in matrimonium, is prætulit matrimonio monachismum, ductus lege privata, ut ait, id est, conscientia propria quasi divinitus eum compellente ad arctiorem et duriorem vitam. Lege privata, id est, afflatu et instinctu divino. Quamobrem lex privata dicitur esse dignior lege publica, *canone, duæ sunt*, 19. *quæst.* 2. Lex privata præjudicans publicæ, *cap. licet, sup. de regular.* Legem publicam vocat jus canonicum: legem privatam, sanctitatem cujusque, et conscientiam rectam, quæ quid sequendum sit præscribit suadetque, quidve fugiendum. Lex publica est, ut qui se voto religionis obstrinxit, in eo permaneat. Lex privata, ut ab illo voto transire possit ad votum restrictius. Hæc illi præjudicat. Rursus, lex publica est, ut fides servetur sponsæ. Lex privata, ut illa deserta liceat transire ad monachismum. Hæc illi præjudicet, siquidem si sponsa illa incognita fuerit vel intacta. Igitur in hac specie, qui hac lege privata ductus fidem fregit sponsalium, nec jurijurando satisfecit, et transivit, ut ait, ad frugem melioris vitæ, qualis fuit olim vita monachorum, de qua etiam gloriabantur, ut novi cujusque religionis, aut sectæ auctores, et professores gloriantur se melius quoddam vitæ genus introducere. Hic vero sponsus, quem lex illa privata, divinitus scilicet inspirata transversum agit, non tam cogitur sponsalia implere, quam jurijurando satisfacere. Quod faciet auctore Pontifice in hoc capit. eadem cautione adhibita, quam adhibeadam censuit in specie *c. debitores, sup. de jur. jur.* nempe si contraxerit matrimonium cum sponsa, satisfaciendi tantum jurisjurandi gratia, et mox transfugerit ad monachismum. Monachismo solvi matrimonium, nempe quia monachismus morti comparatur. Monachismo, inquam, solvi matrimonium, vel utroque conjuge se devovente, vel altero tantum consensu alterius, ut *l. pen. §. Nam et maritis, C. de Episc. et cler. Nov.* 5. et 22. vel ut in hac specie, dicis tantum gratia contracto matrimonio, non animo perseverandi, et individuam vitam agendi simul. Dicis, inquam, causa, puta, ut Deo satisfaceret, per quem juraverat, ut, inquam, Deo satisfaceret quali quali connubio, quæ est cautio hujus *cap.* cui similis illa *cap. debitores, sup. de jure jur.* Si juraveris te creditori soluturum usuras, quæ jure Pontificio improbatæ sunt, ut solvas quidem eas jurisjurandi satisfaciendi gratia creditori, quas tamen mox reddat creditor tibi. Quæ cautiones mihi non admodum validæ videntur, imo potius injuriosæ esse, et adversus majestatis providentiam. Addit vero, ita demum in hac specie hac cautione virum uti posse, si res sit integra, id est, si cum uxore, vel cum sponsa rem non habuerit, ut *cap.* 2. *sup. de conv. conjugat.* alioquin non est ei facilis transitio ad monachismum citra uxoris consensum, ad monachismum inflammationem animi parum, qua de re amplius in *cap.* 21. *inf.*

AD CAP. *Requisivit*. XVII.

Scripta hæc constitutio Rapolensi Episcopo, qui Episcopatus est in Apulia, et hoc vult matrimonia libera esse debere non coacta, et ideo monendam quidem sponsam esse, quæ sponsum sibi maritum forte jurato promisit, ut stet jurijurando, sed non etiam cogendam esse ad matrimonium contrahendum. Quod maxime ita procedit si qua justa causa ei fuerit renuntiandi id matrimonium, vel si qua forte alia affectio eam effrenatius invaserit, cui non dare locum periculosissimum sit, ut diximus in *c.* 2. et 10. *sup.* Licuit igitur renuntiatione solvi sponsalia concepta in futurum tempus si res sit integra, et multo magis sponsalia in futurum concepta dissolvi mutuo dissensu. Neque vero huic c. quicquam officit, quod Bernardus ait, non ideo minus fore liberum matrimonium in hac specie, si id mulier contrahere cogatur, quia prior ipsa sua sponte hoc sibi intrivit, quo ultro promisit et juravit se illi nupturam: quoniam, ut respondeam, si invita et clamitans alii nubere cogatur solemniter, non video, qua ratione dici possit libera fronte nupsisse. Nec id quoque loci a Bernardo adducti ullo modo efficiunt, sed hoc tantum, eos, qui commodum aliquod ab Ecclesia perceperunt sub fide remunerationis, vel sub spe perpetui servitii, perpetuæ devotionis, fidem implere compelli, quod ipsum nec admodum recte illi loci efficiunt, si penitius inspiciantur. At in hac specie puella sponso nihil commodi percepit, aut percepisse proponitur: unde nec invito animo suo eum faciet virum, aut maritum sibi.

AD CAP. *Cum in Apostolica*. XVIII.

Inscriptio ita restituenda est: Urbanus tertius Cenomanensi Episcopo, et conjungendum est *cap.* 5. *inf. de condit. appos.* Litigabat Villicus, ut ponit: proprium est nomen viri, ut in *l. Julianus. §. Per contrarium. de action. emp. l. Cum duobus §. Item ex facto. pro soc.* litigabat, inquam, Villicus sive Vallicus cum uxore sua: forte negans sibi eam uxorem ductam esse, eaque lis eam de domo sua traxerat ad Cenomanensem Episcopum, ubi cum aliquandiu fuisset, lite nondum finita, nondumque publicatis testium dictis, et patefactis utrique parti, ut fieri solet in judiciis, quos scilicet ipse produxerat, ut per eos Episcopo probaret, inter se et mulierem illam matrimonium consistere non posse, forte propter cognationem propinquam; quæ sibi cum illa erat, cujus ignarus fuerat initio contrahendi matrimonii. Lite igitur nondum finita domum reversus falso vulgavit, se judicio Episcopi, judicio ecclesiæ ab uxore separatum esse, quam forte apud Cenomanos reliquerat litem suam persequentem. Idque persuasit omnibus, adeo ut et alii mulieri ignoranti imposuerit, eamque domum duxerit solemniter, quasi cum priore divortio facto ex sententia Cenomanensis Episcopi, quæ nondum lata erat, quæ tamen postea secuta est, a Romano Pontifice hujus causæ cognitione demandata quibusdam delegatis judicibus, forte cum appellatum esset a sententia quadam interlocutoria Episcopi, vel ipse Episcopus suspectus postulatus. Ex sententia igitur judicum delegatorum postea secutum est divortium: itaque ex post facto apparuit, cum posteriore contractas nuptias justas et legitimas esse: neque enim quod prioris matrimonii lite pendente, et falsa persuasione decepta posteriore muliere vir ad alias nuptias properaverit, non ideo, inquam, nuptiæ injustæ, aut vitiosæ sunt ut *cap.* 13. *sup.* infligenda tamen ei pœnitentia est audaciæ, et præfestinationis hujus, et donec pœnitentiæ tempus expleverit, interdicenda consuetudo posterioris. Locit, eum posteriorem duxisse fraudis ignarum, litis ignarum. Unde si scienter, litem ei esse cum alia needum finitam, uxorem duxerit, forsitan nec cum ea justæ nuptiæ esse intelliguntur, sicut nec si viva justa uxore aliam scientem duxerit tanquam uxorem, nec mortua priore, quæ justa uxor fuit, cum posteriore convalescit matrimonium, *cap.* 1. et 7. *inf. de eo, qui dux. in matr. quam pol. per adult.* Huic vero cap. cujus sententia jam satis explicata est, quod Bernardus objicit *cap.* 4. *sup. h. t.* nihil est: hoc enim vult, sponsalia, etiamsi postea apparuerit non esse legitima, impedire ne sponsa nubat fratri sponsi propter publicam honestatem, quia non etiam hoc vult, ne nubat alii, sicut, et hic prior uxor, quam apparuit non esse legitimam, non prohibetur alii nubere. Nihil etiam huic cap. officit *cap. nuper, sup. de bigam.* quo cavetur non ideo minus bigamum, aut digamum (sicut dissacum dicimus, et bissacum, *une besasse*) esse eum, qui mortua priore uxore aliam duxit, quod posterior justa uxor non fuerit. Nam etsi e converso idem dici possit,

si prior injusta, posterior justa uxor fuerit: tamen ut clericus qui adspirat ad majores ordines ecclesiæ, ob eam rem culpatur, et submovetur ab ordinibus: ita et in hac specie culpatur, et punitur inflicta pœnitentia vice pœnæ is qui aliam duxit cum de priore cœpta lis nondum terminata esset, licet postea apparuerit, cum priore nullum ei fuisse connubium: ceterum matrimonium secundum neque culpatur, neque infirmatur. Non est etiam quod sententiæ hujus capit. objicias *cap. consideravimus, sup. de election.* Quod scilicet ibi, et primam, et secundam electionem Pontifex rescindat, quasi ad idem exemplum in hac specie impediri debeat et primum et secundum matrimonium. Nam in specie *c. consideravimus,* Pontifex et primam et secundam electionem rescindit manente *integra* eorum, qui electi sunt, id est, salva existimatione, quia utraque electio vitio laborabat: in hac autem specie secundum matrimonium ex eventu apparuit esse sine vitio, quia festinatio secundi voti nullum vitium affert.

AD CAP. *In præsentia.* XIX.

Ex hoc cap. intelligimus marito capto, et detento ab hostib. vel etiam peregrinante, tametsi jam septennio, vel longiore tempore abfuerit, non posse uxorem ejus, quæ domi manait, alii nubere, antequam de morte ejus certum nuntium acceperit. Quod congruit cum novissimis Imperatorum constitutionibus, cum Justiniani Novel. 117. cum Leonis Philosophi Novel. 33. Olim satis erat captivum expectari quinquennio, militem, qui Reipub. causa abesset quadriennio primum, deinde decennio, *l. Uxor. C. de repud.* et *Novel.* 22. Cujus quidem Novellæ sententia etiam priusquam promulgata esset a Justiniano expressa est sub nomine Juliani in *l. Uxores. D. de divortiis,* ut jam olim me docere memini in Novel. 22. Hodie igitur si mulier antequam de morte viri absentis certum nuntium acciperet, alii nupserit, non jure nupsisse intelligitur, et maritus, ubi redierit, potest eam, si velit, adultero, id est, posteriori viro amovere, et abducere, *cap. 2. inf. de secund. nupt.* Nulla quantumlibet diuturna viri absentia mulieris fidem absolvit, nec ex absentiæ prolixitate sola sumitur justa præsumptio mortis, certo nuntio opus est, ut ait, vel quod addere licet ex *cap. ult. §. Si autem, sup. ut lit. non contest. non proced.* ad *test. certum aestimatis præsumptione mortis morti*

AD CAP. *Inter opera.* XX.

In hoc cap. laudat eum, qui ex fornice educit meretricem forte cupidam recipiendi se ad bonam frugem, ut eam sibi adjungat uxorem, quoniam hac ratione ut significat, servat animam mulieris, et suæ bene consulit, qui ex ea re caritatem consequitur, quo modo, et qui dimissam uxorem ex causa adulterii reducit, laudem in ecclesia, et caritatem consequitur. Dimissam, inquam, et convictam adulterii, necdum damnatam tamen: nam qui damnatam reducit in matrimonium, jure civili lenocinii reus est *l. Castitati. C. ad l. Jul. de adult.* Et ex hac causa legimus apud Svetonium, Domitianum Imperatorem Equitem Romanum aliquem cum judicia erant apud equestrem ordinem, judicum albo erasisse ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenderat. Jure Pontificio etiam damnatam adulterii reducere potest, quia non tam reducit eam in matrimonium, quam reconciliat, et restituit in gratiam. Uxor enim manet, ut docui in *cap. 9. sup.* Jure civili uxor esse desinit, quæ domo mariti propter adulterium exturbata est. Vobis licet ex his prælectionibus paulatim colligere differentias inter jus Pontificium et civile.

AD CAP. *Ad id.* XXI.

Species hæc est: Vitricus privignam suam proximam pubertati, quæ scilicet jam attigerat annum undecimum, ut ponit, et confirmat *cap. 6. tit. seq.* invitam et reluctantem cuidam nuptum collocavit: nullæ sunt nuptiæ, quia puellæ consensus deficit, sed convalescunt novo puellæ consensu, et vel tacito consensu: cujus quidem idoneum argumentum est consuetudo, concubitus, et cohabitatio, ut ait, anni unius integri, et dimidii alterius, quo cum eo vixit: et concubuit sine querela, sine ulla animi læsura, ut veteres inscriptiones loquuntur: nec igitur ab eo discedere potest, quod initio non consenserit: immo si hoc prætextu discesserit ab eo, cogitur ad eum reverti, nec auditur si velit testes producere, qui eam non consensisse, immo reclamasse semper affirment, quia quæ tamdiu cum eo placide vixit, præsumitur omnimodo in eum consensisse, et hujus præsumptionis tanta vis est, ut adversus eam probatio non admittatur in contrarium, *cap. 30. inf. h. t. cap. 2. sup. cap. 6. inf. de condit. apposit. cap. insuper, qui matr. accus. poss.* Ac si interim forte in illo frivusculo, ut loquuntur Jurisconsulti, in illo frivolo dissensione, frivolario jurgio uterque plus sibi permiserit, quam fides et sanctitas matrimonii pateretur, eo nomine utrique infligenda est pœnitentia, nec potest alter alterum arguere adulterii in eum admissi, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, *l. Viro. D. sol. matr. c. pen.* et *ult. inf. de adult.* Solvitur tamen inter eos matrimonium, si uterque lege privata, ut loquuntur, et quasi instictu divino commotus præoptaverit vitam solitariam, vitam monasticam, *cap. 2. et 4. sup. de convers. conjugat.* Quod pene est, ac si ante mortem uterque accersiverit, vel consciverit sibi mortem aut mortis imaginem.

AD CAP. *Sicut.* XXII.

Hoc cap. est Innocentii II. ad Ferentinatem Episcopum. Ferentinates in Italia inter Henricos. Et, quod jam sæpe dictum est, sponsalia collata in futurum tempus, etiamsi jurejurando confirmata sint dissolvi per sponsalia, quæ postea cum alia contrahuntur verbis præsentibus, si modo prioris sponsæ res manserit integra post sponsalia. Res, quod Latinis est fœmineum aut virgineum, aut spurium. Idque jam habuimus *sup. in capit.* 15. et habetur in *cap. pen.* et *ult. inf.* Quod tamen ita non obtinet ex diverso. Nam sponsalia præsentia non dissolvuntur per alia sponsalia, quæ subsequuntur, et conferuntur in futurum tempus. At, ut dixi sponsalia de futuro, ut loquuntur, dissolvuntur per sponsalia de præsenti, si prioris sponsæ res, qua mulier est, integra manserit. Idem vero ex hac constitutione liquet, hac lege tamen et conditione addita, ut si per virum qui posteriora sponsalia cum alia contraxit verbis præsentis temporis, mora fuerit, quo minus impleret priora sponsalia, quæ spem tantum fecerant futurarum nuptiarum, infligatur ei pœnitentia perjurii prioris, non etiam si per mulierem steterit: ut si, quo exemplo utitur, cum esset finitus dies, intra quem nuptiæ fierent, illa impedimento fuerit quo minus fierent, rem forte dum differt ex die in diem. Hoc enim casu maritus culpa vacat, si aliam sibi uptaverit sponsam verbis præsentibus: itaque nulla pœnitentia opus est. Quod hic Bernardus notat, post diem condictum contrahendo matrimonio maritum fide, quam dedit, absolvi, si per mulierem, non ipsum mora fuerit, quo minus matrimonium contraheretur, et consummaretur: id nullo modo possum approbare. Dies non solvit fidem, sed fides posterior priorem absolvit, ubi prior tantum collata est in futurum tempus, posterior in præsens. Dies per se sola non liberat fidem, dies non est idonea ratio aut legitima solvendæ obligationis. Dies, inquam, semel natam obligationem tollere non potest, *l. Obligationum fere. §. Placet. de oblig. et act.* Et ex sponsalibus nasci obligationem statim, licet fides eorum conferatur in futurum tempus, negari non potest: sicut si stipulanti promittam, me cum ei commodum erit daturum centum, fides stipulationis confertur in futurum tempus, et tamen ex præsenti tempore statim nascitur obligatio: et vires accipit, etiamsi fuerit sub conditione contracta, *l. Ususfructus. de stipul. serv.* Ac præterea, cur ego, si me certa die certam pecuniam daturum promiserim, post eam diem obligatione non absolvor? *l. Celsus. §. ult. de recept. qui arb. rec. cap. cum dilecti, sup. de dol. et contumac.* et tamen die condicta nuptiis post eam diem fide mea absolvor: quod etiam non est verum, me ex diei lapsu absolvi a sponsalium fide. Proinde, ut initio dixi, non dies me absolvit fide priorum sponsalium, sed fides posterior, quæ majoris momenti est, fides major et uberior, quam alii dedi per verba præsentia temporis. At, ut et in hac constitutione proponitur, si utraque sponsalia collata sint in futurum tempus, potiora sunt ea, quæ tempore priora sunt, in pari causa potiora sunt et potentiora, quæ et priora sunt, et mentitæ tantum fidei posterioris irroganda pœnitentia est, ut *cap. pen. inf. h. t.*

AD CAP. *Cum apud.* XXIII.

Quod est in hoc cap. partim est ex *l. Mutus. de jur. dot.* quæ mutum, surdum, cæcum eit nuptias contrahere posse, partim ex *l. Mutus. §. 4. de procurat.* ubi quod dicitur de mandato, mutum surdum procuratorem dare, quod est mandatum dare posse, quia edictum de procuratoribus est prohibitorium, et edicto mutus, vel surdus non prohibetur procuratorem dare: id in hoc cap. Pontifex accomodat ad matrimonium. Nam et ii duntaxat matrimonium contrahere non possunt, qui nominatim legibus, aut canonibus prohibentur: et ut mandatum solo consensu contrahitur expresso vel tacito, nec ullam verborum proprietatem, aut solemnitatem desiderat, *l. 48.* et *l. 52. §. ultim. de oblig. et act.* ita et matrimonium: hoc tantum exigimus, ut qui contrahunt, intelligant quid agant, et animi sui sensum exprimant, aut verbis, aut nutu, vel gestu, relato vel rejecto capite, vel alio quocumque signo indubitabili, quod pene nihil a sermone distat, ut *cap. 25. inf.*

AD CAP. *Dilectus.* XXIV.

In hoc cap. quod habetur, natura manifestissimum est, nullum esse matrimonium cum furioso vel furiosa contractum, quia scilicet consensu opus est, consensus perficit rem omnem, et quidem solus: at furiosus neque sentire, neque consentire intelligitur, *l. 8. §. pen. de opt. leg.* Non videtur etiam conjugum alter, qui sanæ mentis est, consensisse in furiosum, quem putabat esse sanæ mentis, quia errantis nullus est consensus, et ut consenserit, tamen nihil actum intelligitur, quia utriusque partis consensum intervenire oportet, *cap. 26. inf.* Sæpe autem fit, ut puellæ nubant furiosis, dum illis constitutis in conspectu inumbratæ quietis, ut eleganter ait *l. Quod meo. §. Si furioso. de acquir. poss.* existimant illos esse sana mente præditos, quæ ita si falsæ sint, sane non intelliguntur consensisse, nec matrimonium constitare. Verum, ut omnino nullum sit matrimonium cum furioso contractum, duo exigimus: ut furor sit perpetuus, vel ut hic loquitur, continuus: nam si intervallatus sit, nullum matrimonium non est. Item exigimus, ut furor ille continuus ab initio contractus tenuerit hominem: furor enim postea superveniens non infirmat matrimonium, *l. Patre. de his, qui sunt sui vel alien. jur. l. Oratione. §. Furor, de rit. nupt. l. Furor. de sponsal.* Quod tamen postremum Leo Philosophus aliquatenus immutavit Novel. 111. et 112. ita distinguens, ut non quandocumque supervenerit furor alterutri, post contractum matrimonium infirmetur matrimonium, sed si mulieri intra triennium, viro intra quinquennium a die contracti matrimonii. Est autem in inscriptione hujus constitutionis omnimodo legendum, *Episcopo Vercellensi:* nam ut plenius scriptum est in tertia collectione Decretalium, quæ a Petro Beneventano prima confecta est publica auctoritate, scripta est hæc constitutio ad

postulationem Roberti militis Alexandrini: et Vercellis sermo noscit, qui modo attigerit fauces Italiæ, finitimam esse Alexandriam, cui nomen ab Alexandro III. Pontifice, qua is se communivit imposito præsidio, et inde milites Alexandrinos, adversus vim et injurias Friderici Imperatoris.

AD CAP. *Tuæ fraternitati.* XXV.

Breviter ex hoc cap. intelligimus, verbis, aut re, aut litteris non contrahi matrimonium, sed consensu solo, et quod verba dicantur esse necessaria, quæ præsentem consensum exprimant, hoc ad ecclesiam tantum respicere, id est, ad ritum et morem ecclesiæ, cujus ratio hæc sola, ut facilius probari possit matrimonium esse contractum, et sine iis tamen verbis valere matrimonium, si habeat probationem, *l. 4. de fide instrum. et l. 4. de pignor.* Ex verbis igitur non consistere matrimonium sed ex consensu solo. Idque ex eo maxime apparere, ut ait, quod mutus jure contrahat matrimonium, ut dictum est c. superiore proximo, pupillus autem non jure contrahat matrimonium: hic, quia consentire non potest: illo autem jure contrahat matrimonium, quia verbis opus non est. Denique qui fari non potest, recta contrahit matrimonium: qui consentire non potest, non recta. Consensu ergo opus est, non fabella, non oratione. Et ita hæc constitutio explananda est.

AD CAP. *Tua nos.* XXVI.

Valde notanda est sententia hujus c. quæ est hujusmodi: non omnia verba præsentis temporis matrimonium facere, aut quæ vocant sponsalia de præsenti. Nam si quis nomine proprio suppresso, et alio conficto, et adsumpto, veluti nomine Joannis, quod non sit ejus nomen proprium, callide, dum magis optat congressum illicitum quam licitum, ita dixerit submota testatione, et solemnitate omni, Joannes te despondeo, forte et in digitum arræ nomine immisso annulo, verba quidem sunt præsentis temporis, Joannes te desponso: sponsalia tamen justa, vel justæ nuptiæ non sunt, quia viri consensus abest, at in nuptiis solus novæ nuptæ consensus non sufficit. Et hoc utique verum est, etiamsi hac arte ab ea muliere extorserit rem, libidinem expleverit suam. Sponsalia quælibetcunque mutuo consensu contracta commixtione corporum subsecuta, matrimonium diximus esse præsumptum, quod nec infirmari possit ullo modo, *cap. 11. sup. cap. 30. et ult. inf.* At in hac specie nulla sponsalia præcesserunt: neque enim simulata sponsalia, aut simulatæ nuptiæ, sponsalia vel nuptiæ sunt, *l. Simulatæ, de rit. nupt.* id est, si vel ab uno ex contrahentibus simulatæ sint, ut in hac specie ponitur masculum simulasse sponsalia, sive nuptias dolo malo, fœminam bona fide consensisse. Itaque deficit substantia matrimonii, quæ ex utriusque consensu consistit. Deficit etiam forma, quia, ut initio diximus, et hic proponitur, nec testes huic negotio gerundo interfuerunt, nec solemnia adhibita sunt, quæ adhiberi moris est in hujusmodi sponsalibus contrahendis. Quin vero nobis ille puniendus sit, qui ita deluserit mulierem, et gravissime etiam puniendus qui negabit? Ceterum verus sensus hujus cap. is est, quem exposui.

AD CAP. *Cum in tua.* XXVII.

Qui mos est in ecclesia, ut trinis denuntiationibus, vel edictis presbyter plebem, cui præest, futuri inter aliquos matrimonii certiorem faciat, ut si quis ex plebe sua aliquid habeat, quod objiciat ne matrimonium contrahatur, id proponat intra certum diem. Quo genere valde cohibentur clandestina connubia. Et generaliter ita constituitur in concilio Lateranensi habito sub Innocentio III. *c. 5. et c. ult. inf. de clandest. despons. et cap. ult. inf. qui matrim. accus. poss.* quod quidem conjungendum est cum hoc c. et ex hoc illius inscriptio restituenda. Eum, inquam, morem, eamque constitutionem originem duxisse ex Gallicana ecclesia ex cap. isto integro constat, quod exstat in quarta collectione Decretalium, ubi Innocentius III. scribens ad Beluacensem Episcopum, quem constat esse Episcopum Galliæ, et Beluacum civitatem, quæ olim Cæsaromagum: *bannis* inquit, *ut tuis verbis utamur* (verbis scilicet Gallicis) *in ecclesiis secundum consuetudinem Gallicanæ ecclesiæ editis.* Galli vulgo denuntiationes, vel edicta quæcunque vocabant banna. Quo sensu et in hoc jure bannum imperiale, et bannum Episcopale dicitur, pro edicto, proscriptione, programmate Imperatoris, vel Episcopi: et in bannum bona missa, id est, publicata atque proscripta: et bannitus, id est, proscriptus, exsul, sine capitis diminutione tamen, qui et forbannitus, quasi foras exactus, qui, ut dixi, exulat tamen sine capitis diminutione, id est, relegatus est, non deportatus. Deportatio, quæ capitis diminutio est, non est in usu. Species autem hujus c. hæc est: post banna proposita in ecclesia de futuro quodam matrimonio nullus contradictor exstitit: communis tamen fama differt eos, qui in matrimonium coituri sunt, esse propinqua cognatione conjunctos. Contra ex ea cognatione, qui sunt ætate provecti, id negant prorsus, et majores fidei causa etiam offerunt id se dejeraturos, nempe illos non esse ex gente, vel genere suo, ex quo tamen eos esse communis fama differt. Pontifex mandat Episcopo Beluacensi, ut si quis notæ auctoritatis, gravitatis, et fidei homo ei denuntiaverit, cognatione propinqua illos, quorum de matrimonio agitur, esse conjunctos, simul et docuerit probaveritque: nam illius sola denuntiatio non sufficeret. Si simul ergo docuerit, probaveritque: nam illius sola denuntiatio non sufficeret. Si simul, tamen, docuerit et probaverit, hoc esse in ore omnium, qui matrimonio contracto ex eo offensionem, id est, scandalum accepturi sint:

vel etiamsi si ipse Episcopus diligentius omnia perscrutatus, ita esse deprehenderit: ut omnino impediat matrimonium, non habita ratione jurisjurandi in contrarium oblati ab iis, qui in eadem cognatione grandiores ætate sint: vel, si hoc potius Episcopo Beluacensi consultius esse videatur (si enim hujusce rei arbitrium relinquitur) præsertim in re obscura, ut admittat jusjurandum eorum, qui ex ea cognatione ævo grandiores sunt, et negant eos esse, quorum de conjunctione agitur, ex gente, aut genere suo: ut, inquam, eorum jusjurandum admittat, et sequatur contra famam communem. Contra rumorem, et famam populi admittit probationem, et recte: quia nec fama inconstantius, vel incertius quicquam, quæ, ut Poeta ait, est.

Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.

Alioqui eorum jurejurando non recepto, nec ullo viro fidei probæ quicquam renuntiante de cognationis obice, id est obstaculo, rumoris non esse tantam vim, maxime inconstantis, et incerti, ut possit impedire matrimonium, sed hoc solummodo propter rumorem, qui famam de cognatione differt, Episcopo observandum esse, ut sponsos commonefaciat, non etiam compellat nuptiis abstinere. Non omnem monitionem Episcopi semper sequitur compulsio, id est, censura ecclesiastica, *cap. 17. sup.* Priori casu, cum intervenit hominis idonei, et fide digni denuntiatio, et rumoris offensionisque inde nasciturae certa fides, vel cum ipse per se Episcopus deprehendit inter eos connubium esse non posse: tum non tantum monendi, sed etiam compellendi sunt, ut nuptiis abstineant. Fama quidem communis videtur esse consensus civitatis, et velut publicum testimonium, ut Quint. ait, *l. 5. Inst.* et in judicio valde confirmat ejus rei, de qua quæritur quidem, *l. 3. §. Ejusdem. de testib.* fama consentiens, non inconstans, fama consentiens, ut ibi scriptum est, et in *cap. præterea, sup. de testib.* At contra eam tamen probatio, et purgatio admittenda est, ut ex hoc c. intelligitur, et ex *cap. inquisitionis §. ult. inf. de accusat. et cap. tam litteris, sup. de testib.* alioqui fraude inimicorum falsa vulgantium sæpe fama noceret etiam innocentissimis, cui etiam plerunque malignitas initium dat, et credulitas incrementum. Nota in hoc cap. quod et ante notavi in *cap. 13.* parentes accipi pro quibuslibet cognatis, ut in idiotismo nostro, illo scilicet loco, *non solum debes juramenta parentum sponte oblata*, parentum, id est, majorum natu, qui ex ea cognatione sunt, cognatorum grandævorum. Eodemque modo etiam Tertullianus aliquando loquitur.

AD. CAP. *Consultationi* XXVIII.

Moris est ut solemni pompa ducantur sponsi in ecclesiam benedictionis sive ἱερολογίας, ut vocant, accipiendæ causa, sine qua matrimonium non intelligitur esse perfectum. Et ita in specie hujus cap. ponitur, sponsam, quæ solemni pompa ducebatur in ecclesiam, in ipso limine ecclesiæ, in ipso articulo exequendæ rei, nescio quo impetu ductam perturbasse omnia, et negasse in eum hominem, cum quo ducebatur, se unquam consensisse, ac proinde non intromissam in ecclesiam non benedictam, re infecta domum rediisse. Sponsum autem negationem ejus refellere productis perquam idoneis testibus, et omni exceptione majoribus, qui mulierem consensisse constanter affirment. Quorum testimonia plus posse Honorius III. in hoc cap. definit, quam simplicem assertionem, aut negationem mulieris, quam nec probare posset, quia negantis nulla est probatio, *l. Actor, C. de probat.* M. Tullius in Partition. *Nemo ejus, quod negat factum, rationem, aut potest, aut debet, aut solet reddere.* Igitur nec mulierem illam, quæ clusit pompam omnem nuptialem, talibus testibus convictam ullo modo audiendam esse. Verum aliud esse dicendum, si, quæ est secunda species hujus cap. post benedictionem ecclesiæ, post ἱερολογίαν nescio quo æstu concita mulier aufugerit a viro, nec unquam illi se morigeram præbere voluerit, causata, se in eum quidem consensisse, sed metu coactam, metu majore quodam, quo terreri potuisset etiam constantissimus vir: hoc enim casu auditur mulier, et ad probationem metus illati admittitur. Metus probatur ex atrocitate facti. *l. 9. C. de his, quæ vi, metusve cau.* ut si intentatam sibi mortem, et cruciatum corporis probaverit, nisi nuptiis consentiret, *l. Si voluntate, Cod. de rescind. vend. l. Interpositas, C. de transact.* atque ita metu illato dicat se lingua consensisse, ut ait hoc loco, animo dissensisse, se jurasse lingua, mentem injuratam gessisse. Quod si probaverit, procuidubio impeditur matrimonium, quod liberum consensum non habuit mulieris, ut *cap. 8. et 15. sup.* Scripta autem hæc constitutio est, ut in quinta Decretalium collectione legi, quæ non dum edita est (nodum edita est) quæque continet solius Honorii Tertii decreta, scripta, inquam est, Episcopo Leewhicensi, cum duplici vinvicem noxa. Leawicum olim colonia Saxonum, quæ alio nomine Eidevum, ut Helmodius scribit in historia Slavorum *lib. 1. cap. ult.* Bersguensis, aut Berguensis, quem adstruunt vulgo, nusquam est.

AD CAP. *Gemma.* XXIX.

Summa sententiæ hujus cap. sumpta est ex *l. 2. Cod. de inut. stipul. et l. Titia. de verb. obligat.* libera sponsalia, et matrimonia esse debere non tantum a vi, et metu, ut *sup. cap. 17.* sed etiam a pœnæ vinculo, id est, a stipulatione pœnali, cui se subjecerit uterque, si quidem falleret fidem. Ideoque sponsalia contracta inter infantes parentum interventu et auctoritate, addita pœna si quis eorum parentum nuptiis impedimento esset, nullius esse momenti, quasi facta inter infantes, quia utriusque partis consensus abest: ac præterea

adversus parentem, qui puellam jam puberem alii nuptum collocavit, pœnalem stipulationem non committi. Hæc est sententia hujus cap. quæ tamen non probatur Leoni Philosopho in Novel. 18. Jure, et more antiquo, quo solebant stipulari sibi uxores futuras, quove solebant a parentibus desponderi uxores futuræ, fide rupta erat actio ex stipulatu in id, quod interest, ut ex Servio Gellius refert *lib. 4. cap. 4.* sed non etiam ex stipulatione pœnali, si quæ sponsalibus subjecta fuisset, *l. 2. Cod. de inutil. stipul.* libera matrimonia esse antiquitus (serva illud, antiquitus) placuit, quod ibi est, libere contrahi, et libere distrahi debere, absque metu pœnæ in stipulationem deductæ. At recte Leo in *dict. Novell.* 18. et glossa hoc quoque loco, differentiam facit inter pœnam et arram sponsalitiam. Arra est tantum pignus, et argumentum contractorum sponsalium, qua cadit vir, qui eam dedit, si per eum mora fuerit, quo minus matrimonium contraheretur: vel si mora fuerit per mulierem, quæ arram accepit, eo nomine duplo tenus obligatur, *l. 3. et l. pen. Cod. de sponsal.* Non omittendum, initio hujus cap. singularem litteram esse debere, G. ut sic incipiat, *G. mulier*, non *Gemma mulier*, atque ita etiam legit interpres Gallicus: ita autem littera singularis veram interpretationem recipit. Sunt enim varia nomina fœminarum, quæ incipiunt a litera G. nec Gemmæ muliebre nomen mihi notum est.

AD CAP. *Is, qui.* XXX. et CAP. *Adolescens.* Ult.

Ex hoc cap. intelligimus, quod et jam supra docuimus cap. 15. præsumptum matrimonium esse, si qualiacunque sponsalia, legitima tamen, de futuro, vel de præsenti, ut loquuntur, subsequatur commistio corporum, et ita matrimonium præsumptum nullo modo rumpi, vel infirmari posse posteriore matrimonio solemniter, reipsa cum alia contracto: præsumptum matrimonium esse potentius vero, nec huic præsumptioni opponi posse contrarias probationes, quæ juste præsumptio est, ducta nimirum ex medio jure, sive recepta jure publico, contra justam et legitimam præsumptionem juris, ut vocant, non admittitur probatio, ut *cap. 2. et 21. sup. et cap. 6. inf. de condit. appos.* Ut autem matrimonium sit præsumptum, commistionem intervenisse necesse est naturalem, conatus enim solus sine effectu matrimonium præsumptum non facit, *c. ult. h. t.* Idcoque sponsalia, quæ rem principalem differunt in futurum tempus, quæ dicuntur nudis et simplicibus verbis fieri in *can. lex. 27. q. 2.* etiamsi conatus quidam irritus subsecutus sit, non ideo minus dissolvuntur per sponsalia habita cum alia verbis præsentis temporis, id est, verbis efficacibus, quia cum priore sponsa, neque verum fuit, neque præsumptum matrimonium, quæ est sententia *d. cap. ult.* a me jam exposita supra in *cap.* 3.

AD CAP. *Si inter.* Pen.

Quod est in hoc cap. id jam habuimus in *cap. 22. sup.* sponsalia, quæ rem principalem statim confecerunt mutuo, et præsenti consensu, non dissolvi per matrimonium, quod postea sponsus cum alia contraxerit, etiamsi cum ea rem habuerit, rem autem non habuerit cum priore sponsa: quia priora sponsalia matrimonium perfecisse intelliguntur: ergo quod sequitur matrimonium, adulterium, sive stuprum potius est, quam matrimonium. Et hoc indistincte locum habet, sive priora sponsalia jurata fuerint, sive non. At, ut subjicit in hoc cap. sponsalia in futurum collata facile rumpuntur per alia sponsalia de præsenti, licet priora sponsalia jurejurando confirmata fuerint, dejurii, aut fidei violatæ, pœnitentia scilicet irrogata ei, qui ad alia sponsalia ivit. Sponsalium autem de præsenti hic etiam ostenditur hæc esse solemnia verba: *Ego te accipio in uxorem, et consortem meam. Ego te accipio in maritum, et dominum meum*, ut *cap. 3. et 4. de spons. duor.* non quod hæc sint verba formalia, et typica, ita ut aliis idem significantibus sponsalia de præsenti non rite contracta intelligantur, cum, ut sit, et alia verba sufficiant, quæ modo consensum præsentem exprimant, ut in *cap. 9. sup. ab hoc die*, id est, ex præsenti die, *tu eris mihi maritus, tu eris mihi uxor.* Hujusmodi tamen censentur esse hæc verba: *Vis me? Volo?* quia sunt ambigua, non aperta, et multiplicem sensum admittunt. Quinimo his verbis, *Vis me? Volo,* nihil actum intelligitur, neque de præsenti, neque de futuro, ut etiam recte Aquinas, et Lombardus censent. De cap. ultimo jam dixi satis in cap. 3. et 30. sup.

AD TITULUM II.

De desponsatione impuberum.

AD CAP. *Puberes.* III. et CAP. *Ubi non est* II.

Quod est in cap. 3 hujus tit. ex Isidori Hispalensis Episcopi lib. 11. Etymologiarum, non libro quinto, aut non debuit inseri huic titulo, quia decretum summi Pontificis, vel Synodi Œcumenicæ aut provincialis non est, aut quia ad interpretationem tituli pertinet primore loco proponi statim debuit. Id vero etiam depravatum est. *Puberes*, inquit, *a pube*, id est, *a pudenda corporis*: legendum, *a pudendis corporis*: et paulo post: *quidam tamen ex annis pubertatem existimant*: legendum, *æstimant*. Et quidem ex annis æstimabant pubertatem Proculiani, quamvis nondum puberale pubuisset, quorum sententiam etiam Imperatores probavere, *l. 4. Cod. qui testamen. fac. poss. l. ult. Cod. quan. tut. vel cur. esse des.* id est, in fœminis ex annis duodecim impletis, et inchoato decimotertio, in maribus ex annis quatuordecim completis, et inchoato decimoquinto. Citius enim pubescit fœmina, citius festinat ad vota, quod non tamen nimii caloris est, quam naturæ infirmioris, ut exilia poma celerius maturescunt: robusta serius: Cassiani autem, sive Sabiniani puberem eum esse dicebant, qui ex habitu corporis pubes appareret, id est, qui generare posset, ut Ulpianus refert libro singular. regularum tit. 11. quos sequi videtur Isidorus in hoc cap. cum ait: *Certum autem est eum esse puberem, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest.* Itemque Gregorius VII. in breviario Bernardi Papiensis, *cap. 3. eodem tit.* et post concilium Lateranense partis sextæ cap. 6. *Manifestum est*, inquit, *eum puberem esse, qui gesticulatione sui corporis talis est, ut procreare possit, licet ad metas legibus definitas non pervenerit.* Unus tantum ex Jurecousultis fuit mediæ sententiæ auctor Priscus Javolenus, qui puberem eum esse dicebat, in quo utrumque concurreret, habitus corporis, et numerus annorum. At honestius sane, et melius est, quod etiam obtinuit, non inspecta habitudine corporis nudi, pubertatem tantum æstimare ex annis, pubertatem tantum in annis decernere, non in vigore naturali prorsus quamquam Isidoro, et Gregorio forte, qui ex habitu corporis pubertatem æstimabant, hæc mens fuit, quæ Cassianis nempe, ut hujus rei explorandæ causa nudarentur corpora, et puberale, sive ἐφήβαιον pars quæ mares, quæ fœminæ sunt, inspiceretur: cum et inspectionem puellarum, de quarum virginitate ambigitur, quæ fit ab obstetricibus, canones probent *can. nec aliqua, et can. seq. 27. quæst. 1. cap. pen. sup. de probat.* Ex his vero, per contrarium intelligimus impuberem esse fœminam, quæ nondum explevit annum duodecimum, marem vero eum, qui nondum explevit annum decimumquartum. Nec jam impuberem dici, sed quod frequens est auctoribus, investem proprie, si habitus corporis non spectetur. Investis olim dicebatur, qui nondum in pubem corperat molli pubescere veste, qui nondum molli vestierat lanugine malas, ut Lucretius loquitur. Et ita in *can. eos quos, §. ult. de consecrat. dist.* 4. legendum esse constat partim ex decretis Felicis tertii c. 4. partim ex eodem Isidori lib. 11. c. 2. *Pueri autem, quibus, quod adhuc investes sunt, a puritate vocabulum est.* Vulgo legitur, *pueri autem, quibus, quia impuberes sunt, a pubertate vocabulum est*, perquam inepte. Contra, qui pubes est, cujus puberale jam vestem cepit, vesticeps dicebatur. Notum est illud A. Gellii: *arrogari non potest, nisi jam vesticeps*, quia ante constitutionem Antonini impubes arrogari non poterat. Et illud Ausonii:

Idem vesticeps modo jam puberis ævi.

Non placet autem opinio glossæ existimantis in matrimonio contrahendo pubertatem non æstimari ex annis, sed ex habitudine corporis, et potentia procreandi liberos, ex vigore naturali, quam opinionem etiam improbat Joannes Andreæ filius, et Panormitanus, quorum etiam sententia obtinuit. Hi sufficere arbitrantur annorum numerum, licet vigoris nondum ulla vestigia emerserint, sicut in ordinando testamento, quod negotium non minoris momenti est, quam matrimonium *l. 4. C. qui testam. fac. poss.* Objicies, imo non observari numerum annorum, quia etiam impubes, si modo sit proximus pubertati, in matrimonium coire potest *cap. 7. cap. 9. et ult. h. t. cap. 10. et 21. sup. t. prox.* quod plerique ante annos pubescant: quæ res fecit, ut Isidorus et Gregorius pubem spectarent, non annos. At contra ego objiciam, proximum proximamve pubertati pro pubere haberi: maxime si quis vigor in eo cave cernatur, quod memini me docuisse in *cap. 3. sup. t. prox.* Eum vero eamve, qui quæve explevit pubertatis annos quæ ætas legitima dicitur in *cap. 7. inf. l. 2. C. si mater indem. promis.* frequentius legitima ætas non dicitur ante vigesimum quintum annum: dicam pro impubere non haberi etiamsi nondum vestitus vestitave sit pubertate. Quod tamen glossa non admittit, quæ impuberem dici existimat, cum agitur de matrimonio contrahendo, quoad pubuerit: etiamsi pervenerit ad duodecimum, aut decimumquartum annum. Proinde dicam facilius permitti nuptias infra ætatem legitimam quam prohiberi post ætatem legitimam prætextu tardioris pubis, confirmat etiam *cap. insuper, inf. qui matrim. accus. poss. et cap. 6. et 10. inf. h. t. et maxime cap 2. hujus tit.* quod nunc semul explicabo: eo plane definitur inter impuberes duos, vel inter puberem et impuberem nuptias non consistere, quia nuptiæ de affectu et animo fiunt, qui nullus in impubere esse intelligitur: et pubertatem æstimat ex annis, et docet aperte, in annorum definitione, in nobilis ætatis definitione canones legibus concinere. *Districtius*, inquit, *inhibemus ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus, vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur.* Verum additur in hoc c. 2. exceptio una, *nisi forte*, inquit, *aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur.* Hoc vult: pro bono pacis etiam inter impuberes consistere, aut tolerari potius debere matrimonia, pro bono pacis inter Principes, ut fit, vel inter familias illustres componendæ, aut tuendæ, ut in prima collectione Decretalium *eod. tit. cap. 6. in fine*, ait, *tolerari matrimonium, quod alius erat illicitum, ne discordia inter utriusque consanguineos olim exorta, nunc autem sopita denuo suscitetur*, hoc est, pro bono pacis. Quæ autem desunt initio hujus cap. 2. *Ubi non est consensus, et inf.* repleri possunt ex *can. 1. 30. q. 2. Ubi non est consensus utriusque, ibi non est conjugium*, et cetera, quæ habentur in illo can. 1. qui conjungendus est cum hoc cap. 2. Ad hæc quia in *Institutionibus tit. de nupt.* scriptum est, justas nuptias inter se cives Romanos contrahere, masculos quidem puberes, fœminas autem viripotentes, quæri potest, cur Imperator maluit fœminas dicere viripotentes, quam

puberes, cur non dicat masculos et fœminas puberes. Nam qu viripotentes sunt, aliter viripotes, quæ virum pati possunt, ut *l. pen. quand. dies leg. ced.* utique puberes sunt. Idemque quæri potest in *l. 1. §. Impubes, de Senatuscons. Sylan.* ubi masculos impuberes dicit, et fœminas eondum viripotentes. Hoc expediam uno verbo. Dico in fœmino auctores uti proprio nomine: in mare, quia deficit proprium nomen, uti communi. Non est autem prætermittendum, falsum etiam esse, quod in c. 3. in fine ex Isidoro proponitur, puerperas esse eas, quæ in annis puerilibus pariunt. quia et quæ quacunque ætate recenter pepererunt, puerperæ dicuntur, quod pueros pepererint, quorum appellatione continentur tam mares quam fœminæ. Denique puerperæ sunt νεοτόκοι, id est, recentes ex partu, non πρωτοτόκοι, quæ nunc primum pepererunt, *l. 136. §. 1. de verb. sign.*

AD CAP. *Tua fraternitas.* I.

Exstat hoc cap. I. etiam in can. 2. 31. *qu.* 2. cum eadem inscriptione, Hormisda Eusebio Episcopo, sic est restituenda, adjecto tamen titulo Paleæ, quo nomine quidam significari putant, quod cassum est et irritum, ut casse palearum dixit Solinus in India. Itaque Paleam dici per contemptum canonem nullarum virium, nullius fidei, vel auctoritatis, ut apud Joannem Cremonensem Abbatem Uspergensem imperator Fridericus qui Alexandro III. valde infensus erat post Alexandriam conditam in Liguria de nomine Alexandri III. eam Paleam vocat, quasi factam ex cassis palearum, ex stramine. Equidem verius puto, hoc nomen paleæ præponi antiquioribus canonibus, et decretis, et scribi debere cum diphthongo Palææ, quia et in basilicis sæpe video παλαιὸν nominari simpliciter antiquum Interpretem. et ita hanc constitutionem cum sit Hormisdæ, qui est ex antiquioribus Pontificibus, recte Palæam appellari. Sententia autem ejus hæc est: multum interest utrum puberem an impuberem filium pater despondeat in matrimonium. Nam si puberem, qui velle jam, et nolle potest. filii consensus necessarius est, alioqui nuptiæ non valent, *l. 2. de rit. nupt. l. 12. C. de nupt.* Sin autem impuberem despondeat in matrimonium, cujus nulla est voluntas, nulla scientia, nulla intelligentia, cujus status, et habitus non multum abhorrere dicitur a conditione furiosi in *l. 7. §. Plane, quibus ex caus. in poss. eat. l. 1. §. pen. l. Furiosus, de oblig. et act. l. 1. §. Hoc edicto, ne vis fiat ei, qui in poss. miss.* Si igitur desponderit in matrimonium filium impuberem, filius hic jam pubes factus, non potest mutare, aut rescindere quod pater fecit. Quod mirum videbitur, nisi reddatur ratio. Rationem hanc esse opinor, quia ut judicium impuberis dicitur suppleri auctoritate tutoris, *l. Quamvis. §. pen. de acquir. poss.* ita recte dici possit, judicium, voluntatem, et consensum, qui in impubere nullus est, nullusve erat, in hac specie patrem supplevisse, et perinde atque si consensus ipsius filii intervenisset, ratum et firmum esse quod fecit pater. In pubere cum agitur de nuptiis vel sponsalibus contrahendis ex præsenti tempore, nihil potest sola patris auctoritas: impubere omnia potest, et post pubertatem cogitur filius implere omnino, ut hic ait, quod necessitatem importat, non honestatem, ut glossa notat quod pater fecit. Posset opponi huic cap. *l. Si patre cogente de rit. nupt.* quæ valere matrimonium ait, si filiusfamilias patre cogente invito animo suo uxorem aliquam duxerit, quia maluisse hoc videtur, inquit. Verum quod in hoc c. dicitur non consistere matrimonium, quo pater filium puberem obstrinxit sine filii voluntate, id mox ita recte interpretatur, si aliquo modo non consenserit filius. Ergo si aliquo modo consensit. qualis qualis consensus sufficit, coactus quidem fuit ab initio sed consensit tandem et se vinci passus est, coactum consensus, coacta vel remissa, vel tacita voluntas sufficit. At si restitit semper, et reclamavit, sane nullum matrimonium est. Et hac de re consule Observ. 16. cap. 16. ult.

AD CAP. *Litteras.* IV. et CAP. *Accessit.* V.

Docet in cap. 4. post sponsalia contracta cum puella infante, id est, minore septennio, si vir antequam puella excederet infantiam, matrem ejus duxerit in matrimonium, jure matrimonium contractum videri, quia sponsalia illa pro infectis habentur, ut ostenditur etiam in *cap. 5. et cap. pen. inf. h. t. cap. ex parte, cap. de vest. sp. & l. 14. de sponsal.* sponsalia, inquam, facta inter infantes, vel cum infante pro infectis habentur: quia nullum consensum habent utriusque partis. Et longe alia est ratio sponsalium, quæ merum et purum consensum habent utriusque partis, licet alias jure non valeant, quia non ideo minus ex eis affinitas conjungitur, ut *cap. 4. sup. tit. prox. cap. 1. de sponsal. lib. 6.* Item matrimonium contractum cum matre puellæ injustum esse placet, si puella, postquam excessit infantiam, illa sponsalia approbarit, vel potius, si post infantiam refecerit sponsalia novo adhibito consensu, qui aliquis est in majore infante, et satis idoneus ad sponsalia concilianda, in infante nullus est omnino consensus. Unde si post infantiam sponsalia illi placuerint, si post infantiam consensus novus accesserit, si repetierit, et refecerit sponsalia, etiamsi nondum fuerit pubes, eodemque tempore vir matrem ejus duxerit uxorem, et rem cum ea mariti egerit, justum matrimonium non est, quod cum matre ejus contraxit: imo nec eam puellam matrimonio sibi jungere potest, salvo pudore, qui rem habuit cum matre ejus: nam et ex stupro affinitas conjungitur, ut diximus in *cap. 3. sup. tit. prox.* Additur in cap. 5. quod sequitur, post sponsalia contracta cum puella majore infante, in quæ ipse jam pubes facta pubertative proxima non consensit, ut recte interpretatur Joannes Andreæ filius, quamvis ipso jure vir absolutus sit fide, quam dedit, quia per eum non stat, quo minus fidem præstet, honestius tamen eum et jure factum, si abstinuerit nuptiis matris puellæ sibi desponsatæ, quia fuisse eum filiæ sponsum verum est, et filiam etiam ex ipsius matris sententia ei desponsatam fuisse. Quod ait ipso jure virum absolvi non consentiente puella post pubertatem, vel prope pubertatem, non pugnat cum eo, quod dixit ante, *et per te absolutus fuerit;* quia non est novum, ut sententia judicis absolvatur, qui jam satis ipso jure absolutus est: neque enim tam absolvitur a judice, quam absolutus declaratur. Unde in *cap. 2. sup. de jurejur.* non male glossa, *absolvimus*, sic interpretatur, absolutum declaramus. Et in *l. Sicut, §. Sed si quæratur, si serv. vind.* per sententiam judicis servitutem non constitui, sed eam quæ est declarari: scriptum autem est *cap. 4.* ad Herefordiensem Episcopum, *et cap. 5.* ad Eboracensem Episcopum, uterque Episcopatus in Anglia. Unde et Regis Angliæ mentio in integriore capit. quod exstat in breviario Bernardi Papiensis, Regis scilicet Henrici II. qui fuit tempore Alexandri III. auctoris harum constitutionum, horumve capitulorum: cujus quidem Regis interventu ille, de quo agitur, duxerat matrem puellæ desponsatæ sibi in cunabulis. Sic loquuntur semper canones in cunabulis, in cunis, cum de infante desponsata agunt. Cunabula enim sunt infantiæ panni, quos solus mortui secum auferunt, quasi retroacti ad diem natalem, ad ineuntem ætatem: ut apud Joannem Constantinopolitanum Episcopum, Lazarus in monumento cunabulis involutum. Pro quo in Evangelio est κειρίαις, Hieronymus, et vetus interpres, institis. Arnobius eleganter primo contra gentes, *pollinctorum cotamentibus.* Arato enim, vel cunabula sunt λίκνα, cum ait, Mercurium fabricasse lyram, cum esset in cunis, παρὰ λίκνῳ.

AD CAP. *Continebatur.* VI.

Puella impubes, major tamen infante, nupsit Lucio Titio ex parentum, id est, cognatorum sententia, et affirmantibus iisdem eam esse puberem, atque ita benedicta est in conspectu ecclesiæ, et in domum mariti tanquam uxor deducta, atque ab eo compressa. Pubes autem facta negat se fuisse puberem, negat se in Lucium Titium consensisse, negat se cum eo nuptias peregisse. Contra, Lucius Titius dicit, eam fuisse pubertati proximam, et consensisse in matrimonium, quod cum pubertati proxima jure contrahitur, *cap. 9. inf. h. t.* et dixi in *cap. 3. sup. t. prox.* ac Lucius Titius consensus argumentum ducit ex concubitu, et patientia puellæ. Et Pontifex quidem, viro allegante concubitum atque congressum, muliere negante, viro potius, qui modo id jurejurando firmaverit, credendum esse ait, quam mulieri, juxta *can. si quis accepit, 33. quæst. 1.* et quia puella proxima erat pubertati, quo tempore deducta est in domum mariti: justum matrimonium esse definit, et consequenter propter affinitatem, quæ intercedit inter virum et cognatos uxoris, et inter uxorem et cognatos viri, nec virum posse unquam, ne mortua quidem uxore aliam ducere ex cognatione uxoris, nec mulierem alii nubere ex cognatione viri. Et ut docui in *cap. 8. sup. t. prox.* hæc postrema pars hujus cap. est etiam accipienda de proxima pubertati, atque ita consentit cum *d. cap. 8. et cum cap. 11. in prima collectione Decretalium, de desponsat. impuber.* Nam si infans mihi desponsata fuerit, quia sponsalia nullius momenti sunt, non prohibeor ea mortua, vel post infantiam non contrahente denuo alia sponsalia, alii conjungi ex cognatione eadem. Quod et in extremo ejus capit, in veteri libro, quo continentur decreta Synodi Lateranensis primæ, ita scriptum legi: *Porro in cunis, inquit, vel infra septimum annum, si fuerit desponsata alicui, si postea aliquem de consanguinitate ipsius viri in virum acceperit, ab eo non separetur.* Nec obstat huic sententiæ *can. lex 27. quæst. 2.* quia ibi filiam despondit pater absentem, promisitque se daturum uxorem: ipsa autem non contraxit sponsalia, quæ res affinitatem nullam parit. Et ita etiam ibi glossa rectissime. Præterea notandum ex hoc cap. illo loco, *si fuerit pubertati proxima, ut in undecimo, vel circa duodecimum annum,* eam esse proximam pubertati, quæ agit a vel explevit annum undecimum, ut *cap. 21. sup. tit. prox.* ut Servio interpreti Virgilii eruditissimo is dicitur vicinus pubertati, Græce μελλέφηβος, qui gerit annum decimumtertium, et multo magis, cui supersunt ad pubertatem sex menses tantum, ut *l. Non tantum. in princ. de excusat. tut. l. Properandum. §. Et si quidem, C. de judic. et cap. 10. inf.* Notandum etiam, legitimam ætatem hoc loco accipi pro pubertate, ut *cap. 7. et 8. et 10. inf. et l. 2. C. si mat. indemn. promis.* et apud Arnobium in Psalmum VIII. *Non tantum, inquit, ætates legitimæ, sed etiam infantes, et lactantes ad laudem Dei erumpere.*

AD CAP. *De illis.* VII. et CAP. *A nobis.* VIII.

Jam didicimus ex *cap. 2. sup. h. t.* inter impuberes nondum proximos pubertati, vel inter puberem, et nondum proximum pubertati nuptias consistere non posse, vel sponsalia præsentanea, quæ nuptias imitentur, contracta scilicet post annos infantiæ, et quamdiu quidem sunt impuberes, vel quamdiu aliquis eorum impubes est, utroque, vel altero, qui impubes est, dissentiente, sponsalia dissolvi rite non posse, quia non est alia ratio, impuberes, neque consentire, neque dissentire, nec quicquam ante pubertatem scire, vel intelligere existimantur, ut *cap. 8. hoc. t. l. ult. de jur. et fact. ignor. l. 1. C. de fals. mon.* expectandam igitur esse pubertatem, ut tum vel consentiant, vel dissentiant, id est, ut tum gesta ante pubertatem probent, vel improbent: post pubertatem dissensu mutuo, vel ejus renuntiatione, qui impubes erat sponsalium tempore, rite ea dissolvi, adhibito scilicet, ut sit, ju-

judicio ecclesiæ, quæ una est arbitra matrimoniorum, vel sponsalium contrahendorum, aut dissolvendorum, *cap. 18. sup. t. prox. cap. 7. supra, de sentent. et re judic.* Contra consensu puberis nuptiis peractis, etiamsi alter adhuc sit impubes, non esse puberi integrum dissentire, qui pubes cum esset semel consensit, et eo consensu proprio obligatur, adeo ut nec ulla ratione ea obligatione possit absolvi, nisi causam dissidio præbuerit alterius conjugis jam facti, factusve puberis dissensus. At quod ait in hoc *cap. 7.* et 8. ante pubertatem non audiri eos, qui cum adhuc essent impuberes, majores tamen infantibus, vel qui cum impubere, majore tamen infante, nuptias, vel sponsalia contraxerint, si dissentiant, et ea dissolvi desiderent; id pugnare videtur cum cap. 4. *et 5. sup.* ex quibus paulo ante intelleximus, sponsalia inter septennes, vel cum septenni facta præmatura contra definitionem legum, et canonum, qui in sponsalibus contrahendis omnino desiderant annos septem, post septimum annum, id est, statim post infantiam subsequuntur impuberum consensus, denique si inter infantes sint contracta sponsalia, vel cum infante, et post infantiam consenserint, sponsalia ante facta in infantia quodammodo convalescere. Verum, ut respondeamus, non tam convalescunt, quæ ab initio nulla erant, id est, quæ in infantia contracta sunt, quam redintegrantur, renovantur, reficiuntur, post infantiam qualiquali impuberum accedente consensu, quia hac in re qualiscunque consensus, qualiscunque voluntas sufficit, *cap. 1. sup. h. t.* Ut igitur sponsalia contracta post infantiam, nullis ante factis immature sponsalibus valeat, quamvis impuberum propria nullus sit consensus: ita factis in infantia sponsalibus deinde post infantiam aliis denuo sponsalibus contractis hæc posteriora quasi nova sponsalia valent, quæ nihil habent commune, vel conjunctum cum prioribus factis in infantia. Et ita res procedit in *d. c. 4. et 5.* qualiscunque consensus, ergo et impuberum consensus qualisqualis conciliat sponsalia. At in hoc cap. 7. et 8. non proponitur infantes desponsatos, sed impuberes, post infantiam scilicet, post primam ætatem: quæ quidem sponsalia ante pubertatem dissensu dissolvi non placet. Recte autem conjunximus hæc duo cc. 7. et 8. quia ad eundem Episcopum scripta sunt, ad Episcopum Batoniensem, qui Episcopatus nunc est in Anglia. Et sane constitutiones, quæ ad Angliam pertinent, multo sunt plures, quam quæ ad alia regna pertinent. Nam et olim Reges Angliæ Romanis Pontificibus tributarii fuerunt ab Henrico secundo. Et qui non reges olim? Nam itea Franciæ, qui creditur semper fuisse immunis, Rex Carolus quidam dicitur pro regno Franciæ Pontifici censum dedisse ab Alberico in *l. Item illa, de constitut. pecun.* Ac præterea in fine cap. 8 ut legitur in prima collectione Decretalium, sive in Bræviario Bernardi Papiensis, quod idem est, ex *cap. 7.* hæc verba, *si vero alteruter istorum, etc.* repetuntur in hoc *cap.* 8. Quod amplius est in *cap. 8.* est exceptio ad id, quod dixit, inter impuberes vel cum impubere nuptias non consistere, nempe exceptio hæc, nisi malitia, sive prudentia supplente ætatem, ut ait *cap. ult.* et pubertate advertente annos pubertatis, sexuum commistio ante annos pubertatis intercesserit, quia [illegible], sive congressus nuptias irroborat, atque consummat.

AD CAP. *De illis.* IX.

In specie hujus cap. qui impuberes, pubertati tamen proximi, matrimonium coierant, ut sibi liceat divertere, dissolvere matrimonium, Ecclesiam rogant, duabus freti rationibus, quod impuberes coissent in matrimonium, et quod vi illata a parentibus ad matrimonium contrahendum adacti fuerint. Et Pontifex priorem rationem non admittit, si fuerint pubertati proximi, quia ii pro puberibus habentur, et jure contrahunt matrimonium, ut docuimus supra variis in locis: posteriorem tamen rationem admittit, si modo vim illatam probent, nec post eam vim novum accessisse consensum: nova enim voluntas, vel ratihabitio conciliat nuptias, ut *cap. 6. et 21. sup. tit. prox. cap. insuper inf. qui matr. accus. poss.* Conjungendum autem est hoc c. cum *cap. 4. inf. de spons. duor.* Utrumque est Urbani III. ad Januensem Archiepiscopum, et conjunctum utrumque, atque uno tenore, et contextu uno conscriptum etiam legitur post Concilium Lateranense partis 50. cap 41. Januensem posteriores dixerunt pro Genuensi, vel Genuate, Januenses pro Genuensibus, vel Genuatibus, in veteri quadam inscriptione, de finibus Genuatium.

AD CAP. *Attestationes.* X.

Hujus cap. species hæc est: Impubes puberem duxit uxorem, cum qua frustra tentavit, quod erat viri, sicut utraque confitetur, qua ex re sola et conatu solo matrimonium non confirmatur, sed non præsumitur esse contractum, *cap. ult. sup. t. prox.* quod et docuimus affatim in *cap. 3. eod. tit.* Idem vero impubes antequam pervenisset ad pubertatem, eam mulierem dimisit, nec post pubertatem, vel post ætatem pubertati proximam in eam ullo modo consensit: idcirco nec inter eos justum matrimonium fuisse intelligitur, et liberum est utrique transire ad aliud matrimonium quia a priori consensu abest liber et solutus, merus et purus. Ponit, non potuisse mulierem probare consensum viri, quem allegabat, per testes idoneos, alioqui matrimonium teneret, si id probasset testibus idoneis. Inde vero observa, etiam post publicata dicta testium, ut contingerat in hac specie, cum ponat attestationes, sive depositiones testium fuisse ab Episcopo Cenomanensi transmissas ad Romanum Pontificem, post publicata, inquam, dicta testium admitti novam testium productionem, quod regulariter tamen non fit. Verum si fiat in hac specie, mirum videri non debet, quia alia res est, cujus probandæ causa novi testes producuntur, puta consensus mariti, quem mulier allegat: alia vero res est, propter quam initio litis testes producti, et testimonia publicata sunt, nempe minoris, et illegitimæ ætatis, et repudii missi ante legitimam ætatem probandi causa, quod glossa notat rectissime ex *cap. fraternitatis, et cap. causam, quæ vertitur, et cap. ex tenore, sup. de testib.* Post publicationem igitur testium, vel testimoniorum, de eadem re non admittitur nova productio testium, de alia re admittitur, quid ni? Etiam illud observa, in hac specie actore non probante, puta muliere non probante consensum viri, quæ ut ait, sibi visum adserebat, et reddi desiderabat, quo omnino comparatum est interdictum tam vindicanti uxorem, quam maritum: atque ita actore non probante, reum, id est, virum non absolvi, nisi dato jurejurando juraverit, se in eam post pubertatem, vel prope pubertatem non consensisse, cum tamen dicatur in *l. Qui accusare, C. de eden.* actore non probante, reum, etiamsi nihil ipse pro sua parte præstat, absolvi: ergo etiamsi non præstet jusjurandum, si non probet exceptionem, quam contestatus est, ut *l. Si quidem, C. de except.* Et in *can. Christiana, 32. q. 5. probatione cessante vindictæ rationem conquiescere.* Unde et Cassiodorus non ineleganter 7. Variarum: *Reus, qui dicitur, et probetur.* Et Apulejus in 1. Apologia: *Omnes homines*, inquit, *rei constituuntur, si ei, qui nomen cujuspiam detulerit, non ita sit probandi necessitas, omnia contra facultas percunctandi.* At, ut respondeamus, in dubiis causis ex diverso dicitur recte jusjurandum deferri deficientibus probationibus, *l. Admonendi. de jurejur.* at hic quoque dubiam fuisse causam necessario ponendum est, propter præsumptionem forte ex utraque parte conflictam, ideoque etiam actore non probante recte Pontificem a reo jusjurandum desiderare, recte reo jusjurandum deferri.

AD CAP. *Ex literis.* XI.

Species est de puella proxima pubertati, puta agente annum duodecimum, quæ desponsata est impuberi agenti annum nonum, vel decimum: ergo impuberi nondum proximo pubertati. *Desponsata*, inquit, *et jurata*, ut in *cap. 13. sup. t. prox.* ubi quidam perperam legunt, *violata*, pro, *jurata*, quos istud cap. refellit, cum illo collatum quia in utroque dicitur jurata, et desponsata. Eadem quoque puella perducta est in domum patris sponsi, quasi soceri sui, non quidem, sua, sed parentum voluntate, id est, voluntate matris, et fratrum, ut legitur in authentico, id est, in prima collectione Decretalium, sicut apud Tertullianum, *libro de carne Christi*, scribentem de matre, et fratribus, quos quodammodo Dominus abnegavit, cum eorum nomine compellaretur agens ea, quæ erant patris Dei omnipotentis. *Cum*, inquit, *indignatur parentes*, id est *matrem, et fratrem, non negat, sed objurgat.* Et infra: *negavit parentes, quomodo docuit esse negandos, pro Dei opere:* elegantissima, negandi sunt cognati, pro Dei opere. Eadem vero puella in domo patris sponsi invito animo suo, ut hic proponitur, plus quam annum fecit persuasionibus, et minis eorundem parentum impulsa. Post, majorem nacta libertatem, vel majorem adsumens animum, rediit in domum propriam. Quæritur, an sit ei liberum alii nubere, non expectata sponsi pubertate? Et ait monendam quidem eam esse, ab Episcopo scilicet ecclesiæ, ut expectet sponsi pubertatem, qua sponsus liquido possit exprimere suam sibi sententiam, et jus suum tueri: ceterum non esse cogendam, et posse igitur admonitionibus Episcopi non dare locum, et alii nubere statim quia rata non sunt sponsalia cum impubere contracta nondum proximo pubertati: et quia ipsa quoque adserit, se neque in eum consensisse, nec, unquam se ei præbuisse morigeram, quæ res pro consensu esset. Concubitus pro consensu est, cum sponsalia præcesserunt qualiaqualia. Valde autem hoc cap. moderatur, et temperat, quod ante cavetur, *c. 7. et 8.* de exspectanda impuberis pubertate, antequam pubes ad alias nuptias adspiret, monendus enim tantum est, ut interim aliis nuptiis abstineat, non cogendus, vel cogenda. Et quod Bernardus ait hoc loco, in *d. c. 7. et 8.* sponsalia tenuisse, profecto non est verum, quia ut in hoc, ita et illis minor ætas sponsalibus obstitit.

AD CAP. *Duo pueri.* XII.

Proponitur in hoc capit. species hujusmodi: Nuptiæ contractæ sunt, vel sponsalia de præsenti inter infantes, uno agente sextum, altero septimum annum, et post infantiam, una vixerunt per triennium in eadem domo mutuo consensu, et affectione maritali, sine querela, sine offensa. At triennio transacto pater puellæ eam sponso abduxit, et collocavit Martino, cum quo vixit septennium. Deinde Martinus eam repudiavit, cum existimaret eam sibi justam sponsam justamve uxorem non esse propter sponsalia ante cum alio contracta, cum quo diu morata erat non ingratiis. Prior autem sponsus jam pubes factus, abducta sibi sponsa a patre, impetrata, ab Episcopo suo venia cum alia contrahendi, duxit in matrimonium consobrinam prioris sponsæ. Non erat ei data venia contrahendi cum consobrina prioris sponsæ, sed cum alia: verum ipse hac impetrata venia duxit consobrinam prioris sponsæ, nec tamen ut ipse affirmat, eam subegit, eam cognovit, cui illa affirmante contrarium, jam didicimus ex *cap. 6. sup. h. t.* potius fidem habendam esse viro, quia ut ait hoc loco, et notanda est hæc ratio ex D. Paulo, vir caput est mulieris, hoc scilicet tribuitur præstantiæ viri, ut ei potius credatur, quam mulieri: non inepta ratio. Cum autem pater, qui eam Martino nuptum collocaverat, viderat eam esse repulsam a Martino id egit totis viribus cum priore sponso, vi, vel clam, vel precario, qui duxerat consobrinam filiæ, neptem suam, ut loquitur, ut eam dimitteret, et ad filiam suam rediret. Quod et fecit, et cum ea post reductionem tranquille vixit per biennium, et

cohabitavit, inquit, quod est rem peregit. Ad hæc Clemens III. hoc loco respondet, nullum fuisse matrimonium inter infantes, nulla sponsalia, quod et ante dictum est: et illa nubente alii ætate legitima et congrua, licuisse etiam viro jam facto puberi, quasi absoluto ipso jure fide priore, aliam ducere, quod etiam Episcopus, cui suberat, ei permiserat, ut aliam duceret, non consobrinam tamen, vel cognatam prioris sponsæ usque ad quartum gradum. Ceterum neque cum consobrina prioris sponsæ ei fuisse connubium propter publicam honestatem: quia sponsalia cum priore præmaturius contracta, post infantiam novo consensu redintegrata erant, *cap. sponsam, sup. t. prox.* Non esse etiam ei connubium cum priore sponsa, quæ alii, puta Martino, legitime nupta erat, duos maritos habere non licere. Itaque, si prior sponsus prioris sponsæ consobrinam non cognoverit, utrique licere aliud matrimonium contrahere, sub hac lege tamen, ut uterque agat pœnitentiam, quæ irrogabitur ad tempus eo nomine, quod contra canones invicem coierint in matrimonium. Sed si consobrinam illam prioris sponsæ cognovit, quamdiu, quæ est constitutio nova hujus cap. alter eorum vivit, neuter potest alii matrimonio conjungi. Hæc est pœna illiciti et inhonesti congressus, eademque adulterii, ut docui *cap. 9. sup. tit. prox.* et in hanc rem hic locus, ut dixi, singularis est. Nihil autem refert, ante an post matrimonium contractum cum ea, cognoverit eam, quia utut eam rem gesserit, semper stat hæc sententia, nullum esse matrimonium cum consobrina sponsæ contractum, et cum sponsa quoque illa nullum matrimonium consistere posse, cui postea Martinus maritus legitimus esse cœpit, et cui ideo etiam ipsa restituenda est, injuncta Martino pœnitentia temporali, quod absque judicio ecclesiæ temere eam dimiserit. Nam ecclesiam prius consulere debuit, *cap. 1 sup. tit. prox. juncta glo. cap. porro, inf. de divort.* Injungenda quoque videtur esse mulieri pœnitentia adulterii, si rem habuerit cum priore sponso, nisi excusata esset ignorantia rerum, quæ in ea erat, et patris auctoritate, qui hoc negotium omne conturbarat. Observa autem, hoc capit. neptem dici filiam fratris, vel sororis, ut nepotem *cap. 7. de consanguin. et affin.* Sic posteriores locuti sunt, imo et priores, cum adjuncto tamen, veluti nepotem neptemve ex fratre, vel ex sorore. Spartianus nepotem neptemve per fratrem, vel per sororem, vel nepotem neptemve fratris, aut sororis. Eutropius *lib. 7.* Octavianum Augustum vocat Julii Cæsaris nepotem, qui filius erat Atiæ sororis Julii Cæsaris. Livius in *Epitome* 116. nepotem sororis Octavianum vocat.

AD CAP. *Ad dissolvendum.* Penult.

Quod jam sæpe diximus, nec majori probatione indiget, cum puella infante nec matrimonium neque sponsalia esse, id in hoc c. pen. adeo verum esse ostenditur, ut nec si arguatur cognatio propinqua inter eam et sponsum, talis sit admittenda criminatio, quia matrimonium, quod non est, legitime accusari non potest. Subesse enim in omni accusatione rem oportet quæ accusatur. Proinde id tantum matrimonium accusari potest, quod habet consensum utriusque partis per causam proximitatis, quæ inter maritos sit, vel quam aliam causam legitimam, non etiam matrimonium, quod consensum non habet utriusque, non sponsalia, quæ consensum non habent utriusque, puta, quæ cum minore septennio contracta sunt, quæ constet esse ipso jure nulla, et omnino non esse igitur vel matrimonium, vel desponsatione cum infante. Facit autem hoc loco differentiam inter denuntiationem, et accusationem, et accusari quidem frustra per causam proximitatis matrimonium, quod non est, sed non frustra tamen denuntiari utrisque, ne facti puberes matrimonium contrahant, vel ne post infantiam sponsalia redintegrent. Accusamus matrimonium quod factum est ut rescindatur: denuntiamus autem propinquitatem, vel aliud impedimentum, antequam factum sit matrimonium, ne fiat. Sicut denuntiamus novum opus, ei, quod molitur vicinus, nondum fecit, faciat: agimus interdicto quod vi aut clam, ut id, quod jam fecit, tollat, vel reponat quod sustulit, *l. 1. §. 1. de nov. oper. nuntiat.* Et, ut denuntiatio novis operis sistit, et inhibet opus; ita et denuntiatio propinquitatis inhibet matrimonium, donec denuntiatio probata, aut remissa fuerit, discussis scilicet exceptionibus adversæ partis, quæ forte alleget, denuntiationem non fieri legitimo modo, vel fieri incongruo tempore, vel fieri ab iis, quorum fides merito debeat esse suspecta. In hac specie agebant fratres puellæ Conradus et Petrus Malebranche, quæ familia in hac provincia est, de dissolvenda conjunctione puellæ, partim infantiam puellæ allegantes, partim proximitatem accusantes, et denuntiantes, quorum accusatio non recipitur, denuntiatio tamen recipitur.

AD CAP. *Tuæ nobis.* Ult.

Proponebatur quidam filiam suam proximam pubertati despondisse Lucio Titio, qui et mox eam subarraverat accedente mutuo, et præsenti consensu, quæ res si ita gesta sit constat justum matrimonium esse, etiamsi nondum, ut ait, concubitus intervenerit: matrimonium consensum facere, non concubitum, ut vulgo dicitur, justum matrimonium facere solam mentem matrimonii contrahendi. At si puella nondum erat proxima pubertati, nondum, doli et prudentiæ potens, inter eos non matrimonium, sed sponsalia contracta videri, tametsi a viro fuerit subarrata, modo, quod semper excipitur, et subarrata non fuerit: arram non esse argumentum nuptiarum, sed sponsalium contractorum. Et rursus quod est valde singulare, sponsalia de futuro videri contracta, ut *cap. un. §. 1. lib. 6. eod. tit.* licet verba collata fuerint in præsens tempus, atque ita licet quodammodo matrimonium contractum videatur, quia nec matrimonium consistere cum illa potuit, in qua prudentia non supplebat ætatem. Valde hoc singulare est, ut sponsalia de præsenti accipiamus pro sponsalibus de futuro, cum ætas minor nuptiis, vel quasi nuptiis impedimento est. Itaque hoc casu puella jam pubere cum alio matrimonium contrahente, qui non sit ex cognatione sponsi intra quartum gradum, sponsalia suprædicta, quæ intelliguntur esse de futuro duntaxat, discuti, et dissolvi, quasi sponsalia in futurum collata, licet verba præsentis fuerint. Subarrari etiam legunt quidam apud Solinum, cap. 16. illo loco: *nupturæ, quæ præ aliis specie valent, subarrari volunt, et licentia taxationis admissa, non moribus nubunt, sed præmiis*, ubi tamen verius est *subhastari* esse legendum, non *subarrari*. Iidem etiam ex illo loco Solini in cap. 1. *sup. tit. prox.* perperam legunt, *donaverat*, pro *dotaverat*. Plerumque autem sponsæ annulo pronubo subarrantur, ut *can. nostrates, et can. feminæ, 30. q. 5. l. 36. §. 1. de donat. int. vir. et ux.* et in legibus Longobardorum *tit. 22.* et in libro Adelmi, qui est liber eruditissimus, et scriptus fere totus lingua prisca, *de laudibus virginitatis: simulata*, inquit, *matrimonii connivendia invitus annulo subarratam sortitur virgunculam.* Eum autem annulum, ut fit etiam hodie, non habuisse σφενδόνην, id est, fundum vel palam, *ex quo nunc appellant chatum*, Plutarchus scribit in Problematibus. Subarrantur etiam sponsæ monilibus muneri missis, sive monolis. Monolia, et monilia idem est, ut apud Julium Capitolinum, in Maximo Juniore: *arræ*, inquit, *tales erant: monolium de albis novem* (id est, margaritis) *reticulum de prasinis undecim* (id est, smaragdis) *dextrocherium cum catula de hyacinthis quatuor, præter vestes auratas, omnesque regias, ceteraque insignia sponsaliorum.* Unde et Hesychius [illegible], et χαλδόρμα interpretatur esse περιδέματα ἀρραβωνικά. Scripta autem est hæc constitutio Episcopo Halberstadiensi, sic est legendum, qui Episcopatus est in Germania sub Archiepiscopo Moguntino.

AD TITULUM III.

De Clandestina desponsatione.

Tancredus vetus interpres Decretalium in *cap. 3. hujus tit.* notat, clandestinam desponsationem, vel clandestinum matrimonium dici tribus modis, quod factum est nullis testibus præsentibus, ut *cap. 2. h. t.* vel quod testibus præsentibus, et in ecclesia, sed in ecclesia, vel diœcesi alienа non sua, ut *cap. 1. de clandest. desponsat.* in secunda collectione Decretalium, et cui non est adhibita ἱερολογία, sive benedictio, quod ecclesia scilicet non conciliavit, quod item non conciliavit consensus parentum, in quorum potestate sunt, qui coeunt, et cum non est præmissa bannorum, ut vocant, præmonitio, ut *can. 1. 30. quæst. 5. cap. 3. h. t.* Exigebatur etiam olim dos, et donatio propter nuptias, et paranymphorum custodia, ac deductio, oblatio, quam faciant sacerdotes, ut *d. can. qualis, et can. sponsus, eadem causa, et qu.* qui loci melius declarent, qui sint paranymphi, quam ulli Grammatici. Paranymphi sunt, qui adsident novæ nuptæ, donec eam sacerdoti benedicendam obtulerint, et deduxerint in domum viri. Quæ tamen omnia, si non intervenerint, non ideo matrimonium ullum vitium incurrit. Exigebatur etiam in puella consensus cognatorum, *d. can. 1. et cap. 1. de desponsat. impub.* collectione tertia, ubi nominatim ait, adsensum cognatorum in puella nuptum collocanda præcipue requiri. Verum, id etiam hodie non est necesse, juxta *l. In copulandis, C. de nupt.* Exigebatur etiam *ex d. can. 1.* omnibus solemnibus expletis continentia bidui, vel tridui, quod novi nupti quidam male sani longius producunt, non tam sua sponte, quam fascino, aut nescio qua mentis stupiditate correpti: alii ne momento quidem hoc servant.

AD CAP. *Si quis.* I.

De nuptiis, vel sponsalibus, quæ furtim et clandestine fiunt, unde furtivæ nuptiæ in *l. 7. C. de rep. in c. 1. hujus. tit.* hoc proponitur ex concilio Arelatensi, si quis clam desponsaverit aliquam, et mulier negaverit, se fuisse desponsatam (facile, et perquam proclive est negare, quod clanculo gestum sit) vir autem adfirmet eam sibi desponsatam esse; viro incumbere probationem. Quod non tam hac ratione fit, ut glossa tentat, quod vir caput sit mulieris, quod vir sit auctor mulieris, ut Beatus Ambrosius loquitur *in Epist. Sancti Pauli ad Ephesios cap. 5.* quam quod, ut est in *l. 2. de probation.* ei incumbat probatio, qui dicit, non qui negat. Recte Tancredus hoc loco legit, *si quis clam desponsaverit aliquam, et mulier neget hujusmodi desponsationem*, Male vulgo, *et mulier, vel vir*. Nam si vir negat, tum mulieri, non viro, ut subjicit, incumbit probatio, quod et glossa tradit hoc loco.

AD CAP. *Quod nobis.* II.

Ostenditur in hoc cap. clandestinum et occultum matrimonium, quod factum est remotis arbitris, et nullis superstitibus præsentibus, extra conspectum et faciem ecclesiæ, ita demum valere, si postea res omnis palam ecclesiæ denuntiata fuerit, et ecclesia, quod clam gestum est, ratum habuerit, ut *can. 1. in fin. et can. nec illud, 30. q. 5.* Et proculdubio, quod gestum est ecclesia approbaturа est, conjugibus utrumque agnoscentibus, et denuntiantibus ecclesiæ bona fide uti res inter eos initio gesta fuit, nisi scilicet aliud impedimentum subsit. Ac præterea liberos ex eo matrimonio procreatos post rehabitionem,

et approbationem ecclesiæ esse legitimos, ut *cap. 9. inf. qui filii sint leg.* quod cum isto omnimodo conjungendum est. Ex legitimo matrimonio legitimos nasci *cap. 5. sup. t. prox.* ex illegitimo illegitimos, *can. si quis viduam, 34. dist.* et clandestinum matrimonium non est legitimum ante ratihabitionem ecclesiæ : ergo natos ante ratihabitionem ecclesiæ non esse legitimos, etiamsi cum subesset aliquod impedimentum, id conjuges ignoraverint, quia excusata eorum ignorantia non est, qui clam rem gerunt, *cap. 3. inf.* Cur enim clam, nisi quia sentiunt subesse periculum, aut impedimentum aliquod? Nihil ergo prætextus ignorantiæ eis prodest, quæ non est probabilis, quæ affectata est potius, *d. cap. 3.* At si factum est matrimonium palam in conspectu totius ecclesiæ, etiamsi postea emergente, et patefacto impedimento aliquo divortium intercesserit ex sententia ecclesiæ, interim ex eo concepti, non tantum nati, sed etiam concepti liberi non sunt illegitimi, *cap. 2. inf. qui filii sint leg.* In iis, qui palam rem gesserunt, ignorantia excusatur: scientes autem non excusantur, etiamsi palam coierint matrimonium, *d. cap. 3.* Multum interest, quid fiat clanculum, an in propatulo: qui quid faciunt palam, etiamsi quod faciunt non sit legitimum, tanquam errantes excusantur, aut mitius puniuntur: qui clam, tanquam contumaces gravius coercentur, *l. ult. de rit. nupt.* ubi differentiam facit inter eos, qui scientes, et eos qui ignorantes in incesti crimen incidunt. Ac præterea certum est, palam ambire magistratum licere, non clam: ex lege Julia de ambitu. Palam tutori rem pupilli emere licere, non clam, *l. 2. §. Tutor, pro empt.* Quintilianus, *lib. 5. cap. 10. dicam bona mente factum, utroque palam, mala, ideoque ex insidiis, noctu, in solitudine.* Et hinc etiam in jure differentia inter fures nocturnos et diurnos. Seneca lib. 3. Epistolarum, loquens de gladiatoribus: *quæ clam commissa*, inquit, *capitis luerent, tamen, quia palam fecere, laudamus.* Non omittam in hoc c. 2. pro *compellendi*, rectius legi, *repellendi*, post concilium Lateranense, quod factum est sub Alexandro III. partis 50. capit. 17.

AD. CAP. *Cum inhibitio.* Ult.

Jure veteri inter cognatos ex transversa linea (nam inter parentes in recta linea, et liberos in infinitum nuptiæ prohibitæ sunt) vel inter affines prohibitum erat matrimonium usque ad septimum gradum, *can. 1. et can. nullum, et can. progeniem, et can. de consanguinitate, et can. nulli. 35. q. 2.* Hodie, ut ait hoc loco, in ultimis tribus gradibus, id est, quinto, sexto, septimo inter cognatos matrimonium permittitur, nec prohibitio excedit quartum gradum ex concilio Lateranensi habito sub Innocent. III. *ca. pen. inf. de consang. et affin.* cujus etiam articuli fit mentio initio hujus cap. quo proponitur alius articulus ejusdem concilii. Verum intra quartum gradum, ut ait hoc loco, districte decretum concilii Lateranensis observandum est, incluso ipso gradu quarto. Et præterea, ne quid fiat furtim contra concilii sententiam, ne quid clam contra decretum Patrum admittatur: ideo, ut hic proponitur, plebem a ministro ecclesiæ certiorari oportet de futuro matrimonio edictis sive bannis publice propositis, quod exposuimus in *cap. 27. sup. de sponsal.* denique plebs commonefacienda est a ministro ecclesiæ cujusque de nuptiis, quæ inter aliquos contrahendæ sunt, ut cuilibet contradicendi, et objiciendi cognationem, vel quam aliam causam legitimam, quæ nuptias impediat, intra diem certum, quem minister præscripserit, sit copia et facultas. Hic fuit olim, ut ait hoc loco, mos quarundam locorum, veluti ecclesiæ Gallicanæ, *d. cap. 27.* et ecclesiæ Papiensis, *cap. 8. de testib. in 1. collectione, etc. qui matr. accus. poss. in eadem collectione.* Et hic mos hac constitutione, sive hoc decreto synodi Lateranensis generaliter porrigitur in universum orbem Christianum, ut ne fiant nuptiæ antequam banna, quæ vocant, palam in ecclesia populo exposita fuerint, ut cuilibet sit facultas contradicendi futuro matrimonio, post banna illa scilicet, vel interim. In libro Constitutionum Archiepiscoporum Cantuariensium hujus cap. ultimi mentionem facit Simon Mepham Archiepiscopus Cantuariensis his verbis: *Quia ex contractibus matrimonialibus absque bannorum editione prohibita initis non nulla pericula evenerunt, et manifestum est in dies provenire: omnibus, et singulis*, inquit, *suffraganeis nostris præcipimus statuendo, quod decretalem cum inhibitio*, (id est, hoc. c. 3.) *qua prohibetur, ne qui matrimonium contrahant bannis non præmissis, etc. exponi faciant vernacula lingua.* Patet autem cuique idoneus aditus post banna ecclesiæ ad objicienda crimina, quæcunque matrimonio contrahendo impedimento sunt, bona fide non malitiose, ut ait in fine hujus cap. Ac proinde popularis hæc objectio, contradictio, vel denuntiatio est : ita tamen ut si plures sint contradictores, constituatur quasi divinationis judicium, et præferantur hi, qui sunt alterutri parti sanguine conjuncti, quod glossa notat recte ex Tancredo: vel iis deficientibus, ecclesia æstimabit ex fide, dignitate, ætate, quis eorum idoneior sit, sicut fit in omnibus popularibus judiciis, *l. 2. §. Hoc interdictum. et §. seq. ne quid in loco pub. et l. Si plures. de accus.* Adjicit Tancredus, nullo præmisso banno, cujus rei etiam ex causa ecclesia veniam facere solet, post matrimonium contractum eos, qui tum temporis non erant ignari impedimenti, et tacuerunt tamen, non admitti ad matrimonii accusationem. Quod etiam dicendum opinor, si edicta illa, sive banna præcesserint, et qui sciebant impedimentum intra diem præscriptum non prodierint in publicum, idque ecclesiæ renuntiaverint; neque enim post contractum matrimonium audiendi sunt, quia incongruo tempore, et serius prosiliunt ad accusationem, ac merito suspecti sunt, *cap. 8. de testib. in 1. collectione, cap. ult. inf. qui filii sint legit.* Ceterum si sint extra omnem suspicionem, admittuntur etiam post contractum matrimonium, *d. cap. 8. et cap. 4. sup. de sponsal.* quod cum illo conjungendum est. Sequitur in hac constitutione, liberos ex clandestino matrimonio procreatos, quod fecerunt, qui erant sanguine conjuncti intra quartum gradum, esse injustos et illegitimos, nec excusari propter ignorantiam parentum, puta, quod parentes ignoraverint sanguine conjunctos se esse in tertio, vel quarto gradu, quia etiam coeundo in matrimonium plene indicarunt se nonnihil scisse de vitio, quod suberat, de impedimento, de cognatione, vel saltem, ut ait, hanc ignorantiam affectasse videntur: affectata ignorantia non excusat, *cap. 2. de tempor. ordinat. lib. 6. l. 4. C. de incest. nupt.* At contra, si clandestinum matrimonium non fuerit, liberos ex eo procreatos excusat ignorantia parentum, quo minus injusti, et illegitimi judicentur, etiamsi parentes incestum per illiciti matrimonii conjunctionem errantes admiserint. Non conservatur quidem matrimonium, quod incestui commistum est, sed conservatur status liberorum, ut *l. 38. §. Idem Pollioni. ad leg. Jul. de adulter. l. Qui in provincia, §. ult. de rit. nupt. cap. 2. inf. qui filii sint legit.* Et glossa recte, vel unius ex parentibus ignorantiam conservare statum liberorum, ut *d. l. Qui in provincia.* Ubi tamen exigitur, ut concurrant quatuor ne filii pro injustis habeantur, diuturnitas temporis, quo mulier in matrimonio avunculi fuerit, et juris ignorantia, puta, si existimaverit mulier, in avunculi matrimonio esse licere, sicut et in patrui : nam ante constitutiones Christianorum Imperatorum fratris filiam ducere licuit, non filiam sororis. Et ideo in Digestis perpetua mentio matrimonii contracti ab avunculo cum filia sororis, nusquam matrimonii contracti a patruo cum filia fratris. Quod memini me explicare in Observatione quadam, et probare perquam evidenter. Sic illa, ut ibi proponitur, cum videret cum patruo esse connubium existimavit et cum avunculo esse connubium : quem errorem auxit, quod ab avia sua collocata esset avunculo, quæ est tertia circumstantia *d. l. Qui in provincia.* Quarta et ultima hæc fuit, quod ex ea conjunctione extarent plures liberi. Movit Imperatores in ea l. numerus liberorum, ne tot liberi censerentur esse injusti. Moverunt igitur Imperatores quatuor circumstantiæ, quas etiam omnes vult concurrere, ut conservetur status liberorum ; matrimonium autem proculdubio dissolvendum est. Ponit ignorasse mulierem juris impedimentum, virum autem sciens. Ex quo patet scientiam unius non officere liberis, sed scientiam utriusque. Quod hoc loco satis aperte proditum est: si ambo parentes, inquit, scierint justum non esse matrimonium propter proximitatis necessitudinem, quod palam contraxerunt in conspectu ecclesiæ, ex eo justos liberos non nasci : nasci ergo justos, si vel unus ignoravit. Favemus liberis potius, cum unus ignoravit, quam cum unus scivit. In extremo hujus cap. ponitur sanctio sive ποινηλασία adversus sacerdotes non parochiales, ut est in supradicta constitutione Simonis Mepham, et adversus regulares, qui scilicet sunt Canonici, vel monachi, qui scilicet intar fuerint clandestinis matrimoniis contrahendis. Neque enim, quod eorum aliquis interfuerit, ideo minus est clandestinum matrimonium, si factum fuit extra conspectum ecclesiæ, si in aliena diœcesi sine licentia sui Episcopi, si in ulla sine testibus, et non ex exposita palam populo futuri matrimonii professione, vel deliberatione. Hæc autem pœna irrogatur sacerdotibus non parochialibus, qui interfuerunt clandestino matrimonio contrahendo, ut ab officio, quod gerunt in ecclesia, per triennium suspendantur. Eademque est pœna sacerdotis parochialis, qui negligens fuit in clandestinis, vel interdictis matrimoniis investigandis, coercendis, vindicandis. Sacerdos aut est parochialis: si est rector et minister ecclesiæ, qui sæpe in his libris dicitur plebanus, et sic vulgo in Italia: aut sacerdos est non parochialis, ut quilibet alius, cui nondum ulla ecclesia concredita est. Quin etiam sacerdotis appellatio horum non est propria, sed Pontificum. Ambrosius in primam ad Corinthios cap. 4. *Jurisconsulti*, inquit, *sive Pontifices, quos vocant sacerdotes, certos dies, quibus jus dicatur, decreverunt.* Alii ergo clerici improprie dicuntur sacerdotes, et καταχρηστικῶς, ut in *cap. 2. sup. de cohab. cleric. et mul.* Quorum alia etiam divisio proponitur in supradicta constitutione Simonis, nempe alios esse seculares, alios regulares. Seculares qui monachi, aut proximi monachis Canonici non sunt. Unde et beneficia alia dicuntur esse secularia, quæ clericis secularibus conferenda sunt, alia regularia, quæ regularibus. Non est omittendum, quod postremo ait, irrogandam esse pœnitentiam iis, qui clam matrimonium contraxerunt, etiamsi alioqui licitum id fuerit ; nempe quia contempserunt formam, et ordinem jure publico præscriptum. Et pœnæ etiam canonicæ, ut ait, pro arbitrio judicis subjiciendos esse eos, qui calumniose matrimonium accusaverunt, qui malitiose impedimentum aliquod denuntiaverunt, cum scirent rem se non ita habere.

AD TITULUM IV.

De Sponsa duorum.

AD CAP. *Duobus.* I.

Quod attinet ad caput 1. id in Gallica translatione præcedit hic titulus, DE FIDE PACTIONIS, ET CONSENSUS, *De la foy de convenance, et consentement.* Et sub eo titulo ponitur ex Augustino, quod est in hoc capit. 1. et extat etiam in *can. ult. 72. quæst. 2.* duobus modis dici fidem, quæ scilicet datur altari, fidem pactionis, et fidem consensus, quod tamen in Augustini operibus, quæ extant, non legitur. Sequitur deinde in eadem translatione, TITULUS V. DE SPONSA DUORUM, ET SPONSO DUARUM, ut legitur in prima collectione Decretalium. Itaque secundum Gallicam conversionem titulus quar-

tus constat uno cap. tantum: titulus quatuor: et placet ea divisio satis. Quod autem jam sæpe diximus, alia esse sponsalia de præsenti ut loquuntur, alia de futuro: illa matrimonium imitari; hæc mera sponsalia esse; et hæc si præcesserint, id est, sponsalia de futuro, per illa tolli, quæ postea fiunt cum alio, vel alia in præsentiarum, sed violatæ prioris fidei ei, qui ad illa sponsalia migravit, pœnitentiam irrogari oportere, ut 4. *et* 8. *et* 10. *et* 22. *et pen. sup. de sponsalibus, et cap.* 6. *de sponsa duor. in prima collectione Decretalium*: ex diverso illa si præcesserint, quæ contrahuntur in præsentiarum, non tolli per hæc, quæ de futuro sequenti loco fiunt, quæ in futurum re dilata sequenti loco fiunt, ut *d. cap.* 22. *et pen. sup. de sponsalib.* Id saro etiam proponitur hoc loco, sed aliis verbis: sensus est idem, sermo non idem. Fidem enim pactionis vocat eam, quæ datur in sponsalibus de futuro: fidem consensus eam, quæ datur in sponsalibus, quæ præsentem consensum, et matrimonii certam spem et causam habent. *Est*, inquit, *fides pactionis: quando aliquis promittit alcui fidem, quod eam ducet, si permiserit eam rem secum habere, vel etiam pro consensu*, quæ conditio non videtur esse honesta, et honesta tamen est: quia hæc verba ita accipienda sunt, si permiserit eum rem secum habere, vel etiam pro consensu, id est, vel in hoc, ut qui post sponsalia de futuro sequitur concubitus atque congressus, etiam sit pro fide consensus, sive pro matrimonio præsumpto, ut *cap.* 30 *sup. de sponsal.* pro consensu nuptiali, pro consensu obsequente rationi, non libidini.

AD CAP. *Accepisti.* II.

In hoc cap. ex Burchardi Episcopi Wormatiensis *lib.* 19. *de fornicatione*, proponitur, eum, qui sciens in matrimonium duxit eam, quæ desponsa alii erat per verba præsentis temporis, quæ desponsatio pro matrimonio est, ita puniri dissoluta hac posteriori conjunctione, ut hujusce reatus expiandi causa pœnitentiam agat sempiternam, ita ut præter solemne jejunium quadragesimæ, singulis annis per quadraginta dies toleret vitam pane solo et aqua, vel, ut Tertullianus loquitur in *lib. de pœnitentia*, ut pastum, vel potum pure noscat, non ventris, sed animæ causa: quod genus pœnitentiæ hoc loco traditur Carenam vocari: et vocatur sane ita frequenter in Canonibus a numero dierum esurialium, ut *cap.* 8 *inf. de accusation.* et sæpissime in eodem Burchardi libro, ubi et Teutonicum, sive Germanicum id esse vocabulum dicit pro jejunio quadraginta dierum, *cap.* 5. §. *Occidisti, supradicto lib.* 19. *Burchardi*, et usurpatur etiam idem vocabulum in Salegunstadiensis concilii *can.* 15. 17. *et* 19. Unde et procuidubio vulgare Carenæ nomen origine Teutonicum est, detortum tamen forte ex voce Latina Quadragenæ, vel Quadragesimæ, ut non male quidam etiam Carenam dici quasi Quarantenam, *la Quarantaine*.

AD CAP. *Licet.* III.

In hoc cap. eo remoto, quod de Carena dixit in cap. 2. eadem sententia proponitur, quæ in illo: sponsalia scilicet præsentis temporis, quæ pro matrimonio haberi constat, licet jurejurando, aut concubitu corroborata, aut perducta ad effectum non fuerint, esse potiora matrimonio postea cum alio, vel alia contracto, et consummato per concubitum, ut *cap. pen. sup. de sponsal.* Duos maritos una, vel duas uxores unus habere non potest, ne Judæus quidem jure civili, nec Christianus igitur, *l.* 2. *C. de inc st. nupt. l. Eum qui, C. ad leg. Jul. de adult. l. Nemo, C. de Judæis*, immo nec sponsam unam, et uxorem alteram, *l.* 3. *C. de donat. ante nupt.* quæ est conjungenda cum *d. l. Eum, qui.* vel uxorem unam, et concubinam alteram, *l. un. C. de concubin.* Augustinus libro de bono conjugali: *Nostris*, inquit, *temporibus, ac more Romano uxorem superducere non licet, ut amplius habeat, quam unam vivam.* Nulla non monstra hæc peperit ætas: exstitit Bernardinus Ochinus, qui impudenter adseruit polygamiam: liber est editus ejus, et materna lingua, et quod impudentius est, perniciosissimum illum librum Sebastianus Castalio transtulit in sermonem Latinum. Sed de polygamis alio loco fusius. Sententia igitur hujus cap. 3. est aperta satis. Sed non est omittendum, quod in fine cap. proponitur, aliquando tamen contra sententiam hujus c. quosdam Pontifices existimasse, potentius esse posterius matrimonium, quod consummasset commistio sexuum, quam prius, quod fuisset sine re. quo jure etiam ita usi sunt in Italia diu Mutinenses, et Bononienses, auctore Tancredo, et de Mutinensibus est *cap. ult. hujus t.* Illud etiam admoneho, extremo hujus c. 3. integrum c. quod extat in prima collectione Decretalium ostendere esse conjungendum *c.* 2. *sup. de convers. conjugat.* Illo autem loco hujus *cap.* 3. *ita quidem, quod unus alterum in suo mutuo, etc.* rectius alii codices habent, *quod unus alteri in suum, sive suam mutuo, etc.* quod et formula solemnis, quæ hic ponitur, confirmat, *ego te accipio in meam, vel in meum, ut c. pen. sup. de sponsal. et c.* 6. *de spons. duor. in prima collect.*

AD CAP. *Tua fraternitas.* Penult.

Ostenditur in hoc cap. post contracta sponsalia verbis præsentibus, *accipio, vel recipio*, si de hisce sponsalibus, quasi non legitime factis inter sponsos oriatur, et moveatur controversia, sive quæstio apud Episcopum diœcesanum, et ea quæstione nondum finita nondumve causa plene cognita, vir aliqua ex causa ad sedem Romanam appellaverit, et pendente appellatione aliam duxerit uxorem, valere quidem matrimonium posterius, si prius injustum pronuntietur, licet pendente lite, nec ex ordine factum sit, *ut cap.* 13. *et cap.* 18. *sup. de sponsal.* Sed addamus hanc exceptionem, nisi si prius, quam posterius matrimonium contraheret, ei fuerit ab Episcopo, a quo appellavit, publice in ecclesia interdictum, ne interim suspensa cognitione, pendente causa appellationis ad aliud transiret matrimonium, et nihilominus contempta auctoritate ecclesiæ transierit ad aliud. Hoc enim casu posterius matrimonium non valet, et hæc est causa cautionis in hoc c. propositæ, ut Episcopus, apud quem de priori matrimonio litigatur, si ab eo appelletur ad Pontificem Romanum, admittat quidem appellationem, deferat appellationi, ut loquuntur, sed destricte inhibeat, quamdiu ea de re disceptabitur, ne quisquam litigatorum de alio matrimonio cogitare, vel ad aliud matrimonium contendere audeat. Hoc enim casu contra interdictum ecclesiæ publice factum ab Episcopo, quod contractum est matrimonium pro nullo, pro infecto habetur: alioquin inane et illusorium esset interdictum ecclesiæ. Denique, quod etiam aperte proponitur in *c.* 1. *inf. de matrim. contract. contr. interd. eccles. in prima collectione*, matrimonium contractum contra interdictum ecclesiæ irritum est, et generaliter quodcunque fit contra interdictum ecclesiæ, ut *cap. pen. in fine, sup. de spons. impub.* Valde tamen huic definitioni obstare videntur constitutiones tres, quæ sunt, *infr. sub tit. de matrim. contract. cont. interdic. eccles.* Verum cap. 3. hujus tit. vult, etiam matrimonium contractum contra interdictum ecclesiæ dissolvi, sive ad irritum deduci, donec constiterit, matrimonium inter eos consistere possit necne, quod ubi constiterit, aut dissolvetur in perpetuum, aut quasi quodammodo judicio ecclesiæ restaurabitur, et renovabitur. Et similiter in c. 1. *eod. t.* donec egerit pœnitentiam, quam indixerit ecclesia, qui jussum ecclesiæ contemsit, dissolvi matrimonium. Dico donec egerit pœnitentiam, et donec iteratum, aut legitime redintegratum matrimonium fuerit, dissolvi quod non rite factum est, et interveniente tamen ecclesia inter easdem personas recte redintegratur. Eodemque modo accipiendum, quod dicitur in *cap.* 2. *ejusdem t.* licet contra interdictum ecclesiæ mulier nubere non debuerit, ob id solum, quod contempserit jussum ecclesiæ, nisi alia causa concurrat, non esse prorsus absque spe redintegrationis dissolvendum matrimonium, si modo pœnitentiam sibi impositam ob contumaciam, aut superbiam, qua ausa est se extollere contra ecclesiam, peregerit.

AD CAP. *Tuas dudum.* Ult.

Abrogatur in hoc cap. nominatim consuetudo civitatis Mutinensis, ut si quis duxerit uxorem, vel desponsaverit, quod idem est, per verba præsentis temporis, necdum cognoverit, ac deinde duxerit aliam, et cognoverit, cognita ei sit justa uxor, non incognita: hæc fuit consuetudo Mutinensium. At verius est, priorem justam esse uxorem, ut dictum est sup. non posteriorem: perficiundo enim matrimonio sufficit solus consensus, id est, non desideratur etiam concubitus, *can. sufficiat*, 27. *q.* 2. cujus canonis verba Innocentius auctor hujus c. usurpat: contra vero, concubitus solus, ut et Quintilianus ait in *Declamatione* 247. citra jus non efficit uxorem, non efficit nuptias. Inscriptio autem hujus c. statim in initio vitiosa est, ubi ita scriptum est: *Si quis juraverit se aliquam ducturum, et citra carnis copulam desponsasset*: quod est, si desponsasset verbis collatis in futurum, si jurasset se ducturum, inquit, non, si duxisset, sed si promisisset se ducturum: et tamen sequentia hujus cap. ostendunt, eum illam desponsasse verbis præsentibus, et veteres etiam libri hoc loco correctius habent: *verum si quis jurasset, aliquam, et citra carnis copulam desponsasset*: et ita etiam legit interpres Gallicus, *si aucun jurast à aucune, et l'espousast, et ne la touchast point.*

AD TITULUM V.

De conditionibus appositis.

AD CAP. *Quicumque.* I. et CAP. *De illis.* III.

Quod ex concilio quodam Africano proponitur in c. 1. cum quo simul explicabitur c. 3. et extat etiam in *can. quicumque*, 27. *q.* 2. id est, de desponsatione facta verbis præsentibus, et sub conditione tamen, exempli gratia, accipio te uxorem, sunt verba præsentia, si anno sequenti Titius Consul factus fuerit, quæ conditio circumscribitur, quia desponsatio hujusmodi, accipio te uxorem, cum pro matrimonio habeatur, non recipit conditionem. Itaque circumscripta conditione matrimonium manet, nec ulla ratione revocari, rescindi, revelli, aut resolvi potest. Nec distinguo inter turpem, et honestam conditionem: nam et honesta conditio, qua scilicet id agitur, ut matrimonium resolvatur, circumscribitur, et pro non adjecta habetur. Hoc tamen desidero, ne conditio, quæ adjicitur, sit contra naturam, sive substantiam matrimonii: alioqui nec matrimonium valet, *c. ult. inf. h. t.* Item hoc desidero, ne talis sit conditio, quæ negotium omne conferat in arbitrium parentum, quia hæc conditio non circumscribitur, *cap.* 5 *inf. h. t.* quod qua ratione fiat, inferius explicabitur. Confirmat autem valde sententiam hujus c. 3. ex quo intelligimus, desponsationi collatæ in futurum, non desponsationi collatæ in præsens tempus, desponsationi, inquam, in futurum tempus collatæ, recte adjici conditionem honestam, et conditione deficere etiam, et extingui desponsationem, ut *cap.* 5. *hoc t. cap.* 1. §. *ult. lib.* 9. *de sponsal. et matrim.* cum hac exceptione tamen, quæ proponitur etiam in cap. 3. nisi consensus de præsenti conjugio, aut commixtio corporalis, quæ pro consensu præsenti habetur, subsecuta fuerit. Cujus

exceptionis, quæ alia ratio, nisi quia consensus præsens non recipit conditionem? Immo si quæ conditio adjecta fuerit sponsalibus esto conceptis per verba futuri temporis, consensus illis præsens arguit, ab ea conditione contrahentes recessisse, *cap. pen. h. t.* Consensus autem præsens non recipit conditionem, eam scilicet, qua id agitur, ut resolvatur matrimonii conventio: aliam enim conditionem recipit: ut puta eam, quæ legem certam conventioni injicit, ut apud Festum Pompejum Fabius inductus magnitudinem divitiarum, uxorem duxit Otacilii Maleventani plebeii hominis filiam ea conditione, quæ conditio hodie frequenter adjicitur, ut qui primus natus esset prænomine avi materni, Numerius appellaretur, quæ conditio legem modumque dixit, et imposuit contractui, ita ut compelli quidem potuerit Fabius eam implere, sed non etiam ob eam non impletam potuerit resolvi matrimonium. Itaque Vincentius rectissime hoc cap. 1. accepit de conditione resolutoria contractus matrimonii, sive de puro matrimonio resolvendo sub conditione, quod fieri nequit. Illa adde si libet de c. 3. quod notavi ad c. 5. *sup. de sponsal.*

AD. CAP. *Cum sit.* II. et CAP. *Verum.* IV.

Cum hoc cap. 2. conjungam cap. 4. ut utrumque simul explicem. Hic titulus non est tantum de conditionibus appositis in contrahendis sponsalibus, sed etiam de appositis in aliis contractibus, ut in manumissione servorum, hoc capit. 2 et in donatione cap. 4. Donatio contractus est, si fiat sub conditione resolutoria, quia donatarium obligat ad implendam conditionem, *l. Aristo. de donat.* vel si id actum sit, ad redhibendam rem donatam, d. c. 4. quod conjungendum est cum *cap. 4. sup. de donat.* ut constat ex *cap. 2. de consuetudin. in prima collectione,* ex quibus locis simul, et ex cap. 3. tit. seq. restituenda est inscriptio hujus cap. 4 hoc modo: *Idem Alexander III. Vigornensi Episcopo,* qui Episcopatus est in Anglia. Manumissio quoque contractus est si fiat sub conditione resolutoria, quia hæc conditio manumissioni negotium immiscet, quod contractus est, et obligationem parit. Manumissio directa, id est, quæ fit pura et simpliciter, obligationem non parit, nec contractus est, ut in concilii Spoletani quarti *can.* 72. at quæ fit sub conditione resolutoria, contractus est. In specie autem c. 2. Diaconus quidam duos servos suos manumisit sub conditione, ut monachi fierent in monasterio, in quo ipse Diaconus fuerat, tanquam hospes scilicet, aut minister oratorii, non tanquam Monachus (Monachus servos proprios, aut quicquam proprium habere non potest) et adjecit, ut si servi manumissi conditioni adscriptæ non obtemperarent, in pristinam servitutem redigerentur. Conditio est resolutoria, quæ forte in manumissionibus circumscribenda, et pro non adjecta habenda est, ut *l. Mortis, de manumiss. l.* 33. ubi dicitur, libertatem ad tempus dari non posse *l. 45. et 52. de manumiss. testam.* Sed si manumissi jam conditionem impleverint, id est, si devoverint se monasterio, et inde postea exierint, et se clericis adjunxerint, cogentur ad monasterium redire. Quod ita hic constituitur, cum jam essent facti monachi, adjunxerunt se clericis, quia monachi non erant clerici, *l. Generaliter, C. de Episcop. et cler.* servus potest fieri monachus non clericus, *l. Jubemus. §. Servos. et l. Servis, C. eod.* Nullus monachus uxorem habere potest, *Nov.* 5. quidam clerici, puta clerici inferioris ordinis, uxores habere possunt, ut dicemus in tit. seq. Clerici deputantur certæ ecclesiæ, in qua divino cultui ministeria religionis impendant: monachi non habent, aut non habebant saue olim ecclesias, sed Oratoria, ut constat *ex Regula Benedicti, et Nov.* 133. *et cap. 6. sup. de stat. monach.* Et in constitutionibus Justiniani, quod sæpe legitur separari ecclesias ab oratoriis, ita accipi oportet, ut ecclesiæ referantur ad clericos, Oratoria ad monachos. Et est differentia in pœnis clericorum, et monachorum. Clericorum est καθαίρεσις, id est, regradatio, sive ordine motio: monachorum sicut et laicorum, est ἀφορισμός, id est, segregatio a communione ecclesiæ. Item legimus in *c. 5. de convers. conjugat. in prima collectione,* cœtum clericorum longe præeminere cœtui monachorum. Scripta autem hæc secunda constitutio est a Gregorio I. optimo Pontifice, et doctissimo ad Chrysanthum Episcopum Spoletanum. Spoletum autem hodie, sive Ducatus Spoletanus, quem solum in Italia Longobardi retinuerunt, est, quæ olim Umbria dicebatur, et scripta est hæc constitutio ad expostulationem Valentini presbyteri illius monasterii, de quo agitur hoc loco, et extat integra constitutio in Registro ejusdem Gregorii *lib. 7. cap.* 36. unde et in hoc c. 2. pro bis litteris, *A presbyter,* legendum est, *V. presbyter,* id est, Valentinus presbyter, et conjungendum etiam ei est *cap. 1. de sentent. et excommunicat. in prima collectione.*

AD CAP. *Super eo.* V. et CAP. *Per tuas.* Pen.

Huic cap. 5. adjungam c. pen. Per his verbis contracta sponsalia, *accipio te uxorem, accipio te maritum si pater meus consenserit:* hæc conditio non circumscribitur, quia non ea id agitur, ut resolvatur matrimonium, sed ne initium sumat, ne fiat antequam consenserit pater. Itaque matrimonium supradictis verbis non ante intelligitur esse contractum, quam consenserit pater in cujus voluntatem totum negotium collatum est et initium scilicet negotii, et exitus. Nam etsi verba sint præsenti temporis, *accipio te in meam, accipio te in meum,* tamen quoad consenserit pater per ea verba intelliguntur tantum esse contracta sponsalia de futuro conjugio sub hac conditione, si consenserit pater. Sponsalibus de futuro conjugio recte adscribitur conditio honesta, et legitime, c. 3. *sup.* Novum autem non est, ut sponsalia esse intelligantur de futuro conjugio, tametsi eorum verba sint præsentia, nec eorum figura rem differat in futurum tempus, videlicet, si vel matrimonium propter ætatem inter eas personas nondum consistere possit, ut *cap. ult. sup. de desponsat. impub. c. un. §. 1. eod. tit. lib. 6.* vel si quæ sit verbis præsentibus proposita conditio, quæ antequam extiterit, matrimonium consistere non permittat, ut in hac specie, si conditio apposita desponsationi conceptæ verbis præsentibus rem omnem conferat in arbitrium patris: neque enim tum consensus præsens esse intelligitur, licet verba aliud sonent: nondum, inquam, præsens consensus esse intelligitur, illo scilicet, qui confertur in consensum patris nondum præsentem. Itaque cum dico, *consentio, vel accipio, vel duco te in uxorem si pater consenserit;* primum verbum, quod est præsentis temporis, trahitur ad secundum, quod est futuri temporis, et significationem assumit futuri temporis ex verbo posteriori. Et ita subtiliter in h. cap. respondet Urbanus III. Episcopo Cenomanensi. Ad hæc quærit Bernardus, quid sit dicendum, si antequam consentiat pater, id est, si pendente conditione alteruter sponsorum mutaverit voluntatem, et postea consenserit pater, antequam sciret eum mutasse voluntatem, an consensus patris conciliet nuptias? Quod verius est: nihil enim agit is, quem pœnitet conventionis invito altero: sicut nec quicquam agit, qui quid promisit sub conditione, si pendente conditione mutaverit voluntatem. Et ita quoque Bernardus sentit, sed probat male suam sententiam ex *l. Si mandassem. mand. et ex c. mandato, sup. de procurat. ex c. 33 sup. de rescr. et ex l. Mandato generali, D. de procurat.* quia in illis locis de mandato agitur, cujus longe alia est ratio, quam sponsionis. Mandatum enim revocari potest re integra: sponsio revocari non potest, nec revocantur etiam sponsalia de futuro, conjugio scilicet: nam semper ita subaudiendum est; locutio enim non est barbara: nuda voluntate alterutrius, sed nuptiis tantum, vel de præsenti conjugio sponsalibus cum alia vel alio contractis, *cap. pen. sup. de sponsal.* Unde etsi mandatarius sive procurator, qui ignorans mandatorem mutasse voluntatem, explevit mandatum, id jure fecisse non videtur, quia revocatum erat mandatum, quod tamen ita bona fide gessit, sustinetur ex æquo et bono, ut patet ex supradictis locis, *et l. pen. de rebus cred.* ne scilicet mandatarius damno afficiatur: pater tamen, in cujus arbitrium per conditionem appositam sponsalibus nuptiæ collatæ sunt si ignorans filium, vel filiam mutasse voluntatem, eam sibi conjunctionem placere declaraverit, non potest non videri id recte fecisse, quia sponsio filiæ, vel filii interim revocari non potuit. Ad hæc notandum, definitioni hujus constitutionis 5. addendam esse exceptionem ex constitutione sequenti, quæ scripta est ad Marsicanum. Episcopum, sic legendum, qui Marsorum est Episcopus in Aprutio, parte Italiæ. Res ita gesta est: accipio te uxorem si pater meus, et patruus consenserint, si rem comprobaverit: nondum vero patris, et patrui explorata, et cognita voluntate interim sponsi rem summam peregerunt congressu, et consensu mutuo: ac deinde secuta est dissensio, et contradictio patris et patrui: post quam nec destiterunt se mutuo congressu complecti. Quæritur an quasi defecta conditione nullæ sint nuptiæ, ut cap. 5. definitum est. Et recte a definitione cap. 5. hic casus excipitur, definiturque, justas nuptias esse, etiamsi contradixerint pater et patruus. Denique cap. 6. additur hæc exceptio ad cap. 5. nisi pendente supradicta conditione secuta fuerit commixtio sexuum, nempe quia ea commixtio inducit matrimonium præsumptum, cujus non minor est vis, quam veri, *c. 3. sup. de sponsal. et c. 3. hoc tit.* Si contradictio patris, et patrui præcessisset commixtionem, atque ita infirmasset desponsationem supradictam, sola commistio non induceret præsumptionem matrimonii, *cap. 15. sup. de sponsal.* Mitto quæstiones, quas Bernardus facit hoc loco, quæ etiam honore quæstionum minime dignæ sunt.

AD CAP. *Si conditiones.* Ult.

Certum est conditionem, vel pactionem adjectam contractui contra ipsius contractus naturam, vitiare contractum: ut precarium, cujus natura hæc est, ut tandiu utendum concedatur, quamdiu dominus, qui concessit, patitur, ut revocetur quandocunque domino, qui id concessit, libuerit: nullum est precarium, si ei adjiciatur hæc pactio, ut domino id revocare non liceat ante certum tempus, quia hæc pactio deerrat a precarii natura, *l. Cum precario, de precar.* Item pignus, cujus natura hæc est, ut constituatur crediti servandi causa, ex distractione pignoris scilicet redacta pecunia credita; inutile et nullum est, si pactio ei adjecta, ne unquam distrahatur, omni modo servanda est, *l. 3. de pign. act.* Eodemque modo Q. Mutius dicebat, pactionem factam contra naturam societatis non esse ratam habendam, *§. De illo, Instit. de sociel.* Et ita in hoc cap. ult. ostenditur, in contrahendo matrimonio insertam conditionem contra substantiam matrimonii, vitiare matrimonium: ut si res ita gesta sit, accipio te in uxorem, si nullos mihi liberos procreaveris, vel si id egeris, ne ullos mihi liberos procrees, quia matrimonium sua natura non fit recte, aut jure, nisi liberorum procreandorum causa, *l. Liberorum. de verb. sign.* et ut Menander ait παίδων σπορᾷ τῶν γνησίων, quod et nominatim tabulis nuptialibus inseri solebat. Cornelius Tacitus XI. Annal. *Adhibitis,* inquit, *qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse.* Augustinus tertio contra Julianum: *Pudicitia conjugalis facit, quod præscribunt tabulæ matrimoniales, ne ultra quam generandis filiis satis est, conjugis corpus attrectet.* Et sermone 234. *Tabulæ,* inquit, *matrimoniales hoc continent, liberorum procreandorum causa.* Et lib. 1. de nuptiis ad Valerium Comitem: *ut secundum tabulas matrimoniales,* inquit, *non nisi liberorum procreandorum causa concumbant.* Et 14. de civitate Dei,

conjugalis concubitus secundum matrimonialium præscripta tabularum procreandorum liberorum causa fit. Et inde etiam vulgaris illa fœminæ testatio optantis maritum, de quo fiat mater, *Volo esse mater, et filios procreare, can. requisisti* 33. *q.* 1. Itaque illa conditio apposita matrimonio, si mihi liberos non procreaveris, vitiat matrimonium, quia repugnat naturæ matrimonii. Item, quo etiam exemplo utitur Pontifex in hoc cap. contra naturam matrimonii fit, quod ita geritur: esto mihi uxor quoad aliam invenero digniorem honoribus, et facultatibus meis, ut *can. solet, in fin.* 32. *qu.* 2. Hæc enim natura est matrimonii, ut individuam, quod est in definitione matrimonii proposita in Instit. vitæ consuetudinem contineat, et individuum sit, atque perpetuum, *l.* 1. *de jur. dot.* Illo autem genere matrimonium fit ad tempus. Item, quod est tertium exemplum hujus cap. si ita matrimonium ineatur, si palam corpore quæstum feceris, si corpus tuum meumque alueris, exhibueris tuo corpore, qua conditione nihil fœdius, nihil turpius, nihilque alienius a sanctitate, et natura matrimonii, et matrimonium vitiat, non tam quod sit turpis conditio, quia turpes conditiones per se solæ non vitiant matrimonium, quam quod sit contra naturam, originem, et causam matrimonii. Conditiones, quæ sunt contra naturam matrimonii, vitiant matrimonium. Conditiones autem turpes, vel impossibiles, quæ non sunt contra naturam matrimonii, non vitiant matrimonium, sed pro non adjectis habentur, quia in re matrimonium distat ab aliis contractibus: nam alii contractus vitiantur per adjectionem turpis, vel impossibilis conditionis, *l. Impossibilis. l. Veluti, de verbor. oblig. cap. ult. sup. de pact.* quod cum lato conjungendum videtur: matrimonium autem propterea non vitiatur, quod in hoc c. Pontifex receptum esse ait favore matrimonii. Unde, et quod post multas controversias obtinuit, impossibilem, vel turpem conditionem non vitiare hæredis institutionem, vel legatum, *l.* 3. *de condit. et demonstr. l.* 1. *et* 9. *et* 14. *de condit. instit.* id dici potest obtinuisse favore ultimæ voluntatis, aut sane, quod auctor testamenti, qui unus est, et solus, mendum in ea re admisisse, et deliquisse præsumatur facilius, quam duo, vel plures, qui contractum inter se miscent. Videtur etiam alia esse differentia inter contractus et legata hac in re, adjectio quæ est contra naturam contractus, vitiat contractum, vitiat matrimonium: adjectio contra naturam legati non vitiat legatum, sed pro non scripto habetur, ut ita est proditum nominatim in *l.* 6. §. 1. *de pecul. leg.* Verum ita intelligendum id est, ut adjectio contra naturam legati, id est, contra naturam rei legatæ, non vitiet legatum: ut puta si legetur peculium, non deducto ære alieno: hæc adjecto pro non scripto habetur, nec quicquam adjicit legato, non auget legatum. At adjectio contra naturam legatorum in genere, veluti lego tibi fundum, ita ut ne eum delibes, vel decerpas, vel eximas ex universa hæreditate mea, sane vitiat legatum: legatum est delibatio hæreditatis.

AD TITULUM VI.

Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.

Dicam primum de clericis, tum de voventibus, quæ sunt duæ partes hujus tituli. Et quidem clerici, qui post clericatum matrimonium contrahere non possunt, ii sunt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, sive Hypodiaconi, *c.* 1. *et* 2. *hoc t.* et cur non possint, ratio hæc est non cognita omnibus, quia cum cœlibes in clerum cooptarentur, solemni se voto continentiæ obstrinxerunt, quod ut facerent nemo eos compellebat, nemo ad summos istos ordines. Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum trahebat invitos, *can.* 1. *et can. quando* 28. *dist.* Cæteri minorum ordinum clerici, veluti Cantores, aut Psalmi, Acolyti, Juvenes, qui cerea deferunt, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii, qui nec eodem se voto obstringunt matrimonium contrahere possunt, nec contracto matrimonio desinunt manere in eodem ordine: quod autem illi, antequam Presbyteri, vel Diaconi, qui et Levitæ dicuntur, vel Subdiaconi fierent, contraxerunt, ut olim obtinuit, clericatum non infirmat, clericatum non dissolvit, *l. Eam qui, C. de episc. et cler.* *illas etiam*, inquit, *non relinqui, castitatis hortatur affectio, quæ ante sacerdotium maritorum legitimum meruere conjugium: neque enim clericis incompetenter adjunctæ sunt, quæ dignos sacerdotio viros sua conversatione fecerint,* est constitutio vetustissima. Sacerdotium igitur non separat conjuges, et retro conjugium non excludit a clericatu. Idem etiam confirmatur Nov. Justiniani 22. *et* 123. *et Nov. Leonis* 3. *et can. Nicena, et can. quoniam,* 31. *dist. et can. si quis eorum,* 32. *dist. et Apostolorum can.* 5. *et* 25. Votum matrimonii prius, et antiquius est: et potentius igitur quam ut alio voto elidatur. Voto clericali non potest elidi vel excindi votum matrimoniale, quod antecessit. Nec absurde in eodem subjecto morentur matrimonium et clericatus. Ita est. Quin invenio etiam Diaconos ex permissu Episcopi ea lege posse in ordinem Diaconorum conscribi, ut tamen sibi quandoque liceat ducere uxorem liberorum procreandorum causa, *can. Diaconi,* 28. *dist.* Quod tamen Justinianus probare non videtur Nov. 123. Voventes autem in hoc titulo sunt, qui continentiæ, castitatis, aut cœlibatus votum fecerunt. Ex iis alii sunt obstricti voto solemni, ut clerici majorum ordinum, majorum gentium, id est, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi: et non ii clerici tantum, sed etiam monachi, quos constat non esse clericos, monachi, inquam, qui bonis se propriis abdicaverunt, eaque vel in monasterium contulerunt, vel in alios, antequam monachi fierent. Nam et ante monachismum testamentum facere possunt: post monachismum non item: sicut clerici majorum gentium, ut ante dixi, ante clericatum uxorem ducere possunt: post clericatum non item, id est, post votum solemne clericatus. Monachi igitur, qui se bonis propriis abdicaverunt, et qui obedientiæ, arctiorisque vitæ professionem fecerant in manu, uti oportet, Abbatis, vel Episcopi, eoque nomine ab eo benedictionem acceperunt, videlicet post tempus probationis, ut ait *cap. veniens, de convers. conjug.* puta post annum probationis, ut est in regula Benedicti, *cap.* 58. est satis bonus ille liber, et *cap. ex parte, de regularib.* vel post biennium suis casibus, ut *can. monasteria.* 19. *q.* 3. vel post triennium, ut Justiniani *Nov.* 5. *et can.* 1. *dist.* 53. ubi et id temporis, puta triennium, Mauritium Imperatorem definiisse refertur, subsecutum scilicet Novellam Justiniani 45. Et ii quidem, qui solemne votum cœlibatus fecerunt, matrimonium contrahere non possunt. Alii sunt obstricti voto simplici, ut qui se devoverunt certæ religioni, vel sectæ, veluti Benedictinorum, vel Augustinianorum, nec tamen locum, aut habitum mutaverunt, ut *c.* 3. *h. t.* vel etiam, qui ejus sectæ habitum susceperunt, non tamen ingressi sunt monasterium vel ingressi nullam monachismi professionem fecerunt. Vulgo dicitur, habitum non facere monachum, quod est sumptum ex *c. porrectum, et c. ex parte, sup. de regularib.* habitus, inquit, non facit monachum, sed professio regularis. Et ii, qui nudo voto obstricti sunt matrimonium contrahere possunt *c.* 4. *et seq. hoc t.* Hæc est summa hujus tituli. Nunc veniamus ad singulas partes, et singula capitula.

AD CAP. *De diacono.* I. et CAP. *Ex literarum.* II.

Hoc. c. 1. Diaconus quidam vulneravit alium Diaconum Sabbato sancto, ut poni, dies auget delictum, qui dies, et magnus dies dicitur in Evangelio Sancti Joannis propter duplex festum Sabbati, et Paschæ. Sanctum Sabbatum dicitur, et in aliis plerisque canonibus, et ab Anastasio Bibliothecario, et similiter ab eodem dies, qui præcedit Sabbatum Parasceve sancta. Ex hoc vero facto Diaconus, qui vulnus inflixit alteri Diacono, factus est irregularis, id est, excidit regula sui ordinis, et incurrit sententiam excommunicationis, sive mortiferum sit vulnus, sive non: nec enim est distinguendum, nec amplius igitur officio Diaconi fungi potest. Idem vero Diaconus postea adjecit huic delicto aliud: duxit uxorem domum: utriusque delicti si pœnitentiam sibi injunctam peregerit, ut hic definitur, et mulierem illam foras exegerit, veniam impetrare potest a suo Episcopo, et Diaconatus administrationem ab eodem quoque, qua excidit, recipere potest: immo et a Diaconatu pervenire potest ad Presbyteratum. Et quod dico a suo Episcopo eum absolvi posse, id confirmat etiam *cap.* 4. *sup. de cleric. conjug. et cap.* 4. §. *ult. de judic. et can. si qua virgo,* 27. *q.* 1. et ut hic Bernardus Parmensis auctor glossarum hujus codicis, non Bernardus Compostellanus, qui apparatum scripsit in Decretales latas, ut Volaterranus refert, non glossas, ut, inquam, hic Bernardus Parmensis glossographus annotavit, id liquet ex antiqua Decretali, id est, ex Bernardi Papiensis (hic est tertius Bernardus) (*collectione prima, eod. tit.* quod tamen nescio, quo ore Zabarella ait esse falsum, cum in ea Decretali antiqua ita sit scriptum clarius literis ad Archiepiscopum Remensem, ad quam et hoc *c. si ad ecclesiam redire voluerit* (hæc sunt verba) *ipsum debes recipere, et absolvere a sententia excommunicationis post peractam pœnitentiam, eidemque Diaconatus officium reddere.* Nam est igitur ob eam rem adeundus Pontifex maximus, quia transigi, et peragi ea res potest per Episcopum, aut Archiepiscopum. In extremo hujus c. additur, Subdiaconum etiam matrimonium contrahere non posse, sive tota vita innocens fuerit, sive homicidio perpetrato irregularis factus fuerit, quia, quod valde notandum, etiamsi ministerio ecclesiæ ceciderit, tamen laicus factus non est, ut extat adhuc integrum ordinationis sacramentum Diaconatus sacramentum, sic id vocat D. Augustinus, extat integra ordinatio, administratione cecidit, non ordinatione: quod adeo verum est, ut, si peracta pœnitentia restituatur pristino ministerio, non sit iterum ordinandus, ut recipiat quod amisit. Nam et sine ordinatione nova ex indulgentia Episcopi recipit administrationem, sive ministerium, quod amisit suo vitio, *can. quod quidam.* 1. *qu.* 1. ex D. Augustino. Porro de subdiacono in c. 2. hujus tit. qui duxit uxorem, hoc addit, eum, uxore illa, vel quasi uxore dimissa, si quidem in monasterium transire voluerit, ex indulgentia Episcopi ad majorem gradum conscendere posse: puta Diaconum, aut Presbyterum fieri, videlicet peracta pœnitentia, ut est in antiqua Decretali, quæ utique semper est plenior, et integrior nova. Quod si noluerit transire ad monasterium, etiam dejici gradu Subdiaconatus, et rejici in gradum inferiorem, puta Lectoris, vel Cantoris, qua in re distat Subdiaconus a Diacono: nam Diaconus pristino gradui, et ministerio Diaconatus restituitur, ut habuimus in cap. 1. Subdiaconus, ut est in hoc *c.* 2. non restituitur ministerio Subdiaconatus aliter, quam si conjecerit se in monasterium. Videamus, quæ sit differentiæ ratio. Aliquando dignitate ejus, qui fecit, augetur crimen, ut *l.* 2. *de re milit.* aliquando vero minuitur, ut *l.* 3. § *pen. de crimin. stellion. Nov.* 123. §. *Reverendissimis.* Et in hac causa dignitate, quæ major est in Diacono, quam in Subdiacono, minuitur crimen: vel potius, quod est certius, argumento ducto *c.* 5. *eod. tit.* in prima collectione, dicitur, gravius coerceri subdiaconos, quam Diaconos, quia difficilius in officio continebantur. Diaconi, qui in majori honore constituti erant, qui splendidiores erant, hoc honore contenti, facilius in officio continebantur, quam Subdiaconi, quibus semper gravis, et molesta visa est nuptiarum prohibitio, fibulæve impositio, non illa, quam Medicus imponit, quod qua ratione fiat Celsus Medicus docet: sed illa, quam canonum rigor imposuit, etiam a Subdiacono exterio eodem voto, quo et Diaconi se obligant. Ait hoc loco, *subdiaconus quandam sibi in conjugium copulavit, quam eandem abjurare fecisti.* Abjurare, ut

glossa accipit recte, sane hoc loco est renunciare uxori, quam non jure duxit, præstito jurejurando de ea nunquam reducenda, hoc esse abjurare constat ex *cap. 3. sup. de cohabit. cleric. et mul.* quod tamen jusjurandum, ut et ibi ostenditur, non temere deferendum est, ne via perjuriis aperiatur; attamen mulier illa omnimodo ab eo separanda, et segreganda est. *Et* hæc sufficiant de conjugio clericorum, quæ de re, si plura nec inutilia scire aves, legendus tibi est liber Udalrici Episcopi Augustani, qui extat inter auctores orthodoxographos in editione Basiliensi: at in editione Lugdunensi ille liber attribuitur Volusiano Episcopo Carthaginensi, et inscribitur *de cœlibatu clericorum*.

AD. CAP. *Meminimus.* III.

Exposui jam priorem partem hujus tituli, quæ est de conjugio clericorum, et ad quam pertinet tantum *cap. 1. et 2.* cetera pertinent ad posteriorem partem, quæ est de conjugio devotorum, vel devotarum virginum, vel quasi devotarum, id est, de conjugio eorum, qui, vel solemni, vel simplici voto se obligaverunt. Et ex cap. 3. intelligimus, Canonicos, qui murato habitu, ut fieri solebat, olim, professionem regularem fecerunt, non posse matrimonium contrahere nec quod contraxerint consistere posse: et eos canonicos, vel quasi canonicos, qui professionem solemniter non fecerunt, et hoc amplius, qui habitum non mutarunt licet se ecclesiæ certæ coram Episcopo devoverint, et mancipaverint, posse matrimonium contrahere. De iis, qui se ecclesiæ devoverunt, est hoc cap. non de iis, qui monasterio, quia ecclesia est clericorum, non monachorum, ut docuimus in c. 2. *sup. tit. prox.* Non est etiam hoc c. de clericis quibuslibet, sed de Canonicis tantum, qui et ipsi non minus, quam monachi vestem mutabant, et se professionis vinculo obstringebant. At multo magis fateor idem esse dicendum in monachis, et in eis, qui simplex monachismi votum fecerunt, de quibus vulgo accipiunt hoc cap. cum tamen *sit* de Canonicis regularibus, ut loquuntur, non de monachis, quorum ratio, et conditio non per omnia est eadem. Scripta autem est hæc constitutio ad Vigorniensem Episcopum in Anglia.

AD CAP. *Consuluit.* IV.

Ex hoc cap. intelligimus, viduam, quæ sumpsit habitum nonarum sive nonnæ, sic vocantur, ut monachi quoque nonni apud Arnobium in Psalmis, et apud Persium, quod anxiæ quærunt quid sit nonaria, sane nihil aliud est, quam puella sive nona. Viduam, inquam, quæ sumpsit habitum nonarum tantum, non etiam ingressa est monasterium, nec ullam regularem professionem fecit, nec bonis se propriis abdicavit, et postea contraxerit matrimonium, id, solo mutatæ vestis ratione dissolvi non posse. Nihil quidem ipsa vovit, sed mutavit vestem tantum, et licet cuique vestem subinde mutare citra dolum malum tamen, *can. quod interrogasti, 27. dist.* Non est autem mirum, si quæ nihil vovit, sed vestem tantum mutavit, possit contrahere matrimonium, cum, ut et hic ostenditur, simplicis voti conceptio, quamvis sit impedimento nuptiis ne contrahantur, contractas tamen non dissolvat. Facilius impediuntur, aut prohibentur contrahendæ, quam contractæ dirimuntur. Tertullianus 2. ad uxorem: *Dominus*, inquit, *magis ratum habet matrimonium cum gentili non contrahi, quam contractum ante conversionem disjungi.* Et ita Paulus 2. Sentent. tit. 19. *Patriam quidem potestatem impedimento esse nuptiis contrahendis a filiofamilias, vel filiafamilias sine consensu patris, in cujus potestate est: attamen sine patris voluntate contractas nuptias dissolvi non posse contemplatione publicæ utilitatis, quæ privatorum commodis præferri solet.* Quæ ratio etiam spectatur in *c. ult. inf. qui filii sint legit.* Eodemque modo occultæ, et clandestinæ conjunctiones, id est, *non prius apud ecclesiam professæ*, ut eleganter Tertullianus interpretatur in libro de Pudicitia, impediuntur, et prohibentur ne fiant, sed factæ dissolvi non possunt, *can. nec illud, 30. q. 5. c. 2. et cap. 3. sup. de clandest. desponsat.* In hanc rem confirmandam non satis apte etiam adducitur *l. Patre furioso, qui sui sunt, aut alien. ju. et l. Furor. de sponsal.* quia non idem prorsus in his proponitur, quod in superioribus casibus, quibus fit, ut præsentis impedimenti ratio non dissolvat contractas nuptias ibi autem longe aliter, nempe superveniens impedimentum post nuptias non dissolvere nuptias, ut supervenientem furorem marito, vel uxori, vel utrique, non dissolvere nuptias. Scripta autem hæc constitutio est ad Lucensem Episcopum, non eum, qui Lucæ sedem tenet in Italia, qui et Lucanensis dicitur, non Lucensis, sed eum, qui Luco Augusti civitate Hispaniæ.

AD. CAP. *Veniens.* V.

Idem proponitur in hoc cap. 5. quod in cap. superiore. Mulierem quandam emisisse simplex votum continentiæ, neque tamen locum, aut vestem mutasse, aut professionem regularem fecisse ullam: huic esse liberum nubere cuicunque velet acta pœnitentia voti Deo facti (fiunt omnia vota Deo) nec impleti, et acta pœnitentia etiam, ut ait, fidei mentitæ, quia proponebatur, antequam votum illud faceret, fidem dedisse absenti cuidam per verba futuri temporis. Ponitur autem eam votum illud simplex fecisse in manibus cujusdam Eremitæ sive Anachoretæ, qui proprie est monachus, nempe qui solitariam vitam agit: votum, inquam, illud simplex fecisse in manibus Eremitæ cujusdam, ut in *cap. ult. h. t.* in manibus monachi. Votum solemne non fit nisi in manibus Episcopi, vel Abbatis. Notandum etiam hic est, fidem simplicem appellari sponsalia de futuro conjugio, illo loco: *post fidem, et votum simpliciter oblatum*, sic legendum utramque vox illa, *simpliciter*, refertur ad utrumque, et ad fidem et votum, et sic. *can. lex 27. qu. 2.* sponsalia simplicibus verbis concepta, id est, sponsalia de futuro conjugio, ut plane tibi ex contrario sponsalia præsentanea sive de præsenti conjugio appellare liceat sponsalia solemnia, vel, ut didicimus *tit. 4. sup.* hæc, fidem consensus, illa, fidem pactionis. Hinc etiam glossæ solent, sponsalia recte contrahi inter absentes: nec mirum, cum et matrimonia recte contrahantur per procuratorem, *cap. ult. de procurat. lib. 6.*

AD CAP. *Rursus.* Penult.

Hoc cap. est de eo, qui cum Deo fecisset simplex continentiæ votum, postea interposito jurejurando cum aliqua fecit sponsalia de futuro conjugio, quem Pontifex censet ex voto simplici apud Deum obligari non minus, quam ex solemni, sicut apud Deum parem esse causam fidei nudæ, et fidei juratæ docuimus *cap. 2. sup. de sponsal.* Itaque acta pœnitentia perjurii facti, votum, quod fecit, ab eo persolvi debere, re scilicet integra. Nam si, quam juraverat se ducturum uxorem, jam duxerit, matrimonium, vel matrimonii votum, quod solemne est, voto illo simplici fortius est. Et quod dixit in *cap. 6. sup.* idem repetit in hoc *cap. pen.* simplex votum impedire matrimonium contrahendum, non tamen dirimere contractum, licet non jure contractum videatur.

AD CAP. *Insinuante.* Ult.

Scriptum est hoc cap. ult. ad Olyssipponensem, et Colymbriensem Episcopos in Lusitania, in Hispania: unde et Regis Legionensis mentio in eo, qui unus tum erat ex Regibus Hispaniæ, nondum confusis omnibus Hispaniæ regnis in unum, regno Legionis, regno Castellæ, regno Navarræ, regno Arragoniæ], regno Portugalliæ, regno Majoricæ, et Minoricæ insularum. Hoc autem vult Pontifex in hoc cap. ult. mulierem, cujus nuptiæ rescripto Regis Legionensium petebantur, contra quam constitutum est in titulo Codicis, *si nupt. ex rescripto pet. et can. nullus. 36. q. 2.* et hanc impressionem viteret, si fecerit simplex votum continentiæ in monachi, ut hic proponitur, cujusdam Si Augustini manibus, nec tamen domo sua migraverit in monasterium, aut bona propria abjecerit, sed assumpserit tantum habitum ordinis S. Augustini, idque fecerit partim metu Regis, ne cogeretur rescripto Principis ad nuptias, quæ sibi cordi non erant, partim suasu, et impulsu cognatorum, et invita igitur quodammodo: eum tamen habitum per biennium gestaverit, et deinde illo abjecto etiam invita nupserit alii, ut ex eo quatuor liberos procreaverit: compelli eam ad resumendum habitum religionis, et votum persolvendum. Quod cum his, quæ supra tradita sunt de simplici voto, omnino pugnare videtur, etsi observes ita decrevisse Pontificem permotum conscientia, qua mentem suam impeditam et oppressam mulier habebat, eum nuptias se post votum non jure fecisse existimaret, quas nec apud Deum jure fecerat, ut nunc desiderarat, ut ait, salutem animæ suæ omnibus rebus antaferre. Ejus igitur conservandæ causa Pontifex censet, eam ad priorem voti religionem reverti debere. Denique hoc ita Pontifex decrevit in hoc specie singulariter, ex mulieris ipsius conscientia, pœnitudine, voluntate, postulatione, tum etiam, quod matrimonium illud invita contraxerat, ut diximus, votum autem confirmaverat perseverantia diuturni temporis, ut *cap. 21. sup. de sponsal. cap. ex parte, sup. de regularib.* quod maxime ad hunc locum facit, nec hic tamen annotatur, perseverantia scilicet biennii, quo gestavit habitum religionis, qua ex perseverantia, quod initio fuit vis, aut metus, apparuit judicium animi fuisse, *l. 3. de divort.*

AD TITULUM VII.

De eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.

AD CAP. *Propositum.* I. CAP. *Significasti.* VI. CAP. *Veniens.* Pen. et CAP. *Si Quis.* Ult.

Vetus est canonum definitio, eos inter se jungi matrimonio non posse, qui ante adulterio se contaminaverint, *can. 1. 31. q. 1.* qui Leoni I. tribuitur, et] Triburiensis Concilii *can. 40. et 51.* quod et canonibus Gregorii I. caveri Cœlestinus ait in *cap. 5. hoc tit.* Sane et apud Augustinum *lib. 1. de nuptiis, et concupiscentia ad Valerium Comitem*, ita vulgo legitur: *marito mortuo, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest cum quo prius adulterium fuit.* Ubi tamen perperam Gratianus legit, *fieri verum connubium potest*, detracta negatione in *can. denique, 31. quæst. 1.* Nam si quis, exempli gratia, cum uxore aliena adulterium commiserit, mortuo marito, in ejus matrimonium convenire non potest. Item, si quis cum uxorem legitimam haberet, pellicem si adsciverit, non ignorans legitimi matrimonii, uterque reus est adulterii, nec si forte legitima uxor mortem obierit, claudente animam forte dolore pellicatus, matrimonio inter se conjungi possunt; sed si id pellex ignoravit, quia ignorantia eam excusat, et vir non debet ex dolo suo lucrari, *l. 15. de dol.* quem quidem maritum, non est dubium, ex sua parte adulterium commisisse: pellicatus est adulterium post mortem uxoris legitimæ,

non potest pellicem invitam dimittere, si eam sibi ab initio adhibuerit sub specie matrimonii: hoc datur illius ignorantiæ, et innocentiæ, ut *cap. penult. inf. h. t. cap. 18. sup. de sponsal.* Morte igitur legitimæ uxoris, et pellex, quæ fraudem viri ignoravit, quæ pellicem se ignoravit, quæ cum marito se versari per errorem existimavit, si velit, tanquam uxor legitima retinebitur. Et hæc est sententia *cap.* 1. Quæ sciens in pellicatum se dedit, nunquam legitima uxor fieri potest adulteri, maxime, ut ait his duobus casibus, si viva uxore legitima fidem viro dederit de matrimonio suum eo contrahendo post mortem illius: quæ fides est præmatura, et contra bonos mores, quia votum inducit captandæ mortis, *l. ult. Cod. de pact.* item, qui est alter casus, si facto pellicis legitima uxor interierit. Hi duo casus proponuntur etiam in *cap. 1. et 3. et 6. et pen. et. ult.* Verum, mea quidem sententia, etiamsi horum casuum nullus exsistat, dici potest, eam, quæ sciens præbuit se aliene marito, nunquam ei posse matrimonio conjungi, quia ita abscise scriptum est in *cap. 2. et 4. hoc t. et can. illud. 31. quæst.* 1. quod est ex Concilii Triburiensis *can.* 51. nec, quæ vulgo ei adscribitur inscriptio, est vera. Idemque hoc, et in hoc cap. 1. illa verba annuere videntur: *et illam maxime, cui etc.* idem enim est, ac si diceret, illis maxime duobus casibus non posse inter eos esse connubium, sed nec posse, si illi casus deficiant, id est, etiamsi nihil pellex in necem uxoris legitimæ machinata sit, nec illa vivente, quasi matrimonium cum marito illius, aut sponsalia fecerit, inter eos connubium esse non posse. Verum Gratianus, cujus sententia invaluit, non ita abscise veteres canones accipi vult, ut illius adnotatio demonstrat ad finem *dict. can. illud.* Igitur extra illos duos casus putat Gratianus adulteram cognitam soluto matrimonio morte uxoris prioris in matrimonium duci posse, purgato adulterio, et expiato per pœnitentiam. Et hanc Gratiani sententiam confirmat aperte *cap. 6. et pen. h. t.* alioquin non multum tribueremus Gratiano monacho: fuit monachus S. Proculi Bononiæ. Ergo ut ex concubina uxor fieri potest, potuitque semper, ut ex rapta quoque, et vi compressa hodie uxor fieri potest, accedente novo consensu, *cap. ult. infr. de raptor.* quod olim non obtinuit: ita et ex pellice hodie uxor fieri potest, exceptis supradictis duobus casibus, quod tamen etiam olim non obtinuit jure canonico. Et sane fuit, cur separaretur concubinatus a raptu, et pellicatu, sive adulterio. Est enim concubinatus conjunctio legitima, *l. 1. de concubin. can. is qui, et can. seq. 14. dist.* Raptus, et adulterium conjunctio est plus, quam illegitima: nam et natura probrosa. Sed et jure novissimo in Concilio Tridentino, quod et ante Imperator Leo Philosophus constituerat in Novel. 91. concubinatus cœpit esse conjunctio illegitima, vel quia ejus juris auctores non intellexerunt, quid esset concubinatus, qui matrimonium imitatur, ut eleganter ait Julianus Nov. Justiniani 18. vel quia matrimonii imitationem ferre non potuerunt, qui et matrimonium perquam ægre ferebant. Scriptum autem est hoc cap. 1. ad Abbatem Sancti Albani, qui est in Anglia. Sanctus Albanus protomartyr Anglorum.

AD CAP. *Significavit.* II.

Angliam etiam respicit hoc cap. 2. cum sit scriptum ad Abbatem de Fontibus, cujus monasterii ortum explicuit Guglielmus Neubrigensis *lib. 1. rerum Anglicarum cap.* 14. et inde etiam in antiqua Decretali, quæ extat integrior in prima collectione Bernardi Papiensis, mentio Eboracensis Archiepiscopi, qui est in Anglia, quanquam in ea, quod extat etiam initio hujus capit. 2. causam dedisse huic constitutioni, proponatur Andegavensis quidam, qui scilicet tum morabatur in Anglia, et erat parochianus Archiepiscopi Eboracensis: nam et aliquandiu Andegavenses paruerunt Regi Anglorum. Sententia autem hujus cap. hæc est: eum, qui vi coactus majore interposito jurejurando fidem dedit Semproniæ futurarum nuptiarum, nec tamen eam cognovit, cum alia quadam muliere, quam postea uxorem duxit, manere debere maxime defuncta Sempronia, quia justum fuit matrimonium, quod cum alia muliere contraxit, qui fidem dederat Semproniæ coactus, quique cum ea rem nunquam habuerat. At si sponte sua fidem Semproniæ dederit, eamque cognoverit, quo ex re et cum ea matrimonium contraxisse præsumitur, *c. 21. sup. de sponsal.* nec post mortem Semproniæ posse cum manere cum posteriore, videlicet, ut glossæ supplent non male, *si sciens prudensque posterior illum cum alia consuevisse, eidem nupserit,* quia hoc casu uterque adulterii reus est, et canones vetant eam duci uxorem, cum qua quis adulterium commisit. Quam rem etiam Seneca *lib. 1. de benefic.* notare videtur his verbis: *Hinc decentissimum* (hoc dicit ironicos) *sponsaliorum genus est adulterium, et in consensu viduæ cœlibatus, nemo uxorem duxit, nisi qui abduxit.* Et maxime indigere videtur apologia Beati Ambrosii, quam exstat, David, qui duxit in matrimonium Bethsabeam, ex qua sustulit Salomonem, quam antea polluerat per adulterium, Uria marito Bethsabeæ etiam facto ejusdem Davidis e medio sublato, ut est proditum *lib. 2. Regnorum cap.* 11. (libri illi a veteribus omnibus dicuntur libri Regnorum, ut in Græco *βασιλειῶν*, non Regum, non *βασιλέων*) potest autem, ut in hoc cap. 2. scriptum est, is qui vivente uxore, cum qua ei fuit matrimonium præsumptum propter commixtionem sexuum, quod quidem non minorem vim habet, quam matrimonium verum, justum, atque solemne, se commiscuit alteri, post mortem prioris mulieris alteram ducere in matrimonium, aliam quamcumque uxorem ducere potest, nec ei perpetua continentia injungitur, si modo adulterii pœnitentiam peregerit ut in *cap. 4. inf. hoc t.*

AD CAP. *Super hoc.* III.

Scriptum est hoc cap. Bajonensi Episcopo, ut *cap. 2. t. seq.* cujus hoc pais esse dicitur: est autem illa civitas, quæ olim Bojacium appellata fuit in Novempopulonia, quæ vulgo Vasconia dicitur, et civitas Medulorum, *la ville de Medoc*, non ut Polydorus scripsit, Tarbellorum. Id autem in hoc cap. 3 vult Pontifex, matrimonium jure consistere non posse, quod quis viva uxore sua cum alia contraxit, quæ postea justæ uxori mortis causa fuerit. Nullum cum ea matrimonium fuit ab initio, quia non licet duas uxores habere, sed nec confirmabitur si prior uxor moriatur, cum posterior ei necem attulit, cum posterior fatum prioris properavit: quod glossa dicit esse verum, si posteriorem cognoverit viva priore, non etiam, si eam non cognoverit. Dico veram esse sententiam hujus cap. etiamsi nondum posteriorem cognoverit: quia indigna est matrimonio viri, quæ ejus uxorem peremit, ut sibi faceret locum. Et glossa male etiam opinionem suam confirmat ex *cap. ult. inf. h. t.* in quo non proponitur hic casus, si posterior priori mortis causam præbuerit, sed alter casus, si fidem posterior viva priore dederit de futuro matrimonio, vel si eam vir uxoris nomine acceperit vivente justa uxore, quæ res sola cum ille contractum matrimonium post mortem justæ uxoris non dirimit, nec dissolvit, nisi et eam cognoverit viva justa uxore, id est nisi se cum illa adulterio polluerit: pœnitentia tamen præfestinati voti, aut fidei præmaturæ datæ utrique, quia uterque conscius fuit, indicenda. Et ita est explicandum hoc *cap.* 3.

AD CAP. *Ex literarum.* IV. et CAP. *Cum haberet.* V.

Ut hoc cap 4. intelligamus, repetendum est memoria, quod jam exposuimus in *cap. 9. sup. de sponsal.* ex causa adulterii dimissam uxorem non desinere esse, uxorem etiamsi sumpserit monasteriæ habitum, nec etiam si solemni voto se, et sua monasterio dedicaverit. Ex eo efficitur, et consequitur necessario, quod est in hoc *cap.* 4. eum, qui dimisit uxorem suam ex causa adulterii, non posse, ne mortua quidem illa, eam ducere uxorem, ex qua interim post dimissam uxorem primam liberos procreavit, si et ipsa non fuerit ignara prioris conjugii, ut dictum est *cap.* 1. quia uterque in adulterium incidit, eo quod adulterio dimissa uxor non propterea desierat esse uxor. Verum mortua uxore, quam ex causa adulterii dimisit, aliam quamcumque mulierem ducere potest peracta quam Episcopus indixerit pœnitentia adulterii, ut *cap. 2. sup.* non ergo indicitur ei perpetua continentia. Nam etsi eam non poterit ducere quam adulterio polluit, poterit tamen aliam quamlibet, si nullum intervesiat juris impedimentum: id quod pugnare videtur cum *cap. 5. hoc tit.* que explicato, cum et cetera explicata sint, erit finis hujus tituli. In cap. 5. indicitur perpetua continentia utrique, ut sint sine spe conjugii semper, ut cœlibem vitam agant utrique, si post adulterium in nuptias convenerint. Species hæc est: Qui habebat uxorem legitimam, pellicem ei adjunxit: quo nomine cum fuisset a magistratu reprehensus, abjecta pellice juravit sibi deinceps cum illa nullam consuetudinem, nullum consortium fore: post jurisjurandi immemor eam reduxit quasi in matrimonium, et diutius cum ea fuit vivente uxore legitima: quin et mortua uxore legitima decennium cum illa fuit, et suscepit ex ea decem liberos. Hæc est species. Non movetur Pontifex numero liberorum, non movetur diuturnitate temporis, quo simul vixerunt, sicut, nec in *cap.* 1. quod valde ad hanc rem facit, *qui cler. vel vovent. in secunda collectione.* Ille, inquam, Pontifex non movetur ad confirmandum matrimonium, quod dissolvi jubet etiam post diuturnum illud tempus, quæ res tamen movit Imperatores, moveretque etiam Pontificem ad confirmandum statum liberorum, ut in *l. Qui in provincia, §. 1. de rit. nupt.* moveret numerus liberorum, moveret diuturnitas temporis, si modo mulierem excusaret ignorantia juris, ut in dicto §. proponitur, et exposui supra in *t. de clandest. despons.* At in hac specie uterque fuit conscius et particeps sceleris: ideoque et perpetua continentia utrique indicitur, et status liberorum non confirmatur. Et perpetua quidem continentia indicitur propter contumaciam, in qua diutino tempore perseveraverunt, tam viva, quam mortua uxore legitima, non sine magno scandalo Ecclesiæ, ut ait. diuturnitatem temporis, etiam detracta causa perjurii, quæ concurrebat in hac specie, aut illius nulla habita ratione, satis per se augere crimen, augere contumaciam, ut in *cap. non satis, inf. de simon.* Habuit etiam, ut ait, Pontifex rationem ætatis, qua pene jam confecti illi erant, ut jam tempus esset, continentiam illos amplecti potius, quam liberis operam dare. Sed et hisc, et ex *can. si quis vivente*, 31. *q.* 1. constitui potest, duobus illis casibus, de quibus jam supra dictum est sæpius, puta si viva uxore, aut vivo marito suum alio, vel alio matrimonium, aut sponsalia contraxerit, vel si posterior conspiraverit in necem prioris, perpetuam continentiam indicendam esse, non etiam citra hos casus ob id solum, quod cum alio, vel alia adulterium commiserit, ut *cap. 2. et 4. hoc t.* Illud notandum est ex fine hujus cap. 5 liberos ex adulterio procreatos esse alendos a parentibus pro modo facultatum, in quibus parentes sunt, quod pugnat omnino cum *Novella Justiniani* 89. §. *ult.* in qua generaliter statuitur, ex damnato concubitu procreatis denegando esse alimenta. Et hæc differentia potest adjungi ceteris inter constitut. Impp. et constit. Pontific. Unde et in *capit. per venerabilem, in fi. qui filii sint legit.* ait, alimenta denegari spuriis, vel ex damnato concubitu procreatis legibus secularibus: serva illud, *secularibus legibus*, non canonibus igitur. Quo in re canones superant leges, aut constitutiones civiles.

AD TITULUM VIII.

De Conjugio leprosorum.

AD CAP. *Pervenit.* I. CAP. *Quoniam.* Pen. et CAP. *Literas.* Ultim.

Sicut furor superveniens alterutri ex conjugibus, vel utrique, non dirimit conjugium, *l. Patre, de his qui sunt sui, aut alieni jur. l. Oratione, §. ult. de rit. nupt. can. si qui. et can. seq* 32. *q* 7. quod explicui etiam in *cap.* 24 *sup. de spon.* ita lepra superveniens utrique, vel alterutri, conjugium non dissolvit. Ergo etsi soleant leprosi, cæterorum consuetudine procul amoveri, et extra portas plerumque collocari, qua ex causa trasportanei dicuntur a Cassiodoro X. Variarum: non tamen, qui matrimonio juncti sunt, ob hanc causam disjungi, et separari debent: una tantum a Domino prodita est justa separationis causa, adulterium scilicet. Usus sum comparatione furoris, qua tamen non licet uti passim, non certe in eo, quod furor nuptiis, vel sponsalibus impedimento est ab initio ne fiant, quandoquidem lepra ab initio nuptiis, aut sponsalibus impedimento non est, si quis forte hoc vitio correptus inveniat miseram aliquam, quæ ei nubere velit, vel contra, quæ est sententia *cap.* 2. *hujus tit.* ubi, ut quod de lepra superveniente dicimus, ut contractum matrimonium non infirmet, trahitur etiam ad quemlibet alium morbum similem. Puto tamen et hanc fuisse differentiam inter furorem, et elephantiasim sive lepram, quod furor superveniens matrimonium jam consensu perfectum, etiamsi nondum consummatum foret, non dirimeret, quia satis erat ab initio in nuptias recte consensisse: lepra autem superveniens matrimonium quidem jam consummatum (consummatur concubitu) non dirimeret, at nondum consummatum dirimeret, etiamsi consensu perfectum esset, ut puta si sponsalia de præsenti matrimonio intervenissent, nondum tamen concubitus secutus fuisset. Et hanc credo fuisse sententiam antiquæ Decretalis, quæ extat in prima collectione, sed interpolata est a Raymundo hujus postremæ collectionis auctore, in *cap.* 3. *hujus tit.* qui adjecit hæc verba, *de futuro*, quæ non erant in antiqua Decretali: *si post sponsalia*, inquit, *de futuro etc.* ut plane secundum Raymundi mentem, a quo etiam forte fuit Gregorius IX. cujus jussu Raymundus hanc collectionem fecit, hodie lepra non solvat sponsalia de præsenti, sed sponsalia tantum de futuro: ut *cap. quemadmodum, etc. loco: non solum leprosa, sup. de jur-jur.* Qua in re etiam lepra distat a furore, quia furor superveniens non infirmat sponsalia de futuro, *l. Furor, de sponsal.* quæ sola jus civile novit. Non est omittendum, lepram etiam clerico supervenientem, eum non removere a clericatus ordine, sed a functione tantum, et administratione, et συναργὸν sive adjutorem ei dari, qui in hoc vitium incidit, ut impleat ejus vices, *c.* 3. *et* 4. *sup. de cleric. ægrot.* Sed nec ab administratione et functione clericatus is removetur, qui sciens, et sentiens sibi lepræ periculum imminere, ex consilio medici exsecuit sibi virum, et proles amputavit ambo, *cap.* 5 *sup. de corp. vitiat.* quam rem certissimum est lepram propulsare, ut Aetius scribit ex Archigene *lib* 13. τοὺς εὐνουχιζομένους μὴ ἐλεφαντιᾶσθαι. Ideoque Boetius I. *de disciplina scholari*, Timothei cujusdam filium lepra incumbente castratum ait. Lepra Græcum est nomen: quidam Latino impetiginem dici putant, male: nam, ut liquet ex *l.* 6 §. 1. *de Ædil. edic.* impetigo membrum tantum aliquod occupat: lepra totum corpus. Eam Seneca III. naturalium quæstionum vocat *albiginem*, et *fœdam*, ut subjicit *ex alba varietatem.* Et Arnobius quoque *lib.* 1. *adversus gentes*, cum de leproso a Dom. persanato ita scribit: *Fœdæ albigines jussioni Domini obtemperaverunt: pallor alutim, et concordiam colorum commaculatis visceribus relinquebant.* Et de eodem miraculo Procopius scribens secundo de bello Vandalico, σώματος δὲ ὅλου λεύκας ἐκτεθηκώς. Nam et lepram Græci λεύκην vocant, ut apud Herodotum *lib.* 1. ubi demonstrat leprosos etiam apud Persas emendari extra urbem, quem morem etiam in Syria fuisse Biblia sacra testantur. Imo fuit ubique gentium propter contagionem. At ex eo, quod de albore sive candore lepræ dixi, patet satis, quid proprie sit lepra, idque confirmat etiam Exodi *cap.* 4. et Num. *cap.* 12. Ille locus, in translatione 70. λεπρῶσα ὡσεὶ χιών, *lepros. ut nix.* Tamen, quæ de lepra dicuntur illa candida seu nivea, trahi debent ad quæcunque alia lepræ genera.

AD TITULUM IX.

De Conjugio servorum.

AD CAP. *Dignum est.* I. CAP. *Proposuit.* II. CAP. *Licet.* III. et CAP. *Ad nostram.* Ult.

Integrior titulus est, *de conjugio servorum, et dispari conditione.* Jure civili inter servos, vel cum servis, matrimonium contrahi non potest, *l. Si ancillæ, de condit. et demonstr. l.* 3. *C. de incest. nupt.* Jure Pontificio potest etiam invitis dominis, ut habetur in *c.* 1 *h. t. et can. si quis liber, et can. si fœmina*, 29. *q.* 2. salvo tamen jure domini. Et hoc si scientes quique conditionem suam contraxerint matrimonium. nam si quis per errorem duxerit uxorem ancillam, quam existimabat esse liberam: vel si qua per errorem nupserit servo, quem existimabat esse liberum, post cognito errore, cognito statu conjugis, abeo cave divertere, et alii matrimonio conjungi potest, quia errantis nullus est consensus, sine quo nuptiæ non consistunt. Verum si divertat ob eam causam, necesse est, ut omnia restituat in integrum, veluti, ut ancillæ, quam per errorem duxerat quasi liberam, restituat dotem, id est quasi dotem: nec enim ibi proprie dos est, ubi matrimonium non est, et, ut dixi, matrimonium non est inter errantes, vel cum errante, *cap.* 2 *hoc. tit.* Verum huic sententiæ addendus est modus, nempe, ut ita demum locum habeat, si quis, postea quam cognovit deteriorem conditionem, et servilem statum conjugis, novum consensum non præbuerit, vel si vir, qui se junxerat ancillæ per errorem, errore comperto cum ea concumbere non destiterit, quæ res pro novo consensu habetur, *cap.* 21. *et.* 30. *sup. de sponsal cap.* 6. *sup. de condit. opp. cap.* 2. 3. 4. *hoc tit.* Et hæc est hujus tituli summa brevis. Caput I. scriptum est Eberardo Salisburgensi Episcopo, qui est in Anglia. Cap autem 2 scriptum est præposito, et Priori Mortariensi, quæ ecclesia in Liguria, in Lombardia, in Gallia Cisalpina, quia ex integra, et antiqua Decretali constat, negotium, de quo agitur in hoc cap. 2. fuisse tractatum in Liguria, in Lombardia, ejusque cognitionem ab Episcopo Astensi, qui est in Liguria, translatam ad supradictum Priorem. Cap. vero 3. scriptum est ad Ariminensem Episcopum, qui est in Gallia Cisalpina, sive Lombardia. Apud Livium *lib.* 28. *et* 38. Ariminum, et Gallia idem est, quia hæc Transalpinis prima occurrit civitas Galliæ Cisalpinæ. Et inde legem provinciæ in hoc cap. 3. recte Tancredus interpretatur legem Lombardiæ, quæ erat talis, ut, qui ex disparis conditionis parentibus nasceretur, patris conditionem sequeretur, non matris, ut est proditum in legibus Longobardorum, tit. 88. At in specie ejus capit. 3. is, quem uxor, quæ erat libera mulier, dicebat esse servum cujusdam monasterii, probabat patrem suum usque in diem mortis, et se quoque per decennium in possessione libertatis fuisse sine controversia ulla, sine interpellatione. Quæ præscriptio tuendæ libertatis, ut idonea esset favor libertatis extursit, *l. Si com.* § *Aristo, qui et a quibus manum.* præscriptio scilicet decennii inter præsentes, et vicennii inter absentes, *l.* 2 *C. longi. temp. præscript. quæ pro lib. et non advers. lib.* Itaque cum hoc vir probasset, exclusa est mulier, quæ dicebat, eum esse servum cujusdam monasterii, et id se nescivisse ab initio, postea cognovisse, ut ab eo diverteret. Inscriptionem cap. ult quod ext Innocentii III ego restituo ex veteribus decretalibus Innocentii III. quas habeo, in quibus perspicue scriptum est hoc modo Innocentius tertius Racesburgensi Episcopo: de cujus Episcopatus instauratione nominatim Helmodius Presbyter scribit *lib.* 1. *historiæ Slavorum*, c. 78. et qui ejusdem Helmodii supplementum composuit Arnoldus Abbas Lubecensis: id supplementum dedicat Philippo Episcopo Racesburgensi. Itaque rectissima illa inscriptio est.

AD TITULUM X.

De Natis ex libero ventre.

AD CAP. *Indecens.* Unic.

Hic titulus constat uno tantum cap. et est Gregorii I. non Gregorii IX. ad Anthemium subdiaconum, et extat integrum in Registro ejusdem *lib.* 1. *cap.* 53 quod et Antonius Augustinus annotavit. Species hæc est. Quidam servus ecclesiæ Romanæ matrimonio sibi copulavit liberam mulierem, non ita dudum a domino sua manumissam per epistolam, quæ manumissio valet, *l. Qui absentis, de acquir. poss.* §. *Multis, Instit. de libertin.* et eam esse liberam, id est, libertinam, utpote manumissam a domino suo homo ille Romanæ ecclesiæ probabat prolatis instrumentis manumissionis. Ecclesia autem, vel actor ecclesiæ Romanæ, qui filios ex eo matrimonio procreatos tanquam servos ecclesiæ vindicabat, nulla proferebat documenta, sive instrumenta in contrarium, quæ documentis hujus obvierent. *Documentis hujus*, legendum est, non *hujusmodi*, id est, documentis hujus hominis, ut in supradicto Registro Gregorii, ex quo etiam initio legendum est, *Indecens esse credimus, ut progeniti ex libera filii ad servitium retrahantur, etc.* Ergo ex sententia hujus cap. nati ex servo et libera matrem sequuntur, id est, liberi nascuntur: et incongruum igitur erat, ut ait, indecensque, ut ecclesia in hac specie, quæ tueri debet libertates, eas infringere conaretur. Non eadem est ratio eorum, qui nascuntur ex muliere libera, quam contra canones Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus habuit uxoris vice, quia filii ex hac conjunctione progeniti servi fiunt ecclesiæ, nec accedunt matris conditioni, *canone, cum multæ*, 15. *q.* 8. nimirum quia ex illicito conjugio nati sunt. Inter servum et liberam hoc jure non est illicitum conjugium, sed jure civili tantum. Quæ tamen differentia inter jus civile et Pontificium videtur hanc conventionem peperisse, ut quia jure civili connubium non est inter servum et liberam, liberi matrem sequantur, *l. Severus, de decurion. l.* 3. *C. solut. matrim. l. Partum, C. de rei vindicat. l.* 16. *C. de postl. revers. ab hostib.* Contra vero, quia jure Pontificio hoc casu connubium intra, videlicet inter servum et liberam, æque ut liberi matrem sequantur. Atque ita duæ contrariæ rationes idem jus efficiunt. Unde tamen rursus nascitur altera differentia inter jus civile et jus Pontificium: Jure civili nati ex legitimo matrimonio patrem sequuntur: Jure Pontificio, ut patet ex hoc cap. matrem sequuntur. Quod tamen stricte accipiendum est,

ut scilicet tantum locum habeat matrimonio contracto inter servum et liberam, ut ex eo nati matrem sequantur, non matrimonio contracto inter liberos homines, quo casu liberi patris originem, patris dignitatem sequuntur. Nam etiamsi jus Pontificium inter servos, et cum servis matrimonium fecerit legitimum contra jus civile: non tamen et sustulit ea, quæ jus civile consequebantur, puta noluit, ut ex legitimo matrimonio inter liberos homines contracto, filii procreati matrem, non patrem sequerentur. Hoc jus Pontificium noluit: nec in hoc igitur recessit e jure civili, quod legitimo connubio interveniente, vult ut liberi semper matrem sequantur in omnibus, *l. Cum legitimæ, et l. Lex. de stat. homin. l. 1. C. Th. de collegiat. lib. 12.* Ulpianus libro regularum tit. 5. *Connubio*, inquit, *interveniente, liberi semper patrem sequuntur, non interveniente connubio, matris conditioni accedunt.*

AD TITULUM XI.

De Cognatione spirituali.

Cognationem spiritualem non tantum Latini agnoverunt, sed et Græci: nam in can. 53. sextæ synodi Constantinopolitanæ, quæ habita est in Palatio magno, sive Basilica, quæ vocabatur Trullus, hæc cognatio vocatur οἰκειότης κατὰ τὸ πνεῦμα. Contrahitur vero cognatio spiritualis inter eum, qui aliquem suscipit ex lavacri sacramento, ex baptismo, et eum, qui suscipitur, id est, inter susceptorem, et susceptum. Susceptus enim susceptave susceptori est filii filiæve loco: et retro susceptor suscepti patris loco, *can. 1. 30. q. 3. l. Si quis alumnum, in fin. C. de nupt.* quæ unica lex est in jure civili de cognatione spirituali, quæ contrahitur inter susceptorem, et susceptum. Est ut dixi, susceptus susceptori filii scilicet adoptivi loco, quem et εἰσποιητὸν παῖδα, id est, adoptivum filium appellari invenio apud Suidam in verbo ἐνυοπιασθείς. Et ideo susceptor, qui et ἀνάδοχος dicitur, et sponsor, *le parrain*, ducere in matrimonium susceptam non potest: ex diverso quoque suscepta non potest nubere suscepto. Non potest etiam susceptor habere in matrimonium matrem suscepti, ut cavetur *d. can. 53.* quin incurrat τῆς συντεκνίας ἔγκλημα, ut est relatum apud Cedrenum in Nicephoro Phoca. Et ex diverso quoque susceptrix non potest nubere patri suscepti, *cap. 6. h. tit.* Idem vero censent veteres canones de suscepto, et filia naturali susceptoris, vel susceptricis et de suscepta, et filio naturali susceptoris, ut non possint matrimonio conjungi, *cap. 1. et 3. pen. h. t. cap. 1. eod. tit. in 6. can. post susceptam, 30. quæst. 3.* quia hæc est ratio prohibitionis, ut ait *can. non oportet. eadem caus. et quæst.* divina sententia germani, et fratres spirituales sunt. Et divinam sententiam Cœlestinus III. interpretatur divinam legem in *cap. 3. de cognat. spir. in secunda collectione:* nusquam tamen id reperies in divina lege, reperies quidem in legibus Luitprandi regis Longobardorum *tit. 24.* ne susceptus audeat filiam susceptoris uxorem ducere, quia germani spirituales sunt: verum in lege divina idem non reperies, nec si esset ea lege divina, id potuisset, ut fecit, concilium Tridentinum prætermittere, quo cognatio spiritualis non contrahitur inter susceptum susceptamve, et filium filiamve susceptoris. Ex omnino ex ejus concilii sententia cognationis spiritualis prætextu prohibentur tantum nuptiæ inter personas, quæ sequuntur inter susceptorem, et susceptricem, si duo sint in baptismo adhibiti susceptores, mas et fœmina, quod fieri potest, et solet, *cap. 3. de cognat. spir. in 6. can. ult. 30. qu. 4.* quod tamen olim non probarat Leo Pontifex optimus, et doctissimus qui unum tantum adhiberi volebat susceptorem, vel unam susceptricem. *can. non plures, de consecrat. distinct. 4.* Nec abs re, quia sæpe ea res inter marem, et fœminam, qui alienum puerum e sacro fonte suscipiunt, et sustollunt, notitiam facit, quam deinde consequitur nimia familiaritas. Prohibentur etiam eodem concilio nuptiæ inter susceptorem, vel susceptricem, et susceptum susceptamve, inter susceptricem, et patrem suscepti, vel susceptæ, ut capit. 6. hoc tit. et consequenter inter susceptorem, et matrem suscepti susceptæve. Prohibentur etiam inter eum, qui baptismo lotus, tinctus, et recreatus est, et ministrum baptismi, sive mas sit, sive fœmina, quæ urgente necessitate baptismum administraverit solemnibus verbis, et aqua superfusa, vel ut fiebat olim, in aqua immerso homine, *can. sup. r, 30. quæst. 3. can. mulier, de consecrat. distinct. 4.* et sive clericus, sive laicus sit, quem et ad ministerium necessitas admittit, *can. in necessitate, de consecrat. dist. 4.* Tertullianus in libro de baptismo. *Sufficiat*, inquit, *in necessitatibus, ut utaris laico, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit: tunc enim*, inquit, *constantia succurrentis accipitur, cum urget circumstantia periclitantis.* Hoc autem colore prohibentur nuptiæ inter ministrum, ministramve baptismi, et baptizatum, quia et hic ministro filius, filiave spiritalis est, sicut susceptoris, *can. ad limina, in fine, can. seq. 30. quæst. 1.* Prohibentur etiam eodem concilio prætextu cognationis spiritualis nuptiæ inter ministrum baptismi, et matrem tincti, et similiter inter ministram baptismi, et matrem baptizati, ut *cap. 1. de cog. spir. in 6.* Et hæ quidem tantum personæ ex sententia supradicti concilii cognationis spiritualis obtentu inter se nuptias contrahere prohibentur. Ergo inter alias quascunque personas nuptiæ permittuntur, quia edictum de nuptiis prohibitorium est, *cap. 23. sup. de sponsal.* et ideo, quod prohibitum non est, nominatim permissum intelligitur. Proinde inter susceptum susceptamve, et filium filiamve naturalem susceptoris, hodie nuptiæ permittuntur, quæ tamen jure veteri prohibebantur, ut docent sup. Et simili modo connubium, quod jure veteri non erat inter susceptorem, et filiam suscepti, ut Harmenopulus refert *l. Epitomarum tit. 6.* vel inter susceptricem, et filium suscepti, hodie permittitur. Item quod jure veteri connubium non erat inter filium, filiamve ministri, et inter baptizatum baptizatamve, *cap. ult. h. t.* hodie permittitur. Item quod æque prohibitum erat inter susceptum, et quondam uxorem susceptoris ante susceptionem ductam, et cognitam, *cap. 1. de cognat. spir. in 6.* hodie permittitur. Item quod prohibitum erat inter filium naturalem susceptoris, et matrem, aut filiam suscepti susceptæve, ut Harmenopulus refert supradicto loco, et est proditum *lib. 28. Basilicon, tit. 5.* hodie permittitur. Valde igitur hodie astricta est cognatio spiritualis, vel quæ prætextu ejus invaluerat nuptiarum prohibitio. Et in summa hodie cognatio spiritualis, quæ nuptias impediat, et dissolvat, contrahitur tantum inter susceptores, si duo fuerint, mas et fœmina: et inter susceptorem, vel susceptricem, et inter susceptum susceptamve, et patrem matremve ejus: itemque inter baptismi ministrum ministramve, et baptizatum baptizatamve: et patrem matremve ejus. Itaque, ut dixi, valde coarctata est cognatio spiritualis, et tanto quidem, quanto dilatata olim fuerat, maxime in ecclesia Orientali, quæ fuit phanatica, cerebrosa, contumax, superba, et infensissima Occidentali semper, quam et tanquam hæreticam condemnat, quæ tamen condemnatio ad extremum recidit in ipsam. Creverat autem irroboraveratque usque adeo in ecclesia Orientali hic prætextus inhibendarum nuptiarum, ut eodem fine concluderent cognationem spiritualem, quo legibus, et canonibus finita, et conclusa est cognatio sanguinis, synodo hac de re habita sub Nicolao Patriarca Constantinopolitano, ut legitur in jure Orientali. Nitebantur illo solo verbo canonis 53. synodi sextæ Constantinopolitanæ, μείζονα εἶναι τὴν πνευματικὴν οἰκειότητα τῆς τῶν σωμάτων συναφείας: *majus esse vinculum cognationis spiritualis, quam corporalis.* Quod tamen cum dictum sit hyperbolicos, eo non est abutendum, ita ut cognationem spiritualem porrigamus ad modum, finemque ejus, quem jus sanguinis creat. Nam et canon ille vetat tantum nuptias contrahi inter susceptorem et matrem suscepti. At novissimum concilii Orientalis decretum, quo hujusmodi cognatio, ficta, et imaginaria coarctata est, longe melius sanctiusque, et forte procedente etiam tempore tota ea fictio, quæ non habet consensum partium, abrogabitur. Certe juris hujus arbitrium totum in hominibus est, neque enim est a Domino, vel Apostolis, nec ulla ejus memoria vetustior tempore Justiniani. His cognitis tempus est, ut exponamus cetera, quæ continentur in constitutionibus hujus tituli.

AD CAP. *Utrum.* I. CAP. *Super eo.* III. et CAP. *Tua nos.* Penult.

Prima, et tertia, et penult. constitutio pertinet ad hanc quæstionem, an inter filios duorum compatrum nuptiæ consistere possint. Compatres sunt pater spiritualis, id est, susceptor, et pater materve naturalis, *cap. 4. hoc tit.* et necessitudo, qua ob eam rem invicem conjuncti sunt specialiter, dicitur compaternitas, et confiliatio, sive συντεκνεία, et, ut arbitror in Theodori Balsamonis responso 43. et 44. pro συμπένθερος, quod est consoceratus, omnino legendum est, συμπατερία, vel συμπατρία, id est, *Compaternitas.* Quæstio igitur, ad quam pertinet *cap. 1. 3. et pen.* hæc est, an filius naturalis susceptoris possit ducere in matrimonium filiam naturalem patris suscepti, id est, sororem suscepti, et utrum intersit, filii nati sint susceptori, vel patri naturali suscepti ante an post compaternitatem contractam. Dubitandi ratio hæc est, quia confratres esse videntur, qui sunt compatrum filii, qua ratione utitur etiam Demetrius Comatenus Archiepiscopus Bulgariæ in responso de gradibus cognationum, quod extat in jure Orientali, et movit etiam hæc ratio vetustiores, adeo ut inter filios compatrum ante, vel post compaternitatem genitos nuptias prohiberent: at recentiores inter eos nuptias permiserunt. Et recentioribus canonibus scilicet potius standum esse censet Pontifex in hoc cap. 1. sicut eleganter Tertullianus libro de baptismo ait, *in omnibus posteriora rem concludere, et sequentia antecedentibus prævalere.* Neque est, quod objiciatur *can. Domino, 50. distinct.* circa finem, ubi dicitur, quoties discordia et dissidium inter concilia esse videtur, ei concilio potius standum esse, quod antiquius, et potius est: quia hoc sic intelligi debet, ut potior sit semper synodus Œcumenica, sive universalis provincialis quamvis sit posterior: alioqui ubi par est potestas utriusque synodi, utriusque Concilii, posterius priori prævalet. Ergo hodie inter filios compatrum nuptiæ permittuntur. Excipiuntur tantum duo casus in hoc cap. 1. si consuetudo certæ cujusdam ecclesiæ alia sit, a qua sine scandalo vix recedi possit, ut *cap. 3. inf. h. t.* et hæc est altera exceptio, si quis ex iis filiis, vel si uterque, ut dicitur in *cap. 3.* dederit causam compaternitati: ut si filium meum ex sacro fonte susceperis, hic filius meus non poterit ducere uxorem filiam tuam naturalem, sive ego eam vicissim baptismo exceperim, sive non. Qui autem sint illi vetustiores, recentioresve canones, quorum in hoc cap. Alexander mentionem facit, ipse non aperit. Consentit quidem cum hoc cap. 1. *can. super quibus, 30. quæst. 3.* sed non etiam, ut vulgus existimat, ab hoc cap. 1. dissentit, qui sequitur canonem *super quibus*, *can. post susceptum*, quia non inter filios quoscunque compatrum nuptias prohibet, sed inter susceptum, tantum, vel susceptam, et filium, vel filiam naturalem compatris, id est, susceptoris, vel commatris, id est, susceptricis, etiamsi post susceptum filium spiritualem prognatus prognatave sit, quæ est exceptio addita in *hoc cap. 1.* et in extremo *d. can. super quibus*, quam mox subjectus *can. post susceptam* confirmat, cujus verior sensus hic est, quem et glossa notavit in *d. cap. post susceptum* sed in eo non por-

manet, ut plerumque homines, nisi natura sint veritatis studiosissimi, et amantissimi, falsa arripiunt potius, quam vera. Confirmatur etiam hæc exceptio *capit. pen. inf. h. t.* quo breviter hoc cavetur, filium compatris mei natum ante compaternitatem matrimonio filiæ meæ, quam compater meus ex baptismo sustulit, conjungi non posse: *can. post susceptum*, loquitur de nato post compaternitatem, *cap. pen.* de nato ante compaternitatem, in utroque idem juris est, ut patet ex conjunctione *cap. pen.* cum *d. can. post susceptum.*

AD CAP. *Si vir.* II.

Docet in hoc capit. inter matrem suscepti, et susceptorem, vel inter patrem suscepti, et susceptricem, nec vetere, nec novo jure matrimonium consistere. At si pater, vel mater sciens, vel ignorans filium proprium in baptismo susceperit, non ideo dissolvitur matrimonium, quod jam ante compaternitatem legitime contractum est. Alioqui scientibus, et divertere cupientibus, hac via ad divortium pateffieret aditus: ignorantes autem excusari æquissimum est. Et sic in hac specie non ideo minus matrimonium in suo statu perdurat, quod in eam causam reciderit, a qua incipere non potest, quod et ita in aliis causis sæpe fit, *l. 85. §. 1. de reg. jur.* Denique rite contractum matrimonium ex post facto non vitiatur, *l. 3. C. de interd. matrim. int. tutor. et pupill.*

AD CAP. *Martinus.* IV.

Ex hoc cap. 4. intelligimus, cognationem spiritualem contrahi, non tantum inter susceptorem, vel susceptricem, et patrem, aut matrem naturalem suscepti, adeo ut susceptore defuncto, id est, defuncto compatre, pater naturalis suscepti non possit viduam, quæ susceptori supervixit, uxorem ducere: quia et hæc patri naturali suscepti, videtur esse commater, quæ coadunata fuit, et commixta compatri suo per connubium, usque adeo, ut caro hujus, illius censeatur esse caro, juxta verbum Dei, *et erunt duo in carne una.* Denique uxor compatris mei est mihi commater, et ego illi compater. Eademque ratione, quæ uxoris meæ commater effecta est constante matrimonio, est etiam mihi commater, adeo ut mortua uxore mea illam uxorem ducere non possim, *can. 1. 30. quæst. 4.* Sed hæc, ut dixi in præfatione, concilium Tridentinum abrogavit. Quæ, inquam, uxoris meæ commater effecta est adhuc inter me, et uxorem meam constante matrimonio, non etiam, quæ ejus quam postea uxorem duxi, ante matrimonium, et consummationem matrimonii commater effecta est: hæc non est commater mea, licet uxoris meæ sit commater, *can. post obitum, 30. quæst. 4.* Nam et compater uxoris meæ non est is, qui jam compater meus erat, antequam uxorem eam ducerem, *can. qui spiritali, eadem causa, et quæst.* Et secundum hanc distinctionem, quæ probatur ab omnibus, evenit, ut modo quis duas, quæ inter se commatres sunt in matrimonium ducere possit, post obitum scilicet unius, alteram modo non possit. Commatrem dicimus, et Compatrem, et consilium, ut Græci συμμήτερα, et σύντεκνον, et confratrem in hac materia, ut in jure civili reperire est passim, et comprivignum, congenerum, et consocerum, et apud Plautum, commaritum.

AD CAP. *contracto.* V.

Ex hoc cap. intelligere licet, cognationem spiritualem contrahi non tantum per baptismum, sed etiam per catechismum. Solebat olim alio tempore fieri catechismus, alio baptismus, et catechismus præcedere, baptismus sequi: quod et hodie fit grandiore jam natu Judæo, vel infideli aliquo complectente fidem Christianam. Et cathecumenis quidem astante sponsore aliquo, ut in baptismo, eumque tenente, et offerente, exhibente, sal in os immitti solet, quod typus, et simbolum est sapientiæ, *can. ex hinc, et can. seq. de consecrat. distin. 4.* Concilii Carthaginensis tertii can. 5. idque primum sacrati salis pabulum dicitur in *hoc cap. 5.* et in *can. 1. 30. quæst. 1.* his utique verbis, *o primo sacrati salis pabulo*, catechismus significatur. Hodie catechismi etiam species servatur in parvulis recens natis, sanguinolentis, qui tingendi ecclesiæ offeruntur ori eorum indito sale. Neque enim id est ex forma tinctionis, sive baptismi, sed ex forma catechismi, itemque salivæ, qua tingendi nares, et aures contingentur, et exorcismus, et sufflatio clerici, et unctio pectoris atque scapularum, *can. dehinc, can. postea, can. sine parvuli, can. deinde de consecrat. dist. 4.* Hæ omnes ceremoniæ ad cathechismum pertinent, non ad baptismum, qui perficitur paucissimis verbis. Et sic hodie in parvulis recens natis uno eodemque tempore catechismi, et baptismi solemnia peraguntur. At sciendum est, propinquitatem, sive cognationem, quæ venit a baptismo, hoc distare ab ea, quæ venit, et oritur ex catechismo, quod prioris ratione non tantum prohibetur matrimonium ne fiat, sed etiam, quod non habita illius cognationis ratione contractum jam est, dirimitur, *cap. 3. 6. et pen. h. t. cap. 1. et 3. eod. tit. in 6.* posterioris autem cognationis quæ ex catechismo descendit, non est tanta vis, ut et illius ratione neglecta contractum matrimonium dirimatur. Et hoc est, quod in *hoc. cap. 5.* proponitur, et in *cap. 2. eod. tit. in 6.* ut idem constat sæpe in aliis causis evenisse, nempe, ut quod fieri prohibetur, factum tamen non infirmetur, *capit. ad apostolicam, sup. de regul. cap. quemadmodum, sup. de jurejur. cap. 4. et 6. sup. qui cler. vel. vov.* ut ibidem docui.

AD CAP. *Veniens.* VI. et CAP. *Ex literis.* Ult.

Scriptum est hoc caput ad Episcopum Lincolniensem, et Decanum de Lincoln: sic leg. hi sunt in Anglia, ad quam et sequentia duo cc. respiciunt: capit. penult. quod scriptum est Magistro Sencio de Meine cannonico Herefordiensi, in Anglia igitur, et cap. ult. in quo nominatim fit mentio Officialis Cantuariensis Episcopi in Anglia. Officialis judex est, qui ab Episcopo constituitur causarum ad Episcopi cognitionem pertinentium, diversus a Vicario Episcopi: nec enim idem est Officialis, et Vicarius, *cap. 3. de tempor. ordin. in 6.* Sententia autem hujus cap. 6. hæc est: inter susceptricem, et patrem suscepti matrimonium consistere non posse, quod et hodie obtinet: susceptrix patris suscepti est commater, pater susceptrici compater. Sed hac de re satis diximus supra, ut et de cap. pen. et ult.

AD TITULUM XII.

De cognatione legali.

AD CAP. *Si qua.* Unic.

In hoc. titulo est tantum unicum rescriptum Nicolai Pontificis ad consulta Bulgarorum: atque sunt ejusdem Nicolai multa rescripta in decreto Gratiani, et congruit omnino hoc rescriptum cum jure civili: nemo potest sibi fratrem, aut sororem facere per adoptionem, *l. Nec apud, C. de hæred. instit.* quia nec natura sibi quisquam fratrem gignit, et adoptio naturam imitatur, aut si non imitatur nulla est. Denique ἀδελφοποιΐα, ut Demetrius Comatenus scribit in responso de gradibus cognationum, τῇ φύσει ἀνακόλουθος ἐστιν, id est, *adoptio in locum fratris non est consentanea naturæ.* Fratres igitur adoptio non facit, sed liberos tantum, veluti, filium, nepotem: pronepotem: is tamen, qui adoptatus est in locum filii, vel filiæ, filio, vel filiæ naturali adoptatoris, qui in ejus potestate est, frater est adoptivus, vel soror adoptiva, *l. 12. §. ult. de rit. nupt. l. Qui in adoptionem, de adoption.* nec quamdiu manet adoptio inter se matrimonium contrahere possunt, ac si quod contraxerunt, id dirimendum est, ut hæc hujus cap. verba demonstrant, *nuptiæ consistere non possunt:* quod est, dirimendæ sunt, si forte temere contractæ sint. Adoptione soluta per emancipationem, vel emancipato filio, aut filia naturali, et filio adoptivo retento in potestate, tunc inter eos licitum est matrimonium, quia desierunt esse fratres, *l. 17. de rit. nupt. l. 9. in fin. de liber. et postu.* et perinde est, atque si nunquam adoptio intervenisset. Ad hujus vero cognationis legitimæ imitationem, et exemplum, quia initio tituli superioris diximus comparatam esse cognationem spiritualem, filium spiritualem filii adoptivi loco esse: monendi satis hodie ex concilii Tridentini sententia inter hanc et illam cognationem hanc consequi vel confieri differentiam, quod illa pariat fraternitatem adoptivam: hæc vero non pariat: nec enim per baptismum confrater quisquam alteri fit. Etiam illud observa, filium spiritualem non esse adoptivum: quia adoptio desiderat consensum utriusque partis, qui nullus intervenit in baptismi susceptione, vel datione. Nec enim id agitur, ut susceptus susceptori, vel ministro filius adoptivus sit. Non esse igitur filium spiritualem adoptivum, sed adoptivi loco, vel quasi quodammodo adoptivum.

AD TITULUM XIII.

De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

Titulus decimus tertius est de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ, et sic legitur etiam hic titulus in tertia collectione Decretalium: et in prima collectione ita legitur, *de eo, qui cognovit consanguineam suæ uxoris, vel sponsam sui consanguinei.* Ego utramque lectionem conjungendam, et retinendam esse censeo hoc modo, de eo, qui cognovit consanguineam suæ uxoris, vel sponsæ, vel sponsam sui consanguinei: nam et de eo, qui cognovit sponsam, vel uxorem sui consanguinei est *caput. 3. et 6.* de eo, qui cognovit consanguineam suæ sponsæ, est *cap. 9.* Consanguineam autem, et consanguineum accipit generaliter pro cognato cognatave cujuscumque ordinis, superioris vel inferioris, vel ex transverso. In jure civili consanguinea strictius accipitur, nempe pro sorore tantum ex eodem patre, consanguineus pro fratre germano, non pro cognato quolibet, nec usquam in jure civili consanguinitas accipitur generaliter pro cognatione, sed specialiter pro fraternitate, hoc est certissimum. Quamobrem, dum diagramma cognationis vocant arborem consanguinitatis, dupliciter peccant: quia neque diagramma illud arboris speciem habet, sed graduum potius, et scalarum, ut JC. ait, et consanguinitas non significat cognationem omnem. Sponsam autem accipit in hoc tit. etiam pro uxore, cum qua tamen vir nondum rem habuit, quasi scilicet uxorem propriе faciat coitus, non consensus solus, quod tamen est falsum: et ita sponsam accipi in *cap. 2. hoc. tit.* constat ex antiqua Decretali, quam nobis dedit Bernardus Papiensis in prima collectione. Parum vero, aut, nihil in hac causa refert, cognoverit quis, constupraveritve cognatam uxoris

sum, vel uxorem sui consanguinei ante, aut post contractum matrimonium, *cap. 3. 5. et 7. hoc. t.* Nihil item refert cognoverit eam naturaliter, ut natura fert atque postulat, an extra ordinem, *d. cap. 7.* His præmissis venio ad explicationem singulorum capitulorum.

AD CAP. *Si quis.* I. et CAP. *Transmissæ.* IV.

Hoc. cap. 1. est de eo, qui sciens scienter privignam suam cognovit, id est, filiam uxoris suæ ex alio marito jam mortuo, quam filiastram vocat, ut *et can. de his, 30. quæst.* 1. et antiqua etiam inscriptio urbis Romæ: *Epitincano filiastro etc.* Ait autem, eum, qui privignam cognovit, nec matrem, nec privignam uxorem retinere, vel habere posse, nec alii quoque ipsum, vel privignam matrimonio ullo unquam tempore conjungi posse, quia adulteri, et incesti, vel ut Seneca loquitur in Thebaide, incestifici sunt, *l. 38. in princ. ad leg. Jul. de adult.* et pœna incestorum hæc est, ut quod superest vitæ sine ulla spe conjugii transigant in perpetuo luctu, et squallore, perpetua pœnitentia, *cap. 2. et 8. hoc. t. can. de incestis, 35. quæst. 3.* Et huic consultum ubique locus est, sive viva, sive mortua uxore privignam cognoverit, *cap. 4. inf. hoc t.* quod et hic explicatur, in quo et id additur, eum, qui post mortem uxoris privignam cognovit, et aliam uxorem duxit, ac nihilominus cum privigna res mariti agere perseveravit, uxorem quidem secundam non dimittere, sed abstinere ab ea debere, nisi ea ipsum ad rem provocaverit; provocari eum posse, non provocare, sed interim pœnitentiæ esse oportere. At si uxorem secundam vivendo superaverit, residuum vitæ vivere cœlibem. Si quæras, quid de uxore prima sit dicendum, qua viva privignam cognovit, jam dixi, eum non posse illam in matrimonio retinere. Quod ita intelligo, ut invitam non retineat, quia ex causa adulterii, divortium licitum est, quod tamen non dirimit matrimonium, sed corpora tantum conjugum separat, secernit atque disjungit, adeo ut non possit mulier, quæ ob eam causam divortit a viro, etiam mortuo viro, alii nubere, quod et in antiqua Decretali expressum est, et a me satis probatum in cap. 9. sup. de sponsal. volentem autem ut domi retineat, ita tamen ut ne ab ea exigat, quod Apostolus ad Corinthios, debitum, sive τὴν ὁμιλίαν vocat, quod et mox eodem loco ἀποστερεῖσθαι, quasi fraudati debiti nomine significet: ut tamen id debitum ipsa ab eo possit exigere. Denique ut possit ab eo desiderare et jus matrimonii expleat, non item ipse ab illa, quod et in hoc capit. 1. insunt hæc verba, *nec a matre debitum petere*, id est, τὴν ὁμιλίαν, ut legit vulgatus interpres illo loco Divi Pauli, et Clemens Alexandrinus.

AD CAP. *Veniens.* II.

Ostenditur in hoc cap. eum, qui cognovit matrem sponsæ, vel uxoris suæ sibi nuptam priusquam uxori suæ commisceretur, posse, quidem sibi pœnitentia injuncta, aut parte pœnitentiæ, ut in *cap. 4. de temp. appellat.* ex dispensatione, id est, ex indulgentia Pontificis, quam et Græci οἰκονομίαν vocant, quo verbo significatur administratio, et dispensatio rerum familiarium, tamen et posteriores Græci οἰκονομίαν accipiunt pro indulgentia, *qu'on appelle dispence*, et οἰκονομεῖν pro veniam dare, *dispencer*, ut in Alexii Commeni *Novella 3. de solut. sponsal.* posse, inquam, cum etiam peracta tantum parte pœnitentiæ ex dispensatione, κατ' οἰκονομίαν, aliam uxorem ducere, et illa alii nubere, quasi scilicet non secuto concubitu nondum perfecta uxor fuit, alioqui consummatum matrimonium ex causa adulterii non dissolvitur, ita ut liceat de alio matrimonio cogitare viro, vel mulieri. sed dissolvitur tantum vitæ communitas, et consuetudo ex acto a se viro, si in ædibus dotalibus, aut in ædibus uxoris propriis habitaverit. Et prætorea si post vel ante consummatum matrimonium matrem uxoris cognoverit, quia adulterium duplex commisit, violato tum suo, tum soceri matrimonio, et adulterio adjunxit incestum, quod destinationis causa ἄῤῥητον dicitur, Levit. 18. quasi nefandum scelus, quo nihil tetrius, et fœdius excogitari potest, tamen ita separatur ab uxore, ut nec ulli alii unquam illa viva, vel mortua matrimonio copulari possit. Sponsam autem in hoc cap. 2. accipi pro sponsa acceptis verbis præsentibus, quæ profecto justa uxor est, ex antiqua et integra Decretali constat, quod glossa, quæ illam Decretalem viderat, non observavit, quæ hic sponsam accipit pro sponsa pacta tantum, et sperata, non etiam acceptis verbis præsentibus, cum tamen eadem glossa ex eadem antiqua Decretali, cujus testimonio utitur, observaverit, adulterium simul, et incestum fuisse commissum cum matre sponsæ, qua de causa, et major viro dicitur imponenda esse pœnitentia, quam pro adulterio solo.

AD CAP. *De illo.* III. et CAP. *Super eo.* V.

Si cum esset jam contractum matrimonium inter Titium, et Cajam, id convellere conetur frater Titii, dicendo, sibi rem cum uxore fratris fuisse, antequam eam duceret uxorem: hæc fratris allegatio sola, si non probetur idoneis testibus, vel si non res publica, et notoria sit, ut sit, non est idonea ad matrimonium dirimendum: possit esse idonea ad matrimonium impediendum, quod nondum contractum est, *cap. 12. sup. de sponsal.* sed non etiam ad dissolvendum id, quod jam rite contractum, et consummatum est, nisi ut diximus, ea res idoneis testibus comprobetur, vel nisi ea res manifesta, et vulgo nota sit omnibus; quod manifestum, publicum, notorium est, probatione non indiget, *l. 11. §. Idem libro 2. de act. empt.* Appius apud Livium *lib. 39.* *Rem evidentem non esse pro dubia quærendam.* Hoc sane casu, si res manifesta, vel si testibus fiat manifesta, matrimonium dissolvi oportet, quasi ratione affinitatis, quæ contrahi videtur non ex licita tantum, sed etiam ex illicita venere, *cap. 6. et 7. et pen. h. t. can. nec eam, 35. q. 2.* Conjungamus huic capitulo capitulum 5. quo ostenditur, etiam non dirimi matrimonium rite contractum ob id solum, quod vir dicat, se ante contractum matrimonium rem habuisse cum cognata uxoris suæ, etiamsi idem illa cognata fateatur, idemque rumor partis cujusdam viciniæ differat, quia idoneum genus probationis non est, quod ex illorum dictis, qui forte collusione inter se habita id agunt, ut divortii causam instruant, vel quod ex vicinim rumore qualicunque ducitur, quo nec incertius, inconstantius, vel fallacius quicquam est, ut docet *c. 27. sup. de sponsal.* Posset quidem fama, sive rumor (nec enim est sequenda glossa faciens differentiam inter hæc duo) impedire matrimonium contrahendum, vel matrimonii consummationem, sed non etiam dissolvere rite perfectum, consummatumque, quod et hic glossa tradit recte.

AD CAP. *Discretionem.* VI.

Sponsalibus de præsenti conjugio factis inter me et mulierem quandam, matrimonium contractum intelligitur, quod sæpe jam diximus sup. etiamsi nondum sit secutus concubitus. Quamobrem etiamsi eam mulierem integram, intactamque nuptum collocaverim cognato meo, qui et mox illam devirginavit: ego lenocinium, illa et cognatus meus adulterium cum incestu commisisse intelligitur: sed tamen si id ipsa fecerit invita, et repugnans totisque viribus me cogente, et illam perducente, ego illi adulterium objicere non possum, quod fecit me auctore. Invitam eam nupsisse posteriori viro, cognato meo, cui eam obtuli, comprobat mox secuta ab eo discessio, ut hic proponitur, et repetitio prioris mariti, id est, repetitio mei. Proponitur enim eam quum primum potuit aufugisse a posteriori viro, et ad me rediisse. Quæritur, an justa sit repetitio? Quod videtur, quia repetit legitimum maritum, vel per interdictum scil. de marito exhibendo, et restituendo, vel per actionem in factum, ut *cap. 10. sup. de sponsal. cap. pen. inf. de adulter.* Nec sane in hac specie mulier a petitione hujusmodi repelli potest prætextu adulterii, cum ipse legitimus maritus, qui repetitur, nefarius auctor, et conciliator fuerit adulterii, sive incestus sub falso nomine matrimonii. Adulterium committitur cum uxore aliena etiam virgine: nec mirum, cum et committatur cum aliena sponsa, quæ nondum uxor est, quia neque matrimonium, neque spem matrimonii violare licet, *l. Si uxor. §. Divi. ad leg. Jul. de adulter. l. Propter. C. eod. t.* Id tamen adulterium, si objiciat maritus, vel sponsus, antequam mulier recepta sit inter reos, qui eam produxit alteri, qui lenocinium ei præbuit, repelli potest exceptione lenocinii, *l. Ita nobis. C. eod. t.* exceptione, inquam, vel replicatione, ut si repetenti uxori maritum legitimum, maritus opponat exceptionem adulterii, replicatio lenocinii dabitur uxori. Non potest etiam uxori objici, quæ congressa est cum cognato legitimi mariti, quod ex ea re contracta sit affinitas inter eum et maritum, eadem ratione, quia id invita fecisse proponuntur, lenocinante, et cogente marito, et affinitas quamvis contrahatur, revera tamen ut ait hoc loco, et *cap. pen. et ult.* post matrimonium inique contracta affinitas inter conjuges mulieri officere non debet, quæ iniquitatis particeps non est, neo jure suo sine culpa sua fraudari debet. Itaque salva et est repetitio legitimi mariti, quæ est innocens. Rectius tamen, ut tradit, et honestius fecerit, si vivo marito continenter vixerit, nec vel ad eum redierit vel alii cuiquam nupserit, nec unquam cognato mariti, cum quo se adulterio incestoque contaminavit. Et hæc est sententia Innocentii in hoc cap. 6 qua rejicitur nominatim, suppresso tamen Pontificum nomine, Alexandri III. et Urbani III. constitutio, qui non in hac quidem ipsa specie, sed in similibus tantum, quæ sub hunc tractatum, et titulum cadunt, distinguendum esse censebant occultum, et manifestum adulterium incestum, et inter proximum, et remotum gradum: inter occultum adulterium incestum, et manifestum. Si quis eam duxisset in matrimonium, cujus matrem, vel sororem, vel filiam adulterio, vel stupro cognoverat, vel cognovit post contractum matrimonium. Quamobrem nolebant invita mutiare matrimonium contractum aliter dirimi, quam si manifestum crimen, et notorium esset, non etiam si occultum. *cap. 4. eod. t. in prima collectione, et cap. ult. de divort. in ead. collectione.* Distinguebant etiam inter proximum, et remotum gradum cognationis, si quis uxore dimissa sine causa legitima, quam in matrimonium duxerit cognatam ejus, et res cum ea mariti peregerit. Quamobrem, si duæ illæ mulieres proximo gradu cognationis invicem conjunctæ sint, veluti primo vel secundo, perpetuam viro continentiam indicunt, si remotiore gradu, puta tertio, vel quarto, jubent eum ad propriam uxorem reverti, et τὴν ὁμιλίαν, debitionem conjugalem exsolvere, vel eam non dimittere invitam, *cap. 2. eod. t. in prima collectione, et d. cap. ult. de divort.* Hæ distinctiones non placent Innocentio, neque etiam nos utimur, nec sunt relatæ in hoc corpus constitutionum. Quid igitur hodie? Indistincte ex causa adulterii, neque invita virum dimittit, neque invitus uxorem. Sed et ex causa adulterii, non semper ultro maritus uxorem dimittere potest, non si ipse lenocinium uxori præbuerit, ut hic proponitur, maxime si invitam produxerit, non item si nec pudicitiam, et fidem maritus ipse exhibuerit, *l. Si uxor. §. Judex.* (qui est elegantissimus et memoriæ mandandus) *et leg. Jul. de adult. cap. pen. et ult. inf. de adult. can. 1. 32. q. 6.* Omnis labor erat in explicando hoc cap. 6.

AD CAP. *Fraternitati.* VII.

Quidam cum puellam infantem, id est, nondum septennem sponsalibus cum ea factis polluisset extra ordinem, ut ait; nec enim potuit ordine, quem natura posuit, cum ea congredi, quæ nondum erat viripotens: post extraordinariam illam libidinem, sororem ejus uxorem duxit, et per matrimonium igitur commisit incestum: quamobrem recte censet Pontifex in hoc capite, eam conjunctionem, tanquam nefariam dirimendam, ut ex stupro qualicunque quæri affinitatem, sive id mature, sive immature, et extra ordinem illatum sit, adeo ut nec possit quis sororem ejus uxorem ducere, quam quoquo modo extra ordinem effusa vi libidinis constupravit: que de re diximus satis *cap.* 3 *sup. de sponsal.*

AD CAP. *Ex literis.* VIII.

In hoc capit. 8 ostenditur, eum, qui cognovit sponsæ suæ matrem, ac deinde etiam sponsam, si res ita se habeat, ut est scriptum in integra Decretali, sive antiqua, ut ait, vere testatur glossa in cap. seq. videlicet in collectione tertia, eodem tit. si, inquam, ita se res habeat, id est, si judicio ita se rem habere comprobatum fuerit idoneis probationibus, et legitimis, eum, inquam, nec sponsam in matrimonium habere posse, videlicet, si postquam scivit, sponso rem fuisse cum matre sua, non erubuit se ei præbere morigeram, se ei prosternere, quia incesti cum matre admissi conscia et particeps fuit: matrem quoque sponsæ, et virum in perpetuo luctu, et mœrore vivere, et perpetuam continentiam favere oportere, quod congruit omnino cum *cap.* 1. et 2. *sup. hoc tit.*

AD CAP. *Veniens.* IX. et CAP. *Tuæ fraternitatis.* Pen.

Quod sequitur in hoc cap. 9 est de eo, qui sperata tactom et sponsæ suæ per verba futuri temporis sororem constupravit, ac deinde etiam sponsam duxit in matrimonium, et postea modo hanc, modo illam nefarie, et impudenter adiit: de hoc flagitio est etiam *cap. pen.* quod etiam nominatim Moyses detestatur his verbis *Deuteron.* 27. Maledictus qui concubuerit cum sorore uxoris suæ, et dicit omnis populus, fiat, fiat. Idemque santissimus legislator etiamsi polygamiam permitteret, destricte tamen vetat *Levit.* 18. ne quis viva uxore sororem ejus ducat, extraneam, ut superducat uxori suæ uxorem sed non sororem. Idem flagitium, et naturam abhorrere ex eo satis patet, quod et id infideles, quibus Dei lex, Deusque ipse incognitos erat, abhorruerunt. Canta apud Horat.

Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines,

nihil aliud est, quam congressus Therei regis Thraciæ cum sorore uxoris, cum Philomela, quæ erat soror Progues uxoris suæ, quam ipsa est ulta occiso Ity communi filio. At, ut constituitur in cap. 9 hujusmodi flagitium, si in jure prolatum, et probatum non sit, si res sit occulta, si vitium angat tantum conscientiam propriam, nullus sit ejus accusator, nulla judicii forma, sed ea de re agatur tantum, ut loquuntur in foro conscientiæ, procul dubio confitenti, et pœnitenti injungenda est pœnitentia, ita ut ab utraque sorore penitus abstineat: alioqui nulla est pœnitentia, quam correctio nulla consequitur, *can.* 4 *de pœnit. collect.* 3. Sed si hac de re agitur in foro judiciario, ut *cap. pen. h. t.* uxor innocens, quæ nescivit flagitium viri, et sororis suæ, invita non dimittet virum, nec sine culpa sua aut jure defraudabitur, ut *cap.* 6. *sup.* et *cap. seq.* quanquam et ut in hoc cap. ostenditur melius, et honestius fecerit, si ab ejus viri consortio penitus abhorruerit, quod ut ut faciat, monenda, non cogenda est. Etsi interim quandiu maritus vixerit, alii se non conjunxerit: neque enim desinit esse uxor, aut ille maritus, invita non recedet a viro, sed ea tamen lege manebit cum illo, ut debitionem illa maritalem, τὴν ἐρ λὴν, possit exigere ab illo, non etiam ille ab illa, ut explicatum jam est sup. in cap. 2.

AD CAP. *Jordanæ.* Ult.

Eadem est sententia hujus cap. ult. quæ præcedentis. Desponsam mihi puellam impuberem per verba futuri temporis satis præmaturam, forte supplente ætatem malitia, cognovi anno ætatis decimo, quæ res præsumptum matrimonium inducit, *cap.* 15. et 30. *sup. de sponsal.* quod quidem præsumptum matrimonium non minoris momenti est, quam verum. Itaque si postea matrem ejus puellæ uxorem duxero, et cognovero, adulterium incestum, id est, non matrimonium, ut cogor ad filiam ejus redire, si ipsa flagitii, quod mihi excidit, ignara me repetat, et vindicet sibi, quæ tamen, nam et hoc hic additur, rectius et honestius fugeret congressum meum, quamvis uxor mihi esse non desierit, et vel ad tempus continenter viveret, puta dum viveret ipsa, ut ego quoque dum viverem. Perpetua continentia hoc loco, id est, dum vivunt, *l.* 1. *pro soc.* et *superioribus* ac ubi perpetuæ continentiæ mentio fit.

AD TITULUM XIV.

De Consanguinitate, et affinitate.

Consanguinitas in jure civili est species agnationis, § *Vulgo. Institut. de success. cogn.* et accipitur tantum pro fraternitate germana, quæ ex eodem patre venit: hic accipitur generaliter pro cognatione omni et jure sanguinis. Affinitas autem in utroque jure est jus necessitudinis, quo devincti inter se sunt uxor, et cognati mariti, et contra maritus, et cognati uxoris. Ovid. 4. de Ponto:

Jus aliquod faciunt affinia vincula nobis:

Alias, quod satis novum est, affinitas accipitur pro cognatione, et jure sanguinis, *l. Sancimus. C. de pœn. can.* 1. 35. *quæst.* 2 Et retro, quod etiam valde est novum, propinquitas accipitur pro affinitate in *can. lex* 27. *quæst.* 2. quod nec absurdum videri debet, cum et Aristoteles secundo Ethic. συγγένειαν, id est, cognationem aliam faciat πρὸς αἵματος, cognationem, sive jus sanguinis, aliam faciat κατ' οἰκειότητα καὶ ἀνθείαν, quæ affinitas dicitur, et forte ideo etiam cognatio, vel propinquitas sanguinis, quia sanguis unius familiæ beneficio nuptiarum accedit ad finem sanguinis alterius familiæ. Extrema enim tantum per nuptias, seu fine conjunguntur: uxor scilicet sanguini mariti, et maritus sanguini uxoris, non etiam uterque sanguis, *l.* 4. §. *Affines. de grad. et affin. cap.* 5 *inf. h. t.* quia et affines vulgus nonnunquam cognatos appellat, utpote uxoris meæ fratrem, et sororis meæ maritum cognatum appello in Vascon in, *non cognat. can. quod autem.* 35. *quæst.* 5. Et frater quoque meus uxorem meam, quæ secundum Festum fratria ei est, suam cognatam vocat: ut apud Gregorium I. in sexto responso ad quæstiones Augustini Anglorum, sive Cantuariensis Episcopi. *Cum cognata*, inquit, *misceri prohibitum est*, id est cum ea, quæ fuit uxor fratris post mortem fratris, quemadmodum subjicit, quæ per conjunctionem priorem caro fratris facta est: et addit etiam, pro ea re, quod est verissimum, Joannem Baptistam capite plexum fuisse. Ut autem hujus tituli constitutiones facilius intelligamus, et principia totius istius juris teneamus, sciendum est, in computatione graduum cognationis recta, et perpendiculari linea, quæ ex parentibus, et liberis constat, nullam esse disparitatem inter jus civile, et Pontificium: at in linea ex transverso, sive a latere hodie magnam discrepantiam esse. Nam jure civili ex transverso nullus est primus gradus, *l.* 1. et 9. *de gradibus, et affini.* Jure Pontificio ex transverso est primus gradus. Itaque qui ex transverso proximior est gradus, quia utique id est, in quo frater, et soror constituuntur, jure civili est secundus: jure Pontificio primus, id est, fratres jure civili inter se sunt in secundo gradu, jure Pontificio in primo. Et consequenter fratrum, et sororum filii, id est, consobrini, inter se sunt jure civili in quarto gradu: jure Pontificio in secundo. Fratrum autem nepotes, id est, sobrini, inter se jure civili sunt in sexto: jure Pontificio in tertio, *can. ad sedem*, 5. *quæst.* 35 Et ratio differentiæ ex eo pendet, quod jus Pontificium in supradicta linea, quæ ex transverso, numerat gradus deorsum versum statim incipiens a persona, de qua quæritur quoto gradu ex transverso nobis conjuncta sit: jus civile sursum versum ascendit prius ad parentem in recta linea, a quo descendit is, de cujus cognatione transversa quæritur, *l. Jurisconsultus.* §. *Sunt et ex lateribus. in fin. de gradibus, et affin.* Exempli gratia, si quæris quoto gradu mihi conjunctus sit frater jure Pontificio, dicam primo gradu: quia hic mihi statim primus occurrit cognatus ex transverso. At si de jure civili quæras, prius ascendam ad patrem, qui me, ut fratrem genuit, et observata regula proposita in §. *pen. Institut. de grad. cogn.* et eleganter explicata a Theophilo in §. 1. *de legit. agn. succes.* quam regulam, et canones sequi videntur, qui idcirco generationem, et gradum dicunt promiscue, observata, inquam, regula, quæ dictat, tot esse gradus, quot sunt generationes, dicam, me pater genuit, una est generatio: ergo unus gradus: idem pater genuit fratrem meum, altera est generatio ergo alter gradus et consequenter a me ad fratrem meum duo sunt gradus. Frater igitur mihi secundo gradu est, non primo. Denique ubi jure civili duo sunt gradus, jure Pontificio est unus tantum, vel ut ait *dict. can. ad sedem*, duo gradus legales unum gradum canonicum constituunt. Et hæc quidem ratio numerandi gradus cognationis secundum jus Pontificium servatur, cum de nuptiis quæritur, licitæ sint necne: cujus rei cognitionem, quæ olim erat principum, vel populi, Pontifices suam fecere conniventibus Principibus. Ratio autem juris civilis servatur, cum est quæstio de hæreditatibus, vel tutelis proximis cognatis deferendis, cujus cognitionem Pontifices non usurparunt, *d. can. ad sedem.* Ratio autem numerandi gradus cognationis recepta jure Pontificio non admodum vetusta est: nam vetustiores, qui eam secuti sint, non habeo Gregorio primo, qui fuit sub Mauricio Imperatore, et Zacharia, qui fuit sub Pipino, quique adeo fratres collocant in primo gradu, quos jus civile in secundo; consobrinos in secundo, quos jus civile in quarto, *can. quædam* 35. *quæst.* 2. *et* 3. *can. ad sedem.* §. *Quædam, et can. parentelæ,* 35 *quæst.* 5. Imo longe illis antiquiorem B. Ambrosium, qui fuit sub Theodosio Imperatore, invenio sequi computationem juris civilis etiam agentem de nuptiis licitis, vel illicitis in epistola 66. Quin ut longo post Gregorium, et Zacchariam tempore computationem juris civilis habuisse plurimos assertores constat ex *d. can. ad sedem*, qui est Alexandri II. qui fuit sub Henrico IV. Imperatore. Nec sane etiam hujus computationis ulla extat certa constitutio, certave regula, certus canon, qui præcipiat deinceps ita numerari gradus. Nec quod Gregorius, aut Zacharias

aliter eos numerarint, quam juris civilis auctores, ideo et hanc novissimam computationem sanxisse intelligendi sunt. Invenio etiam Græcos Pontifices gradus cognationis nunquam aliter numerasse, quam juris civilis auctores. At pergamus ad alia. Ut facilius intelligamus constitutiones hujus tituli, notanda est etiam alia differentia inter jus civile et Pontificium. Jure civili affinitatum nulli sunt gradus *l. 4. §. Gradus. de grad. et affin.* Unde jam olim docui in *d. l. Jurisconsultus, in prin. eod. tit.* esse legendum *, cognatorum gradus, et agnatorum*, non *cognatorum grad. et affinium*, quia cum nullæ sint affinium generationes, nec alii affinium possunt esse gradus quandoquidem non ut cognati, ita etiam affines alii ex aliis generantur, ut pro numero generationum inter eos gradus constitui possint. Quo fit, ut qui ex genero, et filia mea nascitur, sit mihi quidem cognatus, quia filia mea eum generavit, cognatus cognatum gignit, non etiam sit mihi affinis, hac ratione, quia affinis meus, id est, gener eum generavit quia affinis affinem non generat. Hæc est ratio juris civilis. At jure Pontificio affinitatum sunt gradus, non quidem ex affinitate sola per se, quod nec potest, constituti, sed deducti, et derivati quodammodo ex ratione cognationis: nam ita censent Pontifices, quo gradu quis uxori meæ cognatus est eodem eum mihi esse affinem, *can. porro, 35. q. 5.* Et ita quia frater, vel soror uxoris meæ ei est cognatus cognatave primo gradu jure Pontificio, mihi quoque affinis est primo gradu. Et similiter, quia filius filiave sororis meæ uxori meæ cognatus cognatave est secundo gradu, mihi quoque affinis est secundo gradu. Item quia nepos neptisve sororis meæ uxoris, uxori meæ est cognatus cognatave tertio gradu, mihi quoque est affinis tertio gradu. Ad hæc notandum est, differentiam etiam canones facere inter gradus affinitatis, et genera affinitatis, quod sic demonstro. Nuptiæ prohibitæ sunt hodie usque ad quartum gradum affinitatis, et cognationis etiam, inclusivo etiam quarto gradu, ut dicam fusius in cap. pen. non sunt etiam hodie prohibitæ nuptiæ, nisi in primo genere affinitatis, in secundo, vel tertio genere affinitatis permissæ sunt *d. cap. pen.* Ergo differentia est inter gradus, et genera affinitatis. At primo quidem genere affinitatis marito sunt affines cognati uxoris, et vicissim uxori cognati mariti, hi sunt proprie affines, unde et in specie *cap. 1. h. t.* qui prioris mariti erat cognatus in quinto gradu, idem recte dicitur in antiqua Decretali, quæ estat in prima collectione Bernardi Papiensis, recte, inquam, dicitur, viduæ, in cujus matrimonium convenire vult, esse affinis in primo genere affinitatis. Secundo autem genere affines sunt marito affines uxoris ex aliis nuptiis, ex prioribus nuptiis, et vicissim uxori affines mariti ex aliis nuptiis, qui tamen non sunt proprie affines, sed affinium loco, ut in *l. 15. de rit. nupt.* nurus uxoris est marito nurus loco, et gener mariti uxori generi loco: qua ratione, et jure civili marito defuncta uxore non erit connubium cum uxore quondam privigni sui, quia ei erat nurus loco: et retro uxori defuncto marito non erit connubium cum marito quondam privignæ suæ, quia ei erat generi loco: quia utrique prioris mariti proprie gener erat, quæ est sententia *d. l. 15.* At hodie ex *d. cap. pen.* sive concilio Lateranensi habito sub Innocentio III in secundo genere affinitatis nuptiæ vetitæ non sunt, et abrogata est *d. l. 15.* Et multo minus vetitæ sunt in tertio genere affinitatis, quod consistit, ut id etiam exponam, inter me, et uxorem secundam quondam generi mei uxoris. Nam privigna sive filiastra, ut loquitur, mihi est affinis primo genere: maritus privignæ secundo genere, quasi gener, licet proprie non sit gener meus, uxor igitur secunda istius, quasi generi mihi est affinis tertio genere affinitatis. Sic maritus secundus quondam nurus uxori meæ est affinis tertio genere. Nam privignus uxori meæ fuit affinis primo genere: uxor ejus secundo quasi nurus: maritus ergo secundus istius quasi nurus est uxori meæ affinis tertio genere. Proinde quantum intelligere licet ex superioribus in tertio genere affinitatis constituendo, quatuor personæ interveniunt, in secundo tres, in primo duæ solummodo. Quamobrem a Græcis primum genus affinitatis dicitur esse δυογενὲς, secundum τριγενὲς, tertium τετραγενὲς. His cognitis facilius intelligimus constitutiones hujus tituli, quæ alias videbuntur difficillimæ, quas sigillatim omnes propria recitatione exponam.

AD CAP. *Ex literis.* I.

Species hujus capituli primi latius exposita est in antiqua Decretali, quæ estat in collectione Bernardi Papiensis, nempe hoc modo: Lucius Titius mulierem aliquam clandestine subarravit tanquam uxorem, vel tanquam sponsam, et in consuetudine eadem, eodemque thoro habuit jam per annum. Mulier autem cum ageret sub cura Mundualdi, id est, tutoris curatorisve, sicut olim omnes mulieres erant in perpetua tutela, vel cura, Mundualdus ille quasi non jure contractis nuptiis Lucium Titium urgebat acriter, ut eam mulierem publice uxorem duceret in conspectu ecclesiæ, quam duxerat clam, et malo more. Vox hæc Mundualdi, quæ estat in antiqua Decretali, est frequentissime in legibus Longobardorum, qua significatur, qui alium, aliamve in potestate habet, a *munde*, quod Germani agnoscunt, et *Walten*, quod est procurare, gerere, agere aliena negotia. Unde et in illa antiqua Decretali idem Mundualdus, paulo post procurator appellatur, procurator scilicet, sive actor rerum mulieris, quæ et ibidem dicitur fuisse in ejus potestate, quæ verba Mundualdi appellationem commostrent, consignificantque, sicut in *l. 1. de cur. fur.* dicuntur furiosi, et prodigi esse in potestate curatoris. Cum autem urgente Mundualdo mulieris Lucius Titius paratus esset eam mulierem publice in conspectu ecclesiæ uxorem ducere, ne quid Mundualdus ambigeret de matrimonio inter eos contracto, extiterunt duo testes, qui dicerent Lucium Titium priori viro fuisse cognatum quarto gradu ex transverso, sive a latere, et per hoc etiam affinem esse mulieris quarto gradu, ergo inter eos nuptias consistere non posse. In antiqua Decretali aliter ponitur. Lucium Titium scilicet priori marito fuisse cognatum quinto gradu, et affinem igitur viduæ quinto gradu, quia tum nihil interesset quarto an quinto gradu affines essent, *c. 6. inf. h. t.* Prohibitio enim nuptiarum inter cognatos ex transverso, et inter affines tum extendebatur usque ad septimum gradum. At hodie, quia non excedit prohibitio quartum gradum ex *cap. pen. hoc tit.* quinto gradu affinem in matrimonium ducere licet. Hi vero duo testes, qui id dicebant, quod retuli, non erant idonei: nam unus tantum de auditione testimonium ferebat, quod hodie in quæstione de gradibus parum, aut nihil valet, *cap. 7. inf. hoc t. cap. 47. sup. de testib.* Olim cum prohibitionis finis erat septimus gradus, testimonium de auditione valebat aliquid, *cap. 2. de sub. suscep. ex serv. nup. in 1. collectione.* Alter vero testis nolebat suum testimonium jurejurando confirmare, quod tamen jura in testibus exigunt omnimodo, *cap. nuper, sup. de testib. l. Jurisjurandi, C. eod. tit.* Itaque eorum testimonium neglecto, aut refutato, et dilato in aliud tempus publica, et solemni celebratione nuptiarum, Lucius Titius in consuetudine ejusdem mulieris perseveravit. Post tamen aliquantulum temporis rursus instante Mundualdo eam publice duxit uxorem in ecclesia. Qua re transacta extiterunt alii duo testes, qui dicerent, et jurarent coram Archipresbytero Palumbare, sic legendum, quod est castrum in regno Neapolitano, subjectum cœnobio Cassinensi, ad cujus Abbatem hæc constitutio scripta est, qui jurarent, inquam, Lucium Titium posteriorem virum fuisse conjunctum priori quarto gradu cognationis, sic legendum hoc loco, quod et sequentia pervincunt. Et ita legitur, ut nunc primum adverti in hac editione. In nuperrima editione Romana, in hoc cap. perperam hic legitur, *quinto.* Et ita etiam Gallica translatio habet, *par le quart degré de lignage.* Qui igitur jurarent posteriorem virum fuisse cognatum priori quarto cognationis gradu: nam ex quinto gradu non prohibemur uxorem ducere jure novissimo, ad quod forsitan Rasmandum hujus constitutionis verba manifestum erit, si hæc constitutio conferatur cum antiqua, in qua longe aliter ponitur, hosce posteriores testes jurasse, patrem posterioris viri Lucii Titii fuisse cognatum priori viro quinto gradu cognationis, et consequenter Lucium Titium fuisse cognatum priori viro sexto gradu: ergo et affinem viduæ sexto: quoto quis gradu cognatus est marito, eodem affinis est uxori ejus. Ea vero affinitas tum impedimento erat nuptiis contrahendis inter mulierem, et virum mulieri affinem quinto, vel sexto, vel septimo gradu: hodie non est impedimento: quia ratione cognationis, et affinitatis prohibitio coeundarum nuptiarum extenditur tantum usque ad quartum gradum, *cap. pen. inf.* Unde si, ut hic proponitur, duo illi posteriores testes sint idonei, et, ut loquuntur, omni exceptione majores, id est, quibus nulla exceptio, sive præscriptio objici possit, *lesquels on ne puisse reprocher*, quo modo loquitur etiam *l. Optimam, in fine, C. de contrah. stipul. capit. 47. supra, de testib. et cap. 3. de cogn. spirit. in secunda collectione*, et jurati affirmaverint, Lucium Titium priori viro fuisse cognatum quarto gradu, dissolvi matrimonium oportet, quasi ab initio non jure contractum, quoniam æque abstinere, ut ait, vidua debet cognatis prioris mariti, atque a propriis cognatis usque ad quartum gradum hodie, usque ad septimum olim. Legendum in hoc loco, *a consanguineis mariti*, non *a consanguineis uxoris.* Alioqui ratio non congrueret cum specie hoc loco proposita, quæ, est de muliere, quæ nupsit viri defuncti cognato in quarto gradu, cum ratio sit de viro, qui duxit cognatam uxoris vita defunctæ. Nec tamen hoc nego pariter interdici viro connubium cum cognatis prioris uxoris ratione affinitatis usque ad quartum gradum hodie, et contra mulieri cum cognatis prioris mariti, *can. de propinquis, et can. æqualiter, 35. quæst. 3.* Hæc est sententia hujus cap. Verum non est omittendum, quod additur in extremo, causas matrimonii non temere, aut passim quoslibet disceptare, et dijudicare posse, non certe arbitros compromissarios, ut est nominatim proditum in *cap. pen. sup. de in integr. rest.* sed judices, inquit, qui judicandi habeant potestatem. Compromissarii, nec judices sunt, quia privatorum consensus, sive compromissum judicem facere non potest. Non dicit judices, qui administrationem habeant, qui distinguuntur ab iis, qui judicandi tantum facultatem habent in *d. cap. pen.* et hi, qui administrationem habent, sunt judices ordinarii, veluti Episcopi, et magistratus, qui jurisdictioni præsunt. Non ergo hoc desiderant ut sint Episcopi, ut sint magistratus, sed hoc tantum ut judicandi habeant potestatem. Nam et delegati ab ordinariis judicibus harum causarum idonei disceptatores sunt: at delegari in hanc rem non temere quoslibet, sed instructos peritia juris Pontificii, et ingenio, prudentes atque providos viros, alioqui satis esset delegare neque mutos, neque surdos.

AD CAP. *Super eo.* II.

Ex hoc cap. 2. intelligimus, dissolvi sponsalia collata in futurum tempus, veluti in ætatem nubilem puellæ, quæ nondum erat matura viro: dissolvi, inquam, si quis interim propinquam ejus stupro cognoverit: etiam ex stupro, vel ex concubinatu quasi affinitatis causam fieri: ex stupro, inquam, quasi affinitatem conjungi, ut *cap. 3. sup. de sponsal. cap. 6. 7. et pen. sup. tit. prox.* immo et quasi cognationem, *l. Et nihil. de rit. nup. l. 1. §. pen. de concubin. l. 4. C. de nupt.* quasi affinitatem, inquam, vel quasi cognationem. Propria enim affinitas, vel cognatio non contrahitur nisi ex justis nuptiis, *l. 4. §. Sciendum, de gradibus, et affin.* Sententia vero, quam jam satis exposui, hujus capit. ita procedit, non tantum si stuprum, quod admisit sponsus in

propinquam sponsæ, sit, manifestum, sed etiam si communi fama, et sermone celebretur: nam si ea fama sola non dissolvit matrimonium, ut diximus in *cap. 3. sup. tit. prox.* dissolvit tamen spem matrimonii.

AD CAP. *Quod dilectio.* III. et CAP. *Vir qui.* Ultim.

Huic cap. 3. conjungam etiam cap. ult. Ex indulgentia Pontificis Romani in regno Norwegiæ ex sexto gradu cognationis a latere licebat uxorem ducere contra veteres regulas juris Pontificii, quæ nec ex septimo gradu permittebant uxorem ducere, ut constat ex can. 1. *can. nulli, can. progeniem can. de consanguinitate, can. nulli.* 35. *quæst.* 2. *et* 3. Verum in regno illo Norwegiæ, quod hodie coadunatum est regno Daniæ, ex indulgentia Pontificis Romani, ex sexto gradu licebat uxorem ducere, nec mirum, cum et in regno Angliæ in ipso initio, quo id regnum agnovit fidem Christianam, ex indulgentia Pontificis Romani Gregorii I. etiam ex tertio, et quarto gradu licebat uxorem ducere, ne quid in initio amplectendæ religionis Christianæ, ex aliis antiquis moribus quicquam mutaretur, ut neophyti, qui accipiebant fidem Christianam libentius eam reciperent, et amplecterentur, *can. quædam lex,* 35. *quæst.* 5. At quod ad speciem propositam de indulgentia concessa regno Norwegiæ, finge: duo sunt cognati a latere, sive ex transverso, mas et fœmina, ex quibus mas distat a stipite, id est, a communi parente, ex quo uterque descendit, secundo gradu, fœmina autem sexto. Quæritur, *an ex indulgentia supradicta inter se matrimonio conjungi possint?* Exempli gratia, nepos, qui avo est secundo gradu, an potest uxorem ducere trineptem, quæ eidem avo est in sexto? Et videtur posse secundum regulam, quam doctores quidam induxerunt, ut additur in antiqua Decretali, quæ vult spectari remotiorem, non proximiorem gradum: atque ita definit, quo gradu distat remotior a communi parente, qui causa est cognationis ex transverso, eodem etiam eum distare ab eo, qui communi parenti gradu proximior est, *cap. ult. inf. h. t.* Ergo nepos ille, et trineptis sunt inter se cognati ex transverso sexto gradu: avo autem directo limite, sunt liberi sive descendentes, unus secundo, alter sexto gradu. At hæc regula in Norwegia non erat in usu, quinimo in eo regno quo gradu proximior conjunctus erat communi parenti, remotior erat. Et ita in specie proposita, qui quæve communi parenti erat in secundo gradu, non poterat in illo regno conjungi illi, qui quæve eidem parenti erat in sexto gradu, quia non ad remotiorem, sed ad proximiorem gradum spectabant, remotiorem trahebant ad proximiorem, non proximiorem ad remotiorem, ut regula illa Doctorum facit. Et sane hanc consuetudinem, ne quid ejus immutatio offensionis induceret in eo regno, hunc usum longævum, qui in illo regno invaluerat irroboraveratque, potius servandum esse censet Pontifex, quam supradictam regulam Doctorum, ne qua innovatio vetustæ consuetudinis offensionem pariat. Et docet recte, huic consuetudini nihil adversari superiorem indulgentiam, qua licebat Norwegis ex sexto gradu uxorem ducere, quoniam ea indulgentia est intelligenda de iis, quorum uterque a communi parente distat sexto gradu: qui utique et sexto gradu distant inter se, non de iis, quorum unus distat sexto, alter secundo tantum. At, ubi talis consuetudo non invaluit, sequamur regulam illorum Doctorum, quia jure Pontificio recepta est; et comprobata. Unde, quia hodie quinto gradu inter cognatos ex transverso nuptiæ permissæ sunt ex *c. pen. inf.* cognatione secundum canones computata, si vir, ut ostenditur in *cap. ult.* distet a communi stipite quarto gradu, vel, ut ibi glossa addit recte, tertio, vel secundo (non addit primo, quoniam si primo, non esset locus regulæ sive c. ult. certa ratione, quam hic prætermitto) mulier autem distat a communi parente quinto gradu, nuptiæ inter eos consistere possunt quasi cognatos in quinto gradu tantum invicem. Hæc est sententia *c. ult. hujus t.*

AD CAP. *De infidelibus.* IV.

In hoc cap. hoc tantum ostenditur, matrimonium contractum inter paganos, vel Judæos legibus moribusque gentis suæ, etiamsi inter se cognati sint eo gradu, quo non licet Christianis in matrimonium convenire, ita postea Judæis, vel paganis Christianis effectis baptismo, non dissolvi, *c. Gaudemus, inf. de divort.* Et ideo plerumque in utroque jure, matrimonium legitime contractum nulla ex causa est ex post facto dissolvendum, *l. 3. C. de interd. matr. c. 2. sup. de cogn. spirit.* Et in specie quoque generi adoptati non emancipata filia, vel nurus adoptatæ non emancipato filio, cum quæritur, utrum adoptio impediri, an propter adoptionem matrimonium dissolvi debeat, qua in quæstione a se ipso dissentire videtur Theophilus in §. *Sed si qua, de nup.* et in *prin. tit. de adopt.* humanior opinio est, adoptionem impediri, quia res fuit controversa, impediatur adoptio an matrimonium, et in re controversa melius est humaniorem sententiam sequi, quam, cum et severiorem proposuisset Theophilus in *d.* §. *Sed si qua,* quæ etiam quosdam assertores habuit, ut patet ex *l. pen.* § *Sed videamus. de rit. nup.* tandem Theophilus in *pr. tit. de adopt.* acquiescit humaniori sententiæ, non severiori.

AD CAP. *Quod super.* V.

Ex hoc cap. intelligimus, quemadmodum accipiendum sit, quod Modestinus ait in *l.* 4. §. *Affines, de grad. et affin.* affines esse viri et uxoris cognatos. Neque enim id ita accipiendum est, cognatos viri, et cognatos uxoris invicem esse affines. Nam Modestinus utique voluit definire, qui essent affines, et, si in sensus esset definitionis illius, Modestinus omisisset eos, qui omnium maxime inter se sunt affines, puta cognatos viri, et uxorem: et retro, cognatos uxoris, et virum, *can. porro,* 35. *quæst.* 5. quæ affinitas nec morte alterutrius conjugis in superstite perimitur, *can.* 1. 35. *quæst.* 10. Et hoc quoque solum Modestinus significare voluit, cum dicit, affines esse viri et uxoris cognatos, viri scilicet cognatos uxori esse affines, et uxoris cognatos viro. Quod et in sequentibus demonstrat satis aperte, dum ait, per nuptias duas cognationes ita jungi, ut altera ad alterius finem, id est, extremitatem accedat. Et inde etiam tractum affinium nomen. Affines dicuntur etiam, qui in agris vicini sunt, qui confinia prædia habent et possident, *l. pen. fin. regund.* et apud Festum, et in glossis veterum, in quibus affinis exponitur ἀγχιτέρμων. Ut autem ager meus non toti agro vicini mei est affinis, sed fini tantum, et extremitati ejus, ita cognatio mea, non toti cognationi uxoris meæ est affinis, sed fini tantum ejus, id est, uxori meæ, et contra. Quod et aperte definitur in hoc cap. 5. nempe cognatos viri affines esse uxoris, et cognatos uxoris affines viri: cognatos autem utriusque conjugis inter se non esse affines. Et hac ratione fieri, ut pater et filius recte contrahant nuptias cum matre et filia, quia neque filia meæ uxoris ex alio viro, filio meo ex alia uxore est affinis, id est, comprivigni inter se non sunt affines, *l. Generali.* §. *Inter. de rit. nupt. l. Titia. de verb. oblig.* §. *Mariti. Instit. de nupt.* nec consoceri quoque, id est, pater mariti, et mater uxoris inter se sunt affines. His consequens est, ut avunculus et filius sororis, qui vulgo dicitur nepos, recte contrahant matrimonium cum duab. sororib. et generaliter duo cognati cum duabus cognatis: quod et hic proponitur. Porro ostenditur in extremo hujus cap. nihil posse consuetudinem adversus jus publicum, quo certis gradibus finita, et cohibita est coeundarum nuptiarum licentia, nisi hæc consuetudo ipsa jure publico comprobata sit, forte propter offensionem, et scandalum, quod inde nasceretur, si quid novi contra consuetudinem fieret, ut *cap. 3. sup. h. t. et c. 1. de cogn. spirit.* Namque alias, ut ait, malam consuetudinem corruptelam potius esse, quam consuetudinem, quod verbum frequenter usurpatur in his libris, *cap. 7. et ult. de consuetud. cap. 11. de excess. prælat.*

AD CAP. *Quia circa.* VI.

Jam didicimus *sup.* in *c.* 3. ex indulgentia Pontificis intra gradus prohibitos, jure Pontificio scilicet, non etiam intra gradus expresse prohibitos, jure civili, ut equidem sentio, et plerique alii mecum: ex indulgentia igitur Pontificis intra gradus prohibitos jure tantum Pontificio nuptias permitti posse, et justas nuptias esse, ut in *l. Si Senatori. de ritu nupt.* ex indulgentia Principis inter Senatorem et libertinam. Idemque constat ex *can. quædam lex,* 35 *quæst.* 3. quo Anglis tunc primum conversis ad fidem Christianam indulgetur singulari beneficio, ut ibidem exponitur, ut in *can. ad sedem,* 35 *qu.* 5. ex tertio grado, et quarto cognationis ex transverso uxorem ducere, quod et ante fidem Christianam solebant. Legendum est in *d. can. quædam lex tertia, vel quarta generatione, non quarta, vel quinta generatione,* ut in *d. can. ad sedem:* et apud Joannem Diaconum in vita Gregorii, et Rabanum Maurum Archiepiscopum Moguntinum, in epistola ad Humbertum Episcopum, *quota generatione licitum sit matrimonium,* hæc est inscriptio epistolæ. Et ita in hoc cap. indulgentia datur nobili cuidam retinendæ uxoris sibi conjunctæ quinto cognationis gradu, ut *cap. 1. eod. t. in prima collectione.* Et ut hic ostenditur, valet indulgentia, etiamsi falsa sit causa, propter quam eam sibi nobilis ille indulgentiam dari postulavit, et impetravit: ut si dixerit, se ex ea muliere liberos habere superstites, cum nullus superesset. Verum hoc ita procedit, si periculum sit, ne dirempto illo matrimonio, et dissociato, inde exoriatur grande scandalum aliquod. alioquin, indulgentia elicita ex falsa causa non valet, *c. dudum,* 2. §. *pen. illo loco; insuper indulgentiam, sup. de elect.* Indulgentia est, quæ vulgo dicitur dispensatio, et οἰκονομία, quæ quidem datur singulari beneficio, vel de ducenda, vel, et hoc quidem facilius, de retinenda in matrimonio cognata intra gradum prohibitum, qualis fuit quintus gradus, quo de hic agitur, ante constitutionem *c. pen. inf.* ante quam prohibitio nuptiarum porrigebatur usque ad septimum gradum.

AD CAP. *Tuq nos.* VII.

Est hoc cap. de testibus, qui in causis matrimonii adhibentur, ut de cognatione conjugum testimonium perhibeant jurati, id est, qui producuntur, ut per eos probetur ex transverso matrimonium esse contractum in gradu prohibito, veluti in secundo gradu, ii testes fidem non faciunt, nisi gradus cognationis computentur a communi parente, qui primum gradum facit, vel a fratre, qui item hoc jure primum gradum facit ex transverso, id est, nisi computationem ineant a primo gradu, et ab illo perveniant ad secundum, atque ita distinguant gradus, personasque designent proprio nomine, vel ex demonstratione, aut demonstrationis nota, quæ vice nominis fungatur, ut *cap. 47. de testib.* et fusius ostenditur in *cap. 1. de consang. et affin. in 4 collectione.* Summa sententiæ hæc est, liquido, distincte, perspicue, non confuse, non obscure, non indiscrete testes testari, et jurejurare, quod testantur, oportere, aliquin non audiri. Exempli gratia, cum explicatione omnino opus est, si testes dicant, virum et uxorem esse conjunctos secundo cognationis gradu, quia scilicet vir uxori sit avunculus, uxor viro filia sororis. Si hoc solum inexpli-

cate dicant, non audiuntur. Ut audiantur, qui volunt docere, uxorem tuam tibi esse cognatam secundo gradu, id docere debent incipiendo a stipite, id est, a communi parente, qui auctor, et origo cognationis est, dicendo hoc modo: te genuit Lucius Titius: primus hic est gradus in directo limite. Idem Lucius Titius genuit Cajam sororem tuam: hic item est primus gradus ex transverso, eadem Caja peperit Semproniam, quæ tibi est in secundo gradu: hanc igitur si uxorem duxisti, duxisti ex secundo gradu, liquidum est testimonium. Vel etiam incipiendo a sorore, quæ cum hoc jure sit in primo gradu, merito et hic ponitur habeturve pro stipite, et dicendo hoc modo: Caja soror tua tibi est in primo gradu, incipiendum est semper a primo gradu, ut *cap. series, supra, de testib.* et consequenter Sempronia filia ejus tibi est in secundo; hanc igitur si uxorem duxisti, duxisti ex secundo gradu. Hanc vero formam debere testes, quin in his causis adhibentur, observare est, quia plerumque non nisi de auditione testimonium dicunt, puta se audivisse, accepisse, didicisse a majoribus suis, propterea quod vitæ humanæ brevitas non patitur ut se vidisse testari possint, maxime ut olim obtinuit vetitis nuptiis usque ad septimum gradum, *cap. 47. sup. de testib. cap. 2. de sob. suscept. ex sec. nupt. in 1. collectione, cap. 1. de consang. et affin. in 4. collectione.* Id autem auditionis testimonium satis debile et infirmum est: ideoque summa in eo religio, et diligentia requiritur, summa accuratio in distinguendis subtiliter tum gradibus, tum personis, designato graduum numero, et personarum proprio nomine, aut indubitabili signo, quod pene nihil a nomine distet. De auditione testimonium, si necessitate cogente admittitur, ut evenit sæpe in his casibus, maxime liquidum, et accuratum esse oportet. Ut ergo in specie hoc loco proposita non audiuntur testes, si incipiant computare protinus ab avunculo ipso, et filia sororis, quos matrimonio conjunctos esse ajunt, atque adeo in secundo gradu cognationis: ita nec si in aliis speciebus protinus incipiant a tertio, vel quarto gradu, primo præterito et secundo. Et ita explicandum est hoc cap. quod primo fronte, cui non videtur obscurissimum? Testimonium autem de auditione, nec in hujusmodi causis hodie, nimirum prohibitione nuptiarum coarctata ad quartum gradum cognationis admittitur, nisi forte virorum auctoritate gravium, quibus merito fides habenda, ut *d. cap. 47.* sicut nec in aliis causis admittitur, *cap. 2. de sob. suscept. ex sec. nup. in prima collectione,* nisi perraro: ut cum quæritur de finibus agrorum, aut de memoria facti operis: tunc enim admittitur testimonium de auditione, *l. Si arbiter. de prob. l. 2. § pen. de aq. et aq. pluv. arc.* Itaque cum testimonium de auditione et aliis adminiculis adjuvatur standum ei est, *cap. præterea, sup. de testib.* Certo apud antiquos homines priscæ probitatis, et simplicitatis de auditione quoque testimonium dictum ex Cicerone Pedianus notat in Prætura Urbana.

AD CAP. *Non debet.* Pen.

Proponitur in hoc cap. constitutio concilii œcumenici, sive generalis habiti sub Innocentio III. Romæ in Basilica Lateranensi, quæ Constantina appellabatur, quo quidem concilio et hoc cap. affinitatis genera separantur a gradibus affinitatis. Et in primo genere affinitatis nuptiæ prohibentur usque ad quartum gradum, in secundo et tertio genere affinitatis non item, quod et Petrus Blesensis explicat, et confirmat epistola 116. Filia uxoris meæ ex alio marito, id est, privigna est mihi primo gradu affinis, maritus ejus, qui uxori meæ est gener, uxori quidem est affinis primo genere, at mihi non nisi secundo genere, uxor autem secunda ejusdem generi meæ uxoris, mihi est affinis tertio genere, quod memini jam supra me exponere in præfatione ad hunc titulum. Et sic soror meæ uxoris mihi est affinis primo genere: maritus ejus, qui uxori meæ est, sororius, mihi est affinis secundo genere, uxor autem secunda ejusdem sororii uxoris meæ, mihi est affinis tertio genere. Ac similiter uxor fratris mei, quæ dicitur fratria, mihi est affinis in primo genere, maritus ejus posterior in secundo genere, uxor autem ejus secunda in tertio. Et, ut dixi, in secundo et tertio genere affinitatis concilium Lateranense non prohibet nuptias, quæ olim tamen in secundo et tertio genere prohibebantur, *can. de propinquis, 35. q. 2. et 3.* ubi, ut hoc obiter moneam, generatio est accipienda pro genere, non pro gradu. Immo et olim nuptiæ prohibebantur, quæ ob concilium Lateranense permittuntur nominatim in hoc *cap. pen.* inter cognatos prioris viri et sobolem susceptam ex viro posteriori, qui prioris viri cognatis erat affinis secundo genere affinitatis: qua de re extat titulus in *1. collect. de sob. suscep. ex sec. nup.* qui quidem titulus abrogatur hac constitutione concilii Lateranensis, simul et quod de secundo et tertio genere affinitatis diximus supra in primo tantum genere affinitatis prohibitis nuptiis usque ad quartum gradum, ut cognationis etiam transversæ ratione nuptiæ hac constitutione non prohibentur ultra quartum gradum. quod et Theodosius Archiepiscopus Anglorum sequitur in suo pœnitentiali, ut refert Raban. Maurus. Olim ratione cognationis, vel affinitatis nuptiæ prohibebantur usque ad septimum gradum, ut constet ex multis canonibus relatis in *caus. 35. q. 2. et 3.* ut c. 3. *in princ. de cland. despons.* et c. 3. et 6. *h. t.* et *cap. 2. eod. t. in 4. collectione.* Itaque si cognationem veteres computabant secundum jus Pontificium, quod hodie obtinet, non secundum jus civile, valde concilio Lateranensi coangustata est prohibitio nuptiarum vetus, quoniam ab eo detracti sunt ultimi tres gradus, quintus, sextus, septimus. At si veteres, quod notandum, qui nuptias prohibuerunt usque ad septimum gradum cognationis, gradus computarunt, ut juris civilis auctores, quod et eos fecisse crediderim, quoniam hæc eis hominibus simplicioribus mens fuit, ut quem finem leges dederant cognationi, dederant autem septimum gradum, quia nec ultra eum gradum fere rerum natura vitam cognatorum consistere patitur, *l. 4. in prin. de grad. et aff.* et *Paulus 4. Sent. tit. de grad. in fin.* eundem finem imponerent prohibitioni nuptiarum, ut est nominatim proditum in *can. de consanguinitate,* et *can. seq. 35. q. 2* et 3. quousque, inquiunt, parentela cognosci, aut memoria retineri potest, atque ita ut inter cognatos quoque ex transverso non minus, quam inter parentes et liberos nuptiæ in infinitum prohiberentur: si, inquam, veteres ita gradus numerarunt, ut juris civilis auctores quod puto esse verius, ut ostendi, sane concilio Lateranensi, quod gradus longe aliter numeravit, non valde coangustata est prohibitio nuptiarum; neque enim sunt tres gradus detracti, ut ait *cap. 3. in pr. sup. de cland. despons.* sed unus tantum. Valde levis igitur fuit mutatio concilii Lateranensis. Non omittam etiam, eodem concilio prohibitionem nuptiarum non esse redactam ad modum prisco jure civili finitum usque ad quartum gradum, ut Ulpianus refert *libro singulari regularum, tit. de nupt.* quia concilium istud gradus aliter numeravit, quam jus civile fecit. Ac præterea jus civile, cum vetabat matrimonia fieri inter cognatos ex transverso usque ad quartum gradum, non includebat quartum gradum, ut indicat *§ Fratris. Instit. de nupt.* Nam inter consobrinos, qui sunt quarto gradu, nuptias permittebat. concilium autem includit quartum gradum. Et hic articulus, usque, varie accipitur in libris nostris, immo in omnibus modo includit, modo excludit, modo intendit, modo remittit.

AD TITULUM XV.

De Frigidis, et maleficiatis, et impotentia coeundi.

AD CAP. *Accepisti.* I. CAP. *Quod sedem.* II CAP. *Ex literis.* III. CAP. *Consultationi.* IV. CAP. *Laudabilem.* V. et CAP. *Literæ.* Ult.

In hoc titulo ostenditur matrimonium dissolvi, si jus matrimonii maritus explere non possit, quia frigidus est. Non dico *frigidus ævo,* ut Juvenalis loquitur, vel frigidus a morbo aliquo temporario. neque enim ætas, aut morbus qui nec latere mulierem potest, quæ cum sene, vel ægro matrimonium contrahit, matrimonio contrahendo, vel contracto retinendo impedimento est: sed frigidus ex imbecillitate virium, atque natura citra morbum: is est spado, qui neque morbosus est, neque vitiosus, *l. 6. § ult. de ædil. ed.* sed διὰ τὴν φύσιν, ut Theophilus ait in *t. de adoption.* id est, propter frigiditatem seminalis partis serere prolem, et virum fungi non potest. Spadoni additur hoc titulo, qui maleficiis, seu magicis carminibus ita devinctus, et defixus est, ut nihil possit in uxorem. Defictiones proprie sunt καταδέσμοι in glossis Philoxeni. Virgilio, vincula Veneris, quæ et defictiones, pro defixiones, ut inficta, pro infixa *l. Ne quid, de incend. ruin. et naufrag.* et fictum, pro fixum apud Varronem et Diomedem. Illud quoque defigendi verbum, quod proprium est magorum, memini me restituere *lib. 5. Sent. Pauli tit. 23.* ubi vulgo ita legitur: *qui sacra impia nocturnave, ut quem obcantarent, interficerent, obligarent, faciendave curaverint, etc.* pro interficerent restituto ex veteribus libris verbo, *defigerent,* quod congruit omnino proximis verbis obcantarent, et obligarent. Unde etiam in capitulis Caroli Magni obligatores junguntur incantatoribus. Addere autem licet superioribus, id est, spadonibus, ut obligato sive defixo, virginem, cujus φύσις ita obstructa, vel arcta est, ut mulier fieri vel virum pati non possit, ex c. 3. et 4. *pen. hujus. t.* Ex his causis, quæ scilicet initio contrahendi matrimonii personis infuerint inhæserint, non etiam, quæ supervenerint, qua ratione, quove modo matrimonium semel rite contractum dissolvi possit, hoc titulo declaratur latissime. Ac primum ex Burcardi Episcopi Wormatiensis Decretorum *l. 18. c. 1.* ostenditur si post contractum matrimonium vir dicat se aliquandiu omnia tentasse, omnia egisse, ut jus matrimonii expleret, nequicquam. Idemque confirmet mulier, et perseveret, id est asseveret, ac præterea illo se rem habere per rectum judicium, inquit. probetur, id est, jurejurando utriusque conjugis, ac præterea jurejurando cognatorum, vel cognatis deficientibus, vicinorum septem, ut *can. 1.* et *can. requisisti, 33. q. 1.* c. 5. et c. ult. *inf. h. t.* Jusjurandum illorum rectum judicium facit, idque ex sequentibus satis patet, et ita per rectum judicium re probata dissolvi matrimonium. Ho vero rem probari recto judicio, ut cœpi dicere, ex sequentibus satis patet, dum ait, ex hac causa dissolvi matrimonium. Si vero postea vir aliam uxorem duxerit, et cum ea rem habuerit, virum perjurii reum esse, qui ante juraverat se nihil potuisse et perjurii peracta pœnitentia ad priorem uxorem reverti debere: perjurii etiam ceteros reos esse, qui idem conjuraverunt, ut *d. can. requisisti,* et c. 1. *inf.* Retractari igitur divortii sententiam priorem, et restaurari prius matrimonium, soluto posteriore sententia divortii. immo et quaelibet sententia, quod notendum, ex post facto veritate comperta, et errore prioris judicii, rescindi potest, a principe scilicet, vel Senatu, vel summo Pontifice, ut *cap. pen. inf. h. t. c. labor, sup. de sent. et re jud.* At, ut cetera persequar, quæ proponuntur in hoc c. 1. si mulier sola conqueratur de imbecillitate et frigiditate mariti, contra maritus dicat, se reipsa probasse mulieri vires suas virilitatemve suam videndum ait in hoc c. 1. utrum de eo se queratur mulier paulo, an multo post contractum matrimonium. Si multo post contractum matrimonium, puta post annum et dimidium, ut interpres Gallicus legit recte, standum est potius dicto viri, propter dignitatem virilis sexus, quam dicto fœminæ ut in c. 6. et 12.

sup. de despons. impub. et can. si quis acceperit, 33. *q.* 1. cur enim, ut ait hoc loco, tamdiu cessavit mulier in ea re evulganda? At si paulo post contractum matrimonium, veluti post duos menses ea de re mulier querelam moverit, fides habebitur mulieri, si modo rectum judicium intervenerit, id est, si id probaverit septima manu, ut loquuntur, propinquorum, aut vicinorum, ut tum fieri solebat, idque dicebatur rectum judicium, et conjuratores illi sacramentales, ut habetur in legibus Longobardorum, quia apud Germanos sacramentum est, atque ita re probata judici, cujus de ea re cognitio erat divortium sequebatur, quæ est sententia c. 1. Est autem maxime hoc in re observanda differentia inter jus civile et jus Pontificium. Jure Pontificio spado matrimonium contrahere non potest, *c.* 2. *h. t.* ubi comparatur spado infanti, et si quod contraxerit, dissolvitur: jure civili spado matrimonium contrahere potest, *l. Si servo.* §. *ult. de jur. dot.* quia non est spado omnino extra spem procreandorum liberorum, cui peculiam est salvum. Sed notandum etiam jure Pontificio hac de re fuisse diversas sententias, diversa decreta, ut ait Pontifex in *cap.* 2. *eod. tit.* in 1. *collectione.* et consuetudines diversas. In ecclesia certe Romana, ad quam respicit *caput* 4. *hujus t.* consuetudo hæc fuit, ut qua quis uxore potiri non posset, vel suo, vel uxoris vitio, eam propterea non dimitteret, sed retineret ut sororem. *c.* 2. 3. 4. *eod. t. in prima collectione, can. requisisti*, 33. *q.* 1. quod tamen hodie non fieri, id est, non retineri matrimonium, nisi inter consentientes, liquet *ex capit.* 5. *hujus tit.* et *Novel. Justiniani* 22. neque invitus neque invita cum eo esse manet, quem quamve prohibuit negotio, cujus causa matrimonium institutum est, supersesse non posse. Sed quantum temporis conjugibus sit indulgendum, qui frigidi deprehenduntur initio contrahendi matrimonii, ad vires intendendas, et experiendas: non enim protinus dirimi matrimonium oportet, si quæras, dicam ut est proditum in *cap.* 3. *eod. t. in secunda collectione*, hujus rei legibus, et canonibus finita esse diversa tempora: quod et verissimum est: biennium definitur in *l. pen. C. de repud.* triennium *Novel.* 22. et *cap.* 5. et *ult. h. t.* mensis, vel tres menses, vel annus *cap.* 1. *h. t.* varie et indifferenter, quia nondum finitum erat certum tempus, quod finitur novissime Justinianus in *d. Nov.* 22. et Cœlestinus *d. cap.* 5. *secundum authenticum legale*, ut est scriptum in antiqua Decretali, secunda collectione, et secundum *Novel.* 22. *de nupt.* vel potius secundum *authentic. sed hodie, C. de repud.* Quæ tamen definitio temporis, sive præscriptio ita procedit, si frigiditas illa naturalis statim evidenter probari non possit: nam si statim evidenter probari possit, neque experimento neque dilatione opus est. Idque satis aperte indicat *cap.* 5. *h. tit.* Transacto autem triennio sine re, sine ulla efficaci congressu, divortium fit utroque consentiente bona gratia, et jurejurando præstito, juxta *can.* 1. 33. *q.* 1. et *can. quod autem*, 27. *quæst.* 2. Jurejurando denique præstito, quod justi judicii appellatione adsignificatur. Idem est rectum, justum, verum judicium. Hactenus perstrinxi paucis omnia ex hujus excepto *cap. pen.* de quo singulatim dicendum est.

AD CAP. *Fraternitatis.* Penult.

Proponitur in hoc cap. species de muliere, quæ diu fuerat cum marito, et eum ea sæpe maritus frustra, quod virum admittere, et pati non posset, quam re prolata ad Episcopum, jussu Episcopi adhibitæ obstetrices, inspecta parte illa, qua mulier erat, retulerant, non esse idoneam admittendo viro: quibus certe matronis hac in re credi par est, quod id facile discernere possint, sicut et iis credi solet, cum quæritur mulier sit prægnans necne, *l.* 1. *de vent. inspic.* et cum quæritur pubes sit puella, an impubes: qua tamen in re Justinianus novissime vetuit inspectionem, inhibuit inspectionem obstetricum. Sed non etiam temere credi oportet obstetricibus, si quæratur virgo sit necne, quod tamen deprehendi posse dicunt, et plerique omnes credunt ex aspectu, et attactu τῆς ὑμένος quasi integra hymen argumentum sit virginitatis, dirupta autem, muliebritatis: quæ opinio facit, ut et hujus rei investigandæ causa vulgo auctore judice obstetrices adhibeantur, et consulantur, *cap. pen.* et *ult. h. t. cap. proposuisti, et cap. pen. sup. de prob.* quanquam earum oculi sæpe manusque fallantur, ut ex Cypriano scriptum est in *d. cap. pen. et canone nec aliqua*, 27. *quæst.* 1. Sed si nulla est hymen in puella, nulla membrana, nulla sepes, quæ virginali prætendatur, ut Oribasius sentit, et hodie medici, atque etiam judices non pauci verum esse comprehenderunt, decepere hac in re obstetrices majores nostros, quibus persuaserant de eo quoque se ex aspectu, et tactu τῆς ὑμένος, quæ nulla est, aut fuit unquam, judicare posse, virgo aliqua sit necne. Adde quod Ambrosius scribit in *epistola* 64. et ipsos Archiatros, ut ait, dicere, non satis liquido virginitatis explorandæ causam comprehendi inspectionis fide, et ipsius medicinæ veteres Dd. hujus sententiæ fuisse, et ideo virgines maxime Deo devotas, non esse adducendas ad hujusmodi ludibria. At in specie hujus cap. pen. cum quæritur, apta sit puella ad viriles complexus necne, quia id obstetrices ex aspectu ὑμένος, sive fœminalis facile dignoscere possunt, ideo et facile hac in re audiuntur, nec male audita earum testificatione, et relatione si dixerint puellam esse ineptam conjugio, in hac specie Episcopus ex hac causa dirempto matrimonio, viro aliam uxorem ducere permisit, mulieri autem suasit, ut quoniam non erat viripotens, se alicui nonnarum monasterio devoveret. At postea si eadem ipsa puella facta sit idonea ad matrimonium, laxata re forte, ut fit, quæ ante arctior erat, sane retractanda est sententia Episcopi, et mulier restituenda priori viro, dimisso posteriore, si cui nupserit, et retro, prior vir, si aliam interim duxerit, eam dimittere et priorem recipere debet, nisi illa jam se interim voto solemni cuidem monasterio obstrinxerit post divortium, quia perpetuam continentiam vovit, nec jam ei est integrum, vel alium habere maritum, vel ad priorem reverti. Votum solemne exigimus: votum simplex non dirimit matrimonium rite contractum, *cap.* 4. *sup. qui cler. vel vov.* ubi multa de voto solemni, et simplici, quod hic dicitur verbum simplex. Hæc sufficiant ad cap. pen. At non omittam, titulum hunc quidem esse non tantum de frigidis, sed etiam de iis, quibus maleficiorum malis artibus adempta est facultas coeundi, nullam tamen de iis in hoc titulo constitutionem esse expressam sive directam, ex quo intelligere licet, quæ in eo statuantur de frigidis, ea ad hos producenda esse. Et fere idem est, nisi quod, hoc explicant male ex *can. ult.* 33. *quæst.* 1. quæ divortit a priori viro ex sententia ecclesiæ, vel judicis ecclesiastici post triennium, quod vir maleficio defixus, et obligatus esset, si alii nupserit, vivo posteriore viro non possit ad priorem virum reverti, quia etiamsi vir prior aliam duxerit uxorem, cum qua præbuerit se virum, nondum certum est maleficio priori solutus sit necne, quo tenebatur vinctus, ut fit, ne quid posset in priorem mulierem, non etiam, ne quid posset in ullam omnino mulierem, cujus maleficii vix scio, an ullum extet exemplum. At propter frigiditatem viri soluto matrimonio, si vir aliam duxerit uxorem, et cum ea virum se præbuerit, tum certum esse cœpit frigiditatis vitium esse sublatum, atque ideo dimissa posteriore, priori reconciliari debet, *ut* 1. *hoc. t.* quæ distinctio et in muliere locum habet, *c. pen. hoc. t.* Non omittam etiam, quod deest in *cap. ult.* aut in inscriptione *cap. ult.* quæ ita restituenda est nondum restituta, Honorius tertius Episcop. et Magistro B. Canonico Ambianensi: cum qua inscriptione congruit etiam, quod habet integra Decretalis quæ extat in quinta collectione nondum edita (hodie edita est) quæ continet tantum Constitutiones Honorii III. scilicet virum, de quo agitur in *cap. ult.* cui de matrimonio lis erat cum uxore, fuisse Atrebatensis diœceseos, quæ est fere in eodem tractu, eademque provincia, qua diœcesis Ambianensis, Samarobrina Ambianorum, *d'Amiens*, ut liquet ex Ptolomæo, cujus Samarobrivam Ambianorum mentio etiam fit in epistolis Cic. in *riviere de Saume*, latine etiam Samara. Addam et in 5. c. *ult.* loco horum verborum, *quæ intra prædictos* 8. *annos per continuum triennium*, manifesto, pro *intra*, esse legendum, *ultra*.

AD TITULUM XVI.

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

AD CAP. *Literæ.* I.

Proponitur in hoc cap. 1. hæc species. Quæ desponsa erat uni fide data futuri conjugii, postea fidem dedit alteri, fratri scilicet prioris sponsi, se ei nupturam ac deinde hac re perlata ad Episcopum, cum prohibuisset Episcopus ne huic, vel illi, vel alii cuiquam nuberet quoad pronuntiatum esset, utri sponso potius deberetur, vel utra sponsalia validiora essent, vel an neutra valida essent, illa nupsit tertio, puta Lucio Titio, et in domum ejus transivit relicta matre, cum qua morari solebat: mox Episcopus, cujus præceptum contempserat, eam ad matrem redire præcepit, dimisso Lucio Titio quasi non justo marito, quod cum eo matrimonium contraxisset contra præceptum suum. At illa nolens ad matrem reverti, ab hac Episcopi sententia appellavit ad maximum Pontificem, qui in hoc cap. 1. hac de re ita decernit, ne inanium sit præceptum Episcopi, et proinde, ut præcepto Episcopi satisfaciat aliqua ex parte, eam debere ad matrem reverti, dimisso Lucio Titio, et cum matre mense transacto, imposita ei pœnitentia tantæ levitatis, et audaciæ; tum demum posse eam ad Lucium Titium redire. Potior est Lucii Titii causa, quia maritus est, quam eorum, qui sponsi sunt duntaxat, siquidem sponsalia secutus concubitus non sit, alioqui sponsalia de futuro conjugio conjuncta commixtione sexuum, matrimonium perficerent, *cap.* 18. 20 et *ult. sup. de spons.* Illa quidem dicebat se a posteriori sponso fuisse cognitam, sed falso simul et callido consilio, ut se facilius absolveret e priori sponso, quem, ut hic proponitur, complexa sæpe fuerat, citra commixtionem tamen, tanquam proprium virum et a quo etiam munera pleraque, quæ sponsalitia dicuntur, acceperat. Itaque plus sane juris in eam habet Lucius Titius, quam hic, vel ille sponsus. At objici huic decreto Pontificis potest, non valere matrimonium contractum contra interdictum ecclesiæ, vel Episcopi summi ecclesiæ sum sacerdotis, et Papæ non valere probo ex *cap. pen. sup. de spons. duor.* et *can. videtur*, 35 *quæst.* 6 ubi id aperte definitur, non valere matrimonium contractum contra interdictum ecclesiæ, vel ejus qui præest ecclesiæ, sicut et quod aliudcunque geritur contra interdictum ecclesiæ, non valere constat, aut in irritum deducendum esse, *c. pen. in fin. sup. de spons. impub.* At respondebo, et dicam, in hac etiam specie matrimonium, quod mulier cum Lucio Titio contraxerat contra interdictum ecclesiæ, Episcopum fecisse irritum, a Lucio Titio divulsa uxore, et reddita matri. Verum potuisse id postea reintegrari a magno Pontifice, imposita mulieri contumaciæ et inconstantiæ condigna pœnitentia.

AD CAP. *Ex literis.* II.

Sententiæ cap. proximi sup. objici potest cap. 2. hujus tit. cujus species est de Anglo quodam, qui cum aliqua sponsalia fecisse dicebatur verbis præsentibus, quæ pro matrimonio habere certum est, quæ tamen revera erant tantum de futuro matrimonio, quamobrem nec ἱερολογία, sive benedictio intervenerat ulla in ecclesia, nec se-

tibi

Tom. 8.

cutus erat concubitus : qui postea cum cogitaret de alia ducenda muliere in matrimonium, prohibitus fuit ab Archiepiscopo Cantuariensi, qui per eminentiam sæpe dicitur in auctoribus Episcopus Anglorum, quod sit omnium maximus, nec id faceret antequam de fide contrahendi matrimonii data priori mulieri plane constaret: at nihilominus, contempto præcepto Archiepiscopi, Anglus aliam in matrimonium duxit palam et solemniter in conspectu ecclesiæ, et vicissim prior etiam mulier, contra quam prohiberetur ab eodem Archiepiscopo, alii nupsit : et quia potentius est matrimonium, quod vir cum posteriore contraxit, quam sponsalia de futuro, quæ contraxit cum priore : ideo et matrimonium servari Pontifex jubet. Dices : atqui factum fuit contra interdictum Archiepiscopi, dicam fateor, quod nec fieri debuisse ait in hoc cap. 2. immo et irritum fieri potuisse dico ejusdem Archiepiscopi sententia, vel magni Pontificis. Ideoque imposita contumaciæ, et obedientiæ pœnitentia, censet Pontifex matrimonium, quod contra prohibitionem Ecclesiæ contraxit, quodque propter neglectam prohibitionem ecclesiæ nature videbatur, firmum, et ratum esse. Fit hujus constitutionis mentio in cap. 6. de sponsal. in prima collectione, ex quo restituenda est inscriptio hujus cap. 2. Ex eodem cap. 6 intelligimus, causæ, de qua hic agitur cognitionem, cum fuisset appellatum ab Archiepiscopo Cantuariensi ad Pontificem maximum ab eo non fuisse remissam ad eundem Archiepiscopum sed ad Bathoniensem, et Herefordiensem Episcopos, ut jura præcipiunt, ne ab eo, ad quem appellatum est, causæ cognitio remittatur ad eum, a quo appellatum est, sed ad alium, l. Eos. C. de appell. cap. accepta, sup. de appell. et apertius in cap. 2. de rescript. in secunda collect. addita tamen hac exceptione, nisi partes in hoc consenserint, ut causa remittatur ad eum, a quo appellatum est. Recte, quia et postulante eo solo, qui appellavit, ad illum causæ cognitio remitti potest, cap. interposita. §. pen. de appel. At, quod posset quis objicere, in cap. 1. hujus tit. videtur remitti causæ cognitio ad eum, a quo appellatum est. Immo ut respondeam, ad eum non remittitur causæ cognitio, sed executio, decreti Pontificalis, quo confirmabatur sententia ejus, a quo appellatum erat. Et hoc ita fit hodie passim, confirmata sententia prioris judicis, ut executio ei demandetur, ex cap. ut debitas, sup. de appell. et cap. 1. in fin. qui fil. sint leg. in tertia collect.

AD CAP. *De muliere.* Ultim.

Cum de nuptiis contrahendis ageretur inter eos, qui dicebantur esse cognati intra quartum gradum, et ecclesia interdixisset, ne inter se matrimonium contraherent, donec de impedimento cognationis constaret, at præcepto ecclesiæ non audientes matrimonium contraxerint, aperte definitur dissolvendum matrimonium esse, quod factum est contra interdictum ecclesiæ, non quidem in perpetuum, sed quoad usque liqueat, matrimonium inter eos consistere posse, nec eo : nam si postea liquerit non esse eos inter se cognatos, vel esse cognatos quinto, vel sexto gradu, reconciliari, et ad priores complexus redire possunt.

AD TITULUM XVII.

Qui filii sint legitimi.

AD CAP. *Conquestus.* I. et CAP. *Tanta.* VI.

Qui filii sint legitimi multum interest scire, quoniam hi soli hæredes esse possunt, hi soli plerumque sunt bona paterna pascendi, et exhibendi, non illegitimi temere, ut suo loco explicabitur. Verum ex his alii legitimi nascuntur, ut qui ex justo matrimonio nascuntur, cap. 5. sup. de despons. impub. cap. 8. in fin. inf. h. t. alii fiunt legitimi, non nascuntur ut qui nati sunt ex concubinatu fiunt legitimi, concubina in uxoris locum assumpta, §. ult. Inst. de nupt. et cap. 1. hoc t. cujus, ut hoc obiter moneam, inscriptio ex veteri lib. ita restituenda est, *Alexander Tertius Exoniensi, et Wigorniensi Episcopis.* Natos, inquam, ex stupro, liberoque lectu'o legitimos fieri per subsequens matrimonium, quod cum matre eorum contraxerit qui stupi pator erat. Ideoque in hæreditate defuncti hujusce patris potiorem esse filiam ex stupro genitam, ante matrimonium fratre defuncti, id est, patruo suo: aut sane, quæ est sententia cap. 1. repelli filia quasi illegitima non potest hæreditate paterna, quam subsequens matrimonium legitimam fecit. Præfereter igitur patruo, et hæreditatem vindicabit, non quidem apud judicem ecclesiasticum, sed apud judicem secularem, ut vocant, ubi judex ecclesiasticus pronuntiaverit, quod veluti præjudicium quoddam est, eam esse legitimam, ut fiat in cap. 5. inf. utque factum fuisse ponam in cap. 3. Nam in causa vindicandæ hæreditatis judex ecclesiasticus, judex competens, judex congruus non est, sed in causa matrimonii tantum, cum quæritur fuerit justum, necne, ac proinde liberi ex eo procreati legitimi sint, an illegitimi. Ad hæc notandum est, etiam esse rationem liberorum susceptorum ex pellicatu, sive adulterio, puta ex alia muliere, viva uxore legitima, ex pellice: hi non fiunt legitimi per subsequens matrimonium, et puta post mortem uxoris legitimæ cum pellice contractis nuptiis, cap. 6. inf. hoc t. quia, ut est in antiqua Decretali, cum ea, quæ fuit pellex, legitimum matrimonium non est, maxime si alteruter eorum conspiraverit in necem prioris, vel si ea viva primaiure, et turpiter inter se de futuro matrimonio depecti fuerint, de qua re diximus fusius supra de eo, qui dux. in matrim. quam poll. per adult.

AD CAP. *Cum inter.* II. et CAP. *Quod nobis.* IX.

Ostenditur hoc cap. 2. ex matrimonio solemniter et publice contracto in facie ecclesiæ, ut loquuntur, sine justo contradictore creatos, vel conceptos liberos esse legitimos, licet postea per causam cognationis diu celatæ, vel incognitæ, quam inter maritos intercedere apparuit, vel quam aliam ob causam, dissolutum sit matrimonium. Quod ita procedit, si uterque, vel si alteruter tempore contrahendi matrimonii, cognationis, vel alterius impedimenti fuerit ignarus, ut cap. pen. inf. nam si ambo scientes, prudentesque subesse impedimentum aliquod juris, puta cognatione se esse conjunctos intra quartum gradum, coierint in matrimonium : etiamsi id palam fecerint, nemine intercedente, nemine prohibente, qui ex ea conjunctione nati sunt liberi non sunt legitimi, cap. ult. §. pen. sup. de cland. despons. Ex quo loco etiam constat idem esse dicendum, si ignorantes causam impedimenti clam in matrimonium convenerint. Ignorantes, id est, qui se ignorare prætendunt : Nec enim credibile est ignorasse eos impedimentum, qui clam et occulte in matrimonium coibant. Cur enim clam si se peccare non putabant? Affectata nimis hæc ignorantia est, atque adeo defendi, vel excusari non potest, l. 6. C. de incest. nupt. cap. 2. de temp. ord. in 6. Alias vero, si nihil sit, quod impediat nuptias, ex clandestinis nuptiis suscepti liberi legitimi esse censentur, si postea nuptiæ ecclesiæ judicio comprobatæ et confirmatæ sint, cap. 9 inf. h. t. Restituenda autem etiam est ex antiquo libro inscriptio hujus cap. 2. quæ vulgo nulla extat, hoc modo: *Idem Canonicis, et universo clero, et populo Termulano*, qui est in Regno Neapolitano. Et plane congruit hæc inscriptio cum his verbis, quæ sunt in antiqua Decretali, *cum inter Joannem veterem concivem vestrum*, et infra : *quocirca universitati vestræ mandamus.*

AD CAP. *Transmissæ.* III.

In hoc cap. alumnus : qui se gerebat pro filio educatoris, post mortem viri et uxoris, ex quibus se natum esse dicebat, repellitur, si conjuges, dum vixerant, neque pro legitimo, neque pro illegitimo filio eum habuerint, et nullas ipse in contrarium afferat probationes idoneas : immo et in hoc genus judicii, filius est nec ne, descendere refugiat, ut hic proponitur, quamvis vicini, quorum opinio, aut sententia in ea causa nonnunquam spectatur, l. 6. in fi. de his, qui sunt sui, vel al. jur. l. Si vicinis, C. de nupt. in ea opinione fuerint, ut existimarent, eum educatori fuisse filium spurium, illo nullas implente probationes intentionis suæ, potius standum esse ei, quod vivi declararunt conjuges, quodve nunc mortuo viro declarat mulier superstes. De præjudicio illo, filius sit nec ne, quoniam huic quæstioni plerumque connexa est quæstio de jure matrimonii, Episcopus cognoscit, sive Archiepiscopus, ut proponitur in hoc cap. 3. At de petitione hæreditatis paternæ, quam filius hic ponitur instituisse adversus alumnum, qui ex ea hæreditate aliquid pro hærede possidebat, ne existimes cognoscere potuisse Episcopum, vel Archiepiscopum, quoniam hujus quæstionis cognitio pertinet ad judicem secularem, cap. 5. inf. et dixi jam supra in cap. 1.

AD CAP. *Causam.* IV. et CAP. *Causam.* VII.

Cum cap. 4. conjungendum est cap. 7. inf. quod et præcedere debuit, et cum cap. 3. de dol. et contumac. et cum cap. 17. de off. jud. deleg. Hæc quatuor capitula pertinent ad eandem causam, et speciem, nempe ad hanc, quam exponam. Tancredus exposuit male. Duo erant fratres (mutabo nomina tantum, quod nomina quæ vertuntur in hac specie, sunt incomta satis, et confusa) Primus, et Secundus. Primo filia erat Agatha (hoc solum nomen retinebo) sed vitio filia, filia nempe adulterina, quam susceperat ex aliena uxore. Eidem Primo ex hac filia erat nepos Lucius Titius legitimo matrimonio Agathæ, et Caji procreatus, quem Primus peregre proficiscens reliquit in possessione bonorum suorum. Peregre autem intestato defuncto. Primo, de hæreditate ejus orta est controversia inter Secundum fratrem defuncti, id est, Primi, et Lucium Titium nepotem ex filia, forte jam defuncta Agatha matre. Et priusquam ea controversia in judicium deduceretur, Secundus Lucium Titium si dejecit de possessione bonorum defuncti fratris. Res controvertebatur in Anglia inter magnos et nobiles viros, ex quibus Lucius Titius per vim possessione dejectus cum ad Alexandrum Tertium confugisset, Alexander primum scripsit Londinensi, Exoniensi, et Vintoniensi, Episcopis, sic emendanda est inscriptio, cap. 7. inf. scripsit, inquam, iis tribus Episcopis Angliæ, ut priusquam ageretur de hæreditate Lucio Titio per vim possessione dejecto redintegrarent, et reformarent possessionem, juxta regulam utroque jure receptam, spoliatum ante omnem contentionem celeriter esse restituendum, etiam prædonem, cap. 5. de restit. spol. Hoc vero cum intellexisset Henricus secundus Anglorum rex, Pontificem causam possessionis remisisse ad illos tres Episcopos, id non tulit æquo animo, quoniam sibi jura sua a Pontifice præripi sensit : neque enim ad Episcopos pertinet cognitio de possessione : possessio, inquiunt, est res temporalis, res secularis, sed pertinet ad Principem, vel judicem a Principe constitutum, etiamsi agatur, quo jure utimur, de rei, aut beneficii ecclesiastici momentaria possessione per interdictum unde vi, vel uti possidetis, vel utrubi. Imo si jus antiquum spectas quacunque de re agatur nulla est jurisdictio, nullum forum Episcoporum Valentiniano auctore in Novel. de episcop. judic. At jure antiquo sublato tandem jurisdictio Episcoporum cœpit esse maxima, tamen,

quod cognitio de possessione Principibus erepta non est, nec quod et hanc quoque sibi Pontifices vindicare non tentaverint, sed quod Principes semper hac in re habuerint adversos, et in *cap.* 7. etiam causam possessionis non nisi coactus Alexander III. ad regem Anglorum remittit, ut ei satisfaciat, ut eum placet. Et similiter Martinus V. apud Guidonem Papam *decis.* 1. ubi refertur illius constitutio integra, causam de possessione Carolo VII. Francorum regi reliquit disceptandam, non quasi sua cognitio non sit, sed quod, ut ibidem significatur, usu longævo receptum hoc esset, ut in Francia Ecclesiastici de possessione judicarent, etiamsi, cum quæstio ei conjuncta eique connexa, vel ex ea dependens pertineret ad cognitionem ecclesiæ. Proinde Alexander in *cap.* 7. Episcopis supradictis, mutata sententia, aufert cognitionem de possessione, et mandat tantum quæstionem de matrimonio, ut cognoscant Agatham Primus susceperit ex legitimo matrimonio, an ex adulterino et probroso concubitu. Non omittam, quod hic notat Hostiensis, cessisse Alexandrum III. Henrico II Anglorum regi in causa possessionis, quod tum liberum esset regnum Angliæ, et optima lege, optimo jure possideretur, nec cognosceret Romanum Pontificem. At sua ætate, qua Joannes rex Angliæ, et Hyberniæ cesserat Innocentio III. ita ut deinceps regnum teneret non suo jure, non optimo jure, sed feudi nomine a Romano Pontifice sub certo vectigali, cujus cessionis formula extat apud Matthæum Westmonasteriensem *lib.* 2. *Hist.* et apud Matthæum Paridem in Joanne, putat Hostiensis nihil derogaturum juri regio fuisse Pontificem maximum, si usurpasset etiam cognitionem de causa possessionis quia tum Pontifex ipse potius rex erat Anglorum, quam Joannes, qui id possidebat nomine Pontificum. Verum ad rem. Cum de statu sive conditione Agathæ adulterina esset, an legitima, sive quæstionem de natalibus Agathæ Pontifex delegasset supradictis Episcopis Londinensi, Exoniensi, Vintoniensi, postea removit Londinensem, quod suspectus esset Secundo, ob id quod Lucius Titius sub ejus Episcopi dominio agebat tanquam homo beneficiarius, *il estoit son vassal*, quæ causa recusandi judicis justa est, et valde notanda, et illo remoto in locum ejus substituit Abbatem Fordensem, *c.* 17. *sup. de off. del.* quibus mandat, hic scilicet Abbati, et duobus Episcopis Exoniensi, et Vintoniensi, ut si eis legitime constiterit, Agatham ex adulterio natam esse, pronuntient, eam non fuisse Primi filiam legitimam, atque ideo nec nepotem ex ea Lucium Titium Primo fuisse nepotem legitimum. Et hæc pars epistolæ Alexandri proponitur in hoc *cap.* 4. Porro his eadem Epistola addidit Pontifex, quod est in *cap.* 3. *de dol. et contum.* ut supradicti judices delegati, duo Episcopi, et Abbas, ea de re cognoscant etiam absente Secundo petitore hæreditatis fraternæ, si modo legitimo eum evocaverint servato more et ordine judiciorum, vel procuratorem ejus, denuntiationibus ad domum ejus affixis, ut fieri solet in aliis plerisque causis, quemadmodum docet Observatio 7. *cap.* 16, vel etiam ad ecclesiam parochialem ejus, qui latitat. *cap. ult. de dol. et contum. cap. ex tuæ sup. de cleric. non resid.* Hæc est hujus causæ brevis explicatio. At inscriptionem *cap.* 4. sic emendato ex veteribus Idem Exoniensi, et Vintoniensi Episcopis et Abbati Fordensi, non Erophordiensi, quem fuisse Cisterciensis ordinis Matthæus Westmonasteriensis, et Matthæus Paris scribunt.

AD CAP. *Lator.* V.

Sic in inscriptione hujus capituli pro Herefordensi legendum est, Abbati Fordensi, ut in *cap. prox. sup.* Et si autem de hoc capitulo 5. satis forte videar dixisse in cap. 4. hoc tamen addam breviter. Si partem hæreditatis avi mei petam a patruo meo, qui eam possidet ex asse, et is, ut me ab ea hæreditate plane repellat, objiciat mihi, patrem meum, qui avo meo, suo patri hæres extiterit pro parte, non fuisse legitimum filium hæc quæstio natalium cum sit præjudicialis, prius definiri debet, et cum sit spiritualis a judice ecclesiastico definiri debet, ut in *cap.* 1. 3. et 7. *h. t.* et *cap. pen. sup. de ord. cogn.* deinde quæstio hæreditatis definienda est a judice seculari: distinguendam esse jurisdictionem ecclesiasticam a seculari, et suum cuique jus servandum. At quæso, cur non etiam quæstio natalium disceptatur a judice seculari cum inciderit in quæstionem de hæreditate, sicut legimus, eum, qui non potest cognoscere de statu capitis, si ea quæstio inciderit in quæstionem de hæreditate, et de statu cognoscere posse, *l.* 3. *C. de judic. l.* 1. *C. de ord. jud.* quæ de re non possunt cognoscere principaliter, possunt cognoscere incidenter, ut loquuntur. Quid dicemus? Equidem dicerem, verum quidem hoc esse, quod adstruunt *d. l.* 3, et *d. l.* 1. si utraque quæstio sit civilis, ut in illis locis, quæ principaliter movetur, et quæ incidit in principalem: at ubi principalis quæstio civilis est, ea vero, quæ incidit spiritualis, non potest utraque eundem habere judicem, nec ullo modo, ullove prætextu spiritualis definiri a judice seculari: causa natalium est spiritualis, puta, sit ne quis legitimis natalibus ortus, quia de matrimonio est, ex quo is, de cujus natalibus quæritur legitimo contracto se prognatum esse dicit, neque enim quisquam est legitimus, nisi qui ex justis nuptiis prognatus est, et ut pater, ita et filius legitimus is tantum est, quem legitimæ nuptiæ demonstrent, *l.* 5. *de in jus voc. cap.* 6. et 7. jam exposui, *cap.* etiam etiam 9.

AD CAP. *Perlatum.* VIII. et CAP. *Referente.* X.

Certum est, non posse mulierem propter absentiam mariti, si septennio, vel longiore tempore maritus abfuerit peregre, non posse, inquam, alii nubere, antequam certum de morte mariti nuntium acceperit, *c.* 19. *de sponsal.* Verum huic juri hæc adhibetur moderatio in hoc *cap.* 8. sive exceptio, nisi, quæ est species hujus cap. maritum Vincentia, ubi ei erat domicilium matrimonii Constantinopolim profectum ibique degentem mulier expectaverit jam per decennium, et post decennium jussu Episcopi Vincentini a cognatis suis admonitus diu adhuc expectatus non venerit, ac tum instante muliere, quæ dicebat, se non posse amplius illum expectare, Episcopus permiserit mulieri alii nubere dissoluto priori conjugio. Namque hoc casu posteriores nuptiæ justæ sunt, et liberi ex eis procreati justi liberi. Hæc est sententia hujus cap. 8. Permissio ecclesiæ venia ecclesiæ, justas nuptias, et justos liberos facit ut *cap.* 10. ad quod transeo. Additur in hoc cap. ignorantiam patris, qui scilicet per errorem fecit nuptias illicitas, excusare liberos natos ex hisce nuptiis, ut *cap.* 2. *sup. et cap. pen. inf.* et *cap. ult.* §. *pen. de cland. desp.* At si sciens pater fecerit nuptias cum ea, quam publicæ honestatis justitia, ut ait in hoc cap. vetat uxorem duci, veluti cum cognata prioris cujusdam sponsæ suæ, ut *cap.* 3. et 8. *sup. de sponsal. cap.* 6. *in fin.* et *cap.* 12. *sup. de desp. impub.* idque fecerit sciens, ut dixi, sine permissu et venia ecclesiæ, proculdubio ex ea conjunctione nati liberi non erunt legitimi. Hodie ex concilio Tridentino judicarentur legitimi, si vel sponsalia cum priore contracta non valerent: vel nisi valerent, nec posterior mulier prioris esset cognata primo gradu, sed secundo, vel tertio, quia ultra primum gradum noluit concilium Tridentinum justitiæ publicæ honestatis rationem haberi, justitiam publicæ honestatis impedire nuptias. Olim, quod notandum, tam lata patebat prohibitio nuptiarum ratione justitiæ publicæ honestatis quam ratione cognationis, vel affinitatis. Nam et veluti affinitas quædam est necessitudo, sive propinquitas, quam justitia publicæ honestatis inducit. Ea erat, ut definiam breviter, quæ contrahebatur ex sponsalibus de futuro conjugio inter sponsum, et cognatos sponsæ, et retro inter sponsam, et cognatos sponsi, nec semel contracta dissolvebatur, non secutis nuptiis inter sponsos, aut ruptis sponsalibus *cap.* 1. et 2. *de sponsal. in* 6. Nomen, ut Aquinas docet, publicæ honestatis, ex eo ducebatur quod ea justitia ab ecclesia instituta esset propter honestatem nudam, ab ecclesia, id est, a Pontificibus, qui non contenti per causam cognationis, et affinitatis, et fictitiæ cujusdam cognationis spiritualis longissime porrexisse prohibitionem nuptiarum, et hanc causam superadjecerunt, sub specie publicæ honestatis privatim a se confictæ, cujus vim, quod ad nuptias inhibendas attinet, non minorem esse volebant, quam cognationis vel affinitatis: sed hoc merito, ut dixi, sustulit pene concilium Tridentinum.

AD CAP. *Pervenit.* XI.

Ostenditur in hoc cap. post mortem viri et uxoris qui inter se vixerunt sine querela; sine animi læsura, ut est in antiquis inscriptionibus, quibusque vivis de eorum matrimonio nemo controversiam movit, ac si non esset legitimum, aut in ecclesia legitime celebratum. Potest aliquid legitime fieri, nec tamen esse legitimum: legitime constabat eos celebrasse matrimonium palam in conspectu ecclesiæ solemnibus omnibus adhibitis: sed et nemo quamdiu vixerant, id non fuisse legitimum dixit. Et ita quidem si res se ita habeat, post mortem eorum, ut hic ostenditur, non potest quæri de filiis ex eo matrimonio progenitis, an legitimi sint, quod et in fine cap. 7. ostenditur, dum ait, satis incongruum videri, ut defunctæ mulieris matrimonium impetatur, quod ea vivente non fuit impetitum. Nec temere igitur audiendi sunt, qui id impetunt, nisi forte probent perquam evidenter, ne matrimonium quidem ullum inter eos fuisse, ut in *cap.* 7. inter Primum, et uxorem alienam, vel nisi probent scientes prudentesque cognatos coiisse in matrimonium illicitum, et incestum, ut hic Innocentius notat, et potest hic casus trahi ad *cap.* 5. *sup.* Restat ut inscriptio restituatur, quæ deest huic cap. hoc modo: *Idem Lincolniensi Episcopo, et Abbati*: deest in veteribus libris nomen monasterii. Iterabo sententiam cap. 11. ut eam dilucidiorem faciam. Sententia hujus *cap.* hæc est. Post mortem viri et uxoris, quorum matrimonium, quod legitime factum erat, quamdiu vixerit nemo impugnavit, ac si non esset legitimum: ea de re quæri non potest, et nec de liberis igitur ex eo matrimonio natis, an sint legitimi: quod et significatur in fine *cap.* 7. dum ait, satis incongruum videri, et absurdum, ut defunctæ mulieris matrimonium impetatur, quod ea vivente non fuit impetitum. Potuisset vivo utroque conjuge, vel etiam altero tantum forte vivo, matrimonium accusari, quasi non legitimum, etiamsi legitime factum esset: nam etsi factum sit legitime, potuit tamen non esse legitimum; ut de baptismo Donatistarum B. Augustinus scribit *cap.* 5. *de baptismo contra Donatist.* baptismum eorum esse legitimum, sed non fieri legitime. At, ut definitur in hoc cap. non sunt temere audiendi, qui accusant matrimonium legitime factum post conjugum mortem, quod eis superstitibus nemo accusavit, quasi illegitimum, forte ut filium, vel filiam ex eo matrimonio natum natamve repellant a parentum bonis, quoniam serius accedunt ad accusationem: aliquando tamen, quod non potest negari, eos audiri constat ex *cap.* 5. 7. et *pen. h. t.* ut puta, si adulterio eos, non matrimonio conjunctos fuisse dicant, quamquam id etiam hoc casu satisfiat incongrue, ut ait in *d. cap.* 7.

AD CAP. *Per tuas.* XII.

Lucius Titius ex Seja, quam habuit in concubinatu, ut vicinorum opinio ferebat, suscepit filium: post dimissa Seja duxit uxorem Cajam, et mox Caja defuncta Semproniam. Seja quoque, quam dimiserat, nupsit alteri. At postea Lucius Titius juratus affirmavit, Sejam

sibi non concubinam, sed legitimam uxorem fuisse; et testamento filium ex ea susceptum hæredem instituit, et filium legitimum nominavit. Idem etiam forte Seja dicebat. Et standum esse videtur verbo viri et mulieris, ut in specie cap. 3. sup. Quod tamen in proposita specie dici non potest, quia etsi verbotenus id dixerit, re tamen ipsa Lucius Titius aliam uxorem ducendo viva Seja, et Seja alii nubendo, negarunt se matrimonio fuisse conjunctos. Unde nec hoc solo argumento filius censetur esse legitimus, quod dixerint eum esse legitimum, ut l. Non nudis. C. de probat. sed quia filius ipse productis testibus idoneis, probavit, Lucium Titium patrem suum Sejæ matri suæ palam in conspectu ecclesiæ fidem dedisse, vel de præsenti conjugio, vel de futuro, nihil refert, videlicet si, ut in hac specie, fidem de futuro conjugio secutus sit concubitus, quia et sponsalia de futuro pro matrimonio habentur secuto concubitu, non minus quam sponsalia de præsenti, cap. 15. 21. 30. sup. de sponsal. cap. 3. de condit. appos. cap. 2. 3. et 4. de conjug. serv. Est elegans quæstio hujus cap.

AD CAP. *Per venerabilem.* XIII.

Celeberrima est hæc constitutio. Quidam nobilis dominus Montis Pessulani in Gallia Narbonensi, quæ novissime appellata Gothia, vel Landgothia, quod diutissime eam Gothi insederint, dimissa uxore legitima aliam superinduxit, ex qua liberos procreavit: quia adulterini erant, demississime postulabat ab Innocentio tertio legitimos fieri, ut sibi hæredes esse possent. Cui priusquam respondeat Pontifex, docet, jus sibi esse faciendi legitimos liberos, non tantum susceptos ex concubinatu, qui proprie dicuntur naturales, vel nothi, sed etiam susceptos ex adulterio, qui naturales non sunt, vel nothi, sed pejore conditione: et non tantum ad actus spirituales, puta ut Presbyteri, et Episcopi fieri possint, sed et eos ad seculares sive temporales, ut loquuntur, puta ut honoribus secularibus fungi possint, et ut parentibus suis hæredes consistere possint. Quod tamen sibi soli Principes adrogabant, ut possent legitimos facere ad actus seculares. Sed argumentatur Pontifex a majori ad minus hoc modo: Si Pontifex potest aliquem legitimum facere ad actus spirituales, veluti ad Episcopatum obtinendum, qui actus longe præstantiores sunt, et ad actus seculares igitur: quæ tamen argumentatio sæpe fallit in confirmando: neque enim ita recte conficies: potest præses provinciæ gladio animadvertere, et deportare in insulam igitur: hæc enim conclusio est falsa, nec cui licet majus, semper etiam ei licet minus l. 6. §. Qui universas. de off. præsid. l. 6. de interdict. et relegat. Argumentatur etiam Pontifex a similibus: similia hæc sunt, Episcopum ex filiofamilias fieri sui juris, Episcopum ex servo fieri liberum, et Episcopum ex illegitimo fieri legitimum. Atqui Episcopus ex filiofamilias fit sui juris, ut constat ex Novella Justiniani 81. Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus, quem sciens prudensque Episcopum fecit Presbyterum, aut Diaconum, ex servo fit liber, etiamsi id fecerit ignorante domino, cui tamen damnum exsarcire debet, can. si servus absente, 54. distinct. contra quam definitur in Nov. 123. cujus statim sententia subjicitur d. c. Si servus absente: Ergo Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus ex illegitimo etiam fiet omnino legitimus, qui factus erit Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus. Quod nihil aliud est, quam si dicas, eum, qui factus est legitimus ad actus ecclesiasticos, etiam ad actus hujus seculi eadem opera factum legitimum videri, et dum illud præstat Pontifex, et concedit, et hoc eum concessisse videri. Denique consequens est, ut qui illud potest, et hoc quoque possit. At hæc Innocentius III. in hoc cap. adjicit, saltem in ecclesia, et sancti Petri patrimonio, in quo ipse non tantum est summus Pontifex, sed etiam summus Princeps, *Seigneur temporel*, sibi, tanquam Principi filios illegitimos legitimos facere licere, etiam ad seculares actus. Patrimonium illud S. Petri, quod vocant, pars Hetruriæ est, quam Mathildis Comitissa donavit Romano Pontifici: de qua donatione nonnihil Accursius scribit in l. Sed et si suscepit. §. pen. in verba modico, de judic. Idem sibi non licere Innocentius fatetur in aliorum dominio sive territorio, in aliis regionibus nisi ex casu, inquit, ex accidenti, puta si eo nomine adeatur, et rogetur, ut aliquem faciat legitimum ad secularia negotia exercenda, secularia ve jura obtinenda: quemadmodum et initio proponitur: illum fuisse rogatum a nobili illo Montis Pessulani, ut filium, quem ex adulterio crearat, donaret legitimis natalibus. Idque nobilis ille subjectissime postulavit sibi dari ad exemplum Philippi Augusti Francorum regis, cui idem Pontifex, cum dimissa uxore legitima Isenberga sorore regis Daniæ, duxisset in matrimonium Agnem filiam ducis Moraviæ, et ex ea suscepisset Philippum et Mariam, speciali beneficio hoc indulserat, ut etsi Philippus et Maria legitimi non essent, qui nati erant ex posteriore uxore vivo priore (et ex adulterio igitur potius, quam ex matrimonio) quam et postea rex Philippus reducere coactus est rejecta Agnete, Franciæ regno ob eam rem sacris interdicto, legitimi tamen censerentur, et essent: cujus indulgentiæ formula extat in registro Innocentii III. quod penes me est. Philippus ille postea fuit Comes Bononiæ in Belgica, *de Boulogne la Grasse*, et Maria nupsit Comiti Lovaniensi, id est, Comiti Brabantiæ. Philippus autem Augustus ex Isenberga prima omnium uxore, quam duxerat antequam perveniret ad regnum, filia Comitis Hannoviæ, *de Hainault*, suscepit Ludovicum VIII. qui tanquam primogenitus ei successit in regno, ex quo deinde ortus est S. Ludovicus. Nobilis ille utebatur exemplo supradicto ad hunc modum. Philippus Augustus dimissa uxore legitima duxit aliam, et ex ea liberos suscepit, quos tu legitimos fecisti: peto ut etiam liberos, quos suscepi ex ea muliere, quam superinduxi vivo priore a me dimissa, facias legitimos. Eadem videbatur esse causa utriusque. At Pontifex hoc loco docet, longe aliam esse causam regis Francorum, aliam illius nobilis. Nam Rex Francorum in spiritualibus alium superiorem non agnoscit, quam Romanum Episcopum, in temporalibus neminem, nec Romanum Episcopum, nec imperatorem: quod privilegium etiam habere regem Hispaniarum Scholiastes tentat in cap. Adrianus 63. dist. et alii. Idem etiam privilegium habere Rempubl. Venetorum affirmat Stephanus de Garibay lib. 2. histor. Hispan. cap. 7. At nobilis ille in spiritualibus atque etiam temporalibus superiorem, sine cujus offensa et injuria non potuit hac de re illo præterito adire Romanum Pontificem, habuit Episcopum Magalonensem, sic dictum ab insula Magalona, ubi est ecclesia Episcopalis etiam hodie e regione Montis pessulani, *de Montpellier*, quo fit, ut hodie dicatur Episcopus Montis Pessulani, quam civitatem, ut et hoc obiter dicam, falso Volaterranus scribit esse Agatopolin, est enim Agathopolis, quæ hodie vulgo *Agde*, civitas etiam Episcopalis, *l'Evesque d'Agde*. Debuit ergo ille nobilis hac de re adire Episcopum Magalonensem non Romanum Pontificem. Item Rex Franciæ dimisit Isenbergam ex sententia Gulielmi Remensis Archiepiscopi, et Cardinalis S. Sabinæ in Francia legati Romani Pontificis, qui quidem Archiepiscopus avunculus erat regis. At ille nobilis dimisit legitimam uxorem sua auctoritate perquam temere, sine venia ecclesiæ. Item Rex post dimissam Isenbergam nunquam fuit prohibitus aliam uxorem ducere: nobilis, ille fuit prohibitus, nec paruit ecclesiæ. Ac præterea ex causa, vel obtentu affinitatis testibus aliquatenus comprobatæ apud Remensem Archiepiscopum Rex Isenbergam dimittere jussus est, quæ sententia rescissa quidem est a Romano Pontifice, sed ob id solum, quod lata esset non observato ordine judiciorum, non vitio quodam ipsius causæ sive litis manifesto; at nobilis ille nullam divortii causam, vel speciem justam habuit, vel allegavit; ac plane igitur adulterium est manifestum, quod cum alia muliere fecit, quæ res non solvit prius matrimonium, nisi quod ad lectum, cui facta est injuria, siquidem hoc adulterio a viro commisso uxor ab eo sejungi velit: nam hæc separatio fit, quod ad lectum duntaxat, integro manente jure matrimonii, cap. 4. sup. de eo, qui dux. in mat. cap. 9. sup. de sponsal. can. qualis. 30. q. 5. Ex his vero apparet, majorem esse rationem, liberos regis Philippi ex secundo quasi matrimonio donare jure legitimorum liberorum, quam liberos illius nobilis, quia hos constabat esse illegitimos, id est, adulterinos: de liberis Regis justa fuit dubitandi ratio. Unde et liberis illius nobilis Innocentius denegat justorum liberorum jus, fretus eo, quod etiam lex Dei manzerem, et spurium (idem utroque nomine significatur) detestatur, et abhorret, puta natum ex probroso, et lege divina damnato coitu, et detestatur adeo, ut vetet tanquam immundum ingredi in ecclesiam Domini usque ad decimam generationem, id est, nunquam ingredi, Deut. 23. ubi etiam manzer appellatur Hebraico vocabulo. At multum interest, ea lingua Manzur, vel Mansur dicas, vel Manzer, ut Cedrenus docet in Leone Isaurico: nam Manzer est is, quem diximus manzur est, qui Græce λυτρωτὸς dicitur, ut apud Cedrenum legendum esse constat ex Anastasio Bibliothecario, id est redemptus seu λυτρωθεὶς. Spurios quoque non posse promoveri ad sacros ordines constat sine venia magni Pontificis ex cap. consuluit, sup. de serv. non ordin. cap. pen. sup. de fil. presbyt. Constat etiam jure civili non esse eos pascendos a patre, Nov. 89. §. ult. quod tamen probari non videtur in c. 5. in fine, de eo, qui dux. in matr. Et sane non probatur in iis, qui ex stupro nati sunt, ex libero lectulo, ex vulgivaga Venere, ex scorto: nam si ex adulterio, puta vivo uxore legitima, vel ex incestu, Novellam Justiniani potius esse sequendam Baldus opinatur recte in Auth. ex complexu, C. de incest. nupt. Quamobrem recte dixeris, quod datur legitimis in cap. 9. sup. puta, ut non tantum parentibus hæredes existant, sed etiam, ut ab eis alantur, ex contrario sensu utcunque illegitimis, non quibuscunque, sed adulterinis, vel incestis denegandum esse. Et hæc dicimus tantum de patre, si quæratur an pater illegitimos alere debeat. Nam ut ad matris hæreditatem illegitimi admittuntur l. Si suspecto. §. 1. de inoff. testam. §. pen. Instit. de Senatuscons. Orphit. ita a matre pascendi, et exhibendi esse videntur. Verum, quod notandum, ut matri hæredes existant, id datum tantum est spuriis, id est, nothis, ex vulgivaga Venere natis, non adulterinis, vel incestis. Ergo et quod inde sequitur, ut a matre exhibeantur spurii, non videtur esse producendum ad adulterinos, vel incestos. Ad rem: ubi satis ostendit, Pontifex in hoc c. spuriorum (quo nomine etiam intelligit susceptos ex adulterio, ut patet ex specie in hoc capit. proposita, quæ est de adulterinis, et multo magis susceptos ex incestu) ubi, inquam, satis ostendit, deterrimam esse eorum conditionem, quod lex Dei eos abhorreat, et vetet ingredi in ecclesiam, quod non possint promoveri ad sacros ordines, quod jure civili exhibendi non sint; tandem statuit, eos temere producendos non esse ad jus dignitatemque legitimorum liberorum. De naturalibus, vel nothis non loquitur in hoc c. hi sunt, qui ex concubinatu, qui coitio olim erat legitima, nascuntur, qui etsi ipsi non sint legitimi, tamen facile variisque modis legitimi fieri possunt, qui referuntur in Novel. Justin. sed loquitur de spuriis, quos et Hebraice *manzeres* vocat: hi sunt, qui ex adulterio, vel stupro, vel ex incestu nascuntur, nec facile, aut temere legitimi fiunt. Mitto locos scripturæ sacræ, quos detorquet Pontifex in hoc c. ad sedem Romanam, ut ostendat excellentem ab omnibus eminentem ejus potestatem, locum illum unicum esse, quem elegerit Dominus, etiam ejus rei confirmandæ gratia, elato eo, quod vulgo fertur de S. Petro, nec tamen consentit cum historia Ecclesiastica, et unum etiam duntaxat testem habet Ambrosium epist. 32. Petrum passionis evitandæ causa hortantibus fratribus Roma egredientem noctu vidisse Dominum in eam ingredientem, eumque rogasse, Domine, quo venis? et responsum accepisse. Ve-

nio iterum crucifigi: et mos Patrum intelligentem id ad suam crucem pertinere, quam et Dominus, ut est in Evangelio Joannis, ei priusquam ascenderet in cælum prædixerat subiturum, in Urbem redisse. Quorsum enim hoc, inquit Pontifex, nisi quod Roma locus est, quem elegit Dominus: hæc vobis excutienda relinquo. Mitto etiam quod notant ex hoc c. regem ipsum, qui neminem superiorem cognoscit, filios suos illegitimos legitimos facere posse, non tanquam patrem filios, sed tanquam principem subditos, ut hodie etiam filius, vel frater regis cum scribit ad regem, vel fratrem, se subditum ejus vocat: immo et mater: hoc mitto, quia id iis non decernitur in hoc cap. sed refertur tantum: hanc quorundam DD. fuisse opinionem, ut verba illa indicant, *videretur aliquibus, quod per seipsum, non tanquam pater cum filiis, sed tanquam princeps cum subditis, potuit dispensare etc.* Quamobrem et Rex tutius esse censuit Romanum adire Pontificem.

AD CAP. *Ex tenore*. Pen.

Mater, quæ gerebat tutelam filii impuberis a possessore injusto petiit hæreditatem, quæ ab avo ad patrem ejus, maritum suum pervenerat, et a patre ad filium successionis jure. Excipit possessor, patrem pupilli sui non fuisse legitimum hæredem avi patris sui, eo quod ex adulterio avus eum suscepisset, puta ex alia muliere cum ea contractis nuptiis viva priore uxore: at quia id fecerat inscia (quod notandum) posteriori uxore, et palam in conspectu ecclesiæ, recte decernit Pontifex, ignorantiam mulieris pupillum excusare, ignorantiam secundæ uxoris, ut *cap.* 2. ut *cap.* 10. *sup. cap. ult.* §. *de cland. desponsat.* et ideo pupillum esse legitimum, nec indigere beneficio principis.

AD CAP. *Gaudemus*. Ult.

Est hoc cap. quod et Scholiastes notat pars. *cap. pro. inf. de divort.* quo cum constituisset, baptisma non dissolvere matrimonium rite contractum inter paganos paganorum more, etiamsi eo gradu cognationis conjuncti sint, quo Christianis matrimonium contrahere inter se non licet, puta secundo, tertio, quarto gradu, ut *cap.* 4. *sup. de consang. et aff.* et sobolem quoque eorum esse legitimam hoc loco definitur.

AD TITULUM XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.

AD CAP. *Relatum*. I. CAP. *A nobis*. II. CAP. *In super*. IV. CAP. *Significante*. Pen. et CAP. *Cum in tua*. Ult.

Quantum apparet ex verbis hujus tituli, hic titul. est de accusatoribus, qui matrimonium, aut nullum, aut non legitimum esse arguunt, et de testibus, qui contra matrimonium producuntur. Idoneos et legitimos tam hos quam illos esse oportet, *cap.* 1. *hoc. tit.* alioqui removentur, et refelluntur: ut, qui tempore contracti matrimonii causam legitimam impediendi matrimonii sciverunt, et occultaverunt, maxime ecclesiæ bannis sive denuntiationibus solemnibus commoniti; quia non sunt idonei, repelluntur, *cap. ult. inf. hoc t. cap.* 8. *de testib. in prima collectione, cap.* 3. *qui matr. accus. poss. in eadem collectione*, ubi et cum dixisset grave esse eos audire, quos tempore contracti matrimonii impedimentum scivisse, et siluisse constiterit, subjicit satis elegantem rationem, quia tolerabilius est aliquos contra statuta hominum copulatos, ita relinquere copulatos quam conjunctos quoslibet contra statuta Domini separari, quæ verba etiam usurpat Innoc. in *cap. ult de testib. in* 4. *collect.* et in *Decret. quadam*, quam habeo, directa ad Comitem Nivernensem. Quibus autem tempore contracti matrimonii incognita erat causa impediendi matrimonii, ut qui tum nesciebant, quæ est species *cap.* 1. generum a socero imbutum fuisse sacro lavacro, sacro baptismo, quæ causa olim fuit idonea impediendi matrimonii, filiam susceptoris scilicet, et filiam susceptoris, *cap.* 1. 3. et *pen. sup. de cogn. spir. cap.* 1. *eod. t. in* 6. *can. post. susceptum, can. non oportet*, 30. *quæst.* 3. hi vero ad accusandum matrimonium, vel testimonium ferendum contra matrimonium, quia idonei nec suspecti sunt, admittuntur, et quod singulare esse videtur, recipiuntur etiam hi testes μονομερῶς, id est, altera parte absente, ex *cap.* 1. *hujus t.* Item, qui non voce propria, sed per tabellam conjectam in cistam huic rei forte paratam accusant matrimonium, vel contra matrimonium dicunt, non sunt idonei, *cap.* 1. *hoc. tit. cap. per scripta*, 2 *qu.* 9. qui voce propria sunt idonei. Tabella occultat sæpe vitiosam, et calumniosam accusationem. Et inde recte in *l. ult. C. de accusat.* ut accusatores ipsi in judicium veniant, ut igitur per se accusent, non per procuratorem, ut *l. Tunc constat, C. eod. t. l. pen.* §. *ult. de publ. judic.* non etiam per tabellam, quod tamen, audio fieri in Hispania, et venari vehementer homines, sumpto tantum argumento ex tabella, quam quis in cistam, quam huic rei paratam ecclesiastici habent, conjecerit, quod est contra jus omne, divinum et humanum. Non est etiam vox ejus, qui suum ipse matrimonium accusat, ab eo se expedire cupiens, et ad aliud pervenire, admittenda, *cap.* 2. *in prima collectione, cap.* 2. *eod. t. in secunda.* Unde ex sententia *cap.* 4. *hujus t.* puella, cui quis fidem dedit impuberi, et quam puberem factam postea vitiavit, cognovitque sæpius, non admittitur, si dicat et probet, se ab initio dissensisse, quia etiamsi hoc verum est, tamen consummatio matrimonii satis demonstrat, in eo dissensu eam non perseverasse, quæ libenter præbuit se viro: ante pubertatem, et concubitum potuit dissentire, vel allegare dissensum, non post concubitum: quia nec alia quocunque prætextu matrimonium impetere, incusare, impugnare potest, *can.* 15. 21. *quæst.* 3. *cap.* 15. 21. 30 *de sponsal. cap.* 6. *sup. de condit. appos. cap.* 7. *de despons. impub.* Unum omisi supra, quod nunc reponam: quod diximus de iis, quibus incognitum erat impedimentum tempore contracti matrimonii, vel post contractum matrimonium, si id acnnsent cognito impedimento, vel si contra illud testimonium dicant, idoneos esse accusatores, et idoneos testes, et audiri atque recipi, idem omnino dicendum est de iis, quibus cognitum erat impedimentum, si tempore contracti matrimonii peregre abfuerint, vel si tuno temporis per valetudinem matrimonium coarguere non potuerint, *cap ult. inf. hoc. t.* Illis nunc addamus, idoneum accusatorem non esse matrimonii, etiam illum satis evidenter ostendere qui accepta pecunia paratum se esse dicit ab accusatione desistere, *cap. pen. inf. hoc tit.* qui et omnimodo repellendus, quia ut ibi ait, non est indulgendum malitiis hominum, quod sumpsit ex *l. In fundo. de rei vind.* Paucis complexus sum omnia capitula hujus tit. excepto cap. 3 de quo nunc dicendum.

AD CAP. *Videtur*. III.

Hoc. c. pars est *can. videtur*, 35 *q.* 6 ex qua intelligimus in causa matrimonii, cum quæritur justum sit necne, et an ulla subsit ratione cognationis ullius causa impediendi, vel dirimendi matrimonii, jure singulari hoc esse receptum ut parentes, et fratres, et cognati utriusque sexus testes sint idonei, quia nulli sunt, qui de cognatione rectius testimonium ferre possint, vel de matrimonio, propterea quod matrimonium sine consensu parentum non fit, in quorum potestate sunt ii, qui coeunt, immo nec a puella plerumque sine consensu cognatorum, ut *l. Viduæ. l. In conjunctione, C. de nupt. can* 1 30. *q.* 5 *cap.* 1. *de despons. impub. in tertia collectione.* Et quod ait in hoc cap. 3 legibus hoc esse comprobatum, ut propinqui, et necessarii testes recipiantur in causa matrimonii, hoc inquam, legibus esse comprobatum, petendum esse puto ex eo, quod et propinqui necessariique matrimonii violati maxime idonei accusatores sunt, *l. Quamvis. C. ad leg. Jul. de adult.* et matrimonii illegitimi cur non etiam similiter? Eadem vero est conditio accusatorum et testium, qui testificari possunt etiam accusare vel denuntiare possunt, ac similiter, qui non possunt, testificari, nec accusare: et retro, qui non possunt accusare, nec testificari: nam et accusator, vel denuntiator habetur quodammodo pro uno teste, *cap* 4. *sup. de testib.* quod tamen uti sit accipiendum rectissime declaratur in *cap.* 1. *de consang. et affin. in quarta collectione.* Et ut tabellæ testis fides non habetur, sed testi: testi, inquam, non testimonio, quia testis ipse producendus, testes ipsi producendi, non dicta eorum duntaxat recitanda sunt, et hoc est, quod dicitur testibus non testimoniis esse credendum, non tabellis, *l.* 3 § *Idem Divus. de testib. et Nov.* 73. et *cap. tua nobis sup. de cohab. cler. et mul.* ita tabellæ accusatoris non comparentis nulla habetur ratio: inducitur tamen ex ea in præsumptio qualis qualis, c. 2. *hoc tit.* sicut et ex testimonio unius hominis, *cap.* 22 *sup. de testib.* propinquos autem admitti in causa matrimonii etiam constat ex *cap* 5. *sup. de testib.* jurejurando præstito, *cap. cum in tua, de sponsal. cap. consanguinei, de sent. et re jud.* et *can.* 1. 33. *q* 6 *et in c.* 1. *de consang. et affin. in quarta collectione*, in causa matrimonii, inquit, quod ad quædam attinet, latius proceditur, dum ad testimonium etiam domestici et affines admittuntur. Ubi domestici non sunt, quos accusator de domo sua producit, qui testes non sunt idonei, *cap. in literis, sup. de testibus, l. ult. D. eod. t.* quia, ut Cicero ait, muti accusatores sunt: sed illic loco domestici, id est cognati, ut recte Tancredus interpretatur. Nam ut domus a Latinis accipitur pro cognatione sive familia, gente: ita domestici pro cognatis. Additur in d. *cap.* 1. similiter largius sive extra ordinem hoc esse receptum in causis matrimonii, ut de auditione testimonium admittatur, qua de re diximus satis in *cap.* 7 *sup. de consan. et affin.* Causa horum est favor nuptiarum, quia, ut ait in fine hujus cap. 3. matrimonium favorabilis res est, in *cap. ult. sup. de condit. appos.* Favore nuptiarum testimonium de auditione recipitur. Favore nuptiarum cognati et affines testes recipiuntur: et ab eo, quod dicitur, patrem non esse idoneum testem in causa filii, vel contra filium in causa patris, *l.* 9 *D. de testib.* ut hic proponitur, excipitur causa matrimonii conjungendi, vel disjungendi, et id pertinere dicitur ad alios contractus, aliave negotia, et ad causas criminales. Favore item nuptiarum turpis, vel impossibilis conditio non vitiat nuptias, *cap. ult. de condit. appos.* Favore nuptiarum non recipiuntur testes, impugnandis nuptiis prætextu cognationis, nisi qui distincte enucleate, et nominatim gradus cognationis, quam allegant, personasque distinguant. Est et alius favor nuptiarum in *l. Cajus. in fine solut. matr.*

AD TITULUM XIX.

De Divortiis.

AD CAP. *Si qua mulier*. I. CAP. *Quæsivit*. II. CAP. *Significasti*. IV. et CAP. *Ex literis*. V.

Divortii appellatio latius patet in hoc jure, quam in jure civili: nam jure civili id tantum divortium dicitur, quod dirimit omnino et solvit

matrimonium: hoc jure etiam id divortium dicitur. quod matrimonium non solvit, sed maritos tantum separat seorsim alium ab alio, id est, quod consuetudinem solvit, et societatem vitæ societatem cubilis, et mensæ, non jus matrimonii. Inter hæc duo genera divortii satis apparet quanta sit differentia: nam divortio soluto matrimonio liberum est viro et mulieri aliud cum alio, aliave contrahere matrimonium: divortio autem, soluta consuetudine, et non lecti genialis, salvo manente matrimonio, non licet cuiquam ex conjugibus quamdiu conjux alter vivit, de alio cogitare matrimonio. Immo et quibusdam casibus nec mortuo altero superstiti cum ullo alio connubium est. Hæc omnia exemplis apposita operæ est, ut clara faciam atque perspicua. Ponam tria vel quatuor exempla: in primis divortii, quo separantur conjuges integro manente matrimonio. Si vitæ mariti uxor insidiata sit si immiserit sicarium, qui eum interficeret et ille contra se defendendo aliquem ex eis interfecerit, ex hac causa domo foras exigere uxorem potest, ea tamen lege et conditione, ut quamdiu illa vixerit, ipse aliam uxorem ducere non possit: quia non separatio illa, sed mors sola matrimonium dissolvere potest: illa autem ut nec post mortem viri sui alii cuiquam unquam nubere possit, denique ut vivat perpetuo cœlibem vitam, quæ id ausa est in maritum: quæ est sententia *c. 1. hujus t.* quod extat etiam in *can. si qua mulier*, 31. *qu.* 1. ex concilio apud Vermeriam, cui interfuit Pipinus Rex, ut est in inscriptione *can. si quis ingenuus*, 29. *q.* 2. Et, ut hoc admoneam, quo cœcutiunt multi, nihil refert Vermeriam scribas, an Vormatiam: utroque nomine Vangionum civitas significatur, ubi et Pipinum habuisse concilium fere omnes historici narrant. Idem vero fieri constat dimissa uxore propter adulterium, nempe ut vir post mortem ejus aliam ducere possit, non ea vivo, quia matrimonium non solvitur; mulier autem post mortem viri alii nubere non possit, sed sine spe conjugii permaneat *ex can. hi vero*, 32. *qu.* 7. Sequitur alterum exemplum in *cap.* 2. Uxor propter facinus, sive crimen aliud quam adulterium, cui deditus maritus sit, veluti ob furandi vel latrocinandi consuetudinem, non potest a viro discedere, nisi vir ad idem facinus eam pertrahere, et fidem ejus, ut ait, timoremque erga Deum, quem ei pietas et religio attribuit, corrumpere nitatur. Quo etiam casu corpora tantum separantur, matrimonium stabile ratumque permanet. Idemque dicendum est de uxore si cui maleficio dedita fuerit, corrigenda enim, et ab eo maleficio deterrenda, non dimittenda est. Crimen adulterii semper excipio: cujus ratione certum est uxorem aut virum dimitti posse. Uxorem, inquam, nisi et ipse vir eodem crimine arguatur, quod admiserit sola, vel post dimissam uxorem, *c. pen.* et *ult. inf. de adult. con.* 1. 13. *qu.* 6. *l. Si uxor.* §. *Judex. ad l. Jul. de adult.* cujus § verba digna sunt, quæ memoriæ addiscantur. *Judex*, inquit, *adulterii ante oculos habere debet, et inquirere, an maritus pudice vivens, mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit, periniquum enim videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat:* quæ verba esse ex edicto Anton. in Cod. Gregoriano B. August. scribit in lib. *de bono conjugali*, et refert eadem verba. illis etiam adde *cap.* 4. *et* 5. *hoc t.* Et notandum valde est, quod ait in c. 5. eum, qui ex causa adulterii dimisit uxorem, eam domum reducere debere, si et ipse post dissidium in idem crimen inciderit, etiam post dissidium, vel separationem corporum adulterium commisit, quia quod est tertium exemplum, conjuges separantur in hoc tantum, ut seorsim habitent, non ut jus matrimonii solvatur, non ut matrimonii honorem habere desinant. Et, ut dicitur in *c.* 3. *qui fil. sint legit.* matrimonii violatio matrimonium non violat, quod absurdum esse videbitur, nisi ita accipias matrimonii violationem, id est, adulterium non violare hoc, et non dissolvere vinculum matrimonii.

AD CAP. *Porro*. III. CAP. *De illa*. VI. CAP. *Quanto*. VII. CAP. *Gaudemus*. Pen. et CAP. *Deus*. Ult.

Sequitur ut dicamus de divortio, quod omnino jus matrimonii dissolvit: id vero fit judicio ecclesiæ, vel Episcopi ex causa cognationis, vel affinitatis, quæ post contractum matrimonium, vel per accusatorem certum ecclesiæ probata fuerit, vel quod publice notata in ecclesia esse cœperit, etiam sine accusatore: ex hac causa verum divortium fieri potest, officio arbitrioque Episcopi, *cap.* 3. *h. t.* Idem vero facio, et feci jam esto sæpius, judicium ecclesiæ et judicium Episcopi, ut *cap.* 2. *sup. de matrimon. contr. cont. interdict. Eccles.* quia nihil potest Episcopus solus, nec Episcopus Episcoporum sine concilio fratrum, sine concilio ecclesiæ, sine concilio Capituli, *cap.* 5. *inf. hoc t. cap. pen.* 15. *qu.* 7. Capitulum dicitur esse senatus ecclesiæ a B. Hieronymo, et Joanne Romano Episcopo. Et notandum ex *eodem cap.* 3. *hujus t.* nec si publica et notissima sit cognatio et affinitas, quæ versatur inter conjuges, posse uxorem temere a viro dimitti sine judicio ecclesiæ, ut *cap.* 13. *sup. de spons. cap.* 12. *in fin. de spons. impub.* temere dimissam in integrum restituendam esse, qua de specie restitutionis in integrum quibus casibus concedenda sit fusius tractavimus in *cap.* 13. *de restitut. spol.* ubi est proprius locus. Interim ad hanc speciem pertinet in hoc tit. etiam *cap.* 6. et 7. in quo tamen hæc potissimum quæstio vertitur, an propter hæresin, in quam vir dilapsus est, uxor ab eo discedere possit, vel contra? quod sine judicio ecclesiæ negat fieri posse, nisi forte ab eo discedat eo animo, ut ubi resipuerit ad eum redeat, alioqui judicio ecclesiæ, et sententia divortii opus est: cujus quidem divortii commenta cap. 6. hæc via est, ut omnino matrimonium dissolvatur, quod tamen cap. 6. merito hac in re, ut Alanus sentit, abrogatur per cap. 7. in quo prædecessor noster est Urbanus III. auctor cap. 6. non Cœlestinus III. ut glossa notat, cujus decretalis, quæ extat in *secunda collectione, tit. de convers. infid.* consentit cum hoc cap. 7. Porro ex hoc cap. 7. sumere licet quartum exemplum divortii, quo non solvitur matrimonium, nec solvi potest judicio ecclesiæ, puta si alteruter conjugum in hæresim inciderit: nam etsi ob hanc causam fidelis ab hæretico discedere possit, non tamen ideo desinit esse maritus aut marita, nec qui repudiatus sive relictus est, aliam uxorem ducere, quæve derelicta et deserta est, alii nubere potest: imo si resipuerit, qui quæve in hæresin inciderit: fidelis ad eum eamve reverti eique reconciliari debet. Idemque prorsus dicendum est in apostata, si ex duobus Christianis conjugibus alter desciverit de fide Christiana, et migraverit ad paganismum. At ex diverso, si ex duobus paganis conjugibus alter factus sit Christianus; et ex hac causa ab altero derelictus sit, matrimonium dissolvitur, et Christiano licet alium maritum, aliamve uxorem optare, quod in hoc cap. 7. confirmatur ex verbis Apostoli, si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est servituti subjecta in causa hujusmodi, quorum verborum et hunc sensum esse Joannes Chrysostomus arbitratur, qui addit hanc rationem, *melius esse matrimonium, quam pietatem solvi*, βέλτιον εἶναι τὸν γάμον ἢ τὴν εὐσέβειαν λυθῆναι. Et Ambrosius apertius in eundem locum. *Majorem esse causam Dei, quam matrimonii: et ideo non esse peccatum ei, qui dimittitur propter Deum si alii se junxerit: contumeliam enim creatoris solvere ejus matrimonii circa eum, qui dimittitur*, quæ verba Ambrosii falso tribuuntur Gregorio in *cap.* 2. *de convers. infid. in secunda collectione*, et in *can. si infidelis*, 28. *q.* 2. De matrimonio contracto inter paganos legitime more ritique gentis suæ, qui postea Christiani fiunt, est cap. pen. et ult. si forte in gradu prohibito cognationis vel affinitatis inter Christianos paganus ante baptismum duxerit uxorem, veluti ex secundo, tertio, vel quarto gradu, ex secundo consobrinam scilicet, non amitam, vel materteram, quæ est etiam in secundo, apprehendi postea ab utraque fide Christiana retineri eam posse in matrimonio, nec baptismate matrimonium solvi, baptismate peccata solvi, non matrimonium, quod initio more gentis suæ contraxerint, ut *cap.* 4. *de consang. et affin. c. ult. sup. qui fil. sint legit.* Secundus gradus cognationis, detractis iis personis, quæ parentum locum obtinent, veluti patruo, avunculo, amita, matertera: secundus, inquam, gradus, puta in quo consobrini consistunt, et multo magis tertius, et quartus dispensabilis est, ut loquuntur, venialis est, quia in his gradibus, quæ prohibitio consistit venit ex jure humano, id est, ex Pontificio. At primus gradus nominatim notatus, et prohibitus est lege Divina, veluti cum sorore sua, qui est primus gradus jure Pontificio, vel cum sorore uxoris defunctæ, proculdubio dispensabilis non est. Unde ut expressum in *cap. ult. hujus t.* qui mos est in Livonia, quæ nunc paret Polono, et non ita dudum recepit fidem Christianam, qui in quam mos erat in Livonia, antequam fidem Christianam reciperent, ut fratri liceret mortuo fratre uxorem ejus ducere in matrimonium in mos, quod attinet ad matrimonia jam contracta, retinebitur post receptam fidem Christianam, nisi frater, qui defunctus est, ex uxore sua liberos, et sobolem reliquerit: quo casu, qui nominatim lege Dei vetatur fratre defuncto relictis liberis viduam ducere uxorem matrimonium inter levirum, sic vocatur frater mariti, et viduam fratris contractum ante Christianismum consistere non potest, *d. c. ult.* Eademque ratione pagano, qui more gentis suæ plures habuerit uxores, quod Dominus districte prohibuit, facto Christiano non licet omnes illas uxores retinere contra manifestum verbum Dei, sed prima contentus esse debet c. 7. In hanc rem idem Innocentius auctor c. 7. *in Decretali quadam ad Comitem Nivernensem: Inter divinas*, inquit, *et humanas leges tanta est distantia, ut contra leges divinas nunquam valeat dispensatio: contra autem humanas leges dispensari possit aliquando, prout necessitas, vel utilitas postulabit.* Idem ipse Innocentius hanc distinctionem facit inter divinum et humanum jus in c. 13. §. *Opinioni. sup. de restitut. spol.* Intelligimus itaque ex *cap. pen.* ea, quæ permittebantur pagano, sive infideli in nuptiis contrahendis, eadem Christiano postea facto ultra permitti non debere, siquidem ea sunt manifesta contra legem et præceptum Dei omnipotentis ut si plures paganus habuerit uxores, Christianus effectus eas omnes in matrimonio retinere non potest, quia πολυγαμία nominatim lege Dei vetita est, item si paganus habuerit in matrimonio sororem suam, vel sororem præmortuæ uxoris quæ est ex primo cognationis et affinitatis gradu: vel si amitam, aut materteram, aut uxorem quondam patrui, vel avunculi sui, quæ sunt ex secundo cognationis vel affinitatis gradu secundum computationem juris Canonici, vel si novercam, socrum, nurum, quæ sunt ex primo affinitatis gradu: si uxorem fratris defuncti, præsertim si sine liberis defunctus non sit, ut *cap. ult. h. t.* et *Deuteron.* 25. quæ etiam est ex primo affinitatis gradu: denique si in matrimonio paganus habuerit neptem ex filio, vel filia, si privignam, vel privignæ filiam. Christianus postea factus nullam earum in matrimonio retinere potest. quia ex his conjungamur, specialiter lege divina prohibemur, cui etiam adstipulatus est populus, *fiat, fiat*, γένοιτο, γένοιτο, vel quod idem est, Amen, Amen, *Deut.* 27. et *Levit.* 18. At si paganus in matrimonio habuerit consobrinam, quamvis et hæc secundo gradu sit hoc jure, tamen quia lege humana, non etiam divina cum consanguinea matrimonium interdictum est, eam post Christianismum in matrimonium retinebit. Idemque erit multo maxime, si quam aliam ex tertio, vel quarto gradu cognationis in matrimonio habuerit, qui gradus etiam dispensabiles sunt. Item si pagano licebat uxori paganæ ex quacunque causa, vel pro libidine arbitrioque suo repudium mittere, et hoc jure fretus uxorem legitimam et pudicam dimiserit: Christiano postea facto non licet aliam uxorem ducere, quia repudium, sive divortium detracta causa adulterii a Domino nominatim prohibitum est, et quod olim igitur in pagano non improbabatur, nunc in Christiano improbatur. Quod tamen sic accipiendum est, etsi post Christianismum cognita culpa sua temere

dimissam reducere velit, et ipsa, quæ adhuc pagana est et gentilis, ei reconciliari nolit aliter, quam si abjuraverit religionem Christianam, aut se, quibus ante solebat, criminibus dediderit, veluti latrocinio, aut lenocinio, ut in *can. uxor*, 28. *qu.* 1. eo quo sunt applicanda hæc verba *c.* 7. *hujus tit. ut pertrahat ad mortale peccatum*: hoc enim casu liberum est ei aliam uxorem ducere, qui legitimam non potest reducere sine conditione nefaria et impia, quod etiam ostenditur in *d. c.* 7. Neque vero hoc casu, quod est consequens et consentaneum etiam repudiatæ uxori paganæ, quasi non jure repudiatæ data est restitutio in integrum, quæ tamen facile ei daretur, si ad virum redire vellet simpliciter, nulla ei data conditione turpi, impia et nefaria. Verius enim est, inter Christianum et paganam nuptias consistere posse, quæ inter ipsos initio contractæ sunt, cum nondum eorum quisquam imbuisset fidem Christianam, quam qui jam est Christianus et fidelis, ei cum Pagana vel Judæa connubium non est, *l.* 5. *C. de Judæ. nec*, ut D. Augustinus ait in libro de fide, et operib. *Christiani hominis est ab infideli conjugem petere.* At finge, cum duo essent pagani matrimonio conjuncti, vir uxorem temere repudiavit, nec ex causis supradictis, puta, quod dimissa ad eum redire nollet, nisi abjuraret Christianismum, aut Christiani hominis bonos mores et pios, aliam duxit uxorem legitimam; hic si postea Christianus ut illa quoque Christiana fiat, aut si hunc, qui jam factus erat Christianus etiam illa secuta sit, id est, si et ita Christiana facta fuerit proculdubio eam reducere cogitur, sive interim alii nupserit, sive non, quia etiamsi alii nubendo per nuptias adulterium commiserit, quæ non desierat priorem habere maritum ob causam injusti repudii, tamen adulterium ei prior maritus objicere non potest, quæ more gentico, ut Cornelius Tacitus loquitur, dimissa nupsit alteri. At si citra nuptias post repudium cum alio homine fuerit, adulterium ei objicere potest, nec invitus eam reducere cogitur. Etiam inter paganos adulterium crimini datur, quia jure gentium, sive naturali prohibitum est, l. *Probrum. de verb. sign.* Lactantius in *Epitome Instit. Corrumpere*, inquit, *alienum matrimonium etiam communi gentium jure damnatum est.* Quo fit ut et mulierem, quam juris civilis ignorantia ab aliis criminibus jure civili prohibitis excusat, ab adulterio non excuset, l. 38 §. *Fratres. ad leg. Jul. de adult.* Cassiodorus de adulterio *lib. Variarum*: *omnibus*, inquit, *est animantibus iniquum, quod naturali lege damnatur.* Nefarium id crimen dicitur in *Nov. Majoram*, *et Leonis*. Unde licet intelligere in *Novel. Justin.* 89. nefarium complexum eum proprie dici, qui et contra jus gentium est, incestum complexum qui est contra jus civile: nam et incestum aliud est juris civilis aliud juris gentium, *l. ult. de condit. sin. caus.* et eodem loco damnatum complexum accipe, qui citra incestum, qui damnatus est jure civili. Ita hæc tria sunt distinguenda in *auth. ex complexu. C. de incest. nupt.*

AD TITULUM XX.

De donationibus inter virum et uxorem, et dote post divortium restituenda.

AD CAP. *Mulieres.* I. CAP. *Significavit* II. et CAP. *De prudentia.* III.

De donationibus factis inter virum et uxorem est in hoc titulo tantum *cap. ult.* cetera cc. sive rescripta sunt de dote post divortium restituenda, aut non reddenda, quæ quidem capitula, quia primum locum occupent, ideo et primo explicanda sunt. Dos alia est uxoris, alia viri quasi dos mutua, quæ respondet doti uxoriæ ex æquo tum in quantitate, quam in pactis dotalibus, ut *c. ult. hoc tit.* et *Nov.* 97. quam ob rem etiam dicitur ἀντίφερνα, *l. ult. C. de donat. ante nupt.* ἀντιφέρνησις compensatio dotis uxoriæ: dicitur etiam in hoc titulo dotalitium, et donatio propter nuptias, et donatio propter dotem, c. 5. ut 6. *h. t. c.* 1. *eod. l. in tertia collectio*, *c. ex parte*, *sup. de for. compet. can. si autem*, 36 *q.* 2. et in Supplemento Chronicorum Sigeberti cujus auctor Robertus quidam: *Gulielmus*, inquit, *rex Siciliæ fecit Chartam Joannæ reginæ et uxori suæ de dotalitio suo.* Dotem dat uxor viro, ut constante matrimonio ea utatur fruatur tamquam dominus, atque ita allevet, aut facilius ferat onera matrimonii: dotem autem dat vir uxori, quam ex casu mortis viri mulier superstes sibi habeat, vel pro solatio amissi viri, vel pro remuneratione obsequii, et fidei sibi constanter exhibitæ. Et quod ad dotem mulieris attinet, non tantum morte mariti, sed et alio quocunque modo legitimo ex sententia Episcopi vivo utroque soluto matrimonio sine culpa uxoris, veluti, ex causa cognationis diu celatæ et incognitæ, vel qua alia impediente juris auctoritate matrimonium constare, dos uxoris restituenda est, *cap.* 1. et 3. *h. t. cap.* 2. *sup. de conj. serv.* l. 1. *C. de condict. ob causam dat.* Restituenda etiam est pars eorum bonorum, quæ manente matrimonio in commune quocunque titulo acquisiverunt, ut cavetur in *cap.* 2 *h. t.* quod etiam pertinet ad hoc regnum: est enim scriptum Capitulo Luxoviensi in Normania. Inde satis apparet morem hodiernum, ut conjuges socii in bonis quæsitis constante matrimonio, jamdiu in Gallia invaluisse, atque in hanc rem hic locus valde est singularis. Ac præterea ex d. cap. 3. est notandum, eum, qui cognoscit, judicem scilicet ecclesiasticum, de matrimonio, legitimum sit nec ne, forte ex delegatione Pontificis, etiam de dote restituenda dissoluto matrimonio cognoscere et pronuntiare posse: quia etsi quæstio de dote videatur pertinere ad judicem secularem, non ad ecclesiasticum: tamen quia incidit in quæstionem principalem, quæ est de matrimonio, qui de matrimonio cognoscit, quamvis sit ecclesiasticus, de dote etiam quasi de accessione cognoscere potest, ut *cap. prudentiam* §. 6 *in fin. sup. de offic. et pot. jud. del.* Non idem dicam e contrario: nam si causa principalis sit secularis, veluti de hæreditate, de qua disceptetur apud judicem secularem, et in eam inciderit quæstio de matrimonio, quæ est præjudicialis, de ea quoque judex secularis cognoscere non potest, ut docui in *cap.* 5. *sup. qui fil. sint leg.* Denique judex secularis nunquam potest attingere causam spiritualem, sive principaliter moveatur, sive incidenter: at ecclesiasticus potest etiam attingere causam secularem, quæ modo inciderit in causam ecclesiasticam principalem, sive ecclesiasticæ cognitionis.

AD CAP. *Plerunque.* IV. et CAP. *Etsi.* V.

Docet in hoc cap. mulierem ex causa adulterii dimissam a viro judicio ecclesiæ, vel etiam ultro discedentem a viro libidinis suæ satiandæ causa, amittere dotem et dotalitium, nec defuncto viro hujus vel illius dotis petitionem habere. Idem omnino videtur obtinuisse vetustissimo jure civili: qua ex re Horatius dixit, *deprensam doti metuere*, et Valerius Maximus 8. refert, Cajum Licinium mulierem divitem, sed impudicam de industria duxisse, ut deinde eo crimine damnatam spoliaret dote. Idem certe obtinet jure novissimo, *l. Consensu. C. de repud. l. ult. C. ad l. Jul. de adul. et Leonis Nov.* 32. Medio jure ob causam adulterii mulier totam dotem non admittebat, pars tantum retinebatur ex dote, *l. Lucius. l. Cum mulier. solut. matr. l. Miles.* §. *Socer. ad leg. Jul. de adul.* et ex lege Julia nominatim amittebat, tantum partem dimidiam dotis quod ex Paulo nuper ostendi (lib. Obs. XXI. cap. XVII.) qui ita scripsit 2. Sentent. juxta tenorem legis Juliæ: *adulterii convictas mulieres dimidia parte dotis, et tertia parte bonorum, et relegatione in insulam placuit legi* (Juliæ scilicet) *coerceri.* At culpa mariti non mulieris soluto matrimonio, dicerem mulieri tam dotis retentionem, quam dotalitii retentionem, aut repetitionem esse, quod colligitur ex contrario sensu: morte autem mulieris soluto matrimonio, dotem ad patrem, vel hæredes mulieris reverti: nisi initio dandæ dotis convenerit, ut in hunc casum cederet lucro mariti, vel nisi ea sit consuetudo regionis, qualis Tolosæ viget, ut præmortua uxore cedat lucro mariti, nec, etiamsi sit dos profectitia, redeat ad patrem, contra l. *Jure succursum est. de Jur. dot.* confirmatur hæc conventio seu consuetudo in *cap. hoc ult. tit.* Dotalitium autem ut possit, præmortua uxore remanet penes virum: nec enim dotalitio locus est, nisi in casu mortis viri ex pacto, vel ex consuetudine similiter, quæ id addicat mulieri superstiti. Quod si matrimonium injustum sit et nullum, puta quod inter se proxime cognatione conjuncti scientes contraxerint, ut in specie *cap.* 5. *hujus tit.* Rex Legionis, ut sit, et filia regis Castellæ, hoc casu dotalitium viro reddendum est, etiam si aliud convenerit ne redderetur quocunque modo dirempto matrimonio, videlicet quasi datum non tam ob turpem causam, alioqui repetitio dotalitii cessaret, quam ob nullam causam, quia quod datum erat dotalitii nomine, in dotalitium converti non poterat, quo nomine datum erat: quæ ratio *cap.* 5. posita est ex *l. ult. de condict. sine cau.* Facit vero hujus cap. mentionem nominatim Rodericus Sancius Episcopus Valentinus parte 3 historiarum Hispanicarum *cap.* 38. et alter Rodericus Archiepiscopus Toletanus *lib.* 9. *de reb. Hispan. cap.* 2. qui hanc tamen rem fuisse gestam narrant inter Henricum I regem Legionis et Castellæ (nam tunc utrunque regnum unitum erat) et inter Mapholdam filiam regis Portugalliæ. Unde et in hoc cap. legendum videtur, *rex Legionis filiæ Regis Portugalliæ. Quin vero*, inquit, *castra quædam, quæ rex Legionis filiæ regis Portugalliæ in dotem lend dare ?exponitur*, *in dotem*, id est, in dotalitium. Nam et Alphonsus a Carthagena, qui scripsit ἀνακεφαλαίωσιν historiæ Hispanicæ, eam dicit fuisse filiam Regis Portugalliæ.

AD CAP. *Nuper.* VI.

Ex hoc cap. intelligimus fructuarium posse commodum fundi, et perceptionem fructuum in solidum vel pro parte uxori dotalitii nomine concedere, sicut et vendere, et locare, et donare cuilibet potest, ut §. 1. *de us. et habit. Instit. l. Si usufructus. de jur. dot.* verum morte fructuarii finito usufructu etiam dotalitium finiri, et venditionem, et locationem, et donationem. Observa hoc in loco his verbis, *si qua terra data fuerit alicui, quoad vixerit possidenda*, significari jus usufructus, *l.* 3. §. *ult. C. de secund. nupt.* Idem vero hic ostenditur esse dicendum qui casus est singularis, si cui proprietatis mentione facta ita datus sit fundus, tibi hæredique tuo, quem ex legitima uxore, ex justo matrimonio susceperis, etc. et is partem ejusdem fundi in uxorem contulerit dotalitii nomine: nam et morte ejus finitur jus, quod in eo fundo habuit, et per consequentias etiam dotalitii jus, quod ipse in parte ejusdem fundi uxori concesserit. Nam ut ususfructus mentione facta aliquando proprietas significatur, *l. ult. de usufruct. ear. rer. quæ us. consum. l. Proculus de usufr. leg. l. Donationes.* §. 1 *de donat.* ita ex diverso proprietatis mentione facta aliquando ususfructus tantum significatur, non plena proprietas, ut in specie proposita, cum dominus dat Lucio Titio fundum, ut ipse eum habeat, hæresque ejus, quem ex justo matrimonio susceperit proprietatis jure, vel, quod prorsus idem est, ut hic loquitur, ut eum habeat in hæreditatem, vel feudum, id est, proprietatis jure, quia satis aperte demonstrat dominus, nolle se jus, quod cedit Lucio Titio, Lucium Titium transferre in hæredem quemlibet, sed in hæredem filium suum tantum, quem si nullum creaverit, consequens est morte ejus jus, quod in eo fundo habuit, vel per ipsum uxor dotalitii nomine, extingui. Et in hanc rem hic locus valde est singularis. In extremo hujus cap. 6. monet, quodammodo abuti nos

verba civilibus cum donationem propter nuptias, sive dotalitium vocamus dotem, aut cum virum dicimus dotare uxorem suam, ut *cap.* 1. *sup. de sponsal.* nam juris civilis auctores, qui proprietatis verborum retinentissimi sunt, dotem tantum vocant eam, quæ ab uxore proficiscitur, quod vero a marito veluti repensandæ dotis causa, donationem propter nuptias, vel donationem propter dotem.

AD CAP. *Per vestras.* Pen.

In specie hujus cap. petenti marito dotem, quam quis forte ei pro muliere promiserat, objiciebatur, eum uxorem domo jam exegisse foras, quod sibi dos non solveretur, et ejecta uxore, sive dimissa non esse ei integram petitionem dotis, et inopiam quoque ejus non ferre, ut dotem petat, qui si eam haberet, restitueret mulieri, juxta *leg. Si constante. sol. matr. l.* 21. *de manumiss. l. ult. C. de jur. dot.* Ac præterea eo jam ante petente dotem apud consules Genuenses, ubi hæc res agebatur, quos inde apparet habuisse jurisdictionem, sicut in plerisque civitatibus Galliæ, etiam sub regibus in Gallia Narbonensi, en *Languedoc* et in Novempopulonia, en *Gascogne* (Consules civitatum jurisdictionem habent, et merum imperium, quod speciem quandam libertatis præ se fert, sicut et jus quod habent habendi conventus, quos vocant status, *les estats*, quod eædem etiam provinciæ habent) viro, inquam, petente dotem apud Consules Genuenses, eadem ratione, quia vergebat ad inopiam, quia inops fieri, et egenus periclitabatur, Consules pronuntiasse, ne ante ei dos solveretur, quam datis idoneis fidejussoribus cavisset de dote conservanda, et mulieri restituenda quandoque soluto matrimonio, qui mos dandæ satisdationis in hac causa etiam Genuæ invaluerat, contra quam jure civili cautum sit, ne fidejussores dotium dentur, *l.* 1. et 2. *Cod. ne fidejuss. dot. dent.* Et Archiepiscopum quoque Genuensem pronuntiasse, ut uxorem, quam temere ejecerat, domum reciperet, et satisdatione præstita dotis nomine ex consuetudine illius regionis dotem acciperet. Ille vero, quod facile ei non esset, fidejussores invenire propter inopiam, aut inopiæ periculum imminens, adito Romano Pontifice impetravit, ut dos ei solveretur præstita cautione juratoria sine fidejussoribus, vel ut ea dos, quæ in nummis consistebat, mercatori cuidam (Genua est patria mercatorum) daretur, ut ex eo coemptis mercibus quæstum faceret, et partem quæstus marito conferret, unde uxorem sustentaret, et allevaret onera matrimonii. Usura hoc jure vetita est: hoc genus compendii, quod ex mercatura venit, quam quis facit per se, vel alium vetitum non est. Et est hic locus in hanc rem etiam valde singularis. Pontifex Romanus ei remisit satisdationem, quod fidejussores invenire non posset, ut fit etiam in *l.* 6. *si cui plus quam per l. g. Falc.* ubi qui satisdare debet, quod amplius ceperit, quam per legem Falcidiam liceat, reddi, id est, fidejussorem dare, qui satisdare, inquam, debet, si doceat se non posse invenire fidejussores, se diu quæsivisse, et non invenisse, *s'il fait apparoir de ses diligences*, si constet de ipsius diligentia, tunc committi eum nudæ repromissioni sine juratoriæ cautioni. Et motus fuit specialiter Pontifex hac ratione, quam duxit ex *l.* 2. *Cod. ne fidejuss. dot. dent.* quod cum viro corpus suum credat mulier, possit et modicum dotis, quod nihil est præ libero corpore, fidei ejus nudæ concredere, aut juratæ saltem. Plautus in Mercatore. *Item cui te, et tu quæ habeas non commendes viro?* Hæc ratio efficit generaliter, ut jure civili fidejussorem dotis acceptæ, neque socer det, neque maritus manente matrimonio, nisi, ut hic proponitur alia sit consuetudo regionis, a qua consuetudine nec Pontifex censet aliter recedendum esse, quam si maritus docuerit sibi non esse in facili fidejussores dare, quæ res inopibus etiam plerumque difficilis, ac plane impossibilis est *l. Denunciasse, in fin. ad leg. Jul. de adult. l.* 2. § *ult. de collat. bon. l. Omnes. §. Præterea. C. de episc. et cler.* Difficilium facilis venia est et remissio.

AD. CAP. *Donatio.* Ult.

Hoc cap. solum est in hoc titulo de donatione facta inter virum et uxorem constante matrimonio, quæ neque jure civili valet, neque jure Pontificio, ac proinde ex pœnitentia revocari potest expresse, vel tacite, inquit: tacite, puta, re uxori donata, post donata extero, vel pignorata, vel vendita, *l.* 12. *C. de donat. inter vir. et uxor.* Ex pœnitentia igitur revocari potest quasi invalida, videlicet si ex ea donator pauperior, donatarius locupletior factus sit: alioquin valet si ex ea donatarius factus non sit locupletior: ut si facta sit manumissionis causa, id est, si servus donatus sit ea lege, ut confestim manumittatur, qua ea re nemo fit locupletior: nam et qui libertum habet, non videtur locupletior factus, ut est in regula juris: et hoc etiam proponitur in *l. Quod autem.* §. *ult. de donation. inter vir. et uxor.* Ac præterea præmortuo quidem donatario, qui ex donatione factus erat locupletior, sane donatio hæc non valet, *l. Cum hic status. §. Si ambo. eod. tit.* At præmortuo donatore non mutata voluntate donatio confirmatur, et convalescit ex Oratione Antonini, et Senatusconsulto, et comparatur fideicommisso morte, donatoris confirmato, atque ideo etiam legi Falcidiæ subjicitur, sicut fideicommissum, *l.* 12. *C. ad l. Falcid.*

AD TITULUM XXI.

De secundis nuptiis.

AD CAP. *Capellanum.* I. CAP. *Dominus* II. CAP. *Vir autem.* III. CAP. *Super illa.* Pen. et CAP. *Cum secundum.* Ult.

Ex hoc titulo tria potissimum notanda sunt. Secundas nuptias Ecclesiam permittere potius, quam probare, vel Gregorio Nanzianzeno teste, qui τὸ πρῶτον συνοικέσιον, νόμον, τὸ δεύτερον, συγχώρησιν vocat, *primas nuptias legem, secundas permissionem, sive connniventiam.* Unde et in primis tantum nuptiis ecclesia εὐλογίαν, sive benedictionem presbyteri requirit, non in secundis, *cap.* 1. et 3. *h. t.* Ambrosius in 1. epistolam ad Corinth. qui locus maxime ad hanc rem facit: *A Deo*, inquit, *primæ nuptiæ sunt, secundæ vero permissæ sunt, denique*, inquit, *primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter, secundæ autem. et tertiæ presenti carent gloria.* Sic lego, vulgo legitur, *secunda autem et in præsenti carent. gloria*: pro illud, in scribendum est *tertiæ*. Quin etiam et ex cap. 1 hujus tituli presbyter, sive capellanus, ut loquitur, qui secundis nuptiis εὐλογίαν adhibuit, mulctatur ab Episcopo, puta suspenditur officio, et beneficio, non privatur, quæ mulcta semel irrogata ab Episcopo nec remitti potest, nisi a Romano Pontifice. Capellani, et capellæ nomina sunt a Græcis, qui Hesychio auctore ecclesiam, templa, sacella σηκοὺς vocant καπέλλας. Alterum quod notandum est, sumitur ex cap. 2. hujus tit. ut quemadmodum non potest qui quæve mansit in patria peregrinante, vel ab hostibus capto conjuge, cum alio, aliave matrimonium contrahere sine judicio ecclesiæ, donec certum de morte absentis nuntium acceperit, *cap* 19. *sup. de sponsal. cap.* 8. *sup. qui fil. sint legit.* ita etiam non possit absens cum alio matrimonium contrahere, donec de morte conjugis, quem in patria reliquit, certum nuntium acceperit. Nuptias secundas non esse licitas antequam de morte absentis præsenti, vel de morte præsentis absenti liquido constiterit. Vel si quis forte præmature non exspectato certo nuntio cum alio, aliave matrimonium contraxerit, provocari quidem ipsum ad rem a secundo conjuge posse, non etiam provocare, hoc est, τὴν ὀφειλὴν, sive debitionem exigere eum non posse, interpellatum debere reddere, ut fit in specie c. *h. de eo, qui cogn. consang. ux. et cap. inquisitionem, inf. de sentent. excomm. et cap.* 2 *in fine, de divort. in secunda collectione.* Tertium quod ex hoc titulo adnotandum est in *cap. pen. et ult.* de infamia, quæ jure civili irrogatur ex edicto prætoris, et constitutionibus viduæ, quæ intra annum luctus transit ad secundas nuptias, *l.* 1. *Cod. de secund. nupt.* hæc infamia hoc jure remittitur non sine ratione: quoniam ut docet in *cap. penult. et ult.* Apostolus viduæ permittit, cum sit soluta a priore viro ut nubat cui voluerit, adjecta hac sola conditione, tantum in Domino, quam ita Tertullianus interpretatur secundo ad uxorem: *nullam*, inquit, *aliam formam repetendarum nuptiarum, nisi in domino præscribi*: in nomine Domini, quod est indubitate, Christiano scilicet, non pagano, quoniam subjicit, tantum in Domino: μόνον ἐν κυρίῳ quod etiam Græci (D. Chrysostomus) interpretantur non male: γαμεῖν μετὰ σωφροσύνης, καὶ κοσμιότητος, νομίμῳ γάμῳ, ἐπὶ παιδοποιίᾳ, καὶ προστασίᾳ μὴ διὰ πάθος ἐπιθυμίας. Utinam mihi liceret eodem modo etiam cæteros libros interpretari. Liceret autem si hoc placeret vobis, hoc est, si qui studiosiores sunt ad id me impellerent, et cohortarentur. Sane ego expeditissime cæteris libris multa præstarem singularia et rara, qui tot Cardinales, qui ediderunt in hos libros commentaria, aut præstare noluerunt, aut capessere non potuerunt: nec abnuo si id vobis gratissimum esse intellexero hieme proxima alternis vicibus, sicut feci quarto Decretalium libro, dare operam secundo, quo ordo judiciorum continetur, quem ubique maxima ex parte fora et tribunalia omnia sequuntur. Interim non est quod sumam aliam materiam, tum quia et feriæ instant, tum etiam quia studiosi quique nihil aliud cogitant, quam lares suos, et non admodum etiam mihi videntur id ferre res meæ, aut vestræ in his miserrimis et perniciosissimis reipublicæ nostræ fluctibus. Faxit Deus optimus maximus pro sua providentia, et clementia, ut omnis tempestas brevi commutetur.

FINIS PARTIS SEPTIMÆ

PARS OCTAVA

JACOBI CUJACII J. C.

CONSULTATIONES

JACOBO GUESLÆO

NOBILI ET HONESTISSIMO ADOLESCENTI

JACOBUS CUJACIUS S.

Non habeo hoc tempore ex æqualibus tuis cui debeam potius Consultationes meas offerre quam tibi, qui me supra omnes disciplinamque meam complecteris studio singulari, ceterosque omnes qui in Schola nostra versantur longe antecellis cum ingenii laude, tum industria et diligentia admirabili. Certum erat eas mihi jamdiu uni ex studiosis meis offerre, et cui potius cum valde penderem incertus, te viso protinus expedivi. Animadverti enim in te præclaram illam effigiem humanitatis, et probitatis parentis utriusque tui, conjugii omnium sanctissimi, quod te feliciter extulit eduxitque principem, animadverti candorem, et comitatem morum eximiam, et ceteras omnes elucere virtutes, quibus domus tua præpollet, quæ me tanto tibi domuique tuæ addixerunt, quanto quæ sunt hisce contraria abdicarunt aliis plerisque. Denique non dicam initia, sed virtutes ipsas in te animadverti pene jam omni ex parte, et arte perfectas, quæ vere vicere solæ, ut has Consultationes tibi dicarem soli. Cum enim jacerent inter commentariolos, et memorialia mea, ne perirent, ut aliæ multæ quarum mihi cautius adservandarum studium non fuit, cavendi ratio nulla melior visa est, quam si eas in unum corpus lectas et compositas in publicum emitterem. In his invenies me nihil adserere sciente animo meo, nisi quod est verum et æquum, nihilque adservire consultorum cupiditatibus, sed ut quæque mihi proponitur juris quæstio, ex vivis fontibus juris haurire me quod dirimendæ ei rei proprium est atque conveniens. Vox est de via collecta, et verissima, Consilium rem esse sacram. Hanc secutus tanquam divinam, existimavi non minus religiosos nos in consulendo quam in interpretando, vel reddendo jure esse debere, et vel optaverit etiam vir probus id sibi mali evenire rebusque suis quod alteri suaserit, vel consuluerit male, juxta illud Theognidis, Εἴποτε βουλεύσαιμι, φίλῳ κακόν, αὐτὸς ἔχοιμι *quam ut unquam aberret recto consilio. Et quod memini me legere apud Justinianum aliquando, eundem non male ei rei judicem addictum de qua ante consultus fuerat, id quid est, nisi eandem in jurisconsulto et judice religionem esse debere? Ad hæc invenies, lectissime Adolescens, non eam me in scribendo rationem sequi, qua plerique omnes consulti, abhinc jam fere abiere centum anni, cœperunt more pravo, prævaro, litigandi potius quam justitiæ tradere vias, ut Eubulus ait,* οἰκτίων ἀνέμων ταμίαι, ἄξονατ' ἀξονίοισι γράφοντες, καὶ νόμον ἐκ νόμου ἕλκοντες, *sed quam in suis responsis Papinianum, Julianum, Scævolam, et alios veteres Jurisconsultos videmus insistere, ad eam me contendisse, et aliquanto propius accessisse, certe a consuetudine illorum longe abhorruisse, longe silvis illis maxime frigidis et opacis, ne dicam captiosis, et falsis allegationum, et nullius momenti auctoritatum, quas et diligentius quæsitas ex eis omnes plerasque vix usquam quisquam reperire potis sit, quibus tamen nudis, et nullis illorum consilia refertissima sunt, ac præcipue ne sorderent mea,*

illorum dictis vulgaribus, vel ut loquuntur Brocardicis, quæ sibi ut essent suæ prudentiæ, quam juris scientiæ venditant nomine falso, fundamenta fabrefecerunt, me reperies cavisse summopere. Una in re tantum forte an coarguar horum esse similis, veterum dissimilis, quod legum capita quibus fulcio sententias meas subnotare satis habeam, nec ipsa proponam auctorum verba, quæ utique veteres non severiores quidem aut simpliciores, ut Scævola, sed accuratiores scribentes aliis exponere solent, et quæ mediæ ætatis Jurisconsultum quendam, cujus nomen mihi compertum non est, videmus exposuisse in ea Consultatione quam meis pro exemplo singulari illius ætatis acceptam ab Antonio Oiselo viro omni eruditione, et virtute præstanti, præfigendam esse duxi. Sed id equidem ego ideo ab eis factum opinor, quod tum non essent in manu passim omnibus scripta Juris auctorum, quodque eorum pauci admodum possessores essent, ut vel ætas Justiniani probavit, qua unus tantum repertus est Tribonianus magnus Jurisconsultus, qui ad componendas Pandectas magnam veterum Juris auctorum copiam suppeditaret. Hæc ætas felicior, qua patent in promptuque cuique sunt volumina Juris, ut ob id recte, mea quidem sententia, hac in re saltem una sequi maluerim de populo juris legumque consultos novos., et locos notare tantum unde auctorum verba peterentur, quibus quod respondissem approbaretur, meliore tamen fide quam illi soleant, quibus sæpe falsos locos notare pudori non est, aut quod pene idem est, generaliter et perfusorie consultorem remittere ad ea quæ Doctores illo vel illo loco notant, in qua perfusione, aut errat certe dolus aliquis aut ignorantia mera. Quod vero longe aliter me gesserim in hac Consultationum parte, et gesserim perinde ac soleo in aliis partibus officii mei, ut tui est ingenii præclara indoles atque natura, non dubito quin eo gratiore animo sis eas excepturus: et nihilominus rogo, ut eas libenti excipias, et munus hoc meum liberale ut tibi sit, si me amas, ut me a te amari sentio, stimulus veluti subcisivus satis incitato, ad tuendas et excolendas virtutes eas quas in te familiaque tua ante laudavi, per quas te pergas cum annis adolescentem, omni conatu his quorum sanguine prognatus es præstare simillimum. Vale. Lutetiæ Id. Maj. M. D. LXXVI.

Quam veterem Consultationem ab Oiselo acceptam primus Cujacius edidit, atque consultationibus suis veluti exemplar singulare præmisit, eam ex editione Parisiensi Anni MDLXXXVI, aliquantulum in fine locupletiorem eruditissimis quoque Antonii Schultingii adnotationibus visum est commodissimum illustrare. Nam si quæ reliqua in ea e' Julio Paulo præcipua continentur, satis a Cujacio ipso explicantur lib. VII. Observat. c. 26.

CONSULTATIO

VETERIS CUJUSDAM JURICONSULTI

I. Consuluisti me (1) utrum inter fratrem, et sororem habita de rebus dividendis pactio virtutem aliquam possit retinere, quam tamen pactionem dicis mulierem illam metu mariti, et imperio subscripsisse, et ignorasse quæ vel quales condiciones ipsi pactioni fuissent inditæ, vel insertæ. Ergo si ita est quemadmodum tua Consulatione significas, pactum hujusmodi jure dissolvitur, nec stare poterit, quia legum beneficiis omnimodis impugnatur. Primoreque (2) juxta id, quod proposuisti capite, inviti pactio et metu coacti ipsis legibus de pactis clamantibus apertissime infirmatur: nam manifeste constitutum est, ne quispiam pacisci cogatur invitus. Dein textus memoratarum legum sic continet, quas libero arbitrio, et voluntate confecit. Quis erit tam destitutus sapientia et vacuus intellectu, ut dicat illam pactionem fortem, et firmam esse debere, quam mulier metu coacta mariti subscripsit imperio? Ac sic liberam voluntatem, et proprium arbitrium non intelligitur habuisse. Ac per hoc ipso legum capite, sicut jam supradictum est, tale pactum nullius judicatur esse momenti, quantum leges subter annexæ testantur. *Ex corpore Gregoriani* (3) *lib.* II. IMP. SEVERUS A. *Julio Conserturino.* « Ea quæ per vim et metum » gesta sunt etiam citra principale auxilium irrita esse debere jampridem constitutum est. » *Accepta Kal. Jul. Dextro II. et Crispino Coss. Item alia ex corpore, et libro supradicto Imp. Antoninus A. Juliæ Basiliæ.* « Pacta quæ ab invitis contra leges constitutionesque fiunt, nullam vim habere indubitati juris est, » etc. PP. V. *Kal. Aug.* ANTONINO A. VI. *et Albino Coss.* IMP. ALEXANDER A. DIONISIO ad locum (4). Pa» ctum quod male fide factum est, irritum esse, etc. » PP. II. *Id. Sept.* ALEXANDRO AUG. Cos. *Item alia eodem libro et corpore.* IMPP. DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS AA. AURELIO HERACLIDI. « Si non ex mandato » uxoris tuæ, adversario ejus cautionem remisisti, idque evidentibus documentis monstrari potest, quod » citra conscientiam uxoris tuæ, et ea invita factum est, carebit effectu PP. » VIII. *Id. Sept. Diocletiano V. et Maximiano III. Coss. Item alia eodem libro et corpore.* IMPP. CARUS *et* NUMERIANUS AA. AURELIO. » Cum fraudis studio transactionem interpositam esse dicas, quod inter vos gestum est infirmat juris » auctoritas » Et reliqua. PP. VI. IDUS DECEMBRIS CARO *et* CARINO CONSULIBUS. Ergo si leges servantur, et custodiuntur principum statuta, pactionem de qua locuti sumus manifestissimum est nullas vires habere. Nam hoc loco Theodosiani legem (5) de pactis pro hoc credidi inserendam, quia initium ipsius constitutionis tale est, ut dicat. « Si adversum pacta, vel transactiones, quas libero arbitrio, et voluntate » confecit, putaverit esse veniendum, et pœnam reddat et emolumenta perdat, et infamiam incurrat. » Sed ille qui liberum arbitrium habuit, non ille qui invitus fecit, et faciendi voluntatem non habuit.

II. Secundo loco me consulendum sub hac voce duxisti, ut diceres divisionem in castello sic factam a marito mulieris ipsius, ut illa nesciente, domus cum membris suis vel hospitiis circumjectis divisa sit sine conscientia uxoris. Si ea prædictus maritus fecerit, nulla æqualitate servata, nulla compensatione in omnibus custodita, ad hæc verba ex legum constitutione respondi, maritum in negotiis uxoris sine

(1) *Non una hic Consultatio, sed plures videntur congestæ esse: atque inde effectum, ut bis aliquando vel sæpius eadem de re et ex professo respondeatur: verbi gratia, de transactione, de re judicata* n. 4. et n. 6. et ult. *Prima vero consultatio tria habet capita:* et n. 4. *incipit secunda. Commodum igitur fore existimavi, si in partes hæc dividerentur, quod ex parte observatum est in Edit. Parisien.* 1586. *et numerus cuique parti præponeretur.*

(2) Primoreque) *Paris. jam laudata in marg.* primo ordineque. *Nihil mutandum, maxime cum et ita alibi locutus sit ipse auctor, ut. n.* 5. *et* 6.

(3) Corpore Gregoriani) *Auctor hic non est usus integro Codice Gregoriano, aut Hermogeniano, sed Breviario Alariciano. Vide* (*Schultingium*) *ad princip. fragmentorum Codicis Gregoriani. Leges vero ex illis Codicibus desumptas, inter illorum reliquias collocatas, et illic illustratas invenire licebit: adeoque hic illas prætermittemus intactas.*

(4) Ad locum) *Vide Schultingium ad* l. 14. Cod. Gregorian. de pact. et transactionib. *Quæ hic sequuntur sunt particula* l. 4. eod. Cod. et tit.

(5) Legem) *Inserit hic quædam ex* l. ult. Cod. Theod. de pact. et transactionib. *quæ est* l. 40. C. de transactionib. *non tamen verbotenus.*

mandato non rocte aliquid definire, nec posse aliquid firmum et stabile esse, qnod sine conacientia uxoris sino mandato non recto aliquid definire, nec posso aliquid firmum et atabile esse, quod sino conscontia uxoris de rebus uxoriis visus fuerit transegisso (1): præsertim si doceatur inutilis esse, et sine æqualitate, vel compensationo ipsa divisio. Notum est, quod etiamsi mandato uxoris niteretur, et frandulenta divisio vel minus æqualis (2) posset ostendi, vacua et inania apecialitor remaneret. Addo quod ajno uxoris conscientia maritus dicitur definisse, qualem poterit habero virtntom? aut quid valobit cum primum uxor hoc rofragari voluerit? Sed ne forte dicat, amplexa es divisionem, et acqnieviati rebus divisis, respondendnm est legaliter, ot pro omni veritate hoc specialiter babendum, quia etiam inter majores personas, et legales (3) si fraudulenta divisio facta probetur, legibus rescinditur, ot a judice divisio ipsa æstimantibus magnis viris ad meliora reducitur, et facta compensationo firmior divisio constituitur, sicut lex infra acripta evidenti lectione declarat. *Ex corpore Gregor. libro* III. *Imperatores Diocletianus, et Maximianus*, AA. *Aureliæ Severæ*. « An divisio quam jam factam esso proponis convelli debeat, rector » provinciæ præsento parte diversa diligenter examinabit, et si fraudibus eam non caruisso perspexerit » quando, etiam majoribus perperam factis divisionibus soleat aubveniri, quod improbum atquo inæqua» biliter factam esse constiterit, in melius reformabit. » PP. XVII. *Kal. Jul. Ipsis* VI. *et Constantio* III. *Coss.* Item alia eodem libro, ot corpore. *Impp. Diocletianus et Maximianus* AA. *Aproniæ Mammæ*. « Si » divisio inter te, et sororem tuam non bona fide facta est, etiam citra principalis restitutionis auxilium, » quod etiam majoribus tribui solet, ad æquitatis temperamentum reformari potest, etc. » PP. VI. KALENDAS JULII. MAXIMIANO II. et AQUILA CONSULIB.

III. Tertio loco, vel capito interrogandum me specialius censuisti, utrnm contra judicinm iri possit, quod adversus maritum in causa mulieris prius datum est, eo quod mandáto usus fuerit uxoris suæ, ot in causa ipsa victus abscesserit, et contra eum judicium prolatum fuerit. Addidisti etiam qnod mandatum neque gestis legaliter fuerit allegatum, nec satisdatorem dedisset illo ipse procurator ab uxore factus, et sic causam dixisset, quam agebat. Quod si verum est, illud judicium dici non potest. Sed nec judices sine verecundia, et turpitudino erunt, qui personam in ipso litis initio non inquisierunt, sicut est legitimum: nec fecerunt ut satisdatorem daret procurator, quod ot consuetudinis est, et revora legaliter observatur. Ac præterea si hoc factum non ost, nullam personam habuit litigandi. Sed nec illi potuerunt in causa proferre judicium, ubi fuit ludificatoria, inanis, et nulla persona. Quid potest esse miserius? quid abjectius? Quid legibus sic contrarum, ut ingrediatur audientiam sedentibus judicibus ille qui nullam in se habeat firmitatem, et citra legum solemnia vanas actiones intendat. Respice leges subter adjectas: Tunc intelliges, quod qui mandato utitur, satiadatorem dare debet. Sed in illo mandato hoc futurum eat, ubi aut verbo mandatur, aut gestis epistola mandati non logitur allegata. Ergo testimonium legum, sicut jam dictum est, sequentium diligenter attendite. Sic agnoscetis judicium stare non posse, ubi ad agendum solemnis persona, id est solemniter ordinata, ingressa non fuerit. *Ex Pauli Sententiarum lib.* 1. « Voluntarius procurator, qui se negotiis alienis offert, rem ratam dominum habi» turum cavere debet. » *Item alia eodem libro, et corpore*: « Actoris procurator non solum absentem » defendere, sed et rem ratam dominum habiturum satisdare cogitur. » *Item alia eodem libro, et corpore*: « Petitoris procuratorem ratam dominum habiturum desideranto adversario satisdare cogendus est; » quia nomo in re aliena idoneus ost aine satis datione. » *Item alia eodem libro, et corpore*: « Si satis » non det procurator absentis, actio ei absentis nomine non datur. » Quid apertius, quam leges supra scriptæ declarant, quod nulla actio per procuratorem sino satiadationo intendi potest, aut proponi? Ergo si actio non datur illi procuratori, qui satis non dederit, quomodo poterit dici, ant nominari judicium ubi accusationis (4) vestigium nullatenus invonitur? Quid testificantur principes per constitntiones innumeras, nisi nulla esao debere judicia, ubi procnrator satiadationem non dederit, aut rem ratam dominum habiturum ovidentissima aponsione firmaverit? Attentus audi quid loquitur lex subter adjecta: tunc intelliges cadere judicia, quæ sine procuratoria satisdatione fuerint omnino prolata. *Ex corp. Theodosiani lib.* II. *Impp. Valentinianus, et Volens* AA.: « Commune negotium, (5) et quibusdam absentibus agi po» test, si præsentes rem ratam dominum habiturum cavero sint parati; vol si quod ab his petitur, judicatum solvi satisdatione firmaverit. » PP. VI. *Id. Decem. Divo Joviano, et Varron. Coss.* Itom eodem libro, ot titulo. IMPP. GRATIANUS VALENTINIANUS, et THEODOSIUS AAA. PANCRATIO PP.: » In principio (6) quæ» ationis persona inquiri debet, utrum ad agendum negotium mandato utatur accepto: quibus rite, ot solemniter

(1) V sos fuerit transegisse) *Hoc est, transegerit. Crebra talia in Codice Theodosiano, quæ collegit Jac. Gothofredus* Glossar. Cod. Theod.

(2) Minus æqualis) *An ergo omnis inæqualitas per se sola divisionem faciet inutilem? Id non videtur, nisi sit facta non bona fide, vel perperam: nec plus evincunt sequentia, et leges mox prolatæ*

(3) Legales) *Legitimæ ætatis. Alibi ita dicuntur a posterioribus scriptoribus qui personam habent standi in judicio. Vide Du Conge Glossarium*

(4) Accusationis) *Res ipsa vult legi*, satisdationis.

(5) Commune negotium) *Est.* l. 2. Cod. Theod. de cognitorib. et procuratorib. *Cujus legis, ut et aliarum ex eodem Codice desumptarum, explicatio peti poterit o Jac. Gothofredo, Codicis illius interprete eruditissimo*

(6) In principio etc.) *Est l.* 3.

« constitutis potest esse sententia: præteritis autem his nec dici controversiæ solent, nec potest esse judicium, etc. » *Dat. prid. Non. Apr. CP. Antonino, et Syagrio Coss.*

IV. In nomine Dei, quid tractari aut observari debeat quoties pacta inter partes emissa fuerint, si condiciones tales interponantur, quæ nec legibus nec rationi conveniunt, quid agere, aut objicere adversario debeas lectionibus subter adnexis poteris evidentius informari, quod tantum de dubiis rebus pacisci (1) possumus. De rebus enim certis, et incertis, et futuris (2) aut de crimino transigi nulla ponitus ratione potest. *Paulus Sent. lib. 1. tit. de pact. et conventionibus, vel transactionibus:* Functio dotis » pacto mutari non potest, quia privata conventio juri pubblico nihil derogat. In bonæ fidei contractibus » pactum conventum alio pacto dissolvitur, et licet exceptionem pariat, replicatione tamen excluditur. » *eodem lib. et tit.* Enimvero si de re judicata aliqua pactio interponatur, atare legibus non potest, ad quam pactionem excludendam, harum Pauli sententiarum proferes lectionem. « Post rem judicatam pactum nisi do- » nationis causa interponatur, servari non potest, *lib. 1. tit. de transact.* Item *eod. lib. et tit.* Neque contra » leges neque contra bonos mores pacisci possumus. De criminibus propter infamiam nemo cum adversario » pacisci potest. » Idem *lib. 3. de instit. hæred.* Pacta vel condiciones contra leges, vel decreta principum, vel « bonos mores nullius sunt momenti. » *Ex corpore Hermogeniani* (3) *tit. de pact. et transact. Impp. Diocletianus, et Maximianus* AA. *Sebastiano.* « Neque ex nudo nascitur pacto actio, neque si contra bonos » mores verborum intercesait obligatio, ex his actionem dari convenit; et reliqua. » PP. IV. Kal. Jun. iisdem Coss. Item *eodem corpore, et lib.* (4). *Iidem* AA. et CC. *Flavio Rumitalo.* Inter cetera, et ad locum. « Pactum neque contra bonos mores neque contra leges emissum valet: et reliq. » PP. *Id.* * AA. *Coss.* Item eodem corpore, et titul. *Iidem* AA. et CC. *Zeuxiano Antonino.* « Pacto transactionis exactio » judicati non tollitur. Unde si pater tuus condemnatus judicio, post transegit, et solvit, solutione ma- » gis, quam transactione tuum defende negotium, et reliqua. » PP. XVIII. *Kal. Jan. ipsis* AA. *Coss.*

V. In Dei nomine, quid tractari debeat quotiens adversarius aliqua sibi direpta, sublata, proposita intendit actione reposcere: priore (5) in loco debet personam suam, quæ sit ad repetendum idonea, evidenter ostendere. Et dum claruerit eum ad repetendum personam habere legitimam, in genere actionis quid aut quantum, aut quas species in modum, et mensuram vel summam; et quantitatem, debet specialiter designare, et indubitanter exprimere. Quæ universa secundum leges subter adnexas, hi qui judicaturi sunt, potitorem implere compellunt; qui si aut negligere, aut satisfacere legibus fortasse nequiverit, caussam perdat, secundum leges subter adnexas. Quibus modis causa petitor cadat, leges *lib. 1. Paul. Sent. tit. de eo, qui cau. cadit.* (6) Ita: « Causa cadimus, aut loco, aut summa, aut tem- » pore, aut qualitate. Loco, alibi (7): Summa, in repetendo: tempore, ante petendo: qualitate, ejus- « dem rei speciem meliorem postulando. » Item *lib. 1. Pauli Sent. sub titulo, Si hæreditas, vel quid aliud petatur:* « Hæreditas pro ea parte peti debet pro qua ad nos pertinet. » Alioquin plus petendi periculum incurrimus, et caussam perdimus. *Ex corpore Hermogeniani tit. de calumniatorib. et plus petendo. Impp. Diocletianus, et Maximianus* AA. *Aurelio Dextro.* Inter cet. et ad locum. « Si tutor vel » curator plus petierit, causa cadit: quod cum factum esse dicas, frustra a nobis remedium quæris, » quia te ratio juris impugnat. » PP. IV. *Id. Decemb. Nicomedia* COSTANTIO ET MAXIMO Coss. Idem eodem corpore. ET IISDEM (8) AA. ET CC. CLAUDIO MENANDRO. « Quotiescumque ordinatis actionibus aliquid petitur, » ideo petitor cogitur specialiter genus litis edere, ne plus debito, aut eo quod competit, postuletur. Sive » itaque fideicommissum, sive fundus, sive pars fundi, sive domus, sive pars domus, sive debitum, aut » quodcumque petatur, specialiter designari debet petitionis summa, vel quantitas cum genus litis editur. » Si quis igitur plus ab eo, quod ei competit, vel debetur petierit, rem et causam, de qua agitur, perdit: » plus enim petitur, sicut responsis prudentum continetur, summa, loco, tempore, causa, qualitate, æsti- » matione. » Unde latius (9) lege rescripti excipe adversarium apud judicem competentem, quem si judex plus petiisse perspexerit, extinctis adversarii tui petitionibus pro partibus tuis sententiam dicet. PP. MEDIOLANO. XII. KALENDAS APRILIS, TUSCO, ET AQUILINO Coss. Hic require, qualiter actionis editio pulsato fiat.

VI. Juvante Deo quid tractari debeat adversus eum, qui se hæredem dicit alicujus, aut ad se hæreditatem personæ cujuslibet æstimat posse competere. Et dum agere forsitan tentaverit, primore in

(1) Pacisci) *Pro* transigere; *pacta enim gratuita etiam de re judicata valere constat: et dictum satis* (*a Schultingio*) *ad Paulum*, Sentent. lib. 1. tit. 1. §. 5.

(2) Et incertis et futuris) *Genev. Ed.* 1586 et in certis futuris: *quod tamen nec ipsum stare potest: quid enim certius est, quam de rebus incertis, et futuris transigere non posse? Si legeretur*, nec incertis futuris, *sensus saltem esset commodus.*

(3) Ex Corpore Hermogeniani) *Et hinc desumptæ leges in illius Codicis reliquiis repositæ et illic* (*a Schultingio*) *explicatæ invenientur.*

(4) Lib) *mollem* tit. *ut titulus sic solus citetur, quod etiam alibi fit, non liber.*

(5) Primore) *Sic* n. 1.

(6) De eo qui causa cadit) *In Sententiis Pauli nunc est* de plus petendo.

(7) Alibi) *Apud Paulus est*, si alibi: *et mox:* summa, si plus, quam damus, petimus: *et dein*, tempore repetendo ante tempus, et postulantes, *quod ultimum est etiam in Ed. Parisien.* 1586.

(8) Et iisdem) *malim*, Iidem, *vel* et Iidem: *sunt enim hæc non subscriptio rescripti, sed inscriptio.*

(9) Unde istius) *Ead. ed. Parisien.* Unde instructus istius *etc.*

loco debet evidenter ostendere se personem habere legitimam, et hoc dum ostenderit, ut juris legumque distat auctoritas, genus actionis edere debet, in quo manu sua subscribat, quo dato genere actionis, acceptis triduanis induciis, quarto die respondeat adversarius suus, ut leges precipiunt, responsionibus salvis pulsato, quæ de jure, et legibus suffragantur; salva etiam actione calumniæ, quie dum calumniator qui pulsat ostensus fuerit, qualis sit pœna calumniæ legibus subter adnexia ostenditur, sic tamen ut ipse probet quemadmodum sua interest, et ostendat ad so universa quæ repetit pertinere. Illud præcipue summa cum cautela observeri oportet, ut si edversarius scripturam aliquam donationis ostenderit, et primore in loco fidem faciat scripturæ, quam dum fecerit, in eadem munificentia singulæ quæque res si scriptæ fuerint, quæ donantur, sicut leges jubent, valet facte donatio: et si eas dum vixit in bonis suis habuit, aut ejus juri, vel dominio competebant, aut si lite contestata de hac luce migraverit, quæ universa qualiter, et quibus modis adstruere, defensore (1) vel adversario divinitatis auxilio resistere debeas, inferius continentur adscripta. Et ne forte dicet adversa pars, aliqua sibi principali rescripto, aut præceptione fuisse concessa, ed hujusmodi (2) versutiam potest pulsatus modis omnibus replicare, principem ea semper velle concedere, quæ legibus rationique conveniunt: quia causa, quæ nullam de legibus sortitur firmitatem, in præjudicium alterius a principe non potest sumere firmitatem, eicut idem inferius declaratur. « Petitio hæ» reditatis, cujus defunctus litem non erat contestatus, ad hæredem non transmittitur. *Lib. 1. Sententia» rum, titul.* 6. *Si hæreditas, vel quid aliud petatur:* Qui petit hæreditatem, ipse probare debet ad se » magis, quem ad eum, qui possidet, sive ex testamento, sive ab intestato pertinere. Idem *eodem libro » Sententiar. receptarum, eodemque titulo, si hæreditas, etc.* Eas res quas quis juris sui esse putat, pe» tere potest; ita tamen ut ipsi incumbat necessitas probandi eas ad se pertinere. Idem *eod.* leges *lib. et » tit.* 4. (3) In petitione hæreditatis ea veniunt, quæ defunctus mortis tempore dereliquit, vel ea, quæ post » mortem ante aditam hæreditatem ex ea quæsita sunt. *Eodem lib. et tit. Si hæreditas, vel quid aliud » petatur: lib II. Sentent. Pauli tit. ex empto, et vendito:* Hæredibus debitoris adversus creditorem, qui » pignora, vel fiducies distraxit nulla actio datur, nisi a testatore incboata ad eos transmissa sit. *Lib. III. » Paul. Sentent. tit. de Legatis:* Post diem legati cedentem actio, quæ incboata non est, ad hæredem non » transmittitur. Item qualiter donatio fieri debeat, *ex corpore Hermogeniani tit. de Donat. inter vir. et uxor. » Impp. Diocletianus, et Maximian.* AA. *Septimio Sabiniano:* Cum de bonis tuis partem quidem tertiam » penes te retinuisse, partem vero tertiam in eum, quem tu in potestate habebas, ac tertiam in eman» cipatum donationis titulo contulisse commemores, non est juris incerti in eum quidem, qui in sacris fa» miliæ tuæ remenet, destinationem magis paternæ voluntatis factam, quam perpetuem donationem per» venisse, nec in emancipatum tranalatam, si generaliter idem pater tertiem bonorum donasti, quis gene» raliter bonorum portionem donare non posses: cum singulæ res nominari debeant, quæ donatione, » emancipatione, vel in jure cessione transferuntur; et reliqua. » *Dat. Prid. Kal. Maji, Heraclea, ipsis* AA. *Coss.* Idem *eodem lib. et titul. Impp. Diocletian. et Maximian.* AA. *Cretiano Maximo:* « Nec venditio » donationis causa bonorum omnium valet, sed rerum singularum nominatim donatio facta capit effectum, » etc. » *Dat.* VIII. *Kalen. Januar. Cæsarib. Coss.* Item leges, (4) legatum si per codicillos dimissum fuerit, sine testemento valere non posse. *Ex corpore Hermogeniani tit. de donat. inter vir. et uxor. Iidem* AA. *et* CC. *Aurelio Altino.* Inter cetera et ad locum: « Codicillus autem sine testamento legatum, nec adimi, nec » dari potest. *Datum sub die* VIII. *Kal. Januar. Nicomedia* CC. *Coss.* Item leges, qua pœna calumniatores » plectendi sint. *Ex corpore Hermogeniani tit. de calumniatoribus. Impp. Dioclet. et Maxim.* AA. *Quintiano:* » Tibi magis, quam adversario, qui per calumniam petit, contra quem supplicas, judicio tutelæ convenit » excipere actionem, ad quam respondere debes; quippe ei per calumniam hoc eum facere confidis, reme» dio repromissionis initio postulatæ calumniæ decimæ partis ejus, quod petit, tibi condemnari eum de» siderare potes. » PP. *Kalend. Novemb.* AA. *Coss.* Item leges, qualiter petitor probare debeat, quod intendit non ab adversario instrui. *Ex corpore Hermogeniani titul. ad exhib. Impp. Dioclet. et Maximian.* AA. *Aurelio Diogeni:* « Nimis grave est, quod petitis, urgeri ad exhibitionem partem adversam eorum, » per quos sibi negotium fiat; unde intelligitis, quod ad intentionis vestras proprias adferre debeatis pro» bationes, non adversum se ab edversariis adduci. PP. *Kalen. Maji.* AA. *et* CC. *Coss.* Idem *eodem corpore » tit. ubi ag. deb. Impp. Dioclet. et Maximian.* AA. *Plavianæ.* Inter cetera, et ad locum: Quæcumque ad » od te pertinentia detineri dicis ab his, quorum meministi, vel probaveris tibi deberi, præses provinciæ » restitui providebit. » PP. VII. *Id. Januar.* AA. *Coss.* Idem *eodem corpore tit. de instrum. Impp. Diocletian. et Maximian.* AA. *Julio Pancratio.* Inter cetere, et ad locum: « Omissis itaque istiusmodi moris, si inten» tionem suam incipiat edversarius tuus implere, præscriptionibus temporis, vel alterius, et tu causam » magis tuam defende, habens securitatem victoriæ, si quod intendit adversarius tuus, probationibus implere

(1) Defensore) *An, et defensori?*

(2) Hujusmodi) *Ita ead. ed. Par. Aliæ, (inter quas Fabrotiana)* hujus mali, *non recte.*

(3) Tit. IV.) *Forte delendus numerus, qui non est verus, nec ad rem facit.*

(4) Item leges etc.) *Hoc nihil pertinet ad præcedentia: ad quæ tamen iterum ex sequentibus alia spectant. Sed nec in principio distincte proponuntur omnia, ad quæ deinceps respondetur: Quod sequitur* dimissum *notat* relictum. *Ita sæpissime Anianus. Plurima collegit Aleander ad* Caj. Instit. lib. II. tit 7 §. 8.

» non possit. » PP. DD. *Dioclet.* V. A. *et Maximian.* A. *Coss.* Item leges, quod scriptura, quæ nulla de legibus habeat firmitatem, firmari a principe non debet. *Eodem corp. tit. de testament. Impp. Diocletion. Maximian.* AA. *Aurelio Secundino Optioni.* Inter cetera, et ad locum : « Scriptura, quæ nec jure, nec » legibus consistit, nec a nobis hanc confirmari convenit; quippe cum beneficia citra cujusdam injuriam » petentibus decernere minime soleamus. » PP. VII. *Kalend. Novemb. Martionopoli.* CC. *Coss.* Item leges, qualiter quod actor habuit, hoc ejus hæredi possit competere. *Ex corpore Hermogeniani titul. de successionib. Impp. Dioclet. et Maximian.* AA. *Aurelio Asterio.* Inter cetera, et ad locum. » Si secundum edicti » formam testamentum obsignatum extitit, bona quæ cum moreretur actor tuus, ejus fuerunt, solem» niter petes; et rel. » PP. III. *Kalendas April. Sirmio* CC. *Coss.* Idem *eodem corpore, tit. de pact. et » transact. Imp. Dioclet. et Maxim.* AA. *Eusebio.* Inter cetera, et ad locum : » Manifesti atque evidentis » juris est, antequam cerneret, vel pro hærede gereret, vel bonorum possessionem peteret defuncta, » successionem, eam non potuisse ad hæredes suos trasmittere. » PP. X. *Kal. Mart. Iisdem* AA. *Coss.* Item leges, qua pœna calumniatores plectendi sunt *lib.* 1. *Sentent. tit. de calumniator.* « Calumniosus est, qui » sciens, prudensque per fraudem negotium alieni comparat. » Idem *lib.* V. *tit.* (1) *de privat. et pub. judic.* » Omnes calumniosi extra ordinem pro qualitate admissi plectendi sunt ».

VII. Quantum ad nos delatæ pactionis textus insinuat, potius contra bonos mores chartola ipsi litigi seminarium propagavit, quam tum utili deliberatione adsurgentium jurgiorum scandala resecavit. Dignoscitur itaque calliditas dictantis non habuisse prudentiam. Dum igitur contra legum jurisque ordinem veniens justam arbitrii ignoravit custodire mensuram, quæ tanta duarum personarum dignitas potuit reperiri, aut quæ intra regionem tanta fuit defectio judicantium, ut nec triumvirale judicium etiam de rebus judicatis male paciscentium non tam electio, sed quod verius constat facilitas eligeret: de rebus enim judicatis soli principi, et contra judices licuit judicare, aut si ita convenerat, ut judicii vinculum solveretur. Ergo pactio ipsa judicii ordinem, et constitutionem infirmat, quæ discingit; quod tamen non paciscendo, sed donando fieri potuisset, secundum sententiam Pauli juridici: cujus sententias sacratissimorum principum scita semper valituras, ac divalis constitutio declarat. *Pauli Sentent.* 1. *lib. de pact.* « Nec » contra leges, nec contra bonos mores pacisci possumus ». Item *eodem lib. et tit.* « Pactum contra jus, » aut constitutiones aut S. C. interpositum nihil momenti habet ». Item ex corpore Pauli de *pact. et conventis.* « Post rem judicatam pactum nisi donationis causa interponatur, servari non potest ». Intelligis memoratæ pactionis constitutionem juridici auctoris sententiis vacuam. Quid inquam ulterius requirendum? dicit pars adversa: pacti sumus libero arbitrio, nullo cogentis imperio tibi, et bonis moribus constat (2). Si certum, non contra jussa, et senatusconsulta (3), quæ judicata sunt, prius effectui contradantur; et de his, quæ altercationi superesse noscuntur, sit dignus, ac legalis numerus judicum, qui cuncta lata sententia moderata ratione discingat. Certe, si necesse est rusticis improbisque moribus aliquid amplius satisfieri, ipsi duo, quos præfata carthola nominavit sub præsentia electarum personarum, defensore quoque adhibito appellentur, ut si præsumunt, aut putant justum, vel legale, audiant quæ partes jurgantium crediderint intimanda, et si ipsius cartholæ, quæ jam dignoscitur juris formulis vacuata, modum æstimant se supplere, promant de agnitis legis sententiam, tunc et ipsi sentient, quid sit temeritas judicantis, ubi minor numerus post majorem, præterea et religiosorum, quos non summi pontificatus honor attollit, contra res judicio terminatas præsumpserit ferre sententiam, ac si destiterint, contestatio allegetur, illos aut differre, aut non præsumere, aut electionem impleant paciscentium. Demum, si quæ in contentionem veniunt, aut ampliori numero judicum, aut summæ potestatis sunt arbitrio decernenda. Deinde vero, quod minime fuerat necessarium consultationem nostram tuis utilitatibus sciscitari (4), si avus maternus nepoti aliqua contulisse noscatur, utrum in jure ejus manere debeant, an matri in possessione sua consorti persuasionibus lubricis imputari, pro eo furtasse, quod usufructuaria de proprietate filii constituta, ac si filiæ proprium, vel cuilibet extraneo aliquid reliquisset, domino de facultate sua testari non licuit (5). Cumque etiamsi pater filio superesset, nec ad ipsum ab avo materno, quod nepoti collatum fuerat, pertineret: ut etiam C. Th. declarat auctoritas, quod tamen superfluum penes electas magnificasque personas fieri judicamus: sed necesse est, ut ignorantia rusticitatis, vel tergiversationis iniquitas directis semper oblationibus comprimatur. Ex Theodosian. lib. IX. (6) sub tit. *de mat. bon.* (7) *et mat. gen. cretiane sublato. Impp. Hono. et Arcad.* AA. *Florentio præf. urb.* ad locum : « Quicqnid avus, avia, proavus, proavia, nepoti,

(1) Idem lib. V. tit. etc.) *In libro Sententiarum primo tit.* 12. (*alias* 20.) *Paulus egit de judiciis omnibus: nec in quinto titulus de judiciis ullus invenitur: imo nec de judiciis, maxime privatis, illic agi debuit iterum. Unde vereor, ne scriptum fuerit olim* comparat. Et in privatis, et in publicis judiciis omnes *etc. quomodo habent Sententiæ Pauli* lib. 1. tit. 5. (nobis 12.)

(2) Tibi et bonis moribus constat) *Ed. Paris.* sibi bonis moribus constet.

(3) Non contra jussa, et Senatusconsulta) *addendum, aut subaudiendum est,* pactum esse.

(4) Sciscitari) *Construendi ratio vellet* sciscitaris. *Littera, s, a qua sequens verbum incipit, semel est omissa, quod non est infrequens.*

(5) Domino de facultate sua testari non licuit) *Dubito, an non ante, vel post hæc interciderit aliquid, saltem doceri debuit, ad matrem nihil pertinere.*

(6) Lib. IX.) *Leg.* Lib. VIII.

(7) De mat. bon. etc.) *Sic Genev. ed. et recte. aliæ (inter quas Fabrotiana)* de mat. et bon. matern. gener. *etc. Pars hæc est legis septimæ* cit. tit. *quæ est in Cod. Justin.* eod. tit. *secunda.*

» nepti, pronepoti, pronepti cujuslibet tituli largitate contulerint, id est, testamento, fideicommisso, legato, » codicillo, donatione, vel etiam intestati successione; pater filio filiæve integra inlibataque custodiat. » *Dat. prid. Id.* (1) *Oct. Mediolano, Olibrio, et Probino Coss.* Luce clarius constitit patefactum, nec matri usum obesse, ut de reliqua facultate possessionem debitam consequatur, et circa nepotem munus aviticum perpetua liberalitate mansurum. Hoc et consultorum jura declarant, quæ necessarium tractatui nostro non duximus adhiberi.

VIII. Adde dum sollicitudinis tuæ cura tractavit (2), ut de effractoribus et manifesto crimine comprehensis, quam judex debuit ferre sententiam, tractatus nostri pagina declaret, aut si maritus quem judiciariæ potestatis cingit auctoritas, de servis qui res uxorias manifesto crimine abstulisse convicti sunt; peremptoriam debuerit ferre sententiam, quasi id objici possit, in propria causa quis judicet stulte, huic lex diversorum principum, quæ infra legitur, opponenda, maritum illa tantum negotia uxoris velut extraneum auctorem prosecuturum, quæ procuratio emissa perscripserit. Ex corpore Theodosiani (3). *Impp. Theodosius, et Arcadius, et Honorius* AAA. *Victori proconsuli Asiæ:* « Procurator licet maritus sit, id solum exequi debet, « quod procuratio emissa præscripserit. » *Dat.* v. *Kal. Jul. Theod.* A. III. *et Abundantio Coss.* Agnoscis maritum velut extraneum causam uxoriam prosecutum. Agnoscis judicem de manifestis reis non potuisse tardare sententiam. Item ex corpore Theodosiani lib. IX. tit. *de accusationib., et inscriptio. Impp. Arcad. et* » *Honorius* AA. « Ne diversorum criminum rei, vel desidia judicum, vel quadam levitatis (4) ambitione » per provincias detenti in carcerem crudelius differantur, moneantur omnes Judices productos e custodiis » reos discussioni (5) debitæ subjicere, et quod leges jusserint definire ». *Dat.* III. *Non. Aug.* CP. *Arcadio* III. *et Honorio Coss.* (6). Hoc etiam specialiter post hanc legem Judex sibi metuat inferendum, quod si dignam tardarit ex lege ferre sententiam, dum principum præcepta despexit, ipse legibus damnabitur. Unde ex corpore Theodosiani. *Impp. Constantinus* A. *et Julianus* (7) *Cæs. ad Taurum* PP. ad locum : « Multabuntur » judices, qui rescripta contempserint, aut distulerint. » *Dat.* III. *Non. Jul. Constantino* A. VII. (8) *et Juliano Coss.* Intelligat nunc improbus accusator cinctum judicem, et uxoris velut externa debuisse negotia definire, et non licuisse, ut alienum rostum metueret, cui de manifestis reis non licuit tardare sententiam.

IX. Ex corpore Hermogeniani (9). *Impp. Valens, et Valentinianus* AA. *ad Volusinianum præfect. urb.* » Post sententiam pacisci non licere, juris ordine præcavetur. Unde cum supplicans inique se oppressum (10) « et post sententiam sacri auditorii depactum esse commemoret, Volusiano parens charissime atque amantissime, amota pœna, quam pacto contra jus facto serenitas tua inesse præviderit, legum auxilio consulat « supplicanti. *Dat.* IV. *Id. Aug. Mediolani. Iidem* (11) AA. *Pompejo Favonio* : Hæreditatem, quam tibi compe» tere jure confirmas, negotii merito discusso, approbatis allegationibus, restitui efficiet legum fonte dema» nans sententia judicantis, remota videlicet pactione, quam dolo patuerit elicitam. » *Dat.* VIII. *Id. Febr. Alleg. Non.* (12) *Kalen. April. in basilica Thermarum. Comm.* (13) *ipsis* AA. *Coss. Iidem Aug. Mamertino* PP. Inter cat. et ad locum : « Pacta quidem (14) per vim, et metum apud omnes satis constat cassata viri« bus esse respuenda. » *Dat.* XII. *Kal. April. ipsis* AA. *Coss. Iidem* AA. *ad Valentinianum Consularem Piceni* : « Non dubium (15) est, eum a fide placiti recessisse, qui quæ promiserat, implere noluit, Valen» tiniane charissime. Proinde si adversario supersedente cominus explicare (16) ea quæ spoponderat, « fides placiti vacillat, familiares litteræ : quas ad se missas dicit, supplici Exuperio (17) non oberunt. » Fines etiam quos temeratos adseverat, amota præscriptione temporis, hi, qui pervaserunt, ut ratio » juris est, redhibere cogantur. » *Alleg.* IV. *Kalend. Maij Flavia Fenestri in Secretario. ipsis* AA. *Coss.* » *Iidem* AA. *Heliæ Bavoniæ:* « Lites trahi, et (18) sub quodam potentiæ terrore infimos fatigari judicio» rum expectat invidia (19) : unde si adversarium tuum longe a filii tui successione positum, hæc in

(1) Prid. Id.) *In* l. 7. Cod. Theod. h. tit. *est tantum* Id.

(2) Adde dum) *Legendum est* Addendum, τὸ *autem* tractavit *videtur sumi pro* existimavit.

(3) Ex corpore Theodosiani) *Lex est* 4. de cognitorib. et procuratorib. *unde quoque aliquid adjectum legi* 21. C. de procuratorib.

(4) Levitatis) *Mallem* lenitatis, *quod est in hac lege in Cod. Theod.* l. 18. cit. tit. *et mox* carcere *rectius illic legitur.*

(5) Discussioni) *Ibidem legitur* disceptationi: *et pro* subjicere *ibidem est* subdere.

(6) Arcadio III. et Honorio Coss.) *Rectius in Theodosiano Codice* Arc. IV. *et Hon.* III.

(7) *Legendum*) Constantinus, *et* Constantius. *Lex hæc est* 5. de divers. rescript. *ubi quoque sic reponit Jac. Gothofredus : et res dubio caret.*

(8) VII.) *Idem Jac. Gothofredus edidit* IX. *et notat, Julianum tunc fuisse Consulem secundo, anno nempe* 362. *sed edd. variare.*

(9) Ex corpore Hermogeniani) *Imo* Theodosiani: *est enim l.* 2. Cod. Theod. de pact. et transactionib. *Novum vero hoc caput est, et a priori distinctum. Quædam vero ante hæc excidisse videntur, inter quæ illa, quorum occasione hanc constitutionem Auctor producit.*

(10) Oppressum) *In d. l. est* oppressam, *et mox* depactam.

(11) Iidem etc.) *Lex est.* 5. eod. tit.

(12) Nonn.) *Abest a d. l.* 5. *Jac. Gothofredus mallet* Rom. *hoc est Romæ, ut sic dicatur hoc rescriptum esse allegatum Romæ.*

(13) Comm.) *Id est,* Commodi, *vel* Commodianarum, *quas thermas in prima regione Urbis fuisse docet. P. Victor* de regionib. urb. Rom.

(14) Pacta quidem *etc.*) *Est l.* 4. Cod. Theod. eod. tit.

(15) Non dubium etc.) *Lex est.* 5. eod. tit.

(16) Explicare) *In d. l.* 5. *est* explicaret, *rectius.*

(17) Exuperio) *In d. l. pro hoc legitur,* magnopere.

(18) Lites trahi, etc.) *Hæc absunt a l.* 6. Cod. Theod. eod. tit. de pact. et transactionib.

(19) Judiciorum expectat invidia) *melius,* ad Judiciorum spectat invidiam, *quod legitur in* d. l. 6.

« te, quæ precibos texuisti excogitasse coostiterit, rector provinciæ hominis, qui nec paciscendi, nec
» conloquendi de negotio substaotiam (1) habuit, impudentiam submnveat (2), reddique faciat quicquid
« claruerit usurpatum, nec (3) impudentia vindicet, quod concedere leges, et jura oon possont; maxime
« cum memores nec a prima pactiooo, quæ substantiam oon habebat, secunda conventione discessum:
« sed etiam ioaniter (4) resedisse, quod non jam pactio, sed quædam usurpatitiis (5) non subsistentibus
« causis immoderatio (6) doceatur. » *Dat.* III. *Kalend. Aug. Mediolani. ipsis* AA. *Coss. Impp. Valens, et Valentinianus* AA. *Ampeliæ:* « Ea quæ (7) hæredes inter se transactione ioterposita composueriot, firma
» illibataque perseverabunt. Et ideo secuodum fideoı instrumenti competens tibi portio a possessoribus
» cum fructibus restituetur, per virum clarissimum Proconsularem (8) Africæ amicum nostrum, fide
» gestorum diligenti examinatione comprobata. » *Dat.* III. *Non Jul. Sirmio, Divo Joviano, et Varron. Coss. Impp. Valentinia. et Valens* AA. *Felici Consulari Macedoniæ.* Ioter cetera, et ad locum: « Si servilibus (9)
« cootuberniis sese mulieres quoodam ingenuæ subdiderint, et nunc contemnentes dominum miooris
« ætatis servitutis jugum conantur effugere, gravitas tua his, qui (10) servilem coodicionem non statim
» in ipsis conjunctionum (11) primordiis refugerunt, necessitatem subeundæ servitutis imponat. » *Dat.* XIV. *Kalend. Aug. Mediolani, ipsis* AA. *Coss.* Ex corpore Gregoriano, *Imp. Antoninus* A. *Prisciano militi:* « Summa
» seotentia (12) comprehensa, quam cessantibus curatoribus quondam tuis judex secutus jurejurandi a
« te perlati religionem in coodemnationem deduxit, mioui pacto non potoit; ac præterea, sublata cau-
» tione transactionis, quæ nullo jure ioterposita est, Septimius, Varianus rem judicatam exequatur. »
PP. *Kalend. Jul. Leto* II. *et Cereale Coss. Impp. Dioclet. et Maximian.* AA. *Ulpiæ Marcellinæ.* « Si præses (13)
« provinciæ igoorantiam tuam fraudolenta traosactiooe, ac dolosis artibus generi tui circumscriptam esse
» cognoverit, si quidem Aquiliana stipulatio, et acceptilatio insecuta noo est, pactum callido scriptum
» integris singulorum actionibus amovebit. » PP. III: *Non. Octob. ipsis* AA. *Coss. Imp. Giordianus* A. *Clyniæ Antoniæ:* « Pacta quæ contra (14) bonos mores interponuntur, juris ratio non tuetur. » PP. *Non. Octob. ipso* A. II. *et Pompejano Coss. Imp. Alexander Aurelio Dionysio:* « Cum posteaquam (15) adversarius matris
« tuæ victus esset, matrem tuam circumvenerit, ut pacisceretur, nullam se controversiam de servis
» moturam, id pactum mala fide factum irritum est. Et cum ex ea conveotione cum matre tos agi cœ-
» perit, judex eam liberabit, quia de re judicata pacisci nemo potest. » PP. *pridie Id. Sept. Alexandro* A. *Cos.* Ex corpore Theodosiaoi. *Impp. Honorius, et Thedosius* AA. *Juliano proconsuli Africæ.* « Et mulie-
» ribus (16), et minoribus in iis, quæ prætermiserint, vel ignoraverint innumeris auctoritatibus constat
» esse consultum. « *Dat. prid. Non. Mart. Ravennæ Constantino Cos.* Item eodem corpore. *Imp. Constantinus* A. *ad Maximum præfect. urb.* Inter cetera, et ad locum: « Pactiones eas valere volumus, si cum
» legibus cooscotiant, et reliqua. « *Dat.* VI. *Non. Febr. Romæ Sobino, et Ruf. Coss.* Ex corpore Gregoriani *Impp. Valerian.* (17) *et Gallienus* AA. et *Valerius Cæsar Aurelio:* « Præses provinciæ æstimabit utrum
« de dubia lite transactio inter te, et civitatis tuæ ordioem facta sit, an de re judicata quia de re judicata pacisci nemo potest. « PP. III. *Kal. Jun. Æmiliano, et Basso Coss.* Idem ex corpore Gregoriaoi *tit. de transact. Imp. Giordanus* A. *Flavio Hercolono:* « Super judicato, noo subsecuta appellatione, frustra
» transigi non est opinionis incertæ. » PP. XIX. *Kal. Nov. Sabino et Veterano.* (18) *Coss.* Item eodem corpore. *Imp. Alexander Donato militi:* » Si certa quantitas in condemnatione judicii deducta fuerit, pacisci
« exinde non posse, etc. » PP. IX. *Kalend. Jun. Fusco* II. *et Dextro Coss.*

¶ *Item ex corpore* (19) *Gregoriani:* « *Qui contra arbitri sententiam petit, sola in eum pœnæ actio ex* » *compromisso competit; non etiam exceptio pacti conventi* lib. 4. tit. X. » *Ex eodem libro et tit.* Impp. Diocletian. et Maximian. AA. Sergiæ, et Anagio *inter cetera, et ad locum.* « *De dubia vero lite facta* » *transactio rescindi non potest.* » *PP.* VIII. Id. April. Cæs. Cosa. *Item eodem corpore et titulo* Impp. Diocletian. et Maximian. AA. Aurelio Hermogeni militi. « *Pactum quod contra juris formam provinciæ* » *Rector factum animadvertit, id infirmare minime dubitabit* » PP. XIV. Kal. Nov. Cæs. Coss. ***

(1) Substantiam) *Hoc est, jus, titulum.*

(2) Submoveat) *Ibid.* submovebit: *et mox* faciet.

(3) Nec) *Ibid.* ne.

(4) Sed etiam inaniter) *Dict. loc.* et inaniter.

(5) Usurpatitiis) *Rectius* Usurpatio, d. l.

(6) Immoderatio) *Eod loc.* in moderatione: *unde Jac. Gothofredus legit* immoderatione, *vel* in moderatione, *pro* apud moderatorem: *quod posterius tamen insolens est et non temere inveniet cui placeat.*

(7) Ea quæ etc.) *Lex est* 7. eod. tit.

(8) Proconsularem) Proconsulem *est in* d. l. *quod recte probat Jac. Gothofredus, certum enim est, sub Proconsule tunc Africam fuisse.*

(9) Si servilibus etc.) *Est l.* 5. Cod. Theod. ad S. C. Claudian. *Hoc vero cum præcedentibus non cohæret; sed quidem alia, quæ postea sequentur.*

(10) Qui) *Legendum* quæ *hic et in d. l.* 5. *De mulieribus enim sermo est.*

(11) Conjunctionem) Conjunctionis, *d. l.* 5.

(12) Summa sententia etc) *Lex est* 3. Cod. Gregorian. de pact. et transactionib.

(13) Si præses etc.) *Lex est.* 12. eod. Cod. et tit.

(14) Pacta quæ contra) *Lex est* 7. ibid.

(15) Cum posteaq. etc.) *Lex est.* 4. ibid.

(16) Et mulieribus, etc.) *Lex est* 3. Cod. Theod. de in integr. restitution. *quam Tribonianus in Codice posuit et est* l. 8. de in integr. restitution. minor. *rejectis tamen tribus primis verbis, ob l. ult.* C. de jur. et fact. ignorat. *Adde Jac. Gothofredum ad* d. l. 3. Cod. Theod.

(17) Valerian) *Sic reposuit (Schultingius) pro vulgato* Valentinian.

(18) Veterano) *In l.* 8. Cod. Gregorian. tit. cit. *est* Venusto. *Utrumque forte ejusdem fuit hominis nomen.*

(19) Item ex corpore etc.) *Hæc ab Paris.* 1586. *sola habet; quæ tamen non, nisi ex veteri libro, proficisci potuerunt.*

INDEX CONSULTATIONUM

JACOBI CUJACII J. C.

CONSULTATIONES LX.

In MS. Codice hæc leguntur: Ex Theognide, quod velim apponi initio consultationum mearum:

Εἴ ποτέ βουλεύσαιμι φίλῳ κακὸν αὐτὸς ἔχοιμι,

Si quibus exurgant nostris incommoda dictis.
Stantibus his in me non leviora ruant.

Εἰ δέ τι κεῖνος ἐμοί, δὶς τόσον αὐτὸς ἔχοι.

Falsa, sed injusto si quis mihi consulat ore,
Illius involvant mille pericla caput.

CONSULTATIO I.

De Testamento inter liberos.

Pater filiam hæredem scripsit, et rogavit ut hæreditatem post mortem suam cui vellet ex filiis suis restitueret. Filia moriens superstitibus filiis quatuor Sejo, Dajo, Sempronio, Tullia, testamento Cajum elegit, cui fideicommissi paterni dona restituerentur, eundemque aliorum bonorum suorum hæredem scripsit: deducta portione modica Sejo ascripta, et Sempronio titulo institutionis, Tulliam omisit, quæ instrumento dotali renunciaverat successioni maternæ cum jurejurando. Electioni, et institutioni condicionem adjecit, Si Mæviam uxorem non duceret, adjecit et substitutionem precariam. Id vero testamentum scripsit aliena manu, nomen Caji sua, nullis testibus adhibitis, idem quoque testamentum ipsa signavit. Quæritur an valeat testamentum, an valeat electio in eo comprehensa, an valeat condicio injecta electioni, et institutioni Caji, an substitutio precaria? Respondi non valere testamentum, quia nec testamentum, nec codicillus dici potest ea voluntas, cui testes desunt. In codicillis enim exiguntur quinque, *l. Hac consultiss.* §. 1. *l. Cum antiquitus.* §. *ult. C. de testament. l. ult.* §. *ult. C. de codic.* et in testamento rusticanorum, *l. ult. Cod. de testam.* In nuda voluntate tres, l. 27. *C. eod.* et Plut. in Coriolano, in testamento procinto tres aut quatuor testes adhibitos refert. Et non offendor constitutione, quæ testamentum imperfectum valere censet inter liberos: eam testamentum imperfectum non vocat, quod testibus, caret, sed quod a testibus, qui interfuerunt neque subscriptum, neque subsignatum est, idque oratioais consequentia demonstrat aperte. Primum enim ait non subscriptum a testibus, ac non signatum testamentum pro imperfecto haberi (sic enim probi codices, non, pro infecto) ac deinde subjicit convenienter, ex imperfecto autem testamento voluntatem non tenere defuncti, nisi inter solos liberos; atque ita etiam imperfectum testamentum accipitur in *L. 6. D. ad l. Cor. de fals.* Nihil etiam offendor l. *ult. C. fam. ercisc.* quæ in testamento inter liberos qualiacumque verba, vel indicia sufficere ait: nam hoc sermone testes non excluduntur, sicut cum dicimus nutu fideicommissum relinqui posse, hoc etiam non dicimus, fideicommissum sine testibus relinqui posse, l. *Et in epistola. C. de fideic.* et vero etiam Doctores in *d. l. ult.* vel duos testes exigunt. Ceterum indicia non accipi oportet illo loco pro argumentis, sive conjecturis, sed ex comparatione verborum, quod scilicet dicat, verbis vel indiciis, indicia accipio pro notis, quæ Græci σημεῖα vocant. Hoc ergo vult, etiam notis scriptum testamentum valere inter liberos, quod tamen Justiniani sustulit *Nov.* 107. qua abutuntur qui inde colligunt, non valere testamentum inter liberos, nisi sua manu suisque litteris parens scripserit nomina liberorum, et tempus, et unciarum modum. Namque mens Justiniani hæc tantum est, ut sive scribat testamentum parens, sive alius eo dictante, illa litteris prescribantur, non notis, alioquin testamentum non valere: denique non omnino vitium negligi in testamento inter liberos. Nec igitur illud, quod summum est, si nulli adhibeantur testes, a quibus nominis testamenti substantia deducitur, et quasi testamenti, sive partis testamenti, qui codicillus dicitur. Verum enim licet scriptura ea matris facta inter liberos neque valeat, ut testamentum, neque ut codicillus, quod testibus nullis munita sit, *l. 11.* §. 1. *D. de legat.* 3. electionem tamen in eo comprehensam valere opinor. Electio enim illa neque quasi legatum est, neque quasi fideicommissum, *l. Unum ex familia.* §. 1. *D. de leg.* 2. *l. Pater filium. D. ad l. Falcid.* Potest igitur citra testationem fieri, ut assignatio liberti, *l. 7. D. de assig. lib.* eademque ratione fideicommisso onerari non potest, quia de suo non de alieno quemque largiri oportet, *l. 6.* et *l. 7.* §. *ult. D. de leg.* 3. *d. l. Unum ex familia.* §. *Sed si fundum.* Non potuit etiam electioni injici condicio, si Mæviam uxorem non duceret, quam avus non injecerat fideicomisso. Quid igitur tandem statuemus? Quis hoc jure utimur, ut filia onerata fideicommisso deducat duas quartas, ut loquuntur, reliquum restituat fideicommissario: in specie proposita electio matris valebit tantum pro dimidia parte bonorum, quæ sola subjecta erat fideicommisso detracta condicione, ut diximus, et substitutione precaria: altera pars dimidia, quia testamentum matris non valet, dividenda est in portiones æquas tres, ut veluti ab intestato unam habeat Cajus, alteram Sejus, tertiam Sempronius. Nec enim concurrit Tullia in legitimam hæreditatem, quia si ea non concurrit, qui concurrere potuit, nisi repudiasset, vel omisisset querelam inofficiosi testamenti, l. *Filiis. in princ. D. de inof. test.* multo minus concurreret, quæ ab intestato succedere non potuit propter renunciationem jam ante factam tabulis dotalibus, quæ quidem moribus recepta, et approbata est.

CONSULTATIO II.

De legato a Presbytero filiæ suæ spuriæ relicto.

Quidam Presbyter testamento hæredem scripsit, et ab eo filiæ suæ spuriæ legavit c. his verbis adjectis: *Ut sit unde exhibeatur, et collocetur in matrimonium, pour l'aider à marier, et entretenir.* Filiam educavit hæres, decessit tamen illa antequam nuberet, et legatum perciperet: Primum quæritur, an valeat legatum: deinde si valet, an ad hæredem filiæ transierit: et forsitan verius est legatum esse pro non scripto quasi incapaci relictum: Nam constitutio Novella Justiniani, *Quibus mod. nat. effi. sui,* non tantum ex incesto, sed etiam ex adulterio, vel stupro procreatos, id est, ex damnato, vel nefario coitione incapaces facit, quibus comparat clericorum liberos, *l. Sacris Canon.* 44. *C. de episc. et cle.* et omnino ita se res habet, exceptis naturalibus, qui ex concubina procreantur. quæ uxorem justam imitatur, quos incapaces prorsus non esse fatemur, ex aliis coitionibus illicitis procreatos incapaces esse, naturales non esse. Nec moveri debemus c. *cum haberet, De eo, qui duxit in matrimon.* Quod extra suam speciem porrigi non debet. et collato eo cum *l. Qui in provincia.* §. 1. *D. de rit. nupt.* intelligitur merito confirmari in ea specie statum liberorum quasi ex matrimonio susceptorum propter diuturnitatem temporis, quo matrimonium stetit, et propter numerum liberorum. Quo exemplo male profecto superiorum omnium statum confirmaveris, et de incapacitate filiorum sacerdotis ita nominatim scripsit Accursius §. *ult. Nov. quib. mod. nat. eff. sui.* Si naturales essent, faterer non esse incapaces alimentorum, non esse incapaces dotis:

nam hæc præstari iis quos natura novit consequens est, *l. Eos obligationes.* l. *Legatum. D. de cap. min. l. Servus. D. de ann. leg.* l. *Ex parte.* §. *Servo. D. fam. erc.* At abhorret hæc probra natura, adulterium scilicet, et stuprum, l. *Probrum. D. de verb. sig.* Ideoque recte Justin. sit, eo genere procreatos nec naturales censeri. Sequitur altera quæstio: Demus concedamus hoc, filiam sacerdotis capacem esse legati. An id vero legatum ad hæredem suum filia transmisit? Si hæc verba (*ut sit unde exhibeatur, et collocetur in matrimonium*) accipiantur pro modo, respondeo, non transmisisse. Nam scio quidem hanc esse differentiam inter condicionem, et modum, quod condicio suspendat: sed modus non suspendat: etsi non suspendat, contrahit tamen atque coarctat, adeo ut si velis tibi statim dari, quod sub modo relictum est, cavere oporteat te de restituendo eo, quod acceperis, nisi modum impleveris, *l. Si tibi legatum. D. de leg.* 3. l. *Cum in testamento. D. de fid. lib.* et hac ratione dicitur in l. 1. *C. de iis, quæ sub mod. rel.* modum in legatis adscriptum pro condicione observari, quum lex de eodem ipso modo loquitur de quo tractamus (*ut nubat*) atque ideo sæpe in libris nostris modus condicio appellatur, *l. Mævia. D. de manum. test.* l. *Liberto.* §. *Lucius. D. de au. leg.* Ex his infero, extingui legatum insuper moriente filia, quinimmo tantum abesse videtur, ut hæredi ejus legati petitio competat, ut etsi id hæres legato oneratus repræsentarit, non secutis nuptiis, repetitio ei potius competat adversus hæredem filiæ. Igitur legatum petenti recte objiciet hæres vulgarem exceptionem, Dolo facis petens, quod mihi te si haberes restituere oporteret. Verba autem illa (*ut sit unde exhibeantur, ac collocetur in matrimonium*) pro modo accipienda esse, etiamsi interpretare, ad nuptui collocandam, alendam, vestiendam eam probo ex *l. Quibus diebus.* §. *ult. D. de cond. et dem.* Nam ea voluntas testantis fuit, ut ea pecunia in dotem, et in alimenta consumeretur, et in id solum, ut eam pecuniam hæres consumeret dispensaretve, quemadmodum et hæredem, quandiu vixit, necessaria filiæ defuncti subministrasse proponitur, quæ alimentorum præstatio finita est morte, l. *Cum hi.* §. *Modus autem. D. de transact.* Ne dicas verba superiora, pro causa accipienda, non pro modo, cum dicat, *ut sit unde nuptum collocetur.* Non dicit ut ipsa sibi quærat condicionem; sed ut hanc opem nubenti ferat hæres. In l. 4. *D. de alim. leg.* ait prædia do lego, ut quæ vivo præstabam, etiam post mortem habeant, et capiant: hic enim est græcorum verborum sensus: et in *l. pen.* §. *ult. eod.* ut habeant, pro soluto scilicet, ut species indicabit: in his casibus causa est legandi, non modus. Non sic in casu proposito. Proinde hæres unde petitur non habita ratione alimentorum, quæ vivæ exhibuit, atque etiam insuper neglecto modo legato adscripto, et non spectata macula, atque incapacitate legatariæ, solidum legatum ab hærede legatariæ non recte peti, meo judicio recte contendit.

CONSULTATIO III.

De insinuandis donationibus.

Donationem simplicem recte insinuari post traditionem, vel post nuptias certissimum est. Cum quæreretur, an et post mortem donatoris? Respondi? non recte insinuari post mortem: alioqui nihil hac in re distaret donatio ab ultima voluntate, quam satis est insinuari post mortem, *l. Testamenta.* l. *Consulta. C. de testam.* sed donatio strictius accepta est semper. Possim proferre exempla quamplurima. An autem ab ipso donatore donatio insinuari possit per procuratorem, et an in mandatis datis procuratori utiliter adjiciatur: etiam post mortem insinuari: si quæratur, respondebo, fieri donationem posse per procuratorem *l.* 4. *D. de donat.* ergo et insinuari. Dico fieri, ergo insinuari, plus enim est fieri, quam insinuari: quo argumento utitur *l. ult.* §. *pen. C. de don. ante nupt.* Rursus quibus in causis facere procuratorem licet, licere etiam mandatum porrigere ultra mortem, *l. Si vero non remunerandi.* §. *ult.* et *l. seq. l. Si quis alicui.* §. 1. *D. mand.* Atque adeo insinuationis mandatum recte porrigi ultra mortem mandatoris ejusdemque donatoris voluntate, et hoc genere factam insinuationem post mortem si nulla fraus arguatur, inutilem non esse: maxime si, ut mihi ex facto propositum est, nihil intersit creditoris hypothecarii, et res disceptatur tantum inter hæredem donatoris, et donatarium. Sola igitur fraudis probatione convelli potest donatio mandato donatoris insinuata post mortem, ut in oratione Demosthenis adversus Leocharem non alia est ratio improbandæ adoptionis, qua in defuncti familiam adjungitur quis, quam si fraus arguatur, quamquam adoptionem a vivente fieri nominatim legibus caveretur: quod non ita de insinuatione donationis, ut fiat a vivente cautum est nominatim. Ad hæc quæsitum est, qui in Regio edicto subditi appellentur, quo per subditos, et inter subditos sine insinuatione factas donationes nullas esse constituitur. Dixi, subditos, quos Græci ὑποτεταγμένους, esse cives, vel incolas, solam possessionem jure civili Pop. Romani civem, vel incolam non facere, l. 4. *C. de incolis,* l. *Libertus.* §. *Sola ratio.* et §. *Sola domus. D. ad municip.* Moribus Galliæ, et usu fori etiam possessionem solam legibus obligare, adeo ut si variis regionibus, quæ non eodem jure regantur quis possideat bona, in ordinatione testamenti receptum sit separanda esse bona, et pro varietate regionum variis etiam legibus testatorem obligari. Ut igitur in testamentis, ita in donationibus leges sequamur regionum, et provinciarum, in quibus sita sunt bona. Quamobrem dicemus eum qui moratur in Italia, si donat alteri bona, quæ habet in Gallia, legibus Galliæ obnoxium esse. Idcirco donasse eum inutiliter si vivus donationem non insinuarit, vel nominatim per procuratorem non constituerit, qui insinuaret se vivo, mortuove. An etsi donavit Italo? Sic sane. Nam etsi tum non sit facta donatio inter subditos, facta tamen est per subditum, et utroque casu edictum insinuationem exigit; quam tertio casu non exigerem, puta si Italus prædia Italica donaret Gallo, et multo minus si eadem prædia Italus donaret Italo. Hi duntaxat quatuor casus constitui possunt, e quibus duos priores edictum complectitur, non posteriores: denique his edicti verbis: Per et inter subditos, duos casus exprimi puto. Si subditus non subdito donaverit: si subditus subdito donaverit, qui soli casus lege comprehendi potuerunt, non alii duo. Et subditum non ex origine, vel laris, et sedium positione æstimari, quam ex positione, et situ bonorum, de quibus agitur, quem etiam bonorum situm servari, et distingui convenit in jure præcipuo, quod majoribus natu mores dedere quidem, ut pro regionum numero tot etiam majori natu πρεσβεῖα tribuantur. Postremo si quæratur, an donatio a quolibet principe facta egeat insinuatione, dicam Justinianum se tantum excipere, non etiam reges quibus ipse jura dabat, quales Justiniani imperio subjecti fuere non pauci: eodemque exemplo Regem Galliæ etiamsi se intelligatur excepisse, ceteros tamen principes bona in Gallia possidentes non excepisse.

CONSULTATIO IV.

De successione ab intestato.

Sorore defuncta, ac deinde sororis filia, quæritur, sororis filii ex duobus avunculis uter succedat, qui fuit matri ex utroque parente germanus, an et qui fuit ex patre tantum. Si dixeris, eum, qui ex utroque parente germanus fuit solum filiæ sororis succedere; id tueri hac ratione poteris, quod e contrario si is mortuus fuisset, sola filia sororis ei successisset excluso altero avunculo, secundum Nov. Justin. de hæred. ab intest. ven. quæ ratio in successionibus nihil valet. Fratris filiæ succedebit olim patruus, ipsa patruo non item, § *Cæter. Inst. de leg. agn. succes.* idque obtinuit, quoad Justiniani constitutione aliud definiretur. Non sunt igitur successiones ei rationi astrictæ, nisi specialis constitutio accedat. Quamobrem veriorem esse arbitror Bartoli sententiam in l. *Post consang.* §. *Legitima. D. de suis et leg. hær.* utrumque avunculum admittentis, Est enim Nov. Justiniani accipienda stricte: ea præfert fratres ex utroque parente, eorumque filios fratribus ex uno parente conjunctis. Avunculum matri ex utroque parente conjunctum non præfert avunculo ex uno parente tantum conjuncto. Igitur nec nos eum præferemus, sed omissum a Justiniano pro omisso habebimus, ut *l. Si vero.* §. *De viro. D. sol. matr.* qui interpretandi jus habemus, omissa supplendi jus non habemus. Denique quod non mutavit Justinianus nominatim, in eo sequemur jus vetus, quo qui sunt ejusdem gradus pariter ab intestato vocantur, licet sint ex diversis parentibus, *l.* 1. *l.* 3. *C. de leg. hær.* Stricte accipiendam esse eam Novellam hoc argumento comprobabitur: fratrum ex utroque parente jam mortuorum filios cum aliis fratribus Justinianus vocat in stirpes, ipsos fratrum filios non concurrentibus aliis fratribus, solos patruis succedentes non vocat nominatim in stirpes. Hunc casum non attingit. Sequamur itaque jus vetus a Gajo proditum III. Institut. et §. *Hoc etiam. de legit. agnat. success.* solis fratrum filiis ab intestato succedentibus, et dividemus inter eos hæreditatem in capita non in stirpes, quæ fuit Azonis sententia, rerum sæpissime judicatarum auctoritate comprobata, et ex Græcis, Harmenopuli. Si igitur hac in specie Novellam stricte accipimus, nec extendimus, cur non et in superiori? Ut in hac valet sententia Azonis, valeat et in illa sententia Bartoli, id est, jus, quod nominatim abrogatum non est, quod et certatim omnes sequuntur.

CONSULTATIO V.

De legatis.

Mulier quædam filium Titii emancipatum hæredem instituit, et a Titio debitore suo nominatim legavit Gajæ cc. cum nupserit, et hoc amplius pure c. a fundo Tusculano, deinde codicillis cavit se legasse, atque adeo legare Gajæ cc. ut nubat. Consultus, an antequam nuberet, legati petitio esset, dicebam esse videri cautione oblata, quia in legatis novissimæ scripturæ valent, l. 12. §. *ult. D. de leg.* 1. *l. Si quis cum. in pr. D. de vulg. subst.* Novissima autem scriptura, hoc est, in codicillis Gajæ legata sunt ducenta sub modo, non sub condicione. Proinde ejus summæ petitionem admittendam videri oblata cautione, l. *Quib.* §. *ult.* l. *Eas cau. D. de cond. et demonst.* l. *Si tibi legat. D. de legat.* 3. nisi nupserit se pecuniam redditurum: quæ committetur Gajæ sacerdotio, aut morte. Atque ita legatum feret. At *l.* 1. *C. de his quæ sub mod.* ait, modum pro condicione haberi, quia scilicet legati relicti sub modo petitio non est antequam modus expleatur, nisi remedio cautionis. Verius autem esse verba illa modalia, quæ codicillis scripta proponuntur, condicionem facere, non modum ex voluntate defuncti, ut *l.* 2. *C. de his, quæ sub modo rel.* qui condicionem, Cum nupserit, adscriptam testamento non videtur mutasse in modum, atque per hæc sola verba, ut nubat, quibus tam condicio, quam modus concipi potest. Rursus consultus, existente condicione a quo legata deberentur: respondi ducentorum legatum deberi a Titio patre hæredis instituti, quod ab eo quasi debitore nominatim ducenta legata proponerentur: constat enim a debitore legari posse ex constitutione D. Pii, *l. Cum quis decedens.* § *Pater. D. de leg.* 3. legatum quoque eidem Gajæ relictum pure a fundo Tusculano recte

a Titio peti arbitror: Nam etsi Titius neque hæres sit, neque possessor, fructuarius tamen est moribus Biturigum, ubi hæc species incidit, sive filius sit in potestate, sive emancipatus usque ad annum 18. Constat autem fructuarium patrem excipere omnes actiones, *l. ult.* §. *Ubi autem. C. de bon. quæ liber. acquir.*

CONSULTATIO VI.

De querela inofficiosi testamenti.

Mulier testamento filios quatuor hæredes scripsit, filiæ legavit: filia decessit viva matre relictis nepotibus, qui mortua deinde avia non mutato testamento cum patruis de legato, et de hæreditate contendunt. Quæritur, an legati matri relicti petitionem habeant, vel an hæreditatis aviæ maternæ partem vindicare possint. Puto, nepotes testamento aviæ matri relictum petere non posse, quia est in causa caduci. At quasi exhæredati, quod in hac specie præteritio sit pro exhæredatione, aviæ testamentum inofficiosum dicere, et hæreditatis quintam partem vindicare possunt. Nam ut exemplum edicti de conjung. cum emancip. liber. sequimur etiam in querela inofficiosi testamenti. *l. Si ponas. D. de inoffic. test.* sic et exemplum edicti de bonor. poss. contra tabul. quo filii fratrum, vel sororum cum patruis, vel avunculis vocantur, *l. Si in adoptionem. D. de bonor. poss. contra tab.* sequemur in querela, *l. Papinianus.* §. *Quoniam. D. de inoffic. test.* Et generaliter, quæ ratio, quique ordo servatur in successione ab intestato, idem servatur et in querela inofficiosi testamenti *l. fi. D. eod.* Denique nepotes de quibus quæritur, actionem inofficiosi testamenti habent adversus avunculos hæredes scriptos ab avia materna, legati petitionem non habent, quod cum sit in causa caduci, jam lucro hæredum scriptorum cessit.

CONSULTATIO VII.

De Communione inter conjuges.

Cum essent ædes communes inter virum, et uxorem, et duo filii Primus, et secundus, Primo mater donavit quicquid juris haberet in ædibus illis, qua ratione is sibi possidet duas partes, et dimidiam, propterea quod ædes matrimonii jure fuere communes matri cum patre, deducta sexta in qua fatetur juris nihil habuisse matrem. Secundus non sextam tantum, sed et quintam deduci petit, quod ea patri obvenerit ex successione Tertii consobrini sui, atque adeo non fuerit communicata matri secundum morem patriæ, quo immobilia non communicantur inter virum, et uxorem, si qua obveniant successionis, legati, donationis jure, qui confirmatur vulgo ex *l.* 7. et 8. *Dig. pro soc.* non inscite, quandoquidem apparet doctores manifesto hanc consuetudinem partem, quæ plerisque locis viget, sumpsisse ex eis legibus. Sumpsere et alias consuetudinum partes ex aliis. Denique sunt earum auctores manifesti quam felices, quæstus, et Gallici conquesti confusa vocabula demonstrant, quod in legibus Ludovici, et Lotharii invenio appellari, conquisitum. Auctores vero dico, si excipias juris Gallici vestigia nonnulla. Sed ad speciem propositam revertamur. Secundi profecto intentio valet, nisi negetur patri communi quintam partem obvenisse successionis jure: id vero etiam negat Primus, et probat optime: est denique potentior, meo judicio. Probat autem hoc modo: Pater non potuit Tertio consobrino suo intestato succedere præcedentibus fratribus: Præcessarunt fratres Tertio moriente: Et ergo non successit ipse, nec ex successorio edicto recte dixeris successisse, cum ii, qui præcedebant, successionem neque repudiarint, neque omiserint, *l.* 1. §. *Quibus. Digest. de succes. ed.* Neque repudiasse, neque omisisse, quinimo hæredes eos defuncto extitisse vel ex eo apparet, quod patri distraxerunt quodcunque juris habebant in eis ædibus, *l. Julianus.* §. *Si servum. D. de acquir. hæred.* quæ res argumentum est pro hærede gestionis, nisi alio animo distraxisse constet, *l. Pro hærede. eod.* quod hic non allegatur. Et ex his rursus efficitur, non successione, sed emptione patri obvenisse eam partem post nuptias, ut proponitur, atque adeo in matrimonii communionem venisse. Ne dixeris etiam usucapione, vel præscriptione quæsitam: quod namque emi non usucapio, si a domino emi, cum dominium non possit nisi ex una causa contingere, *l.* 3. §. *Ex plurimis. D. de acq. poss.* itaque restat, non successione, non usucapione, aut præscriptione, sed emptione quintam partem, qua de agitur, obvenisse patri, et ideo conjugi, id est, matri Primi, et Secundi jure societatis quæsitam eam, ac donatione postea in Primum jure translatam fuisse pro parte dimidiam: denique habiturus est Primus in eis ædibus donationis jure duas partes, et semissem quintæ.

CONSULTATIO VIII.

De Jure retractus.

Tres fratres Primus, Secundus, Tertius inter se hæreditatem diviserunt, et caverunt invicem ne quis partem suam venderet, pignoraret, alienaret alii quam cohæredibus, hoc est, ut cohæredes suos præferret extraneis, sin minus, et extraneo venditam partem cohæredibus retrahere ab emptore, et redimere liceret. Primus partem suam vendidit extraneo: filius idemque hæres Secundi, cui et jus omne suum Tertius cessit, repetit ab emptore partem venditam post septennium, quam contracta venditio fuit. Quæritur an jure agat? Respondi, in emptorem esse in factum actionem, quia jure communi etiam detracta ea pactione eadem actio daretur in emptorem. Pactiones, quæ contractibus apponuntur plerumque sunt supervacaneæ, id est, non necessariæ, *l. Quæsitum.* §. *ult. D. de distract. pign. l. Si servus communis,* §. *Locavi. D. de furt. l. Qui mutuam. D. mand. l.* 3. *C. de fidejuss.* Ex hoc genere hanc esse arbitror: et ideo si quæratur, in rem fuerit an in personam, in obscura voluntate contrahentium certior interpretatio sumetur ex jure communi, quod in rem dat jus retrahendi ab emptore cujuscunque gradus cognato, et consequenter sicut jus commune Biturigum retrahenti præscribit sexaginta dies, ita hanc conventionem ultra sexaginta dies porrigendam non esse censeo, atque ita hæredi Secundi post tempus in emptorem nullam actionem esse. Sed neque in Secundum, cum pactione id tantum caverint, quod erat in jure communi, ut rem contra pactionem alienatam retrahere liceret ab emptore, non ut invicem eo nomine fratres inter se obligati essent. Hæc igitur conventio jus commune non lædit, et sexaginta dierum brevitate constringitur, et in venditorem nulla est actio, quod si ita convenisset, ut ne quis alii quam cohæredi partem suam alienaret, hoc non adjecto, ut ab emptore redimere liceret, fateror in venditorem esse actionem præscriptis verbis perpetuam, quasi ex permutatione, quæ divisionem perficit, *argum. l. Si sterilis.* §. *Si tibi. D. de action. empt. l. Qui fundum.* 75. *D. de contrah. empt.*

CONSULTATIO IX.

De eodem jure.

Quæritur in jure retractus agnatici in quo proximior præfertur ceteris, utrum gradus secundum jus Canonicum, an secundum jus Civile computentur. Alii spectant jus Canonicum, qui jus retractus deducunt ex lege Moysis: eadem ratione successionibus, quæ et Mosaica lege comprehenduntur, gradus numerandi sunt secundum jus Canonicum. Hoc autem est falsum: ergo et illud. Numerentur ergo secundum jus Civile, quia et ejus originem non longius repetimus, quam a constitutione Friderici in Occidente, et Romani Lecapeni in Oriente, et retractus jus nihil aliud est, quam emptio venditio, contractus autem jure civili reguntur. Nec verum est jus retractus esse ex Mosaica lege, male enim acceptam a nostris hoc jure esse Mosaicam legem, verba legis ipsa demonstrant.

CONSULTATIO X.

Bona paterna, et materna.

Quidam decessit filiis duobus Secundo, et Tertio, et filia relictis hæredibus, quibus cum matre fuerunt mobilia communia, et quæcunque ex quæstu venirent: manente communione mater a filio redemit portionem hæreditatis paternæ data certa pecunia in dotem filiæ nomine, et eamdem portionem contulit in commune, mox eam præcipue Secundo donavit, ac deinde morte Secundi ad Tertium jure hæreditario pervenit. Tertius autem moriens codicillis cavit, ut bona paterna paternis, materna maternis cederent. Quæritur an paternorum bonorum appellatione contineantur ea, quæ soror matri cesserat dotis habendæ causa. Respondeo, exisse ea bonis paternis pro parte dimidia. Communia enim ipso jure facta sunt inter matrem ac Secundum et Tertium, quia veluti emptione matri obvenerunt data certa pecunia. Igitur pro parte tantum dimidia ad matrem pertinuerunt. Quod si ita est, pro parte dimidia necesse est ea adnumeremus bonis maternis, nec donatio mox a matre collata in Secundum, ea in pristinam causam restituit. Si resoluta fuisset donatio aliqua ex causa rediisset res in pristinam formam, *l. Voluntate.* §. *ult. D. quibus mod. pign. vel hypot. solv.* Sed cum non fuerit resoluta, posterior donatio matris datio, non redditio censebitur: quæ duo sunt valde diversa, *l.* 1. §. *Eleganter. D. depos.* Nam si reddidit, eam quoque partem dimidiam paternis adnumerabimus, si dedit, quod est verius, maternis. Quamobrem ex codicillorum scriptura ea portio dimidia maternis cedere debet non paternis, nisi probetur defunctum in paternis ea bona numerasse. Error enim defuncti jus facit, *l.* 3. *in fin. D. de supellect. leg.* Quinimo ex usu loquendi etiamsi id non probetur, præsumam ita defunctum sensisse: nam in usu est, ut dicamus paterna, quæ vetustiorem originem ducunt, a patre, licet aliquandiu in extranei persona resederint, et in usu est feudum paternum dicere quod ab avo patreve descendit etiamsi filiæ obvenerit, non maternum: et ideo jure ipso filiæ posteri in eo quasi materno non succedunt, sed agnati eorum a quibus feudum originem cœpit, ut *lib.* 1. *Feud. tit.* 15. Notum autem illud est, ex communi usu nomina exaudiri debere, et non in omni causa testamentorum ad verborum propriam definitionem descendendum esse, l. *Non aliter.* §. 1. *de leg.* 3.

CONSULTATIO XI.

De beneficio abstentionis.

Quæritur, an filius, qui cum a creditoribus hæreditariis conveniretur, primum respondit se abstinuisse bonis paternis, si probetur miscuisse se, et aliquid ex hæreditate amovisse, deinde restitutionem in integrum desiderare possit abstinendi causa. Respondetur, non posse fieri, ut filius miscuerit se simul, et amoverit. Nam si miscuit non potest videri amovisse quicquam de ea hæreditate, quam suam

esse voluit. Rei enim suæ furtum non fit. Amotionis verbum lenius est, res eadem: et retro qui amovisse ponitur, jam hoc ipso ponitur non miscuisse se, amovisse sempe de alieno. Quid igitur? aut miscuit se filius, aut amovit. Si miscuit, non potest quandocunque petenti in integrum restitutio denegari ætatis beneficio, *l. Necessariis. D. de acquir. hæred. l. 1. et 2. C. si minor ab hæred. abst.* etiamsi postquam initio litis negavit se miscuisse bonis paternis, convictus falsæ negationis confugiat ad auxilium restitutionis *l. Nemo, l. In qui. D. de exc. l. Nemo ex his. D. de regul. juris.* Ut si qui negavit initio se debere, re probata tum vel ad ætatis, quasi minori credita pecunia, vel compensationis, vel præscriptionis temporariæ beneficium transfugiat, quod nemo reis unquam negavit, nec negaturus est. Sin autem amovit clam ex hæreditate filius aliquid, cum palam diceret se hæreditatem nolle, edicto prætoris definitum est, eum abstinendi beneficium non habere, *l. Si servum. §. Prætor. D. de acq. hær.* quod Accursius rectissime accipit de beneficio illo abstinendi, quod ipso jure, id est, ex edicto competit puberibus, qui non miscuerunt se: nam de beneficio abstinendi, quod restitutio in integrum dat, non posse accipi manifestum est: datur enim restitutio in antefacta, ut restituantur, et rescindantur. Quid vero hic egit? An miscuit se? Minime. Ne petat igitur mistionem rescindi, abstentionemque restitui. Quid ergo? amovit. An petet amotionem rescindi? Minime vero. Amotio delictum est, *l. Si cum mulier. §. pen. D. rer. amot.* furto scilicet proximum, lenitas modo verbi tantum rei tristitiam mitigat. In delictis autem neminem ætas excusat, *l. 1. et 2. C. si advers. delict.* Ad hæc quærebatur, an filius, qui negat se amovisse, simul possit et illo scilicet quasi concesse se amovisse, propter ætatem in integrum restitutionis auxilium desiderare. Respondi jam supra respondisse me, ei qui amovit ætatis beneficium non opitulari, neque id postulari sine rubore posse, eum qui miscuerit se non prohiberi utramque defensionem conjungere, cum et actori adhibita protestatione, sive alternatione duas contrarias, vel diversas actiones cumulare liceat, *l. Contra. C. de inoff. test. l. 1. §. Quia autem. D. quod leg.* et hodie receptum est cum alternatione ex decisione Baldi in *l. 1. C. de furt.*

CONSULTATIO XII.

De pœna compromissi.

Unus ex litigatoribus, qui in arbitrum compromiserant victus appellat. Hic mos est Galliæ, ut possit appellare, quod miror, nam refragatur Carthaginensis Concilii cap. 98 et cap. 123. et *l. 1. C. de recept. arbit.* et *l. Non distinguemus. §. Et idem cum a judice, D. eod.* et arbitrii natura, ac ratio vera, quam et Græcorum lex comprobat apud Demosthenem ἐν τῷ κατὰ Μειδίου, et Lucianum in Abdicato. Accidit igitur in Gallia, ut victus appellaret Senatum Parisiensem ubi idem ipse victus est rursum prolatis novis instrumentis. Quærenti an pœna compromissi commissa esset: Respondi, Si ita jus est Galliæ, ut a sententia arbitri liceat appellare, iniquum est eum qui jure licito utitur pœnam committere, argum *l. 1. §. Si proponatur, l. 6. §. Plane si nominatim. D. si quis omiss. caus. testam.* vel eo maxime, quod justam eum causam appellandi habuisse constitit ex eo, quod non nisi novorum instrumentorum prolatione in causa appellationis superatus est. Si decreto Senatus non pareat, sane pœnam committit: Sed quod a sententia arbitri appellaverit, non video cur debeat illi ea res esse fraudi. Scio olim ne esset in arbitrio cujusque interposita appellatione sententiam rescindere, sicut et hodie fit, non in appellationibus, sed in retractationibus, quæ fiunt supplicationis genere, pœnam certam cavisse eum, qui appellasset. Ceterum commisisse eum pœnam de qua jam cavisset ante, non legi. Et vero non videtur moram facere qui habet justam causam litigandi, qualis est hic de quo agitur, cui vincendo novo opus fuit auxilio, sive semel, sive iterum ad judicium provocet, *l. Qui sine, D. de divers. reg. jur.* Hæc scripseram antequam extisset constitutio regis, quæ definit eum, qui appellat a sententia arbitri, sive confirmata, sive infirmata ea sententia fuerit, committere pœnam in compromissum deductam.

CONSULTATIO XIII.

De vectigali fundi.

Quæris de prædio tuo accepta de Titio certa pecunia vectigal, quod imposuisti simpliciter, redimere id possis necne. Gallice, *si c'est rente fonciere, ou rente constituee.* Respondeo, fundo hærere perpetuo obligationem non videri. Et ideo illud in vectigal redimere posse: id enim quod est levius, in ambiguo accipi oportere. Rursus quæris, an si te Gajo Titius delegaverit, cujus fundus Gajo vectigal perpetuum debebat, debeat et fundus tuus eidem Gajo perpetuum, quod numquam redimere possis. Respondeo debere, quia in privatis contractibus non facile scire potest is cui debitor delegatur, quid inter eum qui delegator, et debitorem actum sit, aut etiam ut sciat dissimulare debet ne curiosus videatur. Proinde idem et in vectigalis genus videris promisisse, vel constituisse Gajo, quod illi Titius debeat, cujus tu vice substitutus es. Sed si hoc ignoraveris, tibi adversus Titium eo nomine competere actionem, *l. Si quis delegaverit. l. Dolo. l. Si non debitorem. D. de novation.*

CONSULTATIO XIV.

De nominis hypotheca.

In Saxonia L. Titius a Gajo Sejo mutuam pecuniam sumpsit, et telonium certum pignori dedit ea lege ne Gajus Sejus nomen illud extero pignoraret, vel distraheret sine voluntate L. Titii. Post aliquot menses Gajus Sejus bona sua omnia generaliter pignori obligavit: Primo homini extero, et peregrino, deinde, et nomen illud specialiter: Secundo æque extero homini, et peregrino, utrique sine voluntate L. Titii, tum voluntate L. Titii nomen illud specialiter: Tertio in solutum dedit facta delegatione Tertius pecuniam a L. Titio exegit scientibus Primo, et Secundo, nec quicquam ob eam rem integro triennio desiderantibus, vel expostulantibus. Quæritur, an post triennium recte agant utili Serviana adversus Tertium Respondeo, ut pactioni habitæ inter L. Titium, et Gajum Sejum obstet non esse utilem actionem, *l. Si creditor. §. ult. D. de distract. pign.* maxime cum ea pactio juri Saxonico congruat, quo rei immobilis pignoratio extra ducatum prohibetur, et res incorporales immobilibus annumerentur, *l. 2. C. de servit. et aqua, et lib. 2. Feud. tit. 1.* Est et alia ratio, quæ repellit Primum, et Secundum, quia liberato L. Titio peremptum est pignus nominis sive telonii, *l. Debitor. §. ult. D. de pign. act. l. Grege. §. 2. D. de pignor.* Liberatus autem est L. Titius per delegationem. Ne dixeris etiam repelli eos ob scientiam silentiumve triennii: Nam hypothecaria adversus posteriores creditores etiam hypothecarios durat annis quadraginta vivente debitore, *l. Cum notissimi. C. de præscript. trig. ann.* et multo magis adversus chirographarios qualis fuit Tertius: et scientia, aut præsentia nihil nocet, *l. Gajus. D. de pignor. act. l. Lucius §. Titia. D. de leg. 2.* Ne dixeris etiam repelli primum quod sub generali hypotheca non contineatur nomine: hoc enim est falsum, *l. 4. C. quæ res pign. obl. poss.*

CONSULTATIO XV.

De substitutione precaria.

Lucius Titius nobilis vir, et uxor ejus æque nobilis Gaja Seja, cum haberent liberos quinque, Philibertum, Albertum, Philippum, Annam, Antoniam, eodem testamento duos ex filiis suis hæredes instituerunt, Philibertum, et Albertum, eosque invicem precario substituerunt sub hac condicione si sine liberis masculis ex justo matrimonio procreatis vita decederent, et adjecerunt hæc verba: « Et si contingat quandoque « Philibertum, et Albertum mori sine liberis masculis, naturalibus, et « legitimis eisdem Philiberto, et Alberto substituunt, et hæredem universalem sibi faciunt Philippum, et suos liberos masculos ex legitimo « matrimonio procreatos, nisi jam in sacris constitutus fuerit. Ipso « autem in sacris constituto, vel alias uxorem ducere prohibito, vel « præmortuo, tunc eisdem Philiberto, et Alberto substituunt posthumam, vel posthumos masculos, et suos filios masculos ex legitimo « matrimonio procreandos, et omnibus supradictis ab humanis sine « liberis masculis naturalibus, et legitimis decedentibus eisdem, seu « ultimo sine masculis decedenti substituunt Antoniam, et Annam « filias charissimas, et earum filios masculos ex legitimo matrimonio « procreatos, videlicet Antoniam in bonis hæreditate, et successione, « parteque et portione in quibus dictus Philibertus, Annam vero in « bonis hæreditate, successione, parteque et portione in quibus Albertus, instituti fuerunt et nominati hæredes, ita quod hæreditates, et « successiones supradictorum testatorum ad lineam masculinam illis « existente gradatim, et successive, prout supra, semper deveniant, « et remaneant, ipsa autem linea masculina deficiente ad femellas « non religiosas propinquiores res ex recta linea ipsorum testatorum « descendentes pleno jure. Et si omnes dicti liberi, et posthumi ab « humanis sine liberis naturalibus, et legitimis (quod absit) decederent, altero dictorum testatorum jam de medio sublato supradicti testatores, et eorum cuilibet prout eum tangit alterum superviventem eorundem testatorum liberis ultimo decedentibus substituunt, et hæredem suum faciunt » His etiam adjunxerunt pleresque alias substitutiones. Post mortem eorum Albertus decessit sine liberis masculis, atque ita portio ejus ad Philibertum pervenit jure substitutionis reciprocæ, quam fecerunt inter eos testatores primo statim loco post institutionem, exclusis Philippo fratre, et sororibus Anna, et Antonia, tum hic Philibertus decessit relicto Philiberto filio masculo ad quem bona omnia de quibus agitur jure pervenerunt. Ac deinde Philibertus decessit relicto Claudio filio masculo, et filiabus quinque ex quibus tres Claudia, Magdalena, Joanna vivente adhuc Claudio fratre vita decesserunt relictis masculis. Quarta item filia cui nomen erat Philiberta decessit vivo fratre nullis tamen relictis liberis masculis. Post eas Claudius mortuus est sine liberis masculis superstite quinta sorore Lucretia. Quæritur, bona de quibus agitur, quæ omnia jure pervenerunt ad Claudium utrum pertineant in solidum ad Lucretiam sororem Claudii, an in solidum ad filios masculos sororum vivo Claudio defunctarum, an vero concurrant in bonorum successione soror superstes, et præmortuarum sororum filii: Respondeo, in successione ab intestato concurrere sororem cum filiis sororum præmortuarum ex Novel. Justiniani de hær. ab intest. ven. cui æquum visum est, ut filii fratrum sororumve in parentum suorum locum succederent repræsentationis jure, et hoc igitur jure si veniat soror, id est, quasi hæres Claudii ab intestato, pariter in ea

bona admittere eam debere filios sororum præmortuarum. Sed si vindicet soror ea bona, ut facit, ex substitutione fideicommissaria, quæ adscripta est superiori testamento, præferri eam sororum filiis debere, et substitutioni certe in persona sororis omnimodo locum esse, sumo, ex eo, quod testatores non in primo tantum filiorum suorum gradu substitutionem fideicommissariam consistere, sed etiam sequentes liberorum gradus directo limite in infinitum occupare voluerunt: quod liquet satis ex scriptura testamenti, secundum quam necesse est semper expediri quæstiones voluntatis, *l. In his. D. de condit. et demonstrat. l. Illud. §. fin. D. de jur. codicill.* Si enim post institutos, et substitutos, liberos primi gradus, id est, filios filiasque alios aliis scripsere testatores: ita quod hæreditates, et successiones supradictorum testatorum ad lineam masculinam illa existente gradatim, et successive prout supra semper devenient, ipsa autem linea masculina deficiente, ad femellas non religiosas propinquiores ex recta linea ipsorum testatorum descendentes. Vocat his verbis lineam masculinam idque lineæ nomen repetit iterum atque iterum. Porro linea non uno, sed pluribus gradibus constat. Papinius III.

Non tibi clara quidem senior placidissime gentis
Linea, nec proavis demissum stemma.

Facit, igitur his verbis non unum tantum, sed plures substitutionis gradus: et hoc ut sit apertius adjicit, gradatim, quo articulo plures gradus significantur, *l. 1. §. pen. D. und. cogn.* Inter filios autem, et filias non sunt plures gradus, sed sunt consistuntque omnes in uno: ergo non filios tantum, et filias substituit inter se, sed et filiis nepotes et nepotibus pronepotes, et sic deinceps in infinitum secundum graduum prærogativam: denique filios substituit sigillatim, liberos omnes gradatim. Adjicit etiam, semper, quo articulo nemo ambigit infinitatem illam, et perpetuam successionem liberorum masculorum significari. Ergo si verum amamus, in substitutione testatores omnes gradus liberorum complecti voluerunt: quin etiam suum in substituendo studium liberis non finierunt: sed si nulli superessent liberi mares, vel feminæ, ad substitutionem exteros vocaverunt, puta testatorum alterum, qui superesset, et alios plerosque qui non sunt ex liberorum linea: unde certo coarguitur in infinitum substituendi animosissima voluntas. Quæ igitur mens tentantibus in persona Lucretiæ, quæ testatoribus est liberorum numero gradu tertio, nempe proneptis, non esse substitutioni locum? Venit igitur ipsa jure ex substitutione superiori, quod Claudius frater testatorum pronepos ad quem bona pervenerant decesserit sine liberis masculis, quo casu testamento sibi liberi feminini sexus vocantur palam. Et venire etiam ex substitutione eam dicimus in solidum exclusis sororum præmortuarum liberis masculis testatorum abnepotibus. Idque ut liqueat, fateor quidem illud in primis voluisse testatores ordinem graduum observari, non inter mares tantum, ut constat ex verbo gradatim, sed etiam inter feminas, ut constat ex his verbis, ad femellas propinquiores. Inter mares autem et feminas non observasse nos ordinem graduum: nepotes enim prætulerant filiabus. Sed quales nepotes? eos qui ex filiis nascerentur, quod apparet ex illa parte testamenti qua Philiberto, et Alberto filiis suis si uterque decesserit sine liberis masculis substituunt Philippum æque filium suum, et filios Philippi masculos: nepotes igitur ex filio, et rursus his deficientibus posthumum, et filios posthumi masculos. Nepotes igitur ex filio et extremo loco filiis, et nepotibus ex filiis deficientibus, substituunt filias Annam, et Antoniam. Nepotes ergo ex filiis præferunt filiabus, non nepotes ex filiabus: unde consequens est et in sequentibus gradibus eundem morem eos, et ordinem observari voluisse, atque ita abnepotes ex pronepotibus pronepti prætulisse, non etiam abnepotes ex proneptibus, quod et significarunt illis verbis, (prout supra) et etiamsi verba deficerent conjectura voluntatis admitteretur, maxime cum sit manifesta ea conjectura, quæ sumitur ex præcedenti substitutione liberorum primi gradus inter eos a testatoribus sigillatim facta, et quæ vehementer impellit nos ut credamus eam rationem voluisse testatores servari sequentibus gradibus, quam præfinissent primo, sicut ex præcedenti scriptura substitutionis definitur in *l. Cum proponebatur. D. de leg. 2.* ut quo jure in ea fuerint scripti, eodem sint etiam in sequenti fideicommisso, et in *l. Si plures. D. de vulg. subst.* ut quibus ex partibus priore loco quidam instituti sunt, ex iisdem etiam, licet omissæ sint sequenti loco, invicem substituti intelligantur, et additur, vix esse credendum aliam fuisse mentem testatoris nisi evidenter fuerit expressum. Et sic in proposito casu dicimus vix esse credendum, ut testatores, qui filiabus prætulerant nepotes ex filiis tantum, non etiam nepotes ex filiabus, non voluerint etiam sequentibus gradibus liberorum, neptibus præferri pronepotes ex nepotibus tantum, non etiam pronepotes ex neptibus, et similiter proneptibus abnepotes ex pronepotibus tantum, non etiam abnepotes ex proneptibus: et ita frequenter in jure, quam legem modumque testator dixit primo gradui eundem dixisse videtur sequentibus, *l. Licet. D. de leg. 1. l. Cum pater. §. Ab instituto, D. de leg. 2.* idemque est in testamentis expressisse, ut intellexisse, *l. 88. de leg. 1. l. 6. de adrign. lib.* quod ut in contractibus ita sequimur, *l. Titia. §. Item respondi. D. de verb. oblig.* Et in judiciis, *l. Si judex. D. de jud.* Et in legibus interpretandis, *l. Quemadmodum. §. ult. D. ad leg. Aquil.* Sed hoc non est satis. Etiam docebo, ratione niti voluntatem defuncti. Ex liberis alii sunt agnati, alii cognati agnati ejusdem sunt nominis, ejusdem familiæ, earumdem imaginum, cognati non item: liberi agnati sunt filii, et filiæ, nepotes neptesve ex filio nati natæve, pronepotes proneptesve ex nepote nati natæve, abnepotes abneptesve ex pronepote nati natæve. Liberi cognati sunt nepotes neptesve ex filia nati natæve, pronepotes proneptes ex nepte nati natæve, abnepotes abneptesve ex pronepte nati natæve: vel brevius: Liberi agnati sunt, qui per mares cognati qui per feminas conjunguntur. Ratio igitur testatorum vocantium liberos agnatos masculos primum, deinde feminas, hæc est, ut in familia bona remaneant, non extra familiam abeant in liberos cognatos, qui ejusdem nominis, et familiæ non sunt: quæ ratio etiam efficit, ut ab intestato in feudis non succedant liberi cognati jure eo, quod est proditum *lib. 2. Feud. tit. de suc. fratr.* Et hac in causa etiamsi verba substitutionis filiorum non docerent aperte fuisse voluntatem testatorum, ut liberi agnati atque etiam agnatæ anteponerentur liberis cognatis etiam masculis, qui scilicet per masculos non per feminas conjungerentur, tamen generis testatorum nobilitas hanc interpretationem exigeret, quod præcipuum nobilibus studio et cordi soleat esse familiæ et nominis sui propagatio. Nam ut est scriptum in *l. Ex facto. §. Si quis rogatus. D. ad Trebell.* conditiones fideicommissorum ex dignitate, et conditione ejus, qui fideicommisit interpretandæ sunt, ubi et ipse Accursius exemplum de nobilibus rectissime posuit. Ex his liquet morte Claudii ea bona de quibus agitur jure substitutionis deferri Lucretiæ sorori Claudii testatorum pronepti, nec in eorum successione vel præferri, vel concurrere cum ea ex sua persona posse sororum præmortuarum filios testatorum abnepotes ex neptibus. Quin potius in solidum præferri proneptem, quæ sequitur familiam testatorum, quam abnepotes ex proneptibus, qui sequuntur alienam familiam, quod et hoc argumento commonstro. Masculo ultimo morienti sine liberis masculis testatores substituere feminas. Claudius is est, qui ex masculis ultimus decessit sine liberis masculis: nam etsi sorores præmortuæ reliquerint liberos masculos, tamen hi non sunt liberi Claudii, sed ex transverso cognati. Verum est igitur Claudium decessisse sine liberis masculis, ergo testamenti jure necesse est ea bona ad feminas propinquiores pertinere: propinquior est soror Claudii superstes cui nomen Lucretiæ: debet igitur ad Lucretiam ea hæreditas pervenire. Sed hoc etiam refractariis forsitan non est satis: nam et id quoque doceam: requirunt abnepotes eos non posse venire ad successionem eam qua de agitur ex persona matrum jure repræsentationis? Id vero eis concedam multo minus. Quis enim nescit jus repræsentationis habere tantum locum in successionibus ab intestato, non in substitutionibus? Substitutioni enim ejus, quod substitutis dum viverent non defertur, nec in filios eorum transit, *l. Si ex pluribus. D. de suis, et leg. hær. l. Toties. D. de acq. hær. l. Qui plures heredes. l. Lucius. §. ult. D. de vulg. subst.* Numquam vero ex causa substitutionis proneptibus delata ea successio fuit, quæ decesserunt antequam existeret conditio puta vivo Claudio, *l. Neminem. D. de adquir. hæred. l. Unica, §. Sin autem, C. de caduc. tollend.* Ergo nec transmissa est in liberos earum: proinde cecidisset jure veteri in fiscum quasi caduca, hodie conjunctis, id est, iis qui conjunctim substituti sunt ultimo morienti sine liberis masculis accedet. Porro ex his superest Lucretia sola. Ergo Lucretia sola, quæ sola ex substitutis eademque sororibus Claudio superest defuncto sine liberis masculis jure substitutionis in ea bona de quibus agitur veniet, et ita virum bonum, et æquum quemlibet judicaturum opinamur.

CONSULTATIO XVI.

De usuris dotis.

Pater Delphinæ filiæ suæ Constituit certam summam dotis nomine, et genero promisit se ejus pecuniæ partem soluturum intra biennium a die contracti matrimonii, et reliquum divisis pensionibus, ut dotali instrumento comprehensum est: neque tamen quicquam quamdiu vixit genero numeravit: moriens autem cum præter Delphinam esset ei etiam Isabella filia, Delphinam instituit ex certa summa, ex reliquis bonis Isabellam. Egit Delphina adversus sororem ad supplementum portionis legitimæ, et pendente lite cum ea transegit auctore marito, ut accepta certa summa, et parte bonorum a lite discederet, dotem rautam instrumento dotali, et omnia jura sua remitteret reservata marito petitione usurarum dotis, de quibus modo quæritur, an agere maritus cum Isabella pro portione hæreditaria possit, maxime cum de eis cum socero nihil convenerit instrumento dotali. Respondi, promissæ dotalis pecuniæ, quamvis stricto judicio ea pecunia marito debeatur, usuras trientes deberi ipso jure post biennium, *l. ult. §. Præterea. C. de jure dot.* non quidem totius dotis, sed partis tantum ejus quam socer se illaturum promiserat intra biennium, ac deinde sequentium pensionum usuras pro rata. ut *l. Lecta. D. de reb. cred. si cer. pet.* Jure veteri non debentur marito usuræ dotis sine stipulatione, *l. 2. C. de dot. promiss.* quia stricto judicio debetur ei dos. Nec enim et actio ex stipulatu de dote ex parte mulieris est bonæ fidei, ita et ex parte viri, quod Accursius non animadvertit in *l. De divisione. D. sol. matr.* quinimo et ex parte viri stricta est, et in strictis judiciis usuræ non veniunt nisi sint in stipulationem deductæ, *l. 3. Cod. de usur. l. Titius. D. de præsc. verb.* Sed hodie ex constitutione Justiniani etiam marito dotis promissæ usuræ debentur ipso jure post biennium, id est, ex dicto §. *Præterea.* Puto tamen eas in specie proposita non deberi ex die transactionis, quia et ex eo die dotis exactio cœpit locum non habere, *l. Cum post. §. Usuras. D. de ju. dot.*

CONSULTATIO XVII.

De feudis.

Cum quæreretur an feudum, quod culpa vasalli vel alio modo redit ad Ducem in ejus dominio, ita fiat ut rursus alii dari in feudum non

possit. Respondi non fieri, exemplo ecclesiæ in cujus dominio ei pari modo feudum esse cœperit, non prohibetur ecclesia id rursus alii in feudum dare, ut aperte dicitur in tit. de cleric. qui invest. fecit. At quemadmodum excipitur ibi ecclesia Mediolanensis, quæ hoc privilegium habet, ut quæ in eam ceciderint feuda, rursus alii non possit concedere, sed retineat ea ac si origine essent dominica, ita nisi hic Dux ostenderit se ab imperatoria Majestate, quam recognoscit, simile privilegium obtinuisse, responderit ut supra. Ad hæc quæsitum est si Dux in feudum, quod ad se redierat declaraverit reponere se in bonis dominicis, ita ut alienari a se, vel successoribus suis non possit, et post aliquot annos idem ipse Dux id alii rursus feudi jure concesserit, et an jure concesserit, et an successor id ad se quasi dominicum, et inalienabile factum superiori declaratione, revocari possit. Et respondit declarationem in qua non perseveravit non immutasse qualitatem bonorum, quæ origine feudalia non dominica erant. Nec enim potuit dominus sibi solus legem imponere, *l. Quod autem. §. pen. D. de donat. int. vir. et uxor.* Et quod Bartolus de vi declarationis ejusmodi definit in *l. Si vacantia. C. de bon. vacan.* non habet locum cum eo, qui declarationem fecerit in ea non perseverante, et male etiam declarationis vim eam constituit, argumento incorporationis bonorum vacantium, aut caducorum: nam alia ratio est bonorum feudalium: hæc fuerunt domini etiam antequam ad eum pleno jure rediissent: non potuit igitur eorum originem sibi princeps, et possessionis causam immutare, *l. Non solum. §. 1. D. de usurp. et usuc.* bona vacantia domini ante non fuerunt: itaque legitima est eorum quæ in ærarium nunc primum fit incorporatio, *l. 3. C. de bo. vac.* Item quæsitum est an quod feudi pars ad Ducem redierit pleno jure ex privilegio quo fisco habenti partem licet vendere totum consorti reddito pretio pro rata, *l. 2. C. de com. rer. alie. l. 1. C. de vend. rer. fisc. cum pr. com.* liceat etiam Duci retinere totum consortibus oblato pretio. Et respondi, privilegia non esse producenda ad consequentias, *l. Quod vero contra. D. de legib.* Vendenti fisco concessum esse privilegium quo facilius inveniret emptorem. Item quæsitum est vendente fisco an consors habeat jus prælationis, et Respondi non habere, *l. 3. C. de com. rer. alien.* nam quod jus prælationis datur dominis feudorum vendente vasallo datur, non vendente superiori domino. Denique nec jus prælationis est inter socios, nec vasallo adversus dominum, sed domino adversus vasallum.

CONSULTATIO XVIII.

De remissione pignoris a muliere facta.

Vir vendidit omnia bona sua, et persuasit uxori dolo malo, ut donationi consentiret et remitteret jus hypothecæ, quod in eis bonis habebat dotis nomine. Quæritur an in emptores mulier agere hypothecaria possit? Respondi non posse, quia hypothecæ remissio valet, nec potest revocari, nam neque intercessioni, neque donationis similis est, *l. Etiam. l. Jubemus. C. ad Velle. l. Si pignus. D. quæ in frau. cred. l. Unica. §. Et cum lex. C. de rei uxo. act. l. 3. §. ult. D. de leg.* 3. Nulla igitur suppetit causa, ex qua possit resumi hypothecaria actio semel omissa. Nec moveor quod proponitur maritus hoc genere omnia bona sua vendidisse, ac proinde solvendo non esse, quia et hoc casu nulla revocandæ hypothecæ idonea causa subest, non intercessio, hoc est certum, non etiam donatio: quæ cum obligatio principalis marito non remittatur, nulla potius est remissio pignoris, quam ulla liberalitas, quanquam Bartolo, et aliis plerisque in *d. l. Jubemus.* videatur hoc casu succurrendum esse mulieri, et forsitan Bartoli opinio hodie prævaluerit. Sed si probetur dolo mariti circumscripta, etiamsi non possit constante matrimonio eum convenire actione de dolo malo, *l. 2. C. rerum amot.* convenire tamen poterit in factum, quæ subsidio esse solet actioni de dolo, *l. Non debet. D. de dolo:* cujus actionis exitus hic erit, ut restituatur hypotheca, qua restituta mulieri dabitur utilis hypothecaria, ut fit in specie *l. Si fidejussor. D. de dolo:* conjuncta *l. Cum quæ. § pen. D. de fidejuss. l. Mora. §. ult. D. de usur.*

CONSULTATIO XIX.

De substitutione precaria.

Sempronius filios fratrum Titium, et Mævium hæredes instituit, eosque invicem substituit, si quis eorum sine liberis moreretur: quod si uterque sine liberis moreretur, his substituit sororum filios. Titius mortuus est relictis liberis. Quæsitum est an unum ex liberis Titii Mævius eligere possit, in quem bona ea conferat testamento, vel donatione, quæ accepit ex testamento Sempronii. Respondi, non tantum Titium, sed etiam liberos Titii Mævio substitutos videri si sine liberis Mævius diem suum obiret: Nam etsi in prima substitutione eos nominatim non substituerit, quia tamen in secunda substituit filios sororum sub conditione si frater uterque sine liberis decederet, et proponitur Titius non decessisse sine liberis, eodem substitutionis jure quo Titium, et liberos Titii præferre liberis sororum voluisse videtur. Voluntas autem sola in fideicommissariis substitutionibus, quales eæ sunt de quibus quæritur, spectatur, *l. Hæredes. §. Cum ita D. ad Treb. l. Titia. §. Seja. D. de leg.* 2. Quod si substitutio prima amplectitur etiam liberos Titii, certissimum est non posse Mævium eligere ex eis quem voluerit. Sed omnibus debere ea bona conservare: idque probat *d. l. Hæredes. §. ult.* dum ex his verbis, Peto uxor, ut cum morieris restituas filiis meis vel uni eorum, vel nepotibus meis cui volueris, uxori quidem circa nepotes dat eligendi facultatem, quam palam testator dedit, sed non circa filios. Filiis enim omnibus fideicommissi bona restitui debent, vel ei, qui ex eis superfuerit moriente uxore.

CONSULTATIO XX.

De Fideicommissis.

Pater, et mater filio ducenti uxorem favore matrimonii donaverunt inter vivos dimidiam partem omnium bonorum retento usufructu, eundemque morientes testamento universorum bonorum hæredem instituerunt, et si sine hæredibus vita decederet, ut et scriptum in testamento patris, si sine liberis, ut in testamento matris, ei Mariam communem filiam substituerunt per fideicommissum, et Mariæ nepotes ex ea susceptos, et his deficientibus ceteras filias. Porro is filius decessit relictis filiabus quatuor. Quæritur, an dimidia pars bonorum donata filio inter vivos fideicommisso contineatur. Item his fideicommissi verbis, si sine hæredibus, vel, si sine liberis decesserit, utrum mares tantum, an et feminæ contineantur. Respondeo, dimidiam partem bonorum donatam filio inter vivos fideicommisso non contineri, quia a donatario inter vivos fideicommissum relinqui non potest, quandoquidem eorum tantum fideicommittere quis potest, ad quos morte ejus pervenit aliquid, *l. 1. §. Sciendum est. D. de leg.* 3. et quæ donata proponuntur filio, non morte parentum ad eum pervenerunt, sed inter vivos; qua de causa recte in *l. Cum quis decedens. §. Pater. D. de leg.* 3. ponitur patrem, qui filio donaverat inter vivos ab eodem stipulatum donata restitui cui ipse vellet, ut ab eo fideicommissum relictum valeat quasi a debitore relictum ex constitutione Divi Pii. Nam a donatario inter vivos non debitore fideicommissum relinqui non potest, et multo igitur minus fideicommisso hæreditatis tacite continebuntur bona donata inter vivos, quæ etiam extra hæreditatem, puta alio hærede existente, habiturus filius esset, *l. Sequens, D. de leg.* 2. quod usque adeo verum est, ut etiamsi donatio inter vivos ex earum genere sit, quæ non nisi morte donatoris confirmantur, quam constat fideicommisso onerari posse nominatim, non intelligatur tamen contineri fideicommisso hæreditatis aut bonorum, *d. l. Sequens.* Neque vero eadem est causa donationum causa mortis: nam et fideicommisso hæreditatis eæ continentur, et nominatim fideicommisso onerari possunt quoquo tempore. *l. Ab eo. C. de fideicom. l. Cum pater, § 1. D. de leg.* 2. *l. Cum hi. §. Idem erit dicendum. D. de trans.* quia per omnia legatis aut fideicommissis comparantur. Donationes inter vivos non item, ac ne illæ quidem quæ morte confirmantur legati, aut fideicommissi partibus funguntur in omnibus: Nam legatum, aut fideicommissum uxori exempli gratia relictum hæredi institutæ in fideicommissum hæreditatis cadit, res eidem donata inter vivos, ut ante dixi, quæ donatio morte confirmatur in fideicommissum hæreditatis non cadit: ac præterea donatio causa mortis pœnitentia facillime revocatur. Donatio inter vivos pœnitentia non revocatur, quia plenum jus tribuit accipienti; et maxime ea quæ matrimonii contemplatione fit filio ducenti uxorem, quæ omnium principio favorabilis, certa, constans irrevocabilis est. At ei cui donasti addere substitutum, quodammodo plenum jus, quod in eum contulisti revocare est. His consequenter concludimus substitutionem factam filio in specie proposita pro dimidia parte bonorum, quæ ei ab utroque parente donata est non valere, pro altera dimidia valere, non in solidum tamen, sed detractis duabus quartis, id est dimidiæ dimidia: nec enim cogitur filius in quartam legitimæ portionis, vel in Falcidiam imputare donationem inter vivos nisi hac mente donatam probetur, ut imputaretur. *l. Si non mortis. D. de inoff. testam. l. Cum quo. §. ult. D. ad legem Falcid. l. Si quando. §. Generaliter. C. de inoff. test.* Scio donationem propter nuptias imputari, *l. Quoniam, C. de inoff. test. §. ult. Instit. eod. tit.* Sed donatio de qua agitur fuit mera, et directa donatio filio facta inter vivos, et quod etiam in tabulis nuptialibus filii hæc donatio propter nuptias appellatur, error est testatoris, vel librarii, quia omnivero verissimum est donationem propter nuptias, quæ imputatur filio in legitimam, eam esse tantum, quam propter dotem donat nurui socer filii nomine, qualis illa certe non fuit. Quod ad quæstionem aliam attinet, an his verbis, si sine hæredibus, vel si sine liberis decesserit contineantur tam mares, quam feminæ, respondeo, contineri utrumque sexum liberorum appellatione, *l. Cognoscere. §. ult. D. de verb. sig.* et eandem in fideicommissis vim esse appellationis hæredum, et liberorum, *l. Ex facto, §. ult. D. ad Treb.* Igitur defecisse conditionem fideicommissi, si hæres filias reliquerit. De voluntate tamen quæri posse: nam si intellexit testator de maribus tantum, et hæres mares nullos reliquerit, secundum mentem defuncti dicemus fideicommisso, sive substitutioni locum esse. Porro mens testatoris æstimanda est ex dignitate, et conditione testatoris, *d. l. Ex facto. §. Si quis rogatus.* Nam si testator fuerit nobilis, quo exemplo ibidem recte utitur Accursius, dici potest hæc verba, Si sine liberis, vel si sine hæredibus, de maribus solis accipienda esse, qui soli propagant familiæ nomen, cujus rei nobiles studiosissimi sunt: et hac ratione in feudis etiam hæredum nomen pro filiis tantum masculis accipitur, ut in *lib 2. Feud. tit. de lege Conradi.* Et quo magis ita sensisse appareat testatorem, utrumque observemus, substituisse utrumque Mariæ filiæ suæ filios mares, et his deficientibus ceteras filias, et ita argumentamur: Si prætulere nepotes ex Maria filia sua ceteris filiabus ceteras filias neptibus ex eadem Maria, et in primo quoque substitutionis gradu videatur prætulisse nepotes ex filio Mariæ, Mariam neptibus ex eodem filio, id est in omnibus gradibus pariter affecti fuisse videntur.

CONSULTATIO XXI.

De legatis.

Qui n. dotis nomine se accepisse caverat instrumento dotali, testamento cavit se dotis nomine accepisse M. eamque summam uxori reddi jussit his diebus, et proinde ac dotali instrumento comprehensum esset, et præterea legavit eidem ornamenta, et vestimenta, quæ ejus causa parata essent. Quæritur, an mille debeantur. Respondi, deberi quasi legata: nam reddendi verbum, legati est verbum, cui etiam dandi simplex significatio inest, *l. Cum quidam.* §. 1. *D. de leg.* 2. et quia paulo post dixit se præterea legare, quæ ejus causa parata essent, manifestum est, et mille eum legasse, et quæ ejus causa parata essent, *l. Sejo.* §. *pen. D. de aun. leg.* Nec quicquam legato officit falsa demonstratio dotis acceptæ nomine, cum sit expressa quantitas certa, *l. 3. C. de fal. cau. l. Legari. in fin. D. de lib. leg. l. 1. in fin. D. de dot. prœleg.* Nec quod his diebus reddi jussit, et ita ut instrumento dotali comprehensum est, quia his verbis non minuitur quantitas, quæ legata est, sed his tantum diebus, et eo jure declarat testator velle se reddi mille quo dotem fungi convenit instrumento dotali, et quod de relatione facta ad instrumentum dotis est in *l. ult. C. de fal. cau.* aliam rationem habet: ibi enim testator reddi jussit, dotem, quæ conscripta esset instrumento dotali, non adjecta certa quantitate, atque ita quantitatem sumi voluit ex instrumento dotali, quam in specie proposita non ex instrumento dotali, sed ex scriptura testamenti æstimari voluit. Non moveor etiam eo, quod proponitur testatorem hæc cum dictaret nuncupareturve fuisse proximum morti, adeo ut testamento non plus quadrante supervixerit horæ, cum etsi vox eum et anima defecisset statim perfecto testamento, non ideo minus rata foret morientis ultima voluntas, *l. Si quis cum testamentum.* 25. *D. qui test. fac. poss. l. 1. C. de sac. eccles.* Itaque sic statuo, uxori deberi mille quasi legata. Sed addo exceptionem, nisi liquido ab hærede probetur non mille testatorem legare voluisse, sed errore lapsum cum existimaret se accepisse mille in dotem, mille reddi jussisse, *l. 1. C. de fal. cau.* Onus probandi competere hæredi, et nisi probationem impleverit hæres, legatam efficacem actionem fore.

CONSULTATIO XXII.

De precaria substitutione.

Cum proponeretur filium hæredem institutum, et rogatum si sine liberis decederet, hæreditatem sorori restituere, omne quicquid obvenerat ex hæreditate alienasse partim æris alieni hæreditarii exsolvendi causa, partim sua sponte, ac deinde sine liberis decessisse, et quæreretur an jure fideicomissi soror ab omnibus emptoribus bona, quæ possiderent, vindicare possit. Dixi, neque posse ab his quibus initio vendidit frater ad modum æris alieni, ut pecunia ex venditione redacta hæreditatem ære alieno liberaret, quæ ea causa si solvisset, nec quicquam alienasset, habiturus erat in sororem actionem pro rata fideicommissi, *l. 1. C. ad Trebell.* Si actionem, et reputationem igitur: neque ab his quibus vendidisset ad modum usque trientis legitimæ portionis, et ad modum quadrantis Trebelliani, quoniam ad utriusque portionis modum alienatio valet, *l. 3. §. Res. D. ad Treb. Nov.* 39. *c.* 1. et ut his deductis ante omnia, cetera bona constat fideicommisso obnoxia esse, ita acceptis emptoribus illis consequens esse, ut cum his duntaxat, qui novissimo emerunt sit in rem actio, perinde atque si nulla venditio intercessisset, *l. ult. §. Sed quia. C. comor. de leg.*

CONSULTATIO XXXIII.

Variæ, et satis leves quæstiones et opiniones advocatorum.

Sæpe me adierant advocati fori mali, aut parum in jure versati, qui ut in tragœdiis legimus, clamosi rabiosa fori jurgia venduntur improbi, iras et verba locant: et adierunt per contemptum, atque ita comparati, ut quicquid interrogantibus illis responderem de jure rejicerent atque damnarent prolatis sylvescentibus in ore eorum consiliis, opinionibus, decisionibus Doctorum innumeris, quas ego non minus quam ipsi contra quam existimabant multa nimis diuturnaque lectione triveram, adolescentia pene omni mea in ea re consumpta male, ac proinde melius quam ipsi noveram, quam minima quamve maxima decisiones illæ juris prudentiæ constarent: ut vix unquam accidit quin quæ illi scriptis Doctorum prodita affirmabant, ego in medium prolatis eorum libris, vero præsentibus convicerim aut non esse, aut aliter esse prodita. Sane cum interrogarent an esset hypothecaria actio personalis, et ego negarem ex *l. Pignoris. C. de pignor.* et *l. 2. C. si unus ex plur. her. cred.* quæ pignoris vindicationem sit non personam obligare, sed rem sequi, illi contra adducebant Doctores multos, qui scriberent actionem hypotecariam esse personalem, quorum nemo postea inventus est adeo vacui capitis. Eadem audacia me negante affirmabant, omnem actionem de re immobili esse realem, veluti pro socio, de pariete communi, vel damni infecti, abutentes Bartoli scripto ad *l. 1. C. si adversus trans.* quod non intelligebant: quia non hoc Bartolus tradit, actionem esse in rem, vel in personam, sed mobilem esse, vel immobilem secundum qualitatem rei, quæ in actionem deducitur, et idipsum etiam improbat rectissime, quia jura incorporalia separentur a rebus mobilibus, et immobilibus, ut *l. Unica, §. Exactio. C. de rei ux. act. l. 2. et 3. C. de quadr. præs. l. Quum Tuberonis, §. In peculio. D. de pec.* Et quod est stultius, incidi etiam in aliquos, qui donationem causa mortis ullam esse negarent nisi quam fecisset æger, cum certissimum sit etiam a sano sola cogitatione mortalitatis mortis causa donationem fieri, *l. Senatus. §. Mortis. D. de mor. cau. don.* Item qui propiores sobrinis, qui Gallis sunt *Remuez de Germains*, affirmarent concurrere cum amita magna in successione defuncti quod omnes essent quarto gradu, cum nihil unquam fuerit in jure magis hoc certo certius, quam propiores sobrino esse quinto gradu, amitam magnam quarto, et amitam igitur esse potiorem vel ex *l. 2. C. de suc. edic.* quæ avunculum magnum præfert propiori sobrino. Itaque in his, quæ defunctus acquisivit, quia mores Gallium proximum vocant, amita magna propiori sobrino præferetur. In bonis autem quæ a patre habuit, potior est is, qui per patrem etiamsi remotior sit eo, qui per matrem conjunctus est. Et similiter in bonis maternis præferuntur qui per matrem conjuncti sunt, et hoc est, quod dicitur paterna paternis, materna maternis, quod *l. De emancipatis. C. de leg. her.* constitutum cum esset tantum in fratribus, mores ad omnes cognatos protraxerunt.

CONSULTATIO XXIV.

De impulatione in legitimam.

Mutua acceptilatione avia mea, et mater invicem remiserunt quicquid debebat altera alteri, sed quod sibi debebatur mater hac lege finiquo ut, quod etiam agebat avia, id mihi quemadmodum fecit donaret inter vivos, et contemplatione matrimonii. Quæritur, an id imputare debeam in legitimam mihi debitam ex bonis matris. Respondi, non imputari, quia non venit directo ex donatione matris, sed ex donatione aviæ. Non venit etiam directo ex judicio matris, sed ex judicio aviæ, quandoquidem id ultro avia mea dum affectat, ut mihi donet optimo jure omnia sua bona remittit matri obligationem, ut et vicissim mater bona aviæ absolvat omni onere omnique obligatione. Constat autem si quid alieno judicio obveniat filio, id non imputari in legitimam, veluti ex substitutione, ut si filius patri per fideicommissum substitutus sit, vel ex jure accrescendi, ut si deficiens ususfructus morte patris, aut matris, qui fuerit patri, et filio relictus accrescat filio, quod in usufructu ideo ponit ita *l. Scimus. §. Repletionem. C. de inoffic. testam* quia non ut ususfructus, ita proprietas post acquisitionem jus accrescendi admittit, *l. 1. §. pen. D. de usufr. accresc.* His autem casibus, quod erat patris, aut matris licet recta transeat in filium, tamen quia alieno judicio transit, non imputatur in legitimam, et multo minus igitur si quod jam amplius non erat in bonis matris, sed in bonis aviæ, ut in specie proposita, transeat in filium non tam matris, quam etiam aviæ judicio, quæ quicquid gessit cum filia nepotis contemplatione gessit, ut in eum bona sua libera optimo jure, optima condicione transferret. Etiam illud observandum est, imputationem legitimæ non fieri ad juris stricti rationem, sed benevolentia quadam, sive ut ait *d. §. Repletionem*, humanitatis gratia filiis concedi multa, quæ non imputant in quartam legitimæ portionis, quæ tamen in aliam forte quartam imputarentur. Præterea etiamsi quis ponat, quod non concedo, id quod mater remisit aviæ, ut mihi donaretur, donationem esse matris, non est cur imputari debeat in legitimam. Est enim donatio inter vivos, quam constat non imputari in legitimam nisi hac condicione facta sit, ut in legitimam imputaretur, *l. Si non mortis. D. de inoffic. testam. l. Si quando. §. Et generaliter. C. eod.* hac ratione, quia vivente parente donatio inter vivos bonis ejus separata est, et legitima liberis debetur eorum bonorum tantum, quæ morientis fuerunt, *l. Cum quæritur. C. de inoffic. testam*, qua ratione etiam olim dos, vel donatio propter nuptias non imputabatur in legitimam, ut Codex Gregorianus docet: sed hodie imputatur dos, et donatio propter nuptias ex constitutionibus, *l. Quoniam novella. C. de inoffic. testam. l. 1. §. Quo a nobis. C. de rei uxor. act.* quasi scilicet justa præsumptione hæc videantur liberis dari hac contemplatione, ut cedant in legitimam, et quasi mortis causa, *l. 3. §. Sed et si non. D. de bon. lib.* Eandem præsumptionem constitutiones non introduxerunt in absoluta donatione inter vivos: ac proinde in legitimam non imputatur. Ea enim tantum imputari proditum est in legitimam, de quibus specialiter legibus expressum est, ut imputentur, *l. pen. C. de collat.* quæ definitio summe notanda est, quia valde coarctat imputationes in legitimam: nec enim velit licere nobis interpretationibus nostris aliud quicquam imputare in legitimam, quam quod specialiter legibus expressum est: et hæc tantum legibus inveniantur expressa, hæreditas, legatum, fideicommissum, mortis causa donatio, dos, donatio propter nuptias, casus militiæ pecuniis parentis comparatæ, donatio inter vivos facta hac lege, ut in quartam imputetur, *l. Quoniam. l. Omnimodo. l. Si quando. §. Et generaliter. C. de inoff. test. l. Papinianus. §. Si quis mortis. l. Si non mortis. D. eod. l. pen. C. de collat.* Donatio igitur inter vivos non ea lege facta, quoniam legibus non est nominatim annumerata his quæ computari debent in legitimam, non computabitur. Neque vero etiamsi proponatur in hac specie voluntate matris avia mihi donasse inter vivos contracturo matrimonium, et contemplatione mei matrimonii, recte quis contendat donationem esse propter nuptias, ut imputetur in legitimam: nam primum hodie nulla fit donatio propter nuptias. Est in usu tantum quædam quæ donationis propter nuptias vicem, vel instar obtinet;

hæc est illa quæ vulgo Dotalitium dicitur, id est, quod morte mariti soluto matrimonio ex bonis, ejus uxor lucratur, non donatio, quæ fit a parente filio ducturo uxorem contemplatione matrimonii: neutra vero harum imputetur in legitimam: non certe dotalitium, quia non filio conceditur, sed uxori ejus et non ex bonis parentis, sed ex bonis filii: non etiam quæ a parente in filium confertur contemplatione matrimonii, quia nulla lege specialiter expressum est, ut in quartam imputetur, et ut definit d. l. pen. C. de collat. ea tantummodo legitimæ portioni computantur, pro quibus specialiter legibus, ut hoc fieret, expressum est, quæ regula satis evidenter docet, quam non sit temere quidvis imputandum liberis in legitimam, quamque hac in re favendum sit liberis potius exhæredatis, vel ex minore parte hæredibus institutis, quam aliis hæredibus scriptis.

CONSULTATIO XXV.

De Testamentis.

Ex facto proponitur Cornelius comes cum haberet quinque filios, ex prima uxore Titium, Gajum, et Mævium, ex secunda Lucium, et Sempronium, eos omnes ex æquo hæredes instituisse, et prohibuisse antequam Sempronius minor natu ad annum vicesimum quintum pervenisset, ne bonorum inter eos divisio fieret, et ut ne ex eis interim cuiquam, quicquam pignorare, vendere, alienare, aliudve quid facere liceret, hoc nimirum volens bona conservari fratribus, quos etiam invitavit, et prætulit extraneis post divisionem, si quid ex sua parte eorum quis pignoraret, venderet, alienaret; tum post mortem ejus priorem Mævium decessisse intestatum: deinde Gajum facto testamento antequam Sempronius complesset annum XXV. in quo hærede instituto fratre Titio plereque legavit reliquis fratribus Sempronio, Lucio, sororibusque, et pauperibus, et amicis, ac domesticis, inter quos etiam actori suo, vel œconomo, eidemque scriptori testamenti: huic testamento subscripsisse tabellionem non testatorem, non testes septem, qui adhibiti sunt, quibus etiam hæredis nomen enuntiatum est: eundem tabellionem solum testamentum obsignasse sigillo suo si ei credimus, nos uno si Jacobo de Monte uni ex testibus potius credimus: de fide testium constare ex actis habitis intercessione œconomi apud magistratum ejus loci, quo Gajus fato functus est, hinc oriuntur quæstiones multæ. Prima hæc est, an propter prohibitionem ascriptam testamento Cornelii, testamentum, quod Gajus fecit ante legitimam ætatem Sempronii irritum sit. Et quidem si extraneum Gajus testamento hæredem instituisset, jure quidem ideo irritum testamentum non fuisset, sed haberent fratres superstites bonorum pro parte Gaii persecutionem jure fideicommissi, quod ejusmodi prohibitio contineat etiam exteri institutionem, l. Peto. §. Fratre. D. de leg. 2. At cum Titium fratrem hæredem instituerit, satisfecit voluntati patris, nec necesse habuit reliquos etiam fratres instituere. Satis namque est unum eligi ex corpore eorum, quibus testator consultum voluit, l. Pater. §. Quindecim. l. In qui complures. D. de leg. 3. l. Filiusfam. §. Sed si omnes. D. de leg. 1. Rursus quamvis ea prohibitione hoc etiam contineri putem, ne quid in exteros legati jure conferatur, l. Si qui prioris §. Certum. C. de secund. nupt. servabo tamen judicium tisii non solum quæ tenus fratribus legavit, sed et quatenus sororibus, et extraneis, atque ideo eorum legatorum retentionem, aut persecutionem jure fideicommissi ex testamento patris neque Titio hæredi, neque Lucio, et Sempronio legatariis dabo, ne quid faciant contra voluntatem Gaii testatoris, ex qua lucrum sentiunt, l. Ex qua persona. D. de divers. reg. jur. Mævio, cui nihil testamento tisii relictum est, persecutionem darem ex l. Filiusfam. §. Cum patre. D. de leg. 1. si vixisset tempore testamenti: at is jam ante Gajum decesserat intestatus, aliæ tamen sunt causæ, ex quibus quædam legata rescindi possunt, ut quod sibi œconomus adscripserit. id enim constat esse pro non scripto, et apud hæredem manere, l. 1. D. de his, quæ pro non scrip. hab. l. 3. et 4. C. de his, qui sibi ascrip. Et hoc amplius eo nomine œconomum falsi teneri ex S. C. Liboniano. Putem et dispensationem relictorum legatorum pauperibus, et domesticis, quam sibi ille œconomus adscripsit circumscribendam, et in Titium hæredem transferendam: quod ultro eam videatur œconomus affectasse, quæ res non levem fraudis suspicionem facit, l. Uxori. §. 1. D. ad leg. Corn. de fal. l. Ex sententia. D. de testam. tut. Item quod ab œconomo vetuit rationes exigi ex eodem S. C. prorsus erit inutile. Quod autem ab Aufidio, sub hac exceptione scriptum, ut tamen exigantur ab eo reliqua, et volumina rationum, et si quid dolo malo interverterit, l. Si quis rationes. l. Aurelio. §. ult. l. Aurelius. §. Mævia. D. de lib. leg. l. Si servus vetitus. D. de leg. 1. Sequitur secunda quæstio an Gaii testamentum valeat testamenti, vel codicillorum jure. Et quidem quasi per nuncupationem jure factum esse non arbitror, cum testibus palam non fuerit nomen hæredis nuncupatum, nec de hærede quicquam ex dictis testium exceptis apud magistratum cognovisse eos constet, quod tamen omnimodo exigitur, l. Hæredes. D. qui testam. fac. poss. l. Hac consultissima. §. Nuncupationem. C. de testam. Multo minus id quasi ex scripto jure factum defendemus, cum neque id sua manu scripsisse, neque dictasse œconomo testatorem appareat: et ut maxime dictaverit œconomo, tamen in eo desideretur subscriptio testatoris, signa et subscriptiones testium, quæ usque adeo exiguntur, ut pœnam falsi incurrant tabelliones, qui secus fecerint, et alii, qui conficienda instrumenta procuraverint, ut ait l. Jubemus. §. ult. C. de test. Qua ex re falsi etiam aliud argumentum peti in œconomum potest, quo curante, subjegente, scribente, neglectis solemnitatibus juris confectum testamentum est. Quod autem proponitur, solum tabellionem signasse sigillo suo an alieno, incertum, si tabellionis signum sufficeret, eo non moveremur, cum et alieno annulo signari testamentum possit, §. Possunt. Inst. de testam. ord. At tabellionis neque signum, neque subscriptio sufficit; non est igitur jure factum testamentum. Idem etiam testamentum codicillorum jure non valet, l. 1. D. de jur. cod. l. Ex testamento. C. de fidei. cum sit omissa clausula codicillaris, et in ipso initio inscribatur a Gajo factum in modum testamenti his verbis: Facio proprio meo motu memoriale in modum testamenti, et ultimæ voluntatis: posset tamen quis hac ratione defendere testamentum, quod in eo institutus sit is, qui ex Nov. Just. de qua inferius dicetur, omnimodo rem ab intestato habiturus est, et ideo legatariis omnibus eum teneri, etiamsi ab intestato non ex testamento hæreditatem vindicarit ex edicto, Si quis omiss. cau. test. quod potuerit ex testamento bonorum possessionem secundum tabulas agnoscere, l. Posthumus. D. de inj. rup. test. quod sufficit, ut illi edicto locus sit l. 2. C. si omiss. cau. test. Et quod colligitur ex l. Si quis testamento. et l. Cum pater. §. Si filius. D. de leg. 2. legitimum hæredem testamento institutum ab intestato vindicata hæreditate legatariis non teneri, ita accipiendum est si neque jure civili, neque jure prætorio ex testamento rem obtinere potuerit. At negandum potuisse Titium de quo quæritur bonorum possessionem secundum tabulas agnoscere, cum defuerint septem signa, quæ jure prætorio exiguntur, §. Non tamen. Instit. quib. mod. testam. inf. vel secundum nuncupationem, cum nihil sit hæredibus palam nuncupatum. Itaque ab intestato veniens Titius legatariis respondere non compellitur. Tertia quæstio nihil dubitationis habet. An si justum est testamentum contineantur etiam bona feudalia, quæ a patre profecta sunt maxime cum non extraneum, sed fratrem instituerit hæredem, nec a jure feudorum recesserit. Quarta quæstio hæc est, quid sentiendum sit de bonis hypothecariis in Alsatia sitis, ubi juris communis observatur dispositio, ea ne loco mobilium, vel immobilium habenda sint. Significatur quædam esse bona in Alsatia, quæ pignoris jure Cornelius filiique possederint. Ea esse ex bonis constat, §. Sunt in hac actione. Inst. vi bon. rap. et ex hæreditate, l. Et non tantum. D. de pet. hær. et idcirco venire in familiæ erciscundæ judicium, l. Si pignori. D. famil. ercisc. et si solo continentur immobilibus annumerari, cum possessio penes creditorem sit, l. Per servum. in prin. D. de acquir. rer. dom. l. Cum sortis. §. ult. D. de pign. act. ideoque creditori interdictum uti possidetis dari Accursius recte colligit ex l. Si duo. §. Creditoris. D. uti poss. Quinta quæstio hæc est, quis jure civili Gajo ab intestato succedat. Et constat ex Nov. Justinian. de hæred. ab intest. venient. Titium præferri, quod sit utroque parente conjunctus, Lucio, et Sempronio, qui ex patre tantum conjuncti defuncto sunt. Sexta quæstio. Cum hæc sit consuetudo in Austria, et Carinthia ubi bonorum de quibus agitur major pars exstat ut in bonis a patre profectis morientis uno ex fratribus ab intestato superstites indistincte succedant, sive ex altero, sive ex utroque parente conjuncti sint, an hic mos sequendus sit. Sic sane videtur quasi desuetudine abrogata aut nunquam recepta Constitutione Justiniani restet jus vetus, quo fratres invicem succedant etiamsi non sint omnes eadem matre. §. 1. Instit. de legit. agnat. succ. Itaque in bonis paternis Mævio, qui prior decessit intestatus, ex consuetudine Austriaca successerunt Gajus. Titius, Lucius, Sempronius: Gajo quoque, qui post Mævium decessit, pro intestato succedunt Lucius, Titius, Sempronius. Septima quæstio hæc est, quid sit dicendum de bonis feudalibus in Alsatia, et comitatu Burgundiæ sitis, ubi jus commune servatur. Et ex communi sententia, de qua multa Alb. Brutract. de statutis, art. VIII. in his bonis Titius Gajo succedit summotis reliquis fratribus secundum constitutionem Justiniani, quæ si vera est, ita fiet, ut Titius Gajo ex parte hæres sit jure civili Romanorum, ex parte jure Austriaco, quod videtur absurdum esse non minus quam si quem diceres ex parte Gaii hæredem, ex parte bonorum possessorem, quod nunquam accidit, propterea quod qui vocatur ad successionem ex asse, vel ex parte, in eum assem eamve partem solidam uno jure semper vocatur, non minus quam si quem diceres partim jure testati, partim jure intestati alteri succedere, quod tamen iidem illi doctores admittunt in specie ea, quam tractabitur in quæstione decima contra certissima principia juris, quibus cavetur solius militis bonorum species separari posse si id ita caverit, l. Cogi. §. Sed etsi miles. D. ad Treb. et ejusdem voluntate unum eundemque, vel diversos ei partim ex testamento, partim jure legitimo succedere posse, quod in paganis, vel militibus jure communi testantibus non fit ad eundem modum, sed jus testati trahit ad se jus intestati, l. 1. §. Si ex fundo. D. de hæred. inst. Sic etiam in proposito jus patriæ defuncti trahet ad se bona quæ sita sunt in peregrino solo, sive ea sint mobilia, sive immobilia, atque adeo in omnibus bonis ei succedetur jure patriæ suæ. Patriæ jus in successionibus spectatur. Armenius ante Novellam Justiniani de Armeniorum successione, quæ adnumeratur edictis in Græco codice, si intestatus decessisset, prælati in ejus successione fuissent jure patrio mares feminis, qui mos hodieque multis in locis viget. Videndum ergo quæ Gajo patria fuerit. Patria duplex est, una originis, altera domicilii. Domicilium certum non habuit: alioqui domicilii potius locum spectaremus, ut in Isocratis Æginetico: ἀνάγνωθι δ' ἡμῖν καὶ τὸν νόμον τῶν Αἰγινητῶν, καὶ γὰρ τούτου ἔδει ποιεῖσθαι τὰς διαθήκας· ἐνθάδε γὰρ μετῳκοῦμεν: recita Æginetarum legem: nam ad hujus præscriptum faciendi fuit testamentum, cum hic inquilini essemus. Originis itaque locus spectabitur, qui est Austriæ: ubi etiam major bonorum pars exstat, et Comitatus in Vitembourg, ex quo Cornelius, hæredesque ejus sibi appellationem usurpant. Jus itaque Austriæ trahet ad se omnia sita bona mobilia, vel immobilia: et ita in simili specie Paulus de Castro ad l. Si fideicommissum. D. de jud. jus Florentiæ trahit ad prædia, quæ sunt extra Florentiæ territorium. Proinde Gajo, quem pro intestato haberi jam antea definivi-

mus, in omnibus bonis quocunque loco sitis succedent secundum consuetudinem Austriæ Titius, Lucius, Sempronius, et hæc fuit opinio Fulgosii in *l. 1. C. de summa Trinit.* ut arbitror ex jure. Ceterum, ut dixi, communis doctorum opinio separat. Quod attinet ad quæstionem octavam, an bona mobilia, quæ fuerunt in comitatu Burgundiæ comparata ex communi fratrum pecunia ad fratres omnes ex æquo pertineant, et jure, et omnium doctorum auctoritate ad omnes fratres ex æquo pertinent secundum consuetudinem Austriæ: quoniam paterna esse non est dubium quæ communi pecunia a patre profecta fratres compararunt, *l. Res quæ, D. de jur. dot.* et mobilia trahi ad jus patrium, veluti vasa, vestes, equos, et cetera ejus generis, quæ præsidii causa, et ut perpetuo ibi sint comparata non sunt, quæ tamen et ipsa ex jure confirmavimus supra, immobilisque omnis patrio jure censeri. Idem eisdem rationibus statuendum (quæ est quæstio nona) de pecunia Antverpiæ apud mensam deposita, ut sequatur jus Austriæ. Decima quæstio eodem modo deciditur, ut testamentum quod fecit Gajus secundum jus patriæ regatur, non secundum jus ejus loci, quo Gajus vita decessit. Jus patriæ in testamentorum solemnitatibus spectari probat aperte *l. Si non speciali. C. de testam.* Itemque in apertura testamentorum, *l. 2. C. quemadm. test. aper.* Sunt igitur patriæ, et civitatis legibus, et moribus quisque testari debet: et deportati ob id testamentum facere non possunt, quod nullius sint certæ civitatis cives, ut secundum leges civitatis suæ testentur, *l. 1. § Hi quibus. D. de leg. 3.* Qua ratione, et in dediticiis Ulpianus utitur *lib. regul. tit. de test.* Itaque testamentum Gaji, quod ad quæstionem secundum ex jure civili Romanorum defendi non posse ostendimus, si ita ferat consuetudo Austriæ, id est, si remittat observationem juris civilis, quam in eo desideramus, proculdubio ratum erit: quoniam satis est testatorem satisfecisse juri patriæ suæ, et ita mihi ex jure dicendum videretur, hoc etiam casu nulla distinctione bonorum facta. At plerique Doctorum tamen in bonis tantum Austriacis servari testamentum, quod rite factum sit Austriaco jure, in bonis reliquis Gajum intestatum dicunt, atque ita efficiunt contra regulam juris, quæ nullam etiam quam militum voluntatis exceptionem admittit, ut idem sit pro parte testatus pro parte intestatus, in quorum sententiam non nisi ægre concedimus.

CONSULTATIO XXVI.

De Donationibus.

Qui duos habebat filios in potestate Primum, et Secundum, Primo quasi benemerito donavit primum semissem bonorum suorum hoc fini, ut Sejam duceret uxorem, et non aliter: eodemque instrumento donationis insinuandæ procuratores fecit certos: mox mutata voluntate, nec sibi placere condicionem Sejæ, nec donationem palam exposuit: revocavit igitur donationem, cum tamen per eum ipsum staret, quo minus condicio impleretur, non per filium. Et revocationi consensit quidem filius coram, sed protestatus est seorsum apud acta cogi se patria potestate, post hæc donationem eandem quam revocaverat pridem confirmavit pater, ita tamen ut valeret tantummodo in trientem, non in semissem, reliquum vero sextantem donavit Secundo, et adjecit in infinitum non expressis personis, quibus filios matrimonio jungi vellet, se utrique donare quasi benemerito favore matrimonii. Tum deinde Primo ducente Semproniam consensit pater simul, ac confirmavit, quæ Primo in bonis suis jure competebant ex donatione, vel ex alia causa ac præterea donavit eidem dimidiam partem domus certæ, quam inquilinus, nondum ulli donaverat, eamque voluntatem suam insinuari se velle declaravit per eos procuratores, quos reperitur tantum nominasse in primo illo donationis, cui injecta erat condicio ducendæ Sejæ, eodemque die Primum emancipavit. Quæritur hoc postremo judicio utram donationem confirmare voluerit pater, trientis an semissis. Respondeo, cum in verbis nulla est ambiguitas non debere admitti quæstionem voluntatis, *l. Ille aut ille. § 1. D. de l. 3. l. Si alii. D. de usu et usufr. leg.* Hujus postremi judicii verba esse perspicua, quæ retuli, quibus scilicet jura tantum ea confirmantur, quæ Primo in bonis paternis competebant ex donationis causa: non esse igitur quærendum an voluerit confirmare donationem, ex qua nullum jus Primo competebat. Porro ex donatione semissis jus Primo competebat pro triente tantum non etiam pro solido, quia scilicet fuerat ea donatio postea ad trientis modum a patre rescissa. Igitur hoc tantum egit pater posteriore judicio, ut pro triente eam donationem confirmaret, non pro semisse integro: nam et verisimile non est, ut voluerit pater eam pro semisse confirmare in fraudem Secundi, quandoquidem ita eum semissem diviserat inter Primum, et Secundum, ut primus haberet trientem, Secundus sextantem concordiæ inter eos conciliandæ causa, ut est scriptum in instrumento donationis simul utrique factæ, quam utique concordiæ rationem non temere videtur dissolvisse. Neque vero potuit etiam Secundo, quod donaverat, adimere tacite. Longe enim alia ratio est donationis inter vivos, alia legati, et fideicommissi. Hæc adimuntur tacita voluntate, illa non nisi expressa. Non est autem ambigendum an potuerit pater minuere donationem initio factam Primo: nam Primus nondum erat emancipatus, et patris, quod filiofamilias donavit, voluntas ambulatoria est usque ad mortem, vel usque ad filii emancipationem *l. Sive emancipatis. C. de donat. l. Donationes. 25. C. de donat. inter vir. et uxor.* adeo ut exemplo peculii posset etiam pater donationem in filiumfamilias collatam quandoque revocare, vel minuere, *l. Donationes. 31. §. Pater. D. de donat.* At si quis objiciet donationem eam semissis bonorum, de qua quæritur, jurejurando firmatam, atque adeo ratam, et utilem esse, ut feruntur opinari Baldus, Decius, Alexander, et alii, dicam etiamsi admisero ratam eam esse quæ tamen certe rata non est, licet fuerit jurejurando firmata: nec enim jurejurando subverti potest naturalis ratio, quæ non patitur ut sibi ipsi quis donet utiliter, quæ una ratio est infirmandæ donationis inter patrem, et filiumfamilias, quia potestas unius personæ intellectum inducit, *l. 10. D. de opt. leg.* Sed etsi admisero ratam, ut dixi esse donationem eam propter vinculum jurisjurandi, non tamen ideo ademero patri liberam potestatem revocandæ donationis ejus cui specialiter condicionem injecit deficiente condicione, quia et tum non tam donationem revocat, quam jus ipsum. Porro donatio illa de qua quæritur condicionalis, aut perinde ut condicionalis fuit: nam his verbis, hoc fini, vel modus vel condicio significatur: et utriusque idem est effectus, puta ne si vel modo, vel condicioni non pareatur rata sit donatio, quod de similí, sive modo, sive condicione ita est proditum, *l. Titio. §. 1. D. de condit. et dem.* et generaliter in *l. 1. C. de his, quæ sub mod. leg.* et ab ipso quoque patre satis expressum illis verbis, Non aliter, quibus significat non aliter se donare quam si Primus ducat Sejam uxorem, ut in *l. 1. § ult. D. de donat.* Nec obstat quod per patrem ipsum stetit quo minus impleretur condicio. Nam fuit hæc condicio non in filii tantum, sed in patris potestate, propterea quod nuptiæ desiderant etiam consensum parentum, in quorum potestate sunt hi qui coeunt. Non adfero capita legum, quæ sunt satis multa, satisque nota. Apposita igitur condicione potestativa, id est, quæ fuit in arbitrio patris, manifestum est patrem sibi quoque perseverandi, aut mutandi voluntatem arbitrium reservasse, et quod adhibuit consensum Primi, ex abundanti est (nam id per se solus suo jure pater efficere potuit) quodque modo, vel protestationis colore, vel jure restitutionis in integrum ne ei nihil officiat consensus satagit Primus, idem eadem ratione plane pro supervacuo est. Nam et non adhibito consensu Primi res ita se haberet, hoc est, legitima et rata esset revocatio, vel potius imminutio donationis in eum collatæ. Unum modo restat tantum, quo conatur Primus persuadere postremo judicio eam donationem in semissem integrum confirmatam, quod in eo judicio ad eam se omnino refert pater, dum insinuandæ donationis procuratores facit, quos nominaverat tantum in prima donatione non in rescissione illius. Sed nos nihil eo offendimur. Fatemur enim eosdem procuratores fecisse patrem, fatemur eodem se retulisse, quo Primus dicit, id est, ad instrumentum primæ donationis, sed quatenus scilicet id instrumentum valet, non quatenus rescissione posteriori patris infirmatum est: Nam et instrumentum quo semissem donatum Primo pater mutat in trientem, refert se ad prius illud instrumentum donationis, id est, confirmat prioris instrumenti donationem pro triente, sextante in Secundum translato ac tandem novissimo judicio Primo ducente Semproniam eandem ipsam confirmat quatenus ex ea jus primo competit, pro triente igitur tantum constitutis procuratoribus eisdem insinuandi causa. Et auget quoque eam semisse domus certæ nondum donato, id est, semisse quem sibi retinuerat: alterum enim semissem tam domus, quam ceterorum bonorum diviserat inter Primum, et Secundum, adeo ut verba illa de semisse domus nondum donato argumentum præbeant certissimum alterius semissis non quidem donati Primo, cum in ea voluntate non perseveravit, sed semissis donati Primo, et Secundo ex inæqualibus partibus. His adjectæ erant pleræque aliæ quæstiones, quas idem fecerat consultor mihi, et ad eas responsa mea. Sed dum incuriosius servo meo, quæ sparsim chartis diversis escripseram hac de re, mihi quod darem publico superfuere tantum superiora, nec recordor a quo possim reliqua repetere, qui tamen, quod recordor esse superioribus aliquanto meliore, vellem habere.

CONSULTATIO XXVII.

De Testamentis.

Qui priori testamento fratrem hæredem scripserat, uxorem duxit, et posteriori testamento si filius sibi ex ea nasceretur, eum hæredem instituit ex asse; si filia, eam instituit ex summa certa percipienda semel tantum, ut in eodem testamento scriptum est. Nata filia, non filio, quæritur universa defuncti bona utrum ad fratrem, an ad filiam pertineant. Dixi filiam patri ex posteriore testamento hæredem esse in assem periodo, atque ei certæ summæ mentionem non fecisset pater secundum expeditissimam Sabini sententiam, quam etiam Celsus diversæ scholæ auctor sequitur, *l. 1. § Si ex fundo. l. Quoties. §. Si duo, l. Si alterius. D. de hæred. instit.* causa testati, ut interpretes ajunt, ad se trahente causam intestati, ut vice versa causa intestati nonnunquam trahit ad se causam testati, *l. pen. D. de inj. rup. testam.* Sed et filiam patruo non obligari jure fideicommissi hæreditatis semissem restituere, quæ obligaretur, si quidem cavisset pater posteriori testamento velle se prius testamentum valere, *§. Sed et si quis priore. Institut. quib. mod. test. infirm.* quod tamen tantum abest ut caverit, ut etiam nominatim in eo scripserit se prius testamentum infirmare (quod in propositione omiseram) nec ullum præterea in eo extat quo id extinguitur manifestissimum argumentum, id est, sermo evidens nullus, quo a se filiam declaret hæredem scribi in certam summam tantum fratris causa: quod si exstaret, sane non dubitarem fratri adversus filiam fideicommissi petitionem dari, *d. §. Si duo. l. Peto. de leg. 2.* Nulla illa institutio in certam summam, sicut nec nudum præceptum non alienandi nulli agnatorum me auctore fideicommissi petitionem dabit. Erit, igitur filia hæres non quidem partim ex testamento in summam illam, partim ab intestato in reliquum, sed ex testamento in assem, non ipse ex posteriori in summam eandem, frater ex priori in reliquum. Nam et hoc jus directum non patitur, ut quis duo-

bus testamentis moritur, *l. Unum. D. qui test. fac. poss.* Sed neque ipsa, ut dixi, jure directo in assem, frater in semissem jure fideicommissi.

CONSULTATIO XXVIII.

De Substitutione precaria.

Quidam duobus exemplaribus unum testamentum consignavit, nec scitur utrum prius scripserit, vel posterius. Sed in uno hæres oneratur fideicommisso restituendæ hæreditatis post mortem suam. In altero nullum est scriptum fideicommissum. Quæritur an mortuo hærede instituto a legitimis hæredibus fideicommissum peti possit. Respondi si unum esset exemplare, alterum exemplum, valeret exemplare non exemplum, *l. 1. § Sed etsi unum. D. de bon. possess. sec. tab.* Sed utrumque est exemplare, utrumque authenticum. Item si unum esset altero posterius, valeret posterius, *l. 12. §. ult. de leg. 1.* quasi δευτέρων ἀμεινόνων. At non apparet utrum sit prius, vel posterius quinimo utrumque supremum testamentum videtur l. 1. §. *Si quis in duobus. D. de bon. poss. sec. tab. l. ult. D. de his, quæ in test. del.* item si verum esset unum; alterum falsum, verum sequeremur: Sed neutrius fides in dubium vocatur. Quamobrem in re tam dubia dixi hæredi esse parcendum, ut fideicommisso non teneatur, arg. *l. Sempronius. D. de leg. 2.* Nec novum hoc esse: nam et alias favore hæredum ne fideicommisso teneantur, disjunctionem pro conjunctione accipi placet, *l. Generaliter. in princ. C. de instit. et subst.* et purum sermonem pro condicionali, *d. l. Generaliter. §. 1. l. Cum acutissimi. C. de fideicom.*

CONSULTATIO XXIX.

De Societate.

Primus, et Secundus pecuniæ certæ, sive negotiationis societatem contraxerunt, quæ cum per Primum administraretur consensu, auctoritate, atque fide Secundi, ille participem, sive socium admisit Tertium collatis ab eodem in commune quingentis aureis. Egit Tertius communi dividundo, et recepit quingentos aureos sub cautione hac tamen, ut si appareret habita ratione damni facti in societate plus debito eum cepisse, quanti ea res esset tantam pecuniam redderet. Nunc agit ex ea cautione Secundus et probat damnum fecisse societatem, et se indebitum solvisse ex rationibus, non edito libro rationum, et rationibus neque dispunctis, sive summatis, neque perfectis. Multa enim ais dicuntur esse subtracta. Inter cetera caput ex rationibus adducit, quo se societati debere ingentem summam Primus scripsit, qui nunc solvendo non est. Quæritur an idoneæ sint probationes quibus Secundus implet intentionem suam? Respondi, non esse idoneam probationem, quæ sumitur ex rationibus, nisi edatur totus liber rationum. Est enim actio pro socio generale judicium, *l. Pro socio. D. pro soc.* et consequenter generalis est actio ex stipulatione interposita propter societatem, arg. *l. Si cum. §. Qui injuriarum. D. si quis caut.* maxime in hac specie qua agitur de damno pendente ex societate, cujus ratio subduci non potest, nisi damno omni deducto, *l. Mutius. D. pro soc.* ut rationibus igitur omnibus diligenter examinatis. Et ita in aliis judiciis generalibus veluti tutelæ, solemne est totum librum rationum edi, *l. Lucius. 46. §. Tutelæ. de adm. tut.* ut scilicet ex inspectione, et examinatione ejus constet tam judici, quam adversario omnis ratio damni, et lucri, expensi, et accepti, et totius administrationis. nec videtur edere rationes qui totas non edit, sicut non videtur edere stipulationem qui totam non edit, *l. 1. § pen. de eden.* Nec quicquam obstat *l. Argentarius. §. 2. eodem. tit.* quæ non totum codicem rationum esse edendum ait, sed eam solum partem, quæ ad instruendum aliquem pertinet. Nam de argentario loquitur qui plurium rationes uno libro complexus est, ut non cogatur cuique edere totum librum, sed partem tantum eam, quæ ad eum pertineat. Nos loquimur de socio, qui rationem tantum societatis libro complexus est, ut non probe agat ex societatis causa, nisi edito toto libro doceat quod intendit. Sed et librum totum edi satis non est, nisi rationes etiam reddantur, aut dispunctæ, aut computatæ proferantur. Alioquin fidei, aut auctoritatis nihil habebit apud judicem, qui eis rationibus utitur. Est enim utique semper necessarium percontari rationes, dispungere, excutere, examinare, ut explorari possit imputationes probe an improbe relatæ, accepta recte relata sint an non recte, subtracta sint quædam aut non sint subtracta, *l. Si statulibera. §. ult. de statulib. l. Cum servus. §. ult. de cond. et dem.* quod cum in hac causa factum non fuerit, ac præterea mala fide conscriptas rationes proponatur suppressis in eis rationibus plerisque rebus, merito dicimus nullam rationibus idoneam probationem contineri. Et quod ad allegationem illam facti damni, qua potissimum Secundus utitur, quod Primus sit non solvendo, qui magnam pecuniam societati debet, dicimus non videri propterea ullum damnum fecisse societatem Primo, cum superait fidejussor locuples is idem Secundus, qui hac allegatione utitur. Nec enim eodem privilegio uti fidejussor potest, ut in id tantum teneatur, quod is pro quo fidejussit facere potest, et in nihilum si nihil facere possit, *l. Verum. §. 1. D. pro soc. l. Etsi fidejussor. D. de re judic.* Habet autem Primus Secundum locupletem fidejussorem, quandoquidem commissa actus administratione Primo, ut propositum est, fidem suam pro eo interposuit, et obligavit omnibus, qui cum Primo contraherent, ac postea cum Primo, ut proponitur, Tertius contraxit admissus ab eo in societatem, et quamvis Secundus idem sit et socius, et fidejussor. Primi alterius socii, non possit periculum omne nominis contracti a Primo ei soli quasi socio reputari, reputabitur tamen pars quasi socio, pars quasi fidejussori, nec videbitur consumptum societati, quod alterius socii, sive fidejussoris querelam habet, *l. Tutores. § Adolescens. D. de administ. tutor.* Denique Secundo reputanti periculum nominis facti a Primo in administranda societate objici potest vulgaris exceptio, Dolo facis, qui petis, quod mihi redditurus es, *l. 8. D. de doli except.* vel quod apud Quintilianum, Idem es reus a quo fui repetiturus si quid tanquam sponsor solvissem.

CONSULTATIO XXX.

De donationibus inter virum, et uxorem.

Vir donavit uxori constante matrimonio certam summam inter vivos, ita ut nullo casu revocaretur, et ut ne quamdiu ipse viveret mulieri ejus pecuniæ exactio esset, sed eo demum mortuo in vicem augmenti dotis, et insinuata donatio est. Idem moriens revocavit testamento generaliter omnes donationes causa mortis, et omnes dispositiones. Cum quæreretur an his verbis intelligeretur revocata donatio collata in uxorem, Respondi, donationem a viro in uxorem collatam constante matrimonio comparari fideicommisso, vel donationi causa mortis post orationem Imp. Antonini, per quam morte insecuta donatoris, nec mutata voluntate ea donatio convalescit, et ideo ex ea detrahitur Falcidia, sicut ex fideicommisso, vel ex donatione causa mortis, quæ tamen ex donatione inter vivos non detrahitur, *l. In donationibus. C. ad l. Falc.* et in hac etiam specie nominatim donationis exactio collata est in tempus mortis, ergo censetur esse causa mortis. Nec offenderer eo, quod instrumento donationis appellatur inter vivos. Nam ut quod donatur causa mortis, ita ut ne ullo casu revocetur, non est donatio causa mortis, *l. Ubi. D. de don. cau. mort.* sic quod donatur inter vivos, ut morte demum secuta confirmetur, non est donatio inter vivos. Ex quo efficerem testamento mariti eam donationem revocatam videri, quo scilicet is palam revocavit omnes donationes a se factas mortis causa. At in contrariam sententiam me vocat hæc ratio, quod testator eam donationem non habuit numero donationis causa mortis, sed donationis inter vivos, quandoquidem eam instrumento donationis appellavit donationem inter vivos, et ademit sibi ejus revocandæ facultatem, quæ clausula etiamsi non ademerit viro eam facultatem (post enim quælibet donatio in conjugem collata pœnitentia revocari, *l. Cum hic status. D. de donat. inter vir. et ux.*) tamen argumentum præbet facere eum voluisse donationem inter vivos, *d. l. Ubi.* Idemque argumentum, ut habuerint scilicet conjuges eam donationem pro donatione inter vivos insecuta insinuatio præbet, quæ in donationibus tantum inter vivos exigitur, non in donationibus causa mortis, *l. ult. C. de don. cau. mor.* Itaque qui revocavit omnes donationes causa mortis, non intelligitur eam revocasse, quam habuit pro donatione inter vivos, quamque donationis inter vivos jure censeri voluit. Nec generalia illa verba, Et alias dispositiones, porrigi possunt ad donationes inter vivos, sed ad similes duntaxat dispositiones, quæ ex mortis tempore formam, et originem accipiunt, veluti ad epistolam fideicommissariam, aliudve quod supremum voluntatis judicium. Et ita fideicommisso generali placet eam donationem non contineri, *l. Sequens. D. de leg. 2.* et speciale fideicommissum desiderari. Et specialem simili modo revocationem igitur. Nam fideicommissum dati ademptio, sive revocatio quædam est, *l. Quidam testamento. §. ult. de leg. 1.* Etiam illud animadverti, donationem qua de agitur factam ea mente ut cederet in vicem augmenti dotis quemadmodum instrumento donationis cautum est, quod quidem augmentum, sive hypobolon, ut Græci vocant, qui eodem jure aliquando usi sint, in Gallia mores frequentiores morte viri soluto matrimonio mulieri concesserunt. *Id igitur haberet uxor etiamsi id vir ultro in eam non contulisset, vel etiamsi id mulierem capere testamento vetuisset, quia plus possunt leges, et mores, quam voluntates defunctorum, *l. Nemo. de leg. 1.* Quamobrem ita concludo, nec potuisse defunctum revocare donationem, et ut potuerit, evidenter non apparere eum revocasse donationem, et consequenter, ut eleganter scriptum est in *d. l. Cum hic status. §. Pœnitentiam,* in obscuro procliviorem esse debere judicem ad comprobandam donationem.

CONSULTATIO XXXI.

De Substitutionibus Fideicommissariis.

Lucius Titius G. Sejum filium suum hæredem instituit, eique si sine liberis vita decederet, pluribus gradibus plures per fideicommissum substituit, posthumos, scilicet filiam, et sororem, et agnatos quosdam, et ultimo gradu agnatos quoscunque. Et suscepit Sejus postea filias duas, quas tamen moriens non nisi ex certis rebus, ex universo extraneos hæredes fecit, a quibus modo filiæ unius pronepos, G. Seii abnepos, L. Titii adnepos hæreditatem vindicat quasi fideicommissariæ substitutioni jure comprehensam testamento L. Titii, et adversus præscriptionem temporis utitur beneficio restitutionis in integrum. Quæritur an sit audiendus. Respondi, non esse audiendum, quod neque ex sua persona possit venire substitutionis jure, neque ex persona proaviæ quasi substitutionis jure, quod proaviæ competebat, in se transmisso. Non ex sua persona, primum quia substituti proponantur agnati ejusdem familiæ, et nominis, et qui utuntur iisdem insignibus, ille vero qui agit, cognatus est non agnatus: deinde, quia

etiamsi esset agnatus, deficit conditio fideicommissi: nec enim Seja decessit sine hæredibus, qui filias duas reliquit, quas etsi non fecerit universales hæredes, fecit tamen particulares, et quamvis non fecisset particulares, tamen hæredum nomina in hoc condicionis genere liberos intelligeremus, *l. Ex facto. §. ult. D. ad Treb.* atque etiam exhæredatos diceremus extinguere fideicommissum, quia etsi sub hæredum nomine, non tamen ut hæredes, sed ut liberi in condicione positi sunt, argum. *l. Hac edictali. §. ult. C. de secund. nupt.* Et rursus etiamsi non defecisset condicio fideicommissariæ substitutionis, tamen quia is, qui agit L. Titio, qui substitutionem fecit, est adnepos, et placet fideicommissarias substitutiones non extendi ultra abnepotem, Nov. de rest. fideicom. non esset audiendus. Ex his tribus rationibus abundant sane duæ posteriores: nam sufficit prima, quod actor cognatus sit non agnatus, et substitutio invitat solos agnatos, vel agnatas. At præterea non potest etiam is qui agit audiri ex persona proaviæ, quia proavia non est substituta in testamento L. Titii, sed in condicione posita tantum, et verum est non esse firmum catholicum Doctorum, quo censent positos in condicione esse in dispositione, cum repugnet *l. Gallus. §. Idem credendum.* et *§. In omnibus, D. de lib. et post. l. Si quis rum. § ult. D. de vulg. subst.* Nec offendimur *l. Lucius. 85. D. de hæredib. instit.* in cujus specie dicimus liberos in condicione positos non quasi testamentarios hæredes patruo succedere, sed quasi legitimos, ut *l. Si quis ita hæres. eod. tit.* Nec l. 3. *§. Libertus. D. de bon. lib.* quia et in ejus specie filius pro præterito habetur, et ideo quamvis filio defuncto vivo patre testamentum nullum sit jure civili l. 7. *D. de lib. et post.* tamen ex æquo, et bono patronus admittitur a prætore ad bonorum possessionem secundum tabulas. Et alias in hoc genere substitutionem, Si sine liberis decesserit, illi illum substituo, verum est liberis editis extingui substitutionem, non etiam liberos ex ea scriptura ad substitutionem vocari.

CONSULTATIO XXXII.

De Institutione Hæredis Arriani.

Orthodoxus priore, et posteriore testamento hæredem scripsit filium Arrianum, legata autem reliquit aliis liberis et generis partim Arrianis, partim orthodoxis, atque etiam posteriore testamento Christi pauperibus, adjecta in utroque clausula codicillari. Cum quæreretur de jure testamenti, respondi neutrum testamentum ullo jure valere, id est, neque directo, neque fideicommissi, quod ubique proponatur incapax hæres institutus: est enim hæreticus incapax hæreditatis, et legati, et fideicommissi, *l. ult. C. de hæretic.*: consequenter donationis causa mortis, *l. Senatus. D. de donat. causa mortis.* Atque adeo legata etiam hæreticis uno vel altero testamento relicta, nec jure fideicommissi valere possunt. At legata relicta orthodoxis posteriore testamento, non etiam relicta priore (quod in legatis, et fideicommissis novissimæ scripturæ observandæ sint, *l. 12. § ult. de leg. 1.*) existimo valere jure fideicommissi propter clausulam codicillarem, et deberi ab hærede legitimo defuncti. Cum enim utrumque testamentum pro non scripto sit, consequens est hæreditatem ab intestato pertinere ad eum solum filium filiamve defuncti, qui quæve orthodoxus fuerit, *l. Cognovimus. C. de hæret. §. Si quis de prædictis. 2. Nov. ut cum de app. cognosc. §. ult. Nov. de hæred. ab intest. ven. et Nov. de Samaritanis.* Et hic quidem, vel hæc defuncti hæres ab intestato, legata præstabit orthodoxis, et pauperibus multo magis. Nam et ex testamento imperfecto etiam non adjecta clausula codicillari constat deberi pia legata *C. Relatum, de testam.* Ad hæc quæritur, qua via legatarii orthodoxi uti debeant juris sui persequendi causa. Et certissimum est electionem eis esse utra malint actione uti, in personam ex testamento, sive codicillis posterioribus, ex actione in rem, ex hypothecaria, *l. 1. C. com. de leg.* sed non etiam interdicto uti possidetis. Nam quod moribus Galliæ receptum est ut defuncti possessio confestim sequatur successorem sine facto, vel adminiculo ullo alio, in successore juris, id est, hærede, vel bonorum possessore locum habet, non in legatario, vel fideicommissario, nisi forte expressim testator voluerit a se protinus ad legatarium possessionem recta via transire, quod expressit in hac specie priore testamento tantum, non posteriore, ex quo solo legata orthodoxis debentur. Item quæritur an quod suggestione, et hortatu unius ex testibus posterioris testamenti testator mutarit prius, ea res vitiare possit posterius testamentum. Et respondi satis ipsum vitiari incapacitate hæredis scripti simul, ac prius testamentum, et suggestionem illam vitiando testamento non sufficere, quia nec blanditias, *l. ult. C. si quis aliq. test. proh. l. ult. D. eod.* nec vim, nec dolum, ut in eodem titulo ostenditur, quia scilicet testamentum quidem valet quod quis coactus, vel fecit, vel non mutavit sed ei, qui coegit si ex testamento aliquid relictum sit, denegantur actiones, vel si nihil ei relictum sit, illi cujus interest, in eum datur actio in factum, *l. Lucius. §. Sempronia. D. de leg. 2. §. Si convictus. Nov. Ut cum. de app. cogn.*

CONSULTATIO XXXIII.

De donatione inter conjuges facta contemplatione matrimonii.

Quæ ex primo marito habebat filium unum, et ex secundo marito alterum, nupsit tertio, eidemque donavit dimidiam partem bonorum contemplatione matrimonii nulla dote constituta, nullo etiam casu, modo, vel condicione donationi adjecta, et vicissim tertius maritus in casum mortis donavit eidem mulieri certam summam: ex hoc matrimonio natæ sunt filiæ tres, et filius unus, quibus patri superstitibus eadem mulier nupsit quarto; eique donavit bonorum suorum partem quartam, contemplatione matrimonii, et in casum mortis ac similiter maritus donavit eidem mulieri bonorum suorum partem quartam, ut constante ejusmodi matrimonio unam ex filiabus tertii matrimonii nuptum collocarunt dote data ex bonis matris, non vitrici, quæ puella contenta renuntiavit ultro ceteris bonis maternis, ac deinde mortua est ex iisdem filiabus etiam altera. Tum postea relictis tantum filiabus, et filio ex tertio matrimonio cum jam decessissent filii ex primo, et secundo, et superstite quarto marito, mortua muliere, quæritur quantum ex bonis ejus quartus maritus ferre debeat. Respondeo quadrantem omnium bonorum, quæ mulieris cum moreretur fuerunt, pertinere ad quartum maritum jure donationis: nec enim excessisse modum *l. Hac edictali. de secund. nupt.*, cum morienti mulieri non fuerint ex anterioribus nuptiis nisi liberi tres, nam ut in exquirenda quantitate bonorum tempus, quo mulier moritur, spectari visum est. *Nov. de nupt. §. Quia vero*: ita consequens est in habenda ratione quadrantis donati viro in casum mortis, tempus mortis spectari, sicut fit in ponenda ratione Falcidiæ, et legatorum, *l. Non est. l. Id autem. l. Ex asse. l. In quantitate, l. Cum quo. D. ad leg. Falcid. l. Eo tempore. §. Si creditor. de pecul.* videlicet ut si tempore mortis supersint quatuor liberi, pertineat ad maritum quinta, si tres, uti contigit in hac specie, quarta, de qua convenit. Et quarta quidem bonorum, quæ mulier unquam habuit usque in diem mortis: nec enim ea minuisse intelligitur donatio semissis ab eadem muliere facta tertio marito, quandoquidem per errorem omissa in ea fuit condicio mortis, quæ fuit expressa in donatione vicissim in eodem instrumento mulieri a viro facta, et plane liceat dicere manifestam esse voluntatem mutuæ donationis ex utraque parte factæ sub eadem condicione ut *l. Cum proponebatur. D. de leg. 2.* vel eo maxime, quod cum sine dote id quo de agitur matrimonium fuerit, videtur ea donatio vicem subiisse dotis, ac proinde sicut pactioni de dote non repetenda inest hæc condicio, si morte mulieris solvatur matrimonium, *l. Si pater. §. 1. l. Ut autem. D. de pac. dot.* ita et donationi factæ ea lege, ut nullo casu revocetur inesse eandem condicionem videri, ajo, quod scilicet vice fungatur dotis, quodque, ut initio dixi, par sit et æquabile donationi mariti injectam condicionem, eandem etiam inesse donationi mulieris, *l. ul. §. Sin autem donatio. C. de don. ante nupt.* ne alioquin deterioris condicionis sit mulier quam maritus, quod conjugii societas non patitur. Non utor eo, quod mulier tempore donationis factæ tertio marito duos habuerit liberos ex prioribus nuptiis, quia proponitur non habuisse eos etiam tempore mortis, quod quidem solum spectari oportere diximus ante, sicut fit in omnibus donationibus, quibus inest casus mortis, *l. In mortis causa. l. Non videtur. D. de don. cau. mort.* Et quod attinet ad portionem filiæ, quam mater, et vitricus, id est, matris quartus maritus nuptum collocaverunt ex bonis matris constituta dote, et filia renuntiante ceteris bonis, non potest ea proficere vitrico ulla ratione, sed accrescit fratribus, quandoquidem frater, vel soror, qui quæve renuntiavit bonis patris vel matris, ceteris fratribus partem non facit, *l. Filio. in prin. l. Qui repudiantis. l. Si pones. §. ult. D. de inoff. test.* Denique in bonis, quæ mulier habuit tempore mortis, liberi qui bonis non renuntiaverunt, habituri sunt dodrantem jure hæreditatis, quartus maritus quadrantem tantum jure donationis.

CONSULTATIO XXXIV.

De hæreditate restituenda uni ex liberis.

Quidam uxorem hæredem instituit, ejusque fidei commisit, ut cum moreretur, vel cum ipsa vellet, hæreditatem restitueret uni ex filiis suis, utque nominaret testatori hæredem Gajum in primis filium suum, et post Gajum Mariam, post Mariam Annam, post Annam Titiam (hi erant testatori filii testamenti tempore) vel aliis filiis, qui post testamentum nascerentur, maribus scilicet potius, quam feminis, et idoneis potius, quam non idoneis electione uxoris. Quod si uxor neminem liberorum nominaret testatori hæredem, ipse sibi nominavit hæredem supra dictum Gajum, et post Gajum alios mares, qui modo bene et sapienter vitam vivere instituissent, et post mares feminas natu majores, ac deinde natu minores: prohibuit autem uxorem, et alios substitutos, ulla Falcidiæ detractione uti. Nulli nati sunt liberi post testamentum, et mortuus est testator superstitibus filio uno et filiabus tribus, quibus initio testamenti e matre hæreditatis fideicommissum reliquerat, et filio quidem supervixit mater, supervixere filiæ. Quæritur an mater teneatur nominare Mariam. Respondeo teneri, nec debere quæri de eo, quod manifeste verba testatoris definivere actis, *l. Ille aut ille. §. ult. D. de leg. 3.* Quæritur an possit præferre Annam, vel Titiam. Respondi non posse, nisi velit contumax videri, et irreligiose. Nec enim electionem ei defunctus dedit, sed ordinem, quem in scriptura tenuit, eum fecit substitutioni, ut in simili specie Papinianus respondit, *l. Cum pater. §. pre. de leg. 2.* hoc est, uxori substituit Gajum, Gajo Mariam, Mariæ Annam, Annæ Titiam. Quem ordinem etiam remota nominatione matris omnimodo observari voluit, qui tamen non observaretur si matris electio esset, sed matre non eligente omnibus liberis esset fideicommissi petitio, *l. Si quis Titio. §. ult. l. Unum ex familia. §. Sed si uno. de leg. 2. l. Labeo. §. ult. de statulib.* Nec moveor eo, quod testamento comprehensum est, electione matris hæreditatem restitui uni ex filiis: nam hoc primum de filiis tantum scriptum est, qui post testamentum nascerentur, non de jam natis: deinde ea electio non eo pertinet, ut præferat si velit feminas maribus, vel minores natu majoribus contra legem defuncti, sed ut

æstimet, qui sint digni vel idonei, qua ex parte plena etiam, et libera matri electio non datur, sed pro boni viri arbitratu, *l. Fideicommissa §. Proinde a. de leg.* 3. Species autem proposita est de liberis qui jam nati erant tempore testamenti, qui jam idonei sunt omnes. Et idonei porro sunt non ii tantum, qui bene meriti sunt, sed et ii, qui male meriti non sunt, *l. Cum pater. §. Rogo. de leg.* 2. Ad hæc quæritur si electio esset matris, quod tamen in hac specie non admittimus, an electo uno filiis liceret matri variare, et eligere alterum. Et respondeo, liceret: quia non tam videtur elegisse, quam destinasse, *l. Unum ex familia. §. 1.* et *§. Rogo. l. Cum pater. §. A filia. de leg.* 2. quandoquidem electio collata esset in tempus mortis matris his verbis, cum moreretur. Igitur omne spatium vitæ liberum esse matri ad eligendum, et ambulatoriam voluntatem ejus usque ad mortem, et præproperam electionem pro destinatione esse, non pro electione certa; dies fideicommissi est incertus. Et quæ igitur ante eum diem quasi electio fit, est incerta, ac revocari potest, vel etiam quis collata esset electio in tempus, quo vellet mater his verbis, cum ipsa vellet, vel, cum ipsa voluerit, vel quandoque voluerit, vel cum volet: nihil enim interest, *l. Cum pater. de leg.* 2. *§. Rogo, l. Uxorem. §. Scævola. de leg.* 3. Quia ea verba tractum temporis habent, et extenduntur usque ad supremum exitum hæredis, *l. Fideicommissa. §. Sic fideicommissum. eodem tit.* pœnitentia igitur admittenda est, *l. Filii ad Tertyl.* Ceterum, ut dixi, nihil attinebat hac de re quærere in hac specie, in qua electio nulla fuit matris: nec enim nominatio est electio, si præscribas nominatori quem nominet. Imo nec nominatio proprie: videris enim nominare tu ipse, non is, cui nominandi honorem defers, ut Accurs. scripsit recte in *l. Institutio talis. D. de condit. instit.* Rursus quæritur, an tot sint substitutiones, quot sunt liberi. At jam respondi supra dum dixi ordinem scripturæ factum substitutioni, exemplo *l. Cum pater. §. pen. de leg.* 2. Et ex verbis satis colligitur, hanc fuisse mentem defuncti, dum vetat detrahi Falcidiam a matre, et a substitutis. Item quæritur an si moriatur Maria post restitutam hæreditatem, liberi ab ea relicti excludant materteram? Quidni vero? Cum et liberos ejus qui oneratus esset fideicommisso Papinianus introduxerit excludere patruum, *l. Cum avus. de condit. et demonst.* etiam non positos in condicione. Postremo quæritur, an quemadmodum mater non potest detrahere Falcidiam, non possit etiam filia, cui hæreditatem restituit. Respondeo perspicua esse verba defuncti detrahere Falcidiam matrem et substitutos. Et detractis his verbis, juris certissimi est, fideicommissarios non uti commodo legis Falcidiæ, *l.* 1. *§. Denique.* et *§. seq. l. Si patroni. §. Qui fideicommissariam. ad Trebel. l. Lex Falcidia* 47. *§. ult. ad l. Falc. l. Cohæredi. §. Quod si hæredem. de vulg. substit.*

CONSULTATIO XXXV.

De liberis in condicione positis.

Nobilis Franciscus satisfecit filiabus, quam minimo potuit, ac deinde posthumum hæredem instituit, et si posthumus non nasceretur, Henricum, filium fratris, atque si sine liberis masculis decederet, per fideicommissum substituit alterum filium fratris Henrici fratrem, prohibita detractione quartæ Trebellianæ: non nato posthumo, Henricus hæres extitit: ex eo nati, et progeniti sunt filii, nepotes, pronepotes, abnepotes. Quæritur an liberi Henrici, qui sunt in condicione, sint etiam in dispositione, adeo ut Henrico videantur substituti filii, et filiis nepotes: nepotibus pronepotes, pronepotibus abnepotes. Respondi, si suffragetur conjectura voluntatis Henrici liberos positos in condicione esse in dispositione, et substitutos videri. Nam in causa substitutionis fideicommissariæ conjectura voluntatis sufficit, etiamsi verba non sufficiant, *l. Cum proponebatur. de leg.* 2. Conjecturam autem voluntatis quasi quæstionem facti esse in æstimatione judicis, *l. Voluntatis. C. de fideic. l. Ex verbis. C. de don. int. vir. et ux.* Nec una tamen contentum esse eum debere, concurrant plures necesse est, antequam quicquam ex eis constituere recte possit: ne sub potestate jurisdictionis, vel specie quaquam prima oblata voluntatis errat perniciosissima, ut in *l. Librorum. §. Quod tamen. de leg.* 3. Sub chartarum nomine libros legatos videri prudentes conjectant tribus argumentis, quod dixerit testator chartas universas, quod nullas alias chartas quam libros habuerit, quod studiosus studioso ita legaverit. Ac similiter *l. Prædiis. §. Balneas. eod. tit.* non ex una, sed ex pluribus conjecturis colligitur, legato domus balneas contineri, quæ publice præberi solebant. In proposita quoque specie ratione directa ad veritatem conjectamus voluisse testatorem invitare liberos Henrici, et in infinitum, quod filiabus suis veluti quadam sexus prærogativa prætulerit filium fratris, et quod adjecerit liberis in condicione positis hanc qualitatem, liberis masculis, quæ affectionis cujusdam præcipuæ, et eximiæ erga masculos præclarum argumentum est. Item quod, ut proponitur, ejus familiæ consuetudo hæc fuerit servata ab anterioribus, et posterioribus, id est, qui ante quique post testatorem fuerunt, ut vocarent mares in infinitum. Consuetudo patrisf. conjecturam facit summam, *l. Si servus. §. ult. de leg.* 1. *l. Nummis. de leg.* 3. Et consuetudo familiæ igitur, ac tenor, qui perseveravit in eadem domo semper. Et est singularis locus de observanda consuetudine domus in *l. Dominus. §. Testamento. de pec. leg.* Non est etiam levis ea conjectura, quæ ex condicione testatoris sumi potest, puta quod nobilis fuerit. Nam recte Acc. *d. l. Ex facto. §. Qui rogatus. ad Treb.* scribente Ulp. de quibus liberis testator senserit, ex dignitate, et condicione testatoris sumi, notat inter cetera observandum esse nobilis is fuerit, necne, quod scilicet soleant nobiles de justis liberis sentire, non de naturalibus, et de maribus potius quam feminis, propterea quod feminæ non propagant familiæ nomen, cujus nobiles plerumque studiosissimi sunt. Non male etiam quis hoc argumento utitur, quod cum non expressa condicio, si sine liberis decesserit, tacite intelligatur, *l. Cum avus. D. de cond. et dem. l. Generaliter. §. ult. C. de inst. et subst.* si ea exprimatur, ne frustra sit expressa, magis sit ut per eam dicamus liberos invitari: quæ ratio etsi per se sola minus movet, turba tamen valet, id est, concurrentibus multis aliis conjecturis. Liberis autem invitatis in causa substitutionum, sive restitutionum, constat comprehendi liberos in infinitum, *l. Jubemus. §. pen. C. ad Treb. d. l. Generaliter. §. ult.* quamvis hodie ea infinitas sit coarctata ad quartum gradum ex *Nov. de rest. fid.* in quo gradu sunt abnepotes, quorum lis hæc est, de qua scribimus. Deficientibus superioribus conjecturis negarem, et pernegarem eos, qui sunt in condicione esse in dispositione ex *l. Gallus. §. Et quid si tantum. et §. In omnibus, de lib. et post. l. Si quis cum. de vulg. subst. l. Ex facto. §. Ex facto. ad Trebel. l. Si filiusfam. §. Cum quis, de leg.* 1. nec offenderer *l. Lucius. D. de hær. inst.* in cujus specie liberi, qui sunt in condicione, patruo succedunt, non ex dispositione patrui, sed ex lege ab intestato, ut in *l. Si quis ita, eod. tit.* Ceterum existentibus conjecturis liberos, mares, qui sunt in condicione facile concederem esse in dispositione, et per fideicommissum substitutos videri non tam ex condicione scilicet, quam ex aliis conjecturis voluntatis defuncti, et consequenter dicerem liberos Henrici filii fratris testatoris positos in condicione, neque posse uti deductione ejus quartæ, quæ vulgo naturæ vocatur, quia non debetur iis, qui sunt ex transverso, ac ne fratribus quidem consanguineis, nisi turpibus personis hæredibus institutis, *l. Fratres. C. de inoff. test.* neque deductione quartæ Trebellianæ, quia ea soli hæredes instituti utuntur, non fideicommissarii, *l.* 1. *§. Denique.* et *§. seq. l. Si patroni. §. Qui fideicommissariam. ad Trebel. l. Lex Falcid. §.* 1. *ad l. Falcid. l. Cohæredi. §. Quod si cohæredem. de vulg. substit.* ne ex persona quidem Henrici hæredis instituti, qui possit videri ideo non detraxisse eam quartam, aut non detraxisse pro modo ejus quartæ, ut liberi sui detraherent, sicut in specie *l.* 1. *§. Inde Neratius. ad Trebel.* quia nec Henricus ipse eam quartam detrahere potuit: fuit enim prohibitus a testatore, qui erat fratris filius, non filius suus: nam filio suo non posse interdici deductione quartæ Trebellianæ contendunt quidam: quod tamen ego non admitto. Nam Trebellianæ hodie filio debetur, ut extraneo cuilibet, non ut filio, omnium habenti supra Trebellianam aliam portionem, sive quartam jure filii jureque naturæ secundum jus Canonicum, quo filio rogato restituere hæreditatem duæ Falcidiæ dantur. Nam si jure civili unam tantum Falcidiam ei dederis, fatebor libentissime eam neque novo, neque antiquo jure jussu patris inhiberi posse. Nec moveor *l. Si ut allegas. C. ad leg. Falcid. l. Filium. C. fam. ercisc. §. Sed quia instit. de fideic. hær.* nam ii omnes loci de jure civili sunt, quo filius nunquam plus habuit una Falcidia, sive eam desideraret jure naturæ, sive ex lege Falcidia, sive ex SC. Trebelliano, quam utique semper detrahebat, ut filius, non ut extraneus quoquo jure detraheret, et *Nov. de hæred. et Falcid.* quæ hæredi Falcidiam auferri permittit jussu testatoris, de extraneo hærede loquitur, non de filio. Nihil etiam moveor *l. Jubemus. C. ad Trebel.* nam ut similiter si filio unam tantum Falcidiam dederis, quod certe jure civili verius est, dicam nec posse patrem filio Falcidiam, vel Trebellianam prohibere, nec quæ est sententia d. l. *Jubemus*, non prohibita hac vel illa, posse patrem cogere filium, ut in eam imputet fructus non diminutis rebus hæreditariis. Idem igitur esse statuit d. l. *Jubemus*, sive Falcidia velit uti filius, sive Trebelliana, et sic in omni jure, ut opinor, eadem ratio est Falcidiæ, et Trebellianæ, etiam in quæstione imputationum, si recte legatur et intelligatur *l. In quartam. D. ad leg. Falcid.* ut constat ex l. *Filium. C. fam. ercisc. l. In ratione. §. Tametsi. D. ad leg. Falcid.* At cum jure canonico duabus Falcidiis filius utitur, unam quasi filius detrahit, alteram quasi extraneus ex SC. Trebelliano. Consequens igitur est, et consentaneum, ut hæc quidem prohiberi possit, quam detrahit ut extraneus vel juberi ne in eam imputet fructus, non illa, vel in illa. Eodem tempore, qui me de his quæ supra scripta sunt consulebant, quærebant essetne legitima, quæ vulgo natura vocatur quasi debita κατὰ φύσιν, ut ait *Nov.* 1. vel Trebelliana, vel Falcidia, detrahenda ex una re, an ex singulis rebus hæreditariis. Et respondebam inter hæredem, et legatarios dari arbitrum legis Falcidiæ, qui ex bono, et æquo æstimet, quemadmodum cuique satisfieri oporteat. *l. Si debitor, l. Cum Titio. D. ad leg. Falcid.* vel dividi hæreditatem inter hæredem scriptum, et fideicommissarium utili judicio familiæ erciscundæ, *l. Sed et ejus rei. §.* 4. *l. Si ex asse. D. fam. erciscun.* quod est bonæ fidei in bonæ fidei judiciis, et in legatis, ac fideicommissis liberam potestatem permitti judici ex bono, et æquo æstimandi quemadmodum unicuique satisfieri oporteat, *§. In bonæ fidei. Instit. de act. l.* 3. *C. in quib. caus. in int. rest.* Ideoque ipsum judicem æstimatorum quarta ex certis rebus an ex singulis deducenda sit. Aliquando enim deduci eam ex singulis, ut *l. Plautius. D. ad leg. Falcid. l. Debitor. §.* 1. *de pignorat. act.* Aliquando ex una re, ut in specie *l. Plane.* et *l. seq. §. Si solus. l. Si ex pluribus. l. Ex asse. l. Si fundus mihi legetur. ad leg. Falc. l.* 5. *de leg.* 1. prout is elegerit, qui deductione utitur, vel judex æstimaverit, aut necessario aliqua causa coegerit, ut fit in legato partitionis, *l. Non amplius. §. ult.* et *l. seq. de leg.* 1. Commodius solum plerumque est Falcidiam detrahi ex universo non ex singulis rebus. Et in ambiguis igitur sequenda potius hæc divisio est, *arg. l. Cum Stichus. de sol.* et necessarias impensas in dotem factas videmus deduci ex universitate, non ex singulis corporibus, *l.* 1. *de dote præleg. l. Dote. D. de rit. nupt. l. Si is qui Stichum. §. Quod dicitur. D. de jur. dot.*

CONSULTATIO XXXVI.

De Testamentis.

Miles quidam testamento jure perfecto Titium fratrem suum hæredem scripsit, deinde in adversa valetudine moribundus fessa et propemodum amissa voce interrogatus coram testibus septem, an Cajum alterum fratrem suum sibi ex asse hæredem esse vellet, respondit uno verbo; Ita: et modo porrecta manu, modo eadem manu apprehenso Cajo, his signis quod voce non poterat expressit. Quæritur an ruptum sit testamentum prius. Respondi perfectum testamentum non rumpi imperfecto, *l. Hac consultissima. §. Si quis autem C. de testament. l. 2. D. de inj. rup. et irri. test.* Et posterius esse imperfectum multis rationibus. Qui testes sunt adhibiti non fuere a testatore accersiti, convocati, rogati. Quod tamen etiam in testamentis militum exigitur omnimodo, *l. Irrus. D. de testam. milit. authent. Rogati, C. de testib.* Et non usus est testator vel tribus illis verbis quibus posse quem testari per nuncupationem proditum est, *l. 1. §. Hæc autem. D. de hæred. inst.* Cajus hæres esto, quæ omnimodo, aut saltem his similia in testamentis exiguntur (tolluntur enim tantum formulæ non verba, *l. Quoniam. C. de testam.*) sed interrogatus an Cajum sibi hæredem esse vellet, respondit, Ita, et voce quidem summissa, ac fessa. Quod non est satis: nam si in fideicommissis non est satis defunctum militem dixisse μάλιστα, quod perinde est atque, Ita in specie *l. Pamphilo. §. Propositum. de leg. 3.* nisi concurrant et aliæ conjecturæ voluntatis, ut puta in eadem specie, quod in discrimine vitæ constitutus per infirmitatem, quasi ad supremam voluntatem rogaverit et convocaverit amicos, et quod dixerit Cajo se velle certa quædam prædia relinquere, quæ nominavit, et quod ea omnia sciente eo Cajus testatione complexus est. Si, inquam, in fideicommissis non sufficit unica illa vox, μάλιστα et in testamentis multo minus: nec quod signa etiam quædam adhibita proponuntur, quicquam facit. Nec enim unquam fuit auditum, hæredem nuncupari nutu, vel quo alio gestu, quamvis non inficier id in fideicommisso esse receptum, relicto extra testamentum, ut nutu relictum valeat, *l. Et in epistola. C. de fideic. l. Nutu, de leg. 3.* Et in assignatione liberti, *l. 1. §. Assignare. D. de assignat. libert.* quæ neque legatum, neque fideicommissum est, *l. 7 eod.* in testamento non est receptum. Et quod ait *l. Quoties. §. Si quis nomen. D. de hæred. inst.* valere institutionem si quis nomen hæredis non dixerit, si modo eum indubitabili signo demonstraverit, quod pene nihil a nomine distet, non de signo loquitur, quod taciti homines dant, vel manu, vel capite, vel oculis, sed de eo, quod ore loquentis datur demonstratione, quæ nominis vice fungatur, ut sit *l. Certum. D. de reb. cred.* quam a Græcis dicitur Antonomasiam. Et eodem sensu signa Lucianus de Astrologia illo loco οὐ γὰρ ὀνόματα, ἀλλὰ σημεῖα. Et præterea si probemus sententiam Bartoli in *l. 1. C. de Sum. Trinit. et fid. cathol.* quam plerique omnes approbant (et sequuntur hodie, debuit ejus municipii morem observare in testamento faciendo testator, in quo testamentum fecit, et in quo mox etiam vita functus est. Et hos mores ejus municipii in quo testatus est esse proponebatur, ne aliter valeret testamentum, quam si esset nuncupatum præsente tabellione, qui tamen nullus interfuerat. Nec rursus potest defendi testamentum, quasi jure militari factum; quod si esset, rumperet sane superius jure perfectum, *l. 2. D. de inj. rupt. test.* nec enim aliter a milite facta testamenta jure militari substinentur, quam si facta sint in ipsa expeditione, *l. pen. D. de testam. mil.* is de quo agitur non fuit in expeditione, sed in aliis locis. Non potest igitur illius testamentum censeri jure militari. Nihil moveor fessa, et languenti voce, cum nec seminaci, et balbutienti lingua moveatur imperator in *l. Quoniam. C. de testam.* Sed adeo moveor superioribus argumentis, ut et secundum id, quod est scriptum in *l. Divus. D. de milit. testam.* nullorum magis interesse concludam, quam ipsorum militum, ne ejusmodi testamenta admittantur. Alioquin non difficulter post mortem alicujus militis testes existerent, qui affirmarent interrogatum aliquem an hæredem, quem visum eis sit, sibi esse vellet, respondisse. Maxime, verbo huic etiam addidisse gestum aliquem, et per hoc vera judicia subverterentur.

CONSULTATIO XXXVII.

De Fideicommissis.

Uxorem hæredem instituisti, et rogasti, ut secum educaret neptam quam habebat per fratrem, eamque imbueret religione orthodoxa, et eidem post mortem suam restitueret hæreditatem, si modo, et parentes ejus neptis resipiscerent, et redirent ad ecclesiam orthodoxam, vel si ea neptis sine liberis decederet, ut similiter secum educaret nepotem quem habebat per eundem fratrem, et imbueret religione eadem, eique post mortem suam hæreditatem restitueret. Ac rursus si is nepos juvenis adhuc et cœlebs vita decederet, rogasti eam, ut hæreditatem restitueret L. Titio, quem et sub eadem condicione nepoti substituisti, si uxori nepos superviveret. Quæritur, an quæ non fuit in personam nepotis repetita condicio, si pater, et mater redirent ad ecclesiam orthodoxam, intelligatur repetita. Et puto cum in ejus persona sit nominatim repetitum, ut imbuatur religione eadem, et id tacito intellectu repetitum videri, ut ita demum perveniat ad fideicommissum, si parentes ejus ad ecclesiam reversi fuerint: nam mens, et finis testatoris hæc est, ne ad ullum quam orthodoxum bona sua perveniant, aut ex bonis suis emolumentum ullum. Et perveniret utique emolumentum ususfructus ad patrem nepotis non orthodoxum, si non intelligeretur condicio repetita. Et in his quæstionibus ex voluntate testatoris capiendis: aunt conjecturæ hæ efficiunt, ut condicio imposita legatario ab instituto, videatur etiam repetita a substituto, *l. Cum pater. §. Ad instituto, de leg. 2.* ut posita condicio in institutione, videatur repetita in legato, *l. ult. § ult. de dol. except. l. Cum servus de cond. instit.* ut posita in legato, videatur repetita in translatione legati, *l. Legatum sub condicione. de condit. et demonstr.* Efficient et hic ut condicio adscripta primo gradu substitutionis intelligatur repetita secundo: nec movemur *l. Sub condicione, de hæred. instit.* quæ negat condicionem adscriptam instituto et in substituto repetitam videri; nam verum id quidem est stricta ratione et obtinebit, si conjectura voluntatis aliud non suadeat. Sed in specie proposita non deest conjectura, quæ suadeat aliud. Ac præterea licet verum sit condicionem impositam instituto non videri impositam substituto, non continuo etiam verum est condicionem impositam primo substituto, non videri impositam secundo. Nam substitutioni imponitur potius quam substituto, quæ est eadem tam in secundo quam in primo: major enim separatio majusque discrimen est inter institutionem, et substitutionem. Rursus quæritur, an si neque neptis, neque nepos pervenerint ad fideicommissum, ex substitutione vocetur L. Titius. Respondi manifestissimum esse non in hunc tantum casum substitutum esse L. Titium, si fideicommissaria hæreditas ad eum non perveniret, et moreretur juvenis, ac cœlebs, sed etiam in illum si fideicommissaria hæreditas ad eum non perveniret: nam quod in directis substitutionibus receptum est, ut unus casus ducatur ad alium, *l. Jam hoc jure. de vulg. subst.* et in fideicommissariis obtinet multo magis, quæ sustinentur, et inducuntur sæpe sola voluntatis conjectura, etiam nullo casu expresso, *l. Cum proponebatur, l. Titia. 1. §. ult. de leg. 2.* nec adeo pendent ex verbis, ut etiam ubi verba aperta sunt, non possint non admittere quæstionem voluntatis, *l. Cum virum. C. de fideicommiss.* Et ob id *l. Quisquis. de leg. 3.* eum esset legatum et fideicommissum Jurisconsultus non satis habet probare verba esse perspicua, sed probat etiam suffragari voluntatem. At, ut dixi ante, e contrario voluntas sola sufficit, etiamsi desint verba.

CONSULTATIO XXXVIII.

De Evitionibus.

Quædam sunt hodie, et fuere olim militiæ, et officia, quæ jure licito emi, et vendi potuerunt, velut officium adjutoris quæstoris, *Nov. 35.* et silentiarii, *l. 30. §. ult. C. de inoff. testam.* Sed et ex eo genere fuisse putem tribunatus, et praepositurae numerorum, præposituras castrorum, quod hæc beneficia leges permiserint dare modo magistrum militum, modo quæstorem palatii, *l. 1. et 2. C. de offic. quæst.* nec enim alio fine id permiserunt, quam ut ex eis quæstum facerent, sicut et quod datur fisci patronis, ut aliquot et ipsi nominent, et promoveant domesticos equitum, et peditum, vel Tribunos Notarios, vel etiam efficiant illustrium titulo honorario, *l. Restituendæ. C. de advoc. diver. jud.* eo pertinet, ut et ipsi parent sibi inde quæstum aliquem, puta ex venditione officiorum, aut dignitatem hujusmodi. Et ita hodie constat pleraque officia eorum, qui quæstori parent (ut vulgo dicitur Cancellarius (et praeposituras castrorum licito vendi potuisse semper. His cognitis, quod ex facto mihi proponitur accipe. Cecidit quidam præpositura castrorum: eam impetravit alius a moderatore provinciæ cui dandæ vacantis præposituræ jus erat, et mox vendidit alteri, et partem pretii accepit, tum ablata emptori præpositura est, novo quodam beneficio principis restituto in integrum ejus militiæ possessore primo, qui ea ceciderat. Quæritur an venditor residuam quantitatem pretii petere possit, an emptori teneatur nomine evictionis. Dixi venditori esse actionem ex vendito residui pretii nomine, emptori non esse ex empto evictionis nomine: quod, ut in persimili specie eleganter respondit Paulus in *l. Lucius. D. de evict.* futuri casus evictionis post venditionem, et traditionem ad venditorem non pertineant. Futuros casus dicit, et inopinatos scilicet, qualis est publicatio, et adsignatio prædiorum facta militibus pro emerito in *d. l. Lucius.* Et ejusdem generis est restitutio principis, quæ non fit ex causis restitutionum solemnibus et jure receptis, sed novo beneficio, nova liberalitate principis. Hæc si non esset inopinata et insperata deportatio non perimeret jus patriæ potestatis, propter spem restitutionis, *§. Cum autem Instit. quib. mod. jus. pot. sol. l. ult. C. de sent. pass.* sicut propter spem postliminii constat non perimi eandem potestatem, et cetera jura civium, sed suspendi: nam postliminium ex jure gentium est, quo certius nullum est magis. Restitutionis quoque in integrum quæ promittitur edicto Prætoris, jus certum est, qua de causa restituto in integrum minore XXV. ann. si ei cui vendidi res evincatur, teneor non directa quidem, sed utili actione de evictione, *l. Minor. de eviction.* nec enim is casus novus et inopinatus est. Restitutio quæ fit sponte principis, nec sine injuria possessoris, plane nova et inopinata res est: et eleganter in *l. Super imprudentiam. eod. tit.* Injuriam quæ emptori fit, venditorem non debere contingere, et *l. Exceptione. D. de fidejuss.* Injuriam quæ cui facta est, penes eum manere æquius esse quam ad alium transferri. Confirmatur etiam hoc *l. 1. de peric. et com. rei vend.* quæ venditorem ait ex his tantum causis teneri, quæ ex præcedenti tempore causam evictionis pariunt. Confirmatur et arg. *l. 1. §. Si magistratus. de magist. conven. l. 2. §. Si eo. de admin. rer. ad civ. pert.* Possim et aliis argumentis uti. Si emptori dederis in specie proposita actionem de evictione,

non dederis utique directam, sed utilem id est, restitutoriam, arg. *d. l. Minor.* Non posais autem nec restitutoriam, quia asnctus damni fortunus restitutionem non indulget, *l. Verum. §. Scientiam. D. de minor.* Et æquius est imputari emptori cur temere ad eam emptionem accesserit, cur non prospexerit id evenire posse, ut *l. 9. §. pen. loc.* Possint aliud existimans æquum æstimare sed hoc est æquius. Obtineat igitur *l. Si servus communis. §. Quod vero. D. de furt.* Quantum a jure scripto recedimus tantum ab æquitate recedimus. Et in quæstionibus de æquitate, nisi hæreamus juri scripto, plerumque sub auctoritate juris scientiæ perniciose erramus, *l. Si servum. §. Sequitur. D. de verb. oblig.*

CONSULTATIO XXXIX.

De condicione cœlibatus.

Pater filiam impuberem hæredem instituit si non nuberet ante annum vicesimum, et post annum vicesimum si nuberet arbitratu tutorum: quæsitum est an hæ condiciones puellæ remittendæ sint. Nisi remittendas quasi repugnantes utilitati publicæ, et nuptiis impedimentum inferentes, *l. 2. §. Tractari. D. ad SC. Tertyl.* Atque ideo filiam hæreditate non excludi, etiamsi cui honeste nupserit intra annum vicesimum: nam et injuria prohibet pater nuptias, *l. Qui liberos. de rit. nupt.* Et non minus prohibet injuria si intra diem certum prohibeat, quam si in perpetuum, *l. Intestato. §. Sed si intra tempus. D. de suis et legit. hær.* Et constat etiam sine arbitrio tutorum nubentem ad hæreditatem pervenire posse, ne quod omnino nuptiis impedimentum inferatur, *l. Cum tale. §. Si arbitratu. de condit. et dem.* nam et alias ad tutoris vel curatoris officium non pertinet nubat pupilla, an non, *l. Sciendum. de rit. nupt. l. In copulandis, C. de nupt.*

CONSULTATIO XL.

De portionibus cohæredum.

Titius hæres esto ex semisse, filii fratris et filii sororis hæredes sunto æquis partibus ex altero semisse. Filii fratris sunt tres, filius sororis unus. Titius vivo testatore decessit. Quæritur Titii hujus semis pro qua parte accrescat filiis fratris et sororis. Et constat accrescere pro parte hæreditaria, *l. 66. de hæred. instit. l. unica, §. In his utique. C. de cad. toll.* quod et Accurs. respondet in *l. 1. C. quan. non pet. part.* pro virili igitur. Nam ut alterum semissem ex quo sunt instituti dividunt in quatuor partes, quod adjecerit testator, æquis partibus, *l. Interdum. in princ. de hæred. instit.* sic et semissem Titii dividunt in partes quatuor. Atque ita totius assis, quo sunt hæredum personæ, tot fiunt partes

CONSULTATIO XLI.

De constitutione regia, quæ vetat testamento dari quicquam tutori, et curatori.

Constitutio est regia, quæ vetat testamento minoris XXV. annis quicquam dari tutori vel curatori directo, vel per interpositam personam: minor testamento sororem hæredem scripsit, eique si sine liberis decederet verbis precariis substituit uxorem curatoris eandemque amitam suam. Quæritur an mortua sorore sine liberis, amitæ eidemque uxori curatoris competat fideicommissi persecutio. Respondi, competere. Eam constitutionem pugnare cum jure civili: hoc enim jure minori licet curatorem hæredem instituere, vel etiam eum qui ejus tutelam administraverit, *l. Aurelius §. Eum qui tutelam. de liber. leg.* Quo adeunte, ratio tutelæ vel curæ confunditur: nec quod possit tutore aut curatore compellente minori invito extorqueri testamentum in rem ipsius tutoris vel curatoris, ideo cohibenda est libertas testandi, cum satis sit legibus prospectum adversus eos qui quem testari ut sibi hæreditatem relinquere coegerunt, erepta hæreditate quasi indignis, si apparuerit vim aut dolum intervenisse, *l. 1. C. si quis aliq. test. proh.* Constitutio igitur illa quasi adversa juri strictius accipienda est, nec porrigenda ad filios tutoris vel curatoris emancipatos, nec ad uxorem, et multo minus ad uxorem quæ amita testatoris fuit, ut quæ non instituta, sed substituta proponitur. Constitutio ea est Francisci primi, et Henrici filii, cui similis exiit alia eodem tempore Caroli V. Imperatoris, quæ filiis quoque tutoris vel curatoris donari vetat, quod de filiisfamilias accipiendum opinor, propterea quod patri acquiritur emolumentum ususfructus. Uxori tutoris vel curatoris dari non vetat. Et vitrico quoque donari vetat et concubinæ ejus: quod etiam est contra jus: uxori vitrici donari non vetat cum mater sit donatoris.

CONSULTATIO XLII.

An nepotum appellatione contineantur pronepotes.

Filii appellatione non continetur nepos, *l. 6. de testam. tut.* nisi aliud suaserit voluntas evidens defuncti, vel præsumptio et interpretatio justa, ut *l. SC. D. de rit. nupt. l. Justa. D. de verb. signif. l. pen. C. ad Maced.* nec nepotis igitur appellatione continetur pronepos, et sic deinceps. Testatores leges ipsas imitentur. Leges liberorum appellatione utuntur quotiens quid universo generi præstitum volunt, filiorum quotiens filiis solis, nepotum quotiens nepotibus solis, *l. Liberorum. §. 1. de verb. signif.* Idem est testatorum usus. Eadem igitur ratio filiorum fratris, vel sororis de quibus interrogor, quos in usu vocamus nepotes, ut Acc. in *l. 2. C. de succ. ed.* Spartianus nepotes per fratrem. Ovidius nepotem a fratre, nisi pro nepos, mihi, tuus, quod in veteribus legi, illo versu, *Ab Ænea qui tibi fratre tuus.* Si quid ergo hodie nepotibus legatur, id est, filiis fratrum, idem etiam nepotibus fratrum non debetur, vel eo maxime quod nec sequens gradus in usu pronepotum nomen sibi vindicaverit unquam.

CONSULTATIO XLIII.

De donationibus.

Filiafam. bona adventitia patri absenti et ignoranti donavit inter vivos, eique si sine liberis moreretur substituit amitam. Insinuationi donationis interfuit amita, non pater: nihil etiam egit pater quo pateret approbare eum, et amplecti donationem a filia factam. Idem filiæ supervixit. Quæritur postea mortuo patre sine liberis, an amita ad ea bona jure donationis sive substitutionis pervenire possit. Respondi, non posse. Nec enim bona adventitia filiamfam. alienare posse citra voluntatem patris, *l. ult. §. Filius. C. de bon. quæ lib. adq.* etiamsi pleno jure pertineant ad filiam, *l. Imperator. D. ad Trebe.* Coercendos esse juveniles calores, et coercendas maxime donationes juvenum. Ea igitur bona morte filiæ patri obvenisse jure peculii, et morte patris, hæredibus patris, non amitæ donationis jure. Si donationem ratam fecisset pater in se collatam quam ei mora filiæ confirmaverat, dicerem substitutioni locum fore. Sed nihil ponitur egisse pater quo possit videri ratam habuisse. Et donatio quæ fit absenti non aliter valet quam si liberalitatem agnoverit. *l. Absenti. de donat.* Nec enim est donatio sine acceptione, et recte in illum locum Comici (Dos est x. talenta: Accipio) vetus Interpres, Nisi, inquit, dixisset, Accipio, dos non esset. Datio enim ab acceptione confirmatur, nec potest videri datum id quod non est acceptum. Et hodie quis exemplo emptionis venditionis donatio solo consensu perficitur, non re, ut olim, etiam non videtur perfecta antequam donatarius donationem ratam habuerit et gratam, excepto casu comprehenso Græca constit. *l. 15. C. de sacros. eccles.* favore ecclesiæ.

CONSULTATIO XLIV.

De donationibus.

Filiafam. patris voluntate donat filiæ suæ mortis causa semissem bonorum, et alterum semissem patri ea lege, ut ex eo dotem sorori constituat: filiæ superstitit pater, et legem donationis implevit dote constituta alteri filiæ, sorori donatricis. Quæritur an valeat donatio collata in patrem. Respondi, valere. Nam ut patris donatio in filiamfamil. collata confirmatur morte patris, *l. Donationes. 1. C. de donat. inter vir. et uxor.* ita æquum est filiæfamil. donationem collatam in patrem confirmari morte filiæ. Nec quicquam obesse quod voluntate patris donaverit ipsi patri, cum nec aliter possit valere donatio quam si voluerit donatarius, et donationem agnoverit. Nec enim donatur invito, *l. Hoc jure. §. Non potest. de donat.* Et voluntas separanda est ab auctoritate. Auctoritas interponitur in ipso negotio, non post transactum negotium, nec per nuntium aut per epistolam, *l. Si quis mihi bona. §. Jussum. de acquir. hæredit. l. Obligari. §. Tutor. de auctorit. tutor. l. 1. §. ult. de tutel.* Voluntas etiam post finitum negotium per ratihabitionem, *l. 3. §. Sed si mutuo. de in rem verso, l. 2. §. ult. sol. matrim.* et actu quolibet sine verbis, *l. 5. D. rem ratam. hab.* Et auctor in rem suam nemo esse potest, *l. 1. de auctor. tut.* Velle et consentire in rem suam quis non potest. Et in donationibus factis a filiafam. voluntatem patris tantum exigit, *l. ult. §. Filius. C. de bonis quæ lib.* Scio quid in hanc rem scripserit Guido Papa, quæstione ccxxiii. Sed abutitur auctoritatis nomine, ubi voluntas non auctoritas patris legibus exigitur. Et idem falso præcedere debere consensum patris filio donante mortis causa, allata *l. Filiusfamilias. §. Puri. de donat.* quæ nihil tale exprimit, sed voluntatem tantum requirit. Voluntas autem etiam quæ sequitur ratihabitio est, *d. §. Sed si mutuo. l. Si fundus. §. 1. D. de pignor. l. Pompon. §. ult. D. de procur. l. 9. §. pen. D. de donat. l. ult. C. ad SC. Macedon.*

CONSULTATIO XLV.

De testamento cæci, et legatis.

Cœcus testamentum fecit, et tabulario scribendum dedit coram testibus septem, qui nomen quidem suum adscripsere, non tamen signavere, et adjecit testator, si qua in re jure deficeretur testamentum, velle se quasi codicillos id valere, vel quasi donationem causa mortis. Quæritur utrum valeat jure testamenti an jure codicillorum, an jure donationis causa mortis. Et constat non jure testamenti, quia neque id signavere testes, *l. Ad testium. §. Si quis ex testibus. D. qui testam. fac. poss.* nec subscripsere uti oportet, puta hoc modo: Lucius Titius subscripsi, et G. Seii testamentum obsignavi, *l. pen. D. eod.* Non valere etiam jure codicillorum: nam et in codicillis a cæco confectis subscriptiones et signa testium exiguntur, *l. Hac consultissima.*

C. eod. a qua tamen nonnihil recedit Leonis philosophi Novella xxix. Putem etiam non valere jure donationis causa mortis: Nam cum ad instar codicillorum redigantur donationes causa mortis, atque ad instar ultimæ voluntatis, ut eum quinque testes in eis requirantur sicut in codicillis, *l. ult. C. donationib. causa mort.* consequens est etiam, ut quæ in codicillis cæci testium signa exiguntur, eadem exigantur in epistolis, quæ imitationes sunt codicillorum, *l. 1. §. Sancimus. C. de Lat. libert. toll.* et in donationibus causa mortis quæ et ipsæ codicillos imitantur, et ultimas voluntates. Non possis etiam hac ratione uti, ut probes donationem causam mortis non valere, quod vivo donatore agnita non fuerit a donatario: nam cum e morte tantum donatoris perfici videatur, *l. Non videtur. D. de donat. causa mort.* nec viva donatore initium accipere in persona donatarii, *l. Seja. eod.* consequens est, ut antequam mors insequatur, nec repudiari, nec agnosci possit, aut debeat exemplo legatorum, quibus comparari donationes causa mortis nemo ambigit. Ad hæc quærebatur qua actione jus suum persequi debeant hæredes legitimi, si ejus de quo quæritur ultima voluntas, ut diximus, nullo jure substatat. Et constat de possessione ejus competere interdictum quorum bonorum, agnita bonorum possessione unde legitimi, et de jure civilem aut prætoriam hæreditatis petitionem. Idem qui superiorem speciem proposuerat, et nos de sequenti consulebat. Quidam Lucio Titio legavit mediam partem bonorum quæ habebat in finibus et in territorio vici cujusdam locisque vicinis, quæ modo essent intra fines supradictos, simul et quæ ex eorundem bonorum causa sibi jura et actiones competerent, vel competituræ essent. Et quærebat, an quæ bona is habuit in confinio quæ non sunt in finibus illius vici, legato contineantur. Respondi, contineri, maxime quod proponeret testatorem ea bona sationibus intulisse simul cum prædiis constitutis intra fines supradictos, *l. Prædiis. §. Titio* et *§. ult. de leg. 3.* et sub eodem colono possedisse: ac præterea simul ea cum ceteris bonis ad eum pervenisse ex hæreditate matris, ut nec separasse ea moriens voluisse videatur. Et idem in simili specie respondit Scævola in *l. Patronus §. Sempronio. eod. tit.* Nec igitur quicquam officit quod adjecit, quæ modo essent intra fines supradictos: nam error in ea adjectione est aut repetitio supervacua, quæ non potest efficere, ut bona in confinio posita, quæ palam legavit, legato non contineantur, licet in ejusdem vici finibus non fuerint. Et postremo quærebat idem an huic legatario deberentur reliqua colonorum. Et respondebam, appellatione jurium, et actionum etiam reliquationes contineri, et ut in *l. Prædia. §. Alfius de instr. vel instr. leg.* In hujusmodi scriptura posse responderi, hoc solum esse quærendum an manifesta probetur reliqua colonorum legatario dari noluisse. Nam hoc nisi probetur, non possunt non legatario deberi.

CONSULTATIO XLVI.

An substitutus substituto sit substitutus instituto.

Soror substituta per fideicommissum Primo et Secundo fratribus suis, si uterque sine liberis maribus decederet, priusquam conditio substitutionis existeret, superstite Secundo, vita decessit: post decessit etiam Secundus sine liberis. Hæreditatem vindicat altera soror Secundi ab intestato. Contradicit filius unus sororis substitutæ, quod in ea hæreditate is matri substitutus fuisset prohibita quartæ deductione, quem ea filiis suis defuncti nepotibus eligeret, et se illa moriens elegisset. Quæritur ad quem pertineat hæreditas. Respondi pertinere ad filium sororis substitutæ, hac ratione, quia si directa substitutione substitutus substituto, intelligitur substitutus instituto, *l. Coheredi. in prin. de vulg. subst.* at fideicommissaria substitutione multo magis, in qua testatoris voluntas potissimum spectatur, *l. Hæredes. §. Cum ita. D. ad. Trebellian.* quæ utique hæc fuit ut deficiente sorore substituta non ad alteram sororem, sed ad filium substitutæ bona perveniret, quem ipsa eligeret. Nec arbitror prematuram aut nullam fuisse electionem, quod eum elegerit antequam ea substitutione delata sibi hæreditas esset, cum is quem elegit sit ex numero illorum qui etiam nulla facta electione simul ad fideicommissum invitantur, argum. *l. Cum pater. §. A filio de legat. 2. l. Unum. §. Rogo l. Cum pater. § Hæreditatem. 1. de legat. 2.*

CONSULTATIO XLVII

De pactis dotalibus.

Pacto dotali convenit inter virum et uxorem ut dimidia pars bonorum viri pertineret ad filium marem qui ex eo matrimonio prior nasceretur, vel quem ipse vir eligeret, et deficiente mare ad filiam majorem natu innuptam: natæ sunt ex eo matrimonio filiæ duæ, filii nulli. Illas pater nuptum locavit dote constituta et sub lege ne quid amplius a se peterent: post obiit pater superstite filia utraque, una et ea quidem majore natu nupta adhuc marito suo, altera vidua. Quæritur an earum ulli, et cui dimidia pars bonorum debeatur, de qua instrumento dotali convenerat inter conjuges ut cederet filio vel filiæ natu majori innuptæ. Respondi nulli deberi: non majori filiæ, quia innuptæ pars ea dimidia pacto dotali excepta proponitur; et nupta hæc est: non minori, quia nupsit semel et a patre dotem accepit. Et innuptam accipimus pro virgine, ut in epistolis Pauli plerique innuptam accipiunt, atque ita separari eam a vidua putant. Et si mentem inspiciamus contrahentium, hæc plane fuit, ut dotis causa non nuptæ, et indotatæ puellæ ea pars bonorum reservaretur. Hæc dotata est et nupta fuit: neque igitur ex verbis, neque ex mente ullo earum admitti ad petitionem dimidiæ potest: neque vero hoc novum est, ut non nuptam interpretemur cœlibem, quæ nec primas nuptias experta sit, cum et nupta intelligatur de primis nuptiis, non de secundis, *l. Cum pater. §. Pater. de legat. 2. l. Bona. §. 1. de verb. signific.* Fateor ambiguam esse vocem, ut viduæ: nam vidua et non nupta dicitur tam quæ virum habuit, quam quæ non habuit, *l. Mulium. §. Viduam de verb. signif.* sed capta conjectura ex mente contrahentium, ut diximus, non nuptam videntur appellasse indotatam et virginem. Et ita censeo.

CONSULTATIO XLVIII

De rescindenda transactione

Grassante gravi pestilentia in civitate, quidam in contrahendo matrimonio evocatis, testibus et tabellione qui rei gerendæ superessent, contulit in medium duo millia quæ uxori dedit, confitenti se accepisse, eaque de re confectum instrumentum est, cui tamen testes signa sua non apposuerunt. Iidem conjuges fecere donationem mutam ita scilicet ut qui eorum supervixeret, ferret mille ex defuncti bonis: donatio non fuit insinuata. Post vero mortua est mulier intestata. Frater vindicat hæreditatem proximitatis jure a marito possessore. Maritus rationem prius haberi desiderat supradictarum summarum, et aliarum quarumdam sibi ab uxore debitarum, ac præterea de testamento uxoris, quod tamen nullum fecerat, sermones jactat hos fere. Quid agas, aut quo te vertas si me ab ipsa ostendero testamento hæredem scriptum? Ac tandem frater vel territus testamenti jactantia, vel summarum quæ petebantur quantitate, vel qua alia ratione, ita transegit cum marito, ut apud eum bona sororis remanerent cum omnibus oneribus hæreditariis, eaque lege ut evictionis nomine non teneretur, modo certis pensionibus præstaret ei maritus mille octingenta, ex qua summa cum aliquot pensiones tulisset frater, pœnitentia actus cœpit agere de rescindenda transactione, dolum ei dedisse causam, fraudem inesse magnam, pro locupletissima hæreditate tantum mille et octingenta in conventionem deducta: donationem qua fretus maritus petit nullam non fuisse insinuatam, collationem duorum millium fuisse imaginariam, et instrumentum de ea conscriptum destitui signaculis testium. Quæritur an justum sit desiderium fratris? Haceham genere transactionis venditionem hæreditatis contractam videri. Hujus rei argumentum præbere quod caverint ut maritus quasi emptor omnia onera hæreditaria sustinerat: et quod solemne est in venditione hæreditatis, *l. 2. in princ. de hæred. vend. l. 1. C. de evict.* ut frater quasi venditor non teneretur de evictione. Item quod summa mille et octingentorum de qua convenit, congruum sit pretium hæreditatis, si ut ex testium productionibus liquet, bonorum quæ fuerunt tempore mortis, quantitas ineatur ex fide, nec sit locus remedio *l. 2. et 8. C. de resc. vend.* Quo etiam fretus venditor perperam desideraret venditionem rescindi: nam emptor supplere potest quod justo pretio deest. Atque ideo ex ea causa venditio non omnino rescinditur, *l. 4. § Si quis in fraudem. D. si quid. in fraud. patr.* Quin etiam putem sicut vendita hæreditate non admodum requiritur quanta sit hæreditas, quoniam etiamsi sit permodica, venditio valet *l. Qui filiofam. in. fi. de hæred. vend.* ita nec admodum requiri quantum sit pretium. Et frustra igitur conferri quantitatem pretii cum quantitate hæreditatis. Præterea non est novum transactionis verbo venditionem significari, cum æstimatione facta, quam constat similem esse emptioni, *l. 3. pro empt.* scribat Paulus in *l. Ejus rei. D. de rei vindic.* transegisse actorem videri cum adversario, et decidisse eo pretio quod ipse constituit jurando in litem. Ac proinde æstimatio, id est, venditio, litis transactio est. Et contra litis transactio, qua modo rem de qua agitur cedat actor accepta certa summa, venditio rei est. Denique in proposito recte dixeris litis æstimationem factam bona retinente possessore, et pecuniam accipiente petitore: ac juri reique ita gestæ valde congruere pactionem illam ne petitor de evictione teneatur. Nec enim petitor possessori cavere de evictione cogitur ejus rei nomine cujus æstimationem recipit, quia sibi imputare possessor debet, qui rem non restituit: *l. Ex diverso. § pen. de rei vind. l. Si pro fundo. C. de transact.* Quod autem ex diversa parte dicitur dolum dedisse causam transactioni, hoc ego ex ipso facto arguere nullo modo possum. Arguitur dolus ex calliditate atque insidiis manifestis, *l. 8. C. de rescind. vend. l. Dolum C. de dolo:* nullas in hoc negotio animadverto insidias manifestas. Si persuasisse maritum fratri doceres uxorem testatam decessisse, vel ultro jurando, vel quadam alia fallacia, persuasionem illam dolum esse conficerer, *l. Si quis affirmaverit. §. 1. l. Servus. §. ult. l. Si legatarius. l. Cum a te, l. Cum quis. D. de dolo.* Si jactasse tantum obiter de testamento mentionem, nec in eo perstitisse, ex eo solo doli argumentum non ducam. Et placet valde, quod ait *l. Et elegantur. § ult. de dolo:* Non teneri de dolo eum, qui affirmavit idoneum esse eum, cui pecunia credebatur: nec nisi ex magna, et evidenti calliditate de dolo actionem dari: et quod *l. Interpositas. C. de transact.* ad dolum arguendum, qualitatem causæ principalis non sufficere: ut puta si adeo perspicuum, et evidens fuerit jus actoris, quod in hac specie accidit, ut non debuerit de eo transigere. Rursus quod testatur donationem mutuam non valere propter defectum insinuationis, non admitto. Nam effectu fuisse eam donationem causa mortis, ex eo apparet, quod fiat ei qui supervixerit, *§. 1. Inst. de don.* nec me movat quod in instrumento appelletur inter vivos, scientem, quod de testatoribus ait *l. Non aliter. §. ult. de legat. 3.* idem evenire contrahentibus, et tabellionibus, ut plerumque abusive loquantur, nec propriis nominibus, atque vocabulis semper utantur,

et eventum effectumque rei quæ agitur spectari tutius esse arbitror. Ad hæc quod fides abrogatur instrumento, quo duo millia uxori adsignata, et adscripta continentur ob signa testium, quæ omissa sunt contra constitutionem Regis, eo satis excusari factum opinor, quod res sit gesta pestis tempore, quo a contrectatione calami, et chartæ, contagionis malum jure meritoque testes horrent, aut etiam ipse tabellio veretur, ne id mali testibus importet, si roget signa a singulis. Quæ ratio contagionis etiam efficit, ut necesse non sit testes uno eodemque tempore adhiberi, etiamsi id alias negotium quod geritur exigat: ut si testamentum fiat, et hoc tantum reperio non efficere contagionis metum, ne adsit legitimus testium numerus. Denique hoc solum non remittere: cetera igitur solemnia remittere, *l. Casus. C. de test.* Et, ut tandem concludam, non esse ejus causam cur frater major viginti quinque anni juris utriusque Doctor, et qui transactionem confirmavit pactis postea pensionibus aliquot acceptis, eam rescindi postulet, aut si de rescissione nihil doleat maritus, in ejus esse arbitrio ut, solutis his, quæ sibi deberi intendit ex bonis defunctæ, quæque ipsi fratri transactionis nomine dedit, hæreditatem fratri restituat, atque ita utriusque consensu transactio rescindatur, *l. Si diversa. C. de transact.* Nec enim si ratam manere velit transactionem, recte desiderat data, vel debita reddi sibi *l. Cum proponas. C. eod. l. pen. D. eod.*

CONSULTATIO XLIX

De Militari Testamento.

Qui se a milite hæredem nuncupatum esse ait, producit testes sex coram tabellione, et septimum coram judice. Dixi nullam esse productionem testium sex, nam fieri apud judicem debet, non apud tabellionem, *l. Nullam. C. de test.* et judici probandum, *l. Quingenta. D. de probationib. l. 3. C. de condict. ob turp. caus.* nam tabellionis sola testatio privata fidem non facit, *l. 3. C. de testib. l. 5. C. de probation.* et privata est, quæ fit sine judice. Quod autem quæritur, an non aliter valeat testamentum jure militari, quam si fiat in procinctu. Respondeo etiamsi non fiat in procinctu testamentum valere jure militari, modo fiat in expeditione, in castris, in stativis. Alioquin nihil distaret paganus a milite. Nam et a pagano in procinctu, in acie, in hostico quoquo modo factum testamentum valet, *l. ult. C. de testam. milit.* ratione pari, quod tunc temporis sit prope apud quemlibet intermortua memoria legum et ceterarum disciplinarum. Xenophon. ἤ ὄντων εἰς μάχην τῶν ὅπλων πολλοὶ καὶ τῶν μαθημάτων ἐξίσαντο. Ergo qui in expeditione testatur miles, in castris, in fossato, ut loquuntur: imo et qui hybernis, ut meum judicium est, stativis, in præsidiis jure militari testamentum facere potest: ac proinde non est necesse ut adhibeat legitimum numerum testium, ut est in principio tituli De militari testamento, in Institut. ubi et unum testem sufficere Theophilus noster scripsit. Et quidem nullum testem necessario requiro, eo satis esse opinor si aliis probationibus legitimis constare possit de voluntate militis: Nam *l. Lucius. D. de milit. testam.* non testes exigit, sed legitimas probationes, quarum plura sunt genera: nec ex *§. 1. Instit. de testam. milit.* puto recte quosdam sedes interpretari stativa, et malim, ædes, ut nominatim in *l. ult. C. de restitut. militum.* Basilica pro in sedibus habent ἐν τοῖς ἰδίοις οἴκοις, aut certe idem est in sedibus, et in ædibus, ut *l. 2. C. Theodos. de dom. et prot. l. ult. C. de postl. et redemp. ab host.* et quod sedes sedeta Theophilus interpretatur, sive sedeta exponas fossata, ut Sudas, id est, castra, sive stativa, ut *l. 18. C. de episcop. audient.* falsum est, non posse militem in stativis, vel castris jure militari testari.

CONSULTATIO L

De substitutionibus

Joannes hæredem sibi instituit Franciscum filium Ludovici fratris, et liberos ejus masculos. Et si Franciscus, vel liberi ejus masculi, vel deinceps in infinitum, liberi liberorum ejus masculi in pupillari ætate, aut quandocunque morerentur sine liberis masculis, eis substituit extraneos quosdam nominis, et familiæ alterius, ut ab eis quædam legavit. Franciscus hæres extitit patri, et patruo, et mortuus est relictis duobus liberis masculis Joanne, et Guillelmo, qui et patri suo Francisco hæredes extiterunt. Post hic Joannes vita decessit relictis quatuor liberis masculis Francisco, Felice, Alexandro, Guillelmo, qui deinde mortui sunt omnes sine liberis excepto Francisco, qui reliquit liberos mares Alexandrum, Jacobum, et alios, et testamento hæredem reliquit uxorem, cui deinde supradicti liberi successerunt. Alexander, et Guillelmus testati esse non proponuntur. Felix testamento uxorem suam hæredem scripsit, quæ jure possidet hodie portionem bonorum Felicis. Guillelmus autem frater Joannis mortuus est, instituto filio suo Acacio, eique substituta filia sorore Acacii: post Acacius mortuus est instituto hærede filio sororis sibi substitutæ, qui eo jure gerit se pro hærede hodie in portione bonorum, quæ fuit Guillelmi, aut eo infante, mater. Quæritur, An adversus uxorem Felicis et adversus filium sororis Acacii, matremve ejus liberis Francisci posterioris, jure substitutionis competat petitio hæreditatis. Dicebam, Joannem a quo cœpit sermo, manatque quæstio omnis, videri substitutioni imposuisse ordinem scripturæ, ut in specie *l. Cum pater. § pen. de legat. 2.* Et Francisco filio fratris substituisse liberos ejus masculos, non etiam eos in eandem hæreditatem conjunxisse: Nam dixit quidem hoc modo: Hæredem instituto Franciscum, et liberos ejus masculos, quod videtur esse perinde ac si dixisset, cum liberis ejus masculis, quo casu conjuncti re et verbis inter se pater, et liberi sunt, *l. Si quis Attio. et l. seq. de usufr. accresc. l. ult. C. de impub. et aliis substitut.* Sed magis est ut conjunctionem illam pro disjunctione accipiamus, ut sæpe fit in legibus testamentisque, quod sequentia verba, quibus disjunctio exprimitur evidenter demonstrant. Et si Franciscus, vel liberi ejus masculi. Ex qua clausula etiam apparet testatorem voluisse plures gradus substitutionis facere. Disjungere igitur non conjungere, et eadem clausula repetitur in legato feminæ relicto a substitutis extraneis videlicet, si Franciscus, vel liberi ejus masculi, vel liberi liberorum decederent sine liberis masculis. Et ne dixeris, quod Francisco nondum liberi ulli essent, substitutionem esse pro non scripta, nam et nondum concepti instituuntur recte *l. Placet. de liber. et post.* Et mortui tantum institutio est pro non scripta, *l. pen. de his quæ pro non scriptis hab.* non etiam nascituri, ejus qui desiit esse in rerum natura non ejus, qui possit venire in rerum naturam. Denique sic statuebam, ex eo testamento Francisco substitutos esse ejus liberos Joannem, et Guillelmum. Ac rursus Joanni, ac Guillelmo eorum liberos. Joanni puta Franciscum, Felicem, Alexandrum Guillelmum, et Guillelmo fratri Joannis Acacium, ac postremo liberis his Joannis Guillelmique substitutos esse liberos eorum masculos. Nam inter liberos masculos in infinitum substitutio facta videtur, *l. Hæredes. §. ult. ad Trebellian.* Et extranei substituti tantum esse ultimo morienti sine liberis masculis, *l. pen. C. de imp. et aliis substitut.* Et licet sit facta substitutio in infinitum, nihil tamen accidit in hac specie contra modum lege constitutum, *Novel. de restit. fideic.* et Constitutione regia: nec enim dum substitutio excessit quartum gradum, sed consistit tertio. Nec rursus post pubertatem quasi a pagano factam substitutionem verbis directis negandum est eam valere jure fideicommissi ex *l. Verbis. de vulg. substitut.* et argumento militis, a quo sola facta substitutio puberi verbis directis valet, ure fideicommissi, *l. Centurio. eod. l. Precibus. C. eod.* Nam usus est verbis communibus, quæ aptari tam ad directam, quam ad precariam substitutionem possunt. Et enim Substituo est verbum commune, ita instituo, vel hæredem facio *l. Ex facto. in princ. ad Treb.* Et rursus verbum Substituo est commune, sive exprimantur, sive intelligatur. Quid enim refert? Imo et ex directa scriptura Ulp. lib. reg. scribit pleraque hanc fuisse improbatam, hæredem institue tit. 21. quasi ambigua scilicet et aceipiti. Hoc quoque testatorem voluisse ut substituti omni genere substituti essent, perspicue demonstrat clausula codicillaris adscripta testamento, quæ etiam verba directa substitutionum ut pro precariis accipiantur semper efficit, *l. Coharedi. § Cum filio. de vulg. subst.* Itemque quod omnibus liberis masculis interdicit detractione quartæ Trebellianicæ, cui tantum locus est in fideicommissaria substitutione. Et quod etiam nominatim id fideicommissum appellat illo loco testamenti, si non valet ut ordinavit, rogavit sibi venientes ab intestato, ut fideicommissum hanc suam voluntatem impleant. Ergo jure substitutionis precariæ Franciscus filius Joannis vocabantur in locum fratrum Felicis, Alexandri, Guillelmi, et in patruelis Acacii, qui mortui proponuntur esse sine liberis masculis, vel Francisco præmortuo eodem jure sane vocabuntur liberi Francisci, Alexander, Jacobus, et si qui sunt alii, in portionem bonorum, quæ contigit patruo, vel patruis, et in eam, quæ contigit propiori sobrino Acacio, bonorum, inquam, quæ obvenerant a Joanne illo primo substitutionum auctore, nulla deducta quarta Trebelliana, vel legitima, quoniam omnem deductionem prohibuit testamento ut potuit, et legitima nulla debetur cognatis venientibus a latere. Ideoque retinebunt tantum hæredes testamentarii Felicis, et Acacii, si quid ad testatores suos pervenerit ex bonis Ludovici quondam patris Francisci a Joanne illo primo hæredis instituti: namque ea bona fideicommisso, sive substitutioni non fuisse subjecta notissimum est, quia de peculio non suo Joannes testari non potuit, *l. Cum pater. §. Mandi. de leg. 2.* Item retinebunt si quid Franciscus primus, vel alii superiores aliunde acquisierint quam ex bonis Joannis primi, quod ad Felicem, et Acacium pervenerit, vel si quid Felix et Acacius ipsi aliunde sibi acquisierint. Ad hæc etiam adnotari volo nihil detracturam uxorem Felicis, vel filium sororis, aut sororem Acacii nomine legatorum feminis relictorum, quandoquidem a substitutis extraneis non a liberis feminis proponuntur ea esse relicta.

CONSULTATIO LI.

De substitutionibus.

Matertera donavit inter vivos Jacobo, et Ludovico sororis filiis, et eorum liberis masculis bona quædam eosque invicem substituit si quis eorum decederet sine liberis masculis, et omnibus quandoque defunctis sine liberis masculis, substituit instrumento donationis illum illosve, quem quosve post testamento substitueret: deinde facto testamento, eosdem sororis filios hæredes scripsit, et secundum id, quod donatione erat expressum, si hi horumque liberi masculi sine liberis masculis morerentur, ut in ea bona venirent, quos testamento substitueret: existente prædicto casu, videlicet Jacobo, et Ludovico sororis filiis morientibus sine liberis masculis (hæc sunt fere verba testamenti) in ea bona substituit Jacobum filium Mariæ filiæ fratris sui, et alios ejusdem Mariæ liberos masculos, ut his deficientibus alios plerosque gradus substitutionis fecit, quibus semper masculos invi-

tavit. Ex Jacobo illo filio Mariæ natus est Joannes, ex Joanne Richardus: post mortem testatricis evenit, ut prior decederet Ludovicus sine liberis masculis, tum frater ejus Jacobus relicto filio Anselmo. Et hic rursus filius relictis filiis quatuor, Jacobo, Ludovico, Claudio, Urbano, qui omnes defuncti sunt sine liberis masculis, atque etiam feminis excepto Ludovico: qui Claudianam filiam reliquit. Urbanus supervixit ceteris omnibus, quo tandem mortuo Claudiana ea bona de quibus agitur, possidere cœpit, quæ Richardus jure substitutionis ad se pertinere contendit, quod sit ex liberis masculis Mariæ. Quæritur an defecerit substitutio quod liberi Mariæ altero gradu in hunc tantum casum substituti proponuntur, si Jacobus, et Ludovicus sororis filii sine liberis decederent, qui casus non extitit, quandoquidem Jacobus filium suum hæredem reliquit. Dicebam, non defecisse substitutionem, vel substitutionis casum, qui ita evidenter expressus fuit tam in donatione, quam in testamento, Si Jacobus, et Ludovicus, et eorum liberi masculi decederent sine liberis masculis, qui et manifesto repetitur in testamento per hæc verba, Prædicto casu. Si prædictus casus ille est, et idem est igitur substitutionis casus, licet testatrix subjecerit hæc verba. Videlicet si Jacobus, et Ludovicus decederent sine liberis masculis. Nec enim restringunt substitutionis casum quem prædixit, quemque se prædixisse dixit, ita satis demonstrans se ad eum referri velle, atque impleri ex eo quem inchoat tantum hoc modo. Videlicet si Jacobus, et Ludovicus sine liberis decederent, non etiam absolvit, forte dum celeritati studet, ut in *l. Si ita quis, de hæredib. instit.* et dum satis mentem suam ante se prodidisse putat, vel dum eloquitur quidem omnem illum, sed minus scribitur, quod evenit sæpe, *l. 1. §. Sin autem, l. Quotiens. §. 1. de hæredib. instit. l. Cum ovus, de condit. et demonstrat. l. Unum. §. pen. l. Cum pater, §. Cum imperfecta. de legat. 2. l. Si in testamento. de legat. 1. l. Verbum. C. de fideicommiss.* Ac præterea omnino velim hoc in re non tam testamenti, quam donationis scripturam spectari, quandoquidem qui ita instrumento donationis scribit, quos testamento substituero, ii substituti sunto: in donatione ipsa eos substituisse videtur, non in testamento, *l. Asse, de hæredib. instit. l. Institutio. de condit. instit.* Denique sic statuta, in substitutione repetitum videri omnem casum paulo ante diligentius, et perquam evidenter expressum, quoniam et alia sæpe ex leviori conjectura voluntatis defunctorum, vel contrahentium in jure repetitiones tacitæ recipiuntur, *l. 4. §. ult. de pact. l. Titia, §. 1. de verbor. obligat. l. In repetendis. de legat. 3. l. Avia. l. Quatenus. de condit. et demonst. l. Lotius. de legat. 2.* Rursus quæritur, an defecerit substitutio liberorum Mariæ, quod Jacobus filium reliquerit, et hic quoque Jacobi filius filios quatuor. Et respondeo, non tam defecisse substitutionis casum quam nondum extitisse. Quinimo post extitisse morientibus illis Jacobi nepotibus quatuor sine liberis masculis: pleraque videntur ademta, aut inutiliter data, quæ non data potius sunt, *l. 1. de reg. Caton.* Et ita pleræque condiciones defecisse, quæ potius non extiterunt, ac quæ defecerunt quidem, et non extiterunt, sed quæ non extiterunt non continuo et defecerunt. Alioquin non resumerentur, *l. Quidam. in princ. l. Rogo. de fideicommiss. libert. l. Pater. §. ult. de condit. et demonstr.* Item quæritur an liberorum nomen accipiatur in infinitum, ut quando substituit Jacobo, et Ludovico, et eorum liberis masculis in hunc casum si sine liberis masculis decederent, intelligatur substituisse non tantum filius, sed etiam nepotibus filiorum sororis. Quod putem: nam et in condicione substitutionis, sive exprimatur sive intelligatur, Si sine liberis decesserit, constat liberorum nomen accipi latissime, *l. Generaliter. §. ult. C. de instit. et substit. l. Liberorum. §. Divus. D. de verbor. significat. l. Jubemus. §. pen. C. ad Trebel. l. 1. C. de condic. insert.* nec ulla nos ab ea interpretatione conjectura dimovet. Et consequenter si quæratur deficientibus Jacobi, et Ludovici liberis masculis, substitutis Jacobo filio Mariæ, et aliis Mariæ liberis masculis, an Richardus Mariæ pronepos substitutus intelligatur; dicam substitutum videri, et falso restringi liberorum nomen ad filios in substitutione fideicommissaria, quod, ut ajunt, sit odiosa substitutio: Nam si odiosa esset, omissa non subintelligeretur, ut fit in specie *l. Cum proponebatur. de legat. 2.* Nec contra verba ex interpretatione induceretur, ut fit in specie *l. Hæredes. §. Cum ita. ad Trebellian.* Nec de casu traheretur ad casum, ut fit in specie *l. Mulier. in princ. eodem tit.* Omnis voluntas defuncti legitima, favorabilis est: nam et latius accipitur, *l. In testamentis, de reg. jur.* et adjuvatur interpretatione, *l. In substitutione. de vulg. substit.* non adjuvaretur si esset odiosa. Exhæredationem recte dixeris odiosam, *l. Cum quidam. de lib. et post.* Ergo non institutionem et si non institutionem, aut substitutionem directam, et fideicommissum multo minus, id est, substitutionem precariam, quæ ut ait Ulpianus, non ex rigore juris civilis proficiscitur, sed ex defuncti voluntate nuda consistit. Et præter hæc, quia video id toto testamento per multos gradus substitutionum testatricem agere, ut ad masculos perveniant bona, de quibus quæritur, et inde primum eam prætulisse in ea bonis liberos masculos cujuscunque gradus ex Maria filia fratris progenitos Claudianæ, quæ nunc ea pro hærede, aut pro possessore possidet. Et rursus quæ prætulit Jacobum filium Mariæ ipsi Mariæ quamvis esset Maria sanguine proximior, et quemcumque marem propinquum cuicumque feminæ prætulisse censeo. Richardum igitur recte agere petitione hæreditatis adversus Claudianam, et bona vindicare substitutionis jure. Jus autem Claudianæ in ea bona nullum esse.

Appendix superioribus Consultationibus.

Etsi videamur satis omnia complexi priori consultatione, quæ vel ad confirmandam nostram, vel refellendam contrariam sententiam spectant, tamen refellemus adhuc eam copiosius. Hoc primum statuunt contrariæ sententiæ auctores, substitutionem factam Jacobo, et Ludovico sub condicione si sine liberis decederent, susceptis, et superviventibus liberis in vanum abire. Esset ita sane quasi defecta condicione substitutionis, si Jacobo, et Ludovico tantum facta substitutio fuisset: Sed facta etiam fuit eorum liberis masculis, ut ex donatione, et testamento apparere superius docuimus. Ergo facta utique est filio Jacobi Anselmo, et Anselmi quoque filiis Jacobus nepotibus: nam liberorum nomen in his substitutionibus fideicommissariis si omissum latissime accipitur, et nepotes comprehendit, *l. Generaliter. §. ult. C. de instit. et substit.* ergo et expressum. Et consequenter si facta est Anselmi filiis, his morientibus sine liberis masculis, extitisse condicionem substitutionis magis dicendum est. Itaque est aperta. Sed et si esset dubia, procliviores esse debemus ad admittendam substitutionem, ut cum eodem modo Titio facta est substitutio si sine liberis decesserit, et Titius filium suscepit verum dubitatur uter prior decesserit Titius an filius, magis favemus substitutioni, *l. Ex facto. §. pen. ad Trebel.* illo loco: *Cum autem quis ante, aut quis postea decesserit non apparet, extitisse condicionem fideicommissi magis dicendum est;* et *l. cog. §. 1. eod.* In ambiguo id accipitur potius; quo sustinetur fideicommissum. Et utemur etiam in hanc rem non male eo, quod dicitur in *l. Titia §. 1. de leg. 2* non sic interpretandam scripturam, de qua quæritur, ut fideicommissum inutile fiat: maxime quia toto testamento id egisse testatricem apparet multis gradibus, ut bona obvenirent maribus non feminis, quoniam totum tenorem testamenti spectari convenit, si quis velit perspicue videre, ut idem semper fuerit tenor voluntatis mares feminis anteponendi. Et non ex uno versu testamenti jus dici oportere, sed ex antecedentibus, et consequentibus perpetuoque tenore, et perpetua continentia ejus, scriptura omnibus ex partibus considerata, pertentata, perpensa. Et hoc si fecerit judex, plane ita judicabit, ubi essent mares, noluisse testatricem vocare feminas. Et male utuntur adversarii consilio Oltradi xxr. quod si legeris attente, invenies non pertinere ad hanc speciem, qua proponitur testator substituisse hæredibus suis, si eorum liberis, sed ad aliam speciem, qua scilicet proponitur tantum substituisse hæredibus suis, si decederent sine liberis, sine etiam nepotibus, aut pronepotibus, quæ utique expirat si filiis nepotes superstites fuerint, nec postea mortuis nepotibus sine liberis substitutioni locus esse potest, quoniam semel defecta condicio non resumitur, *l. Pater. §. ult. de cond. et demonst.* At in proposita specie non expirat. Itaque eæ duæ species sunt omnino diversæ, nec quod in una procedit, procedere etiam potest in alia. Illud quoque nobis in mentem venit, ut ab hæredibus testatricis potius bona debeant obvenire ad liberos eorum hæredum, sive mares, sive feminas, quam ad cognatos ex transverso, quam quis captionem ferat? De successione quæritur testatricis, et testatrici tam hæredes instituti, quam substituti sunt cognati a latere omnes. Quid mea si hæredibus institutis, hi sint partim descendentes, partim collaterales? Satis habeo, quod sint omnes si, de cujus bonis quæritur, fratrum vel sororum liberi. Nihil etiam moveor codicillo, quo utuntur: nam in eo Mariæ liberi substituti proponuntur, e quorum numero est Richardus, qui nunc his de bonis causam de integro agi desiderat justissimas causas adferens longi silentii.

CONSULTATIO LII

De Naturalibus liberis.

Quærebatur si quis non habens uxorem ex muliere libera, quam ipse vel alius loco ancillæ in operis habebat, filium procreavit, eumque ex rescripto principis suum, et legitimum fecerit, ex testamento quoque suo hæredem instituerit, cum nulli ei essent liberi justi, et legitimi, an is filius pro legitimo habeatur, et in hæreditate patris ex testamento potior sit filiis natis ex sorore patris. Et dici posset ex rescripto principis filios tantum naturales legitimos fieri posse, naturales autem esse ex concubinatu: hunc non esse ex concubinatu, sed ex stupro. Jure autem civili ex stupro susceptos nullo modo fieri legitimos posse. Sed ut *l. Stichum §. Si Stichus. de statulib.* scriptum est, Labeonis, et Ofilii sententiam rationem quidem habere, sed alio jure nos uti, ita dicam jure civili plerumque ita quidem se rem habere, sed alio jure nos uti, puta ut ex stupro concepti rescripto principis, et aliis modis, quibus suos, et legitimos filios fieri receptum est, sui, et legitimi fiant, cum et quandoque causa cognita adulterini eodem modo legitimi fiant. *C. Per venerabilem, qui filii sint legit.* in illo loco, *non naturalibus tantum sed adulterinis etiam dispensavit,* ut in specie *c. ex tenore, eod. tit.* invenio et jure civili ex causa quandoque e principe etiam filios incestos, legitimos fieri, *l. Qui in provincia. §. ult. de rit. nupt.* Quod si ei de quo agitur etiam objiciatur, non potuisse eum a principe natalibus restitui, et legitimum fieri non vocatis cognatis patris, qui læderentur natalibus restitutis filio illegitimo, quod optime probat *l. Nam ita. de adopt.* dicam hanc sententiam locum non esse: si pater testamentum fecerit, quia non nisi eo intestato defuncto cognatorum interfuit adhiberi se in restitutione natalium. In specie autem proposita pater testamentum fecit. Imo et in eo testamento filium illum, de quo quæritur, hæredem instituit, quo solo fretus filius, etiamsi pater vivus nullum impetrasset a principe rescriptum, ipse jus sui facile e principe adsequeretur, et obtineret ex *Nov. 74.* Ad hæc quæritur, an rescriptum principis, quo confirmatus est status filii, post infirmetur agnatione posthumi, vel posthumæ, nati ex uxore legitima. Et invenio donationem quidem rescindi posse agnatione posthumi, *l. Si unquam. C. de revoc. don.* Et testamentum,

l. 3. *de inj. rup.* Sed eon codicillos factos ab intestato, *l. pen. C. de ju. codic. l. 1. C. eod.* Item ne restitutionem natalium. Quia nec qui factus est legitimus per subsequentem atrimonium posi natis justis liberis, legitimus esse desinit, *l. Nuper. C. de natur. lib.* Et ut invitus nemo fit suus, et legitimus, *l. ult. de his, qui sunt sui, vel alien. jur.* ita nec invitus suus esse desinit, nec invitus emancipatur, *l. Jubemus. C. de emancip. lib. et Nov.* 89 Ergo nec agnatione posthumi, quem semel princeps suum, et legitimum fecit, legitimus esse desinit. Et ita Franciscus Ripa concludit ad *d. l. Si unquam.* et alii plerique interpretes. Sed rursus quæritur, hoc posito eon concesso, agnatione posthumi restitutionem natalium infirmari, ne ea convalescat mortuo posthumo, parente vivo. Et dico ipso jure non convalescere, sed cum valuerit ab initio, facile eam tuebitur prætor medio tempore defuncto posthumo, sicut et testamentum tuetur, quod ruperat agnatio posthumi si is vivo patre moriatur, *l. Posthumus de inju. rupt.* Ultimo quæritur, si a principe rescriptum impetratum sit nomine filii naturalis, et filius spurius sit, non naturalis, an ea eo possit jura sui, et legitimi filii sibi vindicare. Crediderim hodie posse, quod naturalis appellatione abutamur eamque porrigamus etiam ad eos, qui ex stupro nascuntur. Consuetudo cum omnium rerum, tum maxime verborum domina est, et ut in causa testamentorum, ita et in causa actionum quarumcumque ad verborum proprietatem non descendimus, cum eis abusive populus utitur, aut abusive usum esse apparet eum, qui verba concepit, l. *Non aliter.* §. *ult. de leg.* 3. *l. Cum de lanione.* §. *Optimum, de instr. vel instr. leg.*

CONSULTATIO LIII.

De Substitutionibus.

Pater filium testamento hæredem instituit, eique si sine vita fungeretur, per fideicommissum substituit posthumum marem, qui ex uxore nasceretur, et posthumo æque si sine liberis moreretur substituit Barbaram filiam suam. Non nato posthumo, ac postea mortuo filio sine liberis, quæritur an hæreditas pertineat ad filiam jure substitutionis fideicommissariæ. Et movet, quod nato posthumo quidam volunt interruptum esse ordinem substitutionis, quibus non ideo concedendum est, filiam a substitutione removeri: nam si directa substitutione substitutus substituto intelligitur substitutus instituto, *l. Cohæredi. in pr. de vulg. subst.* et fideicommissaria substitutione multo magis, in qua testatoris voluntas sola potissimum spectatur non rigor juris, *l. Hæredes* §. *Cum ita. ad Trebell.* Quæ voluntas utique hæc fuit non tantum, sicut expressit testator, ut nato posthumo, ac postea mortuo sine liberis, sed etiam ut posthumo non nato ie hæreditatem filia veniret: eadem ratione, quod si ie directa substitutione fit extensio secundi casus ad primum, id est pupillaris ad vulgarem, l. *Jam hoc jure. de vulg. substit.* Ita ut (quemadmodum in causa Curiana tractatum fuit, de qua M. Tullius, et Fab. Quintilianus) substitutus posthumo, qui nasceretur, postumo non nato, ex substitutione venire, et succedere posset, et multo magis eadem extensio recipienda est in fideicommissariis substitutionibus. In proposito igitur non est quod dubitemus, posthumo non nato, sive vivo, sive mortuo filio, qui hæres institutus est, certum esse cœperit posthumum non nasciturum, ad substitutionem admittere filiam, et secundum substitutionis gradum habere pro primo, deficiente primo, sicut perempto primo gradu institutionis dicitur testamentum capere exordium a secundo, *l. 3. §. ult. de lib. et post.*

CONSULTATIO LIV.

De Feudis.

Lucius Titius (in MS. cod. Franciscus Spinola) feudi, quod commune habuit cum alio, partem Ludovico filio suo majori natu in testamento prælegavit, simul et alia bona quædam ea lege nequid horum alienaret extra familiam, sed totum liberis gradu proximioribus, et his deficientibus, fratribus ætate majoribus conservaret. Itemque ea lege, ut ne quid amplius ex paternis, vel maternis bonis speraret, et fratribus in annos singulos certam summam daret. Post codicillis idem testator eidem Ludovico permisit, quæ acceperit prælegati jure vendere fratribus solis: defuncto testatore Ludovicus agnovit legatum, non multo post ab Impp. Ferdinando, et Maximiliano investitus est de feudo supra dicto, ita ut deinceps id alodii condicione, et jure teneret, ac posset alienare extra familiam. Ad hæc notandum est, feudum hujusmodi initio manasse ex concessione Ludovici Imp. nec ab eo tempore majores L. Titii unquam de eo feudo investitos fuisse, neque id recognovisse ad Imperatoribus, sed quasi proprium, et liberum optimo jure semper possedisse per annos fere cc. Hinc quæstiones oriuntur multæ. Ac primum quæretur an obligatio feudi tempore sublata sit. Et dicerem sublatam esse ex Constitutione Friderici, qui videtur idem jus dedisse Neapolitanis, quod ceteri, qui in orbe suo erant sequebantur, relata in *Constit. Neapol.* 3 *tit.* 38. Quæ dum ait, domino jus suum persequenti feudi nomine nihil obstare præscriptionem xxx annorum, satis indicat obstare xl. quia ubi illa cessat hæc non cessat, l. *Omnes. C. de præscr. xxx. ann.* Et multo magis obstare c. aut cc. annorum præscriptionem: nam quod dicitur in *l. 5. C. de operib. pub.* et *Nov.* 30. nullum temporis prolixitatem publico nocere, hoc dicitur tantum de locis publicis, veluti foro, circo, campo publico, æde sacra, quæ mores civitatum usibus privatis exemerunt. Alias enim jus publicum xl. annorum præscriptione tollitur *d. l. Omnes.* Item quod dicitur in *l. Compelt. C. eod.* est tantum de tributis aliisque pensitationibus publicis, quibus prædia nullo temporis spatio redduntur immunia, non de alio jure publico, principali, sive fiscali, non de jure feudi. Semper excipio, nisi alius mos aliave lex regionis, aut municipii fuerit. Item quæritur an L. Titius potuerit bonis quæ olim majores ab Imperatore Ludovico in feudum acceperant, condiciones eas in prælegando, quas apposuit apponere. Et consequens est, potuisse quasi bonis propriis, quandoquidem prolixitate temporis in jus proprium ea bona transierunt, et unusquisque propriæ rei legem dicit quam vult, *l. Cum dos. l. Ob res* §. 1. *de pact. dotal.* Sed etsi jus feudi Imperatori deperisse negaveris c. aut cc. annorum silentio, tamen verum est, non male vasallum testamento cavisse de feudo servando primogenitis quatenus ea re non fit deterior condicio feudi, nec interest quicquam domini eam legem feudo non imponi, si modo primogeniti idonei feudo obtinendo fuerint, quod semper intelligitur, *l. Ut gradatim* §. 1. *de muner. et hon.* et plerumque, id est, commune vasallorum votum, ut feuda primogenitis obveniant, erga quos pietas major, quod nos hi doceat primum, vel posteros nostros nomine patrum, ut Iphigenia dixit patri apud Euripidem, πρώτη σε ἐκάλεσα πατέρα καὶ σύ παῖδ' ἐμέ, id est, prima te patrem vocavi, et tu me filiam. Et de ea Lucretius: *Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat, quod patrio princeps donarat nomine regem.* Et merito Æschines reprehendit Demosthenem, quod filiam πρώτην αὐτὸν πατέρα προσειποῦσαν, id est, quæ cum prima patrem appellasset, non eluxisset, in oratione contra Ctesiphontem. Porro cum hoc senserit Imp. qui feudum primus concessit, ut ad liberos ejus cui concessit feudum transiret, non videtur ei ademisse electionem primogeniti. Imo ut qui vetat hæredem alienare extra familiam, hæredi non aufert electionem, *l. Unum ex familia.* §. *Sed si fundum de leg.* 2. *l. Filiusfam.* §. *Cum pater. de leg.* 1. *l. Pater filium. ad leg. Fal.* ut item, quæ vetus lex vetat lucra nuptialia mulierem alienare exteris; mulieri non aufert electionem cui liberorum ea relinquat, *l. 3. l. Generaliter.* §. *Dividendi. C. de sec. nup.* Ita princeps, qui cui feudum concedit familiæque ejus, non videtur ei abstulisse facultatem eligendi, cui potius ex familia sua a se feudum obveniret. Rursus quæritur an investituræ factæ in personam suam potestate fretus Ludovicus ea bona alienare possit extra familiam. Et respondeo non posse, ne faciat contra voluntatem, ne contra providentiam defuncti, qui ea bona in familia servari voluit: non potuisset quidem is legem dicere, ne alienarentur simpliciter: Sed cum adjecerit, ne alienarentur extra familiam, ea lex utique servanda est quasi fideicommisso familiæ relicto, *l. Filiusfam.* §. *Divi de leg.* 1. nec infirmari potest alio rescripto aliove investitura Imperatoria *l. Si testamentum. C. de testam.* licet nec contractus cujusquam via infirmari rescripto potest, *l. 5. C. de revoc. don. l. 9. C. de don. ante nupt. l. 3. C. de resc. vend.* Imo indignus videtur judicio defuncti, qui id egit, ut everteret fideicommissum, ut non pareret judicio defuncti, id est, quem non dispuduit ab Imperatore investituram petere, cujus remedio eluderet judicium defuncti, *l. Si patroni* §. *Sed nec illud D. ad Trebell.* et hoc si contenderis, facile viceris, et facilius si omnino intenderis impiendam esse voluntatem defuncti, implendas condiciones adscriptas fideicommisso. Alioquin filius fideicommissi persecutionem esse. Ea tantum in parte nolo servari voluntatem defuncti, qua de bonis maternis cavit, ut eis se abstineret Ludovicus, quia alienæ rei, vel alienæ successioni non potuit legem dicere, *l. Cum pater* §. *Mando. D. de leg.* 2. *l. ult. de suis, et legit. hær.* Ex his satis dirimentur quæcunque circa speciem propositam in consultationem quæstiones deductæ sunt.

CONSULTATIO LV.

De Testamento holografo.

Andreas testamento priore Claudium fratrem suum hæredem instituit, et substituit Petrum alterum fratrem suum, et eidem Petro quædam legata reliquit quæ et codicillis ad testamentum factis ampliavit: post aliud testamentum fecit holographum, id est totum scriptum, subscriptum, signatumque manu sigilloque suo, quo eundem Claudium hæredem instituit, Petro autem minus legavit, quam priore testamento, et codicillis, et quod se omni jure in eo cavit valere velle, nec tamen ullos testes adhibuit in eo, etiamsi extrema parte testamenti scripsisset, se adhibiturum. Petrus desiderat sibi præstari legata ex priori testamento, Claudius constituit ea tantum deberi, quæ relicta sunt ex posteriore. Quæritur ex quo testamento legata peti possunt. Dicebam posterius testamentum cum imperfectum sit, sine dubio nullum esse: non rumpi igitur prius, §. *Ex eo. Instit. quib. mod. test. inf.* et licet verum sit posteriore testamento non jure facto rumpi prius jure perfectum, si in posteriore sint instituti qui ab intestato venire possunt, *l. 2. D. de inj. rup. et irr. test.* hoc tamen non aliter procedit quam si postori invenerint quinque testes, *l. Hac consultissima* §. *Si quis autem. C. de testam.* Nam sive posterius pro codicillo, sive pro donatione causa mortis acceperis, in utraque dispositione exiguntur quinque testes, l. *ult. C. de codicill. l. ult. C. de donat. causa mort.* Ac præterea posteriore unus tantum ex his institutus est, qui ab intestato venire poterant, non etiam alter, adeo ut constitui necesse sit, posteriore testamento prius non esse sublatum, maxime cum appareat testatorem ad posterius testes adhibere voluisse, *l. Si quis cum. D. qui testam. fac. poss.* qui et in nuda voluntate saltem tres exigerentur, *l. Sancimus. C. de testam.* Ex his efficitur, aut Claudium rem si velit deducere

ad causam intestati, effecturum ut Petrus ex æquo hæres sit ab intestato, cui si hæreditatem vindicet ex priore testamento, quam utique non potest vindicare ex posteriore, et legatis obligari priori testamento relictis, quæ si solvere detrectat, *ex Nov. de hæred. et Falc.* quasi indigno hæreditas auferenda est, et transferenda in fratrem, qui ei substitutus est. Et quod dicitur in Nov. Valentiniani, in holographo testamento testes non esse necessarios, *l. 2. de test.* hoc ita verum est, nisi testator testium præsentiam elegerit, quam utique elegisse eum ex eo apparet, quod signa testium quos post nominaret se adhibiturum scripserit. Et ita cum ea Novella cavisset etiam sine testibus valere testamentum holographum, recte subjicit: cum tamen testium præsentiam elegerit testator, legitimum numerum testium oportebit adhiberi: Etiam id contra Claudium omnino facit, quod non careat dolo, qui propter compendium ex primo testamento institutionem valere velit, et legata ex secundo non ex primo præstare, arg. *l. Juvenus. D. si quis om. caus. test.* Et pro Petro, quod est in *l. Si jure. de leg.* 3. ex posteriore testamento imperfecto fideicommissa, vel legata (ut promiscue loquimur hodie) non deberi, quod ita demum videtur testator a priore testamento recedere voluisse, si posterius valiturum esset. Et infirmari quidem legata nuda voluntate, *l. 3. §. ult. de adim. leg. l. Miles §. pen. de milit. testam.* Sed ne nudam quidem voluntatem esse, cui testes non sint adhibiti, quos adhibere defunctus voluit. (In MC. cod. additur) et ita censemus, qui hæc scribende dictavimus, et subscripsimus Valentiæ Cavarum iii. Non. Aug. MDLXXIII. Jacobus Cujacius Franciscus Rosidus.

CONSULTATIO LVI.

De adoptionibus, et de nobilitate.

Cum quæreretur, an ignobilis fieret nobilis, si adoptaretur a nobili, et alii assererent nobilem fieri alii negarent, et plerique omnes hanc in rem abuterentur juris allegationibus; dicebam, honorem et dignitatem separandam esse a condicione et stato hominis, ut *l. Falsa §. Sed si cui D. de condic. et demonst. §. Quibus Inst. de cap. diminut.*, condicione autem alios esse cives, alios peregrinos; adoptionem ex cive peregrinum, aut ex peregrino civem non facere. Imo nec civitatem mutare, sed adjicere, adeo ut adoptatus tam in patria sua, quam in patria adoptatoris munera civilia et honores obire cogatur, *l. 7. C. de adopt. l. 1. l. Ordine. §. ult. D. ad municip. l. Cives. C. de incol.* Rursus condicione alios esse libertinos, alios ingenuos. Adoptionem ex ingenuo libertinum, vel ex libertino ingenuum non facere, *l. ult. de stat. hom. l. ult. de adopt.* Sane ingenuum a libertino adoptatum nusquam inveni. Libertinus quandoque adoptatur a patrono ipso vel a patre naturali, causa probata, *d. l. ult. de adopt. l. 2. C. eod.*, et jura quidem ingenuitatis nanciscitur in familia adoptatoris, ingenuus non fit, *l. Sciendum. de rit. nupt.* Aliud esse habere honorem vel jura ingenuitatis, aliud ingenuum fieri, *l. 2. C. de jur. aur. ann.* Solus princeps libertinum ingenuum facit natalibus restituendo, quod et ipsum non potest facere invito patrono, *l. ult. de natal. restit.* sicut nec civitate eam Romana donare si Latinus sit, aut dediticiorum numero, ut ex epistola Plinii constat, quibus Harpocrati et propinquis Postbumi Marini a Trajano civitatem Romanam petit. Porro condicione alii sunt servi, alii liberi. Et adoptio hodie ex servo liberum facit, *§. ult. de adopt.* hoc favor libertatis extorsit. nec enim hic fuit legitimus modus dandis libertatibus, sed vindicta census, testamentum, et alii solemnes quidam. Alii sunt præterea sui juris, alii alieni juris et potestatis. Et sane adoptio eum qui sui juris est, redigit in potestatem, filium scilicet alienum, vel etiam filium ipsius adoptatoris emancipatum, *l. 12. de adop.* vel naturalem, *l. ult. de adopt. l. ult. de iis qui sunt sui vel al. jur.* quod tamen hodie non obtinet in naturali suscepto ex concubinatu, *l. Legem. C. de nat. lib. Nov. 74.* et 89. Et ex una familia transfert in aliam, ex uno nomine transfert in aliud, scilicet alterius familiæ nomen, *l. Qui liberis. §. 1. de bon. poss. sec. tab.* Atque ita adoptio gentem mutat, genus vero non mutat, *l. 1. § Cognationem. und. cogn.* Est enim genus a natura, et jus naturæ immutabile. Secundum quod nobilem ex ignobili adoptio facit, si gentem spectes, eum ut Ciceronem sociasse se Pisonum familiæ, ut se nobilitaret, Trebellius Pollio scribat in xix Tiranno; non si genus spectas, nisi id agatur specialiter adoptione facta apud principem arg. *l. Sed si hoc. §. Patronum. de in jus voc.* quia hæc nobilitas ducitur ex genere, ut galli dicunt, *la verge ennoblit*, vel ex beneficio principis et concessione feudi, cui et posteri aliquot longa serie successerint incubuerintque, in quod certum est ex libris feudorum non succedere adoptivos. Inventa tantum et comparata in hoc adoptio est proprie ut filium faciat, non ut civem ex peregrino, non ut civitatem mutet, non ut ingenuum vel liberum faciat, quanquam hodie admittamus per adoptionem liberum fieri, non ut nobilem. Et contra tamen ex nobili ignobilem per adoptionem fieri, ex patricio plebejum sua quemque sponte constat ex Orat. Ciceronis pro domo sua: mutare genus sua sponte, cum ex libero se sua sponte servum facere possit. Ex matrimonio patricii generis mulier quoque ultro si velit in plebem transit, ut de Virginia Livius scribit lib. x. nisi a principe donata sit ornamentis conjugii nobilioris, quod veteres Impp. affinibus suis detulisse, et his maxime quæ nobilitatem maritos non habuerant ne innobilitate manerent, Lampridius scribit in Heliogabalo. Plebeja autem genere mariti nobilitatur ex constitutione *l. Mulieres. C. de dignit.* quæ citra constitutionem illam non genere nobilitaretur, sed dignitate tantum augeretur, dignitatem enim separo a generis et sanguinis condicione, et aliter quam de ea supra constituerim, dico dignitatem per adoptionem acquiri vel augeri, sed non etiam minui, *l. In omni. l. Per adoptionem. de adopt. l. 7. de senator.* et si plebejus adoptatus sit a senatore, vel decurione, eadem dignitate, prærogativa, e privilegiis iisdem fruitur quibus filius naturalis senatoris, quamdiu in familia patris adoptivi manet. Atque ita particeps fit honoris paterni, eumque honorem propagat in liberos suos, *l. Liberos. de senator. l. Ex adoptivo. de adopt.* Quod si senator vel senatoris filius adoptetur a plebejo, non amittit dignitatem senatoris vel senatoris filii, *d. l. Per adoptionem.*

CONSULTATIO LVII.

De oblatione et depositione pecuniæ debitæ, et aliis articulis.

Lucius Titius creditor, cui debebantur salis modii tot ex causa emptionis, pecuniam sibi solvi cavit pro sale intra diem certum, et si non solveretur intra eam diem, salis sibi petitionem integram fore, promisso venditori eo quo tum pluris sal foret quam venditionis tempore. venditor intra eum diem absente creditore et creditore creditoris, cui scilicet L. Titius illud nomen cesserat, ad domum cessionarii facti procuratoris in rem suam, offert pecuniam testibus præsentibus, et deponit apud tabellionem, nec ulla tamen oblationis et depositionis habet acta quæ proferat: post diem cessionarius interpellat debitorem absentem ad domum, deinde absente cessionario, nec ullo domi procuratore relicto, debitor rursus offert eandem pecuniam per filium tabellionis jam mortui, apud quem pecuniam deposuerat. Et denuo reversus cessionarius, interpellato debitore per literas petit sibi sortem solvi, et id quod interest: debitor se soluturum promittit: sed litigat de æstimatione ejus quod interest: at ad extremum a L. Titio pecunia debita cessionario eidemque creditori suo soluta, lis a cessionario omnia translata est ad L. Titium. Quæritur, an debitor moram fecisse videatur. Et puto oblationem et depositionem debitoris non rite factam videri, tum quod debuerit offerri pecunia absente creditore non tabellione sed judice adito, ibique deponi ubi judex deponi jussisset, *l. Si creditrici. l. Si acceptam. C. de usur.* tum etiam quod importuno tempore obtulerit, et quasi captato tempore absentiæ creditoris vel cessionarii, qui nullum domi procuratorem reliquerat. Exigitur enim in oblatione temporis opportunitas *l. Si soluturus. de solut.* Ac præterea idem debitor postea conventus ut solveret, conventioni non paruit, ut debuit, *l. Debitor. D. de usur.* et vero, rescribendo se soluturum sortem et id quod interest, satis fatetur se fecisse moram oblationis ac depositionis defensionem omittens, quæ si rite facta esset, eum procuidubio liberaret præstatione ejus quod interest et sortis periculo omni *l. 1. in fi. de usur. l. Tutor pro pupillo. in fi. de admin. tut. l. Qui x. de sol. l. Stipulatus sum Damum. de verb. oblig.* Ad hæc quærebatur, si creditor vel cessionarius mandaverit creditori, ut vel pecuniam vel salem exolveret, an videatur renunciasse cautioni, qua integram sibi fore salis petitionem cavit, si pecunia ad diem non solveretur. Et respondi, non aliter ei renunciasse illum videri, quam si pecuniam, aut pecuniæ partem acceperit, ut in *l. de lege. § ult. de leg. commiss.* et glossa in *l. seq.* nec temere quacunque arrepta occasione, vel conjectura voluntatis ad fingendas renunciationes esse, *l. Naturaliter. §. Nihil commune. D. de acquir. poss. l. Qui familiæ. D. fam. erc. l. Nam ulique. de except.* Item quærebatur an ut probem non rite factam oblationem, et depositionem jure allegare possim non fuisse eam redactam in literas; et respondi, in oblatione testium præsentiam sufficere, *l. Si creditrici. C. de usur.* Et constitutionem regiam, quæ vult omnia negotia ex scripto transigi, ad contractus duntaxat pertinere, non etiam ad oblationes, et consignationes pecuniarum debitarum. Idem respondi quærenti an jure translata esset lis a cessionario L. Titium, jure translatam videri, quia proponitur L. Titius, quod cessionario debebat solvisse, *l. Quæ omnia. § ult. et l. seq. D. de procur.* ideoque nec cessionarii esse fraudi judicii translationem, nec quod a cessionario lis inchoata fuerit ex ejus persona ducere quicquam debitorem posse, quo magis se tueatur a salis præstatione, qui moram fecisse in pecuniæ præstatione, remque annuam longis frustrationibus traxisse, manifestissimus est. Idem quærenti an saltem L. Titium ex lege contractus debitori persolvere oporteret hyperocham id est, id quo tempore solutionis sal pretiosior est, quam fuerit tempore emptionis: respondi legem contractus esse servandam: nec tamen quod ad ea implenda nihil sententia judicis comprehensum fuerit, ideo minus ratam esse sententiam, qua debitor salem solvere damnatus est. Salvam enim esse reo petitionem hyperochæ ex lege contractus, argum. *l. ult. C. quand. provoc. non est nec.* Item quæsitum est an sit audiendus, qui damnatus est præstare salem, si per libellum petat æstimari salem, et offerat æstimationem, et respondi non esse audiendum, quia cum de eo controverteretur, pecunia an sal præstandus esset, judex ita pronunciavit, ne reus excederet carcere antequam salem ipsum præstitisset, nec defungi quamquam posse solutione æstimationis, qui præcise rem ipsam dare debet, nisi justam causam adferat cur utique rem ipsam præstare non possit, *l. ult. C. de fid. lib. l. Si dominus. § Qui confitetur.* et *§. seq. de leg.* 1. *§. Perficiuntur. Instit. de donat.* nec obstare constitutionem regiam de fructibus æstimandis, quoniam sales, qui petiti sunt pro re principali accipiuntur, nec sunt accessionis vice, ut fundi fructus. Quia

et fructus omnes ei petiti intelliguntur, pro corpore haberi principaliter in judicium deducto, non pro accessione, adeo ut et eorum usuræ veniant officio judicis, quæ non venirent si accessionis locum obtinerent, l. *Hæred.* §. *ult. de petit. hæred.* Postremo quæsitum est, an si L. Titius post rem judicatam cum adversario nondum carcere liberato transegerit, non teneatur adversarius ex ea transactione: si carceris tædio, antequam transigeret, seorsim protestatus sit se non ex animo transacturum. Et dixi hoc jure nos uti, ut eum relevet protestatio, ex Accursii sententia in *l. Qui aliena.* §. *ult. de acquir. hæred.* Et hoc amplius post rem judicatam, a qua appellari non potest, pactum nisi donationis causa interponatur, et insinuetur, servari non oportere, *l. Et post rem.* l. *Post rem. de transact.*

CONSULTATIO LVIII.

An substitui possit filio in bonis, quæ ex donatione capit facta in nuptiis contrahendis inter patrem, et matrem.

Tabulis nuptialibus donavit vir bona quædam uni ex filiis, qui ex eo matrimonio nasceretur, quem ipse elegerit, et susceptis liberis, moriens, testamento majorem natu hæredem instituit, eique per fideicommissum substituit alterum filium. Dubitatur de fideicommisso an valeat, quod institutus filius pro electo habeatur, *l. Si quis pr oris.* §. *Certum. C. de sec. nupt. l. Unum ex familia.* §. *Si duos. de leg.* 2. et electo tabulis nuptialibus donatum videatur inter vivos. Non possit autem a donatario inter vivos fideicommissum relinqui, *l. Cum qui decedens.* §. *Pater, de leg.* 3. quia eorum tantum fidei committere quis potest, ad quos morte ejus pervenit aliquid, *l.* 1. §. *pen. de leg.* 3. Dicebam, non esse donationem inter vivos, quæ facta est ei, qui in rebus humanis nondum esset: ut quamvis filio nondum concepto donari possit exemplo institutionis; *l. Placet. D. de lib. et post.* tamen effectum donatio non habet antequam nascatur, et eligatur filius, vel, ut proponitur, hæres instituatur a patre. Quæ electio, vel institutio cum vires accipiat ex morte patris, consequens est recte ab eo fideicommissum relinqui, sicut si vivus maritus donaverit uxori, quia ex SC. donatio confirmatur morte mariti *l.* 1. §. 1. *de lot. præleg.* ideo comparatur fideicommisso, et ex ea deducitur Falcidia *l. Cum hic status.* §. 1. *de donat. int. vir. et uxor. l.* 12. *C. ad leg. Falcid.* Et etiamsi nihil præterea morte mariti ceperit uxor, ejus fidei committi potest, ut res donatas alteri restituat, *l. Sequens. de leg.* 2. et igitur in proposito casu donatio confirmata testamento, et morte patris, fideicommissaria substitutione onerari potest. Idem hoc argumento comprobari potest, quod revocari, et adimi potest: *l. Quidam testamento.* §. *ult. de leg.* 1. potuit autem electo pater adimere bona, quæ in eum contulit titulo institutionis, mutato testamento, et altero filio hærede scripto. Ergo et per fideicommissum eadem filio bona adimere potuit: nec sane alia ratione a legitimo hærede fideicommissum relinqui potest, quam quod facto testamento defunctus ei potuerit adimere bona *l. Conficiuntur. D. de ju. cod.* Denique fratri substitutus per fideicommissum in specie proposita, deducta quarta, in cetera omnia bona veniet, quæ ad fratrem majorem natu ex institutione pervenerunt. Reliquis autem fratribus legitimam portionem deberi ex universitate bonorum, quæ morientis fuerint, in comperto est.

CONSULTATIO LIX.

De conventione adversa juri publico, et præscriptionibus.

Cum convenisset inter fratrem majorem natu, et minorem, ut quintam portionem, quæ ex more regionis debetur minori natu, æstimatam cc. annis minor natu teneret, haberet, possideret, quoad major natu oblata æstimatione cc. eam portionem ab eo redimeret, quod et cavit sibi posterisque suis licere cum ei videretur, et quæreretur an valeret ea conventio, dixi, non valere conventionem, quæ expugnet jus publicum, et portiones, quæ legibus, aut moribus deferuntur, nulla cautione onerari posse, *l. Si patronus. in prin. D. de donat.* quod obtinuit etiam in Falcidia debita hæredi extraneo ante Constitutionem Justiniani, *l. ult. C. ad l. Falcid.* ad quam inflexa videtur a Triboniano altera pars *d. l. Si patronus.* Et rursus si valet ea conventio, cum quæreretur, an jus redimendi portionem quintam excluderetur præscriptione c. annorum, dixi excludi etiam præscriptione XXX. annorum: huic enim peremptoriæ præscriptioni, et patronæ humani generis, ut Cassiodorus ait, subjici actiones, juraque omnia, et quæ leges quive mores præscriptionem tollunt, non intelligunt præscriptionem XXX. an. ut *l.* 1. *C. de bon. mat. l. ul. C. de stat. def.* et alia plerisque, ac multo minus c. annorum, cum et quæ legibus dicuntur actiones perpetuo competere, aut esse perpetuæ finiantur annis XXX. quam sententiam memini Andream Tiraquellum in suis libris, suis argumentis quantum poteat suo more confirmare: et præterea quam legem esse ille Belgico narrat, qui me consulit ne jus retractus tempore perimatur, id de eo jure est, quod lege competit agnatis: non de eo, quod ex conventione venit nec illo quoque puto Belgicam legem comprehendere immensum tempus, puta c. annorum. Et quod in conventione adjectum est: Cum videbitur, ea verba dico esse accipienda pro viri boni arbitrio. *l. Fideicommissaria.* 3. §. 1. *D. de fid. lib.* qui utique non admitteret post c. annos offerentem cc. aureos pro supradicta portione quota; quæ hodie, ut ille narrat, æstimatur mc.

CONSULTATIO LX.

De persecutione portionis debitæ liberis.

Quærebatur, an perpetua esset persecutio portionis debitæ liberis tam civili, quam naturali jure, vel potius debitæ naturali jure, ut ait *Nov.* 1. κατὰ φύσιν et taxatæ civili jure, vel lege Glicia. Dicebam non esse ejus portionis proditam specialem persecutionem, sed hoc tantum liberis exhæredatis, vel quibus minus legitima portione relictum est datum, ut agant de inofficioso testamento patris, quæ actio quinquennio finitur, *l. Contra. l. Si quis filium*, §. *ult. C. de inoffic. test. l.* 2. *C. in quib. cau. in int. rest. non est nec.* et jure novo quibus minus legitime relictum est, ut his competat actio supplementi, *l. Omnimodo. l. Si quando.* §. *Illud.* §. *Et generaliter. l. pen. C. de inoffic. test.* quæ cum successerit in locum quinquennalis actionis, id est, querelæ inofficiosi testamenti, et eam arbitror eodem tempore esse concludendam: et ita Bartolus quoque scribit: nam et olim ut dixi, cui minus portione debita relictum esset, dabatur querela inofficiosi testamenti. Et ita datur liberis querela inofficiosæ donationis, non tantum revocandæ, sed et supplendæ legitimæ portionis causa, intra quinquennium tantum, *l. ult. C. de inoffic. donat.* et ad exemplum ejus querela inofficiosæ dotis. Liberis autem præteritis, quæ datur bonor. possessio contra tab. annua est. Neque alias actiones invenio datas liberis legitimæ portionis, aut per causam ejus assis persequendi gratia. Sic igitur statuo, nullas eo nomine actiones esse perpetuas: Nam jus dicendi testamentum nullum, quod competit liberis suis præteritis, non est actio, sed ipso jure, quod est nullum, et perpetuo est nullum. Et si quid forte pater vendiderit in fraudem filii quo minus portio debita ad eum perveniret, filio persequendæ suæ portionis in emptorem quasi Fabiana, vel Calvisiana actio non competit: quia iniquum est patri, ut sit impedimento filius, præterquam si bona sua donet effuse, nec alienet, et administret ea libere: ut e contrario non est æquum filium emancipatum impediri a patre, *l.* 2. *D. si a par. manum. fuer.* et quia non est honestum coargui fraudem patris, ne post mortem quidem, cui tam mortuo, quam vivo debetur reverentia, *l. Apud.* §. *Adversus. D. de do. exc.* Et alia est ratio impuberis adrogati, cui datur quasi Fabiana, vel Calvisiana, si quid adrogator fecerit quo minus quarta Antoniana ad eum perveniret, *l. ult. D. si quid in fraud. pat.* quia defunctum patrem adoptivum non eadem memoria colere debet qua naturalem, cum neque vivum nisi tandiu quandiu duret adoptio, et jure potestatis magis, quam debito honoris, *l. Adoptivum. D. de in jus voc.* et servamus hoc quoque soli impuberi adrogato, non puberi datum esse. Quod si filio utilis Fabiana, vel Calvisiana competeret, in portionem legitimam faterer fore perpetuam exemplo patroni, *l.* 3. §. 1. *D. si quid in fraud. patr.* cui proprie in portionem legibus debitam competit actio Fabiana, vel Calvisiana adversus eum, cui libertus alienavit in fraudem patroni, non filio si alienaverit pater, non patri manumissori si alienaverit filius, *d. l.* 2. Dico, patri manumissori, quia non minus manumissio libertinum facit. Quæ fit a domino libertum facit, et non est iniquum libertino homini non esse liberam rerum suarum alienationem, qui pene habetur pro servo, et est Stoicis δοῦλος, non tamen οἰκέτης, ut ex Chrysippo Athenæus refert, et non jure quidem et mancipio servus, sed observantia, cultu, officio, operis, donis, muneribus, obsequio, portione legitima; quæ omnia patronis debentur. Quæ vero manumissio fit a patre, filii ingenui conditionem non mutat, et iniquum est ingenuo homini non esse liberam rerum suarum alienationem, *d. l.* 2. qui nec ut libertus ex jurejurando patris operas officiales debet, *l. pen. D. de obseq. par. præst.* Fateor, etiam filio hæredi instituto ex asse, Falcidiæ retentionem competere perpetuam petito legato post longum tempus, *l. Legis Falcidiæ.* §. 1 *pen.* §. *ult. D. ad leg. Falcid.* et soluto legato conditionem incerti, si id solverit per errorem, et similiter instituto ex parte Falcidiæ ejus partis, non etiamsi legitimæ portioni ejus partis Falcidia non sufficiat ejus supplendæ actionem ullam esse perpetuam.

JACOBI CUJACII J. C.

DE DIVERSIS TEMPORUM

PRÆSCRIPTIONIBUS, ET TERMINIS

ΠΡΑΓΜΑΤΕ Ι. Α.

Varia præscriptionum terminorumque genera recensere constitui, exemplum sequutus cum Latinorum Dyni, et Oldendorpii, tum Eustathii Græci antecessoris, qui ea de re libros conscripserunt: Latini hac inscriptione, De præscriptionibus, non satis considerate, cum plus polliceatur inscriptio, quam liber contineat. Inscriptio est, De exceptionibus: nihil enim aliud est præscriptio quam exceptio: hinc Tertulliani liber de præscriptionibus, id est, de exceptionibus, et defensionibus adversus hæreticos. Dicuntur etiam subscriptiones auctore Chariaio lib. 11. hinc lib. 51. βασιλικῶν tit. 5. καὶ ὑπογραφὰς ἐξέβαλλετο. Liber autem illorum est de una tantum præscriptionum specie, id est, de exceptionibus temporalibus. Eutana, non de præscriptionibus tantum, sed et de terminis. Terminum vero quod Græci προθεσμίαν quod determinationem Ulpian. *l. 15. § ult. de testam. milit.* quodque ita definiunt, προθεσμία, ἡ ῥητὴ καὶ τεταγμένη ἡμέρα εἴς τόδε τι, ἡ παρὰ ἰταλοῖς λέγεται τέρμινος, in libro, αἱ καταγραφόμεναι λέξεις ῥωμαϊκαι ἐν τοῖς νόμοις. Rectius in Pandectis, *De diversis temporalibus præscriptionibus, et de accessionibus possessionum.* Sic legendum, quod Græci confirmant, qui ita vertunt, περὶ διαφόρων προσκαίρων παραγραφῶν καὶ προσθήκεων κατοχῶν. Duo namque eo titulo tractantur, temporum exceptiones, et temporum conjunctiones sive continuationes, quæ accessiones dicuntur interruptionibus temporum contrariæ. Rectius item Eustathius ita suum librum inscripsit: περὶ χρονικῶν διαστημάτων ἀπὸ ῥοπῆς ἕως ἑκατὸν ἐτῶν, vel ut alii habent περὶ χρόνων καὶ προθεσμιῶν ἀπὸ ῥοπῆν ἕως ρ̄ ἐνιαυτῶν, quo etiam uberius diligentiusque quam Latini hac de re tractat, distinctione titulorum adhibita, ut et Dynus fecit. Ac primus quidem titulus est de momento: Alii sunt de horis, diebus, mensibus, annis, et postremus de tempore infinito.

CAP. I. *De momento.*

Momentum accipiunt juris auctores pro atomo, ut cum id, quod filiusfam. acquirit, scribunt ne momento quidem in ejus persona consistere, at confestim patri acquiri, *l. Placet. de acq. hær.* id est, ἐν ἀτόμῳ: Tertull. de resurrectione carnis, *Cum in atomo, in momentaneo oculi motu.* Hieron. ad Minervium. *In atomo, et in puncto temporis, et momento.* In articulo, *l. 2. C. de off. com. sac. pal.* et in No. Majoriani de bonis caducis, *ordinatis in articulo palatinis.* Accipiunt et momentum ἐν πλάτει pro latiore quodam temporis spatio, *l. pen. de cond. inst.* ubi mortis tempus, quod est momentarium, latius accipitur, et pro hora fere interdum, *l. 3. § Minorem. sup. de minor.* et ob id non male inter exempla momenti primo loco Græci proponunt *l. Ter enixa. inf. de verb. sign.* quæ eam quoque ter enixam videri ait, quæ uno fœtu tergeminos peperit: quod non fit ἐν ἀτόμῳ momento tamen fit, quæ res dubitationem faciebat, num videretur ter enixa, quæ momento ter esset enixa. Secundo aliud exemplum proponunt ex *l. 15. et 16. de sta. hom.* Ancilla testamento manumissa est sub condicione, si tres peperisset. Peperit unum, postea tergeminos, vel peperit duos primum, et postea geminos: vel etiam finge, cum nondum peperisset, uno partu peperit quatuor gemines, quartus liber nascetur quasi ea matre libera. Momentum breve temporis, quod intercedit inter tertium, et quartum partum, quarto largitur libertatem. Atqui, ut Athanasius adnotat, accidit aliquando ut inter unum, et alterum partum intercederent dies XL. *l. 3. si pars. hær. pet.* An igitur dies XL. accipiemus pro momento? Minime vero. id enim accidit ἐκ παραδόξου, et ideo considerationis nostræ non est. Similiter vero ut ostenditur in eadem l. 15. ancilla manumissa sub condicione, Si dederit Titio, vel hæredi x. liberum parit, si eo momento quo parit, per alium dederit x. quasi impleta condicione. Tertio illud de momento adnotant, quod proditum est edicto prætorio, et lege Julia de adulteriis, annorum XXV. tempus computari a momento in momentum, *l. 3. § Minorem. de minor. l. Si maritus. 15. § 1. et Julia. ad leg. Jul. de adult.* quod et in tempore personalium actionum locum habet, *l. 5. de obl. et act.* et in nuptiis auctore Justiniano ... C. et Leone Nov. LXXIV. Est vero ea computatio naturalis a momento ad momentum, vel a signo ad signum. Alia est civilis, quoties non a momento in momentum, sed a die in diem annus computatur, quod fit lege Ælia Sentia, cum quæritur de minore XX annis, et in XII. cum quæritur de usucapione, et in lege Julia et Papia cum quæritur de anniculo, *l. Anniculus. 134. inf. de verb. sign. l. 1. sup. de manum. l. In usucapionibus. sup. de usur. et usuc.* et in plerisque aliis causis. Aliquando annos a die statim computatur, ut si dixeris XIV annorum esse eum, qui nunc primum est ingressus annum XIV, qua de re in *l. Qui filium. § Fabius. sup. ad Trebell.* Quarto notandum de momento, eum etiam qui momento tantum possedit rem, quam bona fide emit a non domino, habere actionem Publicianam, *l. Cum sponsus § ult. de Publ. in rem. act.* Hæc actio datur bonæ fidei possessori, qui possessionem amisit nondum impleta usucapione. Servorum usucapio erat olim annua, et ideo Publiciana competebat de infante servo nondum anniculo, ut est scriptum in *d. l. Cum sponsus, § pen.* quod est certissimum vestigium juris antiqui: namque nondum anniculo, id est, nondum usucapto. Quinto ad momenti titulum pertinet etiam quæstio de pariter mortuis. Pariter enim sic accipitur: eodem momento: de qua in *l. Si in emptione § penult. de contr. empt. l. Qui duos. l. Quod de pariter de reb. dub.* Sexto notant, condiciones esse quasdam quæ ultimo moriendi momento impleri possunt, veluti si x. dederit, ideoque filius hæres institutus sub ea condicione, hæres extitisse videtur, si eo moriente alius ejus nomine dederit, *l. ult. de cond. instit. l. 5. de hær. inst. l. 15. sup. de stat. hom.* Septimo notant usumfructum patri non acquiri, si quis donaverit filiofa. servum ut statim eum manumittat: quia eodem momento acquiritur filio, et liber fit. Momentarius ususfructus non est ususfructus, *l. ult. § ult. C. de bon. quæ lib. acq.* Similiter si quis donaverit filiofam. sub condicione ut creditori solvat, et solverit, videtur a donatore eodem momento pecunia profecta ad creditorem, et fiunt nummi accipientis, nec quicquam acquiritur patri, *l. Sed et si paterfam. § 1. ad Maced.* Octavo, colonos inhærere glebæ, id est, agriculturæ, ut ne puncto quidem temporis longius abduci possint, *l. Colonos. C. de agric. et cens.* Punctum accipiunt pro momento. Quidam tamen alii differentiam faciunt inter puncta, momenta, horas, atomos. Nono, ad momentum pertinere putant, quod traditur in *l. Si filiusfam. ad Maced.* Si filiusfam. accepta mutua pecunia quasi mandato patris scribat ad patrem, ut eam solvat, pater debet continuo, si nomen improbat, interponere testationem contrariæ voluntatis. Continuo accipiunt pro momento, quo exemplo possent adjici innumera. Sed interdum Continuo sive confestim accipitur latius, veluti pro duabus horis, ut cum dicitur, vim vi esse confestim propellendam, quod est expressum lib. 18. Βασιλικῶν, ut notavimus v. Observationum. Interdum pro triduo, *l. ult. C. de serv. advoc. l. ult. C. de jud.* Præterea ideo Græci utuntur iis exemplis in quibus est Continuo, vel Pariter, quod libri Βασιλικῶν habeant ἐν ῥοπῇ, Potest et iis, quæ tradita sunt de momento adjici *l. Cum prætor. de div. reg. jur. l. In numerationibus. de solut. l. Continuus. in princ. de ver. obl. l. 3. § 1. Quod vi aut clam.* et alia complures, et quæ de momenti

interdicto sunt prodita, quod et πρὸς ῥοπὴν interdictum Græci appellant.

CAP. II. *De Hora.*

De hora hoc primum Eustathius tradit. Si alia hora pater sibi, alia filio impuberi testamentum, id est, pupillarem substitutionem fecerit adhibitis testibus quinque, valere pupillarem substitutionem, nec testamentum paternum rumpere, sine quo consistere non potest, *l. Si quis cum.* §. 1. *de vul. subst.* Dicit testibus quinque secundum *Nov. Leonis*: nam antea exigebantur testes VII deinde profert *l.* 2. *de ver. sign.* quæ exposita tabis definitione, postea majorem partem diei ait esse septem horarum primarum, non supremarum. Dies naturalis, id est lux constabat horis XII, quæcunque anni tempora. Nox item: quæ tamen augmentum, et diminutionem recipiebant augescente, vel decrescente die aut nocte, quod exposuit Aldus eleganter in Columellam. Cum igitur dies naturalis sit horarum XII media diei pars est horarum sex. Hora sexta meridies: et consequenter major diei pars horarum VII. Sed utrum primarum an supremarum? Sane primarum, vel quia recentes, et integri mane libentius homines dant se ad laborem, quam fessi jam post meridiem longis diebus, etiam locatore invito, his qui suas operas conduxerunt, acquiescere, et meridiari licet: quod receptum est. *arg. l. Medicus, de op. lib.* Vel potius, quia e a Romani litibus negotiisque gerendis potissimum vocabant. Referendam autem eam legem puto ad tribunum pl. et Prætorem suadente inscriptione, quibus extra urbem non erat jus abnoctandi, sicut præsidi jus non est abnoctandi extra provinciam, *l. Illud. D. offic. præs.* Abnoctasse videtur, si nulla parte noctis in urbe fuerit, non si majore parte, veluti horis octo. Major pars noctis est horarum octo, vel septem supremarum, quod paulo ante diem assurgere homines soleant. Diei autem, septem primarum, quibus si abfuerit Prætor vel Tribunus extra urbem, partem majorem diei abfuisse dicetur: et ob id diei, et urbis definitionem junxit, sicut in *l. Urbana. eod. tit.* urbanorum et pernoctationis. Est et dies civilis, sive Romanus a media nocte ad insequentem mediam noctem, qui constat horis XXIV. *l. More. De feriis:* qua ratione cum anni eorum, qui testamenta faciunt computentur a die ad diem, valere dicitur testamentum, quod fecit quis pridie natalis sui post mediam noctem, *l.* 5. *qui test. fac. pos.* In 12. tab. meridies, et solis ortus, vel occasus nominatur, veluti ante meridiem causam conjicito, etc. Horæ non nominantur auctore Censorino in lib. de die natali, ut in aliis postea legibus, veluti lege Julia de adulteriis, ut deprehensum adulterum quem nolit, aut non liceat occidere, retinere vir aut pater possit testandæ ejus rei gratia horis XX. *l. Capite. ad l. Jul. de adult.* quam XX. horarum præscriptionem primo loco posuit Dynus in suo libro de præscriptionibus, Græci posuerunt male sub tit. de duobus diebus

CAP. III. *De Die.*

Diem jam supra divisimus, horarum cujusque indicandarum causa, in naturalem, et civilem. Est et alia divisio dierum, utiles, et continuos, et sessionum. Utiles sunt, quibus experiundi juris sui potestas est *l.* 1. *de div. temp. præs.* quas vocant, ὡρισμένας, ea forma, qua et utilem actionem plerumque ὡρισμένην. Sessionum quas vocant Βηματικὰς, sunt quibus prætor, vel præses sedet pro tribunali, qui possunt non esse utiles, *l.* 2. §. 1. *si quis cautio in bo. poss. serv. l.* 5. §. *Satisfationis. ut in poss. leg.* Continui qui sint notum est. De die hoc primum tradunt. Itineri faciendo in singulos dies prætorem præscribere XX millia passuum ei, qui cavet judicio sisti præter eum diem quo cavet, et in quem sistere debet, *l.* 1. *si quis caut.* et in 1. Institutionum. *tit. de excus. tut.* Primum librum Institutionum, primam Institutionem vocant: secundum, secundam Institutionem, tertium tertiam Institutionem. Sic et Theophilus loquitur. Ea temporis præscriptio lege dari dicitur in *l. Si cui in provincia.* §. 1. *Ex quib. caus. maj.* Et ab Ausonio ad Theonem.

Millia bis nongenta jubet dementia legum
Adnumerata eros per tot obire dies.

Id est, per dies XC. Sic legendum esse apud Ausonium me docuit Pet. Pithœus vir eruditissimus. At in cautione Judicio sisti, sicut diximus, in die ponenda ea dimensio servatur. Die non posita, ejus definitio remittitur ad virum bonum, sicut fit in stipulatione Ephesi dari, *l. De die. Qui satisd. cog.* Ante diem moriente eo, qui sisti debuit, solvitur stipulatio, *l.* 4. *eod. tit.* Secundo sub eodem titulo de die notant, biduum interdum pro uno die computari ex *l.* 3. §. *minorem, de minor.* ut ideo et, qui natus est bissexto, priore, vel posteriore die diem natalem esse VI. Kal. Mar. anno ætatis XXV quo non intercalatur: quem complesse oportet, ut videatur major XXV. annorum. Sic et in aliis plerisque causis biduum illud pro uno die habetur, in usucapione, et in actione temporali, et in tempore constituto condemnatis, id est, in actione judicati, non tamen in lege commissoria, et ita recte accipit Hugolinus *l.* 2. *de diver. temp. præsc.* constituta differentia inter tempus legitimum, et conventionale: ita etiam Græci lib. 51. Βασιλικῶν tit. 3. Tertio notant, diebus dominicis præsides debere custodias invisere, et curare ut commentarienses eos tractent humaniter, eisque nisi suo vivant, præbeant alimonia, et lavacra, *l. Judices. C. de episc. audient.* Similiter constitutum est, ut episcopi visitent custodias κατὰ τετράδα, ἢ παρασκευήν, id est, Mercurii, vel Veneris diebus, sive servi sint sive liberi, eisque curent, et moneant præsides ea exequi, quæ legibus cauta sunt de custodia reorum: eis cessantibus, ut id deferant Imperatori. Ea constitutio fuit Græca, cujus pars desideratur in *l. C. de episc. aud.* Integra vero in *tit. de cust. reor.* Sententia extat lib. LX. Βασιλικῶν, quam inferius apponam commodiore loco. Partem, quæ est *l.* 22. *de epis. aud.* quam habeo, subjiciam. Αὐτοκράτωρ Ἰουστινιανὸς Μηνᾷ ἐπάρχῳ πραιτωρίων. Οὐ δεῖν ἐμβάλλεσθαι ἐν φυλακῇ δίχα προστάξεως τῶν κατὰ τὴν εὐδαίμονα ταύτην πόλιν, ἢ ἐν ἐπαρχίᾳ ἐνδόξων, ἢ περιβλέπτων, ἢ λαμπροτάτων ἀρχόντων, ἢ τῶν ἐν ταῖς πόλεσιν ἐκδίκων βουλόμεθα. ἐπὶ δὲ τῶν ἐμβληθέντων, ἢ ἐμβαλλομένων τοῖς θεοφιλεστάτοις τῶν τόπων ἐπισκόποις μίαν ἑκάστης ἑβδομάδος ἡμέραν τὴν τετράδα, ἢ τὴν παρασκευὴν τοῖς ἐν ταῖς φυλακαῖς διερευνᾶσθαι, καὶ σὺν ἀκριβείᾳ μανθάνειν τὰς τῶν αὐτῶν κατοχῆς αἰτίας καὶ εἴτε οἰκέται τυγχάνειν ὄντες, εἴτε ἐλεύθεροι, εἴτε ἐπὶ χρήμασιν, εἴ τε ἐπὶ ἄλλοις ἐγκλήμασιν, εἴ τε ἐπὶ φόνοις, ἐμβεβλημένοι παρασκευάζειν τοὺς ἐνδοξοτάτους, καὶ περιβλέπτους, καὶ λαμπροτάτους ἄρχοντας, ταύτης τε τῆς εὐδαίμονος πόλεως, καὶ τῶν ἐπαρχιῶν ἐκεῖνα πράττειν ἐπ' αὐτοῖς ἅπερ ἢ πρὸς τοὺς ἐνδοξοτάτους ἐπάρχους περὶ τούτου κατεπεμφθεῖσα θεία ἡμῶν διαγορεύει διάταξις ἡ θεσπιζομένης τοῖς κατὰ καιρὸν θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις εἴ τινα ῥᾳθυμίαν ἴδοιεν γινομένην παρὰ τῶν κατὰ καιρὸν ἐνδοξοτάτων καὶ μεγαλοπρεπεστάτων, καὶ λαμπροτάτων ἀρχόντων. ἢ παρὰ τῶν πειθομένων αὐτοῖς τάξεων ταύτην μηνύειν ὡς ἂν ἡ προσήκουσα κατὰ τῶν ῥᾳθυμούντων ἐνεχθείη κίνησις. Dat. XV. Kal. Febr. CP. Decio Cos. Τετράδα καὶ παρασκευὴν interpretatus sum Mercurii, et Veneris recte Petrus Alexandriæ. can. 15, Τετράδα γὰρ καὶ παρασκευὴν νηστεύειν. τὴν μὲν διὰ τὸ κατὰ τοῦ Χριστοῦ τῆς προδοσίας συμβούλιον, τῇ δὲ παρασκευῇ διὰ τὸ σωτήριον πάθος. Quarto notant, die Sabbati Judæos non esse conveniendos, nullaque munera personalia, nullas angarias ab eis exigendas, *l.* 2. *C. de Judæis.* Quinto, ut dies Paschæ, et dies Natalis Domini, et Epiphaniarum, qui et τῶν φώτων dicitur, sint feriati ex *l. Omnes.* 7. *C. de feriis.* Idemque constituitur in diebus natalitiis urbium, qualia fuere Parilia Romæ. Feriatos dies Græci vocant ἀπράκτους et ἀργὰς ἡμέρας. Sexto, ut is, qui in diem debet, non nisi præterito eo die conveniatur, §. *Omnis Instit. de verb. obl.* Idemque esse in anno, et mense, *l.* 27. et 42. *de verb. obl.* Septimo, ut si eadem die duobus eadem res pignori obligetur, non sit alter altero potior, sed singulis in solidum res sit obligata pro quantitate debiti, *l. Si fundus.* §. *pen. de pig.* Horæ potiorem creditorem non faciunt. Sic *l.* 6. *in princip. de excus. tut.* Ultimo, ut si quis ipso die latæ sententiæ appellaverit inter acta viva voce, hoc sufficiat etiamsi libellum non dederit, *l.* 5. §. *ult. de appel.* Itemque eodem die judicem consequentia, quæ desunt sententiæ supplere posse, ut si expensarum condemnationem, vel remissionem omiserit. Sententiæ tenorem ne eo quidem ipso die mutare posse, *l. Paulus l. Cum quærebatur. de re judic.* quæ duo tantum exempla Dynus de die proposuit. Adjecit et aliud Oldendorpius ex *l. Divus, de in int. rest.* Contumaciam purgari, si quis post condemnationem eo ipso die sedentem Prætorem pro tribunali adierit. Est et aliud in *l. Unius.* §. *pen. D. de quæst. l.* 1. *de aq. quot. et æst.*

CAP. IV. *De Biduo.*

Ex Nov. XXV primum notandum est, præsidem biduo antequam provinciam ingrediatur, debere decessori suo amice scribere, ut sibi officia mittat obviam: qui et inde annonas publicas desinet capere. Item conditionem ita datam Illud facito in diebus, nullo alio adjecto, in biduo impleri debere, *l. Inter illam.* §. *ult. de ver. sign.* Item ex *l.* 1. *C. de erog. mil. an.* militibus expeditionis tempore biduo buccellatum, uno die panem dari oportere, biduo carnem vervecinam, uno die lardum. Item ex *l.* 1. *C. de tract. et stat.* iis quibus dantur tractoriæ, id est, diplomata cursus publici causa, non esse jus stativa habendi, id est, ullo loco considendi ultra biduum. Item ex *l. Ædiles.* 38. §. *Vendendi. de ædil. ed.* quod solum solus Dynus notabit sub tempus venditionis ornata jumenta videri, quæ biduo ante venditionem ornata visa sunt. Sed pessime eum §. interpretatus. Lex ait emptori dari actionem ex empto, qua petat sibi tradi jumenta uti optime ornata fuerant vendendi causa, videlicet et in ipsa venditione ornata fuerint: nec enim de ornamentis agit, si biduo ante venditionem fuerint ornata, non in venditione ipsa. Hæc est ejus §. sententia. Dynus nescio quid adversi fingit, emptorem venditori opponere exceptionem bidui: quinimo opponet eam potius venditor emptori ornamenta petenti. Sed fortasse Dyni liber corruptus est, ut sunt omnes omnium doctorum, ita fuere semper negligentius descripti, et excusi. Id etiam de biduo adjici potest, libello fieri appellationem intra biduum in propria causa, in aliena intra triduum ab die sententiæ, *l.* 1. §. *Biduum. quan. appel. l. Eos.* §. *Sin autem. C. de appel.* quod Græci prætermiserunt: credo quia id Justiniani Nov. 23 abrogavit

CAP. V. *De Tribus, et de quinque diebus*

Interdictum de glande legenda competit, ut tertio quoque die glandem legere liceat, quæ ex mea arbore decidit in tuum fundum, *l.* 1 *de glan. leg. l. Julianus.* §. *Glans. ad exhib.* Errorem advocati reum posse corrigere intra triduum, *l. ult. C. de err. adv.* Eum, qui recusavit judicem, intra triduum arbitrum eligere debere, *l. ult. C. de judic.* His perperam Dynus subjecit præscriptionem dierum quinque, quam dicit obstare ei, qui alium judicio sisti promisit, si eum sistat post dies quinque, ex *l. Et si post tres, si quis caut.* Non loquitur ea lex de quinque diebus potius, quam de pluribus, vel paucioribus. Ait enim, *Et si post tres, aut quinque pluresve dies.* Non loquitur de eo, qui alium sisti promisit, qui generaliter evitat pœnam sistendo post

diem ex *l. Sancimus. C. de fidejuss.* sed de eo, qui se ipsum sisti promisit, qui mora purgata non pœnam, sed quanti ea res est, evitat. Præterea tantum abest, ut repellat venientem post quinque dies, ut post plures dies venientem etiam admittat, si modo jus actoris ex mora deterius factum non sit: quo de re diximus in l. *Si insulam. D. verb. obligat.* De diebus tamen quinque si quis exemplum requirat, est in l. 1. *C. de tract. et stat.*

CAP. VI. *De septem, et novem diebus.*

Id imprimis cavetur *l. 1. C. de venation. ferar.* ut feræ quas duces ad principem transmittunt, septem diebus dentaxat resideant, et sistantur in singulis civitatibus. Equis præscribuntur dies quinque in l. 1. *C. de tract. et. stat.* Septem dies, qui præcedunt quinque sequuntur diem Paschæ, esse feriatos ex l. *Ut in die. C. de feriis*: quod Georgius in Chronographia, quia editus est perperam titulo Annalium Constantinopoleos, Constantino tribuit. De novem diebus hoc recte notatur ex *Novel.* 115. post mortem debitoris novem diebus cessare exactionem creditorum, nec nisi post novem dies a morte debitoris aperiri eos posse cum heredibus, qua tamen ex re temporalis eorum actio in periculum non cadet. Novem illis diebus lugeri defunctum. Refertur etiam in *Nov.* 133. in nonum diem fieri μνήμας defunctorum: quod ex paganis sumptum esse iis verbis August. declarat in quæstionibus super Genesim *Nescio utrum inveniatur alicui Sanctorum in scripturis celebratum esse luctum IX. dies. quod apud Latinos Novendial appellant. Unde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui Christianorum istum in mortuis suis numerum servant, qui magis est in Gentilium consuetudine.* Donatus in Phormione: *In nuptiis septimus dies instaurationem vota habet, ut in funere nonus dies, quo parentalia concluduntur.*

CAP. VII. *De diebus decem.*

Hoc primum notant, tria edicta proponi in contumacem in singula intermisso spatio x. dierum, *l.* 69 *de judic. l. Properandum. §. Et si quidem. C. eod.* l. *ult. C. de delat.* At *Nov.* 112. cuique edicto tribuit spatium xxx. dierum. Secundo constitutum factum esse diem in decimum diem collatum videri, *l. Promissor.* 21. §. 1. *de const. pec.* que de re diximus in *l.* 41. *de verb. oblig.* Tertium pertinet ad appellationum lapsus, quorum extremus dies olim fatalis erat, pro quo Justinianus præscripsit decem dies, *l. ult. §. Et cum autem. C. de tem. et rep. appel.* Quarto notandum, sententiam arbitri editi sine compromisso confirmari silentio x. dierum, id est, nisi intra decem dies litigatores testentur se ejus sententiæ non stare. *l. pen. C. de rec. arb.* Similiter a sententia judicis appellandum est intra dies x. sive propria sit sive aliena causa, *Nov.* 23. sublato veteri jure de biduo, et triduo, de quo diximus sup. et in *Nov.* 123. ut is, qui coram episcopo litigat cum clerico, monacho, vel ascetria, a sententia episcopi appellet præsidem intra dies x. et ut a præside iterum non appellatur, si pronuntiaverit injusta appellatum esse, vel contra, ut appellatur. Sexto ex *Nov.* 53 si reus vocatus extra suum territorium jussu principis, vel præfecti prætorio caveat judicio sisti, et pareat cautioni, actor vero non compareat, expectari acturum x. diebus, postea reum absolvi, et instantiam consumi, actorem expensarum nomine condemnari, et incidere in pœnam. Septimo, a ista sententia intra dies decem præfecto prætorio offerendum esse libellum retractandæ litis causa: qui tamen res non remoratur executionem, si modo victor satisdato caveat de restituenda re sententia rescissa. *Nov.* 119. Libellus ille appellatur διδασκαλικόν, et in *Nov.* 22. διδασκαλία, Gallice, *Requeste civile, et proposition d'erreur*, inter quæ tamen differentia est quædam. Hæc omnia Dynus prætermisit, et proponit illud tantum de appellatione intra decem dies exponenda. et aliud ex *l. Quod si nolit. §. Si quid. de ædil. edic.* summo errore, quandoquidem in eo non de x. sed de LX. diebus agitur. Non debuit etiam Oldendorpius quasi pertinentem ad causam decem dierum adferre *l. Rerum mixtura. §. 1. de usurp. et usucap.* quæ quod de decem diebus, obiter et exempli tantum causa dicit.

CAP. VIII. *De* XV. *diebus.*

Ut in pecuniariis causis testes evocati xv. tantum dies cogantur permanere in judicio, *l. pen. C. de testib.* Ut xv. Paschæ diebus cesset omnis debitorum publicorum, et privatorum exactio, l. *Omnes. l. Actus. C. de Feriis.*

CAP. IX. *De diebus.* XX.

Quod proponunt initio est ex illa Constitutione Græca, quæ desideratur in *tit. de custod. reor.* de qua diximus cap. 3. cujus integram sententiam proponam hoc loco. Ut in urbe regia nemo conjiciatur in carcerem sine jussu majorum judicum, nec in provinciis sine jussu præsidum, vel locorum defensorum. Notandum quod de defensoribus ait habere eos præhensionem, *l. 5. C. de defen. civit.* curiosi, stationarii curagendarii non item, *l. 1. C. de curiosis*, l. 1. *C. de cohortal.* Nunciationem hi tamen habent. Item ut episcopi diebus Mercurii, et Veneris invisant reos, et exquirant causam custodiæ. Si servi fuerint, et curent intra dies xx. a magistratibus noxios castigari, innoxios domino reddi, vel domino non apparente, absolvi. Liberos autem homines ex causa civili conjectos in carcerem, fidejussoribus datis vinculis liberari. Si fidejussores non inveniant, post dies xx. solutos carceribus committi juratoria cautione, ita tamen, ut si litem deseruerint jure suo cadant. In causa criminali ita distinguendum esse: Aut capitale est crimen, aut non capitale. Si non capitale, custodiam datis fidejussoribus, vel eis non inventis, post sex menses exire e carcere. Si capitale, reum delatum a publicis personis, veluti curiosis, aut stationariis, non committi fidejussoribus, sed post sex menses carcere laxari. Delatio fit ab eis sine inscriptione, calumniantes tamen talioni subjiciuntur. Delatum a privatis personis cum inscriptione, fidejussoribus datis, vel eis non inventis, post annum carcere laxari. Sed si præsumptio adversus eum faciat, manere eum in vinculis quoad res judicata sit, ac ne fidejussoribus quidem committi. Re judicata protinus pœnam exigi, sive corporalem, sive pecuniariam, ita tamen, ut si pecuniaria sit, liceat ei bonis cedere. In extremo statuit pœna x. librarum auri in præsides, et officia eorum nisi constituta servaverint, et episcopis dat facultatem eo nomine præsides interpellandi, et eorum negligentiam deferendi ad principem. Secundo notant ex *Nov.* περὶ παραγγελμάτων, et *Nov.* 96. reum libello citatum non x. ut olim, sed xx. dies habere ad deliberandum, utrum cedere, aut contendere, vel judicem delum recusare velit, nec ante dies viginti cogendum eum contestari litem. Tertio ex *Nov.* 120. ei quando ob debita fiscalia necesse sit a domibus sacris prædia vendi, ut actor, sive œconomus ea per dies xx. proscriptum, et propositum habeat, et ea plus offerenti addicat. Quarto ex *l. 4. §. ult. C. ut omnes jud. tam civ. quam mil.* actionem civilem, vel criminalem, quæ in eum, qui magistratu aliquo functus est finito magistratu intenditur, intra dies xx. esse finiendam a lite contestata: Judicem qui intra dies xx. eam non finierit, multam subire x. librarum auri, et actionem perimi. Quinto ex l. *ult. C. de procur.* quæ tamen periit, quod esset Græca, ut aliæ omnes fere, notant. Si procuratoris fidejussor non se obligaverit ad certum tempus, et is decesserit intra dies xx. alium dari oportere. Sexto ex *l. 1. D. de fugit.* veniam dari susceptori servi fugitivi, si eum intra dies xx. magistratui, vel domino reddiderit. Auditur in extremo, productionem testium inter præsentes fieri debere intra dies xx. quod non puto extare in libris nostris. Et aliud *Nov.* 106.

CAP. X. *De diebus.* XXX.

Primum hoc est, priore accusatore mortuo, vel ex justa causa impedito lege Julia nomen rei aboleri, repeti tamen ab alio accusationem posse intra xxx. dies utiles; qua de re est *l. 3. § ult. de accusat.* l. *Aut privatim. ad Turpil.* Svetonius in *August. cap.* 32. Similiter publice data abolitione repetendi reo præfiniti sunt dies xxx. *d. l. Aut privatim.* Est et alia abolitio, quæ privatim datur accusatori a magistratu, post quam repeti reus non potest. Sed tamen ipsa petenda est intra dies xxx. ab instituta accusatione, ut constituitur in l. 3. *C. de abolit.* Secundum est, pupillo remitti pœnam commissi, si intra diem tricesimum vectigal intulerit, l. *Imp rabires. §. ult. D. de publ. et vect.* Commissum appellant τὸ κατασπιτευόμενον. Tertium, Contra apochas intra dies xxx. non solutæ, vel non datæ pecuniæ exceptionem opponi, non post dies xxx. Sed neque post dies xxx. ea de re jusjurandum deferri. Excipiuntur apochæ rerum depositarum, publicorum tributorum, et datæ dotis, quibus nunquam ea opponitur exceptio, *l. In contractibus. C. de non num. pec.* Apochæ nomine tria significantur, Professiones solutæ pecuniæ debitæ proprie. Item professiones pecuniæ datæ, ut dotis datæ, vel rei depositæ, quae vocant ὁμολογίας ἀποχαστικάς. Item acceptilationes. Quartum est ex Constitutione illa *de cust. reor.* cujus sententiam exposui *cap.* 9. post dies xxx. in causa pecuniaria custodiam dimitti præstita cautione juratoria. Quintum, ut interposita appellatione intra dies xxx, acta cum subscriptione judicis litigatoribus edantur, *l. Judicibus. C. de appel. Nov.* 126. At in *Nov.* 126. vult Justinianus ea edi sine ulla dilatione, frustratoria scilicet, ut in d. *l. C. de relat* et sic in *l. Eos §. ult. C. de app.* Apostolos dandos esse ait sine ulla dilatione, qui tamen intra xxx. dies dentur ex *d. l. Judicibus*, ut Græci interpretantur recte. Nam relationis verbo etiam Apostoli significantur, *l. Si appellationem. C. eod.* Sextum est ex *l. pen. et ult. C. qui milit. pos.* ut servorum dominium amittant ii, quibus ignorantibus servi militiam, vel dignitatem adepti sunt, si re cognita eos intra dies xxx. non revocaverint: quod tamen tempus servis, qui jam militabant præscribitur a die Constitutionis, non iis, qui postea militarint. quod et Latini, et Græci interpretes non animadverterunt. Videntur et alia in re Græci cæcutire. Certum est servum ingenuum fieri, qui sciente domino militavit, vel dignitatem adeptus est, *d. l. pen. et ult.* quod et Græca Constitutione *De jure patronatus* Justinianus expressit, quæ desideratur in titulo *de jure patron.* Adjiciunt Græci, idem esse in liberto, ut excidat jure patronatus, qui cum patitur esse militem, quod nusquam reperitur scriptum: et male interpretantur *l. ult. C. de libert. et eor. lib.* quæ libertos etiam militantes ait ob ingratitudinis causam in servitutem revocari. Si, inquit, militantes docebuntur ingrati. et ita in *l. 1. D. de Obs. par. præst.* etiam militibus pietatis rationem constare debere. At illi sic eam accipiunt, quasi hoc ipso, quod militant sint ingrati, atque adeo redigi in servitutem possunt: quod verum esse mihi persuadere non possum. Septimum est de tertio capite legis Aquiliæ, quo tanti damnatur is, qui damnum injuria dedit, quanti res in diebus xxx. proximis plurimi fuerit, *§ Capite. Instit. de leg. Aquil.* Est hoc caput legis de vulnerato, vel corrupto, et de occisis animalibus, quæ gregatim non pascuntur.

Octavum est ex *l. ult. de tut. et cur. dat.* ut si peregre agant tutores, vel curatores dati, id eis a magistratibus notum fiat intra dies xxx. ex rescripto D. Marci. Nonum est ex *l. ult. C. de jur. delib.* ut hæres ex quo scierit apertas tabulas, vel sibi delatam hæreditatem, intra dies xxx incipiat inventarium, siquidem velit ex inventario hæres esse. Decimum est ex *l. 2. C. de exhib. reis.* Reo exhibendo dari dies xxx. ad componendas res suas. Undecimum est ex *l. Si vindicari. C. de pœnis.* Damnato a principe irato dari justos dies xxx. de quo Observ. v. scripsimus. Duodecimum est ex *l. ult. C. de delator.* quæ est Constitutio Græca, bona fiscalia, quæ dicuntur ab alio possideri, et incertus sit, et ignotus eorum possessor, statim non occupari a fisco. Dies xxx. dari, intra quos de jure suo disceptat apud Comitem rerum privatarum possessor, qui sua interesse arbitratur: et ea de re edicta proponi jussu Comitis. Decimumtertium est ex *l. 4. de lib. agnos.* Post divortium intra dies xxx. continuos mulierem debere marito testato denuntiare, se ex eo esse prægnantem, ut custodes mittat: quod est ex S. C. Planciano xiv. est ex *l. ult. C. de exact. trib.* quæ est Græca, ut post canonicarium missum tributorum exigendorum causa, compulsor non mittatur, nisi post mensem a die quo solvi debuit. Compulsorem vocat ἐξπελατωρὸν: sed huic Constitutioni derogatur *Nov. 128.* Mensem accipimus pro triginta diebus, et e contrario, ut in *l. ult. C. de jure deliber. l. Ubi lex. De div. reg. jur.* nonaginta dies pro tribus mensibus, sexaginta pro duobus, et in *l. 3. §. ult. de suis. et legit. hær.* CLXXXII dies septimum mensem attingunt: et ita Hippocrates quodam loco CCLXX. dies pro novem mensibus accipit. Aliæ tres menses latius accipiantur pro diebus XCIII. *l. ult. C. de temp. appel.* XV. est ex *l. 5. C. de erog. mil. annon.* ut actuarii, qui Græce dicuntur ὑπομνηματοφύλακες, id est, actorum, sive commentariorum custodes, intra dies xxx tradant authentica pittacia. Secundum ea pittacia militibus fit erogatio annonarum, et ideo dicuntur pittacia τῶν ἀποτρόφων. XVI. est ex *Nov. 17.* Ne a præside λόγος ἀσυλίας detur ultra dies xxx. Id tempus Justinianus dicit esse modicum, sive σύμμετρον. ut et *l. 1. §. Hoc interdicto. De itin. actuque priv.* Λόγος ἀσυλίας, id est, ἀσυλία, ut in Nov. 128. et *edicto 2.* Gallice *Franchise.* Est et λόγος πίστεως sive πίστις in *Nov. 5.* et in *edicto de officialibus*, Gallice *Saufconduit.* XVII est id de quo dixi[?] cap. 7. edictis singulis quibus contumaces evocantur, hodie esse præscriptos dies xxx. XVIII. adjici potest ex XII tab. de diebus justis xxx. judicato faciendo, qui tamen sunt mutati in dies LX. postea in menses IV. Constitutione Justiniani. Erant et Romæ olim xxx. dies justi auctore Festo Pompejo, et Macrobio Theodosio, cum exercitus esset imperatus, et vexillum in arce positum. XIX. adjici potest ex *l. pen. C. de cust. reor.* Intra diem tricesimum Commentariensem semper debere numerum custodiarum, et qualitatem præsidi inculcare, quod lib. LX βασιλικῶν interpretantur non male, καθέκαστον ἡμέραν ἕως λ'. ἡμερῶν. Ultimo Græci hoc adjiciunt, quod unde sumpserint nescio, Καὶ αἱ διαβολαὶ τῶν μαρτύρων διὰ λ'. ἡμέρας προχωροῦσι, quibus verbis significari puto, exceptiones testium esse opponendas intra dies xxx.

CAP. XI. *De diebus.* XL.

Hoc tantum notant, ut diebus XL. ante diem magnum Paschæ cesset cognitio criminalium quæstionum ex *l. Quadragesima* et *l. Provinciarum. C. de feriis.* Excipitur latronum, et maxime Isaurorum quæstio: hi namque puniri etiam possunt ἐν τῇ ἁγίᾳ νηστείᾳ, inquiunt. Isauros ad eam legem Græci interpretantur ἅρπαγας φονεῖς καὶ δὶς χριστιανοὺς φονεῖν[?]. Apud Nicetam καυρσάριοι sunt piratæ: et ita vulgo hodie appellantur. Adjicit Oldendorpius ex Acc. in *l. Prægnantis. De pœnis*, mulierem ultimo supplicio damnatam plane utero gravido dilata executione, post partum servari dies LX. quod Accurs. tradit sine lege. Opus est maxime lege in temporum præscriptionibus. Et *l. 2. §. Si non propter ei quæ cum* nihil pro Accurs. facit. Exceptionem tantummodo dat ei, quæ post partum decubuit. At non omnes puerperæ decumbunt, vel non per dies XL.

CAP. XII. *De Diebus.* L.

Ut præsides finito magistratu, et adsessores, et domestici eorum L. dies in provincia commorentur actiones provincialium excepturi, *l. 1. Cod. ut omnes jud. tam civ. l. 3. C. de adses. Nov. 8. 95. 128. 161.* Ut tutores, et curatores ex quo scierint se tutores datos, intra dies L. continuos excusent se, *l. 13. D. de excus. tut. l. 6. C. eod.*

CAP. XIII. *De Diebus.* LX.

Primum hoc est, ut ex die divortii intra LX. dies utiles vir jure mariti adulterii accusare uxorem possit, *l. 6. C. ad l. Jul. de adult.* Cor. Tac. lib. 11. Sexaginta dies ad consultandum datos. Jure mariti, id est, ut præferatur ceteris et ut accuset sine inscriptione, *l. Quamvis. 30. C. eod.* Hoc quidem putant abrogari *Nov. 117.* quæ exigit a marito inscriptionem. Ex Græcis quidam dicunt sic intelligi eam posse, ut inscribat se maritus post dies LX. male: nam loquitur de marito, qui accusat uxorem adulterii constante matrimonio, quod olim non licebat, *l. Crimen. C. ad leg. Jul. de adult.* Ex ea Nov. licet. Dies autem illi LX. a soluto matrimonio numerantur. Puto illos rectius sentire, qui, et quod ad inscriptionem attinet, jus vetus ea Nov. abrogari tradunt. Hodie igitur non probans maritus incidet in talionem: hæc enim est inscriptionis conditio. Olim non subscribebat crimini, atque adeo non incidebat in talionem. Quod enim est scriptum in *l. Is cujus. §. 1. D. ad leg. Jul. de adult.* ad S. C. Turpillanum referendum est, id est, ad pœnam quinque librarum auri, *l. 3. §. ult. D. de prævaric. l. Abolitionem. C. ad leg. Jul. de adult.* non ad pœnam talionis. Secundum est, ut qui vult fisco opponere compensationem, intra duos menses probet sibi deberi id quod deducit in compensationem, alioquin non admittitur compensatio, *l. Auferetur. §. Qui compensatione. D. de jur. fisc.* Tertium est de actione redhibitoria, quæ diebus LX utilibus sive duobus mensibus concluditur certis ex causis, quod non præstantur cautiones ædilitiæ, *l. Si venditor. D. de ædil. edic.* quod convenit ut si res empta displiceret, redhiberetur certo tempore non expresso, *l. Quod si nolit. §. Si quid ita, eod.* quod jumentorum venditorum ornamenta non tradantur, *l. Ædiles. 2. eod. tit.* Alias redhibitoria actio sex mensibus utilibus concluditur. Quartum est ex *l. Tutor. §. Usuræ. D. de adm. tut.* Ut singulis annis duos menses habeat tutor immunes a præstandis usuris pupillaribus: hoc ei laxamentum datur exigendæ, et rursus occupandæ pecuniæ causa; atque ita usuras non præstat statim, id est, continuo, sed intermissis quoquo anno diebus LX. *Nov. 72.* Græci hoc ita accipiunt, quasi e suscepta administratione post menses duos usuris alligetur: male, cum huic rei præstituti sunt sex menses, *l. Si tutor. D. de admin. tut.* Quinto loco proponunt, quod est in *l. Ubi lex. de div. reg. jur.* Sed aliter ac sit in ea lege scriptum; nam in ea scriptum est, lege duorum mensium faciente mentionem, etiam sexagesimo primo die venientem audiri: quod videtur falsum. Eum enim, qui venit LXI. die, post duos menses venire certum est, quandoquidem mensem vulgo pro 30 diebus accipimus, ut dictum est supra *c. 10.* vel si latius accipiantur, ut in temporibus appellationum, cur non potius dicitur etiam LXII die venientem audiri? At Græci ita scribunt, ἐὰν δύο μῆνας εἴπῃ ὁ νόμος καὶ ἑξήκοντα ἡμέραι ἀντὶ τούτου προσδέχονται: quod valde probo: nam ita in *l. Pater. ad l. Jul. de adult.* traditur in diebus LX. et ipsum diem sexagesimum esse. Sextum est ex *l. Publicas.* et *l. Omnes. C. de fer.* Duos menses esse feriatos a forensib. negotiis, reservatos scilicet messis, ut est legendum in *d. l. Omnes. fervorib. mitigandis, et autumni fœtibus decerpendis.* hæ sunt messium, et vindemiarum feriæ, Minutius Felix in Octav. *Sane, et ad vindemiam feriæ judiciarium curam relaxaverant.* Cessabant etiam eis mensibus scholæ, ut Augustinus indicat 7. Conf. c. 2. Excipiuntur in *d. l. Publicas* causæ fiscales, quæ agi illis mensib. possunt. Excipiuntur et pistoriæ, id est, ut Græci interpretantur de mancipibus, περὶ μαγκίπων ἤτοι ἀρτοποιῶν: recte. Mancipes enim sunt curatores pistrinorum. Qui in *Nov. 80.* dicuntur προεστῶτες τῶν ἀρτοποιητικῶν ἐργαστηρίων, ab Harmenop. t. de dign. dicuntur mancipes; quod sumpsit ex lib. 6 βασιλικῶν t. 6. c. 1. et in *l. 1. D. quod cujusque univer.* pro *pistorum*; libri βασιλικῶν habent mancipium, ex quibus etiam didicimus ita esse in ea legendum, pistorum, et naviculariorum, et quorundam aliorum. Male autem quidam *l. Omnes.* accipiunt de mensibus quatuor, ex quibus fuit interpres Cod. Theodosiani ad *l. 2. d. feriis.* ubi etiam recenset legem quandam Theoderici regis, quam ad verbum quibusdam codicibus male a quibusdam posita est post *l. 4. de feriis*, cum nec libri veteres, nec Græci eam agnoscant. Damnavit eam Alc. lib. VI. παρέργων, sed cujus esset aut unde sumpta esset, nescivit. Septimum est ex *l. 3. C. de jur. emphyt.* ut emphyteuta si velit jus emphyteuseos vendere, id testato denuntiet principali domino, nolente domino emere, post duos menses id alteri jure distrahat, cogaturque dominus novum emphyteutam suscipere accepta pretii parte quinquagesima. Octavum est ex *l. In fraudem. §. Fiscalibus. D. de jur. fisc.* ut fiscalibus debitoribus petentibus dilationem, in majoribus summis non plus quam tres menses, in minoribus non plus quam duo prorogentur. Nonum est ex Constitut. Græca, quæ desideratur in fine *tit. de bon. pos.* Ut qui detinent bona damnatorum perduellionis, in urbe regia intra menses duos, in provincia intra octo ea deferant fisco, alioquin præter bonorum restitutionem in quadruplum damnantur. Decimum est ex *l. 2. C. de sec. nupt.* et *l. Non tantum. C. de legat.* parvum tempus, duorum mensium intelligi. Olim feminis præfiniti erant x. menses luctui peragendo. Ovid. 1. Fast.

Per totidem menses a funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Seneca de consolatione: *Majores decem mensium spatium lugentibus viros dederunt, ut cum pertinacia muliebri mœroris constitutione deciderent: non prohibuerunt luctus, sed finierunt.* Et ob id lege Julia Miscella intra annum nubenti remittebatur hæc conditio, Si iterum non nupserit, quia luctui nondum erat præfinitus annus, *Nov. 22.* Postea Teodosius adjecit duos menses, ut scilicet integrum annum lugeretur maritus, quos dum adjicit, parvum tempus se adjicere dicit in *d. l. 2.* Inde auctores, qui post Theodosium scripserunt, non de decem mensibus, sed de anno luctus loquuntur, et qui ante, eosdem accipiunt pro x. mensibus. Sidonius IV. Epist. *Si decessisset uxor, tribueret hæredibus annui luctus tempus immune.* Apulejus 8. *Si luctu legitimo miserrimæ feminæ necessarium concesseris tempus, quoad residuis mensibus spatium reliquum compleatur anni.* XI. est ex *l. ult. C. de fidei. lib.* ut servo legato ea condicione, ut manumittatur, post duos menses a lite contestata cum hærede legati nomine, servus ipso jure liber fiat. Similiter servus venditus ea lege, ut manumittatur non addito tempore, ipso jure liber fit intra menses duos, *l. ult. D. qui sine man. ad lib. perv.* XII. est ex *l. 1. C. de temp. appell.* ei qui ad honorem, vel munus publicum nominatur, duos menses dari exequendæ appellationis causa. Ad eam valde pertinet *l. 2. C. Th. de decur.* quæ significat mensem non accipi ex initio Kalendarum, sed

ex numero dierum, id est, ut 30. dies habeantur pro uno mense, atque ita duos menses feriarum accipi non est dubium. XIII est ex *l. pen. Cod. d. fidejuss.* fidejussorum sine scripto acceptum judicio sistendi causa non teneri ultra duos menses: nec enim præsumitur in longius tempus fidejussisse. Sine scripto videtur in privatis causis, etiamsi apud tabularium fidejubeat ὡς ἐν καταθέσει. At in publicis causis hæc testatio sive depositio pro scriptura est XIV. est ex lege Julia, quæ instituta accusatione adulterii, vetat servos manumitti, et alienari intra dies LX ne quæstioni subducantur, *l. 3 et ult. t. ad leg. Jul. de adult. l. Prospexit. D. qui et a quib. man.* XV. est ex *Nov.* 66. ut novellæ constitutiones post duos menses, quam insinuatæ fuerint, vim obtineant XVI est ex *Nov.* 82 ut si a judicibus datis appellentur qui dederunt, causa appellationis exerceatur, et peragatur intra menses duos, post quos tempora fatalia currant, nec post fatalia impetretur reparatio, *l. 3 C. Th. de rep. ap. l. 2 § Sin autem C. de temp. app.* XVII. ut criminalis causa, quæ movetur adversus clericos, apud Præsidem provinciæ intra duos menses finiatur, *Nov.* 83. XVIII. est ex *Nov.* 96. ut actor non ante possit libello reum convenire, quam satisdederit intra menses duos litem a se contestatum iri, vel omne damnum reo in duplum præstitum iri usque ad quantitatem aureorum 36. XIX adjici potest, LX dies ex 12. tab. debitores habitos in vinculis auctore Gel lib 20. c. 1 Adjiciendum item, Ab hærede inventarium, quod quidem jam diximus sup cap a inchoandum esse intra dies XXX absolvi debere intra dies LX *l. ult. Cod. de jur. delib.* Ita fit ut ad inchoandum, et perficiendum inventarium habeat hæres menses tres, quot dari etiam tutori ad conficiendum inventarium bonorum pupillarium Harmenopulus scripsit *lib 5 Epit. tit. 11 ex lib 35. βασιλικῶν tit. 11 et lib. 37 tit. 7.* Sed jam de tribus mensibus tractare proprio capite incipiamus. Addatur tamen aliud. *l. 1 C. de natur. lib*

CAP. XIV. *De Tribus mensibus*

Primum est ex *l. 1. C. de dilation.* Ut si dilatio petatur testium, vel instrumentorum ex eadem provincia exhibendorum causa, non plus quam tres menses prorogentur Potest etiam adjici, quod de dilatione trium mensium allatum est proximo capite sup ex *l. In frauden. §. Fiscalibus de jur. fisc* et de inventario conficiendo intra menses tres. Secundum, quod Eustathius proposuit est hujusmodi, scriptum hæredem posse intra menses tres renunciare hæreditati, non teneri creditoribus, etiamsi ante cognoverit se hæredem esse. Hoc tradit quasi renunciationi hæreditatis sive deliberationi sint præscripti tres menses, quod est falsum. Id sumit tamen ex *l. ult. C. de jur. del* in illo loco intra trium mensium spatium, quæ verba non ad renunciationem, sed ad confectionem inventarii referenda sunt, semper hoc pacto, si hæres intra trium mensium spatium, intra quos edere potuit ex inventario, hæreditati renunciet: ex quo illud etiam efficitur perperam illi loco opponi *l. Scimus. §. ult. C. de inoff. test.* Tertium est, litem nunciationis novi operis intra tres menses esse finiendam. *l. 1. C. de nov. oper nunc.* Post tres menses eum, cui nunciatum est novum opus impune ædificare, præstita cautione de opere restituendo. Similiter lis originis, sive de conditione curiali intra tres menses definienda est, *l. Generali C. decur.* Quartum est ex *Nov.* 100 ut soluto matrimonio post biennium intra decennium exceptio, vel querela non numeratæ dotis non nisi tres menses opponatur Quintum est ex *Nov.* 115. ut si unus ex litigatoribus post cognitionalia certamina renunciaverit suis allegationibus, quasi nullas præterea prolaturus, alter nolit renunciare, sed cunctetur, et moras trahat, diffidens causæ suæ, et fingens se alias quasdam habere allegationes quas sit prolaturus, eo nomine non plus quam tres menses ei prorogentur Solemne erat in dilationibus dandis trium mensium spatium Sextum est ex *Nov.* 123 ut si quod ex laicis eligatur episcopus, non ante ordinetur, quam tres menses clericus inter clericos fuerit, et ut accusatore ejus, qui ad episcopum electus est, absente, nec accusationem implente intra tres menses, rem mox definiat is, qui episcopum ordinaturus est. Dynus pleraque ex iis, quæ diximus de duobus, et tribus mensibus, adfert Sed valde depravatus est liber Dyni, et eadem sæpius quasi diversa in eo inculcantur, quædam etiam falsa. Addatur aliud ex *Nov* 119 *cap* 6

CAP. XV. *De c. diebus.*

Cognatis, et agnatis dari centum dies utiles ad bonorum possessionem petendam ex quo se vocatos scierunt, *l. 2. C. qui adm. l. 3. D. unde cog. l. 1. §. Si intra, D. de succ. edic* Similiter intra centum dies adeunda est hæreditas ex solemni lege testatoria, Titius hæres esto, cernitoque in diebus c proximis quibus scieris poterisque, Nisi ita creveris, exhæres esto, et in Frag. Ulp. t. 22. *t.* 22. *l. Si Titio §. 1. quan. dies leg. ced. l. 3. §. Et si hæres. de minor*, et ita diem aditionis accipere oportet in *l. Pamponius. de acquir. hæred. l. Regula. §. Si filiusfam de jur. et fac. ignor.* interdum lege definitur aditionis sive deliberationis tempus, ut in specie l. *Scimus. § ult. C. de inoff. test.* Si filius exhæredatus acturus sit de inofficioso testamento hærede adeunte: præcipitur namque hæredi, ne longior mora fiat exhæredato, inter præsentes, ut adeat intra sex menses, inter absentes intra annum. Alias vero a prætore aditionis sive deliberationis tempus datur, et quidem c. dies plerumque ad consultandum dantur. Possunt et plures. At ex Constitutione Justiniani certa sunt tempora, nec jam in arbitrio judicantium. A principe annus datur, a cetere novem menses, *l. ult. §. Sed quia. C. de ju. del.* Sed et olim sæpius, *l. 3. D. de jur. delib.* Ex ea Constitutione semel tantum datur dies ad deliberandum Est vero multo melius hodie ex inventario se pro hærede gerere: quam ex deliberatione: nam ex deliberatione hæres tenetur in solidum creditoribus hæreditariis, nec Falcidiæ beneficium habet. Ex inventario hæres tenetur pro viribus hæreditatis, et Falcidiæ beneficium habet. Verum contractiora sunt inventarii, quam deliberationis tempora inventarii sunt trium mensium. Deliberationis anni, vel novem mensium. Quid si ex deliberatione, et inventario se pro hærede gesserit? Quia ex deliberatione, tenetur in solidum creditoribus Quia ex inventario, Falcidiam salvam habet, *d. l. ult*

CAP XVI. *De Mensibus quatuor.*

Primum est ex oratione D. Marci, ut si unus ex sociis altero cessante communes ædes refecerit, repetat impensas pro parte cum usuris centesimis intra menses quatuor post quatuor menses, ut dominium ædium ei addicatur in solidum, et μονομερῶς, *l. Cum duobus. § Idem respondit. D. pro soc. l. 1. C. de ædif priv.* Secundum est ex *l. in consiliarios, C. de adsessor.* qua cavetur, ne quis in sua provincia præsidi adsideat ultra menses quatuor, *l. Hi qui. D ex quib caus. major.* quod constituitur, ne quid in eos gratiose, vel per calumniam admittat, auctore Paulo lib. 5 Sent. tit. 12. Tertium est ex *l. Quinquaginta, D de excus. tut.* Tutore nominato se excusante, a die nominationis intra menses quatuor continuos causam excusationis exequendam, et definiendam esse. Quartum est ex l. 2. et 3. *C. de usur. rei jud* Tempus faciendi judicati esse quatuor mensium, e quibus currunt usuræ centesimæ Quintum est ex *l ult. C. si pend. ap mors interv.* intra certa tempora appellandum, hodie intra dies x. ut diximus cap. 7. dato libello; nisi ipso die condemnationis reus viva voce appellaverit. Intra certa tempora edenda sunt acta, dandi Apostoli, puta intra dies 30 ut c. 10 Est etiam intra certa tempora exequenda, et agenda appellationis causa, de quibus dicam hoc loco. Pauci reperientur, quia ea perfecte noverint. Fuere olim duo lapsus, et post secundum reparatio ex rescripto principis, varia tempora pro varietate judicum, et causarum, nec in omnibus reparatio, ut ex Cod. Theod constat. Hodie sunt quatuor lapsus, et post quartum reparatio ex rescripto principis, nec tamen reparatio, nec tempora eadem semper. Reparatio duplex est, quæ Græce ἀνανέωσις: Legitima, ut post primum lapsum, reparatio prima: post secundum, id est, post primæ reparationis lapsum, secunda: post tertium tertia, post quartum, est reparatio ex rescripto, ex aula, non ipso jure Nunc finge, appellatione interposita ante primum lapsum, puta intra menses sex cum adhuc superessent menses duo, litigatorem vita decessisse, hæredi ejus non reliquum duntaxat temporis procedet, sed quatuor menses prorogabuntur ad agendam appellationem: qui non currant ex morte litigatoris, sed ex quo finitum erit tempus hæredi deliberandi causa datum. Hic est ejus legis sensus Itaque nihil ei obstat l. *Cum antiquioribus. C. de ju delib.* quæ non de tempore appellationis præstituto loquitur, an defuncto interim litigatore reliquum duntaxat tempus hæredi procedat, sed de tempore deliberationis, puta de anno, qui hodie petitur a solo principe ex *l. ult. eod. tit.* An hærede interim moriente, reliquum duntaxat tempus hæredi hæredis relinquatur: diversæ sunt quæstiones. Diversum item jus. Hæredi novo, novi quatuor menses prorogantur ad agendam appellationem Hæredi hæredis novo, nova deliberationis tempora non prorogantur Litis incertior est, quam hæreditatis causa: ideoque laxiora litibus agendis, quam hæreditatibus adeundis tempora præstituuntur Sed ut summatim exponamus, quæ sint tempora exercendæ appellationis: Si ad sacrum auditorium appellatur, ab spectabilibus vel a judicibus delegatis a principe, sex, vel tres menses tribuuntur pro diversitate provinciarum. Si ad ordinarios judices, a delegatis, sive pedaneis duo menses, ut et sup. diximus cap. 13. Post horum lapsum, datur mensis. Post primi hujus mensis lapsum, datur alter. Rursus post hunc, tertius Post tertii mensis lapsum, id est, post quatuor lapsus, intra menses tres reparatio ex rescripto datur, si a viris spectabilibus appellatum sit. Si a judicibus delegatis, reparatio non datur, et fit executio sententiæ statim post quartum lapsum, *d. l. 2. et ult. C. de repar. ap. Nov.* 126 *et* 82. Ad summas alias tempora exercendæ appellationis anno concluduntur, alias novem mensibus, alias quinque Uniuscujusque lapsus extremus dies erat fatalis, id est, eo agenda erat causa, non citeriore. Verum Justinianus decem dies fatales fecit, quinque ante lapsum, et alios quinque post lapsum, ut diximus cap. 7. qui ideo fatales verius dicuntur, quod eis disceptetur causa. Est in causarum disceptatione fatum aliquod, *l. 31. Cod. Th. de appellat.* et inde experiri de jure dicimus, id est, periculum facere. Dicuntur et temporales dies, *l. Præcipimus. C. de app. l. 2. C. de temp. appel. l. 63 C. Th. de app. l. ult. C. Th. de repar. app.* Hæc vero tempora sunt præscripta ad agendam, et introducendam appellationem. Causa autem appellationis inchoata, peragenda est intra annum, vel saltem biennium, *d l. ult. §. Illud etiam t de temp. app. Nov.* 49. *vel* 50. et 126. Sed de his satis. Sextum est ex *Nov.* 68. vel 69 procuratori, sive actori absente domino, ex cujus ædibus præsenti vicino fit injuria, si dominus sit in proxima provincia quatuor menses dari ad eum evocandum: quod congruit cum *l. 13. C. Th. de jure fisc. l. 31. C. Th. de app.* Septimum est ex *Nov.* 123 ut presbyteri, et diaconi, et hypodiaconi vocentur ad legitimam tutelam, vel curam, et gerant, si modo intra menses quatuor, ex quo se vocatos cognoverint, sua sua sponte suscipere se profiteantur, inviti nullam tutelam, vel curam suscipiunt, l. *Generaliter, C. de episcop. et cleric.* qua de re extat epistola quædam Cypriani ad clerum, et plebem Furni constitutam lib. 1. et *Nov. Leonis* 68. qua adjicitur, posse

tamen eos creari dispensatores, sive curatores testamentorum, qua de re dubitabatur propterea quod utrique ἐπίτροποι appellantur. Octavum est ex *Nov.* 124 ut si litigator nil oportet juraverit se nihil dedisse, vel promisisse, et intra menses quatuor a lata sententia perjurii convincentur, coerceatur pœnis tripli, vel dupli ea Constitutione comprehensis. Post quatuor menses tuebitur se præscriptione

CAP. XVII. *De mensibus quinque.*

De primo diximus superiore capite, tempore exercendæ appellationis, quoties a judicibus pedaneis appellatur, ad summam concludi mensibus quinque. Alterum est ex *l. ult. C. de privil. schol.* ut scholares quibus commeatus datus est, intra menses quinque civiliter conveniri nequeant. Scholares milites sunt, ut ad eum *tit. de priv. schol.* ostendimus. Sub hoc tit de quinque mensibus, Dynus falso posuit duo exempla, quorum unum est de tribus mensibus ex *l. 1. C. de dilat.* alterum de sex ex *l. Sciendum. §. ult. D. de ædil. ed.*

CAP. XVIII. *De mensibus sex.*

Primum hoc est, ut qui a peræquatore desertum agrum accepit, firmo jure cum teneat, reliqua prioris possessoris non solvat. Si supervenerit qui agrum vindicet dominii, aut hypothecæ jure, et evincat, meliorationis sumptus ab eo consequatur, si modo is veniat intra sex menses post addictionem agri. Venienti post sex menses, præscriptio obstat *l. ult. C. de censib. et censitor. l. Locorum. C. de omni agro deser.* II. est de actione redhibitoria, quæ sex mensibus utilibus concluditur, *l. Sciendum §. ult. D. de ædil. ed.* Excipiuntur casus expositi sup. cap. 13 III est de actione æstimatoria. Quanto minoris, quæ ex hac causa sex mensibus utilibus concluditur quod ædilitiæ cautiones non præstentur, *l. Si venditor. D. eod.* Alias anno utili concluditur. Quartum est ex *l. Si tutor. D. de admin. tut.* ut tutor a suscepta administratione intra sex menses occupet pecunias pupillares, cui opponitur *l. Tutor. § Usuræ. eod. tit.* quam exposui sup. cap 13 Quintum est ex *l. 1. C. ut omn. jud. tam civil.* Præsidem qui finito magistratum contra præcepta legum ante dies L. provincia excessit, reduci, et in provincia remanere per sex menses provincialium actiones excepturum. Ait Eustathius, Ἐὰν ὁ ἄρχων μὴ μείνῃ τὰς ν' ἡμέρας μετὰ τὴν διαδοχὴν ἐν τῷ θέματι. Manifestum est provinciam ab eo vocari θέμα; et ita Zonaras in Heraclio, ἐκ τῶν θεμάτων, id est, ex provinciis. Theodorus Hermopolites lib. vi. tit. 1 οἱ ϛελλόμενοι ἄρχοντες εἰς τὰς ἐπαρχίας ἄγουσιν εἰς τὰ θέματα: et alio loco: ὁ πραίτωρ θρᾴκης καὶ μακεδονίας δικαιοδοσίαν ἔχει κατὰ μόνων τῶν κατοικούντων ἐν τοῖς τοιούτοις θέμασι: itaque apud Harmenopolum lib. 1. tit. 4. et lib. 3. tit. 3 θεματικοὶ κριταὶ et θεματικοὶ ἄρχοντας male interpretantur delegatos, sive pedaneos. Interpretari oportuit, provinciales. Sextum est ex *Nov.* 5. ut ne ex monachis, vel clericis ordinetur episcopus, nisi sex menses in clero permanserit: quod mutatur *Nov.* 123 et pro sex mensibus tres constituuntur etiam in laicis. Septimum est ex *Nov.* 59. ut si œconomi ecclesiæ non solvant decaniis, et asceteriis consuetudines, sive sportulas, quæ illis pro elatione funerum erogari solent, ex mora sex mensium alligentur usuris trientibus: fiebant funerum elationes sumptibus ecclesiæ, non defunctorum, et non a clericis, sed ab asceteriis mulieribus, et acoluthis, et decanis. Ascetriæ psallebant quasi præficæ olim. Acoluthi juvenes deferebant funalia. Decani feretrum, sive lectum, qui et lecticarii et copiatæ vispelliones olim. Octavum est ex *l. Non tantum. D. de excus. tut.* Tres tutelæ excusant a quarta, nisi si qui ex iis quorum tutela geritur, vel defertur, proximi sint pubertati, ut quis semestre duntaxat tempus superexit. Nonum est ex *Nov.* 131 ut piorum legatorum fructus, et usuræ, et accessiones omnes a tempore mortis debeantur, si in eis præstandis hæres sex mensibus moratus sit. Reliquorum legatorum usuræ, et fructus ex tempore moræ debentur, si fuerint per damnationem, vel ex tempore aditionis, si per vindicationem, non ex tempore mortis, testatoris, *l. ult. C. de usur. lega.* Decimum est ex *Nov.* 123. ut si intra sex menses non eligant episcopum ii ad quos electio pertinet, jus eligendi devolvatur ad ordinatorem. Undecimum est ex *l. 1. C. de dilat.* ut si dilatio petatur instrumentorum, vel personarum exhibendarum causa, ex continenti provincia non plus quam sex menses prorogentur, si ex transmarina, non plus quam novem, si ex eadem, non plus quam tres. XII. est ex *l. Sancimus. C. de fidejus.* ut si quis fidejusserit reum judicio sisti intra diem certum adjecta pœna, puta intra sex, vel octo menses, ex die pœna statim non exigatur sed dentur fidejussori sex menses, intra quos sistendo reum evitet pœnam ipso jure commissam ex priore lapsu. XIII. est ex Constitutione Græca *De Cust. reor.* de qua diximus cap. 9. ut custodiæ certis casibus vinculis liberentur post sex menses. XIV. est ex *l. ult. C. de jur. fisc.* ut omnis causa fiscalis post litem contestatam finiatur intra menses sex, et ideo in *l. Properandum. C. de jud.* merito excipiuntur causæ fiscales. XV. ex Constitutione quadam Græca, quæ desideratur in tit. *De proc.* ut procuratore ad litem defuncto intra dies xx. domino peregre agenti in longinqua provincia detur sex menses, intra quos vel alium det procuratorem, vel ipse veniat. Sed si sit in proxima provincia, tempus arbitrio judicis constituetur, de qua dixi etiam aliquid *sup. cap.* 9. XVI. est de rescripto Antonini, quo cavetur, ut legatarii post sex menses, quam petere cœperint, etiam in res proprias hæredis inducantur, inde fructus percepturi quoad satisfiat, *l. 5. §. Imperator. D. ut in posses. legat. l. Certa. C. eod. tit.* XVII. est ex *l. ult. C. de commeatu*, ut scriniarius, vel magisterianus, vel palatinus, qui commeatum accepit, si supra commeatus diem sex mensibus abfuerit, quinque sequentibus postponatur. XVIII est ex *Nov.* 101. ut si cognatus non curialis velit ab intestato cognato curiali ex asse succedere, intra sex menses apud acta se curiæ offerat, alioquin dodrans curiæ debetur. XIX. addendus est casus, quo intra sex menses adeunda est hæreditas, ne fiat mora filio exhæredato, *l. penult. §. ult. C. de inoffic. testam.* de quo diximus cap. 15. XX. pertinet ad legem Æliam Sentiam, ut si minor xx. annis velit ancillam manumittere, hæc justa sit causa, si manumittat matrimonii causa, dummodo *intra sex menses* juret se eam ducturum, *l. Si collactaneus. § ult. D. de manum. vindic.* XXI. est, ut in adulterii crimen sex mensibus utilibus extinguatur, *l. 1. §. Accusationem. D. ad Turpil. l. Ob commissa. C. eod.* XXII. est ex *l. Si appellationem. C. de appel.* quod etiam c. xvi adjiciendum est. Ut si spectabiles, vel clarissimi judices oblatam appellationem non recipiant, nec dare Apostolos velint, hac de re querela proponatur intra annum, vel sex menses secundum distinctionem ejus legis. Si judices delegati nolint eam recipere, intra menses quatuor. Potest et aliud addi ex *l. Si legatum. D. op. pub.* et aliud ex *l. Obsistere. C. de an. et trib.*

CAP. XIX. *De* VII. VIII. IX. X. *mensibus.*

Septimo mense nasci partum perfectum, et legitimum, *l. Septimo. D. de statu homin.* quod Pythagoræo numero Paulus adscribit IV. Sententiarum tit. 8. et Censorinus De die natali. *Septimo*, inquit *partum jam esse maturum, eo quod in omnibus numeris septenarius plurimum possit.* Idem et alii innumeri. Sexto aut octavo perfectus non nascitur. Undecimo mense a morte mariti genitus non est legitimus ex *Nov.* 39 quod pugnat cum rescripto quodam Adriani, de quo Gellius *libro* 3. quod ita potest defendi, si edatur sub initium mensis XI. non sub finem. De mensibus octo unum exposuimus cap. 13. ex Constit. Græca de bonis proscriptorum. Alterum est ex *Nov.* 69. Procuratori cui lis movetur, ad dominum evocandum ex proxima provincia dari IV. menses, ex longiori sex, ex remotissimis octo, vel IX. cui adjungenda est etiam *l. C. de dilat.* et quod dictum est cap. 16. tempore appellationis exercendæ interdum concludi novem mensibus; et *cap.* 15 ad deliberandum novem menses dari a judicibus. De decem mensibus falso Dynus notavit ex *Nov.* 124. quod est de quatuor.

CAP. XX. *De Anno.*

Quod primo loco notant est de primo capite legis Aquiliæ; quo tenti reus damnatur, quanti res eo anno plurimi fuerit. Id caput est de occiso homine, vel quadrupede, quæ pecudum numero sit *Art lex. D. ad leg. Aquil.* Annum continuum intelligimus, qui constat ex CCCLXV. diebus continuis, *l. Ita vulneratus. §. Æstimatio. D. eod. l. Cum hæres. §. Stichus. D. de statulib. l. Anniculus. 134. C. de verb. sig.* Cicero de nat. deor. *Circuitus Solis orbium* V. *et* LX. *et* CCC *quarta fere diei parte addita, conversionem conficiunt annuam.* Sic lugendum Anniversarium annum satis nove dixere Impp. in *l. 4. C. de suscept.* vero utilem dicimus, qui constat ex CCCLXV. diebus utilibus; et ita in annalibus actionibus, quæ annua præscriptione excluduntur, semper annum accipimus. Enumerabo breviter hoc loco, quem secundum facio, omnes annales actiones. Actio de peculio post mortem, emancipationem, manumissionem alienationem ejus, qui in potestate nostra est, ut in tit. *quando de pec. act. an. est, l. 1. §. Si cum servo. si quid in fraud. pat. l. Si filiusfamil.* 11. *de tutel. et rat. dist. l. Pater* 17. *de cust. pec. l. Macedonianus. C. ad Maced. l. Et ancillarum. §. Si servus. D. de pecul.* quas male separatim, vel Dynus, vel Eustathius proponit quasi non idem sit continentur. Actio rescissoria usucapionis, *l. In honorariis. D. de obl. et act.* Actio Pauliana. Actio Quod judicii mutandi causa. Actio æstimatoria Quanto minoris, excepto uno casu, de quo c. 18. Interdictum unde vi. Interdictum, quod vi, aut clam. Et omnes prætoriæ pœnales excepto furti: velut actio in factum ex edicto, Si quis jus dicenti non obtemperaverit. Actio in duplum ex edicto De publicanis. Actio in factum ex edicto De in jus vocando, si in jus vocatus sit quem vocare non licebat. Actio in factum, quæ datur in eum, qui in jus vocatum vi exemit. Actio in factum, quæ in eum datur, per quem factum est quo minus quis in judicio sistat. Actio in factum, quæ in eum datur, qui rationes non edit, *l. ult. D. de eden.* quam et in eum competere Græci tradunt, qui non edit speciem actionis. Actio in quadruplum ex edicto de calumniatoribus. Actio depositi in duplum Quod tumultus, incendii, ruinæ, naufragii causa depositum sit. Actio rerum amotarum, vel corruptarum ex edicto, Si quis testamento liber esse jussus fuerit. Rerum amotarum appellavi cum Græcis in *l. Titia, §. pen. D. de man. testam.* et *l. 1. C. de noxal. act.* quod notandum: nam et in eo tit. *l. pen. et ult.* Jurisconsulti recte utuntur amovendi verbo; quod non fiat furtum proprie. Actio vi bonorum raptorum in quadruplum vel de turba in duplum. Actio in quadruplum ex tit. de incendio, rui. nauf. Actio quod metus causa in quadruplum. Actio injuriarum, *l. 5. C. de injur.* Interdictum ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est. Interdictum de tabulis exhibendis auctore Paulo IV. *Sent. tit.* 7. quod ibi ostendimus late. Et civiles quædam pœnales, veluti actio ex lege Julia repetundarum in hæredem ejus, qui repetundarum arguitur, etiamsi lis non sit contestata cum defuncto, *l. 2. D. ad leg. Jul. rep. l. 2. C. eod.* De eo, quod pervenit constabat esse perpetuam in hæredem. In reum repetundarum erit perpetua. Imo annua, *l. pen. C. eod.* Loquitur de Comite domorum in Cappadocia, qui erat sub Comite rerum privatarum. Sub eo procuratores, præpositi gynecio,

susceptores, tabularii, coloni. Hi fisco si non inferant pensiones, quod dicant sibi pecunias ereptas a Comite demorum, intra annum id probare, et pecunias repetere debent: quod si non fecerint, nihilominus conveniuntur a fisco. Puto tamen adversus Comitem repetitionem perseverare etiam post annum, et legem illam eo tantum spectare, ut ostendat eis ea ratione anni inducias dari. Item omnes actiones populares, *l. ult. D. de pop. act.* veluti de dejectis, et effusis, si liber homo occisus, vel si ei nocitum sit, Albi corrupti, Sepulcri violati, Apertarum tabularum ante quæstionem familiæ. Male excipit Accurs. interdictum, Ne quid in loco publico, quod est perpetuum. Nam non est omnino populare: quandoquidem non omnibus, sed ei tantum competit cujus interest. Populare tantum est ad aliquid, nempe quia ad publicam utilitatem pertinet, *l. 2 §. Hoc interdictum.* et § pen. *D. ne quid in loc. pub. l. 1. § ult. D. de via pub.* Male etiam excipit interdictum de libero homine exhibendo quod est perpetuum: nam id esse populare inficior. Patet quidem omnibus, sed non ideo statim populare, sicut crimina stellionatus, expilatæ hæreditatis, prævaricationis, suspecti tutoris, omnibus patent, non tamen ideo publica sunt prorsus. Pertinet etiam ad utilitatem publicam, quoniam tuetur civium libertatem. At non ideo populare nisi quid ex condemnatione in publicum redeat, ut ex illa De apertis tabulis ante quæstionem familiæ, cujus pœna aureorum c. partim actori, partim publico infertur. Idemque sentiendum de actione Albi corrupti in aureos D. et Sepulcri violati in aureos c. et De dejectis, et effusis in aureos L. ut et apud Frontinum 11. de aquæductibus in S. C. quodam: Si quis adversus ea commiserit, in singulas res in dena demnas esset, ex quibus pars dimidia præmium accusatori daretur, cujus opera maxime convictus esset qui adversus hoc S. C. commisisset, pars altera media in ærarium redigeretur. Iisdem rationibus collusionis judicum etiamsi admisero esse actionem, non tamen censebitur popularis: quia ex ea nihil in ærarium redit: quod tradidimus in notem glossæ oppositæ ad *d. l. ult. de pro. act.* Tertium est de testamento facto a milite jure militari, quod eo decedente intra annum missionis eodem jure valet, *l. Quod dicitur*, *D. de mil. test.* Post annum non valet jure militari. Quartum est ex Constit. Græca, quæ desideratur in *tit. de episc. et cler.* ut piorum legatorum actio ex inficiatione dupletur, videlicet si non solvantur intra annum, cujus fit mentio in *§ ult. Instit. de oblig. quæ quasi ex cont. nasc.* Quintum est de anno luctus, de quo diximus c. 13. Desideratur in eod. titulo *de episc. et cler.* Constitutio Græca, qua cavetur, ut si relicta uxore vir tondeatur, qua ex causa ea ætas concedebat matrimonii dissolutionem, ne mulier possit intra annum nubere impune, nisi pepererit intra annum: quod et divortio facto justa ex causa dicendum est, *l. Consensu. § Sancimus l. Si constante C. de repud. Nov.* 22. At viro mortuo idem non esse dicendum arbitror: nam et si pepererit intra annum, elugere virum debet, quia non tantum propter turbationem sanguinis luctus indicitur, sed et propter reverentiam mariti, nisi sit vir luctu indignus, *l. Liberorum. §. 1. D. de iis qui not. inf.* et ut est apud Harmenopulum lib. 4. tit. 6. post partum mulier ἐν τῷ πένθει alii non potest nubere, ἐν τῷ πενθίμῳ potest: πένθος est virorum luctu dignorum, πένθιμος indignorum. Sextum est ex *l. ult. C. de dote cau. et non. num.* ut soluto matrimonio, exceptio, vel querela non numeratæ dotis intra annum opponatur, quod ita procedere Justinianus in Novel. 100 constituit, si biennio tantum duraverit matrimonium: alioquin vel nullo modo opponitur, vel intra tres menses tantum, ut diximus cap. 14. Septimum est ex *l. 5. C. de cens. et censit.* ut qui se gravatum dicit a peræquatore, vel censitore, ea de re queri et agere possit intra annum, non post annum. Octavum est, ut qui intra annum non petunt tutorem impuberi, ejus successionem legitimam amittant si impubes decesserit, *l. 10. C. de leg. hær. l. 2. §. Si mater. D. ad Tertyl.* Nonum est de reis adnotatis, qui annum habent ad se purgandum, intra annum bona eorum obsignantur, post annum fisco vindicantur nisi venerint, *l. 1. et 2. D. de req. vel abs. dam.* Decimum est ex *Nov.* 123. Ut si servus clericus fiat ignorante domino jus habeat dominus eum revocandi intra annum. Militiam, vel dignitatem adeptus, perpetuo revocari potest: male enim vulgo interpretantur *l. pen. et ult. C. qui milit. non poss.* ut diximus cap. 10. Clericus non nisi intra annum. At ex *Nov.* Leonis 9. etiam perpetuo, atque ita D. Paulus Onesimum Philemonis servum remisit ad Philemonem: qua de re in Clementis c. 52. Et sic servus monachus cum ex eadem *Nov.* 123. non possit revocari nisi intra triennium, ex Leonis *Nov.* 10. perpetuo revocari potest. XI. est de bonorum possessione, quæ a liberis, et parentibus petenda est intra annum, non solum si suo nomine veniant directo, sed et si per servos hæredes scriptos, *l. 1. D. de suc. ed. l. Filii. in fin. D. ad S. C. Tertyl.* XII. est, ut magistratus, vel officialis, qui finita administratione pecuniam fiscalem penes se esse professus est, et retinet, intra annum tenetur tantum quasi debitor, fiscalis, post annum lege Julia de residuis, *l. Sacrilegi. §. ult. D. ad leg. Jul. pec.* XIII. est de causis criminalibus, quæ olim finiendæ erant intra annum: cujus juris vestigium est in *l. Reus. D. de mu. et hon.* ut Obs. 1. c. 6. ostendimus, et in *l. In S. C. § pen. D. ad Turp.* ubi hæc verba, *vel biennio*, Triboniani sunt, cujus princeps biennium causis criminalibus præscripsit. Merito igitur, ut ex *l. Reus.* continetur, intra annum reus delatus honores petere non potest. XIV. est ex *l. 2. C. de naufr.* ut navicularius, qui exportat publicas species intra annum probet naufragium, quod allegat: quod videtur pugnare cum *l. pen. ejusdem tit.* quæ biennium statuit. Solutio sumenda est ex *l. 2. C. Th. eod. tit.* quæ pro locorum intervallo annum aut biennium statuendum esse declarat. XV. est ex *Nov.* 1. Ut si hæres monitus sententiis judicis in exequenda voluntate defuncti annum moratus sit, hæreditatem amittat deducta portione legitima, si ex iis sit quibus portio legitima debetur: idemque est in legatariis, et fideicommissariis. Additur ex *Nov.* 131. ut si jusserit testator ξενῶνα fieri, intra annum extruatur, et perficiatur. XVI. est ex *Nov.* 123. et *Nov.* 6. Ut ne episcopi supra annum absint extra episcopem suam. XVII. est ex constitutione quadam Græca, quæ desideratur in *tit. de episcop. aud.* ut episcopos, et tres bonæ opinionis viri singulis annis inspiciant opera civitatis, et curent ea metiri, eorumque rationem sibi administratoribus reddi. Hæc tantum Græci. Addi plerasque possunt, ut quod diximus supra c. 15. 16. 18. annum ad deliberandum dari, et interdum intra annum adeundam hæreditatem, et interdum tempora appellationis exercendæ anno concludi. Cœptam item appellationis causam intra annum esse finiendam. Addi etiam potest ex *l. ult. C. de jur. delib.* Inventario faciendo esse præscriptum annum, si ab eo loco, in quo sunt bona hæreditaria, longe absit hæres, Præsenti tres menses dantur, ut diximus *cap.* 13. Item aliud ex *l. 1. §. Sin vero. C. de abs. tol.* eum qui ex libertate in servitutem vocatur juratoriæ cautioni committi, et ea præstita si annum abfuerit, in servitutem trahi. Item ex tit. *C. de rei uxor. act.* Dotem quæ in rebus mobilibus, aut moventibus consistit, intra annum esse reddendam. Item ex *l. 2. et 3. C. de commeatu.* ut miles qui supra commeatus diem annum abfuerit, decem sequentibus postponatur. Item qui Reip. causa abfuerunt, reversi habeant anni vacationem, *§. Item qui Reip. Inst. de exc. tut.* Item ex *Nov.* 112. ut post tria edicta, si intra annum non venerit contumax litigator, causa agatur μονομερῶς. Item ex *l. 6. C. de erog. mil. an. et l. pen. § pen. C. de præs. 30. an.* et *l. Quamvis. C. de decur.* alia quædam.

CAP. XXI. *De biennio.*

Primum, ut post annos liber esse jussus, post biennium liber fiat, *l. Libertas. § ult. D. de man. test.* Secundum, ut si biennio non apparuerit conductor, nec solverit pensiones, possit expelli, et invecta illataque eo absente adhibitis tabulariis describi, *l. Quæro. §. Inter. l. Cum domini. D. Loc.* Lex, *l. Cum domini.* est ex lib. de off. præf. vigil. quod casum ponit, quo impune horrea, et insulæ effringuntur, quam rem ne fiat temere pertinet ad curam præfecti vigilum, *l. 3. §. Effracturæ. D. de off. præf. vig.* Idem vero dicimus de emphyteuticario ecclesiastico, *Nov.* 120. Tertium est de causis criminalibus, ut finiantur intra biennium, *l. ult. C. ut intra cer. temp. crimin. quæst. ter.* excipiuntur aliquot casus, quorum unum exposuimus c. 19. alterum c. 13. Quartum est de actione de dolo, quæ ex Constantini lege biennio continuo concluditur, *l. ult. C. de dolo*, olim erat annalis. Quintum est ex *l. Si mulier perfecta. C. ad. S. C. Vellej.* mulierem quæ pro alio intercessit non juvari S. C. Vellejano, si post biennium denuo ejusdem rei nomine se obligaverit, vel satisdederit: idemque est in *Nov.* 61. quod si pro extraneo intercedat, locum habet, non si pro marito: nam et si sæpius intercedat pro marito, non tenetur *Nov.* 134. etiamsi post biennium iteretur obligatio, quod Græci notant. Sic pro extraneo intercedens ipso jure obligatur, pro marito non item. Pro extraneo intercedens non juvabatur ante S. C. Vellejanum. Pro marito intercedens adjuvabatur edictis quibusdam. Sextum est de exceptione non numeratæ pecuniæ, quæ biennio continuo extinguitur, *l. In contractibus. C. de non num. pec.* olim quinquennio. Alia sunt tempora exceptionis non numeratæ dotis. Septimum est ex *l. 2. C. de sponsal.* ut si sponsus præsens in eadem provincia intra biennium non exequatur nuptias, possit puella impune alii nubere. Absens expectatur triennium. *l. 2. C. de repud.* Octavum est ex *l. ult. C. de jur. dot.* ut promissor dotis post biennium præstet redditus, pensiones, et usuras trientes, quæ alias non solent venire ex stipulatione nisi in stipulatum deductæ sint, nec redditus nisi post litem contestatam. Nonum est ex *l. ult. C. de jur. dom. imp.* ut creditor, etiamsi nihil de eo convenerit, possit pignus distrahere biennio postquam debitori testato denunciaverit, vel judex pronunciaverit pecuniam solvi, et ut non invento emptore certis dilationibus, et denunciationibus observatis, tum a principe pignoris dominium creditori addicatur, ita tamen ut adhuc intra biennium id debitor soluta sorte, et usuris et damnis recipere possit. X. hoc est, Legatione functis biennii vacationem dari, *l. Filius. l. Paulus § 1. l. Vicarius. D. de legation. l. 3. C. eod. l. 2. C. de muner. et honor. non cont.* XI. est ex *Nov.* 134. ut uxorem ob adulterii crimen conjectam in monasterium maritus intra biennium reducere possit si velit: Olim si reduxisset, fiebat lenocinii reus. XII. et ex *l. 1. C. de sent. præf. præt.* ut contra sententiam præf. prætorio, postquam ei successum fuerit, intra biennium liceat principem supplicare per libellum. XIII. est ex *l. 7. C. de om. agr. des.* Eos qui prædia defecta ἄπορα suscipiunt, non nisi post biennium solemnem canonem fisco inferre. Cui addendum ex *l. 8. eod. tit.* et qui prædia deserta occupant ab eis ea dominus possit repetere intra biennium redditis meliorationibus: quod videtur pugnare cum *l. Locorum. eod. tit.* et *ult. C. de cens. et censitor.* de quibus supra cap. 18. Sed illæ de eo loquuntur, cui addicta sunt prædia a peræquatore. Lex autem 8. de eo qui occupavit, quod sic Græci: ὁ ἐρήμου ἀγροῦ ἐπιβὰς, ἐντὸς δύο ἐτῶν ἀναγκάζεται παρὰ τοῦ δεσπότου. XIV. est ex *l. ult. C. de bon. auct. jud. pos.* ut quibusdam creditoribus missis in possessionem, quibusdam non missis, admittantur etiam non missi intra biennium inter præsentes, vel intra quadriennium inter absentes. XV. est ex *l. 1. D. de term. moto*, ut qui in movendis terminis alii ministerium præbuit, biennio ad opus publicum detur. Addatur et quod de naufragio probando intra biennium diximus cap. superiore, et de causa appellationis peragenda intra biennium *cap.* 16. Item ex *Nov.* 15. ut defensor civitatis biennio id muneris administret. Itemque patronus fisci ex *l. Sancimus.* 12. et *l. Petitionem. l. Jubemus. C. de advoc. div. jud.* et pri-

micerios fabricæ, *l. 2. C. de fabricens.* et primicerios notariorum, *l. 2. C. de primic. et not.*, et alii *l. 1. C. de decur. l. 1. C. de domestic. l. Alexandrinus C. de decur. l. ult. C. de off. præf. urb.* Et aliud ex *l. ult. C. de commeatu.* Et aliud ex *l. 1. C. si quac. præd. potest.*

CAP. XXII. *De Triennio*

Primum est de usucapione rerum mobilium, quæ hodie triennio perficitur, *l. 1. C. de usuc. transform.* Adjiciunt etiam Græci servitutem aquæ triennio acquiri ex *l. 2. C. de serv. et aq.* videntur namque in ea legisse *mobilium*, sed forsitan rectius *immobilium*, ut scilicet servitutes comparentur rebus immobilibus, sicut et panes civiles, *Nov. 7.* Secundum est de emphyteuticario, ut excidat jure emphyteuseos, si triennio cessaverit in solvendo canone, *l. 2. C. de jur. emphyt.* De paganico loquimur; nam aliud esse in ecclesiastico capite superiore ostendimus. Tertium est ex *l. 1. C. de fideic.* ut si triennio solutum sit annuum legatum, in futurum etiam perpetuo debeatur, nisi probaverit hæres in triennium tantummodo id fuisse relictum. Constabat in ea specie relictum fuisse legatum. Sed de tempore dubitatur. Quartum est ex *l. 4. C. de vectig. et com.* ut locentur publica in triennium. Olim in quinquennium, ut Varro scribit iv. de Ling. Lat. Quintum ex *l. pen. C. de pat. pot.* ut filio jam trimo a patre petantur alimenta. Sextum est ex *l. 4. D. de incen. ruin. et nauf.* ut qui ex naufragio graviorem prædam appellerunt, liberi in triennium relegentur, vel ad opus publicum dentur. Retinent Græci ubique vocem Latinam πραῖδα, ut et in legibus Georgicis Justiniani, περὶ πραῖδας ζώων. Moscopulus περὶ χαδῶν πραῖδα ἢ γενομένη βλάβη ἐν ἀμπελῶσι καὶ ἀγροῖς καὶ τοιούτοις τισί. VII. est ex *l. Properandum, C. de judic.* lites civiles triennio esse finiendas: quod et Manuelis Comneni Nov. quadam confirmatum est. Excipiuntur casus plerique suis locis supra digesti. VIII. est ex *l. pen. C. de apochis pub.* ut qui proximo triennio prolatis apochis ostendit se publica tributa solvisse, præsumatur omni tempore solvisse. IX. ex *l. ult. C. de rep. hæred.* ut suus hæres major xxv. annis qui recusavit hæreditatem, rebus integris intra triennium possit ad eam reverti. Itemque minor post annos xxv. triennium habet. Decimum est ex *l. 1. C. de sent. adv. fis. lat. ret.* Res judicatas adversus fiscum intra triennium retractari. Undecimum est ex *Nov. 22.* solvi matrimonium si vir per triennium non fecerit τὰ τῆς φύσεως. Antea biennium, *l. In causis. C. de repud.* Addatur et quod cap. superiore dictum est de sponso, qui non exsequitur nuptias intra triennium, et cap. 20. de servo monacho revocando intra triennium. Et ex *l. 2. C. de mun. et hon. non cont.* ab honoribus ad alios honores triennii vocationem dari. Et ex *Nov. 123.* et aleatori triennio interdicatur sacro ministerio. Et aliud ex *l. Per hanc. C. de adv. div. jud.* cum, ex quo in *l. ult.* ejusdem tit. pro *biennium*, forte legendum, *triennium.* Et aliud ex *l. ult. C. de commeatu.* Adde *l. 9. §. 1. De ritu nupt.*

CAP. XXIII. *De quadriennio.*

Primum est de quadriennii præscriptione, quæ fisco datur, et adversus fiscum. Fisco, si alienaverit rem alienam, vel alii pignori obligatam et eo nomine conveniatur a domino, aut creditore pignoraticio, *l. 2. C. de quad. præsc.* Adversus fiscum, si post quadriennium vindicet bona quasi vacantia, quæ alius tenere cœpit, *l. 1. C. eod. tit. l. 1. §. Divus. D. de jur. fis. l. Intra. D. de div. temp. præscr.* II. est de restitutione in integrum. Hæc olim anno utili extinguebatur hodie quadriennio continuo, *l. ult. C. de temp. in integ. rest. l. ult. C. de rep. hær.* De restitutione in integrum loquimur, quæ fit cognitione prætoria, sive minori ex post annum ætatis xxv. sive majori concedatur. Itaque recte sentiunt Græci, venditionem rescindi officio prætoris secundum *l. 2. C. de resc. vend.* si supra dimidiam veri pretii fraus intervenerit, intra quadriennium duntaxat, atque ita in foro servari referunt. Imo et decreto Romani Lacapeni περὶ ὑπερδημαρχικοῦ ita definitum est. His potest de quadriennio adjici quod tradidimus supra *cap. 21.* ex *l. ult. C. de bon. auct. jud. pos.* Et aliud ex *l. 2. C. de commeatu.* Et aliud ex *l. Uxor. C. de repud.* quod tamen abrogatur *Nov. 117.*

CAP. XXIV. *De quinquennio.*

Primum est de querela inofficiosi testamenti, quæ quinquennio extinguitur *l. 2. C. in quib. cau. in integ. rest. nec non est.* Post quinquennium non potest agi querela, nisi ex magna, et justa causa, *l. Contra, C. de inoff. test.* Secundum est ex *l. ult. C. de post. et redemp. ab host.* redemptum ab hostibus, a redemptore teneri quasi pignoris jure, liberari solutione pretii, vel opere quinquennii. Tertium hoc est, divortio facto culpa mulieris, ante quinquennium non posse eam alii nubere, et interim subjici lege Juliæ ac si divortium factum non esset, *l. Consensu. §. Hæc nisi. C. de repud. Nov. 22.* quod secundum Novellas novissimas ita procedit, si culpa uxoris factum sit, ut repudium; sive ἀποστάσιον maritus mitteret, *Nov. 117.* nisi adulterii causa miserit; quo casu nec post quinquennium mulier alii nubere potest, sed conjicitur in monasterium. Quod si mulier ipsa sine causa repudium miserit, ex eadem *Nov.* etiam in monasterium conjicitur, nec ullo tempore potest alii nubere. Itaque abrogatur §. *Hæc nisi.* et *Nov. 22.* ea in parte. At si ex causa repudium mulier miserit, anno duntaxat nuptiis abstinebit *d. Nov. 117.* Imo nec anno integro si intra annum peperit, ut diximus *cap. 20.* In hujus rei tractatione corrupte apud Harmenopulum *lib. 4. Epit. tit. 7.* ita legitur, Εἰ δὲ ἡ γυνὴ τοῦ ἀνδρὸς ἀλόγως γαμηθῇ, legendum, εὐλόγως. Quid si vir repudium miserit an aliquanto tempore nuptiis abstinebit? Minime: sive ex causa id miserit, sive sine causa, *d. l. Consensu. §. Sin autem aliter. Nov. 117.* Verum hodie ex *Nov. 127.* et 134. communis est pœna viri, et uxoris repudio sine causa misso, nam ut vir ipse in monasterium conjicitur. Quartum hoc est, adulterii crimen quod ab extraneo, vel extraneo jure in masculum intenditur, quinquennio continuo extingui, *l. 1. §. Accus. D. ad Turpill. l. Miles. §. Adulterii. D. ad leg. Jul. de adult.* Idemque est in crimine peculatus, *l. 7. D. ad leg. Jul. pec.* et in accusatione contra S. C. Silanianum apertarum tabularum ejus, qui a familia occisus esse dicitur, *l. In cognitione. D. ad S. C. Silan.* Aliae crimina vicennio tolluntur. Quintum est, ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur; qua de re specialis est titulus. Est autem vetus S. C. Suetonius in Vespasiano: Vetuit inter cetera quæri de cujusquam defunctorum statu ultra certos annos. Similiter ex S. C. post manumissionem libertos intra quinquennium duntaxat potest proclamare ad libertatem, *l. 2.* et *D. si ing. esse jud.* quod abrogatur in *l. ult. C. ubi cau. stat.* Collusio item domini, et servi detegenda est intra quinquennium, *l. 2. D. de col. det.* Sextum est ex *l. pen. C. de propos. sac. cubic.* ut servum invito, vel ignorante domino factum principis cubicularium, dominus revocet intra quinquennium. Septimum est ex *l. 1. C. de contract. jud.* donationes collatas in magistratus urbanos, vel adsessores, vel domesticos eorum post successionem quinquennio confirmari intra quinquennium revocari posse. Octavum est ex *l. 4. §. 1. D. ad leg. Cor. de sica* in quinquennium relegari eum, qui causam mortis præbuerit per lasciviam: id est; κατὰ τρυφὴν καὶ παίγνιον. Similiter præses in quinquennium relegatur, qui in numerum advocatorum non Christianum recipit, *l. Nemo. C. de episc. aud.* et in alia specie *Nov. 112.* Nonum est ex *l. 2. C. de vect. et com.* Rem fisco commissam fiscum vindicantem repelli præscriptione quinquennii. Sed et ante quinquennium non aget utiliter, si res non existat, nec dolo supprimatur, ut si servus bona fide manumissus sit. Decimum est ex *l. 2. C. de apost.* ut Christianus, qui deserta Ecclesia transiit ad Græcos, id est, paganos, ut in Conciliis sæpe, vel Judæos, etiam post mortem accusari possit, quasi intestabilis intra quinquennium continuum. XI. est ex *Nov. 131.* ut si testator oratorium fieri jusserit, intra quinquennium perficiatur. XII est ex *l. 1. §. Quod dictum. D. de separat.* ultra quinquennium post aditionem hæreditatis creditores defuncti separationem non impetrare. XIII est ex *Nov. 100.* de exceptione non numeratæ dotis, quæ vel intra annum, vel intra tres menses opponitur, vel nullo modo, ut dictum est c. 14 et 20. Verum ab ea definitione excipiendus est maritus minor xxv annis cui a contracto matrimonio xii. anni dantur ad proponendam, et contestandam querelam non numeratæ dotis. Hæres item mariti annorum xxv. cui datur quinquennium, sive maritus minor fuerit, sive major. XIV est ex *l. ult. C. si major. fac. alien. rat. hab.* alienationem rerum minoris sine decreto factam confirmari quinquennio, si post xxv. annum ætatis intra quinquennium eam non revocaverit. Erant et olim quinquenni præscriptione tuti qui quid emerant a fisco, de qua in §. *ult. Instit. de usuc. l. ult. C. si adver. fis. l. Neque. C. de rest. mil.* et in *l. Th. tit. de quinq. præscr.* Hodie statim tuti sunt ex Constitutione Zenonis translatis actionibus in fiscum. Potest et iis aliud adjici ex *l. 2. C. de mun. et honor. non contin.* et aliud ex *l. ult. C. de adv. div. jud.* et aliud ex *Nov. 22.* ut maritus captus ab hostibus expectetur quinquennium: quod mutavit Leo *Nov. 33.* Et aliud ex *l. Milites. 13 §. ult. de re milit.* Adjicit et illud Oldendorpius ex Constitutione Justiniani juris discipulis præscriptum esse quinquennium, quo demum expleto inter advocatos recipiantur, *l. Petitiones. C. de advoc. div. jud.*

CAP. XXV. *De* VII. *et* VIII. *annis.*

Infantem eum dici, qui minor est annorum VII. *l. 3. C. qui admit. l. Si infanti. C. de ju. delib. l. 1. D. de adm. tut. l. 14. D. de spons.* Anagnosten non fieri ante annos octo, *Nov. 123.* Hoc ita notant Græci. At *Nov.* loquitur de XVIII. annis. Videntur legisse VIII. tantum, ut constat ex Balsamone Nomocanonis tit. 1 c. 28. De septem annis hoc etiam adnotant, ὅτι ἐπταετίας τοῦ ἐκτοπισθέντος ὁ καταχεθεὶς καὶ τελευτήσας ὑπὲρ αὐτοῦ δεσπόζει τῆς γῆς: quod quid sit, vel unde sumpserint nescio.

CAP. XXVI. *De decennio.*

Primum est de usucapione rerum immobilium, quæ hodie decennio inter præsentes, vicennio inter absentes completur, *l. 1. C. de usuc. transform. Nov. 119.* eodemque modo servitutes non utendo amittuntur decennio inter præsentes, et vicennio inter absentes, *l. pen. C. de serv. et aq.* atque etiam acquiruntur: nam ubique jure in acquirendis servitutibus longum tempus exigunt: et donationes rerum minoris factæ sine decreto post legitimam ætatem decennio inter præsentes, et vicennio inter absentes confirmantur, *l. ult. C. si major. fac. alien. rat. hab.* Hoc vero longum tempus fere semper dicitur, et diuturnum, *l. Si cum. §. Aristo. D. qui et a quib. man. lib. non fiant.* In longum tempus sive in longiorem diem cavere, est in annos decem, *l. pen. de præt. stip.* Paulus 5. *Sent. t. 9. l. 1. De ripa mun. l. Si finita. §. 2. D. de dam. inf.* Hæc longi temporis præscr. sive longa præscriptio, de qua est tit. in *C. de præscr. long. temp.* et quatuor, qui sequuntur: quæ quibus casibus locum non habeat, Græci, sub h. t. tractare incipiunt inscite, cum id ampliores, quæ sequuntur, temporum præ-

scriptiones demonstraturæ sint satis, et hoc potius tradi conveniat, quibus casibus locum habeat. Secundum est de exceptione non numeratæ dotis, cujus tempus est decennium ex *Nov.* 100. nam post decennium soluto matrimonio non opponitur. Tertium hoc est, olim decennio infirmabatur testamentum, *l.* 6. *C. Th. de test.* Hodie non item, nisi aperte testator declaraverit se in eo non perstare, *l. Sancimus. C. eod. t.* Nuda voluntate infirmatur concurrente decennio. Quartum est ex *l. ult. D. de abigeis*, ut receptores abigeorum in decennium extra Italiam relegentur. Quintum est ex *l. Sive. D. de pœnis*, ut qui in metallum damnati sunt non addito tempore, nec etiam eo, ut sint perpetuo metallici, eis decennii tempora præfinita videantur. Cui addendum ex l. *In metallum. eod. t.* in metallum damnatos perpetuo jam senes dimitti, si vel cognatos, vel adfines habeant, a quibus alantur, vel non minus decem annis pœna functi sint: quo spectat etiam rescriptum Trajani ad Plinium de iis, qui ex damnatione servi publici essent. Sextum est ex *l.* 2. *C. de incolis*, ut qui in aliqua civitate decem annos fecit, videatur ibi domicilium habere. Sic Græci loquuntur, ὁ ποιήσας ἐν πόλει δέκα ἔτη, ut in *l. Miles.* §. *Quidam. D. ad leg. Jul. de adult.* Dies quos in custodia fecisset: et in *l. Servus. qui testam. D. de statul.* Annum in fuga fecerat: et in antiqua inscriptione: MEMORIÆ C. F. L. PEDUCEÆ JULIANÆ MORIBUS NATALIBUS AT PUD. PRISCIS ILLUSTRIBI SQUE FEMINIS COMPARANDÆ. QUÆ VIXIT ANNOS XIII. D. XLVII. CUM MARITO FECIT MD. D. XX. Est et alius locus in *l. pen. C. de agr. cens.* et in act. Apost. c. 18. καὶ ποιήσας χρόνον τινὰ recte vet. interp. *et facto ibi aliquanto tempore*: et Ruffinus, c. 12. Nic. syn. *Quinque annos inter catechumenos faciant.* Septimum est ex *l.* 1. *D. de nund.* jus nundinarum exercendarum non utendo decennii tempore amitti. Nundinas interpretantur πανήγυριν ἤτοι τὴν λεγομένην ἀτέλειαν. Sic et ad *l.* 1. *C. de nundinis*: ὥστε ποιῆσαι τὴν λεγομένην ἀτέλειαν παρασχετικὴς ἐμπορίας: et ad *l.* 3. *D. de feriis*, ἐν πανηγύρει καὶ ἀτελείαις: nundinas ergo vocabant vacationes, et inde vulgo a nobis ferias appellatas reor. D. Augustinus in *Ser. Feriæ*, et *Nundinæ spiritales.* De his habemus præclaram novellam Basilii Junioris, quæ aperte indicat eas in agris privatorum institui, qui hoc jus impetraverint, nec posse transferri in alia loca nisi ex communi omnium negotiatorum sententia. Quod si dissentient inter se, et alii locum commutare velint, alii non item, vincere eorum sententiam, qui ex antiquo more nihil mutari sinunt: et hoc quidem si agatur de transferendis nundinis a potentioribus ad potentiores, vel a tenuioribus ad tenuiores, vel a potentioribus ad tenuiores. A tenuioribus enim ad potentiores nundinarum translationem non fieri nisi concurrat vetustas, et omnium consensus, id est, nisi ex omnium voluntate transferantur in potentiorum agros, in quibus et jam olim ab initio institutæ fuerint et postea omnium sententia translatæ ad tenuiores, a quibus nunc pristinis dominis restituuntur recte. Addi et de decennio potest aliud ex *l. In omnibus. in ff. De div. temp. præsc.* et aliud ex *Nov.* 117.

CAP. XXVII. *De annis* XII. XIV. XV. XVI. XVII. *et* XVIII.

Pubertas in masculo æstimabitur ex annis XIV. in femina ex XII. *l.* 2. *C. quando tut. vel cur. esse des. l.* 5. *D. qui test. fac. poss.* §. 1. *Inst. de nupt. l.* 2. *D. de vulg. subst. Nov.* 119 de masculo fuit olim dubitatum. Sed obtinuit etiam in masculo pubertatem annis æstimari, non habitu corporis. Hæc autem definitio ætatis ad multa pertinet. Impubes non potest testamentum facere, non potest testimonium dicere, *l. Invitis.* 19. *D. de testib.* non torqueri, *l. De minore. D. de quæst.* non nuptias contrahere, non obligari sine tutoris auctoritate. Pubes potest. Sunt et alia multa. Plena pubertas in masculo æstimatur ex annis XVII. vel XVIII. quem Græci vocavere exephebum, ut Censorinus scribit, proximum pubertati mellephebum, Puberem ephebum. Plene puberem exephebum. In femina ex XIV. *l. Mela.* §. 1. *D. de alim. leg. l. Adrogato.* §. 1. *D. de adoptio. l. Quidam. D. de re judic. l.* 19. *C. Th. de decur.* §. *Justæ.* et §. *ult. Instit. qui et quib. ex caus. manu. non poss. l.* 1. §. *Puerilium. D. de postul. Nov.* 115. ubi ostenditur excusari eum, qui non attigit plenam pubertatem, si testatorem non redemerit ab hostibus, quasi imperfectæ ætatis sit, qui adplane pubes non sit. Leges Longobardorum ex annis XVIII. non plenam tantum pubertatem, sed et legitimam ætatem constituunt: tit. de ætate legitima. At lege Lætoria, et prætoris edicto constat ex annis XXV. tam in femina, quam in masculo perfectam, et legitimam ætatem æstimari. Ex venia principis in masculo ex annis XV. in femina ex annis XVIII. *l.* 2. *C. de his. qui ven. æt. imp.* quæ specialiter dicitur firma ætas proxima legitimæ in *l.* 1. *C. eod. tit.* Virgil. IV. eclog. *Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas.* Et ex *Nov. Leonis.* 28. ipso jure. De annis XV. hoc notant, ut curatores operum publicorum usque ad annos XV. teneantur, si opera vitium fecerint, *l. Omnes.* 7. *C. de op. pub.* et ut curialis, vel officialis, non ante ordinetur episcopus, quam se in monasterio exercuerit per annos XV. *Nov.* 123. et ut qui reditum certum donavit, cum possessiones nullas habeat, damnetur statim præstare æstimationem redituum annorum XV. *l. Si quis argentum.* §. *Sin autem. C. de don.* De annis sexdecim, ne fiat σιτώνης alius qui XVI. annum excessit, *l.* 2 *in princ. D. de vac. mun.* Sed hoc est potius de annis XVII. cum exigit quodammodo in curatore rei frumentariæ plenam pubertatem.

CAP. XXVIII. *De annis* XX.

Primum est ex S. C. Claudiano, ut major viginti annis, id est, qui complevit viginti annos, qui se venire patitur pretii partiendi causa, servus fiat, nec manumissus recipiet ingenuitatem, §. *pen. Instit. de jur. per. l.* 1. *D. quib. ad lib. proc. non. licet.* Secundum est ex lege Ælia Sentia, ut minor XX. annis non possit servum manumittere nisi vindicta causa probata apud Concilium, ad quam pertinet *l.* 1. *D. de manumiss. l.* 5. *D. de ser. exp.* quas male sub hoc tit. Græci separatim exponunt. Ei vero derogatum est Constitutionibus Justiniani, nam viget quidem ea lex inter vivos: at ut testamento minor XX. annis exephebus etiam possit manumittere primum constituit Justinianus §. *ult. Instit. qui et quib. ex cau. man. non poss.* deinde, ut etiam ephebus, *Nov.* 119. Tertium est ex lege Julia, ut minor annorum XX. non cogatur judicare, *l. Cum lege. D. de rec. qui arb. rec.* Eligitur enim invitus, et datur judex dummodo sit exephebus, *l. Quidam. de re jud.* Quartum est de criminibus, quæ regulariter XX. annis extinguuntur, *l. Querela. C. ad leg. Corn. de fals.* Excipiuntur tria, quæ quinquennio extinguuntur, de quibus diximus sup. *cap.* 24. Excipitur etiam crimen injuriarum, quod anno extinguitur, *l.* 5. *C. de injur.* Similiter vero omnes actiones civiles fiscales, excepta causa commissi et vacantium bonorum, de quibus diximus sup. XX. annis, extinguuntur, *l. In omnibus. D. de diver. temp. præscr. l.* 1. §. *pen.* et *ult. D. de jur. fisc. l.* 2 et 3. *D. de req. reis abs. dam.* Vulgo autem male in *d. l.* 1. §. *ult. differri*, cum sit legendum *deferri*, pro quo Græci προσαγγέλλεσθαι lib. 56. Βασιλικῶν, tit. 11. ac similiter, ut ex Petro Fabro rari et singularis ingenii viro, cum ego tum alii plures didicerunt, pro *defendere*, legendum *deferre* in *l. Famosi. D. ad leg. jul. majest.* pro quo Græci habent κατεῖν in *l. Mulierem. D. de accus.* Rursus Reip. rationes subscriptæ et expunctæ adversus administratorem rerum civitatis non tractantur ultra annos XX. et adversus hæredem ejus ultra annos X. *d. l. In omnibus. l. Calculi. D. de adm. rer. ad civ. pert.* Quintum est, justum tempus militiæ esse XX. annorum, quod civilium munerum vacationem præstat, *l.* 1. *C. de excu. vet. l.* 3. *C. de his qui non impl. stip. sac. vel. mut. l.* 1. *C. de profess.* Sextum est ex *l.* 2. *C. de long. temp. præs. quæ pro lib. op.* ut qui bona fide fuerit in possessione libertatis per annos XX. ei non possit fieri controversia status. De XX. annis addi unum potest ex superiori capite, et alia quædam ex *cap.* 16. Addendum et ex *l. In testimonium, D. de testib.* minorem XX. annis in criminalibus causis testimonium dicere non cogi: impubes prohibetur, *l.* 3. §. *Lege. eod.*

CAP. XXIX. *De annis* XXV.

Hæc dicitur ætas plena, integra, perfecta multis in locis, quos referre pudidum esset. Et status in *l. Cum pater.* §. *Curatoris. D. de leg.* 2. *l. Cum de ætate. D. de probat. l. pen. C. quan. dies leg. ced.* Et justa ac legitima a lege Lætoria, ut constat ex *l.* 2. *C. Th. de donat.* in qua ita est rescriptum, *Donec annos Lætoriæ legis egressus legitimam compleverit ætatem.* In hanc usque ætatem homines curatorum auxilio reguntur, *l.* 1. *D. de minor.* Minori XXV. annis juris ignorantia prodest, *l. Regula. D. de jur. et fac. ignor. l.* 2. *C. eod. tit.* Minor XXV. annis adulterii accusare non potest, *l. Si maritus.* 2. §. *Lex. D. ad leg. Jul. de adult.* Minor XXV. annis decurio fieri, vel ad honores aut munera civilia admitti non potest, *l. Non tantum. D. de decur. l. Ad Remp. D. de mun. et honor. l.* 8. §. 1. *D. de vac. mun. l.* 2. *C. qui prof. se exc.* quod tamen exceptiones habet quasdam. Eadem ætas exigitur in judice, ut Harmenopulus scribit lib. 1. ex lib. VII. Βασιλικῶν tit. V. et in tutore et curatore, *l. ult. D. de leg. tut.* et in diacono et hypodiacono *Nov.* 123. Eandem ætatem in procuratore Oldendorpius exigit male ex *l. Exigendi. C. de proc.* cum sufficiat plena pubertas, §. *Justæ. Instit. qui et quib. ex cau. man. non poss.* Et *l. Exigendi*, de defensore loquitur non de procuratore. Minor XXV. annis defensor idoneus non est, quia restitui potest in integrum, *l. Minor. D. de procur.* qua ratione et idoneus fidejussor non est: ideoque improbari a judice potest. Non potest quis eam cujus tutor vel curator fuit, intra annum XXV. uxorem ducere, nec filius ejus. Immo nec post XXV. annum ætatis, etiamsi rationes reddiderit intra annum utilem, quoniam adhuc intra annum impetrata restitutione rationes retractari possunt, quod collin nuptiarum impediret. Hodie intra annum XXIX. quoniam annus utilis mutatus est in quadriennium continuum, *l. Si patris. C. de interd. mat. l. Non est. D. de rit. nupt. l. Si filius.* §. *Si quis eo tempore, D. de lib. et post. l. Qui pupillam. D. ad l. Jul. de adult.* In *d. l. Non est.* falso quidam codices habent XXVII. quos secutus Dynus ex eo in suo libro posuit præscriptionem XXVII. annorum, eodem errore, quo et præscriptionem IX. annorum sup. Eadem vero ratione puto non posse quemquam arrogare eum, cujus tutor vel curator fuit intra annos XXIX. quanquam *l. Nec ei. D. de adopt.* de XXV. annis tantum loquatur. Et ita etiam statutum tempus accipere oportet in *l. Nam postea.* §. *Si minor. D. de jurejur.* illis adjiciunt Græci ex *l. Rationes, D. de adm. tut.* rationes administratæ curæ, per actionem scilicet negotiorum gestorum, durante officio ante impletum annum XXV. peti non posse: quod pugnat cum *l. Cum curatore. D. de adm. tut.* et *l. Si alius.* §. *ult. D. de tut. et rat. dist.* Utraque est accipienda de actione ex stipulatu. De *l. Si adhuc.* est certum. De *l. Cum curatore.* dubitatem inscriptio confirmabit: quandoquidem lib. XXIV. ad edictum Paulus de stipulatione Rem pupilli, vel adolescentis salvam fore disputavit.

CAP. XXX. *De annis* XXX.

Primum est ex *Novel.* 120. ut locationes rerum ecclesiasticarum XXX annum non excedant. Secundum est de præscriptione XXX. annorum, qua tolluntur actiones personales et mistæ, non longa præscriptione, veluti petitio hæreditatis *l. pen. C. in quib. cau. ces. long. temp. præsc.*

l. Hæreditatis. C. de pet. hær. l. Licet. C. de jur. dot. et finium regundorum, communi dividundo, familiæ erciscundæ, *l. ult. C. fin. reg. l. 1. §. Ad hæc. C. de ann. exc.* furti, etiamsi adhuc vivat fur et rem sæpissime contrectaverit, *d. l. 1.* quod olim non obtinuit, *l. Si cum quis. §. Quandiu. D. de furt.* vi bonorum raptorum in simplum, *d. l. 1.* Condictio indebiti, *l. Indebiti. §. 1. D. de cond. ind.* Actio ex empto vendito, *l. Empti. C. de evict.* Actio Fabiana, *l. 3. §. 1. D. si quid in fr. patr.* Actio fideicommissi, *l. 79. de leg. 2.* Actio tutelæ, *l. Tutores. C. arb. tut.* Actio negotiorum gestorum, *l. Adversus. C. de neg. gest.* Actio servi corrupti, *l. 13. D. de serv. cor.* Actio judicati, *l. Miles. §. ult. D. de re jud.* Actio momenti, quoties absentia occupata possessio est, *l. ult. C. unde vi.* Actio mandati, locati, pro socio, constitutæ pecuniæ, et omnes personales, quibus minora tempore præstituta non sunt *d. l. 1. C. de ann. exc. l. 2. C. de const. pec.* Adjicit interpres Nov. Valent. *de episcopali judicio*, actionem homicidii, civilem scilicet (Nam crimen vicennio extinguitur): et actionem de fugitivis revocandis: quod utique verum est si dominus desierit eos possidere. Longa præscriptio non sufficit, *l. 1. C. de ser. fug.* Et de Curialibus vel Collegiatis revocandis, ut in *Nov.* Majoriani *de Curial.* quod tamen abrogatum est *l. 5. C. de præscri. 30. an. l. 55. C. de dec.* Actiones in rem olim in Italia usucapione anni vel biennii tollebantur, in provinciis præscriptione x. aut xx. annor. Hodie et in Italia et in provinciis tolluntur usucapione x. aut xx. annorum adversus bonæ fidei possessorem, et præscriptione xxx. ann. adversus malæ fidei possessorem: itemque *Nov.* 119. adversus bonæ fidei possessorem, qui a malæ fidei possessore ignorante domino emit: idemque dicendum de hypothecaria, quæ adversus extraneum bonæ fidei possessorem perit ann. x. aut xx. *l. Si a creditore.* et *l. ult. C. de obl. et act.* l. 1. et 2. *C. si advers. cred. præs. op. l. Creditor. D. de div. temp. præs.* adversus malæ fidei possessorem an. xxx. *l. Cum notissimi. C. de præs. 30. vel 40 ann.* Actiones in personam ex contractibus in Italia tollebantur anno utili, in provinciis erant perpetuæ. Hodie ubique tolluntur præscript. xxx. quibus etiam adjunguntur mistæ, veluti petitio hæreditatis, et finium regundorum et similes. Ac (*) primum quidem Theodosius constituit, ut in provinciis exemplo actionum in rem, tempora etiam tollerentur personales, non tamen x. aut xx. annis, sed xxx. *l. Sicut. C. de præscr. 30 ann.* cujus inscriptio talis esse debet, ΤΗΕΟΔΟΣ. A. Fuit Theodosius magnus hujus præscriptionis auctor, vel Junioris teste in *Nov. de 30. ann. præscript.* quam multi auctores celebrant. Ejus peremptorias rubricas omnem litem abolere Sidonius ait. Patronam humani generis Cassiodorus vocat. De ea et Procopius III. de bello Vand. in hæc verba: Νόμου δὲ ὄντος ῥωμαίοις ἦν τινες οὐχ ὑπὸ ταῖς οἰκείαις χερσὶ τὰ σφέτερα αὐτῶν ἔχοιεν, καὶ τριάκοντα χρόνος, ἐς ἐνιαυτοὺς ἥκων, τούτοις δὲ οὐκ ἔτι εἶναι κυρίοις ἐπὶ τοῦ βιαζομένους ἰέναι, ἀλλὰ, παραγραφὴν αὐτοῖς ἀποκεκλεῖσθαι τὴν εἰς τὸ δικαστήριον εἴσοδον. De eodem et Sudas in Prisco Emeseno. Hæc præscriptio currit etiam adversus puberes minores 25. ann. *d. l. Sicut. Nov.* 22. cum tamen præscriptio quinquennii, quæ obstat querelæ inofficiosi, adversus eos non currat, *l. 2. C. in quib. caus. in int. rest. l. Contra. C. de inof. test.* nec præscriptio longi temporis, *l. 3. C. in quib. cau. long. temp. præscr.* nec ulla alia, *l. ult. C. in quib. in int. rest.* Pertinet ad eam præscriptionem tricennariam quod traditur in *l. Cum satis. C. de agric. et censit.* ut liberi homines, qui per xxx. annos quasi coloni, et adscriptitii detenti sunt, liberi quidem maneant, quia libertas nulla præscriptione infringi potest, sed terram deserere non possint, et solemnem capitationem inferre cogantur: quod ibi esse traditur ex Constitutione Anastasii, quæ non extat. Est autem l. 19. ejusdem tit. Græca. Addatur et aliud ex l. *pen. C. de fund. rei pri. et sal. div. dom.* ut qui annos xxx. servierit collegio, vel curiæ, vel burgo, id est, corpori alicui: non revocatur quasi colonus alienus, vel inquilinus. Tertium est in presbytero exigi ætatem xxx. ann. *Nov.* 123. ubi male quidem legunt xxxv. quæ ætas in episcopo exigitur ex eadem *Nov.* non in presbytero: sed et in *Nov.* 137. hoc tantum exigitur, ut episcopus sit major annis xxx. qua de re Theodorus Balsamon Nomocanonis tit. 1. c. 28.

CAP. XXXI. *De* XL. *annis.*

Sicut quæ non tolluntur minoribus temporibus actiones, tolli eas tricennio traditum est sup. ita quæ non tolluntur tricennio, XL. annis extinguuntur. nec ollæ fere ulterius producuntur, veluti hypothecaria adversus debitorem, et hæredem ejus, et adversus posteriores creditores debitore superstite, *l. Cum notissimi. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Citius ergo perit iis casibus personalis, quam hypothecaria, *l. Qui occidit. §. 1. D. ad l. Aquil.* quod et alias accidit, puta, ut sublata personali maneat hypothecaria, *l. Debitor. D. ad Trebel. l. 2. C. de luit. pign.* Puto et vindicationem in servitutem extingui, si quis XL. annis mala fide in possessione libertatis fuerit, *l. 4. C. de præsc. 30. vel 40.* At merito Græci excipiunt servum fugitivum, quando scilicet non desiit possideri a domino. Vindicationi ejus rei, quam non desiit possidere, nulla præscriptio opponi potest, *l. 2. C. eod. tit.* Eadem præscriptione repellitur qui quem vindicat cohorti, *l. Si cohortalis. C. de cohort.* ubi volgo male xxx. veteres, et libri Βασιλικῶν habent XL. Actiones etiam fiscales exemplo privatarum xxx. aut XL. ann. tolluntur, *l. Just. C. de jur. fis.* et quidem si vindicet fiscus, quæ nondum habuit, excepta causa commissi, et bonorum vacantium, vel quæ alia cui minora tempore præstituta sunt, repelletur a domino, vel bonæ fidei possessore præscriptione xx. annorum, ut dictum est sup. cap. 28. A malæ fidei possessore xxx. Quod si vindicet ea, quæ habuit, et amisit, repelletur præscriptione XL. ann. *l. ult. C. de fund. patrim.* Sed et actione personali, si agat de reliquis, hoc est περὶ ὑπολοίπων repelletur præscriptione XL. annorum, ut Theodorus Hermopolites interpretatur, non tamen id adversus fiscum ea præscriptione adsequi possessor potest, ut et in futurum a canone sit possessio immunis, *d. l. ult. compelit. C. de præsc. 30. vel 40. ann.* Verum, ut idem Theodorus ait, et Accurs. noster probat ex l. *ult. C. de fund. rei priv.* si quis sine canone agrum principis acceperit, et XL. annis possederit nullo canone soluto, nec de agro, nec de canone conveniri potest. Est et alia in re locus præscriptioni XL. annorum, si actio, quæ xxx. annis perire solet, interim contestata, et postea omissa sit: nam ex contestatione in annos XL. extenditur, *l. ult. C. de præsc. 30. vel. 40. ann.* qua abrogatur Nov. Valentiniani *de episc. judic.* quæ actionem ex contestatione in alios duntaxat xxx annos extendit, nisi fuerit contestata post annos xxv. quo casu eam prorogat in annos x. tantum, id est in annos quinque supra xxx. Addendum, hac etiam præscriptione XL annorum tolli actiones ecclesiasticas ex *Novel.* 131. et 111. quod congruit cum *l. ult. C. de fund. patr.* sublata l. *ult. C. de sacros. eccl.* et *Nov.* 9. quarum una in Orientalibus, altera in Occidentalibus ecclesiis introduxerat c. ann. præscriptionem. Causam hanc fuisse exponit Sudas in Prisco Emeseno. Annos erat xxx. aut XL. ex quo Emesenorum ecclesia hæres extiterat Mamiano viro illustri, et patricio, cum œconomi ejus arte Prisci, qui optime aliena chirographa imitabatur, plerique confinxerunt instrumenta tabellionis cujusdam omnium judicio optimi, qui vixerat superstite Mamiano, quibus ostendebant ingentes pecunias a multis Mamiano deberi, atque adeo ecclesiæ jure hæreditario. Sed quod instrumentis obstaret præscriptio tricennii, scelus sceleri adjicientes, imperatorem etiam Justinianum pecuniis expugnarunt, et data ei, vel quæstoribus palatii pecunia illam legem extorserunt, ne ecclesiis opponeretur alia, quam c. annorum præscriptio, quod postea idem Justinianus mutavit. Legitur in eo Sudæ loco corrupte, οὐ χρόνοις τὰ ἐκκλήτοις τοῖς καθήκουσιν, cum sit legendum, τῆς ἐκκλησίας. Hodie igitur quacunque actione ecclesia experiatur, excluditur præscriptione XL. annorum. At si cum ecclesia agatur, servabimus præstituta tempora *Novell.* 111. Notandum postremo in diaconissa exigi ætatem XL. annorum ex præcepto Apostoli 1. ad Timot. v. et l. *Nulla. C. de episc. et cler.* de qua Georgius in Chronographia Ex *Nov.* VI. quinquaginta, ex *Nov.* 123. quadraginta. Diaconissæ curabant ægros, et ad baptismata adhibebantur.

CAP XXXII. *De annis* L.

Repetitio ejus, quod in alea lusum est præscriptione tricennii non tollitur. Anatolius eam tolli ait præscriptione annorum L. atque ita fuisse in *l. 1. C. de aleat.* constat ex Latina ejus conversione, quæ circumfertur, et ex eo, quod Græci allata illa lege, sub hoc titulo scribunt hæc verba; Οὐκ ἀντικεῖται χρόνος τοῖς ἀπαιτοῦσι τὸ καταβληθὲν εἰς τινῶν ἀπηγορευμένων παιγνίων εἰ μὴ μόνος ὁ πεντηκονταετής. Non tolli eam tricennio epitome Græca, quæ extat Nomocanonis *tit.* 13 *cap.* 29 indicat, dum ait eam competere ἀνενδεῶς καὶ παρὰ τριακονταετίας. At Thalelæus eam tricennio tolli putat, quod in contextu Βασιλικῶν id non sit adjectum, ut tricennium egrediatur: quasi hoc sit jus novissimum: et hoc quidem primum de L. ann. notant. Secundum est, Ne decurio quinquagenarius excusetur a muneribus, *l. 13. C. de dec.* ubi tamen pro L. lego LV. Et in *l. 3. C. qui ætat. vel. prof. se exc.* pro LV. lego LXX. Anni LV. excusant a decurionatu. Anni LXX. a muneribus. Tertium est de liberta, ut major L. ann. operas patrono præstare non cogatur, *l. Liberta. D. de op. lib.* Quartum est ex *l. Si major. C. de leg. hær.* partum editum ex quinquagenaria esse legitimum, qua de re in Frag. Ulp.

CAP. XXXIII. *De annis* LX. *et* LXX.

Major sexagenario ducere minorem quinquagenaria potest, *l. Sancimus. C. de nup.* quod et S. C. Claudiano comprehensum fuisse Ulp. in Frag. testatur: recte, nam auctore Aristotele usque ad LXX. annum vir gignit, femina usque ad quinquagesimum. At lege Julia secus erat, quasi non posset major sexagenario liberis operam dare, *l. Si paterfam. §. ult. D. de adopt.* Notandum etiam contra libertatem, nec sexaginta quidem annorum præscriptionem opponi, *l. ult. C. de long. temp. præs. quæ pro lib. op.* De annis autem LXX. quod diximus sup. Annos LXX. excusare a muneribus civilibus, *l. 1. C. qui ætat. vel. se exc. l. 3. §. Quamvis.* et *§. Cura. D. de mun. et hon. l. Si ultra. C. de decur. l. 3. D. de jur. immun.*

CAP. XXXIV. *De annis* c.

Cum sublata sit c. annorum præscriptio, quam Justinianus dederat ecclesiis, ut diximus *cap.* 31. restant duo tantum notanda de anni c. Primum est, usumfructum relictum Reip. c. ann. extingui, *l. An ususfructus. D. de usufr.* Respub. æstimatur ὡς ὁ μακροχρόνιος ἄνθρωπος. Longissimum autem spatium senescendorum hominum est annorum c. unde seculum dici Varro putat. Ei l. opponitur *l. 68. ad l. Falc.* quæ usufructu Reip. relict. xxx. an. computationem fieri ait. Respondeo usumfructum relictum Reip. annis c. finiri; nam et qui infanti puero

(*) *Vide Merill. variant. ex Cujac. lib. 2. cap. 12.*

relinquitur longius produci posse non creditur, *d. l. An usufructus.* At quoties de lege Falcidia quæritur. ususfructus Reipubl. relictus tanti æstimatur, quanti est in reditu ann. xxx. nam et qui puero infanti relinquitur amplius non æstimatur, *d. l.* 68 Comparatur ususfructus Reipubl. relictus homini relicto. De illo qui homini relinquitur, agit illo loco, eoque nos jure uti, quem notat non amplius æstimari, quam sit in reditu annorum xxx. atque ita etiam apud Harmenopul. Patritius exponit *lib.* 2. *tit.* 10. Deinde subjicr., sic denique esse, et si ususfructus Reip. legetur. Ususfructus ergo legatum æstimatur, sive privato legetur, sive Reipub et ex ejus æstimatione detrahitur Falcidia. Alterum, Ea quæ in redemptionem captivorum relicta sunt, non excludi nisi præscriptione c. annorum, l. *Ut inter. C. de sacros. eccl.* quod quia nominatim non est abrogatum, sicut in ecclesia, manere Theodorus notavit in *Nov.* cxr. At iii. tit. v. lib. βασιλικῶν id esse abrogatum ait.

CAP. XXXV. *De tempore infinito.*

Primum hoc est, ut si arbiter jusserit solvi non adjecto die, insit modicum tempus, *l. Quid tamen. §. ult. D. de rec. qui arb. rec.* quod interpretabimur x. dierum, arg. *l. Promissor. §.* 1. *D. de const. pec.* Secundum est ex *l.* 5. *D. de inter. in ju. fac.* Interrogato in jure dandum esse tempus ad deliberandum: quod interpretabimur esse in Prætoris arbitrio. Tertium est ex *l. Nulla. D. pro soc.* Societatem in æternum non coiri. Quartum est, Perpetuum tempus varie accipi, quandiu solverit canonem emphyteuticarius, *§. Adeo. Instit. de loc.* Quandiu vixerit quis, *l.* 1. *D. pro soc. l.* 1. *§. pen. D. de offic. præf. urb. l. Cum ii. §. Sive igitur. D. de trans.* Et pro annis xxx. vel xl. ut cum dicimus perpetuas actiones, quæ ex Constitutionibus tricennio, vel quadriennio extinguuntur. Quintum est ex *l. Ab hostibus. §. ul. D. ex quib. cau. maj.* Absenti reverso restitutionem dari, etiamsi intra modicum tempus, quam rediit, impleta fuerit usucapio, quod ita definitur, dum hospitium conducit, sarcinas componit, advocatum quærit, et *l. Si domus. §. In pecunia. D. de leg.* 1. ubi in solvenda pecunia legata modicum tempus dari dicitur, quod relinquitur arbitrio Prætoris. Et *Nov.* 4. accessionibus petentibus arbitrio judicis dari tempus ad adducendum reum principalem. Sub hoc capite includi possunt tempora omnia, quæ arbitrio Prætoris præstituuntur. Superiora sunt legitima. Sextum hoc est, Temporarias actiones litis contestatione perpetuari, *l. Nam postea. §. Si is qui. D. de jurejur. l. Aliam. D. de novat. l. ult. D. de fid. tut.* Perpetuari secundum jus vetus, id est, æternas fieri, secundum Theodosii Constitutionem prorogari in annos xxx. Perpetuæ autem, quæ olim fuerunt, nunc sunt tricennales, contestatione litis prorogantur in annos xl. ex l. ult. *C. de præscript.* xxx. an. nec fit ejusmodi prorogatio nisi semel. Multa alia sub hoc titulo Græci tradunt, quæ nihil ad rem facere videntur, veluti in medio litis transigi posse, ante moram usuras in bonæ fidei judicium non venire, damnatos capitaliter post appellationem testamentum facere posse, Legata ad tempus relinqui posse, et alia quædam, quæ prætermittimus. Subjecimus Eustathii librum.

LIBER EUSTATHII

ANTECESSORIS

DE TEMPORALIBUS INTERVALLIS

A MOMENTO USQUE AD CENTUM ANNOS,

INTERPRETE JOANNE LEUNCLAVIO

De momento.

1. *a* Ter parit etiam quæ tres uno edidit utero, ut dicitur libro *Digest.* 50. *tit.* 16. *dig.* 137. at Basil. *lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 131.

a L. ter enixa, D. de V. S.

2. *b* Ancilla testamento manumissa est, si tres peperisset. Peperit unum, et postea tres. Quartus horum filiorum liber est: Nam posteaquam tertius editus fuit, condicio libertatis extitit, sicut alia quævis condicio: et quartum libera peperit. Idem est si primo duos, et postea duos peperit: ecce momentum libertatem ei, qui ultimus editus est, largitur. *Dig. lib.* 1. *tit.* 5. *dig.* 12. *et Basil. lib.* 46. *tit.* 1. *cap.* 13.

b L. Arescusa, D. de sta. homin.

Scholium Atanasii

Quoniam natura non permittit, ut plures uno et eodem momento nascantur, sed momentum quoddam intercedere necesse est inter eos, qui primo et secunda vice in lucem eduntur: propterea, momentum huic libertatem largiri. Perhibetur autem, ab Alexandria perductam fuisse mulierem ad Imperatorem Adrianum prodigii causa, quæ e quadragesimo die, postquam, uno tempore quatuor liberos peperisset, quintum edidit. Et relatum hoc est *c* *D. lib.* 34 *tit.* 5. *dig.* 8. et Basil. lib. 26 *tit.* 5. *cap.* 32 *ac præterea. d, Dig lib* 5. *tit.* 4. *dig.* 3. *et Basil. lib.* 42. *tit.* 2. *c* 3 Quomodo igitur in quadraginta dierum intervallo momentum statuemus? Non aliter atque Paulus ipse jam ante docuit, quum ait: quod semel, aut iterum, legislatores omittunt. Item: non oportet ea, quæ raro et inopinato contingunt, pro regulis accipere, nec ad aliud trahere, ut dicitur *Dig. lib.* 1. *tit.* 3 * et Basil. *lib* 2. *t.* 1. *c.* 10. Sciendum autem, *e*, quodquum agitur triticaria in servo defuncto, non spectatur æstimatio, quæ in ipso momento mortis erat: sed a tempore moræ, ac latior fit: ne eodem ratio redigatur ad minimam quantitatem. Qualis enim æstimatio sit servi mortifere vulnerati? ut dicitur *D. lib.* 13. *t.* 3. et Basil. *lib.* 24. *t.* 8. *c.* 9.

c L. utrum ita, D. de reb. dub.
d L. antiqui, D. si pars hæred. pet.
* *L.* 3. 4 5. 6. *D. de legib.*
e L. 3. D. de condict. trit.

3. Scripta testamento libera, si Petro, vel hæredi solidos decem dederit; si eo momento, quo parit, per alium dederit illos decem solidos, libera peperisse creditur, veluti quæ condicionem impleverit, licet in ipso momento partus eos dederit.* Digestorum *lib.* 1. *tit.* 5. *digest.* 13. et Basil. *lib.* 46. *titul.* 1. *cap.* 11.

* *L.* 15. *D. de stat hom.*

4. *f* A momento in momentum computatur annorum XXV. tempus: et qui aliquid intra hoc gesserit, adultus non existimatur, sed circumventus restituitur. *D. lib.* 4. *tit.* 4. *dig.* 2. *et Basil. lib.* 10. *t.* 4 c. 2. *th.* 4.

f L. 3. §. minorem, D. de minor.

5. *g* Licet aliquis uno dumtaxat momento rem possederit, quam a non domino bona fide emerit, ea amissa in rem actionem habet. *D. lib.* 6. *tit.* 2. *dig.* 12. et Basil. *lib.* 15. *tit.* 2. *cap.* 12.

g L. 12. §. ult. D. de publ. in rem act.

6. *h* Si quis emerit Petrum, aut Paulum, venditor optionem habet, et qui prior decesserit, ipsius periculo est, alter emptoris. Sed et si ambo decesserint in uno momento, pretium ab emptore petitur, nisi jam ante id solvit. *D. lib.* 18. *t.* 1. *dig.* 30. Basil. *lib.* 19. *t.* 1. c. 18 *th.* 7.

h L. si in emptione. §. pen. D. de contr. empt.

7. *i* Si quis hæres scriptus sit, si centum, verbi gr. solidos adhuc superstes Petro dederit: hæres esse potest, licet in ipso mortis suæ momento per se, vel per alium eos dederit. *D. lib* 28. *tit.* 5. *dig.* 4. et ibid. *tit.* 7. *dig.* 28. Basil. vero *lib.* 35. *tit.* 9. *cap.* 5. *th.* 2. *et tit.* 12. *cap.* 23.

i L. ult. de condic. instit. * *et l.* 5. *ff. de hæred. instit.*

8. *k* Si quis alicui donaverit servum ut eum manumittat: eodem momento eum manumittere cogitur. Ergo ne quidem si filiofamil. hac condicione donatus fuerit, patri acquiritur, sed statim manumittitur. *Cod. lib.* 6. *tit.* * 61. Basil. vero *lib.* 45. *tit.* 4. *cap. ult.*

k Toto tit. C. si mancipium ita fuerit alien.
* *L. ult.* §. *ult. Co. de bon. quæ lib.*

9. *l* Agricolæ sic glebæ, hoc est agriculturæ inhærere debent, ut ne momento quidem temporis ab agricultura discedant. *Cod. lib.* 11. *tit.* 48. *const.* 14. et Basil. *lib.* 55. *tit.* 1. *cap.* 14.

l L. 15. C. de agricol. et cens.

10. *m* Si quis filiofam. pecuniam sub condicione donaverit, ut eam ipsius filiifam. creditori solveret: protinus et in ipso momento, quo pecunia filiofamilias hac condicione data fuerit, transfertur ejus dominium ad creditorem filiifamilias qui donationem accepit. *D. lib.* 14. *tit.* 6. Basil. *lib.* 18. *tit.* 4. *cap.* 3. *them.* 9.

m L. 9 §. 1. D. de Senatusc. C. Macedon

11. *n* Si filiusfamilias præter voluntatem patris accepta mutuo pecunia, litteras ad patrem suum miserit, significans illi, ut suo nomine creditori solveret: si mutuum improbet, continuo testatione utatur, quæ contrariam voluntatem declaret.

n L. 18. D. eod.

12. *o* Annum juxta legem non a momento ad momentum; sed de die in diem numeramus.

o L. 134. D. de V. S.

De hora.

1. Si quis alia quidem hora sibi testamentum authenticum condiderit, alia vero pupillare fecerit, adsumptis in eo quinque testibus: testamentum pupillare valet, et veluti tempore posterius authenticum rescindit. Digestor. *lib.* 28. *titul.* 6. *digestor.* 16. Basil. *lib.* 35. *titul.* 10. *cap.* 17.

Vide Cujac. hic.

2. *a* Cujusque diei major pars est horæ septem primæ, non ultimæ. *D. lib.* 50. *titul.* 16. *digest.* 2. Basilic. *lib.* 2. *titul.* 2. *cap.* 3.

a L. 2. in fin. D. de V. S.

3. *b* Tam masculus, quam femina, quum puberes facti erunt, recte testantur, etiam pridie quam duodecimum, aut decimum quartum annum compleverint, post sextam noctis horam. Didicimus enim ex *lib.* 2. *D. titul.* 12. *digest.* 8. et Basil. *lib.* 7. *tit.* 17. *cap.* 8., *c*, diem a sexta noctis hora incipere, et in horam sextam noctis insequentis finiri: ita quidem, ut quidquid in una illarum viginti quatuor horarum agatur, eodem die fieri videatur. Nec abs re testamentum post sextam noctis horam factum valet, tanquam ultimo anni decimi quarti die factum, *D. lib.* 28. *tit.* 1. *digest.* 5. Basil. *lib.* 35. *tit.* 1. *cap.* 7.

b L. 5. D. qui test. fac. poss.
c L. 8. D. de feriis.

De uno die.

1. Vicena millia in singulos dies numerari Prætor ei jubet, qui se judicio sisti promiserit, præter eum diem, quo quis cavendo satisdedit, et in quem se sistit: nam hi dies ei non computantur. *D. lib.* 2. *tit.* 11. *dig.* 1. Basil. *lib.* 7. *tit.* 16. c. 1. Quære et *lib.* 1. *Inst. tit.* 24.

a L. 1. D. si quis caut.

2. Si quis ad diem certum se stiturum aliquem promiserit, is dies spectatur, quo definitum est, ut sistatur. Sin ante statutum ille diem decesserit, quo sisti debere promissum fuerat, alter non tenetur. Digestorum *lib.* 2. *tit.* 8. Basilic. *lib.* 17. *tit.* 14. *cap.* 1.

a L. 4. ff. qui satisd. cog.

3. *b* Sive primo die bissexti, sive secundo quis natus sit, nihil refert: Nam ex eo vigesimus quintus annus computatur, ac si pro uno duo dies acciperentur. *D lib.* 4. *tit.* 4. *de minor.* et Basilic. *lib.* 10. *titul.* 4. *cap.* 2. *them.* 5.

b L. 3. §. minorem, D. de minor.

4. *c* Oportet præsides die dominico inspicere carceres, et statuere, ut custodes humaniter cum reis agant, et alimenta præbeant, et lavent eos. *Cod. lib.* 1. *tit.* 4. *const.* 9. Basilic. *lib.* 6. *tit.* 3. *cap.* 33.

c L. judices. C. de episc. aud.

5. *d* Episcopi reos carcere clausos feria hebdomadæ quarta, et in parasceva visitent, sive servi, sive liberi sint: et excitent præsides, ut de ipsis faciant quæcumque leges jubent. Si præsides non obtemperent, Imperatori de ipsis nuntient. *Cod. lib.* 1. *titul.* 4. *const.* 22. quæ in Basil. non extat, et *Cod. lib.* 9. *t.* 4. *const.* 6. Basil. vero *lib.* 60. *t.* 35. *cap.* 22. *th.* 6.

d Debet esse L. 22. C. eod. et lex 6. C. de Custod. reor.

6. *e* Judæus die suo feriato sive festo functiones corporales sive angarias non sustineat. *Cod. lib.* 1. *tit.* 9. *const.* 2. quæ in Basil. non exstat.

e Debet esse lex 2. C. de Jud. et cœl.

7. * Dies sanctæ dominicæ **, ac Nativitatis Christi, et Epiphaniorum, feriati sunto. *Cod. lib.* 3. *tit.* 12. *const.* 6. Basil. *lib.* 7. *tit.* 17. *cap.* 23. *th.* 4.

* *L. 7. C. de Feriis.*
** Scilicet resurrectionis, ut quidam interpretantur.

8. Quid debet in diem, in arbitrio suo totum illum diem habet ad debiti solutionem * *Instit lib. tit.* 3. 15. Similiter de anno et mense traditur. *D. lib.* 45. *titul.* 1. *digest.* 23. *et* 39 et Basilic. *lib.* 43. *titul.* 1. *cap.* 25. *et* 39.

* *Inst. de verb. ob §. omnis l. 27. 25. D. eod.*

9. *f* Si duobus eadem res eodem die obligata fuerit, horæ priores et posteriores eorum alterutri nullum jus prælationis faciunt, sed utrique pro rata debiti res est obligata. *D. lib.* 20. *tit.* 1. *digest.* 16. Basil. *lib.* 25. *tit.* 2. *cap.* 13. *th.* 9.

f L. si fundus, 16. §. pen. D. de pignor.

10. * Dies festi natalitii feriatus est. *Cod. lib.* 3. *tit.* 12. *const.* 6. Basilic. *lib.* 7. *tit.* 17. *cap.* 26. *th.* 5.

* *L. 2. C. de feriis.*

11. *g* Si quis in eo ipso die, quo condemnatus est, voce appellaverit, talis ei sufficit appellatio. *D. lib.* 49. *tit.* 4. Basil. *lib.* 9. *tit.* 1. *cap.* 2. *et* 105.

g L. 5. in fin. D. de appell.

12. *h* Ante diem unum prædicere debet is qui de aliquo examen habiturus est, futurum examen: ne rei

subito casu in metum, ac perturbationem conjiciantur. *Digest. lib.* 48. *titul.* 48. *dig.* Basil. *lib.* 60. *tit.* 50.

b L. unius § cognitorum, D de quæstion.

De duobus diebus.

1. Qui alteri succedit in magistratu, biduo prius, quam provinciam ingrediatur, in qua est, qui magistratu defungitur; mittere debet ad illum plenas benevolentiæ litteras, ut officium sibi obviam veniat, et huc usque prior ille præses annonas percipiat, ut est in Novella * xc. *post Cod. edita* Basil. autem *lib.* 6. *t.* 3. *c.* 34.

* Contius XCV. fecit.

2. *a* Si condicio alicui adjecta fuerit, non definito tempore: biduum ad condicionem implendam habet. *Digest. lib.* 50. *tit.* 16. *dig.* 207. Basil. *lib.* 2. *tit* 2 *cap.* 207.

a L. inter 217. in fi. D. de V. S.

3. *b* Si maritus aut pater adulterum in uxore, vel filia deprehenderit, quem nolit, aut non liceat occidere: viginti nocturnas diurnasque duntaxat horas eum retinere debet, rei testandæ causa. Basil. *lib.* 60. *tit.* 37 *cap* 24.

b L. capite quinto, 25. D ad leg. Jul. de adult.

4. *c* Si condicio talis data fuerit, *Titius hoc faciet in diebus,* nec adjectum fuerit, quot: duobus aut decem diebus implere condicionem debet. Basil. *lib* 2. *t.* 2. *c.* 207. *et lib.* 26. *tit.* 7. *c.* 20.

c D. L. inter, et l. promisso, in prin D. de const. pec.

5. *d* Præberi militibus expeditienis tempore debet, duobus diebus buccellatum, une die vinum, altero... uno die laridum, duob. dieb. caro vervecina. *C. lib.* 12. *tit.* 37. Basil. *lib.* 57. *tit.* 4. *cap.* 1. *th.* 2.

d L. 1. C. de erog milit. ann. lib. 12.

6. *e* Quælibet tractoria duos in stativa duntaxat dies habeat. *Cod. lib.* 12 *tit.* 51. *const.* 1. Tractoriæ vero dicebantur jussus a prætorio præfectis dati, nomine destinatorum ad cursum animalium; quos et combinas lingua Romana vocat, id est, evectiones. Itaque dici magis hæc perspicue sic possunt: Quæ mandata conceduntur iis, qui cursu publico iter faciunt, duos duntaxat dies ad jumenta mutanda impetrant, Basil. *lib.* 56. *titul.* 17. *cap.* 25.

e L. un. C de tractor. lib. 12.

De tribus diebus.

1. *a* Si ex arbore mea glandes in agrum tuum ceciderint, nec eas mihi legere permittis: datur adversus te mihi actio ad exhibendum, si tu eas depascas, et interdictum (*) de glande legenda, ut legendi glandes meas, quæ exstant, ad triduum usque mihi facultas sit. *D. lib.* 10. *tit.* 4. *dig.* 9. Basilic. *lib.* 15. *tit.* 4. *them.* 2.

a L. Julianus, §. glans, D. ad exhib.

2. *b* Adverbium hoc incontinenti, quod est statim, tres dies significat. *C. lib.* 2. *tit.* 9. *constit.* 3. Basil. *lib.* 8. *tit.* 1. *cap.* 43. *et C. lib.* 3. *tit.* 1. *const.* 18. Basil. *lib.* 7. *tit* 6. *c.* 16.

b L. 3. C de err. advd.

3. *c* Errorem advocati sui quis intra dies tres corrigere potest. *C. lib.* 2. *tit.* 9. *const.* 3. Basilic. *lib.* 8. *tit.* 1. *cap.* 43.

c Ibid.

4. *d* Qui judicem recusaverit, intra dies tres a recusatione arbitrum eligere debet, *C. lib.* 3. *titul.* 1. *Const.* 18. Basil. *lib.* 7. *tit.* 6. *cap.* 16.

d L. ult C. de jud.

De septem diebus.

1. *a* Bestiæ quæ a ducibus ad urbem regiam mittuntur, in qualibet civitate septem duntaxat diebus pasci possunt. *C. lib.* 11. *tit.* 43. *const.* 2. non extat in Basil.

a L. unic. C. de venat. ferar.

2. * Dies septem, qui præcedunt passionem Christi Dei nostri, et septem qui eam sequuntur, feriati sunt. *C. lib.* 3. *tit.* 12. *const.* 6. Basilic. *lib.* 7. *tit.* 17. *cap.* 26. *th.* 3.

* *L. ut in die, C. de Feriis.*

De novem diebus.

1. Nullus hæredes defuncti ante novem dies, quibus lugent, incusare, vel convenire potest, aut molestare: nam quæ ante novem hoscie dies a lugentibus geruntur, rata non sunt. Post eosdem vero novem dies quivis absque impedimento agit, nec ullum patitur præjudicium circa temporis præscriptionem. *Novel.* 115 *Basil. lib.* 26. *tit.* 2. *cap. th.* 4.

De decem diebus.

1. *a* Ad decem edictom præsidis preponi oportet adversus eum, qui temere post litis contestationem abest, usque ad tertium. *D. lib.* 5. *tit.* 1. *dig.* 69. quod non extat in Basilic. Edite vere post Cod. *Nov.* 112 quæ posita est in *lib.* 7. Basilic. *t.* 4. *cap.* 3. triginta dies unicuique tribuit edicto, usque ad tertium.

a L. ad peremptorium. 68. cum 2. seq. D. de judic.

2. *b* Obligatio pecuniæ constitutæ die carens decem dierum spatium habet: nam modicum tempus, dies decem sunt. *Digest. lib.* 13. *titul.* 5. *dig.* 21. Basil. *lib.* 26. *tit.* 7. *cap.* 20.

b L. promissor 21. §. 1. D. de pec. const.

3. *c* Non tantum die fatali appellationem exercere potest is, qui appellavit, sed et ante dies quatuor, et post quinque dies: ut decem dies fatales ad appellationem habeat. *C. lib.* 7. *titul.* 66. *const.* 5. Basil. *lib.* 9. *tit.* 1. *cap.* 128. *them.* 3.

c L. ult. § et cum ratus, C. de temp. et repar.

4. Si futurum sit, ut triennium compleatur quo judicia pecuniarie terminantur, et alter absit: debet is, qui præsens est, decem diebus absentem per judicem citare: qui si non venerit, judicem cognoscere de causa, sententiamque ferre oportet. *Dig. lib.* 5.

(*) et interdictum) supplendum est: *sive legali mandatum:* sic enim græce dicitur: *et interdictum, sive legale mandatum de glande legenda* etc.

tit. 1. * *dig.* 72. quæ non exstat in Basil. Legito etiam quæ Theodorus scripsit ad *const.* 13. *tit.* 1. *lib.* 3. *C. ubi meminit et l.* 8. *const.* 43. *lib* 7. quæ ipsa quoque non extat in Basilic.

* L. et post edictum, 73. D. de judic.

5. *d* Silentio decem dierum electi arbitri sententia confirmatur. *Cod. lib.* 2. *tit.* 55 ...... quæ constitutio non extat in Basilicis.

d L. pen. C. de rec. arbitr.

6. Insimulatus, et in numerum reorum receptus, si non comparuerit is, qui insimulavit, intra decem dies, dimittitur: æstimatas juramentu suo impensas accipiens: Actor enim sub condemnationem cadit, ni adsit, ut est in edita post Cod. *Novel.* 53. *de exhibendis reis.* Basilic. *lib.* 7. *tit.* 12. *cap.* 7.

7. Omnis appellatio, vel per condemnatum, vel per procuratorem, vel defensorem, vel curatorem, intra decem dies mitti potest, ut traditur in edita post Codicem *Nov.* 23. *de appellationibus*, et Basil. *lib.* 9. *tit.* 2. *cap.* 3.

8. Præfectorum prætorio sententia retractatur. Unde postquam ea prolata est, potest condemnatus libellum instructivum ipsis offerre præfectis, vel eorum consiliariis, vel iis, qui causas introducunt, intra decem dies. Et pars victrix dat fidejussores, si apparuerit contra jus actionem instituisse, redditurum se, quæ accipit, cum accessione legitima: Nam post illos decem dies absque fidejussione fit retractatio, *Nov.* 119. Basil. *lib.* 9. *tit.* 2. *cap.* 10.

9. Qui apud Episcopum litem adversus clericum, aut monachum, aut ascetriam habet, intra decem dies appellationem offerre præsidi potest, ut coram ipso judicata examinentur: et si præses Episcopo contrariam sententiam tulerit, appellatio conceditur, et lis examinatur, ut est in *Novel.* 123. Basil. *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 34.

De quindecim diebus.

1. *a* Testes in causis pecuniariis quindecim duntaxat dies in judicio manere coguntur. *C. lib.* 4. *tit.* 20. *const.* 18. Basil. *lib.* 21. *tit.* 1. *cap.* 38.

a L. pen. C. de testib.

* 2. In quindecim diebus Paschatis neque ab annonas, neque ob publica debita cuiquam molestatio fiat. *C. lib.* 3. *tit.* 12. *const.* 6. Basilic. *lib* 7. *tit.* 17. *cap.* 23. *th.* 5.

* *L. actus,* 8. *C. de feriis.*

De viginti diebus.

1. Intra viginti dies excitare præsides Episcopi debent, ut cum aliis civitatibus, tum Constantinopoli, conjectos in carcerem servos eximant: quorum domini si non compareant intra viginti dies, servos ipsi liberent, ut *C. lib.* 9. *tit.* 4. *const.* 6. Basil. *lib.* 7. *tit.* 35. *cap.* 22. *th.* 2.

2. Reus non modo decem, ut olim, sed et viginti dies habet ad respondendum oblato libello, ut tradit *Novell.* 53. *de exhib. reis.* Basilic. *lib.* 7. *titul* 12. *cap* 8. Licet etiam intra dies hosce viginti recusare judicem, ut est in *Novell.* 96. Basilic. *lib* 7. *titul.* 4. *cap.* 1. *them.* 2.

3. Si domus aliqua venerabilis, vel Constantinopoli, vel in provincia, fiscalis debeat, et rem solidis trahere velit: administrator scriptum publice proponat viginti diebus: atque ita rem majus offerenti pretium vendat. *Nov.* 120. Basil. *lib.* 5. *titul* 2 *cap.* 19. *th.* 3.

4. *a* Omnis lis, quæ adversus præsides, quibus est successum, sive civiliter, sive criminaliter exercetur: intra viginti dies a litis contestatione finiri debet: nam si negligens in ea decidenda judex fuerit, ipse libris auri decem multatur, et ipsa lis extinguitur. *C. lib.* 1. *tit.* 49. *const.* 1. Basil. *lib.* 6 *tit.* 3. *cap.* 9. *them.* 8.

a L. un. in fi. C. ut om. jud.

5. *b* Si fidejussor procuratoris nullum certum tempus statuerit, ac forte dixerit, se pro illo fidejubere, licet aut decesserit, aut non extet amplius, idque sic evenerit: intra viginti dies alium dare debet. *C. lib.* 2. *tit.* 13. *const. ult.* quæ non est in Basilicis.

b Debet esse l. ult. C. de procurat.

6. *c* Ei qui servum susceperit, et intra viginti dies indicaverit, ignoscitur. *D. lib.* 11. *titul.* 4. *dig.* 1. Basil. *lib.* 7. *cap.* 1. *th.* 3.

c L. 1. D. de fugitiv.

7. Productio testium in iis, qui peregre non absunt, intra viginti dies conceditur.

De triginta diebus.

1. *a* Si accusator decesserit, aut quo minus accusationem persequatur, impeditus fuerit: rei nomen ex inscriptionibus aboletur. Verum alius intra dies triginta continuos eum de integro accusare potest. *D. lib.* 48. *tit.* 2. *dig.* 3. Basil. *lib.* 60. *tit.* 34. *cap.* 3. *th.* 2.

a L. 3. in fi. D. de accusat.

2. *b* Si criminum abolitio publica facta fuerit propter insignem diem, aut publicam lætitiam, aut ob rem, quæ reip. prospere cesserit: triginta continui dies accusatori dantur, ut accusationem renovare possit, atque in his adire judicem potest. Numerantur autem post finitas illas ferias, ob quas abolitio facta fuit. *D. lib.* 48. *titul.* 16. Basilic. *lib* 60. *titul.* 1. 17. 18. 19.

b L. 10 § 2 ad Sc. Turpil

3. *c* Impuberi fraudatio rei suæ distractæ remittitur a fisco petitore, si vectigal intra dies triginta solverit. *C. lib.* 4. *t.* 61. Basil. *lib.* 56. *t.* 4. *cap.* 4.

c Debet esse l. 1. C. de vectig. et commiss.

4. *d* Securitatibus, quæ conficiuntur a creditoribus, vel de universis, vel de particularibus debitis, aut sortis, aut usuræ, aut alterius cujuscumque contractus nomine, quibus securitatibus numeratio pecuniarum, aut datio certarum specierum inscripta est, intra xxx. duntaxat dies, post ejusmodi securitatum expositionem numerandos, exceptio non numeratæ pecuniæ oppòni potest: Nam postquam hi dies præterierint, cessat ejusmodi præscriptio, nec in his jusjurandum, hoc tempore lapso, defertur. Ceterum adversus cautionem in deposito, vel probationem do fiscalibus factam, vel adversus cautionem receptoriam, confectam nomine dotis, exceptio pecuniæ non

numeratæ nulla est, nec jusjurandum defertur. *C. lib.* 4. *tit.* 30. *const.* 14. Basil. *lib.* 23. *tit.* 1. *cap.* 73.

d L. 14. § super, C. de non num. pec.

5. *e* In causis pecuniariis, qui fidejussorem propter inopiam dare non potest, ultra dies xxx. in carcere manere non debet. Sin ulteriori opus est dilatione, juratoriæ cautioni committi debet. *C. lib.* 9. *titul.* 4. *constit.* 6. Basilic. *lib.* 7. *tit.* 15. *cap.* 22. *th.* 4.

e Fars l. 6. C. de cust. reor. quæ non extat.

6. Post admissam appellationem, quilibet judex intra xxx dies litigatoribus acta cum propria subscriptione dare debet. *Nov.* 121. Basil. *lib.* 9. *tit.* 2. *cap.* 13.

7. *f* Si servus ignorante domino suo militaverit, postquam id dominus sciverit, intra xxx. dies eum vindicat. *C. lib.* 12. *tit.* 33. *const.* 6. Basil. *lib.* 57. *tit.* 1. *cap.* 43. Quippe si domino sciente militet, liber efficitur, ac ne juri quidem patronatus obnoxius est, ut dicitur eodem libro et titul. Basilic. *cap.* 44. Idem in servis, qui ad dignitates perveniunt, et in libertis: nam si dignitatem, vel militiam dominis scientibus, nec contradicentibus, adepti fuerint: non amplius jure patronatus tenentur. *Basil. lib.* 49. *titul.* 1. *cap.* 28. *them.* 2. Nimirum si ignorassent, in servitutem eos retrahere poterant: nam ingrati videntur esse. *C. lib.* 12. *titul.* 33. *const.* 6. Basilic. *lib.* 57. *tit.* 1. *cap.* 47. et 49. *tit.* 2 *cap. ult.*

f L. pen. et ult. C. qui mil. poss. lib. 12.

8. *g* Tertium caput Aquiliæ recurrit ad xxx. retro dies, a re corrupta, et ab iis æstimatio fit. *Digest. lib.* 9. *titul.* 2. *dig.* 27. Basilic. *lib.* 60. *titul.* 4. *cap.* 27. *them.* 4.

g L. si servus 27. § tertio autem, D. ad leg. Aquil.

9. *h* Si curator peregre absit, intra dies xxx. judex eum certiorem reddat, quod tutor, vel curator nominatus sit. *Digestorum lib.* 26. *titul.* 5. *l. ult.* Basil. *lib.* 38. *tit* 10. *cap.* 28.

h L. ult. D. de tutor. et cur. dat.

10. *i* Intra dies triginta debet hæres inventarium incipere postquam apertum fuerit testamentum, aut postquam ei significata fuerit ejus apertio, vel postquam acceperit hæreditatem sibi delatam ab intestato. *Cod. lib.* 6. *tit.* 30. Basil. *lib.* 35. *tit.* 14. *cap.* 89.

i L. ult. C. de jur. delib

11. *k* Intra dies xxx. post factas inscriptiones exhiberi debet accusatus. *C. lib.* 9. *tit.* 3. *const.* 2. Basil. *lib.* 60 *tit.* 35 *cap.* 16.

k L. 2 C. de exhib et transf. re.

12. *l* Post dies xxx. Imperatoris ira finitur. *C. lib.* 9. *tit.* 47. *const.* 20. Basil. *lib.* 60. *tit.* 1. *cap.* 55.

l L. 20. C. de pœn.

13. *m* Intra dies xxx. dantur apostoli. *C. lib.* 7. *tit.* 62 *const.* 22 quæ non est in Basil.

m L. 24. C de appell.

14. *n* Per xxx. dies exhibere debet, qui res fiscales immobiles debet. *C. lib.* 10. *tit.* 14. *constit. ult.* Basil. *lib.* 56. *tit* 7. *cap.* 8. *th* 4.

n L. ult. C. de delator.

15. *o* Intra xxx. dies post inscriptiones, priusquam accusatus diffametur, abolitionem sive remissionem petit is, qui criminaliter aliquem accusavit. Quibus decursis, non amplius abolitionem, sive remissionem petere potest, nisi reus consentiat. *C. lib.* 9. *tit.* 42. *const. ult.* Basil. *lib* 60. *t.* 64 *cap.* 3.

o L. 3 C de abolition.

16. *p* Post divortium intra dies xxx. mulier denunciare marito debet, quod prægnans sit. *D. lib.* 25. *tit.* 3. *dig.* 1. Basilic. *lib.* 31. *titul.* 5. *cap.* 1.

p L. 1. § denuntiare. D. de liber. agn.

17. *q* Post mensem a die præstituto compulsor mittitur. *Cod. lib.* 10 *tit* 19. Basilic. *lib.* 56. *titul.* 8. *cap.* 24.

q L. ult. C. de exact. trib

18. *r* Intra dies xxx debent actuarii authentica pittacia militarium annonarum tradere, vel de suo solvere, quod reconditur. *C. lib.* 12. *t.* 37. *const.* 5. Basilic. *lib.* 57. *titul.* 4. *cap.* 5.

r L. actuarii, C. de erog. milit. ann.

19. Usque ad xxx. dies valet præsidis de asylo promissio, veluti *Novel.* 17. *de mandat. principis tradit.* Basil. *lib.* 6. *tit.* 3. *cap.* 21.

20. Quodlibet edictum, quod proponitur, xxx. diebus includitur. *Novel.* 112. Basil. *lib.* 7. *tit.* 4. *cap.* 3.

21. Etiam testium insimulationes, sive rejectiones intra dies xxx. procedunt.

De XL. *Diebus.*

1. In sacrosancta quadragesima criminalis accusatio non instituitur, exceptis latronibus. Etenim hi puniuntur etiam tempore sacri jejunii. *C. lib.* 3. *tit.* 12. *constit.* 5. *et* 8. Basil. *lib.* 7. *tit.* 17 *cap.* 22. *et.* 23.

De L. *Diebus.*

1. * Neque præsides, quum eis succeditur, neque consiliarii, neque domestici eorum ante L. dies relinquere provinciam debent. *Cod lib.* 1. *tit.* 49. *et tit.* 51. *constit.* 3. Novel. 8. *et* 95. *et* 128. *et* 161. Basil. *lib.* 6. *tit.* 3. *cap.* 9. *th* 7. *et cap.* 10. *et* 11.

* L. 1. C. ut. omn jud. tam Civil. L. 3. C. de adses.

2. * *a* Quinquaginta dies tutoribus ex quo se vocatos ad hoc munus cognoverint, cedunt: quibus in diebus, si volunt, utuntur excusatione. Sin prætermiserint, actione tutelæ tenentur. *Digest lib.* 27. *tit.* 1. *dig.* 11. *et* 38 *Cod. lib.* 5 *titul.* 62 *constit.* 5. *et* 12. Basil. *lib.* 38. *tit.* 1. *cap.* 11. *et* 32. 50 *et* 64.

* L. scire. 13. D. et a L. 6. C. de excusat. tut et cur.

De LX *diebus.*

1. * Maritus accusationem adulterii adversus uxorem jure mariti usque ad 60. dies continuos in-

* L. 6. C. ad L. Jul. de adult. l. si cujus 14. § 2. D. eod.

stituebat. *Cod. lib.* 9. *titul.* 9. *const.* 6. et *D. lib.* 48. *tit.* 4. *digest.* 11. Basilic. *lib.* 60. *titul.* 37. *cap.* 46. *et lib.* 10. *titul.* 4. *cap.* 29. Hodie vero ceu *Novell.* 117. tradit, et Basilic. *lib.* 28. *titul.* 7. *cap.* 1. inscriptiones ab eo petuntur. Etenim ademptum est ei discrimen hoc, jure mariti: nec amplius pœnitere post inscriptionem potest, ipsa muliere non permittente. Verum hoc sublatum aliquibus esse videtur: Non enim hoc expresse Novella dicit, sed simpliciter ait, convenire marito, ut in scriptis scilicet post sexaginta dies...

2. *a.* Qui compensationem fisco vult opponere, probare duos intra menses debet, id quod compensare velit, sibi deberi. *D. lib.* 49. *tit.* 14. *dig.* 40. Basilic. *lib.* 56. *tit.* 2. *cap.* 41. *them.* 4

a L. aufertur. 46. §. qui compens. D. de jur. fis.

3. * Quando venditor de capitibus Ædilicii edicti expresse non caverit, redhibitoria duos intra menses agitur. *D. lib.* 21. *tit.* 1. *digest.* 20. Basilic. *lib.* 19. *tit.* 10. *cap.* 20.

* *L. Si venditor.* 28. *D. de Ædil. Edict.*

4. *b* Qui jumenta vendit, etiam morbos eorum, et vitia dicat, et ornatum quo amicti vendendi causa fuerunt, tradit. Qui hoc non facit, de ornamentis restituendis, vel jumentis recipiendis, ornamentorum non datorum nomine intra dies 60. convenitur. *D. lib.* 21. *tit.* 1. *dig.* 30. Basil. *lib.* 19. *tit.* 10. *cap.* 29. *th.* 2.

b L. ædiles. 38. D. de ædil. ed.

5. *c* Si quis ita servum vendiderit, ut si quidem displicuerit emptori, redhibeatur: si tempus expressum non fuerit, intra LX. dies id facere potest. Si visum fuerit, ut perpetuo redhibeatur: perpetuo fiat. Quod si moram venditor interposuit, aut non aderat, qui recipere debebat, aut alia quædam justa causa intercessit: etiam post illos LX. dies redhibetur. *D. lib.* 21. *tit.* 1. *digest.* 23. Basilic. *lib.* 19. *titul.* 10. *cap.* 23. *them.* 15. quod si jugum aliquod jumentorum distractum fuerit, unius causa redhibetur et alterum. Basilic. *eodem lib. et tit.* c. 26. Eadem et in pecoribus Basilic. eodem *lib. et tit. cap.* 29. *them.* 4.

c L. Quod si nolit. 31. §. si quid, eod.

Scholium.

Hæc ita quoque nonnullis in exemplaribus scripta reperiuntur. Si tibi servum vendidero, ut si tibi displicuerit, cum mihi redhibeas: si tempus expressum a me non fuerit, intra LX. dies id facere potes. Si visum fuerit ut perpetuo redhibeatur, perpetuo fiat. Quod si moram venditor interposuerit, aut non aderat, qui recipere debebat, aut alia quædam justa causa intercesserit, etiam post illos LX. dies agit. Si jugum jumentorum venditum fuerit, propter unum, et alterum redhibet. Quæcunque de mancipiis dicta sunt, etiam in jumentis locum habent: ideoque post mortem etiam redhibentur. Eadem et in pecoribus.

6. *d.* Post duos menses administrationis, tutores usurarum nomine conveniuntur. *D. lib.* 26. *tit.* 7. *dig.* 7. *et Nov.* 72. *Basil. lib.* 37. *t.* 7. *cap.* 6. *them.* 4. *et tit.* 11. *cap. A. th.* 2. Non enim ab eis statim exiguntur, sed ubi, ceu dictum est, duo menses præterierint, aut tantum temporis, quo collocari pecunia potuit. Basilic. *eod. lib. et tit. cap.* 13. *th.* 2. *et* 4. Sed hoc locum non habet in eo, qui suos in usus converterit.

d L. tutor. 7. §. usuræ, L. de admin. tut.

7. *e* Si lex duos menses dixerit, etiam dies LX. pro eis accipiuntur. *D. lib.* 50. *titul.* 17. *dig.* 90. Basilic. *lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 92.

e L. Ubi. 101. D. de reg. jur.

8. * Duobus mensibus feriatis judicia ceasant. In causis autem fiscalibus, sive publicis, et ad ærarium apectantibus, et de mancipibus, sive pistoribus, etiam feriatis diebus judicium exercetur. *C. lib.* 3. *titul.* 12. *const.* 4. *et* 6. Basilic. *lib.* 7. *tit.* 17. *cap.* 21. *et* 23.

* *L. Publicas.* 5. et *l. Omnes.* 7. *C. de Feriis.*

9. *f* Emphyteuta jus emphyteuticum vendere volens, attestationem domino principali mittere debet, ac pretium indicare: Quippe si dominus ipse principalis emere noluerit, post duos menses alteri venditur, et dominus emptorem post duos menses attestationis, admittere cogitur. *C. lib.* 4. *titul.* 66. *constitut.* 3. Basilic. *lib.* 20. *titul.* 1. *cap.* 3.

f L. ult. C. de jur. emphyt.

10. *g* Si debitores fiscalium pecuniarum dilationem solvendi debiti petant, in minima summa non ultra duos menses eis dilatio conceditur: in magna, non ultra tres. *D. lib.* 49. *tit.* 14. *dig.* 40. Basil. *lib.* 56. *tit.* 2. *cap.* 40. *them.* 10.

g L. in fraud. 45. §. fiscal. D. de ju. fis.

11. *h* Qui bona condemnati ex caussa perduellionis habent, in urbe quidem imperatrice intra menses duos, in provinciis vero intra menses octo ea nuntiare debent. Alioqui cum ipsis bonis quadruplum præstant. *C. lib.* 9. *tit.* 49. *constit. ult.* Basil. *lib.* 46. *tit.* 52. *cap. ult.*

h Debet esse L. ult. C. de bon. proscript.

12. *i* Exiguum tempus, duorum mensium intelligitur. *C. lib.* 5. *tit.* 9. *constit.* 2. quæ non est in Basilic. * Et qui duobus mensibus cum uxore cohabitaverit, hæres ejus esse potest *C. lib.* 6. *titul.* 37. *const.* 19. Basilic. *lib.* 44. *tit.* 4. *cap.* 43.

i L. 2. C. de secund. nupt.
* L. non tantum, 19. C. de legat.

Scholium.

Anatolius ait, non modo si quis duobus mensibus cum uxore cohabitaverit, eum relicta consequi, sed etiam si minori tempore.

13. *k* Si hæres servum ita legatum, ut manumittatur, non dederit, eoque nomine conventus fuerit, et in æstimationem litis condemnatus: post duos menses a lite contestata servus fit liber. Hæres autem legatario ad expensas litis præstandas in quadruplum condemnatur. *Cod. lib.* 7. *tit.* 4. *const.* 17. Basil. *lib.* 48. *tit.* 13. *cap.* 15.

k L. ult. C. de fideicomm. libert.

14. *l* Ex quo rem cognoverit is, qui vocatus est ad duumviratum civitatis, vel ad alium honorem, duos menses ad appellandum, et ad recusandum habet. *Cod. lib.* 7. *titul.* 63. *const.* 1. Basil. *lib.* 9. *tit.* 1. *cap.* 125.

l L. 1. C. de temp. et repar. appellat.

15. *m* Qui coram tabulario, in causa privata, sic pro alio fidejubet, ac si esset is apud ipsum in deposito,

intra duos duntaxat menses tenetur, nisi expresse pro eo longius ad tempus intervenerit. Sic autem in caussa publica fidejusserit, in scriptis fidejussisse videtur, et in perpetuum tenetur. Nota igitur quod qui absque scriptura fidejubet, intra duos menses ex præsumptione teneatur. *C. lib.* 8. *tit.* 40. *const.* 27. Basilic. *lib.* 26. *tit.* 1. *cop.* 88.

m L. pen C. de fidejuss. et mandat.

16. *n* Servi mulieris in adulterio deprehensæ, transactis duobus mensibus post solutionem matrimonii, et post mortem mulieris, manumittuntur et distrahuntur. *C. lib.* 9. *titul.* 9. *constit.* 3. *et* 35. Basilic. *lib.* 60. *tit.* 37. *cop.* 43. *et* 66. *them.* 2.

n L. Non solum. 3. *et l. ult* C. ad leg. Jul. de adult.

17. Novellæ constitutiones post duos menses, quam insinuatæ sunt, valent. *Novel.* 66. Basilic. *lib.* 2. *tit.* 6. *cap.* 23.

18. Appellationes a judicibus datis ad eos, qui dederunt, duorum mensium spatium habent ad diem fatalem. *Novella* 82. Basilicorum *libro septimo, titulo primo, capite* 6. *themate* 2.

19. Quum clerici criminaliter conveniuntur, et a præside judicantur, sententiæ de ipsis promulgatio menses duos excedere non debet, sed intra hos caussa decidi. *Nov.* 83. quæ non est in Basilicis.

20. Actor fidejussores dare debet ante libelli missionem, sive antequam reus de actionis specie commonefiat, se duos intra menses litem contestaturum. Nam alioqui reo duplas expensas præstat, quæ tamen ad 36. solidos duntaxat sese porrigant. *Novel.* 96. cujus primum hoc caput non est in Basilicis.

De tribus mensibus.

1. * Si quis dilationem petierit ad producendos ex eadem provincia testes, ei trium mensium dilatio concedi debet. *C. lib.* 3. *tit.* 11. *const.* 1. Basil. *lib.* 7. *tit.* 17. *cop.* 11.

* *L.* 1 *C. de dilation.*

2. *a* Qui hæres scriptus est, intra tres meuses hæreditatem repudiare potest, et creditoribus non tenetur, licet ante scriverit se hæredem esse. *Cod. lib.* 6. *tit.* 30. *constit.* 22. Basil. *lib.* 35. *tit.* 14. c. 87. *th.* 1. *et.* 9. Hoc autem intellige de majore *. Nam minor citra distinctionem repudiat, etiam quum se immiscuerit. *C. lib.* 2. *tit.* 38. *constit.* 1. Basil. *lib.* 10. *tit.* 21. *cop.* 1.

a L. Scimus jam. C. de ju. delib.
* L. 1. C. si min. ab hæred.

3. *b* Qui facit inventarium, intra dies XXX. post apertas testamenti tabulas, vel ex quo se cognoverit hæredem esse, incipere debet, et intra menses tres complere: nisi forte absens sit, vel alibi sint bona hæreditaria: tunc enim intra annum complere inventarium debet. *Cod. lib.* 6. *tit.* 30. *constit.* 22. Basilic. *lib.* 35. *tit.* 14. *cop.* 87.

b L. Scimus jam, §. Sin autem, C. de ju. delib.

4. *c* Ædificanti si novum opus nuntiatur, intra tres menses causam dicere debet: ac si non decidatur interea, cavere, si male visus fuerit ædificasse, suis ea sumptibus se dirutorum. *Cod. lib.* 8. *tit.* 10. *const.* 1. Basilic. *lib.* 58. *tit.* 11. *cop.* 11. *th.* 11.

c L. 1. C. de novi oper. nunt.

5. *d* Condicionis curialis caussa, tres intra menses finiri debet: nam alioqui præses decem libris, et officium ejus quinque libris multatur. *Cod. lib.* 10. *titul.* 32. *constit.* 53. quæ non est in Basil.

d L. Generali, C. de decurion.

6. Nuptiis jam ad decennium usque constantibus, de dote non numerata tam maritus quam hæres ejus, intra tres menses queri possunt. *Novel.* 100. Basilic. *lib.* 29. *titul.* 3.

7. Quum litigantium pars una post cognitionem certamina suis allegationibus renuntiat, altera dicente, se aliud etiam quid habere, quod addat: judex huic parti mensem unum dilationis causa dare debet, ut si quidem possit, aliquid opis sibi ferat. Deinde rursus alium mensem, et rursus alium, sed post decursum trium mensium sententiam in illum ferat. *Nov.* 105. Basil. *lib.* 7. *titul.* 1. *cap.* 5. *th.* 12.

3. Qui de laicorum est numero, tribus mensibus divino vacare cultui debet, atque ita fieri Episcopus. *Nov.* 125. *cop.* 5. quod non est in Basil.

De centum diebus.

1. *a* Bonorum possessiones, quæ propinquis deferuntur, qui sunt ex transverso, intra centum dies continuos petuntur, ex quo cognitum fuerit eas competere. Et intra hoc tempus aut accipiunt eas, aut repudiant. *C. l.* 9. *tit.* 9. *const.* 2. Basil. *l.* 40. t. 1. c. 15.

a L. 1. C. qui adm. ad bon. poss.

Scholium.

Bonorum possessio est jus, quo licet alicui patrimonium vel bona defuncti obtinere.

2. *b* Deliberationis tempus sunt centum dies. *Dig. lib.* 28. *tit.* 8. *dig.* 1. *et* 2. Basil. *lib.* 35. *tit.* 13. *cap.* 2.

b L. 2. D. de ju. delib.

3. *c* Si frater meus adoptivus post mortem meam intra dies centum emancipatus fuerit, bonorum possessionem amittit. *D. lib.* 38. *tit.* 8. *dig.* 3. Basil. *lib.* 45. *tit.* 2. *cap.* 19.

c L. Capitis. 3. D. un. cogn.

De IV. mensibus.

1. *a* Si socius socio molestus fuerit in ædificatione domus communis, atque illo hanc non ædificante, solus ædificaverit, et usuras et ipsam expensarum sortem intra menses quatuor post refectionem, ab eo potest exigere. Post quatuor autem menses, si hæc non acceperit, dominus fit domus, qui eam sua dumtaxat ex parte struxit. *Dig. lib.* 17. *tit.* 2. *dig.* 29. Basil. *lib.* 12. *tit.* 1. *cap.* 29. *th.* 8.

a L. 52. §. 10. D. pro soc.

2. *b* Quatuor dumtaxat mensibus in provincia sua quis adsessor esto, nisi principis jussus, aut præceptio præfecti prætorio intervenerit: nam alioqui pro-

scribitur et punitur. *Cod. lib.* 1. *tit.* 51. *const.* 10. Basil. *lib.* 6. *tit.* 1. *cap.* 63 *them.* 2.

b L. In consiliariis. 10. C. de adsessor.

3. *c* Ad exercendam recusationem tutoria, menses quatuor competunt. *Dig. lib.* 26. *titul.* 1. *dig.* 32. Basil. *lib.* 38. *tit.* 1. *cap.* 32.

c L. Quinquaginta. 38. D. de excusat.

4. *d* Quatuor mensium dilatio condemnatis datur, et postea exigantur usuræ centesimæ. *C. lib.* 7. *tit.* 54. *const.* 2. Basil. *lib.* 9. *titul.* 3. *cap.* 86. Et fidejussores quoque ipsorum quadrimestre spatium habent, ut dicitur eodem cap. ac tit. Basilic. *them.* 2.

d L. 2. C. de usur. rei jud.

5. *e* Si unus ex iis, qui appellarunt, decesserit: hæredes ejus non modo reliquum tempus habent, sed alios præterea quatuor menses accipiunt, etiam post deliberationem. *Cod. lib.* 7. *tit.* 66. *constit.* 6. Basil. *lib* 9. *tit.* 1. *cap.* 144.

e L. Si unus. 6. D. si pend. appell. mors interv.

6. Si domos absentis, ab ipsius actore structa, vicino præsenti damnum dat: actor per quadrimestre spatium id indicare principali debet, eumque judicio sistere. Si vero cum id ei sit indicatum, non se steterit, tunc ipse curator litem peraequens si condemnatus fuerit, omnem ob opus novum si locuples sit, multam solvit: sin minos, ex bonis absentis exigitur. *Novella* 69. Basilicor. *lib.* 6. *titul.* 21. *capite.* 2. *them.* 5.

7. Presbyter, et diaconus, et subdiaconus, si jure ac lege propinquitatis ad tutelam, et curatoris munus vocati fuerint: intra quatuor menses, ex quo id cognoverint, eam sponte subire possunt, nullum hoc eis ferente præjudicium in alia tutela vel cura. *Novel.* 123. Basil. *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 11.

8. Si quis litigantium in causa pecuniaria, se nihil judici dedisse, vel promisisse juraverit, et intra quadrimestre spatium, a prolata sententia numerandum, probatum fuerit, aliquid ab eo datum vel promissum, ejus quidem quod donatum est, triplum exigitur: promissi vero, duplum. Post quatuor autem menses, non amplius tale quid quæritur. *Novell.* 124. Basilic. *lib.* 7. *titul.* 4. *cap.* 7.

De V. mensibus.

1. *a* Appellans a judice dato a præside, duos menses ad exercendum primum diem fatalem habet, et reliquos tres fatales accipit, quorum quisque dies habet triginta. Sed non amplius impetrat etiam aliud trimestre spatium reparationis: Nam reparatio non competit in appellationibus adversus pedaneos arbitros. *Cod. lib.* 7. *titul.* 63. *constit.* 2. *et* 3. Basil. *lib.* 9. *titul.* 1. *cap.* 126. *them. penul. et ult.*

a L. 2. C. de tempor. et reparat.

2. *b* Si scholares accepto commeatu abfuerint, intra quinque menses ob causas pecuniarias non conveniuntur. *C. lib.* 12. *tit.* 29. *const.* 2. Basilic. *lib.* 57. *tit.* 1. *cap.* 33. *th.* 2.

b L. Quoties, C. de privil. schol.

De VI. mensibus

1. *a* Si quis a peræquatore fundum acceperit, eum tuto possidet, ac reliqua prioris possessoris solvere non cogitur. Si quis autem se dominum dicat, vel obligatum esse sibi fundum, experiatur, ac si quidem vicerit, expensas dare cogitur, quas alter ille fecit, ad reddendum fundum meliorem: sed intra sex menses agere quis debet: nam post semestre spatium nullus convenire potest. *Cod. lib.* 11. *tit.* 58. Basil. *lib.* 55. *tit.* 14 *cap.* 1. *th.* 7.

a L. ult. C. de censib. et censit.

2. *b* Actio redhibitoria, id est, quæ rem distractam reddit, intra sex menses utiles sive continuos movetur. Currit autem hoc tempus, ex quo venditio facta est, vel ex quo promisit, aut stipulatus est venditor de vitiis rei venditæ, si quidem erat manifestum aliquod de vitiis indicium. *D. lib.* 21. *tit.* 1 *dig.* 15. Basil. *lib.* 19. *tit.* 10. *cap.* 15.

b L. Sciendum. §. ult. D. de ædil. edic

3. * Quum venditor non diserte de occultis rei venditæ vitiis caverit, actio quanti minoris, hoc ést, quæ pretium minuit, intra sex menses movetur, nec in annum extenditur. *D. lib.* 21. *titul.* 1. *dig.* 19. Basilic. *lib* 19. *titul* 10. *cap.* 20. **, videlicet ex quo sciverit emptor vitium, aut scire debuerit. *D. lib.* 21. *tit* 1. *dig.* 45. Basilic. *lib.* 19. *tit.* 10. *cap.* 43.

* *L. Si venditor.* 28. *ff. eod.* ** *L. Cum sex.* 55. *ff. eod.*

4. *c* Tutores anno primo sex mensium dilationem habent ad fœnerandas pupillares pecunias. *D. lib.* 26. *tit.* 7. *dig.* 15. quod positum est in Basilic. *lib.* 37. *tit.* 7. *cap* 15. sed non habet illa de sex mensium spatio *. Quod autem dictum est de spatio bimestri dig. 7. lib ejusdem et tit. D. et Basil. *lib.* 37. *tit.* 7. *cap.* 15. de anno unoquoque administrationis intellige.

c L. Si tutor. 15. D. de admin. tut. * *L. Tutor.* 7. § *Usuras, ff. eod.*

5. *d* Si præses quinquaginta diebus, postquam ei successum est, in provincia non manserit, illuc remittitur, et sex menses ibi moratur: de furtis, sive muneium captationibus, et criminibus sese purgans. Basil. *lib.* 6. *tit.* 3. *cap.* 9. *th.* 7. Verum illud de sex mensibus non continet.

d L. un. C. ut omn. judic. tam civil.

6. Episcopus sive de monachorum numero, sive laicorum ordinetur, sex menses in clero debet exigere. *Nov.* 6. *c.* 6. quod non exstat in Basil.

7. Si œconomi consuetudines decanis, et ascetriis intra sex menses non solverint, trientes usuras centesimæ præstant. *Novel.* 59. *tit.* 4. *c.* 2. *th.* 5.

8. *e* Qui propterea quod tres tutelas habet, quartam repudiat, si non ultra sex menses absint a pubertate pupilli priores, vel is cujus tutela suscipienda est, non excusabitur. *D. lib.* 27. *titul.* 1. *Digest.* 15. Basil. *lib.* 38. *tit.* 1. *cap.* 15.

e L. Non tantum. 17. D. de excusation.

9. Ab eo, qui legatum ad pias causas relictum intra sex menses ab insinuatione testamenti nume-

randos (et a cautione (*) propriæ manus illius, qui quid ad pias causas se dare cavit) præstare differt, et fructus exiguntur, et usuræ, et omnia accessio legitima, inde usque a tempore mortis ejus, qui legatum reliquit. *Novel.* 131. Basilic. *lib.* 5. *tit.* 3. *cap.* 9. *th.* 6.

10. Intra semestre spatium, vel Episcopi, vel clericorum decretum (**) de ordinatione fieri debet. Si vero qui decretum facere debent, moram interponant: tunc is, cui competit Episcopum ordinare, animæ suæ periculo quem vult ordinat. *Nov.* 123. *cap.* 6. quod non extat in Basilicis.

11. *f* Si eadem in provincia, ubi lis exercetur, quispiam dicat esse conducentia sibi ad litem instrumenta, vel personas, et trium mensium dilationem petat, ipsa ei datur. Sin alia in provincia, loco illi vicina, in quo lis exercetur: sex mensium spatium datur. Sin transmarina provincia sit, quæ aliam provinciam interiacentem habeat, novem mensium dilatio conceditur. *Cod. lib.* 3. *tit* 11. Basil. *lib.* 7. *tit.* 7. *cap.* 11.

f L. 1. C. de dilation.

12. *g* Si quis spoponderit, se intra certum tempus personam velle sistere, vel ni stiterit, pœnam præstaturum: ab eo non simul atque tempus hoc præterierit, pœna exigitur, sed aliorum sex mensium dilationem habet. Post sex vero menses exigitur ab eo, nisi intra primum illud tempus insertum stipulationi, mortuus fuerit is, pro quo facta fidejussio fuit. Quippe si secunda dilatione obierit, pœna consimiliter exigitur. *Cod. lib.* 8. *tit* 40. *const.* 16. Basil. *lib.* 26 *tit.* 1 *cap.* 87.

g L. Sancimus. 26 C. de fid. et mand.

13. *h* Si ex relatione publicarum personarum aliqui propter cædem admissam adpræhensi fuerint: fidejussoribus committi non debent, sed in carcerem conjici, negotio intra semestre spatiom finiendo. Sin a privatis hominibus accusati fuerint, cum legitimis inscriptionibus fidejussores dare debent, aut in carcere manere, negotio intra annum decidendo. *C. lib.* 9. *tit.* 4. Basilic. *lib.* 60. *tit.* 35. *cap.* 27. *th.* 5.

h Pars leg. 6. C. de cust. reor quæ integra non extat.

14. *i* Omnis causa fiscalis, sive quæ spectat ad publicum ærarium, intra sex menses a lite contestata terminatur: nisi dilatio necessaria sit. *C. lib.* 10. *tit.* 1. *const.* 11. Basil. *lib.* 56. *tit.* 2. *cap. ult.*

i Pertinet ad l. 11. C. de jure fisci, quæ integra quæ non extat.

15. *k* Si mortuus fuerit, aut non exstet amplius qui ab aliquo datus est in litem procurator, post vigesimum diem propositi a judice edicti de alio constituendo, sex mensium dilationem principalis absens habet, provincia longius dissita, ut aliom procuratorem eligat, vel ipse comparcat. Quippe si non procul absit, a judice dilatio quædam statuitur. *Cod lib.* 2. *tit.* 12. *const. ult.* quæ non exstat in Basilicis.

k Epitome leg. ult. C. de procur. quæ non extat.

16. *l.* Si hæres vocatus, usque ad sex menses contumax fuerit: legatarius non solum in rerum hæreditariarum, sed etiam in ipsius hæredis propriarum possessionem mittitur. *Dig. lib.* 36. *tit.* 4. *dig.* 4. *them.* 9 *Cod. lib* 6. *tit.* 54. *const.* 6. Basilic. *lib.* 44. *tit.* 22. *cap.* 4. *them* 9. *et tit.* 31. *cap.* 6.

l L. Certa est forma 6. C. ut in possess legat 1. 5. cui legat. 5. §. Imperator Anton. D. eod.

17. *m* Episcopus instruere præsidem debet, ut intra sex menses de incarceratis, qui fidejussoribus destituuntur, sententiam ferat, exceptis homicidis. *Codicis lib.* 9. *tit.* 4. *constit.* 6. Basil. *lib.* 60. *tit.* 35. *cap.* 22. *th.* 3. *et* 6.

m Pars leg 6. C. de cust. reor.

18 *n* Si curatores intra sex menses reliqua præteriti temporis non solverint, a dominis exiguntor. *Cod. lib.* 10. *tit.* 16. *const* 9. Basilic. . . . .

n L. 9. C. de anno. at. lex 10 obsistere. Hoc thema non erat in edit. Cuj

19. Qui a peræquatore terram accepit, firmiter eam possideat, nec ab eo reliqua præteriti temporis exigantur. Sin aliquis eam sibi vendicat, actionem intra sex menses competentem instituat. *Cod. lib.* 11. *tit.* 58. Basilic. *lib.* 56. *tit.* 14 *cap.* 1. *them. ult.*

Scholium.

Eadem prius quoque dicta sunt cap. 1. verum hoc loco pro his talia quædam in aliis exemplaribus inveniuntur: o Post sex menses ex quo alteri res ius fuerit a peræquatore addicta, non amplius agere potest.

o L. 11. C. de censib.

20. *p* Qui militat, et post tempus dati commeatus sex mensibus abfuerit, post alios quinque deinceps militat, et ad inferiorem locum deinde detruditur. *Cod. lib.* 12. *tit.* 42. *const.* 2. Basil. *lib.* 57. *tit.* 1. *cap* 17.

p L. 2. C. de commeatu.

21. Si liber homo decurioni mortuo veluti propinquus succedere velit, et curiæ semet tradere debet intra sex menses, et hoc ipsum apud gesta monumentorum deponere. *Nov.* 101. quæ non extat in Basil.

22. *q* Locorum domini absentes, sex menses habent ad veniendum, et ad solvenda fiscalia, et ad recuperandos agros a possessoribus, *C. lib.* 11. *tit.* 59. *const.* 11. Basil. *lib.* 56. *t.* 14. *cap.* 11.

q L. Locorum. 11. C. de omni ag. des.

De VII. mensibus.

1. *a* Qui septimo mense natus est, perfectus est, et justus filius parentibus. *Dig. lib.* 1. *tit.* 5. *dig.* 10. Basilic. *lib.* 46. *titul.* 1. *cap.* 10. *et lib.* 45. *tit.* 1. *cap.* 15. *th* 6.

a L. Septimo. 12. D. de st. homin.

(*) *et a cautione etc.*) Verba hæc uncis inclusa a veteribus Cujacianis exemplaribus absunt, atque adeo Fabrotiana quoque editio copiosiorem hoc loco versionem habet quam textum. Unde post τὸ ἀριθμούμενον supplendus textus sic est e'd. Leunclav. Edit. (καὶ τῆς ἀσφαλείας τοῦ ἰδιοχείρου ἐκείνου, ὅστις ἠσφαλίσατο δοῦναι τι εἰς εὐσεβεῖς αἰτίας.

(**) *vel clericorum etc.*) τὸ *vel clericorum* decretum *de ordinatione* desunt in textu a'laudata Ed. Francof. supplenda ἢ τὸ τῶν κληρικῶν περὶ χειροτονίας etc.

De VIII. *mensibus.*

1. *a* Qui bona proscripti ex causa perduellionis in provincia possident, nisi intra menses octo ea nuntiaverint, quadruplum solvunt. *C lib* 9. *tit* 49 *const* 6. Basilic. *lib.* 60. *tit.* 52. *cap.* 17.

a Pars l. ult. C. de bon. proscript.

2. Actor habet octo menses ad nuntiandum principali, qui agit in extremis Romanæ dictionis locis, ut compareat, vel ei qui nuntiavit, litem committat, vel alium pro ea defensorem constituat. Quod si non venerit is, cui nuntiatum est, et tempus statutum effluxerit, lis in præsentia procuratoris, qui rem nuntiavit, disceptatur: quo condemnato, non amplius ille, cui nuntiatum fuit, agere potest, atque si præter voluntatem suam alter ille litem exercuerit. *Nov.* 69. Basilic. *lib.* 6. *tit.* 21. *cap.* 2. *th.* 3.

De IX. *mensibus.*

1. *a* Qui appellat adversus datum a principe judicem, habet illo quidem sex mensium dilationem, et inchoandos a die trigesimo primo tres dies fatales: sed trimestre spatium ad reparationem sive renovationem litis non impetrat. C. lib. 7. tit. 63. const. 2. quæ posita est lib. 9. Basil. titul 1. Novel. 126. sed alterum hoc ejus thema de arbitris, sive sacris judicibus omissum fuit, et magis tamen receptum, quam 82. *Nov. lib.* Basil. 7. *tit.* 1. *cap.* 5.

a L. 2. C. de tempor. appell.

De XI. *mensibus.*

1. Si mulier post finitum undecimum a morte viri mensem peperit, stuprum commisit, sive libidinem, et turpitudinem exercuit: et iisdem pœnis tenetur, quibus et illa quæ ante finitum luctus tempus nupta fuerit. Novella 39. Basilicorum *lib.* 28. *titul.* 15. *cap.* 1.

De uno anno.

1. *a* Usufructuarius actione legis Aquiliæ proprietarium convenit ob vulneratum servum: et recurrit ejus æstimatio retrorsum ad illum proximum annum, licet ante legatum servi usumfructum anni retroactio inveniatur. *D. lib.* 9. *tit.* 2. *dig.* 12. Basilic. *lib.* 50. *tit.* 3. *cap.* 13.

a L. Sed etsi. 12. D. ad leg. Aquil.

2. *b* Ex quo vulneratus est servus, non ex quo mortuus est, tempus retrorsum currit. *Dig. lib.* 9. *tit.* 2. *dig.* 20. Basil. *lib.* 60. *tit.* 3. *cap.* 20.

b L. ult. Lex 21. D. eod.

3. * Dominus, qui agit Aquilia de servo occiso, exigit omnia lucra, quæ ante illum annum habiturus erat. Digestorum *lib.* 9. *tit.* 2. *dig.* 22. Basil. *lib.* 60. *tit.* 3. *cap.* 22. *them.* 3.

* *L. Proinde.* 22 *ff. eod.*

4. c Post mortem filiifamilias, aut servi, vel post emancipationem filii, vel post manumissionem, aut alienationem servi, actio de peculio annalis est. Annus autem continuus est, incipiens ex quo facultatem agendi quis habuit. Ideoque in debito condicionali, non prius numeratur, quam condicio exstiterit. Convenitur autem patris hæres, licet etiam fiscus scriptus sit hæres *D lib.* 15. *tit.* 2. Basilic. *lib.* 18. *tit.* 6 *cap.* 1.

c L. 1. D. quando act. de pecul. annal

5. *d* Hæres ejus, qui depositum accepit, de illius dolo intra annum tenetur. *D. lib.* 16 *titul* 2. *dig.* 18. Basilic. *lib.* 13. *tit.* 2 *cap.* 15.

d L. 18. D. depos.

6. *e* Actio quanti minoris, quum diserte venditor constituerit de vitiis rei venditæ, annalis est continua. *D. lib.* 21. *tit.* 1. *dig.* 14. Basil. *lib.* 19. *tit.* 10. *cap* 14. *th.* 6.

e L. Sciendum. 19. in fi. D. de ædil. edic.

7. *f* Si quis jure militari testatus, militia missus fuerit: post annum ejusmodi testamentum veluti militare non valet. *D. lib.* 28. *tit.* 3. *dig.* 7. Basilic. *lib.* 39. *tit.* 2. *cap.* 6.

f L. Quod constitutum. 21. D. de milit. testam.

8. * Relictum venerabili domui, nisi solutum intra annum fuerit, duplum exigitur. *Cod. lib* 1. *tit.* 3. *const.* 45. quæ non est in Basilicis.

* *L. Sancimus.* 46. *C. de epis. et cler.*

9. * Nec uxor ejus qui tonsuram occepit, ante annum sine periculo nuptias contrahit, nisi quum prægnans esset, intra annum pepererit. *C. lib.* 1. *tit.* 3. *const.* 25. quæ non est in Basilic.

* *L. Sancimus.* 53. *C. eod.*

10. *g* A morte viri intra annum exceptio de non numerata dote opponitur. Cod. lib. 4. titul. 30. const. ult. et *C. lib.* 5. *tit.* 15. *const.* 3. quæ non exstant in Basil.

g L. Si cui. pec. C. de non num. pec. eadem cum l. 3. C. de dote cau. non num.

11. * Quæ justa causa matrimonium solvit, post annum sine periculo nubet. *Cod. lib.* 5. *titul.* 17. *const.* 8. *et* 9. quæ non sunt in Basil. nam earum loco positum est *cap.* 12 *Nov.* 22. in libris Basilic. *lib.* 28. *tit.* 7. *cap.* 6

L. 8 §. *hæc nisi C. de Repud.*

12. *h* Qui a peræquatore damnum sibi datum dicit, intra annum agere debet. *C. lib.* 11. *tit.* 57. *const.* 5. Basil. *lib.* 56. *tit.* 14. *cap.* 5.

h L. Qui gravatos. 5. C. de censib.

13. *i* Qui pupillo tutorem intra annum non petiverunt, a successione ejus excluduntur. *Cod. lib.* 6. *tit.* 58. *constit.* 19. quæ posita quidem est in Basilic. *lib.* 45 *tit.* 1. *cap.* 42. sed tempus adjectum non habet. Item *lib. Dig.* 38: *tit.* 17. *cap.* 12. Basil. *lib.* 45. *tit.* 1. *cap.* 26. *th.* 18

i L. Scient. 10. C. de legit. hæred.

14. *k* Actio injuriarum annalis est, et perimitur dissimulatione. *C. lib.* 9. *tit.* 35. *const* 5. Basil. *lib.* 60. *tit.* 21. *cap.* 48. *th.* 2.

k L. Si non 5 C. de injur.

15. *l* Qui propter magnum aliquod crimen factus est requirendus, ejus bona, si intra annum non comparuerit, occupantur: ac tametsi postea reversus fuerit, ea repetere non potest. Si vero ad annos viginti fiscus bona ipsius non occupaverit, non amplius ea occupare potest. *Dig. lib.* 48. *tit.* 17. Basil. *lib.* 60. *tit.* 49. *cap.* 1. *et* 2. *et* 6. *et* 7.

l L. 1. et 1. ult. D. de requir. vel abs. dam.

16. Intra spatium unius anni dominus servilem fortunam probare potest, ordinatione servi facta, quem et recipit. *Nov.* 123. Basil. *lib.* 3. *titul.* 1. *cap.* 28.

17. *m* Tam descendentes, quam ascendentes annum habent ad deliberandum, an hæreditatem adire velint. *D. lib.* 38 *tit.* 9. Basil. *lib.* 45. *titul.* 2. *cap.* 31. *th.* 8. Idem est, si a servis hæredes scripti ad successionem vocentur. * *Lib. eod. et titul. et cap.* Basilic. *them.* 10.

m L. 1. §. Largius. D. de success. ed. * *L.* 1. §. *Non solum. ff. eod.*

18. *n* Pœnalis actio competens adversus eos, qui jurisdictioni magistratus non obtemperant, post annum non instituitur. *D. lib.* 2. *tit* 3. Basil. *lib.* 7. *tit.* 7. *cap.* 3.

n L. un. in fi. D. si qu. jusdic.

19. *o* Actio competens adversus eos, qui quem injuste trahunt ad tribunal, post annum non datur. *Digest. lib.* 2. *titul.* 4. *diges.* 23. Basil. *lib.* 7. *tit.* 8. *cap.* 24.

o L. pen. D. de in jus voc.

20. * Actio in eos, qui vocatos in jus vi eximunt, anno exspirat. *Digest. lib.* 2. *tit.* 7. *dig.* 23. Basilicor. *lib.* 7. *tit.* 13. *cap.* 5. *them.* 3.

* *L. Si per alium.* 5. *in fin. D. ne quis eum.*

21. *p* Edictum prætorium quod datur in eos, qui dolo fecerint, quo minus se judicio quis sistat, post annum locum non habet. *D. lib.* 2. *titul.* 10. Basilic. *lib.* 7. *tit.* 15. *cap.* 5. *them.* 3.

p L. 1. in fi. D. de eo per quem fact. er.

22. * Actio competens in eos, qui non patiuntur edi speciem actionis, annalis est. *Dig. lib.* 2. *titul.* 13. Basilic. *lib.* 7. *titul.* 18. *cap.* 13.

* *L. ult. D. de edend.*

23. *q* Actio competens in alienantes rem aliquam homini inquieto, vel potenti, ut actio difficilis adversario reddatur, annalis est. *Dig. lib.* 4. *tit.* 7. Basilic. *lib.* 10. *tit.* 37. *cap.* 5.

q L. Vel post annum. 8. D. de alienat. jud. mut.

24. *r* Actio Fabiana adversus servum, qui cum liberto contraxit in fraudem patroni, post mortem, vel manumissionem ejus servi, contra dominum ejus intra annum instituitur. *Dig. lib.* 38. *titul.* 5. Basilic. *lib.* 49. *tit.* 6. *cap.* 1. *them.* 18.

r L. 1. §. Item, D. si qu. in fr. patr.

25. *s* Actio quæ datur in aliquem quum liber homo per effusa vel dejecta occisus est, annalis est; quum læsus, si quidem agit ipse, perpetua est: sin alius, annalis: ac neque hæredibus, neque in hæredes datur. *Dig. lib.* 9. *titul.* 3. *dig* 16. Basil. *lib.* 60. *tit.* 4. *cap.* 3. *them.* 6.

s L. Si vero. §. Hæc autem, D. de his, qui dejec. vel effud.

26. *t* Actio competens adversus prohibentes ingredi possessionem, excepto qui missus est in possessionem legatorum, intra annum dumtaxat datur: nam post annum id tantummodo damnatur, quod ad eum pervenit. *Dig. lib.* 43. *tit.* 4. Basilic. *lib.* 51 *tit* 5. *cap.* 2. *th.* 2

t L. 1. §. Hanc actionem. D. ne vis fiat ei qui in poss.

27. *u* Interdictum competens adversus eum, qui vi possessorem expulerit, anno dumtaxat concluditur: nam post annum in id, quod ad eum pervenit, tantummodo damnatur. *Dig. lib.* 43. *tit.* 16. Basil. *lib.* 60. *tit.* 7. *cap.* 7.

u L. 1. §. Anno. D. de vi et vi arm.

28. *x* Actio annalis continua est, quæ competit in eum, qui liber esse jussus, post mortem domini sui, antequam hæreditas adita esset, dolo res hæreditarias surripuerit. *Dig. lib.* 47. *tit.* 4. Basil. *lib.* 60. *titul* 3. *cap.* 1.

x L. 1. D. si quis testam. lib. esse.

29. *y* Actio de bonis mobilibus vi raptis intra annum continuum dumtaxat movetur. *Cod. lib.* 9. *tit.* 33 Basil. *lib.* 60. *tit.* 11. *cap.* 30. *et* 31.

y L. 3. et 4. C. vi bonor. raptor.

30. *z* Actio competens in eos, qui alicui damnum in turba dant, intra annum continuum in quadruplum datur: post annum, in simplum. *Dig. lib.* 47. *tit* 8. Basilic. *lib.* 60. *tit.* 17. *cap.* 2. *them.* 9. Tertium vero thema quarti capitis eodem tit. dupli mentionem facit.

z L. prætor ait. 4. D. eod.

31. *a* Actio quæ instituitur adversus eum, qui rem aliquam rapuit ex incendio, vel ruina, vel naufragio, vel dolo malo recepit, vel damnum in his rebus fecit, intra annum continuum dumtaxat in quadruplum datur: post annum vero, in simplum. *Dig. lib.* 47. *tit.* 9. Basil. *lib.* 60. *tit.* 20. *cap.* 1. *et. lib.* 53. *tit.* 3. *cap.* 25. *et* 42.

a L. 1. p. de incend. ru. et nauf.

32. *b* Si filiusfamilias tutelam administraverit, pater ejus intra annum a finita tutela numerandum, de peculio convenitur. *Dig. lib.* 27. *titul.* 3. *dig.* 8. Basil. *lib.* 38. *tit.* 3. *cap.* 8.

b L. Si filiumfam. 11. D. de tut. et rat. distrah.

33. *c* Omnis popularis actio annalis est. *Dig. lib.* 47. *tit.* 23. Basilio. *lib.* 60. *tit.* 32. *cap.* 10.

c L. ult. D. de popul. act.

34. *d* Etiam hæredes illius, qui pecunias ab aliquibus in magistratu accepit, lege Julia repetundarum tenentur, intra annum ab ejus morte computandum. *Dig. lib.* 48. *tit.* 11. Basil. *lib.* 60. *tit.* 43. *cap.* 2.

d L. 2. D. ad leg. Jul. rep.

35. *e* Si quis peregre proficiscens in provinciam et apud se pecunias publicas habens, eas apud ærarium professus descripserit, et intra annum non reddiderit: lege de residuis tenetur. *Dig. lib.* 48. tit. 13. Basilic. *lib.* 60. *tit.* 45. *cap.* 10. *th.* 4.

e L. sacril. 9. §. ult. D. ad leg. Jul. pec.

36. *f* Si filiofam. milite defuncto sine testamento, pater ejus peculium lucratus fuerit: pro peculii modo intra annum continuum a creditoribus convenitur. Sin ex testamenti tabulis hasce res habuerit, perpetuo tenetur, id est, usque ad annos xxx. *D. lib.* 49. *tit.* 17. Basil. *lib.* 57. *titul.* 2. *cap.* 16.

f L. Pater. 17. D. de cast. pec.

37. *g* Si annus post accusationem effluxerit, non impeditur aliquis honores gerere, nisi per ipsum steterit, quo minus causa criminalis intra annum expediatur. *Dig. lib.* 50. *tit.* 4. Basilic. *lib.* 54. *tit.* 4. *cap.* 6.

g L. Reus. 7. C. de mun. et honor.

38. *h*. Quæ ad rescindendam usucapionem datur actio, post annum non instituitur. *D. lib.* 44. *tit.* 7. Basil. *lib.* 52. *tit.* 1. *cap.* 34. *them.* 3.

h L. In honorariis. 35. D. de oblig. et act.

39. *i* Actio quæ datur in eum, qui alicui metum incusserit, intra annum quadruplum exigit, post annum, simplum dumtaxat. *Dig. lib.* 4. *tit.* 2. Basil. *lib.* 10. *tit.* 2. *cap.* 11. *them.* 3.

i L. Item si cum. 14. D. quod met. cau.

40. *k* Si navicularius se naufragium sustinuisse dicat, convenit ut in provincia, in qua hoc dicit accidisse, testibus id quod evenit, probet, et operam det, ut intra annum hoc ad præfectos referatur, quo veritas intra tempus illud perquiratur. *C. lib.* 11. *tit.* 6. Basil. *lib.* 53. *tit.* 3. *cap.* 46. Si vero per negligentiam id intra annum non fecerit, non amplius facere potest. Ceterum hæc causa naufragii debet intra biennium decidi. *C. lib.* 11. *tit.* 6. *const.* 5. *cujus* hæc pars non est in Basilicis.

k L. 2. et 5. C. de naufr.

41. Si postquam alicui competierit aliquid a testatore relictum, decreto judiciali admonitus, quod ipse sit hæres, aut legatarius, aut universalis fideicommissarius, sive qui universum patrimonium accipit, ut alii restituat, annum totum traxerit, non agens id, quod agere jussus est: si quidem ex illorum est numero, qui lege cogente quid accipiunt, nihil accipit, extra portionem legitimam. Sin extraneus est, nihil omnino accipit, ne quidem ex causa Falcidiæ. *Nov.* 1. Basilic. *lib.* 41. *tit.* 4. *cap.* 1.

42. Si uxor ejus, qui est in expeditione, defunctum audierit maritum suum, postquam apud gesta monumentorum priores ejusdem numeri juraverint, eum obiisse, etiam alio anno lugere debet, *Novel.* 117. Basilic. *lib.* 28. *tit.* 7. *cap.* 7.

43. Quælibet mulier anni spatio lugere maritum debet, nec ante completum annum matrimonium contrahere *l. Dig. lib.* 3. *tit.* 2. *et D. lib.* 13. *tit.* 2. *dig.* 4. Basil. *lib.* 21. *tit.* 2. *cap.* 5. *them. ult. et cap.* 8. *et lib.* 28. *tit.* 5. *cap.* 13. *th.* 4. *et* 5. Quod si etiam mulier ipsa causam solutioni matrimonii præbuerit, duobus casibus exceptis, alteri nubere non potest ante completum quinquennium. *Novell.* 117. Basilicorum *lib.* 28. *titul.* 7. *cap.* 6. Duo vero casus isti sunt, quum adulterii damnata fuerit, ut est in lib. Basil. 28. *tit.* 7. *cap.* 1. *th.* 4. et in sequentibus: et quum absque justa causa libellum repudii marito miserit: tunc enim in monasterium conjicitur, ut est in libri et titul. ejusdem *cap.* 9. *th.* 2. *et sequentibus.* Pœna vero missi sine justa causa repudii communis est, ac de viro quoque intelligitur. Ceterum hæc omnia sparsim posita sunt. Lege præterea *Nov.* 134. (al. 117.) in lib. Basil. 28. *tit.* 7. *cap.* 9. Nam quod positum est in fine *Nov.* 127. non extat in Basil.

l L. Liberorum. 11. D. de his qui notant. infam.

44. Si quis in ultima voluntate xenonem jusserit extrui, debet is intra annum ædificari. *Novel.* 131. Basilic. *lib.* 5. *tit.* 3. *cap.* 2.

45. Nullus episcoporum ultra annum ab episcopatu suo debet abesse. *Nov.* 123. Basilic. *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 17.

46. Si domino ignorante servus inter clericos relatus fuerit, integrum domino est, ut intra annum, ex quo rem cognoverit, eum recipiat. *Novell.* 123. Basilic. *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 8.

47. *m* Actiones pœnam secum trahentes, annales sunt. *Dig. lib.* 44. *tit.* 7. Basil. *lib.* 52. *titul.* 1. *cap.* 34. Et alioqui si qua sine judicis auctoritate fiunt, intra annum pœnas habent. Similiter et invasiones violentæ. * *D. lib.* 47. *tit.* 8. Basilic. *lib.* 60. *tit.* 17. *cap.* 2. *th.* 2. *et cap.* 4. *th.* 1. *et cap.* 27.

m L. In honorariis. 35. D. de oblig. et act.
* *D. de vi bonor. rapt.*

48. *n* Debet episcopus cujusque civitatis cum tribus aliis honestæ existimationis, singulis annis opera civitatis inspicere, et efficere, ut eorum modus constituatur, et ut curatores illorum rationes reddant. *Cod. lib.* 1. *tit.* 4. *const.* 26. quæ non est in Basil.

n Pars l. 26. C. de episcop. aud.

De biennio.

1. *a* Conductore domus non apparente, potest is qui locavit, domum post biennium aperire, ac res ipsius describere per publicas personas a judice missas, et aliis eam postea locare. *Dig. lib.* 19. *tit.* 2 *digest.* 46. Basil. *lib.* 20. *tit.* 1. *cap.* 56.

a L. cum domini. 56. D. loc.

2. *b* Causæ criminales intra biennium decidi debent. *Cod. lib.* 3. *tit.* 1. *const.* 13. Basil. *lib.* 7. *tit.* 6. *cap.* 13.

b L. ult. C. ut int. cert. temp. crim. qu.

3. * Actio de dolo malo, nisi intra biennium continuum ex eo tempore numerandum, quo dolus commissus est, et incœpta et completa fuerit, extinguitur. *C. lib.* 2. *tit.* 21. *const. ult.* Basil. *lib.* 10. *tit.* 3. *cap. ult. c.* Quum autem altera subest actio, non datur actio de dolo, utpote quæ infamiam irroget. *D. lib.* 4. *tit.* 3. *Basil. lib.* 10. *tit.* 3. *c.* 1.

* *L. ult. C. de dol. c. L.* 1. *D.* de dolo ma.

4. * Si mulier intercedens sive constitucus pro extraneo, post exactum ab intercessione biennium denuo consenserit, aut fidejussores dederit, non amplius succurritur ex senatusconsulto. *C. lib.* 4. *tit.* 29. *const.* 22. Basil. *lib.* 29. *tit.* 7. *cap.* 82. Extraneum vero propterea concepimus hoc casu, quia positum est in edicto post *Cod. Nov.* 61. quod mulieri, tametsi sæpius post quantumcumque temporis spatium pro viro suo stipulata fuerit, veluti constituenti subveniatur. Basil. *lib.* 29. *tit.* 7.

* *L. Si mulier perfecte.* 22 *C. ad. S. C. Vel.*

5. * Exceptio non numeratæ pecuniæ post biennium continuum non opponitur. *C. lib.* 4. *tit.* 30. *const.* 14. Basilic. *lib.* 22. *tit.* 1. *cap.* 73.

* *L. In Contractibus.* 14. *C. de non num. pec.*

6. * Qui puellam sibi despondit, nullo in sponsalibus tempore definito, intra biennium eam ducere debet uxorem si eadem in provincia præsens sit, impune (*) puella cum alio copulatur. *Codic. lib.* 5. *titul.* 1. *constitutione* 2. Basilicorum *lib.* 28. *tit.* 1. *cap.* 15.** Sin abest, intra triennium, ut est in *lib. eod. tit. eod. et cap. eod.*

* *L. Si is* 2. *C. de spons.* ** *L. Liberum.* 2. *C. de repub.*

7. * Qui dotem promisit, post biennium a nuptiis usuras et reditus præstat usque ad trientem centesimæ. *Codicis lib.* 5. *tit.* 12. *const.* 31. Basil. *lib.* 29. *tit.* 1. *cap.* 111.

* *L. ult. C. de jur. dot.*

8. * Si pacto convenerit, quomodo et quando creditor pignora distrahere debeat: pactum valet. Sin nullum intervenerit, licet creditori ex judiciali sententia, vel ex denuntiatione, duobus annis a sententia vel denuntiatione lapsis, pignus distrahere. Sin id nemo comparaverit, tunc creditori volenti pignus jure dominii possidere, necessitas incumbit eadem faciundi. Ac si quidem præsens est debitor, testationem ei mittat: si non est præsens, tribunalia adeat, et præsidem accedat, ut per officium is inveniatur, et judex tempus statuet, intra quod debitor quæri debet, ac si quidem inventus fuerit, debitum solvat, et pignus recipiat: si vero non comparuerit, alterum certum tempus statuet. Quod si ne sic quidem venerit, tunc principem creditor adeat, et jure dominii pignus acquirere precum interventu petat. Post eas preces, debitorem alterius biennii dilationem habere oportet, intra quod offerre debitum cum usuris possit, et pignus recipere: Ac elapso biennio, jure dominii pignora creditor acquirat. *Cod. lib.* 8. *tit.* 34. Basil. *lib.* 15. *titul.* 7. *cap.* 58.

* *L. ult. C. de jur. dom. impet.*

(*) *impune*) legendum est aliogum impune etc. ἀνεπιτίμως καὶ ἀκινδύνως etc.

9. * Legatione fungentibus immunitas bienni conceditur. *Dig. lib.* 50. *tit.* 7. Basilic. *lib.* 54. *titul.* 9. *cap.* 8.

* *L. Paulus.* 8. *ff. de legat.*

10. * Naviculariorum causa, facto naufragio, intra biennium decidi debet. *Cod. lib.* 11. *tit.* 6. *const.* 5. cujus hæc pars non est in Basilicis.

* *L. de submersis.* 5. *C. de Naufrag.*

11. * Si matrimonium intra biennium productum sit, et postea vel morte, vel repudio solutum: licet marito de dote non numerata queri ejusque hæredi, intra annum alterum. Sin matrimonium ad decem annos usque porrectum fuerit, tam ipse, quam hæres ejus, intra menses tres querelam movere potest. Si decennium decurrat, nec ipsi, nec hæredi potestas querendi datur. Quod si minor est maritus, id ei tempus ad restitutionem in integrum conceditur instituendæ querelæ causa; ut tamen annos duodecim a tempore nuptiarum non excedat. Si hæredes ejus minores sint, ipso vel in ætate perfecta, vel non perfecta constituto: quinquennium duntaxat habent ad querelam instituendam. *Nov.* 100. Basil. *lib.* 29. *tit.* 3.

12. Marito mulierem adulteram, et in monasterium conjectam, intra biennium recipere, si voluerit, licet. Si vero prædictum tempus ante transierit, quam eam receperit, tunc et tondetur, et habitum monasticum accipit, reliquum vitæ tempus in monasterio exacturа. *Novel.* 134. *cap.* 12. Basilic. *lib.* 28. *tit.* 7. *cap.* 1. *th.* 3.

13. Ab omni conductore aut emphytenta venerabilis sive domus, sive loci, qui rem conductam, vel in emphyteusin datam deteriorem facit, vel ad biennium contumax est, exigitur canon, de quo convenit, atque ipse pristinum rei statum restituit. Si vero fugerit, aut nusquam apparuerit, ex bonis ipsius venerabili domui satisfit, empooeniatis non computandis. *Nov.* 120. Basil. *lib.* 5. *tit.* 2. *cap.* 15. * Ceterum non adversetur tibi quod scriptum est *Codicis lib.* 4. *tit.* 66. *const.* 2. et Basilicor. *lib.* 20. *tit.* 2. *cap.* 4. ubi dicitur contumaciam emphyteutæ ad triennium tolerandam: nam de paganicis, non de ecclesiasticis loquitur.

* *L. In emphyteuticariis* 2. *C. de jur. emphyt.*

14. *d* Creditores non missi in possessionem, intra biennium in communione sunt cum aliis in possessionem missis. *Cod. lib.* 7. *tit.* 72. Basil. *l.* 9. *tit.* 7. *cap.* 2.

d L. ult. C. de bon. auct. jud. possid.

15. *e* Adversus sententiam præfectorum appellatio quidem non exercetur, libellus tamen intra biennium imperatori offertur, *Cod. lib.* 7. *tit.* 42. *const.* 1. Basil. *lib.* 9. *tit.* 1. *cap.* 53.

e L. un. C. de sent. pr. præt

16. *f* Qui fundos steriles obtinent, post biennium collationes præstent. *Cod. lib.* 11. *tit.* 59. *const.* 7. Basilic. *lib.* 56. *tit.* 14. *cap.* 7.

f L. Quicumque. 7. Cod. de omn. ag. des.

17. * Qui agrum desertum occupat, intra biennium dumtaxat a domino agri convenitur: eoque reddito capiat quæ in agrum impendit. *C. lib.* 11. *tit.* 59. *const.* 8. Basilic. *lib.* 56. *tit.* 14. *cap.* 8.

* L. 8. C. eod.

18. * Post biennium sententia confirmatur appellatione non subsecuta. *C. lib.* 7. *tit.* 63. *const.* 5. *Novel.* 49. Basilic. *lib.* 9. *tit.* 1. *cap.* 128. *them.* 5. et *tit.* 2. *cap.* 7. *them.* 4. ** Nisi manifeste sit injusta, ut traditur *lib.* 49. *D. tit.* 1. *dig.* 12. *et* 19. *et tit.* 8. *dig.* 1. Basilicor. *lib.* 9. *tit.* 1. *cap.* 12. *et* 19. *et* 44.

* *L. ult. C. de temp. et repar. appell.* ** *L. Si constet.* 12. *ff. de appell.*

19. *g* Qui alterius in gratiam terminos evertit, in opus publicum biennio datur. *D. lib.* 47. *tit.* 21. Basilic. *lib.* 60. *tit.* 31. *cap.* 1.

g L. 2. D. de term. mo.

De triennio.

1. * Qui per triennium aquam per agrum alienum domino prædii ciente ducit, servitutem ad se non pertinentem acquirit. *Cod. lib.* 3. *tit.* 34. *const.* 2. Basil. *lib.* 58. *tit.* 7. *cap.* 2.

* L. 2. *C. de servit. et aq.*

2. *a* Res mobiles, quæ bona fide possidentur, triennio usucapiuntur. *C. lib.* 7. *tit.* 31. *constit.* 2. Basil. *lib.* 50. *tit.* 12. *cap.* 2.

a L. 1. C. de usucap. transf.

3. Qui per triennium vectigal emphyteuticum, quod privatæ personæ præstatur, non obtulerit, emphyteusin amittit. * *Cod. lib.* 4. *tit.* 66. *const.* 2. Basilic. *lib.* 20. *tit.* 2. *cap.* 2. Si vero dominus id triennio non exegerit, emphyteutæ lucro cedit *b. Cod. lib.* 1. *tit.* 4. *const.* 32. Basil. *lib.* 20. *tit.* 2. *cap.* 4. De venerabilibus autem domibus dictum est *Nov.* 7. *cap.* 9. *Basil. lib.* 20. *tit.* 2. *cap.* 5. quod usque ad biennium dumtaxat, eo non præstito, expellantur.

* *L.* 2. *C. de jur. emphyt.* *b* L. 32. C. de episc. aud.

4. *c* Legatum annuum triennio solutum, creditur etiam ad sequentia tempora perpetuo relictum, et exigitur: nisi qui solvit, manifesto probaverit esse definitum, ut triennio dumtaxat præstetur. *Cod. lib.* 6. *tit.* 42. Basil. *lib.* 44. *tit.* 1. *cap.* 115.

c L. 1. C. de fideic.

5. *d* Vectigalia publica locantur ad triennium. *Cod. lib.* 4 *tit.* 61. Basil. *lib.* 56. *tit.* 4. *cap.* 4.

d L. 4. C. de vectig. et comm.

6. * Qui puellam sibi despondit, si peregre degens nuptias triennio non fuerit exequutus; alteri puella copulari potest. *Cod. lib.* 5. *tit.* 1. *const.* 4. Basilic. *lib.* 28. *tit.* 1. *cap.* 15.

* *L. Liberum.* 2. *C. de repud.*

7. *e* Puer, qui trimus factus est, alimenta petit a patre. *Cod. lib.* 8. *tit.* 46. *cons.* 9. Basilic. *lib.* 31. *tit.* 2. *cap.* 13.

e L. Nec filium. pen. C. de pat. pot.

8. *f* Si res, quæ de naufragio conservari a naufragis poterant, flagitiose quidam repuerint: veluti qui prædam graviorem fecerint, liberi quidem fustibus cæsi ad triennium relegantur: servi vero et flagellantur, et in metallum damnantur. *Dig. l.* 47. *tit.* 9. *dig.* 4. Basil. *lib.* 23. *tit.* 3. *cap.* 33.

f. L. Pedius. 4. D. de inc. ru. et naufr.

9. * Omnis pecuniaria causa, exceptis iis, quæ ad aliquam publicam causam pertinent, de quibus agitur. Basil. *lib.* 56. *tit.* 4. *cap. ult.* ultra trium annorum spatium extendi non debet. *Cod. lib.* 3. *tit.* 1. *const.* 13. Basil. *lib.* 7. *tit.* 6. *cap.* 13.

* *L. Properandum.* 13 *C. de judic.*

10. *g* Quicumque obligatus est ad quodcumque tributum præstandum, si cum hoc ab ipso exigitur, trium præteritorum annorum probationes factæ solutionis ostenderit: non exigautur ab eo tributa pro ulterioribus annis requirenda. *Cod. lib.* 10. *tit.* 22. Basil. *lib.* 56. *tit.* 8. *cap.* 29.

g L. pen. C. de apoch. pub.

11. *h* Hæres, qui repudiavit, si res a creditoribus distractæ non fuerint, usque ad triennium eas recipit. *C. lib.* 6. *tit.* 31. *const* 6. Basil. *lib.* 35. *tit.* 4. *cap.* 93.

h L. Si quis. ult. C. de repud. vel abstin. hæredit.

12. * Omnis adversus fiscum sententia intra triennium retractari potest. Nonnumquam et post triennium, cum manifesta fisco fraus facta est, aut aliquis causam publicam prævaricando prodit. *C. lib.* 10. *tit* 9. Basilic. *lib.* 56. *cap.* 17.

* *L.* 1. *C. de sent. adv. fisc. lat. ret.*

13. Si abbas norit eum qui monachus fieri vult, quod conditioni servili non sit obnoxius: dabit ei monasticum habitum, quando visum fuerit. Sin eum non novit, intra triennium quidem hunc sancto non induet habitu: post triennium vero licet hunc ei concedat. *Novella* 123. Basil. *lib.* 4. *tit.* 1. *cap.* 1. *th.* 4.

14. Si quis uxorem duxerit, et ad triennii spatium ea peragere cum ipsa nequiverit, quæ virilis sexus sunt: mulier impune matrimonium ejusmodi solvere potest. *Novel.* 22. *cap.* 5. Basilic. *lib.* 28. *tit.* 7. *cap.* 8. *th.* 2.

De quadriennio.

1. * Fiscus intra quadriennium a domino convenitur earum rerum alienarum nomine, quas alienavit *C. lib.* 7. *tit.* 32. *const.* 2. Basil. *lib.* 50. *titul.* 13. *cap.* 2.

* *L. Omnes.* 2 *C. de quadr. præscrip.*

2. * Annus utilis sive definitus restitutionum in integrum, hodie quadriennium est. *Cod. lib.* 2. *tit.* 52. *constit.* 7. Basil. *lib.* 10. *tit.* 34. *cap. ult.*

* *L. Supervacuam.* 7. *C. de temp. in integr. rest.*

3. * Qui bona vacantia per quadriennium possederit, præscriptionem adversus fiscum habet *C. l.* 7. *tit.* 7. *const.* 1. Basil. *l.* 3. *tit.* 13. *cap.* 1.

* *L.* 1. *C. de quadr. præscrip.*

4. * Nisi causa restitutionis in integrum intra quatuor annos post vigesimum quintum ætatis annum cœpta finitaque fuerit, extinguitur. *C. l.* 2. *l.* 22. *constit.* 7. *et l.* 53. *constit.* 7. Basilic. autem *l.* 20. *t.* 4. *cap.* 16. *et t.* 34. *cap. ult.*

* *D. l. 7. C. de temp. in integ. rest.*

5. * Fiscus, si intra quadriennium ei bona vacantia fuerint nuntiata, non amplius habet actionem. *D. l.* 49. *tit.* 14. *dig.* 1. Basil. *lib.* 56. *tit.* 2. *c.* 1. *th.* 2.

* *L.* 1. §. *Divus, D. de jur. fisc.*

6. Et licitationis jus, et illius, quod ultra duplum est, receptum est quasi regula quædam, intra quadriennium exerceri debere. Sciendum vero, diserte quidem id legibus vetitum non esse, sed quoniam, uti didicimus ex *l.* 10. Basil. *tit.* 1. *cap.* 1. restitutio integrum datur propter ætatem, aut metum, aut calliditatem, aut absentiam, aut capitis diminutionem, aut justum errorem: perfectum vero tempus restitutionis in integrum quadriennio concluditur: regulæ loco statutum est apud veteres, ut tam jus licitationis, quam illud de eo, quod duplum excedit, itidem ad quadriennium usque exerceatur, veluti quod ex una causarum indicatarum initium sumat, et cum hoc in judicio obtineret, do cetero in legem conversum est.

De quinquennio.

1. * Quinquennium querelæ de inofficioso testamento, qua de tractat *lib.* 3. *Cod. tit.* 28. *constit.* 16. Basilic. vero *lib.* 34. *titul.* 1. *cap.* 38 *et* 39. ** minoribus post annos XXV. currit. *Cod. lib.* 2. *tit* 40 *Constit.* 2. Basilic. *lib.* 10. *titul.* 23. *cap.* 2. Post illos autem annos hæc actio nequit institui, nisi ex magna et justa causa, quemadmodum significat scholium adjectum indicato *cap.* 19. *tit.* 1. *lib.* 34. Basilicorum.

* *L. Contra.* 16. *C. de inoff. test.* ** L. 2. *C. in quib. caus. in integr. rest.*

2. *a* Captivus si quinquennio servierit illi, qui eum redemit, fit liber. *Cod. lib.* 8. *tit.* 50. *constit.* 20. Basilic. *lib.* 34. *tit.* 2. *cap. ult.*

a L. ult. C. de postlim. et red. ab host.

3. * Missio repudii citra justam causam, matrimonium non solvit: videlicet, donec quinquennium in muliere præterierit, in viro annos. Sed et quæ adulterium interea commiserit, marito est obnoxia. *Cod. lib.* 5. *tit.* 17. *constit.* 8. quæ non est in Basilic. Nam ejus loco receptum est *cap.* 12. *Nov.* 22.

* *L. Consensu.* 8. §. *Hæc nisi.* C. *de repud.*

4. * Adulterii crimen post quinquennium extinguitur. *Dig. l.* 48. *t.* 5. *dig.* 26. *et C. l.* 9. *t.* 9. *const.* 27. Bas. *l.* 60. *t.* 37. c. 28. *th.* 4. *et cap.* 62.

L. Miles. 11. *D. ad Leg. Jul. de adult. et l. Ita nobis.* 28. *C. eod.*

5. * Cui adhuc superstiti non est mota quæstio status intra quinquennium, si decedat post annos quinque, de ipsius condicione non quæritur. *Dig. lib.* 40. *tit.* 15. Basilic. *lib.* 48. *tit.* 11. *cap.* 1.

* *Tot. tit. D. ne de statu defunctorum post quinquen. quæratur.*

6. * Adulter post quinquennium non accusatur. *Dig. l.* 48. *t.* 5. *dig.* 30. Bas. *l.* 60. *t.* 37. *c.* 30 *et* 45.

* *L. Quinquennium.* 31. *D. ad Leg. Jul. de adult.*

7. * Intra quinquennium dominus servum, contra voluntatem ejus cubicularium factum, vindicat. *C. l.* 12. *t.* 5. *const.* 4. Bas. 1. 6. *tit.* 25. *cap.* 5.

* *L. Jubemus.* 4. *C. de prœpos. sacr. cubic.*

8. * Donatio facta in judices Constantinopoli, quinquennali tempore post quam ei successum est, confirmatur. Idem et in consiliariis eorum, et domesticis. *C. l.* 1. *t.* 53. Basil. *lib.* 6. *titul.* 3. *cap. ult.*

* *L. un. C. de contract. jud. vel. eor. qui etc.*

9. *b* Post quinquennium a manumissione, nemo ad libertatem proclamat. Digestorum *lib.* 40. *tit.* 4. *dig.* 24. Basilicorum *lib.* 48. *tit.* 10. *cap.* 4.

b L. Uxorem. 29. D. de manum. testam.

10. * Etiam post mortem mulieris adulterio pollutæ, intra quinque annos ex quo commissum est adulterium computandos, accusare quis adulterum potest. *Dig. l.* 48. *t.* 5. *dig.* 9. Bas. *l.* 60. *t.* 37. c. 13. *th.* 5.

L. Miles. 11. §. *Adulterii, D. ad. L. Jul. de adult.*

11. * Per lasciviam et lusum quis occidit aliquem. Probatum est factum proconsulis, qui hominem ad quinquennium relegavit. *Dig. lib.* 48. *tit.* 8. *dig.* 4. Basil. *lib.* 60. *tit.* 39. *cap.* 4.

* *L.* 4. *Lege cornelia.* §. 1. *D. ad Leg. Corn. de sicar.*

12. * Ad quinquennium relegatur judex, qui hæreticum advocati munere fungi permittit. *C. lib.* 2. *tit.* 6. *const.* 8. Basil. *lib.* 50. *tit.* 4. *cap.* 18.

* *L. Nemo.* 15. *C. de episc. audi.*

13. * Elapso quinquennio fiscus non amplius vectigal commissum sive suppressum exigit. Imo nec ante quinquennium, dum res non exstat, nec dolo malo supprimitur. Nam forte servus est, et manumissus fuit. *C. l.* 4. *tit.* 61. Basil. *l.* 56. *t.* 4. *cap.* 2.

* *L. Neque.* 2. *C. de vectig. et commis.*

14. Si præter judicis præceptum in aliquem facta fuerit exequutio, id est, si exactum quid ab eo fuerit, aut illata molestia, exactor sive qui molestiam intulit publicationi et exilio quinquennii subjicietur. *Nov.* 112. c. 4. Bas. *l.* 60. *tit.* 4. *c.* 2. *th.* 2. Est autem executor qui post sententiam datur ad exequendum, vel ad finem perducendum, et complendum ea, quæ prænuntiata sunt.

15. Si quis in ultima voluntate sua jusserit oratorium strui, hoc ipsum intra quinquennium ædificari debet. *Nov.* 131. Basil. *l.* 5. *tit.* 3. *cap.* 7.

16. * Crimen peculatus post quinquennium non intenditur. *Dig. l.* 48. *t.* 13. Bas. *l.* 60. *t.* 45. *cap.* 8.

* *L. Peculatus.* 7. *D. ad L. Jul. pecul.*

17. * Qui a sacrosancta ecclesia defecerit. et Paganus, aut Judæus factus fuerit, etiam post mor-

* *L. Si quis.* 2. *C. de Apostat.*

tem intra quinque continuos annos accusatur. *Cod. lib.* 1. *tit.* 7. *constit.* 2. Basilic. *lib.* 60. *tit.* 54. *cap.* 21.

De VII. *annis.*

1. * Infans est qui minor est septem annis. *C. l.* 6. *tit.* 9. *const.* 3. *et tit.* 30. *const.* 17. Basil. *l.* 40. *tit.* 1. *cap.* 15. *et lib.* 35. *titul.* 14. *cap.* 83. Nec infans sponsalia contrahit. *Digest. lib.* 23. *tit.* 1. *dig.* 11. Basilic. *lib.* 28. *tit.* 1. *cap.* 11.

* *L. Infantis.* 3. *C. qui admitt. ad bon. l. Si infanti.* 18. *C. de jur. delib.*

2. * Si per septennium quis loco cesserit, dominium ejus acquirit, qui pro eo detentus, mortem obierit.

* Hæc præ obscuritate vix intelliguntur.

3. * Minor a septimo ætatis anno convenitur auctoritate tutoris interveniente. *Dig. lib.* 26. *tit.* 7. *dig.* 23. Basil. *lib.* 37. *tit.* 7. *cap.* 23.

L. 1. §. 1. *D. de admin. et peric. tut.*

De VIII. *annis.*

1. Lector minor annis octo, non ordinatur. *Novella* 123. *capite* 20. Basilic. *libro* 3. *titul.* 1. *capite* 6.

De decennio.

1. * Res soli, quæ bona fide possidentur, inter præsentes decennio, inter absentes viginti annorum spatio usucapiuntur. *Cod. lib.* 7. *t.* 30. *et* 33. *et* 34. Item. *Nov.* 119. *cap.* 18. Basilic. *lib.* 8. *tit.* 10. *et* 11. *et* 12. *et* 14. *cap.* 11.

* *L. unic. C. de usucap. transfor.*

2. Condictioni indebiti, hoc est, earum rerum petitioni, quæ tametsi non debeantur, solutæ tamen sunt, non opponitur longi temporis præscriptio videlicet annorum decem, et viginti, sed triginta. *Dig. l.* 12. *t.* 6. *dig.* 12. Bas. *l.* 24. *tit.* 8. *c.* 12.

3. * Ususfructus non utendo longi temporis præscriptione extinguitur. Longum vero tempus dicitur etiam decennium. *Cod. lib.* 3. *tit.* 34. *constit.* 1. Basil. *lib.* 58. *tit.* 2. *cap.* 1.

* *L. Sicut.* 13. *C. de servit. et aq.*

4. Servus fugitivus non usucapitur. *Cod. lib.* 6. *tit.* 1. *const.* 1. Basil. *lib.* 60. *tit.* 7. *cap.* 6.

5. Mala fide cœpta decennio, vel annorum viginti spatio non usucapiuntur. *Cod. lib.* 7. *tit.* 33. *const.* 6. Basil. *lib.* 50. *tit.* 14. *cap.* 6.

6. * Post annos decem non fit irritum testamentum, nisi tempore intermedio testator in præsentia testium dixerit, se non velle testamentum hoc valere. *C. l.* 6. *t.* 23. Bas. *lib.* 35. *tit.* 2. *cap.* 22.

* *L. Sancimus.* 27. *C. de testam.*

7. Tempus exceptionis de dote non numerata, decennium est. *Nov.* 100. Bas. *lib.* 29. *tit.* 3.

8. * Receptores abigeorum ad decennium relegantur. *Dig. lib.* 47. *t.* 14. *dig.* 3. Basilic. *lib.* 60. *tit.* 15. *cap.* 3. *th.* 4.

* *L. ult.* §. *ult. ff. de Abig.*

* Si datis in metallum per judicis imperitiam tempus præfinitum non fuerit, anni decem eorum condemnationi definiti videntur. *Dig. l.* 48. *titul.* 19. *dig.* 23. Bas. *lib.* 60. *tit.* 51. *cap.* 22.

* *L. Sive.* 23. *ff. de pœn.*

10. Ususfructus et servitus non utendo ad decem et viginti annos extinguitur. *Cod. lib.* 3. *titul.* 33. *const.* 13. Bas. *lib.* 16. *tit.* 8. *cap.* 32.

11. * Qui annos decem in aliqua civitate exegit, domicilium ibi habere videtur. *Cod. lib.* 10. *titul.* 40. *const.* 2. Bas. *lib.* 54. *tit.* 6. *cap.* 2.

* *L. Nec ipsi.* 2. *C. de incol.*

12. * Si quis ab imperatore petierit, ut sibi liceat habere nundinas, sive immunitatem quam vocant, et annis decem hoc jure non fuerit usus, hoc ipsum jus amittit. *Dig. lib.* 50. *tit.* 11. Basil. *lib.* 54. *tit.* 6. *cap.* 7.

* *L. Nundinis* 4. *D. de nundin.*

De XII. *annis.*

1. * Quæ ante duodecimum annum nubit, matrimonium non contrahit. Quod si sponsalia suberant, manent. *Dig. lib.* 23. *tit.* 1. *dig.* 5. Basil. *lib.* 28. *tit.* 1. *cap.* 5.

** Ea si quis solvere velit, si quidem stipulatio pœnæ intervenit, exigitur ab ipso pœna, velut a violante pacta conventa. Sin arra dumtaxat data sit, ea duplicatur. *Cod. lib.* 5. *tit.* 1. *const.* 5. Bas. *lib.* 28. *tit.* 2. *cap.* 2.

* *L. Quæsit.* 9. *ff. de sponsal.* ** *L.* 5. *C. eod.*

2. * Feminæ post annum XII. puberes esse judicantur. *Cod lib.* 5. *tit.* 60. *constit.* 3. Basilic. *lib.* 33. *tit.* 19. *cap.* 3.

* *L. Indecorum* 3. *C. quand. tut. vel curat.*

De XIV. *annis.*

1. * Masculis usque ad annum decimumquartum, feminis usque ad duodecimum substituimus. *Dig. lib.* 28. *tit.* 6. Basilicor. *lib.* 35. *tit.* 50. *cap.* 2.

* *L. Moribus.* 2. *D. de vulg. et pup. subst.*

2. * De minore XIV. annis in personam alterius quæstio non habetur. *Dig. l.* 48. *t.* 18. *dig.* 9. Bas. *l.* 60. *t.* 8 *c.* 9. Nec item testis habetur. *Dig. l.* 22. *t.* 5. *dig.* 15. Bas. *l.* 21. *t.* 1. *cap.* 16.

* *L. De minore.* 10. *D. de quæstionib.*

3. Quatuordecim annorum factus, et testatur, et manumittit in testamento. *Novella* 119. *cap.* 3. Basilicorum *libro* 48. *titul.* 26. *cap.* 2.

De XV. *annis.*

1. * Omnes, quibus operum publicorum cura mandata fuerit, usque ad annos quindecim dumtaxat periclitantur una cum suis hæredibus, si quid damni ex opera vitio acciderit: nam de fortuitis casibus non tenentur. *Cod. lib.* 8. *tit.* 11. *const.* 8. Basilic. *lib.* 58. *tit.* 12. *cap.* 8.

* *L. Omnes.* 8. *C. de op. pub.*

2. Decorio vel apparitor non potest ordinari clericus, aut episcopus, nisi quindecim annis in monasterio vitam solitariam egerit. *Nov.* 137. Basilic. *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 8. Nec item alius quispiam laicus statim episcopus ordinatur: nisi prius tres menses excegerit in consortio clericorum. *Novel.* 123. *cap.* 5. quod non extat in Basilicis. Ceterum vacante throno, nisi intra sex menses per clericos et primâtes civitatis factum fuerit decretum, tuoc is, qui ordinaturus est, animæ suo periculo qnem vult ordinare potest. Et episcopus qui præter hsnc constitutiooem ordinat, ad unius anni spatium sacerdotali munere separatur. *Novella* 123. *cap.* quod non est in Basilicis.

3. * Qui saros incertos alicui donat, etiam litem præstat, æstimatione ad quindecim annos faciunda. *Cod. lib.* 8. *tit.* 53. *const.* 35 Basilic. *lib.* 47. *titul.* 1. *cap.* 67. *th.* 3.

* *L. Si quis argentum.* 35. §. *Sin autem. C. de donat.*

De sedecim annis.

1. * Qui decimnm sextnm ætatis annum sgit, non fit comparator frumenti. *Dig. lib.* 50. *tit.* 5. Basilic. *lib.* 54. *tit.* 5. *cap.* 2.

* *L.* 2. *D. de vacat. muu.*

De XVII. annis.

1. * Qui decem et septem snnos implevit, et octodecim incœpit, advocatus esse potest. *Dig. lib.* 3. *tit.* 1. *dig.* 1. Basilic. *lib.* 8. *tit.* 1. *cap.* 1. *th.* 3.

* *L.* 1. §. *Initium, D. de postul.*

2. Procorator non esto minor snois septemdecim. *Inst. libro* 3. *tit.* 6.

3.* Minor annis septemdecim nec fideicommissariam libertatem dat absque ultima voluntate. *Dig. lib.* 40. *titul.* 1 *dig.* 20. *et tit.* 2. *dig.* 5. Basilic. *lib.* 48. *tit.* 1. *cap.* 20. *et tit.* 2. *cap.* 1.

* *L. Causam* 20. *D. de manumission. et L.* 5. *D. de manumiss. vind. loquuntur de minoribus* 20. *annis.*

De XVIII. annis.

1. * Perfecta et plena masculorum pubertas anni sont octodecim. *Dig. lib.* 34. *tit.* 1. *dig.* 13. Basil. *lib.* 44. *tit.* 14. *cap.* 13. et Instit. 1. *tit.* 10. Basilic. *lib.* 33. *tit.* 1. *cap.* 47.

* *L. Mela.* 14. §. 1. *D. de alim. vel cib. leg. et* §. *ult. Inst. quib. ex caus. manum. non lic.*

2. * Adoptans adoptato major esse debet annis octodecim. *Inst. tit.* 10. Basil. *lib.* 33. *tit.* 1. *cap.* 47. *them.* 5.

* §. *Minorem. Inst. de adoption.*

3. * Quæ veniam ætatis peticrit, octodecim annos complesse debet. *Cod. lib.* 2. *tit.* 44. *constit.* 2. Basilicorum *lib.* 10. *tit.* 27. *cap.* 2. *them.* 2.

L. Omnes. 2. *C. de his qui ven. ætat. impetr.*

4. Si quis in testamento hæredem reliquerit annis octodecim minorem, et ipse captus fuerit hæres scriptus, neglecta redemptione testatoris, ob imperfectam hujusmodi ætatem, veniam consequitor. *Nov.* 115. Basil. *lib.* 35. *tit.* 8. *cap.* 36. *th. ult.*

De XX. annis.

1. * Major annis viginti, qui seipsum vendit, præjudicium patitur. *Instit.* 1. *tit.* 1. *et lib. D.* 1. *tit.* 5. *dig.* 5. *et lib.* 40. *tit.* 13. *dig.* 1. *et tit.* 14. *dig.* 2. quæ non exstant in Basilic. licet hi tituli positi sint *lib.* 48. Basil. *tit.* 9. *cap.* 10.

* §. *Servi.* 4. *Inst. de jur. pers. L.* 5. §. 1. *ff. de stat. hom. l.* 1. *D. quib. ad lib. procl. non lic. et l. Qui se.* 2. *ff. si ingen. es. dic.*

2. * Minor annis XX. non potest inter vivos manumittere, nisi secundum legitimam observationem. *Dig. lib.* 40 *tit.* 2. *dig.* 5. *et* 9. Basilicorum *lib.* 48 *tit.* 2 *cap.* 5. *th.* 2. *et* 3. *et cap.* 9.

* *L.* 1 *D. de manumis. et l. Si minor.* 4. *D. de servis export.*

3. * Majores annis XX. veniam ætatis petunt. *C. lib.* 2. *tit.* 44. *const.* 2 Basil. *lib.* 10. *tit.* 27. *cap.* 2.

* *L. Omnes.* 2. *C. de his qui ven. æt. imp.*

4. * Qui anni vigesimi diem supremnm ingressus est, recte manumittit. *Dig. lib.* 40. *tit.* 1. *digest.* 1. Basilicorum *lib.* 48. *titul.* 1. *cap.* 1.

* *L.* 1. *ff. de manumis.*

5. * Minor viginti annis cum condicione libertatis vendere non potest. *Dig. lib.* 40. *titul.* 7. *dig.* 4. Basil. *lib.* 19. *tit.* 7. *cap.* 4.

* *L. Si minor.* 4. *D. de servis export.*

6. * Minor annis XX. litigare non potest. *Dig. lib.* 4. *tit.* 8. *dig.* 41. Basil. *lib.* 7. *tit.* 2. *cap.* 41.

* *L. Cum lege Julia* 41. *D. de recept. qui arbit.*

7. * Crimina XX. annis extinguuntur. *Cod. lib.* 9. *tit.* 22 *const.* 12. *et lib.* Dig. 44. *tit.* 3. *dig.* 12. Basilic. *lib.* 60. *tit* 41. *cap.* 47. et *lib.* 51. *tit.* 3. *cap.* 12. ** Excepto adulterii crimine. *Dig. lib.* 48. *tit.* 5. *digest.* 26. et Cod. *lib.* 9. *tit.* 9. *const.* 27. Basil. *lib.* 60. *tit.* 37. *cap.* 28. *them.* 4. *et cap.* 62. *** Item crimine peculatus, hoc est, eorum qui sacris, vel publicis pecuniis, vel Deo donatis damnum adferunt. *Dig. lib.* 48. *tit.* 13. *dig.* 8. Basil. *lib.* 60. *tit.* 45. *cap.* 50. Hæc enim quinquennio extinguuntur ***, sicut actio injuriarum anno. Cod. *lib.* 9. *tit.* 45. *const.* 6. Basilic. *lib.* 60. *tit.* 21. *cap.* 48.

* *L. Querela.* 12. *C. ad l. Corn. de fals.* (** *L. Quinquennium.* 31. *D. ad l. Jul. de adult. et l. Ita nobis.* 28. *C. eod.* (*** *L. Peculatus.* 7. *D. ad l. Jul. pecul.* (*** *L. Si non.* 5. *C. de injur.*

8. * Qui annis XX. militavit, sordidorum munerum vacationem habet. Dig. *lib.* 27. *tit.* 1. *dig.* 9. Basilic. *lib.* 38. *tit.* 1. *cap.* 9. *them.* 2.

* *L. Sed. et milites.* 8. §. *Qui autem intra hos, D. de excusat.*

9. * In ratiociniis rerum ad civitates pertinentium, error calculi recte post decem vel viginti annos retractatur. *Dig. lib.* 50. *tit.* 8. *dig.* 6. Basilic. *lib.* 54. *tit.* 10. *cap.* 6.

* *L. Calculi.* 8. *de admin. rer. ad civ. pertin.*

10. * Si quis bona fide in libertate viginti annis commoratus est, vel mala fide ad annos quadraginta,

non potest amplius nomine condicionis molestari, nisi si fugitivus sit. *Cod. lib.* 7. *tit.* 22. *constit.* 1. *et tit.* 39. *constit.* 6. Basilic. *lib.* 48. *tit.* 24. *cap.* 1. *et lib.* 50. *tit.* 14. *cap.* 6.

* *Tot. tit. Cod. de Long. temp. praescr. quae pro lib. etc. et l. Comperit.* 6. *C. de praescript.* 30. *vel* 40. *an.*

11. * Nuntiatio bonorum vacantium quadriennio finitur. Si vero lis horum nomine mota sit: etiam ultra xx. annos extenditur. *Dig. lib.* 49. *titul.* 14. Basilicorum *lib.* 56. *tit.* 2. *cap* 1. *them.* 2. ** In requirendorum vero facultatibus annis xx. observantur. *Dig. lib.* 48. *tit.* 17. Basil. *lib.* 60. *tit.* 49. *cap.* 2. *et* 4. *** Et causae quae a primo delatore proditae dicuntur. ultra quadriennium hoc, veluti in bonis vacantibus, et aliis etiam ultra viginti annos porriguntur. *Dig. lib.* 49. *tit.* 14. Basilicorum *lib.* 56. *tit.* 2. *cap.* 1. *them.* 2.

* *L.* 1. §. *Divus. et* §. *Praescriptio. D. de Jur. fisc.* (** *L. Anni* 2. §. 1. *D. de requis. vel absent. damn.* (*** *d. l.* 1. § *ult.*

De annis XXV.

1. * Tutor aut curator eum, cujus tutelam administrat, non adoptat, nisi major sit annis XXV. *Dig. lib.* 1. *tit.* 7. *dig.* 17. Basilicorum *lib.* 33. *tit.* 1. *cap.* 13. *them.* 4.

* *L. Nec ei.* 17. *D. de adopt.*

2. * Minor annis xxv. ad curam non vocatur. Hoc tamen casu inchoatus annus vigesimus quintus pro completo accipitur. *Dig. lib.* 50. *tit.* 4. Basil. *lib.* 54. *tit.* 4. *cap.* 7.

* *L. Ad Rempublicam.* 8. *D. de mun. et hon.*

3. * Qui vigesimum quintum annum complevit, aetatis est perfectae: qui non complevit, imperfectae: nec proprie res suas administrare potest. *D. lib.* 4. *tit.* 4. *dig.* 1. Basil. *lib.* 10. *tit.* 4. *cap.* 1.

* *L.* 1. §. *Apparet. D. de min.* 25. *an.*

4. * Major annis xxv. si jus ignoraverit, veniam non impetrat. *Dig. lib.* 1. *tit.* 7. *dig.* 2. Basilicorum *lib.* 2. *tit.* 4. *cap.* 11.

* *L. Regula.* 9. *D. de jur. et fact. ignor. et l. Cum ignorantia.* 3. *C. eod.*

5. * A minore annis xxv. si quid administrat, rationes non exiguntur. *C. lib.* 5. *titul.* 30. *const.* 5. Basilic. *lib.* 37. *titul.* 4. *cap.* 8.

* *L. Nemo.* 5. *C. de legit. tut.*

6. * Etiam post annum xxv. prodigis ac furiosis curatores dantur. *C. lib.* 5. *tit.* 70. *const.* 1. Basilicorum *lib.* 38. *tit.* 10. *cap.* 17.

* *L.* 1. *C. de cur. fur. vel prod.*

7. Diaconus aut subdiaconus annis xxv. minor non ordinatur. *Novell.* 123. Basilic. *lib.* 3. *titul.* 1. *cap.* 26.

8. * Si qua fuerit alicujus pupilla, et rationes administrationis ab eo acceperit, et aetatis annum xxv. excesserit, filio curatoris matrimonio jungi potest. *Cod. lib.* 5. *titul.* 6. *constit.* 5. Quae quidem constitutio non extat in Basilic. sed ejus est digestum 66. *titul.* 2. *lib.* 24. quod legitur Basilic. *lib.* 28. *tit.* 5. *cap.* 18.

* *L. Si patri.* 6. *C. de interd. mat. int. pupil. etc.*

9 * Rationes curatoris ante minoris xxv. annum non poscuntur, quatenus curator manet. *Cod. lib.* 5. *tit.* 37. *const.* 14. Basil. *lib.* 38. *tit.* 9. *cap:* 23.

* *L. Ratione.* 6. *C. de adm. tut. vel cur.*

10. * Si minor aetatis venia petita, rem alieni donaverit, non valet donatio, nisi post annum aetatis ejus vigesimum quintum, anni decem, vel viginti effluxerint. *Cod. lib.* 5. *tit.* 74. *constit.* 4. Basil. *lib.* 10. *tit.* 4. *cap. ult.*

* *L. Si quando.* 3. *C. si maj. fac. alien. fact. etc.*

11. * Filii tametsi patria potestate liberati sint, dum studiis vacant, usque ad annum aetatis suae vigesimum quintum a muneribus excusantur. *Cod. lib.* 10. *titul.* 50. Basil. *lib.* 54. *tit.* 7. *cap.* 5.

* *L.* 1. *C. qui aetat. vel prof. se excus.*

De XXIX. *annis.*

1. * Post vigesimum aetatis annum, et utilem sive continuum, hoc est, xxix. tutor pupillam suam uxorem ducere potest, rationibus redditis. *Dig. lib.* 23. *tit.* 2. *dig.* 66. Basilic. *lib.* 28. *titul.* 5. *cap.* 18. ** Quaerito etiam *lib.* 48. *tit.* 5. *dig.* 7. *et* Basil. *lib.* 60. *tit.* 37. *cap.* 9. et invenies de anno vigesimo sexto.

* *L. Non est* 66. *D. de rit. nupt.* ** *L. Qui pupillam.* 7. *D. ad l. Jul. de adult. coer.*

2. * Si minor jusjurandum detulerit, et circumscriptus fuerit; habet replicationem causa cognita, usque ad annum vigesimum nonum. *Dig. lib.* 12. *tit.* 2. *dig.* 9. Basilic. *lib.* 22. *tit.* 5. *cap.* 6. *them.* 4.

* *L. Nam.* 9. §. *Si minor. D. de jurejur.*

3. * Etiam emphyteusis sive locatio porrigitur usque ad annum vigesimum. *Cod. lib.* 1. *titul.* 2. *const.* 24. quae constitutio non exstat in Basilicis, nec annorum xxix. mentionem facit, sed viginti dumtaxat. De annis vero xx. tractat cxx. *Novell. lib.* 5. Basil. *tit.* 2. *cap.* 5.

* *L. Constantinopolitana.* 24. §. *ultra, C. de Sacros. Eccles.*

De annis XXX.

1. * Haereditatis petitio longo tempore non excluditur. *Cod. lib.* 7. *tit.* 34. *const.* 4. et *lib.* 6. *tit.* 30. *constit.* 6. Basilic. *lib.* 50. *tit.* 12. *cap.* 4. *et lib.* 35. *tit.* 14. *cap.* 74.

* *L. Haereditatem.* 4. *C. in quib. caus. ces. long. temp. et L. Licet.* 8. *C. de jur. delib.*

2. * Actio de venditione longi temporis praescriptione non excluditur. *Cod. lib.* 8. *titul.* 44. *constit.* 21. Basil. *lib.* 19. *tit.* 19. *cap.* 21.

* *L. Empti.* 21. *C. de evict.*

3. * De petenda haereditate, atque omnis personalis actio, triginta annis extinguitur. *C. lib.* 3. *tit.* 31.

constit. 7. *et Cod. lib.* 4. *tit.* 18. Basil. *lib.* 42 *tit.* 1. *cap.* 57. *et lib.* 26. *tit* 3. *cap.* 2.

* *L. Hæreditatis. 7. C. de petit. hæred.*

4. * Actio Fabiana perpetua est. *Digest. lib.* 38. *tit.* 5. Basil. *lib.* 49. *tit.* 6. *cap.* 3. *them.* 6.

* *L. Si patronus.* 3. §. 1. *D. si quid in fraud. patron.*

5. Perpetuum * lex vocat tam annorum xxx. tempus, quam quod ad hominis vitam usque se porrigit.

* Instit. de perp. et temp. act.

6. * Finium regundorum judicium triginta annorum spatio, nulla denunciatione interrupto extinguitur. *Cod. lib.* 3. *tit.* 39. *constit.* 6. Basil. *lib.* 58. *tit.* 9. *cap. ult.*

* *L. Cunctis.* 5. *C. fin. regund.*

7. * Actiones personales annis xxx. extinguuntur, nisi tempus interrumpatur per commonitionem, jussu principis, aut judicis. *Cod. lib.* 7. *titul.* 39. *const.* 3. *et tit.* 40. *constit.* 1. Basil. *lib.* 50. *tit.* 14. *cap.* 5. *et tit.* 15. *cap.* 1.

* *L. Sicut.* 3. *C. de præsc.* 30. *vel* 40. *an.*

8. * Qui annis xxx. rem sine vi, et interruptione possedit, dominium consequitur. *Cod. lib.* 8. *tit* 4. *constit. ult.* Basil. *lib.* 50. *tit.* 3. *cap.* 59.

* *L. Ult. C. und. vi.*

9. Actiones temporales, sive quæ spatium (*) præstitutum habent, annis XXX. extinguuntur: ac ne quidem unum aliquod ex tribus illis judiciis duplicibus puta communi dividundo, de quo tractat *lib.* 12. Basil. *tit.* 2. et familiæ erciscundæ, de quo tractat *lib.* 42. *tit.* 3. et finium regundorum de quo tractat *lib.* 58. *tit.* 9. quæ quidem duplicia dicuntur, quod in his utraque pars, et agat et conveniatur, ut ait *lib.* 12. *tit.* 2. *cap.* 2. et *lib.* 58. *tit.* 9. *cap.* 11. et *lib.* 42. *tit.* 3. *cap.* 2. *them.* 2. nec item furti actio, de qua tractat Basilic. *lib.* 60. *tit.* 12. nec pro socio, quæ continetur *lib. Basil.* 12. nec bonorum sive rerum mobilium vi raptarum, de qua tractat *lib.* 16. *Basilic. titul* 17. ultra annos XXX. vigent, quemadmodum tractatur *Cod. lib.* 7. *tit.* 40. *constit.* 1. et Basilic. *lib.* 50. *titul.* 15. *cap.* 1. et in adjecto ibid. scholio. Sciendum tamen actionem furti, quæ duplum exigit, non perimi quandiu vivit is, qui futurum commisit. Basilicorum *lib.* 60. *tit.* 12. *cap.* 39.

* *L. Super. C.* 1. *de annal. except.*

10. a Qui annis XXX. coloni fuerunt, collationes præsteot, licet adscripticii non sint. *Cod. lib.* 11. *tit.* 48. *constit.* 19. Basilic. *lib.* 55. *tit.* 1. *capite* 18.

a L. 18. C. de agric. et cens.

11. * Actiones quatuor quæ nascuntur ex administratione, puta mandati actio, et adversus tutores, et alienorum negotiorum gestorum, et rerum administratarum quasi a tutoribus, omnes sunt personales. *Cod. lib.* 2. *tit.* 18. *constit.* 23. et Basil. *lib.* 17. *tit.* 2. *cap.* 23.

* *L. Negotium.* 23. *et L. Adversus.* 8. *C. de neg. gest.*

12. * Si pater adscripticii pro filio peragat agriculturam, et filius propterea non molestatus maneat usque ad annos XXX. vel XL. nullum domino fundi præjudicium adfertur. *Cod. lib.* 11. *titul.* 66. *const.* 6. *et tit.* 48. *const.* 22. Ac titulus quidem ille 66. expositus est *Basilic. lib.* 56. *tit.* 15. verum constitutio de adscriptico est omissa. Tituli autem 48. *constit.* 22. exstat *lib.* Basilicorum 55. *titul.* 1. *cap.* 21.

* *L. Cum scimus.* 22. §. *Illud quoque. C. de agr. et cens.*

13. * Quæ ad annos XXX. manserit in collegio vel burgo, id est, in quocumque corpore, colonatus nomine non convenitur. *Cod. lib.* 11. *titul.* 66. *constit.* 9. Ac titulus quidem hic expositus est Basil. *lib.* 56. tit. 15. sed constitutio est omissa.

* *L. Cum* 5. *C. de fund. rei priva.*

14. Post pubertatem annorum XXX. spatium filiis patria potestate liberatis opponitur: quum bona materna petunt. *Nov.* 22. Basilicorum *lib.* 28. *tit.* 14. *cap.* 1. *circa finem.*

15. Si quis mala fide rem possederit, et alius eam bona fide emerit: intra annos XXX. veluti malæ fidei possessor convenitur. *Novell.* 119. *cap.* 8. Basilic. *lib.* 50. *tit.* 14. *cap.* 11.

16. * Actioni adversus tutores annorum XXX. præscriptio non opponitur. *Cod. lib.* 5. *titul.* 51. *const.* 8. Basilic. *lib.* 38. *tit.* 3. *cap.* 29.

* L. *Tutores.* 8. *C. arbitr. tutel.*

17. * Minoribus post annum XXV. currit quinquennium agendi de inofficioso testamento. *Cod. lib.* 2. *titul.* 40. *const.* 2. *et* 3. *et titul.* 28. *const.* 16. *et tit.* 29. *const.* 5. Basil. *lib.* 10. *titul.* 23. *cap.* 2. *et lib.* 39. *tit.* 1. *cap.* 38. et *lib.* 41. *tit.* 4. *cap.* 14.

* *L.* 1. *C. Si ut omis. hæred. et l. Contra.* 16. *C. de inoff. testa.*

18. * Actiones fisco competentes temporis præscriptione tolluntur, videlicet annorum xxx. spatio. Nam quæcumque actiones adversus aliquos a fisco instituuntur, si xx. annorum spatium excedere possint, triginta tamen annis extinguuntur. *Cod. lib.* 10. *tit.* 1. *const.* 6. Basilic. *lib.* 56. *titul.* 2. *cap.* 50. et *Dig. lib.* 49. *tit.* 14. Basil. *lib.* 56. *tit.* 2. *cap.* 1. *them.* 2. Et nota quod constitutio loquatur de actionibus institutis a fisco pro vindicatione rerum, quarum dominium nunquam habuit: non de rebus, quas possedit, et amisit. ** Illic enim annorum quadraginta præscriptionem habet. *Cod. lib.* 11. *tit.* 62. *const.* 12. Basil. *lib.* 56. *tit.* 14. *cap.* 31.

* *L. Justas.* 6. *C. de jur. fisc. et l.* 1. §. *Præscriptio ff. eod.*
** *L. Jubemus.* 14. *C. de fund. patrim.*

19. * Qui annis xxx. terram coluerunt, ab agricultura recedere non possunt. Hi vero sunt, qui coloni vocantur, *Cod. lib.* 11. *tit.* 46. *constit.* 23. Basilicorum *lib.* 55. *tit.* 1. *cap.* 22.

* *L. Agricolarum.* 18. *et l. Cum satis.* 23. *C. de agric. et censit.*

20. Presbyter ordinari non debet, nisi annos xxx. compleverit. Novella 123. *cap.* 20. Basilic. *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 26.

(*) Sive quæ spatium) *Sive quæ spatium præstitutum habent etc.* græce dicitur ἤτοι αἱ πρόσκαιροι, καὶ ἐμπρόθεσμοι etc. *sive quæ ad tempus sunt, et antea constituta* etc.

De annis XXXV.

1. Episcopus ordinandus non debet esse minor annis XXXV. *Nov.* 123. *cap.* 3. quod non estat in Basilicis. Nam potius adprobatum est. *Novell.* 137. *cap.* 1. quod eum ordinari permittit, tametsi triginta sit annorum. Basilic. *libro* 3. *titul.* 1. *capite* 8.

De annis XL.

1. *a* Ei quæ per ignorantiam copulata fuit avunculo XL. annis, ignoscitur......

a L. Qui. 57. §. Divus, D. de rit. nupt.

2. *b* Actio quæ annis XXX. non tollitur, annorum XL. spatio extinguitur....

b L. Omnes. 4. Cod. de præscript. trig. an.

3. * Ne quidem condicionis suæ caussa, quispiam post annos XL. convenitur. *Cod. lib.* 7. *tit.* 39. *constit.* 6. Basilic. *lib.* 50 *tit.* 14. *cap.* 6.

* *L. Præscriptionem.* 5. *C. de præscript.* 30. *vel* 40 *an.*

4. * Post annos XL. de præteritis publicis collationibus, sive retro debitis tributis quispiam non convenitur. *Cod. lib.* 7. *titul.* 39. *constit.* 6. Basilicorum *lib.* 50. *tit.* 14. *cap.* 7. in quo nihil tale significatur, sicuti nec in lata Thalelæi interpretatione. Verum Theodorus Hermopolites hoc dicit, adjiciens, quod tametsi pensiones præteriti temporis non petantur, interim tamen tributa futuri temporis exigantur. *Cod. lib.* 11. *titul.* 48. *constit.* 9. Basil. *lib.* 55. *tit* 1. *cap.* 8.

* *L. Comperit.* 8. *C. eod.*

5. * Qui post actionem institutam quievit annis. XL. non amplius agere potest, imo nec ipsius hæres. *Cod. lib.* 7. *tit.* 39. *const.* 2. Basil. *lib.* 50. *titul.* 15. *cap.* 1. quoniam omnis actio in judicium deducta, licet silentio suppressa fuerit, ad annos XL. extenditur.

* *L. Sicut.* 3. *C. eod.*

6. * Qui cujuscumque juris agrum ad annos XL. possederit, non amplius convenitur, nisi pro solutione canonis. Qui vero agrum ab Imperatore absque canone impetravit, et ad XL. annos nihil solvit, nec canonis nomine convenitur. *C. lib.* 11. *tit.* 62. *constit. ult.* secundum Theodorum. Basilic. *lib.* 56. *tit* 14. *cap. ult.*

* *L. ult. C. de fund. patrim.*

7. * Præscriptio c. annorum venerabilibus domibus competens, cujus meminit *Cod. lib.* 1. *tit* 2. *const.* 23. hodie est annorum XL. Ceterum et XXX. annos habent, et XX. et X. et III. I. ut est in *Nov.* 111. Basil. *lib.* 5. *tit.* 2. *cap. ult.*

* *L. Ut inter.* 23. *C. de sacros. eccl.*

8. Pro decem, et viginti, et triginta annis, spatium annorum XL. dumtaxat opponitur venerabilibus domibus. *Nov* 131. Basil. *lib.* 5. *tit.* 3. *cap.* 3.

9. Minor annis XL. non fit diaconissa, *Nov.* 123. Basil. *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 26.

10. * Actio hypothecaria debitoria rem possidentis, annorum XL. spatio exspirat. Sin alia persona hypothecam possideat, annis X. vel XX. extinguitur. Quod si posterior creditor adversus priorem egerit, annorum XL. præscriptione utitur, quoad debitor vivit. Sin ille decesserit, tunc et proprio nomine agit, et tam X. quam XX. annorum spatio excluditur. *Cod. lib.* 7. *tit.* 37. *constit.* 1. *et* 7. Basil. *lib.* 5. *tit.* 14. *cap.* 1. *et cap.* 8.

* *L. Cum notissimi.* 7. *C. de præscrip.* 30. *vel* 40. *an.*

De annis L.

1. *a* Nulla temporis obstat præscriptio petentibus id, quod solutum est in aliquo lusu prohibito, nisi dumtaxat annorum L. *Cod. lib.* 3. *tit.* 43. Ceterum hoc tempus apud Anatolium expressum reperitur, sed non apud Thalelæum, qui quidem magis probatus fuit, libro Basilicorum 60 *tit.* 8. *cap.* 3.

a Pars leg. 1. vel. 2. C. de aleator.

2. *b* Decurio post annos etiam L. muneribus fungitur. * *Cod. lib.* 10. *tit.* 32. *const.* 28. quæ non exstat in Basil. sicuti nec ipso tit.

b L. 2. 4. ult. tt. de decur.
* *L. A muneribus.* 43. *C. de decurion.*

3. * A liberto post annum L. operæ sive servilia officia non exiguntur. *Dig. lib.* 38. *tit.* 1. *dig.* 35. Basil. *lib.* 49. *tit.* 3. *cap.* 34.

* *L. liberta.* 38. *D. de oper. libert.*

4. * Natus ex ea, quæ annum L. excessit, legitimus est filius. *Cod. lib.* 6. *tit.* 58. *const.* 12. Basil. *lib.* 45. *tit.* 1. *cap.* 44.

* *L. Si major.* 12. *C. de leg. hæred.*

De annis LV.

1. Post annum LV. vacatio munerum personalium conceditur. *Cod. lib.* 10. *tit.* 50. *const.* 3. Basilic. *lib.* 54. *tit.* 7. *cap.* 6.

* *L. Manifesti.* 4. *C. qui ætat. vel prof. se excus.*

De annis LX.

1. * Post annos LX. qui adrogat, quod antea facere non potest, nisi ex justa causa, puta cum propinquum adrogat, aut quum valetudine præpeditur in procreandis liberis. *Digest. lib.* 1. *tit.* 7. *dig.* 16. Basil. *lib.* 33. *tit.* 1. *capite* 13. *them.* 3.

* *L. Si paterfam.* 15. §. *In Adrogationibus. D. de adoption.*

2. * Mulier annis LX. major, nubere minori annis L. potest. *Cod. lib.* 5. *tit.* 4. *const.* 27. Basilic. *libro* 28. *tit.* 4. *cap.* 40.

* *L. Sancimus* 27. *C. de nupt.*

3. * Licet manumissus annis LX. detentus fuerit ut servus, nullum præjudicium patitur. *Cod. lib.* 7. *tit.* 22. *const.* 3. *Basil. lib.* 48. *tit.* 24. *cap.* 2.

* *L. Solo.* 3. *C. de long. temp. præscr. quæ pro lib.*

De annis LXX.

1. * Post annos LXX. quis aliquando excusationem a tutela, et aliis oneribus habet, aliquando non habet. *Dig. lib.* 27. *tit.* 1. et *Cod. lib.* 5. *tit.* 67. *et Dig. lib.* 50. *tit.* 4. *et* 5. et *Cod. lib.* 10. *tit.* 42. Basilic. *lib.* 38. *tit.* 1. *cap.* 2. *et cap.* 18. *et lib.* 54. *tit.* 4. *cap.* 3. *et cap.* 56. *th.* 10. *et tit.* 5. *cap.* 2. *th.* 2. *et cap.* 6 *et* 17.

* L. *Excusantur.* 2. *D. De. excusat. L. Un. C. qui ætat. se excus. L. Et qui.* 3. § *Quamvis. D. De mun. et hon. L. Neque.* 5. *C. De muner. patrim.*

2. * Majores annis LXX. inviti ad curiam vocari non debent. Consentientes vero licet annis LXX. majores sint, munera quidem obire non coguntur, honores autem gerere debent. *Cod lib.* 10. *titul.* 32. *const.* 10. quæ non exstat in Basilicis, quia nec ipse titulus exstat, sublatus quum sit de decurionibus.

* *L. Si ultra.* 10. *C. de decurion.*

3. * Qui LXX. ætatis annum excessit, a personalibus muneribus liberatur. *Dig. lib.* 50. *tit.* 6. Basilic. *lib.* 54. *tit.* 6. *cap.* 3.

* *L. Majores.* 3. *D. de jur. immun.*

De centum annis.

1. * Ususfructus civitati relictus post centum annos extinguitur, ut homo longævus. *Dig. lib.* 7. *tit.* 1. *dig.* 56. Basilic. *lib.* 16. *titul.* 1. *cap.* 54.

* *L. An ususfructus.* 60. *D. de usufr. adcresc.*

2. * Ad redemptionem captivorum relicta, spatio centum annorum excluduntur. *Cod. lib.* 1. *titul.* 2. *const.* 23. Hoc autem in Basilicis quidem non est positum: sed ait Theodorus ad CXI. Novellam, in hoc usque tempus obtinere. Tertium vero caput *tit.* 3. *lib.* 5. Basilicorum significat esse sublatum.

* *L. Ut inter.* 23. *C. de sacr. eccles.*

De tempore non definito.

1. *a* Si judex nullum solutinni tempus definiverit, modicum tempus datur. *Dig. lib.* 4. *titul.* 8. *dig.* 21. Basilic. *lib.* 7. *titul.* 2. *cap.* 21. *them. ult.* Modicum vero tempus præfinitum est ad decennium.

a L. Quid tamen. 21. §. ult. D. de recept. qui arb. recep.

2. *b* Si tempus lege definitum non sit, a judice dies statuitur. Ut est in *lib.* 7. *titul.* 2. *cap.* 21. *th.* 2.

b d. L. Quid tamen. §. Solutioni.

3. * Qui interrogatur, ut aliquid in judicio deponat, tempus ad deliberandum impetrare debet. *Dig. lib.* 11. *tit.* 1. *dig.* 5. Basil. *lib.* 42. *tit.* 4. *cap.* 2.

* *L. Qui interrogatur.* 5. *D. de inter. in ju. fac.*

4. * Etiam de ætate quis nonnunquam respondere cogitur. Dig. *lib.* 11. *tit.* 1. *dig.* 8. Basilic. lib. 42. tit. 4. cap. 8.

* *L. De ætate.* 11. *D. eod.*

5. * Actio servi corrupti perpetua est. D. *lib.* 11. *tit.* 3. *dig.* 13. Basil. *lib.* 60. *tit.* 6. *cap.* 11.

* *L. Hac actio.* 13. *D. de serv. corrupt.*

6. * Etiam in media lite quis transigit. Dig. *lib.* 12. *tit.* 6. *dig.* 23. Basilic. lib. 54. tit. 6. cap. 18. them. 3.

* *L. Eleganter.* 23. §. *Si quis, D. de cond. indeb.*

7. * Societas in perpetuum non contrahitur *D. lib.* 17. *tit.* 2. *dig.* 38. Basilic. *lib.* 12. *tit.* 1. *cap.* 38.

* *L. Nulla.* 70. *D. pro socio.*

8. * Ante moram usura in deposito non recte petitur. *Dig. lib* 16. *titul.* 3. *digest.* 26. Basilic. *lib.* 13. *tit.* 2. *cap.* 21.

* *L. Publia.* 26. §. *Lucius, D. deposit.*

9. * Capitis damnati post appellationem testari possunt. *Dig. lib.* 28. *tit.* 3. *dig.* 5. Basil. 39. *tit.* 2. *cap.* 5. *them.* 8.

* *L. Si quis.* 6. §. *Hi autem, D. de injus. rupt. irrit. test.*

10. * Vox *confestim*, in iis quæ testamento relicta sunt semel, tempus illud post ejus apertionem et hæreditatis acceptionem, significat. *Cod. lib.* 1. *tit.* 3. *constit.* 45. quæ non est recepta in lib. Basil.

* *L. Sancimus.* 46. *C. de Episc. et Cleric.*

11. * *Post annos Petrus manumittitor*, manumittitur post biennium. *Dig.* 40. *tit.* 3. *dig.* 17. Basilicorum *lib.* 48. *tit.* 2. *cap.* 17. *them.* 5.

* *L. Libertas.* §. *ult. D. de manum. testam.*

12. * Perpetuum tempus est, usque ad mortem usufructuarii. *Cod. lib.* 3. *tit.* 33. *const.* 12. Basilic. *lib.* 16. *tit.* 8. *cap.* 28.

* *L. Ambiguitatem.* 12. *C. de usufr. et habit.*

13. * Actiones personales longo tempore non excluduntur. *Cod. lib.* 2 *tit.* 18. *const.* 8. Basilic. *lib.* 17. *tit.* 2. *cap.* 8. *et lib.* 50. *tit.* 12. *cap.* 10.

* *L. Adversus.* 8. *C. de neg. gest.*

14. * Et legata quædam, et donationes, et contractus, ad tempus valent. *Cod. lib.* 6. *tit.* 37. *constit.* 26. Basilic. *lib.* 44. *tit.* 4. *cap.* 49.

* *L. Illud.* 26. *C. de legat.*

15. * Interdicto *unde vi*, tametsi maxime usque ad annum agatur, tamen de vi exceptio perpetuo opponitur. *Cod. lib.* 8. *tit.* 25. *const.* 5. Basil. *lib.* 51. *tit.* 4. *cap* 17. *et lib.* 50.

* *L. Licet.* 4. *C. de except. et præscr.*

16. Perpetuum tempus significat, donec canon, sive pensio pro domo solvatur a conductore. Institutione 3. tit. 24. itemque spatium XXX et XL. annorum, immo etiam tempus, quod hominis vitam æquat: puta in actionibus, quæ non dantur in hæredes, sed rei vita determinantur, ut est in Instit. 4.

tit. 12. Verum hæc ex Inst. 4. non sunt in Basilicorum libris exposita. Vim tamen eandem cum eis habent jura ex Digestis et Codice sumpta, et competentibus inserta titulis. Sciendum vero, *thema*. 10. *dig*. 1. *titul*. 12. primi libri Digestorum, quod positum est Basilicorum *lib*. 6. *tit* 4. *cap* 2. them. 10. et quo traditur, posse præfectum urbis interdicere alicui et advocatione, et foro, tam ad tempus, quam in perpetuum, vocem hanc ecpisse pro tempore, quod hominis vitam æquet.

17. Sæpe multum temporis lex dicit, quod sufficit ad litis contestationem, ut *lib*. 2. *tit*. 1. *dig*. 11. Basil. *lib*. 7. *tit*. 16. *cap*. 10.

18. Perpetuum tempus etiam lex vocat, quod æquat vitam illius, qui accipere debet alimenta. *Dig*. *lib*. 2. *tit*. 15. Basilic. *lib*. 11. *tit* 2. *cap* 8.

19. * Modicum tempus intelligitur etiam quod sufficit ad conducendam domum, vel disponendam supellectilem, vel ad quærendum advocatum. *Dig*. *lib*. 4. *tit*. 6. *dig*. 15. Basilic. *lib* 10. *titul*. 35. *cap*. 10. *them* 4.

* *L. Ab hostibus*. 15. *D. ex quib. caus. maj. in integr.*

20. * Qui actione in rem convenitur, a litis contestatione malæ fidei possessor, sive prædo est. *D* *lib* 6. *tit* 1. *dig* 45. Basilicor. *lib*. 15 *tit*. 1. *cap*. 33.

* *L. Sed etsi*. 25. §. *Si ante litem D. de hæred. petit.*

21. In actione petendæ hæreditatis etiam nuda citatione tempus interrumpitur. *Dig*. *lib*. 5. *titul*. 3. *dig* 25. Basilic. *lib*. 42. *tit*. 1. *cap*. 21. *them*. 3.

22. * Actiones prætoriæ per preces et rescriptum perpetuæ fiunt. *Cod*. *lib*. 1. *tit*. 20. *constit*. 2. Basilic. *lib*. 2. *tit*. 5. *cap*. 10.

* *L. Temporales*. 2. *C. quando libel. princ. dat.*

23. Tempus a judice statutum dari fidejussoribus debet, qui convenire debitores principales cupiunt *Novel* 4. Basilicorum *lib*. 26. *tit*. 2.

24. * Tempus exceptionis pecuniæ non numeratæ, secundum veteres erat quinquennium; secundum Justiniani vero constitutionem, biennium. *Instit*. 3. *tit*. 20. et Cod. *l*. 4. *tit*. 30. *constitut*. 14. et Basilic. *lib*. 23. *tit*. 1. *cap*. 73.

* *L. In contractibus*. 14. *C. de non num. pecun.*

FINIS LIBRI DE TEMPORALIBUS INTERVALLIS

JACOBI CUJACII J. C.

EPISTOLÆ

HACTENUS INEDITÆ

Joanni Truchio præsidi amplissimo, Jac. Cujacius S.

Non fuit cur tantum laboris caperes, præstantissime vir, et publicis magnique momenti occupationibus momentum illud subriperes, quod partim gratulationi scribendæ mihi, partim gratiarum actioni suspendisti. Nec ego scripseram ad te eo consilio, ut eliceram aliquid litterarum: et qui epto sæpe, laborum demi partem aliquam huic ætati tuæ emeritissimæ, et sanctissimæ, nulneram sane hunc novum tibi parare laborem: hoc tantum mihi erat in animo, ut efficeram aliquid quo nosses me tui meminisse, et esse erga te, qui fuerim ante, quique post futurus sim, quoad vita vixero mea, et quod jam pollicitus sum, et hoc ipsum palam facturus clariori testimonio aliquo; mihi satis fuit, vel inspirare te, et agnoscere meum simul, atque animum meum, nec ambitiose appetivi, ut eam deoscularereris: satis erat legere tumultuariam, et inconditam scriptionem meam, nec volui etiam huic rescribere te: et in hoc ipso negotio, de quo me Consules nostri interpellant modo vehementer, ut interpellem te, velim si placet existimes, rem si confeceris ex animi nostri sententia, hoc satis abundeque esse, etiamsi rescripseris nihil, et per breve quidem, id est facileque, quod volumus. Lis istic agitur quædam apud præfectos ærarii de salario annona, et quod ex ea mihi, et Roaldo præbetur salario publico, quem jampridem institutam coss. nostri, nondum ad exitum perducere potuerunt, te curante mox perductum iri sperant, ut uti sperant, ita rogant. Ita rogamus te obnixe ego, et Roaldus, et si hoc quoque tibi dulce est, uti est sane quantum existimamus ex merito hominis eruditissimi, et sapientissimi, etiam his precibus nostris filii pene tui nomen adscribemus, cujus nos consuetudine mirum in modum delectamur, et hanc tibi acceptam ferimus gratiam. XIII. KAL. Dec. M. DLXXIII.

Ornatissimo, optimo, et sapientissimo præsidi Guillielmo Portano S.

Quæ hac ipsa hora a te mihi redditæ sunt litteræ omni ex parte summa me perfudere lætitia, et imprimis, quod nunciarunt tentationem morbi, quem verebare, tumoremve depulsum levi remedio, cujus equidem causam cavere facile fuisset, forte si negotia te meminisse sivissent; quod Horatius ait, *matutina parum cautos jam frigora mordent*: qua in re vero, nemo tamen non incautus, dum alia vesperi, alia mane nos excipit cura, nec licet ad singula temporum momenta attendere. Equidem hoc genere capior, intercipior, corripior frigore sæpe, nec mihi dum tamen ob eo incommodo prospicio bene, et quis possit mutationi quoque temporum, et intemperiei adeo subitariæ, qualis plerumque subripit prospicere bene? Liceret si possemus, aut si quis posset liceret, et vitam tolerare facilius, et protendere longius, ἀλλά τοι ἐξ ἀέθλων ἀπτόμεθα δεινοῖς. Quod de munusculo rescribis, hæc vel sola rescriptio mihi munus amplissimum, et omni auro pretiosius est. Et de tuo plane jam vilescit meum, nisi æque animi pondere utrumque æstimaveris, mei licet utique summissioris, tui celsioris, mei ut filii, tui ut parentis. Et major igitur animi tui propensio quandoquidem fertur, et verum est, parentum charitatem præcellere, et præponderare. Et jam igitur cum munere tum animo superior, quod equidem facile fero, et in felicitatis parte deputo maxime, et habeo gratias, et vel me terra dehiscat, nisi dum hunc mihi ducere spiritum dederit Deus, habuero semper: nam ita natus sum, ita educatus, ita comparatus ab animo, et velim dominis meis: hi sunt, qui ubnixe, ut tu, sese virtuti, probitati, integritati addixerunt totos (hi mi sunt domini) et qui ad hæc suam quoque bonitatem in me exercuerunt gratissimus esse percupiam. Vale Valentiæ Cavarum. Dominus Roaldus jussit me adscribere tibi salutem plurimam, et deferre omnem suam operam, et obsequium: multum est admiratus tuarum litterarum elegantiam, quas ego ut accepi, et legi, (aderat enim) ei quoque dedi relegendas.

Barth. Catino S.

Quod a me rariores litteras accipis, fit vitio meo, et invito animo meo tamen: nec enim pœniteret me vitii, si pertingeret animum; et argutiæ valent apud me Arist. atque probantur esse veræ, ut invitus potius, quam non volens sim in scribendo piger et tardus: quorsum hæc, nisi, ut ignoscas pœnitenti primum, deinde, ut benignus legas, si forte nondum inaudisti, singulari beneficio Regis me senatorem factum, his conditionibus, ut mihi sit jus in Senatu Gratianopolitano dicendæ, sententiæ utque honoribus, et privilegiis omnibus senatorum fruar: quæ quidem in hac Provincia præcipuo quodam jure sunt ampliora, quam in ceteris, et ut ne tamen desererem propterea scholam, cujus tuendæ potius, et amplificandæ gratia hic mihi ex insperato ab optimo principe ultro delatus est honos, addita pollicitatione majoris rei: hoc ego te, sive nescientem, sive scientem ex me ipse rescire velle existimavi: novi enim συνελπιστίαν amoris tui, sed quæ inter hæc de jure evulgavi nuper, nescio, an ad te pervenerint: ea sunt commentaria in omnes Africani leges, et Paratitla Pandectarum, quæ mittam libens simul ac multa alia, quæ jamdiu prodierunt ex studiis meis, si his quisquiliis ita cares, ut nec carere velis. Paratitla Gregorio Lomelino patritio Genuensi dicavi, qui nunc in Africa Tembargum præest cum imperio, ubi legitur corallium, summo amico meo. Is ut pedem in ea regione posuit, ad me scripsit suo more familiariter, ejusque litteræ mihi redditæ sunt fide curaque Ascanii Roncali civis vestri, multam mihi spem facientes de quibusdam libris quos ex Hippone Divi Augustini sede Episcopali brevi accepturus est. Ego meis litteris hominem excieo, et incendo vehementius, ut hanc rem curet strenue. Genus enim hoc est voluptatis meæ quærere, et perscrutari libros. Quæso te, mi Domine, ut tu Ascanio fasciculum mearum litterarum commendes de meliori nota, quæ maxime is, quamprimum fieri poterit, tuto vestigio curet vicissim meas ad illum literas perferri Tabarquam. De rebus publicis, quod scribam hoc tantum habeo: multas a Rege copias adventare in hanc Provinciam, itoras porro ubi sunt, qui res moliuntur adversas. Bene fortunet omnia bene. Vale Valentiæ Cavarum III. id. Januar. MDLXXIII.

Bart. Latino viro ornatissimo, et eruditissimo S. D.

Quod Aristoteles refert, si bene memini ex Phocylide, πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν, non cadit in me, vel in te, qui longe alius moribus imbuti sumus: nec quæ tam coit inter nos firmiter amicitia, ullo silentio dirimi potest. Nec igitur est, quod me, vel de eo purgem, vel a te purgationem expectem: eam ubi peccati nihil nos reputamus esse, nec purgationi sane locum esse censemus, et si quid peccati est, id quando tu ad me novissime scripsisti, quantum quidem ex mercatore intellexi, licet tuæ ad me litteræ non pervenerint, si gravis es officiorum exactor, merito potes omne in me transfundere. Sed accipies, nisi me fallo, benignum animum, et mihi morem istam, commutationem, segnitiem (quodcumque volueris licet ad vitium nuncupare meum) facile condonabis. Et exacuet me ista tua benignitas ad majorem diligentiæ perse-

quendam tuam erga me benevolentiam. Interea gratulor tibi certe plurimum, et mihi gaudeo quod ex morbo, ut inaudivi, satis periculoso emerseris, et adhuc salvus sedes firmusque resederis, quæ te constitutio habitusque corporis ex voto quidem meo, voto Massiliensium, si bona sua norunt, voto bonorum, et Doctorum omnium ad longissimam permanebit ætatem. Rerum novarum si quid aves, Sanctonum promontorium certo affirmatur ita esse afflictum, ut nullum jam, aut admodum pausillum diem restare possit. Qui huic Provinciæ parabant insidias, et suis artibus potiri se facile existimabant posse metropoli, et aliquot aliis civitatibus, hi longe æquiore ratione, quam sibi persuaserant, earum potiti sunt, proditi ipsimet, capti, trucidati, partim suspendio laqueoque strangulati sunt, partim obscuro carcere tanti facinoris conscientia discruciati, miseram ad supplicii diem neque vitam trahunt. Vale Valentiæ Cavarum 3 Id. Maji, MDLXXIII.

D. a Porta S.

De tuo amore dubium mihi non erat, qui audieram sæpe de multis audiisse te et intellexisse sæpius quanto te cultu, et castu colerem, et quam avide cuperem aliquando officii genere piare pietatem, et observantiam erga te meam, quam sanctæ ætati tuæ, et virtuti incomparabili nemo non debet: sed qui me plane nosses ita affectum erga te, non dubitabam, quin mihi tu quoque responderes pariter in amore. At certiorem me modo fecisse literas tuas animi amicissimi indices, est sane, quod confitear, et fecisse quidem facillime jam satis persuasum nobilissimi, et divinissimi Scaligeri, qui ab eo die, quo se in meam familiaritatem insinuavit, die felicissimo mihi, non desitit mihi vel conciliare, vel corroborare aliorum amicitias, perinde atque ego ipse pro mea parte totus ab eo tempore in hunc usque diem, postque futurum, quantaque mirabili quadam amoris magnitudine, qua nulla pariter affici me senseram ante, exarsi et exardeo, et exardescis tu jam ipse quoque, quantum ex tuis literis perspicere possum, et quis non qui modo cognoverit? quam is possideat sincerum et nobile, et ἐν στήθεσι ἄλκιμον ἦτορ, vere Deo charissimus vir, qui tanta ab eo accepit beneficia, quanta vix hodie in ullo alio liquido quisquam adseverare possit. Felix ego, qui hunc habuerim tuæ erga me benevolentiæ pararium, aut confirmatorem, et obsidem præstantissimum. Felix tua amicitia, felix tuarum literarum honore. Ego vero tota vita nunquam tam enitor, quam, ut ne tua amicitia indignus esse videar, et ut ne quasi immemor honoris, et dignitatis tuæ, quam ex pietate constanti sibique pari semper, partim ex liberis reconditioribus tibi comparasti amplissimam, quidquam prætermittam eorum, quæ ad celebrandam, ornandam, prædicandam, atque etiam si potero (potero autem brevi) de facultatibus meis munere aliquo cohonestandam pertinere arbitror. In extremo Epistolæ tuæ vellem adjecisses, quod antecedebat μαθόντας δέ: nam ex his, quæ a nobis, vel ab aliis didicerunt, et si haud quaquam bene μεγαλήνοντας ἀκροάσεις πνεύμονες, αὐτοφυὲς οὐδὲν ἔχοντας, non meo judicio, cui etiam fidem, quam, nec impetrares, nullam haberi volo, sed omnium profecto, qui de juris arte judicare possunt. Quamobrem contra quam obganniant, mihi videantur ἀναμφερόντα, καὶ τοῦ τούτων φόβου οὐκ ἄν γράφειν. mihique est, satis ad eum non ita dudum, quod scripsi, et quid Græco, partim ut nesciret solus, si aberet scire quod scriberem, partim ut pudori meo indulgerem, qui non patiebatur me quocumque sermone, quid de eo bene judicarem efferre, non dubito, quin meis literis intellectis, et posthac sit dicturus semper, οὐκ ἀπαρνοῦμαι τῷ μή, ac frustra tamen adstipulatorem quæsiturus alium, quam vita jam functum Geng. rmerinus, qui si reviviscerit non secus profecto sentiret ea de re, et loqueretur ac sentiunt, qui superant omnes, ut sentit etiam ipse, nisi taurea percussus παραπαίοντα καὶ διέφθαρται τὴν γνώμην. Quod mihi iraturæ verbum extorsit rei indignitas, non ulla libido mala, ita me Deus amet. Residua doctissimus tibi salutem. Vale Valentiæ Caver. V. Id. Septemb. MDLXXIII. tuo observantiss.

Luberto Honradio S. P.

Non me sidiati, Honradi, qui visendi te mei tantum causa in hanc urbem venisse narrabas, qui vix ingressus urbem mox retrocessisti, parvo admodum habito sermone nobiscum, parumque, aut sane nihil explorata mente, judicio, ingenio, facultate nostra quali quali, nec unde dignoscuntur potissimum homines, vel unius ἀκροάσεως nostræ expectato periculo, sed maluisti in urbe residere longe alienissima a literis, quam inter studiosos versari, qui nobiscum una degunt, et meditationes exercent suas: falleris: non is ego sum, quem oculis vidisti, sed quem interioribus sensibus percipere potuisti, nec crevisti, aut percepisti tamen, nec tu ipse es, quem vidi, sed quem oculorum latebat sensus, nec dum brevi temporis spatio per te mens mea contueri, et animadvertere potuit. Ergo alter alteri nondum visi nondumque cogniti sumus: initia tantum quædam in hoc parabamus, quæ mox interrupit, et ipse præproperus tuus recessus, quo re nihil quidem irascor, aut expostulo tecum, negotia enim tua, ut arbitror, te ad hoc compulerunt, sed doleo tamen, nam de me cupiebam te narrare certius D. Remeu veteri amico meo doctissimo, et sapientissimo, cujus equidem recordor nunquam, quin exultet animus jucunditate, et gestiat rursus cupiditate videndi, quandoque oris ejus suavissimi, et honestissimi, aliorum sæpe memoria βάσκανον φασί, tanti viri memoria παραμυθίαν οὐ μικράν. Idem cupiebam te narrare D. Wesembecio summo amico meo, quantum ex ejus scriptis percipere possum, quibus tantum mihi tribuit, quantum ego sanna mihi arrogare non possum, quo nomine brevi, ut spero, ac pro eo etiam ac meretur summa probitas ejus, et eruditio, parem gratiam referemus. Sed cum vix habeas certi quidquam, quod cis de me narrare possis, qui non habuisti otium pertentandi, et per noscendi mei, hoc saltem utrique renunciato me vivere amicitiæ nostræ memorem, et dicere utrique salutem plurimam. Vale Valentiæ Cavar. VI. Id. Sept. MDLXXIII.

Ornatissimo et sapientissimo Præsidi Guillelmo Portano S.

Ad summa tua erga me beneficia et illud maxime, quo de me in eum cui præsides ordinem conscribendo verba honorifica plerisque amicissimi desiderii egisti sæpe, et peregisti nunc, quod etiam adjunxeris præclarissimum testimonium, quod edere propalam decreveras, nisi brevitas temporis mihi hunc publicum honorem invidisset, et quod ejus modo exemplum ad me transmiseris simul cum Epistola tua eruditionis, et elegantiæ, et singularis cujusdam erga me benevolentiæ notis perquam insigni: et sane quod non modo gratias tibi ingentes, sed, nisi velim me bonos omnes odisse male, etiam omni opera contendam, ut in quem beneficia tua, et studia melius collocaveris, habere te neminem plane sentias. Quod ego ut spero adsequar partim adsiduitate officiorum, partim etiam si quid juvat tale manu ista ex curriculo studiorum meorum subrepto et elaborato munera quodam literim cytharam ad te mitto insculptam onyche jam olim, quam mihi dono datam ab amico non transcripserim in alium æquius, quam in te concentus musici, istoria, et elegantiæ omnis studiosissimo: formam comperies esse talem, qualis a Philostrato descripta est. κεραταὶν ὄψον κα Ζυγοῦ καὶ χέλυος. Et si me memoria nihil fallit etiam a Josepho in Anaal. non specie a literæ, ut imperitus quidam sub falso D. Hieronymi nomine scripsit in Epistola, quæ inter opera ejus inscribitur ad Dardanum de diversis generibus musicorum, ubi et cytharæ xxiv fidem facit; cum si verus Hieronymus tribuerit sev duatesat. Id vero quidquid est muneris si benigne acceperis, valde gaudebo. Vale Valentiæ Cavarum, VI. Id. Aug. MDLXXIII.

Jacob. Cujacius Tidemanno Gysio S.

Binas a te literas accepi, quæ me magna lætitia perfudere, maxime posteriores, quæ pristinam te valetudinem recuperasse nuntiabant, et in utrisque signa amoris, quæ das certissima dici non potest, quam mihi suavissima fuerint. Ego quanti te fecerim semper, et quam unice dilexerim, imo coluerim, et admiratus fuerim multi jam sunt testes, sed in posterum curabo ut habeam, et adhibeam ampliores: nam de probitate, elegantia, ingenio tuo nunquam conticescam. Et vero meum de te judicium etiam aliquando luce clarissima, ut poteat atque splendidiore papyro inscribatur efficiam. Tu modo te serva mihi, et reipublicæ tuæ, in qua non potes non excellere, nisi delitescas penitus, quod nolim. nam virtutem sine gloria nescia quo loco Aristoteles ait, quodammodo inanem esse. Quod gratulatus es de senatoria dignitate pro omine initio accepi, et augurio bono: nondum enim eram conscriptus in eum ordinem, sum modo. Sed credo te scire, me non ideo renuntiare scholæ, cum et ea lege is honos mihi delatus sit, ne unquam deseram scholam. Is, qui λακκοσχέας τὴν νομικὴν, si perstat in sententia, ut dedicativa enunciatio labatur in abdicativam, et hoc nemini unquam persuaserit, et infamarit nomen suum prodideritque juris imprudentiam magis, nec mihi ob eam rem, vel aliam ullam unquam cum eo contentio erit. Ac quidquid scripsi ad te, studio tantum aperiendæ veritatis, et minuendæ temeritatis male de arte nostra meritorum hominum φιλαλήθως scripsi. Multum amo, ut scis, et loco præceptorem tuum Sturmium, quem et ipse habeo pro præceptore, cum ex ejus politissimis scriptis didicerim multa, quorum me nunquam pœnitebit: eum te quæso meo nomine salvere jube. Residua communis amicus noster, et domus nostra te tota salutat. Vale Valentiæ Cavarum II. Non. August. MDLXXIII.

Scaliger se ad nos reversurum brevi mihi per literas spem fecit, quare nihil, si credis scilicet, mihi molestius accidere potest.

B. Cotino. clar. et eruditiss. viro S. per Joan. Maximum de Limoges Massiliam proficiscentem.

Cum Massiliam proficiscerentur summi amici mei visendæ urbis tam celeberrimæ gratia, nolui committere quin perferrent mearum ad te literarum aliquid, neque vero ipsi cum jam ante multa ex me audiissent de eruditione tua; deque ea, quæ inter nos intercedit amicitia, segnes fuere in reposcendis literis, imo segnem, ac torpentem, cujus rei me sane dispudet, et habes tu, quod eo nomine queraris jure meritoque ut agas in me, impulere ut scriberem ad te: quod meditabar quidem quotidie, et in sinu erant mihi semper posteriores literæ tuæ, quæ officii me mei commonefacerent, sed vel tempus mihi non suppetebat, vel κόποι αὐτόκλητοι, qui meas plerumque insequentur elucubrationes mihi cunctationem injiciebant. Vix tandem scribo, qui vixi interim amicitiæ nostræ memor et virtutum tuarum prædicator assiduus. Hoc unum vero a te postulo, ut hos meos summos amicos ne sinas ad me redire ignaros floris liberi,

ejus, quem ego pro peregrino accipiebam errans, et miror esse indigenam. Vale Val. Cavar

A MONSIEUR,

Monsieur d'Orsenne Lieutenant General d'Yssoudun, à Yssoudun

MONSIEUR,

Je me sens bien fort obligé à vous, de la souvenance que vous avez de moy, comme j'ay assez amplement connu par la vostre qu'avez écrit à Monsieur Perrot, et vous puis assurer que de ma part aussi je conserve la vostre religieusement, heureux de vous avoir connu pour les rares, et notables vertus, qui sont en vous. Monsieur Perrot vous pourra dire de quelle sorte je suis icy attaché à mon estude. Je ne m'y suis trouvé jamais si estroictement empesché pour infinies choses, que je recois tous les jours de coté, et d'autre, où il me faut vacquer; sans cela je vous assure, que je luy eusse tenu compagnie tant pour vous voir, et saluer, qu'aussi pour ouyr, et voir, *os illud probum pietatis plenissimum* de Monsieur de Passi, *qui nunc solus tota Gallia celebratur, cui si parem, vel adsimilem hic haberemus, melius nobiscum ageretur*: mais ce sera une autre fois, que je pourray faire ce voyage à la premiere commodité, qui se presentera, et à tant.

Monsieur,

Je me recomanderay humblement à vostre bonne grace, et prieray Dieu vous donner vos desirs.

De Bourges ce 27. Decembre

Vostre serviteur et entier Amy, JAC. DE CUJAS.

Jacob Cujac. in Valentina Accademia juris Doctor, Hadriano Ballue Rothomagensi, rectoratum ineunti, in prælectione publica

Salve, Magnifice Rector, nihil blandius, quam natura mea fert, quæ benigna mavult esse, quam blanda. Tantum dicam gratias Deo immortali, qui non subtraxit superiori in dignitate sua, sed ei finita mox voluit effecitque, ut uno omnium consensu tu in eam potissimum succederes, gratias nos agere, gratias te agere debere, nos quod rari admodum rectores nobis obtingant tui similes, boni, vigilantes, liberales, et quod caput est, studiosi juris utriusque assidui invictique cultores: nam quod de principibus dixit minus quidam, in uno annulo omnes bonos principes posse perscribi, et depingi, ego de Rectoribus (qui et Principes sunt ipsi, imo quibus etiam summæ rei Domini se adsimulare gaudent) idem dixero vere, de his saltem quos vidi, vidi bonos, paucos tamen vacare bonis literis. Et quoties igitur advenit bonus, is est quasi cœlo missus. Est sane quod lætemur, et ideo gratias agamus: egimus heri multas, easdem tibi libenter male recolimus hodie. Et te quoque, magnifice Rector, jus non Deo gratias agere, et iterare convenit? Quem omnes dignissimum judicaverunt, qui hoc anno huic scholæ præesses, scholæ omnium eruditissimæ, et moribus temperatissimæ. Nihil etiam præcipiam, vel monebo, tantum dicam ut idem esse pergas, qui fuisti ante tuæ scholæ similis tui non dissimilis: præcepta des potius ipse nobis, quæ nosti, quæ sequeris, quæ sequamur, ne accipias alia quam tu ipse tibi dederis, qui non potes dare, nisi saluberrima, neve alium sumas ex populo monitorem officii; sic efflorescet schola, sic redundabit virtutum omnium genere. Sin Magistratus tui præmia feres amplissima. Deus te nobis dedit, judicium Deus hinc apparet. Deus te servet, Deus te nobis conservet. Accipe autem bonæ spei loco, certæque fidei diligentiæ nostræ, quæ in dies excrescet diligentia tui, quæ te ineunte magistratum prima accurrit lex, quæque factura est trium legum interpretationem *l.* 87. et *l.* 90. *de legat.* 1. et *l. penult. de his qui ut indig.* anno 1572 quinto id. Decemb.

Habita ad D. Chamrobertum in Valentina Academia Rectorem, D. Cujacii J. C. Oratio, Anno Domini 1573.

Salve, nove rector, prout te gesseris post future, aut non future magnifice: nam si universa vita, nec boni quidquam, nec beati tribui merito potest, neque aliud quidquam laudabile nomen, antequam exierit e vita, et multo minus in actu, curatione, ministerio modici temporis antequam, quod susceperit, id produxerit ad extremum: sunt enim hominum mores inconstantes et leves, nec ullum animantium ingenium humano mutabilius, ac sæpe quod quis satis feliciter instituit, peragit infeliciter, nec respondent post principia principiis, quinimo dedecorat sæpe extremus actus quidquid ante gestum est bene. Quem initio magistratus vidisti laudatum, ornatum, atque conspicuum, eum sæpe vides abire magistratu illaudatum, atque deformem insignibus notis. Sortes humanæ temporariæ sunt, ut Euripides dixit ἐφημεροι τύχαι, ut seleo eam sententiam explere, ἐφήμεροι μὲν ἀλλ' αὐτὰ χρηστὰ ἐφήμεροι τύχαι, scilicet optabiles aut amabiles honores esse, cæterum diarios, atque horarios nonnunquam, aut momentarios. Imprudentes sane natura qui sunt, statim e sella illo suo genitali morbo sese efferunt insolentius, et abutuntur fortuna omni, et prudentissimi quoque sæpe exeunt potestate sua, maxime dum auscultant, quas Ulysses ille contempsit quidem, sed quantum ipsa experimur, ut fabulantur, non perduxit ad mortem mortuario glossaris, quorum ingens ubique turba, quam plerique communi lætaminis nomine signant. Vix unum e multis equidem liquido laudare possem, qui eundem locum tenuerunt, quem tu occepisti, qui non vel hac ratione prudentia exciderit sua, vel imprudentia sua astuli quadam turbaverit, et fœdaverit se, et Rempublicam nostram. Multi sane nos fefellerunt, multorum gesta, prædicationes, falsi aut credulitatis cujusdam nos coarguerunt: ut ne deinceps coarguamur, et neque fallamur, consultius esse existimamus quod tempus muneri obeundo constitutum præterierit, cum maturius sit ei, qui præclare rem gesserit reddere laudem laborum, bonorum, præmiorum abunde satisque. Interim vero non debemus, aut possumus nisi optare, et sperare bene, præsertim quod scimus te literarum studiosissimum esse: et omni genere literarum delectari plurimum quamquam si vera narrantur, insperatum te ex insperato, improvisum ex improviso, ac fere nescium nescit, ii, quibus optandi jus est optaverint, se nominaverint suffragiis concordibus, quasi divino quodam afflatu percussi. quod si ita est, satis nobis hæc res non modo spem facit bonam, sed et fiduciam quodammodo inducit certam auspicatissimæ, ut certissimæ, administrationis: et eo nomine quidquid gestum est placet satis, tametsi inconsulto collegio gestum, quod tamen more majorum consuli debuit, et cui etiam est adhuc integrum, vel id non ferre si segnius te gesseris, quam dignitas hujus scholæ, et bis nobilissimus studiorum cœtus postulat, vel ita ferre, ut tu fortunam tuleris istam. Sed, ut dixi, melius speramus, et hac spe freti, quod tibi delatum est munus, te primum obire, eoque pro dignitate perfungi rogamus. Deinde studiosos etiam atque etiam obsecramus, cum te quasi divinitus nacti sunt rectorem, et præsidem, ut te observent unum, nec alia signa sequantur, vel si qua sustulerint, jam ea deponant, et tibi submittant. Uno si placet rectore contenti simus omnes: una sit nobis omnibus hæc cura unum studium, Deo placere, et jus intelligere ac sequi, cui damus operam, non quod plerique factitare dicuntur in pecuniam ludere diu noctuque, quo vitio nullum est studiosis perniciosius. Non est mecum arguere, nec ausim, aut velim hoc unquam mihi arrogare, qui existimo nihil mihi in vos, vobis in me licere omnia: sed denuntio tantum hanc spargi famam in hac universitate, plerosque alea potius, quam juris fieri peritos, quod me audire ne quid dissimulem sane pudet et piget, qui in ore semper circumfero meliora et laudabiliora de vobis. Sed jam tractamus de quæstione difficillima in *l.* 19 *de cap. et postl. revers. ex lib.* 29 Quæst. Papiniani, quæ te jam ineunte magistratum reddita facillima boni ominis, atque auspicii loco erit. Anno MDLXXIII. VI. Id. Decemb. Valentiæ Cavar.

CONS I

Quidam decessit, filiis duobus Secundo et Tertio, et filia relictis hæredibus, quibus cum matre fuerunt mobilia communia, et quæcunque ex quæstu venerant, manente communione, mater a filia redemit portionem hæreditatis paternæ, data certa pecunia in dotem filiæ nomine, et eandem portionem contulit in commune, mox eam præcipuam Secundo donavit, ac deinde morte Secundi ad Tertium jure hæreditario pervenit. Tertius autem moriens codicillis cavit, ut bona paterna paternis, materna maternis cederent. Quæritur an paternorum bonorum appellatione contineantur ea, quæ soror matri cesserat dotis habendæ causa. Respondeo existimare ea bonis paternis pro parte tertia: communia enim ipso jure facta sunt inter sistrem, ac Secundum, et Tertium, quia veluti emptione matri obvenerunt, data certa pecunia. Igitur pro parte tantum tertia ad matrem pertinuerunt, quod si ita est, pro parte tertia necesse est ea adnumeremus bonis maternis; nec donatio mox a matre collata in secundum, ea in pristinam causam restituit. Si resoluta fuisset donatio aliqua ex causa, rediisset res in pristinam formam, *l. Voluntate*. §. *ult. D. quib. mod. pign. vel hypot. sol.* Sed cum non fuerit resoluta posterior donatio matris, datio, non redditio censebitur, quæ duo sunt valde diversa. *l.* 1. §. *Eleganter. D. depositi*; nam si reddiderit eam quoque partem tertiam paternis adnumerabimus. si dedit, quod est verius, maternis. Quamobrem ex codicillorum scriptura ea portio tertia cedere debet non paternis, nisi probetur Tertium in paternis ea bona numerasse. Error enim defuncti jus facit, *l.* 3. *in fin. D. de suppel. leg.* Quinimo ex usu loquendi, etiamsi id non probetur, præsumam ita defunctum sensisse: nam in usu est, ut dicamus paterna, quæ vetustiorem originem ducunt a patre, licet aliquandiu in extranei persona resederint, ut in usu est, feudum paternum dicere, quod ab avo patreve descendit, etiamsi filiæ obvenerit, non maternum. Et ideo jure ipso filiæ postea in eo quasi materno non succedunt. Sed adgnati eorum, a quibus feudum originem cepit, *lib.* 1. *feud. tit.* 15. notum autem illud est, ex communi usu nomina exaudiri debere. In Saxonia Lucius Titius a Gajo Sejo mutuam pecuniam sumpsit, et telonium certum pignori dedit, ea lege ne G. Sejus nomen illud extero pignoraret, vel distraheret sine voluntate Lucii Titii. Post aliquot menses G. Sejus bona ejus omnia generaliter pignori obligavit Primo homini extero, et peregrino, deinde et nomen illud specialiter Secundo æque extero homini, et peregrino,

utrique sine voluntate L. Titii; tum voluntate L. Titii nomen illud specialiter Tertio in solutum dedit facta obligatione. Tertius pecuniam a L. Titio exegit scientibus Primo, et Secundo, nec quidquam ob eam rem integro triennio desiderantibus, vel expostulantibus. Quæritur, an post triennium recte agant utili Serviana adversus Tertium? Respondeo ut pactioni habitæ inter L. Titium, et Gajum Sejum stetur, non esse, utilem actionem, *l. Si creditor. §. ult. D. de distract. pignor.* maxime cum ea pactio Juri Saxoniæ congruat, quo rei immobilis pignoratio extra Ducatum inhibetur, et res incorporales immobilibus adnumerantur, l. 12. *C. de servit. et aq.* et *l. 2. Feud.* tit. 1. Est et alia ratio, quæ repellit Primum, et Secundum, quia liberato L. Titio est pignus nominis, sive teloni, *l. Grege. § 1. D. de pign.* Liberatus autem est L. Titius per delegationem: ne dixeris etiam repelli eos ob scientiam silentiumve triennii: nam hypotheraria adversus posteriores creditores etiam hypothecarios durat annis 40 vivente debitore, *l. Cum notissimi. C. de prœsc. 30. ann.* et multo magis adversus chirographarios. qualis fuit Tertius. Et scientia autem præsentis nihil nocet, *l. Gajus. D. de pign. act. l. Lucius. § Titia. D. de leg.* 2. Ne dixeris etiam repelli Titium, quod sub generali hypotheca non continerentur nomina: hoc enim est falsum, *l. 4. C. quæ res pign. oblig. possunt.*

D. J. CUJACIUS.

CONS II.

Mater et filius fundum, quem inter se communem habebant, vendiderunt Lucio Titio non sua sponte, sed justo metu, et vi coacti, adhibita per maritum secundum mulieris, eundemque filii vitricum. Si rei ita gestæ ignarus fuerit L. Titius: quæritur an ad rescindendam venditionem matri, et filio venditoribus ulla competat actio adversus L. Titium emptorem bonæ fidei.

Respondi, esse actionem quod metus causa, quoniam hæc actio in rem scripta est non in personam, et consequenter datur adversus quemlibet possessorem, etiamsi is vim, aut metum non fecerit, neque vis ab alio factæ conscius fuerit, *l. 9. §. ult. quod met. caus.* quod et edicti quo prætor coercet, et restituit, quod vi metusve causa gestum est, hæc verba demonstrant, quod metus causa gestum erit, ratum non habebo: quæ rem notant, non personam. Et hoc quoque evidenter declarat *lex Si cum exceptione. §. In hac actione. eod. tit.* et evidentius *§ At quando,* in quo aperte concluditur ex Juliani sententia, etiam bonæ fidei emptorem non conscium metus ab alio illati, qui rem vi, aut metu extortam possidet, hoc judicio teneri. ee, inquit, metus, quem quis passus est, ei captiosus sit. Nec obstat *lex Non interest. Cod. eod.* in illo loco: an vero sciente emptore ab alio quoniam ut cum Accursio Bartolus et Doctores omnes sentiunt, in specie illius legis sic evenerat, ut sciens emeret ab eo, qui vim adhibuerat. Idem tamen esset si emisset ignorans ab eodem, vel ab iis, qui ab eo vim passi erant. Constat etiam in emptorem competere rei vindicationem rescissa traditione, quasi res non desierit esse in bonis eorum, qui vim passi sunt, *d. l. 9. § Volenti.* et *§. Licet.* Verum actores sive hac, sive illa actione agant, oportet emptori pretium offerre, et restituere, quod ab eo acceperunt, ut *l. 2.* et *4. C. eod. l. 1. C. de rescind. vendit.* quoniam omnem restitutionem in integrum reciprocam esse oportet. Jacobus Cujacius dictavi, et recognovi Averici Biturigum anno a nato Rege Messia MDLXXXVI. 4. Nonas Junii.

JAC. CUJAC.

CONS III.

Quæritur, usu nemoris, aut sylvæ concesso, quid concessum intelligatur? Dicebam: non hoc tantum concessum videri, ut usuarius ligna eo in loco cedat vitæ suæ tuendæ causa, sed etiam ut asportet in civitatem: nam et cui fundi usus legatus est, lignis uti potest eisque non tantum eodem loco uti, sed et in civitate, in qua moratur, *l. Plenum, §. Sed utetur. de usu et hab.* unde etiam fuisse definitum Albericus scribit, usu nemoris Abbati concesso, si is Abbas sub se diversas capellas habuerit, habitatores cujusque capellæ inde ligna cædere invito domino, et his uti posse, vendere autem ligna legatarium, vel eum, cui alio jure usus sylvæ competit non posse dicebam, nisi alioquin inutilis futurus ei sit usus sylvæ, vel nemoris, *l. Deras, de usu et habit.*

JAC. CUJAC.

Jacobus Augustus Thuanus Historiarum libro LIII.

Contra eam defensionem biennio, post contraria defensio edita est admodum virulenta a Gallo quodam in Germania profugo. Zachariæ Furneatari nomine, quæ cum Monlucii nomen, et pudorem admodum sugillaret, anno post Lugduni publicatur adversus illum Furnesteri libellus pro Josene Monlucio Episcopo, et comite Valentino Diensi præscriptio elegantissime scripta a Jacobo Cujacio Jurisconsultorum hujus ætatis principe, nomine tamen suppresso: qui licet in hoc scribendi genere non exercitatus, et aliis gravioribus studiis occupatus, tamen amicissimo viro hoc officium minime denegare potuit: et interim, quod in simili argumento posset, hoc edito ingenii specimine luculenter ostendit.

PRO JO. MONLUCIO EPISCOPO,

ET COMITE VALENTINO DIENSI PRÆSCRIPTIO

ADVERSUS LIBELLUM QUENDAM NUPER EDITUM ZACHARIÆ FURNESTERI SUBDITITIO NOMINE

Vix ullam legi, vel audivi unquam fuisse ætatem feraciorem ingeniorum projectorum ad calumnias omnes, et callido astu tamen calumnias se salutare adsimulantium, quam hæc sit nostra. Et hoc observans nimium diu jam in hoc nobilissimo Galliæ regno, sæpe deflevi apud me statum præsentem, rerum hominumque mores, et ingenia prava, et modo sumo stilum in manus, quo quantum potest licentiam hujusmodi cohibeam, atque coarguam, modo depono, cogitans quam sit alienum a studiis meis congredi cum hominibus nullo alio, quam maledicendi studio præditis, quamque inutile communefacere scribendo, quos nihilo meliores redditurus sim, ac præterea subit animum sæpe veritatem ipsam quæ neque latere, neque ullis calumniis infuscari potest, satis, se ipsam tueri, satis mendacia refellere: denique se ipsa esse contentam, et innocentiam quoque ipsam, ut Cæcilius poeta dixit, summam eloquentiam esse, et hæc me potissimum res hactenus quiescere, et tacere compulit, ridentem interim stultitiam hominum, nec pro mea parte officium, quod debeo reddentem plerisque præstantissimis, et regno fidelissimis viris, quorum famam peti cernebam, ac ne Christianissimis quidem regibus nostris, aliisque principibus, quorum tamen existimationem, et dignitatem, cujus illi nullam penitus rationem habent, curæ nobis esse, quam maxime decet, quibus nos ipsi non cura sumus: illustris certe insignisque eorum virtus sui sortis per se, et idonea vindex satis, defensionem suscipere conanti mihi restitit sæpenumero, et retinuit impetus, manumque compescuit, usquedum exiit libellus quidam *Zachariæ Furnesteri*, si verum est auctoris nomen, quo omnium, qui sunt in Gallia mihi noti eminentissimi, et eruditissimi viri Jo. Monlucii Episcopi, et comitis Valentini suggillat famam, rapta occasione ex defensione quadam adversus calumnias injectas illustrissimo Andium duci, cum de eo rege eligendo ageretur in Polonia, qui modo felix, et hoc et illo potitur regno, multa enim me in eo libello commoverunt. Primum, quod struerit in libello defensionem oppugnandam sibi, quam nondum quisquam viderat, nec sane curaverat formis exprimi, quam si ea scripto emissa fuit unquam, pauci Poloni legerunt, modo legit Christianus orbis, curante illo scilicet, hancque ad maledicendum sibi comparavit materiam, quam si verbo uno negarem a Joan. Monlucio esse conscriptam, non haberet ille ulterius quo progredi posset, quave fide probaret, quem fingit auctorem: si quidem Polonica legatione, quam is præclare gessit illa sit scripsit, facile passus est divulgari omnia, te his defensionem illam neque video, et vero supprimendæ ejus nulla fuit causa, quisquis enim defensor ille est, sive Monlucius, sive alius quivis, pius sane fidusque suo principi est, et in omnibus, quæ narrat, quæve probat veras, et quod nec forsitan ipse Monlucius abnuerit, demus, concedamus, quod vult auctorem defensionis esse Monlucium: nam et his, quæ tanto viro objici objicere me patria mea erga eum fides pietasque jubet: et quæ me post principes contumelia magis afficit in eo libello, ea est, quæ ei aspergitur principum nostrorum antiquissimo, et fidissimo legato, cui tamen non mirum est, si non pepercerit libellus ille, qui nec dominis pepercit: qui mos hic est? licet insultare principibus hodie pro libidine cuique jure vel injuria, licet comminisci quidvis in eosdem, et credulam levemque plebem his artibus concitare contra Dei ministros (hi sane sunt principes) et sub Dei nomine tamen hæc agere, et specie religionis purioris emendatiorique quo, quid sceleratius? licet calumniari sub umbra exagitandæ calumniæ, et ut quidam ex veteribus objecit Augusto auctori legis Juliæ licet cuique acrem se fingere in eo vitio reprehendendo. In quo sibi mirum in modum indulget, et si desit reus, quem libuerit cumque sibi statuere pro reo, scholasticorum declamantium in scholis more. Et qui tandem hi homines sunt, qui tantam sibi adrogant licentiam? quis hic Zacharias Furnesterus? an qui se adoptaverit aliquis, et ex alio nomine transierit in aliud licentioris licentiæ captandæ causa? Est enim omnis fictitia, et adserta hæc proles quicunque plaustra hæc convitiorum exædificant, hodie passim sedente magistratu deside. Si esset tuum verum nomen Zacharia, reponerem et ipse meum: ficto malui nullum, quam fictum reponere, et abhorru ab exemplo malo: nam qui habet, quod in alio reprehendat, idque in medium proferre studet, vel ut rem prodat publice cunctis, vel ut erranti monstret viam (nec enim alia fini possit quis quidquam in quenquam scribere nisi malignu) is sane si numen Dei reveretur, si pius est, si qua, ut dicimus, fini oportet, scribit, non suum debet subticere, nec commutare nomen: aliaquin scripto fidem derogabit omnis. Erubescis tuum, hoc nimirum dicturus est, qui scribis efferre nomen. Erubesco at ipse his, quæ scribis habere fidem. Commentitium est auctoris nomen, et commentitia igitur merito suspicor esse omnia, quæ sub falso nomine edita lego. Idem de tuo libello Pseudozacharia, si non adsideant insani, procul dubio judicium facturi sunt omnes. Quam jure vereque mox patefaciam, singula refellens, quæ tu, vel in principes illustrissimos sacratissimosque, vel in Monlucium effudisti temere, tuisque venenis meis insequens se[?]dotia. Monlucium, inquis ad mentiendum mercede conductum Polonis commendasse natura crudelissimum, indignumque regno principem. Gravem injuriam in ipso limine statim facis illustrissimo principi, quem natales certissimi fecere regem, gravem Polonis, qui concordibus suffragiis eum sibi optavere regem, gravem magno et præpotenti Deo, cui nos, qui pii sumus acceptos ferimus reges, manifestam denique injuriam cœlo terræque. Et quod de crudelitate addis, etiamsi tu tuique similes, quorum hæc ætas alit numerum ingentem nimium, crudelem pœnarum, quas meremini, exactorem sane requiratis, tamen quam is princeps a crudelitate absit testem advoco, et tibi opposito uni homini obscuro, ac pene nullo, Polonorum gentem innumeram eamque generosam, et illustrem, quibuscum post electionem serenissimus rex annum egit integrum, testem Galliam universam, si quid gessit idem antequam ad Polonos proficisceretur, si quid post reditum, quod resipuerit ferum, si non omnes summam in eo clementiam humanitatemque experti sunt semper, si non et mox a reditu suo eam patefecit, promptus, pronus facilisque proposita indulgentia seditiosis omnibus, qui modo resipiscerent, et ad bonam frugem redirent: qua de re et arcessitis ad se horum ducibus quibusdam cum his egit nuper Lugduni familiariter sapor[?]titibus meltis, meque videat ipse præque desiderio publicæ pacis, tacita lateres illud Andromachæ immurmurante, quæ te celsum altius superi levarunt, mitius lapsos preme: quod utique cum illis agebat etiam optimus princeps totis viribus omnique conatu, nequidquam: duriora enim rebelles ferre pectora gerunt: et quando semel male providi a recto deerrarunt, feruntur in præceps. Etiam te non feram scribentem Monlucium mercede conductum ad mentiendum: an Monlucius tibi est velut e circulis petitus præco quidam, vel ex foro rabula vocem, qui prostituat suam, et verba locet, vir quem tota vita tulipse [?] fatere documenta dedisse multa gravitatis, prudentiæ, pietatis, integritatis, benignitatis, atque justitiæ, figurata laude tamen, et malitiosa, qua pariter se a Ruffino perstringi queritur Hieronymus sæpe, quem citra istam commendationem tuam subdolam et vafram, nempe desinentem in convitia tandem, satis commendant principum aulæ omnes, et res publicæ universi orbis, quas adiit legatus continuis XL. annis nomine regum Galliæ quatuor. Eæ satis vociferantur et clamant, quam in obeundis legationibus fuerit religiosus, castus, verax, sincerus, efficax adeo, ut plus gloriæ crediderim eum sibi inde apud exteros comparasse, quam apud suos. Et tu homo nullius rei, furtivus, clancularius, tot tantisque elogiis publicis durum os tuum opponere audes? et quod iteras frequenter, per eandem lineam incedens, hominem castissimum, et genitum in omnia virtutum exempla, quem tot colunt et admirantur principes, tot urbes, incusare mendacii, atque etiam vilissimæ conductionis hominem liberrimum, si quis fuit unquam, et liberalissimum, et vix forsan ullam dum etiam Polonicæ

legationis mercedem nactum, quam honorem et gloriam immortalem, quæ sola etiam abunde ei satisque est. Quoties legatione functus est, functus, vero est, si bene memini, Romana II. ad Paulum et Julium summos pontifices, Belgica ad Carolum, Hungarica ad Ferdinandum Impp. Veneta ad Ducem et remp. Anglica II. ad Henricum et Isabellam reges, Scotica ad reginam cum titulo etiam Cancellarii regni Scotiæ ab Henrico II. transmissum, Græca II. ad Turcarum Imp. et posteriore quidem summa cum laude et gratulatione omnium principum de pace universi orbis egit atque peregit, quemadmodum et ceteris omnibus nonnisi re confecta feliciter ad dominos suos reversus est. Polonica quoque ad Sigismundum regem, et iterum re adducta ad interregnum, hunc quis credat totiens, aut hac postrema tantum Poloniæ legatione pretio coemptum, Episcopum claris natalibus ortum, et fortissimo atque invictissimo fratre majore natu gloriosum nescio, an magis, quam ille vicissim splendidus de suo nomine eruditione, sapientia, atque dotibus etiam belli, nonnullis, nè dum togæ, an par utriusque ratio relinquo civilibus rebus, an sint anteponendæ militares, suum hæc campum quæstio proprium requirit, in quo me sedente vix vincerent viri militares. Sed quot civilis officia hujus possis memorare, tot etiam illius militaris, et nulla non felicia atque prospera, miro rerum utrumque sequente successu, et elite secunda semper: quis rursum credat pretio corruptum hominem invicti animi adversus divitias, qualem eum præ se tulisse semper juxta mecum omnes intelligunt, hominem dignitatibus, opibus, et gloria florentissimum, jamque versantem annos xv. in interiori consilio regum, gratissimum, amicissimum regibus cum propter acumen ingenii vigoremque in dicendo incomparabilem, tum propter candorem, et liberam ingenuamque loquendi facultatem, nullis contaminatam adulationibus, ut philosophi definiunt, blandis inimicitiis regum, si suos bene ultque nossent, nec fallerentur, et capti exemplo Alexandri plus diligerent nonnunquam Hephestionem φιλαλέξανδρον, quam Craterum φιλοβασιλέα. Et de hoc quidem nativo ingenitoque candore mentis hanc retulit laudem ab omnibus, ut quemadmodum Pisonis inimici non poterant diffiteri quin is esset frugi, ita Monlucium etiam æmuli faterentur nihil adumbrare, nihil adsentari, nec posse χαριτογλωσσεῖν, et genere jocandi quodam Veronensem eum esse dicerent, non Placentinum, denique vere pro gratis loqui. Ceterum Monlucium partem consilii regii eum esse indico; satis hoc uno improbo, quod illis impudenter jactat, Monlucium a rege mercede conductum. Exteros enim conducimus, utimur nostris, rei nostræ conductio nulla est. Et ad mentiendum, quod adjicit, false Pseudozachariæ oratio est, falsi scilicet nominis oratio falsa, quam satis, ut supra docui, vita superat moresque Monlucii, nisi mendacia appellat laudes virtuti principis debitas redditasque, cum de regno Polonico haberentur Comitia atque conciones, ductas ab illustriori domo totius orbis Christiani, ab ætate justa principis, a rebus jam domi militiæque præclare gestis, a modestia, liberalitate, ceterisque virtutibus regio solio dignis. Hæc sunt tibi Pseudozacharia mendacia: esto, sint, nec jam igitur deinceps te arbitro ulli sint parari, nulli sequestres pacis, nulli nuptiarum conciliatores, nulli laudatores, nulli nominatores aut si Monlucio iterum esset idem insinuendus Princeps te consultorem, si sequeretur sceleratum diceret, sordidum, ignobilem, et cetera usurparet, quæ tu in eum stultus stulte jactasti, quod non posset, nisi evaserit tui similis, suamque mentem oppleverit omni genere vitiorum, mendaciorum: calumniarum, spurcitiarumque, et vel sibi potius terram dehiscere præoptaverit. Peus præteribam studia adserendæ veritatis, impugnandique mendacii, quæ in Monlucio extiterunt luce clariora quandiu ei Valentiæ suo munere fungi, profiteri, et annunciare verbum Dei licuit per vos, hoc est tuis moribus adsimiles: nec enim improbi estis omnes: alii vestro incedunt templo æquo et plano, tu tuique sacellum aliquod angularium obsident, quod tamen numerum vix capit, templo liberum spatium est. Vos, inquam, abruptis pessimis pessimi hominis studiis actionibusque invasistis Valentiam perditi proinde, ac ceteras omnes partes regni hujus conturbastis, confudistis, cruore complevistis, intentavistis etiam eidem Monlucio necem: nec jam, ut opinor miratur se ab iis infamibus verbis impeti, qui suum sitiere sanguinem, dolent scilicet deesse tantum sibi approbatorem facinorum suorum, dolent quod non eodem et ipse furore pellatur, vastationem regni dolent contra, quod omni opera obsistat furori tam funesto, inclamet, insurgat omni tempore locoque juxta Nestoris sententiam in eos quos delectant maxime discordiæ, cædes civium, populationes, grassaturæ, latrocinia communia, et quibus pretium curæ hoc unum est summa imis miscere, nihilque penai habere prorsus ad tuendam societatem humanam, tuendos privatos focos legesque publicas, ac ne tuendam religionem quidem veram, quam obtendunt, induentes personam moresque Satanæ, qui sub specie religionis plerumque decipit incautos, a qua tamen abhorret longeque distat, et tui quoque similes, vel ejerant religionem omnem, vel hanc suam non minus derident, quam inveteratam insolitamque diu, ut nuper accepi unum ex vestris Imperatoribus tres menses antequam a muro oppiduli cui præerat deciderit, et moreretur transeunte ministro, sive concionatore, qui rarus tunc forte aderat, edixisse militibus, procedenti verbo Dei, ut decederent de viis. Sed quid ago? aberro, nec insequor ordine quod restat operis edolandi tui. Non non illo libello tantum Pseudozacharia, quem potissimum mihi castigandum delegi, hoc in animum induxisti, ut sanctissimi et præstantissimi viri læderes existimationem, quæ invulnerabilis retundit tamen eluditque tela omnia vestra, nec lædi aut minui ullo modo potest, sed et nisi fallor alio nequissimo et impurissimo libro, cujus titulum nunc non possim ex tempore loqui, nec nisi ἐπαρχικῶς Græco sermone Gallica voce vocare, et utriusque inspectio, vel te solum, vel si estis diversi vos arguit ambo Dei nullum adorare numen vix enim possit, vel levi tinctus cognitione Dei, vel levi percussus metu tot tantaque excogitare in principes, et affingere flagitia, quibus ne vilissimus quidem ganeo ullus aut lanista, aut prædo coopertus possit esse omnibus. Solis nimirum impiis licet hodie quales vos prodit esse omni ex parte oratio vestra in principes, in principum legatos amicos, domesticos, subditos, in omnes probos, non quomodo liceret in perditum, profligatum, deploratum, nebulonem aliquem debacchari, sed ultra etiam eum modum, ultraque capacitatem sceleratissimæ mentis. Et hi tamen in priorum censum irrepunt, et ut pii censentur inter pios, et laudantur aut conniventibus oculis sane calumniæ eorum, et probra facile tolerantur ab his quibuscum animam placidam et totam vivunt. O quantum hæc res religioni vestræ odium, quantam offensionem parit! quantum decolorat decoris ultorem, quo splenduit initio, quantumve ex eo decerpit quo claruit olim priusquam de scammate legitimo pateret egressus, et ageret nemo, quod agunt fere omnes hodie certatim, exceptis paucos priscæ probitatis. et omnes cum dico, πολλοὺς dico, sive plurimos, quod nomen in malis usurpavere veteres Græci, Latinique. Et hoc sensu rectissime vetus poeta quidam, quod et his convenit proprie:

Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose,
Blanditia certare, bonum simulare virum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Quamobrem ut idem vel alius poeta ait:

Vigilandum est semper: multæ insidiæ sunt bonis.
Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni.

Sed jam missa causa publica ad principes, mihi ad Monlucium redeundum est, et mox forensis erit, prout series et nexus convitiorum tuorum Pseudozacharia ferat, resumenda causa publica: quanquam si verum amamus, una communisque omnium est causa, nec deerro a re, si permisceo nomina principum, publici, Monlucii. Certe principum communis cum publico res est, certe Monlucii publicæ personæ, et publica causa, atque adeo publica, quæ Monlucio infertur injuria. Quid vero post superiora convitia agis, quid tentas, Zacharia, quo pergis insanus? regem facis auctorem cædis patrum in Gallia ab hinc annis duobus, facinoris patronum Monlucium improbum, impudentem, inestabilem, audacem, impium: exundat oratio convitiis, quæ nimirum prodit ex animo fœcundo in convitia, proinde ac cecinit Æschylus

Τῶν τοι ματαίων ἀνδράσι φρονημάτων
Ἡ γλῶσσ' ἀληθὴς γίνεται κατήγορος

Age dum excutiamus rem istam diligentius, maximus in eo vertitur cardo; hæc una te res perduxit ad insaniam, vel potius hunc tu malitiæ tuæ et contumaciæ quæsivisti prætextum non minus sanguinariæ, imo eo quo magis, quam qui sanguinem illum, quem luges, effuderunt. Index animi scriptio tua feralis, cruenta, mœnas. Non potuit Monlucius antequam in Poloniam proficisceretur ejus rei patrocinium suscepisse, quæ nondum evenerat, ac ne venerat quidem cuiquam in mentem. Et vero nec suscepisset unquam, et legationis quoque periculum adire retractasset, si quid ejus rei præscivisset, nec etiam principes, quibus erat carissimus, si quid ejus scivissent, designassentque profecto in tam evidens eum periculum conjecissent, legationem nec injunxissent, quam futuræ cædis conscii merito suspicari poterant inanem fore, maxime apud eos, qui in Polonia partes amplectuntur, et defendunt vestras, quorum si non numerus, auctoritas certe in eo regno non minor est, quam Catholicorum. Et quod initio contigisse in Gallia Monlucius negavit, aut si contigisset non jussu principum factum, aut si jussu principum, magnam igitur, justamque aliquam intervenisse causam, ut præsumebat, ita adfirmavit, non dum accepto certo nuntio, quos ex animi sententia potuit alios incidere sermones, cui res videbatur incredibilis, cui notissima erat justitia principum? neque vero quasi penuria argumentorum, ut imprudenter adseverat Pseudo ille Zacharias, quo innocentiam principum comprobaret, et odium ejus rei a tantis principibus dimoveret in alios, ullam ex ore et vultu eorum legitur in defensione illis sumpsisse conjecturam, qua tamen qui utatur, non video cur a Zacharia derideatur potius, quam arrideatur, si quidem legimus vultum esse imaginem animæ, tacitumque sermonem mentis, et ex eo sæpe animadvertimus certissima signa duci vel clementiæ, vel sævitiæ, nec frustra doctissimos viros dicere, ut legimus in veterum rethorum panegyrico quodam naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, et ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse quantus illa cœlestis spiritus intrarit habitator. Et hic tamen crater mendaciorum absque te in Monlucium sustollit cachinnos, dum ipse sibi fingit hanc eum de vultu fecisse conjecturam, quod vel unum satis comprobat, quam ferream frontem gerat, qui scribente Monlucio, nulla in suo principe unquam apparuisse vestigia feritatis, præsumit statim ex vultu ab eo duci conjecturam: nec minus impudenter in ea parte, quæ de puniendis hæreticis est, exemplo aliorum principum Monlucium expurgare ait de hæreticis jubente Henrico II. sæpius sumpta supplicia: nec enim hac levi excusatione Monlucius usus est unquam, quod idem fecerit Carolus Imperator, idem alii principes: sed mirari se tantum scripsit, quod parcerent ceteris Zachariæ popu-

larae, de solo rege Galliæ querelam instituerent, certissimo argumento male affecti animi erga nos, quem si aliter affectum habuissent, capere noluerunt, sequiveruntve Monlucii sermonem, benevoli facile tenuissent, competitoribus scilicet postaris Caroli Imperatoris hoc unum sensisse Monlucium non esse causam repudiandi principis sui, quod filius esset Henrici II. qui pœnas sumpsisset de hæreticis, suo communique judicio omnium Galliæ curiarum, collegiorumque de fidelibus judicio vestro, sed eadem ratione etiam repudiandum esse Archiducem Ernestum, quorum parentes idem admisissent. Ceterum et quod tantopere facta Henrici II. incusas exagitasque Zacharia, is en ne pilum quidem unum habere te ingenui et sinceri animi plane cognosce, qui manifesto dissimulas ignorare te qua mente ad hæc Henricus optimus maximus rex prosilierit, quæ sola tamen factorum justa æstimatrix est. Lex mentem punit, inquit quidam, et aliter, quis mens est, quæ peccat, non corpus, et unde consilium abest, culpa abest. Et convenienter Epicharmus νοῦς ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει. Quæ mens Henrico regi fuerit, quæso videamus. Lex erat vetus, quam nec vos improbatis, de hæreticis sumenda esse supplicia, legum custos rex, animadverti quicumque sunt eo tempore judicio Senatus et omnium ordinum, qui de literis judicare poterant hæretici esse censebantur: sane et seditiosos esse testificabatur sacratæ hostiæ valvis ecclesiarum affixæ tunc temporis, et solemni die ferenti sacerdoti e manibus avulsa sacra, et plebs in arma concitata, et alia plurimque nefaria vel seditio sola supplicio digna erat: quid prava de religione opinio? Vos pravam fuisse inficiamini: idem inficiarentur Arriani, si cum eis res esset, idem ceteri, quos consentientes nobis et ipsi damnatis, et hac se via tuerentur hæretici omnes, celebris, ut soletis, suæ opinioni sanctique nominis prætenderent, Deum, veritatem, puritatem, ut qui se Catharos, qui Encratitas, Angelicos, et Apostolicos, Gnosticos nuncupabant, et hisce contraria diversæ parti affingerent, Satanam, Antichristum, imposturas, atque mendacia: si quæ vero adhuc in ea parte essent perspicue reduvia religionis veræ, eas quacunque ratione vel limarent, vel occulerent. At Henricus optimus maximusque princeps, qui vestris minime traducebatur opinionibus, qui affixus hærebat pietati priscæ inque familia sua, regnoque suo insitæ, inclinatam, qua pietate complecteretur religionem suam, quam nos possis ipse negare fuisse Christianam, nec adeo dissimilem tua, si abesset pervicacia, ut qui malus te, tuosque transversum egit genius mensque mala: non potuit, inquam, explicatius ostendere studia erga religionem sua, quam studio pellendi religiosi suæ hostes seditiosissimos et infensissimos. Debuisse scilicet, inquies, eum diligentius explorare pondera, momenta, merita causarum: quid quæso audes? quid concedis regibus? omne arbitrium: etiam legibus solvis? admodum: o quanta pernicies, si res ita se haberent, si regerentur nutu suo non legibus certis. Fac regem esse Arrianum: quid ageres, si Constantius Constantini filius rerum potiretur? quid nos? non liceret leges appellare, moresque, et instituta patrum? quæ in præcipitia prolaberis miser non vides, non sentis, non intelligis? Sed quid mirum, si Henrici II. severitatem legitimam damnas, qui et clementiam filii ejus Caroli IX. quæ prima dos est principum, contoris convenientem sententiæ veterum sacerdotum: et adeo inimicissimus regiæ nostræ es, ut omne quidquid ex ea prodit vituperes, sive severitas sit, sive clementia, male conciliate omnia in vitium vertis: quo vero modo, paulum attendamus. Est, inquis, in speciem aliquid edicere, ne quis religionis, quam vos certe speciosius reformatam nuncupatis, deinceps pœnam sufferat ullam. Ceterum eventus non respondet edicto: quinimo edicto successere facta contraria, interemptis innumeris, et multo pluribus sub Carolo, quam sub aliis regibus cecidissent, et longe deteriore vis, nempe manu, et viribus, cum in priores legibus agi soleret, adeo ut supposita fuisse videatur tibi plane indulgentiæ principis dolosa fax, quæ incenderet privatos ad necem innumeram. Sic sane fuisset innumera, et auctoritate magistratuum, ne dicam privata interiissent xx millia hominum, nisi res frenasset impetus, et fuisse quoque non possis sine rubore: sed me corrigo, possis, qui jamdiu os perfricuisti, affirmare innumeram, cum revera duo, aut tres tantum constet antequam nil movematur arma interfectos, vel privati jurgii causa, ut adsolet in Gallia plurimum, vel in vicem cæsi a vobis Lutetiæ Chiarrii in ipso comitatu regis et Fumelli trucidati domi suæ, una cum uxore, quod uni ex beneficiariis suis, diacono ecclesiæ vestræ fustem impegisset: et Bernetari quoque domi suæ dum cœnat cum uxore, et liberis interfecti crudeliter et aliorum multorum nobilium, de quorum mihi nominibus liquido non constat. Populi vero furore impatientia licentiæ, audaciæ simul ac impunitatis vestræ, quod accidit Cadurci eodem tempore, quodque pace sequestra fecere Ambiani, Rothomagenses, Turones, hæc omnia quis nescit jussu principis fuisse vindicata maximis gravissimisque pœnis, in Ambianos misso Cossæo, in Rothomagenses Mommorencio, in Cadurcos Monlucio, præfectis rei militaris, nec non adhibitis senatoribus quibusdam: in Turones autem misso præside Ferrerio, viro vita innocentissimo, et omnibus virtutibus ornato, quas vel mortalis natura recipit, vel industria percipit, magno et incomparabili non sui tantum, sed omnis ævi Jurisconsulto, cujus mentioni, quæ semper mihi jucundissima fuit, hanc causam dedisse locum, magna mihi lætitia est. Contra his, si vis, addam quot, quantæque a vobis privatim, publiceque sint in pace patratæ sint cædes, et non nisi exemplis vestris edoctos Catholicos ostendam evasisse, ut dicitis, crudeles et vobis reposuisse paria: vis autem te velle potem, hæc ut enarrem, qui, nisi me fallo, pernegas paria vobis excidisse unquam. Enim vero, ut veterum quidam ait, cui placet obliviscitur, cui dolet meminit. Vos obliviscimini facinorum vestrorum: aut certe ea æterna memoria consepeliri, et eorum mentionem haberi nunquam concupiscitis. Catholici, qui suos lugent, qui tostos altos templorum conspiciunt parietes, qui ædes majorum flamma deflagratas, agros opertos situ, squalore, vastitudine, violata asylia mortis, incensa, vel disjecta publice librorum scrinia sine ullo delectu, qui hominum, atque pecudum actas prædas frustra requirunt, patria, fortunis expertes, qui stipem rogant non possunt non meminisse plusquam barbaricæ immanitatis vestræ: cujus ego descriptionem inferiori sermoni reservo: nec enim hoc impetrabis a me, ut de tuis conticescam, qui nostra, quæ scilicet e vobis didicimus exageres quam altius me potes. Et transeo ad ea, quæ ut teram regis voluntatem pacem approbes, assumis, et ita concludis, ut tibi nec volens lectis solis rationibus tuis quidquam quisquam concessurus sit. Legebas in Monlucii defensione tantum abesse, ut rex de violanda pace vobiscum pacta cogitaret, ut ad condictum inter vos diem S. Michaelis inermis is pene sit a vobis oppressus, obsessus vero mox usque ad eum finem, dum coactæ essent copiæ, quibus fretus Lutetia egredi posset: quo plane indicio certissimo proditio, et perfidia convincitur vestra: expedieis, regem post pacem vobiscum pactam integrum triennium consumpsisse stipatum militibus, et pene exercitu justo in peragrandis regni sui provinciis: ut infers adversus vos igitur eum parasse bellum. O quam absurda collectio. Dixisses potius mentis tuæ si compos fuisses, vel potius si sanior te possideret mens. Rex integrum triennium armatus consumpsit in peragrando regno, nemini nostrum nocuit, pacem ubique fundavit, et constabilivit: proinde nullum parabat nobis inferre bellum: et illa etiam, quam fallax et stulta collectio sit, æstiment sani. Hos multis locis propugnacula construi curavit, multis præsidia imposuit. Ergo de bello nobis inferendo cogitabat. Quin probabilius, Rex ubique præsidia collocavit, turres exædificavit et arces. Ergo pacem his firmamentis munire voluit, ne quis adversus eam deinceps quicquam auderet, ne quis eam infringeret, ne quis deinceps urbes suas invaderet, plebem expilaret, permisceret cœlum et terras, concuteret statum regni, et in præruptum rursus idem, atque anceps periculum adduceret, et qui multis, aut omnibus locis hoc curasse regem scribis, non possis ostendere tamen, nisi Lugdunum, et Aureliam. Ceteras partes regni adeo nudatas præsidiis celeberrimo ille dio S. Michaelis inveniatis, ut plusquam cc. civitates, vel oppida scelerata conspiratione uno die subtracta imperio regis venerint in potestatem vestram: denique nulla possis idonea signa dare, quibus efficias regem de violanda pace cogitasse, nam quas præterea garris suspiciones, nemo non dixerit esse futiles et vanas: regem regni sui eos fines adiisse, qui attingunt Hispaniam, et sororem invisere illustrissimam Hispaniæ reginam, majorem, et frequentiorem legationem isse ad Catholicum Hispaniæ regem, habuisse in Gallia regem secretiora sæpe consilia: quid ni? regii, et quotidianis moris hæc sunt, et pia sanctaque, quid vero ad te pertinent, custodem suspiciosum, et ridiculum actionum alienarum? quæ te furiæ exagitant, quæ umbræ ut et quodinas dimoveant a recto statu mentis? num regem vis nihil agere rerum te insciente, inconsultoque (rerum dico, lui similes) dicam nihil curare Rempublicam? quid denique? Rempublicam permitti arbitrio tuo? otiari regem, et agere nugas, ut vobis interim liceat veluti consopito et consepulto eo vastare, et uscindere quæcumque reliqua nefariis consiliis vestris impedimentum afferre possent, ac tandem, quod jamdiu captatis dominio potiri rerum. Hæc mens vobis? hæc fides? hæc actionum vestrarum finis? hæc religio, o conciamata, et profligatissima ingenia. Deus bone serva, parce, vigila, multæ insidiæ sunt nobis. Circumvenimur, pot... nisi subvocaris non videremur cum dæmone confligere, mitis videretur erga nos, et satis suavis præ hominibus his, quibus cum confligimus, nisi hoc officio tuo per hos dæmonem suas in nos inimicitias exercere cognosceremus: te adoramus veniam petentes, huic beneficio addas aliud, ut qui vicisti jamdiu, et palam triumphes, ut agnus dilectissimus ille tuus, qui occisus est pro nobis vincat, ut vix tandem recipiat unusquisque mercedem suam, secundum quod fator dictio tua æteros, fidelis et verax » At ut de suspicionibus, quod residet persequar, si quæ etiam suppetebant vobis meliores probabilioresque, non erat sane confestim ex suspicionibus justa causa violandæ pacis: alioquin perfidiæ suæ quisque hanc aptaret causam, nullaque adeo sancta fides esset, ut suspicione violari nequiret: vos igitur pessimi, vos, inquam, eo tempore primi violastis fœdera pacis, jusjurandi religionem, regem, rempublicam, jus omne, plumque, et qua nulla major impudentia excogitari potest, vitia modo, quæ sunt vestra propria, ingentiaque in nos derivare conamini. Etiam residet adhuc una, ut tibi videtur suspicio magni momenti. Helvetiorum sex millia ad se rex evocasset, quam in illa defensione cum repulisset satis Monlucius, et ita ut diceret moris esse regibus nostris, cum in Belgico comparatur exercitus, quod ibi tum agebat dux Albanus, et secundum se aliquas cogere et instruere copias, ne si quid in se Belgæ tentarent, subito opprimerentur, eidem causis hoc modo nullam fuisse causam muniendi se adversus Belgas: quorum princeps regi erat arctissima necessitudine conjunctus: itane? ac si milites sæpe non indulgentiam potius ducum sectentur, quam voluntatem et in scelera prorumpant? et ad hæc, quæ fuit unquam natio, quæ non sumpserit, arma, vicinos populos etiam et amicus ubi senserit legere militem. Memini Carolo V. Imperatore multis, magnisque copiis instructo in Germania, Henricum regem quantumvis licet certa esset inter eos principes amicitia, nec incertum quid moliretur Imperator, ut suas vicissim instruxisse copias, et evocatos ex Germania auxiliares per annum integrum pedes se habuisse multos. Eamus porro. Depravas omnia, atque deformas magis initio, adjiciens non fuisse tum occulta consilia Guisianorum, quibus vos totis viribus occurrere necesse erat salutis vestræ tuendæ

causa: nam ei hæc vos potissimum res ad arma perpulit, cur non Guisianos mox ab aula digressos potius, quam regem adorti estis, cur Guisianis possessionibus pepercistis, regias quasdam licuit occupavistis? cur in libello, quem tunc nobiles partium vestrarum obtulerunt regi, veluti supplices, nullam consiliorum a Guisianis contra se habitorum fecere mentionem, nullam de religionis libertate, quæ erat integra, sed de statu tantum publico regni, de tributis, de vectigalibus, de civilibus officiis? hoc nescis, stulte? et aliam tuo Marte tibi fabrefacis caussam quam, ut libet, quæ expiss sceius inchoatum festo illo S. Michaelis die. Memini eundem Monlucium, quem tu potissimum incessis, permissu regis isse ad nobiles, qui hunc sibi impetendo regi condixerant diem, et hæc fere, quæ summatim referam, insonuisse surdis, summa cum libertate, et integritate. « Quid hoc rei est nobiles? Quo mentes? quid vobis vultis? « quid agitis? quid meditamini? quæ hæc ventio est? non jam existimatio curæ? non quid de vobis existimaturi sint principes exteri? quid sapientes? quid posteritas? Quis tam fatis vobis corrumpendis « fuit? inermem armati regem vestrum adorti estis, et Lutetiam, ut « se properato itinere conferret compulistis. Si non est vobis mens ulla « in regem prava, si non intemperantes sunt animi, intemperantes « manus, cur eum adhuc armati Lutetiæ inclusum obsidetis? O quæ « te hodie labes religioni per vos inuritur, cujus vos esse fautores « profitemini! quanta sanctissimo nomini Dei, quo abutimini blasphe- « mia? Et interim aut ego, aut vos decipitis, nisi prospicitis exiguiores « esse vestras copias quam ut omnes Lutetiæ aditus obsidere possint, « ac vix aut ne vix quidem huic rei sufficere armatorum, mille centum: « quid hic igitur frustra teritis tempus? quam tandem ex ista pertinacia « referetis fructum præter infamiam, iramque regis pene implacabilem? « Et quod ad libellum regi oblatum attinet, equidem non ediderim satum, si de ea esset agendum, imprudentiæ vestræ testem: nihil in eo « de religione, nihil de salute vestra, quandoquidem nulla etiam subest « regem expostulandi causa de hac, vel illa re. Sermo omnis est de « habendis comitiis, de minuendis collectionibus, de ordine civili: quid « desideratis? moniti quæso animadvertite, si haberentur comitia, « exiguum numerum vestrum facile vincerent Catholicorum suffragia, « quorum longe superior turba numero, auctoritateque: et de collectionibus, quibus vos nobilitas eximit vestra, tantumne otii vobis « est, ut so liciti sitis, qua de re nulla civitas queritur, nulla dedit « mandata, eam proferre in medium vobis otium voluptasque est? « quid si idem in vos auderent subditi vestri? vel potius quid si « pariter his silentibus, alii nobiles vos pro his armati interpellarent, « urgerent, obtestarentur? Redite, redite viam et bis laborrescite « susia. Pœnitentia pro innocentia erit, et major ex ea laus, quam « ex errato vobis parabitur ante. Imo omnem ad quietam mentem « regressus delebit, et expugnet notam. » Hæc aut his similia dicente Monlucio, certo scio Cardinalem Castillonæum, Andelotium, Comitem Rupefocaldum, qui ei propinqui aderant, quantumvis licet in vestrorum numero essent, libenter audientes addidisse animos, incitasse, evacuisse, dicentem libere ut cœperat, ut perseveraret et enodaret rem. Non eodem omnes ducebantur spiritu, plerique invitti sindebant principi Condæo ejusque partibus semel immersi, nec poterant revocare gradum: denique adversus regem, vel pro religione ægri arma ferebant, et suspiria sæpe ducebant: cujus rei xum optimus testis, quod seducti tam facile in eas partes concessissent. Utrumque esse nefarium contra regem, contra patriam, contra ejusdem civitatis cives, contra parentes, contra liberos arma capere, et neque solem vereri, qui cuncta tueter, neque magnum et pervigilem oculum cuncta potentis Dei, neque patriam, quæ genuit, quæ eduxit, quæ ingratæ proli ingemiscit sum. Sic enim de hisdem Demosthenes: οὔτε τὸν ἥλιον ᾐσχύνοντο, οὔτε τὴν γῆν πατρίδα οὖσαν: et alio loco eleganter τοὺς τοιαῦτα ποιοῦντας τὴν ἑαυτῶν πατρίδα ἀκρωτηριάζειν: quod est ἀποτομῆσαι. Æque inter Christianos de certis opinionibus disceptare armis impiissimum esse, nunquam ecclesiam Dei caruisse certaminibus, nunquam de his tamen Christi fideles servos armis decrevisse, moriendo non occidendo, fidem conservasse Christi, quorum et hanc piissimam vocem esse. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non per nostram disciplinam magis occidi liceret, quam occidere: nec absimilem apud Philonem Judæum, Petronio Syriæ præside Judæis insultante et eorum in templa, quod omnium maxime detestentur inferente Caii Cæsaris statuas, cum coissent in unum totius Syriæ Judæi tanti piaculi arcendi gratia: inermes, « Petroni, sumus ut vides, ne quis nos dicat hostilem in modum se- « ditiosos esse, manus pro armis natura datas, etiam post terga revin- « ximus, exhibemus corpora telis, uxores, liberos, familiam addu- « cimus, supplices ad genua accidimus tua, Cæsaris nomine implo- « rantes, et orantes, ut vel nos omnes servet integra, illæsaque « religione nostra, vel perdat simul religionem simul nos omnes, ne « patiamur vivi rem morte graviorem: non ita insanimus, ut servi « domino nos opponamus. libentes deprehendet vis Cæsaris et abire « paratos. » Optandum esset nobis, ut hic cum Judæorum, e quibus Christiani profecti sunt, tum piorum Christianorum exemplis hæc moneatur ætas, et ut mittantur innumeri, qui ad testimonium vocari possent, cum juvantis non mediocri se memoria repetere dicebant, quod Gregorius Nazianzenus scribit, persecutoribus Christianos quoque tum in ipsis est parcere oportere, nec ultimum eis creare periculum: et quæsita Gregorii verba hæc esse reperi: χρὴ τοὺς χριστιανοὺς καὶ τῶν διωκόντων φείδεσθαι, ὡς τοῦ γε εἰς αὐτοὺς ἥκειν μέρος μὴ τῷ κινδύνῳ τι συνεισφέρειν τῶν πολεμίων. Et ad extremum adjiciebant se contremiscere, quoties a cæde redeuntem aliquem ex suis plerumque ita efferri et commendari audirent. Macte, o bone, manus tuas sanguine malignorum consecrasti Deo. Sed de his satis. Redeamus ad te, Zacharia, vel potius ad Acharis Zachariæ libellum, et de vanis illa jam tot libellis ultro citroque cæde tractemus. Exardescis in Monlucium, qui occubuisse Lutetiæ mille et cc. nobiles cum esset in Polonia negabat, et numerum proferebat non a Catholicis emissum, ut tu impudenter affirmas soles more tuo, sed a te forsitan ipso, certe ex infami illa scriptorum familia, unde tu prodiisti principibus obtrectantium, quo 40. tantum, aut 50 continebatur, et in his fere xii. qui spirant adhuc et formam hominum habent: qui in numero quando derogas fidem et sitos projectos es ad mentiendum, quomodo edes in ipso numerum aliorum occisorum? hærebis in ipso capite, aut scio, et vis te expedire: vis in solidum mille et cc. efficies: verum aude, et fac delicias nobis, risusque move, licet tibi, qui semel a pudore descivisti, insigniter impudenti esse: stomacharis rursus et graviter inardescis, quod jussu principum negaverit Monlucius patratam illam cædem, defungens scilicet munere injuncto sibi, ut apud Polonos excusaret, extenuaret, vel negaret factum; id vero nunquam ei injunctum fuisse jam ante dixi, et jactari hoc magis a te, quam verum esse, et ipse non dicam, convenire inter omnes Polonos promiscue puto: si recordantur Lasecium longe post adventum Monlucii apud eos iste præcique defunctum cura; nec quidquam valet si quam rerum humanarum peritiam habes, edicto tamen regem facti in se vertisse periculum, ut id averteret ab universo regno, quandoquidem certum erat si proditi nulli actores fuissent, aut si alii, quam principes, aut xi non ipse solus, passim iture omnes in Gallia uno quoque audente passim citra auctoritatem publicam simile perpetrare: nec sane eo mens falsam regem habuit, quandoquidem exceptis paucis locis tota se in officio continuit Gallia, nec quidquam etiamsi fremerent multi spirantes minarum et necium persuasa est ultra. Ceterum tam pravus animus regi sine exemplo novissimo, justissimoque, nec minus in vos (horreo dicere) hostes, quam in suos clementissimo, nisi, quæ gravissima eum permovisset causa, majoris pute arcendi periculi, nunquam fuit, ut ubi sibi hostile erat, ipse faceret, quod et propalam testatus, nec minus, quam vos bilem tantam vulgi abominatus est sæpe: nec minor fuit indignatio Monlucii in omnis humanitatis exemplis geniti, et sui imperii in demerendis hominibus, et cujus legationi tum nulla res magis, quam is casus poterat officere: unde liquet sane nunquam suscepturum eam Monlucium fuisse et scivisset Lutetiæ fore ut is, qui haustus est, hauriretur sanguis. E contra alteris in tamen ad convincendam Monlucii conscientiam conjectura hujusmodi: Monuit paulo ante quam in Poloniam proficisceretur et sæpe illa Lutetiæ horribilis fieret, Comitem Rupefocaldum pro amicitia, quæ sibi cum eo intercedebat, ut Lutetia excederet, seque domum capesseret, quod utique non fecisset, si futuræ cædis nihil penitus cognovisset. Falleris: multæ aliæ causæ movere Monlucium potuerunt, quam sola animi sui conscientia. Non erat ignarus Monlucius post vastatam igni ferroque Galliam per multos annos, quo fastu, quo supercilio, quo comitatu septus Admiralius ille factionis vestræ princeps venisset in aulam, quam se gessisset insolenter, quam magnifice loqueretur, et vel voce, vel gestu hæc fere jactare videretur effrenus. « Is ego sum, o rex (mea voce audis meos) qui te « regno spoliare omni ope annisus sum, qui pellexi in hanc ipsam « rem principes tibi sanguine propinquos, qui implevi aulam tuam « proditoribus, qui urbes, oppida, castella regni tui innumera, par- « tim occupavi, partim delevi, qui templis religioni tam dicatis in- « jeci ignes, qui sacris me meosque vasis, vestibus, donariis, cap- « sulis ditavi, qui accersivi insulares veteres hostes Gallici nominis, « qui Germanos tibi charissimos pecunia tua, tuorumque correpta in « Galliam conscivi, atque perduxi, qui fiscos, qui ærarii compilavi, qui « conflavi tormenta bellica, qui auream argenteamque monetam abusus « tuo nomine, qui juratam parem irritam feci, elusa nomine Dei, qui « avorum et atavorum tuorum sepulchra reseravi, ossibus etiam per « deridiculum lusi, qui nec privatorum vilissimis arcis, loculis ossua- « riis, peperci, ac veluti hyænæ inquisitione cadaverum busta violavi « omnia quæcumque potui, qui cruces pias peregrinantium pie nostræ « salutis indicia disturbavi, signo ipso crucis, quod ad omnem actum, « ad omnem incessum nunquam non adhibuere priscum Christiani, ab- « horrui, nec obstrevenlandis musicis idesse usui joratnesum, qui sacras « virgines ludibrio habitas claustris eduxi, qui sacerdotibus religiosis « tum, qui monachis membra reliqui sine viro, lanievi viscera, qui « magistratus, quos tu creaveras abrogavi, alios meo arbitrio feci, « aliumque ordinem juris, qui regem ubique gessi, forum egi, vecti- « galia imposui nova, indixi pœnas, indixi præmia, legatos ad exte- « ros transmisi, atque recepi, stultitia mea pervagata, etiam ad exteros sane rei parum consultos, dum eo aliquem admiscent inconsiderate: ego is sum, qui literarum scholas omnes dissipavi, libros, « census, monumenta publica quæcunque pervasi, combussi: qui tot « famosos in majestatem tuam, familiamque tuam emisi libellos, qui te non « pluris feci, quam expositum infantem aliquem, eductum e cœno, qui « strages edidi tantum bello pauciores, quam pace, qui milites tuos, qui « nobiles partim e saxo præcipitavi, alios insidiis, aut veneno necavi, « qui denique in regno tuo multos annos impie nefarieque alia super « alia sum ausus. Ecce me qui hæc feci omnia, et possim facere cum « mihi libuerit iterum atque iterum. Quæ mens quæso agebat Admiralium, ut post tot facinora subito elatus veniret in aulam, et hæc, ut dixi, vel voce, vel gestu eloqueretur, et regi regiisque quodammodo legem daret, incuteret certe horrorem omnibus, memoria recenti præteritorum facinorum: servabant hominem Catholici tria ex et merati, servabat princeps optimus, et cupiditate publicæ pacis ductus ferebat utcumque. Sane ademerat Deus Admiralio mentem sanam, jamque sere, quæ solet esse Dei sive prosperi, sive adversi, qui

dicitur pedes lanatos habere, debitaque vindicta ante pedes Admiralii erat: alioquin domo se is, qui cautissimus fuerat semper, sane continuisset, nec fidem tantam instrumentis pactionum habuisset, ut non meminisset ejus, quod apud Froissardum legerat de Gandavorum ducibus seditiosissimis Francisco Abtremont, et Petro du Boys adversus ducem Burgundiæ principem dominumque suum, quorum unus pace transacta solemniter rautaque instrumento, ut loquuntur, authentico, semper Franciscus securus mansit in patria sub legibus, in quas ante una cum collega composuerat licentiam omnem, nihil meminens anteactæ vitæ: et hæc est ut ante dixi ratio divisae, ut factorum obliviscantur, quos vindictæ servat, et inter cetera nihil meminens occisi a se crudeliter Domini ab Harselles, Petrus cautior secessit in Angliam, quasi in exilium voluntarium, monuit collegam, ut faceret idem, neque instrumentorum fidei fideret nimium, usurpans hæc suo sermone verba, cum ille instrumentorum objiceret fidem, « *Francois en lettres écrites ne gisent pas tous les vrais pardons*: ac post aliquot menses interfecto Francisco ultore necis paternæ filio naturali ab Harselles, et rumore in Angliam perlato, Petrus hæc reddidit verba, « *Je lui avoys bien chanté ces vigiles*. Eadem erat conditio Gaspari, quæ Francisci, et poterat idem insuper Gaspar Admiralius ille celebris et a vobis etiam post mortem cœlo locatus meminisse, historiæ cujus sciebat fere omnes ejus, quod Jason cum Colchis pace induciisve conventis Medeæ dixit.

Ἠ δὲ σύνδεσιν κρανέει δόλον, ὃ μὲν ἐς ἄτην βήσομεν.

et quod Cicero suadet, si linguas minime possumus, oculos hominum male de nobis opinantium esse vitandos: sed judicium Dei non potuit effugere: incedit incautus, intutus, imprudens in parata sibi ante divinitus provisaque supplicia una cum comitibus consceleratis, quos secum ducebat, quique profecto videntur ei præbuisse mortis causam, dum aliter sentienti, ut permaneret in aula, persuasere non alio, quam lucri sui et ambitionis studio: nullam enim importuni opportuni sine principis largitate aliquos sinebant abire diem. At res admonet hoc loco, ut petulantiæ et insolentiæ cum Admiralii tum comitum, et assecclarum ejus eximia quædam exempla proponam. Tumente bello illo exitioso Galliæ, et calamitoso ducebat cohortes quasdam Pileus per agrum Lemovicum, et parabat oppidi cujusdam, cui sancto Leonardo nomen est, ædes sacras incendere: hoc plebs ne pateretur, sponsionem fecit sex fere millium aureorum si servarentur integræ, et præsentia numeravit duo millia, reliquæ summæ obsides dedit: vix pedem extulerat oppido Pileus, et una alii ingressi ferro igneque ædes sacras vastant. Post finito bello reliquæ summæ oppidanos Pileus reos fecit apud regem. Contra dicebant oppidani, æquum esse reddi potius sibi prænumeratam pecuniam ob causam, quasi causa non secuta, quam reliquam exsolvi, quæ nec ex totius oppidi venditione refici posset. Aderant Pileo Admiralius et alii plerique ejusdem familiæ magna contentione, et acerbitate animi quadam efferæ Pilei causam agentes. Res cum non posset ex animi sententia litem secundum Pileum dare suscepit arbitri partes, et post longam disceptationem cum Pileo, qui quidem summo jure experiebatur, rem ita decidit, ut ejus, quod peteret parte dimidia contentus abiret, quod sibi arbitrium iniquissimum videri, nisi de suo damnum aliunde ipse sarciret, cum postea libera, ut solet, Monlucius ipse regi adseverarat, sic accepi respondisse regem. Quid vis faciam? ne hac quidem ratione, huic generi hominum satisfacere possum, sed quando ita suades, de meo oppidanis omne pensabo damnum. Eodem tempore Admiralius contradictum, quo sancita pax fuerat, sibi fratrique in Anglia defuncto ereptas a commolariorum mensis pecunias, ereptaque mobilia belli tempore apud regem reposcebat, eo stomacho, et iracundia, ut pene sui impos videretur, verbaque ejus auribus suis, aut consilia animis neque rex, neque ceteri, quos in consilium assumpserat recipere possent, et in hac ipsa re persequenda, vel in alia certe cujus non memini, præsente rege semel parum abfuit, quin inter se Admiralius et Nivernii Dux ferrum manusque conferrent, tanta Dux ab Admiralio procacitate lacessebatur. Eadem audacia se adesse in consilio Admiralium animadvertabant quicunque erant ab eodem imbuti, eumque rege ipso amplius reverebantur, desideria sua exponebant regi. Memorare possim Roberti Causidici Parisiensis, et Cavanii senatoris Tolosani exempla, quorum uni cum de re levissima ageretur facillimaque transactu, de re redintegranda principi Condæo jurisdictione Suessonum, per bellum erepta, in qua re idem plane erat regis, qui petitoris animus, verecundiæ non fuit extra rem ordiri a civilibus dissensionibus inter ducem Burgundionum, et ducem Aurelianensium, non alia fini, quam ut gentem unde ortus erat rex, sceptro insimularet insuderetque, nec fuit verecundiam minitari vim et arma, non sine horrore, fremituque totius consilii; alteri vero cum jus sibi reddi populi Galliæ Narbonensis postularent in sua provincia, nec extrahi se in alium, etiamsi edicti pacis clausula quædam, quam usus docebat reipublicæ perniciosam exitiabilemque esse, obstaret, et fidem antiquiorem sacratioremque appellarent regis, qui initio imperii jurasset, neminem subjectorum suorum extra territorium suum iturum juris experiundi causa, et proponerentur conditiones, quibus utrique parti satisfieret ex æquo bonoque, excidit pari furore mentis senatori, qui hujusce rei consulendæ et transigendæ gratia accitus fuerat veluti sequester litis, ut nullis redditis causis, nulla ad æquanimitatem admissa cohortatione, statim rigidus annueret, aut perpetuum et irrevocabile edictum fore, aut pro infecto, irrita, cassa, conclamata omnia. Mitto alia exempla. Ceterum Monlucius hæc cum videret simul, et fastum, quo vestri turmatim incedebant per aulam, et pertinaciam Admiralii in concitando rege ad Belgicum bellum, frementibus Catholicis omnibus, qui id perquam nefarium et detestabile esse censebant, ut est natura sagacissimus, et acutissimus, præsentium futurorumque rerum cantor, Zacharia, non uni tantum Rupefocaldo, sed et multis aliis dixit, vereri se ne hi mores vestri perniciem aliquam tandem vobis adferrent: nescio quid mali animum prospicere, et præsagire suum, caverent sibi si saperent, et vel mores alios induerent, vel domum redirent, nec fallacis aulæ jam fulgore fragilique bono decepti in ea hærerent diutius, qui populo, et majori aulicorum parti invidiosi et offensi erant. Inest, Zacharia, si nescis, in animis hominum quippe, qui Divorum cognatione tenentur, præsagitio quædam extrinsecus injecta atque inclusa divinitus cujus vi, ut veterum quidam ait, ψυχαὶ πολλὰ τῶν ἐσομενῶν προθεσπίζουσι. Inest in Monlucio certe admirabilis, ego ipse quandiu mihi frui ejus suavissima consuetudine licuit, vaticinantem ipsum plerasque audii de his quorum nulla adhuc apparebant notæ. Et hæc est communis vox familiarium ejus, et domesticorum omnium, divinum esse hominis animum: nec mirum igitur si quorum jam ex insolentia vestra animo conceperat notas, præsciverit prædixeritque vobis eventum. Denique divinatio hæc fuit, Zacharia, quam ut falso scientiam appellas. Et ut cetera cavilla tua persequar, quod Polonis hanc vobis cladem contigisse volente rege, Monlucius amoliretur, quia non videt hoc suo speciale mandatum aliquod regis fecisse, sed adversarios competitores, qui nulla re eum oppugnabant magis, quam quod aspiraret ad Poloniæ regnum, qui tanto, ut dicebant, scelere contaminatus esset, qui spargebant passim libellos, programmata, pictas tabellas, infamandi regis nostri causa, quo magis illustrissimorum electorum Poloniæ animos alia in regem nostrum propensos abalienarent, qui quod integra defensio Monlucii patefaciebat (hoc vero tu truncasti subdole, ne ineptias proderes accusatorum) manifestissimo mendacio jactabant, regem Admiralii cadaver per forum nudo gestasse sublime: eundemque prægnantis filiæ Admiralii uterum cædi jussisse, quod et tu de aliis mulieribus affirmas, nec tibi vero, nec his alium, quam rem ipsam fidemque responsorem dabo: fides ipsa perfidiæ tuæ index est manifestissimus. Sane nihil illis erat sancti verique, dum nos ablegarent modo longissime Poloniæ comitiis: hoc unum agebant quacunque via. Etiam Carolum IX bonæ memoriæ, qui fratrem hodie regem nostrum, et Polonorum, Polonis insonabat extremis libellis, quibus Monlucius respondit laudabant, quem primis infamarant: quæ ingenia levibus, villo re scilicet proprie inconstans ut ait? mitem scilicet moribusque dulcem confitebantur, soli maledicebant fratri, in quo solum eum conferebant Lutetiæ commissam cædem, et supra quam eredi potest sævitiæ, et crudelitatis ingerebant. His erat legato respondendum. Qua ratione respondisset, nisi qua respondit? Si quæ fuit de cæde illa objurgatio, eam introduxere adversarii, si quæ excusatio eam ideo provocare, nec putissime. Imo nec ullo modo spectabat Monlucii legatio ad eam rem: vos si de ea nihil, at ipse Monlucius de ea nihil, cui et ea res displicebat vehementer. Sed tu, Zacharia, cujus nomen ambitu suo complectitur vos omnes, nihil non vel scribendo, vel loquendo depravatis detorquetisque in aliam, quam actum est partem, nec ulla actione vestra, nisi furibundæ mentis signa animadverti, qui æquus quievi usque in hunc diem, et ponderavi facta utriusque partis, ac tandem fere utramque damnavi, sed magis vestram, et alteram, quasi castigatiorem tamen subsequi malui, quoad Deus omnipotens misereretur omnium nostrum, nosque ecclesiæ suæ filios certe omnes varios dispersosque cogeret in unum gregem, atque lumina sapientiæ suæ circumferret, lustraret, expiaret, et redderet, sui similes: nam quo modo vivimus, sane dæmonibus utrique propiores sumus: et placuit placetque satis nos ἀθεοφορία, hanc abominor, sed quod vos pro ea perperam accipitis, nimirum illud Phocylidis, πολλὰ μέσσοισιν ἄριστα, μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι, et quod Pindarus ait, ἀγαθαὶ πέλοντ' ἐν χειμερίᾳ νυκτὶ θοᾶς ἐκ ναὸς ἀπεσκίμφθαι δύ' ἄγκυραι. Attigi fere summa capita libelli tui, Zacharia, et valent hæc quæ calumniis objeci jam satis apud æquos judices apud et nunquam valebunt, cui animus occalluit in iracundiam insanabilem, et odium nostri execrabiles: nam qui tibi ipse non satisfacis, qui eadem scilicet toties inculcas in tuo libello, nec certe rationem finis, λαλεῖν ἄριστος ἀδυνατώτατος λέγειν, nec hominum quisquam sane tibi unquam satisfacere possit, nec auctoritas ulla commovere, aut deterrere ab ea opinione iniquissimum rerum, quam de rege nostro semel imbibisti. Æqui judices regiæ majestati potius credent, quam humilitati tuæ, et merito cuique ad imitationem M. Scauri principis senatus populi Romani licebit adversus te regis innocentiam tueri his verbis: Pseudozacharias Henricum regem Gallorum ait, satellites, milites, populum concitasse ad fundendum sanguinem innocentium: rex Gallorum negat: testis nemo est: utri vos convenit credere? Et si quæ argumenta præter quæ attigi Zacharias ille adfert a loco, vel a tempore ducta, etiam me tacente refellere cuique in facili est; quis enim non videt contra quam Zacharias scribat, Lutetiam fuisse incommodiorem opprimendo Admiralio, et ceteris in quæ veluti sylvæ ingenti, sed latibulis se defendere facillima cautio fuit, et hac quoque ratione se nobiles servarunt multi, nulla vero fuisset angustiore loco? nec etiam non liquet nullum potuisse honestius capitari tempus, in quod post longam patientiam homines a vobis lacessiti sæpius, nec ex parte vestra astute initaque pace sopiti, neque obliti alter necis patris, alter fratris, alter filii erupere, et exarsere repente? ut jam ante in Belgico Petro Attremonii per tempus pacis ob eandem causam contigisse retuli, non extra vaticinationem, sicut nec vate caruisse cladem illam vestram etiam ante monstravi. Et hic calumniam illam tuam annecto, qua Monlucium ratiocinantem inducis: si Theodosius imperator multos indicta causa

contra jus fasque necavit, quid non et regi licuerit idem? facile est respondere ex scripto, et defensione ipsa, quam tu Monlucio tribuis, si quod is scribit, eam fuisse semper erga subditos suos regia comitatem, ac benignitatem, ut si Theodosius ex cæde patrata, semel Thessalonicæ jussu suo dum iræ nequiret tempus et spacium dare, non est habitus pro tyranno, nec haberi debeat rex cæde patrata, semel injussu suo, et ut jussu suo, quod tamen per quam falsum est, ex uno actu non ingenerari habitum, et habitus cui abest tyrannidis, nec tyrannum eum esse: hoc inquam, quod ita scribit Monlucius itane sentit, si quis judicaverit eum, quem effecis senatum referre, nullam causam dici quin Monlucius tui similis judicetur impostor et fallax. Sed tantum abest, ut hoc quisquam judicaturus sit, ut nec tu ipse, si paulo intervallo redieris ad te. Neque vero mirum, si noxam cujus arguimur eos purgare non pateris, aut ubi perspicue purgavimus, purgasse non concedis, cum nec certissimorum criminum relatione nos uti æquo animo feras, si qua enim vestra fueriat, jam oblivionem delevisse dicis: sic sane apud vos, qui feciatis, non apud nos, qui ea perpessi sumus: præsens enim est semper nobis facinorum vestrorum, ut acerba memoria, nec ullius conventionis publicæ vis tanta est, ut eam abolere possit. Vos non obliviscimini, nata vi vobis inflicta damna; nos obliviscamur injusta, quæ sumus perpessi; tam homines sumus, quam vos: nequimus: taceo et quos nobiles regina Navarræ auctore Comite Mongom. qui pro regina in Pyrenæa Aquitaniæ parte, et Bigerronibus imperabat, indicta causa per cruciatum, et ad contumeliam necavit, dicis obiter non cæterum a necasse, sed imperio suo obnoxios, atque subjectos: dicam, nec nisi subditos regis Lutetiæ necatos: dices alios defecisse a regina: dicam hos defecisse a rege: igitur non esse tibi causam inferias solvere his potius, quam illis, nec hos lugere adeo, ut huic luctui tuo nulla alia cogitatio inseri possit, illos nullo modo. Et horum quoque adjiciam eccem videri justitiorem, illi enim religionem a majoribus, per manus traditam vindicabant: hi novam introducebant: nec tamen prorsus concedo omnes eos, quos regina Navarræ, aut legatus ejus necari jussit, quique occubuerunt post cœnam, et lusus actos cum submissis ab eo interfectoribus decumbentes in lecto genere cædis fœdissimo, et perfidissimo, reginæ Navarræ subditos fuisse: certe non Dominus S. Columbe, non Dominus Goffa, non Baro Perdeacus, certi beneficiarii regis Galliæ. Præterea si quos alios qua vi, qua fraude necastis; si quid aliud estis hostile, hoc vos belli jure fecisse dicitis, pacem religiose conservasse, qui scilicet statim a pace pleraque tempia a fundamentis proruistis Aureliæ Valentiæ, et aliis multis locis, multos ut jam ante recitavi, neci dedistis, et antequam regi nobisque palam denunciaretis bellum, etiam viceregem ipsum Valentiæ Cavarum laqueo suspensum cum ad Cavares belli metus eondum pervenisset, qui nunquam insidiari eobis et hostilia quæque facere, et rumpendæ paci rimam aliquam quærere destitistis, qui et porrectiore fronte jus belli facinoribus vestris obtenditis, non dicam destituti auctoritate principis, sed contra principem ipsum arma gerentes: nec enim possit hoc modo a parte vestra jus ullum stare belli, ac proinde, nec jure a vobis geri quidquam tempore rebellionis vestræ potius, quam belli. Jus belli vocas desciscere a regis imperio? regi bellum inferre? regem obsidere? urbes regias invadere? fiscum compilare? Jus belli flamma sternere ædes ædificiaque omnia? jus belli post occisos DCCC. in agro Segusiaeorum, sedato jam primo militum impetu, captivos splendidiores a turri præcipites dare? Jus belli in agro Arvecomicorum cives tota vita innocentes, vivos defodere in altam specum?

Quis Colchus hæc, quis sedis incertæ Scytha
Commisit? aut quæ Caspium tangens mare
Gens juris expers?

Sed fessus sum hæc commemorare scribendo: vos nationem Gallorum, quæ humanitate morum exsuperabat omnes, barbaram et efferam reddidistis, vos infamastis, apud exteros, vos regem virtuti simillimum Carolum IX. assidua XII. annorum insectatione, pene ad imitationem vestri compulistis, nulla ætas in Gallia tulit nequiores vobis, nulla mitiorem clementioremque principem, si forte factus est asper, vitio meritoque factus est vestro, nec jam diligentius perpendendi omnes, causa mihi videtur, esse admodum succensendi vobis dum vitia, quorum estis auctores, confertis in principem. nam cum sitis omnium, qui sunt, qui fuerunt, quique futuri sunt improbissimi in tantumque detestandi in quantum nequities, et improbitas ipsa, exleges, impii perjuri, sacrilegi, fraudum sateliites messoresque omnium, pene malim vituperari a vobis, quam laudare principes: namque, ut Antisthenes dicebat, idem est laudari ab improbis, et vituperari a probis, et retro vituperari ab improbis idem atque laudari a probis: vestra convitia laudes sunt: sive quæ in principes, sive quæ in Monlucium jactatis principum legatum. Sic solebat eum appellare magnus ille Franciscus I. et dicendo legatum, per eminentiam non alium quam Monlucium intelligi volebat: et sero jam intelligo non debuisse me hanc aggredi operam, nec confligere tecum; qui modum non habes ullum. sed, ut ait Comicus, quo magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert, et subinde cruentus ordiris tibi, atque retexis in oratione una orationem eandem. Monluci certe quid scripseris pluma tua interest. Generosum pectus, nihil commovetur calumniis tuis, dolet tantum vicem tuam, qui majestatis divinæ providentiam nihil revereri te, nihilque credere te, ipsa prodis, in nullam aliam rem, quam ad struenda maledicta cernaus, præditusque gutture, ut divinus vates sit tetriore busti funere sepulcro patri. At si is vellet eloquentia te sua, qua mirum in modum pollet insequi et traducere, sane confessiorem faceret sonicinæ ænis. Sed contemptu magis te et silentio dignum esse judicavit: nos amici Monlucii pluris te fecimus, qui perlecta, perpensaque omni scriptiuncula tua modo tamen cognoscimus non plus facere debuisse nuce vitiosa: idemque nos nobiscum plerique e vobis sentiunt; nec enim, ut supra dixi, contagione se vestra contaminarunt omnes: audivi plerosque execrantes vocem frequentem illam vestram, justa esse arma, quibus extollitur gloria Dei, et pleraque alia nefaria jam a me indicatas supra. Etiam finito primo tumultu Admiralius ipse cum ad eum bis de rebus nuncium Monlucius noster misisset, respondit, nunquam se probasse mores eorum, qui sacra profana, publica privata haberent, et quod populus Romanus censori permittebat, apud nos solius esse principis ex privato in publicum addicere, et ex publico in privatum, qui hanc potestatem usurpassent, hos se habere pro prædonibus: nunquam se probasse demolitiones ecclesiarum, nunquam alia facinora contra disciplinam a se initio tumultus institutam, testatamque literis scriptis ad principes orbis Christiani, commissa, religionem extirpari his artibus, quam propagari nec si oppetendæ ei essent mille mortes tales homines se unquam habituros pro duce: nondum contagio vestra pervenerat ad Admiralium: qui tamen adeo postea depravatus, corruptusque est, ut cum videret everti ædificia publica arridens diceret: hos esse suorum militum lusus, hanc relaxationem animi et quasi aucupationem. Non defuerunt tamen alii, qui constanter, etiamsi signa sequerentur vestra, facta vestra execrarentur semper: nam et Catholici quidam cohortibus se miscuerant vestris, vel addicti, vel obærati nimium principibus, aut dominis quibusdam, unus principi Condæo, alter Admiralio, alii aliis, nimium inconsulte: nec enim prudenti viro ullus tanti patronus esse debet, ut propter eam a regia sui deficiat obsequio, sicut M. Tullius ait, Nullam Appietatem, aut Lentulitatem plus valere apud se, quam ornamenta virtutis: et optaverit potius vir prudens quisque, ne sibi Deus injiciat adversus principem rebellem animum, ut Chorus apud Æschylum μηδάμ' ὁ πάντα νέμων θεῖτ' ἐμᾷ γνώμᾳ ἀντίπαλον Ζεύς. Sed ut extremum habeat aliquid oratio mea, concludam, Christiani proprium esse pati, non facere injuriam, qua de re est Chrisostomi homilia elegans inscripta hoc modo, melius esse pati, quam facere injuriam. et exemplo Christi Domini nostri speciosius esse, ut Valerius ait, beneficiis vincere injurias, quam mutui odii pertinacia pensare, Christiani proprium esse observare regem, ut D. Petrus præcipit, qui tamen tum non Christianus, sed paganus erat, Christiani proprium neminem infamibus verbis lacessere, vel ulcisci, neminem calumniari manifestam esse calumniam regem Lutetiæ cædis commissæ facere mandatorem, Monlucium patronum, quam etsi non refutassem res ipsa refutasset vel ex Catholicorum promiscue cæsorum numero, vel ex his, quos dux Guisius post vindicatam cædem patris invictissimi, et nobilissimi principis ultro servavit, ut Lansacius, et alii, qui a latere regis perseverabant, quos utique non servasset, si alia fuisset mens, aliud votum regis. Vos igitur, hoc est, populares tuos, quibus vestro judicio licet quidquid libet, qui nullas emendatæ, ac ne depravatæ quidem religionis in animo impressas notas habetis jure meritoque concludam, non esse Christianos. Christianum me non Christiano respondisse pudet pigetque: nec jam in hoc ipso articulo tamen rapto mihi de manibus scripto, quod conscindere parabam factum mutare integrum est.

NICOLAI RIGALTII

PRÆFATIO

Ad Nobilissimum, et Amplissimum Virum

JACOBUM AUGUSTUM THUANUM

Regium in sanctiore consistorio Consiliarium, et in amplissima Curia Præsidem.

Homines mortali conditione generatos mori nemo sanus queritur, aut indignatur: sed qui mortem ipsam non interitum omnia delentem, verum quandam quasi migrationem, animæque a corpore discessum esse sibi persuadent, quod utique bonis omnibus persuasissimum est, hanc præcipue curam circa defunctorum manes adhibere solent, ut æternitatis honore consecratos quanta possint pietatis religione venerentur: quumque nobilissimum illud supremi rerum dominatoris opus omnino corporis, animæque mixtura constet; et corporis quidem coagmentatio abscedente anima senaim ad terrena sua principia resolvatur: anima vero cœlestis posteaquam emersit e corpore in altissimum divinæ naturæ domicilium recipiatur, inventa sunt etiam in morte arcendæ mortalitati præsidia, quibus et animæ et corporis ipsa mortuorum inter superstites homines æternum vivere videantur: eaque veterum fuit sententia, salem ab Homero divinum ideo nuncupari, quod divinam animæ vim imitatur, defunctaque membria insuper ut quasi secundariam vitam profligata putredine sufficiat, et incorrupte ævis servet; quemadmodum et cedria et nitrum, et bitumen, et si quæ fuerunt in Ægyptiorum taricheutarum apothecis alia medicanda funeri pollinctura: sed ut corpori longe multumque mens præstat; ita multo divinior ea curatio est, quæ defuncti cujusque

consilia, mores, ingenium sempiternæ memoriæ mandare novit, quam quæ rancidum excordia, eviscerati cadaveris scelerum a tabo et carie vindicare conatur tamdiu scilicet inter mortales vivimus, quamdiu rerum a nobis gestarum memoria in posterorum animis velut thesauris reposita viget: ideoque se publico Musas suas ostendisse profitetur Herodotus, ne multa præclare a Græcis, atque Barbaris gesta eum tempore simul evanescerent: augurio quidem certe verissimo; nam nisi scriptor extitisset ille, eadem vis fati, quæ sepulcrorum statuas, et marmora distrivit, etiam virorum quamvis præstantium famam, et nomina penitus obruisset: parumque ipsis aut nihil omnino fuisset fecisse scribenda, si non et aliquem, qui legenda scriberet invenissent: utrumque autem nobilissimo viro Gaspari Chastreo tam large, benigneque esse concessum est, ut quam ipse, dum advixit, plurima memoratu, relatuque dignissima confecerit, eos in obitu suo sit nactus præcones, quos si magnus ille Alexander quum in Sigæo ad Achillis tumulum adstitit, secum habuisset: neutiquam Iliadis Homericæ memor ducis Achivi cineres invidia sollicitasset: etenim Chastreum vita, quam gloriosissime degebat abeuntem Jacobus Cujacius civilis sapientiæ perfectissimum decus frequentissima concione laudavit; eaque laudatione tam graviter prudenterque quid quid Aspasia Socratica Menexeno super fortium virorum obitu disseruit, æmulatus est, ut nihil ad consummatum epitaphii sermonis gloriam desiderari queat, nisi quod Gallicæ dictionis angustia comprehendi generosa divinæ mentis sensa plerumque reluctantur: quare Latinis ea vocibus explicare sum ausus, ne quid eximiæ laudis Chastreorum nomini subducatur, neve quid operæ Cujacianæ pereat; quando nihil exile aut minutum ab eo sit elaboratum viro, quem nemo nisi doctrina, judicioque præcellentissimus satis unquam est emiratus: sane post illam ab Cujacio commendationem Chastreani sanguinis splendori nihil addi posse omnes facile judicabant: per te tamen, Augustissime Thuane, Chastreo simul et Cujacio novus honos accessit, quod jam utriusque nomen, non figurato theoricæ demonstrationis acroamate, sed publico historicæ fidei tuæ testimonio celebratur; cujus eo major apud bonos auctoritas, quo minor apud malos gratia: nam quod alii fere privatis affectibus indulgent, hoc te veritati, publicisque exemplis impendisse nullus ibit infitias, nisi qui pravo more impune omnia sibi esse debere putat, quæ vel audire tamen erubescit; atque hæc præcipua quidem inter publica illa, quæ certatim in Chastreum collata sunt ornamenta censentur: inter domestica vero non postremo collocandum istud, quod XVI postquam excessit anno, te suæ Gasparillæ, quam vix altero mense adultiorem vidit, maritum obtigisse eo pietatis sensu, quo beatas mentes tangi sapientissimi viri credunt, intellexit mortalium certe, vel Solonis judicio felicissimus, si tantulo sufflamine, donec abs te socer audivisset, præcipitata vivendi tempora inhiberi potuissent: quanquam illi, si quid ablatum, negatumque fuit, totum nunc cumulatissime reponi, ac repensari fatendum est: habet enim Thuanulos, Franciscum ingenii flosculis, et jam altæ mentis igniculis emicantem, Magdalenen, Achillem, tibique cognominem Jacobum Augustum, quos ex te lectissimaque conjuge laudes omnes, quæ cadere in fœminas solent supergressa nasci decebat Thuanorum, Chastreorumque genti nepotes: quibus adeo nihil optandum superesse putem, nisi seculum olim virtuti minus inimicum.

Ex libro 62. histor. V. C. Jac. Aug. Thuani A. S. MDLXXVI.

Extremo anno III. Kal. xbr. obiit ex vulnere pugna Drocensi in ilibus accepto, et tum forte ex violenta equitatione aperto Gaspar Chastreus Nancæus stipatorum regiorum quasi gentilitio jure præfectus, quippe qui Joachimum patrem, Gabrielem avum, et Claudium proavum eadem dignitate ornatos habuit; vero fidei judicio, cum fere cetera munia meritis debeantur, hoc etiam præter merita, gratiæ ac peculiari benevolentiæ tribui soleat, et sane fuit vir, ut forma, sic moribus suavissimis, virtute militari præstans, ob idque Carolo regi acceptissimus, et qui erga omnes officiosus non solum procerum, sed etiam nobilitatis gratiam sibi in aula conciliaverat: ex Gabriele de Batarnaa Renati Buchagii comitis, et Isabellæ Sabaudæ filia Henricum superstitem reliquit, Magdalenam, et Aloisiam, et ultimam, quæ patre defuncto ad jucundam ejus renovandam memoriam cum de sacro lavacro a Claudio Chastreo patrueli fratre, et Anna Batarnaa matertera, quæ postea Bernardo Nogareto Valetæ maris præfecto nupsit, susciperetur, ex voluntate matris Gaspara vocitata fuit: quadragesimale sacrum de more postea magno equitum conchyliatorum, ex quorum collegio erat, aliorumque cognatorum, et adfinium concursu Nancæi celebratum fuit, in quo, ne quid ad eximium apparatum deesset, Jacobus Cujacius Jurisconsultorum retro seculis, et sua ætate princeps, Avarico Biturigum, ubi docebat, a Chastreo provinciæ præside evocatus, oratione funebri mortuum tanto viro dignissimus præco laudavit.

Accensus o qui pulcræ virtutis amore
Tot certo numeras ordine Gaspar avos,
Quorum præclare crevit res Gallica gestis,
Inclita nec patitur facta perire dies:
Has bonus inferias, hæc liba novissima longo
Tempore post cineri reddita sume tuo;
Quæ socero ad tumulum gener haud inglorius adfert,
Cujus docta libat profecta manu.
Non aliam laudis tantus vir quærere campum,
Laus tua non alio debuit ore cani.

JAC. CUJACII ORATIO

IN FUNERE

Nobilissimi, Præstantissimique Viri

GASPARIS CHASTREI NANCÆI

REGIORUM STIPATORUM PRÆFECTI

Habita in æde sacra Nancæi Biturigib. Cubis xv. Kal. Febr. M. D. LXXVII.

Etsi totus hic sermo, quem super excessu generosissimi equitis Gasparis Chastrei Nancæi facere aggredior, nonnisi cum acerbissimo vobis, ac mihimetipsi mœrore, luctuque fieri possit: tamen excellentissimi viri virtutes hoc imprimis flagitant, ut cujus nos præsentis serius cariturus sperabamus, ejus absentiam digne ac meretur posteritati commendemus: etenim si virorum illustrium funera comploratione, aut sermocinatione ulla prosequi moris hactenus non fuisset, hinc certe laudabilis instituti primordia ducenda esse jure videretur: adeoque quamvis hoc vernaculo sermone concionari minus adsueverim, ætas præterea, studiorumque ratio sonticas suggerat excusationes, nihil tamen causari mihi licuit, neque si licuisset, debuissem, voluissemve: quin potius honori semper ducam maximo, in hoc electum me ab illustrissima fuisse matrona, ut viri, qui ipsam mirifice adamavit, quemque ipsa unice dilexit, memoriam in frequenti nobilissimorum virorum corona celebrarem: morum itaque geram piis lectissimæ fœminæ desiderio, cujus animum inter perennes lacrymas solamen charissimi conjugis subinde prædicari virtutes, simul et æquis præstantissimi viri Claudii Chastrei, quem heic bona piaque mente consobrino parentantem cernitis, quemque omnes ob eximiam fortitudinem ac prudentiam ubique suspiciunt, hortatibus, consiliisque libens obtemperabo; ac demum annuente Deo, quem uti benignus annuat invocato Domini nostri Jesu Christi numine supplex veneror, mœstitiam ex tanti viri obitu conceptam consolatione aliqua lenire, ac sustentare conabor, sed ante omnia, quam optime de vobis meritus vixerit Nancæus, quibusque artibus omnium erga se studia conciliaverit, considerandum; qui dicendi locus egregia virtutum exempla continebit superstitibus liberis, quos heic pullis vestibus amicalis interesse arbitror, dictanda paulatim et proponenda, ut ea, quamprimum adoleverint, imitentur: tum demum, quæ in ingenti luctu reperiri poterunt solatia commonstrabo. Primum igitur nemini dubium esse existimo quin excellentium virorum, ac parentum bene de nobis, bene de republica meritorum funera, quum ex æternæ legis præcepto diem in Christo supremum obivere, lacrimis et fletibus adornare debeamus: nam etsi certo nobis constet sanctas animas cœlo confestim recipi, nihilominus effundendæ lachrymæ amoris, ac pietatis indices, quales olim in phialis, et alabastris oblatæ circa tumulum spargebantur: etenim Salvatorem nostrum, quatenus homo natus fuerat, in Lazari, quem diligebat, obitu flevisse; et Stephani martyrum principis funus ab quamplurimis veræ pietatis, ac religionis cultoribus cum maximis ploratibus et lamentis securatum fuisse didicimus: ex eoque manifestissimum est nimis duriter eos et inique sentire, qui mortuos lugere homini Christiano indecorum, ac prope nefas esse opinantur: quum et sapientiæ fortitudinis, constantiæque laudibus celeberrimi viri, cujusmodi hæroas, et semideos nuncupabat antiquitas, amicos, aut consanguineos suos satis concedentes veris lacrymis, ac tantum non muliebri ejulatu ploraverint: Trojanisque temporibus Homerus Achillem, ac fortissimos Achivorum duces interfectum ab Hectore Patroclum tanto luctu, tantaque mœstitia prosequutos fuisse tradiderit, ut lacrymis uberrime libatis non solum arma lugentium rigarentur, sed et arena quoque madescerent:

δεύοντο ψάμαθοι, δεύοντο δὲ τεύχεα φωτῶν

δάκρυσι . . . . . verum ad lugendi, quem heic instituimus modum, haud sufficit pullæ vestis austeritate squallere, oculos fletu corrumpere, querelas ingeminare, mortuum conclamare, pectus tristitia macerare; sed præterea publico mœrore lugendum, narrandæque rerum præclare gestarum historiæ, quarum commemorationem audientium animi, quantam in ejus, qui lugetur absentis jacturam pati cogantur, intelligant. Sic Jeremias super obitu Josiæ non privatim, aut sine teste, sed in concione totiusque populi cœtu flevit, et regis optimi virtutes lamentabili carmine prædicavit: sic regius vates Saulem fortissimum ducem commisso cum Philistinis prælio cæsum adstante numerosissimo exercitu laudavit et luxit, quin et Athenis Platæisque institutum fuisse legimus, ut Socratis oratio super eorum funere, qui pro republica fortiter occubuerant, composita, non solum ipso funeris et exequiarum die, sed quotannis velut concepta formula ab strenuo juvene recitaretur: hæc virtutum incitamenta justis Nancæo ritè ac solemniter persolvendis usurpanda, lugendusque ille simul et laudandus, cui prematura quidem, sed pulchre et decora mors, per vulnera pro patria, pro libertate, pro regia, et populi salute accepta venit: quorum unum tam alte fuerat inflictum, ut læsis præcordiis vim illam vitalem graviter fuisse labefactatam docti prudentesque medici judicaverint: nimirum insita generosissimæ genti virtus Nancæum abstulit, Nancæum amplissimis honoribus functum

Atropos humanæ vitæ textricum antistita intercepit, et aemarali honorum non annorum curriculis ætatem ejus in ipsa trama contexbaro, quod superaret filo præcidit: abiit Nancæus, adhuc vivida virtute vigens, et tum quum spectatissime florebat, aura mortiferum spirante afflatus emarcuit: o dignum æterna pubertate florem! quem non caducum, sed exsectum avulsumque, si qua lacrymarum copia plangere videmur, aut ulla unquam dicendi vis suppetat, qua gloriosissimas extinctionis aut avulsionis causas convenienti præconio celebremus, illam dico rei bellicæ peritiam per ardua laborum experimenta quæsitam, ut vel heroicorum temporum exemplis antaponendam: illum ferocem pugnacemque animum, quo totiens in perduellium capita fulmineus incubuit: illas denique honestissimas adverso pectore cicatrices certissima rerum fortiter ubique gestarum argumenta: etenim omnium oculis obversari puto notissimos illos campos Drocenses, Sandionysios Jarnacenses, Moncontuurios, quibus velut theatris conspicua Nancæi virtus effulsit, quæ utinam monimenta, iterum autem utinam alibi, quam in Gallia nostra, contraque alios, quam nosmetipsos recenseri possent; neque illæ nos internecinis odiis excitatæ furiæ perfidu religionis obtentu ad arma contra legitimum principem movenda præcipites adegissent, gratior foret atque jucundior multo victoriarum, quæ de nocentissimis factiosorum conatibus sunt reportatæ recordatio, quanquam, si verum amamus, hujusmodi bella plusquam civilis, vel potius plusquam hostilia fuisse fatendum est: quando ipsi partium duces totius rei Gallicæ statum a fundamentis convellere evertere nitebantur: dignique immortali commendatione videntur ii, qui regno, ac regibus adversus tam nefarios ausus tuendis custodiendisque vitam et opes constantissime prodegerunt: nam sive mortem in vestigio pugnantes oppetierint, sive acceptis vulneribus semineces inter suorum manus ab certamine erepti vitam aliquandiu post ægre traxerint, omnino in ipsa morte gloriam vivere intelliguntur, sed neque silentio transeundæ mihi Biccensium, Augustoriti Pictonum, Avarici Biturigum, Rotomagi, Rupellæ, aliarumque urbium, quas regni regisque hostes invaserant, gravissimæ difficillimæque obsidiones, quibus Nancæum regi ad omnia pericula præsto semper adfuisse memoriæ narrant, ac Rotomagi quidem, quum depluente circumquaque plumbea grandine primus impetu facto per ruinam irrupisset ab invictissimo præstantissimoque Duce Henrico Lotaringo Guisio corona murali coram universo exercitu donatus est, et magnificis laudum titulis ornatus: mox et a munificentissimo rege stipatorum corporis præfectura cumulatus, et præter jam adeptam gloriam, quæ vera solidæ virtutis erat merces, hoc etiam fortis excelsique animi præmium ferret: etenim ea præfectura, quia rei eximiæ totoque regno præstantissimæ curam gerit, nonnisi viris apprime illustribus probatissimæque fidei ducibus tribui solet: itaque perennis et propria Chastreorum genti laus est, ut optimo jure sese custodiæ regiæ præfectorum quasi seminarium fuisse gloriari possit: quippe Ludovicus XI. primo nimirum, quam auspicari quum ad sui tutelam centum nobilium satellitium, primus adhibuisset, Carolo fratre Aquitaniæ duce qui cum simultates exercebat, vita functo, Gabrielem Chastreum, quamvis ipsius Caroli partibus constantissime favisset, evocavit, et novi collegii principem esse jussit: exindeque ea dignitas in eadem gente continuata permansit; ac etiamnum, si per ætatem licuisset, ad Henricum Gasparis F. quasi hæreditario jure pervenisset: hoc certe significavit pia regiæ majestatis cura, quum se dolere dixit ætatulæ vicem, quæ non etiam hunc honorem, sicut cetera patria, et avita decora cernere, ac retinere possit; simul et hoc elogio sponsionem cum adolescentulo fecisse videtur, se illi, quum primum anni tulerint, paternis insistenti vestigiis ditatam tantisper dignitatem repræsentaturum: paterna vero quum dico vestigia, dico insignia virtutum exempla, quæ sedula mater in animum sensim adolescentis instillabat, ut quum legitimos annos attigerit, catholicæ Christianæ fidei observantissimum, honoris virtute parti retinentissimum, regno regique devotissimum præstet, hujusmodi facere patria militia curante Fuchera Henrici Chastrei avia, quam ex illustri Theniorum Pictavensium gente prognatam magnus ille rex Francorum primus ad vivificos fontes Franciscam appellaverat: nec aliunde sane petenda, quæ filius imitetur exempla, domi illa nascuntur, unius Gasparis vita quamplura suppeditat: nam vix dum e pueris excesserat, quum in exercitum, atque in militiæ disciplinam sub auspiciis egregie fortis et prudentis castrorum imperatoris Francisci Lotaringi Guisii, qui tum Paulo IV. P. M. laboranti suppetias laturus in Italiam magnis itineribus contendebat profectus est: ab eoque tempore quotiens sedit occasio, totiens manu consilioque promptus et alacer gentilitiam Chastreorum gloriam multis amplificavit adoreis: sed quem genere ac fortitudine præcellentem auspicimus, eundem nunc non adumbrata pietate nobilem admiremur. Notum omnibus esse reor impavidum et imperterritum ejus animum tanta fuisse comitate ac benignitate temperatum, ut qua manu in certamine, velut efferatus adversa omnia proruebat, eadem pauperum inopiam liberaliter sublevaret, oppressos erigeret, subditos sibi provinciales benevolentia indulgentiaque prope paterna foveret, ut de Nancæo jactari verissime possit, quod de Alexandro Darium dicere solitum ajunt in bello asperrimum fuisse ac truculentissimum, parta victoria mitissimum lenissimumque: item illud Constantini, militiæ trucem, domi civilem et perhumanum, verum hæc etiam insuperhabenda præ illo religiosissimo rerum divinarum cultu, quo ille penitus in Nancæi mente, imoque corde insederat, nulla ut convelli vi morbi potuerit, neque hora fuit, quum in lentulis febribus æstuaret, qua non humili demissoque animo, reputatis secum iis, in quæ se humanitus impegisse judicabat, cœlestis misericordiæ per efficacissima sotaria veniam imploraverit, donec inter adstantium vota catholico Christianorum ritu sacrosancti mysterii particeps morbo ingravescente opprimi cœpit, sed ne tum quidem adempta loquendi facultate extingui potuit igneus ille vigor: nam adhuc gestiebat, seque de caduco diversorio in æternam summæ felicitatis mansionem ire certissimis indiciis ostendebat: quum tandem soluta corporis compage placide, ac sine horrore migravit: o felicem animam! o stirpem generosa sobole fœcundam! de cujus naturali bono nulli usque adhuc degeneravere, neque porro degenerabunt surculi: etenim supersunt liberi paternarum virtutum spirantes imagines, maxima mœstissimæ matri solatia: superest Baltasar Chastreus Lezinius Gasparis frater, de quo multa si dixero, paucissima tamen dixisse videbor; superest agnatus Claudius Chastreus, et regia præfectura provinciam hanc felicissime obtinet: ejusque adeo comitati, ac prudentiæ nihil non Biturigeæ debent; superest Ludovicus Claudii F. omnes de nobili trunco nobilissimæ propagines, unde et nepotes venturis seculorum ætatibus profuturi pullulabunt: equidem in tanta rerum memorabilium copia pene tacitus præteribam rem non cum tempore fugitivam, verum in Nancæo nostro valde laudabilem; illam scilicet speciem, atque staturam: illam totius oris dignitatem hilaritate permista venerandum quiddam, et amabile renidentem: illos denique, et præcipua notentur emendatissimi vultus bona, oculos claros et nitidos, supraque hominem albicantis mansuetudinis acie clarissimorum siderum modo vibrante, quales Augusti fuisse plerique commemorant: jam illa percensere longum esset, comitatem affabilitatemque, et ornate loquendi sapientiam non sine vi quadam majore fluentem, qua difficile dictu est quantopere dissidentium animos conciliabat; alia item multa, quibus sermonem prudens abstineo, ut ea ipsa secum unusquisque reminiscens quantum assequi cogitatione poterit admiretur, ac tandem quam minime reparandam Gallia jacturam fecerit æstimet, et expendat: hoc agamus, obsecro, et quæ nobis in presentia sunt proposita, si minus elocutione, saltem lacrymis, suspiriis, et querelis diu multumque deploremus, dissociatos conjuges quos honor bene concordati matrimonii, communium liberorum fides, mutuus amoris castissimi nexus copulaverat: orbam incomparabili marito fidelissimam uxorem: spoliata paterno præsidio dulcissima pignora: desolatas amisso mansuetissimi domini patrocinio provincialium, ac familiarum clientelas: Nancæum denique nobis ostentatum simul, et raptum, quem quotiens appello, totiens magnos, et elatos animos, sic enim solebat, totiens exsuperantes omnia spiritus videre mihi videor; quos illi spiritus animosque, non opum honorumve abundans copia, non adeptarum dignitatum tituli, sed veræ virtutis amor, sed generosi propositi tenax conscientia fecerant: hac arte acceptissimum Deo Nancæus non solum audacissimorum imperi Gallici hostium conatus fregit, sed et infestissimi mentium humanarum prædonis crudeles, ac furibundos impetus, qui persæpe fortissimum quemque, qua libidini, qua ambitioni, qua avaritiæ patet, de recta ratione transversum agunt, repressit ac debellavit: hæc omnia in unius obitu defecisse videmus, sentimus et querimur; ut quis suum lamentationi statuet modum, nisi quem aut Jeremias, aut Simonides, aut Pindarus præfinirent? premi tamen, atque cohiberi suspiria velim tantisper, dum superstitibus optimo patri liberis, quam sum iustio pollicitus hortatiunculam absolvo; ut parvulorum adhuc in tenera ætate sopitæ mentes quum primum evigilaverint sese paternarum virtutum sacris hoc veluti carmine initiatas fuisse resciscant; cujus mentio frequenti recitatione paulatim accrescentibus animis impressa tam alte descendat in pectus, et in filiis vivere adhuc pater, aut elsius revixisse credatur, ac reciprocante laudis elogio talium liberorum parens, et talis parentis liberi indigitentur: at vos o Nancæorum propinqui, adfines, amici, per illa vos obtestor Chastreæ gentis columina, facile, ac deformate parvulis talia præsentem ubique Gasparem hæc paternæ pietatis oracula, sive consilia suggerentem. Dulcissima pignora, animulæ meæ charissima, cogitate vobiscum, unde genus, unde originem, unde filiorum nomen habetis: sæpe me prævara seculi perversitas, et de recto virtutis tramite desciscerem incitavit, et per temporum, in quæ incidi, mores impune descivissem, tamen ita me semper divini numinis favor, atque benignitas rexit, ut honestissima sequi majorum vestigia maluerim, quam fortunæ blandientis illecebras: neque me tantillum unquam animo meo indulsisse memini, unde vobis aliqua dedecoris, aut probri macula posset adspergi: quippe sic indicavi, supremum omnium fore nefas si qua per me labes objiceretur, quæ patrium ab Joachimo splendorem avitum, a Gabriele, decus, proavitas a Claudio, abavitas a Petro, tritavitas ab Joanne dignitates, atque ab celeri longa serie majoribus tradita quasi per manus ornamenta deturparet, eumque semper existimavi lucis indignissimum usure: Deo item et hominibus invisum, qui bene a decessoribus suis constituto, ignavia, socordia non corrumpit: quare mihi credite, ac tenete memoria vestra, quod mihi pro vobis sumpsi consilium: videte ne quid per vos detrimenti parta ab majoribus gloria capiat, neve quæ vobis illi præluxerunt: apud vos indiligentius habita tandem obscurentur: equidem illud beatissimi Pauli lubens usurpaverim, de meque ipso dicam, quod ille de se prædicabat: imitandum me esse vobis quemadmodum Christum ego sum imitatus: colite igitur, ac timete communem omnium parentem et dominum: colite invictam ejus manum, ac semper vigiles oculos, simul et fidenter maximam vobis cum illo fore gratiam sperate, si fidejussorem idoneum dominum nostrum Jesum Christum cœlestis ecclesiæ corpus uno spiritu sancto suo in semetipso continentem appelletis: at si monita mea infenso corde fastidite, tum et opes a me vobis relictæ et dignitates, et felicis naturæ dotes ruere pessum incipient: nam quid opibus facietis, si modum utendi cum virtute conjunctum esse nescitis? aut quo vobis digni-

tates, fœdata atque turpificata vitiorum cœno moribus? quo denique pulchra et decens bene habentium membrorum structura, quam et ignavus, et inera, et vitiis animus introiverit? Itaque peculiari virtute vestra contendite, ut quos a me, quos a majoribus accepistis honorum titulos, non tantum adæquetis, verum etiam amplificetis. Ita me a vobis vinci jure gloriabor: et contra magni dedecoris sensu afficiar, si non aliis vos laude, quam majorum vestrorum commendatione, et proavorum nomenclatore nobiles esse animadvertero: in summa operam date ne vos erubescam illo ultimo et perpetuo judicii die, qui nos omnes domino sistet: nam ut aquilæ pullos suos etiamnum implumes adversus disci solaris radios spectare cogunt, eumque cujus acies irretorta contra steterit abducant; quem vero conniventem nictantemque deprehendunt, velut imbellem ac degenerem a nido præcipitant, ita vos, si gentilitium splendorem fulgoremque constantissime sustinueritis, agnoscam, sin secus, abdicabo. Hæc omnino liberis suis provida parentis anima nunciare me jussit: neque est quod ambigamus, ut veterum more cum addubitationis condicione loquamur. Si qui mortuo sensus, aut, si quæ nostri cura sepultos attingit; sed Christiana fide simpliciter ac pure dicendum, animas postquam e corpore migravere, nihilominus audire, cernere, atque intelligere quidquid heic agimus; proindeque felicitatis nostræ sollicitudine tangi: piaa præsertim sanctorum animas, quas Josephus doctissimus Judæus iisdem omnino sensibus affici ait, quibus dum erant in corpore afficiebantur: quocirca jam inclino subvereri ne beatos Nancæi manes supervacua lamentatione fatigemus, aut de fiducia nostra prævaricari videamur, nisi commodum omissis ærumnis in hanc cogitationem incumbamus, ipsum in Christo vitam vivere longe potiorem ea, quam in terra vivebat: nam quod vulgo mori dicimus, obdormiscere est, abire, vel abesse, quemadmodum Tertullianum Florentem notare memini Christianis quondam exsequiis post soluta mortuo funerum justa conclamari solitum fuisse, abiit, et propediem revertetur, similem ad diem domini magnum, quo mortuorum, ac viventium sedebit judex: qui dies æque tunc erat in proximo, atque nunc est: æternæ quippe substantiæ, cujus neque principium est, neque finis, nulla sæculorum intervalla, nulla annorum spatia, nulla dierum discrimina considerantur, sed et sæcula illi in continenti, et anni in instanti, et dies in præsenti: omnia denique tempore fluunt in puncto: unde mortuos brevi surrecturos, brevi revicturos, ac reversuros cum legimus breve illud nobis diutinum si videtur, stuporis esse nostri fatendum est, qui divina humano, cœlestia terreno modulo dimetimur: at si mentis oculo sublimia illa nobis quæsita per Christum hæredis suspiciemus, profecto multa esse comperiemus, propter quæ desertis ac derelictis hisce mapalibus in illorum possessionem mitti, deque hoc ærumnosissimo Satanæ spelæo ad excelsos sempiternæ beatitudinis montes evadere postulemus: de cetero non esse, cur lugeamus subductum interim, quem credimus reversurum: nisi tamen homini lugere mortuum, vel potius absentem desiderare concedimus, in tantum ut humanitatem non exuat, qua exuta merito detestabilis et execrandus haberetur: faciamus itaque lugendi finem, vel certe modum, nec imitemur infantulos, qui quum inciderunt in lapidem, vano se rumpunt ejulatu, interea jacent afflicti solo, neque in altum se, ut erigant, connituntur: erigamus ipsi nos, et fidei nostræ bene ominantes pronunciemus, Nancæi spiritum, quum in infimis istis morari diutius tæderet, in cœlum, unde originem sumpserat, remeasse; lectissimum militem imperatoris accitu de præsidii statione maturius evocatum decessisse; diuturnam vitam, diuturnam esse imperatæ militiæ pœnam; præterea vitam quam vivebat non fuisse vitam, sed præceps incitatæ rotæ curriculum, sed bullam, sed vaporem, sed umbram, sed somnium umbræ; sed et vitam quamvis longissimam, immo omnium, qui sunt, qui fuerunt, quique posthac futuri sunt ætatibus cumulatam, æternitatis qua nunc fruitur Nancæus minutissimam esse particulam, vel si quid minutissima particula minutius cogitari possit: denique dolorem nostrum hoc sane solatio consolemur, quod sacra divinæ vocis oracula depositos in conditoriis quiescere, ac dormire quum ajunt, significant eos in adventu domini postmodum evigilaturos; ut quot in Christo dormiverint formosissima, gloriosissimaque immortalitate recorporentur, ac redanimentur, sicut ipse Christus, cum eoque jam olim complures in antecessum totius humanæ summæ resurrecturæ surrexerunt: narrent agricolæ semina terræ mandata dissolvi primum et putrescere, dein, aut in arbores frondescere, aut in spicas resurgere: norunt physici sanguinem communi liberorum quærendorum libidine primum in putridam seminis naturam decoloratum, exinde cumque locis genitalibus condi, mox in figuram humanam, divinamque imaginem efformari. Sunt qui putent de juvencorum morticinis, aut de bubulis ventribus fimo obrutis apum examina reparari; deque phœnicis ambusti ossibus nasci phœnicem decessore suo longe vivaciorem; quin et sericarii affirmant bombycinos vermes egesto, quod intra viscera digesserant, lanitio folliculis araneosis, velut sepulchris necydalos jacere, mox deque ruptis folliculis animatos volare papiliones; et vitrarii, fossiles arenas, aut vitrea fracta fornacibus liquata in perlucida vitri crystalla concrescere: nempe hæc est naturæ publica disciplina; dona sua intercipit, ut auctiora reddat, dilapidat, ut meliore reficiat, decoquit, ut ampliet, itaque bene de nobis speremus, et cum spe summa, tum majore etiam animo cogitemus, hominem divinorum operum potissimam partem, ne quidem cum moritur, interire: sed mori, ut nunquam postea moriturus resurgat hac fiducia freti luctum utique temperemus, et præpotentem rerum omnium conditorem, atque adeo naturæ totius præstantissimum artificem veneremur, ut lætitiæ, sic mœroris modus esse debet: nam et legum ipsi latores præscriptum luctui tempus anno terminavere; neque ultra fœminarum etiam in elugendo viro vota morari fas esse duxerunt: vana quidem et irrita apud sanctissimam Nancæi Gabrielidem indulgentia; nec enim alium sibi statuet viduitatis, aut lugendi modum, nisi quem Deus dederit vivendi: ut rarum fidei continentiæque conjugalis experimentum, quod jam Francisca soror Antonii Dallii conjux domesticum fecit, exemplo geminato quasi familiare fiat. nec postremum inter egregia virtutum exempla, quæ Renatus Batarnæus Francisci Batarnæi, et Franciscæ Maillæ filius, Imberti, et Georgiæ de Montecanuto nepos; et Isabella Renati Sabaudi, et Annæ imperatorio Lascaridarum genere prognatæ filia nobilissimi parentes nepotibus imitanda proponi voluerunt, enumeretur: a te hac etiam beatitatis parte felicem Nancæe, cui conjux in florentissimo venustatis vigore superstes votiva universæ sanctitate pareniat. macte Nancæe, cui sic abire licet gratissimo, abis quum maxime desideraris. et, sicut prudens orator, quum maxime places, ilicet, vos nobilissimi viri, me in verba præeunte supremum vale Nancæo dicite, vale Nancæe bene tibi omnes adprecamur: tu bene nobis omnibus adprecare: faxit vero Deus Dominus, et Salvator noster, cui soli gloria, magnificentia, robur et virtus in æterna secula. Amen.

Vernili dictus lingua satis ante placebat
Sermo, nec externæ vestis egebat ope.
Qui tamen est latio postquam donatus amictu
Jam magis incipit atque placere magis.
Hoc illi proprium decus arte Rigalt us addit
Eximia magni captus amore viri;
Dumque pio cineri dignos instaurat honores,
Auget et ipse suum dignus honore decus.

JACOBI CUJACII J. C.

DE CONFESSIONE,

ORATIO

Habita in Schola Bituricensi, Anno Domini MDLXXVI.

Nescio plane unde hic mos ceperit originem, ut quæ hoc ipso die in aliis fere omnibus Scholis solent esse partes Theologorum, eæ in hac nostra Jurisperitis imponantur: maxime cum in ea, ut est, et fuerit semper magna copia Theologorum, qui huic rei satis abunde sufficere possunt, nec quicquam causæ cur, quas ipsi obirent multo melius, quasque jam jam cedo libens, et decedo loco, si quis eorum suscipere velit, eas defungat tamen hoc die potius, et sibi præripi sinant, quam pridie Natalis Domini nisi forte, quod illo de Sanctissima Trinitate proponitur Quæstio, quæ omnino est Theologica: hoc vero die, quæ proponitur de Confessione privata et arcana communis videtur nobis et illis, propterea quod juris divini ea sit an juris humani, inter nos et inter illos curiose disputatur. Nam quæ juris divini an sit, Theologi certe est hac de re disputare, non Jurisperiti, qui ut quilibet de populo implicatam et involutam habet rerum divinarum notitiam, non explicatam et enucleatam illam, quam sibi merito Theologi vindicant. Quæ vero juris humani, an sit, Jurisperiti esse hac de re respondere certe negarem, quod prior potiorque sit Consultatio de jure divino, cujus soli Theologi peritissimi et consultissimi sunt, nisi scirem de ea jamdiu multos jurisperitos, bene volentibus atque etiam rogantibus Theologis, et scripsisse, et respondisse. Nec alia ratione putem hanc illos nobis dedisse, aut veluti conniventibus oculis permisisse provinciam, quam quod existimarent forte nos partem quæstionis de jure humano explicatius finire posse, aut quod rem inter ipsos controversam, controversiis alienis, et omni disputandi scrupulosa via longe abhorrentes, nobis mallent tanquam arbitris honorariis potius, quam justis, utcumque pro ingenio nostro dirimendam relinquere. Quibus, si ita est, pro mea parte, et pro mea sponte, quia nec cogi poteram, ultro ut morem geram, venia petita, et Deo in auxilium advocato, et omnibus, quæ dicturus sum subditis censuræ Ecclesiæ Catholicæ, simul ac testatus nihil sciente animo meo prolaturum me in medium, quod dissideat ab ea.

Quod hic Scholæ mos est, ut hoc die ex Jurisperitis in orbem, vice pari, suo quisque anno disserat de sententia cap. *Omnis utriusque sexus, De pœn. et rem.* et hic meus dicitur esse annus, meaque vicis aggrediar ad quæstionem de Confessione: de qua hujus capituli priore parte agitur.

Capitulum sumptum est ex Concilii Lateranensis, can. 21. sub. Innocentio III. Romæ habiti in Basilica quondam Laterani Cæsaris jussu necati, quæ et Constantiniana postea dicta est, ut D. Hieronymus scribit. Id vero Concilium cum fuerit omnium celeberrimum (interfuere enim in eo, et consedere innumeri) et ad hujus capituli intelligentiam multum prosit nosse, quæ præcipua cogendi ejus causa fuerit. Sciendum est tum fluctuasse Ecclesiam, et laborasse vehementer, primum ob scriptum quoddam Joachimi Abbatis, hominis minime hæretici, sed lapsi in uno articulo de Trinitate: et facile tamen concedentis in id, quod de sua opinione statuerat Ecclesia, ceterum pii admodum, et eruditi, ut ipsius scripta testantur, et ut opinio etiam erat, afflati divino numine, cum ei multa dicatur vere Christianis

præfatus de urbe sancta recuperanda sollicitis, et in commentariis in Esaiam, et Islebiam urbem Saxoniæ Martini patriam prædixisset, unde esset exituros pestilens spiritus contra Dominum: deinde etiam propter Almarici Carnotensis pernitiosissima dogmata, quæ magna ex parte retulit Martinus Polonus in suo Chronico, et damnavit quoque ea Concilium Lateranense, nec non et Joachimi libellum, *cap. 2. sup. de summ. Trin.* Præcipua vero causa Concilio cogendo fuere hæretici exorti in Gallia Narbonen. a quibus etiam fuisse Almar. Carnotensem quidam volunt: quorum quod fautor esse credebatur Raymundus Comes Tholosanus, ob eam rem omni execratione damnatis hæreticis, *C. excommunicamus, sup. de hæreticis*: et decreto Concilii Lateranensis fuit abrogatum jus Comitatus, et datum Simoni Comiti a Monteforti Almarici, quod est oppidum in agro Carnotensium, qui diu gessit bellum, filiisque suis veluti hæreditarium reliquit, adversus eosdem hæreticos. Nam ut idem sentiebant, quod hi, qui nunc contumeliosissime vexant Ecclesiam ex illis recocti, et redivivi, ita manu et viribus opiniones suas insinuabant, ut necesse fuerit Catholicis, et se partim, adversus illorum vim armis defendere, cui rei præfuit Simo; partim assidua adnunciatione Fidei rectæ, qua parte multum ea ætate præstitit S. Dominicus Hispanus, ex urbe Calagurra, et S. Franciscus Umber, ex Asisio oppido, quam quidam falso sumunt Propertii fuisse patriam, cum Amerinus fuerit non Asisinas. At vero fulsere tum commodo illa duo lumina Dominicus, et Franciscus, quæ resolverent, aut propellerent tenebras, quas illi inducebant in Ecclesia Dei. Cum autem inter opiniones illorum, et eadem valerent de Confessione, et Eucharistia, quæ occupavit hodie mentes plurimorum, qui repudium Ecclesiæ Catholicæ dixeruot, ideo Concilio Lateranensi ita hoc cap. decretum est: ut omnes fideles cujuscunque sexus, qui ejus ætatis sunt, ut intellectum capiant, omnia sua soli peccata semel in anno proprio sacerdoti confiteantur. Ex quo haudquaquam recte dixeris antea in Ecclesia Confessionis usum non fuisse receptum. Nam, ut ordiar ab incunabilis Ecclesiæ, quis nescit in Ecclesia fuisse primum in usu publicam confessionem, quam ἐξομολόγησιν vocabant, maxime post baptismum relapsorum ad paganismum, vel Judaismum; qualis est illa Ecebolii, πατήσατέ με ἅλας ἀναίσθητον, et eorum etiam, qui quid propalam admisissent, aut etiam privatim, quod ultro vellent prodere Ecclesiæ, salutis suæ certioris causa, quæ tanta fiebat dejectione animi, tanto lamento, suspirio, luctu, ut universa collachrymaretur Ecclesia, pœnitente prostrato humi, facie inculta, veste mutata, incompto capillo provoluto ad aras Dei, ad pedes sacerdotum, ad pedes singulorum, ambiente singulos, ut pro se elicerent misericordiam Dei. Vera pœnitentia, vera confessio; unde illa nomina, πρόσκλαυσις, ἀκρόασις, ὑπόπτωσις, σύστασις, quæ partes sunt, vel gradus ἐξομολογήσεως, ut exomologesis sive confessio, pars Pœnitentiæ, sicut contritio, et satisfactio, id est, pars sacramenti, non sacramentum. Post vero defervescente pietate erga Deum, hominibus de rubore suo sollicitioribus quam de salute, exomologesis in desuetudinem abiit, et in singulis Ecclesiis Orientis designatus est presbyter unus, qui dicebatur, ὁ ἐπὶ τῆς μετανοίας, vel ὁ τῶν μετανοούντων τεταγμένος πρεσβύτερος, cui sua quisque secreto delicta exponeret, is pro modo eorum irrogaret pœnam cuique, quam lueret ea lege, ut ad mensam Domini non accederet, nisi persoluta ea, sed inter pœnitentes consisteret, aut consideret nec enim ignoratis quatuor fuisse distincta suis locis regionibusve in Ecclesia Christianorum genera, competentes, auditores, fideles, pœnitentes *C. Audito, 34. dist.* In Occidente idem fere semper observatum fuit, rem totam peragente Episcopo, vel certo presbytero, qui Pœnitentiarius dicebatur, et eo ordine rituque, quem Hermias exponit lib. 1. hist. Eccl. At in Oriente hic religiosissimus mos non diu permansit. Nam auctore Nectario Patriarcha Constantinopolitano, et consentientibus ceteris Orientalibus Episcopis, rapta occasione ex abusu quodam, et casu nefario, qui per speciem confessionis, et pœnitentiæ evenerat in Ecclesia, et hoc quoque Confessionis genus exulavit ab Oriente, unoque permisso suæ conscientiæ: ut se ipsum quisque consuleret, exploraret, pertentaret animum, et sic etiam sine absolutione sacerdotis accederet, vel non accederet ad mysteria sacra, id est, ad mensam Domini, in qua exhibetur nobis verum Corpus, verusque Sanguis Domini nostri Jesu Christi, quo modo, respondet Theophilactus ἀρρήτῳ ἐνεργείᾳ. Samonas ἀρρήτῳ φιλανθρωπίᾳ, καὶ θαυμαστῇ οἰκονομίᾳ: sed ad rem. Quod de Orientali Ecclesia dixi, quæ Confessionem, quam tenuerat ante, perperam ejeravit, id proditum est in *cap. ult. de Pœnit. dist.* 1. quo legitur Græcos soli Deo confiteri sua peccata. At Occidentalis haudquaquam illi credula, non destitit perseverare in eo, quod per manus a majoribus traditum acceperat, nec pœnitentiæ indicendæ sacerdotem unquam exclusit: sed illo non sufficiente audiendis omnibus pœnitentibus, rei necessitas fecit, ut etiam cuilibet proprio sacerdoti sua cuique peccata confiteri daretur, et injungeretur, ut in hoc cap. quod ex jure divino haustum, qui dicunt multis magnisque nituntur argumentis, quibus libenter pervincor, ut adquiescam. Qui ex jure positivo, sive humano potius nonnullis, sed minime necessariis: ut merito damnetur glossa *de Pœn. Dist.* 1. *in princ.* quæ nec cordis contritione ait, nec oris confessione aboleri peccata, sed tantum gratia Dei: et in *cap. omnis, qui non diligit, eod. dist.* quæ non dimitti peccatum sine oris confessione, negat esse verum: et *de Pœn. d.* 5. quæ decidit confessionem oris esse δευτέρωσιν, sive traditionem Ecclesiæ, nec auctoritate niti scripturæ sacræ: quam glossam etiam Panormitanus sequitur in hoc capit. et alii plerique, et videtur idem judicium fuisse Gratiano, qui cum *de Pœnit. dist.* 1. hanc Quæstionem instituisset, an sine oris confessione, et arbitrio sacerdotis possit quis Deo satisfacere, eam indecisam reliquit judicio Lectoris, *c. pen. de Pœn. dist.* 1. ut vere possis dicere distinctionem primam de Pœn. non esse Distinctionem sed Quæstionem nudam. Quotquot tamen sunt hujus sententiæ, interea prudentissime monent, ne quis sibi blandiator, fallatve seipsum; Ecclesiæ non minus obtemperandum esse, quam Deo: frustra quæri agitari an confiteri sacerdoti debeat, et detegere sua peccata, hoc Ecclesiam præcipere, Ecclesiæ dicto audiendum, et auscultandum esse, non etiam audiendos Novatianos, vel his adsimiles, qui per hominem negant peccata posse dimitti: nam ut nos sacerdoti non confitemur tanquam homini, sed tanquam Deo, ita ille non dimittit nobis peccata tanquam minister Dei, non suo nomine, sed nomine Dei, ut Davidi post cædem Uriæ, et adulterium Bethsabeæ pœnitenti Propheta respondit; *Dominus abstulit a te peccatum tuum.* Alioquin, nec nos suo ministerio sacerdos faceret Baptismi compotes, in quo est remissio peccatorum. Quid enim interest, ut eleganter D. Ambrosius, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus datum sacerdotes vindicant? unum in utroque ministerium est. Sed inconstantes homines quam in baptismo amplectuntur, in Pœnitentia repudiant gratiam, et ut D. Pacianus ait. Remedium Pœnitentiæ contemnit superba Justitia: rectissime: nemo enim hæreticus est, in quo has notas facile non deprehendas atque perspicias: Fastidium, et abrogationem quorundam librorum sacræ scripturæ, et omnium sanctorum Tractatorum, sive Doctorum maledictionem, et contumeliam quamque turpissimam, inter philosophorum sectas, eam tantum quæ omnium deterrima erat, puta Epicureorum, legimus abundasse conviciis, et ceteras omnes modestiores et humaniores totis voluminibus concidisse. Socratem parentem philosophiæ scurram Atticum vocasse Chrysippum nunquam nisi Chesippum per dericulum. Ad hæc nullus eorum qui non vi, et armis experiatur, spirans minarum, et necis, aut illecebra aliqua utatur licentioris, et securioris vitæ, nullus qui non exuerit omnem charitatem etiam erga suos, qui non κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, hoc est, ut D. Paulus ait, principiis tantum fretus mundanæ naturalisque rationis, nihil spectans ad ea quæ supra naturam sunt, supraque captum mundani hominis, et probabilitate artificiosa dicendi quadam, quam idem πιθανολογίαν vocat, suas opiniones inserere, et Catholicas evellere conetur, nullus qui non insolenti jactatione quadam, et timore Dei insuperhabito, justum se esse prædicet, et mundum. Quam Pacianus superbam Justitiam vocat. Hæ sunt hæreticorum ut perpetuæ, et certissimæ notæ. Sed in ea parte quam tractamus de oris confessione, quæso peccator mei similis, imo me minor memineris eum qui nos solvit religione confessionis, et purgationis quæ fiat sacrificio, et manu sacerdotis, ut D. Cyprianus loquitur, claves Ecclesiæ datas intervertere flagitiose, et fenestram aperire flagitiis omnibus. Et serva obsecro atque percense, quot confessionis desertio atque contemptio pepererit stupra, quot furta, latrocinia, homicidia, et quid non pravi atque prævari? Et quæcunque veteres scripserunt de Exomologesi cum Græci tum Latini, si vis in hac parte sapere aude transferre ad confessionem arcanam qua utimur quia hæc in illius, mitior scilicet in severioris locum: et ex eodem fonte scripturæ sacræ manat utraque, ritus tamen, et forma est ex jure positivo, sicut et quod habetur in hoc cap. ut semel anno quoque omnes sua delicta proprio sacerdoti confiteantur, illud inquam, omnes, quo nullus excipitur: D. Thomas ait, esse ex jure positivo; Jure enim divino eos tantum, qui sunt in reatu criminali apud Deum, huic alligari decreto. Et quod dixi sublata confessione, aperiri viam maleficiis omnibus, et qui non reveretur suum sacerdotem, et senim desinere revereri Deum: idem quæso audi dicentem Hermiam post sublatam a Nectario in Oriente confessionem: πρότερον ὡς ἡγοῦμαι μεῖον τὰ ἁμαρτήματα ὑπῆρχε αἰδοῖ τῶν ἐξαγγελλόντων τὰς σφῶν αὐτῶν πλημμελείας, καὶ ὑπὸ ἀκριβείας τῶν ἐπὶ τούτῳ τεταγμένων κριτῶν, id est, minus antea delinquebatur cum propter pudorem eorum, qui peccata sua confitebantur, tum propter severitatem, et diligentiam sacerdotum, quos adibant rei absolutionis consequendæ gratia. Volo etiam te scire, et ex illis qui Ecclesiam Catholicam nuntium miserunt, quosdam approbare confessionem, quam nostra servat Ecclesia. Erasmum dico in commentariis ad D. Hieron. in Epitaph. Fabiolæ, scribentem, secretam admissorum Confessionem Ecclesiam salubriter instituisse, si modo fideliter, ut etiam cavetur hoc cap. ea utatur populus, et sacerdos. Et Melanchthonem variis locis, qui Absolutionem privatam necessariam esse sicut Baptismum. Quoniam testimonium est remissionis peccatorum, alio impium esse ex Ecclesia privatam absolutionem tollere, neque quid sit remissio peccatorum, aut potestas clavium intelligunt, qui privatam absolutionem aspernantur: alio, podest retinere in Ecclesia Confessionem propter absolutionem, et disciplinam: quia per eam occasionem indocti audiri, et commodius institui de tota doctrina possunt, et indecorum est, prorsus inexploratos accedere ad Communionem: et item alio, prodest assuefacere, ut quædam peccata enumerent, ut doceri facilius possint. Nec jam hæc res mihi ampliores testes, maxime apud vos desiderare videtur. Et esto hujus sermonis igitur extrema clausula, quod ad delictorum, si sani esse volumus, voluntariam Confessionem nos omnes cohortatur distichon Greg. Nazianzeni.

Χρῄζων δὲ παθέεσσιν ἀκέστορος, ἣν κατὰ κεύθῃς
Οὔποτε τηλεδόνα φεύξεαι ἀργαλέης.

Hoc est,

Cum medicum poscunt tua vulnera, si tegis illa,
Non vitare queas pestiferam saniem.

fio Virg 3. *Georg.* . . . . *Alitur vitium, vivitque tegendo.* Hoc etiam eleganter expressit Sedulius Presb. *his versibus*:

. . . Magna est medicina fateri
Quod nocet abscondi, quoniam sua vulnera nutrit
Qui tegit, et plagas trepidat nudare medenti.

DEO SIT LAUS.

JACOBI CUJACII J. C.

DE RATIONE DOCENDI JURIS.

ORATIO.

Habita in schola Bituricensi An. Dom. M. D. LXXXV.

Quod impositum mihi laboris, et officii in aperienda Schola, ut nunc quod quasi totius Collegii hujus munus exsequar, id memini me jam olim subiisse sæpius, et quidem cum voluptate quadam, atque alacritate, et excelsitate animi, cum melior mihi ætas suppeditabat ea inopia forte rerum, ut fit, majorem verborum copiam. At in mala hac quam gero, copia rerum aliquanto major, multum decessit ex verbis; ut quorum satis magnus est fructus in sensibus, eorum plerumque in verbis parvus suspectus esse solet. In me certe obtorpuit plane omnis illa vis ubertasque dicendi, et quæ olim velut torrens concitatissimo ferebatur oratio, hodie velut placidum flumen sedatissime fluit. Quo fit ut nec ea argumenta, maxime quæ in medio posita, et nullius non sermone celebrata facile perorando suscipiam: rara fugientiaque consecter libentius. De laudibus igitur Jurisprudentiæ, quo argumento hoc ipso die in scholis nullum est frequentius, dicere pudet pigetque. Nam præterquam quod vulgaris ea materies est, nullam in me sentio facultatem, ut rem tam excelsam, tamque divinam pro dignitate qua exsplendescit, verbis augere, vel æquare, vel ornare possim: detriverim potius ex ea aliquid, si tentaverim. Hujusque rei etiam metu ab ea me sperno penitus, et alia re quacunque tali quæ sui magnitudine minuendi metum faciat: amplificandi vero spem omnem auferat. Sed et illud, quod non minus frequenter hoc ipso die versatur in Scholis de ratione docendi et discendi juris, ad meum animum non respondet. Quot enim hac de re sunt judicia doctissimorum hominum, quot publice evulgatæ sententiæ? et variæ quidem omnes, nec consentientes invicem; suam quisque quam putat optimam affingit methodum, modumque. Nec enim negari potest, quot capitum vivunt, tot viarum patere ingressus ad capessenda artium omnium studia. De fortuna dici solet, unumquemque esse fabrum suæ fortunæ. Idem de methodo usurpare licet, suam sibi quemque fingere methodum: et artem quidem unam esse, quæ ostendit, quid sit bene docere, et quid sit bene discere: ceterum, viam non esse unam bene docendi, beneque discendi verum ut quisque artem docendi et disserendi apprehenderit, ita pro captu suo eam sibi aperire, ac munire viam ad eam rem. Nec igitur eum tantum, qui artem tenet, quam profitetur, sed etiam, qui artem illam asservat, quam qui tenent, eruditi appellantur: vel si non hanc quoque, saltem rationem rectam sensumque communem: fateor enim sine illa Jurisconsultum aliquem reperiri posse, ut de Trebatio legimus, in quo ars illa non fuit. At vero sine sensu communi, neminem unquam Jurisc. extitisse persevero, atque confirmo, ac propterea posse illum, ut Trebat. magno usui esse, quod etiamsi non habeat quomodo dicat, habeat tamen, quod dicat: hunc, qui sensu communi caret, quod neutrum habeat, tanquam humentis auribus inutilem, procul amandandum esse. Verum cum ex his, quæ dixi paulo ante, liqueat satis, nullam esse certam et unicam rationem docendi, aut discendi juris, aut si quam quis sequatur, quæ eadem etiam sit optima, non esse eam διδακτικὴν, quod et de omni virtute Socrates affirmat, nec posse monstratam ab uno, facile percipi ab altero, alioqui frustra sit si quis in ea, quam novit, et sequitur, commonstranda aliis non eodem, sed si quo majore, aut minore ingenio præditis aliam omnino sibi ab animo viam sternere, et communire parat, is futilem et inanem, quæ nimirum cedit in vanam, navarit operam. Inanem quidem hoc tempore, quod ipsum, ut labitur, exigere videtur, si opera est auribus, ad vos, quod obiter attigi supra, paulo sollicitius, liberiusque de eo instituere sermonem: nempe de iis, non quidem omnibus, sed de maxime necessariis, quæ in eo, qui juris interpretandi curam suscipit, desiderari et servari debere videntur. Jamque igitur, si licet per vos, hanc mihi causam agere, legi illum vellem a principibus rerum dominis, ut antea factum est hac in Schola, ut fit etiam in aliis plerisque celeberrimis Italiæ et Germaniæ. Nam præterquam quod viles se fecerunt, qui ultro munus adierunt, plerumque videas, non nisi imperitos sese inferre, imperitis facientе confidentiam: cum ex diverso summa eruditio non mediocrem metum faciat. Imperitorum attrita: peritorum mollis et imbecilla frons est. Sic fit, ut illi efferant se scientia Juris, quam animo præsumpserunt, non alia: hi, exemplo Socratis, nihil se scire profiteantur, nisi nescire: illi nihil non audeant et tentent; et quæ monstra hodie non pariunt? quæ monstra non ferunt? hi contra hoc solum agunt, ut assequantur majorum ingressus, nec temere ab eorum prudentia desciscant, ac præceptis, quæ tanquam fundamenta quædam posuerunt disciplinarum omnium. Denique audor omnis hisce bonis et cordatis viris hodie in hoc, ut aperiant, quæ illorum temeritas abstrusit, atque damnavit: restituant quæ corrupit atque delevit. Quæ omnia cum sint manifesta, satis fidem faciunt, quam multum longeque distent, qui honores sequuntur, nec appetunt, ab iis qui appetunt, nec sequuntur, quique adeo importunitate quadam animi præsentis, modo hunc, modo illum, totis viribus in doctorum sedem, qui honor est non minimus, aut furtim irrepere, aut violenter irrumpere conantur. Itaque non immerito, ut legantur publice, vel sublegantur, nec ambientes, aut cogitantes quicquam de se, commodisve suis desidero, imo et posco, ac flagito: laudis, honoris, et gloriæ satis habet, habebitve, qui fecerit recte, nec quæsierit quicquam amplius; alioqui, me auctore, vel subscriptore, nemo eons unquam aliter optaverit. Mores enim imprimis ejus spectandos reor, qui optandus e multis et quasi edecumandus est. Nam si doctrinæ non respondent mores, quis quæso fructus ad studiosos perveniet poterit: quemve juris præceptor, qui capturam quærit, et lucrum duntaxat spectat, fructum serat, quem demetant alii, qui non alii studet, sed sibi soli? ac ne sibi quidem, ut plus eo melius aliquid sciat, sed ut facultates suas augeat. Quare fit, ut eam quoque artem, quam tractat, tractet inconditе, infeliciterque, ne dicam turpiter et fœde. Exemplo nobis sunt medici, quos fere omnes transverse agi immani et effrenata habendi cupiditate, consentiens fama est. Quæ ex eorum opera, nisi perraro, aut fortuito magis, quam arte, ad ægros sanitas et levatio dolorum? Quæ non labes potius, ac pernicies; quot conjuges, parentes, liberi, ut cum Accio loquar, orbificantur pernici letho et tabificabili? Nempe quia avaro quicquid agit, non potest non infeliciter succedere: quia cum Deo nihil agit: et, ut ait Euripides, Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον, οὐδὲ βούλεται. Vitium hoc certe, quod cæterorum Metropolis esse dicitur, in juris professore teterrimum et fœdissimum est, quem nobilem, vel, si genere jam nobilis sit, nobiliorem, juris scientia facit, ut de Salvio Juliano legimus, jurisprudentiam nobiliorem eum fecisse, quam majorum claritatem, vel præclare gestos in Rep. amplissimos honores. Verum, ut cetera, quæ desidero, quæve res ipsa desiderat, sequar: et illum quoque a nostro ordine arceri volo, qui indocilis est, qui comperto, vel indicato errore aliquo, sibi dissimulans sustinet esse conscius, contra quam fecerunt potiores, qui sunt auctores juris, Scævola et Papinianus, quibus pudori non fuit mutare, quod multis annis non senserant modo, sed et approbaverant. Quod et de Hippocrate refertur, et M. Tullio, qui jam editos suos libros, veluti Catulum et Lucullum, postea damnavit. Et omnino ita res est, nonnisi qui melior et doctior facile mutat sententiam in melius: quia nec unquam sibi ipsi satisfacit, imo calumniatur sæpenumero et subinde damnat seipsum. Idem quoque in Doctore nostro requiro, ut nihil unquam tradat obscure in jure, quod non redigat ad æquitatem et facilitatem juris, et ut tradat patefacta ratione, quæ et juris animus et medulla dicitur, clare et perspicue. Quo enim mihi juris interpres, nisi ait in eo, quod in poeta Aristoteles exigit, τὸ τίθεσθαι τὰ πράγματα, sive res palam ante oculos ponere, et in bono lumine. Quid enim σκοτεινοὶ illi Heraclito similes, nihil nisi cruces atque tormenta? quid item turpius, quam id esse ipsum obscurum, quod in eum solum adhibetur usum, ne sint cetera obscura. Ab his nebulis nebulonibusque dicti sunt procul dubio nodi juris dicta legum ænigmata, non a legum conditoribus, auctoribus nostris, in quibus facilia omnia, perviaque comperies, si exotici nihil admiscueris, si inde veluti ex fontibus, aquam vivam hauseris, nec lacunas, aut lamas consectatus fueris. Namque ut ait ingeniosus Poeta:

Multum crede mihi refert, a fonte bibatur
Quæ fluit, an pigro quæ latet unda lacu.

Et faciliora quidem in jure ad intelligendum, lucidioraque Dei beneficio, hodie omnia nemo est tam cæcus animi, qui non videat et sentiat, cui modo libido fuerit uti Pandectis Florentinis, quorum castissima scriptura factum est, ut magna pars conciderit Commentariorum inanium, quæ Doctores Itali (hujus enim secta pauci sunt Germani et Galli) glossis adjecerunt, quas alioqui per se solas plurimum commendat docta, et concisa brevitas. Glossæ inquam, ut vulgus loquitur, ut proprie loquar. Scholia sunt, ut Fabius docet, interpretationes linguæ secretioris, sive vocum minus usitatarum, quæ verbum pro verbo reddunt; ut glossæ Philoxeni, glossæ Isidori, glossæ veteres, quas Sosipater sæpe in testimonium vocat. Scholia hoc amplius, et similes, et in usum, vel speciem dissimiles locos notant et distinctiones varias atque sententias priorum interpretum, Irnerii, Joannis, Jacobi, Ugolini, Bulgari, Rogerii, Cypriani, Martini, Placentini, quorum magna pars fuit in Concilio Friderici I. Imperatoris. Et ex his quidem distinctionibus sententiisque variis, et si fieri non possit, ut plus una vera sit, utile tamen est in ea quærenda, tum in excutiendis ceteris exercere et excutere se, atque ita complura me Scholia legisse profecto non pœnitet, qui fugi semper Doctores longe lateque recedentes a Juliano, Papiniano, et Scholiorum quoque illorum auctoribus, qui verbis ad intellectum rei, qua de agitur, ultra quam satis est, utuntur. Absit igitur et hæc Scholia (quod faciunt quidam male sani et inexperientes rei quam tangunt) comparem panno insuto purpuræ. Sed ne longius abeam, fateor, jus etiam civile lucidius effecisse plerosque bonos auctores majoribus nostris invisos inauditosque: simul et eos, qui eorum usum introduxerunt, et congruentibus locis juris accomodaverunt. Ingratissima hæc ætas est, nisi concedat, et Deo omnipotenti gratias agat, qui ut ceteras, ita et hanc nostram disciplinam luce et spiritu suo complere voluit procul fugatis tenebrosis interpretibus: ut quod de medicorum Græcorum doctrina

dixit M. Cato, jam satius suaviusque sit eorum literas inspicere, quam perdiscere. Nondum pertexui quæ sum exorsus: Nam in parandis insuper his, quæ juris professor in Scholam adlaturus est, summam diligentiam in tradendis, summam religionem et fidem requiro: ceteroquin nihil patefacere, nihil comparare sibi vel studiosis poterit: sibi enim nullum nomen, studiosis nullum aut modicum certe fructum: quinimo de suo nomine damnum fecerit aliqua ex parte, de studiosis in assem, qui in curia et negligentis professoris commoti, præsertim qui eximio et illustri ingenio pollent, inde sese proripient, et ad professores amœnioresque literas mittent, ut de seipso Ariostus lectissimus ille Poeta conqueritur, hoc fere sensu: ignavia, inertia, et incuria, ne dicam spurcitia, me prorsus jure docentium conspurcavit: nec patienter ferens, subduxi me protinus, et addixi Camœnis, a quibus benignissime sum exceptus. Ea removeor, et tangor ad suadendum, ut nunquam quisquam juris professor quicquam afferat in Scholam, quod non exquisitim cogitaverit et ponderaverit rationibus omnibus. Nescio ut alii se hoc in negotio gerant. Equidem ego Periclis Atheniensis exemplo, tacere malim, quam ἀσύντακτος, sive imparatus, prodire in publicum: tanti est apud me multorum annorum sudoribus et vigiliis collecta existimatio quædam, ut ejus nolim in hoc puncto temporis periculum adire; quod et ceteros sequi non solum suadeo, sed etiam rogo: sicut præceps cuique fama, quæ vere sola gloria nominari potest. Cum sint ad hæc multa alia, hæc sunt præcipua, quæ juris professori inesse meus optat animus: cujus voti adeo sum avarus, ut tamen nec ullum putem reperiri posse, in quo perfecte omnia sint; desiderio et cupiditate boni publici exuperans vires. Quin et deberem adversariorum (quorum forte non parvus numerus) dicta refellere, qui mihi in his, quæ dixi, gestiunt magis, quam possunt occurrere sermonibus. Verum huic parti exsequendæ pro suo merito hæc clepsydra nequaquam sufficerit, quæ jam pene tota exinanita est. Eam igitur ad aliud tempus reservabo. Nam vobis, meo judicio, satis erit, si ad extremum hoc præcepero, quatuor, aut summum quinque in Juris professore requiri; artem dicendi et disserendi aut quod huic sermoni prævertit, naturæ saltem communem sensum, et perspicuitatem, docilitatem, ac quod caput est, viri boni mentem et speciem: uter enim ex duobus pluribusve dicetur melior mihi homo, is utique mihi erit et doctor melior: ac postremo legitimam electionem, et in hac re consentiens collegii judicium et municipum civitatis, quorum est accire, et nominare Doctores; illorum est intueri et observare ne qui irrepant intrudanturve, qui ab iis, qui jam probati et selecti sunt dissimiles sint, his præsertim moribus et temporibus. Nam et certe novimus, exemplumque sequimur libenter Scipionis Æmiliani, cui cum in Censura datus esset collega homo clumbis et enervis vitæ, pro rostris dixit, se ex majestate popul. Rom. omnia gesturum, sive sibi cives collegam dedissent, sive non dedissent. Ne qui etiam supra justum numerum, cum et hoc tempore ærarium civitatis plures ferre non possit, admittantur. Justus, imo legitimus numerus, qui conficitur ex tribus: idque constat, cum ternarius sit initium multitudinis: unde et tridentem τριαίναν Dionysius dixit πολυπίδακα: idemque in Asia multiplicem Oceanum, qui tres duntaxat ibi sinus habeat. Verbum quod iis addam amplius non suppetit, nisi, solemne illud quod debemus Deo optimo, maximo Majestatem ejus, venia petita, supplici votivoque pectore adorantes, ut hoc maxime tristi et exulcerato tempore, nos et studia nostra commendata habeat: utque pace sua rem summam locet in solido et tuto: nosque pro sua clementia dignos habeat quos exaudiat, per Jesum Christum Dominum nostrum. Cujus rei ergo, si placet, in eum locum nos conferamus, qui hujus Scholæ et Universitatis supplicationibus præcipue dicatus et destinatus est.

Recitatio de Pœnitentia habita Biturig. in scholis publicis ante Paschæ festum anno 1587.

Hoc in more positum est, ut hoc ipso die quotannis quisque nostrum vice sua interpretationem faciat cap. 12 *de pœnit. et remiss.* id quia mihi denunciatur hodie vicis est mea partium mearum, et *novorum est* (ut ait Ennius) *imperium servare induperantum*: volui et ipse non ignavus defungi partes easdem, non quidem ut Theologus omnino, verum si lubet mage, ut interpres juris: neque item fune in longum protracto, sed si, et hoc quoque placet, distento, brevi. Ac primum quidem admonebo constitutionem hujus cap. esse ex Concil. Lateranensi Romæ habito sub Innocentio III. quo tempore Albigensium secta grassabatur in Galliis Narbonensi, quæ hodie ubique gentium multa multis facessit negotia, multasque turbas excitat, quæ esta non *sat bona*, et non tantum civilia, imo et hostilia bella concipit et excitat, et cum inter cetera ea gens valde infidelis insultaret iis, qui submisse in aurem sacerdotis, quasi Deo præsente, sua non erubescunt errata confiteri, et certo sibi persuadentes erranti optimam medicinam confessionem esse, statim initio huisce synodalis Decreti constituitur, ut omnes fideles si tam præclari nominis omnimodo salutaris perfrui velint, sua peccata confiteantur, si non pluries, semel in anno, saltem singuli proprio sacerdoti omnes cujuscunque sexus, non item omnes cujuscunque ætatis: nec enim *impuberes doli impotentes, quorum*, ut poeta quidam ait, *nondum implevere medullas nativæ nequitiæ*, hoc decreto continentur, et proprio sacerdoti, id est, parrochiano sacerdoti, vel etiam voluntate parrocchiani sacerdotis parrochiano, inquam, non diœcesano Sacerdoti, quia non omnes cives, qui ex plebe, quique ex ordine clericali, sed qui ex *ordine tantum ut lege antiqua consistat cautum his verbis: Præcipimus ut quilibet clericus suo prælato debitam reverentiam exhibeat, et eidem prælato, et non alii confiteatur*, nisi ex consensu sui prælati, et ab eo veniam petatur. Peccata autem proprio sacerdoti constitutum est ea tantum nominatim, distincte, et enucleate confitenda esse, quæ majora sunt, veluti homicidium adulterium, perjurium, non minora, quæ oratio legitima, ut Ausonius vocat, oratio dominica, et pleraque alia remedia facile delent, quæ ut est in constitutionibus Simphridii Archiepiscopi Coloniensis summatim, sive generaliter, et perfunctorie commemorare satis est, quæ, ut in Tridentina Synodo, gratiam Dei non excludunt, et prætermitti citra culpam possunt, eis sunt qui adjungant originalia, quorum abolitio lavacri Sacramentum est. Ergo et cetera, quæ alia quacumque ratione perempta sunt. Porro confessionem sequitur pœnitentia, quam sacerdos pœnitenti indicit, injungitque veluti pro pœna et coercitione delictorum, eorum denique sub lege subeundæ pœnæ absolutio, venia, id est, meritæ aut debitæ majoris pœnæ remissio, quam eleganter et significanter Tridentina synodus ait, divini esse beneficii: Dei enim solius est remittere peccata, et misericordia nobis obvenientia per Jesum Christum Dominum nostrum dispensationem esse. Iis mox succedit sine quo hæc, quæ dicitur vita, certe vita: non enim saltem paschate quolibet annotino, quo munere sæpius percipi sanctius esset summum illud et admirabile εὐχαριστίας καὶ εὐλογίας sacramentum, τελετῶν τελετὴ, ut Dionysius Areopagita vocat, sacramentum sacramentorum quod nempe fit ἀῤῥήτῳ ἐνεργείᾳ, verba sunt hæc Theophilacti, cum nobis sit ipsum corpus Domini nostri Jesu Christi, et bibitur sanguis. Re nimirum tanta confecta iis sanctissimis, et solemnibus verbis: *Hoc est corpus meum*, sanctius, et solemnibus, et summa cum reverentia excipiendia nunciandisve. Sed quid? nulla sunt verba Domini hodie excepta majore cum distortione, et varietate. Quot enim sunt ejus oraculi voces, tot iis sunt adnati errores: aliis primam vocem accipientibus δεικτικῶς ac si tum seipsum Dominus discipulis digito monstrare: aliis secundum signum ex Augustino, si credere dignum est. *Nam ex eo*, inquit, *quod scriptum est* (Deuteron. 13 23.) *sanguinem pecoris animam ejus esse, præter id quod supra dixi, non ad me pertinere quid agatur de pecoris anima, possum etiam interpretari, præceptum illud in signo esse positum*, mox addit: *Non enim dominus dubitavit dicere: Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*: adv. Adimantum cap 12. ejus loci longe, ac putent, sensus alius est, denique viderint, qui in hanc scientiam potissimum profitentur: alii vero corpus τοπικὸν intelligentibus, aliis νοητὸν, quos omnes refellunt Evangelistæ, qui non *corpus* simpliciter dicunt, sed *corpus quod pro vobis datur*, vel *frangitur*, et hoc poculum nullo alio adjuncto verbo. Itemque D. Paulus cum de iis loquitur, qui ὥσπερ αἱ ὕες, si hac in re licet verbis Theocriti uti, *irruunt ut sues ad mensam Dominicam, non dijudicantes Corpus Domini*, id est, non advertentes, in eo apponi cibum sine pretio pretiosissimum, verum corpus Domini ineffabili quadam benignitate Dei, quam in aula proceribus Græcia vocat ἄῤῥητον φιλανθρωπίαν: et tanti hujusce misterii veritatem ex pluribus miraculis, quibus ea comprobatur ab optimis auctoribus, unum hoc loco referre juvat ex hoc jure Pontificio, nempe ex Constitut. una Alexandri III. quæ extat in 2. collect. Decretali quam condidit Joannes Vallensis Volaterranus. Mulier quædam veneraris dum virum suum impotenti amore deperit, ut et vicissim illa sibi mutuum redderet, exceptum ore Corpus Christi, exceptamve coronam; quo nomine destinatum ac pene jam dedicatum sine fermento panem plerique designant, Damasus, Ambrosius, Gregorius, quasi et is panis valeret ad conciliandum, vel augendum amorem, ac proinde in veneni usum, ut mancipia pleraque Diaboli factitant etiam hodie, et in iis non pauci, quod dicere animus abhorret, hodie et concessu ordinis convenientibus Episcopis panem illum abutentes in maleficia omnia. Verum ne a cœpta narratione deerrem, cum mulier illa panem ore contineret avide deosculata complexaque est virum, qua re perfecta panem deglutire cum niteretur, non potuit versum jam in carnem, et faucibus hærentem pertinaciter. Quo de casu mulieris in miscentis jam et sententiæ manum Domini consultus Alexander, respondit, non alia ratione posse isto malo defungi, et liberari mulierem, quam expiato tanto facinore arctæ cujusdam, et continuæ pœnitentiæ, jam tum ori Fidelium indebatur Corpus Christi, quod, ut ita fiat, etiam cautum Concilio Rhotomagensi, non trudebatur de manu in manum, ut olim, sicut ex eo intelligere licet, quod de alia muliere Cedrenus scribit, quæ manu acceptam εὐλογίαν ut vocant, de manu Chrysostomi servandam dedit ancillæ, et ex Cyrillo, et Cypriano, et aliis plerisque: sed de iis jam, ut opinor, satis: alia vice persequar cetera, quæ restant ex hoc cap. 12. post ferias autem, quæ supersunt de 2. decret. absolvam, nec antequam id fecerim revertar ad jus civile.

ORATIO

JACOBI CUIACII J. C.

Publice in Academia Valentina Cavarum habita cum utriusque Juris Laurea dabatur Georg. Haloandro Spirkerman Orientali Frisio.

Multæ causæ sunt propter quas Deo immortali laudes gratiasque agere convenit, doctissimo Haloander. Nam si me pateris dicere, quæ novi de virtute et felicitate tua, dicam in hanc usque ætatem, in qua tu es, æqualis tui et popularis fere nullius vitam fuisse fortunatiorem. Tu in adolescentia, cujus viæ sunt adeo lubricæ, ut insistere his, aut ingredi sine casu aliquo illis vix possit, ita te ges-

siati, ut in reprehensionem aut vitium nullum incurreres, quo pietas, vel existimatio læderetur tua, quovo asciderea prorsus timore gratiaque divine; in hac fuisti, hanc invocasti, implorasti, tenuisti, hæc veluti manu duxit te, et conservavit in hunc usque diem semper. Et cum in eo primum eras ut deligeres certam rationem vitæ, eadem iodicavit bonas literas, singularia dona Dei, quibus invigilares. Ha tu in Germania eductus excultosque, mox juris legumque studiis totum animum admovisti, nec satis habuisti, ea qualia essent in Germania prægustare, sed Galliæ etiam Antecessores, et Italiæ quid possint tentare libuit. Ego te Biturigis sæpe quanquam flagrantissimum servari recitationibus mirabiliter incendi, nec ut te habuerint post Italicæ, ullum mihi de te inquirere curæ pretium fuit, cum non ambigerem, quin quas meliorea offendisses in Italia, eæ quoque te inflammasseat magis, ac tandem etiam perdusissent ad finem ipsum, quo studia referabas: ad peritiam summam utro malles munere fungi, vel docendi, vel reddendi juris. Cujus tamen ut priusquam specimen ederes, et præmia reposceres, referresque debita, quod ego bonum factum magnopere laudo, voluisti et Græciam videre genitricem literarum, omnium, et præcipuas insulas Mediterranei maris, Corcyram, Cephaleniam, Zacynthum, Cretam, Cyprum, ac inde etiam trajicere in Palæstinam, appulisti Joppen civitatem Palæstinæ antiquissimam, quo itur Hierosolymam, ad quam tu iter potissimum instituebas, et in qua perquam suave fuit sepulcrum videre Domini nostri Jesu Christi, et illa non longa natale solum ejusdem, at Cæsaream et plerasque alias Palæstinæ civitates, quo in itinere, ita omnia tibi prospere et feliciter evenere, ut parvo sumptu, et citra periculum tempestatum omnium et impressionum exsors, quibus cum mare, tum terra omnia illa infesta sunt nimis, Venetias unde solveras salvus, sospesque redires. Quis non audiens facile credat divinum tibi numen præmonstrasse viam? Quis non ex eo argumentum ducat pietatis tuæ, ac pietati simul divinitus adjunctæ fortunæ? Porro, reverso in Italiam nihil aliud supererat, quam ut agerns cum Professoribus juris de emerito studiorum tuorum: at noluisti, at nondum patefacto in Galliam libero aditu propter infandos, innominalesque tumultus. Amamus te de isto animo: te servasti nobis quoad detumescentibus, paratisque rebus non convenire tutius posses. Quoad ut Deus obtulit, et convenisti mox et aliquandio hic nobiscum commoratus, studiaque pristina tecum ipse recolans, hodie Collegio te nostro probandum dedisti; vix aperuisti os, vix, ut ita dixerim, frenum momordisti, et statim omnes voluerunt te, suscipere, quid admirari, laudare, doctoratus honore, eo quem detulerunt dignissimum judicare, dignissimum ornamentis solemnibus, quæ etiam, ut de manu nostra sumeres, concesserunt, pileo, annulo aureo, cingulo, cathedra, libro. Est profecto, ut dixi initio, quod Deo immortali ob hæc omnia grates agas, et donum etiam tantæ felicitatis ergo feras, voveasque in posterum, vitam, scilicet, mentemque puram, integram, castam, vitam similem superiori, mentem eam ipsam, quam gessisti ante. Debemus et nos ob hæc laudare Dominum, et tibi gratulari animo lætanti, amplexu etiam, aut si quo alio indicio adsimili significare, quam nos delectet virtus hæc, eruditio, dignitas, felicitasque tua. Vale Dilecte Deo. Gratia Dei nostri, et Domini Jesu Christi permaneat tecum semper.

Libri, ex quo hæc Oratio desumpta, hæc est inscript o Hugon. Donelli Jurisc. Opuscula Postuma, et aliorum quædam ex Bibliotheca Scipionis Gentilis Jurisc. Hannoveræ typis Wechelianis apud Claudium Marnium, et hæredes Joannis Aubrii, 1604

CONSULTATIO

JACOBI CUJACII

PRO REGNO PORTUGALLIÆ

EX BIBLIOTECA PUTEANA

Henrico Rege Portugalliæ vita decedente sine liberis, at sine agnatis, superstitibus tamen cognatis, qui scilicet per fœminas ei conjuncti sunt, puta Philippo Hispaniarum Rege Filio Sororis, et Rainutio Farnesio Nepote Fratris ex Filia Principe Parmæ; cum quæreretur uter potior esset in successione Regni, Philippus, an Rainutius; dicebam si legibus aut moribus Regni, de quo agitur, etiam post mores fœminis, et cognatis, qui per fœminas conjunguntur, nec idem nomen, eamdem familiam, easdem imagines, eademve insignia habent, patet aditus ad successionem regni, Filio sororis qui est 3. gradu potius, quam Nepoti Fratris ex Filia, qui sequentem gradum occupat, deferri successionem. Quod si leges aut mores regni fœminas, et cognatos per fœminas non admittunt ad successionem, neutri eam deferri, et jus creandi vel confirmandi Regis finiendæque totius controversiæ proprie ad summum Pontificem redire, nisi Henricus Rex forte sibi, vel Rainutium, vel quem alium Principem testamento, vel inter vivos successorem adoptaverit, eamque adoptionem S. Pontifex confirmaverit, vocatis his quorum interest.

Hujus responsi tria sunt capita, quorum priore nihil certius, quia cum proximitatis jure eos, qui proprio nomine cognati appellantur, quales Henrico Regi sunt Filius Sororis, et Nepos Fratris ex Filia, ad successionem vocari constet, *l. Avunculo. C. communia, de success.* et Henrico, de cujus successione quæritur, Filius Sororis gradu proximior sit, quam Nepos Fratris ex Filia, consequens est in successione ejus huic illum præferri. Idem Filius Sororis etiam potior est jure repræsentationis, ut vulgo loquimur, quod non habet Nepos Fratris, quia id tantum Filiis Fratrum datur ex Novella Justiniani, cum agitur de successione Patrui, vel Avunculi magni, et Henricus Philippo est Avunculus, Rainutio Patruus magnus, quia Matris Rainutii Patruus, *l. Jurisconsultus*, § *Patruus magnus. de gradib. affin. ff.* et utrique cognatus, non agnatus: ac merito Joannes nihil facit opinionem Pilei, qui sine lege, imo contra legem audet jus repræsentationis in ordine cognatorum ex transverso producere, etiam ad Nepotes Fratrum, ut Glossa notat recte ad *authenticam post fratres* 2. *C. de legit. hæred.*

2. Caput pertinet ad casum, quo fœminæ, et liberi earum, cognati scilicet ejus, de cujus successione agitur, non sint legitimi successores regni, deficientibus agnatis maribus, cui vix ac ne vix quidem putem esse locum in specie proposita; quia legem Salicam soli sibi vindicant Franci (vindicarunt etiam olim Angli) ne, ut in eorum legibus scriptum est, hæreditas a lancea transiret ad fusum, quod nomen jampridem receptum est, complecti non tantum fœminas, sed etiam per fœminas descendentes, ut et Jason probat in *l. Gallus.* §. *Nunc. de lege Velleja, ff. de lib. et post. ex l. t.* §. *Hoc autem notandum in lib. Feudorum.* Sed Angli hodie alio Jure utuntur: Item quia nec Lotharingia unde origo est Regum Portugalliæ, ut Raphael Volaterranus, et Alphonsus Carthagena, et alii plerique Historici tradunt, legem Salicam, aut Salicæ similem ullam habet, et probabile est profectos e Lotharingia, Lotharingiæ, mores retinuisse: quæ tantum res in facto posita est, et amplius disquirenda his quorum interest.

Verum hoc posito, Cognatos non esse legitimos Successores Regni Portugalliæ, deficientibus agnatis: Respondi, jus creandi vel confirmandi Regis, finiendæque totius controversiæ redire ad S. Pontificem, quia invenio apud Rodericum Archiepiscopum Toletanum, qui Historiam condidit Hispaniæ ab Eugenio Papa III. primum fuisse factum Portugalliæ Regem Alphonsum, qui cum tenuerat ante Ducatus titulo: Pater vero ejus Henricus Comes Lotharingiæ, vel ut alii volunt, Guillelmus Baro Joinvillæ, titulo Comitatus et Beneficio Castiliæ Regis, quo tantum posteri ejus soluti sunt, ut Volaterranus scribit, et usus probavit. Itaque deficientibus posteris, qui regno possidendo legitimi sunt, quid restat quam ut res suæ origini reddatur, juxta id quod vulgo dicitur: Facile quamque rem ad suam originem redire et naturam, ut *l. Si unus.* §. *Pactus ne peteret. in fin. ff. de pactis, can. ab exordio* 35. *distinct.* quod Panormitanus tradit in *cap. Licet. de foro comp.* Origo est a S. Pontifice, cui etiam id regnum supradictum Alphonsum fecisse censualo Rudericus scribit. Ea igitur origo repetatur, cum defecerit gens, et familia Regia A populo vellem non repeti, quia primus suorum Regum pronuntiandorum auctor non fuit, licet post esse cœperit,

Ferrando Rege mortuo, relicta tantum Filia, quæ nupserat Castiliæ Regi, cujus nomine maritus incubuit Regno, usque dum eum expulit Joannes filius naturalis Ferrandi, qui populi consentientibus suffragiis, in Regem electus est, ex quo sunt profecti, qui insecuti sunt Portugalliæ Reges, ut ejus rei testis locupletissimus *Baldus in Consil. LXXI. 1. part. Consil.* et si quis ab eo tempore hanc usurpationem populi magis spectari vult, ut pleraque usurpata contra leges et instituta majorum vim legis ad extremum obtinent, *l. Injuriam. ff. de injuriis, l. 1. §. Ludi. ff. de extraord. cogn.* Aut igitur ad S. Pontificem, aut ad populum Regis creatio pertinet. Nec tantum ad populum; ita ut a quo primitus Regem accepit, ab eodem etiam quem sibi optaverit confirmari, non desideret; si quidem omni ex parte in ea re jure legeque agere velit.

Addidi 3. capite condictionemque, ut rei dirimondæ causa Henricus Rex ipse in filium adoptet, quem voluerit Principem sibi, vel testamento, vel inter vivos. Res non caret exemplis, cum alienis, tum nostris; sed aliquot nostra proponere satis erit. Qui Neapolitanum regnum sibi vindicarunt, quod et hodie successores eorum tenent, jure adoptionis nitebantur, quod Joanna Regina adoptasset sibi in locum Filii Alphonsum Terraconensem Regem, qui eorum proavunculus erat, quamvis cum adoptionem non multo post Joanna Regina Alphonso subirata rescidisset: Henricus Pomeraniæ Dux a Margarita Regina Sveciæ de consilii sententia adoptatus in locum Filii, Sveciæ regnum consecutus est, quod in Sveciæ Krantzius scripsit. Annales quoque Galliæ testantur, Catharinam Filiam Caroli VI. Regis Franciæ ea lege in matrimonium fuisse collocatam Henrico V. Regis Angliæ, ut in Familiam Franciæ Henricus adoptaretur, et si Carolo forte superstes esset, ut et in regno succederet. Eodem exemplo dixi posse sibi Henricum Regem Portugalliæ in locum Filii, quem voluerit Principem adoptare, et confirmationem S. Pontificis exigi: ut si qua in re jure non facta videretur adoptio, ut puta si testamento, in quo jure directo adoptiones non fiunt; vel si quo alio vitio laboraret, id suppleret auctoritas S. Pontificis, ad quem etiam, ut dixi, hujus regni origo referenda est. Id quoque exegi ut in confirmande adoptione vocentur hi, quorum interest adoptionem non confirmari, juxta *l. Adoptio.* et *l. Nam ita Divus. ff. de adopt.* quo scilicet sit major vis adoptionis confirmatæ, palam vocatis his, qui læderentur confirmatione ejusmodi, et æstimatis his, quæ contra dicerentur ab eisdem, ut et in alio casu censet esse servandum Trajanus in Epist. ad Plinium de Nicensib. ut et in omni æque servandum esse verum est, *l. 1. §. pæn. de Ventr. inspic. et cap. exhibita, est de Judiciis.*

EXTRAIT D'UNE LETRE DE MONSIEUR DE CUJAS
escrite à Monsieur DU PUY, Conseiller du Roy en sa Cour de Parlement.

Monsieur, Sur la question que vous m' avez faite par vos dernieres, que c' est à dire Coemptionalis senex, *j' ay pris plaisir à vous faire ce petit mot de response, dautant que c'est un mot de nostre gibier, et que parlant en Jurisconsulte, quand on veut dire ou signifier un vieillard qui à desja le pied dans la fosse, on ne sçauroit mieux dire que de l' appeller*, Coemptionalem senem; *et il ne me souvient jamais de ce mot, qu' il ne me souvienne aussi de ce qui est* in l. 15. de fid. lib. interesse nonnunquam potius a sene manumitti, quam a juvene: nam et sic intererat hominis, ne diutius suppeditaret sumptus faciendis sacris defuncti, in coemptione familiæ adhiberi capularem senem. Morte enim coemptoris extinguebatur obligatio, vel imaginaria illa coemptio producebatur in hæredem. *Comme il est certain qu' on ne doit jamais estendre les fictions du Droict, ny rien de ce qui se fait* νόμου χάριν *et vous scavez quelle difference il y avoit*, inter hæredem et coemptorem familiæ: *l' un pouvoit estre tesmoin* ex testamento per æs et libram, *et l' autre non. Et Curius à grace quand il dit, que celuy n' advancera pas beaucoup qui vendra l' usufruit de soy coemptionall seni. dautant qu' il sera de peu de durée. Je vous remercie bien fort du SC. Grec qu' il vous a pleu m' envoyer, et vous prie de continuer de nous ramasser par de là quelque bonne chose, qui serve à nous tirer tousjours de l' ignorance, en la quelle nous sommes encore bien avant; et m' entretenir aussi en la bonne grace de Monsieur Muret, au quel j' espere de bref éscrire plus amplement. Aprés cette paix il s' est rendu icy si grand nombre d' Escoliers, que pour leur satisfaire je n' ay pas du temps assez, et me semble que je ne suis plus à moy, si ce n' est quelque jour de Feste, quand il vient, auquel toutesfois et parmy mes leçons aussi je suis tousjours occupé aprés mes Paratitles sur le Code. Et à tant, Monsieur, je me recommanderay humblement à vostre bonne grace, et prieray Dieu vous donner la sienne tres-saincte. De Valence ce 10. Decembre.*

Vostre serviteur, et meilleur amy, JAC. DE CUJAS.

A la marge est la presente. *Monsieur du Puy, il me semble que nos Livres disent*, emptorem familiæ, *et non*, coemptorem: *et ne me souvient d' avoir jamais leu*, coemptionem familiæ. *Vous qui avez plus leu et retenu que moy, pensez-y, et m' en advertissez*, aut etiam oraculum ipsum, id est Cujacium consule. *De Rome ce 14. d' Avril 1571.* Vostre serviteur, MURET.

EXTRAIT D'UNE AUTRE DU MESME AUCTEUR,
du 12. Novembre 1588.

Monsieur, je me suis remis sur le Droict Canon, où il advient quelquefois que je soupire, ne me voyant en main vostre Taxe, ou comme Volaterran l' appelle, le Livre fiscal de Sa Saincteté. S' il vous plaisoit encores me le prester pour deux ou trois mois, vous me feriez un singulier plaisir, et je ne faudroie à vous le garder du feu et de l'eau, et rendre fidelement, aprés que j'auray achevé le 3. des Decretales, sur lequel je suis. Je trouve parmy les Canons qu'il y en a qui sont pris, ex gestis Romanorum Pontificum, *qui est non le Livre Pontifical de Damasus, mais de quelque autre, qui n' à mis que ce titre au Livre*, Gesta Romanorum Pontificum. *Je voudroie bien scavoir de vous si l'avez*

jamais veu, s'il est imprime, ou non : et si Monsieur F. Pithou n'est encor de retour de son pais, qui en a un. Je vous prieray aussi de me prester le Corpus Canonum, *imprimé à Mogunce; et disposez de tout ce qui est en ma puissance de la mesme façon et liberté que je fay du vostre. Sur ce, Monsieur, je me recommanderay tres-humblement à vostre bonne grace, et prieray Dieu vous donner la sienne tressaincte. De Bourges ce 12. de Nov. 1588.*

Vostre bien humble amy et affectionné serviteur, JAC. DE CUJAS.

EPISTOLÆ JACOBI CUJACII QUAS, AD BATISSERIUM scripsit, qui Institutiones versibus edidit.

Quorum authographum manuscriptum beneficio Illustrissimi D. JOANNIS DE PERRAULT, *in suprema rationum Parisiensi Curia Præsidi, est penes* CLAUDIUM MONGIN *Juris Professorem.*

CUJACIUS BATISSERIO SALUTEM

Cum essem Augustæ Taurinorum, qui tum ibi erat Senator quidam Curiæ ejus Civitatis, mihi ostendit librum, quem ipse curaverat suis sumptibus excudi : quo Institutiones juris in numeros redegerat; ostendit, inquam, mihi non etiam ejus legendi per otium bonam copiam fecit. Nec mihi quoque cura fuit ea de re eum compellare, quia nec meo genio prima specie carmina ejus arridebant. Tua placent valde. Tu quod Solo fecisse fertur, quod et de XII. tab. M. Tullius testatur, feliciter præstitisti, ut principia Juris, quæ Justinianus adolescentibus exposuit, si possint, tuo beneficio, habere in numerato, et facilius infigere descripta ἐμμέτρως, quam καταλογάδην, quo nomine tibi gratulor vehementer : Vale Id. Novemb.

CUJACIUS BATISSERIO SALUTEM.

Memini jam me ad te scripsisse, cum me primum eadem de re appellares, qua de scripsisti nuper, mihi vehementer probari institutum tuum, probari numeros elegantes et lepidos, ad quos Institutiones redegisti. Et ad hæc cum agerem Augustæ Taurinorum, in manus meas incidisse similem operam, si conatum spectas, longe dissimilem, si successum, qui certe infelicissimus est, tuus tibi labor cessit perquam feliciter. Ergo perge, nec ante conquiescas, quam rem perduxeris ad exitum, et annitere denique ut brevi isto bono fruantur Juris studiosi, a quibus eo nomine magnam referas gratiam, Vale.

FINIS.

GRÆCARUM DICTIONUM

QUÆ IN HOC TOMO OCTAVO CONTINENTUR

INTERPRETATIO

COL.

9 ὁμοούσιον, substantia parem
κακότης, malitia, improbitas.
ἀνθρωπολάτραι, humanitatem adorantes.
ὁμοούσιον, natura parem.
ἐκπόρευσις, egressio.
10 τὸ πνεῦμα, spiritus veritatis, quod ex patre progreditur.
ἀναθεματισμός, excommunicatio.
καθαίρεσις, depositio.
12 παρὰ ... ῳ, libellario.
γενικόν, generalem.
13 ἐν διατάξεσι, in constitutionibus.
ἱερέων, sacerdotum.
14 νοσοκόμων: eorum, qui curam habent valetudinariorum. γεροντοκόμων qui senum.
ὁ ἐπὶ ? qui inopiæ curam habet.
ἐκδίκων, ἐξάρχων, defensorum ecclesiæ, chorepiscoporum.
χωρεπίσκοποι, chorepiscopi, qui nunc dicuntur exarchi.
ὡς συλλειτουργοί, ut eodem munere fungentes ad formam.
περιοδευταί, circuitores.
ἐκ τοῦ, a circumeundo, et fideles commonefaciendo.
παραμονή, perduratio.
πελεκυφόρος, bipennifer barbarus.
15 ἔκδικοι, defensores Iibium.
17 συνάξεις. παρασυνάξεις, ecclesiæ, conventicula
20 ἀθέμιτον, nefas esse propheticidis, et dominicidis eos, qui a salvatore liberati sunt, servitutis jugo submitti
21 τὸ ὁρισθέν, quod decretum fuerit, legem facere.
22 ὅταν, cum legem constituimus.
23 συνδικαστήν, simul judicem.
25 βωμὸν σωτηρίας, aram salutis et in nostris statuis antiquitas statuit.
26 πρωτοί, primi militum, satellitum.
30 ἀπὸ κοινοῦ, ex communi.
πλίνθος, πλινθίον, later, laterculus.
μέγας λογοθέτης, magnus legum conditor.
31 τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων, statutorum quæ in aula fiunt.
36 μητροπόλει, metropoli.
40 ἐκέλευσα, jussi parari sabana, id est, lintea ad lotos abstergendos.
σουδάρια, sudarium, sabanum.
41 ἀκόλουθον, adhærens jurisdictioni, imperio.
42 ἐξ ἀντιδιαστολῆς, ex discrimine.
τοὺς ἐπι, eos qui magno crimini obnoxii sunt.
περὶ ἁλώσεως, de captivitate.
καὶ μηδέποτε, et nequaquam.
43 βουληφόρον, prudentem virum.
οἱ, qui omnes ordinis esse debent.
47 στρατηγοὶ τῶν πόλεων, duumviri urbium.
48 τῶν στρατηγῶν, duumvirorum urbium.
δικαιοδότην, juridicum
50 κεντεῖν ἵππον, equum stimulare.

COL.

51 πρὸς διαστολήν, ad distinctionem.
συγχωρητικόν, remittendi pactum.
55 λεπτολογίαι, minutas de tenuibus disputationes
περὶ αἰτιῶν, de causis, ex quibus infamia alicui non irrogatur.
πρὸς ἀντιδιαστολήν, ad discrimen.
ἐγὼ τὴν, ego delationem amo, licet delatores non laudo.
56 χαλεπά, aspera dissensu hominis cum potentioribus congredi.
57 ἐπιφημίζειν, celebrare.
αὐτομάτως, sua sponte.
58 ὅρον, signum.
ὅρον σανίδιον, signum esse tabellam, quæ domibus, et locis illis affigitur, quæ pignori sunt obnoxia, pro dominorum debitis.
59 ὅτε βούληται, cum voluerit, cessat.
60 στραγγαλιάς, strangulationes vi factorum contractuum.
τραχύτητι, asperitate factorum.
ἀπὸ, ex perspicuis insidiis.
62 διὰ τό, ob ætatis infirmitatem.
63 ἀλλ' ὅτε, sed cum delictum.
συνάλλαγμα, synallagma.
68 πρὸς τούτοις, ad hæc
70 πράττειν, facere dictam perfectionem.
71 ἀπογραφάς, tabulas patris.
τὸ αἰδοῖον, pudenda hominis.
ἀναγκαῖον, necessariam partem.
παίδων, puerorum.
τὸν, nuptiarum tempus.
74 ἐν τοῖς, in ædibus propriis.
νομίμως, jure.
77 ἀντωμοσίαν, jusjurandum calumniæ, utriusque partis.
78 δῶρα, dona, quæ in omnium arbitrio ac potestate dantur.
80 ἀπρόσωπος, personam non habens.
82 ἀναβολή, dilatio non est in judiciis.
87 ὁ τοῦ μεγίστου, qui maximis rebus præest.
93 πρωθύστερον, præposterum.
94 διαιρετίας, dividendæ substantiæ, hæreditatis
97 εἰς ἐνδείας, in pœnam.
99 ποριστάς, quæstuarios.
101 ἰδιοτάτως, admodum proprie.
111 ἄγραφος, non scriptum testimonium adversus scriptum vim habere non potest.
118 πιστικός, fidelis.
124 ἀντιδώρου, remunerationis.
δῶμα, datio cum fide.
125 διδόασιν, dant epistolas.
127 κατὰ πόδα, verbum verbo respondens
κατασκευάζειν, instruere.
132 προτιμήσεως, prælationis.
134 μέταξαν, sericum.
ὑάκινθος, hyacinthus.
πολεμίους, hostes.
ἅλας, sal. ὅσα ead. pag.
135 Ἑλένα χήρα. Helena inops.

COL.

154 κάλλυντρα, scopæ
155 ἀποτελεσθῆναι, perficere, absolvere.
156 ἐξαγώγιμον, vectigal quod pro evehendis rebus solvitur.
εἰσαγωγικά, vectigalia quæ pro invehendis mercibus exolvuntur.
ἐξαγωγικά, quæ pro evehendis.
158 κοτυλίζειν, divisim vendere.
159 καθοσίωσις, justificatio.
ἀσαφῆ, obscuram, dubiam.
162 ἐμφύτευσιν, emphyteusim. ἐμφύτευσις, emphyteusis.
163 προτιμήσεως, prælationis.
177 φίσκος, fiscus cophinus erat, in quo proscriptorum pecuniæ habebantur: postea ærarium factum est Cæsaris, in quo servabantur pecuniæ fiscales, et fiebant ærarii: quæcumque olim populi erant, transierunt in Principis substantiam.
178 εἰς τὰ ἑαυτοῦ, ad res (curandas) sui ipsius, et quæ populi erant.
ἅπαντες, omnes cives, et incolæ.
179 τῶν μετοίκων, incolarum.
ἐὰν οἱ, si officiales Præsidum, sive Catholiciani.
εἰ δὲ καί, et si officiales Catholici legem prætergredi occœperint.
εἰ μή, nisi catholicus ipsum confirmaverit.
κινδύνῳ, catholicorum periculo.
τῶν τῆς, diœcesis catholicum.
ὁ καθολικός, catholicus, sive qui præest, et publicarum rerum curam habet.
τῆς μαγιστρου. officii magistri, et catholici.
πραγματεία, tractatu.
180 κατὰ πρόληψιν, per prolepsin.
φυλαττόμενοι, custodia habiti a Cæsarianis (sergentibus) centum.
Ἐλπίδιος. Elpidius, cui privatæ Principis substantiæ, et possessionum cura demandata; Comitem quidem privatarum hunc appellare Romani solent.
τὸν κόμητα, Comitem privatæ substantiæ, hoc est rerum ad proprios Principis usus statutarum curam habentem.
καπητόν, capitum, pabula animalium.
181 εἰρηνάρχαι, irenarchæ, qui præsunt, ut bene populo prospiciatur.
Πᾶσα, omnis (ad publicum pertinens) publica lis intra semestre tempus a die contestatæ numeratum, finiatur, nisi ex necessitate contigerit, sive personas aliquas sive documenta ex provinciis agi ad Principem urbem, sive ipsi qui conventi sunt causam dilationis præbeant, ut minime parati.
περὶ, de temporum intervallis.
πᾶσα φισκ omnis fiscalis causa, sive publici ærarii, intra sex menses a quo contestata est die, finiatur, nisi dilatio necessaria intervenerit.

COL.

181 αἱ γὰρ τοῦ, lites quidem publicæ (ad publicum, ad fiscum pertinentes) intra sex menses finiuntur: at quæ de publicis muneribus (ministeriis) controversiæ sunt, intra menses tres finiendæ: publicum autem munus (ministerium) est, puta aliquem frumentarium fieri, ut exercitui frumentum emat, negotietur.)

182 ἀνυπερθέτως, absque cunctatione.

καὶ πληρώσας, et implens te.

μεθ' ὃ, donec fiscum impleverint.

183 βρέβιον, brevium, epitome dicitur, et concisus libellus.

καὶ τὰ, et libellos in medium tunc proposuit, quos *Brevia* appellare consueverunt, in quibus describuntur quæ in singulis delubris sunt monumenta.

τὰ βρέβια, *brevia*, quæ apud nos servantur.

περὶ, igni tradidi *brevia*, quæ apud nos in scrinia conjecta sunt.

προσκυρώσεις, additiones.

ὑπερθεματισμούς, adjectiones.

184 ὠνητικά, instrumenta emptionis.

τρώξιμα, edulia.

ἐν τοῖς., in illustrioribus urbis locis.

Αὐτοκράτωρ, Imperator Zeno Comneno. Si alicujus proscripti bona vendantur, permissum est Comiti rerum privatarum Principis, et scholæ Palatinorum, et Fisci patrono aliqua ex iis emere, nemine rescindente contractum.

185 ὁ δημόσιος, fiscus in diversis provinciis eos habet, qui ipsius negotiis provident: et quælibet cura, dicitur statio.

εἰς οἴκου, ad domus eversionem.

186 καὶ οὕτως, et hoc pacto in concordiam rediguntur, quæ inter se adversa videbantur.

πρωτοπραξίαν, primam actionem.

187 ἀκληρονόμητα, bona, quæ sine hæredibus sunt.

188 σήμαντρα, signa, titulos (signacula.)

189 κατὰ, jussu catholici.

190 πίπτειν, cadere in Cæsarem.

συνοπτικῶς, per synopsin.

Μήτε, neque comes privatarum rerum, neque alius ex magistratibus Constantinopolis, vel provincialibus de thesauro indicantem (deferentem) admittat: at si de alia quavis re fiscali nunciet, sub fidejussione statim fiat non minori quinque librarum: nec signum aliquod describatur, neve aliquid novi in bonis delatis (nunciatis) fiat ante sententiam scriptam.

193 διὰ λ'., intra dies xxx. exhibere debet, qui res fiscales immobiles detinet, ut C. l. x. tit. xi. const. uit.

πιττίτα, petita, Romana dictio: significat autem notam petitionis.

194 εἰ μὴ, nisi Proclus prohibuerit, qui ad Regem tunc adsedebat, honorem, qui Quæstoris vocatur, habens, vir justus: ideo quidem nullam temere legem scripsit.

Τριβουνιανὸς, Tribonianus Regis assessor: Quæstorem hunc vocant Romani.

Φιδέλιος, Fidelius Atalaricho adsidebat: Quæstorem, magistratum hunc Romani vocant.

εἶχε, habuit consuetum canicioma, et hanc Regis Manuel in Chr. Deo fidelis rex purpura genitus, et Imperator Romanorum Comnenus, et inferne bullam auream ab alto dependentem per (metaxam) sericum hastæ, et exterius stupeum per Theodorum, qui a Canicleo (mag. scrin.) erat, et jurisconsultus.

οἱ ἐν, qui in monumentis erant.

οἱ τῶν, qui monumentorum omnium (curam habebant.)

τῶν κελεύσεων, eis qui mandata servabant.

λόγῳ, verbo, ἔργῳ, re.

ὁ κτείνων, hominem occidens, etsi juste, et se defendens, et vi coactus, fons videtur esse ob affinitatem, quæ superne venit, et communis est.

COL.

194 παρασημειώσεις, adnotatio est (scripturæ) potiora dictorum comprehendens, et ea velut synopsi scribens, et pauca, ut videmus olim regias adnotationes fuisse.

196 Αἱ σχολάζουσαι. Vacantes deinceps annonæ, et capita, fisco vindicentur, neque a magistratibus distribuantur, ac concedantur aliis, vel in publica opera impendantur, sine sacra forma, qua et datio, et modus sumptuum præfiniatur. Sed neque etiam ex publico (fisci) canone in proprium (privatum) vel publicum opus materiæ transferantur. Neque ad emptionem materiæ, pecuniæ præstentur sine sacra forma. Qui secus fecerit suis bonis fiscum implebit, et competens scrinium gravissimis pœnis subjicietur.

δηλεγατίων, delegatio apud Romanos, dispositio Præf. Præt. transmissionis frumenti, et annorum translationis (commeatus).

197 προσδραμεῖν, præcurrere per duas villas.

198 τοὺς φόρους, tributa Proconsules ab iis, quibus imperant, exigunt.

εἰς ἀπαιτ. in exigenda.

Αὐτοκράτωρ, Imperator Anastasius Anthemio Præf. Præt.

200 τυχικῶς, fortuitæ. ψυχικῶς. animalis.

καὶ τῶν, et gentibus per capita inferentibus (solventibus) argentum.

εἰ ταῖς, si talibus. εἰ μὴ, nisi.

ἐπινεμήσεις, distributiones.

Ἰνδικτιόνων, indictionum Constantini hinc principium.

ὀνόματι, nomine super canonem.

201 καὶ ὑπερ. et excelluit, mundi (eximias) dignitates subiens, et ducenarius potius quam Episcopus cupiens appellari.

καὶ τοῖς γε, et Procuratoribus Cæsaris, et hoc ipsum dignitatis nomen a numero commissarum eis pecuniarum inditur.

202 ἵνα μὴ, ne regis immunitas (a tributis) gravis evadat provinciis.

203 ὁ τῆς, militaris annonæ exactor.

ὃς ἐπεμελεῖτο, qui sumptuum domesticorum curam habebat, Optionem eum vocant.

φύλαρχον, philarchum.

οὐδεὶς δὲ, nemo autem Romanorum militum dux, neque Saracenorum, Romanis fœderatorum: Phylarchi horum duces appellantur.

καὶ αὐτὸν, ipsumque Rex Phylarchum Saracenorum, qui in Palæstina erant, præposuit.

Ἀλαμ. Alamunderi Phylarchi Saracenorum.

ἐπιτρέπει, mandat his instare Præsidibus, et urgere ad exactionem vectigalium, magisque cum horum officialibus, tributis colligendis laborare.

204 μητροκωμῆται, metrocomitæ.

Αὐτοκράτωρ, Imperator Anastasius Anthemio Præf. Præt.

205 μετὰ μῆνα, post mensem præfiniti, certique temporis, mittitur compulsor.

ὁ κανὼν, canon qui datur a serico, et metaxa purus (integer) infertur, octo libras præbentibus canonicariis.

καὶ τισὶ. et quibusdam quidem subditorum dari, et quæ vocantur andomatica recipi.

206 ἀμεριμνία, securitas, apodixis.

εὐτρεπίσματα, rectas ordinationes.

μηνυτάς, delatores, indices.

207 σιταρεσίων, annonæ militaris distributionem.

τροφῶν, victus militibus statuti susceptionem.

στρατολογίαν, militum, exercitus rationem.

παροχῶν, parochus, præbitor.

208 ἐκεῖσε, ibi Roma est ubi Princeps.

ὅπου, ubi quidem Princeps, ibi semper et fortuna manet.

209 ὁ δὲ μακαρίτης, felix Patricius Cohortalinos quidem vocat beneficiarios, dicit autem curam iis esse mansionem equorum.

COL.

209 τὴν τοῦ, Regis ordinem (locum).

211 συνώνητον, comparatio frumenti.

σεβάσμια, sacer apex, sacros, et divinos apices.

213 πρὸς τὴν, pro rata jugorum, sive jugorum capitum.

ζυγοκέφαλα, jugationem et capitationem simul.

215 λογοθέτης, qui rationes capit. discussor.

218 τῆς βασ. regiæ. Principis ærarium, sive locus in quo aurum conditur.

ἦν δὲ, erat Alexander quidam in Byzantio, qui publicis rationibus præerat, logothetam (inspectorem) honorem hunc græco vocabulo Romani vocant.

μέγας, magnus Logotheta Principis jussa, et mandata ad Reges Sultanos mittenda, disponit, ac edicit, idque proprium magni Logothetæ ministerium.

τὸν οἰκεῖον, domesticum, ut Latinorum vox sonat, cancellarium, ut autem Græci dicerent, logothetam.

Ἑκάστης, unaquaque urbe instar Senatus, homines, qui in consilii locis (curiis) sunt et habente, et constituente.

ἀγωνοθεσία, constituendi, designandique certaminis munus.

219 ἐνέχυρα, pignora vitæ.

220 ἀγοραῖα, forensia.

περὶ, de tabulariis.

ἐπὶ, in ore.

φελώνιον, indumentum Sacerdotis, casulam.

συμποτικάζειν, convivari cum præsentibus, et simul voluptate impleri.

222 οὐ πολὺ τι, non multum a Romana amplitudine superatam.

πλούτῳ, divitiis, et amplitudine, et hominum copia Urbium omnium, quæ in oriente sunt, principem.

223 ὁ ἐκ πολ. qui ex cive (matre) in quibusdam locis, civis est.

λογιστὴς, discussor, rationum curator.

κριτὴς, judex censor.

226 ὁ χρεωστῶν, qui debitor est, et machinatione quadam debitum intercipere parat nec creditori exsolvere.

ὃν πραίτωρα, quem Prætorem vocant.

228 ὁ τῶν, qui multorum judiciorum est dominus.

235 καταχρηστικῶς, per abusionem.

239 τὰ διδόμενα, quæ dantur ad alimenta.

σιτηρέσια, cibaria opsonia.

σιτηρεσίοις, cibariis, salariis.

240 καὶ εἰκότως, et jure merito. non enim domicilium primam, et antiquam originem facit, sed locus, unde originem trahimus, ut et invito sua prima origo sit: domicilium vero, quoniam ex habitatione nostra demonstratur, licetque nobis, ubi velimus, mutare

μέτοικος, transmigrator pro inquilino. *apud Soph.*

241 τὰ αὐτὰ, hæc ipsa, et in inquilinis.

εἰ οἱ, si famuli coloni, vel inquilini.

τὸ γὰρ, etenim cum habitationem quis commutat, primam quidem originem non mutat, sed domicilium mutatur.

ἀληθὲς, verum est, ut qui in montanis alicujus urbis habitant, et incolæ munera publica obeunt, et honores suscipiunt: itaque non habitans in ipsa urbe, sed in montanis, et ipsius finibus, eo pacto muneribus publicis obnoxius est, ut qui in ipsa urbe habitat.

242 τὸ ἀναπογραφῆναι, adscribi civibus, est adlegi in ordinem in illa urbe.

243 μηδένα, neminem, ante annos quinque postquam in urbe magistratum gesserit (denuo) eligi.

244 πεντάπρωτοι, quinqueprimi, decemprimi, vigintiprimi (magistratus).

ὑπερ, pro inopibus.

ἡ ἱερωσύνη, Sacerdotium, hoc est curare *synegoria*.

ἀλλὰ μόνον, sed tantum ad rem pertinentia (sumptum afferentia).

246 ὁ πατηρ, Pater urbis ædium dirutarum dominos adigit ipsas reficere.

COL.

247 αἱ κολαστικαί, sententiæ assectandi causa (latæ).
ὑποστασιῶν, substantiarum.
ὑδραῦλαι, hydraulæ sunt tibicines in organis, quæ non a follibus, sed ab aqua, arte quadam spiritum suscipiunt.
248 οἱ πραγματευόμενοι, qui vestem conficiunt, vel linteum, vel purpuram, vel parthicas pelles.
249 γυρίται, pistores panem e polline conficientes.
προστομιάζειν, præparare pistoribus molere.
250 κεφαλικάς, capitalis tributa.
τοῖς ὑπό, a Principe avocatis.
ὑπέρ, supra canonem.
αἰτηθέν, petitum.
251 συνώνητον, coemptionem frumenti.
εἰς συνωνήν, ad coemptionem, et advectionem frumenti.
συνώνητον, coemptionem frumenti.
ἢ συνωνῆς, vel coemptionis frumenti, vel aliarum specierum.
253 ἀπὸ τῆς, a custodia.
254 τουτέστιν, hoc est, qui supputare, ac discutere rationes docent.
καὶ οἱ, et doctores (qui pueros erudiunt) et alii magistri literarum.
255 λέγειν, dicere non omnibus publice permittitur in bene institutis urbibus, sed si præclarus quis fuerit, et genus possit, et educationem patefacere, atque dignam disserendi eruditionem, (humanitatem), his dicere leges permittunt.
πωγωνοτροφίαι. τριβωνοφορίαι, cura alendæ barbæ. cura gestandi pallii.
256 βετεράνος, Veteranus apud Romanos, qui militia dimissus: viginti annos hi ministerium præstiterunt.
257 τάγματα, ordines.
πράγματα, res.
ἀπόντες, absentes.
ἄκοντες, inviti.
259 τινὲς δέ, sed et quidam ex Asiarchis (qui ludis theatralibus præerant) hortabantur, non dari ipsum spectaculo.
καὶ ἠρώτων, et rogans Philippum Asiarcham ut leonem Polycarpo immitteret, is respondit, ipsi permissum non esse, quoniam impleta erant cynegesia.
262 ὁ δεσμοφύλαξ, carcerum custos, quem et clavicularium nunc dicimus.
κομενταρίσιος, Commentariensis, scripturas criminum suscipiens.
ἐὰν δὲ si autem, qui apothecam exercuit, vel mensarius, vel cavidarius, vel argenti, vel vestium venditor, tentaverit fieri appaitor, ejiciatur.
λιθοξέστας, lapidum politores.
οἱ τούς, qui lapides splendidos reddunt.
ἐὰν οἴνου, si vini plenum lacum (cisternam) albario locavero.
ἐπὶ τῷ, ad perforandum.
ζυγοστάται, libripendes.
οἱ τὰ σάγματα, carpenta camelorum.
σαγματοποιοί, clitellarum artifices.
τέκτονες, fabri.
τέκτονας ξύλων, fabros lignorum.
ἐκάθισαν, ipsum in asino cum carpento sedere fecerunt.
σάγμα σαῦμα. carpentum.
263 ἐπειδή, quoniam Scribæ non est perfectus (calmus) judex, sed et judicibus supremis, et ipsis antigrapharis subjicitur, et omnis fere cura impuberum, et omne de rebus ipsorum periculum ex magna negligentia, ad ipsum pertinet.
264 λογογράφος, logographus, qui sententias, et forenses scribit.
οἱ βοηθοί, adjutores logistarum, populi scribæ, et logographi, et rationum dispunctores.
266 ὥσπερ τοῖς, quemadmodum in præsentiarum libræ usque ad LXXII. numerantur, ita olim centenæ erant, ersei que usuræ centum nummorum, nummi sti. Ideo et centesimæ dicebantur, veluti exactæ pro centum.

COL.

267 ἐπίμετρον, auctarium. superpondium.
269 ζυγοστάται, libripendes.
ὡς ἀπηρίθμησαν, ut dinumerarunt. ut ponderarunt, ut publico signo aurum notarunt.
270 Ἐπειδή, Quoniam Judæi præbebant, ut fieret eorum Sacerdoti corona, quotannis certam auri quantitatem, in præsenti hujus coronæ aurum in publicam utilitatem translatum est, et de ipso habetur titulus.
στεφανωτικόν, coronarium canonem.
271 χρυσάργυρον, *chrysargyrum.*
273 νηνεμίας, ventorum tranquillitas.
275 ἑρμηνευτικόν, declarandi causa additum.
276 βόνος ὁ ναύκληρος, bonus navicularius frumentum dixit publico reliquari, quem venti, et turbines, et procellæ per mare dissiparunt; vel igitur maris fluctus incusate, qui res juste gubernatis, vel casibus, qui nulla nostra culpa evenerunt, ignoscite.
277 ἐπίμετρον, auctarium, superpondium.
εἶναι τήν, esse modios mille aureorum quinquaginta.
συντέλεια, tributum balneæ pendatur.
τὴν χρυσῆν, auream arenam.
ἀχώνευτος, non usta terra, sive aurea.
ἐπειδή, quoniam multam diminutionem habet.
278 καὶ νῦν, et nunc consueverunt dicere falsam monetam cudentes.
παραχαράκτης, falsus monetarius, inversor.
μονητάριος, monetarius, qui pecunias cudit.
279 ἐπειδή, quoniam catholici nostrarum quidem rerum, et baphii, et gynæciarii.
ὥστε καί, ut et gynæceis; vel linophiis injecti crudeliter estis, et miserum laborem patiamini, vel servi statuamini in pronturiis.
βαφεῖς, baphii.
καὶ τιμῆσαι, et honorari cura, per Tyrum, purpureæ tincturæ.
280 οἷος πορφύρας, illius purpuræ.
θειοτάτους, sacratissimos, et dominos.
σήρ, ser vermis, qui metaxam facit, a quo sericæ vestes metaxata.
ἐκ μετάξης, a metaxa vestes confectas, ipsæ enim sericæ.
αὐτοφυές, sua sponte natum.
281 τῶν βαφέων, baphiorum, et lintiariorum.
τῆς αὐτοῦ, ipsius dexteræ scripta adnotatio.
283 σήρικα, sericæ texturæ.
ὁλοσήρικα, holoserica similia auro.
Φοινικοβαφὴς χιτών, tunica Phœnicum tinctura infecta.
284 ἁπαλόν, tenerum, et purum igne facile solvitur, et separatur.
στίγματα, stigmata vocant, quæ in facie, aliove corporis membro compunguntur, cujusmodi sunt et quæ in militum manibus inscribuntur.
286 ἀπαραποίητον, formam, et materiam non adulteratam habens, et pondus plenum.
τὸ τοῦ Καίσαρος, Cæsaris numisma mensario reprobare non licet, neque olerum venditori; sed si ostenderis, velis nolis, projicere oportet, quod pro ipso est venditum.
στατῆρας, omnes nummos Principem effigiem ferentes, ejusdem potestatis esse illis, qui nuper cusi sunt.
288 περὶ χοιρεμπ. de suariis, et cauponibus.
289 ἄρτου, panis forma.
παντός, omnis nummi exagii pondus ferentis.
τὸ ἑξάγιον, exagium siliquarum XXIV.
συστηματικοί, collectivi.
οἱ πραξάμενοι, præpositi corpori negotiationis causa.
290 οἱ τὰ σώματα, qui cubantium (mortuorum) corpora obvolvunt.
περὶ συστημ. de collegiis, et chalcopratis.
292 παλατινοί, palatini, species panum, quos populo Constantinus magnus erogavit consulatus tempore, ita ipsos vocans,

COL.

quod e palatio ducebantur, his addidit et carnes, et vinum, et oleum.
292 εἰς πρόχρειαν, in promutuum pondus.
δεδώκασοι, dedi tibi ut in promutuo horum annorum mercedem.
294 τῆς ἀργίας, inertiæ libellos (actio).
295 ὁ ἐρχόμενος, frumentum quod ex Alexandria venit: suscipiatur, ascultetur, et admetiatur (imputetur) in Alexandriam.
τῆς οἰκουμένης βάραθρον, orbis terrarum barathrum.
τῆς οἰκουμένης μεγ. orbis terrarum maximus mercatus.
301 οὐκ ἔστι δὲ παιδική, est autem ludicra ars, neque dedecus afferens athletarum munus, et ludi olympici, (quæ dicta antharia) et in arena contendentium.
303 δοχεῖα, susceptacula.
νυμφικά, balnea nymphica, quæ ex fontibus publicis ad nuptias celebrandas capiuntur.
304 Θεοδόσιος, murum hunc Theodosius Imp. et Præfectus Prætorio Orientis Constantinus extruxerunt in dies sexaginta.
ἐγγὺς δέ, prope autem locum, quod dicitur Prætorium, Ajacis, et Achillis aram posuerunt. Ibi et in præsentia balneum Achillis nuncupatur.
εἰς ἀνανέωσιν, ad refectionem aquæductus, pecuniæ quæ in scalas sunt præstitæ, impendantur.
Συκαί, Sicæ Urbe contra novam Romam, quæ a nobis Justinianæ est dicta.
ἐκ τῶν, ex arboribus ficus ferentibus.
306 τότε πρῶτον, tunc primum monomachorum spectacula sunt prohibita.
οὐκ ἐξόν, cum non liceret vulgaribus hominibus arma ferre.
307 ἐναπόγραφος, adscriptitius, qui terræ addictus, accola.
ὁ γεωργός, agricola fructibus colligendis, vel rationibus non vacans.
308 ἰδιοκτητόρων, propriorum bonorum possessores.
309 παραπομπήν, advectionem.
Ἀριαράθεια, Ariarathia Urbs prope Cappadociam.
310 γεγόναμεν, facti sumus secundæ Cappadociæ, cum essemus apud te primæ.
κατά, per scientiam, scienter.
311 Αὐτοκράτωρ, Imperator Anastasius.
313 κειμηλιοφυλακίῳ, in loco ubi sacra vasa servantur.
φανερά, præclara substantia.
314, κἄν, licet conductus fuerit ut adscriptitius.
εἰ δὲ τήν, verum si conductionem sponte confirmavit depositione, (confessus) vel declaratione, imposterum talis esse credatur.
317 τῆς Θράκης, Thraciæ, in provincias sex ipsa dividitur.
319 δημοσίοις, publicis asinis, et mulis, et equis uti.
ὁ ἔξαρχος, princeps officii.
320 περὶ ἐκποιήσεως, de fundis alienandis.
παλαιὸς νόμος, vetus lex est, ne quis a cognatis, vel sociis vendere quibus voluerit impediatur: altera autem lex recta contrarium statuit, non licere alteri vendere, nisi habitatoribus suæ metrocomiæ. Nos autem nostrorum vectigalium simul, et publicorum tributorum, et militum, et militaris et civilis ministerii, et utilitatis plurimam curam habentes, quod videtur inter ipsas contrarium esse, neque definitum, hac sacra nostra constitutione, claro et conciso sermone corrigentes, statuimus.
προτιμήσεως, prælationis. *pl. ead. pag.*
κρημνατικήν, præruptam terram.
ἄνδρας, homines peræquatores dimisit.
ἐπόπτης, inspector dicitur peræquatuor.
321 ἐάν τις, si quis vites inciderit, vel feraces ramos ruperit.
τὰ ἔρημα, deserta cum bene cultis, et uberibus compulentur.
322 οὐ μόνον, non solum dignitatis.

COL.

326 περὶ ἐπιβ. de accessionibus.
ἐκ τῆς, ex eadem substantia.
ἐπιβολὴν, accessionem, additamentum.
ὁμοδουλα, eandem servitutem habentia, eidem servientia, ὁμόκηνσα, simul censum pendentia.
ἐπαρχικὸς, forma præfecti prætorio, de his qui eidem domino subjecta prædia possident.
327 μηδὲν, nemo Apamæorum prata depascatur.
338 σὺν αὐταῖς, cum ipsis equorum gregibus.
εἰ πολιτικοὶ, si agri reip. locati alicui fuerint, qui diligentiam in illis adhibeat, ei non auferuntur.
340 διοικηταὶ, dispensatores.
341 τῶν, octo pedum strata (via) constituitur.
τῇ στράτᾳ, qui strata utitur.
κατὰ μῆκος, per stratæ longitudinem.
342 Δάφνη, Daphne suburbium præclarissimum Orientis Antiochiæ metropolis.
ἀλλ' οὐδὲ, sed nec Alytarcha id facere potest.
343 ἰλλουστρίους, illustres quidam vocant protospatharios, et qui supra hos sunt.
ὁ πρωτοσπαθάριος, protospatarius, et qui supra ipsum sunt.
καὶ τῶν, et illustrium, et eorum qui supra ipsos sunt.
344 οἷον, puta negotiatores, artifices viliores publicani, et apparitores: hi omnes licet privatim ambiant, et studeant dignitates consequi, harum honore non perfruuntur, sed iis privantur eodem pacto ac turpes.
ταῖς ἀπαιτήσεσιν, constituit (sum) exactionibus militaris auri, quod vocatur tyronicum
345 ὕβριν γὰρ, dedecus id judicat et regiæ domus, et Senatus: regia enim domus senatui adnumeratur. (per ducitur.)
καλῶς, recte dicit Imperator adnumerari cum Senatoribus, quoniam et consul esse sustinet.
347 ὑπόμνησιν, admonitionem, significationem, advocationem.
ἢ κατὰ, vel sub prætextu revocatoriæ.
348 καὶ τὴν, et paternam glebam stipendiariam senatui excipiens.
περὶ κλοπῆς, de furto.
349 περὶ συγκλήτ. de senatorum ordine, de senatoribus in unum coactis.
τῆς ἀξίας, dignitatem patricii consecutus erat, primus hunc excogitans honorem, et eos qui eo dignati erant, præsidere præfectis Prætorio constituens.
ἔμπρακτος, actuosa, ministerium exercens.
350 εὐνοῦχον, eunuchum inter patricios non admittere.
ὃν ἑαυτῷ, quem sibi ipsi patrem constituit.
351 φροντιστὴς, minister eorum possessionum habens et sub domorum comite: est autem is in Cappadocia, qui subest privatorum comiti.
352 ἡγούμενον, ducem regiorum.
ἡγεμόνα, ducem officiorum palatii.
353 καὶ τῆς εὐνῆς, et cubiculi minime suspectos custodes esse: id enim nomen perhibet.
Εὐτρόπιος, Eutropius enim eunuchus Principiã cubiculo præpositus fuit, et consulatus dignitatem primus inter eunuchos consecutus est.
οἱ τοῖς, qui Principis cubiculi ministerium habent, quos eunuchos dicere consuevimus.
πρωτοσπάτης, Principis subscriptionibus præpositus.
354 τὸν τῶν, scribam arcanorum, a secretis vocant.
σεκρετικοὶ, secretici ab eo, qui secretis præpositus est, referuntur, vel a ministris, qui ei subsunt.
355 μὴ προκριμάτισθῆ, ne matriculæ præjudicium inferatur.
οὐ βλαβήσεται, detrimento non erit descriptio in actorum tabulis importantibus in conventu, discrepantium in conventu.
356 οὕτως, sic digere, sic corrige.
357 σκρινιάριος, scriniarius, qui scriniolum, sive arcam fert.
358 κομήτων, comitum, alii quidem primo ordine dignati sunt, alii secundo, alii tertio.
οἱ δέ γε, Qui quidem omnis exercitus ductores, et comites, et omnem magistratuum ordinem, quibus etiam Principem prius adorare jusserat.
κεφαλὴ, caput rogatorum francorum.
360 τῶν χαμ. dignitatum inferiorum.
διὰ τῶν, per tota a silentiariis lata.
361 γενικὸς, generalis.
362 τῶν δορυφόρων, satellitum aliquis, quos domesticos Princeps vocat.
δομεστικοὶ, domestici equites Romanorum, qui apud Romanos familiares milites.
364 ἀσυνδέτως, disjunctim.
προσάγειν, honorem habentes admittere preces daturos.
367 οὐκ ὡς πατρῷον, non ut avitam hæreditatem, sed Principis benignitatem.
369 ὑπὲρ τῶν, super iis, qui dicti sunt inducentes.
ταχυγράφοι, velociter scribentes.
συμμαρία, summaria, compendia velociter scribentium.
ἐκέλευσαν, jusserunt notariis scribere. Anysio Principis ministro, et Callicrati exceptori Rufini Præf. Præt., et Olympio, et Nicetæ, et Basilio a memorialibus
370 οἰκειακὸν, familiarem.
πλινθίον, parvus later.
377 περὶ, de curam habentibus publici cursus.
378 διασαφητικὸν, declarationi inserviens.
380 τὸ ἀργυρον, argentum hoc est quod Romani miliarisium vocant, quod interpretatum militare donum.
383 μηνιστηριανὸς, ministerianus (dictus qui) castrensianus.
ὁ πονηρότατος, improbissimus tunc temporis officiorum comes.
385 τὴν τοῦ, eum qui Nobilissimi dignitatem a Justiniano obtinuerit.
389 ἦν δὲ οὗτος, erat quidem hic vir Imp. Justiniani satelles, dein candidatorum in numerum allectus est.
391 δωνατικὰ, donatica distributio, quæ dator a Principe exercitibus.
χωρὶς τῶν, præterquam in privatis locis ipsis vetitis.
397 δίπυρος, bis coctus, et exsiccus panis, et paxamadium.
ἐτέων, sollarum carolam susceptorum, quibus exercitus autitor.
398 βετερινοῖς, veterinis.
ὑπομνηματοφύλακες, monomentorum (memorialium) custodes.
400 ἀπαργυρίσασθαι, adærare (ære mutare) liturgiam, id est pro liturgia, et ejus munere fungendo dare pecunias.
402 καὶ μὴ, neque secundum consuetudinem, quæ hactenus viguit.
405 τούτους γὰρ, his enim non oportet argentum concredere.
Μετάτωρ, metator, qui ad Præsidem nuntius præmittitur.
406 τὸ δὲ, id autem alterius Urbis, dicitur de Damasco et Irenopoli.
407 συνήγορος, advocatus.
σάβανα, sabana.
κοιτῶνα, cubiculum.
εἰς τοὺς, ad turres novi muri Constantinopolis in pedeplanis subsistunt.
409 ἀφοπλίσας, exarmantes.
κομμέατον, commeatus, veniam accipientem abeundi.
δότε μοι, date mihi scriptorem discessus, (commeatum) ut militibus Principes (solent) et si is velit, cum testimonio secundo.
411 διὰ τῶν, per arma (obtinere) vim facere.
412 ἐγκατελέξαμεν, te allegimus in familiarium (sumorum) ordinem: sunt autem hi ab iis, qui impleverunt, et militarunt.
415 σκρινιάριος, scriniarius ex decurio ordine Præfecti Præt. qui est chartarum custos: scrinium enim tabularum, arcam Romani vocant.
416 καὶ ἐστιν, sunt autem angariæ, transitus per publicam viam, (publicum) cursum habentem: ut puta hinc in Tyrum. Parangariæ vero transitus per viam obliquam, puta hinc in Heliopolim.
τὸ παλαιὸν, olim erat cursus latus (amplior) dictus (cum vehiculis) per vehicula.
ταχυδρόμοι, veloces cursu.
ὁ δὲ ἱπποῖς, qui publicis equis vehitur, quos veredos vocare visi sunt.
τῶν δημοσίων, publicorum equorum cursum.
τῶν τὰς βασιλ. missis, qui Principis responsiones (ferunt), quos veredarios vocant.
419 τοῦ δημοσίου, publici cursus equorum stationes.
420 τὸ παλαιὸν, olim erat cursus amplior, qui dictus per vehicula.
421 τρακτωρίαι, tractoriæ dicebantur jussa, quæ a Præsidibus fiebant prætextu animalium cursualium, quas combinas ipsa Romanorum lingua vocat, hoc est tesseras.
πλαστοῦ, falsæ tesseræ (duplomatis falsi.
οὐκ ἔτι δὲ, non autem et iis, qui ad ministerium ipsius sunt: excipiendi tamen qui ad comitatum animalia ferunt Principis ministerio apta.
424 πριμίπιλον, primipilum est, quod principibus jaculatoribus militibus datur cibarium, ut id ipsis distribuatur.
ὁ διατροφὰς, cibaria militaria publico debens.
425 ὀρδινάριους, ordinarios.
431 ἐνεχυριασμοὶ, pignorum oppignorationes.
433 ῥητόρων, rhetorum, κτητόρων, possessorum.
ἐκδίκους, defensores scholasticos.
ὅταν, deinde scholasticos effectos omnium causidicorum novitius et extremus est.
τὰ λόγῳ, quæ ratione solatii accipiuntur.
436 τήβεννοι, tabennæ, togæ.
εἴτε, si laurata nuntiarent (deferrent.)
442 θυμὸν, curam in pectoribus animam necessitate (angustiis) confecti.
παρατηρημάτων, observationum.
445 τοὺς παλαιοὺς νόμους, omnes veteres leges renovavit, librum conficiens, quem et Novellas Constitutiones vocavit.
νεαραὶ, Novellæ post Codicem.
449 ἀλλὰ κἀκείνου, sed et super illo providimus.
450 τὸ ἀφαιρούμενον, quod ablatum est, aliis bonis adjiciatur.
453 ληγάτ, de legatis.
διετάξατο, statuit legatum accipere.
ἀγνωμόνως, indevote, per contumaciam.
αὐτὸν μὲν, ipsum quidem recedere.
ἀνήβοις, pupillis.
εἴτε στρατιωτικοῦ, sive militaris.
καὶ ἦν τις, et erat quidam palatinus.
Εἶτε καὶ, dixit et filius palatini morbo minime laborans erat confectus.
454 τὸ πρῶτον, primas nuptias statuit lex: secundas permissio: tertias legum inobservantia: quartas vita porcis conversione.
455 ἀπαιδίας, orbitatis.
ἐν κτήμασιν, in possessionibus, ἐν χρήμασιν, in pecuniis, rebus.
456 τούτῳ τῷ, hac peculiari lege, ταῦτα, hæc peculiaria.
γενικῷ, generali.
ἡγεμονικῷ, principali.
ἴδιον, peculiarem.
σχῆμα, habitum.
ἀναγνώστας, lectores.
ἀγνώστους, ignotos.
ἀγνώστοις, ignotis.
ἀναγνώσταις, lectoribus.
περιμένοντα, circumeuntes anus, viduas quasdam.
πρεσβύτιδας, προκαθημένας, seniores (feminas) ætate provectas.

COL.

456 δεῖπνα, prandia varia.
ἀντὶ τῆς, pro alimentorum expensis.
458 νόμον παλαιόν, veterem legem.
ἐγγυηταῖς, sponsores enim et hujusmodi juvare sanctum est.
δυσωπίαν, vitiosum pudorem.
ταῦτα, eadem dicenda sunt.
καὶ οὐ τοῦτο, nec id duntaxat in creditoribus.
459 παραβάτης, transgressor, apostata.
καθαίρεσις, regradatio.
ἀφορισμός, excommunicatio.
καταφρονοῦσιν, contemtui omnia habent, et communis ducunt.
ἐν πρὸς τοὺς ἐν. alterum ad monachos qui in cœnobiis, seu congregationibus, degunt.
ἐξέδρα, exedra, frenum, ala, sella, evis, equestris acies.
ἀφῆλιξ, improlis, non genitus.
ἀφῆλιξ, improlis nondum civitatem adeptus.
ἡσυχαστήρια, *hesychasteria*, loca in quibus silentio peragitur.
κελλεία, cellæ et quæ lauræ vocantur, in eremis esse.
λαύρα, laura, angusta monachorum habitatio.
460 κουρᾷ τε καὶ, tonsura et veste.
Ζώσιμος, Zosimus.
τὴν καλουμένην, ipsi dari quæ vocatur fides, commeatus.
λόγον πίστεως, commeatum.
καὶ πίστεις λαβὼν, et fides, commeatus accipiens, ut nihil mali subjiciat id quod lex altera nostra statuit.
τοῖς ἱεροῖς, sacris nostris legibus censemus uti, et hanc addere, quis, ex virtute, non ex temporibus, sacra imperia præstantur, ut super venerabilibus monasteriis, vel ascetériis non omnino præstante, suppetente, desistente (Duce) vel Ducis successor (adjutor), vel alterum imperium fiat.
ἀρχιμανδρίται, archimandritæ.
ὁ νῦν μὲν, qui nunc quidem nullus, cras maximus.
χθὲς δοῦλον, heri servum perjurum, hodie tyrannum.
οἱ χθὲς σκυτοτόμοι, qui heri sutores, hodie arma gerentes.
χθὲς ἱερόσυλοι, heri sacrilegi, hodie sacerdotes. Heri extra sacra, hodie sacrorum principes.
διὰ τῶν διαρίων. per diario.
461 γράμματα, commendatitias epistolas ab ipso accipere.
συστατικὰς, commendatitias, εἰρηνικὰς, formales epistolas, commeatus, *pl. ead. pag.*
συστατικαὶ, commendatitiæ, εἰρηνικαὶ, commeatus, licentiam abeundi præbentes, *pl. ead. pag.*
Ἐν ἀπολυτικοῖς, in literis dimissoriis, diplomatibus, quibus ex gentibus in gentes mittimus efflagitantes, indigentes.
λωβοτροφεῖα, loca, in quibus mutili, et vitio affecti nutriuntur.
ἀντίδωρα, remunerationes.
ἀντιδώρῳ, remuneratione, *antidoro*.
462 αὐτουργιῶν, prædiorum sua sponte fructus dantium, *auturgiorum*, *pl. ead. pag.*
παντα, omnia quæ faciliter multos fructus dant.
463 ὁ Θεὸς, Deus quidem noster nec lancibus indiget nec poculis. Nam neque comedit, neque bibit, quippe qui nulla re opus habeat.
ἀντιχρήσεως, antichresis.
λειτουργία, liturgia, missa, *pl. ead. pag.*
λειτουργίαν, liturgiam.
μετὰ τὸ ἐξελθεῖν, post egressum.
καὶ τῶν προσιμ. et accedentium, et abscondentium.
464 ἀντίδωρον, *antidorum*, remuneratio.
μηδὲ παντὶ, nec omni manere.
μηδ' ἐπ' ἀντιδώρῳ, neque sub remuneratione.
Καὶ συλλογίζεσθαι, Et computari (mercedem) ex pretio collecto, coacto.

COL.

464 ἐρείπια, *eripia*, proprie lapsus ædium dicuntur.
Θεουπολιτῶν, Deipolitarum (Antiochenorum).
ἀπορός τις, dubia quædam et incerta possessio.
δεσποτικὰ, despotica .i. ea, quæ domino dantur.
σύμβολα, commonitoria. *bis ead. pag.*
ἡ παρὰ Ἕλλησιν, qui apud Græcos coctus later, laterculus a Romanis dicitur: erat autem later publicus, in quo Senatorum, et exercituum nomina describebantur.
465 τοὺς ἐζημιωμένους, damnum passis.
περὶ τοποτηρητῶν, de vicariis (locumtenentibus) *bis ead. pag.*
βιοκωλύτης, qui vim, et deprædationem arcebat.
ἀφοπλισμοῦ, armorum ablationis, exectionis, ne arma auferrentur.
466 καὶ χρίεται, et ungitur Imperatorio more ab Archiepiscopo Bulgariam tunc temporis gubernante: pluribus enim aliis ipsam ex vetusta decoravit Imp. Justinianus natalem ipsius patriam, et primam Justinianam nominavit, et nomen quidem mutare imposterum constituit.
καὶ βασίλειον, et regiam sedem cum urbem futuris (Imperatoribus) esse sanxit, quam Archiepiscopatus honore decoravit imp. Justinianus, et primam, ut diximus, Justinianam nominavit: deinde illius gentis dato ei nomine, Bulgaria dicta est ea regio, et metropolis Bulgariæ, prima Justiniana.
ἀθέριτος, nefarius.
467 ἀκούσιον, involuntarium in pœnitentia, in mutato consilio est.
468 νυκτοστρατηγός, νυκτερινὸς στρατηγὸς, νυκτέπαρχος, Dux per noctem, nocturnus dux, noctis prætor (præfectus vigilum.)
στενωπάρχους, angiportuum, vicorum Præfectos.
469 συναρπαγὴν, obreptionem, raptum.
τῇ τε ὑπατείᾳ, consolatu conjunctos Prætores.
δευτέραν, secundum ipsis per legem dantes ordinem.
τὰς μεγίστας, maximi principes consilii.
τοῦ ὑψηλοτάτου, altissimi gradus.
470 πρ., de distributione precii militum.
παραγγέλματα, ὑποθήκας, ἀποκρίσεις, monita, præceptiones, responsa.
471 λόγους, verba, fidem.
λόγους ἀσυλίας, fidem publicam securitatem.
περὶ φονευόντων, de occidentibus cum gladio.
ἡ τοῦ Μωσέως, Moysis lex declarat. Homicidam ex altari capias; sed et ex Justiniano non est asyli locus adulteris, et puellarum raptoribus, et latronibus, et homicidis.
τῶν δημοσίων, publicarum descriptionum, censuum custodes.
472 δείγματα, characteres, signa.
ἐπειτοιγε, alioqui et gratuito lites audire.
ζυγοκεφάλως, jugationum, et capitationum zygocephalorum.
νόμιμον, legitima portio, legitima sors, ratio.
τῶν ἐξ ἀδιαθέτου, eorum qui ab intestato.
473 πάσης, omni conditione, omnique dilatione ablata.
477 ὅσον, quicquid ambobus (parentibus) a liberis recte natis debetur, id omne accedere oportet e patre carentibus, ad matres.
479 ἤδη μὲν, olim enim sacram legem fecimus.
καὶ παρῆ, et adsit nobis præstantissimus quæstor.
κόμης τῶν οἰκείων, comes familiarium.
τῶν οἴκων, domorum.
κατὰ τὴν φύσιν, ex natura aut imperii, propriæ jurisdictionis.

COL.

480 μετ' εὐφημίας, cum commendatione, sine contentione.
οὐ δύναμαι, non possum ab Andromache uxore recedere, vetat enim charta, et lex Ausonis.
κατὰ προπέτειαν, per insolentiam, temere.
παρὰ τῶν πρὸ ἡμῶν, ex iis qui ante nos fuernet.
σύμβολον, indicium, symbolum.
482 τὸ λεγόμενον, quæ dedit a nobis repudium appellatum.
πῶς σύ, quomodo prudentiam exigis, contra vero minime præstas?
483 ἀπὸ, ob mortem.
484 ἄωρον, immaturum.
ἀπαιδίαν, orbitatis.
486 διομοσαμένη. jurata. διεπαγγειλαμένη, nunciata.
ἱκανοδοσίαν. ἀσφάλειαν, satisdationem, cautionem, securitatem.
488 οἱ δὲ αἰτίας, bis sine omni causa.
τῷ ἐνδοξοτάτῳ, illustrissimo, gloriosissimo magistro militum.
κατὰ πρόληψιν, per præsumptionem. *pl. ead. pag.*
ἐκ προλήψεως, ex præsumptione.
ὡς προλήψει, ex eo, quod præsumptione videatur ipsi pretium remittere.
οἱ μάρτυρες, testes vel dignitatem, vel militiam, vel officium optimamve substantiam habentes, ex præsumptione (excipiendi) admittendi sunt.
τηνικαῦτα, tunc omni liberalitate.
τὸ φιλοτιμίας, verbum liberalitatis hic non de donatione propter nuptias videtur dictum, vel de muneribus sponsalitiis; hæc enim ut debitum, filiis omnino debentur. Sed illud dicitur proprie liberalitas, idque admittit quæ secundo nupsit, quod futura erat lucrari, puta legata, dona, et alia hujusmodi, in quibus, filii ipsius quæ non nupsit secundo, nullum jus habent. donationis vero propter nuptias, quæ secundo non nupsit filii quidem accipit partem (per dominium) per proprietatem: quod si deliquerit (denuo nubens) et ea privatur, et habet partem secundum usum tantum: neque hanc alienabit, avellitur enim e filiis quod actum erit.
πρόνοια, attamen provideat.
489 ἀποραστιῶν, προφάσεων, negationum, occasionum.
οὓς δὴ, quos quidem et Prætores vocabant.
οἱ μὲν Σικελίαν, qui quidem Siciliam.
περίγε αὐτῶν, de ipsis Consulibus.
ὃν ἄν τις, quem Græcorum aliquis *harmosten* diceret, quod et Lacedæmonii potestatem habentibus indulare nomen.
490 ἀναχωρητικῶς, per raiatienem.
ταμεῖον, cubiculum ubi reposita opes, ærarium.
ἧ τινι, quo in Africa Romani primum.
οὐ γὰρ, non enim quis tale quid fisco intulerit.
ὥστε καὶ, ut et publicam substantiam faciat.
491 ἀπὸ γενικῶς, a generalibus, a censue magistris.
λέξις τὸ ἀγέρωχος, verbum *agerochus* hæc tria significat, gloriosum, et superbum, nec non injuriam. *agerochi* gloriosi hoc pacto rationem nominis ducit.
ξηρῶν καρπῶν, fructuum aridorum.
492 βινδικας, vindices.
494 χορηγὸν, militaria sumptus dispensatorem.
στρατιωτικὰς δαπάνας, militares expensas.
ἀφορισμός, excomunicatio.
τῶς τις, eorum quæ pulchre, non velociter scripta sunt.
νεκροφόρος, vespillo barbarus. prædictionis barbaræ.
νομικοί, ἀγοραῖοι, legum periti, forenses.
495 ἀπὸ τοῦ σχίζειν, a scindendo.

COL.

495 γενικόν, geumalem
διὰ πάντως, semper.
δύο πάντως, duo omnino.
περὶ συμβολαίων, de (symbolis) instrumentis.
τὸ μίγμα, mixtio consiliorum personarum inter se convenientium, symbola dicitur ideo quæ inde fit descriptio symbola vocatur, quale monumentorum conventorum cum contrahentibus, sive se commiscentibus, et consentientibus, et in hoc unum simul suas sententias colligentibus.
τοῦ βαθμοῦ, proprii gradus.
496 δασεῖα, spiritus asper.
ὁλογραμμάτους, integre scriptas. *bis ead. pag.*
αὐτοκράτωρ, Imperator integre scriptus.
αὐτοκράτωρ, ἐπειδὴ, Imperator; quoniam huic respondet integre scriptus, ideo omnibus characteribus, omnibus syllabis scriptum est.
ὁλογράμματα, integre scripta.
ὡς ἐν πλάτει, veluti latius.
497 ἡ παρασημείωσις, adnotatio ipsa eget comparatione.
498 θεοὶ γὰρ, Dii enim in bonis, et justis confessionibus gaudent adhiberi, non in turpibus, et injustis.
σωματικοὺς ὅρκους, corporalia juramenta.
499 συνδικαστὴν, eum, qui simul judicet.
500 ἀντιβιβλίῳ, responsionis libello.
δεκαπλασίαν, διπλασίαν, decuplam, duplam.
501 Εἰσελαστικά, Iselastica.
502 ὥστε μὴ, ne sacra Dei contaminentur.
ἀῤῥήτῳ, arcana virtute, et quæ aperiri nequit.
ἀῤῥήτῳ φιλ. indicibili humanitate, et mira œconomia.
πρὸς Θεοδώραν, ad Theodoram Canonicam de vita canonica.
περὶ τοῦ μὴ, de (mulieribus) canonicis quod non deceat cum viris habitare.
Συκαὶ καθ' ἡμᾶς, Sycæ apud nos Justinianæ adnominatæ
503 μνημόσυνα, mnemosyna.
ἐννάτη, nono quidem die aderam post Principis mortem, et omnes nobiles mulieres aderant justa perficientes, et mnemosyna
Πλωτῖναν, Plotinam defunctam honoravit, ut et in dies novem lugubribus vestibus indutus fuerit.
505 κακὸν πρᾶγμα ἔχων, malam causam habens.
506 ἀπαιδίας, orbitatis.
507 ὑπὲρ τοῦ, pro absente proprie gerentem.
νομίμως, juste, legitime gerentem.
508 ἀποδείξεις, *apodixes*, documenta æris alieni.
509 ἀνελλόγιστον, ratiocinibus reddendis non obnoxium.
δύω πάντως, διὰ πάντως, duo omnino semper.
πέντε μαρτύρων, quinque testium.
510 τὰ χρυσᾶ, aurei filii Principis appellatione, lege tui filii facti.
κυρίαν, dominam vocabat.
αἱ γυναῖκες, mulieres statim ab annis XIV. a viris Dominæ vocantur.
τῶν προτέρων, priorum. τῶν πατέρων, patrum.
511 νόμους, asperas leges adversus impudicos.
Λέων, ἐνομ. constituit Leo, clericos in præfecto Prætorio duntaxat judicari.
ἐν τῷ διακονικῷ, in diaconico.
512 τῆς ἀργίας, inertiæ sub Dracone infamia pœna erat. Sub Solone autem qui tertio deliquisse compertum esset, infamia notabatur.
Ἀθήνησι, Athenis inertiæ causæ (actiones) sunt.
μία, ὀλίγου δεῖν, una prope omnibus delinquentibus pœna statuta erat, ut et inertiæ, ientitudinis damnati, morti darentur.
χαμαιδικασταί, terrestres, pedanei judices.
διαιτηταί, cognitores sorte electi.

COL.

512 νόμων καὶ πείρας, legum et experientiæ.
513 ἐν σχήματι, per adnotationem (more adnotationis.)
τουτέστι μὴ, hoc est non fieri acta ampla (latiora, integra) in judiciis mediis (quæ in medio fiunt) et omnes litis partes descriptas habentis.
παρασημείωσις, adnotatio, hoc est, præcipua eorum quæ dicta sunt, comprehendens, et ea veluti in synopsi scribens, et paucis.
ἀναψηλαφήσεως, retractationis causæ.
514 τὴν στοάν, regiam porticum, ubi olim jus dicebatur.
μηδὲ φαίνεσθαι, neque apparere æquius lege.
οἱ βαλλιστάριοι, ballistarii sub cura Patruum civitatum sunt.
515 παραμήρια, enses qui fœmori aptantur, pugiones.
τῷ παραμηρίῳ, ense (fœmorali) caput ipsius abscidit.
σιγύνους, sigynnos hastas, spicula.
σιγυννοι, sigynni.
σιγύνην εὐρυκάρηνον, hastam vasto capite.
516 ἐπὶ τῶν, in iis, quæ fortuito accidunt.
517 ὁμολογία καθωρισμένη, confessio determinata.
ἑκάστης, singula productione diem unum, comprehendente.
ἐπειδὴ, quandoquidem scimus.
τοῖς περὶ, de his qui circa Eusebium erant, ut inimicis exceperat.
μεσεγγυητάς, sequestres.
μετάζοντας, μεσιτεύοντας, mediatores, conciliatores.
μονομερῶς, non dustaat parte præsente.
519 καὶ περ ἀπαγ. lego quidem prohibente nullo pacto Præsides migrare.
τὰ τῆς ἀρχῆς, imperii insignia, et dignitatis ornamenta.
520 φανερὰ οὐσία. ἀφανὴ, evidens substantia. obscura locuples. tenuis.
521 παρὰ, tanto minus accipere
παρὰ τοσοῦτον, συνεισφ. tanto minus collationem facere.
ἐμπορικῶς, mercatorum more.
ἀλληλέγγυοι, duo rei debendi; qui invicem spoponderunt.
522 τήβεννος, τίβενος, trabea. toga. tabenna.
τὴν περιπορφ. purpuream vestem Romani tabennam vocant.
λαμπρὰν, candidam tabennam, candidam vestem.
ἐν τῇ ταβ. in veste tabensica, in toga.
ὑπατείαν, consulatum.
ὑπατείαν, consulatum, sparsionem multam.
μονημέριον, *monemerium*, spectacula unius diei.
εἰς τὰ μονημέριον, in *monemerium*.
ἀπὸ παγκάρπων, a lignis fructus omnes (varios) ferentibus.
πάγκαρπος, *pancarpus*; omnes fructus ferens.
πόρναι, meretrices.
Ἑπτὰ, Septem sectium.
προσέρχεται, accedit autem, cum ipsis annuerit, stola.
αὐτός, ipse.
525 κολακικὰ, blanda (per adulationem obtenta.)
συνδικαστὴν, eum qui simul judicet.
529 συμπόνους. παρέδρους. συνέδρους, συγκαθέδρους, participes. adsessores. consiliarios.
530 ἐπί τινι, in aliqua quantitate.
ἵνα ὁ δαν. ut creditor possideat.
ἀντίχρησις, *antichresis*. (mutuus usus)
Ὀδήσσου, Odessi, et Tomi.
μίσθωμα, merces.
531 χρῆναι, opus esse iis, qui proprias ecclesias derelinquunt, omnem ecclesiam auferri.
κύβους, cubos, acuta perpolita ossa, quibus utuntur alea ludentes.
πεττοὶ, tali, sunt bolis, quibus utuntur alea ludentes.
δημοσίαν, publicum congressum.
533 τῶν ἐρήμων, eremorum, ac desertorum fundorum.

COL.

533 ἐπιβολῆς, superindictionis.
ὁμοκήνσους, ex iisdem fundis simul pendentes census *pl. ead. pag.*
ὁμοδούλους, conservos, fundos, vel servos fundorum ratione iisdem dominis servientes.
534 ἀγωγικὰ. παραπομπικά, ea quæ pro ferendis, et mittendis mercibus penduntur.
σιτῶνας, frumentarios.
535 ἐπιδημητικῶν, epidemeticorum.
536 ἐπειδήπερ ἐν πολλαῖς, quoniam in multis, etc.
τύπον δὲ δέδωκε περὶ τῶν ἐπισκόπων, καὶ οἰκονόμων, καὶ ὀρφανοτρόφων, καὶ ξενοδόχων, ὥστε μὴ. Formam autem dedit de episcopis, et œconomis, et orphanotrophis, et xenodochis, ut hæredes hi habere non possint, nisi in iis, quæ habeant, antequam crearentur, in sua substantia; de his quidem disponant: a quo autem momento fuerint electi, facultatem non habeant de his quæ acquisiverint, disponendi; sed in his omnibus venerabilem domum succedere.
παροχάς, largitiones, munera.
537 εἶδον ἐγὼ ἐλεεινὸν θέαμα, παῖδας ἐλευθέρους, miserandum ipse spectaculum vidi, liberos ingenuos ob æs alienum patrum, trahi ad prætorium.
539 αὐτομάτως, sua sponte.
540 ἀνδρομανίαν, hominis furorem.
βιοκωλύτης, ad vim, et deprædationes prohibendum præpositus.
543 τῆς ἡμέρας, diei τῆς ἡμετέρας, nostræ.
544 Κιντίου Σεντίου Cintiæ, Sentiæ legis.
545 ἐπαρχικῶν, formarum Præf. Præt.
περὶ ἐπιβολῶν, de superindictionibus, de adjectionibus, quæ ob prædia deserta feracibus irrogantur.
ἐπιβολῇ, superindictioni.
ἐπιβολὴ, ἐπιβολὴν, superindictio, superindictionem.
εἴποτε τοίνυν τὶς κατὰ τινα τῷ νόμῳ γνώριμον αἰτίαν ἐκποιήσειν ἀγρὸν, ἢ χωρίον, ἢ γῆδια, ἢ σύγκτησιν ὅλην, εἶτα τελευτήσας ὕστερον παραπέμψεις τὴν αὐτοῦ περιουσίαν εἰς ἐξωτικοὺς, ἢ παῖδας, κρατεῖν τὸν ἴσον τρόπον ἐκποιήσιαν τῆς περιουσίας, ἢ διαδέξαντο, χωρίον, ἢ ἀγρὸν, ἢ γήδια, ἢ σύγκτησιν, τινὰ, καὶ τὸ παρά. Si quis igitur ex causa lege probata agrum forte alienaverit, vel fundum, vel territorium, vel integram possessionem massam, postea decedens bonorum reliquum extraneis, vel liberis reliquerit: qui pariter ea substantia, quam comparaverunt, fundum, aut agrum, aut territorium, aut compossessionem aliquam alienaverint, et id quod a successoribus alienatum, desertum sit effectum; ut locus sit epibole (adjectioni desertorum agrorum ad feraces): Neque omnibus simul (bonis) prius possessis, neque justa successionis ordinem inferri onus defecti prædii ex conservis (eidem domino servientibus) jubemus: sed prius quidem, quod ab illius filiis vel extraneis successoribus possessum quod nunc defecerit, et immobilia bona ipsorum epibolen (superindictionem) pati. Desertus autem cum is ager apparuerit, pariterque ipsius possessio: in ceteris bonis ipsi relictis, onus irrogari. Sed si neque horum prædia ad tributorum præstationem sufficiant; tunc in primum dominum, qui illis, vel extraneis id transmiserit, ut possumus initio, et in res soli ipsius (si id ferat illius substantia) reverti: et hoc pacto ea sterilitate (deficientia) omnium, ie eum iri, qui a priore domino fundum, agrum, vel territorium initio comparaverit, vel ex legitima quavis causa acceperit. Idem dicendum est, si forte multæ interim successiones fuerint, donec enim qui conterminus est (qui adhæret) fertilis, ac idoneus sit, nihil

COL.

eos turbari, qui antiquiori tempore prædia habuerunt, nec illorum substantias docet: et hæc quidem ita statuta sint. (Epibolæ) Adjectiones autem defectorum agrorum, omnibus inferantur, cum multi sint, et eundem ordinem habeant, (etsi parvi sint agri) pro rata fertilium fundorum, qui ex eadem substantia quocumque pacto pervenerint, fieri, et tunc fundorum idem tributum pendentium onus ipsis irrogari: quando et desertum prædium ipsis pro rata tradi contigerit; vel quando ad id suscipiendum, ipsis vetitum sit. Ad hæc æquum minime est, pro bis alicui tributorum onus irrogari: tuæ igitur claritatis erit, ut ea hoc pacto fiant, diligenter curare. Quod si hæc ut statuimus non serventur, noris pœnam te decem auri librarum cum officialibus tibi datis, præstiturum, vel etiam aliam, ut par fuerit, majorem subiturum; nihilque minus ea quæ a nobis statuta sunt, et sic vigere debere, hujus enim gratia, ut Nicomedia ea nostra potestate ablata est.

516 περὶ ἐπιβολῶν, de adjectionibus, quæ ob prædia sterilia fertilibus irrogantur.

Βάσσου τοῦ ἐνδοξοτάτου, Bassi præstantissimi Præf. Præt.

Βάσσου τοῦ ἐνδοξοτάτου, Bassi præstantissimi Consulis.

ὑπάρχου, Præf. Præt.

εἴτις ἀκινήτου τινὸς, ἀντιλαβέσθαι σπουδάζων, ἀρχικὰς ψήφους πορίσοιτο, ἐπὶ μὲν τῆς εὐδαίμονος ταύτης πόλεως ἀρκέσει τυχὸν ἡ τάξις τὴν σχολὴν μαρτυροῦσα τῆς τῶν πραγμάτων νομῆς τούτων, ἢ καὶ τῶν γειτόνων ἡ αὐτὴ τάξις λέγει μαθεῖν, ὡς οὐδεὶς τῶν πραγμάτων ἐπιλέληπται. ἐπὶ δὲ τῶν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις κειμένων ὑπὸ τοῖς τῶν, si quis rem soli aliquam apprehendere cupiens magistratuum sententias ferat; in felici quidem hac civitate sufficiet fortasse ordo executorum asseverantium vacuam ejus rei possessionem esse; sive ex vicinorum testimonio, ipse executorum ordo dixerit scire, quod nemo bona apprehenderit. In rebus autem, quæ in provinciis sitæ sunt, sub locorum defensoribus monumenta, (acta) quæ id ipsum fieri operantur, oportet confirmari, et parare, testimonium quidem vicinorum habentia: tunc autem copiam facimus sententias petentibus res occupare: et iis pariter qui ex aliquo contractu accepturi rem aliquam sint, talemque possessionem, vel dominium sibimetipsis quæsituri, necessaria defensorum civitatis in provincia testimonia ducimus; ut ex monumentis, quæ apud ipsos confecta sunt, traditio operator; sive mandata (commissiones) forsan scripta colonis sint; sive sine mandatis traditio futura est, cum adsit defensor, et colonos, sive phrontistas oportet confiteri apud acta, et consensum præstare; ut novum sciant possessorem, ac dominum, et ex sententia tradentis sequatur id ipsum ei concedentis; at si defensor non adsit, clarissimum Præsidem provinciæ, hæc acta conficere jubemus; vel sanctissimum Sacerdotem Urbis; in qua prædium est, super quo hæc aguntur, si fortasse longe absit Provinciæ præses a loco ubi traditio fit. In hac autem Regia Urbe, et exactiones, et testimonia, quæ super traditione desiderantur, tempus sufficiens iis dari, qui adepturi erunt, decernimus.

ἐπιβολὴ, superindictio, *pl. ead. pag.*

ὁμοδούλων, ἢ ὁμοψήφων, conservorum, simul subjectorum uni domino. (prædiorum) vel simul censum pendentium.

547 ὁμόψηφα, simul censum pendentia.

προστάττομεν κήνσῳ, ἤγουν ἀπογραφῇ, χωρία φέρεσθαι μόνον, οὐ μὴν οἰκίας ἢ ἄλλα πράγματα: ἡ δὲ ἐπιβολὴ ὁμοψήφοις γίνεται: φυλάξει δὲ τοῦτο ὁ τοῦ ἔθνους ἡγούμενος, καὶ ἡ πειθομένη αὐτῷ τάξις, καὶ οἱ πράκτορες τῶν δημοσίων εἰσφορῶν, ἀνὰ τριάκοντα χρυσίου λιτρῶν ὑφορώμενοι ποινὴν ταύτῃ τῇ ψήφῳ, καὶ νῦν ἀκολουθ, jubemus censui, sive descriptioni prædia duntaxat subjecta esse, non vero ædes, aliasve res, accessioni autem, et in tributioni prædia eundem censum præstantia obnoxia sunt, id autem servabit gentis Præses, et qui ipsi parent officiales, et publicorum tributorum exactores xxx. auri librarum pœnam præstituri hac constitutione: et quæ sequuntur generale facimus formas, ut nulla detur epibole (adjectio) de eidem servientibus, vel eundem censum præstantibus (fundis) statuta, super ædibus, nec super civili annona, vel alia quavis re in censu non descripta. Hæc serventur: hæc ubique mandentur. qui deliquerint, decem librarum auri pœnam præstabunt, et eorum substantiæ habita ratione, non minus damni unquam patientur. Qui enim in his injustitiam passi sunt, habeant adversus delinquentes, et eorum hæredes, et ipsarum rerum actionem, quod damnum præter legem substinuerint: illustribus Præsidibus, et qui ipsorum ministerio sunt, officialibus, et omnibus ubique locorum defensoribus populorum, quæ a nobis generaliter statuta sunt, servaturis, et pœnam hac ratione illaturis.

191 ἀντίδουλοι, qui servorum loco sunt.

592 στέρησιν αὐτοπραγίας, privationem potestatis agendi quæ velis.

ἐν κτήσει, in possessione.

ἐν ὑποταγῇ, in subjectione.

593 περὶ στρατιωτῶν, de militibus.

ἐκ τῆς κοινότητος, non selectos, vulgares.

πλωϊμοὶ, πλωτῆρες, navigandi periti, nautæ, classiarii.

συντηρεῖσθαι δὲ εἰς ἑκάστην στρατείαν, ἱππέων μὲν τεσσάρων λιτρῶν ἀκίνητον κτῆσιν, οὓς ἀριθμεῖσθαι κελεύομεν, καὶ ἐπὶ τῶν πλωΐμων τεταγ. servari autem in unamquamque expeditionem equitum quidem, rem soli (prædium) quatuor librarum: quibus numerari jubemus et classi addictos ac statutos nautas Ægæi pelagi, et Sami: reliquos vero classiarios duarum librarum.

594 ἢ αὐτῶν, ἢ ἐκείνων, vel ipsis, vel illis.

ἢ αὐτῶν ἐκείνων, vel illis ipsis bonis suis cedentibus.

εἰσδεκτικὰ, præstationes, quæ fiunt, ut in possessionem mittantur.

595 ... εἷς δέ τις ναυχὸς ἀνὴρ βουλῇ. unus autem aliquis navium dux consultor fiat.

596 ὅπερ ἐν τοῖς Ῥωμαίων στρατεύμασιν ὁ βασ. in Rom. exercitibus, qui regium signum habet, apud latinos Marchio dicitur.

597 προσήκοντες, spectantes, pertinentes, utiles.

599 ἀντίδωρον, remunerationem. *bis ead. pag.*

ἀντίφερνα, quæ contra dotem, dotis vices dantur.

602 μονόμαχον, eum, qui solus pugnat, præcisum.

μονὸν, singularem.

604 παραμοναρίους, permanentes, mansionarios.

μονὴν, mansionem.

σύγκτησιν, compossessionum: possessionum massam.

ἐναλλαγὰς, mutationes.

605 φήλωσις, fraus, impostura, deceptio.

ἀντωμοσία, conjuratio.

606 ἀργὸν, inera.

ἀκινητες, qui torpens erat in concubitu, dicebatur *argus* (iners):

καὶ γυνὴ, et mulier veneficа.

607 εἰ δέ τινες παρὰ ἐπόπτου, ἢ βασιλικοῦ στρατιωτικοὺς, at si aliqui a Censore, vel Basilico militaria prædia per libellos vendiderint.

παραγωγικῶν, superficierum libellarium.

608 ὁ ἔχων χρῆσιν καρπῶν, δύναται πωλεῖν αὐτὴν, qui usumfructum habet, potest eum vendere et invito domino, vel hærede ipsius.

ἀνακάμψεις, εἰσδεκτικὰ, redemptiones, præstationes, quæ fiunt, ut in possessionem mittantur.

προτιμήσεως, prælationis. *pl. ead. pag.*

612 ἀντίχρησις, antichresis, mutuus usus.

εἰσδεκτικὰ, quod solvitur, ut in possessionem mittantur.

περὶ ἀνακάμψεως, de renovatione. ἀνάκαμψις, renovatio *bis ead. pag.*

εἰσδεκτικὸν, quod præstatur, ut in possessionem mittatur.

623 ἐμοῦ εἰδότος, me sciente.

626 εἰσδεκτικὰ, quæ expenduntur pro immissione in possessionem obtinenda

εἰσδεκτικῶν, præstationum, quæ debentur domino, ut in possessionem immittat.

ἐπιστατικῶν, reliquorum (vectigalium).

627 τοῦ γεγραμμένου νόμου ἔλλειμα. τὸ παρὰ τὸν γεγραμμ. quod lege scripta prætermissum, quod justum est præter legem scriptam.

628 εἰσδεκτικοῖς, pecuniis, quæ persolvuntur pro immissione in possessionem.

εἰσδεκτικῶν, pecuniarum, quæ ut immitteretur in possessionem sunt præstitæ.

ἔθος ἐξ ἔθους, mos ex consuetudine provenit.

631 ἀντιχρήσεως, mutui usus. ἀντίχρησις, *antichresis*, mutuus usus.

632 ἀνάκαμψις, renovatio, restauratio feudi.

προτιμήσεως, prælationis. *pl. ead. pag.*

εἰσδεκτικὰ, præstationes, quæ fiunt, ut in possessionem mittatur.

635 εἰσδεκτικὰ, pecuniæ pro immissione in possessionem præstitæ.

προτιμήσεως, prælationis.

βουκελλάριος, buccellarius, permanens miles, stationarius.

τοὺς δὲ πελάτας ἔδει τοῖς ἑαυτῶν προστάταις θυγατέρας τε συνεκδίδοσθαι γαμουμένας, erat autem opus, a clientibus patronos adjuvari in filiarum nuptiis: et redemptionis pretium hostibus illos præstare, si quis ipsorum vel liberorum captivus factus esset.

κοινῇ δ' ἀμφοτέροις οὔτε ὅσιον οὔτε θέμις ἦν κατηγορεῖν ἀλλήλων ἐπὶ δίκαις ἢ καταμαρτυρ. commune autem ambobus, neque jus, neque fas erat, accusare se invicem in judicio, vel testimonium adversus dicere: quod si quid horum fecisse aliquis comperiretur, legi proditionis erat obnoxius.

καὶ εἴ τι δὲ ἴδω, ἢ νοήσω, ἢ ἀκοῇ παραλήψομαι εἰς ἀτιμίαν ὑμῶν καὶ λύμην τοῦ ὑμετέρου φερόμενον, et si quid videro, vel cogitavero, vel audiens accepero, quod in vestrum dedecus, perniciemque sit coronæ vestræ, ut vos de hoc scientes me facturum, et ut mihi permissum fuerit, id prohibiturum.

636 ἐπ' ἀντιδώρῳ, remunerationis ergo.

637 εἰσδεκτικὰ, pecunias pro immissione possessionem obtinenda, solutas.

ὑπόβολον, *hypobolum* donationem propter nuptias. *pl. ead. pag.*

638 θεώρετρον, donum, quod a sponso dabatur, cum primum sponsam videndi ei erat copia. ἀνακαλυπτήριον, idem est.

ἀνακαλυπτήρια, dona quæ dantur sponsæ, dum retectam se præbet videndam.

ἐγκαλυπτήρια, dum adhuc tectam, et velo conditam.

προτιμήσεως, prælationis.

642 ὑπόβολον, donationem propter nuptias *hypobolum*.

643 προτιμήσεως, prælationis, *pl. ead. pag.*

πρότιμος, πρότιμον, qui prælationis jus habet, eum, cui prælatio competit.

COL.

644 προτιμήσεως, prælatio.
648 ἀναγκάζεται, compellitur.
651 καὶ τὸ εὖ ποιεῖν, καὶ τὸ εὖ πάσχειν τῶν ἡδέων, τὸ μὲν γάρ εὖ πάσχειν, τυγχάνειν ἐστίν, et bene facere, et bene pati jucunda sunt: bene enim pati est, quæ cupimus nancisci: bene autem facere est habere; et utrumque horum desideratur.
652 τῆς προδοσίας, proditionis.
657 ἀνακάμψεις, redemptiones.
εἰσθετικά, pecunias, quas solvimus, ut in possessionem immittamur.
προτιμήσεως, prælationis. pl. ead. pag.
662 ἀντιχρήσεως, antichreseos. mutui usus.
ἀναλόγως, pro rata. ratione ducta.
663 ὑπόβολον, donationem propter nuptias hypobolum. pl. ead. pag.
666 ὅρκος ἀντεπαγόμενος, jusjurandum relatum.
670 προτιμήσεως, prælationis. bis ead. pag.
γυμνάζεσθαι, se exercere ad simulacra animi aspectis.
699 ἐν τῷ κατὰ Θεομνήστου πρώτῳ. ἐν ἐκείνῳ χωρίῳ, ὅταν τας τοῦ φόνου δίκας δικάζονται, οὐ διὰ τούτου, in prima adversus Theomnestum oratione. Et in loco cum de homicidio, controversia est, hoc nomine minimo calumniæ jusjurandum præstatur, sed ut ego probe audivi, actor quod interfecerit, jurat, reus autem quod non interfecerit.
καὶ ἄτων πρότον μὲν εἰς τὸ τοῖς μάστιξι σώμα, καὶ ἐν χρῷ κουρᾷ ἀτιμάζεσθαι: τοῖς μὲν ὁρίζεται τὴν ποινὴν μεχρὶ τῶν εἰς τὸ σῶμα, et ipsi quidem, antequam flagris eorum corpus cædatur, et cute tenus tonsione deformetur. His autem statui pœnam, ut flagris cædantur, eorumque corpus detondeatur: virgis, et pilorum abscissione ignominiæ plena
707 προτιμήσεως, prælationis.
708 προτιμήσεως. prælationis. pl. ead. pag.
709 ἐμφυτεύσεων. emphyteuseon.
συγγενεῖς, cognatos.
Νεαρὰ Ῥωμανοῦ τοῦ γέροντος etc. Novella Romani Senioris, de alienatione prædiorum, et prælatione cognatorum, et sociorum, et permixtorum, et consortium adjacentium, et conjunctim unitorum, et prædiorum, quæ idem tributum pendent, et agellorum, et prohibitione potentium personarum, et militarium fundorum alienatione.
Παλαιὸς νόμος ἐστὶν ἵνα μηδ. etc. Novellam hanc, et sequentem, scilicet eam cujus initium Ὥσπερ σώματι etc. pag. 710. emendatiores vide et in latinum versas ad calcem lib. V. Feudor.
710 οἱ ἀναμὶξ, permixtim quoquo grado (modo) juncti cognati.
ἐμφυτεύσεων, emphyteuseon.
προτιμήσεως, prælationis. bis ead. pag.
ἔν τισι, in villis, vel prædiolis, in quibus proprios fundos non possident.
ἀνακοινώσεως, communionis. vicinitatis.
πλησιασμοῦ, accessionis.
περὶ δυνατῶν, de potentioribus, qui in possessionem pauperum ingrediuntur.
προσωκειωμένος, qui adhæret.
Νεαρὰ Κωνσταντίνου Πορφυρογεννήτου περὶ στρατιωτῶν etc. Vid. interpretationem latinam ad calcem libri V. Feudor.
712 ἐρυθρόγραφον, rubro inducto scriptam.
προτιμήσεως, prærogativæ.
752 καθαιρεθῆναι, etc. deponi, grado aliquem moveri ante condemnationem, justum non est.
756 ἀνυπεύθυνος πάσης δίκης, nulli causæ dicendæ obnoxius.
ἀνυπεύθυνος, causæ dicendæ non obnoxius.
762 τοῦτα εἰς περιφρόνησιν καὶ ὕβριν τοῦ ἐπισκόπου ἐστὶν, id in sprotum, et injuriam Episcopi est.
765 τὸ κοινὸν τῶν Θρᾳκῶν, τὸ κοινὸν τῶν Θεσσάλων, τὸ κοινὸν τῶν Ἀχαίων, commune Thraciæ, commune Thessaliæ, commune Achajæ.

COL.

770 βιβλίον τῆς αἰτιάσεως, τῶν αἰτιάσεων, libellus accusationis, accusationum.
776 παχυμερῶς, crassius.
διαφανισμένου, declarati, perspicui.
780 ἀποκρεω, carnisprivii.
ἀπόκρεω ἦν καιρὸς, etc. carnisprivii tempus erat, cum ad lautiores epulas, et meraciorem potum dant homines.
781 παραβύστῳ, clanculum.
προτιμῶντας, εἴγε δύναντο σχολάζειν, ὡς χριστιανοί, præferentes, si queant vacare, ut Christiani.
782 ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ γάμους, ἢ γενέθλια ἐπιτελεῖν, quoniam non decet in quadragesima nuptias, et natalitia celebrare.
783 ὁ ἐγκαλεσάμενος, ἐνάγων ἐστίν, qui in jus vocavit, actor est.
787 ἀμέσως, sine medio.
791 τὴν ὀφειλὴν, debitionem, sive debitum.
792 ἄπορον, inopem.
795 ἀνακωχαί, dilationes, induciæ.
803 περιοχὴν, συνοχὴν τῆς δίκης, complexionem, continentiam litis.
804 τῆς ὑμένος, membranæ.
ὑμένα, membranam.
807 παρασημειώσεως, adnotationis.
808 συστάδην, cominus partibus constitutis.
μονομερῶς, una tantum parte præsente.
809 ἀποκρισιαρίους, actores, defensores Ecclesiarum.
812 πᾶς πατὴρ μωρὸς, omnis pater stultus.
823 δοκιμασίας, probationis.
827 προχρονισμὸν, prælationem temporis.
831 ἀδιακρίτως, ἀσαφῶς, indiscrete, obscure.
832 κατὰ πρόληψιν, pluries ead. pag. ex præsumptione.
834 περιέχουσα, περιέχουσα, retinens, continens.
ἐπαγγελλομένη, ἔχουσ περιέχουσα, condicens, sive continens.
837 ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἁπάντων ὕστατον, in hominibus omnium postremum.
838 προπετῶς, perperam, inconsulto.
843 καθ' ἡμέραν, quotidie morior per vestram gloriam, quam habeo in Christo Jesu D. N.
848 παρὰ τὼ δύο σταθμὼ, ultra duas mansiones.
850 προνάῳ, templi vestibulo.
ἀπογραφῆ, descriptione.
ἀριθμοὶ, numeri, ματρικίων, archium.
χαρτοφυλάκιον, ἀρχέτυπον, grammatophylacium, ἐν ταῖς ματρικίαις, in matricibus, sive cathedralibus.
851 ἐκ παραλλήλου, per voces idem notantes.
856 ἄδικος, bis eadem pag. injusta.
862 τὸ κριθὲν ποιεῖν νομοθέτημα, judicatum constituere legem.
863 προνάῳ, templi vestibulo.
865 συμμετρίαν, æqualitatem.
866 ἄρχων ἀρχόντων, magistratus, princeps magistratuum.
872 ὑπὲρ τούτου ἐπενοήθη, etc. ad hoc est excogitatum provocandi auxilium.
876 οὐδὲν ἐκ παραδρομῆς τοῦ χρόνου, etc. nullum ex temporis excursu dat liti præjudicium.
καταχρηστικῶς, per abusionem.
878 εἰκὼν, imago.
883 ἐπ' αὐτοφώρῳ, ἐν ἔργῳ, in ipso scelere, in facinore.
881 μονομερῶς, una duntaxat parte præsente.
883 μονομερῶς, una duntaxat parte præsente.
890 ὑπουργὸν, ministrum.
891 μὴ τέμνειν, non abscindere pilos nosse.
μᾶλλον δὲ, potius autem non viros, sed batalos, et semiviros hos oportet vocare.
892 νεόφυτοι, qui recens Christianam fidem amplexi sunt.
894 περὶ μονώσεως τῶν κληρικῶν, de singularitate Clericorum.
συνεισάκτους, bis ead. pag. exteras, aliunde importatas. συνερχομένας, quæ advenerunt.
895 κατ' ἐξοχὴν, per eminentiam.

COL

898 πορισμὸν ἡγούμενος τὴν εὐσέβειαν. reditum ducens pietatem.
899 ἀπολελυμένως, libere absolute.
καθαιροῦνται, dejiciunt, διοίκησις, diœcesis.
αἰσχροκερδίας, turpis lucri.
900 ἀκολύθους, comites, ἀναγνώστας, lectores.
εἰρηνικὴν, bis eadem pag. sequestrem pacis.
εἰρηνικάς, bis ead. pag. sequestres pacis.
901 διανομαί, distributiones.
902 δι' ἔνδειαν τῶν γνησίων, propter penuriam legitimorum.
διὰ ἐρημίαν ἀνδρῶν βελτιόνων, ob meliorum virorum penuriam.
904 ἰδιοποιεῖν, suos facere.
906 τὴν πλεονεξίαν εἶναι εἰδωλολατρείαν, avaritiam esse idoli cultum.
πλεονεκτεῖν εἶναι εἰδωλολατρεῖν, avide plura desiderare, esse idolum colere.
τὴν ψυχὴν, καὶ τὸν νοῦν, animam, et mentem.
907 λαοῖς ἄφεσις, populis missio.
914 προσωποληψίαν, personarum acceptio, sive respectus.
915 τὸ φρόνιμον εὐγένειαν εἶναι, prudentiam nobilitatem esse.
γλῶττα ἐπιληπτικὴ, sideratæ linguæ.
παράλυσιν, paralysis.
924 κύριον τὸ δόξαν τοῖς πολλοῖς, firmum, ratum, quod pluribus visum.
κρεῖττον τὸ πλεῖον, melius quod plus.
παράδοξον, inopinabilis.
927 βουλλωτήριον, sigillum.
928 τὸν σῖτον κατὰ, frumentum secundum res venales, quæ in foro exponuntur, æque cariori pretio.
930 ἀναφορὰν, relationem, regressum.
931 θεοῦ μηνίαν, Dei iram.
ὁ ὑφ' ἡμέραν ὀφείλων, ἑαυτὸν ὑπομιμνήσκειν ὀφείλει, qui ad diem debet, seipsum commonefacere debet.
932 πάντα ποιεῖ σύμμετρα, æqualia omnia facit.
933 ἀντιχρήσεως, antichresis.
ἀντιχρήσεως, antichreseos.
934 ἀσφάλεια, cautio.
935 τὸ εὑρισκόμενον, quod reperietur, quod reliquum erit.
κληρικὸς, clericus fidejubens gradu moveatur.
940 ὡς ἔφοδον πεποιηκότες ἐνέχονται, ut qui invasionem fecerunt, tenentur.
ἐβάσταζεν, asportabat.
941 πρεσβυτίδας, anus.
πρεσβυτέρισσας, presbyteras.
942 ἀναλόγως, pro rata, æqualiter.
945 τὸ κατὰ τὴν φύσιν ὀφειλόμενον μέρος, quæ secundum naturam debetur pars.
952 συμπράττειν καὶ, opitulari, itaque consensum præbere, quæ bene a Pontificibus statuta sunt.
τοῖς κανόσι κατακολουθεῖν οὐκ ἀπαξιοῦσι νόμοι, canones sequi non dedignantur leges.
955 κατ' ἐλπίδα, per spem.
τὴν νομικὴν μνηστείαν γάμων τάξιν, καὶ κατάστασιν ἔχει, sponsalia legitima nuptiarum vicem, et formam habent.
957 ὁμοίων τὰς ἐν τοῖς λόγοις ὁμολογίας, ὥσπερ ἐν τοῖς ὅρκοις, eodem modo pacta, quæ in sermonibus, ac quæ in Sacramentis.
959 τῆς κακίας ἀναπληρούσης τὸ ὑστέρημα τῆς ἡλικίας, malitia, quod deficit ætatis, implente.
τὸ παρὰ μικρὸν ὥσπερ οὐδὲν ἀπέχειν δοκεῖ, quod parum abesse, prope nihil videtur.
961 ἐπὶ τῶν συμφώνων, in conventionibus.
ἐπὶ τῶν συμβεβηκότων, καὶ περιστατικῶν, in iis, quæ ex accidenti sunt, et ad circumstantias pertinent.
963 εὐχαριστία, eucharistia.
971 νεοτόκοι, quæ recens pepererunt.
πρωτοτόκοι, quæ prima vice pepererunt.
παλαιὸν, antiquum.
974 λίκνα, cunæ, παρὰ λίκνῳ, in cunis.
μελλέφηβος, pubertatem ingressurus.
975 συνουσιασμὸς, conjunctio, commistio.

COL.

978 παραδέματα ἀρραβωνικὰ, ornatus arrhæ nomine dati.
980 ποινηλασία, pœnæ constitutio.
καταχρηστικῶς, per abusionem.
984 παίδων σπορᾷ τῶν γνησίων, legitimorum liberorum segeti, procreationi.
991 εὐνουχιζομένους μὴ ἐλεφαντιᾶσθαι, castratos lepra non laborare.
σώματος δὲ ὅλου λεύκας ἐκαθάριζε, corpus lepra purgavit.
993 οἰκειότητα κατὰ τὸ πνεῦμα, cognatio, consuetudo secundum spiritum.
ἀνάδοχος, susceptor.
τῆς συντεκνείας ἔγκλημα, crimen confiliationis.
994 συντέκνεια, confilistio.
996 συμπάτερα, σύντεκνον, compatrem, confilium.
996 ἀδελφοποιΐα, adoptio in locum fratris.
997 ἀποστερήσεως, fraudationis
κατ' οἰκονομίαν, per indulgentiam.
ἀσέβεια, impietas.
998 τὴν ὀφειλὴν, debitum.
1000 πρὸς αἵματος, secundum sanguinem.
κατ' οἰκειότητα, καὶ κηδείαν, secundum consuetudinem, et affinitatem.
1001 δευτερογενείας, secunda progenies, secundus generis gradus.
τριγενείας, tertius generis gradus.
τετραγενείας, quartus generis gradus.
1004 ἀγχιτέρμων, vicinus, οἰκονομίας, indulgentia.
1006 διὰ τὴν ψύξιν, per refrigerationem.
καταδέσμοι, defixiones.
φύσις, vulva.
1007 τῆς ὑμένος. *bis ead. pag.* membranam.
φύσεως, vulvæ.
1122 σηκούς, καπέλλας, fana, sacella.
τὴν ὀφειλὴν, debitum.
μόνον ἐν κυρίῳ, solum in Domino.
γαμεῖν μετὰ, etc. nubere cum moderatione, et temperantia legitimo matrimonio ad filios procreandos, etc.
1125 Εἴποτε. V. *infra pag.* 1136.
οἱ κενῶν *etc.* suorum ventorum dispensatores stulta stultis aggerentes, et legem ex lege trahentes.
1136 Εἴποτε *etc.* Si unquam consulam amico malum, ipse habeam.
Si vero aliquod illa mihi, bis tantum ipse habeat.
1137 ὑποτεταγμένους, subjectos.
1138 πρεσβεία, primogenia.
1159 οὐ γὰρ, non quidem nomina, sed signa.
1165 ? ὄντων, euntium ad pugnam multi ex disciplinis discesserunt.
1174 κατὰ φύσιν, ex natura.
1175 προθέσμια *etc. prothesmia*, dicta ac statuta dies ad aliquid tale, quæ ab Italis *terminus* dicitur.
αἱ καταγραφαί. Romana verba in legibus descripta.
περὶ χρονικῶν, de temporalibus intervallis a momento ad centum annos.
περὶ χρόνων, de temporibus, et termino a momento ad annos centum
ἐν ἀτόμῳ, in atomo, *bis ead. pag.*
ἐν πλάτει, latius.
ἐκ παραδόξου, non passim, præter opinionem.
1176 ἐν ῥοπῇ, in momento.
1177 πρὸς ῥοπὴν, ad momentum, momentarium.
ὡρισμένας, definitas (utiles).
ὡρισμένην, definitam (utilem).
βηματικὰς, sessionum dies.
1178 Αὐτοκράτωρ *etc.* Imperator Justinianus Menæ Præf. Præt. neminem in vinculis conjici sine magistratuum mandato per felicem hanc urbem volumus: vel in provincia sine gloriosorum, et illustrium, et clarissimorum Præsidum, vel in Urbibus, sine defensorum ipsarum jussu. Conjectos autem, et detentos in custodiis volumus, Dei dilectissimos locorum Episcopos una die cujusque hebdomadæ, Mercurii scilicet, vel Veneris perscrutari, diligenterque qua de causa detineantur cognoscere: et sive servi, sive liberi, sive ob æs alienum, sive propter alia delicta, sive ob cædes detineri inveniantur, et gloriosissimos, perillustres, ac clarissimos magistratus felicis hujus Urbis, et provinciarum admonere, ut super ipsis ita se gerant, quemadmodum sacra nostra ad Præsides directa constitutio statuit; facultatem tribuens sanctissimis Episcopis, qui pro tempore erunt, siquidem negligentiam adhiberi norint, a gloriosissimos pro tempore, et perillustribus, ac clarissimis Præsidibus, vel ab officialibus ab ipsis statutis, eam aperire, ut quod opus fuerit adversus negligentiam adhibentes, statuatur.
τετράδι *etc.* Mercurii enim, et Veneris dies jejunio peragenda, illa quidem ob consilium adversus Christum initum, ut proderetur. Veneris autem ob salutarem ejus passionem.
ἀπράκτους, non negotiosas, et otiosas dies.
1179 μνήμας, memorationes.
διδασκαλικὸν, didascalicum.
1180 τὸ κλεπτοτελώνημα, fraudati vectigalis crimen.
ὁμολογίας ἀπολ. professiones pecuniæ acceptæ.
1181 τῶν ἀποτροφῶν. militarium annonarum.
λόγος, asyli promissio. *bis ead. pag.*
σύμμετρον, commodum, conveniens.
ἀσυλία, asylum. καθ' ἑκάστην, quot diebus usque ad dies xxx.
καὶ αἱ διαβ. exceptiones testium intra dies triginta competunt.
ἐν τῇ, in sancto jejunio, ἅρπαγας, raptores, parricidas, et quos piratas vocant.
1182 ἐὰν δύο, si duo menses dicat lex, sexaginta dies pro his intelliguntur.
περὶ μαγκ. de mancipibus, sive de pistoribus.
προεστῶτες, qui præsunt pistoriis officinis.
1184 μονομερῶς, parte non audita.
ἀνανέωσις, renovatio.
1185 ἐπίτροποι, curatores.
ἐὰν ὁ ἄρχων *etc.* si præses quinquaginta diebus, postquam ei successum est, in provincia non maneat.
οἱ στελλόμενοι, Præsides in provincias missi, sive in themata.
ὁ πραίτωρ *etc.* Thraciæ prætor, et Macedoniæ, jus dicendi habeat duntaxat adversus habitatores in iis provinciis.
θεματικούς, provinciales judices, et provinciales magistratus.
1187 ἐν τῷ πένθει, in luctu. luctus tempore.
1188 ὁ ἐρήμου, si quis in desertum agrum se immiserit, intra biennium a domino agatur.
1189 περὶ πραίδας ζώων, de præda animalium.
πραῖδα ἡ γιν. præda. damnum, quod fit in vineis, et agris, et hujusmodi.
τὰ τῆς φύσεως, quæ naturæ sunt.
περὶ ὑπερθεματισμοῦ, de meliori conditione allata.
1190 εἰ δὲ ἡ γυνὴ, si uxor a viro sine ratione discesserit.
κατὰ τρυφὴν καὶ παίγνιαν, per lasciviam, et ludum.
1190 δ. ἑπταετίας *etc.* ejus, qui per septennium loco cesserit, dominium acquirit qui pro eo detentus decesserit.
1191 ὁ ποιήσας, qui fecit in urbe decem annos.
πανήγυριν, nundinas, sive quæ vacatio dicta.
ὥστε, ut vacatio (nundinæ) fiat prætextu alicujus mercaturæ.
ἐν πανηγύρεσι, in nundinis, et vacationibus.
1193 Κόσμου δὲ *etc.* Leo cum esset Romanis, ut si quis in suis manibus ipsorum bona non habuerint, et tempus annorum xxx. transierit, his quidem non amplius licere dominis in eos agere, qui expulerunt, sed ex præscriptione ipsa viam ad judicium claudi.
1194 τὰς ἐκκλησίας, Ecclesias.
οὐκ ἀντίκειται *etc.* nullum obstat tempus petentibus id quod solutum est in lusu aliquo prohibito, nisi duntaxat L. annorum.
διηνεκῶς, continue et præter annos xxx.
ὡς ὁ μακροχρόνιος ἄνθρωπος, velut homo longævus.
1213 ἀλλά τοι ἐξ ἀδήλων, veruntamen incerto modo, et abscondito gravibus rebus tangimur.
1215 ἐν στήθεσι, in pectoribus fortem animum.
μαθόντες δὲ, discipuli vero.
μεγαλύνουσι τὰς, etc. recitationes extollunt: seu pulmones, genuinum nihil habentes.
ἀνεμοφόρητα, a ventis disjecta, et ad horum strepitum ne respicerem quidem.
οὐκ ἀπαρνοῦμαι, non denego, τὸ minime.
παρακεκίνηται, emotus est mente, et perditus.
βασκανίαν φέρει, odium gignit.
παραμυθίαν οὐ μικρὰν, consolationem non mediocrem.
1216 κεράτων, etc. duorum cornuum, et jugi citharæ, et chelys.
ἐκακούργησε τὴν νομικὴν, male scientiam legum affecit.
φιλαληθῶς, veritatis studio.
κόποι, etc. labores, qui ultra fiunt.
1217 ἐφημέριοι τύχαι, sortes unius diei.
1254 τῶν τοι ματαίων, hominibus quidem vani animi, lingua verus accusator est.
1255 νοῦς ὁρᾷ, mens videt, et mens audit.
1257 οὔτε τὸν ἥλιον, etc. neque solem verentur. neque terram, quæ patria fuit.
τοὺς τοιαῦτα, etc. hujusmodi facientes ipsorum patriam mutilent.
1260 ψυχαὶ πολλαὶ, mentes, eorum quæ futura sunt, multa prædicant.
ἀδιαφορία, indifferentia.
πολλὰ μέσοισιν, multæ res mediis optimæ, medius volo in Urbe esse.
ἀγαθαὶ πέλοντ', etc. Bonæ sunt in nocte hyberna, nave ex veloci duas anchora dejicere.
λαλεῖν ἄριστος, loqui optimus minime possibilis dicere.
1262 Μήδαμ ὁ πάντα, etc. nequaquam, qui omnia curat adversarium fervere det men animo.
1264 δεύοντο ψάμμ. rigarentur arenæ, rigarentur arma virorum lacrymis.
1271 διδακτικὴν, ad docendum apta.
1272 οὐδὲν φρονεῖ, nihil cogitat justi: neque vult.
1273 πολυπίδακα, multis fontibus scatentem.
1274 εὐχαριστίας καὶ εὐλογίας, eucharistiæ, et benedictionis.
ἀρρήτῳ, energia ineffabili.
δεικτικῶς, ad demonstrandum positum.
εὐλογίαν, benedictionem.

INDEX ALPHABETICUS

TITULORUM CODICIS JUSTINIANEI

IN HOC OCTAVO TOMO

A JACOBO CUJACIO EXPOSITORUM

Q

R

S

T

V

INDEX ALPHABETICUS

NOVELLARUM CONSTITUTIONUM

QUARUM INTERPRETATIO HOC TOMO CONTINENTUR

INDEX TITULORUM

QUI IN LIBRIS FEUDORUM EXTANT

ORDINE ALPHABETICO AD CUJACIANAM PARTITIONEM ACCOMODATUS

O

P

Q

R

S

V

INDEX ALPHABETICUS

TITULORUM DECRETALIUM

GREGORII IX:

IN HOC DECIMO TOMO

A JACOBO CUJACIO

EXPLICATORUM

A

C

D

E

F

INDEX ALPHABETICUS

CAPITUM DECRETALIUM

GREGORII IX.

IN HOC DECIMO TOMO

A JACOBO CUJACIO

EXPLICATORUM

D

E

INDEX CONSULTATIONUM

CONSULTATIO VETERIS CUJUSD. JURISCON. pag. 1127.

INDEX CAPITUM

DE DIVERSIS TEMPORUM PRÆSCRIPTIONIBUS.

INDEX TITULORUM EUSTATHII

DE TEMPORALIBUS INTERVALLIS

INDEX

EPISTOLARUM JACOBI CUJACII J. C.

INDEX

ORATIONUM, CONSULTATIONUM, etc.

FINIS TOMI OCTAVI